Sc.21.p/.2.

37
30 F
9

- HAG 4341

Digitized by Google

Google

DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ,
SEU PRÆCIPUARUM DIFFICULTATUM
Circa Theologiam Moralem, ac Diſciplinam Eccleſiaſticam
D E C I S I O N E S:
E ſacris Scripturis, Conciliis, SS. Patribus, Pontificum Romanorum Decretalibus, celeberrimis Theologis & Canoniſtis depromtæ.

A U C T O R E

JOANNE PONTAS,
PRESBYTERO, FACULTATIS PARISIENSIS,
Juris Canonici Doctore, atque Eccleſiæ Pariſienſis Propœnitentiario.

EDITIO NOVISSIMA,
Ceteris multo emendatior, & quam maxime auctior ac locupletior.
Cui potiſſimum attexitur,
TAMQUAM TOTIUS OPERIS COMPLEMENTUM,
ALTERUM DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ,
A DD. DE LAMET ET FROMAGEAU
Sorbonicæ Familiæ & Societatis Doctoribus concinnatum.

A C C E S S E R U N T
D. EUSEBII AMORT CANONICI REGULARIS LATERANENSIS
MENDA PONTASIANA, ſive Obſervationes quædam in opus Pontaſii adornatæ:
NEC NON
FR. DANIELIS CONCINA ORDINIS PRÆDICATORUM
Animadverſiones Critico-Morales in præfata MENDA PONTASIANA:
Qui & Præfationem ad Lectorem, & Auctarium duorum Caſuum
A D J E C I T.

Omnia vero ad planiorem Studioſorum Theologiæ Moralis uſum, nunc demum opportuniori conſilio in unum congeſta, ac ſuis quibuſque locis utiliori methodo inſerta.

TOMUS PRIMUS.

A—D

VENETIIS, MDCCLXXIII.
APUD ANTONIUM BORTOLI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUAM avidis exceptum manibus ubique gentium fuerit DICTIONARIUM Caſuum Conſcientiæ JOANNIS PONTASII, iteratæ ejuſdem infra paucorum intervallum annorum editiones luculento ſunt argumento. Ter Pariſienſibus typis Gallice, ut fuit ab Auctore conſcriptum, prodiit. Primum an. 1714. iterum an. 1723. tum an. 1726. Fama tanti operis in diem latius manante, cupido nationes plures inceſſit illud latine legendi; & communi exſpectationi eventus reſpondit an. 1732, quo *Luxemburgi* latinitate donatum recuſum eſt. Hanc primam latinam verſionem altera excepit *Auguſtana* an. 1733. Utraque fruitur ſua utilitate, & pretio; ſed neutra ſuis caret nævis. Unius, & alterius ſpeciminis aliquid perſtringere juvat. Luxemburgenſis id optimi habet, quod ſinceræ interpretationis legibus adhærens, integrum opus ad Gallici originalis exemplar fide ſumma latine reddidit. Sed hac ipſa ratione ſua ſecum defert præjudicia, quæ tamen non ab Interprete, ſed ab Auctore ipſo proficiſcuntur. Is namque ſecundum præjudicatas Gallici Regni non paucas opiniones, quæ diſciplinam potiſſimum ſpectant, plurimos reſolvit caſus, eaſque regulas exhibet, quæ ceteris nationibus diſplicent. Dicta quoque aliqua ingerit, quæ erga Romanæ Sedis Decreta obſequium debitum haudquaquam redolent. Quæ mala latini idiomatis beneficio omnibus pervia reddita, ultimum faceſſere periculum operi alioqui egregio, nemo eſt qui non videat. Porro, ut ſcopulos iſtos omnes evitaret *Interpres Auguſtanus* Opus ad dimidias fere concidit, illudque non tam vertit, quam contraxit, ſicut ipſemet in Monito ad Lectorem teſtatur his verbis: *Præter etiam quod iſta* (Auguſtana) *prioris* (Luxemburgenſis) *dimidium mole & pretio conſtituat, etiam dignitate præſtat multis paraſangis*. Inter præcipuas autem prærogativas, quibus ſuam *Auguſtanam* verſionem antecellere Luxemburgenſi aſſerit, princeps eſt, quod generales regulas & principia, quæ omnium decidendorum Caſuum cuique ſui *Dictionarii* titulo Actor præmittit, omnia ad unum expunxerit. Reſecationis duo prodit rationum momenta. Alterum quod Theologi Germaniæ definitiones, principia & fundamenta morum ab inſtitutionibus Theologiæ Moralis & Juris Canonici haurientes, nonniſi cum faſtidio & nauſea eadem relegere in Caſuum reſolutionibus coguntur, ut inquit in laudato Monito: *Opus Gallicum, cujus genuinum Ectypon Genevenſis verſio eſt, ſcriptum in vernacula lingua erat accommodatum femellis & rudi plebeculæ: proinde definitiones, explicationes ac integræ Diſſertationes ad captum vulgi paſſim diffuſa: quæ dum a noſtris Theologis in inſtitutionibus Theologiæ Moralis & Juris Canonici diſcuntur inter elementa, faſtidiuntur cum nauſea*. Hoc idem repetit in Præfatione ad Lectorem benevolum: *Hæc omnia cum a noſtris Theologis faſtidioſis bibantur auribus, ea alacritate reſecui, ut tres Tomi Gallici jam prope coirent in latinum unicum, quo ſimul & emtorum ſumtibus parcitur, & lectorum faſtidio*. Quæ ratio quam ſit valida, quiſque tenet. Nam qui ab uno

Deciſiones caſuum, ab altero Auctore doctrinam & principia quibus reſolutiones innituntur, mutuatur; is profecto concretum quoddam contrariis & invicem pugnantibus extremis permixtum in mente ſua conflabit. Qua de cauſſa. qui a *Dictionario Pontaſiano* reſecat illa omnia doctrinarum & principiorum ſpecimina, quæ *Diſſertationes præliminares* Interpres Auguſtanns appellat, caput a ſuo corpore abſcindit; quoniam, ut omnia corporis membra a capite, ſic peculiarium Caſuum Deciſiones a principiis & regulis univerſalibus pendet; & quemadmodum monſtroſa ſunt corpora, quæ capite a membris difformi conſtant; ſimiliter Mentis partus prodigioſi evadunt, ſi tum in principiis, tum in conſecutionibus ſibi non conſtant. Hæc autem morum principia & fundamenta, non eadem in omnibus Auctoribus reperiuntur; ſed quiſque ſuis phraſibus ſuiſque lenociniis ita illa attemperat linitque, ut peculiaribus opinionibus conſentanea fiant. Nec deſunt, qui non tam Caſus ad principia, quam principia ad Caſuum reſolutiones accommodent. Quare plus principiorum, quam Caſuum cognitio neceſſaria eſt. Qui enim penitus comprehendit morum principia & fundamenta, nullo negotio Caſus peculiares ſe ipſo reſolvere valet. Alterum factæ conciſionis momentum eſt, quod DICTIONARIUM PONTASIANUM pluribus ſcatet Parlamentorum Galliæ decretis, itidemque principiis & dogmatis partim exterarum nationum diſciplinæ, partim morum fideique moderationi non omnino in rigore conſonis. Ob iſtas cauſſas *Interpres Auguſtanus* plurima ex præſato Dictionario reſecavit, & inſuper MENDA PONTASIANA, ſeu quinque Obſervationes adjecit, quibus cuique occurrit periculo, quod alienarum nationum lectores ex tali opere ſubire potuiſſent.

His duabus latinis editionibus ſerio expenſis, conſilium cepit Venetus bibliopola tertiam cudendi quæ utriuſque defectibus careat, quæve quidquid utraque præſata boni habeat complectatur; prodeatque tandem aliquando editio omnibus numeris abſoluta eximii PONTASIANI DICTIONARII: quod licet pluribus commendari titulis mereatur, attamen ob id potiſſimum ſummo habendum in pretio eſt, quod conſcientiæ Caſus reſolvit ad præſcriptum Scripturarum ſanctarum, Canonum ac Patrum Auguſtini, Thomæ, Raymundi, Antonini & antiquorum Theologorum. Quæ Methodus morum tradendi Theologiam, ſi umquam, hoc ſane neceſſaria tempore eſt, quo omnes de moribus diſputationes ad metaphyſica quædam ratiocinia inaneſque ſubtilitates revocari a pluribus ſolent. Ut autem editio iſtæc quibuſvis nationibus utiliſſima evadat, juſtoque illi reſpondeat deſiderio quod omnium animis inſidet, habendi ſcilicet integros ac genuinos Auctorum partus, quaque demta truncatione; Verſio Luxemburgenſis recudenda ſeligitur, eo quod ſit operis Gallici genuinum Ectypon eleganti latinitate expreſſum. Porro nonnulla quæ in hoc opere continentur minus conſentanea obſequio quod Romanæ Sedis ſanctionibus debetur, non omnino de medio tollimus, ſed tantummodo e proprio loco expuncta in hanc transferuntur præfationem impugnanda, ne vel unum verbum quod in originali opere habetur, a lectore deſiderari patiamur. Primum vero quod in hoc *Dictionario* nobis diſplicuit, eſt inſolens audaxque cenſura lata adverſus antiquiſſimam Romanæ Sedis conſuetudinem infligendi juſta gravique urgente neceſſitate, in contumaces fideles excommunicationis pœnas. Cenſura iſtæc nimium re vera impudens habetur *Titul. Excommunicatio* his verbis concepta: *Verum ut in pejus lapſi ſunt Chriſtianorum mores, & imminutum eſt Epiſcoporum meritum, frequentiores etiam factæ ſunt cauſſæ excommunicationis, & minor circumſpectio in uſu extremi illius remedii. Qua de re ſic loquitur D. Abbas de Floriaco in ſecundo Tomo* Inſtitutionis ad jus Eccleſiaſticum, *in quo meſte depingit, quam celeriter ſerpſerit uſus excommunicationis, quæ poſtea malo ipſo facta eſt periculoſior medicina. Eo tandem immoderationis pervenit hic progreſſus, ut nihil niſi excommunicationis ſono reſonet infinitus prope ſummorum Pontificum Decretalium & Conſtitutionum numerus, ex quibus conſtat alterum juris Canonici volumen. Triginta etiam duæ diverſæ in Sexto, & quinquaginta pariter diverſæ excommunicationis ſpecies in Clementinis reperiuntur; ſolaque Bulla* in Cœna Domini *viginti & unam continet. Nulla tandem e Papali Tribunali venit Bulla, quæ in Excommunicationem non deſinat. Notum eſt omnibus, quam immodice excommunica-*

nicatione abuſus fuerit GREGORIUS VII. *contendens Principem excommunicatum ab omni ſua poteſtate atque imperio excidiſſe , ejuſque ſubditos nullo jam præſtandæ ipſi obedientiæ vinculo teneri . Prælati etiam nunc quamplurimi , præſertim in Italia , funeſta illa in manibus arma quotidie gerunt ad obtinendam a ſubditis obedientiam , quos ſæpe ad meliorem frugem adducerent lenitas & indulgentia , loco ſeveritatis quæ aptius peccatorum vulnera exulcerat quam demulcet .*

Opus minime eſt multis evincere iſtius cenſuræ , verius dixerim , impoſturæ apertiſſimæ temeritatem . Se ipſa ſtomachum commovet , juſtamque in omnibus rerum æqnis æſtimatoribus indignationem eoncitat . Et in primis, ad GREGORIUM VII. quod attinet , non alium in prudentiæ & evangelicæ manſuetudinis ſanctiſſimi Pontificis deſenſionem teſtem adducam , quam ſcriptorem Gallum nulli obnoxium exceptioni . Is eſt Natalis Alexander, qui in Hiſtoria XI., & XII. ſæculi *Diſſert.* 2. *articul.* 2. hæc de excommunicatione , quam in HENRICUM III. Imperatorem tulit GREGORIUS VII. ſcribit: *GREGORIUM VII. amore ſingulari* Henricum *Regem complexum eſſe , nec in eum ſeveritatem exercuiſſe , niſi tentatis omnibus benevolentiæ manſuetudiniſque mediis , ejus litteræ & illorum temporum hiſtoria demonſtrant* . Item *articul.* 4. hæc addit : Henricum *Regem tam ſæpe , tam amanter , tam paterne per Epiſtolas , per legatos , per* Agnetem *Auguſtam Matrem admonitum , rogatum , reprehenſum de Simonia , de uſurpata Epiſcopatuum donatione , de patrocinio excommunicatis impenſo , de libidine , de crudelitate , tyrannide , cum non ſolum in ſceleribus perſeverare , cum non ſolum ſuas admonitiones , preces , increpationes , minas & Sedis Apoſtolicæ decreta contemnere ; non ſolum contumeliis Chriſti Vicarium & ſancti* PETRI *ſucceſſorem inſectari , ſed ſchiſma facere , Germaniæque Epiſcopos quamplures , & Longobardiæ non paucos ab obedientia ſua abſtraxiſſe , videret* GREGORIUS VII. , *diutius diſſimulare non debuit , ſed armis ſpiritualibus quæ Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit , Eccleſiam ſuamque dignitatem tueri , & anathemate confodere cum Regem ipſum , tum ſchiſmatis incentores* . Hæc ſatis ſuperque ſunt pro juſtis ſummi Pontificis vindiciis adverſus inepta dicteria . Quod vero ſpectat & Pontificis in Principes poteſtatem , & ſubditorum obedientiam Principi excommunicato exhibendam ; adeo fuſe pro utriuſque partis juribus ſartis tectiſque tuendis ſcripſere Auctores celeberrimi , ut ſuperfluum ſit vel unicum verbum facere . Prætermitto quoque , quæ de Bulla Cœnæ & aliis Bullis obtruduntur , tum quod millies jam profligata fuere , tum quod in votis nunc minime mihi eſt, ex profeſſo omnia expendere ; ſed eo dumtaxat conſilia pertinent mea , ut Lectorem obiter admoneam , quæ in hoc Dictionario cavere debeat .

Non minus falſa & enormis calumnia eſt qua aſſeritur, hac etiam tempeſtate plurimos Prælatos , præſertim in Italia , quotidie arma iſta ſpiritualia præ manibus habere , eademque in ſubditos nimia facilitate diſtringere . Si æque auctores ejuſmodi modeſti & obſequentes forent erga ſuos ſuperiores , ac manſueti & benigni ſunt Epiſcopi noſtri in ſubditos ſibi commiſſos , a critica adeo intemperanti abſtinerent . Et, qno auſu ſcriptor tranſalpinus Italorum Epiſcoporum geſta , nullo producto documento , ex arbitrio vellicat carpitque ? Nos qui in Italia degimus , teſtes oculati ſumus audacis impoſturæ . Quin tantum abeſt , Prælatos noſtros plus juſto ſeveriores eſſe in vibrandis Eccleſiaſticis cenſuris , ut potius in redundantis manſuetudinis , clementiæ & tolerantiæ , quam nimii rigoris , extremum propendeant declinentque . Si olim excommunicationum frequentior obtinebat uſus , non in Pontifices , non in Epiſcopos , ſed in illorum temporum infelicem miſerandamque conditionem regerendum eſt , ut ex manifeſtis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis colligitur . Et quando docnmenta deeſſent , nonne a Pontificum favore præſumtio ſtaret ? Sed eo temeritatis quorumdam præſertim tranſalpinorum ſcriptorum dicacitas proceſſit in vellicandis ſummorum Pontificum geſtis , ut eas tranſiliant modeſtiæ regulas , citra quas conſiſtunt , dum laicorum hominum acta expendunt . Dicant velim, num tanta confidentia auſint temporalium ſuorum Principum vindicantem juſtitiam qua in criminoſos ſubditos animadvertunt , virgula notare cenſoria ? Eccur illiberaliores in ſupremos Eccleſiæ Hierar-

chas

chas ſe produnt, eoque obſequio & reverentia venerari eos refugiunt, quo ſuos colunt ac reverentur terrenos Principes? Præter quam quod, quid iniquius, quam ob unum aut alterum alicujus privati lapſum, omnes Italiæ aliarumque nationum Præſules & Epiſcopos indiſcriminatim dicteriis concidere, inſectari, & veluti immanes & truces coram populo traducere? Hæ iſtic moderationis lenitatis & æquitatis leges mirum in modum emicant?

Alterum, quod in Romanam Sedem injurioſum dictum offendimus, in hoc Dictionario habetur *Tit. Libri probibiti*. Quare quæ ibi digna ſunt correctione, iſtic tranſſcribimus: *Cœtus*, inquit, *Inquiſitionis Romanæ expreſſo Paulli IV. mandato, cui ejus ſucceſſores multum adjecerunt, in numerum librorum probibitorum referendo omnes eos, quorum doctrina, non modo fidei & bonis moribus adverſabatur, ſed etiam eos, qui aliquid ultramontanorum juribus animo præceptis, circa puncta meræ diſciplinæ contrarium complectebantur. Hujuſcemodi catalogum Romæ anno 1683. jubente Innocentio XI editum babemus, qui continet appendicem uſque ad annum 1696. Volumen eſt in duodecimo 393. paginarum, quarum multæ plus quam 40 genera operum a Tribunali Inquiſitionis damnatorum continent. Quo in volumine plurimi præſtantes libri in probibitione generali implicantur. Tales ſunt liber de Schiſmate Cardinalis Zabarellæ, qui in eo æquos Pontificis poteſtati fines conſtituit; Opera D de Launoj, plura volumina Hiſtoriæ Patris Maimbourg, Inſtitutio ad jus Eccleſiaſticum a D. Abbate Fleury: pluresque etiam theſes a Procuratore Facultatis Theologiæ Pariſienſis approbatæ, ac in Sorbona nemine ſe interponente propugnatæ. Verum hi omnes catalogi (in Gallia) nullum locum babent, ubi quidquid Roma proficiſcitur, abſque codicillis a Rege impetratis in acta publica ſupremorum Regni Senatuum relatis non accipitur.*

Quemadmodum nihil hominum mentes validius pervertit, ingenia corrumpit moreſque depravat, quam noxiorum librorum lectio; ita nihil ſalubrius, nihil utilius eo remedio, quo ejuſmodi volumina erroneis infecta opinionibus a Chriſtianorum manibus arceantur. Catholicorum nemo Romano Pontifici poteſtatem approbandi improbandique libros fidei, morum, diſciplinæque controverſias tractantes adimit: & conſequenter præficiendi Viros ſcientia prudentiaque clariſſimos, qui hanc obeant provinciam. Non eſt ergo, quod in diſputationem vocetur jus Romanæ Congregationis Pontificia auctoritate erectæ in permittenda, aut vetanda librorum lectione. Ad facti quæſtionem res devolvitur; num ſcilicet Sacra Congregatio in cenſum librorum prohibitorum perſcripſerit opera, quæ ſupra omnem emineant cenſuram? Adfirmat Dictionarii Auctor mirum in modum deceptus, ſuæque deceptionis ac falſiſſimæ aſſertionis ille ipſe argumenta promit. Siquidem obtrudit opera Zabarellæ, Launoii, Maimbourg, Fleury, veluti auro cedroque digna. Zabarellam extollit, quod Pontificis juriſdictioni æquos conſtitueric terminos. Nonne conatus egregius, ſummaque dignus lande? Privatus ergo ſnbditus pro tribunali aget, ſententiamque in Pontificem Maximum dicet, illiuſque poteſtati terminos circumdabit? Si quis *Parlamentarius* librum ederet, in quo Regiæ Gallorum poteſtati, ipſo repugnante Rege, limites præſcriberet &. ex arbitrio reſtringeret: dic ſodes, num libet ejuſmodi, ac illius parens impunis incederet? Quid de Launojo dicendum? Immerito ne illius opera cenſura confixa? Sed univerſus catholicus litteratius orbis tamquam procacem, ſuperciliosum, illiberalem ſcriptorem Launojum repudiat exſecraturque; quoniam omnia jura interturbavit, nihilque ſuo calamo ſelle tincto intaminatum reliquit, Primatum Romani Pontificis divino jure ſancitum ita extenuavit, ejuſdemque juriſdictionem coercuit, ut in ludricam quamdam imaginem redegerit. Undique anſam arripit occaſionemque venatur Romanam carpendi Sedem, eidemque injuriam creandi. Non Patrum auctoritati, non antiquorum Theologorum ſolidiori doctrinæ, non celebrioribus orbis terrarum Sacrariis, non denique Cælitibus ipſis cum Deo regnantibus, ſolemnique univerſæ Eccleſiæ ritu populorum venerationi expoſitis, quoſve ille e cælis detrudere conatus eſt, pepercit: ſed omnia confundere, cælum terræ miſcere furenter tentavit. Quare omnium nationum eruditorumque virorum odium invidiamque ſibi merito conſcivit; adeo ut vel ipſi Galli ſcriptores illum com-

compellent rei litterariæ non *criticum*, non *Ariſtarchum*, ſed *Phalaridem*. Ab invido Launoii dente contra Romanam Sedem non valde recedit Ludovicus Maimbourg. Brevi: nec unum nobis objicere librum valent in Romano Indice recenſitum, qui merito ſevera cenſura inuſtus non fuerit. Sed illud magnopere feſtivum eſt, quod ultimo loco adjicit: nempe librorum prohibitorum catalogos qui Roma proficiſcuntur, locum in Gallia non habere, niſi accedentibus Regiis codicillis. Quid tum? Contendit calumniarum & dicteriorum adverſus Romanam Sedem catalogos a Gallis ſcriptoribus præſertim proficiſcentes, immunes ab omni cenſura quoquoverſum perambulare. Juſta vero præſumptio! Ceterum ſi veritatem vel ipſis eventis ponderare illi vellent, colligere tandem aliquando deberent inteſtina diſſidia, quibus eorum Eccleſiæ unitas proſcinditur: extremam illam opinandi, loquendi, ſcribendique de fidei arcanis morumque controverſiis libertatem, quæ penes ipſos omnes, neque ſemellis ipſis exceptis, ſerpit & graſſatur, ex impuni quorumcumque librorum lectione magna ex parte ortum ducere. Hæc eſt Gallicanorum privilegiorum funeſta univerſo Regno victoria, hæc peſtifera ſeges.

Præter duas exſcriptas periochas, nec verbum de hoc *Dictionario* aut expunximus, aut loco movimus, ſed omnia integra ſunt. Nihilo ſecius non omnia quæ in eodem reperiuntur, adprobamus; ſed non paucas opiniones ad diſciplinam Gallicanæ Eccleſiæ attinentes rejicimus: ab earum tamen recenſione & confutatione abſtineo, ne actum agam. Siquidem *Auguſtanæ verſionis Interpres* ejuſcemodi opiniones omnes ad criſim exegit, menda notavit refellitque. Tria diſtinguit quæſtionum genera. Unum diſciplinam, alterum morum, tertium fidem inſpicit. Quas ille diſciplinæ peculiares ſententias improbat, nos itidem improbamus, illique, ad hoc quod attinet, ſubſcribimus: atque non parvo beneficio ornatiſſimo interpreti devinctos nos eſſe fatemur, utpote eruditi ipſius laboris participes. Quapropter ut hæc editio utilior evadat, & ubique gentium citra omne periculum publicam ſubire lucem poſſit, eidem præmittimus MENDA PONTASIANA, ſeu OBSERVATIONES INTERPRETIS AUGUSTANI. Hac namque via lectorem cautum reddimus, atque monemus, ne exoticis diſciplinæ Gallorum opinionibus adhæreat.

Verum qua ingenuitate iſtarum OBSERVATIONUM plurimas amplectimur, eadem quoque fatemur, quaſdam, quæ non ad varias diſciplinæ conſuetudines, ſed ad Chriſtianæ moralis communia principia pertinent, nobis minime probari. Si eædem punctum aliquod verſarent eruditionis, ſive eccleſiaſticæ, ſive profanæ, alto litaſſem ſilentio, licet & in hoc genere acres & crebræ ob unicam ſteriliſſimam veritatem, cujus ſive ignoratio, ſive cognitio animæ inutilis eſt, aſſequendam, a claris etiam viris contentiones peragantur. At quoniam prima fere doctrinæ Evangelicæ capita quædam in diſcrimen, ut ego quidem arbitror, adducuntur; ut ſunt illa de uſuris, de injuſtitia, de vitandis libidinum illecebris & fornicationum occaſionibus, & cetera id genus, quæ ſunt obvii & frequentiſſimi ſcopuli, ad quos offendens humanum genus æternum magna in parte naufragium patitur; idcirco temperare mihi haud potui, quin data occaſione, nonnullas ſummi momenti Theologiæ moralis veritates ab injuſtis impugnationibus aſſererem, ac in tuto collocarem. Enimvero ſi Interpres noſter fas ſibi eſſe judicavit, nimiæ, quam reputavit in Pontaſii deciſionibus, ſeveritati lectores ſuos Germanos ſubducere; quidni licitum pariter & mihi erit, lectores meos admonere, ut a nimia quam in quibuſdam dictarum *Obſervationum* reperiri exiſtimo, laxitate ſibi caveant? Utrique noſtrum tum laxitatis, tum ſeveritatis extrema deteſtamur: ſed utrique ad alterutrum noſtris præventi anticipationibus deflectere poſſumus. Uter reapſe ab his extremis ſecurius receſſerit, mediamque arripuerit viam & ſcopum attigerit, aliorum eſto judicium. Illud autem monere lectorem convenit, me nec Pontaſii apologiam texere, nec illius opiniones propugnandas ſumere; ſed nonnullas meri facti quæſtiones veſtigandas ſuſcipio. *Interpres Auguſtanus* nimii rigoris paucas, quas in hoc *Dictionario* offendit opiniones, non ad diſciplinam, ut indicavi, ſed ad univerſalia morum principia ſpectantes, ſuggillat, contenditque eas communiter Germaniæ Theologis & Paſtoribus adverſari. Contra ego evincam, ejuſmodi opiniones a Theo-

Theologis tum Germaniæ, tum aliarum Nationum communiter defendi. Cauſſa itaque noſtra non tam *juris* quam *facti* eſt, ad artis criticæ regulas dirimenda. Quamobrem ANIMADVERSIONES meas quas in præfata MENDA PONTASIANA adornavi, non Doctrinales, ſed *critico Morales* inſcripſi. AUCTARIUM duorum Caſuum adjeci, qui in univerſo hoc opere non habentur. In iiſdem graviſſimæ continentur difficultates, quæ, ut pro dignitate expendantur, integrum requirunt tractatum. Sed expediens cenſui quædam dumtaxat in præſentia Evangelicæ Theologiæ ſemina ſerere, & nonnullas veritates prælibandas offerre. Porro ſi oculorum meorum infirmam valetudinem in iſtius *Dictionarii* lectione quidquam effugit quod Romanæ Eccleſiæ minus conſonum ſit, in anteceſſum rejicio. Vale.

MENDA PONTASIANA
Ab Interprete Genevenſi retenta, ab Auguſtano emendata.

Sive Obſervationes quædam circa Opus Gallicum PONTASII, & circa illius verſionem Genevenſem.

OBSERVATIO PRIMA.

Citat Libros, Romæ jam ante editionem hujus Operis prohibitos, nec ſatis reverenter loquitur de Romana Prohibitione Librorum.

IN Titulo *Libri Prohibiti*. Diſſertatione præliminari ſic ait: Editus eſt Catalogus omnium librorum ab Inquiſitione Hiſpaniæ prohibitorum anno 1558. Exemplum quod ſecutus eſt anno 1559. Cœtus Inquiſitionis Romanæ expreſſo Paulli IV. mandato; cui ejus ſucceſſores multum adjecerunt, in numerum librorum prohibitorum teferendo omnes eos, quorum doctrina non modo fidei & bonis moribus adverſabatur; ſed etiam eos, qui aliquid Ultramontanorum juribus animo præceptis, circa puncta meræ Diſciplinæ contrarium complectebantur. Hujuſmodi Catalogum Romæ anno 1683. jubente Innocentio XI. editum habemus, qui continet appendicem uſque ad annum 1696. quo in volumine plurimi præſtantes libri in prohibitione generali implicantur. Tales ſunt Liber de ſchiſmate Cardinalis Zabarellæ, qui in eo æquos Pontificis poteſtati fines conſtituit. Opera D. Launoii. Plura volumina Hiſtoriæ Patris Maimbourg. Inſtitutio ad Jus Eccleſiaſticum D. Abbatis Fleury. Plureſque etiam Theſes a Procuratore Facultatis Theologicæ Pariſienſis approbatæ, ac in Sorbona nemine ſe opponente propugnatæ. Verum hi omnes Catalogi in Gallia nullum locum habent, ubi quidquid Roma proficiſcitur, abſque codicillis a Rege impetratis, in acta publica ſupremorum Regni Senatuum relatis non accipitur. Ita Verſio Genevenſis. Hanc vero regulam a Pontaſio in praxin deductam fuiſſe patet ex decurſu Operis, & Catalogo Auctorum a ſe citatorum, quem tomo primo præfixit. Sic habet.

Index Hiſtoricus Auctorum, qui in hoc Dictionario citantur.

I. *Juenin*, Sacerdos e Congregatione Oratorii ſcripſit eruditum Opus de Sacramentis; & Curſum Theologicum ſub titulo; *Inſtitutiones Theologicæ*. Cum Cenſuram meruiſſet hoc poſterius Opus, ea ſubmiſſe demſit auctor, quæ e libro circumcidenda judicavit Eminentiſſimus Cardinalis de Noailles anno 1706. (hoc tamen non obſtante præfatæ Inſtitutiones ſpeciali Decreto Pontificio prohibitæ manſerunt in Indice Expurgatorio Romæ edito 1716.)

II. Libertates Eccleſiæ Gallicanæ collectæ a Petro Pithou.

III. *Launojus* multa nobis Opera dereliquit, quibus Conciliorum auctoritatem, Epiſcoporum, Regumque Jura acriter defendit. Exſtat hujus Auctoris liber ſub hoc titulo: *Regia in Matrimonium poteſtas*, Vel Poteſtas ſæcularium Principum in ſauciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus.

IV. *Gerbais*, Doctor Sorbonicus, compoſuit Tractatum de Cauſſis majoribus, & alterum de Poteſtate Regum in Matrimonium.

V. *Petrus de Marca* Archiepiſcopus Toloſanus, poſtea Pariſienſis, ſcripſit Tractatum de Concordia Sacerdotii & Imperii.

Huc uſque Catalogus. Præter hos Auctores, qui omnes reperiuntur in Indice Expurgatorio jam ante annum 1717. adeoque ante poſtremam editionem Pontaſii edito, citantur inſuper in decurſu Operis:

I. Corpus Doctrinæ Facultatis Theologicæ Pariſienſis a ſummo Pontifice reprobatum. Vide Titulum. *Approbatio*. Diſſert. prælim. & T. *Reus*. Caſ. 5.

II. Seſſiones 21. 31. & 18. 20. Concilii Baſileenſis reprobati a ſummo Pontifice quoad Decreta, ſeſſionem II. conſequentia, nec unquam approbati niſi quoad collationes Beneficiorum, & alias conceſſiones gratiarum tempore Concilii factas. Vide Tit. *Canonicus*. Diſſ. prælim. & caſ. 8. 16, & Tit. *Capitulum*. Caſ. 5. & Tit. *Renuntiatio*. Caſ. 3. & Tit. *Theologus*. Caſ. 3. & Tit. *Excommunicatio*. Caſ. 29.

III. *Fleurii*. Inſtitutiones ad Jus Canonicum. Tit. *Proviſio Beneficiaria*. Diſſ. prælim.

OBSERVATIO SECUNDA.

Pontaſius quoad poteſtatem cenſurandi propoſitiones præfert auctoritatem Sorbonæ aut Cleri Gallicani auctoritati ſummi Pontificis.

ID colligitur ex eo, quia, dum adducit aliquam propoſitionem a ſummis Pontificibus damnatam, eam damnationem non ſolet præferre damnationi earumdem Propoſitionum, factæ a Sorbona aut a Clero Gallicano; immo potius aſſerit, quod damnatio Pontificia fuerit a Gallis *admiſſa & confirmata*.

I. Tit. *Abſolutio*. Diſſ. prælim. ait: Qualis debeat eſſe hujuſmodi contritio, intelligi accuratius non poteſt, quam per Declarationem Cleri Gallicani 1700. confectam, qua ſequentes propoſitiones cenſuræ nota inuſtæ ſunt.

P R O P O S. LXXXV.

Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

P R O P O S. LXXXVIII.

Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Eccleſiæ, etſi emendationis

ſpes nulla appareat , nec eſt deneganda , nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem .

Quamvis hæ propoſitiones ſint etiam a ſummo Pontifice jam ante annum 1700. damnatæ, de hac damnatione tamen Pontaſius altum tenet ſilentium loco citato, quamvis Caſ. 7. loquatur implicite de damnatione prioris Propoſitionis facta ab Alexandro VII. de damnatione autem poſterioris expreſſe Caſ. 13.

II. Tit. *Charitas* , ſeu ut Interpres ſcribit *Caritas*. Diſs. prælim. ait:

Heic apponuntur Propoſitiones cum Cenſura Cleri (Gallicani) ann. 1700. quas protulere quidam remiſſiones Caſuiſtæ.

P a o p o s. XVIII.

Probabile eſt , ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis, per ſe obligare Præceptum caritatis erga Deum.

P a o p o s. XXI.

Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non eſt ſpeciale , ſed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem ſatisfit.

Prima harum propoſitionum jam proſcripta fuerat ab Innocentio X. & Innocentio XI. quocirca Clerus Gallicanus id tantum *approbavit* , & *confirmavit*, quod jam definierant ſummi Pontifices.

III. Tit. *Ebrietas* . Caſ. 18. Doctores Sorbonici ſic loquentes inducuntur : Id intendit Clerus Gallicanus , cum propoſitionem iſtam condemnavit : *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem , non eſt peccatum , modo non obſit valetudini ; quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui* . Heic iterum nulla fit mentio condemnationis Pontificiæ , qua Innocentius XI. eamdem Propoſitionem condemnavit jam 1679.

IV. Tit. *Eleemoſyna* Differt prælim. ait : En Propoſitionem , quam 1700. cenſura inuſſit Clerus Gallicanus.

P r o p o s. III.

Vix in ſæcularibus invenias , etiam in Regibus , ſuperfluum ſtatui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam , quod tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui. Damnata jam fuerat pernicioſa illa doctrina anno 1657. a Lovanienſibus Doctoribus & a Facultate Theologica Pariſienſi anno 1666. Cur heic a Pontaſio nulla fit mentio damnationis Pontificiæ , qua Innocentius XI. jam anno 1679. eamdem Propoſitionem proſcripſit?

V. Tit. *Fides* . Diſs. prælim. ait : Fuſius iſtæ veritates exponentur cenſuris ſequentium propoſitionum , quas tulere Comitia Cleri Gallicani ann. 1700. contra Propoſitiones jam ante ab Alexandro VII. & Innocentio XI. proſcriptas.

VI. Tie. *Gula* . Caſ. 2. ait: Jure merito igitur Innocentius XI. ſequentem damnavit propoſitionem. *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem &c. &c.* Papalem cenſuram *admiſit* , & *confirmavit* in Comitiis Generalibus ann. 1760. Clerus Gallicanus, eamdem damnans propoſitionem his verbis &c.

VII. Tit. *Jejunium* . Diſs. prælim. ait: En cenſum quatuor propoſitionum , quam emiſere Comitia Præſulum Cleri Gallicani ann. 1700. in quibus 127. propoſitiones morales, quarum pleræque jam a ſummis Pontificibus fuerant proſcriptæ, damnaverunt.

VIII. Tit. *Juramentum* . Diſs. prælim. ait : Sententiæ hujuſmodi fuere a Clero Gallicano proſcriptæ ann. 1700.

P r o p o s. LXIII

Si quis vel ſolus, vel coram aliis , quocumque fine juret, ſe non feciſſe aliquid quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit , vel aliam viam ab ea in qua fecit, re vera non mentitur, nec eſt perjurus.

P r o p o s. LXIV.

Cauſſa juſta utendi his amphibologiis eſt , quoties id neceſſarium aut utile ad ſalutem corporis , honorem, res familiares tuendas , ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.

P a o p o s. LX.

Cum cauſſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi , ſive res ſit levis, ſive gravis.

Heic iterum nullam fecit mentionem damnationis Pontificiæ , qua Innocentius XI. eaſdem Propoſitiones damnaverat.

IX. Tit. *Miſſa* . Differt. prælimin. ait : En Propoſitiones , quas celeber Cœtus (Cleri Gallicani) ann. 1700. damnavit.

P a o p o s. LXXIII.

Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro , qui duas ejus partes , immo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus audit . Nulla iterum mentio damnationis Pontificiæ, factæ ab Innocentio XI.

X. Tit. *Occidere* . Diſs. prælim. ait: Clerus Gallicus ann. 1700. damnavit Propoſitiones jam a pluribus Pontificibus & Doctoribus Lovanienſibus proſcriptas. En , memorandas hoc titulo &c.

XI. Tit. *Reſtitutio* . Differt. præl. Sequentes Propoſitiones proſcriptæ ſunt a Clero Gallicano ann. 1700.

P a o p o s. XLVIII.

Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere , quod ablatum eſt per pauca furta , quantumcumque ſit magna ſumma totalis &c.

Prædictarum propoſitionum duæ priores jam antea fuerant a Doctoribus Univerſitatis Lovanienſis condemnatæ, & utraque poſtmodum a ſummo Pontifice Innocentio XI. adeoque cenſura iiſdem (a Clero Gallicano) appoſita non ſucceſſit , niſi in Cenſurarum antecedentium *confirmationem* .

XII. Tit. *Simonia* . Differt. præl. En Propoſitiones, & Cenſura (Cleri Gallicani) .... quarum prima jam antea fuerat a Sacra Facultate Theologica Pariſienſi, & tandem a ſummo Pontifice Alexandro VII. condemnata . Secunda vero & tertia jam fuerant notatæ cenſura a Doctoribus Lovanienſibus , ac poſtmodum ab Innocentio XI. reprobatæ.

XIII. Tit. *Societas* . Differt. præl. En Propoſitionem & Cenſuram Clero Gallico dictam anu. 1700.

P a o p o s. XLIV.

Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

Iterum nulla fit mentio damnationis Pontificiæ , quæ Ihnocentius XI. eamdem propoſitionem damnavit.

XIV. Tit. *Uſura*. Diſs. præl. Propoſitiones , & earum Cenſuræ , quibus condemnatæ fuerunt a Clero Gallicano ann. 1700. quæ *confirmant* eas , quas antea jam tulerant Alexander VII. Innocentius XI. & Facultates tum Pariſienſis tum Lovanienſis.

P r o p o s. LVI.

Uſura non eſt , dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum &c.

Ex inductione huc uſque facta ſatis liquet intentum.

OBSERVATIO TERTIA.

PRimos Caſus Conſcientiæ in cauſſis Eccleſiaſticis reſolvit juxta Decreta Regum, & Parlamentorum Galliæ : quo fit , ut cauſſæ & perſonæ Eccleſiaſticæ ſubdantur judicio judicum ſæcularium, & immunitas Eccleſiaſtica in materiis plurimis patiatur enormiter contra decentiam ſtatus Clericalis & connaturalem rerum exigentiam . Non decet, in Germaniam ſerpere luem tam contagioſi exempli , aut propalari ſcandalum ; ſed potius ex Opere alias præſtanti cuncta inconvenientia falce diſcretionis reſecari.

Digitized by Google

Probatio huius Obſervationis habetur ex ſequenti inductione Titulorum & Caſuum in quibus omnibus adhibet pro regula Decreta Regum & Parlamentorum.

I. Tit. *Abbas*. Caſ. 10. Quæritur, utrum Abbates intra annum debeant ſuſcipere ſacerdotium? Id fieri debere probat ex Edicto Bleſenſi quo Rex Galliæ ſic præcipit: Abbates .... ſe facient ad ſacerdotium promoveri intra annum, aut intra duos annos.... & niſi id curent, eorum Beneficia declarabuntur vacantia.

II. Tit. *Appellatio*. Diſſ. prælim. ait: Eſt (in Gallia) aliud appellationum genus quod appellatio *ab abuſu* dicitur, quæ conſiſtit in jure provocandi ad ſupremos Principes. Talis eſt v.g. Appellatio a Reſcripti Romanæ Curiæ executione (nam a Reſcripto ipſo non fit provocatio, ne debita ſummo Pontifici reverentia lædatur, ſed ſolus vituperetur impetrans) aut a ſententia Officialis qui juriſdictionis ſuæ limites exceſſit; aut ab aliquo alio diſciplinæ, aut Juriſprudentiæ quæ in Gallia obſervatur, oppoſito judicio. Appellatio *ab abuſu* erga Reſcripta Romanæ Curiæ locum habet in omnibus caſibus in quibus eadem Curia Regis Regnique jura attentaret, ut ſi bonorum Eccleſiaſticorum abalienationem Papa permitteret; ſi pecuniariam exactionem juberet; ſi quibuſdam Concordati articulis aut Cancellariæ Rom. in Gallia acceptis regulis derogaret, aut indultis Cardinalium & Officialium Regum aut Principum ſupremorum, ſi diſpenſationes invalidas aut injuſtas concederet, aut ſibi devolutarum ad Sedem Apoſtolicam per appellationem cauſſarum judicium aſſumeret, ut de iis Romæ, non ad commiſſarios *in partibus* remiſſis, judicaret, & aliis hujuſmodi caſibus. Appellatur *ab abuſu* a ſententiis Judicum Eccleſiaſticorum, cum Regiis Conſtitutionibus, Arreſtis & Conſtitutionibus Canonicis, aut libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ſunt contrariæ; aut denique cum Judex Eccleſiaſticus juriſdictionem ſæcularem uſurpat. Appellationes *ab abuſu* ad ſupremas Curias (ſæculares) devolvuntur, & ſententiam executionis ſuſpendunt. & quia abuſus non tegitur, nulli incompetentiæ ſubjacent hujuſmodi appellationes, & ſemper admittuntur etiam in caſu in quo tres conſequenter conformes ſententiæ fuiſſent interpoſitæ; quia jura privatorum publico juri poſtponuntur. Ita Pontaſius. Ex his liquet, quod appellatio *ab abuſu* non ſolum locum tunc in Gallia habet, quando Judices Eccleſiaſtici involant in Jura temporalia Principum, aut in Concordata; quæ appellatio etiam in aliis regionibus locum habet: ſed etiam tunc, quando Judices eccleſiaſtici ferunt ſententiam contrariam *Diſciplinæ* (eccleſiaſticæ) Galliæ, aut contrariam *Conſtitutionibus Canonicis*, aut contrariam libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ. Ex hoc manifeſte ſequitur, quod omnes ſententiæ Judicum Eccleſiaſticorum etiam Epiſcoporum, ac ſummorum Pontificum, ultimato ſubjiciuntur examini Parlamentorum & Regum, ut videlicet diſcutiatur, utrum ſint contrariæ *Conſtitutionibus Canonicis*, aut *Diſciplinæ* Gallicanæ, aut *libertatibus* Eccleſiæ Gallicanæ: quod prorſus repugnat decenti ordini ſubordinationis & hierarchiæ eccleſiaſticæ; maxime cum libertates Eccleſiæ Gallicanæ ſint vagum nomen, cui nulla hactenus conſtans, ac apud pleroſque recepta notio ſubjecta eſt; ſed potius trahantur pro arbitrio in longum & latum inſtar corei a ſutore: ſecus ſi imploraretur nonnumquam pium Principum ſæcularium officium, ut ſummo Pontifici per ſuos Legatos reverenter & graviter proponant difficultates & gravamina ex eorum reſcriptis emergentia, prout ſolet fieri in aliis regionibus; ſed hoc non eſt appellatio *ab abuſu*, qualis heic a Pontaſio deſcribitur, & collaudatur pro Gallia.

III. Tit. *Approbatio*. Caſ. 3. affertur Conſtitutio Ludovici XIII. qua Parochis primitivis, ut vocant, aliqua jura in ſubjectis Eccleſiis aſſeruntur, alia denegantur.

IV. Tit. *Archidiaconus*. Caſ. 1. Quæritur, an Archidiaconus poſſit viſitare Eccleſias monaſteriorum, aut Collegiatas? Reſpondet ex Edicto regio dato 1695. ſic: Parochiales Eccleſias in monaſteriis Religioſorum qui ſe exemtos contendunt, viſitare poterunt Epiſcopi ſive per ſe, ſive per Archidiaconos ſuos, aut per alios ſacerdotes: Collegiatas Eccleſias viſitandi jus non competit Archidiaconis, niſi ex legitima conſuetudine hoc jus ſibi attribuerent, ut in hac poſſeſſione retentus eſt Archidiaconus ultra Ligerim ex Arreſto Senatus Pariſienſis 1640.

V. Tit. *Baptiſmus*. Diſs. prælim. ait: Parochus in Gallia omnium in ſua Parochia baptizatorum codicem, cujus paginæ numeratæ per primam & ultimam a Judice Regio propria ſubſcriptionis nota ſint inſignitæ, habere tenetur; ſimilemque poſt ſex hebdomadas cujuſque anni elapſi ſubſcriptum, & pro vero aſſertum tabulario Regii judicis in cujus juriſdictione ſita eſt eccleſia, ſuppeditare, conformiter ad Edictum anni 1667. quo etiam ſtatuitur, ut in eo fiat mentio de natali infantis, atque ut baptiſmi deſcriptæ formulæ ſubſcribat Parochus una cum patrino vel matrina, vel etiam ſi adſit, patre infantis.

VI. Tit. *Canonicus*. Diſs. prælim. Obſervandum, quod ut divinum officium decenter fiat, ſtatutum eſt, ſex tantum poſſe abeſſe Canonicos in qualibet Eccleſia Cathedrali vel Collegiali in qua ſunt 40. Canonici, aut plures, 4. in Eccleſiis quorum Beneficia Rex confert, & 2. tantummodo in Eccleſiis quarum præbendas Rex non confert. Sic conſtitutum eſt ex Arreſto Conſilii (Regii) 1585.

VII. Ibid. Caſ. 22. loquens de Decreto Tridentini reformandi Regulares ait: Decretum illud admiſit Bleſenſis Conſtitutio (Regia). Eo ipſius verba: In omnibus monaſteriis communem vitam ducent, & ob eam rem tenebuntur Archiepiſcopi, Epiſcopi & Generales Ordinum ad reſtituendam diſciplinam, &c.

VIII. Tit. *Capitulum*. Caſ. 3. Quæritur, an Sede vacante poſſint ex Capitularibus conſtitui multi Vicarii Generales, & multi Officiales? Pro negativa ait: Fieri poteſt, ut in tali caſu quidam qui Vicarii Generales & Officiales evadunt, ſint tantum Diaconi, adeoque ad hujuſmodi officia inhabiles. Neceſſe eſt enim, ut magnus Vicarius & Officialis ſint Sacerdotes, ut docet Bouchelus qui Senatus Pariſienſis Arreſtum an. 1603. profert. D. Brillon refert etiam Arreſtum Parlamenti Toloſani de anno 1608. quo Archiepiſcopis & Epiſcopis prohibetur, ne intra juriſdictionis ejuſdem Parlamenti limites quemquam niſi Sacerdotem Officialem nominent. In quo conſentiunt hæc Arreſta cum Synodo Tridentina cujus Decretum confirmavit Conſtitutio Bleſenſis (Regia), ut obſervat Fevretus.

IX. Ibid. Caſ. 7. Quæritur, an Capitulum Sede vacante poſſit conferre Beneficia? Reſpondet ſic: Jus illud omnibus cathedralium Capitulis Regni commune declaratum eſt ex Declaratione Regia anni 1688. Eodem prorſus modo judicavere Parlamenta & præcipue Senatus Pariſienſis cujus duo refert Arreſta D. Brillon.

X. Ibid. Caſ. 11. Quæritur, an punitio Canonici delinquentis pertineat ad Capitulum, vel ad Epiſcopum? Reſpondet, pertinere ad Capitulum, additque: *Juriſdictio* iſta fuit confirmata ex Arreſto Parlamenti Pariſienſis quod refert Filleau, & altero ejuſdem Parlamenti 1633. Simile refert Bellordeau in controverſiis Parlamenti Occitaniæ 1613. Idem ſtatuit Divionenſe Parlamentum 1604.

XI. Tit. *Clericus*. Caſ. 4. Quæritur, an toleranda ſit conſuetudo, quod Sacerdos in Parlamento Pariſienſi gerat munus Conſiliarii? Reſpondet, tolerandam eſſe: ratio eſt, inquit, quia ex uſu antiquo Regni, Clerici hujuſmodi munus obtinent ad bonum commune Eccleſiæ, & conſervandam ipſius juriſdictionem in variis quæ feruntur judiciis, cum agitur 1. De cauſſis civilibus Clericorum. 2. De poſſeſſorio rerum ſpiritualium. 3. De cauſſis quæ cum ſpiritualibus connexionem habent. 4. Cum agitur de appellationibus tamquam ab abuſu, quæ in Parlamentis ſæpe eveniunt. 5. Et de cauſſis Regaliorum; quæ omnes Pariſienſis Senatus juriſdictioni ſubjacent. His addi poteſt, Conſiliarios Clericos Eccleſiæ in eo eſſe utiles, quod ad ſupremas Curias pertineat invigilare, ne minuantur Gallicanæ Eccleſiæ libertates, & Conciliorum decreta executioni mandentur; ut etiam, ne limites ſuos prætergrediantur, ſeu Eccleſiaſtica, ſeu ſæcularis juriſdictio. Ita Pontaſius. Sed in primis examen conſtitutionum Eccleſiæ, utrum adverſetur Decretis Conciliorum, non pertinet ad Parlamenta; dein vero vox unius Clerici inter tot Laicos quid proderit?

XII. Tit. *Collatio*. Caſ. 6. dicit, quod proviſus in Curia Romana de Beneficio curato teneatur ſe præſentare Epiſcopo juxta Edictum de anno 1695.

XIII. Ibid. Caſ. 2. Quæritur, an Epiſcopus per duos actus collationis præterito Patrono obtinuerit jus? Reſpondet negative, aitque: Ita docet Cabaſſutius qui teſtatur, rem ita ſæpiſſime ab Aquiſextienſi Parlamento multis Arreſtis fuiſſe judicatam. Idem Parlamentum 1632. Sacerdotem ab Epiſcopo proviſum depulit Beneficio, illudque alteri Sacerdoti adjudicavit. Paſtor Juriſconſultus ſimile refert ejuſdem Parlamenti Arreſtum 1637. quo Clericus ab Ordinario proviſus de Beneficio depulſus eſt, licet a 30. & amplius annis illud diverſis

vicibus contuliſſet Epiſcopus, eo quod Præſul ille 40. annorum præſcriptionem probare non potuiſſet.

XIV. Tit. *Collator*. Caſ. 5. ait: Tridentinum gratias exſpectativas, nec non Beneficiorum reſervationes abrogavit, uti poſtea eas ſuſtulit penitus Ludovicus XIII. ex Edicto ſuo 1610. quo Edicti Bleſenſis renovatur articulus ſeptimus.

XV. Tit. *Confeſſio*. Caſ. 47. affertur Edictum Regium quo declaratur, proviſos Roma de Beneficio non poſſe ſuſcipere functiones ſpirituales ante vidimationam Ordinarii.

XVI. Tit. *Decanus*. Diſſ. prælim. Decanus intra annum a die pacificæ poſſeſſionis ſacerdotio debet initiari ex Edicto 1606. ſub pœna invaliditatis proviſionum ſuarum. Ex eodem Edicto Doctoris lautea aut Licentiatu Theologiæ Juriſve canonici, tempore proviſionis ſuæ debet eſſe inſignitus. Decanatus & aliæ Dignitates Eccleſiarum cathedralium fuere declaratæ immunies ab Indultis & gratiis exſpectativis, uti ſtatuunt Edicta 1596. & 1606.

XVII. Tit. *Delegatio*. Caſ. 3. Quæritur, an deputati ad Conventum Cleri Gallicani habendi ſint pro præſentibus in choro? Reſpondet affirmative ob declarationem Regiam quæ ſic habet: Rex juſſit & jubet, ut legati comitiorum Cleri in ſuis Eccleſiis præſentes habeantur per tempus ſuæ delegationis.

XVIII. Tit. *Denuntiationes Matrimonii*. Diſſ. prælim. ait: Promulgatio illa tribus diverſis diebus fieri debet, aut una ſaltem; duarum proclamationum diſpenſationem ab Epiſcopo obtinendo, alioquin clandeſtinum cenſetur matrimonium ex Edicto Bleſenſi, quod & ex Regia Declaratione 1692. diſpenſationes matrimonii & denuntiationes, earumve diſpenſationes ab Epiſcopo conceſſæ declarandæ ſunt in publico celebrati matrimonii inſtrumento.

XIX. Ibid. Caſ. 5. ait: Neceſſe eſt, ut matrimonium promulgetur non ſolum in propria contrahentis parochia, ſed etiam in parochia patris, tutoris, curatoriſve, ut conſtat ex Edictis Henrici III. ex Edicto Bleſenſi, & Ludovici XIII. quæ omnia Edicto ſuo confirmavit Ludovicus Magnus in quo acerbiſſimas pœnas in contradicentes decrevit. Obſervandum ex Edicto 1691. Diſpenſationes matrimonii intra menſem a data, in publicas Litteras referendas eſſe ſub pœna invaliditatis.

XX. Tit. *Devolutum*. Caſ. 1. oſtendit ex Arreſtis, devolutarium non poſſe gaudere Beneficio ad ſe devoluto; niſi prioris poſſeſſoris crimen fuerit declaratum; aut quando vacat ipſo jure, fuerit in cauſſam vocatus a devolutario, ut adſtruunt Edictum Bleſenſe & Melodunenſe.

XXI. Ibid. Caſ. 5. dicitur: Quilibet Officialis in omni judiciaria contentione tenetur ad inſtruendam litem conformiter ad judiciorum formam conſtitutam ex Edicto menſis Aprilis 1667. & devolutarius non admittitur ad procedendum vi ſui devoluti, niſi poſtquam nativitatis & domicilii locum declaravit, & idoneam dedit cautionem ſolvendi judicatum, ut fert Edictum Henrici II. & Bleſenſe & Melodunenſe; quæ cautio ad ſummam 500. librarum debet pertingere ex Edicto 1667.

XXII. Tit. *Dies Dominici*. Caſ. 6. ait: Dicta conſentiunt cum Edicto quod primum Rex de conſilio Præſulum ita conſtituit: Statuimus, ut die Dominico quod ante fieri licuit, liceat. Laborem quoque ad cibos urbibus neceſſarios diebus Dominicis parandos requiſitum concedit Carolus Magnus.

XXIII. Tit. *Diſpenſatio matrimonii*. Diſs. prælim. ait: Tridentinum prohibet, in ſecundo gradu diſpenſari, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſſam: quod Decretum in Gallia obſervatur, ut conſtat ex Arreſto Senatus Pariſienſis 1665. lato in Nicolaum Barbier, cujus tres pueri illegitimi ſunt declarati, etſi vi Romanæ Diſpenſationis in Eccleſia parochiali cum Barbara Barbier nepte matrimonium contraxerit; quo Arreſto declaravit Curia, Reſcriptum illud Romanum male, invalide & abuſive fuiſſe impetratum.

XXIV. *Diſtributiones quotidianæ*. Diſs. prælim. ait: Diſtributiones ob debita civilia detineri poſſunt juridice; licet Capitulum nullos fructus groſſos habeat, ut ex multis Parlamentorum Arreſtis probat Bouchelius.

XXV. Tit. *Divortium*. Caſ. 9. ait: In Gallia Judex Eccleſiæ non poteſt ſententiam ferre ſuper dote, nec ſuper æſtimatione aut quantitate dotis, nec cibariorum proviſiones adjudicare, nec damnare de damnis & intereſſe; ſed pro his rebus quaſi temporalibus & realibus debent partes coram judice laico jus ſuum experiri, uti judicatum eſt ex multis Arreſtis in foro latis.

XXVI. Tit. *Electio*. Diſs. prælim. docet ex Arreſto Senatus Pariſienſis, in electione ſimplici qua Canonici ſine forma eligunt quempiam ad Dignitatem cujus alias collatio ad Capitulum pertinet, non opus eſſe confirmatione ſuperioris, nec impedire Papalem præventionem.

XXVII. Tit. *Epiſcopus*. Caſ. 12. Quæritur, an Epiſcopus poſſit amplas parochias dividere in duas? Reſpondet affirmative, quia id patet ex Decretali Alexandri III. & quia idem judicatum eſt ex multis Arreſtis. Epiſcoporum etiam eſt, occurrentes dirimere oppoſitiones, ut ſtatutum eſt Arreſto Senatus Pariſienſis. Edictum vero Ludovici XIV. 1695. promulgatum utillima in hac re lex eſt in Gallia. Ita loquitur: Archiepiſcopi & Epiſcopi Parochias erigere poterunt: pariter juxta Declarationes noſtras Vicariorum ſuſtentationi providebunt, ita ut non minus quam alii Parochi antea conſtituti ſummam 100 librarum habeant.

XXVIII. Tit. *Examen*. Caſ. 1. ait: A Tridentino ſtatuitur, ut nullum Beneficium curatum conferatur, niſi iis quorum ſcientiæ ac probitatis morum factum fuerit periculum. Decretum illud Edicto Bleſenſi admittitur. Edicto quoque Melodunenſi ſancitur idem. Non tamen idem dicendum de iis qui proviſiones in *forma gratioſa* obtinuerint. Attamen cui tale Reſcriptum conceſſum eſt, illud obtinere non potuit niſi ex litteris teſtimonialibus vitæ, morumque, ac ſcientiæ ab Epiſcopo. Ita ſtatuere Edicta Ludovici XIII. & Ludovici XIV.

XXIX. Tit. *Excommunicatio*. Caſ. 15. Quæritur, an fugitivus poſſit ab Epiſcopo excommunicari? Reſpondet, id fieri poſſe, ſi reus ante fugam jam fuerat citatus. Hanc regulam, inquit, *ubi delictum, ibi forum*, conſtituere Innocentius III. & IV. quæ Edicto Ruſcinienſi, & Molinienſi confirmata eſt.

XXX. Ibidem, Caſ. 16. ait: Decretum Tridentini, ut excommunicationes non infligantur niſi gravibus ex cauſſis, a Ludovico Magno in inclyto Edicto 1695. admiſſum eſt.

XXXI. Ibid. Caſ. 62. dicit: Si excommunicatus a Judice ſuperiore, fuerit abſolutus ad cautelam *in limine litis*, & non cognita cauſſa; ad nihil prodeſt, niſi ad ſtandum in judicio, ut ſtatuunt Edicta 1550. 1695.

XXXII. Tit. *Excommunicare*. Caſ. 8. Quæritur, an poſſint ab Epiſcopo excommunicari Miniſtri & Officiales Regii? Reſpondet negative, ſicque habet: Magiſtratus, Judex, aut alius Officiarius laicus juriſdictioni Eccleſiæ non ſubjacet in iis rebus, quas admittit in exercitio ſui Officii. Probationes hujus aſſertionis legere eſt in Probationibus libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, ubi referuntur ſequentia Arreſta Parlamentorum .... Ex quibus omnibus Arreſtis abuſivæ declaratæ ſunt excommunicationes promulgatæ in regios Officiales, cum ad exercitium Officiorum ſuorum pertinebant.

XXXIII. Ibid. Caſ. 10. ait Ex Edicto Bleſenſi requiritur, ut Officialis Epiſcopi ſit Sacerdos, quod Fevretus probat ex Arreſto Senatus Pariſienſis.

XXXIV. Tit. *Feſta*. Diſs. prælim. Nova quidem Feſta inſtituere poſſunt Epiſcopi; at in Gallia non ſola eorum ſufficit auctoritas, nec eadem poſſunt inſtituere niſi poſt obtenta Regia Diplomata in Parlamento comprobata.

XXXV. Tit. *Graduatus*. Diſs. prælim. affert varia Arreſta Parlamentorum de admittendis ad Beneficia.

XXXVI. Tit. *Impedimentum Clandeſtinitatis*. Caſ. 23. docet, Decretum Tridentini de invaliditate matrimonii clandeſtini fuiſſe in Gallia receptum, & confirmatum Edictis Henrici III. & Ludovici XIV.

XXXVII. Tit. *Indultarius*. Diſs. prælim. affert jura Conſiliariorum Regiorum & Parlamentorum ad obtinenda Beneficia, non obſtante quod ſint laici. Extenſionem horum jurium probat ex Diplomate Regio, & Arreſto Parlamenti.

XXXVIII. Tit. *Indultum Regium*. Diſs. prælim. Similia jura Regis ad conferenda beneficia explicantur vel extenduntur a Rege ipſo, vel a Parlamentis.

XXXIX. Tit. *Inſinuatio*. Diſs. prælim. afferuntur Edicta quibus requiritur, ut in tabulariis urbium certo tempore & modo fiat inſinuatio omnium proviſionum, reſignationum, permutationum, indultorum, præſentationum ad Beneficia.

XL. Tit. *Interdictum*. Caſ. 7. ait: Parlamenta Galliæ ſemper abuſivum declarant Interdictum cauſſa debiti.

XLI. Tit. *Irregularitas*. Caſ. 15. docet, non incurri irregularitatem ob tonſuram bis ſuſcepiam, additque: Sententiam Theologorum hac in re ſecuta eſt Juriſprudentia civilis, ut videre eſt ex Arreſto Senatus Pariſienſis 1657.

XLII. Ibid. Caſ. 60. ait: Ultramontani inter irregulares recenſent non judicem dumtaxat, ſed & accuſatorem, teſtes & ſcribam: at in Gallia ſcriba in Parlamentis non habetur ut irregularis, & inhabilis ad Beneficia. Id probatur ex Arreſto Senatus Pariſienſis 1623.

XLIII. Tit. *Judex*. Caſ. 30. dicit: In Gallia Eccleſiaſtici habentur tamquam membra Status, & ſub hoc titulo dependent a Principum legibus, & ſuorum Officialium ſententiis in pluribus & diverſis caſibus. Nam etſi juxta Edictum Philippi Pulcri ad judicem Eccleſiæ pertineat examinare actiones mere perſonales Eccleſiaſticorum; adſunt tamen caſus plurimi, quorum noticia pertinet etiam ad judicem laicum: in quo caſu Clericus duobus judicibus ſubjicitur. Non abs re erit advertere, quod licet Concilium Tridentinum largiatur Privilegium clericale omnibus Clericis gerentibus habitum & tonſuram clericalem; attamen in Gallia talis prærogativa ſolum conceditur in majoribus Ordinibus conſtitutis, ut habetur in Edictis Ruſſinenſi & Melinenſi.

XLIV. Tit. *Juramentum fidelitatis*. Caſ. 2. docet, Epiſcopos in Gallia non poſſe conferre Beneficia ante præſtitum Regi juramentum fidelitatis ea forma qua in Arreſtis requiritur.

XLV. Tit. *Juriſdictio*. Caſ. 1. exemtionem negat in Gallia præſcribi a juriſdictione Ordinarii. In hanc rem affert deciſiones varias Curiarum & Parlamentorum declarantium abuſivas plures exemtiones monaſteriorum & Capitulorum ſecularium quæ iis pacifice per plura ſæcula fruebantur.

XLVI. Tit. *Matrimonium III.* Caſ. 8. docet, reſilientem ſponſum non poſſe a Judice Eccleſiaſtico condemnari ad ſolvendam pœnam condictam, ſed a laico qui in tali caſu poteſt etiam dictare eleemoſynam Noſocomio applicandam, ut declaravit Senatus Pariſienſis.

XLVII. Ibid. Caſ. 10. affert varia Decreta Regum & Parlamentorum quibus matrimonia liberorum ſine conſenſu parentum inita declarantur in foro civili in ordine ad effectus civiles invalida; videlicet ut liberi ex tali matrimonio nati non poſſint ſuccedere in bona parentum, nec habeantur pro legitimis in foro civili: immo fatetur, a quibuſdam Doctoribus & Parlamentis Galliæ talia matrimonia etiam pro foro interno fuiſſe habita ut invalida. Caſ. 12. ex variis Decretis oſtendit, hanc probibitionem non nubendi ſine conſenſu parentum ſtringere juvenes uſque ad annos ætatis 30. puellas vero uſque ad 25. quam materiam proſequitur etiam Caſ. 25.

XLVIII. Tit. *Monaſterium*. Diſs. prælim. ait: Nullum eſt in Gallia Monaſterium quod Ordinis ſui Congregationem agnoſcere teneatur. Henricus III. in Edicto Bleſarum ſic habet: Quælibet Monaſteria quæ Conventibus generalibus non ſubjiciuntur, & quæ prætendunt, ſe Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjecta, tenebuntur intra annum ſe alicui Congregationi ſui Ordinis adjungere in hoc regno; in eaque Congregatione inſtituantur Viſitatores &c. Ejuſdem Edicti articulus ſequens hæc habet: Illi vel illæ quæ ſolemnia vota Deo nuncupare voluerint, de bonis ſuis neque directe neque indirecte ſtatuere poterunt in gratiam ullius Monaſterii Ordinis cui ſe addicere voluerint.

XLIX. Tit. *Monitorium*. Caſ. 5. Quæritur, an Parochus poſſit in gratiam pœnitentis ſuſpendere Monitorii trinam promulgationem. Reſpondet negative, addens: Sic quoque judicavit ſupremus Senatus Pariſienſis 1630. & Senatus ſupremus Burgundiæ. Quod ſi Monitoria differrent, illorum bona oppignorarentur, ut habet Edictum anni 1670. Ibid. Caſ. 26. ait: Monitoria non eſſe concedenda, quando crimen aliis modis probari poteſt, idque probat ex Edicto 1695. quod ſic habet: Archiepiſcopi, Epiſcopi eorumque Officiales Monitoria decernere non poterunt, niſi ob crimina gravia & ſcandala publica, & cum probatio aliunde ſuppetere non poſſet. Idem diu ante pronuntiaverat Senatus Pariſienſis duobus Decretis.

L. Tit. *Novitius*. Diſs. prælim. ait: In caſu tranſlationis Religioſi redigitur ſecundus novitiatus ad ſex menſes, prout judicavit Curia Decreto lato 1698. Novitius poteſt quidem de bonis ſuis diſponere, antequam profeſſionem faciat ſecundum Decreta Curiæ Pariſienſis 1623. & 1627. ſed hoc facere nequit in gratiam Monaſterii in quo degit, ut variis Decretis judicatum eſt, & inter alia Decreto Curiæ Pariſienſis 1658. Novitii non poſſunt ſibi reſervare ullam penſionem ad vitæ tempus. Ita judicatum eſt a Curia Toloſana 1672. & a Divionenſi 1582.

Inſtrumenta Novitiatuum & Profeſſionum ſubſcribi debent a ſuperiore, & a profitente, & a duobus amicis qui cærimoniæ interfuerint: & Diarium in quo ejuſmodi Inſtrumenta ſcripta ſunt, debet parapha notari in principio & fine ab Epiſcopo Diœceſano & a Superioribus, ut fert Edictum 1667.

LI. Tit. *Oblatio*. Caſ. 2. ait: Verum eſt quidem, Bleſenſi & Melodunenſi Edictis oblationes omnes Parochis attribui cum derogatione Aurelianenſis Edicti Caroli IX. ſed illa duo Edicta jam non vigent.

LII. Tit. *Officialis*. Caſ. 2. oſtendit, Officiales in Gallia poſſe dare Monitoria in aliis cauſſis & criminibus, quam in reſarciendis ſeuotibus civilibus, prout conſtituit S. Pius V. Id probat ex variis Edictis.

LIII. Ibid. Caſ. 3. ex variis Edictis oſtendit neceſſarias qualitates Officialis, ſub pœna nullitatis Actorum.

LIV. Ibid. Caſ. 4. ex variis Edictis probat, Officialem in cauſſa non Eccleſiaſtica non poſſe concedere Monitorium *abſque Judicis laici mandato*.

LV. Ibid. Caſ. 6. oſtendit ex declaratione in Parlamento lata 1701. quod Epiſcopus poſſit Officialem munere ſuo deſtituere.

LV. Tit. *Parochus*. Diſs. prælim. ſic habet: Nullus Sacerdos, niſi ſit origine Gallus, Parochus eſse poteſt juxta Edicta.

Parochi urbium ſeptarum debent eſſe graduati juxta declarationem Henrici II. 1551. Parochus non debet eſſe eodem tempore Officialis per Edictum 1627. Per idem Edictum cogere poteſt parochianos ad ædificandam ipſi habitationem. Quando domus aliqua in territorio duarum Parochiarum ſita eſt, cenſetur eſſe ex Parochia in qua ſita eſt porta principalis aut ingreſſus domus, ut habet Arreſtum Parlamenti Pariſienſis 1650. Quando duo ſunt Parochi quorum alter eſt primitivus, hic habet jus quibuſdam anni diebus rem divinam peragendi, non tamen exercendi functiones curiales, ut habet Tridentinum & Declaratio Ludovici XIV. 1690.

LVII. Ibid. Caſ. 14. affert Edicta & Arreſta quibus Parochi pro quantitate ſuorum redituum adſtringuntur ad reparandas ſuas Eccleſias.

LVIII. Tit. *Patronatus*. Diſs. præl. oſtendit, in concurſu plurium Patronorum valere pluralitatem votorum, quia ſic determinavit Parlamentum Pariſinum 1605.

LIX. Caſ. 2. affert contraria Parlamentorum Decreta, quibus ſemel jus Patronatus adjudicatum eſt prædii ad Eccleſiam donati donatori, alibi vero ultimo ejus poſſeſſori. Ibid. per Decreta Parlamentorum determinat prærogativas Patronorum.

LX. Ibid. Caſ. 6. ait: Qui prædio potitur (habente jus Patronatus) titulo locationis, non habet jus præſentandi, ut fert ſententia Curiæ 1629.

LXI. Tit. *Patronus*. Nec Epiſcopus, nec Papa quatuor menſium currente ſpatio poteſt ſpreto Patrono laico providere, ut Arreſto 1642. lato ſtatutum eſt. Diſs. prælim. Quando quis prædium ſuum (habens jus Patronatus) vendidit, poteſt ab emtore ad Beneficium præſentari, ut a ſupremo Senatu Pariſienſi definitum eſt 1544.

LXII. Tit. *Penſio*. Diſs. prælim. Non poteſt retineri aliqua penſio de Cura vel Præbenda, niſi poſt 15. annorum poſſeſſionem, juxta Edictum 1671.

LXIII. Ibid. Caſ. 2. afferuntur varia Edicta circa conditiones penſionum, ut nempe tertiam partem redituum Beneficii non excedant, & ut exſpirent, quamprimum a penſionario aliud Beneficium obtentum eſt.

LXIV. Tit. *Pœnitentiarius*. Caſ. 1. affert varia Arreſta Parlamentorum quibus declaratur, Pœnitentiarium non poſſe amoveri ab Epiſcopo aut ejus ſucceſſore a ſuo officio.

LXV. Tit. *Prædicare*. Diſs. prælim. ait: Id juris cedit Parocho ſive regulari, ſive ſæculari, ut ipſi libuerit: valeat in propria Parochia ac Eccleſia ſemper prædicare, ipſis etiam Prædicatoribus poſthabitis, quos Ma-

tricularii ea de re accerſiviſſent. Id exprimitur in Edicto 1695.

LXVI. Ibid. Caſ. 2. oſtendit, Doctorem Theologiæ non habere jus prædicandi ſine licentia Epiſcopi, & affert Edictum 1606.

LXVII. Tit. *Privilegium*. Caſ. 2. oſtendit ex Edictis, Clericum non poſſe gaudere privilegio clericali ante ſuſceptum Subdiaconatum, aut prius quam alicui Eccleſiæ deſerviat, neque etiam a Clerico negotiante illud privilegium poſſe uſurpari.

LXVIII. Tit. *Promotor*. Diſs. prælim. affert Arreſtum Parlamenti Toloſani, quo fuit toleratus laicus in hoc officio.

LXIX. *Proviſio beneficiaria*. Caſ. 3. oſtendit, proviſum debere intra annum ſuſcipere ſacerdotium, uti habetur in Edicto Bleſenſi, & alio Henrici IV.

LXX. Ibid. Caſ. 12. ait: In Gallia non habemus ratas tacitas profeſſiones ſine inſtrumento, licet jure Decretal. maxime comprobentur, quemadmodum a Carolo IX. ſancitum eſt.

LXXI. Ibid. Caſ. 13. affert ex Edicto Henrici II. conditiones ad validam proviſionem Romanam præcedente reſignatione.

LXXII. Tit. *Regreſſus*. Caſ. 1. adducit exemplum quo per Arreſtum Conſilii regii fuit dijudicata cauſſa reſervati a reſignante Parocho regreſſus.

LXXIII. Tit. *Religioſus*. Diſs. prælim. ait: Copia fit Religioſo beneficiario, ut remanente illibato voto paupertatis valeat de fructibus ſui Beneficii juxta mentem Eccleſiæ diſponere, quemadmodum Arreſto Senatus Pariſienſis 1727. pronuntiatum eſt.

LXXIV. Ibid. afferuntur plura Arreſta regia, vel Curiarum quibus Religioſi prohibentur tranſire ad alium Ordinem ſine conſenſu Diœceſani, aut reformare diſciplinam ſine Diplomate regio, aut acceptare donationes excedentes ſummam 3000. librarum, vel domos, aut prædia; aut prædicare in ſuis Eccleſiis ſine conſenſu Ordinarii.

LXXV. Tit. *Religioſa*. Diſs. prælim. ait: Tenentur Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ, ita præſcribente Edicto Bleſenſi, commonere Epiſcopum de profeſſione Novitiæ proxime emittenda, ut de ipſius vocatione cognoſcat.

LXXVI. Tit. *Religioſus*. Caſ. 15. affert ſequens Ludovici XIV. Edictum: Volumus, ut nullæ Religioſæ valeant egredi de monaſteriis ſub quocumque prætextu, niſi accedente licentia Epiſcopi in ſcripto: addit Rex, ſe hoc velle ſecundum ſanctiſſima Decreta, & Canonicas conſtitutiones, atque in eorumdem exſecutionem.

LXXVII. Tit. *Renuntiatio*. Diſs. prælim. ait: Non vacat Beneficium ex ſimplici dimiſſione, donec a Superiore fuerit acceptata, ut judicatum eſt Arreſto Conſilii 1647. & 1657.

LXXVIII. Tit. *Reſidentia Epiſcoporum*. Diſs. prælim. ait: Edicto Bleſenſe quo comprobatur atque confirmatur Tridentini Decretum, eamdem reſidentiæ legem imponit Epiſcopis. En verba: Obligabuntur Archiepiſcopi, & Epiſcopi ad onus reſidentiæ.... alioquin niſi præſenti Edicto paruerint, præter Canonicas animadverſiones a Conciliis conſtitutas mulctabuntur fructuum ademtione.

LXXIX. Tit. *Reſidentia Parochorum*. Diſs. prælim. privatio fructuum ſtatuitur in non reſidentes Parochos per Edictum Aurelianenſe, & Bleſenſe. V. etiam Caſ. 6.

LXXX. Tit. *Reſidentia Canonicorum*. Caſ. 4. Adjudicantur per Arreſtum 1650. Canonicis non reſidentibus, ſed conſilio Epiſcopum ſublevantibus, fructus groſſi. Idem per Arreſta ſtatuitur de Canonicis gerentibus negotia Capituli, vel colligentibus decimas, ut habetur Caſ. 5. Idem ſtatuitur de Capellaniis Regiis. Caſ. 10.

LXXXI. Tit. *Reſignatio*. Caſ. 1. dicitur: Poteſt Rex admittere reſignationes *in favorem*, & Beneficia conferre, incipiente ipſa regalia: ita judicatum eſt Arreſto 1601. & aliis Arreſtis. Ibid. Caſ. 4. adimitur Papæ ex Edicto Ludovici XII. poteſtas præveniendi Graduatum &c. Et Caſ. 8. dicitur, quod juxta Edictum Henrici II. Procurator Beneficii a collatore nequeat admitti, niſi inſtrumentum procurationis in debita forma ſcriptæ præ ſe tulerit, & intra annum fuerit exhibitum, ut habetur Caſ. 9.

LXXXII. Tit. *Sponſalia*. Caſ. 19. dicit: Sponſalia ex Edicto Ludovici XIII. in foro externo non præſumuntur valida, niſi ſponſiones matrimonii ſcripto mandentur coram quatuor genere proximis.

LXXXIII. Tit. *Suſpenſio*. Caſ. 28. Edictum Ludovici XIV. 1695. ſic habet: Clerici provocaturi a Decretis comprehenſionis nullis poterunt fungi Officiis Beneficiorum, & miniſterii, donec provocationes ultima cognitione judicatæ fuerint.

LXXXIV. Tit. *Teſtis*, Diſs. prælim. ait: In Gallia coguntur Clerici pignoratis eorum bonis clericalibus, ut ſe tamquam teſtes judici (laico) ſiſtant, idque tam in materia civili, quam criminali, juxta Edictum 1670.

LXXXV. Ibid. Caſ. 21. Edictum Ludovici XIV. 1697. ſic habet: Injungimus omnibus Parochis atque aliis Sacerdotibus quibus incumbit celebrare matrimonia; ut diligenter inquirant de domicilio, ætate & conditione eorum qui matrimonium contrahunt.

LXXXVI. Tit. *Theologus*. Diſs. prælim. ait: Præbendæ quæ Theologis jura peculiari reſervantur, juris Graduatorum obnoxiæ ſunt ab eo tempore ex quo ſic fuit a Senatu Pariſienſi conſtitutum Arreſto 1642.

LXXXVII. Tit. *Titulus Clericalis*, Diſs. prælim. per Edictum Aurelianenſe ſtatuitur, ut titulus verus a quatuor habitatoribus loci coram judice affirmetur, eumque nunquam poſſe alienari, & eum debere ferre libras 150. &c. alioquin Epiſcopum obligandum ad ſuſtentandum Clericum.

LXXXVIII. Tit. *Tonſura Clericalis*. Diſs. præl. afferuntur Edicta & Arreſta quibus tonſurati non admittuntur ad Beneficia etiam per Reſcriptum Papæ, niſi exhibeant autographum litterarum de collata tonſura. Ex alio Arreſto 1673. non inducitur irregularitas ob iterationem tonſuræ.

LXXXIX. Tit. *Vicarius*. Diſs. præl. adducuntur Edicta & Arreſta quibus ſtatuitur, ut Vicarius Generalis ſit Sacerdos, graduatus & indigena, utque nulla habeat bona conductitia a ſuo Epiſcopo.

XC. Ibid. affertur Edictum Ludovici XIV. datum 1686. quo ſtatuitur, ut in omnibus Beneficiis quibus cura animarum annectitur, in locum Vicariorum amovibilium ſufficiantur Vicarii perpetui, etiam Regulares.

XCI. Ibid. Caſ. 1. affertur Edictum Ludovici XIV. 1696. quo decernitur, Vicarium Generalem non poſſe exercere ullam poteſtatem, niſi ejus nominatio fuerit ſcripto data, & in tabulas relata.

XCII. Tit. *Viſa*. Diſs. prælim. afferuntur varia Edicta & Arreſta. de impetratione Beneficiorum dependenter a Viſa, ſeu vidimatione proviſionum Romanarum.

XCIII. Ibid. Caſ. 2. Epiſcopus recuſans ſubſcriptionem, tenetur per Edictum Bleſenſe & Melodunenſe cauſſas recuſationis ſcribere in Inſtrumento.

XCIV. Tit. *Unio Beneficiorum*. Diſs. prælim. ait: Unio Curarum, Præbendarum aliorumque Beneficiorum jure pertinet ad Epiſcopum Diœceſanum, ut præſcribunt Edicta Aurelianenſe & Bleſenſe. Beneficiorum unionem præcedere debet inquiſitio de commodo & incommodo: Hinc ex hujus inquiſitionis defectu abuſiva & nulla declarata eſt unio Eccleſiæ S. Saturnini de Carnuto cum Capitulo, Arreſto ſupremi Senatus Pariſienſis.

XCV. Ibid. Caſ. 2. affertur Edictum Bleſenſe hujus tenoris: Injungimus Epiſcopis, ut Seminaria & Collegia in ſuis Diœceſibus erigant, iiſque dotandis provideant unione Beneficiorum.

XCVI. Ibid. Caſ. 8. Ex eodem Edicto Epiſcopis conceditur, ut ſi alicubi pro ſuſtentandis decenter Canonicis reditus non ſufficiant, poſſint unire Beneficia ſimplicia, modo regularia non fuerint.

Ex his omnibus liquet, immunitatem cauſſarum & perſonarum Eccleſiaſticarum in Gallia gemere ſub arbitrio Regum, Parlamentorum ac Judicum ſæcularium, cujus exempli contagio non perferenda eſt in Germania.

Vigilantiam autem præſenti tempore majorem in hac materia ſuadet temeritas *Parlamenti Pariſienſis*, dum nunc ſibi arrogat poteſtatem examinandi, utrum Conſtitutio *Unigenitus* ſit habenda pro Regula fidei ex ſua natura, aut ex conſenſu Eccleſiæ: quæ diſcuſſio prorſus excedit poteſtatem judicum ſæcularium. Sicut enim Deus per determinata media ſenſibilia conſtituit infundere gratiam, videlicet per Sacramenta & eorum Miniſtros rite ad hoc ordinatos; ita conſtituit, lumina directivæ Eccleſiæ in rebus fidei ſolum infundere per Prælatos Eccleſiæ, ut manifeſtum eſt tum ex ipſo Ordine Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, tum ex perpetua praxi Conciliorum tam generalium, quam provincialium. Et ſicut in corpore phyſico Deus ordinavit cerebrum pro ſubjecto ac inſtrumento cognitionum, oculum pro inſtrumen-

mento viſionum in anima; ita in ſuo corpore myſtico illuſtrariones ſpeciales in rebus fidei non ordinantur ad Eccleſiam pedibus mediantibus aut uianibus, quibus deſignantur ſæculares. Indulſit Rex Chriſtianiſſimus ſuo Parlameuto per Declarationem 18. Auguſti 1732. factam art. 3. *Ut in magna Camera*, prout vocant, *poſſint recipi Appellationes de abuſu, & querelæ de attentatis contra auctoritatem regiam, aut contra jura Eccleſiæ Gallicanæ.* Parlamentum autem hac Declaratione non contentum inſuper examinat, utrum Conſtitutio ſit Regula fidei ex ſua natura, aut ex conſenſu Eccleſiæ. Mirum, quod viri alias tam perſpicaces, ut ſunt Conſiliarii Parlamentorum qui ultro cum omnibus Catholicis fatentur, ſibi non competere judicium in definiendis cauſſis & articulis fidei, nou cognoſcant, ſe in hac parte non amplius verſari in quæſtioue facti, qualis eſt, utrum Conſtitutio aliquid contineat contra auctoritatem Regiam, aut contra jura Eccleſiæ Gallicanæ; ſed in quæſtione juris, utrum videlicet ille conſenſus Eccleſiæ quem Conſtitutioni hactenus præſtiterunt omnia membra Eccleſiæ, exceptis paucis Epiſcopis in Gallia, ſit habendus pro ſufficienti ad confirmandum aut conſtituendum articulum fidei. Veruſimile eſt, viros tam perſpicaces non eam auctoritatem tam exorbitantis examinis uſurpaturos, ſi vetera exempla Parlamentorum, ſuique juris limites ſedatius inſpicerent, tum etiam ab occultis paucorum hæreticorum aut Janſeniſtarum machinationibus quas Epiſtola Ludovici XV. ſatis prodit, attentius caverent. Fuſius hæc commemorare volui, ut appareat, Gallicanam in Clericos licentiam pronam ſternere viam ad exceſſum in deteriora,

OBSERVATIO QUARTA.

EDitio Geneveuſis coutinet plurimas propoſitiones a Diſciplina Eccleſiaſtica Germaniæ alienas; ut proin earum obſervantia in Germaniam ſine perturbatiune fidelium introduci nequeat. Id patet ex ſequenti Inductione.

I. Tit. *Abbas*. Caſ. 8. Quæritur, utrum Abbates Regulares a Sede Apoſtolica privilegiati ſuis Religioſis valide conſerant minores Ordines? Interpres Genevenſis approbat ſententiam, quæ aſſerit, tales Ordinationes ſimul eſſe illicitas & invalidas. Contraria eſt praxis Germaniæ. Ibid. Caſ. 10. 11. 12. agit de Abbatiis Commendatitiis, quas Deus procul avertat a finibus Germaniæ.

II. Tit. *Abſolutio*, Caſ. 2. docet, quod Confeſſarii teneantur recitare preces ad formam abſolutionis antecedentes, & conſequentes. Contrarium docent Theologi Germaniæ, & Ritualia. Sic Buſembaum de Pænit. C.1. dub. 1. dicit: Orationes præviæ & ſubſequentes formam, ut, *Miſereatur &c. & Paſſio Domini &c.* nou ſunt neceſſitatis, & ex cauſſa rationabili umitti poſſunt; v. g. ſi breves ſint Confeſſiones, vel multi confitentes. Et Rituale Ratisbonenſe de Sacr. Pœn. dicit: In Confeſſionibus frequentioribus & brevioribus omitti poteſt, *Miſereatur &c.*

III. Ibid. Caſ. 4. & 5. docet, formam abſolutionis conditionatam v. g. *Si es capax, ego te abſolvo*, eſſe illicitam. Attamen contraria eſt praxis non ſolum Germaniæ, ſed etiam reliquarum provinciarum ac regionum. La Croix l. 6. p. 2. n. 1769. dicit: Sub conditione danda eſt abſolutio, quandocumque eſt neceſſitas illius dandæ, & periculum faciendi Sacramentum nullum, ſi detur abſolute: tales autem caſus ſunt varii &c.

IV. (*a*) Ibid. Caſ. 16. docet, quod exſiſtens in occaſione proxima peccandi cum famula, illam debeat dimittere, aut, ſi id nolit, dimitti ſine abſolutione. Attamen Theologi Germaniæ prius circumſpiciunt de remedio, ex cujus applicatione occaſio proxima tranſeat in remotam, ut docet La Croix l. 5. n. 259.

V. Ibid. Caſ. 24. 29. 30. docet, conſuetudinariis differendam eſſe abſolutionem, donec aliquo tempore ſe a peccato continuerint. Diſciplina autem moderatior, & quantum videtur, ſaluti plurium animarum utilior, in Germania tenet, tales tunc primum differendos eſſe ab abſolutione, ſi aut congrua emendationis remedia ſuſcipere recuſaverint, aut iis jam antea præſcriptis uſi non ſint; aut ſi nulla appareant amplius ſupereſſe media, quæ præbeant prudentem ſpem emendationis.

VI. Tit. *Appellatio*. Caſ. 12. concedit Principibus ſæcularibus poteſtatem recipiendi appellationes, quas Clerici interpouunt contra ſuos Epiſcopos, ſi ferendo excommunicatiunem ſua poteſtate abuſi ſuut. Hæc propoſitio nuu ſolum eſt contra praxin Germaniæ, ſed etiam contra ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. Ut tamen hæc doctrina non videatur affingi editioni Genevenſi, adducam ipſa illius verba. Sic autem habet: Præſupponendum, quod Princeps & ſub eo Parlamenta Eccleſiaſticam Diſciplinam tueri debent; quo titulo ejuſdem Diſciplinæ obſervationi conſulere, pacemque ſeu in Eccleſia ſeu in regno procurare poſſunt, immo & debent. Hinc ſequitur, quod quamvis Principibus aut eorum Officialibus juridicis nulla in ſpiritualem juriſdictionem poteſtas conveniat, & ab excommunicatione nequeant abſolvere; iis tamen jure poſſunt obſiſtere, qui auctoritate ſua ſpirituali innixi poteſtate ſua abutuutur incouſideratius, iniquas ferendo excommunicationes .... Eo argumento aſſeritur Principis aut ipſius Officialium poteſtas ad obligandum Epiſcopum, ut ab injuſta ligatum excommunicatione ſolvat .... Ex his conſtat, Appellationem ab abuſu eſſe legitimam, 1. cum ſubeſt oppreſſio ac violentia; nam juris ac patrocinii ſubditis ſuis debitor eſt Princeps. 2. Cum recepti in regno violantur Canones, quia Rex eſt Canonem defenſor, eorumque obſervationi invigilare debet. Sic illa Editio Genevenſis.

VII. Tit. *Breviarium*, ſeu, *Officium Breviarii*. Caſ. 25. obligat ad reſtitutionem Beneficiarium vel Canonicum, qui durante recitatione Breviarii ſe occupat exercitiis attentioni nuu coaveaientibus. In Germauia tamen hæc obligatio quæ dependet ab arbitrio Eccleſiæ, non agnoſcitur.

VIII. Tit. *Canonicus*. Caſ. 6. docet, Canonicum Eccleſiæ Cathedralis obligari ad cantandum divinum Officium, etiamſi conducti ſint Cautores mercenarii, qui illud cantent; talemque Canonicum non cantantem teneri ad reſtitutionem. Manifeſtum eſt, hanc obligationem injuria temporum conſopitam dormire conuiveutia Eccleſiæ in Germania.

IX. (*b*) Tit. *Cenſus*, *Mutuum*, *Uſura*, *Societas*, *&c.* habet plurimos caſus, iu quibus ſupponit, omne lucrum ultra ſortem eſſe uſuram, niſi interveniat lucrum ceſſans, vel damnum emergens, vel contractus Conſtitutionis, quo ſumma principalis irredimibiliter venditur, vel contractus Societatis. In Germania autem ceuſus partis vigeſimæ per annum generaliter ſine ſpeciali tiٍtulo eſſe licitum docent omnes Theologi Germaniæ, quorum directioni ſubjacet tacita voluntas ac intentio noſtrorum tam Legislatorum Civilium, quam fidelium, bona ab unius dominio in alium transferentium. Vide Tit. *Cenſus*. Caſ. 1. Tit. *Mutuum*. Caſ. 1. 2. 3. Tit. *Societas*, Caſ. 4. & 6. Tit. *Uſura* per totum titulum.

X. (*c*) Tit. *Chorea*, vel *Saltatio*. Caſ. 2. docet, nou eſſe abſolvendos, qui diebus feſtis adeunt choreas publicas, in quibus committi ſolent plurima peccata. Hæc autem obligatio de vitando iſto periculo aut cooperatione nondum eſt a noſtris Theologis aut Superioribus promulgata, adeoque nec a fidelibus agnita in Germania. Itaque cum fideles poſſint ſe conformare judicio ſuorum Paſtorum, non poterit ſic ſaltantibus denegari abſolutio, niſi ipſa experieutia lapſuum, & propria proclivitas in talia peccata eos admonuerit jam de ingenti ac generali tot peccatorum periculo. Si enim jam ſemel lapſi ſint tali occaſione, jamque ex petulantia complicis intellexerint, ſe verſari in propinquo gravis peccati periculo, utique tenebuntur vitare propinquam illam peccandi occaſionem, nullo titulo vitandi damni, aut capiendi lucri ſibi neceſſariam.

XI. Tit. *Confeſſio*. Caſ. 6. docet, abſolutionem ex defectu juriſdictionis eſſe invalidam, ſi Confeſſarius abſolvat pœnitentem accedentem ex Diœceſi aliena. Attamen id in Germania locum uon habere, patet ex contraria praxi; quæ facit, ut Epiſcopi noſtri cenſeantur, tacite ſuos Diœceſanos ſubjicere juriſdictioni cujuſvis Confeſſarii approbati, ex quacumque Diœceſi ſit.

XII. (*d*) Tit. *Jejunium*. Caſ. 9. relinquit diſcretioni Confeſſarii, an ruſticus labori deditus in caſu particulari & diebus otioſis ſit obligandus ad legem Jejunii? In Germania hac diſcretione ac ſolicitudine Confeſſariis opus

non

(*a*) Vid. infra *Animadv. III. Concin.*
(*b*) Vid. ibid. *Animadv. VI. Concin.*
(*c*) Vid. ibid. *Animadv. IV. Concin.*
(*d*) Vid. ibid. *Animadv. II. Concin.*

Digitized by Google

non eſt, cum ſine diſcrimine hoc genus hominum conſuetudo eximat.

XIII. Ibid. Caſ. 10. docet, artificem, ſi moderatione laboris nihilominus poſſit lucrari ſuſtentationem competentem, teneri ad laborem moderandum, ſi alias legem jejunii ſervare non poſſit. In Germania hoc laborioſum inquiſitionis negotium neminem premit inter eos artifices, qui alias labore ſatis fatigantur.

XIV. (*a*) Ibid. Caſ. 17. Sexagenarios vegetos obligat ad legem jejunii. Major tamen Theologorum Germaniæ pars adverſus legem conniventibus Epiſcopis jam eatenus conſpiravit, & quantum videtur, prævaluit.

XV. Tit. *Illegitimus*, Caſ. 8, non cenſet, per matrimonium ſubſequens legitimari prolem, ſi tempore conceptionis non poterat inter parentes ſubſiſtere matrimonium. Oppoſita ſententia inter Canoniſtas Germaniæ modo prævalet.

XVI. Tit. *Indulgentia*. Caſ. 15. docet, Indulgentias ab Epiſcopo Diœceſano ſubjectæ Eccleſiæ conceſſas non poſſe obtineri a fidelibus ex alia Diœceſi advenientibus. In Germania autem Epiſcopi ſuos Diœceſanos in ſimilibus ſavorabilibus libenter ſubjiciunt juriſdictioni alterius Epiſcopi, prout dictum eſt circa confeſſionem & abſolutionem.

Hæc pro ſpecimine ſufficiant. Omitto plura alia, quæ concernunt materias ſubjectas juriſdictioni Parlamentorum & Regum Galliæ: in his enim plerumque varia eſt praxis Galliæ, & Germaniæ.

OBSERVATIO QUINTA.

Editio Genevenſis habet varias propoſitiones, quæ ab Interprete Auguſtano merito fuerunt omiſſæ, aut explicatæ, aut temperatæ. Id patebit ex ſequenti inductione.

I. TIt. *Abſolutio*. In Diſs. prælim. & Caſ. 1. docet, formam abſolutionis deprecatoriam adhoc eſſe validam in Eccleſia Latina. Hæc ſententia non videtur eſſe probabilis: rationem enim illius prorſus enervat P. Juenin in ſuo Commentario Hiſtorico & Dogmatico de Sacramentis, de Pœnit. C. 2. ar. 2. §. 2. obi oſtenditur, Eccleſiam Latinam nolle amplius habere intentionem abſolvendi modo deprecativo, eamque ſtatuiſſe formam hujus actus judicialis abſolutam pro eſſentiali. Hæc intentio Latinæ Eccleſiæ potiſſimum colligitur ex Tridentino, quod illas preces, *Miſereatur &c.* ad formam abſolutionis abſolutam prævias, poſitive excludit a ratione formæ.

II. (*b*) Ibid. Caſ. 6. dicitur, differendam eſſe pœnitenti abſolutionem, ſi Confeſſarius habeat *juſtam cauſſam judicandi* dolorem pœnitentis tantum eſſe naturalem. Hæc propoſitio poteſt habere duplicem ſenſum. Si ſic intelligatur, ut ſenſus ſit, tunc pœnitenti differendam eſſe abſolutionem, quod confeſſario *moraliter certum eſt*, pœnitentem non habere ſufficientem contritionem, aut alias ad effectum Sacramenti eſſe indiſpoſitum; vera eſt. Si vero ſic intelligatur, ut ſenſus ſit; tunc abſolutionem generaliter eſſe differendam, quando Confeſſarius ſolum probabiliter judicat, in pœnitente non dari ſufficientem contritionem aut propoſitum, non eſſet vera, ſed perturbativa Eccleſiæ. Nemo enim privandus eſt jure certo ad uſum Sacramentorum ob indiſpoſitionem incertam, maxime imperſcrutabilem humano ingenio, niſi ea excluſio ad tempus in caſu particulari conſideratis particularibus circumſtantiis videatur manifeſte utilior ad ſalutem pœnitentis. Ceterum quod Editio Genevenſis poſteriorem potius, quam priorem ſenſum admittat, colligi videtur ex Caſu 9. ſubſequente, ubi loquens de muliere quæ in confeſſione perpetuo ſe accuſat de levibus mendaciis, ſic ſcribit: *Probabile* eſt omnino hujuſmodi confeſſiones eſſe invalidas ob defectum contritionis, & ſufficientis propoſiti .... quare exiſtimamus ipſius Confeſſarium peropportuna illi abſolutionem differre, &c. En! ex eo, quod *probabile* videatur, contritionem aut propoſitum laborare defectu, docet ſtatim, differendam eſſe abſolutionem. Melius talibus hominibus prius præſcribuntur media emendationis aut contritionis, v. g. eos obligando ad ſubeundam pœnam medicinalem in ſingulos relapſus, vel ad orationem quotidianam pro impetrando dono majoris contritionis, vel ad formulam quotidianam contritionis &c. Et ſi talia non ſervaverint, tunc primum conſultum erit, differre abſolutionem. Mens Interpretis Genevenſis adhuc clarius colligitur ex Caſ. 13. ſequente: dum enim quærit, qualis in conſuetudinario probatio requiratur, ut abſolvatur, dicit, probationem eam talem eſſe debere, ut Confeſſarius fiat *certus* de ſufficiente diſpoſitione pœnitentis. §. *Non ergo ſufficit*, ſic habet: Pœnitentiæ laborioſæ operibus *certus* eſſe debet Sacerdos de intima ſui pœnitentis diſpoſitione. Huic regulæ duo obſtare videntur argumenta: primo enim non videtur eſſe conſormis intentioni Chriſti, cujus tanta eſt bonitas, ut potius cenſeatur exponere Sacramentum periculo nullitatis permittendo ad ſequendam prudentem præſumtionem de ſufficiente diſpoſitione pœnitentis, quam inter noxios arcere a communione etiam plurimos innocentes obligando ad ſequendum judicium certum. Dein, ſi in articulo neceſſitatis ſalus pœnitentis exigit, ut conferatur illi abſolutio juxta diſpoſitionem dubiam, aut etiam probabilem tantum; eadem ſalus plurimorum pœnitentium, alias non obtinibilis tam facile, poterit eſſe ratio, ut conferatur abſolutio juxta diſpoſitionem rationabiliter præſumtam, quamvis non omnino certam. Hinc Obſervatio ſe extendit ad multos alios Caſus, in quibus Editio Genevenſis vult ſtatim differri conſuetudinariis abſolutionem ante applicationem convenientium remediorum: quæ praxis utique fundatur etiam in hoc principio, quod Confeſſarius ante abſolutionem debeat habere certitudinem de diſpoſitione pœnitentis. Tales Caſus ſunt hoc ipſo Titulo, 16. 17. 20. 23. 24. 25. 29. 30.

III. Tit. *Approbatio*. Caſ. 16. in fine, aſſerit, ſemper in Gallia exploſum fuiſſe privilegium ab Innocentio VIII. Abbati Ciſtercienſi conceſſum conferendi ſuis Religioſis Subdiaconatum. Attamen P. Juenin Presbyter Oratorii expreſſe teſtatur oppoſitum. In ſuo Comment. Hiſt. Dogm. de Sacram. ubi agit de Ordinibus quæſt. 6. C. 3. ſic ait: Reſpondeo, poteſtatem ordinandi Subdiaconos, quæ nonnullis Abbatibus (Ciſtercienſibus) alias conceſſa fuit, non fuiſſe jure aliquo poſteriori revocatam. Dein ſcribit Morinus noſter, Epiſcopos ratam habere ordinationem quam illi Abbates contulerint, dum viſis hujuſmodi Inſtrumentis collationis, Monachos poſt acceptum a ſuis Abbatibus Subdiaconatum ad Ordines ſuperiores promovent. En! duo teſtes e media Gallia contra unicum.

IV. (*c*) Tit. *Advocatus*: Caſ. 3. docet, Advocatum debere deſerere cauſſam, quam ab initio credidit eſſe juſtam, ſi in progreſſo agnoſcat, valde eſse *probabile*, eam eſse injuſtam. Hæc ſententia non eſt probabilis, nec a ratione nec ab auctoritate.

V. Tit. *Communio*. In Diſs. prælim. ait: Prima omnium ad dignam communionem diſpoſitio neceſsaria eſt fides, quæ ad hunc effectum prorſus ſit inutilis, niſi ſit caritate animata. Quid enim neceſsarium magis, quam amori illius in nos amorem rependere, qui nimia ſua dilectione ſe nobis manducandum præbuit? Hæc doctrina non eſt vera: quia plerique Theologi cum D. Th. conveniunt, quod Communio juſtificet per accidens exſiſtentem in peccato mortali; adeoque fides *non animata* per caritatem non eſt prorſus inutilis ad dignam communionem. Immo hoc ipſo Tit. Caſ. 7. docetur, in communione aliquando conſerri primam gratiam.

VI. Ibid. in Diſs. prælim. dicitur: Hunc nobis ſenſum ingerere debet humilitas, quod ſine gratia Chriſti Salvatoris non poſſumus eſſe, niſi peccatum. Hæc propoſitio magnam videtur habere ſimilitudinem cum quibuſdam Propoſitionibus Queſnelli. Queſnelliana prima: Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem & ad omne opus bonum? Secunda: Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt. 38. Peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia Liberatoris. 39. Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne opus bonum. 40. Sine gratia nil amare poſſumus, niſi ad no-

(*a*) Vid. ibid. *Animadv. I. Concin.*
(*b*) Vid. infra *Animadv. V. Concin.*
(*c*) Vid. infra *Animadv. VII. Concin.*

ad noſtram condemnationem. 41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philoſophis ethnicis, non poteſt venire oiſi a Deo; & ſine gratia non producit, niſi præſumtionem, vanitatem & oppoſitionem ad ipſum Deum. 48. Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto & ſine caritate? Ita Queſnellus. Verum quidem eſt, quod Pontaſius magis videatur locutus contionatorie aut aſcetice, dum aſſerit, nos ſine gratia Salvatoris nihil eſſe, niſi peccatum; aut quod forte hanc loquendi formulam, primæ editioni ante damnationem harum propoſitionum inſertam, in ultima editione corrigere oblitus ſit; per hoc tamen ipſa formula locutionis non fit melior.

VII. (*a*) Tit. *Meritum*. Caſ. 1. & 3. docet, nullum dari meritum, niſi procedat ex amore Dei vel actualiter vel ſaltem virtualiter. Caſ. 1. ait: Quinque ſunt conditiones, ut aliquis mereri poſſit opere bono .... Ultima conditio hæc eſt; bonum opus peragatur ſaltem virtualiter ex caritatis incentivo; & Caſ. 3. ait. Antonius (in poſito caſa) ex eleemoſyna ſua nullum ducet meritum, quoniam illam abſque Dei vero amore erogat, ut ex S. Thoma probari poteſt, qui dicit, omnia virtute imbuta opera, ne quidem Martyrio excepto, meritoria eſſe non poſſe, niſi cum peragantur ex amore Dei. *Quod autem ſit meritorium* (Martyrium) *hoc habet ex caritate, ſicut quilibet virtutis actus; & ideo ſine caritate non valet*. Hæc doctrina perpetuo confundit caritatem habitualem & actualem. Sine habituali ntique nullum datur opus meritorium præmii ſupernaturalis, prout docet S. Thomas cum reliquis Theologis. Quod tamen omnia meritoria opera procedere debeant ſaltem virtualiter ex motivo dilectionis actualis præcedentis, hoc non liquidum apud Theologos; immo iſta doctrina iterum habet magnam ſimilitudinem cum ſequentibus propoſitionibus Queſnelli. 49. Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opas bonum ſine amore Dei. 60. Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus caritatis non eſt ille qui clamat. 47. Obedientia legis profluere debet ex ſonte; & hic ſons eſt caritas: quando amor Dei eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis; tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia. 44. Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert; & propter hoc ipſum fit malus. 53. Sola caritas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum. 54. Sola caritas eſt, quæ Deo loquitur: eam ſolam Deus audit. 55. Deus non coronat niſi caritatem: qui currit ex alio impulſu & ex alio motivo, in vanum currit. 56. Deus non remunerat, niſi caritatem; quoniam caritas ſola Deum honorat. Omnes hæ propoſitiones, præſertim ultima, magnam ntique habet ſimilitudinem cum præfata propoſitione Pontaſii: *Omnia opera meritoria eſſe non poſſe, niſi cum peraguntur ex amore Dei*. Crediderim tamen, Pontaſium, utpote alias cautum, non dedita opera aut ex conſilio præmeditato amplexum eſſe hanc loquendi formulam, ſed pro more aliorum tam veterum quam recentiorum ſcriptorum, quibus non ſemper præſto erat attentio ad normam accurationis ſcholaſticæ: juxta hanc enim actiones noſtræ ſortiuntur ſpecificam denominationem virtutis aut peccati ex objecto formali immediate cognito: conſequenter ſi do eleemoſynam ex immediato motivo miſericordiæ, ſi obedio ob honeſtatem obedientiæ, ſi elicio actum fidei vel ſpei ex motivo veracitatis aut fidelitatis divinæ, non recte omnes hi actus poſſunt vocari amor Dei, aut procedentes ex amore Dei. Neque tales actus in peccatores poſſunt dici peccata, quamvis forte in juſto eoſdem actus virtutum concomitetur habitualis quædam tendentia in bonum verum, quæ late loquendo poteſt vocari amor Dei; & in peccatore eoſdem actus moraliter, id eſt ex immediato objecto formali bonos coocumitetur quædam negligentia habitualis ſe perfecte convertendi ad finem ultimum, quæ poteſt vocari peccatum. Sed aliud eſt, quod amor aut peccatum concomitetur actum virtutis moralis; aliud quod ipſe actus ſit amor, aut peccatum; vel quod procedat ex amore, ac motivo amoris. Ut candide aperiam meum judicium in his controverſiis, cenſeo, eas originem ac progreſſum ſuum potiſſimum debere neglectui excolendi Theologiam ſcholaſticam: qui enim toti incumbunt lectioni Patrum neglecta Theologia ſcholaſtica, imbibunt innnmeras loqnendi formulas minime accuratas, quas dnm obtrudere volunt pro regula, caſtigantur a Theologis. Poſſum eo confidentius loqui in hac materia, quia ſcripta ſanctorum Patrum, qui floruerunt ſex primis Eccleſiæ ſæculis, attente perlegi, & ſtudiis ſcholaſticis jam a multis annis pro officio alligor. Comparando cum novis vetera opto, ut ſcholaſtici ad imitationem ſuorum Principum jungant ſuis laboribus ſtudium Patrum; & qui ſanctis Patribus totos ſe impendunt, ſe diu exerceant in idiomate & ſtudio ſcholaſtico. Si rediret Lutetias Theologia ſcholaſtica, ut floruit ſæculo 13. & 14. rediret, quantum opinor, in regno pax eccleſiaſtica & concordia.

VIII. Tit. *Mendacium*. Caſ. 10. docet, quod peccator perſeverans in inimicitia recitando Orationem Dominicam, non quidem mentiatur, ſi juxta D. Thomam velimus loqui accurate: attamen D. Auguſtinum ſibi formaſſe aliam quam D. Thomas ideam, dum ſimplicitar aſſeruit, talem peccatorem mentiri. Sed hæc Doctorum ſanctorum contrarietas conciliari poteſt dicendo quod D. Thomas loquatur de mendacio formali, D. Auguſtinus de materiali.

IX. Tit. *Confeſſio*. Caſ. 3. dicit: Denique aſſerimus, dolorem de peccato conceptum nom ob amorem Dei, ſed ſui ipſius, non veram eſſe pœnitentiam ..... Igitur concludimus, quod ſi ſolo timore ſervili, hoc eſt, damnationis æternæ ad confeſſionem quis inductus eſt, invalida fuit ejus confeſſio; quandoquidem attritionis vicem gerere nequeat hujuſmodi timor. Et Tit. *Pœnitentia*. Caſ. 16. docet, peccatorem extra Sacramentum non juſtificari, niſi per amorem *ſatis vehementem* in Deum, & per dolorem *omnino vehementem* de peccatis. Hæc doctrina, quod contritio debeat procedere ex dilectione Dei; eſt contra praxin & ſenſum plerorumque Theologorum & fidelium. Aliud eſt, quod attritio debeat habere conjunctum motum dilectionis initialis, cujus neceſſitatem Theologi omnes agnoſcunt; ille enim motus dilectionis initialis non neceſſario præcedit dolorem de peccato, ſic ut dolor ſeu attritio debeat procedere ex amore, ac imperari ab amore; ſed ſufficit, ſi hic motus dilectionis initialis concomitetur attritionem, vel ad eamdem ſubſequatur tamquam actus imperatus ab attritione. Dilectio namque initialis nihil aliud eſt, quam voluntas placendi ac ſerviendi Deo per obſervantiam mandatorum, præſertim maximi mandati, & per ſtudium perfectionis chriſtianæ cujuſvis ſtatui congruæ: iſta bona voluotas manifeſte pertinet ad rationem propoſiti: cum ergo propoſitum non neceſſario antecedat atttritionem, ſed poſſit ad eam proſequi; non erit neceſſe, ut motus dilectionis initialis antecedat attritionem, ſed ſufficit, ſi ad eam ſubſequatur. Videtur, quod ipſe Pontaſius Tit. *de Contritione*. Caſ. 3. hanc veritatem aliquo modo agnoverit, dum eo loco ſolum docet, quod attritio debeat habere motum dilectionis initialem; non vero quod attritio debeat procedere ex iſto motu dilectionis initialis.

X. Tit. *Opinio*. Caſ. 1. generatim aſſerit non eſſe licitum, in rebus fidei & morum ſequi opinionem probabilem, non diſtinguendo inter probabiliorem, æque probabilem, & minus probabilem; ſicque videtur negare, quod in rebus morum liceat ſequi ſententiam etiam æque probabilem, immo probabiliorem, ſi non ſit magis tuta. Hic animus colligitur etiam ex eo, quia in ſuis concluſionibus, dum recenſet ſententias probabiles in utramque partem, paſſim adſtringit ad tutiorem. At qualiſcnmque demum ſit animus, certe ea indeterminatio debuit tolli, ne videatur incidere in Propoſitionem 3. ab Alexandro VIII. damnatam: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Et ſane mirum, quod Pontaſius dum affert undecim propoſitiones in hac materia a Clero Gallicano damnatas, hanc Alexandrinam alto premat ſilentio. Hoc non obſtante videtur Pontaſius alio loco admittere, quod liceat ſequi ſententiam æque probabilem; quamvis minus tutam. Nam Tit. *Confeſſarius* 1. Caſ. 2. dicit: fatendum tamen, quod ſi vere Confeſſario eſſet perſuaſum, opinionem ſui pœnitentis defendi poſſe, hoc eſt, eſſe probabilem; tunc ei abſolutionem poſſet imperiri, quandoquidem tunc contra proprium lumen, hoc eſt, contra con-

ſcien-

(*a*) Vid. infra *Animadverſio VII. Concin.*

ſcientiam non ageret. At ſi Confeſſarius, inquit Navarrus, non adeo forti ratione nititur, vel pœnitens utitur pari vel fere pari, & habet pro ſe Doctorem aliquem clarum, poterit eum abſolvere. Ita Pontaſius. Habuit ergo Interpres Auguſtanæ verſionis cauſſam, cur in Titulo *Opinio*, doctrinam Pontaſii valde indeterminatam emendaverit, aut explicaverit, aſſerendo, quod inter duas opiniones fere æque probabiles liceat ſequi utramlibet; eo quod providentiæ divinæ ſit, leges ſuas naturales aut divinas reddere credibiliores non ipſis; adeoque ſi aliqua talis lex non eſt reddita crebibilior non ipſa, eo ipſo moraliter certum eſt, non dari legem.

XI. Tit. *Diſpenſatio votorum*. Caſ. 1. docet, quod Papa jus diſpenſandi in votis tantum habeat per præſcriptionem contra Epiſcopos. Sic habet: Poſteriorem opinionem tenendam eſſe diximus; certum eſt enim, *præſcriptos* a Papa pro hoc caſu Epiſcopos jam legitimas diſpenſationes non poſſe concedere. Et Tit. *Diſpenſatio Matrimonii*. Caſ. 35. dicit: Certum eſt, ex nullo Canone Diſpenſationes iſtas Papæ reſervari, licet ipſe ferme ſolus harum obtineat poſſeſſionem; quod jus illud in Epiſcopos ſuum ſecerit ex longæva conſuetudine quæ, nunc pro iis vim legis obtinet. Hæc doctrina non eſt vera, quia poteſtas diſpenſandi propria eſt ſummo Eccleſiæ Capiti ex ipſa natura Hierarchiæ eccleſiaſticæ: cum enim iſta a Chriſto inſtituta ſit non per modum regiminis Ariſtocratici, ſed Monarchici; ſequitur, quod in ſupremo Capite reſideat gubernandi omnium fidelium conſcientias. Aliud eſt, quod uſus hujus poteſtatis, ſeu jus actuale conſtitutum ſit non per legem aliquam poſitivam, ſed per conſuetudinem; & aliud eſt, quod hoc jus Pontifex obtinuerit de novo, & quidem ab aliis, & per præſcriptionem.

XII. Tit. *Confeſſarius* 2. ſeu *Confeſſionis ſigillum*. Caſ. 11. docet, quod ſuperior, verb. grat. Epiſcopus vel Abbas, poſſit ſubditum ab Officio amovere, ſi illum ex confeſſione ſola agnoſcat indignum & criminoſum, etjamſi pœnitens in confeſſione recuſaverit dimiſſionem Officii. Sic habet: Dicendum, ſuperiorem non poſſe ab Officio amovere inferiorem, ſi hinc oriretur aliqua probabilis ſuſpicio de peccato in confeſſione audito; tunc enim graviter peccaret. Id unum ergo præſtare poteſt ſuperior, ut reum ad dimiſſionem Officii in tribunali pœnitentiæ inducat; qui ſi obedire recuſet, tunc ſuperior aliam poterit ſupponere cauſſam quæ confeſſionis nullam det ſuſpicionem, cur ipſum amoveat. Caſ. 13. docet, quod liceat illi denegare votum in electione quem quis ex confeſſione ſcit Officio indignum. Hæc doctrina ab Interprete Genevenſi tantum eatenus reſtringitur, ne publice doceatur in Seminariis. Attamen impingit in prohibitionem congregationis Cardinalium Romanæ Inquiſitionis, quæ die 18. Novembris 1682. probibuit omnem uſum notitiæ ex confeſſione, in quantum ille ſit cum gravamine pœnitentis. Adeoque cum in poſitis duobus caſibus ſubditus aliquando rationabiliter poſſit recuſare dimiſſionem ſui Officii, vel negationem voti, eo quod in hoc caſu aliquando per alia media poſſit præberi ſpes emendationis, non poterit a ſuperiore abdicari ab Officio, vel illi denegari votum, quin ad hoc habeat a pœnitente expreſſam vel tacitam licentiam.

Hæc ſunt potiſſimum, quæ mihi videbantur obſervatione eorum digna, quos, ut vigilarent in doctrina ſana, providentia Numinis conſtituit in candelabro Eccleſiæ. Meum non eſt, ſeveriorem capere cenſuram, aut prævertere eruditorum ſententiam. Monuiſſe ſat eſt, ut adimpleam ſupremi omnium Judicis graviſſimum monitum, quod in perſona Prophetæ omnibus animarum Paſtoribus ac Theologis his verbis inculcat (*a*): *Si ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ſanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram.*

(*a*) Ezech. C. 33. v. 6.

FRA-

FRATRIS DANIELIS CONCINA
ORDINIS PRÆDICATORUM
ANIMADVERSIONES CRITICO-MORALES
IN MENDA PONTASIANA:

Cum Auctario duorum Caſuum, qui in hoc Dictionario deſiderantur.

INTERPRES AUGUSTANUS.

OBSERVATIO QUARTA.

1 *Titul. Jejun. Caſ.* 17. „ Sexagenarios vegetos obligat ad legem jejunii. Major tamen Theologorum Germaniæ pars, *adverſus legem* conniventibus „ Epiſcopis jam eatenus conſpiravit, „ & quantum videtur prævaluit.

ANIMADVERSIO PRIMA.

2. JOannes Pontaſius in ſuo Dictionario *Sexagenarios vegetos obligat ad legem jejunii.* Næ, pingue mendum! Paullus Layman Germaniæ Theologorum Moralium facile princeps, docet hanc opinionem communem eſſe penes Theologos. Sic enim ſcribit *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 4. *pag.* mihi 144. *tom.* 2. „ Sed dubium „ eſt, utrum hoc tempus ætatis 70. vel ſecundum alios „ 60. annorum, determinatum ſit ad excuſationem „ jejunii adſerendam; ita ut tametſi aliquis firmo ad- „ huc corpore exſiſtens, jejunii difficultatem facile per- „ ferre poſſit, nihilominus tamen excuſetur? Negat „ talem excuſari Cajet. Nav. Tolet. Silveſter, Azor. „ S. Anton. *part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 2. *ſ.* 6. Barthol. Medin. „ *in Inſtruct. lib.* 1. *cap.* 14. *quæſt.* 10. Joan Medin. *quæſt.* „ 9. *de jejun.* Leſſius *lib. cap.* 2. *dub.* 6. Valent. *diſp.* 6, „ *part.* 5. aliique DD. plerique.

„ Contrariam tamen ſententiam defendit Sanchez „ *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 31. *num.* 17. Lamas *part.* 3. *Me-* „ *thod. cap.* 5. *quæſt.* 20. Angles *loc. cit.*

„ Sed retenta priore ſententia, *Quæ communis eſt,* „ reſpondetur differentiam eſſe, quod omnes homines „ a prima ætate, & per pueritiam adoleſcentiamque „ creſcant & augeantur; ideo lex jejunii in eos non „ conveniat, tametſi fortes & ſani ſint: quamobrem „ neceſſario tempus ætatis definiendum fuit tamquam „ finis adoleſcentiæ, in quo ordinaria obligari inci- „ piant, ut recte argumentum convincit. At vero „ poſtquam homines jejunii obligationem contraxe- „ runt, non convenit eos liberari: ergo non oportet „ certum ætatis tempus definire, in quo homines pro- „ pterea jejunii lege exſolvantur. Quare neque univer- „ ſali conſuetudine, neque communi Doctorum conſen- „ ſu talis ætas ſenibus definita eſt, ſicuti adoleſcenti- „ bus tertium ſeptennium &c.

3. Ne vero reponatur Laymanum ab hinc integrum & amplius ſæculum Theologiam ſuam ſcripſiſſe, ac ſubinde contrariam ſententiam penes Germaniæ Theologos evaſiſſe, lubet aliam in Germania, nempe Ingolſtadii editam, Theologiam allegare, cujus auctor eſt Paullus Antoine, qui ſuum opus in lucem emiſit anno 1733. quo Interpres Auguſtanus ſuas Obſervationes in Pontaſium publicavit. Laudatus autem Paullus Antoine *tom.* 2. tract. de virt. cap. 2. in append. de jejun. quæſt. 7. pag. mihi 36. hæc habet. „ Quoad ſenes, „ quamvis aliqui putent eos a jejunio eximi circa an- „ num *ſeptuageſimum*; tamen ex communi, teſte *Lay-* „ *man*, aut ſaltem *communiore*, non eſt pro eis certum „ tempus conſtitutum, quo lege jejunii ſint ſoluti; eo „ quod alii citius, alii tardius viribus deficiant.„

4. *Martinus VVigandt* Theologus pariter Germaniæ teſtatur hanc ſententiam Pontaſii eſſe tutiorem, & probabiliorem, & merito praxi demandandam. Inquit enim *tract.* 5. *exam.* 4. *num.* 91. „ Hæc ſententia Antonini, Sil- „ veſtri, Navarri &c. eſt tutior & probabilior, & me- „ rito practicanda. „ Idem docet Tannerus itidem Germaniæ Theologus *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *dub.* 5. *num.* 192. Quid plura? Ipſe P. Claudius *La Croix* quem Interpres Auguſtanus laudat tamquam Theologorum Germaniæ ſupremum judicem, in ſententiam concedit Pontaſii. Relatis namque utriuſque opinionis argumentis, quamvis de more ſuum expreſſe non ferat judicium; ut quiſque probabilitatis beneficio eam ſeligat, quæ ſibi magis arridet; (hac via libri facile diſtrahuntur) heic tamen explodit contrariæ ſententiæ rationes; quod argumento eſt, illum communi adhærere. En illius verba *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 1317. *pag.* 367. *Cur autem certa ætas, nempe annus* 21. *ſtatuatur pro inceptione; & nulla ſtatuatur pro deſitione Legis, hæc eſt diſparitas; quod omnes uſque ad annum* 21. *adoleſcant, & debeant firmari: e contra multi poſt ſexageſimum non deficiunt notabiliter.*

5. Hi quinque Theologi, ut mea præfert opinio, ſatis ſunt ad declarandum qualis ſit Theologorum Germaniæ ſenſus, & populi conſuetudo. An ſi major Theologorum Germaniæ pars oppoſitum doceret? An ſi Epiſcopi tacita conniventia ſexagenarius ſenes eximerent a jejunio, id ignoraſſent laudati quinqae Theologi, qui non modo *ſexagenarios vegetos*, ut Pontaſias, ſed neqae *ſeptuagenarios* a lege jejunii ſolvunt?

6. Inſtituto meo ſuperfluum cenſeo longum texere catalogum Theologorum cujuſque nationis in favorem ſententiæ Pontaſianæ. Duos dumtaxat Sanctos, omiſſis nunc antiquis Eccleſiæ Patribus, laudo. Alter eſt Hiſpanus & univerſæ Europæ Apoſtolus, ſanctus Vincentius Ferterius, qui hæc ſcribit *ſer.* 1, *Feb.* 4. *cin. A jejunio excuſantur ſenes in certa ætate, ſcilicet quando habent talem ſenectutem, quæ aufert eis appetitum comedendi, vel quia perdiderunt dentes, & comedunt ſæpe, vel ſæpius ſicut putri. Sed ſenes octoginta annorum, vel*

amplius,

amplius, qui ſemel bene poſſunt comedere, tales non excuſantur in aliquo prædictorum, quia ipſi peccant mortaliter: & ideo cum diligentia omnes jejunemus. Alter eſt Italus & Archiepiſcopus, divus nempe Antoninus, qui hæc habet *part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 6. Senes ſi ſunt multum debiles, eo modo poſſunt excuſari, ſicut dictum eſt de infirmis. Ratione autem ſenectutis tantum non excuſantur, ſi ſint fortes ad ſufferendum jejunium: nec eſt determinata ætas ab aliquo uſque ad quos annos quiſque tenatur ad jejunium.*

7. Indicata inſignium Theologorum Germaniæ, ac duorum Sanctorum ſententia, lubet unicum alterius nationis Theologum, qui ſere omnium cujuſque nationis Doctorum voce loquitur. Is eſt *Antoninus DIANA*, qui quo abeſt a ſeveritate, eo accedit benignitati; qua de cauſſa minime ſuſpectus Interpreti Auguſtano. Audiat ergo quid ſcribat DIANA Coordinatus *tom. 4. tract. 6. Reſol. 7. §. 1. & ſeq.* „ Levis fortaſſe hæc „ quæſtio alicui videbitur: ſed ita minime eſt. Nam „ cum paucis commilitonibus adverſus plures hujus „ militiæ fortiſſimos duces aggredior pugnam.

„ Dico igitur *FERE OMNES DOCTORES ASSERERE SENES SEXAGENARIOS* non excuſari a „ præcepto jejunii. Ita docet Layman in *Theol. Moral. lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 1. & 2.* Leſſius *de juſt.* „ *lib. 4. cap. 2. dub. 6. n. 41.* Fagundez *de Præceptis Eccleſ. tract. 4. lib. 1. cap. 8. num. 10. & 11.* Filliucius „ *tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 112.* Reginaldus „ *tom. 1. lib. 4. cap. 17. ſect. 1. num. 209.* Valentia *tom. 3.* „ *diſp. 9. quæſt. 2. punct. 5.* Azor. *lib. 7. part. 1. cap. 17.* „ *quæſt. 4.* Joannes de la Cruz *in Direct. Conſc. 2. præcept. 3. art. 4. dub. 9. concluſ. 2.* Villalobos *in Sum. tom.* „ *1. tract. 23. dub. 4. num. 6.* Campanill. *in diverſ. jur. can. rub. 7. c. 6. n. 151.* Bonacina de *legibus diſp. 10.* „ *quæſt. 1. punct. ult. num. 4.* Ugolinus *de poteſt. Epiſc.* „ *cap. 9. num. 6.* Ledeſma *in Sum. tom. 2. tract. 17. c. 1.* „ *concl. 25. dub. 3.* Fernandez in *Exam. Theolog. Moral.* „ *part. 2. cap. 8. §. 2. num. 20.* Victorellus *in notis ad* „ *Summam Tolet. lib. 6. cap. 4. num. 1.* & a fortiori do„ cent hanc ſententiam DD. aſſerentes ſenes tantum „ ſeptuagenarios immunes eſſe a lege jejunii. Ita Ga„ briel *in 4. diſt. 16. q. 3. art. 1. notab. 4.* Silveſter *verb.* „ *Jejun. quæſt. 6. dict. 2.* Tolet. *lib. 6. cap. 4. n. 2.* Roſel„ la *eodem verb. num. 5.* Tabiena *eodem verb. num. 18.* „ *quæſt. 17.* cum aliis, & DD. aſſerentes, ut excuſen„ tur ſenes a lege jejunii, attendendum eſſe robur cor„ poris, & complexionem naturæ, & juxta eam judi„ candum eſſe; & ideo totum hoc arbitrio prudentis „ viri relinquendum eſſe; & ita docet D. Antoninus „ *part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 7.* Palatius *in 4. diſt. 51. diſp. 8.* „ *concluſ. 4.* Graſſus *part. 1. lib. 2. cap. 17. num. 4.* Vega „ *in Sum. tom. 1. cap. 14. caſ. 15.* Rodriquez *in expoſ.* „ *Bullæ Cruc. §. 7. num. 2.* Summa corona *part. 1. c. 1.* „ *num. 80. & alii.* „ Hactenus Antoninus Diana de „ quo iterum infra, ubi referemus opinionem, quam ille cum paucis commilitonibus propugnare adverſus *fortiſſimos Duces* aggreditur.

8. Hæc porro cum ita ſe habeant, quid cauſſæ fuit; cur Interpres Auguſtanus, vir ceteroquin perdoctus & eruditus, ſententiam Pontaſii rejecerit, ceu mendam majori Theologorum Germaniæ parti infeſtum? Occaſio forſitan ita ſcribendi illi fuit, quod in aliquo Caſuiſtarum Germaniæ legerit, ſententiam exſolventem ſexagenarios robuſtos a jejunii lege, eſſe communem. Conjecturæ locus eſt, quod P. Patritius Sporer, non modo Germanus, ſed Paſſavienſis, & Bavarici Principatus ſubditus, re ipſa præfatam ſententiam communem appellet. Ut autem ego evincam, quin limites quæſtionis facti tranſiliam, quam perperam dictam ſententiam hic Caſuiſta communem vocet, a benigno lectore veniam peto, quo palam faciam, (quoniam ſic opportuna fert occaſio) cur tot opiniones alioqui improbabiles, temporis beneficio a' Caſuiſtis non paucis dicantur probabiles, & communes apud vulgus evadunt. Potiſſima autem cauſſa eſt nimia credulitas, qua illorum plures viciſſim propria dicta excipiunt. Hinc conſequitur, ut, primo aberrante, neceſſe ſit ceteros quoque, dum res facti agitur, aberrare. Qua de cauſſa non raro evenit, ut ſunt in foro civili, aut criminali centum teſtes de ſolo auditu, non plus quam unius auctoritatis habeant; ita plures Caſuiſtæ, qui bona fide quod unus evulgavit, exſcribunt, non majore quam ille primus auctoritate pollent. Sic in cauſſa qua de agimus, accidiſſe, nempe quod recentes Caſuiſtæ auctoritate unius teſtis ſuam opinionem de abſolutione ſenum a jejunio tamquam communem promulgaverunt, clariſſime demonſtro.

9. Convenit inter Theologos, legem jejunii omnes Chriſtianos tertio elapſo ſeptennio obligare. De ſenum a legis exemtione diſputari cœptum eſt. Fervente diſſidio, unus erupit *Hieronymus Lamas* in medium; & diſputantibus Theologis, poſt grates Deo perſolutas, revelavit tandem aliquando ſummum Pontificem ſanctitate non minus quam doctrina clariſſimum, divum nempe *Pium V.* ſenes ſexagenarios a jejunio diſpenſare. Quod ita res ſe habeat, audiamus ipſos Theologos confitentes ſe ſe fide Lamæ ſcribere. Unum & alterum laudo ut prolixitatem, quoad fieri poteſt, vitem: infra tamen in calce ipſius Animadverſionis longiorem ſubjiciam catalogum. Patritius Sporer *in Append. ad 3. præcept. Decal. ſect. 4. num. 50. pag. 187.* ſcribit: „ Ceterum ſenes poſt ſexageſimam ætatis annum „ completum etiam excuſari a jejunio ..., affirmat pro„ babilius ſatis tuta, & a me hactenus practicata ſen„ tentia, (vin' potentius argumentum?) Sanchez, „ Angles, Suarez & alii apud Dianam, Marchant ad„ dens hanc ætatem eſſe declaratam a S. Pio V. vivæ „ vocis oraculo. Et in Bullis Cruciatæ prohibens Re„ gulares ab earum privilegio, quoad uſum ovorum „ & lacticiniorum in quadrageſima, excepit ſexagena„ rios, quos declaravit jejunio non teneri: ut ſub *aſ*„ *ſeveratione infallibili tamquam teſtis oculatus* (auricu„ laris forte dictum voluit) *refert Hieronymus Lamas* „ *part. 3. meth. c. 5. §. 20.* addens. *Gratias Deo, quod regula* „ *deinceps tenebitur certa a ſummo Eccleſiæ Paſtore decre*„ *ta.* Patres Salmaticenſes, quamquam inter Caſuiſtas „ compilatores recenſendi non ſint, attamen præfatam „ opinionem hac ratione probant *tract. 23. cap. 2.* „ *punct. 7. num. 130. pag. 349.* Tertia, denique ſenten„ tia quam probabiliorem judicamus, docet, quod jam „ hac noſtra ætate ſenes ſexagenarii etſi robuſti ſint, „ a jejunio liberantur. Primo quia S. Pius V. anno „ 1570. de hoc interrogatus viva voce reſpondit eſſe „ excuſatos, *ut teſtatur Lamas: Ergo ita tenendum eſt.* „ Viden' legitimam illationem? Teſtatur Lamas: ergo ita tenendum? Non eſt præſentis inſtituti oſtendere ab iſtis ſcriptoribus plures laudari in ſuæ opinionis ſubſidium Theologos, qui conceptis verbis oppoſitum docent. Lege, ſi per otium licet, ceteros iſtius benignæ opinionis fautores, illoſque fere omnes citantes *Lamæ* auctoritatem reperies: omnes tamen fatentur contrariam Pontaſii eſſe communem, ut Palaus; magis piam & magis tutam, ut Sporer, & ſic ceteri.

10. Quid nunc reliqui ſupereſt, niſi ut, quantæ ſit auctoritatis Lamas iſte, videamus. Fateor auctorem iſtum hactenus mihi ignotum fuiſſe, quin nec in bibliothecis adeo obvium inveni. Reperii tandem parvulam quamdam Summulam ex aliorum auctorum placitis, ſuiſque adjectis, coagmentatam. Iſthuc tranſcribo, quæ hac de re habet *part. 3. cap. 5. §. 20.* „ Qui „ autem ſenes dicantur, & in qua ætate deobligentur, „ nemo dixit determinate huc uſque, nec aliquo jure „ cautum video, nec taxatum. *Tamen Gratias Deo*, „ quod deinceps regula tenebitur certa a ſummo Ec„ cleſiæ Paſtore decreta. *Pius enim Quintus*, Pontifex „ ſanctiſſimus anno 1570. viva voce, tum etiam Bulla „ Cruciatæ ab eodem conceſſa anno 1563. & anno „ 1570. decernit homines ſexagenarios ad jejunandum „ non teneri *ex Eccleſiæ Præcepto*. Excipit enim illos, „ etiam ſi regulares eſſent, ab abſtinentia ovorum & „ lacticiniorum in Quadrageſima; cum alios regu„ lares omnino extra privilegium, quoad hoc re„ linqueret, etiam accipientes Cruciatam: inſuper „ interrogatus viva voce aſſeruit: & certe ſatis ju„ ſte. „

11. Pedetentim Lamæ verba expendamus. Pius V. anno 1570. viva voce, tum etiam in Bulla Cruciatæ ......, decrevit homines ſexagenarios ad jejunium non teneri ex Eccleſiæ præcepto. Ad vivæ vocis oraculum quod attinet, quodnam documentum pro illius aſſertione promit? nullum. Degebat ne ſaltem Romæ, ubi propriis auribus Pontificem audierit? Minime gentium: ſed, ut inquit ille in fine opuſculi, Matriti morabatur in monaſterio ſanctæ Annæ Inſtitati ſanctiſſimi Bernardi anno 1597. ætatis noſtræ 43. & ab incepto Methodi hujus labore 16. (quæ paucioribus men-

Digitized by Google

menſibus vel a mediocri ingenio fieri poterat.) Nullam itaque vel levem hujus oralis oracnli conjecturam exhibet? Nullam prorſus. Sed ego, & conjecturis vehementibus, & argumentis valde luculentis evincam, commentitium & falſum prorſus eſſe oraculum iſtud, & *Lamam teſtem eſſe* hac in re nullius fidei.

12. Et ut a conjecturis initium ducam, Martinus Navarrus auctor graviſſimus Romæ degens, S. Pio V. non modo ſuppar, ſed & percarus, atque Gregorii XIII. & Sixti V. familiaris, ut legitur in illius Epitaphio apud Bellarminum *de ſcript. edit. Venet. Martinus Navarrus,... Romam profectus Pio V. Greg. XIII. Sixto V. PP. MM. carus*, iſtius oraculi nec verbum facit, facturus certiſſime ſi extitiſſet. An ne ignoravit Romæ exſiſtens Pontificis declarationem doctrinalem pro univerſa Eccleſia latam? Sed talis notitia reſervata fuit ipſis monachis intra monaſterium ſanctæ Annæ remotiſſimæ civitatis Matritenſis. Quid quod ſin directe, oblique ſaltem iſtius vivæ vocis oraculum impugnat Navarrus; Quoniam hanc quæſtionem verſans in *Manual. cap.* 21. *num.* 16. hæc habet: *Licet S. Thomas nihil de hoc dicat, & merito; quia ut ibi ait Cajetanus, alii aliis citius fiunt ad id impotentes, & ideo arbitrio prudenti, aut ſuperioris id relinquendum eſt. Equidem gratia Dei 80. annum agens perinde poſſum jejunare, ac cum agerem ſexageſimum, immo & quinquageſimum*. Hæc ne Romæ ſcriberet, ſi quod indefinitum reliquit Aquinas, definiſſet Pontifex? Nonne hæc ſufficerent ad rejiciendam tamquam confictam *Lamæ* narrationem? Verum *Lamas* ipſe ſe ſe manifeſte falſitatis ſeu illuſionis revincit in allegatione Bullæ Cruciatæ, in qua ait; Pium V. eximiſſe ſexagenarios robuſtos ab obſervantia præcepti eccleſiaſtici: *Tum etiam in Bulla Cruciatæ decrevit homines non teneri ex Eccleſiæ præcepto*. Diſperеam, ſi vel unicum verbum habetur in hac Bulla, quo declaretur ſenes ſexagenarios robuſtos ad jejunium vi præcepti eccleſiaſtici non teneri. Et ne gratis hoc aſſerere videar, integrum Bullæ paragraphum tranſſcribo. *Item ut dicto anno durante in omnibus & ſingulis Regnis, Inſulis, Locis, Terris, Oppidis & Dominiis prædictis (& non extra illa) carnibus de conſilio utriuſque medici temporibus jejuniorum totius anni, etiam quadrageſimalibus veſci, ac pro eorum libito ovis & lacticiniis; ita quod qui carnes comederint, ſervata in ceteris jejunii eccleſiaſtici forma, dicto jejunio ſatisfeciſſe cenſeantur. Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ovis & lacticiniis comprehenduntur omnes cujuſvis militiæ Regularis. Patriarchis vero, Archiepiſcopis aliiſque inferioribus Prælatis, nec non aliis perſonis Regularibus, & qui in Ordine Presbyteratus fuerint, ſæcularibus id minime conceditur, niſi ſexagenarii fuerint*.

13. Duo evidentiſſime falſa *Lamas* ex hac Bulla evulgat in ſua Summula. Primum, quod aſſerat, Pium V. declaraſſe ſexagenarios ex *præcepto Eccleſiæ* jejunii lege non teneri. Ubi in toto paragrapho vel unicum verbulum explicans vim, ſeu declarans obligationem præcepti eccleſiaſtici, cui obnoxii ſunt catholici omnes? Non ne Pontifex ipſe docet præfatam Bullam privilegium peculiare continere ad ea pauca regna (*& non extra ea*) coarctatum? Alterius falſitatis reus eſt, dum aſſerit, Pontificem in Bulla Cruciatæ diſpenſaſſe ſexagenarios ſenes a jejunio. Oculis ſolum opus eſt, ut quiſque intelligat, Pontificem dumtaxat ſenibus ſexagenariis uſum lacticiniorum concedere: diſpenſationis autem a jejunio nec leve veſtigium. Porro illatio diſpenſationis a jejunio ex conceſſione lacticiniorum, digna eſt tanto Summiſta. Bulla itaque Cruciatæ privilegium eſt conceſſum paucis Hiſpaniæ regnis; in quo nullo modo pro univerſa Eccleſia, ſive obiter, ſive oblique declaratur ſenes non devinciri lege eccleſiaſtici jejunii; & quod decretorium eſt, nec illorum regnorum ſexagenarios ſenes qui privilegio Cruciatæ donati ſunt, a lege jejunii, ſed ſolummodo ab abſtinentia a lacticiniis diſpenſat, ut cuique legenti paragraphum Bullæ conſtat, & confitentur communiter Caſuiſtæ. Vide Dianam *loc. cit. num.* 5. Omnem ergo exuiſſe verecundiam neceſſe eſt, qui Bullam obtrudit Cruciatæ, ut ab jejunio exemtos oſtendat ſexagenarios. Quod ſi *Lamas* publicæ Bullæ non modo ſenſum erroneum, ſed facti narrationem omnino falſam affingere non erubuit; ei ne fides adhibenda in narratione vivæ vocis oraculi? Ceterum ut magis magiſque evincam, nullam ſibi *Lamam* in hiſce rebus mereri fidem, aliud ob oculos ponam purum putumque commentum, quod pro vero oraculo a Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. aliiſque Pontificibus promulgato, venditat imperitis.

14. Ut enim oſtendat diſpenſatos ab eſu carnium, eſſe eo ipſo a jejunii lege ſolutos, intrepide & fronte aperta ſcribit *loc. cit. §.* 56. quatuor Pontifices in ſuis Bullis talem proſeſe doctrinam. *Immo addimus*, inquit, *contra Navarrum quod modo, qui diſpenſatus eſſet a Papa vel a neceſſitate ſua ad comeſtionem carnium, eſſet & a jejunio: quod, ultra quod eſt conforme doctrinæ B. Thomæ & plurium Summiſtarum, jam noſtris diebus a Pio V. eſt declaratum tum viva voce tum in ſua Bulla Cruciatæ; ubi aperte dicit, quod qui carnes non comederit, & ſi ova comedat & lacticinia, cum dicto privilegio Cruciatæ, adimplere ſit viſus jejunii præceptum: ergo non comedendo carnes. Hanc formam eamdem ſequuti ſunt Gregorius XIII. & Sixtus V. & Clemens VIII. in ſuis Bullis. Unde jam modo eſt luce clarius: quod ſi vidiſſet Navarrus, contrarium credo non affirmaſſet*. Quis ſibi temperare, modumque imponere valet, dum legit quatuor confictas Bullas obtrudi? Si critici ſcriptores profanæ hiſtoriæ ſevera ferula excipiunt illos qui in confirmatione hiſtorici facti nullius, ad animam ſaltem quod attinet, momenti ſuppoſititia numiſmata aut inſcriptiones efferunt; qua pœna digni ſunt illi, qui ad dirimendas controverſias in quibus æternæ ſalutis negotium agitur, uno hiatu quatuor Pontificum documenta evidentiſſime falſa tamquam genuina & authentica atque, ut ajunt, luce meridiana clariora divendunt! Sed repono ego luce meridiana clarius eſſe, *Lamam* nullam ſibi mereri fidem, eo quod manifeſtæ falſitatis revictus ſit. Qui enim ſemel mendax fuit, in nullo tribunali fidem meretur, ut docet ipſemet Interpres Auguſtanus in ſua *Philoſ. Polling. tom.* 5. *de Art. Critic. part.* 2. *§.* 3. *num.* 11. ubi hæc decernit: *Teſtis ſemel mendax, in nulla aſſertione meretur fidem*. Non mendacii, ſed falſitatis quæ culpa carere poteſt, reum exhibeo *Lamam*, fortaſſe aut nimis credulum, aut nimis oſcitanter Pontificum Bullas legentem. Quandoquidem non modo laudati Pontifices non declararunt eos ab jejunii lege eximi, quibus edendarum carnium uſus conceditur, ſed oppoſitum iſtos ad unicam comeſturam ſeu ad jejunii formam ſervandam teneri aperte declarant. En verba Gregorii XIII. qui teſte *Lama* phraſim & normam Pii V. ſequutus eſt in Bulla Cruciatæ pro Luſitaniæ regno: *Præterea indulgemus, ut dicto triennio durante carnibus de conſilio utriuſque medici temporibus jejuniorum tam quadrageſimalium, quam quarumcumque dierum totius anni veſci poſſint; ac pro eorum libitu ovis & lacticiniis; ita quod qui carnes comederint, ſervata in ceteris jejunii eccleſiaſtici forma, dicto jejunio ſatisfeciſſe cenſeantur*. Has Bullas ipſe in fonte non legi, quia cum ſint peculiaribus regnis conceſſæ, obviæ non ſunt. Sed ſic ab Auctoribus referuntur: & nemo, paucis illis qui nullo adducto documento *Lamæ* aut vulgi opinione decepti fuerunt, exceptis, vel in dubium revocavit, Gregorium XIII. Pium V. ſequutum jubere fideles diebus eſurialibus carnes edentes unica uti comeſtura: *Servata in ceteris jejunii eccleſiaſtici forma*. Quod, ut omnes fatentur, id ipſum præceperunt alii duo Pontifices. Alexander VII. & Clemens XI. Sixtus V. & Clemens VIII. quorum Bullas minime laudat Summiſta noſter, nec ſyllabam habent, ex qua poſſit colligi, quod ille obtrudit. Quis nunc non miretur confidentiam *Lamæ* Matriti vitam ducentis, & improperantis celeberrimo Canoniſtarum doctori Navarro octogenario hac de re ſcribenti ignorationem Bullarum a Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. quibus erat familiaris, editarum? Ecquid mirum, ſi P. Patritius Sporer ſua bona Germanorum fide legendo hunc Summiſtam dictatorio ſtilo ſcribentem, luce ut minus meridiana clarius eſſe, & ſexagenarios ad jejunium non teneri, & diſpenſatos ab eſu carnium exemtos eſſe a jejunio, quia ita Pontifices ſtatuerunt. Quid inquam mirum, ſi ſcripſerit: *ut ſub aſſeveratione infallibili tamquam teſtis oculatus refert Hieronymus Lamas?* Miror tamen, Patres Salmanticenſes cæca fide ſubſcribere præfato auctori; atque nullo prævio examine, illius narrationem ceu principium nulli obnoxium dubitationi præjacere, & deinde ſic ratiocinari: *Ita teſtatur Lamas: ergo ita tenendum*. Quibus ego repono. Falſum eſt teſtimonium *Lamæ*: ergo falſa illorum ſententia. Sed hæc per tranſſcenam dicta ſint, ut undequaque conſtet *Lamæ* nullam adhiberi poſſe fidem; & Caſuiſtas plures ſine ullo delectu, ſine examine, ſine criterio abſorbere quæcumque faucibus propriis conſentanea ſunt.

15. Ex quibus omnibus ſic colligo adverſus Interpretem Auguſtanum. Caſuiſtæ qui defendunt ſexagenarios a lege jejunii eſſe ſolutos, innituntur ceu potiſſimo & fere unico fundamento, declarationi Pontificiæ a *Lama* evulgatæ. Et merito, dum de legis diſpenſatione ſermo eſt, allegatur voluntas legiſlatoris a lege ſubditos eximentis. Ratiunculæ enim propria mente excogitatæ

quæ ad evincendam veritatem a facto pendentem adducuntur, parvi fieri ſolent. Sed teſtimonium *Lamæ* manifeſto falſum eſt: ergo falſa quoque ſententia Caſuiſtarum. Nec iſtorum auctoritas in hac & ſimilibus quæſtionibus facti plus habet ponderis, quam auctoritas plurium teſtium de auditu; qui nihil prorſus probant, quoties evincitur, primum teſtem cujus ore loquuntur, falſum eſſe & mendacem. Et ut magis confirmem quæ dicta ſunt, nempe recentiorum Caſuiſtarum plures eſſe in hac quæſtione (utinam in hac ſola) fere meros teſtes de auditu, juvat referre, ut promiſi *num.* 7. ſententiam *Dianæ*, qui licet a Proſpero Fagnano appelletur *laxiorum opinionum ſelector*; attamen acumine ingenii inſtructum, & in Canonum, Theologorumque lectione verſatum fuiſſe negari nequit. Sed, ut ex ejus verbis colligitur, ſui ingenii viribus, non pro Theologia, ſed potius contra Theologiam uſus videtur. Nam ii ſolum pro Theologia militant, qui illius fortiſſimos veteranoſque duces, Patres ſcilicet antiquos & graviores Theologos ſequuntur; & qui contrariis ingrediuntur veſtigiis, non opem ferunt, ſed bellum Theologiæ indicunt. Antoninus autem Diana prælium commiſſurus Theologicum, non modo ſub veteranorum atque fortiſſimorum ducum, Patrum ſcilicet graviorumque Theologorum inſignibus arma tractare recuſat: ſed illorum tum auctoritate & ſapientia, tum multitudine ſpreta, ipſe ceu invictus chiliarcha paucis ſtipatus peditibus vexillum explicat, claſſicum canit, manus conſerit. Idque ſibi ſingulari gloriæ vertit & honori. Et ne cuiquam exaggerata nimis videatur dicendi ratio, audiamus ipſum loquentem Dianam *loc. cit. num.* 1. *Levis fortaſſe alicui hæc quæſtio videbitur: ſed ita minime eſt. Nam cum paucis commilitonibus adverſus plures hujus militiæ fortiſſimos duces aggredior pugnam.* Bene vertat Dianæ, qui, ut ſuo conſulat honori præliandi cum parvulo collectitio manipulo adverſus fortiſſimas legiones, nobis qui in antiquorum auctoritate & ſapientia quieſcimus, victoriam aſſerit. Sed, hiſce velitationibus miſſis, ad rem properemus. Poſtquam igitur *Diana* faſſus eſt fere omnes DD. aſſerere, ſexagenarios viribus pollentes jejunio adſtringi, ad aſylum ſuæ probabilitatis ſeſe recipiens, aſſerit contrariam opinionem eſſe probabilem, & conſequenter a *Diana* defendendam. Quare invehitur contra Fagundez, quod parum tutam eam vocitet: *Unde miror* (inquit n. 3.) *Fagundez hanc opinionem vocare parum tutam; licet addat non omnino improbabilem: non enim deſunt validiſſimæ rationes ad illam confirmandam: & Auctores magni nominis illam tenuere. Hi ſunt* DOCTISSIMUS THEOLOGUS LAMAS *part. 3. cap. 5. §. 20. ubi aſſerit quod interrogatus de hac re Pius V. viva voce ita reſpondit.* Alii poſtea auctores omnes *magni nominis* quos laudat, ſunt Molfeſius, Ortiz, Angles, Sanchez, Portel, Granadus & Joannes *Soarez*. Et ut a primo iſtorum magni nominis commilitonum auſpicamur, en quomodo vel ipſe *Diana*, qui ceteros ſcriptores naſute diſtringere ſolet; in hac quæſtione evadit teſtis de auditu; & qui paullo ante ut tribunus præibat, nunc vexillum falceſque ſubmittit *Lamæ* narranti oraculum Pianum vivæ vocis. Illum *Theologum doctiſſimum* appellat, ut illius teſtimonium ſit apud lectores omni exceptione majus. Si *Diana* extolleret citatos auctores ſcribentes de rebus ad mores minime attinentes, libenter illi eos prædicanti non modo doctiſſimos, ſed etiam eruditiſſimos & ſapientiſſimos plauderem & concinerem. At quia æternæ ſalutis cauſſa agitur, in qua illorum encomia ſunt aliis aberrandi occaſio; quoniam ſi in bilance Probabiliſtarum *Auctor doctus* addit quatuor *gradus probabilitatis*, *Theologus doctiſſimus* adjicit, ut minus, octo. Et hoc cauſſæ eſt, cur ego reponam, *Lamam* non modo Theologum doctiſſimum non eſſe, ut ex ſuo opuſculo, ſeu compilata Summa colligitur, (de aliis, ſi quæ ſcripſit, mihi non eſt ſermo) ſed *falſiſſimum* in hac quæſtione eſſe, ut jam demonſtravi, & conſequenter nullius auctoritatis, cum omnibus commilitonibus ſuis a *Diana* citatis, qui re vera nullius ſunt nominis *Joannes Soarez*, non Suarez, ut per errorem in *Diana* eſt, Presbyter ſæcularis libellum ſimilem Summulæ *Lamæ*, Portel alterum libellum de Dubiis Regularium, Angles opuſculum compilarunt. Nec gradum ergo probabilitatis huic quæſtioni addunt. Solum Sanchezium & ego appello virum doctiſſimum; ſed in moralium controverſiis non raro nimis laxavit habenas; & in hac ipſa quæſtione, non modo ſexagenarios a jejunio exſolvit; ſed probabilem appellat opinionem quæ *mulieres quinquagenarias* a præcepto exemtas defendit. Et juxta hanc mirificam probabilitatem uxores chriſtianæ vix umquam ad jejunium tenebuntur. Nam non ante viceſimum primum, non prægnantes, non lactantes, non ut poſſint reddere debitum, non ut pulcræ maritis appareant, non denique ceſſante virtute pariendi ætate quinquagenaria. Sed quid ultra ſemitam amplius vagor? Concludo igitur ſententiam *Dianæ* ſuorumque paucorum commilitonum, ſi auctoritatem ſpectemus, nullo modo eſſe probabilem: ſi rationes, multo minus. Et quoniam in præſentia præter meum inſtitutum eſt quæſtionem hanc ex profeſſo agere, ſolummodo deſcribam rationes, quas pro eadem ex Sanchez promit *Diana l. c.* „ Natura, inquit, in illa ætate langueſcit, & ad interitum „ properat, & ſanitas dictorum ſenum non eſt firma & „ conſtans, ſed fallax & incerta, & media inter mor„ bum & ſanitatem perfectam: ut teſtatur *Galenus l. 5. & 6.* „ *Sanit. tuend.* Et licet aliqui ſexagenarii validi & fortes vi„ deantur: tamen, ut diximus, eorum natura prolabitur, & „ ad interitum tendit; atque adeo adminiculo cibi frequen„ tius ſumei indigent, ut tam præſenti ſtatui, quam futuro „ conſulatur. „ Hæ ſunt rationes quas *Diana* appellat validiſſimas, & mihi, pace illorum virorum dixerim, nugæ & ſophiſmata videntur, quæ ſe ipſis abſque impugnatione evaneſcunt. Nam dum ego intimo ſenſu & experientia, robuſtum & vegetum me ſentio, mille rideo Galenos oppoſitum dicentes. Alii vero judicent, quo tendat illud ſcitum, *ut non tam præſenti quam futuro ſtatui conſulatur*. Evangelium Chriſti oppoſitum docet, quidquid Galenus dicat. Hæc omnia idcirco retuli, non ſolum, ut evincerem immerito Interpretem Auguſtanum inter menda corrigenda rejicere opinionem Pontaſii; ſed potiſſimum, ut, occaſione oblata, obiter indicarem, quam parum fidendum ſit nonnullis Caſuiſtis; qui, ut apparet, plus propriæ factionis promovendæ æſtu, quam veritatis inveniendæ ardore flagrantes, obtrudere in ſuarum præſidium opinionum ſolent conſuetudinem Eccleſiæ, tacitam Epiſcoporum conniventiam, Pontificum aut vivæ vocis oracula, aut Bullas propria mente confictas.

16. Hæc mihi ſcribenti in manus pervenit Diatriba hoc ipſo anno exarata Italica lingua, & typis edita, quæ mirum in modum confirmat quæ dicta ſunt. In ea verſatur quæſtio de jejunio cum eſu carnium conjungendo. Hanc conjunctionem ut commentitiam, quin & impoſſibilem Diatribæ auctor rejicit. Ceterum quia undique verſum preſſus ſui adverſarii argumentis, ad quæ nihil niſi improperia reponit, ut quoquo modo illa eluderet, definitionem proprio marte elaboravit, quam, niſi hæreticorum cachinno Romanæ Eccleſiæ jejunium propinaret, feſtivam & lepidam appellarem. Igitur cum illius adverſarius inſtet, jejunium non eſſe metaphyſicum quoddam individuum concretum, cujus una pars conſiſtere abſque altera queat, ſic italice reſpondet jejunium definiendo *pag.* 126. „ Il digiuno „ non è un compoſto metafiſico, egli *è un ente morale non* „ *dividevole* nelle componenti ſue parti, atteſa la opinione „ e coſtumanza delle Nazioni, *ed atteſo altresì l'antico, in*„ *variato, univerſale inſtituto della Cattolica Romana Chie*„ *ſa* „. Quæ verbo verbum reddam. *Jejunium non eſt compoſitum metaphyſicum; ſed eſt unum ens morale, non dividuum in partes quibus conſtat: inſpecta opinione nationum, & inſpecto ſimul antiquo & invariato inſtituto Catholicæ Romanæ Eccleſiæ.* Audiſti ne? juxta perennem Catholicæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, & omnium nationum morem jejunium eſt *ens morale non dividuum*. Id eſt quando una illius pars deficit, totum in nihilum occidit. Iſtius definitionis inventor in hac ipſa Diatriba paucis foliis conflata, tria ſub examen inducit Decreta ab erudito ſuo adverſario ſibi oppoſita, quibus tres Pontifices ſummi Gregorius XIII. Alexander VII. & Clemens XI. dividunt jejunii partes, jubentque fideles robuſtos ob piſcium nauſeam diſpenſatos in eſu carnium, alteram partem unius comeſturæ ſervare. Concedit Pontifices re ipſa ſic præcipere, nulla adhibita fide Lamæ oppoſitum de Gregorio XIII. ſcribenti; ſed ſubdit, Alexandrum & Clementem pro ſolis Romanis præfata Decreta edidiſſe. Eſto. Quo ergo auſu obtrudis juxta invariatam Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, jejunium individuum eſſe, & corruere totam jejunii naturam, abſtinentia a carnibus ſublata? Si catholici omnes in ipſa Quadrageſima diebus dominicis ſervant unam jejunii partem, nempe abſtinentiam a carnibus, duplici vero comeſtura reficiuntur; quomodo jejunium eſt *ens morale individuum*? Ad Greg. XIII. reponit interpretationem P. Paſqualigus, cujus magnam eſſe auctoritatem contendit ob opus evulgatum, cujus titulus eſt, *Praxis jejunii eccleſiaſtici*, illudque celebre vocavit pag. 71. Sed audiat quid de hoc opere judicii profert Joannes Cardenas in ſua Criſi Theologica *Tr. 3. diſ. 27. c. 8. n. 80. p.* 147. *Zacharias Paſqualigus valde doctus, & alias de re Theologica optime meritus, neſcio quo fato in tractatu de jejunio exorbitaverit, abieritque in ſententias a recta Theologia deviantes ... Fortaſſe*

Digitized by Google

taſſe eum tractatum junior ſcripſit, cum vireſcentes ſpecies in floſculos ingenii erumpunt, nondum maturæ ad criſim Moralis Theologiæ. Nam in ceteris quæ ſcripſit, forte ſenior, ſibi diſſimillimus eſt. Conjectura Cardenas aberrat. Nam adulta ætate illud opus Paſqualigus ſcripſit, ut alibi evincam. Sed laxitates ejuſmodi ſunt *floſculi*, quos parit probabiliſmus.

17. Hæc ſi perſpecta Coppellotto fuiſſent, fortaſſe ſibi temperaſſet ab illa lamentatione, quam de ſuo adverſario ſcribit pag. 124. *Tre coſe, tra le altre mi ſono ſpiacciute ..... La prima ſi è quel ſconvenevole ſentimento di ſiſtema, ch' egli in più luoghi del ſuo* decimento *ha manifeſtato contro i profeſſori della morale Theologia, figurandoſeli capaci di pronunziare ſofiſmi ed inezie.* (e pag. 126.) *Peſantiſſima poi è la ingiuria, colla quale li carica alla pag. 31. dove dice* (Verba ſunt illius adverſarii) *Bono Theologiæ fato, legislativa poteſtate carent omnes Moralium Scriptores.* Non modo ſophiſmata, ſed errores ſcribendi capaces ſunt Moralis Theologiæ Profeſſores. Privilegio ne infallibilitatis gaudent? Illud unum ego fateor, me in nullo Caſuiſta ſophiſmata adeo feſtiva, & quaſi dicerem ipſis gerris Siculis vaniora, ac in præfata Diatriba, legiſſe.

18. Fuſius fortaſſis quam par erat a ſcopo declinavi; ſed deſiderium imperitos lectores ſubducendi a maximo deceptionis malo, non in cauſſa nihili, ſed in æternæ ſalutis negotio, impulit ad plura documenta promenda, queis compertum exploratumque fiat, Caſuiſtas non paucos falſo allegare in patrocinium ſuarum opinionum Pontificum Bullas, Epiſcoporum tacitam conniventiam, Patrum ac graviorum Theologorum auctoritatem. Ut itaque plura in pauca contraham; ſatis ſuperque ex his quæ dicta ſunt colligitur, Interpretem Auguſtanum immerito ſententiam quæ propugnat, ſenes ſexagenarios robuſtos jejunii legi devinciri, inter *Menda Pontaſiana* amandare: quoniam non modo pro illa ſtat nobilior Germaniæ Theologorum pars, ſed graviſſimi cujuſque nationis Theologi, & Patres omnes illi patrocinantur. *Pueri* (inquit S. Baſilius ſerm. 2. de jejun.) *velut plantæ virides jejunii aqua irrigantur. Senibus aſſuetudo ac familiaritas ab antiquo ad ipſum, levem facit laborem.*

19. Tacita Epiſcoporum Germaniæ conniventia quam objicit interpres Auguſtanus, commentitia eſt. Unde namque eam colligit? Quia non cogunt ſenes jejunare, quia non obſiſtunt, non reclamant? Si hæ ſunt tacitæ conniventiæ rationes, connivere dicendi ſunt in tot ipſius Evangelicæ legis tranſgreſſiones. Ceterum graviſſimum fundamentum ſuppetit, oppoſitum ſentiendi de illuſtrium Epiſcoporum Germaniæ zelo & doctrina. Nam iſti dum vel ob ciborum eſurialium inopiam, vel ob eorumdem nauſeam, carnium cibum in Quadrageſima concedunt; ad jejunium, ſcilicet ad unicam comeſturam fideles obligant, ſeu obligatos declarant. Nec curant laxiſſimam illam quorumdam Caſuiſtarum opinionem, quæ docet diſpenſatos in carnium eſu, eo ipſo exemtos a lege eſſe jejunii, quæve opinio affinis eſt præfatæ de ſenum ab ejuſdem jejunii lege exemtione. Fere enim omnes qui primam, etiam ſecundam propugnant. Quare cum Epiſcopi Germaniæ adverſentur primæ, ſatis legitime inferri poteſt, eos & ſecundæ repugnare. Quod autem primæ obſiſtant, teſtimonium affero in medium Theologi Germaniæ, qui Interpreti Auguſtano ſummæ eſſe debet auctoritatis. Is eſt P. Claudius La Croix, qui *l. 3. p. 2. q. 140. n.* 1269. propoſita ſibi quæſtione: *An illi cui in die jejunii eſt permiſſus eſus carnium, vel ſecunda refectio, hoc ipſo etiam permittantur plures refectiones?* & reſponſione negante data, tali pacto confirmat: *Et hoc ipſum communiter declarant Epiſcopi diſpenſantes pro carnibus in Quadrageſima, dum addunt, ſe non aliter velle diſpenſare, quam relinquendo obligationem jejunii quoad refectionem unicam.*

20. Huic Animadverſioni finem impono tribus concluſionibus. *Prima:* Inſigniores Germaniæ Theologi opinionem Pontaſii appellant, alii communem, alii ſaltem communiorem. Diana Siculus teſtatur omnes fere Doctores eam defendere. Fagundez Luſitanus contrariam ut parum tutam improbat. Sancti & graviores Theologi tum Itali, tum Hiſpani, ut Gallos omittam, ceu unice veram propugnant. Ergo per ſummam injuriam Interpres Auguſtanus illam Pontaſianis mendis accenſuit.

21. *II. Concluſio.* Quamquam plures Caſuiſtæ Germaniæ in ſententiam eximentem ſexagenarios robuſtos a lege jejunii concederent, exiguæ forent probabilitatis. Quam præpoſitionem evinco auctoritate ipſius Interpretis Auguſtani qui in ſua Philoſophia Pollingana *t. 5. Principio Artis Criticæ par. 2. §. 1. n. 6. pag.* 189. *edit. Venet.* ſcribit: *Quando pro una ſententia concurrunt multi auctores, ad hoc ſolum attendi debet, an facile ſit in tali materia concurrere multos auctores. Si id facile fuerit, etiam plurimorum auctorum ſimul ſumtorum auctoritas tantum exiguam habet probabilitatem.* Atqui auctores Germani facillime ſubſcribunt opinioni, quæ temperantiæ leges emollit, quæ redundantem potum & cibum concedit, & conſequenter, quæ ſolvit homines ab jejunii lege, ut non ſemel indicat P. Patritius Sporer auctor Germanus: ergo in hac cauſſa exiguæ ſunt auctoritatis. Feſtivæ concluſioni cui occaſionem dedit Interpres Germanus, parcat velim generoſa Germana natio, quam debito colo obſequio.

22. *III. Concluſio.* Dictum eſt ſupra, recentiores Caſuiſtas exſolventes ſexagenarios robuſtos a lege jejunii, nullius eſſe auctoritatis, eo quod ſint teſtes de ſolo auditu ab unico *Lama* decepti. Hoc autem in hac concluſione evinco quamdam veluti genealogiam adumbrando; cujus ſtipes *Lamas* eſt; deſcendentes vero, Caſuiſtæ recentiores. In favorem itaque laudatæ opinionis primus omnium Oraculi Piani commentum fabricavit

Lamas 3. p. Meth. cap. 5. §. 20. pag. 385.

Graſſis excipit *Lamæ* commentum de arbitr. Confeſs. *lib. 2. cap. 27. n. 12. pag.* 142.

Joannes Soarez Presbyter ſæcularis in ſuo Enchirid. Caſ. *lib. 7. verb. Jejun. pag.* 501. citat Oraculum Pianum in fide *Graſſis*.

Diana Coordinatus *tom. 4 tract. 6. reſol. 6. §. 1. pag.* 158. citat Doctiſſimum *Lamam* cum paucis commilitonibus.

Caſtro Palaus part. 7. tract. 30. diſp. 3. punct. 2. §. 5. n. 6. pag. 13. allegat *Lamam*.

Zacharias Paſqualigus tom. de jejun. deciſ. 256. *pag.* 19. teſtimonio *Lamæ* citantis Oraculum Pianum utitur.

Leander Tract. 5. diſp. 8. q. 17. pag. 187. ſequitur Magiſtrum *Lamam*.

Sporer in tertio Præcept. Decal. *ſeſſ. 4. n. 50. pag.* 282. *Lamam* in medium affert, ceu teſtem Oraculi Piani infallibilem.

Salmanticenſes tract. 23. cap. 2. punct. 7. §. 1. num. 130. *pag.* 349. *Lamam* laudant, ut ſupremum controverſiæ judicem.

Conſtantinus Roncaglia tract. 9. p. 2. cap. 2. pag. 299. ducem Lamam ſequitur.

23. Alios plures omitto brevitatis gratia. Quid hiſcis? De ſinceritate genealogiæ ſi hæres, loca citata conſule. Si vera eſt iſtius propaginis deſcriptio, nullius eſt auctoritatis, quia primus ſtipes ſpurius eſt. Non ergo te commoveat, ſi in nonnullis Caſuiſtis perſæpe offendas longiſſimos auctorum multitudine infartos catalogos. Quoniam ſe ſe mutuo ſinguli citant, omneſque diſcipuli poſteriores aggeruntur anterioribus magiſtris, & ſæpiſſime plures vel repugnantes in familiæ cenſum adoptantur. Quapropter mirum haud eſt, ſi brevi longe fœcundiſſima, & numeroſiſſima teſtium de auditu proſapia evadat.

24. *Parergon.* Adumbratæ genealogiæ per lineam rectam deductæ quidquam ornatus adjicere liceat ex alia linea laterali, quæ ſe ipſa alteram ſtirpem conſtituit numeroſiorem, abſque ullo tamen legitimæ ſucceſſionis documento producto. Iſtius caput eſt P. Thomas Tamburinus, qui *tract. 4. in præcep. Eccleſ. cap.* 10. *n. 1. p.* 129. ſtilo dictatorio aſſerit omnes Doctores docere ſexagenarios ſolutos eſſe a lege jejunii. En illius verba. *At vero quod ipſa mera ſenectus excuſet ab obligatione ſemel tantum plene comedendi, eſt fere certum; quia OMNES DOCTORES id concedunt, & quidem merito.* Quid angeris? Quid hæres ad aquam trepide Confeſſari? Clamas? Pater Layman graviſſimus auctor teſtatur, ut oſtenſum eſt ſupra *num.* 2. communem Doctorum ſententiam docere ſexagenarios ad jejunium teneri. Pater Diana benignæ factionis facile princeps affirmat, *omnes fere Doctores* aſſerere ſexagenarios a lege jejunii non excuſari. Cui ergo fidendum? *Diana* Doctores citat. *Tamburinus* neminem laudat. Heu! ubinam gentium ſumus? in æternæ ſalutis altiſſimo negotio teſtimonia adeo pugnantia? Si P. Layman & Diana ſincere citant Doctores, Tamburinus lectoribus ſuis imponit in re graviſſima; quæ facti cum ſit, nullam excipit excuſationem. Ego qui libris careo, quo me vertam, quo me recipiam, ut ſecure agam? Sed grates Deo, quod ad aſylum confugiam probabilitatis, quæ docet licitum eſſe quidquid in utramque partem diſputant Doctores. Iſthic tu pedem fige; & ego interim ab alia propero, donec eo pervenerim, ut ex hocce commentitio aſylo penitus te expulſurus ſim.

INTERPRES AUGUSTANUS.

OBSEBVATIONE QUARTA.

TIt. *Jejunium* . Caſ. 9. *Relinquit diſcretioni confeſſarii, an ruſticas labori deditus, in caſu particulari, & diebus otioſis ſit obligandus ad legem Jejunii. In Germania hac diſcretione & ſolicitudine confeſſarii opus non eſt, cum ſine diſcrimine hoc genus hominum conſuetudo eximat.*

ANIMADVERSIO SECUNDA.

1. P. Paulus Gabriel Antoine in ſua Theologia Ingolſtadii edita oppoſitum docet, *to. 2. tr. de virt. q. 7. n. 5. p. 37. Porro eo die quo non laborant, ut ſi dies feſtus superveniat in Quadrageſima, tenentur jejunare; niſi alias grave incommodum ſentirent ab laborem præcedentis diei, qui judicio prudenti redderentur inepti ad laborandum die ſequenti*, Falſa ergo eſt Germaniæ conſuetudo quæ objicitur, quam minime ignoraret P. Antoine, ſi eſſet. Nec enim illi, qui per tot annos in publicis Univerſitatibus ſuæ Societatis Theologiam profeſſus eſt, quive ad uſum Parochorum, Confeſſariorum, Deciſiones omnium conſcientiæ Caſuum typis edidit Ingolſtadii an. 1733. illi inquam non minus ac Interpreti Auguſtano perſpecti ſunt Germanorum mores, & conſuetudines.

2. Franciſcus Sylvius finitimus Germaniæ, ſi qua fuiſſet conſuetudo contraria, incompertam haudquaquam habuiſſet, Porro is quæſtionem hanc proponit, ut ipſe Pontaſius illum laudat: *Difficultas* eſt (inquit Sylvius in 2. 2. q. 147. an. 4.) *utrum agricolæ, & ſimiles opera laborioſa facientes debeant jejunare eo die, quo laborioſa opera intermittant, veluti quando eſt feſtum, Sunt qui ſimpliciter eos excuſant, eo quod labore dici præcedentis multum fatigati vix poſſibile videatur una tantum refectione corpus ſuſtentare. Sed reſp. communiter eos non eſſe excuſandos, quandoquidem eo die non laborant; præcedenti autem die, ſicut laboraverunt; ita corpus plene refecerunt. Prudentiæ tamen confeſſarii eſſe relinquendum, an heic & nunc iſte poſſit excuſari ob laboris magnitudinem, & complexionis qualitatem. Unde confeſſarii advigilare debent, quando tales operarios in Confeſſione audiunt pro tempore quo jejunia inciderunt in dies feſtos, ut eos bene examinent*. Hac ipſa moderatione loquitur Pontaſius; quæ tamen haud impedivit, quin Interpres Auguſtanus mendum offenderit corrigendum. Sed adeo juſta, adeo prudens eſt hæc legis interpretatio; ut ſi qua obtineret in Germania contraria conſuetudo, quam negant aperte alii Germani Theologi; non conſuetudo, quæ rationabilis ſit oportet, ut a legis jugo eximat, ſed abuſus & corruptela dicenda foret.

3. Aliud mendum, quod Germanorum Theologiæ infeſtum, ibidem Interpres Auguſtanus exprobrat Pontaſio; nempe quod *caſ.* 10. doceat, debere artificem moderare laborem, ut valeat jejunare, quando majore lucro non indiget neque pro ſe, neque pro ſua familia: mendum immerito appellatur; cum ſit ſententia, quam docent Alexander Alenſis *par. 4. q. 25. memb. 6. art. 2. §. 8.* S. Thomas *in 4. diſt. 15. q. 3. ar. 2. quæſt. 4. ad 3.* D. Antoninus 2. *p. tit. 6. c. 2. §. 6.* Omitto eorum verba, quia res parvi momenti eſt.

INTERPRES AUGUSTANUS.

OBSERVATIONE QUARTA.

TIt. *Abſolutio* ibid. Caſ. 16. *Docet quod exſiſteas in occaſione proxima peccandi cum famula, illam debeat dimittere; aut ſi id nolit, dimitti ſine abſolutione. Attamen Theologi Germaniæ prius circumſpiciunt de remedio, cujus applicatione occaſio proxima tranſeat in remotam, ut docet* La Croix *l. 5. n. 259.*

ANIMADVERSIO TERTIA.

1. SI Theologi Germaniæ abſolute, nullaque facta diſtinctione docent Confeſſarium non debere abſque abſolutione dimittere eum, qui cum *in proxima peccandi occaſione cum famula verſatur*, nolit eam dimittere: ſi, inquam, Theologi Germaniæ ita docent, ut teſtatur Interpres Auguſtanus, non poſſem mihi temperare, quin exclamarem: Væ nobis a Germanorum, Theologia. Docent ergo Theologi Germaniæ non teneri dominos domo pellere famulas, quibus a pluribus annis abutuntur, illiſque loco ſunt concubinarum? Pontaſius namque loquitur de Calliſto domino familiæ, qui *aliquot annis abutebatur famula*; idque confitetur Interpres Auguſtanus, ut ex ſuis exſcriptis verbis conſtat. Quæſtio itaque non eſt de occaſione aliqua proxima, quam vocant *reſpectivam* ſive *per accidens talem*, cujuſmodi eſſe poſſunt colloquia cum tali vel tali muliere; ludorum, tabernarum, conviviorum frequentia; profeſſiones negotiationis, militiæ, artis forenſis, & id genus ſimilia, quæ tantum per accidens fieri poſſunt occaſiones proximæ. Neque diſputatur de occaſione proxima involuntaria, & neceſſaria: ſed ſermo eſt de occaſione proxima, quam Theologi communiter omnes appellant abſolutam, & per ſe talem, & liberam; quæ ſcilicet ſuapte natura, ſpectata communi hominum in illa verſantium fragilitate, ad peccatum mortale impellit, & qua concubinus a longo tempore abuſus eſt.

1. Porro ſi Germaniæ Theologi docent non cogendum dominum ad ejiciendam præfatam famulam *aliquot annorum* complicem, atque adeo concubinam, ſed ſuggerenda prius eſſe remedia, quibus iſthæc occaſio *proxima* evadat *remota*; ſi inquam id docent, doctrinam ab Eccleſia, a Patribus, a Theologis cujuſque nationis improbatam docent. Nam Alexander VII. ſequentem damnavit propoſitionem, quæ eſt 41. *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii vulgo Regalo, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. Innocentius XI. has itidem damnavit 61. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult dimittere; quia immo directe & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. 62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit.*

2. Nullum reperire Concilium licet, nullum Catechiſmum, nullam Synodum ſive Provincialem, ſive Diœceſanam, in quibus alia præſcribantur remedia, præter fugam, præter ſeparationem & divortium, ubi agitur de occaſione proxima maris cum femina. Nullibi reperitur, quod Confeſſarius debeat prius præſcribere remedia, quibus occaſio proxima ſita in contubernio maris cum femina remota fiat; ſed omnes obligant Confeſſarios ad retinendam abſolutionem, donec complices ſeparentur. Immo addunt tentare Deum, illum qui cum pellice habitare libere vellet, ſimulque opem a Deo imploraret, ne in peccatum prolaberetur. S. Carolus Borromeus in *Act. Eccl. Mediol. p. 4. Inſtr. Conf. Sciant denique ſe non poſſe* (Confeſſores) *iis impendere beneficium abſolutionis, qui peccati mortalis occaſionem omnem fugere ſerio non propoſuerint*. Et explicatis variis occaſionum generibus concludit: *Pœnitentem ergo in aliqua ex his occaſionibus verſantem, aut ſimilibus, ſi urgeas ſit illa occaſio, ut qui concubinam v. g. aleret, non debet ſine dubio confeſſor abſolvere, niſi hanc occaſionem antea ſuſtulerit*. Adverſatur ne Germanorum Theologiæ D. Carolus Archiepiſcopus, quod remedia prius non præſcribat, quibus occaſio proxima remota fiat? S. Thomas de Villa Nova Fer. 6. poſt 4. Dom. Quad. *O peccator ſi vere ploras, veni foras, fuge concupiſcentiam, dimitte laſciviam, expelle mulierculam, ſolve catenam. Alias non credo verbis, non credo lacrymis. Funiculus triplex malæ inclinationis, pravæ conſuetudinis, violentæ occaſionis difficile rumpitur. Miraculum grande eſt, ut habens juxta ſe mulierem non tangat eam .... in ſinu tuo carbones foves, & tuum non comburetur veſtimentum? Etiam ſi millies* (nedum ſemel, ut aliqui Caſuiſtæ) *juraveris, etiamſi obteſtando promiſeris, numquam tibi credam*. Niſi inſtituti mei limites tranſilirem, præſto mihi eſſent innumeræ omnium Patrum atque Theologorum auctoritates, quibus non remedia, ſed ſola fuga mulieris præſcribitur.

4. Sed Interpres Auguſtanus Germaniæ Theologos opponit. Qui, amabo, ſunt hi Germaniæ Theologi? La Croix *l. 5. n. 259.* Quamvis La Croix id doceret, non credo tantæ eſſe auctoritatis, ut eo citato, ceteri Germaniæ Theologi ſub illius nomine comprehendantur. Quid ſi nec ipſe *La Croix* Interpretis Auguſtani ſententiam doceret? Exſcribamus integrum numerum ab illo citatum, ut quid ſentiendum ſit, lector colligat. „ Si periculum, *inquit La Croix*, etiam de ſe
„ abſolute proximum, deſinat eſſe formale, & fiat materiale
„ tantum ac re ipſa remotum reſpective ad circumſtantias
„ per perſonam, licitum eſt ſaltem in neceſſitate ſe illi expo-
„ nere ut colligitur ex *c. conſultationibus*, & *c. laudabilem* de
„ Frigidis, ubi Papa declarat, duos qui propter impotentiam
„ contraxerunt matrimonium invalidum, poſſe manere ſimul
„ tamquam fratrem & ſororem: & tamen illis fuit materiale
„ periculum peccandi, quod ab illis fieri potuit remotum,
„ ſicut fit remotum in illis conjugibus, qui poſt votum con-
„ tinentiæ manent cohabitantes, ut notat Henrix *n.* 70. di-
„ cens in caſibus juris non fuiſſe periculum ſcandali, vel infa-
„ miæ,

Digitized by Google

„ miæ, ex eo quod fuiſſent ſeparati, cum cauſſa illa eſſet „ publice examinata; ſed potius erat infamia vel ſcandalum, „ ſi non ſepararentur. Et valet, quod dictum eſt, non tan- „ tum quando occaſio illius periculi eſt aliquid de ſe indiffe- „ rens, ut admittit Boſco *n.* 257. ſed etiam quando eſt ali- „ quid communiter malum, uti cenſetur eſſe occaſio abſo- „ lute proxima peccandi; ſed ob circumſtantias, heic & „ nunc ſit remota: talis autem occaſio non eſt intrinſe- „ ce mala, cum in ſe non ſit peccatum, uti fatentur omnes: „ & quamvis intrinſece ſit periculum, tamen heic & nunc „ ſit remotum, quod non cenſetur præſens malum animæ: „ ergo poteſt ſaltem ex neceſſitate adiri. Quod etiam inde „ convincitur, quia alias non liceret medicis & chirur- „ gis medicandi cauſſa tangere aliena pudenda: hoc autem „ licere docent omnes in iis nempe circumſtantiis, quibus „ poſſunt periculum de ſe proximum facere remotum; „ quod faciunt ſi tunc, quando neceſſitas proximi & ipſo- „ rum officium poſtulat, arment ſe bonis cogitationibus, „ firmiterque ſtatuant non conſentire in delectationem tur- „ pem. Experientia enim docet, quod tunc gratia Dei ad- „ juventur, ne conſentiant; ideoque tale periculum deſinit „ eſſe proximum, *reſpective ad illos* „. Ubi heic ſermo de occaſione proxima abſoluta, & per ſe tali & libera? Loquitur ſemper in hypotheſi, quod periculum de ſe proximum ſit remotum, vel propter neceſſitatem, vel propter officium, vel propter circumſtantias perſonarum. Sed de mutuo contubernio procorum, vel de remedio quo talis ſocietas, quæ ponitur occaſio proxima libera, fiat remota, nec verbum facit. Quin *lib. 6. q.* 226. *n.* 1831. ubi de concubinario pœnitente loquitur, hæc habet: „ Dixi illum pec- „ care, qui ſe exponit formali periculo, vel certo, vel etiam „ probabili tantum, aut qui manet in occaſione proxi- „ ma peccandi: & ideo *n.* 271. *lib.* 5. dixi talem occaſio- „ nem *eſſe vitandam, etiamſi mors eſſet ſubeunda* „. Hoc & non amplius docet Pontaſius, qui non negat, quod ſubdit La Croix; nempe ſi novæ occurrerent circumſtantiæ, vi quarum occaſio non eſſet proxima, ſed re vera remota; tunc abſolvi poſſe pœnitentem; quod nemo negaverit, dummodo vere occaſio facta ſit remota.

5. Qui ſunt ergo hi Germaniæ Theologi docentes Confeſſarium debere remedia ſuggerere concubinario, quibus licite valeat domi ſuæ retinere pellicem, antequam ad divortium eum obſtringat? Nam præter La Croix percurri Germanorum Theologorum libros, & nullibi offendi ordinem, quem in occaſione abſolute proxima & libera ſervandum nomine Theologorum Germaniæ præſcribit Confeſſariis adminiſtrantibus Sacramentum pœnitentiæ Interpres Auguſtanus: illum non docent Tannerus, Vvigandt, Antoine, nec plures alii, qui ſaltem poſt damnatas propoſitiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. ſcripſerunt.

6. Forſitan, qui ita ſcribendi occaſionem dedit Interpreti Auguſtano fuit *P. Gregorius Gobat*, Germaniæ Theologus, qui *tract.* 7. *caſ.* 16. *num.* 530. *pag.* 596. ait: „ Licet „ autem Joannes Sanchez abſolute ſcribat, illum qui ſuæ „ concubinæ dedit mutuos centum aureos, quos ſi eam „ dimittat, non ſit recuperaturus, haud teneri eam dimit- „ tere, eſto verſetur in proximo periculo relabendi in „ peccatum cum illa, ſi non dimittat; attamen Palaus „ abſolute eam rejicit reſolutionem, caſu quo diu dura- „ bit illa cohabitatio cum gravi tentatione. Et Oviedus, „ loquens de illo qui timet, ſe ſæpe conſummaturum pec- „ catum cum concubina, admittit eam doctrinam ſo- „ lum reſpectu hominis qui habet tantum neceſſaria ad „ parce vivendum, non autem reſpectu mediocriter di- „ vitis.... Reſpondeo ad noſtrum Caſum *quæſtionarium* „ ſequentibus modis. 532. „ I. Si concubinus nequeat dimittere ſuam concubinam ſine jactura centum aureorum, ſeu ducatorum, poterit Confeſſarius pro re nata amplecti ſententiam, vel Joannis Sanchez, vel Oviedi paullo ante relatam. II. „ Si ipſa eſt ita effrons, ut dimiſſa „ propalatura ſit occultum concubinatum, retinere eam „ volenti patrocinabuntur plerique ex citatis; ſed utique „ muniendus erit peculiaribus propoſitis, & aliis mediis: „ *ſicut & patrocinabuntur ſi ipſa ſit ejus ancilla, & nequeat* „ *aliam adipiſci abſque pari periculo, cum tamen haud poſ-* „ *ſit nullo modo carere ancilla omni.*

7. Jactura centum aureorum aut ducatorum tanti facit iſte Germaniæ Theologus, ut inter graviſſima mala reputet, ob quæ vitanda quiſque permanere in occaſione proxima, eamque adire licite poſſit. Idque tamquam principium præmiſerat ibidem *n.* 529. Etenim fas eſt *permanere in occaſione proxima, ſeu etiam adire occaſionem proximam, quando grave aut graviſſimum malum corporis, honoris, fortunarum alias forte perferendum, ut notarunt omnes citati ſcriptores contra Lopez & alios. Nam ipſummet periculum non eſt peccatum, ſed tantum occaſio illius. Ergo non apparet, cur certum diſcrimen, honoris, fortunarum, ſanitatis non poſſit excuſare immittentem ſe in id periculum.* Item *tom.* 3. *tract.* 5. *cap.* 42. *n.* 19. & 30. hæc ſcribit. *Liquido ſcio crebro fieri, præſertim inter plebeios & ruſticos, ut eodem in lecto puella cum proco cubent aliquot horas induti & exuti, & tamen nihil omnino impudicum agant, vel non niſi oſcula, & turpes attrectationes exerceant. Unde judico non poſſe a Confeſſario negari abſolutionem omnibus illis puellis plebeiis (aliud ob varias conſiderationes ſentio de nobilibus) quæ non videntur habere propoſitum numquam amplius admittendi in lectum procum ſuum.*

8. Iſte fortaſſe erit Theologus, quem Theologorum Germaniæ nomine intendit nobis opponere Interpres Auguſtanus. Sed mirum eſt, ipſum non legiſſe P. Claudium La Croix, qui comminiſcens hanc Gobatianam ultimam opinionem, eam aperte impugnat eodem loco, quem in ſua Obſervatione laudat, nempe *lib.* 5. *n.* 271. „ *Quamvis* Gobat.... putat abſolvi poſſe quaſdam puel- „ las, *quæ non habent propoſitum numquam amplius ad-* „ *mittendi procum ſuum in lectum*, eamque propoſitionem „ pro plebeiis ruſticanis in Germania conetur defende- „ re. *Vid. Gob. propoſit.* 12. tamen hoc prorſus rejicien- „ dum eſt.

9. Non eſt, quod longius ſermonem producam. Ad facti quæſtionem quod attinet, ſatis probatum manet, falſo opponi ab Interprete Auguſtano auctoritatem Theologorum Germaniæ contra ſententiam communem Doctorum cujuſque nationis, & maxime ſanctorum Patrum auctoritatem, quorum ſententiam in *laudato Caſu defendit* Pontaſius. Potuiſſet ad ſummum opponere doctrinam P. Gregorii Gobat, atque vindicias Gobatianas. Sed huic Theologo neque Germaniæ, neque ceterarum nationum Theologi aſſurgent.

INTERPRES AUGUSTANUS.

OBSERVATIONE QUARTA.

TIt. Chorea, vel ſaltatio caſ. 2. *docet non eſſe abſolvendos, qui diebus feſtis adeunt choreas publicas, in quibus* committi ſolent plurima peccata. *Hæc autem* (inquit Interpres) *obligatio de vitando iſto periculo, aut cooperatione nondum eſt a noſtris Theologis aut Superioribus promulgata, adeoque nec a fidelibus agnita in Germania. Itaque cum fideles poſſint ſe conformare judicio ſuorum Paſtorum, non poterit ſic ſaltantibus denegari abſolutionem, niſi* ipſa experientia lapſuum, & propria proclivitas in talia peccata eos admonuerit jam de ingenti ac generali tot peccatorum periculo! *Si enim jam ſemel lapſi ſunt tali occaſione, jamque ex petulantia complicis intellexerint ſe verſari in propinquo gravis peccati periculo; utique tenebuntur vitare propinquam* illam peccandi occaſionem, nullo titulo vitandi damni aut capiendi lucri neceſſariam.

ANIMADVERSIO QUARTA.

1. SUſpicemur oportet, Theologorum Germaniæ libros quos nobis objicit Interpres Auguſtanus, Alpes non tranſiiſſe; nam quos ego Germaniæ Theologos legi, oppoſitum ſcribunt. Unum, qui illi pro centum eſſe debet, legendum offero P. Claudium La Croix, quem in ſuis Obſervationibus nomine Theologorum Germaniæ laudat. Porro is Germaniæ Theologus hæc ſcribit *l.* 5. *n.* 273. *Inter occaſiones proximas peccandi ſunt etiam choreæ præſertim nocturnæ, quas puellæ cum adoleſcentibus concurrentes agitant: nam interveniunt oſcula, amplexus, geſticulationes turpes, petulantes tactus, ſermones impudici &c. a quibus moraliter loquendo impoſſibile eſt abeſſe pravas commotiones, imaginationes, delectationes, deſideria.* Hinc S. Antoninus p. 2. tit. 6. c. 6. §. 2. *vocat choreas iter diaboli*, S. Ephrem *pompam diaboli*, S. Chryſoſtomus *tripudia quibus ſaltat diabolus. Similiter popinarum frequentatio ordinarie habet adjuncta multa pericula peccandi, per rixas, turpiloquia, detractiones, inebriationes ſui & aliorum. Non putem tamen hæc popinarum pericula reſpectu plerorumque eſſe proxima; qualia ſi ſint reſpectu alicujus, ſi vitare non velint, non eſt capax abſolutionis.*

2. Duo heic ſtatuit La Croix contra Interpretem Auguſtanum. Alterum, choreas quæ hodiedum exercentur, occaſio-

occaſiones eſſe proximas. Alterum, non eſſe capaces abſolutionis ſacramentalis non ſolum illos qui hos occaſiones proximas, ſed neque illos qui alterius generis occaſiones quas reſpectivas vocant, & reſpectu plerorumque remotas relinquere recuſaut. Hinc patent maniſeſtius quæ in Animadverſione præcedenti diximus, falſum ſcilicet eſſe, quod Interpres Auguſtanus comminiſcitur de Theologia Germaniæ, ſi vel ipſe La Croix quem laudat, nulla facta remediorum mentione, decernit non eſſe abſolvendos vel eos qui ab occaſionibus reſpective proximis & liberis recedere nolunt. Excipiuntur ſemper caſus in quibus ob peculiaria momenta Regulæ generales ſuas excipiunt appendices.

2. Quid? Non modo Theologi Germaniæ catholicæ, ſed vel ipſi Theologi Lutherani improbant choreas, quæ re ipſa & in praxi ducuntur. Franciſcus Buddeus inter Theologos Lutheranos ſatis celebris, atque Germaniæ morum peritus, utpote & ipſe Germanus, choreas, non quas in abſtractione quadam metaphyſica aliqui conſiderant ac de illis diſputant; ſed quas in dies homines agunt, deteſtatur. Lubet illius verba referre *ex Inſtitutionibus Theologiæ Moralis p. 2. c. 3. ſec. 3. ſ. 31. pag. 591. Choreas & ſaltationes heic conſideramus non in abſtracto, prout nonnulli eas ſibi fingunt, ſed prout re vera inter homines in uſu ſunt, cum circumſtantiis quæ numquam non eas comitari ſolent. Qua quidem ratione pravas iis vel minime irritari cupiditates nemo temere inſitiaverit. Fugiendæ ergo illis ſane, qui vitæ ſanctitati, ea qua par eſt ratione ſtudent*, de ſancta vita quam Chriſtiani, non Monachi vel Religioſi, agere debent; & proſequitur: *Quod de choreis & ſaltationibus diximus, de comœdiis quoque & ludis ſcenicis intelligendum. Niſi fovendis & irritandis hominum cupiditatibus inſervirent, ſpectatores non invenient*, Sic loquuntur Germaniæ Theologi Morales Lutherani, ne dum Catholici.

4. Verum quod majorem ingerit admiratiouem eſt, quod Interpres Auguſtanus illorum minime eſt, qui choreas in metaphyſica præciſione commeditetur; ſed loquitur de his, *qui diebus feſtis adeunt choreas publicas, in quibus committi ſolent plurima peccata*: ſeu ut Auctor Pontaſius in ſuo Caſu exponit; ſermo eſt de Chriſtianis qui fere omnibus diebus dominicis & feſtis conveniunt, maſculi & filiæ palam ſaltantes in compitis poſt divina officia, *& cantantes plerumque cantilenas venereas, quarum verba pudorem & modeſtiam ſæpe lædant*. Parochus in caſſum e ſuggeſtu ſacro adverſus has corruptelas declamat: *Quærit, num has poſſit ſufferre ſaltationes, aut num debeat inſiſtere in ablegandis ſine abſolutione qui negant bonam recipere frugem, aut qui, poſtquam ſæpe ſpoponderint iis abſtinere, continuo aderunt illis conventibus, & ſaltabunt.*

5. De Chriſtianis ergo loquitur Pontaſius qui fere omnibus diebus dominicis & feſtis cum puellis choreas ducunt, qui cantilenas plerumque impudicas venereaſque canunt; qui, ſui Parochi adhortationibus poſthabitis, ad bonam ſe recipere frugem nolunt, & poſtquam ſæpe ſpoponderint, renuunt abſtinere a præfatis oblectamentis, in quibus plurima perpetrari flagitia ſolent. De his loquitur Interpres Auguſtanus: & de his loquatur oportet, niſi imponere Pontaſio velit. Porro ſi Germaniæ Paſtores non obligant gregem ſibi commiſſum ab iſtiuſmodi periculis & occaſionibus abſtinere; ſummopere vereor, ne increpationibus ſubjacere debeant, quibus paſtores Iſrael Deus redarguit per Jeremiam 2. *Paſtores prævaricati ſunt in me*: & cap. 10. *Quia ſtulte egerunt Paſtores, & Dominum non quæſierunt; propterea non intellexerunt; & omnis grex eorum diſperſus eſt*: & cap. 12. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partem meam*: & cap. 23. *Væ paſtoribus qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ*: & cap. 25. *Ululate paſtores, & clamate, & aſpergite vos cinere optimates gregis, quia completi ſunt dies veſtri, ut interficiamini*. Si Theologi Germaniæ, ut ait Interpres Auguſtanus, & Superiores nondum hanc obligationem populo promulgarunt (quod falſum eſſe ſcio ex Germanis Theologis quos legi) de illis ibidem vererer, ne Theologis Iſrael accenſendi forent, de quibus Dominus per Ezechielem loquitur *cap. 13. Vident vana & divinant mendacium .... eo quod deceperint populum meum dicentes: pax, & non eſt pax ....Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas: & violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt*. Et per Iſaiam cap. 9. v. 16. *Et erunt qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati*. Audiſti? Populus iſte ſe ſe conformabat ad judicium ſuorum Theologorum, & ſub eorum falſis doctrinis periit.

6. Hæc ſane vererer, ſi verum foret, quod Theologi & Paſtores Germaniæ permitterent fideles ſuos frequentare fere omnibus diebus dominicis & feſtis choreas, in quibus cantilenæ venereæ recinuntur, & plurima peccata perpetrari ſoleut; quoniam permitterent & feſta profanari, ut omnes Patres & Theologi docent, & laqueis innumerabilium peccatorum populum ſuum involvi. Ex Germanorum autem Theologis neminem ego legi, qui hæc expreſſe doceat. Ex unius fortaſſe P. Gobat doctrina occaſionem accepit Interpres Auguſtanus ita ſcribendi. Docet namque P. Gregorius Gobat Chriſtianos adſtringi eas dumtaxat occaſiones proximas vitare, in quibus ſi conſtituantur, certi moraliter ſunt ſe patraturos nova peccata mortalia: minime vero abſtinere eos debere ab eis occaſionibus, in quibus ſi collocentur, *probabile eſt* eos prolapſuros fore in nova crimina, Coujecturæ meæ ſolidum fundamentum præbent verba citata ipſius Interpretis, inquientis non eſſe fidelibus denegandam abſolutionem, *niſi ipſa experientia lapſuum, & propria proclivitas in talia peccata eos admonuerit jam de ingenti ac generali tot peccatorum periculo*. Conferamus iſtius auctoris doctrinalem obſervationem cum doctrina P. Gobat; & illico compertum fiet, omnia ſibi conſtare.

7. P. Gregorius Gobat *tract. 7. Caſ. 16. n. 525. pag. 595.* hæc ſcribit: *Notandum eſt per* occaſiones proximas *intelligi eas ſolas circumſtantias loci, temporis, perſonarum &c. in quibus ſi ſis conſtitutus*, certum eſt moraliter *te eſſe peccaturum novo peccato mortali, ut contendit Caramuel, ſeu quibus numquam, aut fere numquam uteris ſine peccato novo*. (& citatis auctoribus aliis pergit.) *Quando enim eſt dumtaxat ſolum probabile te ſuccubiturum tentationi; certe etiam probabile eſt, te non ſuccubiturum: atqui ſicuti in plurimis aliis materiis fas tibi eſt*, ex utralibet ſententiarum ſpeculative probabilium deducere practicam concluſionem tibi gratam; *ita licebit heic ita argumentari. Occurrunt mihi graves tentationes, ob quas vir prudens ſapienter judicare poteſt, me lapſurum in novum crimen mortale, ſi acceſſero hanc domum: vice verſa ſunt aliæ rationes etiam graves, ob quas alius æque prudens pronuntiaret, non lapſurum; ergo poſſum ſine nota temeritatis & imprudentiæ me committere illi occaſioni, certo non commiſſurus, ſi liquido ſcirem, me in illa admiſſurum iſtud grave peccatum*; adeoque fas eſt per ſe loquendo committere ſe periculo probabili peccandi mortaliter. *Caramuel loc. cit.*

8. Hanc doctrinam Gobat exſcribit P. Patritius Sporer *part. 3. cap. 2. ſect. 4. quæſt. 2. num. 324. pag. 206.* qui inter Patres quos ſibi tamquam magiſtros ſuos ſequendos propoſuit, unum delegit P. Gobat. Quare cum dicit ſæpe *ita mei omnes*, intelligitur etiam Gobat. Sententiam hanc quam doceut Gobat, Sporer & Leander a Murria ex Caramuele in *Theologia Regul. ſeu in Reg. S. Benedicti diſp. 70. num. 1056.* ipſe Caramuel eam retractavit in Theologia fundamentali, non editionis Francofurdienſis in qua eamdem opinionem docuit, ſed editionis Romanæ & Lugduuenſis. In Romana qua ego utor, fundam. XI. num. 511. pag. 169. hæc ſcribit: *Dico igitur, eum qui probabili mortali et pecandi periculo ſe exponit, peccare non jam probabiliter, ſed certo mortaliter*. Cur duo Theologi Germaniæ ſequi maluerint Caramuelem errantem, quam Caramuelem errorem retractantem, pæne ipſos ſit. Eam certe improbant nobiliores Germaniæ Theologi, quos inter La Croix *lib. 5. num. 257.*

9. Recenſira opinio, non modo antevangelica & contraria communi Theologorum ſententiæ eſt; ſed repugnat communi ſenſui omnium prudentum totius orbis terrarum, iuquit Cardenas in ſua *Criſi tract. 1. diſp. 18. cap. 6. n. 60.* ubi poſt expoſitam concluſionem: *Nemini licere exponere ſe periculo probabili peccandi*; antequam ad demonſtrationes accedat præmittit: *Hanc etiam concluſionem tenent omnes viri prudentes totius orbis terrarum*. Meum in præſentia non eſt diſputationem inſtituere, & præfatam opinionem impugnare. Obiter tantum unum & alterum verbum dicam, ut maniſeſtior appareat doctrina Interpretis Pontaſii. Animadvertas ergo oportet, exſiſtentiam periculi eſſe certam: ſermo eſt enim de choreis iu quibus plurima peccata perpetrantur, & cantilenæ venereæ recinuntur. Conſequutio autem peccati eſt tantum probabilis; quia, ſi in præfatis choreis, narratis circumſtantiis involutis, plurimi prolabuntur, plures quoque peccata quæque evitant. Certitudo ergo periculi diſtinguenda ſemper eſt a probabili conſequutione effectus. Illud etiam conſideres velim, nunc ſermonem non eſſe de honeſtate vel malitia actus qui a judicio pendeat mentis, quive beneficio probabilitatis bonus aut malus evadere queat; ſed de evenru futuro, aut non futuro; ſed ut ſignificantius loquamur, de probabili futuritione, vel probabili non futuritione peccati. Quibus

po-

Digitized by Google

poſitis, quis eſt, qui recitatæ doctrinæ odorem non olfaciat? Quis non perborreſceret ad hanc argumentationem? Adeſt heic poculum, quod certum eſt plenum eſſe veneni. At probabile tantum eſt mortem bibentibus inſerre: plurimi enim moriuntur, plures etiam innoxie illud epotant. Sed quod probabile eſt, prudenter amplecti vales; ergo prudenter ſumere illud venenum potes. Plurima huic ſimilia affert exempla Cardenas *loc. cit.* ut tam exitialis doctrinæ horrorem ingerat. Qui demonſtrationes evidentes avet contra talem opinionem, illum conſulat.

10. Quid ſi quiſquam ita reſponderet? Cur potum illius veneni, quod plures innoxie epotant, damnas? Cur cogis, ut ſitientes homines eodem abſtineant? & tamen hæc illa ipſa eſt argumentatio Interpretis Auguſtani. Concedit choreas venenum eſſe, quod plurimis mortem infert: concedit namque *in* iis plurima perpetrari peccata, inſpectis omnibus circumſtantiis cantus venerei, humanæ fragilitatis &c. Sed quia contra, plures re ipſa in peccata non prolabuntur, concludit: *Ergo non poterit ſic ſaltantibus denegari abſolutio, niſi ipſa experientia lapſuum & propria proclivitas in talia peccata eos admonuerit jam de ingenti & generali tot peccatorum periculo.* Papæ! Prius mortem ex potu venefico experiri debes: deinde tali experientia edoctus, veneno abſtineto. Debes certior fieri *de ingenti & generali periculo*, id eſt quod venenum illud generaliter omnibus mortem inſerat. Et hac via *certus moraliter eris*, ut docet P. Gobat, quod venenum choreatum bibens, mortem animæ occumbes: atque adeo tunc ſolum chorearum occaſionem vitare teneberis, cum in ſepulcro poſitus fueris.

11. Sed quid amplius continent verba, quibus Interpretis Obſervatio clauditur. Contendit namque adſtringi utique fideles, qui lapſuum experientia didicere, ſe in occaſione proxima verſari, ab eadem recedere debere; dummodo *nullo titulo aut vitandi damni, aut capiendi lucri ſibi neceſſariam reputaverint*. Contra vero ſi opportuna ſors ex. gr. ducendi in ſponſam pulcram divitemque puellam, aut periculum ſimilem amittendi ſponſam obtingat, tum poterit occaſionem proximam adire. Quin, ſi quid levius damnum ſubeundum, aut bonum corporeum aſſequendum occurrat, poteris animæ extremum ſubire periculum. P. Gobat requirit jacturam centum aureorum, aut ut minus ducatorum, ut proximam invadere occaſionem valeas. Interpres noſter confinia dilatat: aliquem dumtaxat damni vitandi, aut capiendi lucri exigit titulum. Ob oculos tibi revoca verba ſuæ Obſervationis ſupra tranſcriptæ. *Si enim jam ſemel lapſi ſint tali occaſione, jamque ex petulantia complicis intellexerit ſe verſari in propinquo gravis peccati periculo; atque tenebantur vitare propinquam illam peccandi occaſionem*, nullo titulo vitandi damni, aut capiendi lucri ſibi neceſſariam. Ex qua propoſitione neceſſaria conſecutione proficiſcitur hæc illius contraria: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.* Quæ eſt ex damnatis ab Alexandro VII. 62. Certe non video quomodo vel ipſius acutæ Scholaſticæ beneficio, quæ 13. & 14. ſæculo vigebat, quamve reducem Lutetias optaret *Interpres*, eludi præfata illatio valeat. Si enim occaſio proxima tunc ſolum deſerenda eſt, quando nullo titulo aut vitandi damni aut capiendi lucri eſt neceſſaria: ergo cum ob aliquem titulum vitandi damni aut capiendi lucri ſit neceſſaria, deſerenda non erit. Hanc autem doctrinam Eccleſia damnavit.

INTERPRES AUGUSTANUS.

OBSERVATIONE QUINTA.

IBidem *cap. 6.* „ Dicitur differendam eſſe pœnitenti abſolutionem, Cſionſeſſarius habeat *juſtam cauſſam judicandi* dolorem pœnitentis tantum eſſe naturalem. Hæc propoſitio (ſubdit Interpres) poteſt habere duplicem ſenſum. Si ſic intelligatur, ut ſenſus ſit, tunc pœnitenti differendam eſſe abſolutionem, quando Confeſſario *moraliter certum eſt* pœnitentem non habere ſufficientem contritionem, aut alias ad effectum Sacramenti eſſe indiſpoſitum, vera eſt. Si vero ſic intelligatur, ut ſenſus ſit, tunc abſolutionem generaliter eſſe differendam, quando Confeſſarius ſolum *probabiliter judicat* in pœnitente non dari ſufficientem contritionem aut propoſitum, non eſſet vera, *ſed perturbativa Eccleſiæ*.

ANIMADVERSIO QUINTA.

1. PErturbat ergo Eccleſiam S. Carolus Borromeus, qui in *Inſtruction. Confeſſ.* hæc præſcribit. *Abſolutio, donec emendatio perſpiciatur, differri debet his, qui licet peccatum dimiſſuros policeantur, ab illo tamen non ſeparandos Confeſſor PROBABILITER judicabit.* Perturbat ergo Eccleſiam Innocentius XI. hanc damnans propoſitionem 1. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis.* Sed quid Sanctorum commemoro Regulas? Perturbat ne Eccleſiam Dei Theologia Moralis P. Patritii Sporer Theologi Germani, qui 3. *p. cap. 6. ſect. 4. q. 3. num.* 801. *pag.* 273. hæc ſcribit? *Liquido autem non diſpoſitum utique non poterit abſolvere Confeſſarius; ſed abſolvens, & abſolutus ſcienter peccat mortaliter ſacrilegio. Omnes: utpote quandocumque Confeſſarius certo vel PROBABILITER ſibi perſuadet, pœnitentem aut non integre confeſſum omnia peccata mortalia, quatenus ei poſſibile eſt, aut contritum vel ſaltem attritum non eſſe.* Perturbat ne Eccleſiam Dei Theologia Buſembai, & La Croix qui *lib. 6. p. 2. n.* 1765. inquit: *Confeſſarius tenetur aliquando differre abſolutionem; tum nempe, quando advertit, vel ſe non habere poteſtatem ſolvendi a reſervatis ... 2. Si prudenter DUBITETUR de dolore.*

2. Duo in laudata Obſervatione diſplicent. Alterum, quod, ut in diſcrimen doctrina Pontaſii adducatur, introducitur diſtinctio, quam nullo modo excipit, nec patitur prælata doctrina. Quod validius haud poſſum evincere, quam integram Pontaſii reſponſionem iſthuc tranſcribere: „ Parochus iſte præcepto caritatis erga proximum tenetur illum ad pœnitentiam adducere, omnia ei motiva repræſentando, quibus ad eam convenientius excitari poteſt: ſi illo functus officio *juſte judicare poteſt de duritia cordis illius hominis, ad aliquod tempus* ei differenda eſt abſolutio, piaque interim ſunt injungenda opera, quibus ad eam recipiendam paratior efficiatur. Ratio eſt, quia cum *legitime judicare poteſt* confeſſor, ſuum pœnitentem non habere veram contritionem, tum ei abſolutionem denegare debet: cum enim contritio ſupernaturalis ſaltem imperfecta, ſit diſpoſitio abſolute neceſſaria ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum; *contra propriæ conſcientiæ lumen ageret*, ſi abſolutionem homini ad eam non recte diſpoſito conferret, ſicque Sacramentum profanandi ſe voluntarie periculo committeret „.

3. Judicent nunc omnes æqui rerum æſtimatores, an cautius, ſimulque clarius explicari poterat laudata reſponſio. Phraſibus nulli ambiguitati obnoxiis uſus eſt Pontaſius, ut evitaret contentiones invidiæ moleſtiæque plenas, quæ olim fervebant, atque in dies recrudeſcunt eos inter qui *Rigoriſtæ* appellantur & *Laxiſtæ*. Nam iſti hanc regulam præſcribunt. „ Non eſt neceſſe quod Confeſſarius *probabiliter* judicet futurum, ut pœnitens ſe a peccaris abſtineat „. Illi contra ſtatuunt: Confeſſarius non niſi habita morali quadam certitudine de neceſſaria pœnitentis diſpoſitione, ad abſolutionem impertiendam procedere tuto poteſt. Illi hanc, vel quamdam moralem Certitudinem de ſincera peccatoris converſione, ut extremum rigorem improbant. Hinc diſſidia, hinc libri adverſus libros. Qui hac de re inſtrui avet, legat Balthaſſarem Francolinum, qui in ſuo Clerico Romano *lib. 2. diſp.* 10. *n.* 26. *edit. Venet. fol.* 99. hæc ſcribit adverſus Franciſcum Genettum, docentem ad veram contritionem requiri *propoſitum conſtans ſeu non vacillans*. „ Doctor Diſcretus. At ipſi forte non vident ſuæ doctrinæ conſequentias; & certe eas non vidiſſe dicendus eſt *Franciſcus Genettus* in ſua recentiſſima Theologia Morali edita Pariſiis anno 1704. Ex pluribus exemplis *rigidiſſimæ ipſius doctrinæ*, unde gravia ſequantur abſurda, unum afferam ex *tom. 4. tract. 6. de Sacram. Pœnit.* ubi *cap. 5. quæſt.* 19. docet ad veram contritionem in hoc Sacramento requiſitam eſſe neceſſarium *conſtans propoſitum*: non inquit propoſitum, *ſed conſtans propoſitum*; idque debere innoteſcere confeſſario „. Hactenus Francolinus. Textus genuinus Genetti hic eſt. *Tertia* (conditio) *eſt firmum, conſtanſque ſeu non vacillans novæ vitæ propoſitum*. Hoc vero eſt unum ex pluribus exemplis *rigidiſſimæ ipſius doctrinæ*? Ex hac doctrina abſurda conſectaria non pauca elicit Francolinus; eumdemque Genettum iterum deridet, quod doceat,

ceat, lacrymis & promiſſionibus pœnitentium non ſemper adhibendam aſſe fidem; eo quod a naturali cauſſa profluere ſæpe poſſunt. *Licet* (inquit Genettus) *hæc frequentiora ſint contritionis ſigna, non tamen certa ſunt illius indicia, quia &c.* Hanc doctrinam ſic vellicat Francolinus *loco cit.* „ Hia enim non eſſe credendum ſatis docet. *c. 5. q. 21.* „ Audi pulcram rationem! *Nam ſæpe lacrymæ proveniunt*, „ inquit, *ab humano* prorſus affecto, vel ex imaginatio„ ne, objecto aliquo inſolito commota „. Quam merito hanc rationem derideat Francolinus, ceteri videant, judicentque num ſemper, ut Francolinus coorendit, lacrymæ & promiſſiones confitentium peccata non ſint taotum frequentiora contritionis ſigna: ſed ſemper cootritionem prodant ſupernaturalem. Numquam, nec ſæpe a cauſſa naturali profluunt! An Francolino adverſentur non modo conceptiſſimi Patrum textus quos Genettus ipſe promit, ſed ceteri Patres omnes, Theologi & Concionatores, potiſſimum P. Paullus Segneri, ac ipſa maniſeſta experientia, ceteri judicent.

4. Neque enim hæc obiter narravi, ut illa aut impugnanda, aut approbanda ſuſciperem: quod ſi feciſſem, quantum ab inſtituto meo abluſiſſem, nemo non videret; ſed ut arcanom referarem, cum Interpres diſtinctionem intruſerit de *certitudine morali, & probabili* textui Pontaſiano omnino violentam, quam nullo modo patitur, quamve ut declinaret Pontaſius oeglectis vocibus contentioſis, his phraſibus oulli cavillationi obnoxiis oſus eſt. Si Confeſſarius *juſte judicare poteſt ..... Si legitime judicare: ſi juſtam judicandi cauſſam habeat*. At diſtinctionem Interpres Auguſtanus invehere voluit vel ipſius invitis ſuperis, ut quorumdam Caſuiſtarum doctrinam benignam, immo laxam, promoveret. Rejecta namque ſententia quæ in ſacro Miniſtro moralem certitudinem de pœnitentis contritione ſupernaturali requirit ad abſolutionem impertiendam, ſuam prodit ſententiam. *Si enim*, inquit, *intelligatur, tunc abſolutionem generaliter eſſe differendam, quando Confeſſarius ſolum probabiliter judicat in pœnitente non dari ſufficientem contritionem aut propoſitum, non eſſet vera, ſed perturbativa Eccleſiæ*. Non modo non perturbat Eccleſiam ejuſmodi ſententia, quæ potius doctrinam docet Eccleſiæ. Interpres aquas io ſimpulo Pontaſio excitat. Sed ipſe tandem io medio Ægeo mari navem adeo rimoſam conſceodit, ut, quantalibet etiam inculcata ſtupa, ſatis nequeat obturari. Macte igitur animo. Materiæ dubitanter falſæ licitus ne uſus eſt in Sacramentorum adminiſtratione, neceſſitate ſublata? Haudquaquam reſpondent Theologi omnes. Quid! ſi probabiliter, nedum dubitanter, falſa ſit? Multo minus. Contritio naturalis, materia inepta & falſa ſacramenti Pœnitentiæ eſt. Confeſſarius non modo dubius eſt de illius exſiſtentia, ſed probabiliter judicat oon exſtare. Quæ ergo ratio jubet, ut perficere Sacramentum debeat? Fruſtra ergo Eccleſia damnavit hanc propoſitionem: *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, &c.* Etenim nunc de valore agitur ſacramenti Pœnitentiæ, cujus materia dolor eſt ſupernaturalis. Naturalis vero dolor, materia falſa. Ab iſtius materiæ vera exſiſtentia valor pendet Sacramenti. Et hæc duo extra controverſiam poſita ſunt. Miniſter, tum ex relapſu pœnitentis in eadem flagitia, tum ex remediorum contemta exſecutione, tum ex aliis ſignis probabiliter colligit, dolorem eſſe tantummodo naturalem. Nequit ergo, quio ſacrilege ſuo abutatur charactere, Sacramentum conficere ob defectum probabilem materiæ ad valorem Sacramenti neceſſariæ. Interpres autem decernit, Miniſtrum huoc perturbare Eccleſiam, ſi abſolutionem in tempus, tum valori Sacramenti, tum ſanctificationi peccatoris magis opportunum, differat? Dic amabo te, quonam gentium abiit illud adeo tritum axioma: Qui probabiliter, prodenter operatur? Confeſſarius probabiliter judicat pœnitentem ſufficienti dolore & propoſito ad pœnitentiam neceſſario carere: prudenter ergo operatur, ſi a perficiendo abſtinet Sacramento, ut periculum vitet ſacra Symbola profanandi, & ipſius peccatoris probabiliter indigni, ſacrilegium contrahendum. Quid? Tum ſolum Confeſſarius ſuſpendere abſolutionem debet, quando illi *moraliter certum eſt* pœnitentem eſſe indiſpoſitum? Si ad ſanctum rectumque Sacramenti valorem cuſtodiendum Confeſſarius moralem materiæ neceſſariæ certitudinem practice expertem dubitationis expoſcit, rigoriſta audit, & Eccleſiam perturbat. E contrario, ot pœnitenti abſolutionem jure deneget, moralem de illius indignitate certitudinem habeat, neceſſarium eſt? Adeſt ne iſtbic pondus & pondus?

5. Sed rationem Interpretis audiamus. Subdit itaque loco laudato: *Nemo enim privandus eſt jure certo uſu Sacramentorum ob indiſpoſitionem incertam*. Næ egregie! Jure ne certo potitur peccator flagitiorum plenus ad Sacramentorum uſum? Quid hiſcis? Si iteratis criminibus ſponte & libere tali ſe exuit jure; an ne certo illud amiſſum reparat, etiam tum, cum probabile eſt, vinculis obſtringi delictorum? Semel ſpoliatus aliquo jure, illud minime recuperat, quouſque probabile eſt, eum ineptum eſſe ad jus illud exercendum. Sed age. Jus illud certum eſto. Nonne exercitium talis juris a prudentia pendet Sacerdotis, qui ob varias circumſtantias differre & ſuſpendere valeat, etiam dum pœnitens legitime diſpoſitus eſt? *Communis & vera ſententia affirmat*, inquit Cardinalis de Lugo *diſp. 12. de Sacram. pœnitent. ſect. 10. Nam licet pœnitens* (ait) *legitime diſpoſitus confeſſione facta, habeat jus ad ſententiam: non tamen habet jus ut ſtatim proferatur ſententia: poteſt enim judex arbitrari, quomodo & quando debeat utilius proferri ſententia. Quando ergo merito timet pœnitentem nunc abſolutum, facile relapſurum ſtatim in eadem crimina, niſi ipſa difficultate & dilatione abſolutionis territus agnoſcat melius gravitatem peccati; poterit differre abſolutionem ut pœnitens utiliter admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum alias ſubiret*. Si communis ſententia docet poſſe Confeſſarium differre abſolutionem pœnitenti legitime diſpoſito vel ob timorem relapſus in eadem crimina, vel alias cauſſas: an non poterit, immo debebit, differre abſolutionem pœnitenti probabiliter indiſpoſito?

6. Quod autem ſubdit Interpres, poſſe dumtaxat interdum Confeſſarium circumſtantiis inſpectis, in pœnitentis utilitatem abſolutionem differre, remedia præſcribere, & alia ejuſmodi, fuſius Pontaſius ipſe, & ut mea præſert opinio, clarius præſcribit. Plura quoque hoc eodem loco habet Interpres, quæ quoniam longa poſtularent diſputationem, miſſa facio. Comparatio namque, quam facit inter diſpoſitionem dubiam pœnitentis moribundi io extrema neceſſitare, & diſpoſitionem rationabilitet præſumtam pœnitentis ſani, non ſatis conſiſtit. Illud oblique notare ſufficiat, non poſſe Confeſſarium rationabiliter præſumere pœnitentem diſpoſitum; quandd *probabiliter judicat* non habere neque contritionem, neque propoſitum neceſſarium ad abſolutionem. Quod ſi in utramque partem probabiliter judicium Confeſſarii propendet; rutiorem partem, cum de Sacramenti valore agatur, juxta ſedis Apoſtolicæ ſanctionem, amplectatur, oportet.

INTERPRES AUGUSTANUS.

OBSERVATIONE QUARTA.

TIt. *Cenſus*, *Mutuum*, *Uſura*, *Societas &c.* „ Habet „ plurimos Caſus in quibus ſuppooit (*Pontaſius*) „ omne lucrum ultra ſortem eſſe uſuram, niſi interve„ niat lucrum ceſſans, vel damnum emergens, vel con„ tractus conſtitutionis quo ſumma principalis irredimi„ biliter veoditur, vel contractus ſocietatis. In Germania „ autem cenſum partis vigeſimæ per annum *generaliter* „ *ſine ſpeciali titulo* eſſe licitum, docent omnes Theo„ logi Germaniæ, quorum directiooi ſubjacet tacita vo„ luntas, ac iotentio noſtrorum tam legiſlatorum civi„ lium, quam fidelium bona ab unius dominio in alium „ transferentiom. Vide Tit. *Cenſus*. Caſ. 7. Tit. *Mu*„ *tuum*, Caſ. 1. 2. 3. Tit. *Societas*, Caſ. 4. Tit. *Uſura*, „ per totum Titulum „.

ANIMADVERSIO SEXTA.

1. MIrifica Germanorum Theologorum auctoritas! Prodigioſa populorum Germaniæ poteſtas! Nullus ergo titulus, non lucri ceſſantis, non damni emergentis, non cenſus, non ſocietatis; verbo, iterum repetamus, nullus omnino titulus exigitur ad percipiendum ex mutuo data pecunia lucrum oltra ſortem? Omnes ergo ad unum Germaniæ Theologi docent uſuras eſſe licitas. Nam omnes definiunt, uſuram eſſe lucrum ſine ſpeciali titulo perceptum ultra ſortem ex pecunia mutuo data. Sed uſura non eſt, addit Interpres

Augu-

Digitized by Google

Auguſtanus , quia & legislatores civiles & populi ipſi Germaniæ ſub ſuorum Theologorum directione bona ab unius dominio in aliorum transſerunt poteſtatem. Hanc ſuptemam poteſtatem ſoli Deo convenire docent Catholici. Hac ſuprema poteſtate uſum fuiſſe Deum addunt, cum, ipſo imperante, Iſraelitæ Ægyptios auro argentoque ſpoliarunt. *Feceruntque filii Iſrael, ſicut præceperat Moyſes; & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & ſpoliaverunt Ægyptios*. Exod. 12. v. 35. Sed vereor, ne Interpres legislatoribus & principibus Germaniæ invidium creet. Ego ſane de illis meliorem præformavi opinionem, ac ſimiles exiſtimo illis, quos Moyſes deſcribit *cit. lib. Exod. cap.28. num.21. Provide autem ..... Viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderunt avaritiam*. Quid? Legisne divinæ & naturalis jura pervertere populi & legislatores civiles valent? Nonne uſura, naturali divinaque lege vetita eſt? Hanc ergo legem abrogare populi queunt, bona unius in alterius transferendo dominium? Non populi ſoli, reponit quam acutiſſime Interpres Auguſtanus, non legislatores hac ſuprema fruuntur poteſtate; ſed tali ſunt privilegio donati, quatenus *eorum tacita voluntas ſubjacet directioni Theologorum Germaniæ*. Clarius: nec populi, nec legislatores ſoli: ſed Theologi cum populis & legislatoribus mutuo ſociati fœdere, bona unius in alterius dominium transferre pro arbitrio poſſunt. Egregie ſane uſque ad miraculum! Ecquinam in mentem veniſſet tam peregrinum inventum? Quis ſibi in animum induxiſſet, Germaniæ Theologos adeo ſublimis poteſtatis faſtigium inter homines tenere, ut populorum & principum voluntates propriæ directioni tacita conniventia ſubactas haberent ad pervertenda jura, quæ Deus ipſe ſanxit? Sæculis integris ingenia torſerunt Theologi in excogitandis titulis, vi quorum ſterilem ſuapte natura pecuniam, fecundam lucri efficerent. Nam hæreſis loco habent omnes Catholici, ſi carere peccato fenus dicatur. Hinc, ut viris negotioſis divitiiſque augendis ſtudentibus, aliquam aperirent viam congregandi theſauros; alii cenſum perſonalem, alii redimibilem; alii irredimibilem, alii damnum emergens, alii lucrum ceſſans, alii contractum ſocietatis, alii trium contractuum elaboratum artificium, alii contractuum Mohatra, vel Barata; omnes denique aliquem titulum vel re vel ſpecie tenus excogitarunt; ut lucrum ex pecunia ſterili proximo mutuo data perceptum, de fenoris labe purgarent. Horum titulorum plures cachinnis exceperunt hæretici Germaniæ, eoſque tamquam uſurarum technas & fucos derident. Franciſcus Budeus Lutheranæ communionis celebris Theologus 2. *p. c. 3. ſec. 5. §. 27.* adverſus Catholicos obganniens ait. *Turpiter autem heic ſe traducunt Pontificiorum Moraliſtæ, qui dum acriter contendunt omnes uſuras eſſe illicitas, adeo ut hæreſis ſit, ſi fenus carere peccato dicatur, lepidiſſimis tamen commentis aliiſque rebus impoſitis nominibus, uſuris iniquiſſimis locum concedunt*. Quæ ſcommata, quæ dicteria in poſterum non evoment adverſus Catholicos, cum ex una parte audiunt illos defendentes omne fenus divina naturalique lege vetitum; & ex alia parte docere populos ſuorum Caſuiſtarum conſilio ductos, hanc abrogare legem poſſe? Nonne hæc, non modo hæreticis, ſed cuique ratione prædito riſum movent, zelum concitant, & Catholicorum doctrinam deridendam propinant?

2. Sed agedum: videamus num omnes Germaniæ Theologi doceant licitum eſſe partis vigeſimæ perceptionem *per annum generaliter ſine ſpeciali titulo*? Paullus Layman Germanorum Theologorum jubar vires omnes exſerit, ut verbis ſaltem aliquem apparere titulum efficiat. Ad quamdam ſiquidem cenſus perſonalis ſpeciem reducit mutuum iſtud Germanicum, ut a mutuo fenebri illud diſtinguat. En illius verba *lib. 3. de juſtit. tract. 4. cap. 18. num. 4. pag. 341. Igitur in eo eſſentialiter differt cenſualis iſte Germanicus contractus a mutuo uſurario, quod ille certum fundamentum requirat, in quo fundatus ſit, cum ſit jus percipiendi reditus annuos ex alicujus fundo, negotiatione, opificio &c. certo pretio comparatum*. Eoque fundamento penitus ruente (puta ſi venditor cenſus ejuſque heredes nullos annuos reditus habere incipiant) *contractus cenſualis nullum amplius locum habere poteſt; quamvis ob adjectum aſſecurationis pactum, ſors repeti queat*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

3. Patritius Sporer Laymani ſectator *Tract. 6. in complem.* VII. *præcep. Decalog. cap. 6. ſect. 1. aſſert. 2. §. 4. num. 26. pag. 308. Atque juxta hactenus probabiliter dicta per emtionem cenſus perſonalis utrimque redimibilis cum aſſecuratione capitalis & lucri, ſecluſo omni intereſſe lucri ceſſantis vel damni emergentis, per ſe ſalvari poſſe videtur uſitatiſſimus ille in Germania, immo modo in toto fere orbe terrarum contractus accipiendi 5. pro centum ſalvo capitali: ut nimirum* cenſus iſte Germanicus in eo differat a mutuo uſurario, *quod contractus mutuus cum quacumque perſona recte inſtituatur, ſine ullo ordine ad aliquod certum requiſitum fundamentum in re vel in ipſa perſona*; adeoque quodque ſecluſo alio titulo ultra ſortem exigitur & recipitur, *exigitur & recipitur præciſe ratione iſtius pecuniæ mutuatæ; ſicque pecunia minori emitur ipſa pecunia major vel auctior: quod propriſſime uſura eſt*. At vero contractus noſter cenſualis (*Germanicus*) neceſſario requirit certum fundamentum in re *vel perſona, ſcilicet fructus rei vel induſtriam perſonæ, ratione cujus ipſemet homo habet jus percipiendi fructus ſuæ rei vel lucra induſtriæ ſuæ, quod ipſum jus partialiter ſaltem erit Cenſualiſtæ: adeoque penſiones annuæ non dantur ratione pecuniæ datæ in ſe; ſed ratione juris percipiendi fructus vel lucra ab altero illa pecunia emti; quod jus eadem pecunia reddita ei recepta, redimi & retrovendi poteſt, ſicut in aliis emtionibus*. Illo autem fundamento penitus ruente, ut ſi venditor vel nullos amplius annuos reditus habeat, neceſſario etiam ruit contractus cenſualis ſeu jus percipiendi penſionem, quamvis ob adjectum aſſecurationis pactum ſors adhuc repeti queat. *Hæc ſpeculatio vera eſt: SED QUAM VEREOR, NE SIT SPECULATIO MERA. PRAXIS AUTEM RARISSIMA DE FACTO: CUM EXPERIENTIA DOCEAT EX MILLE VIX UNUM HABERE TALEM INTENTIONEM: UBI ENIM NOTITIA TALI MODO EMENDI CENSUS? FATEMUR ERGO SEMPER CONTRACTUM ESSE PERICULOSUM, ET PROXIMAM USURÆ SPECIEM PRÆSEFERRE* Satin' hæc?

4. Quod autem præfatus Sporer ibidem, & *ſectione 3. §. 4. num. 105. pag.* 280. de uſura ſubdit: nempe bonam fidem & intentionem, quam vocat *implicitam*, ſatis eſſe ad excuſandum mutuatorem, qui ex mutuo expreſſe uſurario pecunias percipit: atque poſſe has pecunias uſura manifeſta partas, ſoliuſque bonæ fidei & intentionis colore fucatos retinere: Quod inquam hæc & alia id genus docent Sporer, non evincit mutuum, ſeu cenſum Germanorum non eſſe uſurarium; ſed id tantum infert, bonam ſcilicet Germanorum fidem & intentionem, quamquam *implicitam*, tantæ eſſe efficacitatis, tantumque latentis roboris continere, ut fenoris virus abigat, & a cujuſque uſuræ labe animam intaminatam præſervet. Nec eſt quod opponas, hac via etiam fornicatores obtradere poſſe bonam intentionem agnoſcendi ſcilicet pellicem ad eum modum, quo conjuges mutuo copulantur. Cur enim rudibus feneratoribus bona intentio qua credunt, ex uſura re ipſa manifeſta lucrum ſe licite percipere poſſe, ſuffragari debeat; ſecus vero fornicatoribus eadem bona intentio prodeſſe poterit: cum tam uſura, quam fornicatio jure naturali & divino vetita ſit? Non eſt inquam, quod hæc opponas; quoniam innumeras diſtinctiunculas & diſpatilitates reponet, quarum profligatio longius exigeret otium. Ceterum quantum honoris hæc doctrina excuſandi manifeſtas uſuras vi bonæ intentionis bonæque fidei, Germanorum Theologiæ parere debeat, ceteri judicent. Mihi nunc ſatis eſt oſtendere, mutuum Germanicum *ſine ſpeciali titulo* teſtimonio Theologorum Germaniæ eſſe fenoris labe aſperſum. Alibi poſtea oſtendetur, titulos qui adduci ſolent ad illud honeſtandum, eſſe meros partus, mentis ſpeculatione confictos: conſequenter ad realem uſuram abſtergendam ineptos.

5. In majorem eorum quæ dicta ſunt confirmationem, lubet tria alia teſtimonia in medium afferre. Primum transſcribo ex Theologia P. Antoine edita Ingolſtadii, quod habetur *tom. 2. Tract. de Contract. cap.3. q. 15. pag.* 476. ubi quærit. *An lex vel conſuetudo provinciæ eſt titulus legitimus aliquid ultra ſortem exigendi? Reſp. neg. Si nullus alius adſit titulus; quia cum perceptio lucri ex mutuo ſit jure divino vetita, nullo alio jure poteſt eſſe licita. Igitur lex quæ permittit ex quovis mutuo aliquid ultra ſortem v. g. 5. pro centum exigere, & de eo paciſci,*

immo

immo præcipit judici, ut mutuatarium compellat ad hoc auctarium perſolvendum mutuanti; ſemper præſumit & ſupponit titulum intereſſe, nempe lucrum ceſſans vel damnum emergens. Quare ſi nullum re ipſa ex mutuo lucrum eſſet vel damnum ſequatur, tum nihil poteſt in conſcientia ultra ſortem exigi, & accepta reſtitui debent.

6. Alterum teſtimonium, quod rem plane conficit, deſumo ex Petro Leurenio Germano Theologiæ & Sacrorum Canonum Doctore celebri & recenti; qui *lib. 5. tit. 19. de uſuris quæſt. 342. pag. 146. edit. Venet.* hæc ſcribit: *Num legislator aliquis ſupremus civilis per legem univerſalem novam, vel alius Princeps per ſtatutum locale in ſuo territorio poſſit uſuras reddere licitas?*

Reſp. *Tametſi a Poteſtate ſæculari lex condi poſſit, & condita valeat, qua ſtatuatur pro vitando graviore malo certos modus & moderatio uſuris, verb. grat. ne uſurarii nimium a debitoribus extorqueant, uti factum a Rodulpho II. Imperatore ann. 1600. dum permiſit quinque tantum pro centum datis mutuo annuatim dari, ut habet communis; nequit tamen ab ullo legislatore humano ſive ſæculari ſive eccleſiaſtico, etiam Papa, ferri lex communis, aut etiam fieri ſtatutum locale, quo uſuræ reddantur licitæ; ideoque nec præcipere poteſt, ut fiant uſuræ, ut Toloſ. l. 2. de uſuris cap. 8. num. 1. & 2. quia id eſt cooperari uſuris: quamvis permittere poſſit, ut a Judæis aliiſque infidelibus, aut etiam fidelibus impune exerceantur ad cavenda majora mala & ſcandala, quæ oriri poſſunt; ſi hic & nunc Princeps ſeu poteſtas publica eas exerceri impedire conaretur: quin immo præcipere etiam poſſe videtur, ut non puniantur illas exercentes; quia nec illud eſt directe conſentire peccato aut illud approbare; non tamen cogere poterit, ut conventæ ſolvantur aut ſub obligatione ſeu pacto ſolvendi ſibi magna tributa, dare poſitive licentiam Judæis exercendi uſuras; quo fit, ut ii uſuras augere cogantur, & pauperes magis exhauriantur, ut cum* Leſſ. lib. 2. c. 20. n. 179. Piehing. h. t. n. 17.

Neque his obſtat primo: quod ex cauſſa juſta, qualis eſt bonum commune ſeu ſavor publicus, liceat Principibus per legem aliquam communem ſubditis auferre jus & dominium transferendo illud in alium, ut patet in lege præſcriptionis, quæ etiam locum habet in foro conſcientiæ, & recepta eſt a Jure Canonico: nam in hoc eſt diſparitas, quod præſcriptio translativa dominii ab uno in alium tendat ad bonum commune, nimirum ad conſervandam pacem communem, & tranquillitatem reipublicæ, præſcindendo infinitas lites, quæ alias ſuboriri poſſent. Ad hæc leges illæ de præſcriptione æqualiter reſpiciunt magnos, & parvos, divites, pauperes, omneſque, qui tempore per leges præſcripto neglexerunt bona ſua repetere: leges autem uſurariæ non tendunt in bonum commune, ſed potius in grave damnum reipublicæ, dum vi illarum præcipue reſpicientium & gravantium egentes, qui magno numero exſiſtunt in communitatibus, eorum fortunæ abſorbentur, redactis illis ſenſim ad ſummam egeſtatem. Adeoque tales leges uſurariæ iniquæ ſunt.

Neque ſecundo obſtat argumentum ductum ab actu ad potentiam, dum de facto permiſſæ, & ſic redditæ licitæ uſuræ ſaltem moderatæ, nimirum quinque pro centum per noviſſimas conſtitutiones & Receſſus Imperii, ſcilicet in Comitiis Auguſtanis anno 1500. ſub Maximiliano: in aliis Comitiis Auguſtanis anno 1540. ſub Carolo V. & ibidem ſub eodem anno 1548. In Comitiis Spirenſibus anno 1570. ſub Maximiliano II. Nam harum Conſtitutionum & Receſſuum æquitas & juſtitia præcipue ſundatur in moderatione uſurarum, quæ alias per avaritiam hominum exceſſive exigebantur, & partim in præſumtione tanti lucri ceſſanti, vel damni emergentis, vel alterius juſti tituli: prout clariſſime patet ex textu Receſſus Spirenſis ſub Rodulpho II. cujus præſumtionis intuitu hæ conſtitutiones quinque pro centum non tantum permittuntur, ſed etiam ut ſolvantur, ſi in pactum deducta ſunt, conceditur actio; quæ præſumtio juſti tituli in conſcientia non juvat dictam uſuram quinque pro centum, ſi juſtus titulus præſumtus in veritate non ſubſiſtat. Argument. cap. ſuper hoc de eenuntiat. & l. Imperator. ff. de peobation. *atque ita uſura talis redditur licita, non vi harum Conſtitutionum, ſed vi juſti tituli in quo ſundatur.* Item quæſt. 343. *Pro foro vero interno ſeu conſcientiæ, ſicut alibi*, ita etiam in Germania *& Imperio Romano eſſe id vere uſurarium, illicitum & graviter peccaminoſum, ſi nullis ex præfatis titulis interveniret ..... aſſerit idem Reiffenſtuel.*

Teetium teſtimonium eſt Anacleti Reiffenſtuel *tom. 4. lib. 5. tit. 19. 54. & ſeq. pagina 241.* ubi fuſe hanc verſat qoæſtionem: inquit ergo. *Quæritur 3. num vigore conſuetudinis validæ & licitæ reddi valeant uſuræ proprie tales ſeu lucratoriæ. Reſpondeo* negative. *Ita communis Catholicorum.* Numero 55. *Quæritur 4. Num licita vel potius vere uſuraria ac illicita* ſit praxis & conſuetudo Germaniæ, *in qua pro ſorte principali ſeu ſumma Capitali centum florenorum paſſim & indiſtincte ſine ullo ſcrupulo exigatur quinque floreni? ....* Reſpondeo 3. *Loquendo de foro interno & conſcientiæ, ſicut alibi, ita & in* Germania ac Romano Imperio *vere uſurarium, indeque illicitum & graviter peccaminoſum eſſe annuatim exigere quinque florenos pro ſorte principali .... ſi nec damnum emergens, nec lucrum ceſſans, nec periculum ſortis intervenit; prout non intervenit, quando alias pecunia hujuſmodi mutuo data ſine negotiatione & lucro in ciſta creditoris otioſe jacens manſiſſet, plerique tenent Doctores teſte* Engel ...... *Ceterum ſi omnis juſtus titulus, ſimulque ignorantia invincibilis & bona fides abeſt, plerique Doctores juxta dicta* numero 57. *communiſſime concedunt omnes ſive multi, ſive pauci in ſtatu peccati mortalis continuo verſari, qui pro ſorte principali exigunt uſuram quinque florenorum.*

Plures alios laudare poſſem Theologos & Canoniſtas Germanos, ſed brevitatis geatia omitto. Illud ſolum adveetat lector velim, quod Doctores Germani non modo negant factum, ſed etiam poteſtatem reddendi uſuras licitas, niſi aliquis verus titulus eeapſe occurrat.

7. Hæc ſatis ſuperque ſunt ad vincendom falſum eſſe, Germaniæ Theologos docere *ſine ſpeciali titulo* percipi licite poſſe vigeſimam in annum ex pecunia mutuo data. Quid quod ipſe Interpres Auguſtanus ſibi minime conſtans, modo exigit, modo reſpuit hunc titulum. Ad titulum namque de uſura, loco diſſertationis peæliminatis, quam penitus ſicuti ceteras, expunxit, principia ſeo eegulas peo exacta aſſequenda Germanorum uſuræ cognitione interſerit, parva ſtella, & majori charactere ſignatas. Eas iſthic transſcribere lubet. Itaque *verbo Uſura, pagina 782.* hæc habet *: *Uſura eſt lucrum ex mutuo, dum quis a mutuatario plus recipit, quam dedit. Hæc uſura in quantum non reſtringitur per legem poſitivam ad juſtos limites, eſt prohibita jure naturali; quia ob ipſam indeterminationem, dum quantitas permittitur contrahentium arbitrio, eſt cauſſa ingentium malorum in genere humano, ac oppreſſionis enormis innocentium. Idem dicendum quando* per legem poſitivam uſura quidem reſtringitur, *ſed non ad juſtos limites, prout contingit tempore Imperatorum veterum, quo in mutuo concedebatur ſingulis menſibus centeſima, ut proin intra annum mutuatarius pro centum ſolvere debuerit duodecim. Hæc determinatio legis poſitivæ nondum ſuſtulit gravamen generale generis humani, & oppreſſionem pauperum per uſurarios. Adeoque iſta vetus uſura ob leges Imperatorum permiſſivas numquam potuit fieri licita in foro interno, maxime cum ejus injuſtitia per Declarationes veteris Eccleſiæ fuerit definita. Aliud dicendum poſt Conſtitutionem Caroli V. per quam uſura ad vigeſimam ſolum partem intra annum a mutuatario perſolvendam reſtricta eſt. Hæc reſtrictio non ſolum tollit generale gravamen generis humani, ſed etiam optime convenit cum legibus prudentiæ, providet ſuſtentationi innumerorum reſpective miſerabilium, qui ſolum vivunt ex cenſibus; & ipſis mutuatariis eſt exoptabilis, qui alias difficulter reperirent opem. Hinc iſta limitatio non ſolum numquam ab Eccleſia prohibita fuit pro foro interno; ſed pro eodem univerſim approbata a Doctoribus Germanis pro populis ſub ditione Imperatorum viventibus.*

8. Hæc eſt illa ipſa doctrina, qua Salmaſius, Molinæus, Puffendorfius, Barbeyracus, Buddeus ceterique Geemaniæ Hæretici defendunt, moderatas uſuras divina lege minime vetitas eſſe. Eas illi uſuras impeobant, quæ nullis limitibus circumſcribuntue: tas approbant, quæ lucrum legibus aut conſuetudine patriæ præfinitum non excedunt. Percurramus breviter præfatam Interpretis doctrinam. Uſuram definit: *lucrum ex mutuo, dum quis a mutuatario plus recipit, quam dedit.* Bene habet. Quod ſubdit, eſt obſervatione dignum. *Hæc uſura in quantum non reſtringitur per legem poſitivam ad juſtos limites, eſt prohi-*

Digitized by Google

prohibita jure naturali, quia &c. Uſura itaque jure naturali vetita eſt; non quia uſura, ſed quatenus excedens eſt: ſeu non uſura, ſed uſuræ exceſſus jure naturali vetitus eſt. Quoniam hoc indefinitum lucrum hominum contrahentium cupiditati ſi permittatur, ingentium eſt cauſſa malorum. Siquidem avari homines januam reſeratam habent pauperes opprimendi, innocenteſque divitiis ſpoliandi: modus ergo imponendus eſt, ut uſura licita fiat. Sed heic quoque ratio habenda eſt. Quandoquidem niſi juſti præſcribantur limites, necdum uſura licita eſt, prout tempore veterum Imperatorum contigit. Tum enim duodecim pro centum quotannis mutuatori ex pecunia mutuo data redibant. *Adeoque iſta vetus uſura numquam potuit fieri licita.* Verum ſi intra moderatos limites, nempe quinque pro centum, uſura iſta reſtringatur, licita eſt: ut re ipſa evenit poſt Conſtitutionem Caroli V. *per quam uſura ad vigeſimam ſolum partem intra annum a mutuatario perſolvenda reſtricta eſt.* Hanc doctrinam lato calamo tradit Salmaſius *cap. 3. & 4. de modo uſurarum.* Hanc doctrinam damnatam eſſe in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. aſſerunt Catholici omnes: *Si quis,* inquit Concilium, *in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus, velut hæreticum puniendum.* Non immodicas, non indefinitas, ſed abſolute uſuras quaſque Concilium proſcribit, profligatque.

8. Sciat itaque Interpres Auguſtanus, Catholicos omnes uſuras improbare, non quod indefinitas, non quod limitibus carent; ſed quia abſque juſto titulo a mutuatore exiguntur. Hoc juſto titulo ſublato, ſive ad unum, ſive ad quatuor, ſive ad duo, ſive ad quemcumque minimum proventum ex juſtitia a mutuatario ſolvendum uſuræ reſtringantur, ſemper jure naturali & divino vetitæ ſunt. Hocque docere debent cum omnibus Catholicis etiam omnes Germaniæ Theologi, niſi manus Salmaſio, Molinæo, Puffendorfio ceteriſque Hæreticis uſurarum defenſoribus porrigere velint, atque cum iiſdem adverſus Catholicos uſuras propugnare. Rationes quas promit Interpres, ut has moderatas defendat uſuras, ſunt illæ ipſæ, quas obtrudit Barbeyracus cum ceteris Hæreticis. *Hæc reſtrictio* (inquit Interpres noſter) *non ſolum tollit gravamen generis humani, ſed etiam optime convenit cum legibus prudentiæ, providet ſuſtentationi innumerorum reſpective miſerabilium, qui ſolum vivunt ex cenſibus; & ipſis mutuatariis eſt exoptabilis, qui alias difficulter reperirent opem.*

9. Ut ab ultimis auſpicer verbis, Hæretici uſurarum propugnatores cautius moderatiuſque loquuntur. Molinæus homines qui mutuum accipere ſolent, in tres tribuit claſſes. Prima eſt inopum qui gravi preſſi indigentia pecunias poſtulant, quibus propriæ ſuccurrant penuriæ. His mutuum impertiendum ſtatuit, quin ſors, nedum lucrum, repetatur aut ſperetur. Secunda claſſis eorum eſt, qui bonis quidem affluunt; ſed ob aliquem neceſſitatis eventum nummis indigent, quibus imminens rebus ſuis diſcrimen abigant. His quoque gratuitam mutuationem concedendam decernit, ſolamque ſortis repetitionem concedit. In poſtrema claſſe illos collocat negotiatores, qui nulla preſſi neceſſitate, pecunias quærunt eo conſilio, ut mercaturam augeant, & in publicum communemque bonum amplificent, indeque lucra majora percipiant. Et ab his lucrum ad legum aut patriæ conſuetudinis præſcriptum exigi licite permittit. Et hanc ſolam uſuram ſeu annuum reditum, neque naturali neque divinæ legi repugnare contendit. Hoc idem docent plus minus ceteri Hæretici, qui præterea uſuras moderatas quas defendunt, *Compenſatorias & Negotiatorias* vocant. Audi Budeum Theologum Lutheranum Germaniæ in *Inſtitut. Theol. Mor. p. 2. cap. 3. ſec. 5. §. 28. Neque obſtant leges divinæ quæ uſuras prohibere videntur. Prohibitio enim reſtringitur ad pauperes, a quibus uſuras accipere omnino caritati repugnat.* Et paullo infra explicans dictum Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes,* hæc addit: *Ad rem ipſam quod attinet, heic non de mutuo officioſo, ſed de eleemoſynis ſermonem eſſe, adeoque ad uſuras* Compenſatorias & Negotiatorias *hæc verba minime trahenda eſſe, viris doctis jam pridem obſervatum eſt. Docere enim vult Servator, ut totus ſermonis ſcopus oſtendit, quo pacto nos gerere debeamus, non erga divites qui ex pecunia noſtra lucrum capiunt, ſed erga pauperes qui pecunia noſtra ad ſuas neceſſitates utuntur; & his ita mutuo dandum docet, ut nihil iterum ab illis ſperemus.* Poſtremum §. 29. modum in uſuris exigendis quem aut caritas aut lex civilis Principum præſcribit, ſervandum ſtatuit, eo quod lex divina lucrum percipiendum non definierit: *Quantum in uſuris accipere liceat, lege divina univerſali definitum non eſt. Caritas iterum heic erit pro regula, ne tantum accipiatur, ut inde alteri damnum adferatur. Quod ſi lege civili determinatum ſit, quantum accipere liceat, peccant qui plus aut accipiunt aut exigunt; peccant tamen etiam qui non plus, immo minus accipiunt; ſi quidem & hoc illi a quo uſuræ exiguntur, damnum adferat. Et hinc quænam uſuræ illicitæ ſint, conſtat; quas qui aut exigunt, aut accipiunt, graviſſimo ſe obſtringunt crimine.*

10. Nemo unus, quem ego legerim, Hæreticorum tranſalpinorum permittit licitum eſſe exigere uſuras ab illis mutuatariis qui *alias* (ut inquit Interpres) *difficulter reperirent opem.* Illius ergo erit ſuam ab Hæreticorum doctrina diſcriminare, illamque Evangelio, Patrum & Conciliorum Canonibus contentaneam oſtendere. Quod autem ſubdit, ſophiſmate laborat. *Hinc,* perſequitur, *iſta limitatio non ſolum numquam ab Eccleſia prohibita fuit pro foro interno; ſed pro eodem univerſim approbata a Doctoribus Germaniæ pro populis ſub ditione Imperatorum viventibus.* Pro eodem accipere videtur Caſuiſtas Germaniæ de fenore ſcribentes, & Eccleſiam ipſam. Utique Eccleſia non damnavit viceſimam, ſeu quinque pro centum, admiſſo titulo vi cujus pecunia frugifera reapſe efficitur. Prætiorum juſtam taxationem quam Principes, ſive in rerum venditione, ſive in cenſuum exactione ſervandam imperant, non modo non improbat, ſed approbat Eccleſia. Eam doctrinam diris Eccleſia devovet, quæ Principibus jus tribuit conſtituendi uſuras licitas hac ſolum ratione; quod infra moderatos limites lucrum capiendum ex mutuo, nullo alio occurrente titulo, circumſcribant.

11. Huc uſque probare ſtuduit interpres, lucrum ex mutuo *ſine ſpeciali titulo* captum, licitum eſſe, ut conſtat tum ex iis quæ in Obſervatione ſub initium Animadverſionis impugnata dixit, tum ex doctrina proxime relata. Ceterum, ut doctrina, ſic & ipſe vacillans eſt, ſibique parum conſtans. Vellet namque quoquo modo præfatam doctrinam temperare, eamque alio ſaltem fuco linire. Perſequitur namque hoc modo: *Quia tamen ex mutuo, qua tale, non licet quærere lucrum; intentio contrahentium quæ tacite ſubordinatur intentioni legislatorum, jam non amplius fertur ad quærendum lucrum ex ſterili pecunia, ſed ad quærendum lucrum ex aliena induſtria ac opera quam mutuans ſua pecunia conduxit. Et ideo mutuum in Germania habet rationem contractus cenſualis perſonalis, ratione cujus cenſus ſit univerſim licitus extra eos caſus, in quibus quis tenetur proximum juvare gratis, ac cum aliquali ſuo periculo ac incommodo per leges caritatis.*

12. Audiſti? *Mutuum in Germania habet rationem contractus cenſualis.* Magna Germaniæ vis quæ rerum naturas nullo adjecto adminiculo permutat, atque unam in aliam transfert! Contractus mutui in Germania eſt contractus cenſualis? Si mutuum: non eſt cenſus. Si cenſus: non eſt mutuum. Sed rationem perpendas velim, quam iſtius tranſitus de uno in alterum contractum aſſignat. Hæc autem eſt *intentio contrahentium quæ tacite ſubordinatur intentioni legislatorum, quæve non fertur ad quærendum lucrum ex ſterili pecunia, ſed ad quærendum lucrum ex aliena induſtria.* Clarior dicendi ratio exoptabilis foret. Interim pedetentim quærimus, an intentio mutuatoris ſatis ſit ad conſtituendas licitas uſuras, & ad naturas contractuum permiſcendas? Si ait: quidni etiam & bona intentio furtum licitum innocuumque conſtituet? Sed quid amabo ſibi volunt, quæ ſequuntur verba? intentio, *quæ tacite ſubordinatur intentioni legislatorum.* In primis ſi divinari valeo, in mutuatore non requiritur intentio expreſſa, ſed *tacita,* quam alii *implicitam* vocant. Deinde hæc intentio legislatorum ſubjici debet Theologorum Germaniæ directioni, ut preſſius explicat in Obſervatione citata. Sed quo tandem hæc intentionum ordinata connexio ſpectat? ut rerum dominia transferantur, & quæ ſub unius ſunt poteſtate, in aliorum tranſeant ditionem. Quæ commenta ſupra exploſa ſunt. Nunc addo nullam intentionem ſive tacitam, ſive expreſſam ſufficere ad commutandam naturam mutui in naturam cenſus perſonalis. Si ſatis foret ad abſtergendum a lucro ex mutuo percepto uſuræ labem intentio lucrandi, non ex pecunia mutuata, ſed ex induſtria ac opera aliena; nulla in mundo, nedum in Germania, uſura eſſet. Et tamen nil aliud requirit Interpres noſter, ut clarius ſe ſe explicat in iis quæ ſequuntur:

Itaqeu

Itaque quæ in hoc Titulo dicuntur (a Pontaſio), *non habent locum in Germania niſi in duobus caſibus. Primus eſt, quando exigitur a mutuatario major cenſus, quam legibus permittitur, nempe plus quam vigeſima pars ſortis principalis intra annum. In iſto enim exceſſu incipit illa uſura, de qua datur prohibitio*. En quomodo iterum in exceſſu lucri tamquam in ſola radice collocet uſuram lege naturali & divina vetitam! *Et quod in hoc Titulo dicitur de quovis exceſſu ultra ſortem principalem ex mutuo, applicari in Germania debet ad quemvis exceſſum ultra partem vigeſimam prætatam ex contractu cenſuali perſonali, ut pote extra hos limites non permiſſo a legibus*. Denuo repetit, quod doctrina Pontaſii in Titulo de Uſura tradita contra lucrum ex mutuo perceptum, applicari in Germania debeat adverſus exceſſum lucri ultra partem viceſimam, Quorum verborum ſenſus eſt, Quod alibi eſt mutuum, in Germania dicitur cenſus perſonalis: ſolusque exceſſus lucri ſupra quinque pro centum, eſt uſura prohibita. Primus itaque caſus committendi peccatum uſuræ in Germania eſt, quando ex mutuo quod ibi dicitur cenſus perſonalis, percipitur lucrum ſupra viceſimam. *Secundus caſus eſt*, (pergit Interpres) *quando mutuum non conſiſtit in numerata pecunia, ſed miſcetur tacite aliis contractibus v. gr. commodati, permutationis, venditionis, ſocietatis &c. Cum enim in hujuſmodi contractibus per leges Imperatorum nulla poſſit inveniri uniformis regula pro taxanda juſta quantitate uſuræ, aut ſi inveniri poſſet ea obnoxia foret multis fraudibus cum oppreſſione indigentium: intererat boni publici, ut licentia uſuræ, ſeu taciti contractus cenſualis perſonalis non reciperetur in illis contractibus, niſi contrahentes ineant expreſſe duos contractus v. gr. venditionis, & ſimul mutui: ſic enim ob æſtimationem accuratam utriuſque contractus ſeorſim non relinquitur tanta occaſio iniquitatum per tractationem confuſam. Hæc præmonere volui, ut lectori Germano non fiat lapis offenſionis doctrina ſcriptoris Galli, qui non obſtante conſuetudine ſuos patriotas adhuc conſtitutos eſſe exiſtimat ſub indeterminatione legum naturalium quoad uſuram, haud dubie nociva humano generi & eo ipſo prohibita. Ut vero Germanus lector facilius ſibi applicare poſſit pleraſque reſponſiones hujus Tituli, notet has duas definitiones.*

1. *Uſura in Germania eſt, quod recipitur ultra partem viceſimam ſortis principalis in contractu cenſuali perſonali.*

2. *Contractus mutui in Germania eſt commodatio pecuniæ a legibus non elevata ad naturam contractus cenſualis perſonalis. Quod ſemper fit, quando ex induſtria mutuatarii aliquid exigitur ultra vigeſimam partem ſortis principalis.*

13. Integrum textum ſyllabatim tranſcribere volui, licet aliqua ſint, quæ me non tenere fateor: ne ſuſpicioni locus eſſet quædam ex induſtria omiſſa fuiſſe. Duos itaque caſus tantum admittit, in quibus uſura committi poſſit in Germania. Primus eſt *quando exigitur a mutuatario major cenſus quam legibus permittitur*. Secundus quando mutuum non conſiſtit in numerata pecunia, ſed *miſcetur tacite in aliis contractibus &c.* Hæc cum iis quæ ſuquuntur, non adeo comperta mihi ſunt, ſed ſubobſcura atque impedita: qua de cauſſa propero ad explicandum monitum datum lectori Germano adverſus *Pontaſium* ſcriptorem Gallum. Pontaſius tametſi conſcius legum Galliæ quæ non ſecus ac in Germania definiunt lucrum percipiendum ex pecunia, docet, uſuram committi, quoties juſtis titulis pecunia frugifera non evadit; quamvis conſuetudo contraria, verius dixerim, corruptela in pluribus obtineat locis; quia non multitudo populi prævaricantis ſed, divina lex norma rectæ honeſtatis eſt. Porro Interpres noſter lectores ſuos Germanos admonet, ne ſibi illudi ſinant a doctrina ſcripturis Galli, *qui non obſtante conſuetudine, ſuos patriotas adhuc conſtitutos eſſe exiſtimat ſub indeterminatione legum naturalium quoad uſuram, haud dubie nociva humano generi & eo ipſo prohibita*. Dum primo aſpectu hæc legebam, mendum typographi irrepſiſſe exiſtimabam, putabamque legendum eſſe: *quoad uſuram haud dubie nocivam*, ſed re attentius perpenſa, & ſingulari Interpretis doctrina in mentem revocata, collegi nullum heic reperiri mendum. Quoniam totus ſcopus iſtius Theologi eo pertinet, ut evincat non uſuram, ſed indeterminationem uſuræ nocivam eſſe humano generi: & ſic ſua concluſio reſpondet doctrinæ ſub initium traditæ, nempe ſolam indeterminationem uſuræ lege naturali & divina eſſe prohibitam: & hac indeterminatione per leges civiles ſublata, uſura amplius prohibita per ipſum minime eſt. Quapropter arguit ſcriptorem Gallum exiſtimantem *ſuos patriotas adhuc conſtitutos ſub indeterminatione legum naturalium quoad uſuram, haud dubie nociva humano generi, & eo ipſo prohibita*.

14. Lepidiſſimas nunc definitiones expendamus. *Uſura in Germania &c.* Inaxſpectatum ſane atque inauditum definitionis genus, dum ea explicantur quæ lege naturali & divina vetita ſunt. In poſterum Theologi Germaniæ dum interpretantur ea quæ Decalogo prohibentur, ſic eadem finire debent: *Fornicatio in Germania eſt &c. Furtum in Germania eſt &c. Adulterium in Germania eſt &c. Ebrietas in Germania &c.* Non ergo eadem in Germania Catholica lex naturalis & divina? Sed alia definitionis membra percurramus. Siquidem in hac definitione clarius confirmat, ſe aliam uſuram non agnoſcere, niſi eam quæ in exceſſu lucri ſita eſt? *Uſura*, inquit, *in Germania eſt, quod recipitur ultra partem viceſimam in contractu cenſuali perſonali*. Si cenſus perſonalis verus & realis titulus foret exigendi ſeu ſolvendi partem viceſimam, exceſſus viceſimæ non eſſet peccatum uſuræ, ſed peccatum injuſtitiæ: ſicut exceſſus juſti pretii in rerum venditione & emtione, non feneratorius, ſed injuſtus appellatur. At quia mutuum in Germania Interpres Auguſtanus habet pro cenſu perſonali, ideo non definit uſuram *lucrum ex mutuo perceptum, ſed lucrum excedens viceſimam ſortis principalis in contractu cenſuali perſonali*. Sicuti enim ſententiam non modo doctrinæ Catholicorum contrariam, ſed vel ipſa Hæreticorum de uſuris opinione pejorem excogitavit; ita novam producere debuit definitionem omnibus incognitam. Sub initium ſuæ doctrinæ uſuram ſecundum communem ſenſum finierat: *lucrum ex mutuo perceptum*. Præfatæ autem doctrinæ finem imponit contraria definitione, ita ut videatur quadra permiſcere rotundis. Illud ſolum in non parva, abſit verbo invidia, verborum confuſione firmum conſiſtit, uſuram nempe totam ſitam eſſe in indeterminatione legum naturalium, & conſequenter in exceſſu partis viceſimæ per leges civiles definitæ.

15. Secunda definitio in lepore primæ palam præripit. *Contractus mutui in Germania eſt commodatio pecuniæ a legibus NON ELEVATA ad naturam contractus cenſualis perſonalis*. Non modo uſura, ſed etiam mutuum in Germania diverſi generis eſt a mutuo aliarum nationum. Cur? Quia mutuum in Germania illud eſt, quod per leges civiles non *elevatur* ad contractum cenſus perſonalis. Enixe ab Interprete efflagito, quanam arcana vi leges Germaniæ elevent mutuum ad contractum cenſus? Imprimunt ne ei quamdam phyſicam qualitatem, qua media elevetur ad naturam cenſus, eo modo quo elementum aquæ fit ſacramentum Baptiſmatis? An ſola externa denominatione id præſtant? Explicet pervelim, num legiſlatores civiles tanta virtute polleant, ut ſola voluntate aut decreto aliquo exteriori rerum permutare naturas valeant. Quod Princeps adjicere contractibus conditiones & limites poſſint, prout expediens ad juſtitiæ integritatem ſervandam judicaverint, nemo eſt qui repugnet. At quod contractus venditionis & emtionis ad contractum ſocietatis elevetur, aut ut contractus ſocietatis in naturam contractus mutui immigret, Civiles leges tanta non pollent efficacia.

16. Sed miſſis pluribus, quæ profert de hac legum Civilium virtute *elevante* mutuum ad naturam contractus cenſualis perſonalis, ſenſum impeditiſſimæ definitionis, quoad fieri poteſt, expromamus. Senſus autem quem ego elicio, hic eſt. *Uſura in Germania eſt exceſſus lucri percepti ex mutuo ultra quinque pro centum*. Clarius: in Germania commodatio pecuniæ numquam elevatur ad naturam cenſus perſonalis, quando ex induſtria mutuatarii exigitur plus quam viceſima ſortis principalis. E contrario ſi tantummodo lucrum viceſimæ redeat mutuatori ex ſua ſorte, tum nullius apparebit uſuræ veſtigium; quia tunc mutuum elevatur ad naturam cenſus perſonalis.

17. Ut autem multa in pauca contraham, ad quædam capita univerſam hac de re eruditi Interpretis doctrinam revoco. Primum eſt, quod uſuræ notionem in ſola indeterminatione legum naturalium, ſeu in ſolo exceſſu lucri non definiti per leges civiles, conſtituat. Hocque iſtum reddit ſenſum, ſcilicet legem naturalem non prohibere uſuram, ſed uſuræ exceſſum: quo exceſſu per leges poſitivas ſublato, & juſta uſuræ quantitate exigenda præfinita, uſura quoque vetita ſublata eſt. Hæc porro doctrina palato noſtro quidquam erroris ſapit. Hinc conſequitur alterum: quod lucrum quinque, ſeu viceſimæ pro centum ex pecunia mutuo credita *ſine ſpe-*

ciali

Digitized by Google

cials titulo licitum ſit in Germania. Hoc itidem, quidquam ut minus *male ſonantis* redolere videtur. Tertium, quod leges Civiles in Germania tanta virtute polleant, ut mutui naturam ad cenſus perſonalis eſſentiam valeant *elevare*. Nimis prodigioſa videtur virtus iſthæc Germanorum: proin aliqua deſideratur explicatio. Quartum, quod intentio mutuatoris, qui lucrum non ex ſterili pecunia, ſed ex induſtria mutuatarii quærit, ſatis ſit ad abigendum uſuræ crimen. Difficaltas heic ſumma occurrit: Sola ne mutuatoris intentio ſufficiat, an ſimul mutuatarii induſtria requiratur? Solam intentionem, & quidem tacitam, ſufficere ex præcipuis illius doctrinæ capitibus colligitur. Si enim uſura ſita eſt in ſolo lucri exceſſu; ſi lucrum viceſimæ in Germania ſine *ſpeciali titulo* licitum eſt, ſola tacita intentio quæ reapſe nulla eſt, ſufficit. Ex alia parte quia ſemel & iterum induſtriæ mutuatarii mentionem facit, ab eo quærimus, num hæc induſtria in ſola intentione mutuatoris ſita ſit, an neceſſario requiratur, ut re vera exſiſtat in mutuatario; ita ut ſi mutuatarius induſtrius non ſit, feneratorium lucrum evadat. Quod ſi concedit, jam falſum eſt quod ſtatuit, *viceſimam in Germania licitam eſſe ſine ſpeciali titulo*: Immo conſequitur, univerſam illius doctrinam corruere, & contradictionibus ſatis apertis ſcatere; ac denique cenſus Germanorum eſſe uſuræ labe aſperſos. Nam, ut teſtatur *Patritius SPORER loco citat.* vix ex mille unus mutuator præfatam habet intentionem, aut ad induſtriam reſpicit mutuatarii; ſed abſolute pecunias mutuo credit cum expreſſa voluntate capiendi lucrum, quamvis mutuatarius re ipſa quacumque induſtria careat. Quapropter dictus Sporer Doctor Germanus ſummopere timet dictos cenſus fenebres eſſe. Ideo Interpres aliam init viam, novumque excogitavit inventum. Quintum ergo & ultimum doctrinæ caput eſt illud, quod Caſuiſtarum Germaniæ *directioni ſubjacet tacite voluntas, ac intentio legiſlatorum civilium ac fidelium; bona animi dominio in alium transferentium*. Hoc nobis arcanum impervium eſt, quod ab Interprete reſerandum cupimus.

18. Hæc ſunt quinque doctrinæ capita, quæ graviſſimum nobis faceſſunt negotium; quæve ut de cujuſque erroris nota & ſuſpicione Interpres purget, peroptamus. Quoniam ut noſtra præfert opinio, & mutuo pugnant, & doctrinam continere videntur ab Eccleſia proſcriptam; & uſuris habenas laxare præ ipſis hæreticis Germaniæ, qui ſolas uſuras *Negotiatorias* & *Compenſatorias* propugnant ut licitas. Quam ſpartam illum obiturum fore minime dubitamus. Quandoquidem ſi & terræ quietem ab Neotericorum impactionibus, philoſophiam ſcholaſticam ab Hæreticorum dicteriis aſſeruiſſe ſibi jure & merito honori vertit; quanto magis ſua intereſſe judicabit, & propriam de uſura doctrinam, & quorumdam etiam ſuæ Germaniæ Caſuiſtarum ſententias eodem de argumento adverſus Hæreticos, qui eaſdem erroris inſimulant deridendaſque propinant, tueri? & inſuper illas diverſas omnino demonſtrare a ſententiis Molinæi, Salmaſii, Barbeyracii & Buddei, atque diſcrimen inter utraſque non vocum diverſitate, & verborum nihil ſignificantium multitudine, ſed se ipſa, & vera titulorum varietate oſtendere. Quod ſi nos in hac Animadverſione minus feliciter reconditos & ſibi minus conſtantes ſuæ doctrinæ ſenſus aſſequuti ſumus, ſuum erit dun præſtare: alterum humanitatis; noſtræ imbecillitati veniam impertiri: alterum juſtitiæ; populos nempe ab uſuræ errore ſubducere.

INTERPRES AUGUSTANUS

OBSERVATIONE QUINTA.

T*itul. Advocatus. Caſ. 3.* „ Docet (Pontaſius) Advo„catum debere deſerere cauſſam „ quam ab initio „ credidit eſſe juſtam, ſi in progreſſu agnoſcat *valde eſſe* „ *probabile*, eam eſſe injuſtam. *Hæc ſententia* non eſt pro„babilis, nec a ratione nec ab auctoritate.„

ANIMADVERSIO SEPTIMA.

1. NImis temere lata cenſura eſt in ſententiam non modo & a ratione & ab auctoritate probabilem: ſed juxta communis ſenſus præſcriptum, & ejuſdem Cenſoris principia, ſola probabilis eſt, ſolaque amplectenda. Et ut illius probabilitatem ab auctoritate petitam breviſſime demonſtrem, paucos & Sanctorum, & Caſuiſtarum Germaniæ textus in medium afferam.

2. D. Thomas 2. *quæſt.* 71. *art.* 3. *ad* 2. *Advocatus ſi* *Pontas Tom. I.* *in principio credit cauſſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam, non debet prodere; ut ſcilicet aliam partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſſæ alteri parti revelet. Poteſt tamen & debet cauſſam deſerere, vel eum cujus cauſſam agit ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarii damno.*

3. Sanctus Antoninus 2. *part. tit.* 11 *cap.* 19. *§.* 8. *Similiter etiam cum a principio cauſſam credit juſtam, & in proceſſu videat cauſſam injuſtam, peccat graviter defendendo eam; tamen non debet eam prodere, ut ſcilicet juvet aliam partem, vel ſecreta ſuæ cauſſæ alteri parti revelet, quia male faceret, & contra fidelitatem. Sed debet eam deſerere, dicendo clientulo, quod non habet juſtitiam, vel eum ad cedendum inducere, vel ad componendum cum adverſario, ſine ſui tamen damno. Et tenetur talis ad omne damnum, quod altera pars ex ejus auxilio incurrit. Hæc Thom. Idem Rayn. & allegat l. Rem. Cod. de indit. & idem ſtatuit Gregor.* 10. Hanc eamdem ſententiam defendunt Sotus *lib.* 5. *q.* 8. *art.* 3. Silveſter *verb. Advocatus*, *q.* 10. Cajetanus *verb. Advocatus*. Navarr. *in Manual. c.* 25. *n.* 28. Lugo *diſp.* 41. *ſect.* 1. Salmanticenſes, *tract.* 29. *c.* 4. *punct.* 3. *n.* 33. & communiter omnes Theologi cujuſque nationis.

4. Verum quia Interpres noſter ubique opponit Germaniæ Theologos, iſtorum aliquos producamus oportet. Hermannus Buſembau *lib.* 4. *dub.* 3. *n.* 64. „ Advocatus „ ſi in progreſſu cauſſæ iniquitatem videat, tenetur mox „ monere clientem, & ſuadere ut deſiſtat; alias ad re„ſtitutionem damnorum obligabitur; quia cum ſtipen„dio ſit conductus, tenetur ex juſtitia monere. *Tann. loc. cit.* Neque poteſt vel ipſe, vel judex ſuadere com„poſitionem cum damno partis; quia compoſitio non „ habet locum, niſi quando res eſt dubia. Si vero in„ducat ad transactionem ſine damno, deceptione, vi & „ metu, non tenetur, quia nulli facit injuriam. *Valent.* „ *Azor. Leſſ. Layman. Donec.* Huic ſententiæ ſubſcribit etiam *La Croix* qui eam refert *loco cit. n.* 1506.

5. Wigandt tract. 9. Exam. 6. q. 4. num. 58. *Advocatus ſi in principio credidit cauſſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam ... debet cauſſam deſerere, vel eum cujus cauſſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarii damno.* Et ne tempus fruſtra teram, ſatis ſit mihi dicere. Theologorum ſive Germanorum, ſive cujuſque alterius nationis, neminem me legiſſe, qui oppoſitum doceat.

6. Ratio, cur advocatus qui in proceſſu litis cauſſam injuſtam deprehendit, debeat clientem admonere cauſſamque deſerere, ſuapte natura evidens eſt. Nam qua ratione, antequam litis ſuſcipiat patrocinium, tenetur clientem admonere, & cauſſam injuſtam agnoſcens rejicere; eadem quoque; ſi in proceſſu litis deprehendit injuſtitiam quam ſub initium non agnovit, eam manifeſtare clienti tenetur, eamdemque deſerere, quando valde probabile ſeu vehementer conſtat, illam eſſe injuſtam. Quiſque nunc judicet, quam inconſulta ſit Interpretis cenſura lata in ſententiam, quam Theologi communiter ſuſtinent.

INTERPRES AUGUSTANUS

OBSERVATIONE QUINTA.

T*itul. Meritum, Caſ.* 1. *&* 3. „ Docet (Pontaſius) „ nullum dari meritum, niſi procedat ex amore „ Dei, vel actualiter vel ſaltem virtualiter, *Caſ.* 1. ait: „ Quinque ſunt conditiones, ut aliquis mereri poſſit opere „ bono ... ultima conditio hæc eſt. Bonum opus pera„gitur ſaltem virtualiter ex caritatis incentivo. Et „ *Caſ.* 3. ait: Antonius (in caſu propoſito) ex eleemoſy„na ſua nullum ducet meritum, quoniam illam abſque „ Dei amore vero erogat, ut ex S. Thoma probari poteſt, qui dicit omnia virtute imbuta opera, ne quidem „ martyrio excepto, meritoria eſſe non poſſe, niſi cum „ peragantur ex amore Dei. *Quod autem ſit meritorium* „ *martyrium, hoc habet ex caritate, ſicut quilibet virtutis* „ *actus, & ideo ſine caritate non valet.* Hæc doctrina „ perpetuo confundit caritatem habitualem, & actualem. „ Sine habituali utique nullum datur opus meritorium „ præmii ſupernaturalis, prout docet S. Thomas cum re„liquis Theologis. Quod autem omnia meritoria opera „ procedere debeant ſaltem virtualiter ex motivo dile„ctionis actualis præcedentis, hoc non liquidum apud „ Theologos, immo iſta doctrina iteram habet magnam „ ſimilitudinem cum ſequentibus propoſitionibus Queſ-

nelli 49. Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri ; ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei. 50. Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi ; ſi ſpiritus caritatis non eſt ille qui clamat &c.

„ Ut candide aperiam meum judicium in his controverſiis, cenſeo eas originem ac progreſſum ſuum potiſſimum debere neglectui excolendi Theologiam Scholaſticam : qui enim toti incumbunt lectioni Patrum neglecta Theologia Scholaſtica, imbibunt innumeras loquendi formulas minime accuratas ; quas dum obtrudere volunt pro regula, caſtigantur a Theologis. Poſſum eo confidentius loqui in hac materia, quia ſcripta SS. Patrum qui floruerunt ſex primis Eccleſiæ ſæculis, attente perlegi, & ſtudiis ſcholaſticis jam a multis annis alligor &c.

ANIMADVERSIO OCTAVA

ADHORTATORIA.

1. Mirum eſſet ſi Pontaſius *Rigoriſtis* audiret, ſimulque *Janſeniſmi*, ſeu *Queſnellianiſmi* fuligine tinctus non eſſet. Manus ſibi, inquiunt, porrigunt hæc duo, & unum aliud conſequitur. Limites mihi ſub initium circumdedi, decrevique, non dogmatica, ſed moralia præcepta *rigoriſmi* notæ ſubducere. Quare ſi *Pontaſium* a Queſnellianiſmi labe non aſſero, quam ei Interpres vacillanti licet trepidoque calamo aſpergit ; non id omitto, quod cauſſa cadere timeam, ſed quod præter inſtitutum ſit. Illud potius opportunum duxi, quædam ſcilicet ſaluberrima monita eruditi Interpretis oculis ſubjicere, quibus bene uſus ſi fuerit, multa & non levia vitabit incommoda.

2. *Primum eſt*, ut in cenſuris ferendi cautior ſit ac temperantior, illaſque dumtaxat Auctorum ſententias interdicto ſupponat, quæ obvium præferunt pravum ſenſum ; idque non verborum involucro, ſed præciſe & ad vivum omnia reſecando, efficiat. Quoniam illius inconſulta facilitas traducendi doctorum virorum placita, ſtomachum non paucis commovit. Injuriam haudquaquam comminiſcor, quam in ſua *Pollingana Philoſophia part. 3. phyſ. q. 7.* impingit Thomiſtis illis, quos imperitiores vocat ; non inquam comminiſcor injuriam, veriuſque dixerim calumniam, quam illis impingit dum illorum de *Prædeterminatione* ſententiam tamquam Janſeniſmi lue infectam repræſentat, exſibilandamque propinat. Quoniam has nænias paulliſper rancidulas frigidaſque impoſturas, non modo domeſtici, ſed extranei quoque doctiſſimi viri profligarunt, ac terra marique exterminarunt. Sed illud erudito viro in memoriam revoco, arma ſcilicet, quæ ille ipſe ſuppeditavit Queſnellianiſtis, & Janſeniſtis in ſuis *Pontaſianis Mendis*. Hæc namque illi legentes, muſſitant in angulis, clamant in compitis. Si verſionis Auguſtanæ Interpres ſententias morum ſpectantes integritatem, quas non modo Patres & antiquiores Theologi omnes, ſed ipſimet recentiores benignioreſque Caſuiſtæ propugnant, inter menda rejicit improbatque : neminem ſollicitum habere debet, ſi controverſiis dogmaticis quæ illi non ſapiunt, nigrum theta præfigat. Qui enim in re aperta imponit, qui ſanioti manifeſtæque doctrinæ cenſorias notas impingit ; quid in ambiguis imperviiſque arcanis metiendis ſibi fidei & auctoritatis meretur ?

3. *Alterum*. Sciat Interpres Auguſtanus velim, non ſecus diſſidia ſerere, turbas commovere, Eccleſiamque univerſam perturbare, illos qui erroris notas impingunt veris Catholicorum ſententiis, ac illos qui aperta fronte catholicas veritates impugnant : nec minus hæreſim redolet Evangelica morum præcepta hæreſibus accenſere, quam adverſus fidei dogmata novas procudere hæreſes. Porro familiare non paucis Caſuiſtis eſt, vel ipſas ſanctiores morum regulas quas nobilior Catholicorum portio tamquam Evangelio, Traditioni, Patribus, Conciliiſque conſonas defendat, erroris ſuſpectas reddere, atque veluti rivulos ex putida hæreſis cloaca profluentes exhibere. Præter eas quæ obiter dicta ſunt, unum ex multis tantummodo documentum in medium proferam ex Caſuiſta, quem eruditus Interpres tamquam Germanorum Caſuiſtarum Magiſtrum his in ſuis Obſervationibus laudavit. Is eſt P. Claudius La Croix, qui *in ſuis Commentariis in Medullam Caſuum P. Hermanni Buſembau lib. 1. num. 291. pag. 27. & 28.* ex ſuo Terillo hoc ſcribit. *Denique etiam conſiderandum eſt, quod dicit Terillus in præfat. ad Reg. morum, nempe JANSENISMUM ESSE MATREM SENTENTIÆ PROBABILIORIS : Sic enim* (inquit Terillus) *non poterat habere melius medium perſuadendi aliqua Dei precepta eſſe ſecundum præſentes vires obſervatu impoſſibilia : item hoc erat aptiſſimum medium Sacramenta, præſertim Pœnitentiæ & Eucharistiæ reddendi magis odioſa. Hæc ille.* Et hæc La Croix.

4. Judicium nunc ferat vel ipſe Auguſtanus Interpres quantum pietatis, quantum prudentiæ, quantum modeſtiæ & veritatis hæc præferat cenſura. Non aſſeritur modo, Janſeniſtas docere ſententiam probabiliorem, ſed ut vividius & ſignificantius ſententia vulgi oculis depingatur, ajunt *Janſeniſmum matrem eſſe ſententiæ probabilioris*. Ex quibus hæc derivant Janſeniſtæ. Non poteſt arbor mala bonos fructus facere. Mala arbor hæreſis parere nequit, niſi malos fructus hæreſis : *Janſeniſmus*, quemadmodum *Lutheraniſmus*, hæreſis eſt. Ergo ſi Janſeniſmus mater eſt probabilioris ſententiæ, probabilior ſententia hæretica eſt. Hanc ratiocinationem exigat Interpres ad ſuam accuratiſſimam Scholaſticam, ut ſi quo laboret vitio, diſcernere queat. Deinde commeditetur, quam verum ſit quod indicavi, has ſcilicet Caſuiſtarum cenſuras turbas ciere, bella, jurgia, odia ſerere, Eccleſiæ unitatem conſcindere, & hæreticis arma porrigere, optimamque Catholicorum cauſſam prodere. Enimvero ſic iterum colligunt Janſeniſtæ. Sententia probabilior ex ipſo Evangelio, Patribus, Conciliis & antiquioribus omnibus Theologis dimanat, ut teſtatur vel ipſe Medina, qui primas litem ei movit : & quod peremtorium eſt, omnium Catholicorum etiam benigniorum Caſuiſtarum teſtimonio præfata ſententia ſanctitatem, pietatem majoremque ſpirat ſecuritatem ; atque adeo ſin præcipienda, conſulenda ſaltem omnibus eſt. Ergo ſi hæc ſententia ſanctior, ſi hæc ſententia quæ ſecurius ad paradiſum ducit, *Filia eſt Janſeniſmi* ; felix fauſtaque ſit *Janſeniſmus Mater*, quæ filias adeo pias, quæ partus adeo ſanctos in lucem edit.

5. Talia effutiunt provocati Janſeniſtæ, ſic blaterant, ſic obganniunt, & ob quorumdam imprudentiam univerſis inſultant Catholicis, & Pontificia contemnunt decreta. Incipit ne quidquam nunc tibi ſubolere iſtorum impotens cenſurandi cacoethes ? Præſentis ne nunc mala quæ iſti in Eccleſiam invehunt ? Iſti, inquam, factioſi, ut proprias rationes & negotia promoveant præ aliis, pro arbitrio hæreſes ſerunt, hoſteſque Eccleſiæ multiplicant, ut campum ubique apertum habeant, ampliſſimumque ferendi penes vulgus palmas canendique victorias ; & hac via ſub larva zeli perſequendi hæreticos, catholicis ipſis inſidias ſtruunt. In Eccleſiæ defenſionem utique plures bellum non ſine gloria ſingulari, & ingenti profectu gerunt : ſed non pauci, neſcio quo genio acti, ſimile bellum in Eccleſiæ defenſores ſimulantes ; intra Eccleſiæ ſinum bellum fovent inteſtinum, extremamque Eccleſiæ inferunt cladem, niſi agger torrenti in dies tumeſcenti adjiciatur.

6. Et quamquam hæc graviſſima mala ſunt, eorum tamen quæ ſequuntur, comparatione leviora fiunt. Ecquis ſiccis oculis enarrare valet Sacramentorum profanationem ſacrilegam ? quis funeſtam tremendamque Evangelicæ divini verbi prædicationis ſterilitatem, aliaque propemodum infinita ſcandala, quæ ex ultimis recitatæ cenſuræ verbis proficiſcuntur ? *Sic enim non poterat haberi melius medium perſuadendi aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia. Item hoc erat aptiſſimum medium Sacramenta, præſertim Pœnitentiæ & Eucharistiæ reddendi magis odioſa.* Quid itaque mirum, ſi Chriſtiani, dum e ſacro ſuggeſtu concionatores audiunt Evangelicam explicantes doctrinam, quæ carni & appetitionibus bellum indicit, quæ jejuniis ſenſus macerare imperat, quæ mundo ejuſque pompis nuntium mittere ; theatra, comœdias, ludos & choreas tamquam humanæ imbecillitatis ſcopulos vitare ſuadet ; quæ divitum difficillimam ſalutem oſtendit ; quæ mundanæ proſperitatis contemtionem, quæ avaritiam, uſuram catne pejus & angue fugere præcipit : quæ denique carnis & ſanguinis odium inſinuat, quæ arctam anguſtamque paradiſi, quæ latam ſpatioſamque viam quæ ducit ad perditionem : quæ paucos electos, multos damnatos oſtendit : Quid inquam mirum, ſi Chriſtiani Caſuiſtarum anticipationibus præventi hæc audientes clament : Hæc eſſe præcepta obſervatu impoſſibilia. Et en quomodo illa ipſa falſa via, qua a Janſeniſmo ſe recedere

Digitized by Google

cedere voce tenus putant, in Janſeniſmum prolabantur; quoniam re ipſa reddunt inobſervabilia Dei præcepta. Quid igitur mirum, ſi dum Sacramentorum Miniſtri ejuſmodi Chriſtianis qui in peccatorum cœno volutantur, qui a præfatis occaſionibus periculiſque ſcelerum recedere nolunt, abſolutionem & Euchariſtiæ ſuſceptionem differunt Dei homines, donec exhibeant Evangelicæ contritionis ſufficientia argumenta? Quid inquam mirum, ſi extemplo apud vulgus *Rigoriſtæ & Janſeniſtæ* audiunt, traducanturque ceu Calviniſtæ, qui Sacramentorum frequentiam & Sacramenta ipſa de medio tollunt? Quid denique mirum, quod illi ipſi Chriſtiani Chriſtianæque, quæ ex una parte impenſius vanitatibus, pompis, luxui, omnibuſque inſanientis mundi oblectamentis ſtudent, quæ theatris, ludis, choreis, comœdiis quotidianam operam navant, quæ perpetuo otio mollitieque diffluunt, & marceſcunt in promiſcua virorum familiari converſatione: ex altera vero parte ſimul ad altaria frequenter accedunt, abſolutionis beneficium ad nutum recipiant, divinoque Eucariſtiæ pabulo reficiantur? Facti, cujus univerſus orbis teſtis eſt, rem narro.

7. Ad hanc immenſam malorum multitudinem animum cum intenderet doctiſſimus Michael Elizalda, qui ſuadente altero ſuæ inclytæ Societatis ſapientiſſimo viro Cardinali Pallavicino integrum volumen in lucem edidit adverſus novum Probabiliſmi inventum, temperare ſibi haud potuit, quin ſcriberet, recentiores Caſuiſtas impoſſibilia Dei præcepta efficere, dum mandata Evangelica carni & ſanguini accommodata, ſuaqe natura, non gratiæ & caritatis unctione, ſuavia eſſe prædicant. Hæc namque ſcribit *3. p. lib. 7. quæſt. 5. §. 5. pag. 29.* „Hinc „ denuo cernitur, quomodo via iſta probabilium *in Janſe-* „ *niſmum* ex ſuo etiam inſtituto vergat. Eo enim illa it „ & tendit, *ut ipſa re* ab ipſa præceptorum adimpletione „ nos liberet & eximat. Aliunde vero ait, niſi ipſum „ admittamus (Janſeniſmum) nos fore Janſeniſtas. Hoc „ autem quid quæſo eſt? Sane eſt, nos obligare ad impoſ- „ ſibilia. Hoc rurſus quid eſt? Non aliud, quam niſi ea „ via aſſumatur, liberans nos atque eximens re ipſa ab „ ipſa præceptorum obſervatione, nos fore obligatos ad „ impoſſibile.... Ergo via probabilium ex ſuo inſtituto „ ad hoc tendit, ut nos ab ipſis re ipſa præceptis ſervan- „ dis eximat quoque; ita ut ſin minus ad impoſſibile ho- „ mines obligari velint, & ad dura & intolerabilia, ut „ mitiſſime dixerim, nimis vergit in Janſeniſmum, nec „ præceptum Dei & gratiæ dignam habet exiſtimatio- „ nem. „

8. Deinde hoc pacto concludit. „ A contrario etiam „ demonſtrative patet neminem intelligendo quod objicit, „ objicere nobis poſſe *Janſeniſmum*. Nam univerſa totius „ noſtri operis una ſententia eſt, ſolas veras doctrinas „ morum eſſe rectas doctrinas morum, & rectam regulam „ .... *Ergo via noſtra non plus de Janſeniſmo habet, quam* „ *habebat ipſa præcepta Dei. Quare quod eſſe nequit: aut* „ *Deus Janſeniſta eſt, impoſſibilia præcipiendo: aut nos Jan-* „ *ſeniſtæ non ſumus, ſolas veras doctrinas regulam vivendi* „ *conſtituendo*.

9. *Poſtremum monitum* conſilium ſpectat, quod Auguſtanæ verſionis Interpres proponit novam conficiendi Theologiam Moralem ad methodum Juris Canonici: „ Sunt (inquit in præfat. ad lect.) qui jam diu optant „ eo modo formari corpus Theologiæ Moralis, quo mo- „ do coaluit corpus juris civilis & canonici, compactum „ ex reſponſis legiſlatorum, & meliorum juriſperitorum „ veterum. Putant conſimili forma compilari poſſe corpus „ Theologiæ Moralis ex non quorumvis, ſed ex optimo- „ rum doctrina, eruditione, ac pietate præſtantium Theo- „ logorum ſententiis. „ Saluberrimum ſane, optimumque conſilium. Et quoniam Numinis providentia tantum illi contulit otii, ut exactis laboribus philoſophicis ad diſciplinam quoque morum animum adjiceret; ejuſdemque diſſolutos nervos ad Evangelii ac Traditionis Eccleſiaſticæ (ut ex Mendis Pontaſianis patet) vigorem reducere adlaboraret, ſicuti ipſe nos commonefacit; liceat mihi, occaſione data, aliud pro ejuſdem Moralis Theologiæ remedium ea, qua par eſt, demiſſione ſuggerere. Quodnam? Paucis habeto. Alexander VII. Innocentius XI. Alexander VIII. aliique Pontifices ſummi plurimas de morum regulis damnarunt propoſitiones, quæ in iiſdem unde excerptæ fuerunt, libris reperiuntur ſolo charactere; in aliquibus, ſtellula aliove indicatas ſigno, quo admonentur lectores, ut ab erroneæ doctrinæ veneno ſibi caveant. Et re ipſa eaſdem propoſitiones exſecrantur, ſi, ut dicitur, materialiter accipiantur. Quandoquidem eadem ipſa doctrina quæ in dictis propoſitionibus continetur, plures alii deciduntur caſus. Et nihilominus imperiti lectores has reſolutiones nullo diſtinctas ſigno, ceu innocuas amplectuntur, eiſdemque fidelium imbuunt diriguntque conſcientias. Hac ratione fit, ut adhuc non paucorum fidelium animæ proſcripta ab Eccleſia doctrina inficiantur. Quapropter viri Dei averent, ex ejuſmodi libris non modo damnatarum propoſitionum verba expungi, verum etiam ea omnia corollaria quæ proſcriptas propoſitiones conſequuntur. Quod ſi præſtabit, ſummam & Eccleſiæ cujus vota iſtuc ſane pertinent, & fidelibus utilitatem afferet, ſimulque ora obſtruet Janſeniſtis. Jactant illi ſe quinque rejicere propoſitiones *ut jacent*; ſed eas aut reperiri in Janſenii libro, aut in ſenſu Janſenii continere errorem pernegant. Nos vero Catholici, non modo *ut jacent*; ſed & in libro Janſenii exſtare, & in ſenſu Janſenii damnatas defendimus, idque luculentis argumentis evincimus. Nobis dumtaxat negotium faceſſunt, & Janſeniſtis anſam cavillandi præbent, non pauci rei moralis tractatores. Hi nobiſcum ſophiſmata labefactantes Janſeniſtarum; dum ſimiles in propria cauſſa morum verſant controverſias, eo affectu erga illos ſcriptores qui a ſuis partibus ſunt, tanguntur, ut pro illorum defenſione a cujuſque damnatæ doctrinæ nota, paradoxa & ſophiſmata excogitaverint. Summopere enim verentur, ne propriæ factionis Auctores plurimum amitterent auctoritatis & exſiſtimationis, ſi ſemel concederetur, illos proſcriptas docere propoſitiones. Quare in hac cauſſa ad ſolitum ſe recipiunt aſylum, non ſecus ac Janſeniſtæ, ſcribentes: Alexandrum VII. Innocentium XI. alioſque Pontifices propoſitiones in morum materia damnaſſe *non in ſenſu Auctorum moralium* ſeu ſummiſtarum, ſed, *ut jacent*, velut a *delatoribus alteratas*; haudquaquam vero ut in libris exſtant. Et tamen luce meridiana clarius eſt, præfatas propoſitiones ſyllabatim in Caſuiſtarum libris reperiri ſine ulla moderatione; & non raro quæ antecedunt vel ſequuntur, pejora ſunt. Quin ipſi quandoque Caſuiſtarum Apologiſtæ damnatas propoſitiones commentantes, ut ſuis Caſuiſtis conſulant, proſcriptam doctrinam tot involvunt diſtinctiunculis, ut eamdem crambem novis adjectia condimentorum fucis comedendam parent exhibeantque. Ab ejuſmodi malis & erroribus quorumdam Caſuiſtarum qui communibus teruntur manibus, libros, ſepoſita partium affectione, omnibuſque humanis rationibus ſublatis, expurgari ad maximam fidelium utilitatem, Romanæ Eccleſiæ decorem, & ad hæreticorum potiſſimum Janſeniſtarum confuſionem, percupiunt omnes qui ſanioris doctrinæ flagrant ardore.

AUCTARIUM DUORUM CASUUM.

CASUS PRIMUS.

1. *Heliodorus Caſuiſta in lucem edidit morum Theologiam, quam neglectis Scripturis, Patribus & Conciliis, ex paucis aliorum Caſuiſtarum libris compilavit.* 2. *Auctores quos ab iſtis laudari reperiit, nullo adhibito delectu, citavit & ipſe, quin umquam ad fontem digitum intenderet.* 3. *Plurimas opiniones ut communes Theologorum ſententias ſuis lectoribus divendidit, quæ re vera tales non ſunt: & contra ut improbabiles traduxit, quæ probabiliores ſunt.* 4. *Auctorum ſenſum pro arbitrio aunit; quoniam qui aut ambigue aut dubitanter loquuntur, illos tamquam decretorie decidentes allegavit, partim quod a ſuis Caſuiſtis citatos offenderit, partim ſtudio ductus propriis opinionibus adſciſcendi patrocinium.* 5. *Opiniones quas ipſe lanas & improbabiles reputat, nulla adjecta cenſura, lectorum arbitrio proponit. Re ſerius expenſa, ſe illuſum agnoſcit, & ſuos ſe decepiſſe lectores formidat; conſcientiæ ſtimulis angitur, anxiuſque quærit, quodnam perpetraverit peccatum?*

RESPONSIO.

1. Quo eſt majotis quem propoſui, caſus momenti, eo eſt aleæ invidiæque plenior. Antequam illius exhibeo reſolutionem, non pauca præmittam, fas eſt. Iſtius caſus deciſionem indictam reliquerunt Theologi omnes; principia tamen jecere, e quibus quid ſit reſpondendum, erui poteſt. De ſcientia Confeſſarii Caſuiſtæ fere omnes diſputant: & quamquam exiliter plerumque; quædam tamen ſtatuunt, quæ huic deſervire quæſtioni valent.

2. Primum omnium quædam D. Thomæ principia quæ a nemine in controverſiam vocari queunt, obiter indico. Docet autem 1. 2. *q.* 76. *art.* 2. omnes ſcire debere non modo ea quæ communem Chtiſtianam profeſſionem ſpectant, ſed etiam ea quæ ad proprium ſtatum & officium attinent. *Unde omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta. Singuli autem ea, quæ ad eorum ſtatum vel officium ſpectant .... Manifeſtum eſt autem, quod quicumqae negligit habere vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omiſſionis. Unde propter negligentiam, ignorantiam eorum quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum.* Quiſque ergo, qui Magiſter fidelium fieri vult & ejuſmodi profeſſionem exercere, ea prius calleat oportet, quæ ad rectum iſtius profeſſionis exercitium neceſſaria ſunt,

3. Alterum principium in mentem revocandum eſt, quod tradit Angelicus 1. *p. q.* 1. *art.* 8. nempe: *argumentari ex auctoritate, eſt maxime proprium hujus doctrinæ... eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habeantur.* Et hoc penes omnes certum. Sctiptor itaque Theologiæ moralis potiſſimum Scripturas, Patres, Canones, Concilia callere, & hæc ſacra volumina diurna nocturnaque manu verſare debet. Quod itidem compertum, exploratumque. De ſcriptura enim teſtatur Apoſtolus ad Rom. 15. *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Et ad *Timoth.* 2. *cap.* 3. *v.* 14. *Tu vero permane in iis, quæ didiciſti & credita ſunt tibi; ſciens a quo didiceris: & quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtituere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis enim ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Hinc Bernardus *Epiſt.* 189. *Magiſter gentium accepit a Domino quod & tradidit nobis. Magiſter hominum fatetur, doctrinam ſuam non eſſe ſuam. Nec enim,* inquit, *a me ipſo loquor. Tu vero homuncio de tuo nobis tradis, quod non accepiſti? Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur.* Tertullianus lib. de Præſctipt. *Nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis de ſuo arbitrio induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignarunt.* Sed hæc omnia extra ſunt diſputationem; neque hujus loci eſt, eadem fuſius explicare. Id dumtaxat advertere obiter juvat, hæc non minus in morum præceptis; quam in fidei arcanis explicandi, vera eſſe. Si quidem nimis enormis illuſio aliquorum eſt, qui putant Scripturas, Patres & Concilia conſulenda utique fore, dum fidei dogmata; ſecus dum morum præcepta explanantur: ſed ineptum commentum ab omnibus exploditur.

4. Tertium ex eodem Angelico recolendum eſt, poſt Scripturarum, Patrum Conciliorumque ſtudium, naturalem quoque rationem in ſubſidium explicandæ defendendæque veritatis advocandam eſſe. Quis enim naturalem rationem contemſerit, niſi ſolus ille qui rationalis eſſe deſierit? Quare hæc ſcribit Angelicus *quodl. l.* 4. *a.* 18. *Utrum determinationes Theologicæ debeant fieri auctoritatibus, vel ratione?* Cui quæſtioni ſic poſt multa reſpondit: *Quædam diſpoſitio ordinatur ad removendam dubitationem, an ita ſit: & in tali diſputatione Theologica maxime utendum eſt auctoritatibus... Quædam vero diſputatio magiſtralis in Scholis, non ad removendum errorem, ſed ad inſtruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis...... & tunc oportet rationibus uti inveſtigantibus radicem veritatis, & facientibus ſcire, quod verum dicitur. Alioquin ſi nudis auctoritatibus Magiſter quæſtionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita eſt; ſed nihil ſcientia vel intellectus acquiret, ſed vacuus abſcedet.* Porro humana ratio cum Theologiam tractat, in id potiſſimum dare operam debet, non ut diſtinctiunculas, ſophiſmata & cavillationes excogitet, quibus morum regulas ad populorum voluntates inflectat, & carnis appetitionibus & cupiditatibus accommodet; ſed in id vires omnes conferre tenetur, ut optimo ordine principia diſtribuat, ut prudenti examine omnia expendat, & ad regulas juſtæ ratiocinationis omnia revocet. Quibus poſitis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Heliodorus Caſuiſta, qui morum Theologiam tradit, inconſultis Scripturis, Patribus & Conciliis, ſoloſque verſat Caſuiſtarum libros, graviſſime peccat.

5. Concluſio iſthæc adeo evidens & manifeſta eſt, ut nec in diſputationem a quopiam revocari poſſit. Nam cujuſque artis etiam infimæ profeſſores jure naturali & divino obſtringuntur, & propriæ artis principia tenere, & eadem, cum artem exercent, adhibere. Quis dixerit operarium vineæ graviter non peccare, ſi contemtis agriculturæ regulis, vineam ſilveſcere ſinat? Quis dixerit Medicum, Architectum non peccare; ſi ad principia propriarum artium animum non intendunt, cum infirmos curant, domoſque ædificant? Atqui principia prima & potiſſima Theologiæ Moralis ſunt Scripturæ, Patres & Concilia: ergo Theologi qui, his omiſſis, Theologiam populo tradunt, graviſſime peccant. Hinc manifeſto apparet, cur Apoſtolus Jacobus tam ſevere ab hac profeſſione abſtineri juſſerit *c.* 3. *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei: ſcientes quoniam majus judicium ſumitis.* Et D. Thomas in commentariis in hunc locum hæc ſcribit: *Beatus Jacobus magis prohibet inſufficientiam, quæ frequenter oritur ex pluralitate, quam pluralitatem. Unde, Nolite plures magiſtri fieri, id eſt... idiotæ, & ſtulti. Gloſſa: niſi tantum diſcreti, & in ſcripturis docti...: Qui indoctus officium docendi uſurpat, & Chriſtum non ſincere nuntiat; majorem damnationem meretur, quam ſi ſolus in ſuo ſcelere periret.*

6. Sed lubeat antiquorum Patrum auctoritate concluſionem confirmare noſtram. Chryſoſtomus, Auguſtinus, Gregorius, Baſilius, Hieronymus Scripturas ſacras Epiſtolas vocant, quas creaturis ſuis omnibus Deus per tabellarios Prophetas & Evangeliſtas miſit. Chryſoſtomus *hom.* 3. *in Epiſt. ad Theſſal.* inquit: *Quaſi abſentibus litteras mittit, & has quidem litteras dedit Deus: attuli tautem Moyſes. Ita ne, ſi a Rege quiſpiam miſſus veniat, omnes attenditis? a Deo venit, & ex ipſis cælis loquitur Propheta, & nemo eſt qui attendat? Aut non creditis, quia quæ dicuntur, a Deo ſint? Epiſtolæ iſtæ ſunt a Deo miſſæ.* Auguſtinus in Pſalm. 90. *Hæ de illa civitate unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt: ipſæ ſunt ſcripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus. Quid dicam veniſſe litteras? ipſe Rex deſcendit, & factus eſt nobis via peregrinationis, ut in illo ambulantes non erremus.* Si quiſpiam, ſubdit Gregorius, ab Imperatote

ſuo

ſuis epiſtolas acciperet, qua ſolicitudine, qua anxietate illas aperiret? Et Epiſtolæ quas e cœlo omnipotens Imperator omnibus miſit, obſignatæ negliguntur; paucique ſunt, qui eaſdem referant leganteque? Quid Hieronymus? cum interroganti cujus eſſet profeſſionis, reſpondiſſet, Chriſtianum eſſe, audire meruit: *Mentiris; non enim Chriſtianus, ſed Ciceronianus es*; eo quod magis Ciceronis, quam Dei libris delectaretur. Ecce itaque, inquit Elizalda, univerſaliſſimum caſum conſcientiæ, ex quo uno infinitorum caſuum pendet reſolutio, heic verſamus: utrum ſcilicet Magiſtro & Doctori conſcientiæ neceſſaria ſit cognitio & ſcientia iſtarum Epiſtolarum, quas omnipotens Deus ad nos de cœlo miſit? Jam vero hi tanti Doctores, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius, ceterique alii vehementer adfirmant. Ergo infertur gravis criminis reos eſſe, qui ignorando & neſciendo has Dei Epiſtolas, docendi munus ſuſcipiunt... Rurſus, ſi Corinthii, ſi Romani & reliqui ad quos Paulus ſcripſit, Epiſtulas neglexiſſent nec legiſſent eas, graviter certe crimen incurriſſent; & ſi quæ per ignorantiam contra eas feciſſent, minime excuſati fuiſſent, quoniam voluntaria illa exſtitiſſet ignorantia: quod idem de Evangelio ceteriſque ſcripturis dicendum. At ſcripturæ, ſeu Epiſtolæ iſtæ non ad Corinthios, non ad Romanos, Galatasque tantum; ſed ad omnes nos miſſæ itidem ſunt. Ergo grave crimen eſt, eaſdem negligere & ignorare. Porro ſi illarum ſcripturarum doctrinam ignorant Chriſtiani, de uſuria e. g., de contractibus diſputantes; qui ſunt in cauſſa, niſi morum Magiſtri & Doctores, qui munus exercent docendi populum veritates cœleſtes & æternæ ſalutis viam? Quænam autem eſt ſalutis via? Non alia, niſi divinæ voluntatis exſequutio. Unde vero hæc Dei voluntas nobis conſtat? Non ſane aliunde, niſi ex Epiſtolis quas Deus nobis miſit. Quei ergo fieri poteſt, ut qui has ignorat Epiſtolas, Dei teneat voluntatem? Quis valet Regis mandata exſequi, ſi litteras in quibus mandata expreſſa ſunt, clauſas ſervat? An ne de ritibus Chinenſibus eorumque moribus ſcribere quis poſſet, ſi Epiſtolas illorum rituum morumque præſcripta continentes, ſigillatas teneret? Ex quibus omnibus infertur, *Heliodorum Caſuiſtam* graviſſime peccare; ſi dum munere fungitur tradendi ſcientiam Dei, libro Dei neglecto, hominum ratiocinia & ſubtiliſſimas cogitationes præbeat. Et ſummopere verendum eſt ſupplicium illud horrendum in pluriſmos jam Deum vibraſſe; quod per Amos Prophetam comminatus eſt *c. 8. v. 11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini: & commovebuntur a mari uſque ad mare, & ab Aquilone uſque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Neglectus ſtudii Scripturæ ſacræ, Patrum & Conciliorum, plus minuſve culpabilis eſt in tradenda Morali Theologia, prout gravior aut levior eſt cauſſa diſcutienda ab Heliodoro Caſuiſta.

7. NEglectus principiorum Theologiæ Moralis in Magiſtris & Doctoribus illam docentibus, ſuapte natura ſeu genere ſuo, graviſſime criminoſus eſt. Difficultas ſtatim cuique occurrit, quæ negligantia requiratur, ut omiſſio ſtudii graviter culpabilis evadat. Menſura certa & præciſa iſtius negligentiæ vix definiri poteſt. Quæ certiora & communiora videntur, indicabo. Sunt in primis qui Theologum & Confeſſarium comparant Depoſitario, qui ultro ſe offert ad cuſtodiendum depoſitum, quemve ex *culpa leviſſima*, ut vocant, ad reſarciendum depoſiti jacturam obligant. Quæ opinio non placet Navarro in *Manuali c. 4.* ubi ad evitandam dumtaxat *culpam latam aut levem* Confeſſarium obligat: quæ opinio mihi probatur. Nihil ille, nec alii quos ego legerim, de Doctoribus Theologiam in publicum edentibus. In primis certum eſt, iſtos in tradenda Theologia, non ſecus ac Confeſſarios in excipiendis confeſſionibus, teneri ad declinandam culpam *latam & levem*, ſeu ad eam adhibendam diligentiam, quam providentiores exercere ſolent in ſimilibus negotiis. Deinde certum quoque eſt majorem in Theologo requiri diligentiam ad Theologiam docendam, quam in Confeſſario ad eamdem diſcendam. Quoniam Theologus regulas, quoad fieri poteſt, certas tradere debet, quæ ipſorum Confeſſariorum mentes illuſtrent, dubitationes abigant, atque in veritate confirment. Et eo eſt Theologorum culpabilior ſtudii Scripturarum neglectus, quo magis ex eorum falſa doctrina Confeſſariorum atque fidelium æterna jactura profluit. Sin ergo leviſſimam, levem certe culpam in ſuæ profeſſionis exercitio vitare, ſeu exactam diligentiam adhibere adſtringuntur.

8. Quid? Num in quacumque levi quæſtiuncula reſolvenda, acte ſcripturarum ſtudium neceſſarium erit? Quæ obvia ſunt aut parvi momenti, in nulla profeſſione grave ſtudium exigunt. Sicuti nec Medici in febribus conſuetis medendis Galenum, aut Hippocratem: nec Architecti in domunculis erigendis Vitruvium, aut Palladium verſant: ita neque Theologi in levibus perviiſque cauſſis Scripturas, Patres & Concilia luſtrare tenentur. Sed prout aut magis & minus dubia, aut magis & minus gravis eſt veritas quæ in controverſiam vocatur, obſtringuntur ſerius & attentius principia Moralis Theologiæ, nempe Scripturas, Concilia & Patres commeditari: ut, quatenus fieri poteſt, quod ſacræ doctrinæ veruſimilius & proximius accedit, non vero quod magis ab ea recedit, decernere queant.

9. Neque hæc difficilia cuique apparebunt, ſi ad mala quæ ex negligentia præfata conſequuntur oculos converterit. Non eſt in præſentiarum, quod Catholicæ Religionis contemtum, animarum innumerabilium perditionem, Hæreticorum ſcandala quæ hinc proficiſcuntur, deſcribam. Quid quod vel ipſa ſacra divinaque morum Chriſtianorum ſcientia ceu vultu deformis, colore ſqualida, decore ſpoliata jaceat, & in contemtum adducta rejiciatur, illique derideantur, qui in ejuſdem incumbunt ſtudium? Hæc aliaque infinita abſurda parit neglectus iſtius ſtudii. Michael Elizalda Caſuiſtas, qui ſpretis veris Theologiæ coloribus, fucis & lenociniis humana calliditate excogitatis illius faciem depingunt, larvaſque eidem affingunt, illis comparat, qui monetas adulterant, qui zizania in triticum intrudunt, qui ſacros libros tradebant, & qui Vineam Domini exſtirpant. *Tendunt ergo* (inquit p. 2. lib. 6. q. 8. §. 9.) *quantum poſſunt, in deſtructionem ſcientiæ omnium ſine dubio præſtantiſſimæ maximeque neceſſariæ. Hoc præterea faciant non tamquam hoſtes; ſed tamquam amici & defenſores. Nam profitentur ſe Theologiam tradere, & Doctores ejus eſſe volunt: defectionis ergo proditioniſque ad inſtar eſt, ſi eam falſis deſtruunt; quod exemplo eorum qui libros ſacros tradebant, traditoreſque ideo appellabantur, illuſtrari magis poteſt & confirmari... Nam deterior eſt falſa Theologia probabilis, hoc eſt ſophiſtica Theologia; quam nulla...... Fieri enim videtur non poſſe, ut laxæ, mundumque & carnem & ſanguinem ſapientes doctrinæ frequententur in Collegio, Univerſitate vel Monaſterio, & plerumque ibi mores mundum non ſapiant, & carnem & ſanguinem..... Etenim hoc loco firmum & invictum eſt principium SS. Patris Ignatii, ſcilicet vires appetitivas plerumque ſequi vires apprehenſivas. Quorum ergo laxæ ſunt vires intellectuales & doctrinæ, laxus quoque plerumque erit appetitus & laxa vita.... Certe Vir ille magnus Mutius Vitteleſchi Societ. Jeſu Præpoſitus Generalis vidit olim mala hæc etiam morum liberiorum opinionum, moriſque dicendi probabilia; & graviſſime inquit; Nonnullorum ſententiæ in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum eſt, ne Societatem evertant, ſed ne Eccleſiæ etiam Dei univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant (ſcilicet ſuperiores) ut qui docent ſcribantve, minime hac regula & norma in delectu opinionum utantur:* Tueri quis poteſt: Probabilis eſt: Auctore non caret. *Hæc inter alia vir ille tantus.* Plurima hac de re perſequitur Elizalda, quæ ne plus juſto limites egrediar, tranſmitto.

10. Et tamen eo res devenit, ſubdit alibi præfatus Elizalda, ut morum Theologia in publicum prodeat Scripturarum, Patrum & Conciliorum omnino vacua. Quin duplex Theologiæ genus repertum videtur, duplici Chriſtianorum generi accommodatum. Alterum pro iis, qui Evangelicam perfectionem comparare contendunt. Alterum pro iis, qui tantum præcepta Evangelica ſervare contenti ſunt: ſeu alia eſt Theologia pro uſu illorum qui vitam *perfecte* Chriſtianam ducere ſtudent. Pro iſtis, ſecus pro illis Scripturarum meditatio a quibuſdam reputatur quaſi neceſſaria; quemadmodum ut quis vivat, aliquid cibi requiritur; ut melius vivat, delicatior cibus; & ut iter agat, pedes; ut commodius, equus aut currus. Primam Caſuiſticam, alteram Aſceticam, ſeu Myſtica Theologiam appellant. Chriſtianos qui huic

Theologiæ ſtudent, propriis nominibus compellant, vulgo *Chetinos & Barbetones*: & hi pauci ſunt, qui viam arctam calcant. Ii vero qui prioris Theologiæ regulis imbuuntur, abſolute Chriſtiani vocantur. Quod ſi quandoque accidit, ut Chriſtiani ſecundi generis, ſeu eorum qui mandata tantum ſervare ſibi ee ipſa conſtituerunt, ut ſint *ſubſtantialiter* Chriſtiani, legant libros aſceticos continentes & explicantes Evangelicam doctrinam, aut illam a concionatoribus e ſuggeſtu evulgantibus audiant, admiratione defiguntur. Et illorum plures eam ut *rigoriſticam* traducunt; alii timore quodam correpti Caſuiſtas, aut Caſuiſtarum Doctores adeunt: illis conſcientiarum ſuarum anguſtias, perplexitates pavoreſque exponunt: atque trementes efflagitant, num re vera via paradiſi adeo anguſta & arcta; num tot ſpinis, crucibus & tribulationibus conſita & reſperſa ſit? Audiuntqua ſibi reſponderi: *Jugum meum ſuave eſt & onus meum leve*: Concionatores figuratis & exaggeratis verborum formulis uti ſolitos eſse: libros ſpirituales ſeu aſceticos regulas & documenta continere pro Chriſtianis illis *Chetinis*, qui ſanctitatem anhelant, qui conſilia & ſublimem Evangelij perfectionem conſequi ſibi propoſuerunt. Et his lenociniis Chriſtianorum conſcientiæ tranquillantur, eorumque mentes priſtinam recuperant ſerenitatem. Utique verum eſt abſolute, & ut ajunt *ſignate*, hæc duo ſive Theologiæ, ſive Chriſtianorum genera non diſtingui; ſed dicimus hæc duo abſurda conſequi *exercite* ex aliquorum abuſu in morum Theologia tradenda. Utique Chriſtiani omnes Scripturæ ſanctæ neceſſitatem agnoſcunt. Abſit, ut vel uni Chriſtianorum, nedum Caſuiſtarum, tantam ſtultitiam imponamus, ut neget divinas Scripturas & utiles & neceſſarias. Sed duntaxat abſurda quæ conſequuntur ex methodo qua aliqui utuntur in morum Theologia tradenda, deploramus; addimuſque præter, immo contra eorumdem Auctorum voluntatem & intentionem hæc mala profluere: illaque nos recordamur, ut vitentur, utque diligentiores in poſterum ſint Theologiarum editores in revocandis quæſtionibus, quoad fieri poteſt, ad Scripturarum ſanctarum amuſſim.

11. Juvat hæc omnia verbis Michaelis Elizalda doctiſſimi ac piiſſimi Theologi confirmare. Inquit itaqua 2. p. lib. 6. quæſt. 15. §. 7. *Illis itaque duobus diviſis ſpiritualiter vivendi inſtitutis, nemo Chriſtianorum eſt, qui deſipiat, Scripturas Dei & doctrinas in eis traditas non eſſe optimas, non eſſe utiliſſimas & ſanctiſſimas; Prophetas & Apoſtolos non eſſe Doctores optimos, unumque Magiſtrum noſtrum Salvatorem non eſſe Doctorem omnium præſtantiſſimum & primum. Nihilominus harum Scripturarum, horum Doctorum doctrinam pæne omnem ad eos pertinere cenſere videntur, qui ad perfectionem contendunt, id eſt pertinere ad melius eſſe & melius vivere; non ad ſimpliciter eſſe, & ſimpliciter bene & juſte vivere? idemque cenſere videntur de doctrina ſanctorum Patrum ac librorum ſpiritualium plerumque & ut plurimum. Ad ſimpliciter vero eſſe, & ad ſimpliciter bene juſteque vivere videntur alios Doctores, alioſque libros & doctrinas aſſignare, etſi in eos Doctore alii priores, eorumque doctrinæ non colantur.*

12. Objicies. Omnes Caſuiſtas in morum Theologia componenda Scripturas, Patres & Concilia verſare, atque ad hanc ſacram doctrinam deciſiones ſuas exigere. Reſp. Eſto. Quid inde? Ego caſum propoſui, in quo dicitur *Heliodorum Caſuiſtam*, neglectis Scripturis & Patribus, ſuam lucubraſſe Theologiam morum. Qua facta poſitione, ajo illum graviſſima peccaſſe. Obiter quoque indicavi abſurda, quæ ex Scripturarum & Conciliorum neglectu proficiſcuntur. Nec eſt quod reponas, quod licet Heliodorus ipſa Scripturis & Conciliis non ſtuduerit; attamen Caſuiſtæ illi quos ſibi tamquam Patres & Magiſtros ſequendos præſtituit, ſuam Theologiam ex Patribus & Scripturis hauſerunt. In primis, quamquam id verum eſſet; minime ſufficeret. Quoniam dum Heliodorus munus docendi, & edendi pro Chriſtianorum immo Confeſſariorum inſtructiona Theologiam ſuſcipit; ipſe tenetur principia Theologiæ callere, & ad eadem ſuas reſolutiones & regulas revocare; alioquin velut ovis & avis, alias oves & aves ſequeretur. In re enim graviſſimi momenti aliis fidere non debet.

13. Ceterum quod alii omnes Caſuiſtæ ſuam Theologiam juxta Scripturarum & Conciliorum præſcriptum præformaverint, res ipſa clamat. Quod ſi concedis re ipſa omnes Caſuiſtas ex Scriptura & Patribus ſuam collegiſſe Theologiam, conſequitur ergo omnes eos qui huic methodo non inhæſerunt, auctores ſeu libros inutiles, immo noxios populo Chriſtiano eſſe. Et vereor, ne multi ſint. Et ſi quidpiam illius quod ego ſentio, effari licet, non adeo pauci ſunt, qui ſacris miſſis litteris ſuos ediderunt morales libros, qui omnium manibus teruntur. An ne Evangelium, Patres & Concilia ab oculos habuerunt auctores illi, qui textum illam Evangelicum: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, in ſenſu omnibus Patribus contrario exponunt? Nonne ut ſuas opiniones minus probabiles, ſeu minus Scripturis & Conciliis conſonas, defendant, allegatum textum opponunt? Nonne dum contractus cenſuum, venditionum, emtionum, dum uſurarum quæſtiones verſant; dum pericula occaſionumque fugiendarum obligationes tractant: dum de luxu, pompis, jejuniis, corporis conflictationibus diſputationes inſtituunt; ut eas opiniones quæ minus ſunt probabiles, quæ magis carni, ſanguini & humanæ libertati favent, ſuadeant & evincant, confeſtim clamant? *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Quei namque ejuſmodi textum opponere auderent, ſi præ oculis haberent Evangelium illud, quod ubique inculcat arctam eſſe viam quæ ducit ad vitam, latam vero & ſpatioſam quæ ducit ad perditionem: paucos eſſe electos; multos contendere ingredi anguſtam cæli januam, & paucos intrare? ſi præ oculis haberent Evangelium illud, quod caſtitatem aut virginalem aut conjugalem omnibus præcipit, quod æternum ſupplicium infligit ob unicam cogitationem voluntariam libidinoſam; quod inimicos diligere, illiſque in gravi neceſſitate bene facere; quod patrem, matrem, uxores & filios odiſſe jubet, potius quam ſuam infringere legem; quod ſuperfluum bonorum diſtribuendum pauperibus imperat. Si hæc & pluſrima alia Evangelica documenta ſerio conſiderarent, an ne vellere aures auderent inclamando: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve?* Sed quod ſatis mirari non ſubit, eſt, quod omnia quæ recenſuimus, onera graviſſima & difficillima, carni, ſanguini & humanæ naturæ ſummopere adverſa, concedunt ab Evangelio imponi: deinde jugum Evangelicum ſuave & leve eſſe contendunt. Cur? ut aliquod pecuniæ lucrum quod uſuram ſapit, licitum faciant; ut diverticula, oblectamenta, aliaſque deliriantis mundi conſuetudines, quæ præfata Evangelica graviſſima præcepta obſervatu impoſſibilia moraliter reddunt, & ad ea tranſgredienda viam aperiunt latiſſimam, licita & honeſta defendant. Hæc ſane paradoxa haudquaquam docerent, ſi in ſacrarum litterarum meditatione verſarentur.

14. Deinde quomodo ſtudium Scripturarum & Patrum oſtentare valent, ſi unicum fere textum ſanctum quem allegent, in ſenſu certe falſo & omnibus Patribus adverſo exponunt? Nam omnes Patres textum præfatum, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, interpretantur ſuave & leve, non quod libertati in rebus dubiis contra legem, non quod carni & cupiditatibus faveat, non quod ſeveriſſima præcepta prohibentia uſuram, avaritiam, ſimoniam, libidinem laxet, aut eorum obligationes vel tantillum diminuat; ſed ſuave & leve eſſe decernunt, quod divinæ caritatis unctione perfuſum eſt, quod Deum amantibus nihil durum, nihil grave eſt. D. Auguſtinus Serm. 47. de diverſ. cap. 1. *Durum videtur, quod Dominus imperavit; ut ſi quis eum vult ſequi, abneget ſemet ipſum. Sed non eſt durum nec grave, quod ille imperat; qui adjuvat, ut fiat quod imperat. Nam & illud verum eſt quod ei dicitur in Pſalmo*: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras: *& illud verum eſt, quod ipſe dixit*: Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. *Quidquid enim durum eſt in præceptis, ut ſit leve caritas facit*. Gloſſa in Matthæum capit. 11. *Quomodo jugum Chriſti ſuave, cum ſupra dicitur arcta eſt via, quæ ducit ad vitam? Sed anguſta, quæ non niſi anguſto initio incipitur; proceſſu vero temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur*. Eodem prorſus in ſenſu textum hunc exponunt Baſilius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophylactus, Leo Magnus: qui etiam addunt ſuave eſſe jugum, eo quod ſecundum Apoſtolum 2. Cor. c. 4. v. 17. *id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Et Rom. 8. v. 28. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis . . . Scimus autem quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

15. Non modo Patres, ſed & Concilia in hoc eodem ſigni-

Digitized by Google

ſignificatu textum hunc Evangelicum accipiunt exponumque. Trident. ſeſſ. 8. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus; quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt*. Catechiſmus Romanus juſſu Tridentini Concilii editus 3. p. in Decalog. cap. 1. ſect. 7. *Quin etiam legis juſſa difficultatem non habere Parochus oſtendat; quod vel una hac ratione ex S. Auguſtino docere poterit, cum inquit*: Quei, quæſo, dicitur impoſſibile eſſe homini amare: amare, inquam, Creatorem beneficum, Patrem amantiſſimum, deinde etiam & carnem ſuam in fratribus ſuis? At vero qui diligit, legem implevit. *Quare Joannes Apoſtolus præcepta Dei gravia non eſſe, aperte teſtatur. Nihil enim juſtius, nihil cum majori dignitate, nihil majori cum fructu ab homine, teſte Bernardo, exigi potuiſſet. Quamobrem ſummam Dei benignitatem admiratus eſt Auguſtinus, ſic ipſum Deum affatus*: Quid tibi ſum ipſe, ut amari te a me jubeas? &, niſi faciam, iraſcaris mihi, & ingentes minneris miſerias? Parva ne ipſa eſt miſeria, ſi non amem te? *Quod ſi quis eam afferat excuſationem, impediri ſe quominus Deum amet infirmitate naturæ; dicendum eſt, Deum qui amorem requiſivit, amoris vim inſerere cordibus per Spiritum ſanctum ſuum. Hic autem ſpiritus bonus petentibus a Patre cœleſti datur, ut merito ſanctus Auguſtinus precatus ſit*; Da, quod jubes; & jube, quod vis. *Quia igitur Dei auxilium præſto nobis eſt maxime poſt Chriſti mortem, per quam princeps hujus mundi ejectus eſt foras; non eſt, quod quiſquam rei difficultate deterreatur. Nihil enim eſt amanti difficile*. Si animum ad hæc intendiſſent Caſuiſtæ non pauci, numquam ad nauſeam uſque in ſenſum omnino univerſæ Patrum & Conciliorum interpretationi adverſum detorquere Evangelicum Matthæi textum tentaſſent, ut probabilitates ſuas minus probabiles, minuſque verbo Dei conſentaneas, & humanæ libertati & cupiditati magis accommodatas evincere conarentur.

16. Ex his omnibus colligitur *Heliodorum Caſuiſtam* in controverſiis, in quibus de peccato mortali diſputatur in utramque partem, decidendis, peccare graviter, ſi negligens ſit in expendenda quæſtione ad pondus, prout fieri poteſt, & bilancem Sanctuarii. Si Confeſſarius tenetur evitare culpam, ſeu negligentiam latam & levem; videtur, quod Doctor & Magiſter Confeſſariorum debeat declinare culpam ſeu negligentiam leviſſimam. Non is tamen ſum, qui terminos definire velim, ubi res non patitur. Major itaque erit, vel minor *Heliodori* culpa, prout minor vel major erit illius negligentia in volvendis meditandiſque Scripturis & Patribus. Et iſtius negligentiæ menſura erit major aut minor gravitas argumenti, quod in diſputationem vocatur. Et quamquam non omnes morum controverſiæ ex immediatis, ſeu proximis principiis Scripturæ ſacræ reſolvi queant; omnes tamen ad univerſalia mandata, & ad arctam viam, & anguſtam januam, & ad ſuaviſſimam caritatem quæ facilia omnia conſtituit, plus minuſve revocari valent. Objiciunt, dogmata fidei utique ex Scripturis, Conciliis & Patribus atque Traditione eruenda eſſe; ſecus vero quæſtionum moralium deciſiones. Infinitæ propemodum controverſiæ inter Theologos aguntur, quarum neque Scripturæ, neque Patres meminerunt. Ergo ſolis Scripturis & Patribus tranſigi morales lites nequeunt. Reſp. Non tam verum, quam quod veriſſimum eſt, innumeras eſſe de moribus invectas quæſtiones, de quibus altum eſt apud Scripturas & Patres ſilentium. Quid hinc? Ergo omnes controverſiæ, quas homines ut legem ſibi attemperarent invenere, nequeunt ad ſolius Scripturæ & Patrum tribunal reſolvi; verum habet: falſum e contrario, ſi de ſolis quæſtionibus quæ ex ipſius Evangelicæ legis difficultate oriuntur, ſermo ſit. Reſponſio prolixam exigeret explicationem, opportuniore occaſione exhibendam: paucis nunc rem perſtringo; & ex ipſa Scriptura & Patribus objectionem explodo. Dominus per Ezechielem ait *cap. 13. v. 10. Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis*. Hieronymus cum aliis præter propter hoc pacto hunc textum exponit. Deus ſuæ legis mandatis Prophetarumque eloquiis firmiſſimum murum excitaverat, viam anguſtam claudentem. Populus viam dilatavit, & amplos debileſque parietes extruxit; quos cum Prophetæ diruere debuiſſent, linira maluerunt luto abſque paleis. Quod miſſa me aphora, hunc prodit ſenſum: Populus lege divina, carni & humanis appetitionibus infeſta, neglecta, conſuetudines, perſuaſiones, mores, opiniones, doctrinas legi contrarias excogitavit, & temporis decurſu ita adolevere, ut ſere pro legibus haberi eas cœptum eſt. Doctores non ſolum eas de medio auferre non ſunt conati, ſed luto id eſt fucis, lenociniis linire & præcolorare ſtuduerunt abſque paleis, id eſt abſque fortitudine veritatis. Non Doctores, non Theologi, ſed populi ipſi primi fuerunt, qui invenerunt ſeu inveniendi falſas opiniones occaſionem dedere. Prius populus innumeros contractus varios, & illudentes lucrandi titulos, illecebras, & ſenſuum carniſque oblectamenta excogitavit & exſequutioni demandavit. Et quoniam quæ cupiditatibus blandiuntur, limites non habent, ſed latius in dies vagantur; multitudo ipſa de novis ſuis moribus dubitare, anguſtiis angi cœpit; aliquos Doctores & Theologos ad conſcientiam tranquillandam conſuluit. Iſti aſpectantes ejuſmodi conſuetudines invaluiſſe: verentes & trementes, exclamabant: An ne omnes peribunt, an ne omnes in inferna prolapſuri? Jugum Chriſti ſuave eſt; ergo probabile eſt hunc contractum non eſſe feneratorium, quia in toto orbe terrarum peragitur. Ergo diverticula illa, & mutua virorum mulierumque colloquia & contubernia quæ paſſim ubique obtinent, licita & honeſta videntur. Et ſicuti populus ſub initium dubius & anceps erat; ita & Doctores iſti dubio penicillo recentes perſuaſiones linibant. Contra, ubi mores & conſuetudines noviſſime inventæ univerſam multitudinem ſecum abripere cœperunt; confeſtim plures quoque Doctores & Caſuiſtas approbatores acquiſierunt, qui non amplius dubitanter, ſed multiplicatis reflexionibus, veluti conglomeratis aggeribus corruentes parietes a populo primum erectos, muniunt & firmant; abſque tamen paleis, id eſt abſque robore & fortitudine. Iſtius generis quæſtionum nec Scripturæ, nec Patres, nec Concilia mentionem faciunt. Et quod ita res ſe habeat, nemo negaverit. Quis inficias ierit, Chriſtianos illos qui arctam Evangelii viam percurrunt, ſola Scripturarum & Patrum doctrina peroptime dirigi? Et contra adfirmabit, quoidam (excipio ſemper optimos, & doctos Auctores) libros Caſuiſticos pro iis potiſſimum neceſſarios eſſe Chriſtianis, qui uno pede viam Evangelii, altero viam mundi inanientis percurrere vellent? Reſponſio experientia conſtat.

CONCLUSIO TERTIA.

Heliodorus Caſuiſta, qui in ſua componenda Theologia Auctores ab aliis Caſuiſtis citatos, nulla habita delectu, nulloque rei periculo facto, laudat, ſi falſæ ſint citationes, peccat.

17. UT dictum eſt, ad evitandam culpam latam & levem, & quaſi leviſſimam obſtringitur Theologus in cuſtodiendo ſacri cœleſtiſque doctrinæ depoſito. Licet enim iſtius ſacri depoſiti cuſtodia jure ad Epiſcopos Paſtoreſque pertineat; quoties tamen Theologi ſibi onus aſſumunt illud referandi fidelibus, ſumma debent diligentia cavere, ne vel latum unguem adulteretur. Porro ſi quis ad evincendam bonitatem alicui monetæ dubii metalli plurium peritorum teſtium teſtimonia afferet, nulla præmiſſa diligentia ſuper eorumdem peritia aut numero; certe culpabilis negligentiæ reus foret. Inter argumenta quibus morum ſententiæ probantur, unum eſt auctoritas Caſuiſtarum. Si iſti falſo citantur, falſa ratio pro vera obtruditur, & lectores decipiuntur. Experientia autem compertum eſt, plures Auctores paginas ſuas citationibus replere, quæ magna in parte falſæ ſunt. Ergo Doctor qui judicis perſonam induit in decidendis morum controverſiis, graviter plus & minus peccat, ſi ad exactum criterium redigere prætermittit ejuſmodi teſtimonia. Et eo eſt illius in hac materia culpabilior negligentia, quo eſt gravior falſitatis ſuſpicio.

18. Confirmatur. Duo ſunt probationum genera, quibus morum cauſſæ reſolvuntur. Alterum ab auctoritate, alterum a ratione arceſſitur. Rationem veram, quæ niſi una eſſe poteſt, difficillime in rebus dubiis invenire Theologus poteſt; tenetur tamen pro virili exactam adhibere diligentiam, ut id quod magis, prout ſibi videtur, veritati accedit, aſſequatur. Quod ſi omni adhibita diligentia, veritatem non aſſequitur; illius ignoratio excuſabilis eſt, quia invincibilis: vincibilis vero & criminis plena

na

Digitized by Google

na foret, ſi negligentiæ partus eſſet. Veritas e contrario quæ ab auctoritate repetitur, facillima inventu eſt: facti quippe res eſt; totaque difficultas labore & diligentia ſuperatur. Delinquit itaque *Heliodorus Caſuiſta*, ſi fidit citationibus repertis in aliis Caſuiſtis, eo quod fundamentum ſuſpicandi habet non paucas eſſe falſas. Ex alia parte profeſſio Magiſtri quam ſponte aſſumit, ad ejuſmodi ſeverum examen omni jure illum obligat. Aut ergo ab evulganda Theologia deſiſtat, aut partes impleat Magiſtri & Doctoris. Dum aliis Caſuiſtis fide adhibita, nullo prævio criterio, nullo examine, teſtimonia ab illis citata diſcutit, non magiſtri cujus eſt examen, ſed diſcipuli creduli, ne dicam ſtupidæ ovis: non Doctoris cujus eſt vera a falſis ſecernere, ſed auriti teſtis & avis alias ſequentis, vices gerit. Quid ergo in publicum ſub larva Doctoris & Magiſtri erumpit, ſi tantum aliorum Caſuiſtarum transſcriptor eſt? Quid lectores decipit, dum & falſos citat teſtes, & ſe tamquam auctorem divendit, ut pondus addat auctoritatis, cum ceteroquin non niſi teſtis ſit de auditu? Denique libera voluntas qua Heliodorus in hæc ſe conjicit pericula, illius culpabiliorem reddit negligentiam, illiuſque non modicam malitiam aggravat.

CONCLUSIO QUARTA.

Heliodorus Caſuiſta, qui opiniones, ut communes Theologorum ſententias obtrudit, quæ reapſe non ſunt; aut ut improbabiles traducit, quæ re vera probabiliores ſunt; graviter peccat.

19. COnvenit penes Theologos omnes, Advocatum reum eſſe graviſſimi criminis, ſi antequam defendendæ cauſſæ patrocinium ſuſcipit, gradum majoris aut minoris probabilitatis; quam, poſt diligens examen ipſe deprehendit, ſincere & candide clienti ſuo non manifeſtat. Peccat, ſi cauſſam quam minus probabilem agnoſcat, tamquam probabiliorem repræſentat, ut clientem ad intentandam proximo litem inducat. Quanto ergo magis peccabit *Heliodorus Caſuiſta*, ſi in cauſſa in qua non de merce temporanea & peritura agitur, ſed æternitatis negotium tractatur, diſcipulos & lectores decipiat? quandoquidem ideo potiſſimum peccat Advocatus, quia cliens ſi ſtatum ſuæ cauſſæ perſpectum haberet, fortaſſis litem non intentaret adverſario. Hinc eſt, quod ſi unice Advocati auctoritati innixus civile aggreditur bellum, præter peccatum grave, Advocatus ad expenſarum compenſationem tenetur. Quidni idem in noſtro dicendum caſu? Lectorum plures ſententiam communiorem probabilioremque amplecti volunt, minus communi & minus probabili poſthabita. Legunt in *Heliodoro* v. g. ſententiam communem aut communiorem eſſe illam, quæ ſuſtinet Chriſtianos vegetos robuſtoſque diſpenſatos in carnium eſu ob ciborum eſurialium nauſeam in Quadrageſima, eſſe quoque eo ipſo ab jejunio, ſeu ab unica comeſtura liberos. Hac bona fide data *Heliodoro Caſuiſtæ* jejunia ſolvunt. Ponamus ſententiam communem non eſſe, (uti certe non eſt, ſed nunc per modum hypotheſis id concedatur) quis dicet *Heliodorum* graviter non peccaſſe, cum lectores ſuos induxerit ad violandum jejunium, quod ſumma religione ſervaſſent, niſi legiſſent, ſententiam illos a lege jejunii ſolventem eſſe communem?

20. Ne tamen nimii rigoris hanc noſtram concluſionem carpendi anſam quiſpiam arripiat, duo addenda ſunt. Alterum quod quemadmodum Advocatus tunc graviter peccat, cum aut dolo manifeſto, aut craſſa & culpabili negligentia ſuum clientem docere ſtatum litis negligit: idem de *Heliodoro* noſtro dicendum ſtatuimus. In Advocato doli occaſio frequentior eſt: nempe aut urgens neceſſitas alendi familiam, aut impotens cupiditas divitiarum, honoris & victoriarum. Abſunt hæc ab *Heliodoro*. Is negligentia tantum peccare ſolet, quæ cum innumera mala pariat, præcipitem agere illum poteſt. Alterum, quod dum appellamus aliquam opinionem communem; limites certos non definimus: nec enim in aliquo præciſo puncto hæc communitas ſita eſt, ſed quamdam habet latitudinem. Hinc eam tantum opinionem nos licite appellare poſſumus communem, quam nos ipſi poſt diligens examen, talem ſecundum univerſalem exiſtimationem reputamus. Nec anxius ſit oporret in his metiendis terminis. Paucis ergo rem univerſam accipe.

21. Si *Heliodorus* eam quam ſupra indicavi diligentiam, expertem nempe culpæ latæ & levis (non addo leviſſimæ, licet poſſem) exſequatur, tum in rationum momentis ſerio librandis, tum in Auctorum ſenſibus mature inveſtigandis; dico eum nullo modo peccare, ſi proponat opinionem ut communem, quam ipſe poſt diligens ſtudium, orationem ſincerumque deſiderium inveniendi veritatem, bona fide talem exiſtimat: Contra, ſi ambo probationum genera quibus opinio redditur probabilis & communis, ad prudentem ſeveramque criſim exigere prætermittat: ſi ovium inſtar poſt alios currit Auctores: ſi quod reperit in ſuis Caſuiſtis, nullo delectu transſcribat: ſi denique aut ob ſuam negligentiam, aut ob nimium ſtudium propriæ factionis pomœria amplificandi, aut ob affectionem peculiarem defendendi iſtius aut alterius Caſuiſtæ ſententias; ſi inquam ob aliquam iſtarum aliarumque cauſſarum, non autem ſolius veritatis inveniendæ & ſuadendæ deſiderio ductus, opinionem proponat ut communem quæ talis non eſt, aut ut improbabilem quæ probabilis eſt, vel contra: peccat magis aut minus, quatenus major minorve erit negligentia in veritatis inveſtigatione.

CONCLUSIO QUINTA.

Heliodorus, qui in ſuis confirmandis morum opinionibus ad arbitrium auxit auctorum cenſum, & ambiguos ut certos teſtes intruſit, graviter peccavit.

22. HÆc concluſio probatione non eget; ex ſe ipſa enim manifeſta & evidens eſt. In quacumque cauſſa ſive criminali ſive civili, qui teſtes dubios ut certos, aut falſos ut veros introducit, graviſſime delinquit, tum adverſus veritatem quam falſat, tum contra juſtitiam quam violat, tum adverſus publicum quem decipit. Porro cum cauſſa ſalutis animarum ſit omnium graviſſima, deceptio in hac materia extremam continet malitiam.

23. Se excuſat *Heliodorus*, quod data opera non auxit numerum auctorum, neque ex animi ſententia dubios ut certos teſtes produxit. Pro certo id habeo: Quoniam perfidiam redoleret, ſi manifeſta voluntate decipiendi falſa allegarentur documenta, ſeu Theologorum auctoritates. Peccavit *Heliodorus*, ſi falſis anticipationibus præventus & nimio ardore placendi hominibus, atque ad præſentis ſæculi palatum ſcribendi ſuccenſus, quidquid ſuis rationibus quadrare arbitratur, ſerio neglecto criterio nulloque habito delectu, de libro transſcribit in quinternum. Reperit in ſuis Caſuiſtis v. g. pro opinione minus probabili in conſpectu probabilioris, & pro innumeris ſimilibus benignis ſententiis laudari Theologos, Canoniſtas, Summiſtas, recentes, antiquos, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, nullo indicato loco: ille ſtatim iſtorum teſtium cenſum transſcribit, & non raro de ſuo addit: *item Pontifices in ſuis vivæ vocis oraculis: item Patres ſancti; & Scripturæ*: nec religioni ſibi vertit augere ejuſmodi vota; omnes Sanctos in propriæ opinionis patrocinium advocare, quod eam præjudiciorum caligine obcæcatus, non veram, ſed probabilem, licet minus altera, reputet.

24. *Heliodorus*, qui tam oſcitanter ſe habet in ſua elucubranda Theologia, qui in controverſiis graviſſimis non curat diſputationis fontes ſcrutari, qui auctorum textus expendere num ambigui, aut clari; qui citationes recognoſcere omittit, aut deſidia metuve offendendi id quod ſibi non placet, aut ob alias occultas cauſſas reconditaſque rationes, peccat magis & minus pro majori aut minori negligentia. Delinquit quoque, quoties ob anxietatem promovendi propriam opinionem, Auctores qui a ſe ſtant, licet aut nullius aut parvi nominis ſint, illos tamen doctiſſimos, eruditiſſimos, ſapientiſſimos, Doctoreſque claſſicos vocat. Hæc namque magnifica encomia non paucos probabilitatis gradus in mentes lectorum ingerunt ſine ullo fundamento. In tam magni momenti controverſiis ſumma ſinceritas, ingenuitas, ſolusque veritatis amor requiruntur. Qui in profanis quæſtionibus contra has prærogativas peccat, ſibilo excipitur ab eruditis. Sed in morum cauſſis pœnas luet graviſſimas non ab hominibus, ſed a Deo infligendas.

CONCLUSIO SEXTA.

Heliodorus, qui tali arte ſuam digerit Theologiam; ut quæ ſibi non probantur, ſed laxa & improbabilia videntur, hiſtorice narrat, nullo lato ſuper iis judicio, peccat.

25. THeologiæ Doctor qui Magiſtri docentis munere defungitur & veritatis morumque regulas docere diſcipulos ſeu lectores ſuorum operum, & eoſdem errandi periculo ſubducere, atque ab erroneæ doctrinæ vene-

veneno bibendo revocare obſtringitur. Hæc ſane ſunt Doctoris officia & partes. *Heliodorus* ſuam edit Theologiam: opiniones nulli cenſuræ obnoxias aperte defendit: plures reputat improbabiles, & laxas: iſtarum prædam fieri recuſat, ne damni infecti ſatiſdet. Sed illas biſtorice narrat hoc modo: Contrariam ſuſtinet *Caramuel*, *Diana*, *Bordon*, *Gnimenius & alii*. Neque probat, nec improbat ejuſmodi opiniones; ſed arbitrio lectoris ſeligendas relinquit. Dubio procul *Heliodorus* ſic ſe gerens, officio ſuo deeſt: tenetur namque ab errandi periculo lectores ſuos removere; eo ipſo quod Doctoris officium ſumat, ultroneumque Magiſtrum ſe ſe præbeat. Idque potiſſimum locum babet his perditiſſimis temporibus, in quibus probabilitatis invento omnia honeſta licitaqne fiunt. Lectores namque probabiliſmi principiis imbuti, legentes talem ſententiam a ſex vel octo auctoribus propugnari: inſuper conſpicientes haudquaqu*a*m a Caſuiſta *Hrliodoro* quem legunt, improbari; eam ceu probabilem ſuſcipiunt, & exſecutioni demandant. Peccat igitur *Hrliodorus*, dum ejuſmodi opiniones lectoribus porrigit, nullo adjecto improbationis calculo; fidem quoque ſuam atque integritatem diſcrimini exponit. Hanc ſiquidem ſcribendi methodum plures pro ſagaci accipiunt arte facilius diſtribuendi proprios libros, qui omnium moribus accommodantur.

CONCLUSIO SEPTIMA.

Heliodorus, qui prærogativis neceſſariis deſtitutus Doctoris officium exercet, Morumque Theologiam evulgat, eorum quæ ex ſua inepta Theologia profluunt malorum, reus eſt.

26 QUinque prærogativas in publico Theologiæ Doctore, qui voce vel ſcriptis docendi, non modo populum, ſed ipſos Presbyteros munus aſſumunt, prærequiri communiter aſſerunt Summiſtæ antiquiores. Hac de re ſcribunt divus Antoninus *3. p. tit. 16. cap. 16. §. 1. & 2.* Cajetanus *verbo Doctor, & verb. Magiſter, & verb. Confeſſor.* Silveſter *verb. Doctor, & Confeſſor.* Navarrus *de pænitent. diſt. 6. cap. 1. §. Caveat, & in Manual. c. 4.* Dominicus Soto *in 4. diſt. 18. q. 4. a. 3.* Petrus Soto *lect. 6. de Confeſſ.* Iſti tamen de Confeſſarii tantum ſcientia diſputant. Canoniſtæ quoque hoc verſant argumentum *c. 1. de Mag.* ubi Panormitanus quinque qualitates enumerat in Doctore neceſſarias; nempe peritiam docendi, ſecundo facultatem dicendi, tertio ſubtilitatem interpretandi, quarto copiam differendi, & quinto appobationem ſeu poteſtatem exercendi ſuum officium.

27. Si Confeſſarii, minus quam par eſt, ſapientes quandoque ſunt, illorum ignorationem aut neceſſitas, aut caritas, aut zelus, licet non ſit ſecundum ſcientiam, excuſare vel ſaltem diminuere culpam poteſt. At quam excuſationis umbram obtrudere *Heliodorus* poteſt, ſi ſua Morali Theologia multarum cauſſa deceptionum eſt. An caritatem, an zelum, an neceſſitatem; cum jam ſimilium librorum multitudine mundus obruatur? Quid itaque nullo cogente, nemine invitante, nullaque neceſſitate exigente, aliorum Caſuiſtarum libros contrahit, & epitomas compendiaque format? Cur in tantum diſcrimen ſponte ſe ſe conjicit; reddendi ſcilicet rationem omnium aberrationum, errorum & criminum, quæ ex ſuis opinionibus ſequi poſſunt? Si Confeſſarii minus periti decipiuntur, & laxæ doctrinæ contagio inficiantur; en plurium populorum ruinam, quæ vix ullum patitur remedium. Simul namque ac in hominum mentibus doctrinæ uſuris, avaritiæ, oblectamentis & diverticulis conſentaneæ locum occupant, celerrime inveteraſcunt, & adeo altas radices agunt, ut recidi nullo modo amplius poſſint. Nullus dubito, quin *Heliodorus* a contrahendis aliorum Caſuiſtarum libris abſtineret, ſi ejuſmodi conſectaria ſecum ſerio animo reputaret. Itaque ſi tanti non eſt, ut ad veros Theologiæ fontes digitum intendere poſſit, ut Scripturas, Patres & Concilia interpretari, atque recentium Caſuiſtarum libros ad criſim revocare, in eoſdem judicium prudens ferre, quo bonum & verum approbare, falſum laxumque vel nimis rigidum, quod rarum eſt, improbare valeat; auctor illi ſum, ut a vulgandis morum libris deſiſtat, niſi periclitari propriam animam velit.

18. *Heliodoros* iſtos deſcribit Gerſonius *tom. 1. lib. 4. de cenſol. Theol. ult. edit. Sunt alii minus culpabiliter, (neſcio ſi minus tolerabiliter) errantes, quos ex doctrina dam moralem quærunt certitudinem, nullum tamen rationis movet ad aſſenſum cujuſvis agibilis. Tantummodo ſatis eſt, ſi dicere potuerint: hoc ſcriptum eſt, hoc talis Doctor in lectura ſua ſenſit: hoc alius ita poſuit: Similes aſpicientibus verſo ad ſolem dorſo ſplendorem ejus in montibus, quos ad aſpectus ſolis nullus ſufficit oſtendentis digitus attollere. Cur ita? Quia deorſum oculum mergere ſoliti ſunt, ubi non aſpicitur ſol, niſi circumvolutus caligine.*

29. Hinc eſt, quod homines pii doctique ſatis improbare non valent plurium Heliodororum auſum, qui interpretandi acumine, differendi copia, diſtribuendi arte, & quod maximum eſt, prudentiæ lumine deſtituti ad morum Theologiam tradendam typiſque evulgandam intrepide accedunt. Quare Michael Elizalda *p. 2. lib. 6. quæſt. 15. §. 5.* ſic deſcribit ejuſmodi Moraliſtas. *Doctores non tam conſcientiarum dixerim, quam multarum relaxationum: & quæ de ſacra Scriptura ajebat Hieronymus, jam hac ætate morali Theologiæ ſatis congruunt. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus; hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam didicerint. In primis enim ut diximus ex romanciſtis, ut vocant iſtis, jam feminæ ipſæ, & quilibet doctores facti ſunt. Deinde viri innumeri quibus nulla alia ſcientia crederetur, Moralem Theologiam non ſolum docent, & quorumcumque conſcientias regunt, & caſus reſolvunt, ſed libros etiam edunt. Hanc enim omnes præſumunt, & non niſi lacerent, neceſſe eſt.* Quin iſti nec in graviſſimis controverſiis aliquo dubitationis timore percelluntur, ſed decretorié ac pectore intrepido omnia decidunt, & non raro ad magnum confirmationis pondus ſuam ipſorum auctoritatem adjicere ſolent his verbis. *Ego hanc doctrinam, hanc opinionem practicavi in confeſſionibus audiendis.* De his loquutus fuiſſe videtur Apoſtolus ad *Timot. 1. c. 1. Converſi ſunt in vaniloquium: volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

CASUS SECUNDUS.

Blaſius Confeſſarius Theologia Morali quam dictus Heliodorus Caſuiſta typis vulgavit, uſus eſt, tam pro ſua, tum pro ſuorum pœnitentium conſcientiis dirigendis. Deprehendit plurimas opiniones Heliodori eſſe falſas, quas ipſe amplexus fuit, & exſequutioni demandavit. Quæritur an peccaverit & ipſe ſequendo doctrinam Heliodori, & populus ſequendo opiniones ſui Blaſii Confeſſarii.

R a a p o n s.

30. TRibus concluſionibus propoſitum caſum reſolvam: a tricis probabiliſtarum, quoad fieri poteſt, diſputationem ſubducam, atque ad principia extra diſputationis aleam poſita revocabo. Graviſſimas quas continet difficultates, quæ prolixam requirerent orationem, breviter perſtringam: nec enim pro dignitate nunc eas expendere opportunum duxi: ſed commodior exſpectatur occaſio.

CONCLUSIO PRIMA.

Blaſius Confeſſarius peccare poteſt ſequendo doctrinam & opiniones Heliodori Caſuiſtæ, & ſuos pœnitentes decipere ac perdere.

31. NOn me fugit plures recentiores probabiliſtas, antequam rationes audiant, propoſitam concluſionem inprobaturos fore. Ad aſylum ignorantiæ invincibilis *Blaſium* Confeſſarium ſe ſe recipere poſſe ſtatim obtrudunt. At ut hoc perfugium occludam, illud nunc in diſputationem vocare minime nolim, detur nec ne juris naturæ invincibilis ignoratio. Abſit ut difficillimæ controverſiæ periculo expoſitam concluſionem committam. Quin gratis in præſentia concedere volo, quod falſum alioquin exiſtimo, poſſibilem nempe eſſe aliquarum veritatum naturalium, quæ a ſuis principiis longe abſunt, invincibilem ignorantiam. Quid inde? Excuſandus ne propterea *Blaſius* Confeſſarius eſt, ſi errat ſequendo doctrinam & opiniones *Heliodori* Caſuiſtæ? Minime gentium. Sed ſolum ex poſſibili ignorantia, poſſibilis excuſatio infertur. Ceterum quod iſtius poſſibilis excuſationis beneficio re ipſa *Blaſius* gaudeat toties, dum errat ſequendo ſuos Caſuiſtas, nemo eorum qui recte ſapiunt, adfirmabit. Immo vel ipſi benigniores Caſuiſtæ id negare debent, niſi Evangelio renuntiare velint. Quare ut obi-

ter

ter dicam, admiſſa etiam ſententia ignorantiæ invincibilis aliquarum veritatum; parum admodum deſervit ad excuſandos errores, quos frequenter nimia confidentia defendunt Caſuiſtæ; & nimis præcipiti judicio illis adhærent non raro diſcipuli Confeſſarii. Quapropter non dixi in concluſione Blaſium Confeſſarium peccare, ſed tantum peccare poſſe. Quoniam frequenter contigere valet, vincibilem eſſe tam Caſuiſtæ, tum Confeſſarii ignorantiam, Quid namque frequentius in Evangelio ac in univerſa Scriptura occureit, quam a Doctorum & Magiſtrorum falſis erroneiſqua opinionibus cavendum eſſe?

32. Breviſſime itaque pro evidenti demonſtratione propoſitæ concluſionis, auctoritate ipſius Scripturæ oſtendendum eſt, Theologos & Confeſſarios errare poſſe culpabiliter, ſive in tradenda Morali Theologia, ſive in regendis fidelium conſcientiis. Ex innumeris Scripturæ ſanctæ textibus paucos ſeligam, Ezechielis *cap.* 12. hæc habentur: *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident ...., vident vana, & divinant mendacium, dicentes .... Et erit manus mea ſuper prophetas .... eo quod deceperunt populum meum dicentes, pax, & non eſt pax.* Similiter ſcribit Iſaias cap. 29. *Obſtupeſcite & admiramini ...... Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros; prophetas & principes veſtros qui vident viſiones, operiet .... Et dixit Dominus: Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longe eſt a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: Ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo: peribit enim ſapientia a ſapientibus ejus.* Eadem habet Jeremias *cap.* 32. *Væ paſtoribus, qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad paſtores, qui paſcunt populum meum: Vos diſperſiſtis eos. Ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum .... Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis & decipiunt vos.*

33. Paucos quoque ex Evangelio iſtuc textus tranſſcribam: *Matth.* 15. *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Item Apoſtolus Paullus *Epiſt.* 1. c. 1. admonet Timotheum, ut retraheret magiſtros a denuntiatione falſæ doctrinæ: *Rogavite, ut remaneres Epheſi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibuſdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide. Finis autem præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

34. Ex his colligo. Quemadmodum Prophetæ, Doctores, Scribæ & Phariſæi, tum in præceptis fidei, tum in morum mandatis errare poterant, & ſæpe re ipſa erraunt; ita & Doctores novi fœderis in utriuſque generis præceptis explicandis errare & decipere populum queunt. Et quamquam laudati Scripturæ textus hæreſeon auctores potiſſimum increpent, non minus tamen redarguunt Doctores illos, qui falſis opinionibus morum adulterant integritatem. Quod luculentius evincitur. Omnia ſacræ Scripturæ oracula æque nobis cæleſtem repræſentant protectionem, qua Deus teſtatur & promittit, ſe immaculata, pura, integra intemerataque ſervaturum fore uſque ad ſæculorum conſummationem dogmata fidei, ac morum præcepta. Hæ divinæ manifeſtæqua promiſſiones Eccleſiæ ſactæ non impediere, quin plurimi Doctores catholici privati, ſcientia & eruditione ornati, in fidei doctrina erraverint, populoſque deceperint. Percurrat qui velit Academias & Regna tum Orientalia tum Septemtrionalia, quæ ultimis temporibus a fide deſcivere. Eadem ergo ratione errare poſſunt Theologi & Caſuiſtæ privati in morum controverſiis, atque fideles decipere & perdere. Ubinam quæſo alicujus privilegii veſtigium, quo privati Theologi Caſuiſtæ ab errore præſervati ſint! Hanc ab errore immunitatem ſuæ Eccleſiæ Deus impertiit, nulli vero privato Theologo, nulli Confeſſario. Quin eo eſt Blaſius confeſſarius inexcuſabilior, quo facilius poteſt, miſſo Heliodoro Caſuiſta, ex ſe ipſo Scripturas meditari, & doctiores Theologos legere & conſulere. Quod ſi tanti non eſt, ut per ſe ipſum veros a falſis Prophetis, probabiliores e laxis opinionibus ſecernere valeat; indigne ſuo defungitur officio, ejuſque ignorantia voluntaria, atque adeo criminis plena eſt.

35. Plurimis quæ iſtuc adferre poſſem, omiſſis, ſufficiat referre auctoritatem Alexandri VIII. ſummi Pontificis, qui expreſſe de Theologis loquitur in ſuo decreto, quo anno 1665. plurium Caſuiſtarum opiniones damnavit. *Sanctiſſimus Dominus noſter audivit non ſine magno animi ſui mærore complures opiniones Chriſtianæque diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire; & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fidei in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ fidei corruptela. Quare ne ullo umquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret; idem ſanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa lataque via, pro Paſtorali ſolicitudine &c.* Et licet Caſuiſtæ aliqui nimium factioſi cavillentur, laxas propoſitiones a Pontifice proſcriptas eſſe, *ut jacent*, ſecus ut reperiuntur in libris Caſuiſtarum; attamen admiſſo etiam hoc puro putoque commento, fateri coguntur cum omnibus Catholicis, privatos Theologos & Confeſſarios ſequentes Theologorum quorumdam privatorum opiniones, errare culpabiliter poſſe. Concluſio iſta, ut ego quidem arbitror, a nemine in controverſiam vocari poteſt. Idcirco plurima nunc mitto, quæ illam confirmare valerent.

CONCLUSIO SECUNDA.

Quemadmodum Theologi, & Confeſſarii peccare poſſunt docendo & decipiendo fideles: ita fidelis populus peccare poteſt ſequendo opiniones Theologorum & Confeſſariorum.

36. HÆc ſecunda concluſio primam conſequitur. Nam ſi Chriſtiani nullum umquam re ipſa reciperent detrimentum ex falſa Theologorum & Confeſſariorum doctrina; tunc nec Theologi nec Confeſſarii peccarent eos decipiendo, ſublata prava decipiendi voluntate, quæ nec in doctoribus hæreticis ſemper adeſt. Peccaret ne medicus, ſi eo privilegio inſignitus eſſet, ut eadem ſecuritate ſanaret ægrotos venenum propinando, ac remedium juxta veras medicinæ artis regulas porrigendo? Si itaque fideles eodem modo in ſalutis negotio ſanarentur a Confeſſariis & Theologis errantibus, ac a Doctoribus vere ſapientibus; nulli, nec Theologi, nec Confeſſarii, interiore iniquitate ſubmota, nec fideles eſſent præjudicio & damno obnoxii. Non eo inficias conſultores Theologos quandoque peccare poſſe, quin peccent pœnitentes, qui eoſdem conſulant. Non tamen ſemper id evenire poteſt.

37. Verum Evangelii & Patrum auctoritate concluſionem luculentius evinco. Et in primis evangelicus Matthæi textus æque damnat populum ſequentem doctores cæcos, ac ipſos cæcos. „Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, „ ambo in foveam cadunt. *D. Auguſtinus hunc textum ſic „ interpretatur* lib. de paſtor. cap. 10. Sed quoniam terret, „ non ſolum cæcum ducentem, ſed & cæcum ſequentem „ (neque enim ait, cadit in foveam ducens, & non cadit „ ſequens, ſed cæcus cæcum ducens, ambo in foveam ca„ dunt)... Securi, inquiunt, ſequimur Epiſcopos noſtros. „ Dicunt hoc ſæpe hæretici, quando manifeſtiſſima ve„ ritate convincuntur: Nonne oves ſumus? illi de nobis „ reddent rationem. Reddent plane malam de morte ve„ ſtra..... Si in Catholica conſtituitur Epiſcopus: non „ bonam rationem reddit de ove, ſi non quæſierit errantem „ de grege Dei, qualem rationem redditurus eſt hæreticus.

38. Magnopere quoque confirmat aſſertionem noſtram Apoſtolus Paullus 2. *ad Timoth. c.* 4. *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Omnium Patrum interpretationes in ſenſum recidunt concluſionis noſtræ. *Nihil enim ſignificantius dici potuit,* (inquit Chryſoſtomus hom. 9. heic) *quippe dum coacervabunt, ait, indiſcretam confuſamque ſignificat doctorum multitudinem.* Ambroſius heic: *Tales enim futuros eſſe dicit, qui pro deſideriis doceri velint, & a magiſtris conſtantibus & veracibus ad hos convertentur, qui hæc illos doceant, quæ libentes illi audiant; quia veritas illis aſpera videbitur.* Anſelmus ſic interpretatur: *Sanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed velut*

onus

vinus grave rejiciunt eam ab humeris ſuis. Nam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria complenda coacervabunt, id eſt, acervum ſibi congregabunt Magiſtrorum, qui doceant eos ea quæ deſiderant; ipſi dico prurientes auribus, id eſt pruritam habentes in auribus ſpiritualiter fornicantibus &c. Nam ſicut caro quæ pruris ſemper, vult fricari; ſemper aures eorum ſic cupiunt audire verba, quæ errores doceant & ad delectationes alliciant; & a veritate &c. id eſt fugiunt audire ſermonem veritatis. Nonne graphice depicti ſunt ætatis noſtræ Chriſtiani, qui libentiſſime auſcultant, choreas, comœdias, promiſcuam virorum & mulierum converſationem, & familiaria colloquia, & contubernia prohibita non eſſe: qui occaſionem laqueorum plenam vitandam non eſſe, ſi damni ſubeundi vel lucri amittendi periculum inſtet; qui ex mutuo data pecunia lucrum percipi ſub variis titulis poſſe lætanter audiunt; qui denique ſugiunt Michæas, ſeu alios Doctores & Confeſſarios aſperam Evangelii veritatem, arctamque paradiſi viam prædicantes, iſtoſque ceu *Rigoriſtas & Antihomines* conſectantur, ut peroptime interpretatur D. Thomas *heic lect.* 1. Erit tempus &c. *Quando erant mali Doctores.* Non ſuſtinebunt &c. *id eſt erit eis odioſa veſtra doctrina, ſcilicet Chriſti ..... Alia perverſitas, quia volunt inordinate audire curioſa & nova. Ideo dicit:* Sed ad ſua deſideria coacervabunt: *Id eſt, multiplicabunt: & eſt coacervatio, quando indigni & inſufficientes multiplicantur: & magis coacervatio eſt, ſi ſiant quatuor indigni, quam centum boni; quia ut habetur Iſai.* 30. Loquimini nobis placentia: *Hoc eſt ſecundum ſua deſideria; quia unus vult addire unum, & alius alium, & ſic quærunt diverſos Magiſtros, ſeu Confeſſarios.*

39. Ultimo loco adjiciam erroneas opiniones Scribarum & Phariſæorum, qui erant Eccleſiæ, ſeu Synagogæ Hebræorum Doctores & Magiſtri in magna habiti exiſtimatione. Qua de cauſſa populus indoctus, & imperitus quadam videbatur dignus excuſatione, dum talium Theologorum doctrinas non modo in fidei, ſed etiam in morum præceptis ſequebatur. Chriſtus tamen & Magiſtros errantes, & populum deceptum rejicit. Inquit enim Chriſtus *Matth.* 15. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? nam Deus dixit: Honora patrem & matrem, &: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit .... Sine cauſſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Hæc Phariſæorum doctrina ſplendido pietatis fuco obducebatur. Suadebant namque illi ſanctius eſſe offerre Deo munera & ſacrificia, quam ſuccurrere parentibus. Uſurarum quoque prohibitionem ita moderaverant, ut ex pecunia mutuo credita levia dumtaxat munuſcula, ut Hieronymus interpretatur, rependi concederent feneratoribus. Porro quæ olim contigerunt Doctoribus & populo Hebræo, eadem quibuſdam Docturibus, & Chriſtianis accidiſſe deflet D. Bernardus *in Cant. Serm.* 33. *Væ generationi huic a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis, dici debet; quæ jam latere præ abundantia non valet & præ imprudentia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ; & quo latius, eo deſperatius: eoque periculoſius, quo interius. Nam ſi inſurget apertus inimicus, abſconderet ſe forſitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet? aut a quo ſe abſcondet? Omnes amici, & omnes inimici: omnes neceſſarii, & omnes adverſarii: omnes domeſtici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt .... Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit:* Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. *Amara prius in pace martyrum; amarior poſt in conflicta hæreticorum; amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt: invaluerunt, & multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina, & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ: & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima. Sed in qua pace? Et pax eſt, & non eſt. Pax a paganis, pax ab Hæreticis, ſed non profecto a filiis.*

CONCLUSIO TERTIA.

Quædam objectiones reſolvuntur, & ignorantiæ invincibilis abuſus obiter indicatur.

40. OBvia cuique eſt difficultas, quæ adverſus ea quæ dicta ſunt, objici poteſt. Ecquomodo, inquis, ruſtici, ſimplices, montuoſique homines, Doctores ſuos doctrinas falſas docentes deprehendere poterunt? Quomodo eorumdem opiniones diſcutere, falſas a veris ſecernere? Quid quod nec ipſi Theologi una conveniunt, ſed mutuo diſſident, & in diverſas oppoſitaſque abeunt ſententias? Quid igitur ſupereſt populo, qui nec legere, nec quæ legit intelligere ſæpe valet, niſi ſuos Confeſſarios, & Caſuiſtas conſulere, eorumque ſententiis auſcultare?

41. Objectio iſthæc & magno verborum apparatu, & concrepantibus buccis proponi ſolet: ſe ipſa tamen dehiſcit, & in nihilum occidit. Quandoquidem reſpondeant, num populi ſimplices Hebræorum, Scribarum & Phariſæorum traditiones novaſque hominum doctrinas diſcutere: num populi ruſtici Origenis & Tertulliani quos ſequebantur, erroneas opiniones diſcernere poterant? dicant an populus Conſtantinopolitanus Epiſcopi Neſtorii, an Alexandrinus Patriarchæ ſui Dioſcori diſcutere errores valebant? Quid de populis illis immenſis, qui Arianorum & Semiarianorum Conciliis tot Epiſcoporum atque inſignium Doctorum adhærebant, reponent? Quid tandem de innumeris tranſalpinis populis montes pagoſque incolentibus, qui errores Lutheri & Calvini ſequuntur, reſpondebunt? Num hæreticorum Epiſcoporum ſimplices ruſticoſque populos omnes in paradiſum invexerint Caſuiſtæ? Non unius, aut duorum, aut decem, aut centum Caſuiſtarum præſidio, ſed Epiſcoporum qui ſub initium Catholici etiam habebantur, numeroſiſſimis Conciliis nitebantur populi illi.

42. Quid? in fide illi, non in moribus, errabant? Quid inde? Cur inexcuſabiles illi, quod in fidei articulis errent, ſuos ſequendo Paſtores & Doctores; excuſabiles vero iſti, quod in morum præceptis errantibus Magiſtris adhæreant? Quænam diſcriminis ratio? Non ne potius digniores excuſatione videntur, qui in Prædeſtinationis, in Eucbariſtiæ, ſupernæ beatitatis, aliiſque fidei divinæ altiſſimis myſteriis, quam illi qui in morum præceptis errant? Nam hæc, non tam longe, quam illa, ab humana mente abſunt. An ne Deus illis lumen ad credendum, ſecus iſtis auxilia ad cognoſcendum, quæ morum integritati officiunt, infundit? Scientiores ne eſſe debebunt ſimplices ruſticique populi in fidei arcanis, ac in morum regulis naturæ rationali quam maxime conſentaneis, & ab eadem proficiſcentibus? Revolvant univerſam Scripturam, Patres & Concilia omnia percurrant, & tota mentis indagine ſcrutentur, num aliquod privilegium conceſſerit Deus, quo in morum doctrina, ſecus in rebus fidei ab erroris culpa præſerventur tum Magiſtri errantes, tum populi ſequentes.

43. Non me fugit, Caſuiſtas quoſdam excuſare rudes ſimpliceſque hæreticorum populos, qui ſuis Paſtoribus fidem adhibentes, fidem in baptiſmate receptam, ut ipſi ajunt, ſervant; eo quod ignorantia invincibili laborantes, pertinaces non ſint, ſed hæretici tantum materiales. Et iſtos abſolvi poſſe a Parochis catholicis docet Buſembau, additque illius Commentator, ejuſmodi hæreticos materiales non eſſe, ut ipſe credit, damnandos ex defectu fidei, ſi credant ea quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii. Quantum hæc doctrina diſtet a ſententia inter hæreticos communiſſima: nempe ad ſalutem ſatis eſſe credere articulos, quos *fundamentales* vocant, quorumve fides neceſſaria eſt neceſſitate medii, ſecus aliorum articulorum, qui *fundamentales* non ſunt: & hac ratione omnes Chriſtianos cujuſque ſectæ, licet extra unicam Eccleſiæ Romanæ arcam, ſalvari contendunt: quantum, inquam, ab hac erronea opinione, præfata Caſuiſtarum doctrina diſtet, ceteri viderint. Certe qua ratione rudem Germaniæ populum Lutheri ſectatorem hæreticum materialem vocant: eadem quoque, ſi non potiori, ratione rudes Hebræorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Arianorumque populos hæreticos materiales appellare poterunt & ignorantiæ invincibilis beneficio ad paradiſum perducere: quod Scripturæ & univerſalis Eccleſiæ ſenſui adverſatur.

44. Reponunt alii, Magiſtros & Doctores hæreſis mala voluntate, ſcienteſque populos decipere, atque ideo iſtos minime excuſari. Verum hoc quoque perfugium vanum eſt. Et in primis non omnes qui hæreſes docent, ſcienter & voluntate decipiendi id præſtant. Quis enim ſcienter fallitur? Nobis, inquit alicubi Salvianus, *hæretici ſunt, ſibi non ſunt.* Quoties Lutherus non teſtatur, ſe vera tradere, atque ab ipſo Deo certiorem de veritate doctrinæ ſuæ factum eſſe? Deinde admiſſo etiam quod prava decipiendi voluntate id egerint, quid inde? Siquidem aut manifeſta, aut occulta eſt iniquitas iſthæc. Si patet, decipere nequit, quoniam, agnito lupo, oves fugiunt. Si lupus occultus eſt oviumque veſte contectus, quid devoratæ ovi prodeſt? occulta pravitas deceptori, non decepto obeſt: potus veneni eumdem effectum parit, ſive ex malitia ſive ex ignorantia propinetur.

45. Objiciunt ſecundo loco, quod eodem recidit, ignorantiam invincibilem excuſare a culpa. Porro dum Parochus montuoſus ſui Caſuiſtæ quem unicum forte habet, opinionibus decipitur; & parochiani ſui paſtoris conſiliis aberrant, non ne invincibiliter errant? An ne ad impoſſibilia cogendi! Si autem invincibilis error eſt, innocens itidem, & a culpa quacumque immunis erit.

46. Fac-

Digitized by Google

46. Facillime hæc omnia & veriſſime explodi poſſeat dicendo, quod ſi Parochi & rudes populi, quod in ſe ipſis eſt, præſtiterint, a veritate non aberrabunt. At quoniam reſponſio iſthæc Caſuiſtis non paucis diſplicet, pluribuſque cavillationibus eam impetunt; ideo aliam inſtituimus viam, a qua nec illi recedere valent. Concedamus itaque quod etiam in iis quæ juris naturæ ſunt, plures ſimplices rudeſque homines invincibili laborent ignorantia. Hinc tamen minime ſequitur, quod Caſuiſtæ intendunt, nempe Chriſtianos quoſque ſive rudes ſive doctos, ſuis Theologis & Confeſſariis fidem adhibentes, re ipſa excuſari.

47. Abuſum itaque graviſſimum ignorantiæ invincibilis obiter indicemus oportet. Siquidem non ideo populorum ignorantiam, ſimplicitatem, barbariem, ruſticitatem, imperitiam, ineptitudinem ac tarditatem ingenii perpetuo objiciunt & exaggerant, ut iſtos dumtaxat a culpa præſervent: ſed hoc præjacto fundamento impunitaris aſylum erigunt, quo ſimul ſagaciores doctioreſque ſe ſe recipere valeant. A montibus itaque pagiſque ad cultas civitates diſputationem revocemus. Sint aliqui in montibus & ſilvis, & etiam civitatibus innocenter ſuis paſtoribus errantibus adhærentes. Idem ne de iis paſſim qui civitates inhabitant, judicium ferendum eſt? Numquid artifices veteratores, mercatores callidi, advocati ſagaces, Nobiles eruditi, illuſtres aſtutæque mulieres ſuis Caſuiſtis & Confeſſariis fidem adhibentes, ſemper excuſabuntur? Ego in meis concluſionibus ut cautiſſime loquerer, conſtitui tum Theologos & Confeſſarios, tum fideles eoſdem ſequentes, errare & peccare poſſe: nunc ab errore & culpa poſſibili, ad actum ipſum incidenter venandum accedo. Dicant ergo, num ejuſmodi ſimileſque Chriſtiani, qui pompis, luxui, comœdiis, theatris, virorum mulierumque colloquiis, diverticulis illecebriſque indulgent: qui lites inenarrabilibus cavillis peragunt, defendunt, protruhunt: qui mercaturam impotenti cupiditate exercent; contractus qui uſuram ſapiunt, ineunt; divitiis augendis continenter ſtudent; eleemoſynas aut parvas, aut nullas diſtribuunt: Hi omnes ſuos habent Confeſſarios, & Theologos; iſtorum conſiliis Sacramenta frequentant: contractus, lites, diverticula vana, moreſque profanos perſequuntur.

48. Dicant candide nunc velim, num iſti Chriſtiani Chriſtianæque omnes ſuorum Confeſſariorum & Caſuiſtarum aberrantium auctoritate excuſentur? Qui dubitandi locus, inquiunt? Quid namque aliud peragere poſſunt, niſi Confeſſarios & Theologos conſulere, ut eos invincibiliter ignorare dicatur? Iſthic paullulum gradum ſiſte. Quid, ſi Chriſtiani iſti audirent plurimos alios Theologos & Confeſſarios oppoſitum docentes? Quid ſi dum Concionatores adverſus dictos mores perorantes audiunt, aut libros aſceticos legunt, conſcientiæ ſtimulis pulſarentur? & nihilominus internos retunderent aculeos, atque afflatus illos, modo ab ipſa natura, modo a ſupremo lumine excitatos comprimerent arcerentque? Quid, ſi ſæpius ſe interiore impulſu ad alios conſulendos Theologos perurgeri ſentientes reſiſterent? Quid, ſi re ipſa alii Theologi & Confeſſarii, ad quos caſu quandoque deflectunt, eorum diverticula, contractus, commercia ceteraſque illecebras damnent, illiſque Sacramenta differant, reſpuerent, & ut ſuis commoditatibus infeſtos traducerent ceu *Rigoriſtas*? Quid, ſi occultiſſima, ſimulque validiſſima inclinatione perſequendi inveteratam vivendi conſuetudinem, ceteros Theologos rejicerent, verentes, ne ſibi ejuſmodi vitæ ratio interdicatur, & ſelectos Confeſſarios ſibi placentia loquentes retinerent, aut data opera inquirerent eorumque conſiliis Sacramenta frequentarent, quin mores mutarent? Quid poſtremum, ſi Confeſſarii ipſi aut ſecretiſſima augendæ factionis affectione; aut propriis rationibus conſulendi ſtudio laxiores amplecterentur ſententias? Quid, ſi Caſuiſtæ & Theologi ſufficienti deſtituti eſſent aut ingenii acumine aut copia diſſerendi? Quid, ſi neceſſaria oratione, ſtudio & diligentia omiſſa, Summas libroſque ſuos compilarent, ut evaderent populorum Magiſtri, repugnantes Apoſtolo Jacobo, qui pluralitatem Magiſtrorum vetat? Eſſet ne deſcriptis poſitionibus ignorantiæ invincibili locus? Nonne omnes ejuſmodi Chriſtiani, Chriſtianæ, Caſuiſtæ & Confeſſarii culpabiliter errarent ſecundum omnes etiam laxiores Caſuiſtas? Quandoquidem numquam ignorantia illa, quæ, aut culpabilis negligentiæ, aut malitiæ licet occultiſſimæ partus eſt, dicitur invincibilis. Quis autem infitias iverit, ignorantiam eorum omnium quos recenſui, ſive Theologorum & Confeſſariorum, ſive pœnitentium ignorantiam eſſe, aut culpabilis negligentiæ, aut ſecretæ propenſionis in propria commoda partum? Ergo juxta omnes vincibilis, & criminoſa.

49. Ex pluribus igitur capitibus & Confeſſariorum & populorum ignoratio criminis plena efficitur. D. Joannes Chryſoſtomus ob ſolam negligentiam inquirendæ veritatis, & adeundi Confeſſarios doctos, pios, ab aſſentandi palpandique periculo alienos, populi ignorantiam culpabilem ſtatuit: idque evincit ex comparatione ſtudii & diligentiæ, quam in omnibus ferre terrenis, parvique momenti negotiis adhibere non modo homines acuti & ſagaces, ſed etiam rudes ſolent. *Hom. 13. in epiſt. 2. ad Corint.* Ne igitur (ait) *multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus. Quomodo autem non abſurdum propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare & ſupputare: pro rebus autem amplioribus, aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter; præſertim cum habeamus exactiſſimam trutinam & regulam, divinarum, inquam, legum aſſertionem? Ideo obſecro & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic vel illi videatur; deque his a Scripturis omnia inquirite.* Clarius adhuc alibi redarguit Chriſtianorum in conquirendis veris Magiſtris negligentiam. *Veſtem*, inquit, *empturus es: unum viſitas negotiatorem, & alterum. An non oportet populum Chriſtianum circumire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincere venumdatur veritas Chriſti?* Et Chryſoſtomi & aliorum Patrum innumeros textus iſthuc tranſcribere in confirmationem iſtius veritatis poſſem.

50. Satis nunc conſtare exiſtimo, maximum illum invincibilis ignorantiæ abuſum, quo immunes reddere a peccato contendunt recentiores plurimi tum Caſuiſtas, tum Chriſtianos fere omnes opinionibus Confeſſariorum adhærentes. Itaque laborent nec nequidam rudes, ſimpliceſque plebeii, homineſque montuoſi, interdum ignorantia invincibili: Fuerit quandoque inter Sanctos ipſos diſſidium in morum controverſiis; fuerit in eorum aliquo error cujuſque culpæ expers, ita ut neceſſe minime habuerint cum ſancto Davide orare Deum, *& ignorantias meas ne memineris*. Id omne concedatur. Res enim facti eſt; univerſæ alioquin Patrum doctrinæ repugnantis. Quid tamen inde? Quis ex innocuo aliquo errore Sanctorum, quos in rebus difficillimis omnem diligentiam moraliter poſſibilem adhibuiſſe, omnibuſque neceſſariis prærogativis ingenii, eruditionis, ſtudii & diſſerendi inſtructos eſſe, haudquaquam dubitare licet: quis inquam colligere auſit argumentum excuſandi communiter Caſuiſtas omnes in ea tradenda Theologia temporum, perſonarumque conditioni accommodata, quæ laxitatem paſſim redolet? Quis auſit affirmare, iſtos omnes & prærogativis neceſſariis ad tam ſublime munus libere ſuſceptum implendum ornatos, & omnia media pro aſſequenda veritate, aut vitandis erroribus exſequutos fuiſſe? Quis denique ex ignorantia invincibili, quam in rudibus ruſticiſque hominibus quandoque reperiri aſſerunt; eo quod & eorum morum integritas, & animi ingenuitas, & ardens ſciendæ veritatis deſiderium, aliaque indicia gravia innoxium oſtendunt illorum errorem? Quis inquam ex hoc rariſſimo, aut ſaltem non adeo frequenti eventu inferre auſit, communiter ignorantia invincibili teneri cujuſque ſtatus & profeſſionis feminas & homines ſagaciſſimos, callidos, acutos, ut ſunt paſſim, non modo in civitatibus, ſed in pagis & villis, quorum corruptiſſimi mores, fraudes, doli, inſidiæ, libidines, injuſtitiæ, cavillationeſque quibus mutuo implicantur; eorum ignorationem voluntariam, craſſam affectatamque evidenter demonſtrant? Ex quibus duo fere certa colliguntur. Primum; ignorantiam invincibilem perraro, & in paucis ad ſummum reperiri. Alterum ignorantiam tum Confeſſariorum & Caſuiſtarum, tum Chriſtianorum pœnitentium quos deſcripſi, paſſim vincibilem & culpabilem eſſe. Brevi: pauciſſimis prodeſt ignorantiæ invincibilis perfugium, quia in pauciſſimis reperiuntur conditiones neceſſariæ pro innocenti ignorantia. Non eſt ergo, quod tam acris atque perpetua altercatio habeatur ſuper facto quod raro occurrit, ſi tamen occurrit.

55. Opponunt ultimo loco, hanc doctrinam animas turbare, ſcrupulis, anguſtiis & continuis agitationibus replere; ac denique ex illa ſequi, tum Caſuiſtas, tum Chriſtianos magna ex parte damnandos fore. Hoc omnium ſophiſmatum ineptiſſimum eſt. Illud pluribus in locis ſibi objicit Auguſtinus his verbis. *An non omnes hoc faciunt? Et quis non facit? Num omnes perditurus eſt Deus?* Opportuniore occaſione de eodem fuſior erit ſermo. Satis nunc ſit indicare Evangelium ipſum teſtari, paucos eſſe electos, plures vero perituros. Doctrina data non anguſtias, non ſcrupulos ſuſcitat, ſed ſolicitudinem Evangelicam inducit, humilitatem Chriſtianam & ſanctum illum Dei timorem, quem clavum animæ fluctuantis appellat Ambroſius: excitat, & calcaria adjicit piis fidelibus ad operandum cum timore & tremore ſalutem æternam. Hæ ſunt phraſes, non Rigoriſtarum, ſed Evangeliſtarum. Contraria vero doctrina ad doloſam ſecuritatem, ad funeſtum ſtuporem, formidandamque obſtinationem & cæcitatem viam aperit latiſſimam.

PRÆ-

PRÆFATIO AUCTORIS.

MIRUM ſane, ut mihi perſuaſum eſt, quam multis videbitur, præſens hoc Opus ab homine uno non modo ſuſceptum, ſed in lucem audacter fuiſſe emiſſum, præſertim cum tot tamque eruditæ innumerorum fere primi ordinis celeberrimique nominis Auctorum eadem de re promulgatæ fuerint elucubrationes. Quid enim novi, forſan inquient, aut inauditi poſt tot doctos atque perſpicaces viros proferre in medium poterit iſte? Numquid collatam ſimul operam atque confertos plurium labores Doctorum, quibus nunc affluit Pariſienſis Sorbona, exigebat tantum molimen ut de tot numero ac tanta varietate diverſis rebus, ſpinoſas perſolverent difficultates, quas omnes addidiciſſe privatum quempiam vix ac ne vix quidem veriſimile eſt, ut alios eaſdem docere queat? Eadem ferme alias ſibi objecit S. Cyrillus Alexandrinus, cum minores Prophetas commentariis ſuis illuſtrare meditatus eſt (*a*): *Exiſtimabit fortaſſe quiſpiam*, inquit is Sanctus, *otioſum eſſe quodammodo, & cum temeritate conjunctum, parumque conducibile, etiam antea pluribus diſputata & explicata tantum non refodere, perſcrutarique velle, & laboribus aliorum ſuperadditis novos ſuperaddere.*

(*a*) S. Cyrillus Alex. Præfat. in Oſeam Prophet. init.

Ea quidem, fateor, quam ſæpe animo volvi, cogitatione mens mea tam valide perculſa eſt, ut Opus hoc evulgare numquam ſtatutum ac deliberatum habuiſſem: niſi hortatu ſuo ac conſiliis hunc ſtudiorum meorum proventum e tenebris quaſi eruiſſent complures amici mei, morum Diſciplinæ peritiſſimi Doctores, & in arte regiminis animorum verſatiſſimi; quorum præcipua, quæ etiam ad conſcribendos de Trinitate Libros inductus eſt S. Auguſtinus, hæc fuit ratio, quod meum hoc Opus moralibus optimorum Auctorum præceptionibus refertum, pro Bibliotheca iis futurum eſſet, qui Libros iſtorum nec habent, nec quandoque præ inopia, aliave de cauſſa habere poſſunt: *Neque enim omnia, quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt*, inquit gratiæ Doctor (*b*): *& fieri poteſt, ut nonnulli, qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inveniant Libros, & in iſtos ſaltem incidant. Ideoque utile eſt, plures a pluribus fieri diverſo ſtilo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat; ad alios ſic, ad alios autem ſic.* Ob eum quoque præcipue finem teſtimonia cuncta e Scriptura, Conciliis, Patribus, ſummorum Pontificum Decretalibus, & celeberrimis Theologis atque Canoniſtis depromta accurate comprobavi, aliorum diffiſus allegationibus, quas aut mendoſas, aut parum diligenter adductas multoties expertus ſum. Cui priori rationi illud accedit, quod affert ſanctus Cyrillus; ſcripta videlicet poſt alios, ſi bona ſint, nemini umquam obeſſe, multis vero prodeſſe poſſe (*c*): *Nam ſi quippiam proponatur cognitu præcipuum ac neceſſarium*, inquit, *& ita ſuper eo multis & a multis diſſeratur; nullum inde damnum ad quemquam, immo fructus maximus ad audientes perveniet.*

(*b*) S. Aug. l. 1. de Trinit. c. 3. ſeu n. 5.

(*c*) S. Cyrillus Alex. loc. cit.

Quamvis autem multas deciſiones meas e ſcriptis ſancti Auguſtini aliorumque Eccleſiæ Patrum, & multo plures etiam ex operibus ſanctorum Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, Raymundi, Bernardini, ceterorumque Auctorum doctrina & variis dignitatibus ſuis venerabilium depromſerim; non idcirco plagiarius jure cenſeri poſſum duplici de cauſſa: 1. quia propriis non credens luminibus, & privata multorum auctoritate parum commotus, neceſſe duxi, ſanctorum doctrinæ adhærere, ſacrorumque Canonum, quos ad regimen fidelium, afflante Spiritu ſancto, emiſere Concilia, quique proinde omnibus venerationi eſſe debent: uti indicant iſta Aquiſgranenſis Concilii an 836. habiti verba (*d*): *Sacri ... Canones toto orbe venerandi, & ſancto Spiritu inſpirante digeſti, immo calamum ſanctorum Patrum, qui eos de ordine & ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ conſcripſerunt, regente &c.* 2. Quia ſententia eorum tantum amplexus ſum, quod mihi certum ſit ac penitus exploratum,

(*d*) Concil. Aquiſgrand. II. l. 3. c. 25.

cam cum veritate conſentire, quam hereditario jure mihi cum illis communem ita exiſtimavi, ut non minus ego, quam illi; hoc Theodoreti dictum uſurpare valeam (*a*): *Hoc autem non furtum, ſed paterna hæreditas*; aut illud S. Auguſtini (*b*); *Ego amo quod dicunt* (homines illi), *quando verum dicunt, non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt, ... ſi autem amem illud, quia verum eſt; jam ipſorum eſt & meum eſt; quoniam in commune eſt omnium veritatis amatorum.*

Ad ſtatuendas vero firmandaſque deciſiones meas propono 1. plurima Concilia, non omnia quidem œcumenica, ſed tamen peculiari tum veneratione, tum auctoritate digna; quia unanimi Eccleſiæ conſenſu fuere approbata, uſuque confirmata. 2. Multos antiquos Canones, e Gratiani Decreto exceptos; non quod eos vim Legis præciſe ex eo habere putem, quia in illo reperiuntur Decreto, ſed quod hanc eis tribuam auctoritatem, quam habent fontes, e quibus illos hauſit inclytus iſte Collator, nimirum ex deciſionibus, & Conſtitutionibus variorum Conciliorum, ſcriptis antiquorum Patrum, aut veterum Auctorum, quorum doctrinam confirmarunt Eccleſia ac Decretis ſuis ſummi Pontifices. Qua de re tamen advertendum eſt, ab eo antiquos Canones ſummis Pontificibus Siricii Papæ 22 Jan. an. 385 electi Anteceſſoribus, ut apud omnes doctos jam in confeſſo eſt, falſo adſcribi. Unde vetuſtiſſima, quæ in Bibliotheca Abbatiæ S Venen. Verodunenſis aſſervatur, manuſcripta collectio, a Siricio dumtaxat exordium ſumit. 3 Sæpe etiam laudo, non ſolum Decretales contentas in Collectione juſſu Gregorii IX. digeſta a S. Raymundo, qui collectiones quinque priores ab ævo Gratiani variis temporibus confectas uno volumine in quinque Libros diſtributo comprehendit; verum etiam poſteriores multas Conſtitutiones in Sexto, in Clementinis & Extravagantibus, aut etiam in Bullario magno relatas. Sed, cum in Gallia vim Legis non obtineant variæ hujuſmodi collectiones, eas ſolum in argumentum deciſionum mearum adduxi, quæ vigent in hoc Regno, adnotatis aliis quæ non obſervantur, & quarum proinde nulla eſt ibi auctoritas. Parem etiam cautionem adhibui pro regulis Cancellariæ Romanæ, eas tantum allegans, quæ in Gallia admittuntur; quales ſunt iſtæ, ſcilicet XVIII. dicta, *De infirmis reſignantibus* XIX. *De Idiomate* XXVIII. *In veriſimili notitia obitus*: & XXXIV. *De publicandis reſignationibus*; quibus aliæ duæ poſſunt addi: ſcilicet XXX. ab Innocentio VIII. lata: *De Annali poſſeſſore*: & XXXII *De triennali poſſeſſore* nominata.

Quandoquidem id omne nonnulli reprehendant, quod ſibi non ſapit atque arridet; ac palam Opus in infamiam vocare delectentur, quod clam non ſine voluptate pervolvunt, uti olim querebatur jam Hieronymus his verbis (*c*) *Qui canino dente me rodunt in publico detrahentes, & legentes in angulis* .... id etiam in hoc Opere quidam arguent, quod permultos in eo propoſitos caſus ſola Legum Romanarum auctoritate diſſolverim: ſed æquo, ut mihi ſpes eſt, animo perpendent 1. plures, non in Gallia ſolum, ſed & alibi vaſtas eſſe Provincias, quæ jure ſcripto reguntur, cujus proinde Leges appoſite ad probationem earum, quibus favent, deciſionum allegantur: præterquam quod non abs re fuit de multis agere quæſtionibus, in hoc tantum jure uſitatis, quales ſunt Falcidia & aliæ nonnullæ: cumque jus temporalia bona poſſidendi, a ſuprema, ut ait S. Auguſtinus (*d*), Principum auctoritate dimanet; eorum Leges atque Conſtitutiones neceſſario in medium eſſe adducendas, tamquam regulam hac in re ſervandam. 2. Leges iſtas in iis dumtaxat a me caſibus proferri; de quibus nihil definiunt Eccleſiaſtica ſtatuta. 3. Me earum Legum auctoritate non tam inniti, prout in ſe ipſis conſiderantur, quam propterea quod cum jurisprudentiæ noſtræ regulis conſentiunt, quas ſequi neceſſe eſt in deciſione difficultatum, de quibus nihil contrarium ab Eccleſia conſtitutum eſt. 4. Leges hujuſmodi, eas præſertim quæ ab Imperatoribus Chriſtianis latæ ſunt, ex immutabilibus naturalis æquitatis principiis oriri, ad quam actus ſuos dirigere tenetur omnis homo. 5. Denique juſtam ex omni ævo venerationem habuiſſe Leges iſtas, non modo apud antiquiſſimos ac celeberrimos Scriptores ſive Theologos, ſive Canoniſtas, a quibus in ſcriptis ſuis ad firmamentum ſententiæ ſuæ quam ſæpiſſime proponuntur; verum etiam apud Concilia Eccleſiæ, Patres ſanctoſque Compoſitores, nec non apud ſummos Pontifices, qui earum pondere & auctoritate doctrinam ſuam ac deciſiones muniunt atque confirmant; quando nihil in illis continetur Evangelio ſacriſve Canonibus oppoſitum, quales ſunt Juſtiniani Novellæ, *quas commendat*, ut loquitur Yvo Carnutenſis (*e*), *& obſervat Romana Eccleſia*. Unde fit, in multis Decreti Gratiani Canonibus tot quandoque Leges proferri, ut vel in uno ſolo triginta duæ reperiantur (*f*).

(*a*) Theodor. Ep. ad Jo. Epiſcop. de explanatione Cantice Canticor. ſub finem.

(*b*) S. Aug. l. 12. Confeſſ. c. 25. ſeu n. 34.

(*c*) S. Hieron. Prolog. in Paralipom.

(*d*) S. Aug. tract. 6. in Jo. in Can. *Quo jure*. 1. diſt. 8.

(*e*) Yvo Carnut. Ep. 280.

(*f*) Can. *Si te*ſtes. 3. 4. q. 3.

Et qui

Et quidem a Nicolao I. *Venerandæ*, ita loquitur (*a*), haberi debent *Romanæ Leges*: eaſque abſque crimine contemni non poſſe aſſerit Gelaſius I. ad duos ſcribens Epiſcopos (*b*): *Quis autem Leges Principum, aut regulas Patrum .... dicat debere contemni, niſi qui impunitum ſibi tantum æſtimet tranſire commiſſum?* Hæc ſunt verba ſummi hujuſce Pontificis, qui in ſuis ad Theodoricum Regem Litteris (*c*) ipſum rogat, ut quas pro ſubjectis imperio ſuo populis Leges promulgaret, eædem in ſuis negotiis pro Clericis valerent: nec minus Leo IV. oſtendit, quanti Leges Imperiales faceret, ut patet ex Epiſtola ad Lotharium Imperatorem ſcripta, in qua *nunc & in ævum*, inquit (*d*), *nos conſervaturos* (Capitula Imperialia) *modis omnibus profitemur*. Deciſionibus ſuis vim ac robur adjungit ſanctus Gregorius Magnus (*e*) ex Legibus Imperatorum Honorii, Arcadii, Juſtiniani, Gratiani, Valentiniani & Theodoſii: quod idem ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo (*f*) aliiſque viris illuſtribus eſt præſtitum. Ab eodem Sancto irrita declaratur tota litis ſeries (*g*), contra Legis Imperatoriæ præſcriptum (*h*) inſtructa. Longius etiam progreditur Lucius III (*i*) ad Patavinum ſcribens Epiſcopum: ubi enim præmiſit, quod *ſacrorum ſtatuta Canonum, Principum conſtitutionibus adjuvantur*; irritum facit, quidquid in negotio quodam confectum fuerat in Legum civilium injuriam. In quadam Decretali Gregorii IX. (*k*) abrogatur Eccleſiaſtici Judicis ſententia, atque invalida declaratur; quod Imperatoriis Legibus non eſſet conſentanea. Multa tandem Concilia magis illuſtrarunt laudibus, immo etiam, tamquam ad Eccleſiæ civiliſque ſocietatis bonum conducentia approbarunt Capitularia, ſeu Leges Imperatorum Caroli Magni, & Ludovicii Pii, nec non Regum Lotharii, Caroli & Ludovici, qui poſtremum hunc Imperatorem patrem habuere.

Eccleſiæ ſiquidem & ſæcularium Principum leges ad communem omnium habitinum pari conſenſu ſpectant utilitatem, quæ legis cujuſlibet tamquam ſcopus unicus haberi debet juxta illud Romani Oratoris (*l*): *Salus populi ſuprema Lex eſto*. Enimvero, ſi legibus Eccleſiaſticis is ſit propoſitus finis, ut hominis bonum, comparate ad æternam beatitudinem, procurent; eodem etiam conſpirant Principum leges in ordine ad vinculum pacemque communitatis, quam tueri ac favere, ſtatutis contra inquietos ſuppliciis, nituntur. *Factæ ſunt autem leges*, inquit Iſidorus (*m*), *ut earum metu coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia: & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur nocendi facultas*. Unde ſacrarum Eccleſiæ legum iſtæ obſervationem promovent, ut ait Nicolaus I. in Canone, quem refert Gratiani Decretum (*n*): cum, ob eum præcipue finem, ſæcularibus Principibus ſuam Deus communicaverit potentiam, ex his Apoſtoli verbis (*o*): *Non enim ſine cauſſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*.

Addendum etiam, leges ab Ethnicis Principibus aut latas, aut confirmatas, non minus, quam Chriſtianorum Imperatorum Conſtitutiones, cum principiis naturalis æquitatis conſentire: ita volente Deo, ut Infideles illi neceſſario illuſtrarentur lumine, ſufficientique eſſent poteſtate muniti, ut eorum miniſterio ſervarentur jura naturæ; quod quidem iſti præſtitere, principia ſupponendo, quibus conſtat naturalis æquitas; qualia ſunt iſta; *I. Alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri. II. Suum cuique tribuendum eſt. III. In pactis ingenuitas ac fides eſt adhibenda &c.* Ex his generalibus effatis ad ſpeciales facta eſt complexio regulas, quales ſunt iſtæ. *I. Pupilli ſui ſaluti ac moribus invigilare, ejuſque rebus conſulere debet Tutor; cum ei pro patre ſit. II. Lucrum & damnum in ſocietate debent eſſe ſociis communia. III. Rem venditam præſtare tenetur venditor. IV. Commiſſum ſibi depoſitum fideliter & accurate debet ſervare depoſitarius &c.*

Sed quia difficultates quaſdam, quibus tamen providere intereſt, minutim non ſemper perſequuntur leges naturales; idcirco aliis ſpecialibus legibus eas componere neceſſe fuit: hinc, v. g. conſtitutæ ſunt leges, quæ præſcriptionum tempus ſtabilirent; ætatem ad contrahendum requiſitam; teſtamentorum formulas, & alia hujuſmodi innumera definirent.

Hinc meminiſſe refert, antea me aſſeruiſſe, Concilia, Patres ac ſummos Pontifices Legum Civilium auctoritate doctrinam ſuam ac deciſiones confirmare: *quando nihil in illis continetur Evangelio ſacriſve canonibus oppoſitum*; uti ſunt eæ omnes, quæ a me adducentur: nam quod ad ceteras Leges attinet quas improbat Eccleſia, nullius eſſe debent momenti quoad forum conſcientiæ, quæ non niſi ex Legibus juſtitiæ, caritatis & æquitatis dirigenda eſt, ut poſt ſanctum Gregorium Magnum ait Gregorius IX. (*p*) *Lege Dei, non autem Lege hujus ſæculi vivimus*.

(*a*) Nicolaus I. in Can. *Ita*. 1. 30. q. 5.
(*b*) Gelaſius in Can. *Quis aut.* 11 diſt. 10.
(*c*) Idem in Can. *Certum*. 12. ead. diſt.
(*d*) Leo IV. Can. *de Capitul*. 9. ead. diſt.
(*e*) S. Greg. l. 11. Ep. 56.
(*f*) Hincmar. Opuſc. c. 17.
(*g*) S. Greg. in c. *In nomine Domini*. 2. de teſt. & atteſt. l. 2. t. 20.
(*h*) Authentica de teſtib. 5. & *Hac vero*. collat. 7.
(*i*) Lucius III. in c. *Intelleximus*. 1. de novi operis nunciatione. l. 5. t. 2.
(*K*) Greg IX. in Can. *Inno-tuit* 2. de Arbitris. l. 1. t. 43.
(*l*) Cicero. l. 3. de leg. n. 8.
(*m*) Iſidor. in Can. *Factæ*. 1. diſt. 4.
(*n*) Nicolaus 1. in Can. *Lege* 1. §. *Non qui* diſt. 10.
(*o*) Rom. 13. 4.
(*p*) Greg. IX. in Can. *Filius*. 5. de teſtam. & ult. volunt. poſt. S. Greg. l. 7. indict. 1. Ep. 4.

Ceterum illud in me reprehenſione dignum videri non debet, quod quatuor aut quinque deciſiones meas quorumdam Auctorum Ethnicorum teſtimoniis, Platonis nimirum, Ariſtotelis, Ciceronis, Propertii & Senecæ confirmaverim; cum unum ex iis, Ararum videlicet, qui 172. an. ante Chriſtum natum vive-
(a) Act. 17. 29. bat, haud ægre laudarit Apoſtolus (a), ut Athenienſibus perſuaderet, non *auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis, divinum eſſe ſimile*. Huc etiam accedit quod ipſorum auctoritati non innitar, ſed rationum dumtaxat pondere quibus utuntur, quo dictorum ſuorum veritatem aſſerant.

Exiſtimabit fortaſſe quiſpiam, pleraſque ex deciſionibus meis ad Judices porius, Cauſidicos ceteroſque forenſes homines, quam ad Confeſſarios pertinere. At 1. numquid optandum foret ad quietem ac ſolamen pœnitentium, & ut ſalva etiam hoc modo præſtetur eorum conſcientia, tali Confeſſarium eſſe peritia, ut illos edocere nec non eorum ſubito difficultates enodare queat, non requiſitis Advocatorum conſiliis, qui aliunde parum frequentes illa reperiuntur intelligentia præditi (ſi magnas urbes excipias) qua ruto ſibi propoſitas juris quæſtiones explanare valeant? 2. Poteſt ne Confeſſarius abſque erroris formidine, Judices illos & Advocatos abſolvere, eiſve abſolutionem denegare, niſi latas ab iis ſententias aut data conſilia, cum æquitate conſentire notum ſibi fuerit ac penitus exploratum? Ob eas igitur cauſſas pleriſque Confeſſoribus in jure ac diſciplina non multum exercitatis, qualiſcumque meæ earum rerum ſcientiæ copia facta, gratum fore putavi.

Si quis vero objiciat, multorum quos propono, Caſuum explanatione, me caſtitati conſuluiſſe; reponam, modeſtiſſimos hac in re mihi propoſitos eſſe Auctores, quorum exemplum ſecutus Latinum ſemper in eorum expoſitione, vernaculum numquam adhibui ſermonem, ut illæſa maneret modeſtia. Certum quidem eſt, ultimi ſæculi Auctorem apud quoſdam male audiſſe, quod de matrimonio, rebuſque ad illud pertinentibus, minutius atque curioſius, quamvis Latine, dixerir: At longe abſunt a nimia hujuſce Auctoris indagatione quæſtiones a me propoſitæ, nec rem eo perduxi quo iſte. De caſibus iſtis, æqua tantum neceſſitate compulſus, & maxima, qua fieri potuit, verecundia dixi. Turpia etiam narrare illicitum non putarunt ſancti Doctores; ubi Eccleſiæ ac veritats cauſſa ageretur. Horrendas Manichæorum ſpurcitias ſanctus Cyrillus
(b) S. Cyrillus Hierol. Catec. myſtagogica. 6. Hieroſolymitanus Antiſtes (b), & ſanctus Epiphanius Gnoſticorum abſque ſcrupulo ſcriptis ſuis conſignarunt, & oculis quaſi ſubjecerunt. Inſuper nequeunt Confeſſores, in quorum gratiam hoc Opus conſcripſi, pœnitentes ſuos de hiſce rebus inſtruere, eorumque aperire dubia: niſi ſufficientem harum habeant notitiam: quare omittenda non duxi ea, quæ ad ſextum Decalogi præceptum, uſumque Matrimonii pertinent; & verecundiæ ſuæ, cautionibus adhibitis, ſatis ſuperque a me proviſum fuiſſe judicabit æquus Lector.

In Operis hujus decurſu, duæ ſolum treſve reperiuntur difficultates, quas abſolute non ſolvi ob paria validarum rationum momenta, quibus utrimque opinionem ſuam ſtabiliunt Auctores in contrarium ſenſum abeuntes: & putavi, in gravibus quibuſdam dubiis de quibus nihil decrevit Eccleſia, locum eſſe
(c) S. Greg. in Can. Grave. 74. 11. qu. 3. huic S Gregorii Magni regulæ (c): *Grave ſatis eſt & indecens, ut in re dubia certa detur ſententia*. Inſuper cum actiones humanæ, quæ *Conſcientiæ Caſus* appellantur, nonnullis quandoque ſint annexæ circumſtantiis ſpecialibus, non raro ualde æquivocis & Implexis; certum ferri nequit judicium, an bonæ ſint vel malæ, innoxiæ vel criminoſæ; niſi liquido pareat earum connexio cum univerſalibus principiis, quæ ad earum ſolutionem conſulenda ſunt, quod quidem ſæpe ſæpius difficultate plenum eſt: adeo alios alia delectant.

Si quando id mihi ſumſerim, ut quorumdam Auctorum, quorum etiam nonnulli veneratione digni ſunt, opiniones carperem, aut etiam exploderem; ad id ſolius veritatis amore adductus perveni, non ignorans, quod, ut ait S. Hieronymus:
(d) S. Hieron. in Præfation. in Evangeliſt. (d) *Periculoſa eſt præſumtio, judicare de ceteris*. Unde profiteor, hanc meam agendi rationem ab omni aliorum offenſionis, aut in ipſos ambitionis cupidine longe eſſe averſam; ſed putavi, cum antiquis Auctoribus ſuus ſit honos debitus, recentiorum vero lectionem ab omni neceſſe ſir abeſſe invidia; eorum tamen opinionibus refragari mihi fas eſſe, ubi ſuſpenſa viſa eſt harum veritas: cumque allucinentur
(e) S. Hieron. Præfat. in Job. vel perſpicaciſſimi Scriptores non minus, quam alii, ut ait S. Hieronymus (e); id in me non eſſe reprehendendum, quod errores eorum, ſi qua eos cenſura notari poſſe judicavi, redarguerim; eo ferme modo, quo inferior in exercitu ductor, vel gregarius etiam miles aliquando commiſſam a Duce ſuo culpam, non ſine cauſſa,

quan-

quandoque poteſt damnare; quamvis primas in eum partes, aut majoris in rebus agendis peritiæ famam non ſibi arroget; neque tamen cujuſquam opinionem rejeci, niſi certiora ipſius probationibus argumenta, ac magis decretorias auctoritates opponendo, memor ſemper illius ſapientis Auguſtini dicti (*a*): *Diligite homines, interficite errores. Sine ſuperbia de veritate præſumite, ſine ſævitia pro veritate certate.* (*a*) S. Aug. lib 2. contra Litter. Petilian. c. 19. ſeu n. 31.

Ceterum cum immoderata rigiditas, vel laxior indulgentia extrema ſint oppoſita, quibus par in conſcientiæ rebus adeſt diſcrimen juxta illud S. Bonaventuræ (*b*): *Cavenda eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta: nam prima generat præſumtionem, ſecunda deſperationem: prima ſæpe ſalvat damnum, ſecunda e contra damnat ſalvandum*: In deciſionibus meis, quantum in me fuit, ita modum adhibui, ut nec rigidiores ſectarer opiniones, nec etiam in oppoſitam deflecterem laxitatem, ea nimirum ſecutus quæ ad conſcientiam probabiliora mihi, aut tutiora viſa ſunt; ne in illud incurrerem maledictum, quod ſecus agentibus minatur Propheta his verbis (*c*): *Væ qui dicitis malum, bonum; & bonum, malum: ponentes tenebras, lucem; & lucem, tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Cumque difficultates in jure omiſſas diſſolvi, naturalem ſemper, in nullo vehementior, æquitatem conſului, juxta illud Honorii II. ad Cardinalem a quo fuerat ipſe conſultus, ſapiens monitum (*d*): *In his vero ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, procedas, æquitate ſervata, ſemper in humaniorem partem, ſecundum quod perſonas & cauſſas, loca & tempora videris poſtulare.* (*b*) S. Bonav. l. 2. compend. Theol. verit. cap. 32. (*c*) Iſajæ 5. 20. (*d*) Honor. III in c. Ex parte fin. de tranſactionib. lib. 1 Decret. tit. 36

Varias ſingulorum caſuum ſpecies effingere conſtituimus, quas modo convenienti ſolvimus: quod hæc methodus aptior nobis viſa fuerit ad conciliandam Lectoris attentionem, ipſique faciliorem redderet difficultatum intellectum, ut de iis ab eo ferri poſſet judicium.

Opus hoc *Dictionarii Caſuum Conſcientiæ* titulo inſigniri poſſe arbitratus ſum; quia cum in eo Vocabularii ſolito more ſecundum litterarum ſeriem tradatur moralis diſciplina, in promtu ſint res & difficultates, quarum enodationem quis explorat, non ægre ingentia evolvendo volumina quæ ſæpe non ſuppetunt, & in quibus multo magis intricatæ reperiuntur.

Non me quidem fugit, Opus hujuſmodi haud abſimile eſſe Dictionario Hiſtorico quod in infinitum ferme procedere poteſt; cum vel ex minimis ac diverſis quorumdam Caſuum circumſtantiis additis, aut ſublatis, aut etiam immutatis variari poſſint deciſiones eorum; ſed quia multa poſui ante principia, quam ad ſpeciales difficultates fieret reſponſio, ex quibus alii innumeri, diverſis hiſce circumſtantiis implicati, diſſolvi poſſunt: exiſtimavi, ex poſitis in hoc Opere principiis, eas etiam explicari poſſe difficultates, quas minutim non ſum perſecutus; donec a peritioribus Auctoribus auctum & perfectum de novo illuſtretur.

Quod ad Latina ſpectat teſtimonia quæ in hoc Opere plurima occurrunt, & quæ prolixitate ſua tædium iis præſertim afferre poterunt, qui autographorum verborum Auctoris ſenſum penitus introſpicere non curant: illa tamen in eorum gratiam eſſe prætermittenda non putavi, certus id multis Lectoribus fore pergratum, ſi ea inveniret, vel quia horum Auctorum copiam non habent, vel quia ſic Libros eorum pervolvendi laborem evitabunt. Verum quidquid ſit, ea omittere poterunt, qui alio modo ſentient; quod eo facilius ipſis erit, quod ea teſtimonia diverſis ab ipſo Opere typis ſint exarata.

Hoc unum ſupereſt, ut Lectorem moneam, triplicem ab initio primi voluminis hujuſce Operis inveniri indicem: quorum primus ducenta, & etiam plura continet diverſa Concilia ſeu œcumenica, ſeu particularia quæ in hoc Opere laudantur, ſimulque regiones, urbes & annos, quo & quando fuere convocata. Alter brevem nonaginta ſeptem quos laudamus ſummorum Pontificum Hiſtoriam complectitur. Tertius denique, quem utilem pariter & curioſum fore ſpero, eſt quingentorum ferme Auctorum, ſeu veterum ſeu recentiorum, de quibus in hoc Opere fit mentio; in quo breviter narrantur eorum nomina, patria, animi dotes, nec non præcipua Opera ab ipſis conſcripta, cum epocha ortus & interitus multorum.

Lectores obteſtor, ut ſi quid in hoc Opere erratum eſt, excuſatum me habeant, & hoc meum ſuſceptum æqui bonique conſulant. Licet enim vires meas atque cognitiones multum ſuperet tantum Opus; illud tamen profuturum multis putavi, & omni ope atque opera enixus ſum, ne mea ſpe exciderem.

Sane quiſquis legis, nihil reprehendas, niſi cum totum legeris: atque ita minus reprehendes. S. Auguſtinus Lib de mendacio. c. 1.

EPISTOLA

Ad Auctorem hujuſce Dictionarii ſcripta a Clariſſimo Viro D. Abbate MENASSIER, Doctore Sorbonico, & Propœnitentiario Eccleſiæ Pariſienſis.

Perlegi, Vir Clariſſime, quam diligentiſſime potui pro Operis merito Auctoriſque præſtantia, DICTIONARIUM tuum CASUUM CONSCIENTIÆ, in quo nihil inveni, quod fidei morumque regulis apprime non eſſet conſonum, ſimulque aptiſſimum ad mentes illuſtrandas moreſque informandos ex Religionis dogmatibus ac præceptis, quæ methodo facili tradit, eam quam tractat materiam, juxta alphabeticam Litterarum ſeriem diſtribuendo: ut quemadmodum aliis pleriſque ſcientiis & artibus, ſic Theologiæ morali ſuum eſſet Caſuum Conſcientiæ Dictionarium.

Cum novum hoc immenſi ferme laboris Opus, ab ortu ſuo omnibus ſuis pæne numeris abſolutum, compendioſe moralem Scripturæ, Conciliorum & Sanctorum Patrum diſciplinam contineat; & quaſi Indicem regularum Juriſprudentiæ Canonicæ & Civilis, ac Bibliothecam integram Theologiæ moralis, ſaniorumque deciſionum Illuſtriſſimorum Caſuiſtarum reſerat; magnam procul dubio tum utilitatem, tum facilitatem non Confeſſariis ſolum, ſed & Concionatoribus, Theologis, ipſis quoque Juriſconſultis, univerſis & ſingulis pro ſtatu ſuo, Religioni tandem & Eccleſiæ affert, uno quaſi oculorum conjectu ſingularum officia conditionum exhibens, & diverſas Caſuum ſpecies, ob nimiam eaſdem reperiendi difficultatem neglectas, juxta ordinem verborum, quæ rebus graviſſimis & intricatiſſimis conveniunt, repræſentans.

Jam viginti quinque annos in hac primaria Galliæ Eccleſia Confeſſarii munere functus, propria nimium experientia probavi, Caſus illos nec metaphyſicos eſſe, nec animi cauſſa effictos: verum conſiderate fuere ſuppoſiti, prudenter electi; circumſpecte, ingenue & aperte propoſiti; ſumma cum eruditione diſſoluti ex auctoritate Scripturæ ſacræ & Traditionis; ex Canonibus Conciliorum magno numero allegatis; ex Decretis Summorum Pontificum ac Præſulum; ex Regulis & Principiis Juris Canonici & Civilis; ac tandem ſolidis argumentis quibus uſi ſunt celeberrimi Theologi, ac doctiſſimi Canoniſtæ; iique ſæpiſſime, quorum Doctrina non minus, quam vita Eccleſiæ ſuffragio conſecrata eſt, quales ſunt SS. Bonaventura, Thomas, Antoninus, Raymundus & Bernardinus: non vero ex longa Caſuiſtarum ſerie quorum alios alii tranſſcribunt, & quorum plerique ſæpiſſime vel in nimiam deflectunt auſteritatem, vel nimiam laxitatem; atque ſemper nullam ferme curam ac diligentiam adhibent. Cum tu contra, ſententias tuas e puriſſimis fontibus hauriens, in infinitis propemodum teſtimoniis, nihil quod non lectum, comprobatum, & germano ſuo redditum fuerit ſenſui afferens, miſſis etiam deviarum opinionum ambagibus, medium ſemper ac tutum ſequeris iter, in quo ſtant bonum & rectum, virtus ac veritas.

Eſt igitur, quod ſperemus, e tot libris, vel piis, vel dogmaticis, aut moralibus, quos in lucem edidiſti. Piis, quales ſunt patheticæ Adhortationes tuæ pro adminiſtratione Sacramentorum; & Colloquia tua ſpiritualia ad ægros, & morientes; Dogmaticis, uti ſunt Antilogiæ tuæ, eruditæque apparentium Scripturæ ſacræ contradictionum Conciliationes, quas EMINENTISSIMO CARDINALI noſtro dicatas ipſe probavi: ac tandem Moralibus, inter quos primas obtinet magnum & copioſum Dictionarium Caſuum Conſcientiæ; ultimo huic parem cum aliis fore ſucceſſum: præſertim cum inſpectante Præſule & in primaria Regni Eccleſia ſcriptus, licet ab initio ſufficienti non fuerit munitus auctoritate, deinceps tamen, omnium quoque judicio, haberi poterit, tamquam ſumma Doctrinæ ac Moralis hujuſce Diœceſis vel uti ſupplementum illius quæ in lucem ob magna negotia emitti non potuit.

Hoc præſens teſtimonium, Vir clariſſime, Libro tuo juxta formam a Facultate nobis præſcriptam debeo perhibere, nondum finita ejus impreſſione quæ nimium accelerari nequit, ut Doctrina in eo contenta fructum & utilitatem Eccleſiæ procuret. Sum interea

Vir Illuſtriſſime, Tuus humillimus & obſequentiſſimus ſervus, SIMON MENASSIER, Doctor Sorbonicus, & Eccleſiæ Pariſienſis Propœnitentiarius. Dabam Pariſiis IX. Calendas Feb. ann. 1715.

INDEX
CHRONOLOGICUS ET HISTORICUS
XCVII. SUMMORUM PONTIFICUM,
Quorum in hoc DICTIONARIO laudatur auctoritas.

A

ADRIANUS I. ortu Romanus, nonageſimus octavus Papa, genere & virtutibus clarus, Stephano III. 9. Febr. an. 772. ſucceſſit: initio Pontificatus ejus Deſiderius Longobardorum Rex Eccleſiæ ditionem occupavit: verum ſummo Pontifici opem ferens Carolus Magnus, totam invaſit Longobardiam, capto etiam Deſiderio, qui an. 774. Papiæ ſe commiſerat. Sub eo Pontifice habitum eſt ſecundum Concil. Nicæn. œcumenic. in Iconomachos an. 787. & Concil. Francofordienſe an. 794. Illud inclytum candelabrum, forma crucis faciendum curavit, quo inconfuſe 1370. ſuſtinebantur cerei, & ſuper Altare S. Petri conſtitutum. 29. Decemb. an. 795. obiit. Refert Moreri Carolum Magnum ipſum ſummi hujuſce Pontificis epitaphium triginta octo latinis verſibus compoſuiſſe.

ADRIANUS VI. ducenteſimus vigeſimus primus Papa, Ultrajecti natus, an 1491. 21. Junii, Doctor Lovanii, tum Philoſophiæ Profeſſor, Decanus & Procancellarius Univerſitatis, Præceptor Caroli V. & Dertuſæ in Catalaunia Epiſcopus, & 1. Julii an. 1517. Cardinalis; 6. Jan. an. 1522. Summus Pontifex electus, 13. Sept. 1523. obiit. Quartum ſententiarum librum commentariis illuſtravit, multaſque ſcripſit Epiſtolas.

S. Alexander I. Romanus, Papa ſeptimus, Evariſto an. 121. juxta Binium ſucceſſit, ac martyrio cororatus eſt 3. Maii an. 132. Obſervandum heic falſo huic Pontifici, aliiſque Siricii prædeceſſoribus, quales fuere Anaclerus, Anterus, Evariſtus, Alexander I. Euſebius, Fabianus, Felix I. Julins I. Marcellus I. &c. adſcriptos fuiſſe Canones ſeu Decretales, eamque ſuppoſitionem ſæculo nono factam fuiſſe, uti exiſtimat Joannes Jacobus Friſius in ſua Bibliotecha Philoſophorum aliorumque Auctorum, quam Tiguri compoſitam ibidem typis mandari curavit an. 1592. Hoc ſit dictum obiter.

Alexander II. Mediolanenſis, Lucæ Epiſcopus, 1. Octob. an. 1061. centeſimus quinquageſimus ſeptimus Papa electus, an. 1073. obiit.

Alexander III. centeſimus ſeptuageſimus primus Papa, ortu Senenſis, 6. Septemb. an. 1159. electus, 27. Auguſti an. 1181. obiit.

Alexander IV. ortu Anagninus, Gregorii IX. nepos, centeſimus octogeſimus ſecundus Papa 21. Decembris an. 1254. electus, an. 1261. obiit.

Alexander VII. e Chiſiorum genere, Senis ortus, Imolæ fuit Epiſcopus in Æmilia & Cardinalis, tum 6. Auguſti an. 1655. ducenteſimus quadrageſimus Papa creatus, an. 1667. obiit.

Anacletus, quintus Papa, quem eumdem fuiſſe atque Cletus referunt S. Iræneus, Euſebius aliique multi, patria Athenienſis, S. Lino an. Criſti 78. ſucceſſit, & an. 91. aut ſerius ex nonnullis obiit.

S. Antherus, Papa vigeſimus, natione Græcus, 23. Novenb. an. a partu Virginis 235. pro fide 3. Jan. an. 236. ſanguinem ſuum fudit.

B

BONIFACIUS I. Romanus, quadrageſimus quartus Papa, menſe Decemb. an. 418. electus, 25. Octob. an. 423. mortuus eſt. Hujus ſucceſſor fuit Zoſimus.

Benedictus IX. centeſimus quadrageſimus nonus Pontifex, cognomine *Theophylactus*, filius Alberici Comitis Tuſculi, urbis epiſcopalis in Agro Romano, an. 1033. Romanam ſedem, mortuo Joanne XX. ipſius avunculo, adhuc adoleſcens obtinuit, obiitque an. 1045.

Bonifacius VIII. natu Anaguinus, cui nomen fuit *Benedictus Cajetanus*; quod Parentes ejus patria Catalani Cajetæ eſſent commorati, fuit Canonicus Lugdunenſis, tum an. 1281. Cardinalis factus, 24. Decemb. 1294. poſt abdicatum a Cæleſtino V. Pontificatum centeſimus nonageſimus quartus Papa electus, an. 1303. 12. Octob. obiit. Pamienſem S. Antonini Abbatiam Epiſcopatus jure ac nomine inſignivit, ac S. Lodovicum cælitum numero adſcripſit. Juſſu ipſius ſextum Decretalium compoſuerunt, Guillelmus de Mondagot, Archiepiſcopus Ebredunenſis, Berengarius Fredoli, Epiſcopus Biterrenſis, & Richardus Senenſis poſtea Cardinales, quem an. 1298. promulgavit: opus eſt in quinque libros diviſum, inſtar Decretalium Gregorii IX.

C

S. CALLISTUS I. decimus ſeptimus Papa an. 219. electus, 14. Septemb. an. 223. Martyr obiit.

Calliſtus III. Xativæ in Diœceſi Valentina Hiſpaniæ natus, ab Eugenio IV. an. 1444. Cardinalis factus, 8. April. an. 1455. ducenteſimus duodecimus Pontifex electus, 6. Auguſti an. 1458. obiit.

S. Cæleſtinus I. Romanus, quadrageſimus quintus Papa 3. Novemb. 423. electus, 6. April. an. 432. obiit.

Cæleſtinus III. Romanus, centeſimus ſeptuageſimus ſextus Papa; ab Eugenio III. ann. 1145. factus Cardinalis, Clementi III. an. 1191. ſucceſſit, ac menſe Jan. an. 1198. mortuus eſt.

S. Clemens I. quartus Papa, S. Petri diſcipulus, Cleto ſucceſſit circa an. Criſti 91. atque an. 100. Martyr occubuit.

Clemens III. Romanus, ab Alexandro III. an. 1180. Cardinalis factus, & poſtea Prænestinus Epiſcopus, centeſimus ſeptuageſimus quintus Papa, menſe Jan. an. 118. electus, 25. Martii an. 1191. mortuus eſt.

Clemens IV. natione Gallus, e loco S. Ægidii ad Rhodanum natus, nomine *Guydo le Gros*, nupſit, priuſquam Clericali ordini nomen dediſſet; mortuaque conjuge, ſuſceptis ordinibus fuit Archidiaconus, deinde Epiſcopus Anicienſis, tandemque Archiepiſcopus Narbonenſis, ab Urbano IV. an. 1261. ſacra purpura inſignitus, tandem 5. Febr. an. 1265. centeſimus octogeſimus quartus Pontifex ſummus electus eſt, ac Viterbii obiit, ubi 29. Novemb. an. 1268. ſepultus eſt.

Clemens V. apud Vaſatas in Vaſconia natus, proprio nomine dicebatur *Bertrandus d'Agouſt*, vel *de Gouſt*, vel, *de Goth*, juxta idioma Anglorum, qui Aquitaniam tunc occupabant, initio fuit Epiſcopus Convenarum, tum an. 1300. Archiepiſcopus Burdigalenſis, Peruſiæ 5. Junii an. 1305. centeſimus nonageſimus ſextus Papa electus, Avenionem Sedem S. Petri tranſtulit, & circiter 20. diem April. an. 1314. obiit.

Clemens VI. natu Lemovix, *Petri Rogerii* nomine dicebatur, I. in Alverniæ abbatia Caſa Dei Religioſus, Doctoris Lauream Pariſiis obtinuit: tum Abbas fuit Fiſcanenſis, Epiſcopus Atrebatenſis, poſtea Archiepiſcopus Rothomagenſis, tum Senonenſis, Cardinalis ann. 1338. tandemque electus Papa centeſimus nonageſimus nonus 7. Maii an. 1332. Avenione 6. Decemb. an. 1352. obiit.

Clemens VII. ducenteſimus vigeſimus ſecundus Papa, nomine *Julii* e familia Medicea; ſtatim Eques Rhodius: a Leone X. ipſius agnato an. 1513. Cardinalis factus, ab eodem Archiepiſcopatus Florentinum, Ebredunenſem, & Narbonenſem cum Epiſcopatu Maſſilienſi obtinuit. Adriano VI. ann. 1523. in Sede Apoſtolica ſucceſſit. Is Henricum VIII. Angliæ Regem excommunicavit, quod repudiata Catharina Aragonia conjuge legitima, Annæ Bo-

Boleniæ totum ſe addixerit. cui brevi nupſit hic Princeps, atque ab Eccleſia defecit. Obiit hic Papa 25. Septembris an. 1534.

Clemens VIII. cujus nomen proprium fuit *Hippolytus Aldobrandinus*, in Eccleſiaſtico ſtatu natus, Rotæ fuit Auditor, Sixti V. Referendarius, qui an. 1585. ſacra eum Purpura donavit, 30. Jan. an. 1561. ducenteſimus trigeſimus quartus Papa electus eſt, 17. Septembr. an. 1591. Henricum IV. ab hæreſis excommunicatione abſolvit, Ferrarienſem Ducatum Eccleſiæ Dominio Feudali adjunxit, Congregationes *de Auxiliis*, de Gratia & Libero arbitrio habuit, ac 3. Martii an. 1605. mortuus eſt.

Clemens X. ducenteſimus quadrageſimus ſecundus Papa, nomine *Æmilius Altieri*, ortu Romanus, Cardinalium numero 28. Novenbris 1669. ſummum Pontificatus apicem obtinuit 29. April. an. 1670. & 22. Julii ann. 1676. mortuus eſt.

Clemens XI. nomine *Joannes Franciſcus Albani*, Urbini 22. Julii an. 1649. natus, viciſſim fuit Canonicus S. Laurentii *in Damaſo*, Vicarius S. Petri, Herbani ac Reatis Præfectus, ac Brevium Secretarius an. 1690 ab Alexandro VIII. Cardinalium numero adſcriptus, 13. Nov. an. 1700. ducenteſimus quadrageſimus ſextus Pontifex ſupremus eſt renuntiatus.

D

S. DAMASUS, trigeſimus nonus Papa, ortu Hiſpanus, ætatis ſuæ an. 62. Liberio ſucceſſit, atque 11. Decemb. an. 385. obiit.

Deuſdedit, Romanus, ſeptnageſimus Papa, mortuo Bonifacio IV. 13. Novemb. an. 614. electus, triennio poſt, hoc eſt 8. aut ſecundum Anaſtaſium 18. Nov. obiit.

E

S. EVARISTUS, centeſimus Papa, Romanus, Leonis III. qui 22. Junii an. 816. obiit, ſucceſſor: in Galliam venit, Rhemiſque Lodovicum dictum Debonarium Regem inauguravit, Rumamque redux 25. Jan. an. 817. mortuus eſt.

S. Evariſtus, ſextus Papa, natione Græcus, e Judæo natus, ex S. Auguſtino & Optato, poſt mortem Anacleti 26. April. an. 110. electus eſt, ac martyrium pro fide 26. Octob. an. 119. paſſus eſt.

S. Eugenius I. ſeptuageſimus ſeptimus Papa, ſtatim intruſus in locum S. Martini I. quem in exilium pepulerat Conſtantinus III. an. 653. verum mortuo S. Pontifice Eugenii electionem libere confirmavit Clerus Romanus. Obiit 2. Junii an. 656.

Eugenius II. Romanus, Paſchalis I. qui 12. Maii an. 824. obiit, ſucceſſor tribus dumtaxat annis, duobus menſibus & viginti tribus diebus Eccleſiam rexit, mortuus 2. Auguſti an. 827.

Eugenius III. cognominatus *Petrus Bernardus*, Piſis natus, primum Religioſus Ordinis Ciſtercienſis, & diſcipulus S. Bernardi, uti Abbas monaſterium S. Athanaſii ad tres fontes Romæ rexit, atque centeſimus ſexageſimus octavus Pontifex ſummus electus eſt exeunte menſe Februar. an. 1145. in Galliam ob iteratas Romanorum rebelliones profugit; Romam an. 1149. rediit, ac Tibure 8. Julii an. 1153. mortuus eſt.

Eugenius IV. ducenteſimus decimus Papa, ortu Venetus, Senenſis fuit Epiſcopus, & an. 1408. Cardinalis, 3. Martii an. 1431. Martino V. ſucceſſit, ac ætatis ſuæ 64. 22. Febr. an. 1447. obiit.

S. Euſebius, natione Græcus, 5. Febr. an. 309. electus Papa, 26. Septemb. an. 311. vita functus eſt.

F

S. FABIANUS, vigeſimus primus Papa, ortu Romanus, circa 15. Jan. an. 236. electus, 20. Jan. an. 250. pro fidei defenſione mortuus eſt.

S. Felix I. Romanus, electus vigeſimus ſeptimus Papa 31. Decembris an. 270. die 30. Maii an. 275. martyr occubuit.

G

S. GELASIUS I. natus in Africa, quinquageſimus primus Papa electus eſt 2. Maii an. 492. & 21. Novemb. an. 496. obiit.

S. Gregorius I. cognomine Magnus, Eccleſiæ Doctor, ſexageſimus ſextus Pontifex, ortu Romanus, primum S. Benedicti Ordinem ſuſcepit, tum ſub Pelagio II. cui 4. Septemb. an. 590. ſucceſſit, apud Imperatorem Mauritium Apocriſarius ſeu Legatus Conſtantinopolim miſſus. Auguſtinum Monachum in Angliam miſit ad promulgandum Evangelium, an. 596. obiit 12. Martii an. 604.

S. Gregorius II. Romanus, nonageſimus primus Papa menſe Majo ann. 714. electus, 11. Februarii 731. variis coactis Conciliis, ſancte obiit.

S. Gregorius III. nonageſimus ſecundus Papa, natione Syrus, Gregorio II. 10. Febr. an. 731. ſucceſſit, Imperatorem Leonem Iconomachum excommunicavit, qui nuntios ſuos male habuerat, & 28. Novembris ann. 741. mortuus eſt.

Gregorius VII. centeſimus quinquageſimus octavus papa, in Etruria natus e fabro lignario, nomine *Hildebrandus*; Ordinem Cluniacenſem in Gallia amplexus eſt, quo iterum Victoris II. Cardinalis Legatus rediit, etiam in Germaniam Legatus profectus eſt. Quo facto, cum Alexander II. 22. April. an. 1073. obiiſſet, huic ſummo Pontifici eodem die ſucceſſit. Henricum IV. Imperatorem excommunicatum Imperio expulit, qui etiam coactus eſt Canoſſam hunc adire Pontificem an. 1077. Verum ejurata fide, perduellioniſque in Pontificem reus, iterum ab eodem excommunicatus eſt, eique a Germanis ſuffectus eſt Rodulphus Imperator; quæ cauſſa fuit cladium belli que continui. Gregorius VII. 24. Maii an. 1085. obiit.

Gregorius IX. natu Anagninus, fuit nepos Innocentii III. a quo Purpuram ſacram, Oſtienſemque Epiſcopatum an. 1198. obtinuit, Legatus in Germaniam, electus eſt poſtea centeſimus ſeptuageſimus nonus poſt Honorium III. Pontifex ſummus 16. Martii an. 1227. Decretales, quæ ab eo nomen ſortitæ ſunt, & quæ alteram Juris Canonici partem efficiunt, juſſu ejus collegit S. Raymundus de Pennafort. Continuas huic Papa cum Federico II. Imperatore quem excommunicavit, contruverſia contraxit, 21. Auguſti an. 1241. centenarius & ultra obiit.

Gregorius X. natu Placentinus, dictus *Thibaldus*, e familia Vicecomitum, ſtatim Archidiaconus Leodicenſis, atque 1. die Septemb. an. 1271. centeſimus octogeſimus quintus Papa, ſuadente S. Bonaventura, per compromiſſum electus, cum in Palæſtina ſimul cum Eduardo Angliæ Regis filio ad ſacrum bellum militante verſaretur; Viterbium 10. Februarii an. 1272. appulit, ac 27. Martii ejuſdem anni, Romæ Pontificio Diademate fuit inſignitus: ſecundum Concilium OEcumenicum Lugdunenſe convocavit, an. 1274. cui præſens adfuit, ac Aretii 10. Januarii ann. 1279. obiit.

Gregorius XIII. Bononienſis, dictus *Hugo Bon Compagni*, Cardinalitiam adeptus dignitatem, ætatis ſuæ ann. 70. ducenteſimus vigeſimus nonus Papa 18. Maii an. 1572. electus eſt. Calendarium ea, qua nunc extat, ratione emendavit, ſuppreſſis e menſe Octobri diebus decem, ſtatutoque æquinoctio verno, uti prius a Patribus Nicæni Concilii fuerat deſignatum, 10. April. ann. 1585. Juris Canonici Summam confirmatam auctoritate ſua promulgavit hic ſummus Pontifex.

Gregorius XIV. dictus *Nicolaus Sfrondati*, Mediolani natus, cujus Epiſcopatum obtinuit, ducenteſimus trigeſimus ſecundus Papa 5. Decemb. an. 1570. mortuo Urbano VII. electus eſt. Pater ipſius orbus conjuge, ſuſcepto Sacerdotio, Epiſcopatum Cremonenſem ac Purpuram ſacram obtinuit. Obiit hic Papa 14. Octob. an. 1591.

Gregorius XV. ducenteſimus trigeſimus ſeptimus Papa, ortu Bononienſis, dictus antea *Alexander Ludoviſio*, Paullo V. 9. Febr. an. 1621. ætatis ſuæ 67. ſucceſſit. Is S. Iſidorum, S. Ignatium, S. Franciſcum Xaverium, S. Philippum Nerium & ſanctam Thereſiam in Sanctorum numerum retulit, & Pariſienſem Epiſcopatum jure ac titulo Metropoleos inſignivit: quo facto mortuus eſt 8. Julii an. 1623.

Digitized by Google

H

HILARIUS, natione Sardus 12. Novemb. an. 461. quadrageſimus octavus Papa electus eſt poſt obitum S. Leonis, cujus nomine Conc. Epheſino præfuerat, & 10. Septemb. an. 467. vitæ finem implevit.

Honorius III. Romanus, dictus *Cenſius Savelli*, quam Cardinalis honore an. 1193. inſignivit Cœleſtinus III. 17. Julii an. 1216. centeſimus ſeptuageſimus octavus Papa electus eſt. Is ordinem S. Dominici confirmavit, & ann. 1217. Petro de Courtenai, Conſtantinopolitani Imperii & ann. 1220. Federico II. Germani Imperii coronam Romæ impoſuit.

S. Hormiſdas, quinquageſimus quartus Papa, ortu Campanus in Italia 26. Julii ann. 514. Symmacho ſucceſſit, ac diſſidentem ab occidentali, orientalem Eccleſiam, ob Eutychianorum hæreſim, ad concordiam feliciter adduxit. Obiit hic S. 6. Aug. an. 523.

I

JOANNES I. quinquageſimus quintus Pontifex in Etruria natus, Hormiſdæ 13. Aug. an. 523. ſucceſſit. A Theodorico, Italiæ Rege Ariano Conſtantinopolim ire coactus eſt ad placandum Juſtum Imperatorem in Arianos, quos edicto templis ſuis ſpoliaverat, juſte ſævientem; cujus cum irritam advertiſſet eſſe Legationem, ab eodem Theodorico Ravennam redux in carcerem miſſus eſt, ubi ſqualore & inedia 7. Maii ann. 526. miſere periit.

Joannes VII. centeſimus decimus Papa, Romanus 14. Decemb. an. 872. electus eſt. A Lamberto Spoleti Comite & Alberto Etruriæ Marchione in carcerem miſsus, verum elapſus e vinculis in Galliam Trecas profugit, ubi Concilium habuit, ac Ludovicum Balbum Galliæ Regem inauguravit, cumque in Italiam remigraſſet, Ludovicum, Craſſum Romæ ann. 878. obiit 15. Decembris ann. 882.

Joannes XXII. centeſimus nonageſimus ſeptimus Papa Cadurci ex Arnaldo d'Oſſa Calceolario natus, ab initio fuit Epiſcopus Forojulienſis, inde Archiepiſcopus Avenionenſis, poſtea Cardinalis & Epiſcopus Portuenſis ad an. 1312. tandemque a duobus jam annis Petri Sede vacante cum a Cardinalibus Lugduni ad electionem Papæ coactis, quem vellet ad ſummum Pontificatum eligendi, optionem accepiſſet; ſeipſum, ut fertur, nominavit: quod omnibus fuit acceptum. S. Thomam Aquinatem ſanctorum numero adſcripſit; Toloſam Archiepiſcopatus jure ac titulo, Floriopolim, Vabras, Caſtrum Albienſium, Tutelam, uti Condomum, Sarlatom, Lucionam, & Maleacum Epiſcopatus pariter titulo inſignivit; Clementinarum libros quinque, aliaſque conſtitutiones, quæ dicuntur *Extravagantes*, promulgavit, atque natus an. 90. & amplius 4. Decemb. an. 1334. mortuus eſt.

S. Innocentius I. quadrageſimus ſecundus Papa, Albæ natus, Anaſtaſio I. 18. Maii an. 402. ſucceſſit, S. Chryſoſtomi in perſecutores ejus defenſor accerrimus, Pelagii Hæreſiarchæ partibus animoſe reſtitit, & ann. 417. obiit.

Innocentius II. centeſimus ſexageſimus quintus Papa, primum fuit Canonicus Regularis S. Joannis Lateranenſis Abbas S. Nicolai & S. Primitivi, tum ano. 1088. Cardinalis, cum Gelaſio Pontifice in Galliam venit, miſsuſque a Calliſto II. Legatus in Garmaniam, Honorio II. 14. Febr. ann. 1130. ſucceſſit. Cum Romani, Mediolanenſes, & Rogerius Dux Siciliæ, Anacleti II. Antipapæ electionem defenderent, in Galliam confugere coactus eſt, ubi Claromonti, Rhemis, & Anicii Concilia habuit. Leodicum venit, ubi Imperatori 22. Martii 1131. & Rhemis 25. Octob. anni Ludovico Juniori Rhemis coronam impoſuit. Cum Romam rediiſſet, jam Leodici coronatum Imperatorem Lotharium, Romæ an. 1133. inauguravit; extinctoque D. Bernardi opera ſchiſmate, ſecundum Concil. Oecumenic. Lateran. an. 1139. celebravit, & 4. Septemb. an. 1143. obiit.

Innocentius III. natus Anagninus an. 1190. Romæ, Pariſiis, & Bononiæ litteris operam dederat, ac viciſſim Canonicus Anagniæ, & S. Petri Romæ extiterat: Diaconus adhuc, centeſimus ſeptuageſimus ſeptimus Pontifex Summus, initio Jan. an. 1198. electus eſt, ac Sacerdos, & Epiſcopus inauguratus eſt ante ſuſceptionem Pontificatus an. 1215. quartum Concil. Oecumen. Lateran. celebravit, ac Peruſiæ 16. Julii an. 1216. obiit, cui ſucceſſit Honorius III.

Innocentius IV. centeſimus octogeſimus primus Papa, Genuenſis, dictus *Simbaldus* e domo Fliſca, Eccleſiæ Romanæ fuit Cancellarius, tum a Gregorio IX. ann. 1227. factus Cardinalis, tandemque 24. Junii an. 1243. Summus Pontifex electus. Cum inimicitias cum Imperatore Federico II. contraxiſſet, anno ſequenti in Galliam profugit, ubi Lugduni an. 1245. primum Concil. Oecumen. Lugdunenſe habuit, in quo ipſo præſide, excommunicatus eſt Federicus. Ibi rubrum eſſe Cardinalibus Petaſum voluit; atque Commentarium ſuum in Decretales compoſuit: in Abbatia Cluniacenſi cum S. Ludovico Rege collocutus eſt. Peruſiam, mortuo Federico rediit, indeque Romam an. 1252. & 7. Decemb. an. 1254. obiit. Hic Summus Pontifex Juriſprudentia excelluit, & in jure civili Azoto, Accurſio, ac Balduino; in jure vero Canonico, Jacobo de Albaſio, & Ugurio uſus fuerat. Dictus eſt a Joanne Fabro aliiſque paſſim auctoribus *Maximus Legiſta: Pater & organum veritatis: Dominus Canoniſtarum*.

Innocentius VIII. ducenteſimus decimus tertius Papa, ortu Genuenſis, dictus *Joannes Baptiſta Cibo*, a Paullo II. Savonenſem Epiſcopatum obtinuit, & a Sixto IV. Melphitanum, ac ſacram poſtea purpuram 7. Maii an. 1473. Sixto ſucceſſit Innocentius 29. Aug. an. 1484 & Julii 25. an. 1492. obiit.

Innocentius XI. ducenteſimus quadrageſimus tertius Papa, dictus ante *Benedictus Odeſcalchi*, e Numulario Comenſi in Mediolanenſi Ducatu natus, ſtatim in Belgio Hiſpanorum ſtipendiis in Galliam militavit, deinde Clericali militiæ adſcriptus, ab Innocentio X. ann. 1645. ſacram obtinuit purpuram; de Epiſcopatu Novarienſi, ac Legatione Ferrarienſi proviſus 21. Septemb. ann. 1676. ſummum adeptus eſt Pontificatus apicem 12. Aug. an. 1689. obiit.

S. Julius I. Romanus, trigeſimus ſextus Papa 27. Octob. an. 336. electus eſt. Sardicenſe Conc. ex nonnullis convocavit, eique 12. Aug. an. 352. mortuo ſucceſſit Liberius.

Julius II. dictus ante Pontificatum; *Joannes de la Rovere* prope Savonam in Liguria natus; Sixti IV. nepos, ac Soræ Siniæ Principis frater, primum Epiſcopus fuit Carpetoractenſis, tum ann. 1473. Cardinalis, tum Albani, & Oſtiæ Epiſcopus, & ſacri Collegii Decanus in Galliam an. 1480. legatus eſt, ac Pio III. 31. Octob. an. 1503. ſucceſſit. Is in odium Ludovici XII. Navarræum Regnum tradidit Regi Hiſpaniæ, qui illud in Joannem Lebretium invaſit, Piſanum conventum haberi curavit Ludovicus XII. ut obſiſteret huic Pontifici, qui ſacrorum interdictione Galliam mulctaverat: tandem vita ceſſit Julius 70. an. natus 21. Febr. an. 1513. eique ſucceſſit Leo X.

L

S. LEO I. quadrageſimus ſeptimus Papa, in Etruria natus, aut Romæ ſecundum alios natus 10. Maii ann. 440. ad S. Petri Sedem evectus eſt. Dum in Galliis Aetium & Albinum duces exercitus inter ſe conciliare niteretur, Eccleſiam vaſtabant Neſtoriani, Vandali, Manichæi, Pelagiani, atque Barbari, quibus maxima animi firmitate reſtitit, pluribus convocatis Conciliis, præſertimque Chalcedonenſi Oecumenico, quibus præfuere ipſius Legati an. 451. quo 11. April. mortuus eſt.

Leo III. nonageſimus nonus Pontifex, Romanus Adriano I. 26. Decemb. an. 795. ſucceſſit eo ipſo die, quo obiit Adrianus, cujus nepotes duo, Paſchalis & Campulus ob eam electionem tantam concepere invidiam, ut 25. Aprilis ſequentis in Pontificem manus injecerint, dum Romanis Litaniis in publica ſupplicatione intereſſet, eumque omnibus affectum injuriis in Monaſterio incluſerint. Cum e carcere ſuo elapſus fuiſſet hic Pontifex, cumque ad Legatos Carol. Magni confugiſſet, tuto Spoletum, inde Paderbonam eorum ope ductus eſt, ubi degebat hic Princeps an. 799. Romam an. 800. petiit Carol. Magnus; Pontificemque in priſtinam dignitatem reſtituit. Quo facto Leo Carol. Magnum Imperator. coronavit, quem etiam quadriennio poſt in Galliam adivit,

unde

unde paullo poſt Romam rediit, ubi an. 816. Junii 12. obiit, duobus annis ab obitu Caroli Magni.

S. Leo IV. Romanus, centeſimus decimus ſextus Papa 12. April. an. 847. electus 17. Julii an. 855. ſancte obiit.

S. Leo IX. dictus *Bruno* Tullenſis Lotharingiæ Epiſcopus e genere Comitum Habſpurgicorum, cum Romam veniſſet, centeſimus quinquageſimus tertius Papa 12. Febr. an. 1049. eligitur. Habitis Romæ & Papiæ Synodis, Imperatorem Henricum III. Coloniam adivit, indeque Rhemos venit, ubi Concilium habuit; an. 1050. Romam rediit; denuo in Galliam venit, Italiamque repetiit; quo itinere facto Imperatorem iterum Vormatiam adivit, unde in Italiam redux, Normanos Apuliam occupantes armis laceſſivit, a quibus captus Beneventum ductus eſt, unde duodecima tantum Maii die an. 1054 egreſſus 15. April. inſequentis mortuus eſt. Tullenſem Epiſcopatum ad mortem abdicare noluit.

Leo X. e Laurentio Medicæo & Claricia de Urſinis natus, ab Innocentio VIII. ætatis ſuæ an. 14. factus Cardinalis, ducenteſimus vigeſimus Papa trigeſimo ſexto vitæ ſuæ anno electus eſt. Julii II. Legatus in pugna Ravennate, an. 1512. captus ſuit. Bononiæ cum Franciſco I. collocutus, ab eo Rege Pragmaticæ Sanctionis diſſolutionem obtinuit, & ambo Concordato ſubſcripſerunt. V. Concil. Oecumenic. Lateran. habitum an. 1517. dimiſit an. 1520. Lutherum damnavit, cum Carolo V. fœdus iniit ad expellendos Gallos ex Italia, acceptoque ſecundi prælii Papienſis nuntio, ubi Franciſcus I. bello captus eſt, tripudiis animi gaudium oſtentavit, at ipſo die in febrim incidit, qua extinctus eſt 2. Decemb. an 1521.

Lucius III. centeſimus ſeptuageſimus ſecundus Papa natu Lucenſis, dictus *Humbaldo Allucingoli*, initio Lucæ fuit Canonicus, an. 1142. ab Innocentio II. Cardinalium numero adſcriptus, Adriani IV. Legatus in Siciliam, & de Oſtienſi Epiſcopatu proviſus, tum Alexandri III. in Germaniam Legatus, eidem Pontifici 24. Aug. an. 1181. ſucceſſit, ac 25. Novemb. an. 1185. obiit. Veronæ ſepultus eſt, quo propter Romanorum delectionem paullo ante ſucceſſerat.

M

S. MARCELLUS I. Romanus, trigeſimus primus Papa, Marcellino menſe Novemb. an. 304. ſucceſſit, & 16. Jan. an. 309. mortuus eſt.

S. Melchiades, vel, Miltiades, natione Afer, trigeſimus tertius Papa 2. Octobr. an. 311. Euſebio ſucceſſit. Concilium Romæ habuit, cui adfuere novemdecim Epiſcopi, ad judicandum diſſidium Donati & Cæciliani Carthaginenſis, & quiete 10. Decemb. an. 313. obiit.

S Martinus I. Tudere in Spoletino Ducatu natus, 5. Iulii an. 649. ſeptuageſimus ſextus Pontifex electus, Romam ſtatim Concil. 105. Epiſcoporum convocavit in Monothelitas, in quo damnatum eſt edictum Heraclii Imperatoris Conſtantinopolitani dictum *Ecteſis*, & Edictum Conſtantis II. *Typus* nominatum, proſcriptum eſt. Juſſu Conſtantis 16. Junii detentus Martinus an. 653. Conſtantinopolim ductus eſt; indeque Cherſoneſum relegatus, ubi longo vitam finivit Martyrio 12. Novembris ann. 654.

Martinus V. nomine *Odo Colonna*, ab Innocentio VII. an. 1405. Cardinalitia dignitate inſignitus, in Concil. Conſtantienſi ducenteſimus nonus Papa electus, 21. Novembr. an. 1417. coronatus, quadrageſimæ ſecundæ hujus Concilii ſeſſioni præivit; is regni Neapolitani titulum & poſſeſſionem in Ludovicum Andegavenſem contulit, eoque ſuperſtite finis impoſitus eſt ſchiſmati, quod a quinquaginta & uno anno Eccleſiam vexabat. Apoplexia Romæ 20. Februar. an. 1431. ætatis ſuæ 63. extinctus eſt.

N

NICOLAOS I. Romanus 24. April. an. 857. præſente Imperatore Ludovico II. centeſimus octavus Papa inauguratus eſt. Magna animi firmitate Græcorum ſchiſmaticorum molitionibus obſtitit, Photiumque excommunicavit, Patriarcham Conſtantinopolitanum ſalſo creditum; multa juſſit haberi Concilia; Bulgarorumque converſioni procurandæ operam dedit, ac tandem 13. Novemb. an. 867. mortuus eſt.

Nicolaus II. natione Gallus, aut ſecundum alios Sabandus, centeſimus quinquageſimus ſextus Papa, cui nomen fuit *Gerardus de Burgundia*, Stephano IX. an. 1059. ſucceſſit, atque Concilium convocavit, in quo Berengarius Andium Archidiaconus hæreſim ſuam ejuravit. Florentiæ 3. Julii an. 1681. obiit hic ſummus Pontifex.

Nicolaus III. Romanus, e ſamilia Urſina, nomine *Joannes Cajetanus*, centeſimus octogeſimus nonus Papa Viterbii 25. Novemb. an. 1277. electus eſt, etiam ante electionem ob eximiam prudentiam dictus *Cardinalis compoſitus*. Gloriam ſuam maculavit imprimis, inito ſœdere cum Rege Aragoniæ, in Carolum Andegavenſem Siciliæ Regem, quo contigit Gallorum cædes, *Veſperæ Siculæ*, dicta; a duobus jam annis ante illam cædem obierat hic Pontifex: nam 22. Aug. an. 1280. in Viterbienſi Diœceſi Sutri vitam finivit.

P

S. PASCHALIS I. Romanus, centeſimus primus Papa 27. Jan. an. 817. electus eſt. Miſſis in Orientem contra Iconomachos Legatis, Leonem V. Imperatorem cum Iconomachia excommunicare coactus eſt, ann. 822. Lotharium Imperatorem Occidentis coronavit, & 24. Maii an. 824. obiit.

Paullus II. Venetus ducenteſimus decimusquartus Papa, dictus *Petrus Barbo*, Eugenii IV. nepos an. 1440. purpura ſacra inſignitus eſt, tum Pio II. menſe Auguſto ann. 1464. ſucceſſit. Referunt quidam Hiſtorici juſſas illi pro arbitrio proſilire lachrymas, quare a Pio II. dum adhuc Cardinalis eſſet, *noſtra domina de ſeptem doloribus* ſacere appellatus eſt 25. Julii an. 1471. ſubita morte correptus eſt.

Paullus III. ducenteſimus vigeſimus tertius Papa, Romanus, cujus nomen fuit *Alexander Farneſius*, ſacri Collegii Decanus & Oſtienſis Epiſcopus Clementi VII. 13. Octob. an. 1534. ſucceſſit. Ab ann. 1493. ab Alexandro VI. Cardinalis creatus, ſucceſſive Epiſcopatum Parmenſem, Tuſculanum, Præſtinum, Sabinum, Portuenſem, & Oſtienſem obtinuit. Is Concilium Tridentinum contra Calvinianos ann. 1545. habitum convocavit. Inquiſitionis Tribunal inſtituit, atque inſtitutum SOCIETATIS JESU approbavit 10. Novemb. an. 1549. in Quirinali mortuus eſt.

Paullus V. ducenteſimus trigeſimus ſextus Papa, ortu Senenſis, Romæ natus, nomine *Camilli Borgeſii* 17. Maii an. 1605. e Cardinalis honore ad ſummum Pontificatus faſtigium aſcendit. Rempublicam Venetam interdicto ſubjecit, quod leges, uti exiſtimabat, Eccleſiaſticorum libertati contrarias baberet: Verum Henrici Magni interventu diſſidium illud finitum eſt. Legationes a Rege Japoniorum, Congregationem Oratorii Galliæ, Ordinem Monialium Sanctæ Urſulæ, Ordinem Charitatis, & aliquot alios confirmavit, ac Sanctum Carolum Borromæum in Sanctorum numerum retulit. Obiit 28. Januarii 1621.

Pelagius I. Romanus, Vigilii in Orientem Legatus, eidem ſummo Pontifici ſucceſſit, & 16. April. ann. 555. ſexageſimus ſecundus Papa electus eſt; Juſtiniano Imperatori cariſſimus fuit; Sapaudo Arelatenſi, ſuadente Rege Childeberto, *Pallium* & Vicarii Apoſtolici dignitatem contulit. Mortuus eſt 2. Martii an. 559.

Pelagius II. Romanus 10. Novemb. ann. 577. electus eſt ſexageſimus quintus Papa. Valide obſtitit Joanni, Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui in Synodo *Oecumenici* nomen ſibi arrogarat. Domum ſuam in Xenodochium mutavit, & 7. Febr. an. 590. obiit.

S. Pius I. undecimus Papa, natu Aquilejus ſucceſſit Hygino 15. Jan. an. Chriſti 156. Statuit ut Dominica prima poſt 14. diem Lunæ Martiæ, juxta Apoſtolicam traditionem Paſcha celebraretur 11. Julii ann. 165. ſanguinem ſuum pro Chriſti fide effudit.

Pius II. e ſamilia *de Picolomini* in tractu Senenſi 18. Octob. an. 1405. natus, ex anno ætatis ſuæ decimo ſexto fuit Amanuenſis Cardinalis de Firmo, cujus nomen fuit, *Dominus Capranico*: qui Concilio Baſilienſi adſuit. Miſſus in Scotiam, Baſileam rediit, ubi a Concilio factus eſt Referendarius, Abbreviator, Cancellarius, & Procurator Generalis. Miſſus eſt poſtea in multas Germaniæ urbes, in Sabaudiam & apud Rhætos. Fuit Secretarius Antipapæ Felicis V. & poſtea Imperatoris Frederici III. qui ipſum Romam, Mediolanum, Neapolim, & in Bo-

he-

hemiam legavit. Tergeſtinum ipſi Epiſcopatum, & poſtea Senenſem contulit Nicolaus V. a quo in multas Regiones miſſus eſt Legatus; a Calliſto III. Nicolai V. ſucceſſore purpura ſacra an. 1456. donatus, Calliſto mortuo, ducenteſimus decimus tertius Papa an. 1458. electus eſt. Natale ſolum Epiſcopatus titulo inſignivit, quem ex nomine ſuo Pii *Pienſam* appellavit. Anconæ 4. Auguſti an. 1454. natus an. 58. obiit.

Pius IV. Mediolanenſis, ducenteſimus vigeſimus ſeptimus Papa an. 1499. ipſo Dominicæ Reſurrectionis die natus, primo Protonotarius Sedis Apoſtolicæ ſub Clemente VII. extitit: tum hujus opera in variis Legationibus uſus eſt Paullus III. a quo 8. Aprilis ann. 1549. in Cardinalium numerum adſcriptus eſt. Denique poſt obitum Paulli IV. nocte intermedia inter 26. & 27. Decembris an. 1559. electus eſt ducenteſimus vigeſimus ſeptimus Papa atque ætatis ann. 67. 9. Decemb. an. 1565. obiit. Sub ejus Pontificatum finitum eſt celeberrimum Concilium Tridentinum an. 1565. S. Carolus Borromæus Eccleſiæ Sacramenta ei adminiſtravit ac morienti adſuit.

S. Pius V. ducenteſimus vigeſimus octavus Papa, cujus nomen ſuit *Michael Ghisleri* in oppido Inſubriæ, quod Boſchum vocant, in Diœceſi Dettonenſi natus 17. Jan. 1504. Dominicanorum Ordinem ann. 1518. amplexus, fuit Inquiſitor, tum ad Sutrinum Epiſcopatum promotus a Paullo IV. a quo 15. Mart. an. 1557. inter Cardinales adſcriptus eſt. Epiſcopatum montis Regalis in Subalpinis a Pio IV. accepit, cujus tandem ſucceſſor 7. Januarii 1566. ſupremam Eccleſiæ dignitatem obtinuit. 1. Maii ann. 1572. obiit, a Clemente XI. in Sanctorum numerum relatus.

S

S. SILVESTER, Romanus, nomine primus, 1. Februarii ann. 415. trigeſimus quartus Papa electus multa habuit Concilia, præcipueque Romanum unum 275. Epiſcoporum, in quo Concilii Nicæni decreta teſte Baronio, comprobavit 31. Decembris ann. 335. obiit hic Sanctus.

S. Simplicius quadrageſimus nonus Papa, Tibere natus S. Hilario 20. Septemb. an. 467. ſucceſſit. Statuit Eccleſiæ cenſus in quatuor partes diſtribui, quarum duæ aliæ templorum inſtaurationem, pauperumque alimenta cederent. 2. Martii an. 483. obiit.

Siricius natione Romanus 12. Jan. ann. 385. quadrageſimus Papa electus, multa habuit Concilia Romæ, Capuæ, & Mediolani, ac 22. Februarii ann. 398. mortuus eſt.

S. Sixtus I. Romanus, Papa octavus, Alexandro I. 13. Maii an. 130. aut 131. ſucceſſit. Jejunium quadrageſimale juxta Apoſtolicam inſtitutionem Decreto ordinavit. Creditur etiam ſtatuiſſe, ut in Miſſis *Sanctus* ter decantaretur 6. Aprilis an. 140. vel 142. ex nonnullis pro Chriſto fide ſanguinem ſuum effudit.

Sixtus IV. ducenteſimus decimus quintus Papa, dictus *Franciſcus de la Rouvere*; Savonæ aut in hujus urbis agro natus, Franciſcanorum Familiæ adſcribi voluit; Ordinis ſui ſuit Generalis, Præpoſitus, & Cardinalis. Paullo II. 9. Auguſti 1471. ſucceſſit. Jubilæum quolibet vigeſimo quinto anno præfinivit; Bonaventuram in SS. Catalogum adſcripſit, ac 13. Auguſti an. 1484. mortuus eſt.

Sixtus V. in Piceno e vico dicto *Grottes* a parentibus ortus egenis, quorum juſſu ſues paſcebat; a Franciſcano tranſeunte, dum huic cuſtodiæ daret operam, dux viæ adhibitus, illius ope in Minoritarum numerum admiſſus eſt nomenque fratris Felicis Peretti, quo cognominabatur Pater, ei fuit impoſitum. Foliæ ſactus eſt Concionator, Vicarius generalis Ordinis ſui, tandemque Epiſcopus & Cardinalis. Mortuo Gregorio XIII. 24. Apr. an. 1585. electus ducenteſimus trigeſimus Papa. Die Mercurii qua natus eſt, & ſactus Franciſcanus, has omnes dignitates obtinuit. Obiit 27. Auguſti an. 1590.

Stephanus X. centeſimus Papa natu Romanus, Leoni III. 22. Junii an. 816. mortuo ſucceſſit. Is in Galliam venit, Rhemis Ludovicum dictum Debonarium inauguravit, ac Romam reverſus obiit 25. Jan. an. 817.

S. Symmachus, quinquageſimus tertius Papa, natione Sardus, Anaſtaſio II. an. 498. ſucceſſit. Imperatorem Anaſtaſium, Concilio Chalcedonenſi palam adverſantem & Eutychianis amicum excommunicavit; ſtatuitque ut Dominicis diebuſque feſtis Martyrum hymnus *Gloria in excelſis* caneretur. Romæ obiit 19. Julii an. 514.

V

VIGILIUS, natu Romanus, ſexageſimus primus Papa, initio in ſedem Apoſtolicam intruſus, dum exſularet Silverius, quo mortuo an. 540. Vigilius ſponte abdicato Pontificatu, canonice electus eſt. Conſtantinopolim ſe contulit, ubi Imperatricem Severam & Acephalos excommunicavit. Ab Imperatore in exilium miſſus eſt, unde brevi in Italiam redux, Syracuſis in Sicilia 20. Jan. an. 555. vitam finivit.

S. Urbanus I. Romanus, decimus octavus a Calliſto I. 21. Octob. an. 226. electus eſt, & imperante Alexandro Severo 23. Maii an. 231. Martyrii palmam adeptus eſt. Argentea vaſa fertur induxiſſe ad Altaris miniſterium.

Urbanus II. dictus *Odo*, centeſimus ſexageſimus Papa, natione Gallus, Caſtilione ad Matronam natus, Cluniaci religionem amplexus eſt. A Gregorio VII. ſactus Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, Victori III. 12. Martii an. 1088. ſucceſſit, in Galliam, dominante Romæ Guiberti Antipapæ factione, confugit; Claromontii Concilium habuit an. 1095. & alibi alia plurima, ac deinde Romam petiit, ibique 29. Julii an. 1099. mortuus eſt.

Urbanus III. dictus *Lambertus Crivelli*, centeſimus ſeptuageſimus tertius Summus Pontifex Archiepiſcopus Mediolanenſis 25. Novemb. ann. 1185. Lucio III. ſucceſſit. Mortem ejus Ferrariæ 20. Octob. ann. 1185. acceleravit acerbus captæ a Saladino Hieroſolymæ nuntius.

Urbanus IV. Gallus, e veteramentario ſutore, ſed incerti apud Hiſtoricos nomine, Patre Trecis in Campania natus, primum Archidiaconus Leodicenſis, tum Epiſcopus Veloduneuſis, tandemque Patriarcha Hieroſolymitanus evaſit. Cum Viterbium pro rebus Palæſtinæ agendis ſe contuliſſet, Alexandro IV. mortuo 29. Auguſti an. 1261. electus eſt centeſimus octogeſimus tertius Papa, an. 1264. feſtum corporis Domini inſtituit, cujus officium cum octava a Divo Thoma compoſitum celebrari juſſit. Eodem an. 20. Octob. Peruſiæ obiit, eique ſucceſſit Clemens IV.

Urbanus VIII. ducenteſimus trigeſimus octavus Papa, cui nomen ſuit *Maffeius Barberinus*, Florentiæ natus, purpuratorum Patrum numero adſcriptus, Pontificis ſummi dignitatem 6. Auguſti an. 1623. poſt mortem Gregorii XV. obtinuit. Eximius ſuit Poeta Latinus, obiit 29. Julii an. 1644.

Z

S. ZACHARIAS, natione Græcus, nonageſimus tertius Papa, ineunte Decemb. an. 741. Gregorio III. ſucceſſit. Pontificem hunc conſuluere Galli, ubi Pipino, cui ſavit, imponenda ſuit Galliæ Corona. Obiit 15. Martii an. 752.

S. Zozimus, vel Sozimus, Græcus quadrageſimus tertius Papa, Innocentio I. 19. Auguſti an. 417. ſucceſſit. Cœleſtius, Pelagii comes, ſuam illi doctrinam gratam reddidit, quam ſtatim, uti orthodoxam probavit. Verum ab Africanis Epiſcopis errore liberatus, ambos illos hæreticos damnavit. Obiit 26. Decembris an. 418.

Finis Indicis Summorum Pontificum.

Digitized by Google

INDEX
HISTORICUS AUCTORUM,

Quorum in hoc DICTIONARIO citantur.

Continens. 1. *Patriam, Epocham natalis, ſupremique diei multorum ex iis, dignitates eorum ſeu munera, nec non pracipua eorum Opera.* 2. *Acta authentica, ſeu vetera, ſeu recentia, ut Libros rituales, Manuales, Euchologia, Synodus, Statuta, Libros pœnitentiales, Decreta, Bullas, Brevia, Deciſiones, Cenſuras, Capitularia, Leges, Edicta, Decreta, Declarationes, Regia Diplomata, Senatus Conſulta, Eccleſiaſtica Colloquia, Comitia generalia Cleri Gallicani, ejuſdemque Acta Provinciarum, conſuetudines, & alia ſimilia.*

A

ABBAS. Duo in hoc Opere diverſi laudantur Auctores ſub eo nomine. Prior eſt inclytus juris Pontificii interpres ſub eo dumtaxat *Abbas antiquus* vocabulo notus, qui florebat an. 1250. & qui Decretalium libros quinque, Commentarii illuſtravit, quorum extat editio Venetiis an. 1588. typis impreſſa, quæ in Regia, Patrumque Soc. Jeſu Bibliotheca reperitur. Alter, qui, *Abbas ſiculus*, ſeu *junior Abbas* dicitur, eſt Panormitanus, cujus proprium nomen eſt *Nicolaus de Budeſchis* e Carania Siciliæ urbe ortus. Is Zabarellæ, de quo in voce, *Cardinalis*, fiet mentio, & Antonii de Brutio, qui ambo Florentiæ Seniſque juris Profeſſores extitere, fuit diſcipulus; poſtea Rotæ Auditor, Abbas ſanctæ Agathæ; Panormique Archiepiſcopus factus a Felice V. Baſileæ an. 1440. Cardinalis Panormum rediit, ubi an. 1445. ultimum diem obiit. Eum *Lucernam phari* vocat Trithemius. Ipſius commentaria in Decretales ceteraque ejuſdem auctoris opera, quinque voluminibus *in folio* continentur, quæ Venetiis an. 1616. typis ſuere mandata, jam prius Lugduni quinque vol. *in folio* an. 1547. & tribus vol. an. 1586. edita, tum Venetiis ann. 1582. 1586. 1588. & 1591. accuratior editio facta eſt an. 1586.

Abely (*Ludovicus*) in Vexino Gallico natus an. 1603. Doctoris Laurea inſignitus, Pariſiis S. Jocundi Parœciam, & poſtea Ruthenorum Epiſcopatum obtinuit. Lutetiæ in ſeminario S. Lazari 4. Octob. an. 1691. obiit. Ad octodecim diverſos, quorum plerique ad pietatem ſpectant, tractatus, Theologiæ breve ſummarium, *Medulla Theologica*, inſcriptum nobis dereliquit.

Abulenſis, *Vide* Toſtatus.

Accurſus (*Franciſcus*) Florentiæ natus, jam ferme quadragenarius ſub inclyto Azoto juris ſtudio operam dedit; quod poſtea Bononiæ profeſſus eſt, ibique an. 78. ætate provectus obiit an. jus Romanum continenter interpretatus eſt.

Acheri (*Dominus Lucas* d') Monachus Benedictinus e congregatione S. Mauri, Auguſtæ Veromanduorum, ut refert Moreri, an. 1609. natus, an. 1645. ſcripta ſua quæ fuere plurima, divulgavit; & quorum potiſſimum eſt ejus *Spicilegium* tredecim voluminibus in 4. contentum; quorum primum an. 1655. & ultimum an. 1677. in lucem prodiit. Novam quoque Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi cum eximiis, quas addidit, notis, editionem; Abbatiæ Beccenſis Chronicum, multaque alia emiſit Opera, non minus doctrina, quam utilitate & curioſitate conſpicua. Pariſiis in Abbatia S. Germani a pratis obiit 29. April. an. 1685. ætatis ſuæ 76. an.

Acta Eccleſiæ Mediolanenſis. Sex ſunt Concilia Provincialia, undecimque Synodi, quæ a S. Carolo Borromæo Mediolani Archiepiſcopo & Cardinali habita fuere: ipſius Statuta, Literæ Paſtorales, Inſtructiones, ceteraque Acta. In multis deficiebat, quæ primum Lutetiæ Pariſiorum ann. 1645. facta eſt, eorum omnium editio; quam dimidia fere ſui parte auctam in melius vertit editio Lugdunenſis in duobus volum. *in folio* ann. 1683.

Adrianus VI. qui in Magiſtrum ſententiarum ſcripſit, & alia edidit opera. *Vide indicem ſummorum Pontificum.*

Alliaco (*Petrus de*) magnus ille vir in Allienſi pago ad Campanilia inter Abbavilam & Pecquinium ſecundum nonnullos, verum juxta Dominum Dupin poſt Moreri Compendii an. 1350. natus eſt. Is fuit ſucceſſu temporis Navarræi Gymnaſii an. 1372. precarius (nam ſuis modica res erat parentibus) convictor, Theologiæ Doctor an. 1380. eodem anno Noviodunenſis Canonicus; Philoſophiæ, poſtea Theologiæ Profeſſor: Pariſienſis Univerſitatis Cancellar. Carolo VI. ab Eleemoſynis & Confeſſionibus: quem Rex Avenionem & Romam miſit ut extinguendo ſchiſmati operam daret. In ſancto quoque Pariſienſi ſacello, ſacri cuſtos fuit Theſauri: Cameracenſis Archidiaconus: Anicii in Velauniorum tractu & poſtea an. 1396. Cameraci Epiſcopus. Benedicto XIII. SS. Trinitatis diem feſtum inſtituendi, habita de hoc myſterio Genuis an. 1405. oratione, anſam præbuit: Conc. Piſano an. 1409. interfuit: a Joanne XXIII. in Cardinalium numerum an. 1411. adſcriptus, Conſtantienſi Concilio adfuit; atque Cameraci ann. 1425. ibique ſepultus eſt.

Inter cetera ejus ſcripta præcipuum locum obtinet Tractatus de reformanda Eccleſia. Alliacum habuere Magiſtrum Joannes Gerſo & Nicolaus de Clemangis.

Aimonius. Antiquus ille Auctor ſummo in Aquitania vetuſtoque genere ortus, fuit Religioſus Ordinis S. Benedicti in Abbatia Floriacenſi ad Ligerim; quem ad eum ordinem circa an. 970. admiſit Oiboldus. Rerum Gallicarum hiſtoriam in quinque libros diſtributam compoſuit, quorum tres primi libri cum quadrageſimo primo quarti libri capite ſunt ipſius opus, & quorum ultimum in Floriacenſis Monaſterii conſtitutionem deſinit, cum reliquum libri quinti & quintus integer ad annum 1165. prolatus ab aliquo, qui eum ſecutus eſt, hiſtorico fuerint addita. Aimonius hiſtoriam ſuam Abboni Oiboldi ſucceſſori dicavit; cumque Abbon in Vaſconia an. 1004. fuiſſet occiſus, vitam ejus geſtaque anno proximo conſcripſit. Aliud etiam de miraculis S. Benedicti opus promulgavit, quod ad Gozelinum Floriacenſem Abbatem, deinde Bituricenſem Archiepiſcopum ſcripſit. Ipſius hiſtoria de Rebus Gallicis primo Lutetiæ Pariſiorum a Badio Aſcenſcio an. 1514. typis fuit impreſſa; & iterum an. 1567. 1603. 1612. & 1641.

Ammonius iſte non idem tamen cenſendus eſt, atque alter antiquior ejuſdem ordinis S. Benedicti Religioſus in Abbatia S. Germani a pratis Pariſienſi, qui ad an. 870. vivebat: ut veteri, cui Chirographum appoſuit, membrana conſtat, quam refert Dominus Jacobus de Broliaco.

Alberic Roxiati Bergomi in Venetia natus inclytus Juriſperitus ad an. 1350. ſextum Decretalium librum Commentariis illuſtravit, & Dictionarium Canonicum & Civile Venetiis ann. 1573. & 1601. impreſſum, illuſtrium quoque Juriſconſultorum Summulam, nec non alios quoſdam de jure civili tractatus compoſuit.

Albertus Magnus. Celeberrimus hic ſcriptor Leuvingenii in Svevia circiter an. 1193. natus, vigeſimo nono ætatis ſuæ ann. Dominicanorum inſtitutis ſe obſtrinxit, Philoſophiam & Theologiam Hildeshemii, Friburgi & Argentorati, poſtea Coloniæ, ubi S. Thomam diſcipulum habuit, & tandem Pariſiis publice docuit. Ordinis ſui Præpoſitus Romam jubente Alexandro IV. ſe contulit, ibique Sacri Palatii Magiſter fuit, Theologiamque profeſſus eſt. Redux in Germaniam an. 1260. Ratisbonenſis Epiſcopus factus eſt: ſecundo Lugdunenſi Concil. Gener. adfuit: atque abdicato Epiſcopatu 15. die Novemb. ann. 1280. Coloniæ obiit. Multa conſcripſit opera uno & viginti voluminibus *in folio* comprehenſa, e quibus tria ſunt præcipua in Sacram Scripturam Commenta-

mentaria, ejuſdemque in Magiſtrum Sententiarum, & ſumma Theologiæ.

Alcherus. Auctor iſte Monachus erat Claravallenſis & Iſaaci Stellæ Abbatis ex Ordine Ciſtercienſi in Diœceſi Pictavienſi familiaris; qui exeunte XII. ſæculo florebat. Librum *de ſpiritu & anima*, qui inter opera D. Auguſtini, reperitur, ipſi adſcribunt Rever. Patres Ordinis S. Benedicti, qui S. Doctoris opera edidere; licet a Dom. Dupin ut Iſaaci opus exiſtimetur.

Alciatus, (*Andreas*) in agro Mediolan. Alzani 8. Maii an. 1492. natus, Jaſonis Cenomani Papiæ diſcipulus & juris Doctor extitit: quod ſtatim Avenione an. 1521. tum Avarici, Bononiæ, Ferrariæ, & Papiæ profeſſus eſt, ubi cœlebs an. 1550. vel juxta Dominum de Thou duodecima die ſequentis anni mortuus eſt. Multa conſcripſit Opera de Jure civili & de Emblematis; atque dictus eſt inter Juriſperitos orator maximus; & inter Oratores Juriſperitus maximus. Tractatum etiam compoſuit de *ponderibus & menſuris*, & commentarium in tres ultimos Codicis libros, an. 1513. impreſſum.

Alcuinus vel Albinus Flaccus, natione Saxo-Anglus, Venerab. Bedæ & S. Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi Diſcipulus fuit, tum Eccleſiæ Eboracenſis Diaconus, quem Imperator Carolus Magnus Aquiſgranum, ubi reſidebat, accerſiri juſſit, ut Concil. Francofurti habito an. 794. intereſſet, eique S. Martini Turonenſis Abbatiam contulit, ubi 19. Maii an. 804. mortuus eſt.

Adrevaldus, ſeu Albertus S. Benedicti Monachus in Abbatia Floriacenſi, quæ nunc dicitur S. Benedicti ad Ligerim, exeunte ſæculo nono vivebat. Is fuit Auctor hiſtoriæ translationis ſacrarum Corporis S. Benedicti, & S. Scholaſticæ Reliquiarum, quæ ad an. 660. e Caſſino Monte in Abbatiam Floriacenſem facta eſt. Librum quoque de miraculis ejuſdem Sancti compoſuit.

Alexander de Nevo, Vicentiæ in Venetia natus, famoſum Paulum de Caſtro, Joannem de Anagnia, & Aretinum audivit: Juriſprudentiam ad an. 1450. tempore Alexandri Tartagni profeſſus eſt: additiones in Panormum, aliaque de Jure opera compoſuit, quæ uno volum. *in fol.* Typis excudi curavit Andreas Duchene an. 1617. Ipſius Commentaria, in quatuor primos decretalium libros jam Venetiis duobus volum. *in fol.* an. 1585. fuerant impreſſa.

Alexander Tartagni. *Vide* Imola. (*Alexander de*) Alexander. (*R. P. Natalis*) in magno Pariſienſi Conventu Dominicanus Rothomagi 10. Jan. 1653. natus, Ordinis S. Dominici Novitius adſcriptus an. 1635 ſolemnia ejuſdem Religionis vota anno ſequenti nuncupavit, Doctoriſque Sorbonici Laurea 21. Fabr. 1675. inſignitus eſt: Philoſophiam & Theologiam per duodecim annos profeſſus, Ordinis ſui Provincialis munere decorari meritus eſt. Theologiam dogmaticam 10. volum. comprehenſam compoſuit, Eccleſiaſticamque hiſtoriam, cujus volumen. I. an. 1677 Pariſiis, & ultimum an. 1686. exiit; aliaque conſcripſit Opera.

Alexander *ab Alexandro* ortus Neapoli, ejuſdemque urbis illuſtris Patronus, ubi cauſas pariter, atque Romæ defendit circa an. 1490. opus confecit inſcriptum: *Dierum Genialium libri* 6. quod Tiraquean in ſuo ſuper hunc Auctorem Commentario Lugduni ann. 1587. impreſſo præclaris annotationibus illuſtravit; multoſque ab Alexandro omiſſos Auctores citavit. Iterum Typis mandatum fuit hoc opus duobus Tomis *in* 8. anno 1673. Lugduni Batavorum cum notis Dionyſii Godefridi Chriſtophori Coleri, & Nicolai Merceri, accuratiſſima hujuſce Auctoris editio Pariſiis facta eſt an. 1532. qui ineunte ſæculo XVI. mortuus eſt, uti probat Bailius ex Epiſtola, quam Mediolano 6. Maii 1521. ſcripſit Alciatus, in qua Alexandrum hactenus luce frui ſupponit.

Almainus (*Jacobus*) apud Senonas natus, in mum Navarræam ann. 1508. admiſſus fuit, Doctoriſque inſigne ann. 1511. aſſecutus, Theologiam publice docuit, atque ann. 1515. obiit. Lutetiæ Pariſiorum impreſſa fuere ipſius Opera Theologica an. 1517. in Cajetanum acriter uno tractatu decertavit; cui titulus; *Libellus de auctoritate Eccleſiæ, ſeu Conciliorum eam repræſentantium*.

Alphonſus a Caſtro Theologus Hiſpanus, ortu Senticus, profeſſione Franciſcanus, regnantibus Carolo V. & Philippo II. florebat: Is primis Conc. Trid. ſeſſionibus adfuit, & Bruxellis Idibus Febr. ann. 1558. ad Compoſtellanum in Gallæcia Archiepiſcopatum deſtinatus obiit.

Pottas Tom. I.

Amalarius cognomine juxta quoſdam, *Fortunatus*, Metenſis Eccleſiæ diaconus floruit an. 820. hoc eſt, paulo poſt Amalarium Fortunatum Auguſtæ Trevirorum Epiſcopum; cujus rei vindex eſt P. Sirmundus in Tritemium, alioſque, qui unum ex his duobus fecere auctorem. Abbas fuit, & Corepiſcopi titulo in vetuſtis quibuſdam manuſcriptis Codicibus dignatur. Obiit ad annum 850. Opus conſcripſit in quatuor Libros diſtributum de Eccleſiaſticis, ſeu Divinis Officiis juſſu Ludovici mitis dicti.

S. Ambroſius Eccleſiæ Pater in Gallia ad an. 340. natus eſt. Is factus Liguriæ Æmiliæque præfectus Mediolanenſis Eccleſiæ adhuc Cathecumenus præficitur 7. Decemb. an. 374. Epiſcopus inauguratus, qui 4. Apr. 397. vita functus eſt. Hujus S. Doctoris Opera omnibus nota Romæ anno 1581. typis imprimi curavit Cardinalis de Montealto poſtea ſub nomine Sixti V. Pontifex maximus.

Ancharanus. (*Petrus de Ancharano*) Juriſconſultus e Farneſiorum genere Bononiæ natus, Baldi fuit Auditor, & ab an. 1410. floruit ad an. 1450. quo vita functus eſt. Decretales & Clementinas interpretatus eſt. Ejus opera fuere impreſſa Lugduni an. 1549. Bononiæ *in fol.* 5. *vol.* an. 1581. Venetiis quoque eodem an. 6. vol.

Andreas. *Vide* Joannes Andreas.

Andreas Cretenſis. Is Damaſci, quæ olim Syriæ, nunc autem Phœniciæ urbs eſt primaria natus, S. Hieronymi regulam profeſſus eſt; cumque ſexto Generali Concilio Conſtantinopoli an. 680. adfuiſſet, Cretæ poſtea, quæ nunc Candia cognominis inſulæ caput dicitur, fuit Archiepiſcopus. Obiit ad an. 720. ipſiuſque diem feſtum 4. Julii agunt Græci.

Angelus de Clavaſio e pago Clavaſio in Genuenſi Statu ortus, fuit Religioſus Franciſcanus, tum Ordinis ſui Vicarius Gener. & an. 1495. Conitiæ in Pedemontio mortuus eſt. Summam Caſuum conſcientiæ, quæ ab ejus nomine *Angelica* vocatur, quæque Venetiis primum an. 1492. quadriennio poſt Lugduni, & Pariſiis an. 1506. impreſſa eſt, compoſuit.

Angelus de Peruſio, in Italia ortu Peruſinus, Baldi frater fuit, & ad an. 1423. quo juxta Tritemium vita functus eſt, floruit.

Angles (*Joſephus*) Valentiæ natus, profeſſione Religioſus Minorita, ſtatim jubente Alexandro Cardin. de Montealto Sixti V. ſummi Pontificis Pronepote, Romam venit; tum Generalis in Sardinia Ordinis ſui Procurator factus, tandemque Epiſcopus Bolæ ejuſdem inſulæ oppidi in promontorio Logudorenſi, cujus Diœceſis ab Archiepiſcopatu Saſſaritano pendet. *Flores Theologicarum quæſtionum* compoſuit duobus volum.

S. Antoninus Florentiæ an. 1389. natus, ætatis ſuæ decimo ſexto anno Religioſam S. Dominici diſciplinam amplexus eſt, quem an. 1446. Florentinum Archiepiſcopum creavit Eugenius IV. obiit 2. Maii 1459 & ab Adriano VI. 31. Maii an. 1523. in Sanctorum numerum relatus eſt. Summam Theologicam in quatuor partes *in fol.* diviſam compoſuit, primum Memingæ an. 1483. tum Lugduni an. 1529. paritérque Summam Hiſtoricam tribus vol. *in fol.* an. 1587. impreſſam Lugduni.

Antonius Auguſtinus. Is patrem habuit Antonium Auguſtinum Aragoniæ Procancellarium, litteriſque operam dedit Compluti, Salmanticæ, poſtea Bononiæ ſub Alciato, Patavii, & Florentiæ, ubi juris Doctor evaſit; ſub Paulo III. Rotæ auditor fuit. ac viciſſim Aliſæ & Ilerdæ Epiſcopus, Conc. Trid. an. 1562. interfuit, tandemque an. 1574. Tarraconium Archiepiſcopatum obtinuit, obiit an. 1586. Librum conſcripſit *de Numiſmatibus*: alterum *de familiis Romanis*: Supplementum Codicis Juſtiniani, & opus pereruditum, cui titulus, *Juris Pontificii veteris Epitome* in tres partes diviſum, quarum pars quælibet in libros, opere toto quadraginta libris comprehenſo, quorum ſinguli in titulos, & titul. in capita ſubdividuntur. Celebris hujuſce Archiepiſcopi recenter edita fuere Opera an. 1678. ſtudio curiſque D. Baluſii. Jam Ilerdæ uno volum. an. 1576. Pariſiiſque ſimiliter uno Tomo an. 1609. & duobus poſtea an. 1611. Tarraconæ eodem anno, Romæ an. 1614. & Pariſiis 1641. fuere Typis impreſſa. Id imprimis obſervare eſt, eruditum illum Auctorem priorum Auctorum credulo nimis confiſum teſtimonio, multas Pontificum Siricii Anteceſſorum falſas laudaſſe Decretales, quas ab eo Archiepiſcopo dubiæ fidei & apochryphas viri docti agnoverunt.

Antonius Genuenſis (*D. Marcus*) juris Doctor, *Manua-*

le Paſtorum Romæ *in* 4. an. 1607. impreſſum; aliudqae opus inſcriptum: *Praxis Archiepiſcopalis Curiæ Neapolitanæ*. Venetiis etiam *in* 4. an. 1667. editum compoluit.

Aragonius, (*Petrus de Aragonia*) Auctor eſt Hiſpanus qui XVI. ſæculo, una cum tribus ſuis fratribus, Monaſticam Eremitarum S. Auguſtini diſciplinam profeſſus eſt in Salmantico Monaſterio. Doctoratum obtinuit, Theologiamque Salmanticæ & Olcæ in Aragonia publice docuit. Præcipua ejus opera ſunt; erudita Commentaria in 2. 2. D. Thomæ, & Tractatus *de Fide, Spe, & Charitate* an. 1589. impreſſa: & alter tractatus *de Juſtitia & Jure* an. 1590. editus, & iterum Venetiis ann. 1595. & 1608. & Lugduni an. 1596.

Archidiaconus. Sub eo nomine duo in jure Canonico laudantur auctores verſatiſſimi, quod ambo Bononiæ fuerint Archidiaconi. Prior, quem ſæpe laudant Jo: Andreas, S. Autoninus, aliique permulti, eſt *Guido Baſius*, vel *de Boyſio* Rhegii in Calabria natus an. 1285. ut notat Bellarminus, florebat. Commentarium in Decretum Gratiani, qui *Roſarium* inſcribitur, emiſit, Venetiis *in fol.* an. 1601. impreſſum cum annotationibus Nicolai Superantii, & Petri Albignani; aliumitidem in decretales, tertium denique in ſextum Venetiis quoque an. 1577. 1601. & 1606. editum. Alter *Joannes de Anania*, vel *d' Agnani* dictus, qui an. 1430. inclaruit, Commentarium in Decretales, volumenque unum Conſiliorum condidit. Is a Bartholomæo Socino dicitur *homo magnæ ſcientiæ & conſcientiæ*. Prima operum ipſius editio Mediolani an. 1492. facta eſt.

Archudius (*Petrus*) natione Græcus, patria Corcyræus, Romæ, ubi ad an. 1621. obiit, Sacerdotio initiatus eſt. Ipſum in Ruſſiam, ut diſſidentes de Catholica doctrina animos conciliaret, Clemens VIII. legavit. Librum compoſuit de concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis circa adminiſtrationem Sacramentorum, in quo probat, 1. ambas Eccleſias antiquitus non ſolum quoad dogma, ſed etiam quoad Sacramentorum adminiſtrationem interſe convenire. 2. Græcos recentiores cum Latinis etiamnum de dogmate convenire, factaſque in collatione Sacramentorum mutationes excuſari, aut cum ritibus Eccleſiæ Latinæ conciliari poſſe. Pariſiis an. 1619. promulgatum fuit hoc opus. Romæ an. 1620. quoſdam de proceſſione Sancti Spiritus, quoſdam vero de Purgatorio Tractatus in lucem emiſit.

Aretinus (*Jacobus*) Aretii in Etruria Juriſperitus Conſiliorum volumen compegit.

Aretinus (*Angelus Gambollienus*, ſeu *de Gambellionibus*) ab Aretio Etruriæ oppido, in quo natus eſt hic Auctor, dictus Aretinus, ſuit inclytus juris Doctor in Univerſitate Ferrarienſi, Panormo æqualis, qui Ferrariæ an. 1464. obiit. Conciliorum volumen, Commentarium in Inſtituta, tractatum *de Teſtamentis*, & alterum conſecit *de Maleficiis* tanto in honore habitum, ut alium Urbini in re criminali appellare neſas ſit.

Argentreus (*Bertrandus*) magnus apud Rhedones in Britannia Seneſcallus, poſtea Conſiliarius, cujus proceres a pago quodam in inferiori Britannia cognomen illud an. 1060. ſortiti ſunt, compoſuit *tractatum de ſorte nobilium*; alterum *de Appropriationibus*: tertium *de Donationibus & hiſtoriam Britanniæ*, cujus conſuetudinem eſt interpretatus. Obiit 13. Febrar. 1590.

Argou, (N.) Patronus fuit in ſupremo Pariſienſi Senatu, e Vivarienſi tractu in Occitania oriundus, qui perlecta D. Abbatis Fleury Regi a confeſſionibus, de jure Gallico hiſtoria, opus confecit imprimis, utile, quod ſcripſit: *Inſtitutiones ad jus Gallicam*. Bis Lutetiæ ipſo vivo editum 1. an. 1692. & iterum duobus volum. in 12. an. 1699. poſt Auctoris obitum, opus idem a duobus aliis Cauſidicis viris Illuſtribus D. Bretonuier & Barbier auctum & perfectum, tertio typis an. 1710. impreſſum eſt.

Ariſtoteles Stagyra oppido Macedoniæ oriundus Doctorem Athenis habuit Platonem; Alexandri Magni fuit Præceptor, mortuoque Platone novam ſuam ſectam Athenis in Lycæo ſtabilivit. Obiit hic Philoſophorum Princeps anno ſerme ante Chriſtum natum 322.

Cum ipſius libri a Concilio Pariſienſi fuiſſent an. 1299. damnati, publico in odium an. 1210. concremati ſunt incendio, atque ſub pœna excommunicationis eorum lectio ad annum 1366. prohibita, quo fuit reſtituta, & permiſſa. Nicolaus V. opera etiam illius an. 1448. comprobavit: & a Cardinali Eſtoutevilleo quem ad reformandam Pariſienſem Univerſitatem delegerat Carolus VIII. eiuſdem Philoſophi lectio an. 1452. fuit conceſſa. Quod Senatuſconſulto an. 1629. eſt firmatum.

Armilla, *Vide* Fumus.

Arnulphas. Hic Auctor primum Sagii Archidiaconus, poſtea an. 1141. Lexovii Epiſcopus fuit; hunc ſexennio, aut ſeptennio poſt ſuæ in Palæſtinam profeſſionis comitem adhibuit Ludovicus junior. An. 1134. ſacræ Henrici II. Angliæ Regis inaugurationi adſuit; hujus opera in multis rebus gravioribus uſus eſt Alexander III. qui ipſum fecit plurimi. Tandem quietus extremum ætatis conſumere ſtatuit in Abbatia S. Victoris Pariſini, quo ſucceſſit an. 1177. vel an. 1180. inquit Moreri, ibique 31. Auguſti an. 1182. obiit, uti teſtatur ipſius tumulus inſcripto Epitaphio in hujuſce Abbatiæ choro poſitus. Ipſe ſuas Epiſcopus, Ægidii Rothomagenſis Archiepiſcopi rogatu, collegit Epiſtolas, quarum multæ ad diſciplinam Eccleſiæ, reſque pertinent Eccleſiaſticas, ut ſunt eæ. quas ad Adrianum IV. Aleaandrum III. & ad Archiepiſcopos, Epiſcopoſque Angliæ conſcripſit. Haic litterarum ſuarum collectioni orationem a ſe in concilio Turonenſi an. 1163. habitam inſeruit. Epiſtolæ iſtæ an. 1585. ſtudio & opera Odonis Adriani Turnebi filii in lucem prodiere ſub hoc titulo: *Epiſtolæ, Conciones, & Epigrammata &c.* In Bibliotheca Patrum reperiuntur. Domnus Lucas d' Acheri in altero *Spicilegii* ſui tomo ſacram hujuſce Præſulis orationem de Annuntiationa Beatæ Virginis, & quinque litteras cum uno tractatu promulgavit, cui titulus eſt: *de ſchiſmate orto poſt Honorii diſceſſum contra Girardum Epiſcopum Engoliſmenſem*, in quo Innocentii II. alectionem adverſus Petrum Leonem acriter defendit.

Aſtenſis, ſeu Aſteſanus Franciſcanus ab Aſta Pedemontii urbe, in qua natus eſt, ſic dictus, ſammam Caſuum conſcientiæ ſcripſit, in octo libros diſtributam, quam an. 1317. in lucem emiſit, quæque primo Norimbergæ an. 1432. edita eſt.

S. Athanaſias, natione Ægyptius, fuit Epiſcopus, & Patriarcha Alexandrinus ſub finem anni 325. vel paucis poſt menſibus; quippe qui Nicæno Concilio, quod eodem anno habitum eſt, etiam Diaconus interſuit. An. 373. ex D. Hieronymo & Proterio, Alexandriæ Epiſcopus obiit.

Auboux (*Joannes*) Dominus Deſvergnes, Juris Doctor, & Carduci Officialis ſæculo proxime elapſo Tractatum compoſuit, inſcriptum: *Praxis vera Civilis & Criminalis Curiarum Eccleſiaſticarum*, Pariſiis, *in* 4. editum an. 1648. & iterum *in* 4. an. 1648. cum Libro de Reſcriptis Apoſtolicis, & alterum de Graduatis ſeu ſimplicibus ſeu nominatis.

Aufrerius. (*Stephanus*) Hic auctor 1. Juris Profeſſor, tum an. 1483. Toloſæ Officialis, tandemque in ſupremo urbis hujuſce Senatu Præſes, vir juris ſcientiſſimus, præclara multaque poſteris tradidit Opera. 1. Commentarium in primam Clementinam *de Officio Ordinarii*, in qao diligenter tum Eccleſiaſticæ tum civilis juriſdictionis jura, atque amplitudo, propter crebras, ut animadvertit idem Auctor, regnantibus Carolo VIII. & Ludov. XII. earum controverſias, perpenduntur. 2. *Quæſtiones Capellæ Toloſanæ*, oui ſunt additamenta facta 501. deciſionibus in vetuſto quodam opere, cui titulus *Capella Toloſana*, contentis; iu quo præcipue de rebus Eccleſiaſticis, agendique formulis in foro Eccleſiæ diſputatur. 3. Quoſdam alios Tractatus, multaſque quæſtiones de antiquo ſupremi Senatus ſtilo.

S. Auguſtinus, (*Aurelius*) Eccleſiæ Pater, Tegaſte Numidiæ urbe in Africa 13. Novemb. an. 334. natus eſt. Confectam Carthagine Rethoricam ibidem ipſe profeſſus eſt: an. 383. Romam venit, & inſequenti anno Mediolanum, ubi fidem Catholicam an. 385. amplexus, biennio poſt a S. Ambroſio Sacro Baptiſmi fonte abſolutus eſt, tum a Valerio Hipponenſi Epiſcopo; qui eum ſibi Succeſſorem an. 395. deſtinavit, an. 361. Sacerdotio initiatus eſt. Obiit hic Sanctus an. 430.

Auguſtinus Triumphus, ſeu de Ancona ex urbe cognomine, portuque Eccleſiaſtici Status ſic appellatus, Religioſus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini an. 1274. florebat, Ordinis ſui Generalis fuit Præpoſitus, tum Archiepiſcop. Nazareth, ac Neapoli 2. die April. 85. annos natus obiit. In Magiſtrum Sententiarum ſcripſit, aliaque condidit Opera. Liber ipſius *de Poteſtate Eccleſiæ*, an. 1320. compoſitus Romæ an. 1579. *in* 4. & an. 1584. *in fol.* editus eſt.

Avilla, (*Stephanus*) Societatis Jeſu, ad quam 20. annos natus admiſſus fuit Salmanticæ. Doctus hic Auctor Hiſpa-

Hiſpanus in Peruviam miſſus eſt, Limæ, quæ totius regionis urbs eſt primaria, & ubi 13. April. ann. 1601. obiit, Theologiam in Univerſitate profeſſus eſt. Compendium Manualis Navarræ & eximium de cenſuris Tractatum nobis dereliquit, Lugduni an. 1608. *in* 4. editum.

Aulus Gellius, vel Agellius, Romanus, Grammatiſta Latinus, qui II. Sæculo, id eſt, ad an. 130. Athenis vivebat, *Noctes Atticas* in 20. Libros diſtributas compoſuit, opus variis contentum rebus, quæ præcipue ad Cenſuram librorum pertinent; & primum Venetiis 1509. Beroaldi ſtudio typis mundatum.

Auctores variorum operum, quæ falſo adſcribuntur S. Clementi, aliiſque, qui ante Siricium vixere, ſummis Pontificibus, S. Dionyſio Areopagitæ, S. Cypriano, S. Proſpero, Ambroſio, Auguſtino, Chryſoſtomo, Bernardo, D. Thomæ, aliiſque permultis, qui hoc Vocabulo *Apud* deſignantur.

Auzanet (*Bartholomæus*) Celebris Advocatus Reſponſor Librum Pariſienſis Conſuetudinis explanavit. D. de Brillac, nunc Britannici Senatus Proto-Præſidis avus fuit doctus ille Juriſconſultus, qui an. 1672. etiam vivebat. Ipſius in Pariſienſem Conſuetudinem annotationes omnibus fuere probatæ.

Ayraul, (*Petrus*) rerum Capitalium Prætor fuit, avuſque Maternus inclyti Domini Menagii.

Azo, ſeu Azzo, (*Portius*) mortuo Montipeſſuli ann. 1192. Antonio Nizelo Doctore Itulo, qui primus in Gallia Jus publice docuit, & ſub *Placentini nomine* cognitus, quippe qui Placentiæ natus erat; in Galliam quoque venit, unde in Italiam remigrans, Bononiæ Jus profeſſus eſt, ubi Innocentium IV. habuit diſcipulum. Morte violenta occubuit, qua nimirum, ut ajunt, damnatus eſt, quod hominem occidiſſet, cujus caput in animoſa de jure contentione, candelabro imminuerat; attamen a multis qui ipſi fuere æquales, ſcriptoribus traditum eſt, ipſius necem merum eſſe figmentum, eumque an. dumtaxat 1225. aut ſecundum alios an. 1230. obiiſſe. A Baldo *Juris Magiſter* vocatur.

Azorius, (*Joannes*) Hiſpanus e Soc. Jeſu Lorcæ, quæ eſt juxta Guadalentium amnem, ortus eſt; in Murcia, in Diœceſi Carthaginis novæ in Hiſpania an. 1590. florebat. 19. Febr. an. 1603. Romæ obiit. Ipſius Opera moralia ex primis XVII. Sæculi annis duobus volum. *in fol.* fuere impreſſa.

B

Baco, vel Barcondorp, (*Joannes de Baccone*) ſic dictus a Caſtello in Angliæ provinciæ Nortfolk ubi natus eſt, Religioſus fuit Carmelita, Ordinis ſui Præpoſitus Provincialis, & Theologiæ Doctor Facultatis Pariſienſis. An. circiter 1346. obiit, & Londini ſepultus eſt. In Magiſtrum Sententiarum Commentaria, aliaque conſcripſit Opera.

Pacquet, (*Joannes*) Pariſiis Regiarum cauſſarum Patronus, tum Ærariæ Curiæ Conſiliarius, Libros conſcripſit de ſumptibus judiciariis, de juribus & dependentiis Regii Dominii, de bonis adeſpotis de jure illegitimorum, de exhæredatione, de Feudis nobilibus in manu ingenui nec nobilis, ad an. 50. ultimi ſæculi vivebat. Libros illius acutos a ſe iterum typis in *fol.* mandari an. 1688. curavit Claudius de Ferriere.

Bail, (*Ludovicus*) Abbavillæ in Picardia natus, Pariſiis Doctor, ejuſdemque Urbis Eccleſiæ Propœnitentiarius, Librum ſuum *in* 8. *de Triplici examine* an. 1652. ad Illuſtriſs. D. Franciſcum de Gondi, primum Lutetiæ Archiepiſcopum ſcripſit, Theologiam quoque affectivam, Conciliorumque Compendium compoſuit.

Bailius, (*Petrus*) Iſte Calviniſta Carlæ in Comitatu Fuxenſi, Oppiduli, ubi Pater Fraterque hæreticæ pravitatis erant Miniſtri 18. Nov. an. 1647. natus, incœpta ſub Patris diſciplina Litterarum Studia in Gymnaſio continuavit. An. 1668. ejuratis Calvini erroribus, Toloſæ ſub Patre Ignatio Noſa e Soc. Jeſu primum Philoſophiæ operam dedit; verum ſemeſtri poſt ſpatio abdicata Catholica fide, ne in relapſorum pœnam incurreret, Genevam, poſtea Copetum edem Urbi proximum venit, ubi Comes Dhonæ ipſi domeſtico præceptori ſuos tradidit pueros. Poſt aliquot annos Rothomagum, hinc Pariſios ſe contulit, unde 27. Aug. 1675. Sedanum profectus, ibi Philoſophiæ Profeſſor admiſſus eſt. Verum ſuppreſſa ſecretioris Conſilii decreto dato 14. Julii an. 1681. Sedanenſi Academia, in Bataviam migravit, Roteredamum 30. die Octob. inſequentis pervenit, ubi Philoſophiam Hiſtoriamque profitendi munus accepit, quo occultis Miniſtri Jurioſi, qui apertus ipſius erat inimicus, machinamentis 30. die Octob. an. 1693. ſpoliatus fuit. Roterodami 28. Decemb. an. 1606. ætatis ſuæ 59. obiit. Magnum ſuum Dictionarium Hiſtoricum & Criticum an. 1692. incœptum duobus volum. *in fol.* ann 1696. in lucem emiſit, quod iterum quatuor volum. *in fol.* an. 1702. typis mandari curavit, quod in Anglicum ſermonem ann. 1709. tranſlatum eſt. Nova tandem illius, non Roterodami, ut prima indicat pagina, verum Genevæ an. 1715. tribus tomis confecta editio. De hoc opere hic tantum fit mentio, quod id ipſum ſolum in hoc præſenti Dictionario ad elucidanda quædam acta Hiſtoriæ fuerit adhibitum, cum cetera hujuſce Auctoris Opera Controverſiarum libro contineantur, quos pro diverſis de religione ſua opinionibus conſcripſit.

Baldus, (*Petrus, Cognomine de Ubaldis*) Perufii natus, Papiæ ubi Jus quoque docuit, Bartolum audivit, & ubi Petrum Rogerium Lemovicem, poſtea ſub Gregor. XI. ſummum Pontificem, diſcipulum habuit. Eamdem etiam juris ſcientiam Patavii profeſſus eſt, ubi 76. ætatis anno e vivis deceſſit 28. Apr. an. 1400. vel ſecundum nonnullos tardius, ibidemque cum Epitaphio ſepultus fuit. Edita fuere Venetiis ipſius opera in Decretales an. 1571. *in* 4. & poſtea *in fol.* an. 1575. & 1595.

Balſamon, (*Theodorus*) viciſſim Diaconus & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ cuſtos Grammatophylacii, & pro Græcis Antiochiæ Patriarcha, exeunte XII. ſæculo floruit. Acerrimum ſe Græcorum in Latinos, qui tum maxime Antiochiæ dominabantur, palam defenſorem profeſſus eſt. Quædam ipſius opera in Bibliotheca Juris Canonici, quæ eſt Juſtelli; & inter cetera, ejus obſervationes in Photii *Nomocanonem*, nec non Conſtitutionum Eccleſiæ Collectio reperiuntur: quorum omnium extat Græce Latineque an. 1620. Pariſiis facta editio. Circa ann. 1202. aut paullo poſt obiiſſe exiſtimatur.

Baluſius. (*Stephanus*) Doctus ille vir Tutelæ, quæ inferioris Lemoviciæ urbs eſt primaria & Epiſcopalis, ex ampliſſima familia 23. Novemb. an. 1630. natus eſt. Joannes Baluſius 94. ætatis agens annum, ipſius Proavus an. 1585. Tulenenſis erat Conſul. Antonius Baluſius ejuſdem Patruelis, qui Pariſiis an. 1680. obiit, Ludov. XIII. ab inferendis ferculis fuit. Antonius Maria de Gonzaga in Poloniam proſecutus, filium procreavit, quem Caſimirus Poloniæ Rex e ſacro fonte ſuſcipiens, Caſimirum ſuo voluit nomine appellari, & quem inter honorarios Ephebos poſtea annumerari voluit, Cubiculariſque ſui munere cohoneſtavit, quod ei munus a Michaele Koribut Caſimiri ſucceſſore prorogatum fuit. Verum ſi quam ob varios majorum ſuorum honores gloriam mereretur Stephanus Baluſius, multo majus ei fecere nomen cum ingenii ſui affluentia, tum ſumma eruditio ac ſcientia, qua tantopere inter viros ſui ſæculi doctrina eximios inclaruit. Statim Jus Canonicum in Regio Collegio Pariſiis an. 1670. profeſſus eſt. Primum, quod in vulgus an. 1652. emiſit Opus, fuit *Antifrizontus*, quo Frizontem Doctorem Sorbonicum aggreditur. Denuo *Capitularia Regum Francorum* divulgavit duobus volum. Pariſiis an. 1677. impreſſa, permultaque alia opera, quorum index habetur in novo Pariſienſi Mercurio pro menſe Julio an. 1719. pag. 33. Ipſum tandem 28. Julii an. 1718. ætatis ſuæ 88. ann. Litterariæ Reipubblicæ mors præripuit.

Bancelius, (*Ludovicus*) Valentiæ natus, profeſſione Dominicanus, Avenione Theologiæ Doctor & Profeſſor, Diœceſis, Legationiſque examinator, Moralem D. Thomæ ſecundum ſeriem Litterarum compoſuit duobus volum. *in* 4. an. 1677. Avenione typis mandatam.

Bannes. (*Dominicus*) Religioſus Dominicanus, Univerſitatis Salmanticenſis Doctor Theologus, & S. Thereſiæ Confeſſor an. 1584. Opera ſua litteris conſignabat. Theologiam quoque Salmanticæ profitebatur ad annum 1595. quo Venetiis Tractatum ſuum *de Jure & Juſtitia*, typis mandari curabat, quique ſeu Theologia, ſeu Jure præſtabat.

Barboſa, (*Auguſtinus*) ſub Emmanuele patre Juriſprudentiæ operam dedit: Eccleſiæ Guimanaros in Pragenſi Diœceſi in Luſitania ſacri fuit ſtatim cuſtos Theſauri, quo ex loco Pater ejus erat ortus. Romam venit, inde Madritum an. 1632. rediit. A Philippo IV. Hiſpaniarum Rege ad Epiſcopatum Ugentinum in Hydrun-

Digitized by Google

tino agro Neapolitani Regni 1648. ibi poſt ſeptem menſes obiit. Præcipua ejus Opera ſunt: *Collectanea in Jus Canonicum*, ſex volum. in *fol.* Lugduni ann. 1681. impreſſa: *De Jure Eccleſiaſtico* duobus volum. in *fol.* Lugduni quoque an. 1688. typis editum. Nicius Erythræus & Morhoff Polyſtor l. 1. cap. 9. ultimum hoc opus falſo Barboſæ adſcribi contendunt. Hic vir in Jure Canonico verſatiſſimus inſcriptum etiam opus condidit: *Summa Apoſtolicarum deciſionum extra Jus commune vagantium*, Lugduni an. 1658. extat editio. Omnia ejus Auctoris Opera in 20. tomos diſtributa 11. volum. in *fol.* Lugduni an. 1656. editis continentur. In multis a conſuetudine noſtra hic Auctor diſſentit.

Bardetus, (*Petrus*) in ſupremo Pariſienſi Senatu Cauſidicus, Montagueti in agro Borbonio 15. Dec. an. 1591. natus, Toloſæ an. 1614. & duobus inſequentibus annis ſub Cujacio Magiſtro Juri operam dedit, Cauſidicuſque factus an. 1617. Molini 20. Septemb. ann. 1685. obiit. Decretorum, quæ ab illo ſupremo Senatu ab an. 1617. ad an. 1643. facta fuere, collectanea redegit, quæ ann. 1690. duobus volum. in *fol.* Pariſiis fuere impreſſa, ſtudio D. Claudii Berroier in ſupremo quoque Pariſienſi Senatu Patroni, qui opus illud D. de Lamoignon tum generali cauſſarum regiarum Patrono dicavit. An. 1685. natus an. 94. & ab an. 1663. a forenſi ſtrepitu remotus e vivis exceſſit.

Baronius (*Cæſar*) Soræ, quæ urbs eſt Epiſcopalis Laboriarum in Neapolitano Regno 30. Octub. ann. 1538. natus, fuit Sacerdos e Congregatione Oratorii, ſanctoque Philippo Nerienſi intimus, & a Clem. VIII. in Cardinalium Collegium 5. Junii an. 1596. adſcriptus, Romæ 30. Junii an. 1607. obiit. Annales Eccleſiæ 12. vol. in an. 1198. deſinit.

Bartholomæus Brixianus, & a Brixia Italiæ urbe, unde e genere *Avocati* originem ducit, ita appellatus, an. 1240. famoſus, Juriſque Profeſſor extitit. Ipſum multi fecit Greg. IX. atque an. 1258. ætatis ſuæ an. 84. obiit. Præcipua ejus Opera ſunt: *Repertorium decreti*, in tres libros diviſum; Commentarium in Decretales, quinque Libris contentum &c.

Bartholomæus Piſanus, profeſſione Dominicanus, qui & Bartholomæus de ſancto Concordio nuncupatur, Piſis ortus, ubi an. 1338. ſummam Caſuum conſcientiæ compoſuit ſub titulo, *Summa Piſanella*, Lugduni ann. 1519. editam. Obiit an. 1647.

Bartholus. Celebris hic Juriſperitus in Umbriæ pago Saxo-Ferrato ann. 1313. ortus, Doctoris Lauream ann. 1334. obtinuit, multis in locis Italiæ Jus ipſum profeſſus eſt, & Perusii an. 1353. aut ſecundum alios tardius poſt aliquos annos obiit. In Pandectas, Codicem & inſtituta docte conſcripſit: ejuſque Inſtituta in Jus Romanum & Gallicum in 4. præceptionibus optimis ſunt referta.

S. Baſilius, Cæſareæ in Cappadocia fuit Epiſcopus fraterque S. Gregorii Nyſſeni, natus an. 328. & ad Epiſcopatum an. 302. promotus Kalend. Jan. ann. 379. e vita migravit.

Baſnagius, (*Antonius*) celeberrimus Rothomagi Advocatus, ubi anno vitæ ſuæ 85. mortuus eſt an. 1695. Normanniæ Conſuetudinem eſt interpretatus, Tractatumque de hypothecis emiſit.

Baſſeus, (*Eligius*) Capuccinus in Gallico Belgio ortus, Sylvii temporibus ſcripſit, qui an. 1645. Opus ejus probavit inſcriptum: *Flores Theologiæ practicæ*, &c. in *fol.* cui ſupplementum in *fol.* an. 1659. addidit.

Baſſetus, (*Joannes Guido*) in Gratianopolitano Senatu Advocatus Conſiſtorialis, Conſiſtorialiumque Advocatorum in Delphinatu Decanus per 53. annos forum frequentavit, duoſque nobis dereliquit Tomos, qui ad 1100. hujuſce ſupremæ Curiæ, Delphinaliſque Conſilii Decreta continent de multis notatu dignis quæſtionibus, rebuſque Beneficiariis, Civilibus, atque Capitalibus; eorumque librorum prior ann. 1668. & alter ann. 1676. Gratianopoli fuit editus. In eo commendatur hoc opus, quod accurate Decretorum cauſſas Auctor annotaverit.

Bauccius (*Carolus*.) Hic Auctor Neapoli Pœnitentiarius Tractatum confecit inſcriptum *De Miſcellaneis practicis*, in quæſtiones diviſum.

Baudrandus, (*Michael Antonius*) Roboris & Novi-Fori Prior, Pariſiis 28. Julii an. 1633. natus, in eadem urbe Rhetoricæ ſub Patre Briete Soc. Jeſu an. 1647. in Collegio Lexovienſi ſub D. Deſperrierio Philoſophiæ operam dedit; dum eligerentur ſummi Pontifices Alex. VII. Clem. IX. & Innoc. XI. in ſacro Conclavi, Cardinalibus Barberino & Camuſio famulatus eſt; Dictionario ſuo Geographico Latine in duobus vol. in *fol.* conſcripto, quod Ferrarii Lexicon ſupplet, an. 1677. primas manus admovit, obiitque 29. Maii an. 1700.

Becanus, (*Martinus*) Jeſuita natus Hilvarembeci in Brabantia per quatuor annos Philoſophiam, & per 22. Theologiam Maguntiæ, Virsburgi, ac Viennæ in Auſtria publice docuit; Imperatori Ferdinando II. fuit ab audiendis Confeſſionibus, ac 63. an. vitæ ſpatium emenſus 24. Jan. an. 1624. mortuus eſt. Ipſius opera duobus volum. in *fol.* continentur. Tractatus vero Controverſiarum accurate conſcriptus difficile reperitur.

Beda, dictus *Venerabilis* an. 673. GirviKi, quod idem exiſtimatur ac novum Caſtrum ad Tinam in Comitatu Northumbriæ in Anglia natus, Sacerdotio initiatus eſt an. 700. Religionem S. Benedicti profeſſus, obiit 26. Maii an. 735. Ipſius opera primum Baſileæ an. 1563. octo vol. in *fol.* fuere edita.

Beia, (*Ludovicus de*) Natione Luſitanus, ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini Religioſus, ſacras litteras Bononiæ profeſſus eſt. Extat hujuſce Auctoris Opus morale inſcriptum: *Reſponſiones caſuum conſcientiæ*, in duas partes diviſum; quod primo Bononiæ an. 1587. Brixiæ ann. 1589. Venetiis an. 1591. & 1600. & Ulyſſipone in 4. an. 1610. impreſſum eſt.

Bellamera, (*Ægidius de*) Canoniſta Gallus ex illuſtri familia de Muntaigua Liſteniis ortus, fuit 1. Andegavenſis Archidiaconus, poſtea Rotæ Auditor, tandemque Avenione Epiſcopus, ubi ſepultus eſt. Eum ſacra indutum fuiſſe purpura contendunt Auctores permulti, uti Bouchel, Blondeau & Brillon: quibus tamen contradicit Epitaphium ipſius tumulo Avenione inſcriptum, ubi ſic legitur: *Noluit & potuit Romano Cardine fungi*. An. 1360. florebat hic Auctor, qui commentarium in Decret. Gratiani condidit tribus volum. in *fol.* ann. 1578. Venetiis impreſſum, cujus antea Lugduni an. 1550. facta fuerat editio, ubi omnia ejuſdem Opera ante ſeptem volum. an. 1548. tum ſex volum. an. 1586. fuerant typis mandata.

Bellarminus, (*Robertus*) 4. Octob. ann. 1542. in Tuſcia natus, 20. Septemb. an. 1560. factus Jeſuita, novem poſt annis Sacerdos, & a Clement. VIII. 3. Martii an. 1599. in Cardinalium numerum adſcriptus, Capuæ Archiepiſcopatum an. 1602. obtinuit; ac Romæ 17. Septemb. an. 1621. mortuus eſt. Librum ſuum Controverſiarum vulgavit eruditus ille vir Ingolſtadii tribus tomis ann. 1587. & 1690. Lugduni vero ann. 1593. impreſſum. Emendatior ejuſdem Libri Venetiis facta eſt editio, quam ſimilis excepit editio Pariſienſis an. 1602. & etiam amplior an. 1608. quatuor tomis contenta, cui Coloniæ an. 1615. additi ſunt alii quidam Tractatus. Reliqua tandem hujuſce Auctoris Opera ſuperioribus adjuncta tribus volum. in *fol.* ann. 1617. eadem urbe prælo fuere ſubjecta. Accuratam Bellarmini Operum Analyſim confecit D. Dupin, in quibus caſtigatiſſima, inquit, morum diſciplina ſolidaque elucet pietas.

Bellurdeau, (*Petrus*) in Britannico Senatu Cauſidicus, qui nondum ultimo ineunte ſæculo obierat. Opus condidit, actas in eodem Parlamento Controverſias duobus tomis in *fol.* continens, quorum prior an. 1618. & alter 1620. Pariſiis editus. Ducatus quoque Britannici Conſuetudines explanavit, quod Opus Lutetiæ Pariſiorum an. 1628. impreſſum eſt: Librum quoque edidit, cui titulus *Obſervationes ſingulares*.

Benedicti, (*Guillelmus*) Juriſperitus Gallus paullo poſt Guymierum, hoc eſt, a ducentis annis ſcribebat. In Parlamento Toloſano Conſiliarius fuit, qui librum de *Teſtamentis* Lugduni an. 1529. & 1552. in *fol.* & Francofurti ann. 1638. impreſſum, aliaque de jure Opera compoſuit.

Bengens, (*Antonius*) Biturigæ Jus profitebatur: ubi natus 27. annos Cujacii ſucceſſit: eruditum *de Beneficiis*, auxiliante Franciſco Fiſſon Pariſienſi Cauſidico, Librum compoſuit, Pariſiis ann. 1654. in *fol.* impreſſum, quem ad D. Pomponium de Bellievre Pariſienſis Senatus Protopræſidem ſcripſit. Biturigiæ an. 1616. ætatis ſuæ an. 52. obiit.

S. Benedictus, cujus Regula citatur, Nurciæ in Umbria circiter ann. 480. natus in eam ſolitudinem, quæ quarto ab urbe lapide diſtans, Sublacus dicitur ſeceſſit; cum ætatis an. ſeptemdecim vix attigiſſet, ibique Religio-

gionis ſui primique Ordinis ſui Monaſterii fundamenta jecit, onde ann. 1529. Caſſinum migrans, idem ann. 543. confecto vitæ 63. annor. curriculo, mortuus eſt. Ipſius Reg. 77. capitibus continentur.

Benſonius, (*Rutilius*) Nob. fuit Romanus, alter fuit Eccleſiæ Lauretanæ, quam conſtruxerant Leo V. & Sixtus V. Epiſcopus, qui Canutio proxime ſucceſſit; Benſonius, Canutium, qui octo tantum menſibus ſederat, in Epiſcopatu Lauretano excepit. Obiit hic Auctor 31. Jan. an. 1613. Commentarium *in fol.* in Canticum *Magnificat*, Duaci an. 1625. typis editum compoſuit; Moralium opus in quo de Indulgentiis agit, Librum cujus eſt titulus: *De fuga tempore peſtis*, &c.

Berardus du Gout, nonageſimus tertius Lugduni Archiepiſcopus, fuit Clem. V. frater. Berardum ann. 1294. in Cardinalium Collegium adſcivit Cœleſt. V. ſummus Pontifex: in Galliam legavit Bonif. VIII. pacem conciliaturus inter Reges Galliæ Angliæque, ubi 27. Julii an. 1297. mortuus eſt.

Berault, (*Joſias*) Rothomagenſis Patronus, & in curia Tabulæ, quam vocant, Marmoreæ in Palatio Conſiliarius, Commentarium in Normanniæ Conſuetudin. Rothomagi an. 1618. impreſſum compoſuit, & cujus ſexta an. 1660. facta eſt editio. Is erat Calviniſta.

S. Bernardinus, cognomine Senenſis, quod Pater ejus Senis natus eſt, & e ſtirpe *Albizeſchi*, in Tuſcia anno 1383. ortus, Franciſcanor. Religionem ann. 1405. amplexus, ejuſdem Ordinis fuit Vicar. Gen. in Italia, tum Procurator Gener. Jeroſolymam petivit, Aquilæ, quæ Aprutii in Regno Neapolitano urbs eſt, 20. Maii ann. 1440. obiit decennio poſt a Nicolao V. in SS. numerum relatus. Ipſius Opera ſeu ad Moralem, ſeu ad Pietatem pertinentia Venetiis an. 1591. fuere impreſſa.

S. Bernardus. Primus Claravallenſis Abbas, an. 1091. Fontanis in Burgondia natus, quibus dominabatur ipſius Pater Teſſelinus, Ciſtercienſium Ordinem an. 1113. amplexus eſt, an. 1153. mortuus eſt; cum ſeptingentos Claravallæ Novitios habuiſſet, unumque e ſuis Religioſis, ſub nomine Eugenii IV. ad ſupremam S. Petri ſedem evectum, ſex alios in ſacrum Cardinalium Collegium admiſſos, & triginta & amplius Epiſcopos vidiſſet. Accuratiſſima operum hujuſce S. Doctoris Lutetiæ Pariſiorum an. 1690. ſtudio P. Jo. Mabillon e Congregatione S. Mauri facta eſt editio.

Bernardus de Botcno præcipuus fuit Auctor Gloſſæ in Decretales, ortu Parmenſis, fuitque Judex, Canonicus & Eccleſiæ Bononienſis Cancellarius.

Briaxins, (*Petrus*) Hic Auctor præceſſit Emmanuelem Rodericum, de quo fiet mentio. *Vide Rodericus*. Opus in multas partes diſtributum *de Electione*, &c. compoſuit.

Biel. (*Gabriel*) Spiræ, ſecundum nonnullos, ſecundum alios Tubingæ natus; ubi Doctoris Theologiæ Lauream adeptus, eam ibidem profeſſus eſt, deinde Tigari. Is fuit Religioſus inter Regulares Daventriæ Canonicus qui etiam an. 1494. vivus, inſequenti anno, uti creditur, e vita migravit. Ejus Commentat. in Magiſtrum Sententiarum Baſileæ primam an. 1512. editum eſt. Canonem quoque Miſſæ uno Tractatu in 89. Lectiones diviſo, Pariſiis an. 1516. impreſſo, explicuit.

Bignon, (*Hieronymus*) poſt. D. Servin in Pariſienſi Sen. Generalis Cauſidici munus obtinuit. Inclytus hic Magiſter, Pariſiis an. 1590. natus, Patrem habuit Rollandum Bignon, Toloſæ Juris Profeſſorem, & ex antiqua apud Andegavos ſtirpe ortam. A proprio Patre edoctus, mira quadam ingenii celeritate Linguas, humaniores Litteras, Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam, Juriſprudentiam, Mathematicam, & Hiſtoriam didicit. Jam decennis Palæſtinæ deſcriptionem: XIII. ætatis anno Romanas Antiquitates: XV. Tractat. de electione ſummorum Pontificum vulgavit. Henricus IV. ipſum Delphino, qui poſtea ſub nomine Ludov. XIII. regnavit, honorarium Ephebum præpoſuit. An. 1610. Tractat. de jure Galliæ Regum proprio ante alios Reges ſedendi; an. 1613. Marculfi formulas cum annotationibus promulgavit. An. 1614. Romam ſe contulit. An. 1620. in majori Conſilio Gener. Cauſarum Patroni munere donatus, tam D. Servin in Gener. Cauſidici officio excepit in Pariſienſi Sen. ubi eloquentia, integritate, & animi conſtantia enituit. Magnus Regiæ Bibliothecæ Rector evaſit, maximorumque Regni negotiorum adminiſtratio ei fuit commiſſa. Die 7. April. an. 1656. ætatis vero 66. obiit. D. Dupin Inclyti hujuſce Magiſtratus Opera accurata Analyſi deſcripſit.

Biſfeld, (*Petrus*) Librum is compoſuit inſcriptum *Enchiridion Theologiæ Paſtoralis* in 5. partes diviſum, quem Sylvius ann. 1626. adnotationibus ſuis auctum imprimi commendat. Tractatum etiam de Simonia, Coloniæ *in* 8. an. 1604. alterum vero *de Confeſſionibus maleficorum & ſagarum*, ibid. *in* 8. & alios quoſdam in lucem protulit. Luxemburgi natus hic Auctor, Romæ Doctoris Theologiæ titulo inſignitus eſt, atque Canonicus & Magnus Vicarius Treviris etiam an. 1600. extitit.

Bleinianus, (*Antonius Fabricius*) In Sabaudia natus, Valentiæ in Delphinatu Jus publice docuit, ann. 1616. Tractat. *in* 4. edidit, cui titulus: *In Theoriam & praxim Beneficiorum Eccleſiaſticorum Methodica introductio*. Obiit ann. 1626. Alium quoque Librum compoſuit hic Auctor, inſcriptum: *Inſtitutiones theoricæ ac practicæ, ſeu Rudimenta Juris Canonici*, qui Valentiæ ann. 1660. emiſſus eſt.

Blondeu, (*Claudius*) Pariſienſis Senat. Cauſidicus Diarium fori tribus vol. *in fol.* editum compoſuit, in quo habetur Collectio præcipuarum deciſionum omnium Parlamentor. ſupremarumque Galliæ Curiarum. Huic operi una cum D. Blondeau incubuerat Gabriel Gueret Parlamenti quoque Senat. Cauſidicus, jamque 10. vol. *in* 4. vulgaverant, cum an. 1688. ætatis ſuæ 47. Gueret obiit. An. 1705. & an. 1713. Pariſiis ultima hujus operis editio duobus volum. *in folio* emiſſa eſt, quæ 12. volum. *in* 4. præſtat editioni. Eximium quoque hic Auctor opus emiſit inſcriptum: *Bibliotheca Canonica ordine Alphabetico complectens res omnes Eccleſiaſticas & Beneficiarias, de quibus egit D. Laurentius Bouchel in ſua ſumma Beneficiali, cui ex eodem ordine addita fuere Tractatus, Arreſta, Conſtituta*, &c. Pariſiis an. 1689. in 2. vol. *in fol.*

Bodinus, (*Joannes*) ortu Andegavenſis, ſtatimque Religioſus Carmelita, obtenta votorum ſuorum diſpenſatione, Pariſiis foro operam dedit, & ad an. 1588. Lauduni judicia exercuit, ubi 70. & amplius annos natus obiit. Is opus compoſuit, cui titulus, *de Republica*, in ſex libros diviſum: Tractatum *de Dæmonomania*; alterum inſcriptum: *Univerſæ naturæ Theatrum*; ultimum denique: *De abditis rerum ſublimium arcanis*. Varias calluit hic Auctor Linguas, de quo glorioſe prædicarunt D. Thuanus, de S. Martha, ac Mornacus; quibus contradixere Cujacius, Grotius, & Poſſevinus; eum etiam Judaiſmo faviſſe nonnulli ſuſpicati ſunt, ut obſervat D. Teſſier.

Boerius, (*Nicolaus*) Monſpelii in Occitania natus, Juriſprudentiæ Lauream Avenici obtinuit, ubi per quadriennium Jus profeſſus eſt, ac per ſeptennium cauſſas egit. An. 1499. nupſit Mariæ Bonſier nepti Guillelmi de Cameraco Bituricenſis Archiepiſcopi primum in ſuperiori Conſilio Conſiliarius, tum Burdigalenſis Senatus Præſes factus, eo munere per 20. annos functus eſt. Ann. 1542. ſi quibuſdam ſit fides, ſcribebat; juxta vero alios ann. 1538. obiit. 356. Juris deciſiones emiſit, *Deciſiones Burdigalenſes*. 53. Conſilia, cum Tractatu *de Auctoritate magni Conſilii & Parlamentorum Galliæ*, Lugduni *in fol.* an. 1544. & 1579. quam Arreſtis hujuſce Parlamenti ſtatuit, cum Commentario primo ipſius opere in Conſuetudinem Bituricenſem. Magnus hic Magiſtratus ann. 1509. eruditum jam ſcripſerat Tractatum, cujus hæc eſt inſcriptio: *De officio & poteſtate Georgii de Ambaſia Cardinalis Legati circa derogationem regularum Apoſtolicæ Cancellariæ in* 8.

Du Bois, (*Ludovicus*) Senat. Pariſienſis celeberrimus Patronus, paulo poſt obitum, qui in 20. Aug. an. 1670. incidit, opus compoſuit inſcriptum: *Effata Canonica* a Dionyſio Simon ann. 1676. ſub titulo *Iſagoges* editum. Et poſtea ſub titolo: *Effata Juris Canonici*, cui multa de ſuo addidit, adeo ut ea tantum ſint Domini du Bois, quæ in primo volum. majoribus ſunt exarata Literis.

Boich, (*Genricus*) in Diœceſi Leonenſi Britanniæ ortus, Lutetiæ Doctor pariterque Juris Profeſſor, ibidem Publicas ſuas Lectiones an. 1486. edidit. In quinque Decretalium Libros, in Sextum & Clementinas doctum emiſit Commentarium Venetiis ano. 1576. Ipſius operum facta eſt editio, quorum Archetypum exemplar in Cameracenſis Eccleſiæ Bibliotheca aſſervatur. Is ab editore Veneto præpoſtere *Lugdunenſi* pro *Leonenſi* dictus fuit Abbas, vel potius, ut accuratius loquar, Eccleſiaſticus Adminiſter, piæ S. Yvonis ſodalitatis, quæ Pariſiis in ejuſdem ſancti ſacello, via Jacobea conſtituta eſt, juxta nonnullos multis ante medium X. ſæculum ſextum annis,

verum juxta Du Dupin jam exeunte XIV. ſæculo floruit.

Bona, (*Joannes*) ex illuſtri Lesdigueriorum in Delphinatu familia, in Pedemontio 10. Octob. an. 609. natus, 20. Julii an. 1625. reformatam Ciſtercienſium diſciplinam amplexus eſt, bis Congregationis ſuæ ann. 1651. & 1655. Abbas electus eſt. Ipſam jam ab Alex. VII. S. Officii Conſultorem deſignatum, ſacra Cardinalium purpura 29. Nov. ann. 1669. donavit Clem. IX. ac Romæ 27. Octob. an. 1674. obiit.

Bonacina, (*Martinus*) Patria Mediolanenſis, Theologiæ juriſque Doctor, Apoſtolicus fuit Referendarius, ab Urbano VIII. Viennam Legatus in via obiit. Ipſius moralia opera 2. volum. *in fol.* continentur, quorum ultimam Lugdunenſis editio an. 1684. ceteris antecellit.

Bonal, (*Raymundus*) Sacerdos, Doctor Theologus, eſt Auctor operis inſcripti: *Curſus Theologiæ Moralis*, in duobus vol. *in* 12. octies aut decies editi, quod ad D. Montchal ſcripſit, qui ab ann. 1628. ad ann. 1651. Toloſanum Archiepiſcopatum obtinuit.

S. Bonaventura, cujus patrium nomen fuit *Joannes Fidanze*, Balneoregii in Etruria natus, Magiſtrum habuit Alexandrum Halenſem; Fratrumque Minorum ordinem ingreſſus, Theologiæ Doctoris Lauream obtinuit, Pariſiis, quam ibidem profeſſus eſt. Ann. 1256. ætatis vero 34. octavus Generalis Ordinis ſui Præpoſitus denuntiatus eſt, quem Gregorius X. Cardinalem Albanenſemque Epiſcopum ann. 1272. creavit. In ſecundo Lugdunenſi Concilio 14. Julii ann. 1274. obiit, Doctoris Seraphici titulum poſt mortem, Sanctorumque numero ann. 1482. adſcribi meritus, Ipſius opera 5. volum. *in fol.* continentur.

Bonifacius, (*Hyacinthus*) Forcalqueri in Provincia natus, Provinciæque Parlamenti Cauſidicus, 50. ætatis an. 1669. obiit. Quinque tomos *in fol.* nobis dereliquit hic Auctor, quibus notatu digna continentur hujuſce Parlamenti, aliarumque Curiarum, Arreſta, quæ de rebus Eccleſiaſticis, Civilibus & Capitalibus lata fuere cum annotationibus ad marginem appoſitis, ſummariiſque cujuslibet capitis. Duo prima volumina Acquiſextiis ann. 1669. & Pariſiis anno 1670. triaque alia ann. 1689. edita promulgavit. Iterum typis mandata eſt ea Collectio omnium accuratiſſima volumina *in folio* Lugduni anno 1705.

Bordenave, (*Joannes de*) Laſcuræ in Benearno Canonicus & Officialis, poſtea Eccleſiaſtis & Officialis Condomenſis, eſt Auctor operis inſcripti: *Status Curiarum Eccleſiaſticarum*, ſeu, *de Auctoritate & Juriſdictione magnorum Vicariorum & Officialium*, &c. Pariſiis *in* 4. an. 1625. & alterius pariter operis, cui titulus eſt: *Status Eccleſiarum Cathedralium & Collegialium*, Pariſiis quoque *in fol.* an. 1643. impreſſi.

Boſſuetus, (*Jacobus Benignus*) Inclytus hic & doctus Auctor Divione 27. Septemb. an. 1625. e ſtirpe in Metenſi Parlamentu Togæ honoribus conſpicua oriundus, humanioribus Litteris Divione apud Patres Jeſuitas operam dedit, & poſtea Philoſophiæ ac Theologiæ Pariſiis, ubi Baccalaureatu obtento, Navarræ domus ſocius factus, ejuſdem Superior evaſit. Doctoris Theologi inſigne 16. Maii 1651. accepit. Statim Archidiaconus, tum Eccleſiæ Metenſis Decanus fuit. 13. Sept. an. 1669. Condomi Epiſcopus deſignatus 21. Decemb. ann. 1670. inauguratus eſt. Cum a Ludov. XIV. Delphinum Principem filium edocendi munus ei fuiſſet demandatum, Epiſcopatum ſuum Regis nominationi permittere opportunum exiſtimans, 2. Maii ann. 1681. Meldenſis Epiſcopus a Rege deſignatus eſt, qui ipſum a ſecretioribus ſuis Conſiliis an. 1697. primumque Delphinæ Principis eleemoſynarium eſſe voluit; qua mortua pro Burgundiæ Duciſſa eodem munere functus eſt ad diem obitus 12. Apr. ann. 1704. Eo præcipue niſus eſt Præſul hic clariſſimus, ut Calviniſtas ad Catholicam fidem magno revocaret operum numero, e quibus primum Metis ann. 1655. in Catechiſmum Miniſtri Pauli Ferri editum eſt. Ea vero, quæ toto vitæ decurſu conſcripſit Opera, idcirco prætermimus, quod & numerus & exacta eorum Analyſis in 18. Tomo Bibliothecæ Eccleſiaſticorum Auctorum D. Dupin pag. 158. juxta editionem Amſtelodami an. 1711. *in* 4. factam reperiatur: at pro certo id licet affirmare, præcipuum ſibi honorem Boſſuetum ſibi conciliaſſe ex eo opere, cui titulus; *Expoſitio Doctrinæ Catholicæ de Controverſiis*. Quod univerſo omnium plauſu exceptum an. 1671. in lucem protulit; unde brevi tempore e Gallico ſermone ad Italicum, Germanicum, Belgicum, Anglicum, Hibernam, & Latinum idioma tranſlatum eſt, & ab Innoc. XI. approbatum per Breve 4. Jan. ann. 1679. datum una cum debitis Auctori ſuo elogiis.

Bouchel, (*Laurentius*) Pariſiis 36. annos Cauſidici munere functus eſt. Crepeniaci in Valeſiæ natus, ſenex an. 1630. obiit. Summam Beneficialem duobus volum. *in fol.* an. 1628. confectam dereliquit, quam auctam Bibliothecæ Canonicæ nomine Blondeau, Pariſiis edidit etiam 2. vol. *in fol.* an. 1689. Aliud jam opus tribus vol. *in fol.* Bouchel emiſerat inſcriptum; *Bibliotheca Juris Gallici*, & aliud pariter *in fol.* Pariſiis an. 1609. & 1621. cui titulus: *Decreta Eccleſiæ Gallicanæ*.

Bouvot, (*Job*) Cabillone ad Ararim an. 1558. natus Calviniſta, Avarici Cujacium audivit, Patronuſque in Divionenſi Senatu extitit, cujus Arreſtor. amplam compoſuit collectionem. Conſuetudinem quoque Burgundiæ Commentariis illuſtravit, & ann. 1636. ætatis vero 78. mortuus eſt. Minus commode audit hic Auctor parum diligens in adſcribendis diebus Arreſtorum, quæ refert.

Brevia Alex. VIII. ad Epiſcopum Pamiæ data 26. Feb. an. 1699. & Clem. IX. an. 1667.

Breviar. Pariſienſe an. 1680.

Briaert, (*Joannes*) in Hannonia natus, Doctor Theologus, & Lovanienſis Univerſitatis Pro-Cancellarius, exeunte XV. ſæculo & ineunte XVI. florebat. 20. Jan. an. 1520. obiit. Sexennio poſt typis mandata ſunt ejus Opera, inter quæ reperiuntur quæſtiones quodlibeticæ *de Cauſſa indulgentiarum*, & Tractatus *de Contractu ſortis, ſeu de Loteria*.

Brillon, (*Petrus Jacobus*) Pariſinus pro generali ſuperioris Concilii Procuratore, vices gerens, poſtea Patroni conditionem, qua etiamnum fungitur, amplexus eſt. Is incudi reddidit Dictionarium Arreſtorum, a D. de la Ville Pariſienſi Cauſidico ann. 1602. compoſitum, quod decem millia eaque amplius Arreſtorum, ſeu Deciſionum complectebatur, quibus 20000. alia addidit D. Brillon: hoc opus tribus volum. *in fol.* Pariſiis an. 1711. fuit impreſſum.

Brodeau, (*Julianus*) Pariſienſis Cauſidicus ex antiqua ſtirpe a Philippo Auguſto ann. 1191. nobilitatis jure donata ortus; annotationes in collectionem Arreſtor. a Loveto factam, atque Commentarium in Pariſienſem Conſuetudinem nobis dereliquit. Mortuus eſt circiter ann. 1650.

Bugnon, (*Philibertus*) Patria Matiſconenſis Regius Cauſidicus, in tributaria Lugduni Agrique Lugdunenſi Curia opus pervulgavit inſcriptum *Syntagma juris*, & aliud *de Legibus abrogatis in Curiis Gallicis*, Lugduni ann. 1563. Aureliæ an. 1572. & Bruxellis ann. 1666. & 1677. *in* 4. impreſſa: verum poſtremæ huic editioni multa de uſu inferioris Germaniæ, Hiſpaniæ, & Italiæ addidit Libertus Chriſtinæus. Edictum quoque Molinenſe interpretatus eſt; aliaque confecit opera hic Auctor, qui an. etiam 1584. vivebat.

Bullarium (*Magnum*) Quatuor prima volumina *in fol.* 1546. Bullas, ſeu Pontificum conſtitutiones complectuntur. Quinenm vero 675. Primi quatuor Tomi Romæ in tribus volum. *in fol.* jam an. 1638. fuerant editi, quibus ann. 1672. duobus volum. *in fol.* addit ſunt quintus & ſextus Tomi Magnus in præſenti opere Bullarum laudatur numerus.

Borchardus, Baſſæa, non Heſſia, inquit Moreti, oriundus; in Monaſterio Lobenſi in Hannonia Benedictinorum familiæ nomen dedit, indeſinenter Abbas fuit & S. Jacobi Leodicenſis, Præceptor Imperatoris Conradi, inquit Salicus, & Epiſcopus Wormatienſis an. 1012. qui 20. Auguſti ann. 1025. obiit. Canonum Collectionem in 20. libros diviſam, quæ Decretum Burchardi nuncupatur, is compoſuit *in fol.* an. 1548. & 1560. Coloniæ impreſſam, Pariſiis vero *in* 8. an. 1550.

Butrio, (*Antonius*) Petri de Ancharano tempore æqualis. Celeberrimus fuit Bononiæ Juriſperitus, ubi 7. Oct. 1417. juxta Moreri alioſque permultos e vivis migravit. Commentarium in Decretales & in ſextum Venetiis ann. 1575. & iterum cum aliis ſuis operibus ibid. an. 1578. 8. Tomis *in* 4. vol. pervulgavit.

Bzovius, (*Abraham Bzovski*) Natione Polonus duos nondum annos natus utroque orbus parente remanſit. In urbe Proſovvita ab Avo paterno educatus eſt a ſtirpe Szczepanovvski oriundo, cui natalis ſua debebat S. Stanislaus Epiſcopus Cracovienſis. Quindecim annos natus Bzovius ſtudiorum cauſſa Seuminum, tum Cracoviam

miſſus

miſſus ! ibi Dominicanorum Ordinem in Conventu Trinitatis amplexus eſt. In Italiam migrans, Philoſophiam Mediolani. Theologiam Bononiæ publice docuit. Hinc Romam petens a ſummo Pontifice in Vaticano hoſpitium obtinuit, eique Bibliothecam ſuam Virginio Urſini dux de Brancaccio delegavit. Tandem in Minervæ conventum in eadem urbe ſe recepit, ibique ann. 1637. ſenex obiit. Jam Varſoviæ S. Hyacinthi recens in ſanctorum numerum adſcripti templum extruxerat, Ordiniſque ſui conventum ſub titulo ejuſdem Sancti fundavit. Annales Baronii ann. 1198. in quem deſinit hic Cardinalis, 12. volum. proſecutus eſt, quorum novem arte typographica pervulgata ſunt, primum Coloniæ an. 1616. ubi quoque ſeptem inſequentia pariter fuere impreſſa; octavum ann. 1641. nonum vero Romæ ann. 1672. quo continentur geſta Pontificatus S. Pii V. Alia multa hic Auctor emiſit opera.

C

CAbaſillas. (*Nicolaus*) ann. 1350. Nilo avunculo ſuo in Theſſalonicenſi Archiepiſcopatu ſucceſſor palam ſe D. Thomæ Latiniſque omnibus adverſarium profeſſus eſt. Liturgiæ expoſitionem conſcripſit, in qua de ſacrificio, ipſius partibus ac Cæremoniis diſputat. Hoc opus in additamentis Bibliothecæ Patrum an. 1624. editæ reperitur. Scripſit quoque de Baptiſmo, ſacro Chriſmate, & Uſura. Epiſcopi illius Græci Opera Venetiis primum an. 1545. edita ſunt.

Cabaſſutius, (*Joannes*) Aquiſextienſis 16. annos natus in Congregationem Oratorii Domini Jeſu admiſſus, Avenione jus Canonicum profeſſus eſt, Eminentiſſimique Cardinalis Grimaldi, a quo Romam ductus eſt, conſcientiæ moderator. Eximium is in vulgus emiſit opus inſcriptum: *Theoria & praxis Juris Canonici*, in quo de jure agit ad forum tam ſacramentale, quam contentioſum, tum Eccleſiaſticum, tum ſæculare. 1. Lugduni an. 1675. *in* 4. iterum an. 1685. 1696. & 1698. tandemque Rothomagi an. 1703. editum, quæ poſtrema editio ceteris mendoſior eſt: editiones vero an. 1696. & 1698. aliis & copia & ſtilo præſtant. Aliud quoque opus compoſuit, cui titulus: *Notitia Eccleſiaſtica hiſtoriarum, Conciliorum & Canonum &c.* Ann. 1685. *in folio* Lugduni impreſſum. Aquiſextiis 25. Septembris ann. 1685. octogenarius obiit.

Cabrera, (*Petrus de*) Patria Cordubenſis, Profeſſione Religioſus S. Hieron. XVII. ſæculo florebat. Tertiam partem ſummæ D. Thomæ Commentario 2. vol. Cordubæ an. 1602. impreſſo illuſtravit.

Cajetanus, (*Thomas de Vio*) Cajetæ in Neapolitano Regno an. 1469. natus Dominicanus ætatis ſuæ 22. Doctoris Laurea inſignitus præſentibus Ferrariæ Duce Picoque Mirandulano, qui cum ipſo concertavit, Lutetiæ Pariſiorum, Romæque Philoſophiam ac Theologiam publice docuit, ann. 1508. Ordinis ſui Præpoſitus Gener. fuit, ann. 1512. V. Lateranenſi Conc. Gener. interfuit; Cajetanum Epiſcopatum, tum Parmenſem Archiepiſcopatum obtinuit, tandemque purpura ſacra a Leone X. an. 1517. donatus, Romæ 10. Aug. ann. 1534. obiit. Scripſit in D. Thomam, ſummam Caſuum conſcientiæ, aliaque confecit opera.

Calderinus, (*Joannes*) Ortu Bononienſis, inclyti *Joannis Andreæ*, cujus Novellæ alteri filiæ nupſerat, filius adoptivus ad an. 1360. vitam produxit. Ann. 1340. in decretales ſcripſerat celeberrimus hic Juriſconſultus, cujus Venetiis *in fol.* an. 1570. editus eſt Tractatus *de Hæreticis*.

Cambolas, (*Joannes de*) in Toloſano Parlam. primæ Inquiſitionum Curiæ ann. 1630. Conſiliarius, & poſtea ejuſdem Parlamenti Præſes, Arreſtographorum noſtrorum facile princeps opus compoſuit in hoc Dictionario laudatum ſub titulo: *Deciſiones notabiles de variis quæſtionibus Juris, quæ multis Toloſani Parlamenti Arreſtis fuere dijudicatæ*, & Toloſæ *in fol.* ann. 1659. impreſſum. Illæ deciſiones diſtribuuntur in ſex libros, quibus finitis Tractatum de ſecundis Nuptiis, & alterum de prædiorum immunitate in Occitania ſubdidit.

Camerarius, (*Philippus Cammermeiſter*) Juriſconſultus & Norimbergæ Conſiliarius, Romæ Inquiſitorum fidei Carceribus incluſus eſt, e quibus exorantibus Imperatore & Duce Bavariæ exivit, & circiter an. 1621. obiit. Librum compoſuit *de Operibus ſubceſſivis*, & alia quædam opera. Multi ſunt alii Auctores hujus cognominis, ſcilicet Alphonſus, Bartholomæus, Joachimus, & alter Joachimus prioris filius, quorum auctoritas in hoc Dictionario non laudatur.

Camuſat, (*Nicolaus*) Hic Auctor Ludov. XI. cujus Regnum ad an. 1461. incœpit, quique an. 1483. e vita migravit, coætaneus, librum edidit inſcriptum: *Miſcellanea hiſtorica*; alter etiam extitit Camuſat, nomine Nicolaus, Trecis Canonicus, qui compoſuit: *Promptuarium Sacrarum Antiquitatum Tricaſſinæ Diœceſis*: quod una cum *Miſcellaneorum* volumi typis mandari curavit ann. 1610. Octogenarius Trecis 20. Jan. an. 1655. obiit, atque in ſacra S. Froberti æde Parochiali ſepultus eſt, in qua magnificum conſpicitur Epitaphium, quod in ſuo Itinerario Litterario refert doctiſſimus Benedictinus.

Cange, (*Carolus du Freſne dominus de*) 18. Dec. an. 1610. Ambiani natus eſt e Ludovico du Freſne, Domino de Fredeval, Præfecto Regio de Bauqueſne. Adrianus unus e quatuor ſuis fratribus fuit Cauſidicus in Pariſienſi Senatu, diariumque Palatii incœpit, Conſuetudinemque Ambianenſem commentatus eſt. Carolus, de quo nunc loquimur, confecto apud Jeſuitas Ambiani humaniorum Litterarum Curriculo, Aureliam Juriſprudentiæ ſtudendi cauſſa venit, atque 11. Aug. 1631. inter Cauſidicos Pariſienſis Senat. admiſſus eſt. Aliquanto poſt Ambianum reverſus quaſi univerſo rei Litterariæ ſtudio ſe totum involvit; tum 19. Julii an. 1638. nupſit Catharinæ du Bos filiæ Philippi du Bos in Ambiani juriſdictione Gallici Quæſtoris. Statim emiſit *Hiſtoriam Imperii Conſtantinopolitani ſub Gallicis Imperatoribus* in Regia an. 1658. & iterum an. 1666. typis editam; poſtea *Hiſtoriam Capitis S. Joannis Baptiſtæ*, quod Ambiani. Verum ac Germanum eſſe oſtendit, & quæ contra dici poſſunt, refellit. An. 1668. Pariſiis domicilium ſtabilivit, ubi *S. Ludovici Hiſtoriam* a D. de Joinvilla compoſitam promulgavit, uti an. 1678. Gloſſarium de mediocri & infima Latinitate, 3. volum. *in fol.* tum aliud Gloſſarium de mediocri & infimo Atticiſimo Lugduni, 2. volum. *in fol.* impreſſum aliaque permulta erudita Opera. 23. Octobris ann. 1688. ſtranguria mortuus eſt.

Canones Apoſtolici. Nihil ſunt aliud quam collectio Regularum Eccleſiaſticarum, quæ S. Clementi Papæ ſcribuntur, verum a quibuſdam Orientis Epiſcopis confectas eſſe iſtas regulas veriſimile eſt circa medium ſæculi III. uti eas in uſu fuiſſe in Græcis Eccleſiis, atque obſervari ſolitas, tamquam ab Apoſtolica traditione, partim etiam a privatis Conciliis ante Conc. Nicæn. habitis manantes, exiſtimant multi Critici pereruditi. Canonum eorum incertus eſt numerus: Latini namque 50. duntaxat admittunt, quibus 35. addunt Græci, qui nedum Occidentis Eccleſiæ diſciplinæ ſint conformes, ut potius etiam ab ejus fide abhorrent, unde vulgo ab Hæreticis & Schiſmaticis fuiſſe adjuncti exiſtimantur. Quod attinet ad eorum Canonum auctoritatem, Gelaſius Papa in Conc. Romæ an. 494. habito, Apoſtolicorum Canonum Librum inter Apocryphos annumerat; a quibus 50. primos excipit Leo IX. affirmatque Antonius Auguſtinus quinquaginta primos authoritate Eccleſiæ fuiſſe approbatos. Cæterum nemini dubium eſt, quin plerique ante Conc. Nicænum fuerint conditi, quamvis incertus ſit Auctor eorum, pariterque non conſtet an ſtatim 50. numero an. 85. fuerint numero. Id ſaltem liquido conſtat, eos Canones ordinatim non fuiſſe collectos, quippe qui ſint a ſe invicem diviſi; licet ad unam eandemque rem pertineant, ut acute obſervavit D. Dupin.

Canones Pœnitentiales. Primi illi Canones an. 305. a Petro Alexandrino Epiſcopo, aliique ſeveriores ab Hiſpanis Epiſcopis in Conc. Eliberitano circa idem tempus coactis, fuere conditi. Canones illi numero 47. antiquæ Eccleſiarum diſciplinæ ſunt conformes, de quibus potiſſimum loquitur D. Bonavent. his verbis: *Canones inſtruunt in generali, quomodo eſt pœnitentia imponenda, ſed deſcenſum ad ſingularia Presbyteris diſcretis relinquunt, qui conſiderant circumſtantias perſonarum, attendentes ad Canones, ſicut ad regulas directivas*. Ceterum iſti Canones, ut ii qui dicuntur Apoſtolici, ad finem decreti Gratiani reperiuntur.

Cantipratenſis (*Thomas*.) Hic Auctor in Pago Bruxellis finitimo juxta le Mire an. 1186. natus, fuit ſtatim Canonicus Regularis S. Auguſt. in Abbatia Cantipratenſi prope Cameracum, diſcipulus Alberti Magni cum D. Thoma; poſtea Dominicanorum Ordini nomen dedit;

Theo-

Theologiam Lovanii publice docuit, & an. 1265. juxta Tirinum obiit. Quorumdam Sanctorum hiſtorias, aliaque conſcripſit Opera.

Canus, (*Melchior*) in Toletana Diœceſi natus Franciſci de Victoria fuit auditor, cui factus Dominicanus Salmanticæ Theologiæ Profeſſor ſucceſſit ann. 1540. in Provincia Caſtellana Ordinis ſui Præpoſitus extitit, poſt Canariarum inſularum ann. 1552. Epiſcopus. Sub Paulo III. Trid. Conc. interfuit, ac Toleti an. 1560. aut quadriennio poſt juxta Tirinum, mortuus eſt.

Capiſucchi, (*Raymundus*) Filius Pauli Marchionis de Puycatin, annos 14. natus Dominicanorum Religionem amplexus, Romæ Philoſophiam ac Theologiam publice docuit. Hunc Congregationis Indicis Secretarium deſignavit Innoc. X, poſtea ad Congregationem Epiſcoporum admiſſus ann. 1654. ſacri fuit Magiſter Palatii. Tandem calendis Septemb. ann. 1681. in Cardinalium Collegium ab Innoc. XI, adſcriptus eſt. Librum confecit inſcriptum: *Controverſiæ Theologicæ Morales &c. ad mentem D. Thomæ reſolutæ, &c.*

Capitularia Imperatorum Caroli Magni & Ludovici Pii Abbatis Angeſiſi ſtudio collectæ, uti Capitularia Regum Lotharii, Caroli, & Ludov. filiorum Ludov. Pii in tres Libros a Benedicto Moguntinæ Eccleſiæ Diacono diſtributa; quæ omnia leges permultas ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentes & conſentientibus Epiſcopis latas continent. Ultima eorum collectio, quæ a Baluzio an. 1677. facta eſt, duobus volum. *in fol.* ceteris omnibus præſtat. Capitolaria iſta a multis Conciliis approbata & confirmata fuere, uti probat Antonius Auguſtinus, dum Canonum Collectores recenſet.

Capitolaria Theodulphi, quem Carolus Magnus Abbatem Floriaci, & poſtea Aureliæ Epiſcopum circiter anno 793. deſignavit, ann. 797. confecta 46. articulis continentur. Fertur hunc Præſulem ann. 821. vel 822. non vero ann. 835. uti poſt Sigisbertum ſcribit Baronius, e vita migraſſe; cujus quidem rei hæc eſt ratio, quod Jonas, qui proxime ipſum excepit, Aurelianenſis fuit Epiſcopus ann. 824. cum ipſam ad Eug. Papam legavit Ludovicus Pius.

Capreolus, (*Joannes*) XV. Sæculo in pago prope Toloſam natus, ex Ordine S. Dominici Theologiam publice docuit, ab ann. 1415. floruit ad an. 1431. quo Concilio Baſileenſi adfuit. Scripſit in Magiſtrum Sententiarum uno Commentario Venetiis anno 1484. edito.

Cardinalis. *Vide* Zabarella.

Caſeneuve, (*N. de*) Toloſæ 31. Oct. ann. 1591. natus, dum aliquandiu Theologiæ opera, tanto poſtea progreſſu ad Juriſprudentiam incubuit, ut honorificam iſtam, *Legum fodina*, meruerit appellationem. Idioma norat Græcum, Italum, Germanicum, Hiſpanicum, & antiquum Provinciale. Toloſæ de Præbenda S. Stephani proviſus, carus fuit Illuſtriſs. de Monthal & de Marca quorum alter alterum in ejuſdem urbis Archiepiſcopatu ſecutus eſt. Obiit 31. Octob. an. 1652. Præcipui quos in lucem emiſit Tractatus, ſunt; 1. *De Inſtitutione Nobilium*. 2. *Parvulus Jeſus*. 3. *Vita S. Edmundi Angliæ Regis*. 4. *Origo Ludorum floralium*. 5. *Gallicæ Origines*. 6. *De Judiciariis Galliæ Curiis*. 7. *Hiſtoria Comitum Toloſæ*. 8. *De Inſignibus Gentilitiis*. 9. *De Idiomate Provinciali*. 10. *De Amicis Regum Galliæ*. 11. *Satyra de Calamitatibus ſuæ ætatis*. 12. *De prædiorum immunitate in Occitania*. 13. *Ejuſdem Provinciæ hiſtoria*, *quam inſcripſit*, Catalania Gallica. 14. *Caritis*, 15. *Alia tandem opera, quorum nonnulla typis nondum fuere mandata*.

Caſſanis. *Vide* Zenzelinus.

Caſſe, (*Franciſcus de*) in Diœceſi Lectorenſi natus, fuit Doctor Theologus, Carcaſi magnus Vicarius & Officialis; tum Canonicus, Archidiaconus & Officialis Condomenſis. Duos conſcripſit libros an. 1695. & 1697. alterum, *de Juriſdictione Eccleſiaſtica Contentioſa*: alterum *de Juriſdictione Voluntaria*. Qui ambo Agini in Aquitania uno volum. *in* 8. fuere impreſſi: idem opus denuo Toloſæ an. 1706. *in* 4. prodiit in lucem.

Caſſodorus, vel Caſſadorus, (*Guillelmus*) inclytus XV. Sæculi Juriſperitus, utriuſque ſignaturæ fuit Referendarius, Auditor Rotæ, tum Algaræ in Sardinia Epiſcopus, quem Navarra *Rerum Romanarum peritiſſimum* nominat. Præclaras iſte de Jure deciſiones conſcripſit inſcriptas: *Deciſiones aureæ, quotidianas materias, maxime Beneficiales, & praxim ac ſtilum Romanæ Curiæ concernentes*. Hoc opus Pariſiis *in* 8. an. 1545. in lucem prodiit. Luce etiam fruebatur hic Auctor. an. 1523. quo nimirum excerptiones ſuas de Deciſionibus Rotæ, quæ ad ann. 1513. incipiunt, perfecit. Alium adhuc emiſit Tractatum ſub hoc titulo: *Deciſiones & intelligentiæ ad regulas Cancellariæ*. Venetiis an. 1513.

Caſtrenſis, (*Alphonſus a Caſtro*) In Hiſpania Camoræ natus hic Auctor, fuit Franciſcanus, a Philippo II. quem in Angliam proficiſcentem ſecutus eſt, Compoſtellæ Archiepiſcopus nominatus ante receptas Bullas ann. 1558. ætatis autem 63. Bruxellis morte præventus eſt an. 1534. Tractat. de hæreſibus, juxta Alphabeticam Litterarum ſeriem ordinatum, compoſuit. Hoc ejus Opus præcipuum Antuerpiæ an. 1556. editum eſt.

Caſtrenſis, (*Paulus a Chriſto*) Inclytus Juriſconſultus Joanni Imolæ, de quo poſtea fiet mentio, coævus per quadraginta annos, Patavii, Florentiæ, Bononiæ, & Ferrariæ Juriſprudentiam docuit, & ano. 1437. mortuus eſt, a Decio *Doctor veritatis* appellatus, & a Cujacio omnibus antiquis Juriſperitis antepoſitus. Scripſit Conſilia de Jure & in Digeſtum & Codicem.

Catechiſmus Conc. Trid. ad Parochos, a S. Pio V. uti optarant Patres ejuſdem Concilii, fuit promulgatus. Fertur hunc a Franciſco Forieri Luſitano Dominicano fuiſſe conſcriptum juſſu S. Caroli Borromæi: Aſſerunt vero alii Leonardum Marinum, etiam Dominicanum, Ægidium Fuſcararium Epiſcopum Mutinenſem una cum Forieri fuiſſe Auctores ejuſdem libri, quem in Linguam Latinam verterunt Paulus Manutius, Julius Poggianus, & Cornelius Amalthæus.

Catelan. In Toloſano Catlam. ab an. 1644. ad an. 1700. Conſiliarius clericus duobus vol. *in* 4. multa collegit Arreſta, quæ initio hujuſce Sæculi fuere promulgata. Primus Tomus tres complectitur libros, quorum primus agit de rebus Eccleſiaſticis: alter de ſucceſſionibus Teſtamentariis, iiſque, quæ *ab inteſtato* dicuntur, de Legatis & Subſtitutionibus; tertius denique de juribus Dominorum.

Secundus Tomus in ſex libros diſtribuitur, quorum primus agit de Matrimonio ac Dotibus: alter de Contractibus: tertius de Decretis: quartus de Præſcriptionibus: quintus de Tutelis: & ſextus de Actionibus judiciariis. Hujuſce Magiſtratus Pater fuit ejuſdem Decanus Parlam. in quo etiam fratrem habuit Præſidem in prima Inquiſitionum Curia duoſque nepotes, quorum unus erat Conſiliarius in ſecunda, & alter in tertia. Ipſius Collectio Arreſtor. quæque de ſuo addidit, inferioris ſunt meriti collectioni, quam fecit Expilly, cui ſæpiſſime abſque cauſſa ſuccenſet, & contradicit.

Catherinus (*Ambroſius.*) Hic Auctor Senis an. 1483. natus, ann. 1515. Dominicanorum inſtitutum amplexus eſt, abdicatoque proprio *Politi Lancelotti* nomine, ſub quo Juriſprudentiam in multis Italiæ Univerſitatibus docuerat, Ambroſii Catharini nomen ſuſcepit. Ad Theologiam toto incubuit animo, atque an. 1545. Trid. adfuit Concilio, cujus tertia incipiente Seſſione an. 1545 ſacram habuit Concionem; fuit Epiſcopus Minoritanus, tum Archiepiſcopus Compſanus in Regno Neapolitano in ulteriori Principatu an. 1551. & paulo poſt repentina morte periit. Hic Auctor in Lutherum Tractatum emiſit, Florentiæ *in* 4. an. 1521. impreſſum. Alterum quoque Librum compoſuit *de prædeſtinatione & reprobatione*, Lugduni anno 1542. editum, aliaque multa Opera non ſine cautione legenda, quippe quæ propoſitiones audacter prolatas contineant.

Cedrenus, (*Georgius*) Monachus Græcus, Annales ſcripſit ab Orbe condito, uſque ad Iſacium primum nomine e Comnenorum familia, qui an. 1057. Conſtantinopolitanum obtinuit Imperium. Chronicum illud Baſileæ primum an. 1566. tum Pariſiis an. 1647. una cum Latina Verſione Notiſque Xilandri typis editum fuit.

Cenſuræ ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis latæ an. 1638. 1641. 1644. 1665. & 1666.

Cenſura Lovanienſis ſeptemdecim propoſitionum de Æquivoca Locutione an. 1653.

Cenſura Duacenſis & Lovanienſis an. 1657.

Cenſuræ 127. propoſition. Moralium latæ in Comitiis Generalib. Cleri Gallicani an. 1700.

S. Cæſarius Cabillone ad Ararim an. 469. natus ſecundum nonnullos Auctores, Monaſticam vitam amplexus eſt in Lirinenſi Monaſterio Ordinis S. Benedicti, quod idem S. an. 10. conſtituit. Ipſum ad confirmandam valetudinem S. Porcarius miſit Arelatem, ubi Epiſcopus Eonus ipſum ſacerdotio inauguravit, quique poſtea, hoc eſt an. 499. eum Monaſterii in ejuſdem urbis ſuburbio poſiti Abbatem con-

Digitized by Google

conſtituit, Epiſcopus Arelatenſis an. 502. factus an. 506. Agathenſi Synodo, an. 527. Carpetoractenſi, an. 529. Vaſionenſi, eodemque anno ſecundæ Aurelianenſi præfuit, an. 542. aut 544. ætatis vero 73. atque circiter mortuus exiſtimatur. 50. ferme Homilias multoſque alios Tractatus conſcripſit.

Chapeavilla, (*Joannes*) Theologiæ Licentiatus, Pœnitentiarius & Proto-Vicarius Leodicenſis, Tractatum emiſit *de Caſibus reſervatis*, ad cujus calcem alium appoſuit, *de Examine Confeſſariorum*, cujus prima editio Leodicii an. 1614. facta eſt.

S. Carolus Borromæus, 2. Octob. an. 1538. in Caſtello Oronenſi ad Lacum Majorem in Mediolanenſi agro natus, fuit Pii IV. nepos a parte Margaritæ Mediceæ matris ſuæ, 12. annos natus, Abbatiam S. Gratiniani obtinuit, Juri ſub Alciato Papiæ operam dedit, ubi 22. ætatis ſuæ anno Doctoris Laurea inſignitus eſt. Ipſius Avunculus factus Papa, ipſum indeſinenter creavit Protonotarium, Cardinalem, Mediolani Archiepiſcopum, Romæ Propœnitentiarium, S. Mariæ Majoris Archipresbyterum, & Bononiæ, Æmiliæ, Picenique Legatum. ann. 1565. quo obiit Pius IV. Mediolanum redux omnia ſua beneficia abdicavit multa Conc. Provinc. Synodoſque habuit, atque obiit 3. Nov. 1584. quem Paullus V. 1. Nov. ann. 1610. ſanctorum numero adſcripſit.

Charondas le Caron, (*Ludovicus*) Pariſinus in Senatu Pariſienſi XVI. ſæculo inclytus Cauſidicus, ineunte XVII. ſæculo luce etiam fruebatur, quandoquidem, cum Bellovacorum Claromontium ſe recepiſſet, Commentaria in Conſuetudinem Pariſienſem ad D. Jacobum de la Gueſſe Parlamenti Procuratorem 7. Aug. an. 1602. conſcripſit. Extat etiam ejuſdem Auctoris Opus aliud inſcriptum, *Reſponſiones*, ſeu *Deciſiones Juris Gallici*, in duodecim libros diviſum, quibus decimum tertium addidit in altera ſua editione an. 1605. quam D. Nicolao Brulard de Sillery Galliæ Regalium Sigillorum Cuſtodi ſum 69. annos natus dedicavit.

Charta Normana Ludov. X. an. 1313. ſeu 1314.

Chaſſaneus, (*Bartholomæus de Chaſſaneux*) in Auguſtodunenſi Balliviatu Burgundiæ natus, inclyti Jaſonis in Italia fuit Auditor, Auguſtoduni cauſſas egit, ibique Regii Cauſidici munus ad an. 1522. obtinuit. A Franciſco I. in Pariſienſi Senatu Conſiliarii munere, tum Proto Præſidis in Parlam. Provinciæ inſignitus, ubi ann. 1542. e vivis migravit. Conſuetudinem Burgundiæ Commentariis illuſtravit, alioſque præclaros compoſuit Tractatus, qualis eſt *Catalogus gloriæ mundi*, in 2. partes diviſus, ac Genevæ an. 1649. impreſſus. Opera ejus Juriſconſultorum, atque Auctorum ſeu profanorum ſeu Eccleſiaſticorum auctoritatibus innumeris ſunt referta; verum Commentaria ſua in Burgundiæ Conſuetudinem nec ordinate, uti par erat, diſpoſuit, nec ipſas quæſtiones penitus introſpexit.

Chenu, (*Joannes*) Juriſperitus Avarici natus, in Pariſienſi Senatu Cauſidicus, conſcripſit 1. Collectionem univerſam Edictorum, Arreſtorum, ac Statutorum notabilium inter Eccleſiaſticos Regioſque Judices Pariſiis 1. an. 1603. & iterum an. 1636. duobus volum. *in fol.* editam ſtudio Joannis Filleau in eodem Senatu Advocati, qui eam ab an. 1619. in quem deſiit, ad an. 1629. produxit. 2. Quæſtiones ſingulares de jure ſupremarum Curiarum Arreſtis definitæ: 3. Tractatum de publicis Galliæ muneribus: *Praxis Civilis univerſa Canonica &c.* Pariſiis an. 1621. typis impreſſum &c.

Cheſne, (*Andreas du*) in Turonia natus, Geographus & Hiſtoriographus, ſummorum Pontificum, Cardinalium & Angliæ Hiſtorias conſcripſit, ac præcipue ad Genealogias deſcribendas incubuit, atque extrema ætate, id eſt, an. 1633. Hiſtoricorum Galliæ quatuor Tomis promulgavit Hiſtoriam, quam Tomo V. auxit filius ejus Franciſcus Ducheſne, 30. Martii 1640. rure Pariſios rediens caſu obiit.

Chopin, (*Renatus.*) Hic Auctor in pago prope Sagittam apud Andevagos an. 1537. natus, celebris fuit Pariſiis Cauſidicus, qui eruditum nobis dereliquit *de ſacra Politia ſeu Hierarchia Eccleſiaſtica* Tractatum in tres libros diviſum *in fol.* Pariſiis an. 163. Commentar. in Conſuetudinem Pariſienſem: *Monaſticon, ſive de jure Cœnobitarum*, Pariſiis *in fol.* an. 1601. & 1624. aliaque permulta Opera ſex vol. *in fol.* Latine conſcripta ad Henr. III. an. 1581. 30. Jan. an. 1606. inter manus Lithotomi, qui per ſectionem calculum ipſi eximebat, obiit, atque in ſacra D. Benedicti æde ſepultus eſt.

Chromaſius, Aquilei Epiſcop. an. 400. florebat. Hunc *ſanctiſſimum doctiſſimumque Præſulem* vocat S. Hieronym. Ex operibus ejus ſuperſunt Homiliæ in octo Beatitudines, nonnullique Tractatus, quos refert Bibliotheca Patrum.

S. Chryſologus, (*Joannes.*) Florebat hic S. ſub Pontificatu Sixti III. ad Cathedram S. Petri an. 432. evecti, qui ipſum Ravennatem Archiepiſcopum nominavit. 2. Dec. an. 450. non vero 590. obiit, uti ſcripſit Hiſtoricus vitæ illius, qua incipiunt ejus opera.

S. Chryſoſtomus, (*Joannes.*) Natus eſt hic Eccleſiæ Doctor Antiochiæ an. 354. atque ſacerdotio initiatus eſt an. 385. In ſede Conſtantinopolitana ann. 396. Nectario ſucceſſit; multaque perpeſſus 14. Nov. an. 407. cum Arabiſſa Armeniæ Pityum ad Pontem Euxinum tranſportaretur. Prima operum ejus, quæ omnibus nota ſunt, collectio Baſileæ an. 1504. & poſtea Pariſiis, Venetiis, Londini, & alibi typis edita eſt. Extat jam nunc nova editio a RR. PP. Benedictinis e Congregatione ſancti Mauri jamdudum ſuſcepta & perfecta.

Cicero. (*Marcus Tullius Cicero,*) qui jure merito Romanorum, Oratorum Princeps nominatur, nobili familia 106. annis ante Chriſtum natus eſt. Quæſturam, Ædilitatem, tandemque Conſulatum obtinuit, atque 63. ætatis anno obiit. *Effinxerat*, ait Quintilian. (*) *vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis.*

Clarus, (*Julius Clarus*) e Ludovico Claro Alexandriæ in Italia Juriſperito celeberrimo natus, ſingulari virtute miraque eruditione in jure tum Canonico tum Civili, prima in Senatu Mediolanenſi munera obtinuit. Italici ſui conſilii ipſum Conſiliarium admiſit Philipus II. Hiſpaniarum Rex, atque in Hiſpania nova Carthagine 13. Aprilis an. 1575. obiit.

Præcipui, quos conſcripſit Tractat. ſunt I. *Opera Juridica.* 2. *Receptarum Sententiarum opera omnia.* 3. *Volumen in quo omnium Criminum materia ſub acceptis ſententiis copioſiſſime tractatur.* Julii Clari operum multiplex eſt editio, ſed ceteris præſtat Francofurti an. 1636. facta.

Clavaſio, (*Angelus de*) *Vide* Angelus.

Claudius, Juriſconſultus, cognomine *Cantiuncula*, Citerioris Auſtriæ fuit Cancellarius. Eximiis Paraphraſibus explicuit tres libros primos Inſtitutorum; Conſilia conſcripſit & Tractatus; *De ratione ſtudii Legalis: De poteſtate Papæ Imperatoris & Concilii: De Officio Judicis &c.* an. 1530. floruit.

Clemangis, (*Nicolaus de*) a loco cognomine ſic dictus in Diœceſi Cabillonenſi in Campania Doctor Theologus e domo & Societate Navarræa fuit Amanuenſis Antipapæ Benedicti XIII. Petri *de Luna* Hiſpani, quem 10. Dec. an. 1375. Greg. VII. purpura ſacra donaverat, & quem 28. Septemb. 1394. Pſeudopontificem Avenionem delegarant 22. partium ſuarum Cardinales retenta ad mortem, hoc eſt, per 30. annos umbratili illa dignitate. Clemangis quoque fuit Theſaurarius Eccleſiæ Lingonenſis, tum Cantor & Archidiaconus Bajocenſis, tandem Pariſios rediens in Navarræum ſe recepit Gymnaſium, cujus Proviſor mortuus eſt. Non certa conſtat dies ipſius obitus; indubitatum tamen illud eſt, ipſum regnante Carolo VIII. ſcripſiſſe, an. 1425. vita frui, atque an. 1440. jam obiiſſe.

S. Clemens Alexandrinus. (*Titus Flavius Clemens*) ortu Athenienſis, ſecundum nonnullos, aut potius ſecundum alios Alexandrinus in Ægypto, ethnicos habuit parentes. Chriſtianam fidem amplexus, in multorum eruditorum diſciplinam ſe tradidit, quorum ultimus, qui ab ipſo *apis Sicula* nuncupatur, fuit, uti exiſtimant Euſebius, S. Panthenius Alexandriæ Ludimagiſter, cui an. 189. ſucceſſit. Sacerdos factus, diſcipulos habuit Origenem & S. Alexandrum Hieroſolymæ Epiſcopum. Sæviente ſub Imperatore Severo an. 202. perſecutione Alexandria in Capadociam ſeceſſit, paucisque poſt annis obiit. Ex ejus operibus ſupereſt eruditione plenus liber inſcriptus, *Pædagogus*, id eſt, moderator juventutis; in quo oſtendit quæ ſint Chriſtianæ vitæ regulæ & quem in tres libros diſtribuit Hortatio ad Gentiles, & altera contra Ethnicos & ſui temporis Hæreticos, quam in octo libros diviſit, quos *Stromata* vocas, in quibus eximia morum diſciplinæ præcepta tradit, aliiſque agit de rebus, quas inſerit. Cum hic ad Cenſuram non adducantur ejus Opera, quædam ejus omittuntur opiniones, quas Eccleſia non comprobavit.

Primam S. Clementis editionem ann. 1550. Florentiæ Græce emiſit Petrus Victorius: alteram an. 1592. Heidelbergæ

(*) *Quintil. Inſtitut. orat. L. 10. cap. 1.*

bergæ Fredericus Sylburgius, an. 1551. Florentiæ Latina promulgata eſt; tum Græco Latina ann. 1616. Lugduni Batavorum, alias Pariſiis an. 1629. una cum Frontonis annotationibus: ultima denique an. 1715. duobus volum. *in fol.* Oxonii in lucem prodiit ſtudio Joannis Potter ejuſdem urbis Epiſcopi.

Cluniaco, (*Petrus Mauritius de.*) *Petrus Cluniacenſis* dictus *Venerabilis*, nonus Cluniaci Abbas: ſtatim Vezeliaci, tum Domnæ Prior factus eſt. Venerabilis hic Abbas e ſtirpe Comitum de Mont-Boiſſier in Alvernia, e Raingarda matre, quæ octo peperit maſculos, ſeptimus natus, S. Benedicti Monaſticam amplexus diſciplinam electus eſt Abbas & Generalis totius Ordinis; an. 1122. inquit Moreri, ætatis vero ſuæ 28. juxta D. Dupin an. 1123. triginta jam annos natus. Arctiſſima ipſi fuit amicitia cum D. Bernardo Abbate Claravallenſi, quocum tamen controverſiam poſtea contraxit ob electionem Monachi Cluniacenſis in Lingonenſem Epiſcopum, an. 1135. in Hiſpaniam venit, & ann. 1146. Romam, ut dignitatem ſuam abdicaret; Cui rei Lucius II. aſſentiri noluit. Cluniacum rediit, ubi 24. Dec. an. 1157. obiit. Martyrologia Galliæ & Benedictinorum ipſum in ſanctorum numero reponunt.

Ipſius Opera in vulgus emiſit Pater Martinus Marrier cum eruditis D. Duchesne annotationibus. Initium libri obtinet vita Abbatis, quam excipiunt ejus Epiſtolæ in ſex libros diviſæ; Tractatus contra Judæos, & alter in Petrum de Bruis: duo libri de miraculis ſui temporis, Cluniaci ſtatuta: Proſæ, Hymni, Carmina &c.

Codex Theodoſianus, qui ab Imperatore Theodoſio juniore promulgatus eſt, ſexdecim Chriſtianorum Imperatorum, quibus ſuccedebat ab ann. 312. quo ad Chriſti fidem adductus eſt Conſtantinus Magnus, ad an. 438. qui regni ſui fuit 30. Conſtitutiones complectebatur: qua in re factum ſub Diocletiano Imperatore ſecutus eſt ad an. 290. quo tempore duo Conſtitutionum Imperialium compoſita fuere excerpta, quorum alterum Gregorianum, alterum Hermogenianum a Gregorio & Hermogene celeberrimis Juriſperitis & Collectoribus dicta ſunt. Verum cum tres illi Codices ceteraque legum Collectanea eſſent admodum inordinata, inutilia quæque reſcindi juſſit Imperator Juſtinianus, & quæ ſupererant, ad eum, quo nunc eſt, ordinem redigi; quod vocatur *Digeſta* ſeu *Pandectæ*, qui Leges antiquas una cum Juriſconſultorum reſponſis continent. Inſtituta, quæ juris, Romani principia complectuntur: Codex, qui Imperiales Conſtitutiones ab Adriano ad Juſtinianum includit; & *Novellæ* Codicis hujus Supplementum, quo ipſius Juſtiniani Conſtitutiones capiuntur. Ad an. 530. confectum eſt illud ingens Opus ſtudio curiſque Triboniani nec non aliorum, quos in eam elegerat ultimus hic Imperator, Juriſperitorum. Ceterum Codicem Theodoſianum ſimul cum Godifredi notis, quatuor voluminum *in folio* Lugduni an. 1665. typis mandari curavit Antonius Marvilius Valentiæ juris Profeſſor primarius.

Colloquia Eccleſiaſtica facta & promulgata juſſu Diœceſanorum Epiſcoporum in Diœceſibus.

Senonarum ad an. 1658. ad an. 1675.
uno volum. *in* 12.
Rupellæ Colloquia ab Illuſtriſſimo Cataunenſi Epiſcopo admiſſa —— ann. 1677.
Lucionæ 9. vol. ———— ann. 1680.
Lingonarum 3. vol. ———— ann. 1684.
Petrocoræ 5. vol. ———— ann. 1684.
Veſuntionis 4. vol. ———— ann. 1689.
Agathæ 2. vol. ———— ann. 1694.
Condomii 2. vol. ———— ann. 1701.
Andegavi 8. vol. ab ann. 1703.
per annos decem inſequentes.
Pariſionum 5. vol. *in* 12. —— ann. 1714.

Comitia Generalis Cleri Gallicani habita ann. 1579. 1598. 1606. 1615. 1625. 1645. 1646. 1655. & 1700. In Comitiis ann. 1615. declaratum eſt Conc. Trid. admitti; quod tamen poſtea reſciſſum fuit.

Comitolus, (*Paullus*) e Soc. Jeſu Italus, natus Peruſiæ, ubi 18. Febr. an. 1626. ætatis vero 80. obiit pari fuit Eruditione in humanioribus Litteris, Theologia poſitiva, & Morali.

Compoſtellanus, (*Bernardus*) Hic Auctor, Compoſtellæ in Hiſpania Archidiaconus, interpretatus eſt tertiam e quinque Collectionibus Decretalium, quæ illa fuere priores, quam confecit S. Raymundus omnium antiquarum, quæque etiamnum viget.

Concordatum Bononiæ ann. 1516. ſancitum inter Leonem X. & Regem Franciſcum I. miniſterio Cardinalium Anconæ & Santiquatro pro Papa, & Cancellarii Antonii Duprat pro Rege. *Vide* Pragmatica.

Congregatio (*Sacra*) Cardinalium Interpretum Decretor. Conc. Trid. in iis, quæ ad mores Eccleſiaſticamque diſciplinam pertinent, a Pio IV. conſtituta eſt per Bullam, *Alias*, octogeſimam ab hoc Pontifice datam 2. Auguſti an. 1564. & a S. Pio V. an. 1566. confirmata, & a Sixto V. per Bullam, *Immenſa*, ſeptuageſimam quartam datam 11. Maii an. 1588.

Conradus Clingius, Germanus ex Ordine Franciſcanorum, Auctor operis inſcripti, *Catechiſmus Catholicus*, in multos libros diviſi: Omnia ejus opera ad indicem Romanum fuere relata, *donec expurgentur*.

Conradus de Summenhart de Clavv, Doctor Germanus Tubingæ in Ducatu Virtemburgico Theologiam profitebatur. Opus emiſit, cui titulus: *Opus de contractibus pro foro conſcientiæ, atque Theologico per* 100. *qq. digeſtum* in ſeptem Tractatus diviſum, Hagenoæ in Alſatia menſe Septemb. an. 1515. impreſſum.

Conſtitutiones. *Vide* Bullarium.

Conſtitutiones Imperatorum Conſtantini, Theodoſii, Arcadii, Valentiniani, Leonis, & Arthemii.

Conſtitutiones Ordinis S. Benedicti.

Conſtitutiones Apoſtolicæ. Hoc opus, in octo libros diſtributum, S. Clementi Papæ tribuitur; verum eas eſſe Auctoris tertii ſæculi exiſtimatur, cum S. Epiphanius, Euſebius Cæſarienſis, & S. Athanaſius eas in ſcriptis ſuis laudarunt. Haſce Conſtitutiones typis mandari Antuerpiæ an. 1578. *in folio* curavit Franciſcus Turrianus e Societate Jeſu, una cum Canonibus Nicæni Concilii ex Arabico idiomate in Latinam Linguam converſis, Opus imprimis utile ad Jus diſciplinamque priorum temporum.

Conſuetudines {
Pariſiorum.
Normanniæ.
Britanniæ.
Pictonicæ prov.
Borboniæ prov.
Bituricenſis prov.
Nivernenſis prov.
Juliodunenſi prov.
Rhemorum.
Meldarum.
Trecarum.
Bleſarum.
Senonum.
Alverniæ.
Sedani.
Auguſtæ Tricaſtinorum &c.

Obſervandum hic expulſis Anglis e Gallia, a Car. VII. an. 1453. edictum fuiſſe ut omnes cujuslibet regionis Conſuetudines ſcripto traderentur; quod ad effectum perductum eſt, ut communis fert opinio. Attamen Brodeau in ſua ad Conſuetudin. Pariſienſ. Præfationem edicta, exſcribit a Philippo pulchro Pariſiis an. 1302. facta *pro Reformatione Regni*, quorum plura capita tertiæ parti Formularum Parlam. inſeruntur; in quibus hiſce verbis loquitur ille Rex: *Volumus bonas perſonas & ſufficientes per Seneſchalias & Ballivias Regni noſtri evocari, ad ſciendum de Conſuetudinibus antiquis Regni, & quomodo tempore B. Ludovici utebatur eiſdem: volentes, quod, ſi a dicto tempore citra aliquas bonas & approbatas Conſuetudines abolitas, aut aliquas inique introductas invenerint, eas revocabunt, & facient revocari: & ad prædictam ſtatum antiquum redaci, & ad futuram memoriam regiſtrari.* Addit Broudea, Edict. Philippi pulchri in eam rem, uti Edicta Car. VII. Ludov. XI. & Car. VIII. quibus idem ſtatuebatur, regnante dumtaxat Ludov. XII. omnino invaluiſſe. Conſuetudin. Pariſ. ampliſſimis illuſtrarunt Commentar. multi eruditi Juriſper. e quibus recentiores ſunt DD. De Ferriere & Du Pleſſis, qui de multis, quæ naturaliter e textu emergebant, difficultatibus, fuſe egerunt. Bellordeau & Frain Britannicam Conſuetudinem interpretati ſunt; Labbeus & Mauduir Bituricenſem; Rigault Arvernam; Bouvot & Taiſand. Burbundam; Terrianus, Berault, Godefridus, & Banagius Normannam; Papo Borboniam; Du Frene Ambianenſem &c.

Con-

Conti (*Stephanus*) Benedictinus Corbajenſis exeunte XIV. ſæculo vivebat, Regumque Galliæ Hiſtoriam an. 1400. conſcripſit.

Conventus Aquiſgrauenſis Abbatum Franciæ. Aquiſgrani regnante & procurante Ludovico Miti an. 817. habitus eſt Conventus ille celeberrimus.

Conventus Cardinalium aliorumque Legatorum anno 1538. ad reformandos abuſus, qui in Ecclesiam irreplarant.

Coquille, (*Guido*) in Inſula quadam Ligeris, vulgo *Decife*, ſeptem leucis ſupra Nivernum 11. Novemb. an. 1523. natus, Patavii & Aureliæ juri operam dedit: an. 1555. Cauſidici munere functo Pariſiis, fuit in Nivernenſi Provincia fiſci Procurator, ac Niverni octogenarius obiit. Ejus Opera duobus volum. *in fol.* agnnt de Libertatibus Gallicanis, de Nivernenſi tractu ejuſque Conſuetudinibus, ac Pariſiis an. 1665. & Burdigalæ an 1703. typis fuere mandata. Hic fuit Libertatum Gallicarnm acerrimus defenſor.

Corbin, (*Jacobus*) in Parlamento Cauſidicus Conſiliarius & ſupplicum Reginæ Libellorum ſolemnium Magiſter opus confecit inſcriptum: *Leges Galliæ promulgatæ de neceſſitate Controverſiarum Arreſtis Parlamenti Pariſienſis*, Patiſiis an. 1614. emiſſum, Tractatum de juribus Patronatuum honorificorum, aliiſque, quæ ab iis pendant &c. an. 1622. Collectionem Edictorum, Statutorum & Arreſtorum, &c. *in 4.*

Corduba, (*Antonius de*) Hiſpanus, Cordubæ natus, ac Religioſus Ordinis S. Franciſci, cujus præcipna obiit munera, Librum compoſuit de Indulgentiis in 41. quæſtiones diviſum, primo iu Hiſpania, tum Ingolſtadii in Bavaria an. 5595. typis editum. Commentarium quoque de Privilegiis Ordinis ſui confecit. Venetiis quoque an. 1604. in lucem prodiit ejus opus Moralium, ſub boc titulo: *Quæſtionarium Theologicum, ſeu Sylva ampliſſima deciſionum & variorum Reſolutionum Caſuum Conſcientiæ*, quod in quinque libros dividitur, quornm primus quæſtiones 57. *de Pœnitentia*: ſecundus 30. *de Ignorantia*: tertius 14. *de Conſcientia*: quartus 54. *de poteſtate Papæ & fide*: & quintus 44. *de Indulgentiis* complectitur. Extat etiam ejuſdem Auctoris Tractatus *de detractione & famæ reſtitutione in 4.* Compluti an. 1553.

Coriolanus, (*Franciſcus du Long*) Capucinus, qui Theologiam Romæ publice docuit, & ao. 1621. ſuperſtes erat, Summam Conciliorum *in fol.* Patiſiis an. 1631. editam compoſuit. Commentarium in ſeptem Tomis in Summam Theologicam D. Bonaventuræ. Tractatum de Caſibus reſervatis ex Decr. Clementis VIII. & Compendium chronologicum, uti conſtat ex Brevi Gregorii XV. ſummæ Concilior. oppoſito. Alter eſt Coriolanus (*Ambroſius*) Præpoſitus Generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui ejus Regulam commentatus eſt. Editio Romana an. 1481. *in folio* confecta eſt.

Cornelius a Lapide, e Societate Jeſu, mirum in ſtudiis humanitatis, linguæ Hebraicæ & Græcæ, nec non Theologiæ progreſſum habuit, & per quadraginta annos peculiarem Scripturæ ſacræ operam dedit, cujus Commentarium decem volum. *in fol.* conſcripſit. Theologiam Lovanii profeſſus eſt tum Romæ, ubi 12. Martii 1637. ætatis vero 71. e vivis exceſſit. Societ. Jeſu 8. Julii 1592. ingreſſus.

Corneus, (*Petrus Philippus*) XV. ſæculi Juriſperitus, Peruſiæ ortus & Alexandro Tartagni Bononienſi Doctori an. 5445. æqualis, per 50. annos Jus profeſſus eſt, obiitque an. 1462. natus an. 77. Præcipua ejus opeta ſunt 4. volum. Conſilior. *Lectura Juris Civilis*.

Corradus, (*Jo. Baptiſta*) Dominicanus Doctrina conſpicuus, ortuque Peruſinus, Auctor eſt Operis Moralis, quod Clementi VIII. an. 1596. Peruſiæ typis editum nuncupavit, & iterum Venetiis menſe Septemb. an. 1598. Continet illud opus 400. quæſtiones, quas ſibi propouit Auctor, & quibus ſolutis in ſecunda editione additamenta neceſſaria ac maximi momenti conjunxit.

Corradus, (*Pyrrhus*) e citeriore Calabria in Neapolitano Regno oriundus, Neapoli fuit Canonicus, ejuſdem Regni Magnus Inquiſitor, Romanæ Cancellar. adminiſter pro diſpenſationibus & Reſcriptorum Pœnitentiariæ expeditione, & exeunte ultimo ſæculo Neapoli obiit. Extat ejus opus in decem libros diſtributum & inſcriptum: *Praxis diſpenſationum Apoſtolicarum pro utroque foro*, Neapoli an. 1641. & Coloniæ 1678. & 1697. promulgatum. Alterum quoque ejuſdem Auctoris opus *in fol.* patet in quinque libros diſtributum, cui titulus, *Praxis Beneficiaria*, Neapoli an. 1656. & Coloniæ an. 1679. in lucem prodiit. Correctores Romani fuere Viri plnrimi Litterati quorum opera uſi ſunt Pius IV. & S. Pius V. ad emendationem Decr. Gratiani, e quorum numero fuit Hugo Buoncompagno Cardin. a S. Sixto, qui ſub nomine Greg. XIII. factus eſt ſummus Pontifex.

Covarruvias a Leyva, (*Ægidius*) Toleti 25. Julii 1512. natus, ſub Navarra ſtuduit, Salmanticæ jus profeſſus eſt, ac ſucceſſive Judex fuit Burgorum, Curiæ Granatenſis Conſiliarius, Civitatis Rodrigi 28. Apr. 1560. Epiſcopus inauguratus, Legatus ad Trid. Conc. tandemque Caſtellani Conſilii Præſes, Madriti 27. Septemb. 1577. obiit, ac Segoviæ iuhumatus eſt. Bartholi Hiſpani nomine dignatus eſt. Ipſius Opera de præcipuis Juris Canonici rebus, duobus volum. *in fol.* continentur, quorum facta eſt editio in Hiſpania, Gallia & Germania cum eruditis Annotationibus *Cornelii Brederodii & Joannis Uffelii*, Belgii Juriſconſultorum. Prima editio Madriti an. 1610. facta eſt: reliquæ Ambiani an. 1661. & Genevæ 1679. duobus volum. *in fol.*

Cragius, (*Thomas Craig* vel *Craag*) inclytus Edimburgi Urbis, quæ Scotiæ primaria eſt, Advocatus, an. 1548. natus, in Gallia Juriſprudentiæ operam dedit. In Patriam redux, a Jacobo I. Scotiæque Parlamento deſignatus eſt inter delegatos an. 1604. qui concordiam duorum regnorum procurare deberent. Equitis honore decorare Jacobus I. voluit hunc Juriſperitum, qui in Patriam reverſus, ibi an. 1608. ſexagenarius obiit. Docte ſcripſit, verum uſibus noſtris parum convenienter, de feudis Angliæ & Scotiæ.

Craveta, (*Haimo*) Salviani in Pedemontio natus 23. ætatis anno Cauſidicus extitit; poſtea Gratianopolim venit, ubi elucubrandis ſuis Juris Conſiliis ſeptennium conſumſit, quæ ab ipſo Lugd. an. 1572. typis fuere demandata. In locum Emilii Ferreti Avenione Juriſprudentiæ Profeſſoris demortui ſuffectus, paulo poſt minus illud abdicavit, Ferrariamque petivit, ubi aliquandiu profeſſus, ducis Conſiliarii honore potitus eſt: hinc Papiam, tum Mondovicum, tandemque Auguſtam Taurinorum rediit, ubi natus an. 65. an. 1569. mortuus eſt, a Præſide Fabro dictus *ornamentum & decus Academiæ Taurinenſis*. In multos Digeſti titulos ſcripſit.

Criſpino, (*Joſepho*) Biſegliæ in Regno Neapolitano Epiſcopus, Librum Italica Lingua de ſacra Ordinatione conſcripſit, quem Franciſcus Maria Urſini Archiepiſcopus Sipontinus, Cardinalis, in lucem emiſit.

Cruz, (*Joannes de*, vel *a Cruce*) in Pago Talaga, qui antiqua urbs Talabrica inter Viſo & Porto in Luſitania exiſtimatur, natus, Dominicanorum Ordinem amplexus eſt. Tractatum compoſuit *de ſtatu Religionis*, in multos libros diviſum, Madriti an. 1613. Coloniæ 1619. *in 4.* & Duaci an. 1632. typis editum. Conſcripſit etiam *Directorium Conſcientiæ* bipartitum, in eadem urbe, eodemque anno impreſſum, poſtquinque ejuſdem libri in Hiſpania confectas editiones.

Cujatius, (*Jacobus*) Toloſæ infimis parentibus, ſed excelſo natus ingenio, cum aliquandiu ſub Arnuldo Ferrieri, Viro doctiſſimo, ad Jus incubuiſſet, proprio marte, nulloque præcipiente Magiſtro, tantum profecit, ut Cadurci, Biturigis, Valentiæ in Delphinatu & Auguſtæ Taurinornm publice docuerit: in Gratianopolitano Parlamento Conſiliarius evaſit: verum an. 1574. Juriſprudentiæ profeſſionem Biturigis reſumpſit, ubi 25. Septemb. 1590. juxta alios 3. Octob. an. 70. ætate provectus obiit. Dictus eſt *primus & ultimus Juriſperitorum*. Multa hic Juriſconſultus Juris opera confecit, quæ volum. 5. *in fol.* Sebaſtianus Nivelle an. 1584. Lutetiæ Pariſiorum typis mandavit, quibus alia ejuſdem Auctoris opera addita ſunt, quæ Carolus Annibal Fabrot an. 1658. & 1659. Pariſiis 10. volum. *in fol.* emiſit. Magni hujuſce viri geſta vitamque conſcripſit Papyrius Maſſon.

S. Cyrillus Jeroſolymitanus. Hic S. Jeroſolymæ Civitatis Sanctæ, ubi natus eſt, fuit Patriarcha, mortuoque Maximo ad eam dignitatem an. 350. aut ſequenti evectus eſt. Acacius Archiepiſcopus Cæſarienſis, Arianus, in Concilio Palæſtino an. 356. ipſius depoſitionem procuravit; verum ad ſuam ſedem reſtitutus eſt in Concilio Seleuciæ urbis Iſauriæ, an. quoque 360. in Conc. Conſtantinopolitano, Acacii artibus, depoſitus eſt, verum eodem anno ſub Juliano Apoſtata reſtitutus eſt. Eum tandem perſecutus eſt iterum Valens Imperator, eumque an. 367. in exilium miſit, ſed tertio an. 379. imperante Theodoſio Magno, reſtitutus, pacifice 18. Maii an. 386. quievit.

vit, Primum Conc. Conſtantinopolit. ſecundum Generale, Doctrinæ integritatem virtutemque magnifice laudat hujuſce Epiſcopi, a quo 23. accepimus Catecheſes, quarum quinque Myſtagogicæ nuncupantur.

Joannes Gredecius, Eccleſiæ Galgalitanæ in Sileſia Decanus, e Græco in Latinum idioma haſce Catecheſes vertit, ad MS. Cardinalis Hoſii, in Conc. Trid. Papæ Legati, quod undecim tantum priores Pariſiis an. 1564. & 1584. typis editas continebat; harum editio Antuerpiæ an. 1564. ſuperiorque Viennæ in Auſtria an. 1560. Undecim alias in Bibliotheca Vaticana repertas cum prioribus ſimul cum Gredecii Verſione D. Prevot Pariſiis uno volum. *in* 4. an. 1609. imprimi curavit, in eadem iterum urbe an. 1631. & 1640. duplex in lucem prodiit editio. Denique D. Grancolas, Doctor Sorbonicus, eas Gallico idiomati traditas emiſit, quibus judicioſas animadverſiones doctaſque adjunxit Diſſertationes in præcipua Religionis myſteria. Hic non fit ſermo de Sclavonica Verſione antiqua, nec de Polona Jacobi Uchanski Archiepiſcopi & Poloniæ Primatis.

S. Cyrillus Alexandriæ Ægypti Patriarcha electus 16. Octob. an. 412. Conc. Gener. Epheſino in Neſtorium an. 431. habito præfuit, obiitque ann. 444. Pariſiis Græce Latineque ſeptem volum. *in fol.* edita ſunt ejus Opera.

D

S. DAmaſcenus, (*Joannes*) a Paulo Diacono *Saracenius* & *Manzurim*, vel *Chryſorroas* cognominatus, Damaſci ortus, inſtar Patris, Saracenorum Principis Amanuenſis fuit; tum in S. Sabæ Monaſterium Jeruſalem ſeceſſit, ſacerdos ad vitæ finem factus circiter an. 750. obiit. Opus conſcripſit *de fide Orthodoxa*, in 4. libros diviſum, pluresque alios Tractatus emiſit.

S. Damianus, vel potius, S. Petrus Damiani, a nomine fratris ſui ita nuncupatus, Ravennæ initio Sæculi XI. natus, in Monaſterium S. Crucis Avellanæ ingreſſus, ejuſdem Prior, tum Abbas factus eſt. Ipſum Cardinalem atque Oſtienſem Epiſcopum creavit Stephanus IX. A Nicolao II. an. 1059. Mediolanum legatus, eodem munere in Gallia & Germania functus eſt. Abdicato proprio Epiſcopatu, atque Eugubino, quem titulo commendæ poſſidebat, primam repetiit ſolitudinem, ac Faenæ 23. Februar. 1073. ætatis vero 66. an. obiit. Ipſius Opera 4. volum. *in fol.* continentur, quæ Libros octo Epiſtolarum ſacrarum Concionum, Opuſculorum &c. Romæ a centum annis, Lugduni an. 1623. & Pariſiis an. 1663. impreſſa complectuntur.

Daoys, (*Stephanus.*) Hic Doctor fuit Canonicus Regularis S. Auguſtini Pompeione Navariæ, urbe primaria ex qua erat oriundus, urbiſque ejuſdem Collegii S. Clementis Rector. Initio ultimi ſæculi vivebat regnante Philippo III, qui 31. Mart. an. 1621. mortuus eſt. Ab eo Lexicon Juris Canonici, aliudque Juris Civilis *in fol.* accepimus, quorum prius Burdigalæ an. 1624. alterum Genevæ an. 1625. typis editum eſt.

Deciſiones Facultatis Theologicæ Pariſienſis an. 1238. & 1398. &c.

Deciſiones Rotæ. *Vide* Rota.

Decius, (*Philippus*) ortu Mediolanenſis, Jaſonis, ac Piſis Bartholomæi Socini fuit diſcipulus, Juriſque Doctor ab anno ætatis ſuæ 22. admiſſus, Jus Canonicum Piſis, Senis, Patavii, Papiæ, Biturigis, & Valentiæ publice docuit. Cum in Galliam veniſſet, quod uti Piſani Concilii propugnator a Julio II. fuiſſet excommunicatus, ab hac excommunicatione liber ſub Leone X. Papiam rediit, ac Senis ann. 1535. annos natus 81. obiit. Hic Auctor Commentarium in Decretales, cum ſpeciali Tractatu *de Triviilegiis* compoſuit Lugduni an. 1579. cum notis Francisci Curtii, Sylveſtri Aldobrandi, Gygæ & Meddæ impreſſum, & iterum Venetiis *in fol.* ann. 1599. Exeunte decimo quinto ſæculo florebat hic Auctor, qui ad Ludovic. XII. in ipſius profectionibus in Italiam ſeſe admodum applicuit.

Declaratio Sacræ Congregationis. *Vide* Congregatio Sacra.

Declaratio Octavii Epiſcopi Tricaſtini in Regno Neapolitano inferioris Rheni ac Germaniæ inferioris Principibus 19. Jan. an. 1603. ſub Pontificii Legati titulo facta.

Declaratio Philippi IV. dicti Pulchri, an. 1312.

Caroli Sapientis ann. —— 1369.
Ludovici XII. ann. —— 1512.
Henrici II. ann. —— 1549.

Ludovici XIII. ann. { 1611. 1612. 1621. 1625. 1629. idem. idem. 1634. 1635. 1637. 1638. & 1639. }

Ludovici XIV. ann. { 1645. 1646. 1651. 1657. 1661. 1663. 1671. 1673. 1674. 1681. 1684. 1686. 1693. 1696. & 1700. }

Vide EDICTA.

Decretum Eugenii IV. pro Armenis, quod ad calcem Concilii Florentini reperitur.

Decretum Urbani VIII. 26. Maii 1593.

Alexandri VII. { 24. Sept. 1665. 5. April. 1666. & 5. Maii 1667. }

{ Clementis X. 2. Sept. 1675.
Innocentii XI. —— 1679. & 1680.
Alexandri VIII. —— 1690. }

Diay, (*Joannes Bernardus*) Calaris, quæ inſulæ Regnique Sardiniæ Caput eſt, XVI. ſæculo fuit Epiſcopus. Parvulum hic Auctor nobis Tractatum dereliquit inſcriptum: *Practica Criminalis Canonica in* 16. Lovanii an. 1560. Lugduni *in* 8. an. 1569. & iterum Venetiis *in* 4. an. 1593. & 1614. Moguntiæ an. 1666. cum Commentar. Lopez de Salzedo: Tres ultimæ editiones prioribus ampliores cæteris quoque præſtant.

S. Dionyſius. Hic S. Heraclam Alexandriæ Patriarcham ſecutus eſt, quem ejuſdem urbis Ludi-Magiſtrum exceperat. Præclaros, ſæviente licet perſecutione, Tractatus emiſit in millenarios ann. 255. in Sabellium, & Paulum Samoſatenum. Obiit 17. Decemb. an. 265.

Dionyſius Carthuſianus. Hic Auctor, dictus Dionyſius Riekel, a vico ejuſdem nominis in Diœceſi Leodicenſi, ubi an. 1402. natus eſt, 21. ætatis anno Carthuſianorum diſciplinam amplexus 12. Mar. an. 1471. mortuus eſt. Ob aſſiduam contemplationem *Doctoris extatici* nomine inſignitus ſcripſit in Opera, quæ S. Dionyſio Areopag. adſcribuntur, Librum Coloniæ an. 1536. editum Comment. in vetus, novumque Teſtament. aliaque de pietate ac morali Opera.

D'Eſpeiſſes. *Vide* Eſpeiſſes.

Diana, (*Antonius*) Panormi natus, in eadem urbe an. 1614. Clericorum Regularium Theatinorum Ordinem amplexus, præcipua Ordinis ſui munera prope Generalem Præpoſitum Romæ obiit, ubi 26. annis commoratus eſt, atque ibi pro Siciliæ Regno in Tribunali Inquiſitionis S. Officii Conſultor extitit. A Patre Silos Ordinis ſui Hiſtorico 150. varios Moralium Tractatus eum compoſuiſſe refertur; quem etiam Epiſcoporum examinatorem Urbanus VIII. & Alexander VII. nominarunt. Romæ obiit 20. Julii an. 1663.

Dictionarium Civile & Canonicum Thaumæ.

Dictionarium Etymologicum Menagii. 1. vol.

Dictionarium Univerſale Furetierii. 5. vol.

Dictionarium Hiſtoricum Morerii. 5. vol.

Di-

Dictionarium Bailii. 4. vol.
Dictionarium Arreſtorum. 3. vol.
Dictionarium Trevoltii. 5. vol.
Dictionarium Hofman, 4. vol. &c.

Didymus, Alexandriæ natus, inclytæ illius urbis Scholæ Profeſſor, permulta erudita, licet cæcus, Lectorum ſuorum ope conſcripſit Opera; pauca, quæ ſuperſunt in nono Bibliothecæ Patrum ann. 1624. volum. in Operibus S. Hieron. qui ipſius Tractat. *de Spiritu Sancto* Latine reddidit, atque in Annotationibus Poſſevini in Epiſt. S. Nili reperiuntur. Origenis tamen, cujus libros *de Principiis* verterat, erroribus deceptus eſt, & ob eam cauſſam cum cæteris Origeniſtis in V. Conc. Oecum. excommunicatus, licet in Eccleſiæ communione obierit. IV. florebat ſæculo, Diſcipuloſque habuit S. Hieronym. Palladium & S. Iſidorum. Natus 83. an. biennio poſt, mortuus eſt, diſſentiente tamen Palladio, qui mortem ipſius ad an. Chriſti 398. ætatis 85. refert.

Dinus, e vico de Mugello in agro Florentino ortus, inter coæquales Juriſprudentia enituit, quam Bononiæ profeſſus eſt. Obiit ad ann. 1303. Commentar. in Sextum Regulaſque Jur. Canon. Lugduni an. 1533. 1534. & 1549. editum compoſuit. Ipſius Commentar. in Regulas Juris iterum Lugduni an. 1612. & 1672. iterum in lucem prodiit, eximium illud opus, nec non Venetiis ann. 1585. *in* 8. una cum annotationibus Boerii, Caroli du Moulin & aliorum, & Coloniæ an. 1594. & 1617.

Domat, in Præſidiali Claromontana Alverniæ Curia Regius Cauſidicus, laborioſum ac perutile Opus conſcripſit, cui titulus: *Leges civiles in ſua naturali ſerie &c.* Pariſiis exeunte ultimo ſæculo multis vol. *in* 4. & iterum ann. 1705. uno vol. cum ſuo Tractatu de Jure publico editum.

Duarenus, (*Franciſcus*) Briocis in Britannia natus, Avarici famoſum audivit Alciatum, ibique doctoris Lauream adeptus, Jus Civile publice docuit. Acerrimus fuit Eccleſiæ Gallicanæ libertatum aſſertor, & ob eam cauſſam Librum compoſuit inſcriptum: *Pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ adverſus artes Romanas defenſio*: Pariſiis *in* 4. an. 1551. Tractat. quoque in 8. libros diviſum Pariſiis an. 1551. *De Sacris Eccleſiæ Miniſteriis ac Beneficiis* emiſit. Omnia Opera ſua vol. *in fol.* contenta ad Dominum de l' Hopiral in Parlam. Pariſ. Conſiliarium an. 1550. nuncupavit, obiitque Avarici an. 1559. ibique in Sacra Oratorii Æde ſepultus eſt.

Du Mets, (*Jacobus*) natu Abbavillæus in Picardia & Doctor Sorbonicus, Theologiam Moralem, Pariſiis in Seminario S. Nicolai dicti *du Chardonet*, docuit, Librum conſcripſit cui titulus, *Clavis Theologiæ Tracticæ tripartita* 4. vol. *in* 12. editum, quorum primum Pariſiis Auctore etiam ſuperſtite an. 1663. & quatuor ſimul iterum an. 1674. in lucem prodiere. Alium quoque Librum confecit inſcriptum *Clavis Theologiæ Theoreticæ* 2. vol. *in* 12. quorum prima an. 1672. & 1672. Pariſiis editio facta eſt.

Dupin, (*Elias*) Doctor Sorbonicus, non minus Hiſtoriæ quam Theologiæ peritus, filius Ludov. Elliæ Viri Nobilis & Domini Dupin ex Antiqua & Nobili Normanniæ familia oriundi & Domicellæ Mariæ Vitart ipſius conjugis Patria Campanæ, Pariſiis 17. Junii an. 1657. natus eſt. In Collegio Harcuriano tertiæ Scholæ decennis operam dedit, Artium Magiſterium an. 1672. Baccalaureatum an. 1680. adeptus, tandem Doctoris Lauream 1. Julii an. 1684. obtinuit. Vir ille pereruditus Rem Litterariam abhinc 30. annis magno indeſinenter locupletavit operum doctiſſimorum numero, eaque celeritate, ut non tam laborioſe compoſita, quam Litteris demandata aut dictata videantur.

Inter ea operoſius ipſi ſimulque tum in Gallia, tum apud exteras nationes honorificentius eſt: *Nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorumque, continens hiſtoriam vitæ eorum, Indicem Cenſuram & Chronologiam operum eorumdem ſummariumque rerum, quas continent; judicium de eorum ſcribendi ratione ac doctrina, atque enumerationem variarum Editionum hujuſmodi operum.*

I. Tomus Auctores trium priorum ſæculorum continens, Pariſiis ann. 1686. uno volum. iterum ann. 1688. duobus volum. *in* 8. in lucem prodiit. Sæculi quarti Auctores uno ſtatim volum. an. 1687. fuere contenti: iterum uberior an. 1689. & tertia an. 1701. tribus vol. facta eſt editio. Triginta primorum annorum ſæculi V. Auctores ann. 1688. & 1690. duobus volum. continentur, quibus paulo poſt addita eſt ejuſdem Sæculi pars altera, iterum an. 1702. duobus volum. typis impreſſa. Auctores Sæculi VI. continent volum. unum an. 1692. Sæculi vero VII. & VIII. pariter volum. unum ann. 1691. quibus omnibus Tomis prioribus ſupplementum addit Auctor an. 1711. IX. Sæculum uno volum. an. 1696. continetur. Eodem anno uno volum. in lucem prodiit Sæculum XI. XII. duobus volum. XIII. uno volum. & XIV. uno pariter volum. At Sæculum XV. duobus volum. & XVI. quinque volum. comprehenduntur: quæ omnia an. 1703. fuere emiſſa. Sæculi XVII. Authores ſeptem conſequentibus volum. an. 1708. ſimul editis continentur. Auctores denique decem primorum annorum ſæculi præſentis duobus Tomis referuntur.

Doctor hic indefeſſus ad tria Diſſertationum volum. in vetus novumque Teſtamentum ann. 1699. quatuor etiam Tomos addidit de Rebus geſtis atque eventis Sæculi XVII. Suſcepto denique, licet audaci, quaſi faſtigium impoſuit quatuor volum. quibus continentur Indices Generales an. 1704. Quocirca ſola hæc Bibliotheca 47. volum. *in* 8. continet, quibus 40. alia ſunt addenda ſeu Latine ſeu Gallice ſcripta tam *in* 12. & *in* 8. quam *in* 4. de rebus omnibus, quæ ad Theol. Hiſtor. Diſciplinam & Moralem pertinent. In augenda ea rei librorum multitudine etiam ante obitum deſudabat tribus aut quatuor volum. quæ Auctorum Proteſtantium, aliorumque omnium, qui a fide Catholica diſſidentem religionem profitentur, Hiſtoriam continerent. Tot denique functus laboribus 6. Junii ann. 1719. obiit, atque in Eccleſia S. Severini inhumatus eſt.

Delrio, (*Martinus Antonius*) ipſa die Pentecoſtes an. Antuerpiæ natus, Pariſiis Rhetoricæ, tum Philoſophiæ ſub Maldonato operam dedit: poſtea Duacum & Lovanium, ut Juriſprudentiæ incumberet, venit; deinde in Hiſpaniam, ubi Doctor Salmanticæ an. 1574. evaſit. Antuerpiam Redux, in ſupremo Brabantiæ Conſilio factus eſt Conſiliarius, tum Exercituum Auditor Gener. ac tandem Procancellar. fiſciſque Procurator. His abdicatis honoribus 9. Maii ann. 1580. in Soc. Jeſu Valliſoleti admiſſus eſt, unde an. 1584. Lovanium & Moguntiam rediit ad ſtudium Scripturæ ſacræ. Duaci ann. 1589. Philoſophiam, tum Leodici Theologiam Moralem, tandemque Scripturam ſacram Graiaci in Stiria 1601. & Salmanticæ ann. 1604. publice docuit. Lovanii 19. Octob. an. 1608. obiit, dictus ab Antonio Fabro *Juriſconſultus & Theologus clariſſimus*. Multa conſcripſit opera pereruditu, tam de humaniorum litterarum ſtudiis, quam de Scriptura ſacra, aliiſque rebus ad pietatem ſpectantibus, quorum Analyſim fecit D. Dupin. Unum ex præcipuis illud eſt, cui titulus: *Diſquiſitiones Magicæ*, Lovanii primum *in* 4. 1599. & 1601. & Lugduni ann. 1612. *in fol.* tum Moguntiæ ann. 1614. & 1624. quæ poſtrema editio cæteris antecellit.

Durandus, (*Guillelmus*) Hic Auctor Juriſperitorum noſtrorum Antiquiſſimus, dictus eſt *Speculator*, ob librum inſcriptum: *Speculum Juris* tripartitum, quod ad Cardinalem Ottoboni ſcripſit, qui poſtea factus eſt Papa ſub nomine Adriani V. In Provincia in Diœceſi Regienſi natus eſt, uti probat Moreri; Juris Doctor Bononiæ factus illud Mutinæ profeſſus eſt; Capellanus fuit Clem. IV. Decanus Carnutenſis, ac Mimatenſis apud Gabalos Epiſcopus: aliud quoque compoſuit, ac ann. 1286. perfecit Opus inſcriptum: *Rationale divinorum Officiorum*, in 8. libros diſtributum. Duos alios etiam Tractatus confecit, alterum *De modo celebrandi Conc. Gener.* primum Lutetiæ Pariſiorum an. 1545. poſtea an. 1671. *in* 8. editum: alterum, quem inſcripſit: *Repertorium Juris*. Secundo Lugdunenſi Conc. cujus Canones eſt interpretatus, ann. 1274. adfuit. Ipſius Epitaphium in Eccleſia Dominicanorum Minervæ Romæ conſpicitur, ubi ann. 1296. obiit. Advertendum, ipſius *Speculum* ac *Repertorium* Juris ad Juriſprudentiam Parlam. Provincialis an. duntaxat 1501. a Ludov. XII. ſtatutam non poſſe traduci.

Durant, (*Joannes Stephanus Duranti*) an. 1563. Toloſæ Præfectus, tum Gener. Advocatus, poſtremo Parlam. ejuſdem urbis Proto-Præſes extitit. Ipſum 55. an. natum, quod Henr. III. Regis partes ſuſciperet, Jeſuitaſque Toloſam intromiſiſſet, 10. Feb. an. 1589. trucidarunt Toloſæ Rebelles. Librum conſcripſit *de Ritibus Eccleſiæ*, ac Juris quæſtiones, a Ferrerio notis illuſtratas collegit Latine.

Du Val, (*Andreas*) Pontiſaræ natus, Doctor & Profeſſor Sorbonicus Cathedram, ab Henr. IV. ſimul cum ea, quæ Philippo Gamachio ann. 1597. data eſt, fundatam obtinuit, & Pariſiis ann. 1638. ætatis vero ann. 74. Facultatis Theologicæ Decanus obiit. Totius Ordinis Carmelitarum in Gallia Rector fuit, a quo plures Theo-

logiæ Tractatus accepimus, inter quos præcipuam judicii rationem præ ſe fert ille, qui inſcribitur: *De ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate Diſputatio quadripartita*: Pariſiis in 4. an. 1614.

E

EDicta multorum Galliæ Regum, ſcilicet edicta
Gontrandi an. 585.
Clotarii II an. 595.
Pipini Brevis an. 756.

Caroli Magni. 789. 808. 809. 810. 813.

S. Ludovici 1254.

Philippi IV. dicti Pulchri 1302. 1311.

Ludovici X. dicti Hutin. 1314.
Caroli IV. dicti Pulchri 1319.

Philippi Valeſii & Caroli V. 1334. 1335. 1336. 1338. 1344. 1347. 1350. 1355. & 1364.

Caroli VI. 1385. 1386. 1408. & 1420.

Caroli VII. 1431. Idem. 1435. 1453. & 1455.

Ludovici XI. 1462. 1463. & 1468.

Caroli VIII. 1493. 1495.

Ludovici XII. 1498. 1499. 1507. 1510. & 1512.

Franciſci I. 1515. 1520. 1533. 1535. 1536. 1538. 1539. Idem. 1540. 1541. 1543. & 1546.

Henrici II. 1548. Idem. Idem. 1549. 1550. 1551. 1553. 1554. 1555. 1556. Idem. Idem. 1557. & 1558.

Caroli IX. 1560. 1563. 1564. 1566. 1567. 1569. 1570. 1571. 1572. & 1573.

Henrici III. 1575. 1576. 1577. 1579. 1580. 1581. 1582. 1584. 1585. & 1587.

Henrici IV. 1590. 1594. 1595. 1596. 1597. 1600. 1601. 1602. 1605. 1606. & 1609.

Ludov. XIII. 1610. 1611. 1612. 1614. 1617. 1629. Idem. 1632. 1634. 1636. 1637. 1639. & 1640.

Ludov. XIV. 1645. 1646. 1649. 1650. 1655. 1657. 1661. 1665. 1666. 1667. 1669. 1670. 1671. Idem. 1673. 1680. 1681. 1685. 1686. 1690. 1691. 1693. 1695. 1697. 1698. 1700. 1702. 1703. 1704. & 1705.

Ælianus. Duo fuere hujuſce nominis Auctores. Prior, qui Græce ſcripſit, uſitatam apud Græcos pugnæ faciem uno libro comprehendit, quem Adriano dicavit: qui 11. Aug. An. 117. Roman. obtinuit Imper. obiitque 10. Julii an. 138.

Alter

Digitized by Google

Alter nomiue *Claudius*, centum annis a priore ſuperſtes fuit Orator Romanus Pauſaniæ diſcipulus, ortu Prænestinus in Campania, dignus juxta Hoſman in ipſius Leaico univerſali, qui Philoſtrati & Martialis laudes mereretur. Notum quidem eſt *Hiſtoriam Animaliam* in ſeptemdecim libros diviſam, Opuſque inſcriptum; *Hiſtoriæ variæ*, eſſe Æliani, at cujus, an prioris, an alterius, incertum; licet ea Opera ad Claudium Ælianum pertinere Hoſman aſſeveret.

Emmanuel *Sa* in Luſitania an. 1530. natus, an 1545. Soc. Jeſu nomen dedit, & 30. Decembris an. 1596. obiit. Epitomen Motalium & Adnotationes in ſacram Scripturam una cum Eſtii, Menochii, & Tirinotis iu *Biblia magna* translatas compoſuit.

S. Epiphanius, Eleotheropoli in Palæſtina Judæis parentibus an. 332. natus, Chriſtianam Religionem amplexus, Conſtantiæ ſeu Salaminis, quæ Cypri Metropolis eſt, ad an. 361. Epiſcopus eſt crearus; qui 12. Maii an. 403. mortuus exiſtimatur. Ia librum conſcripſit, cui titulus: *Panarium*, in quo 80. diverſa Hæreſeon genera refert: Epiphanii Opera omnia duobus volum. ia *fol.* Pater Petau e Societate Jeſu an. 1621. cum notis in vulgus emiſit.

Epiſtolæ Cardinalis Arnaldi d'Oſſat in vico quodam Armeniaci Comitatus, qui *Caſſagnabere* dicitnr, ortus, Cujacii fuit auditor, forumque frequentavit. Cum Paullo Fuxenſi, Toloſano Archiepiſcopo, & Hentici III. Legato tamquam Amanuenſis ejus Romam ſe contulit: Rhedonum Epiſcopatum, poſtea ſacram Purpuram an. 1598. tandemque Bajocenſem an. 1601. obtinuit Epiſcopatum 13. Martii an. 1604. ætatis vero 67. Romæ obiit. Volumen ejus Epiſtolarum *in* 4. Pariſiis ultimo editnm eſt an. 1698.

Eſpeiſſeus, (*Antonius*) Juriſconſultus Monſpeſſulii natus ah an. 1594. Pariſiis forum frequentavit, obiitque circiter an. 1658. ſimul cum Joanne Bauques Tractatum *de Succeſſionibus* an. 1623. compoſuit, cumque in patriam ſuam rediiſſet, in conficiendis tribus, quæ emiſit, volum. ia *fol.* per 20. annos deſudavit, in quibus Jus Gallicum cum Romano in rebus præcipui momenti conciliat: in primo de contractibus, eorumque effecthius agit: in ſecundo de Succeſſionibus teſtamentariis & *ab inteſtato* rebuſque criminalibus; & in tertio de Vectigalibus, juribus Dominorum, rebuſque Eccleſiaſticis. Prima editio Pariſiis, an. 1660. altera Lugduni duobus volum. an. 1685. facta eſt.

Eſpenſe, (*Claudius de*) Catalanni e nobili genere natus Pariſienſis Univerſitatis Rector fuit: Doctotis Theologi e Domo & Soc. Navarrea 31. ætatis an. Lauream adeptus: Piſciaci Colloquio an. 1561. adfuit, ab Henrico II. ad Concilium Tridentinum cum Bononiam translatum eſt, miſſus 27. Octob. an. 1571. ſexagenarius obiit. Hic Auctor Tractatus compoſuit *de Eucharistia*, *de Continentia*, &c. Commentar. in Epiſt. D. Pauli ad Timotheum & Titum, in quo multas ad diſciplinam pertinentes quæſtiones agitat, Pariſiis ann. 1566. editum.

Eſtius, (*Guillelmus*) Gorkomi in Batavia natus, Lovanii Doctoratum an. 1580. obtinuit. Præpoſitus fuit Eccleſiæ S. Petri Duaci, tum ejnſdem Urbis univerſitatis Profeſſor Regius & Cancellarius an. 1600. ac 20. Septembris an. 1613. ætatis 72. obiit.

Euchologium. Præcipuus Eccleſiæ Græcæ liber continens Preces & Benedictiones, quibus utuntur Græci in adminiſtratione Sacramentorum, SS. Ordinum collatione, nec non in Liturgia ſacra. Quare liber ille idem eſt ac *Ritualis*.

Eveillon, (*Jacobus*). Hic Auctor Eccleſiæ Andegavenſis Canonicus & Epiſcopalis Vicarius, Opus in lucem emiſit Andegavi an. 1651. *in* 4. typis editum, 39. Capitibus contentum, in quo fuſe diſputat de Excommunicatione, cujus definitionem & diviſionem affert; de ipſius materia, cauſſis, & effectibus. Expendit, quodnam ſit diſcrimen inter excommunicationem majorem & minorem, inter eam, quæ eſt *a jure*, quæque eſt *ab homine*, inter eam quæ eſt *latæ ſententiæ*, vel ſolum *ferendæ ſententiæ*, præter illam, quæ incurritur *ipſo jure*, ſeu *ipſo facto*: inter validam, & invalidam, juſtam & injuſtam: agit pariter de monitionibus, quæ præcedunt declarationem excommunicationis *ab homine*, uti de ſignificatione vocum, *Anathema*, *Aggravationes*, *& Reaggravationes*. Denique explicat, qui ſint ii, quibus competit jus excommunicatione ligandi, aut ab hac cenſura ſolvendi tam iu foro interno, quam externo, & quæ ſint abſolutiones *ad Cautelam*, *& cum reincidentia*. Jacobus Faber ipſius nepos Andegavi quoque Canonicus illud Opus Pariſiis an. 1672. *in* 4. typis iterum mandari curavit, quod pariter Rothomagi an. 1711. 2. vol. *in* 12. editum eſt. Ab eodem Auctore Tractatum accepimus, *de Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Pariſiis *in* 8. an. 1641.

Eugenicus, (*Marcus*) Archiepiſcopus Epheſinus, pro Græcis in Conc. Florent. an. 1438. habito Legatus, ſolus ſerme extitit, qui cum Joanne nepote ſuo Unionis Decretum ſubſcribere noluit. Tunc multos iu Latinam Eccleſiam Tractatus confecit.

Euſebius ortu Palæſtinus, Epiſcopus Cæſareæ ad an. 313. creatus, ob amicitiam ſuam cum Pamphilo Martyre Pamphilus cognominatus eſt. Ipſum ab Ariania ſtetiſſe ſcribunt S. Athanaſius, Hieronymus & Epiphanius; & quidem memoriam ejus Anathemate percutit ſecundum Concilium Nicænum: etſi ab Arianiſmo ipſum vindicate nitantur quidam Auctores. Obiit circa annum 340.

Expilly, (*Claudius*) in Delphinatu 23. Decemb. an. 1561. natus, Juridici Doctotis Lauream Avarici adeptus eſt, ubi Cujacius publice docebat; Gratianopoli Cauſſas egit: Ipſum Procuratorem Regium, in Curia Quæſtoria, tum Advocatum Regium, tandemque Præſidem Honorarium deſignavit Henr. IV. in Parlamento Gratianopolitano, ibique 22. Julii an. 1636. mortuus eſt. Cauſſarum actiones 36. atque Parlamenti hujuſce Arreſta numero 266. Pariſiis *in* 4. an. 1621. typis edita ab hoc Auctore manarunt.

Excerptio ea actis Baronum Normaniæ an. 1205.

Excerptio ex commentariis Tabularii veterum membranarum Regni.

F

FAber, (*Joannes*) Juriſconſultus Gallus, 16. ſæculi Auctor, Burdigalæ natus, a Cabaſſutio *meritiſſimus Regni Franciæ Cancellarius* appellatus, inter cætera Juris opera compoſuit, *Breviarium* in Codicem, Pariſiis an. 1545. & Lugduni an. 1594. *in* 4. editum, & aliud, cujus eſt titulus, *Progymnaſmata in utroque Jure*, Lovanii *in* 8. anno 1566. Juſtiniani quoque Inſtituta, aliaſque Juris Romani partes eſt interpretatus. Ab eo diſſentit alter Joannes Fabert, Theologus Germanus, in Algovia natus, qui fuit Canonicus & Magnus Conſtantiæ Vicarius & Viennæ in Auſtria Epiſcopus, ubi 21. Maii an. 1541. obiit.

Tertius eſt etiam Joannes Faber, Dominicanus Germanus, qui an. 1550. florebat; & quartus fuit Juriſperitus, Mechlinia oriundus, qui an. 1570. vivebat, alius tandem Cognominis a patrio loco prope Leodicum dictus *Omalius*, qui etiam Juris Conſultus fuit, & an. 1622. e vivis migravit.

Faber, (*Antonius*) Juriſperitus, ortu Brixianus, Eques & Baro de Peroches, ſub manus Cujacii quondam auditoris Juriſprudentiæ ſtuduit. Sine intermiſſione Judex major, id eſt, ordinariæ Criminaliſque cognitionis judex in Breſſia, Sabaudiæ Senator, Genevenſis conſilii Præſes, Senatus Camberienſis Proto-Præſes. Conſiliique Sabaudiæ an. 1610. Princeps, 28. Februarii an. 1624. obiit. Ipſius de Jure Opera 4. vol. *in fol.* continentur in Pandectas, aliaque Opera, ut ſunt *Conjecturarum Libri* 20. *de erroribus Pragmaticorum & Interpretum Juris*, &c.

Duo inſuper alii fuere Faber; Stapulenſis ſcilicet in Picardia, Lutetiæ Philoſophiæ Profeſſor initio Sæculi decimi ſexti fuit Jacobus Faber, qui ſcripſit in Evangelia, in Epiſtolas ſancti Pauli & ſancti Jacobi & in Pſalmos. Alter eſt Petrus Faber, ſeu du Faur, Burdigalenſis Parlamenti Proto-Præſes, qui in Lutheraniſmi ſuſpicionem incidit; de utroque non fiet mentio in hoc Dictionario.

Faber, (*Philippus Fabri*) Theologus Minorita, natus in Romania prope Faventiam, cujus ſedes Epiſcopalis ſuffraganea eſt metropolis Ravennatenſis, Philoſophiam, & Theologiam profeſſus eſt Patavii, ibique obiit 28. Auguſti an. 1630. annos natus 66. Opuſcula ejus ſunt 1. in Philoſophiam Scoti. 2. Diſputationes Theologicæ. 3. de Cenſuris, ac tandem nonnulli alii Tractatus.

Fagnanus, (*Proſper*) decimi ſeptimi ſæculi Canoniſta inclytus, quindecim ſerme annis Sacræ Congregationis fuit Secretarius, aliiſque variis honoribus a ſummis Pontificibus per quinquaginta annos inſignitus, ætatis ſuæ 44. an. oculos amiſit. Is juſſu Alexandri VII. Commen-

tarium eidem ſummo Pontifici anno 1659. nuncupatum in Decresales compoſuit, tribus volum. *in folio* contentum, cujus prima Romæ anno 1661. 5. vol. in lucem prodiit editio, & altera in Polonia an. 1676. 1681. 1686. & 1704. & Venetiis an. 1697. In hac poſtrema editione Decretalium textus integer Commentario additas eſt peropportune.

Fagundez, vel Facundes, (*Stephanus*) Viennæ in Luſitania natus, Profeſſione Jeſuita, Theologiam Ulyſſipone profeſſus eſt, ubi obiit 15. Januarii 1645. multos Tractatus moralium rerum compoſuit, uti ſunt: *Quæſtiones de Chriſtianis Officiis, & Caſibus Conſcientiæ. De Contractibus. De decem præceptis Decalogi. De Juſtitia, &c.*

Faius, (*Petrus du Fai*) Theologiæ Doctor, ortu Brugenſis & Religione Dominicanus, initio ſæculi decimi ſexti opus confecit Duaci an. 1626. ſub hoc titulo editum: *de Pœnitentia, qua Virtute, qua Sacramento Diſputationes Theologicæ circa textum divi Thomæ a quæſtione* 84. *tertiæ ſuæ partis ad decimam ſextam ſupplementi.*

Farinacius, (*Proſper Farinacio*) eximius Juris Conſultus Romæ 30. Octob. 1554. natus, ibique Patronus Cauſſarum non bonarum jocoſus, factus eſt poſtea Fiſci Procurator, obiitque 30. Octob. an. 1618. Opera omnia illius 13. vol. continentur, quorum Tractatus præcipui ſunt, *de Hæreſi*, Romæ an. 1616. *de Immunitate Eccleſiæ*, Romæ quoque an. 1672. *Deciſiones Rotæ Romanæ. Repertorium de Contract. Concilia, Theoria Criminalis, &c.*

Federicus, Canoniſta & Juris-Conſultus Senenſis an. 1350. Joannis Andreæ diſcipulus. Præcipuum opus emiſit inſcriptum: *Conſilia*; nec non Libellum *de Permutatione Beneficiorum*, Coloniæ primum an. 1574. & multoties in eadem urbe & alibi typis editum. Aliud quoque confecit opus ſub hoc titulo: *Repetitio in Cap.* dilectus *de præbendis*, Venetiis an. 1587. editum.

Felinus Sandeus, Ferrarienſis, a vigeſimo ætatis ſuæ anno Jus Canonicum Piſis publice docuit ad an. 1481. cum Innocentius VIII. Romam ipſum accerſivit, ac Rotæ Præſidem conſtituit. Ipſe quidem de ſe affirmat, Commentaria in titulum *de Homicidio* ſe an. 1470. ſcribere. Ipſius Opera 3. vol. *in fol.* continentur, quorum primum an. 1482. perfecit. Commentarium ejus in Dectetales, Venetiis an. 1498. & Lugduni an. 1549. typis editus eſt, quibus editionibus aliæ multæ additæ ſunt, uti Baſileenſis 3. vol. an. 1467. Taurinenſis *in fol.* an. 1578. Lugdunenſis an. 1588. duobus vol. *in fol.* & poſtrema Venetiis an. 1606. 3. vol.

Ferrerius, Cauſidicus Toloſanus, an. 1590. ineunte ultimo ſæculo ſcribens, unus fuit inter octo Juriſperitos, qui notas & additiones in Deciſ. Guidonis Papæ confecerunt.

Ferriere, (*Claudius de*) an. 1639. Pariſiis natus, Senatus Pariſienſis Advocatus, Juridicæ Facultatis an. 1690. Doctor ſocius admiſſus, tum Juris Romani Profeſſor & Gallici Rhemis extitit. Is omnium Commentatorum ſeu antiquorum ſeu modernorum Conſuetudinis Præfecturæ & Vicecomitatus Pariſienſis Collectanea confecit tribus volum. *in fol.* Pariſiis an. 1689. quibus denuo an. 1714. editis quartum adjecit volumen, cujus præcipuam partem ſibi arrogavit D. Claudius Joſeph de Ferriere, Pariſiis Juris Doctor ac Profeſſor. Tractatum quoque emiſit de Jure Patronatus, Præſentationis ad Beneficia, Patronorum Præſidentia, aliiſque honorificis in Eccleſia prærogativis, & novum Pragmaticum, *in* 4. an. 1681. *ibid.*

Fevretus, (*Carolus*) Cauſidicus, ortu Divionenſis, Conſiliarius-Secretarius in Burgundiæ Parlamento ejuſdemque Provinciæ in trium ordinum Comitiis Conſiliarius, Divione 12. Aug. an. 1661. 78. annos natus obiit. Tractatum is nobis dereliquit de Appellationibus tamquam ab abuſu, Divione, *in fol.* an. 1654. promulgatum tum eadem in urbe duobus Tomis an. 1667. & Lugduni an. 1677.

Filleau, (*Joannes*) Auctor operis, cujus eſt titulus: *Tractatus de Juribus, Prærogativis, & Præeminentiis Eccleſiarum Cathedralium in Conciliis Provincialibus*, Pariſiis, *in* 8. an. 1628. editus. Is omnium in Regno Juris Profeſſorum fuit Decanus, Regiarumque Auctor Cauſſarum in Præſidiali Pictavorum Curia intermedio ultimo ſæculo. Ipſius additamenta ad duas Centurias Arreſtorum D. Chenu 2. volum. *in fol.* continentur, ipſiuſque Collectio Deciſionum Catholicarum, quæ ſunt Edicta, Arreſta, & Conſtituta de Calvinianis ſeu prætenſis Reformatis, quæ, revocato Nannetenſi Edicto, inutiles factæ ſunt. Obiit hic Auctor an. 1682.

Flaminius Pariſius, in Regno Neapolitano Coſenzæ natus, decimo ſexto ſæculo primus Juris Canonici Profeſſor Romanus, eximium opus de Reſignatione Beneficiorum confecit Romæ an. 1581. perſectum & *in fol.* imrreſſum tum Venetiis an. 1619. Coloniæ 1615. & 1683. & Toloſæ 1668. Tractatum etiam ſub hoc titulo conſcripſit: *Practica omnium Tribunalium Rotæ*, Romæ *in* 8. an. 1631.

Flodoardus, vel Frodoardus, Canonicus Rhemenſis, Culmici, tum Coroi Parochus, &, juxta quorumdam opinionem, Abbas ſancti Remigii Rhemenſis Sperniaci in Campania an. 893. natus, Remigii Antiſſiodorenſis diſcipulus, Chronicum texuit ab an. 877. quo mortuus eſt Carolus II. dictus Calvus, Imperator & Rex Galliæ ad an. 966. quo obiit hic Auctor 28. Martii natus annos 70. Hiſtoriam quoque Rhemenſis Eccleſiæ in quatuor libros diviſam compoſuit a Patre Sirmondo emiſſam an. 1611. In ipſius Chronico anni ſuperiores anni 919. fuere deperditi.

Florens, (*Franciſcus*) Arnæi Ducii in Burgundia natus, ſtatim Divione Cauſidicus, Aureliæ Juris Profeſſor, tum an. 1644. Pariſiis extitit. Novem primos Decretalium titulos Commentariis illuſtravit, Diſſertationeſque Canonicas in duos libros diviſas an. 1632. emiſit, ac Tractatum *de Uſu & Auctoritate Pallii*, an. 1640. Hujuſce Auctoris Opera duobus volum. *in* 4. typis mandari curavit D. Doujat Pariſiis an. 1679. Florens an. 1650. Aureliæ obiit. In honore habetur hic Auctor.

Fontanon, (*Antonius*) natu Alvernus, in Pariſienſi Senatu exeunte ſæculo decimo ſexto Cauſidicus, ab Henrico III. 24. Julii an. 1578. privilegium obtinuit ad imprimendam collationem Ordinationum, Edictorum, & Declarationum Galliæ Regum ab an. 1270. ad ſua tempora, 3. volum. *in fol.* quorum editio an. 1580. perfecta eſt.

Forget, (*Germanus*) in Balliviatu & Curia Præſidiali Ebroicenſi Cauſidicus, Tractatum emiſit de Auctionibus, Venditionibus & per Decretum Adjudicationibus immobilium, quem Pariſiis editum an. 1604. D. Croulard Rothomagenſis Parlamenti Proto-Præſidi nuncupavit. Aliud quoque ab eodem Auctore Opus accepimus inſcriptum: *de Perſonis & rebus Eccleſiaſticis & decimalibus*, cum tractatu *de Regaliis ac penſionibus Beneficiariis*, Pariſiis *in* 8. an. 1625.

S. Franciſcus Saleſius, in Caſtello Saleſio Diœceſis Genevenſis 21. Auguſti an. 1567. natus, Pariſiis ſub Genebrardo Linguis eruditus eſt, ubi confecto Philoſophiæ curſu, Theologiæ ſub Profeſſore e Soc. Jeſu, tum in Sorbona dedit operam, Patavii vero Juriſprudentiæ ibique Doctoris laurea obtenta, aliquandiu in Sabaudiæ Senatu fuit Cauſidicus: poſtea clericali militiæ nomine dato Præpoſituram adeptus eſt Eccleſiæ Genevenſis, Annecſiam, ubi Sacerdotio initiatus eſt, translatæ. Eum ſibi Coadjutorem decerni curavit Claudius Granerius Genevenſis Epiſcopus, & a Clemente VIII. ſub titulo Nicopoleos conſecratus, Granerio an. 1582. ſucceſſit. An. 1610. Ordinem Monialium Viſitationis inſtituit a Baroniſſa de Chantal, quæ audita hujuſce Sancti ſacra Oratione, Calvinianam hæreſim Divione ejuraverat, poſtea fundatum. Lugduni 8. Decemb. 1622. apoplexia correptus obiit. Libri ab eo compoſiti ſunt: *Introductio ad vitam devotam, Tractatus de Amore Dei, & Spirituales Epiſtolæ.*

Francus (*Philippus*) Peruſiæ natus, ubi diu, ſimulque Patavii, Juriſprudentiam publice docuit, Commentaria ſua in Decretales & in Sextum ad an. 1468. compoſuit: quorum ultimum in Sextum Venetiis an. 1579. editum eſt.

Friburgo, (*Joannes de*) cujus proprium nomen fuit Joannes Runſic, inclytus Dominicanus, Concionator ſæculi decimi quarti, Epiſcopatum in veteri Caſtilia obtinuit, obiitque an. 1314. Summa Concionatorum Rutlingæ an. 1487. editam compoſuit; aliam quoque Summam pro Confeſſoribus, in quatuor partes diviſam, Lugduni an. 1528. Breve Commentarium, ſeu Gloſſam, in Summam S. Raymundi de Pennafort, Romæ a Joanne Tallin an. 1603. una cum textu typis mandatam ſtudio Dominicanorum, qui eam Clementi VIII. nuncuparunt; aliaque Opera in Decretum Gratiani, & in Magiſtrum Sententiarum.

Frene, (*Joannes de*) Cauſidicus Pariſienſis, Diarium forenſe an. 1667. quatuor. vol. *in fol.* in lucem emiſit, cujus nova 3. vol. *in fol.* facta eſt editio, aucta a Franciſco Jamei de la Gueſſiere. Tertia etiam Pariſiis an. 1685. addita eſt quatuor volum. *in folio*, quibus quintum acceſſit an. 1708. quod multa continet Arreſta omiſſa; quæque ab an. 1685. ad an. 1701. fuere pronunciata, in ordinem redegit D. Nicolaus Nupied, Senatus Pariſienſis Cauſidicus.

S.

S. Fulbertus ad an. 970. natus, cum e Roma in Galliam ſe contuliſſet, in Schola Eccleſiæ Carnutenſis publice docuit: an. 5007. Rodulpho ſucceſſit, in diœceſi Carnutenſi, quam 21. annis rexit, obiitque ad an. 1028. Hujus Epiſcopi 134. reperiuntur Epiſtolæ in Bibliotheca Patrum, & qaas fuſe exponit D. Dupin. Is fuerat diſcipulus Gerberti, qui primum Rhemis, tum Ruvennæ Archiepiſcopus fuit, ac tandem ſub nomine Silveſtri II. ſummus Pontifex. Ipſius Opera an. 1608. typis mandari curavit Carolus de Villiers, Doctor Pariſinus. Eum Galliæ Cancellarium fuiſſe ſub Roberto Rege nonaulli referunt Auctores.

S. Fulgentius, Leptæ in Byzacena Africæ Provincia ab an. 462. natus, Clericali militiæ adſcriptus, Monaſterium ædificavit; ſuſceptoque ſacerdotio tum Ruſpæ, nunc Alfaques Epiſcopus an. 504. vel ſecundum nonnullos, 508. inauguratus, obiit an. 528. vel tribus aut quatuor poſt annis, ut alii cenſent.

Fumus, (*Bartholomæus*) Dominicanus, Placentiæ natus, ſæculo decimo ſexto vivebat. Fuit Inquiſitor S. Officii. Summam caſuum conſcientiæ ſcripſit ſub hoc titulo: *Aurea Armilla*, cujus extat editio Lugduni an. 1566.

Fureterius, (*Antonius*) unus e quadraginta Academiæ Gallicæ, Pariſiis natus, ibid. 14. Maii an. 1688. ætatis ſuæ 68. an. obiit. Is fuit ſtatim Advocatus Pariſienſis Senatus, tum Procurator Fiſcalis in Curia Juridica Abbatiæ S. Germani a Pratis: poſtea factus Clericus de Abbatiu de Chalivoi Ordinis Ciſtercienſis in Bituricenſi provincia uc Prioratu de Chuines proviſus eſt. Multa iſte conſcripſit Opera ſeu ſtricta ſeu oratione ſoluta, præſertimque Dictionarium Linguæ Gallicæ, quod in iſto laudatur, Roterodami primnm *in fol.* tribus vol. edirum, in quo propria Artium, Scientiarumque vocabula omnia explicat; verum obiit imperfecta ejus editione.

G

GAbriel. *Vide* Biel.

Galli, (*Joannes*) Advocatur Generalis fuit in Pariſienſi Senatu ſub Ludovico XI. qui menſe Julio ann. 1461. Regnum adeptus eſt. Multo ante ſcripſerat, cum in Quæſtione vigeſima tertia Arreſtum a ſe relatum, præſente ſe an. 1383. fuiſſe pronuntiatum aſſeveret. Anno quippe ſequenti Generalis Advocati munus obtinuit, quo ad uanum 1414. ex Fevreto functus eſt. Ipſius Quæſtiones Juridicas explanavit Carolus du Moulin.

Gallemart, (*Joannes*) Auctor eſt, qui fuit Doctor & Profeſſor Duaci, Regiique ejuſdem urbis Gymnaſii Præfectus. Is Privilegio Regis Hiſpaaiæ 9. Junii an. 1609. conceſſo munitus Opus emiſit, a ſacra Cardinalium Congregatione dumnatum, quod multas hujus Declarationes aut immutatas aut falſas laudaſſet; idque norandam duximus, ut omnis erroris tollatur occaſio. Obſervandum pariter eaſdem perſæpe, aut adulteratas, aut falſas citaſſe, Tannerum, & Jusnnem de Cruce.

Gamachæus, (*Philippus*) Doctor & Profeſſor Sorbonicus, & Abbas S. Juliani Turonenſis an. 1612. natus 21. Jul. an. 1568. Pariſiis aa. 1625. obiit. Eruditum compoſuit Commentarium in Summam S. Thomæ an. 1627. editum.

Gurſias, (*Nicolaus*) Canoniſta Hiſpanus, Hiſpali in Andaluſia natus, decimo tertio ſæculo ad an. 1290. florebat. Tractatum conſcripſit *de Beneficiis*, in multas partes diviſum, Genevæ *in fol.* an. 1658. & Lugduni an. 1660. & 1700. pariterque Commenturium in Decretales. Is alius exiſtimandus eſt, atque Fortunius Garſias Auctor operis inſcripti *de ultimo fine Juris Civilis & Canonici*, Coloniæ in 8. an. 1585. editi.

Gavantus, (*Bartholomæus*) Religioſus e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli, vulgo Barnabitarum, a Clemente VII. an. 1533. approbata, Mediolani nutus eſt. Rituum Congregationis Conſultor & Congregationis ſuæ Generalis Præpoſitus fuit, Rubricas Miſſalis Breviariique Romani explanuvit, aliudque Opus compoſuit inſcriptum: *Manuale Epiſcoporum*. Sexta prioris operis editio vivo etiam Auctore an. 1626. promulgata eſt.

S. Gaudentius, Brixiæ Epiſcopus exeunte ſæculo quarto, & ineunte quinto florebat: Nam Philaſtrio, qui ut refert S. Auguſtinus, S. Ambroſio coæqualis fuit, ſucceſſit, an 405: Conſtantinopolim cum Legatis Sancti Papæ Innocentii I. miſſus eſt, ut Sedi ſuæ reſtitueretur S. Chryſoſtomus, obiitque ad an. 410.

Gaugericus, Auctor Hiſpanus, Theologiæ Licentiatus in Summa Cajetani a 500. annis Adnotationes compoſuit primum Duuci initio ultimi ſæculi, & iterum un. 1628. editas.

Geminianus, (*Dominicus a S. Geminiano*) celeberrimus Italiæ Cunoniſta an. 1440. ſic dictus a vico S. Geminiani in Etruria, cujus nomen retinuit, Commentarium compoſuit in Decretales & in Sextum, Venetiis un. 1578. nec non Conſilia, Juriſque Deciſiones.

Floruit etiam an. 1315. Joannes de S. Geminiano, Dominicanus & Auctor Summæ *de ſimilitudinibus rerum*, cujus prima Venetiis an. 1577. facta eſt editio, quam excepere aliæ multæ in variis urbibus.

Genebrardus, (*Gilbertus*) Ricomagi in Alvernia natus, in Abbatia Mauzacenſi Diœceſis Claromontanæ Benedictinorum familiæ adſcriptus, ſub Tarnebo humaniores Litteras, Theologiumque ſub Claudio Sanctonico edoctus, an. 1563. Doctor admiſſus eſt in Curia & Societate Navarræa, Pariſiis Hebraicam Linguam in Regio Collegio profeſſus eſt: Prioratum S. Dionyſii obtinuit, tum a Galliæ factioſis Aqui-Sextienſem Eccleſiam quinquennio rexit Epiſcopus renuntiatus. Verum poſt pacatas Regni tempeſtates perduellione damnatus eſt Arreſto quod refert primus Tomus Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, quum ob rem Avenionem ſe conſerre coactus eſt, unde ipſi conceſſa eſt facultas in Prioratum ſuum Semurienſem in Burgundia, ubi 14. Mar. an. 1597. ſexagenarius obiit. Auctor eſt Chronici, quod in an. 1384. deſinit. Librum quoque emiſit *de ſacrarum Electionum jure, & neceſſitate*. Pariſiis *in* 8. an. 1593. Lugduni an. 1564. & Leodici an. 1601.

Genet, (*Franciſcus*) Avenione 18. Oct. 1640. natus, in Seminario Anicienſi, & poſtea Lugdunenſi S. Sulpicii inſtitutus, ab Antonio de Mariuis Lugduni Archiepiſcopo Theologiæ Profeſſor electus eſt. Juridici Doctoris Lauream obtinuit, Curſumque Moralis diſciplinæ 8. vol. *in* 12. publicavit, qui approbatus eſt ub Illuſt. & Rever. D. Le Camus Epiſcopo Gratianopolitano & poſtea Cardinali, qui hujuſce Lectionem Mandato ſuo 15. Febr. an. 1676. imperavit, & ab Illuſtr. & Rever. Epiſcopis Bellovaci, Agathæ, Valentiæ, Agini, Genevæ, Lucionæ &c. a Cardinali Cupiſucchi. Ab Inquiſitore Generali Avenionenſi & a decem Sorbonicis Doctor. 16. Martii an. 1677. editio illius libri perfecta eſt. Hunc Auctorem Canonicum & Theologum Avenione deſignavit Innocentius XI. & ad Epiſcopatum Vaſionis in Vindaſcino Comitatu Cardinalis Cibo ſuffragiis productus, Romæ 25. Mar. an. 1686. Epiſcopus inauguratus eſt 17. Octob. an. 1702. ætatis 62. torrentis uquis inter Avenionem & Vaſionem obiit.

Gennadius, Muſſilienſis Sacerdos, exeunte quinto ſæculo floruit, librumque compoſuit dogmatum Eccleſiaſticorum, qui inter Opera S. Auguſtini reperitur. Ad un. 492. mortuus exiſtimatur.

Gentil, (*Joannes*) Canonicus & Vicedominus Eccleſiæ Rhemenſis, Conſiliarius fuit in ſuprema Curia decimarum, Pariſiis conſtituta. His Acta, Tabulas, ac Monita Cleri Gallicani 6. vol. Pariſiis an. 1675. edita digeſſit atque ordinavit.

Gentilis, (*Albericus*) Matthæi Gentilis Medici Itali & in Piceno ex antiqua ac nobili ſtirpe oriundus filius, a Catholica Religione deſcivit, atque in Carniolam cum Alberico Primogenito ſuo & Scipione e ſeptem filiis ſuis penultimo ſeceſſit. Albericum in Angliam miſit, ubi Oxonii an. 1588. in Univerſitate Profeſſoris Juris munus adeptus eſt, cujus Lauream Peruſiæ ætatis 21. an. obtinuerat, Aſcolitanuſque Judex poſtea factus fuerat ante diſceſſum. Hic Auctor Proteſtantium hæreſim, molli tantum, ut queritur Voetius, brachio amplexus eſt; ſuſceptu videlicet Vulgatæ Latinæ, indiſſolubilitate Matrimonii, nec non primi Machabæorum Libri Auctoritatis defenſione: 19. Junii an. 1608. ætatis ſuæ 58. Londini obiit. In lucem emiſit 1. tres Libros *de Jure belli*, quos utique ad ſuos uſus convertit Grotius. 2. tres quoque conſcripſit *de Legationibus*. 3. Tractatum *de vi Civium in Regem ſemper injuſta*. 4. Septemdecim diſputationes in duos Codicis Titulos, quos juſſu ſuo Comiti Pembrochio patrono ſuo nuncupavit proprius filius. 5. Opus aliud præcipuum, quod inſcribitur: *de Juris interpretibus*. 6. tandem Tract. inſcriptum: *De Advocatione Hiſpana*, quod omnium Cauſſarum ſubditorum Regis Hiſpaniæ perpetua in Anglia actor fuerat conſtitutus.

Gentilis, (*Scipio)* Alberici frater, non minus, quam ipſe, Juriſprudentiæ fama inclytus, in Caſtello ſancti Geneſii in Italia anno 1563. natus eſt. Studiorum cauſſa Tubingam miſſus a Patre, Humaniores Litteras ac præſertim Poeſim, linguamque Græcam a Martino Cruſio didicit, tum Vitembergam, poſtea Lugdunum Batavorum venit, ubi Hugonem Donellum & Juſtum Lipſium audivit, indeque Baſileam redux, anno 1589. Doctoris Juridici inſigne obtinuit, tum Heidelbergam perrexit, ac primus Juriſprudentiæ Profeſſor an. 1590. Altdorfii, & Norimbergæ Conſiliarius evaſit. Obiit an. 1616. Præcipua ejus Opera ſunt: *1. de Jure publico Populi Romani.* 2. duo libri *de Conjurationibus*. 3. Libri quatuor *de Donationibus inter Virum & Uxorem*. 4. Libri duo *de bonis Maternis, & ſecundis nuptiis*. 5. Libri tres *de Juriſdictione*. *6. Commentarii in Pauli Epiſtolam ad Philemonem. 7. De erroribus Teſtamentorum quæſtiones ad Africanum Juriſconſultum*, aliique nonnulli Tractatus. Cæterum Proteſtantium Religionem, uti frater, profitebatur.

Gerbais (*Joannes*) e pago Diœceſis Rhemenſis ortus, Doctor Socius Sorbonicus an. 1661. & Eloquentiæ Profeſſor an. 1662. admiſſus, Tractatum Latinum *De Cauſis Majoribus*, ann. 1679. editum, & alterum Gallicum *De Poteſtate Regum in Matrimonium* Pariſiis *in* 4. anno 1690. Librum quoque de Peculio Religioſorum &c. compoſuit; 70. annos natus 14. Aprilis an. 1699. obiit.

S. Germano, (*D. de*) Verbi divini Præco inſignis, Auctor eſt Libri inſcripti: *Examen generale omnium ſtatutorum* duobus vol. *in* 12. prima vice Pariſiis an. 1670. typis mandati.

Gerſo, (*Joannes Charlier*) Gerſo cognominatus, e pago ad Retelium, ubi 14. Decembris anno 1363. natus eſt, in Diœceſi Rhemenſi poſito, Doctor Pariſienſis an. 1392. Petro de Alliaco, cujus fuerat auditor, in dignitatem Cancellarii & Canonici Eccleſiæ Pariſienſis an. 1393. ſucceſſit, atque Conſtantienſi Concilio quaſi Pariſienſis Univerſitatis deputatus, nec non Galliæ Legatus adfuit: obiitque Lugduni ex D. Dupin an. 1436. ætatis an. 76. Ipſum in ſanctorum Lugdunenſis Eccleſiæ Catalogum refert Theophilus Reginaldus Jeſuita, & in ejus honorem Sacrarium ædificari juſſit Carolus VIII. Opera ejus primum Coloniæ an. 1483. typis ſunt mandata, quorum novam omnibus ſuperioribus anteponendam editionem fieri curavit D. Dupin; hæc autem pertinet ad fidem, poteſtatemque Eccleſiaſticam. Idem Auctor multos etiam in lucem Tractatus emiſit: De Auctoritate ſummi Pontificis: De Schiſmate. De Unitate Eccleſiæ. De variis Statibus. De Officiis & Privilegiis Eccleſiaſticorum. De Parochis. De Religioſis: alioſque complures dogmaticos Morales, & ad Pietatem pertinentes, quos uti Regulares propoſuere diverſarum Diœceſium triginta eoque amplius, Rituales.

Gigas, (*Hieronymus*) Mediplanenſis Juriſperitus, novi Foroſempronii, (quæ urbs eſt Status Eccleſiaſtici in veteris ruinis extructa in Ducatu Urbinate) natus, Tractatum emiſit *de Penſionibus Eccleſiaſticis*, quem dicavit Cardinali Benedicto de Accolti, quem purpura ſacra 3. Maii an. 1527. Clemens. VII. inſignivit, & qui ann. 1549. mortuus eſt. Hic Auctor etiam Conſilia, ſeu Juris Deciſiones ſcripſit & Librum de Crimine Læſæ Majeſtatis. Liber ejus *de Penſionibus* Lugduni primum an. 1546. tum an. 1563. *in* 8. & Venetiis an. 1570. *in* 4. tandemque Coloniæ an. 1619. *in* 8. editus eſt.

Gloſſa ordinaria, cujus primus Auctor putatur Walafridus Strabo, dignior tamen ex Criticorum Judicio, Commentatoris, quam Gloſſatoris appellatione, quod litteralem Scripturæ ſenſum explicare non contendat ſolum, ſed ſubtilia, quæ ad litteram ſui textus non pertinent, ſæpe inquirat. Dictum eſt, *Primus Auctor*; duo namque alii fuere non contemnendi. Prior eſt Nicolaus de Lyra, cujus brevis in hoc indice texitur hiſtoria, & quem ipſius adſcriptiones & explicationes Strabonis Gloſſæ additæ, non minus Hebraicæ quam Græcæ Linguæ peritum fuiſſe oſtendunt. Alter eſt Paulus de Burgis, qui e Judaico cultu ad veram fidem converſus legendo D. Thomæ Opera, poſtea fuit Epiſcopus Carthaginis, tum Archiepiſcopus Burgenſis, tandemque Aquilejæ Patriarcha 29. Auguſti an. 1435. obiit poſt factas additiones maximi momenti adſcriptionibus Nicolai de Lyra in univerſa Biblia. Hæc gloſſa multoties typis eſt edita, ſed præſertim Baſileæ an. 1507. Lugduni an. 1520. Pariſiis an. 1588. deinde Duaci & alibi.

Gloſſa in 50. Libros Digeſtorum, & 12. lib. Codicis &c.

Gloſſa in Decretum Gratiani. Primus hujuce Gloſſæ Auctor eſt Hugo, ſeu Hubutio, quo Profeſſore Innocentius IV. 24. Junii ann. 1243. electus Papa Juriſprudentiæ operam dederat; Alter eſt *Joannes Teutonicus*, & Teatini. *Bartholomæus Brixienſis*.

Gloſſa in Decretales Gregorii IX. quam compoſuit *Bernardus de Botone* ortu Parmenſis & Bononiæ Canonicus.

Gloſſa in Sextum Decretalium, in Clementinas & Extravagantes, cujus Auctor eſt *Joannes Andreas*. Tres alii quoque fuere Extravagantium communium Interpretes, videlicet, *Joannes Monachus Picardus Cardinalis*; *Guillelmus de Monte Laudano*, & *Joannes Franciſcus de Pavinis Joanne Andrea* poſterior. Tandem Auctores Gloſſæ in Extravagantes Joannis XXII. ſunt *Zenzelinus*, vel *Gonzelinus de Caſſanis*, & *Guillelmus de Monte Laudano* & *Joannes Franciſcus de Pavinis* Rotæ Auditor adſcriptiones ad marginem adiecit.

Gloſſa in Pragmaticam Sanctionem a Guimierio vero ejus Auctore an. 1486. facta eſt.

Godeau, (*Antonius*) e Tributorum deſcriptore Droci natus, unus fuit inter quadraginta Regiæ Academiæ, & inter primos, qui hujus conſtituendæ occaſionem præbuere an. 1636. Gratiæ Epiſcopus a Rege deſignatus, ad Vincii poſtea Diœceſim translatus eſt 3. volum. *in folio* an. 1653. Eccleſiaſticam Hiſtoriam complexus eſt; novumque Teſtamentum Gallice reddidit, aliaque emiſit Opera, quorum ultimum, quod Poſthumam an. dumtaxat 1709. in lucem prodiit, inſcribitur *Moralis Chriſtiana* ad inſtructionem Parochorum & Sacerdotum Diœceſis Vincienſis compoſita. Paraphraſis ejus Gallicis carminibus in Canticum *Benedicite*, univerſum ei omnium applauſum, præſertimque Cardinalis Richælii exiſtimationem conciliavit. Epiſtolas quoque Doctoris Pauli, & Epiſtolas Canonicas liberius explanavit, quibus accedunt, Meditationes ejus in Epiſtolam ad Hebræos: Vita Sancti Pauli, Sancti Auguſtini, & Sancti Caroli, verſio Pſalmorum Gallicis carminibus, aliique permulti Tractatus ſeu ſoluta ſeu ſtricta oratione conſcripti, quos omnes commendat peculiaris ejuſdem pietatis ſenſus. Epiſcopus iſte non minus rei literariæ quam pietatis amans Doctor, Auguſtini doctrinam amplexus fuerat ea animi moderatione, quam e veris diſcipulis ſuis exigit hic Doctor. Tandem apoplexia extinctus eſt vigeſimo primo Aprilis anno 1672. natus anno 67.

Godefridus, (*Dionyſius*) Pariſiis 17. Octobris an. 1549. natus eſt. Peritus hic Juriſconſultus parta in Senatu illuſtri gloria, Conſiliarii munus an. 1589 obtinuit, Genevam poſtea ob civilia bella ſecedere coactus, deinde in quibuſdam Germaniæ Univerſitatibus Jus publice profeſſus eſt, Cathedramque Cujacii morte vacuam recuſavit. Ab electore Palatino ad Ludovicum XII. legatus, a Rege ipſius Effigiem ac Numiſma aureum munus accepit. Menſe Septembris an. 1622. ætatis 73. obiit. Ab eo ſcripta accepimus 1. Juris Originem. 2. Praxim Civilem. 3. Annotationes in Jus, uti prius fecerat Accurſii Pater & Filius. 4. Notas in Pandectas & Novellas. 5. Commentarium in Conſuetudinem Aurelianenſem, aliaſque permultas. 6. Hiſtoricos Romanos. 7. Hiſtoriam Antiquam & alia multa præclara opera. Theodorus Godefridus ipſius Primogenitus Catholicam Religionem, a patre ejuratam, amplexus eſt; at Jacobus Dionyſii natu minor filius fratris exemmplum non eſt ſecutus, ac Genevæ an. 1652. quinquageſimo ſexto anno natus obiit. Theodorus jam Monaſterii ab anno 1649. e vita migrarat. Godefridus noſter a Godefrido Dionyſio differt, quem Galliæ Hiſtoriographum ſupra vidimus.

Guffredus, vel *Goffridus de Fontibus*, Canoniſta & Juriſconſultus, vivebat ante tempora Conradi de Fummenhart, qui initio Sæculi decimi ſexti floruit. Decretales commentatus eſt.

Goffredus, trium ultimorum librorum vitæ S. Bernardi Auctor, cujus fuit Amanuenſis. Abbas fuit Igniaci in Diœceſi Rhemenſi, tum Claravallis an. 1162. tum an. 1175. Foſſam novam in Italiam venit, cujus Abbas extitit, deinde Altæ Columbæ, ubi exeunte eodem Sæculo mortuus eſt.

Goffredus de Trano. Hic Auctor fuit Subdiaconus Capellanus Papæ an. 1470. Poſt Bernardum Parmenſem Decretales commentariis illuſtravit.

Gemos, (*Ludovicus*) Orihuelæ, quæ urbs eſt Epiſcopalis Hiſpaniæ in Regno Valentino natus, Patavii Juriſprudentiæ operam dedit. Samiacum Epiſcopatum

Prin-

Digitized by Google

Principatus Citerioris in Regno Neapolitano obtinuit, & ann. 1543. mortuus eſt. Scripſit in Regulas Cancellariæ Romanæ, duoſque deciſionum libros compoſuit, &c.

Gonet, (*Joannes Baptiſta*) Blitere in Occitania natus Doctor Theologus, Profeſſor Univerſitatis Burdigalenſis ultimo ſæculo, & Dominicanus, Theologicum curſum compoſuit iuſcriptum: *Clypeus Theologiæ Thomiſticæ*, quinque vol. *in fol.* an. 1659. editum. Tertia editio Pariſiis an. 1669 confecta eſt.

Gonzalles Tellez, (*Emmanuel*) Juris Canonici Salmanticæ profeſſor, & ſupremi Tribunalis Inquiſitionis Conſiliarius, doctum in Decretales Commentarium emiſit Lugduni an. 1673. editum, qui præclaras Juris Deciſiones ac permultas continet, quibus curioſas Hiſtoriæ & Geographiæ inquiſitiones intexuit. Hoc opus iterum typis eſt editum Francoſurti ann. 1590. & Lugduni ann. 1692. 5. volum. *in folio*, & Venetiis ann. 1699 etiam 5. volum.

Graſſius, (*Jacobus*, Cognomine de *Graſſis*) Capuæ natus an. 1548. Benedictinus Monaſterii ſancti Severini Neapolitani, e Congregatione Montis-Caſſini, Juris fuit Doctor, Proto-Pœnitentiarius Neapoli, Opus Morale is nobis dereliquit inſcriptum: *Deciſiones aureæ*, *in* 4. quatum pars prior in quatuor Libros, & altera priori addita ann. 1593. in quatuor quoque Libros dividitur. Prima hujus editio Neapoli anno 1590. facta eſt, totumque opus ter Venetiis, bis Taurini, tum Lugduni & Antuerpiæ denuo impreſſum fuit.

Graſſaliis, (*Carolus de*) Juris Doctor Carcaſone natus, Lugduni an. 1538. & Pariſiis an. 1545. Opus *in* 8. typis mandavit inſcriptum: *Libri duo, Jura omnia & dignitates Chriſtianiſſimorum Galliæ Regum continentes*: in ſecundo Libro agit de Regaliis.

Gratianus, Monachus Benedictinus in Monaſterio S. Felicis & S. Naboris Bononienſis, Cluſii in Etruria natus, an. 1151. ſub Pontificatu Eugenii III. primam Corporis Juris Canonici partem collegit, quæ vulgo *Decretum Gratiani* dicitur, ab ipſo inſcripta; *Concordia Diſcordantium Canonum*. Hoc opus 3090. Canones complectens, in duas partes dividitur. Prima centum & unam Diſtinctionem, altera triginta ſex cauſas ſubdiviſas in quæſtiones continet: & tertia in quinque Diſtinctiones, quas vocat *de Conſecratione*, diſtribuitur. Prima Decreti editio Moguntiæ in lucem prodiit an. 1472. juſſu Pii IV. & S. Pii V. Romæ an. 1580. emendatum, approbante Gregorio XIII. editum eſt. Cum Gratianus erraſſet, ſancto Clementi cæteriſque trium priorum ſæculorum plures Epiſtolas Decretales falſo adſcribens, Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus Librum Eximium confeci, inſcriptum: *De Emendatione Gratiani*, quo huic rei obviam iret, quod ante ipſum jam confecerant Antonius Demochares, aliique Correctores.

S. Gregorius Nyſſenus, ad an. 330. natus, an. 372. Nyſſæ in Cappadocia Epiſcopus fuit electus. Is fuit frater ſancti Baſilii Magni, Sebaſtes in Armenia Epiſcopi, & ſanctæ Macrinæ Abbatiſſæ; an. 382. Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano, & alteri Concilio in eadem urbe habito an. 394. adſuit, ac biennio poſt obiit.

S. Gregorius Turonenſis, in Alveruia natus, Turonenſis Epiſcopus electus eſt an. 572. vel ex Baronio an. 574. obiitque 27. Novemb. an. 595. Præcipua ejus opera ſunt: *De gloria Martyrum, Liber unus. De gloria Confeſſorum, Libri duo. De Hiſtoria Francorum, Libri* 10.

S. Gregorius Magnus. *Vide* Indicem Summorum Pontificum.

Gregorius Toloſanus, (*Petrus*) a Toloſa Patria ſua ſic dictus, Juriſprudentiam Cadurci, Toloſæ & Muſſiponti profeſſus eſt. Ann. 1581. Opus in Jus Canonicum duobus volum. emiſit inſcriptum: *Syntagma Juris*. Tractatum quoque confecit: *De Uſuris*, an. 1597. Pariſiis *in* 8. alterum: *De Beneficiis Eccleſiaſticis*. Lugduni *in* 8. an. 1602. & Coloniæ an. 1607. editum. Muſſiponti an. 1574. obiit.

Grimaldi, (*Hieronymus*) Genuæ natus, Albani Epiſcopus, Aquarum-Sextiarum in Provincia Archiepiſcopus, Romæ Gubernator, Pontificius in Germaniam an. 1632. & in Galliam ann. 1641. Legatus: ab Urbano VIII. ann. 1662. Cardinalium numero adſcriptus, Aquis-Sextiis an. 1685. Cardinalium Decanus obiit ætatis ſuæ an. 90.

Grimaudet,) *Franciſcus*) Advocatus pro Rege, Duceque Andegavenſi in Præſidiali Andegavi curia, Opus conſcripſit, cui titulus: *Paraphraſis Juris Decimarum Eccleſiaſticarum & Feudalium*: an. 1570. D. Huraut, Ducis Andegavenſis Cancellario ab Auctore nuncupatum & *in* 8. primum an. 1572. & denuo an. 1586. & 1674. *in* 8. editum. Omnia ipſius Opera Juridica an. 1669. Ambiani *in folio* impreſſa fuere. Is fuit, inquiunt nonnulli, Rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimus; qui tamen non talis habitus eſt in ſua oratione inſcripta: *Suaſio ad Audium Comitia*, Pariſiis an. 1560. edita; in qua loquens de Eccleſia, & neceſſitate convocandi Concilii Oecumenici, ſex in medium attulit conpoſitiones, quas Facultas Theologica Pariſienſis, 30. Aprilis ann. 1561. uti temerarias & ſchiſmaticas comdemnavit, & quartam & quintam etiam Hæreticas declaravit. Factum illud refert D. Dupin & ipſa quidem ſex propoſitionum verba in tertia parte Sæculi ſexti Cap. 4. ſ. 9.

Grotius, (*Hugo*) Delfis in Batavia an. 1583. natus, Roterodami an. 1613. Conſul fuit, a Chriſtina Sueciæ Regina in Galliam legatus, ubi annis undecim commoratus eſt. Roſtochii Mekelburgenſis provinciæ an. 1645. e Suetia in Bataviam rediens mortuus eſt. Eruditos promulgavit libros, ut *de Jure belli ac pacis*, *Libros tres*: *Annotationes in totam ſacram Scripturam*, &c.

Gueſſer, (*Franciſcus Jamet de*) in Parlamento Pariſienſi an. 1654. Cauſidicorum numero adſcriptus una cum Joanne du Frene ejuſdem Parlamenti diarium forenſe ab anno 1623. incipiens, confecit. *Vide* Frene.

Guibertus, apud Bellovacos natus, in Monaſterio S. Germarii in Diœceſi Bellovaci Religioſam amplexus diſciplinam, anno 1104. Nogenti, ubi anno 1124. obiit: Abbas fuit electus. Tractatum de Reliquiis Sanctorum confecit inſcriptum: *de pignoribus Sanctorum*; Commentarium Morale in ſacram ſcripturam; Tractatum de veritate Corporis Chriſti in Sacro Sacramento; alterum inſcriptum: *Geſta Dei per Francos* &c. Ipſius Opera uno volum. *in folio*. Domnus Lucas d' Acheri cum notis an. 1651. in lucem emiſit.

Guydo Papa. Hic Auctor Lugduni natus, ubi aliquandiu Cauſas egit, poſtea in Delphinato Conſilio Conciſtorialis Advocatus, tandem in Gratianopolitano Parlamento Conſiliarius admiſſus eſt anno 1440., cum Delphinatus Conſilium Parlamenti jure ac nomine decoraſſet Ludovicus XI. Caroli VII. Filius. Obiit an. 1475. Ab eo accepimus volumen *in folio* Lugduni ann. 1544. & Francofurti ann. 1573. editum, quo continentur 633. quæſtiones Jure ſolutæ, totidemque ferme hujuſce Parlamenti Arreſtis. Novem periti Juriſconſulti, inter quos fuere *Joannes a Cruce*, ejuſdem Parlamenti Præſes, & poſtea Maſſilienſis Epiſcopus, *Jacobus Ferrerius* in Toloſano Senatu Cauſidicus, qui multos etiam alios de Jure Tractatus compoſuit; & *Stephanus Ranchia* Juris Profeſſor Monſpeſſolii, & in ejuſdem urbis Rei Tributariæ Curia Conſiliarius, hoc opus amplis atque utilibus annotationibus, exeunte Sæculo decimo quinto, illuſtrarunt. Idem etiam Juriſconſultus volumen conſiliorum ſcripſit: Tractatum de beneficio Synopſis bonorum, & alios quoſdam in Digeſta & Codicem, cum Commentario *in folio* in Decretales.

Guillelmus Antiſſiodorenſis, e Familia Seignelaicorum ortus, Germanus S. Bernardi, & Frater Manaſſei Epiſcopi Aurelianenſis. Is fuit primus Antiſſiodorenſis, tum Pariſienſis Epiſcopus, qui obiit an. 1223. non ut exiſtimavit Bellarminus, an. 1240. Summam Theologiæ compoſuit, & alia Opera; a Vincentio Bellovaci dictus *Libertatis Eccleſiæ Defenſor venerabilis*.

Guillelmus Pariſienſis. Epiſcopus iſte inter ſex cognomine tertius, Aureliaci in Alveruia natus, Philippi II. dicti Auguſti, ab initio fuit Medicus; tum quinquennio poſt Regis hujus obitum, hoc eſt, anno 1228. Pariſienſis Epiſcopus factus eſt. Theologiam docuerat publice, ac ſacris concionibus nomen ſibi fecerat. Menſe Martio Hebdomada majori ann. 1240. obiit, Scripſit *de Collatione & pluralitate Beneficiorum*, multoſque alios Tractatus emiſit, qui ad Theologiam Moralem, ac Pietatem ſpectant, Venetiis anno 1591. editos; Verum multo copioſior eſt editio Aurelianenſis anno 1674. Dictus eſt *Gemma Sacerdotum, Cleri decus*.

Guillelmus Tyrius. De patrio veteris hujus Præſulis natali ſolo diſſentiunt Auctores, quorum alii e Gallia, alii e Germania, alii tandem e Syria ortum volunt; in Occidente Litteris operam dedit, cumque in Occidentem migraſſet, Archidiaconus Tyri in Phœnicia an. 1167. tum ejuſdem urbis Archiepiſcopus ann. 1174. factus;

ctus, Concilio generali Lateranenſi ſub Alexandro III. adfuit, cujus Acta conſcripſit. Tyrum redux, & aliquandiu Conſtantinopoli prope Imperatorem Commenam commoratus, obiit viginti poſt menſibus a diſceſſu Roma, extinctus veneno, quod ipſi porrexir Medicus inſtante Heraclio ipſius Competitore ad Patriarchatum Hieroſolymitanam. Belli ſacri Hiſtoriam ſcripſit, quæ ab an. 1095. in an. 1180. deſinit; atque hoc opus in 23. Libros diſtribuit, quorum ultimus aſt imperfectus. A Summo Pontifice in Galliam ob bellum ſacrum miſſus eſt.

Gaymierius, (*Coſmas*) Librarii Pariſienſis filius, ſtatim Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Thomæ in Lupara, poſtea primæ Inquiſitionum Curiæ Senatus Pariſienſis ann. 1500. Præſes factus eſt. Is eſt Germanus Auctor Gloſſæ in Pragmaticam Sanctionem, uti ſolide probat Franciſcus Pinſſon Advocatus in eodem Senatu, in Carolum du Moulin, qui Gloſſam illam D. Marechal, Guymierii Socero, falſo tribuerat. Cæterum magnam bujuſce Gloſſæ partem e ſcriptis Henrici Boich Guymierius hauſerat.

H

Habert. Eo nomine fuere duo Viri doctrina conſpicui. Prior eſt Iſaac Habert, inclytus Sorbonæ Doctor, Pariſienſis Eccleſiæ Theologus, poſtea Vabrarum Epiſcopus an. 1645. qui Librum compoſuit, *de Juſtitia Connubialis edicti*, in quo probat Ordinationes Ludovici XIII. de Matrimonio Concilio Tridentino non eſſe adverſas. Alter eſt Ludovicus Habert natu Bleſenſis, Doctor e Domo & Societate Sorbonica, qui Doctoris Lauream 15. Maii an. 1168. adeptus, indeſinenter fuit Canonicus & magnus Vicarius Luconienſis, Antiſſiodorenſis, ac Verodunenſis, & tandem Catalaunenſis. Veroduni degens eximium Tractatum emiſit uno volum. *in* 12. inſcriptum: *Praxis pœnitentiæ*. Cum in Sorbonicam domum ſeceſſiſſet, Latine aliud opus Theologiæ integrum 9. tomis *in* 12. promulgavit, quorum primus ann. 1709. & ultimus ann. 1712. in lucem prodiit. Eam autem Theologiam in Seminariis diœceleon, de quibus modo dictum eſt, edocuerat. Obiit in Curia Sorbonica 7. Aprilis an. 1718. natus an. 82. & menſes 9.

Hslenſis (*Alexander*) vel a pago Gloceſtriæ in Anglia, ubi natus eſt, vel a Monaſterio Halenſi, ubi fuit inſtitutus in Cheſtriæ Comitatu, ita cognominatus, an. 1212. factus Franciſcanus, Pariſios ſe contulit, ubi Doctoris Theologi inſigne adeptus, Philoſophiam poſtea & Thelugiam, auditoribus D. Bonaventura & D. Thoma publice docuit. Is Theologiæ Summam 4. vol. *in fol.* efflagitante Innocentio IV. compoſuit Norimbergæ, primum an. 1482. & Lugduni an. 1576. editam.

Henricus Gandavenſis, ſic dictus a Gandavo patria in Belgio, Doctor fuit & Theologiæ Profeſſor Pariſiis, & Tornaci Arcbidiaconus, & an. 1293. 8. Septenbris. ætatis ſuæ an. 76. obiit Opus ia confecit inſcriptum; *Quodlibeta Theologica*, Venetiis an. 1515. & Pariſiis triennio poſt typis editum: Summam Theologicam, & Librum de Viris illuſtribus, nec non alios Tractatus Theologiæ & Moralis. Dictus eſt *Doctor ſolemnis*.

Henriquez, (*Henricus*) Jeſuita Luſitanus, cujus Suarez auditor fuit, Salmanticæ Theologiam profeſſus eſt, ſcripſitque in Molinam, licet profeſſione Socium. Obiit in Italia an. 1608. vel juxta Tirinum, an. 1610. Summam Theologiæ Moralis tribus volum. compoſuit, & Tractatum *de Clavibus Eccleſiæ*.

Henrys, (*Claudius*) in Balliviatu & Præſidiali Curia Foreſii, natalis ſoli, Regius Advocatus, peritiſſimus fuit Juriſconſultus. Æqualis D. Seguier Cancellarii, a quo Pariſios eſt accerſitus, ut variam Parlamentorum Regni Juriſprudentiam conciliaret; At irritum fecit tam probabile conſilium D. Seguier offenſio, Regiorum Sigillorum munere ſpoliati. Bibliothecam ab eo accepimus, aut potius Arreſtorum Collectionem duobus volum. *in folio*, quorum volumen quodlibet in Libros, Capita, & Quæſtiones dividitur. Opus illud Pariſiis an. 1662. typis ipſe mandari curavit, quod poſtea ann. 1708. editum eſt.

Herardus, an. 855. ſub Pontificatu Nicolai I. & regnante Carolo Calvo, Turonenſis Archiepiſcopus electus, an. 858. Synodum habuit, in qua 140. Capitularia ſeu ſtatuta publicavit ad morum Eccleſiaſticæque diſciplinæ reformationem. Obiit anno 871.

Heſſelius, (*Joannes Heſſels*) Doctor & Profeſſor Lovanienſis, natus an. 1522. per octo annos Theologiam in Abbatia Parcenſi, Ordinis Præmonſtratorum, poſtea Lovanii profeſſus eſt, cum Bajo & Janſenio, qui poſtea Gandavenſis Epiſcopus fuit, Concilium Tridentinum petiit, ac 7. Novenbris ann. 1566. obiit. Inter ejus opera præſtat Summa Theologica Moralis, inſcripta: *Catechiſmus &c.* Lovanii an. 1572. edita.

S. Hieronymus. Hic Doctor Eccleſiæ ad ann. 340. Stridone urbe in finibus Dalmatiæ & antiquæ Pannoniæ poſita natus, Romæ, ubi baptizatus eſt, liberalibus diſciplinis operam dedit: Hieroſolymam & Antiochiam venit, tum ad ann. 372. in Syriæ ſolitudinem ſeceſſit, unde Antiochiam reverſus circa ann. 375. ab Epiſcopo Paulino ſacerdos factus, Conſtantinopolim migravit, ubi Gregorii Nazianzeni conſuetudine uſus eſt, indeque Romam, ubi Damaſi Papæ Amanuenſis fuit, poſt cujus mortem Bethleem in Palæſtina, circa ann. 385. ſe contulit. Incerta eſt ipſius mortis epocha; ann. tamen 420. aut ſaltem paucis poſt annis obiiſſe creditur.

(Hilarius.)
(Honorius III.) *Vide* Indicem Summorum Pontificum.
(Hormiſdas.)

S. Hilarius, Pictavii natus Gentilis, Apræ nupſit, e cujus Matrimonio filium ſuſcepit. Ætate jam provectus Chriſtiana fide imbutus, uxoris quoque Converſionem procuravit: Anno 356. in Phrygiam relegatus eſt, Seleuciæ Concilio an. 359. adfuit; atque Conſtantinopolim Legatos hujus Concilii proſecutus eſt, unde Saturni Arelatenſis Epiſcopi Ariani in Gallias exul miſſus, huc pervenit an. 360. tandem Pictavii ann. 368. obiit. Duos Libros conpoſuit de Trinitate, ac Pſalmos & ſanctum Matthæum in Commentariis explanavit. Anno 1693. nova operum hujus Doctoris editio ſuperioribus longe perfectior, cura ac ſtudio Reverendiſſimorum Patrum Benedictinorum in lucem prodiit.

Hilarius. Hic fuit Eccleſiæ Romanæ Diaconus, quem Liberius Papa ad Imperatorem Conſtantium miſit ad defenſionem Orthodoxæ fidei contra Arianos, pro quibus ſtabat hic Princeps, qui eum exilio damnavit: Verum infeliciter Schiſmate poſtea implicitus propugnavit, Baptiſmum ab Hæreticis collatum eſſe invalidum. Commentarius in Epiſtola S. Pauli, qui inter Opera S. Ambroſii reperitur, illius eſſe fertur, uti Quæſtiones in vetus novumque Teſtamentum, Quæſtionibus Sancti Auguſtini Inſertæ.

Hincmarus, ann. 800. natus, Religioſus, ex Ordine S. Benedicti in Monaſterio S. Dionyſii in Gallia, tum Rhemenſis Archiepiſcopus electus ab Epiſcopis Bellovaci an. 844. coactis, 21. Decembris an. 882. in Campania Sperniaci obiit. Is fuit ſtudioſus Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ defenſor, a quo accepimus Capitula pro ſua Eccleſia, Epiſtolas, & Tractatum de Prædeſtinatione & libero Arbitrio &c. Operum ejus a Patre Sirmondo an. 1645. perfecta eſt editio.

Hiſtoria Neapolitana.

Hofman, (*Joannes-Jacobus*) Doctor proteſtans Heidelbergæ Profeſſor Hiſtoriæ & Linguæ Græcæ Baſileæ, Auctor Lexici Univerſalis, quod Hiſtoriam ſacram & profanam omnium Sæculorum & Nationum, nomina Auctorum celeberrimorum, Animalium terreſtrium & aquaticorum, Plantarum, Lapidum, Gemmarum, Regionum, Urbium, Marium, Fretorum, Lacuum, Fluviorum &c. continet. Ampliſſimum illud Opus Genevæ primum, quod ab Auctore auctum magis vigeſimo poſt anno quatuor vol. *in folio* ann. 1698. Lugduni Batavorum typis mandatum eſt.

Horri, (*Claudius*) natu Pariſienſis, fuit Notarius Apoſtolicus, forique Archiepiſcopalis Pariſienſis Procurator, qui Patri eodem in Munere circa medium ultimum Sæculum ſucceſſit, quædam emiſit Opera, quæ legitimam curiarum Eccleſiaſticorum Juriſdictionem continent, quorum ultimum an. 1703. typis fuit impreſſum.

Hoſtienſis: *Henricus de Secuſia*, ut loquitur Joannes Andreas, *a Seguſio* vel *Seguſia*, urbe Pedemonti ſic dictus, primo Archidiaconus, tum Segeſteronenſis Epiſcopus, denique Ebredunenſis Archiepiſcopus medio ferme Sæculo decimo tertio, ab Urbano IV. ad ſacram purpuram an. 1262. evectus eſt. Quidam mortis ejus ann. 1267. alii 1281. præfiniunt: Verum Sammarthani, firmis probat argumentis ipſum an. 1271. obiiſſe, uti advertit

D.

Digitized by Google

D. Dupin. Summam Juris primum Baſileæ an. 1537. & 1573. tum Lugduni an. 1588. & 1597. impreſſam compoſuit, & Commentarium in Decretales Romæ ann. 1470. editum, & iterum Romæ an. 1473. & Venetiis an. 1498. & 1581. Dictus eſt vir ille Magnus *Fons & ſplendor utriuſque Juris*.

Hugo a *ſancto Victore*, vel *Victorinus*, non e Saxonia, ut fert quorumdam opinio, verum a Belgio in Agro Yprenſi, natus, dictus eſt a *ſancto Victore*: 1. quia Canonicus fuit Regularis, tum Abbas ſancti Victoris Monaſterii, ubi an. 18. an. 1115. religioſam emiſerat profeſſionem. 2. ut a decem ejuſdem nominis Auctoribus ſecernatur. Theologiam ab an. 1130. ad mortem, quæ contigit 11. Febr. 1142. profeſſus eſt. Multa compoſuit Opera Theologica tribus tomis, Pariſiis primo an. 1526. & ab eo tempore iterum Venetiis, Moguntiæ, Rhotomagi, & alibi impreſſa.

Hypocrates, e Coo inſula, una ex Cycladibus, primus fuit, qui artem Medicam ad præcepta ſeu regulas redegit, natus ante Christum ann. 460. Ipſius Opera Romæ an. 1532. poſtea Venetiis, Francofurti, Pariſiis, & Lugduni Batavorum fuere edita.

Hypolitus, cognomine de Marſiliis, eruditus Juriſperitus, qui Bononiæ an. 1524. Juriſprudentiam profitebatur, & diverſis Tribunalibus poſtea per 22. annos præfuit. Commentarium publicavit in unicam Codicis legem: *de Raptu Virginum*: Tractatum *de Probationibus*, quem ipſe Bononiæ an. 1528. typis mandari curavit, cum alio tractatu ſub hoc titulo: *Repetitio legis de unoquoque ff. de re judiciaria*. Alium quoque Librum emiſit, inſcriptum: *Praxis rerum Criminalium*, Francofurti an. 1587. Tractatum *de Fidejuſſoribus*, Lugduni an. 1593. *Conſilia*, Venetiis, an. 1585. *Singularia* an. 1596. Francofurti &c. Obiit an. 1529. natus annos 78.

I.

JAnſenius Gandavenſis, (*Cornelius*) Hulſtæ in Belgio natus, duodecim annis Theologiam in Abbatia de Tongerloon Ordinis Præmonſtratorum profeſſus eſt, tum Cortraci Parochus ſancti Martini per 12. annos extitit, Lovanii Doctoris Lauream adeptus, Decanatum ejuſdem urbis ſancti Jacobi obtinuit. A Philippo II. Theologi vicem gerens, ad Concilium Tridentinum miſſus eſt, tandemque primus Gandavii Epiſcopus ann. 1568. factus ibidem 66. annos natus 10. Aprilis an 1576. obiit. Concordiam Evangel. an. 1549. typis editam compoſuit, & Commentarium in Pſalmos, cujus prima editio Lovanii anno 1569. facta eſt.

Janſenius Yprenſis (*Cornelius*) in pago d'Achoi prope Lerodamum in Batavia natus, an. 1604. in Galliam venit, Doctor Lovanii an. 1617. factus, Theologiam ibi publice docuit, Epiſcopus Yprenſis 28. Octobris an. 1635. factus, obiit 6. Maii an. 1638. Commentarium in Pentateuchum confecit, multaque alia emiſit opera, quorum illud, in quo agitur de Gratia, inſcriptum: *Auguſtinus, &c.* Magnas concitavit in Eccleſia controverſias ob quinque famoſas Propoſitiones, quæ ab Eccleſia, uti hæreticæ fuerunt damnatæ.

Jaſo Mainus, diſcipulus Alexandri de Nevo Peſauri ex Ancilla Andreæ Maini natus illegitimus, Juriſprudentiam publice docuit Papiæ ab an. 1471. ad an. 1486. deinde Patavii & Piſis, & iterum Papiæ an. 1491. ubi 3000. Diſcipulorum habuit: ad an. 1511. Lectiones ſuas prorogavit. Ipſum Ludovicus Sforcia, Dux Mediolani Equitem & Senatorem Conſilii ſui declaravit. Ludovicus XII. Rex Galliæ unæ ipſius lectioni adeſſe voluit. Doctus hic Juriſconſultus Papiæ 22. Martii an. 1519. natus an. 84. demens obiit. Pandectas & Codicem explanavit, & quatuor Reſponſorum volumina, alioſque compoſuit Tractatus.

S. Ignatius Martyr Apoſtolorum, & præſertim ſancti Ioannis diſcipulus, circa an. a Chriſto natu 66. Antiochiæ Epiſcopus factus poſt Evodium, quem ſibi ſucceſſorem delegerat S. Petrus, cum Romanam Cathedram ſtabilivit ſub Trajano ann. 107. 1. Februar. Martyrio coronatus eſt. Euſebius & S. Hieronymus loquuntur de ſeptem Epiſtolis, quas hic Sanctus ſcripſit ad Romanos, ad Epheſios, ad Magneſios, ad Trallenſes, alioſque, quæ Oxonii ann. 1645. Londini anno 1647. & alibi fuerunt impreſſæ. Optima earum editio Amſtelodami an. 1697. confecta eſt cum eruditis Annotationibus & Diſſertationibus Uſſerii & Pearſon.

Imbert, (*Joannes*) Juriſconſultus in Pictaviæ Regia caria criminum Quæſitor, Auctor eſt *Praxis juridicæ civilis & criminalis*, Latine ter jam editæ, cum ann. 1611. Gallica in lucem prodiit editio, quam altera an. 1627. excepit. Alia quoque confecit opera, ut *Enchiridion Juris ſcripti Galliæ*. Lugduni an. 1560. *Inſtitutiones forenſes* quatuor Libris Pariſiis anno 1538. & 1543. *Tractatus in Regulas Cancellariæ Romanæ &c.* Gallico redditos idiomati, & Pariſiis anno 1571. editos.

Imola, (*Joannes de*) Juriſconſultus Bononienſis, Baldi diſcipulus, ineunte ſæculo decimo quinto floruit. Ad an. 1436. quo anno ſecundum Morerium & alios obiit. Commentariis illuſtravit Decretales, Sextum, & Clementinas, alioſque emiſit de Jure Tractatus, Ipſius Commentarium in Decretales Venetiis, quinque tomis ad 3. volum. an. 1575. redactis impreſſum eſt.

Imola, (*Alexander de*) cujus proprium nomen fuit Alexander Tartagni, Imolæ, quæ urbis eſt Romaniæ in Italia, natus, fuit diſcipulus *Pauli Caſtrenſis*, *Joannis de Imola*, *Joannis de Anania*, & *Aretini*, ætatis an. 21. Doctoris inſigne an. 1445. accepit, 30. annis Papiæ, Bononiæ, Ferrariæ, & Patavii Juriſprudentiam profeſſus, obiit an. 1477. Scripſit in Digeſta, in Codicem, in Sextum & in Clementinas, dignus qui vocaretur *Monarcha Juris*.

Innocentius IV. eximium ſcripſit Commentarium in Decretales, Francofurti an. 1570. Lugduni an. 1577. & Venetiis an. 1610. *in fol.* impreſſum; quæ poſtrema editio cæteris præſtat. *Vide* Indicem ſummorum Pontificum.

Joannes, Diaconus Eccleſiæ Romanæ, primus Montis Caſſini ad an. 865. Monachus, ſcripſit vitam ſancti Gregorii Magni in quinque libros diviſam, quam Joanni VIII. dedicavit.

Joannes Andreas, Latine apud Canoniſtas vulgo ſic dictus, in Etruriæ Pago exeunte duodecimo ſæculo natus, per 45. annos Juris Patavii & Bononiæ publice docuit, ubi 7. Julii an. 348. peſte extinctus eſt, dictus a Bartholomæo Socino & Baldo *Fons & Tuba Juris Canonici*. Ipſius Epitaphium in ſacra Æde Dominicanorum Bononiæ his verbis legitur: *Rabbi Doctorum, Lux, Cenſor, normaque morum*. Ipſius Commentarium in Decretale, in Sextum, in Clementinas &c. 6. vol. *in fol.* an. 1581. Venetiis editum, & iterum 2. vol. an. 1583. tum 4. vol. *ibidem*.

Joannes de Friburgo. *Vide* Friburgo.

Joannes de Neapoli, Dominicanus, initio ſæculi decimi quarti, ante tempus S. Antonini florebat. Aliquandiu Pariſiis publice docuit, atque ad an. 1313. mortuus eſt. Scripſit in Magiſtrum Sententiarum Neapoli 42. Quæſtiones Philoſophicæ & Theologicæ, quas Pariſiis explicuerat, typis ſunt mandatæ anno 1618.

Joannes de Legnano. *Vide* Legnano.

Joannes Salisburienſis in Anglia natus, Thibaldi IV. Campaniæ Comitis, qui an. 1152. obiit, munificentia, ſtudiorum curriculo confecto, Doctoris Theologi Lauream adeptus, Romam Adrianum IV. Conterraneum ſuum inviſit; Pariſios rediit, ubi aliquamdiu publice docuit, celebremque Petrum Bleſenſem diſcipulum habuit: in Angliam remigravit prope ſanctum Thomam Cantorberienſem: Epiſcopus Carnutenſis electus, an 1179. tertio Lateranenſi Concilio adfuit, ac biennio, trienniove poſt obiit. Hic Auctor vitam conſcripſit ſancti Thomæ Cantorberienſis Archiepiſcopi; Epiſtolas; Opus inſcriptum; *Polycraticon*, ſeu *de Nugis Curialium*, & *Veſtigiis Philoſophorum*, in 8. Libros diviſum prima vice an. 1513. Venetiis impreſſum, & Tractatum de Morali Chriſtiana ultimo ſæculo Gallice redditum.

Jonas ab an. 810. floruit, atque Aureliæ Epiſcopus eſt electus. Obiit an. 841. vel juxta Hoſman, an. 842. Tres ab eo libri confecti ſunt in Claudium Epiſcopum Taurinenſem Iconomachum, Tractatumque compoſuit de Morali Chriſtiana, quem in Gallicam Linguam noſtra vertit ætate P. Domnus Mege Benedictinus.

Jovet, (*Laurentius*) ultimo ſæculo in Pariſienſi Senatu Cauſidicus, Collectionem confecit Arreſtorum omnium Galliæ Parlamentorum uno volum. *in folio*, Bibliothecæ titulo, quam D. *de Meſmes* Senatus Pariſienſis Proto Præſidi an. 1669. nuncupavit.

S. Irenæus, ſancti Polycarpi diſcipulus, qui ipſum in Gallias miſit, Sacerdos factus Eccleſiæ Lugdunenſis, cui præerat ſanctus Photinus, huic ſancto Epiſcopo ſucceſ-

ceſſit. Circa an. 102. Martyrii palmam accepit. Ex omnibus hujus Sancti Operibus ſupereſt tantam Latina verſio qainque ipſius Librorum de Hæreſibus, ab Eraſmo ann. 1536. promulgata. Hanc editionem excepere aliæ multæ, quarum abſolutiſſima eſt facta anno 1711. opera & ſtudio R. P. Maſſuet Benedictini.

Iſaacius, Lingonenſis Epiſcopus decimo ſæculo, Canones ſcripſit diviſos in undecim titulos, quorum qailibet in capita diſtribuitur, & ab iis depromtos, quos condiderat ſanctus Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus & Zachariæ ſummi Poatificis Legatus; quoſque ab eodem Papa an. 742. approbatos ipſe e Capitularibus depromſerat. Inveniuntus iſti Canones in tertio Tomo Conciliorum Galliæ Patris Sirmondi e Societate Jeſa pag. 644. edit. Pariſienſis an. 1626.

Iſidorus, in Andaluſia Hiſpali natus, cujus poſt Leandrum fratrem ſuum an. 596. factus eſt Epiſcopus, ſecando Concilin Hiſpalenſi præfuit, & Toletano qaartu interfuit. 4. Aprilis an. 636. nbiit. Is ex Tirino ſtatim Benedictinus, dictus eſt Iſidorus Junior, nt ab antiquiori Iſidoro Cordubenſi ſecerneretur. Multos hic Sanctus Tractatus confecit, videlicet, *de Ætymologiis*, ſeu *de Originibus* Libris viginti: *de Officiis* duobus Libris: *de Synonimis* etiam duobus Libris: *Sententiarum Libri 3.* & *de Contemptu mundi*: prima operum ejus editin an. 1580. in lucem prodiit.

Iſidorus, cognominatus *Mercator*, vel *Peccator*. Poſtremo illo cognomine exiſtimavit D. de Marca, hunc Iſidorum fuiſſe Epiſcopum, quod primis ſæcalis illud ſubſcriptioni ſuæ adderent Epiſcopi, ati videre eſt in primo Concilio Turonenſi, in tertio Pariſienſi, & aliis, & qaidem Chronico Juliani Toletani Archiepiſcopi, eum Setabienſem Epiſcopum fuiſſe, atque an. 805. obiiſſe fertur. Qua re liquet manifeſto, Hincmarum Rhemenſem in ſua ad Hincmarum Laudunenſem nepotem ſuum, atqaa poſt hunc Decreti Gratiani Correctores eraſſe, eumdem hunc atque Hiſpalenſem Iſidorum ſine cauſſa exiſtimando; quod quidem eo etiam manifeſtum eſt, ſi, uti putat Antonius Auguſtinus, an. 694. vixerit, quo habitum eſt decimum ſeptimum Concilium Toletanum. Is antiquos Canones, ſeu Græcos, ſea Africæ, Galliæ, & Hiſpaniæ ad an. 683. collegit, incipiens a quinqaaginta primis, qui Apoſtolici dicuntur; quibus etiam comprebendit ſuppoſitas ſummorum Pontificum Sircio priorum Decretales, quæ ſtatim ſunt admiſſæ, tamquam veræ, uti confirmant Concilium Rhemenſe habitum an. 992. Burchardus, & Yvo Carnutenſis, qui eas laudant ut tales; cum eam collectionem an. 790. ex Hiſpania ſab nomine Iſidori Peccatoris attuliſſet Riculſus Archiepiſcopus Moguntinas.

Juenin, (*Gaſpard*) Sacerdos e Congregatione Oratorii, & Theologiæ Profeſſor in Seminario ſancti Maglorii, eruditum ſcripſit opus, in quo ſuſe de omnibus Eccleſiæ Sacramentis diſputat, cui etiam Diſſertationes in Cenſuras, Irregularitates, & Indulgentias adjunxit. Inſuper curſum Theologicnm ſub titulo: *Inſtitutiones Theologicæ*, amiſit Lugduni primum 4. volam. *in* 12. an. 1696. & iterum an. 1700. 7. volum. *in* 12. ac denao Lagduni, & Venetiis an. 1705. Cam cenſaram meruiſſet hoc opus, neceſſarias expoſitiones decem Articulis comprehenſas in Gratiam libens dedit Auctor illius, eaque ſubmiſſe demſit, quæ e Libro circumcidenda judicavit Eminentiſſimus Cardinalis de Noailles Archiepiſcopus Pariſienſis 12. Junii an. 1706. A paacis annis e vita ſeceſſit hic Auctor.

Julius Claro, vel Clarus, Alexandriæ in Italia natus, primo Mediolanenſis Senatoe, tum a Philippo II. ad Italiæ ſupremum Conſilium Conſiliarius adſcriptus, nova Carthagine in Hiſpania 13. Aprilia an. 1575. obiit. Ab eo accepimus Tractatam inſcriptum: *Receptarum ſententiarum Opera omnia*. Alterum ſub hoc titulo: *Opera Juridica*; tertium deniqae, qui ad res criminales pertinet.

S. Juſtinus, e Philoſopho ethnico factus Chriſtianua Sichimitæ, quæ Palæſtinæ Neapolis dicta eſt, natus, multas ſcripſit Apologias, ut primos fideles a falſis, quæ ipſis tribuebant ethnici, criminibua vindicaret; aliaqae confecit Opera. Ann. 166. vitam martyrio finivit. Inter emiſſas ab an. 1511. hujuſce Sancti operam editiones, excellit Pariſienſia editio an. 1658.

U

Kempis (*Thomas a*) Hic Auctor pius Colonienſis diœceſis oppidulo annu 1380. natus, uti narrat ipſe in ſuo Chronico de Monte ſanctæ Agnetis, cap. 8. & 10. ex vero nomine vocatus eſt Thomas Hemerken; ut teſtatue D. Dupin ex Theophilo Reginaldo, Regularis Canonicus ex Ordine ſancti Aaguſtini adſcribi voluit. Joannes ipſius frater, ac Prior Monaſterii Canonicorum Regularium e Congregatione Gerardi Magni a Monte ſanctæ Agnetis prope Zvvollam; ipſum inter Novitios Menſe Octobri anno 1399. admiſit, ac decimo Junii emiſſa ſolemni votorum profeſſione an. 1406. Sacerdotio an. 1423. initiatus eſt. Bibliam, plurimorum Eccleſiæ Patrum Opera, alioſque Pietatis tractatus deſcribere, uti omnes bujus cœnobii, nec non alii peemulti ſolebant Religioſi, incubuit, quo ex labore ſolidæ animo pietatis ſenſus hauſit. An. 1471. 24. Julii, ætatis vero ſuæ 91. obiit. Opera ejus Pariſiis primum an. 1493. Norimbergæ an. 1494. tum iterum Pariſiis anno 1520. 1521. 1523. & 1549. fuere edita; Venetiis quoque 1535. 1568. & 1576. Antuerpiæ an. 1574. 1600. & 1607. & tandem Coloniæ anno 1600. omiſſis aliis editionibus ſæculi decimi qainti & decimi ſexti: omnium ampliſſima an. 1660. tribus Tomis comprehenditur, quorum primus trigiata orationes ad Novitios Ordinis ſui, & quadraginta quinque de Virtutibus Religioſorum, ac de primitiva Eccleſia habitas continet. Alter Tomus ſpirituales Tractatus, quoram primus eſt de Imitatione Chriſti, & alia Opuſcula complectitur. Tertius Tomus vitam ſancti Lidvvigis, vitam Gerardi Magni, & decem aliorum ſanctitate vitæ illuſtrium Virorum concludit.

Inter omnes non quidem convenie, eum ſaiſſe Auctorem Libri de Imitatione Chriſti, quem Benedictini Joanni Geſſen vel Gerſen Abbati Monaſterii ſancti Stephani Vercellenſis; alii ſancto Bernaedo; nonnulli quoque Joanni Gerſoni Pariſienſis Univerſitatis Cancellario adſcribunt. Non de re qualibet unquam animoſior, quam de iſta, fuit contentio; etſi re ipſa Eccleſiæ, ac Religionis parum interſit, an Thomas a Kempis, an alter Librum hunc emiſerit. Omittuntur hic, quæ ab an. 1604. ad præſens tempus in utramqua partem ſcripta fuere. Ea de re copioſe differuit D. Dupin 13. Paragraphis, in quibus quæſtionem hanc omni ponderat ſapientiſſimi atque integerrimi Judicia diligentia, ultroque fatetur adverſas hinc inde eatinnes adeo videri obſcuras & implicatas, ut ex iis quid certi colligi nequeat.

L

Labbe, (*Philippus*) Avariei anno 1607. natus, anno 1624. e Societate Jeſu, Philoſophiam & Theologiam publice docuit, & anno 1667. mortuus eſt. Opera & numero & eruditione conſpicua ab eo acceepimus, præſertim amplam Conciliorum ſea Oecumenicorum, ſeu Provincialium collectionam, 18. volum. *in fol.* quorum, dum undecimum typis mandaretur, Auctore mortuo, reliqua Pariſiis an. 1672. ſtudio curaque Patris Gabrielis Coſſart edira ſunt. Scripſit etiam *Bibliothecam Bibliothecarum*, & *Concordiam Chronologicam*.

Lactantius, (*Lucius Cælius*) cognomine *Firmianus*, juxta nonnullos natione Afer, juxta alios Firmi in Piceno natus, Arnobio Magiſtro Rethoricæ operam dedit, quam tanta nominis ſai fama Nicomediæ poſtea anno 302. docuit, ut *Cicero Chriſtianus* bonorifice dictus fuerit. Ipſi præceptori Criſpum filiam ſuum tradidit Conſtantinus Magnus. Ad an. 320. libros inſtitutionum compoſuit, quo Religionis Chriſtianæ veritatem contra duos ethnicos Philoſophos propugnaret: Librum qaoque emiſit *de Mortibus perſecutorum*; Opua cujas triginta factæ ſunt editiones, ſeu Romæ, ubi prima in lucem prodiit an. 1468. *in folio*, quam Florentiæ, Baſileæ, Lugduni, Antaerpiæ, Genevæ & alibi. Obſervandum quædam Lactantii opera caute eſſe pervolvenda.

Digitized by Google

Layman, (*Paulus*) natione Germanus, Soc. Jeſu nomine dato, diu Philoſophiam, Theologiam, & Moralem profeſſus eſt. Conſtantiæ 13. Nov. an. 1635. ſexagenarius obiit. Summam Theologiæ Moralis compoſuit, in quinque Libros diſtributam. Aliud etiam promulgavit opus duobus volum. *in* 4. Dilingæ in Germania ad an. 1666. & 1673. ubi denuo editum eſt 3. volum. *in folio* an. 1698.

Lancre, (*Petrus*) Loubeni ad Garumnam in Aquitania natus, in Bardigalenſi Parlam. Conſiliarius, & ab Henr. IV. an. 1609. cum D. d'Eſpaignet ejuſdem Parlam. Præſide ſupremus Judex ſagorum ſui temporis, poſtulante Nobilium ordine Syndicique Laboriarum; cui rei 34. annos operam dedit. Opus is confecit inſcriptum: *Incredulitas & mala fides de Sortilegio prorſus convicta*; primum Pariſiis an. 1622.

Lapide. *Vide* Cornelius a Lapide.

Lapus, Doctor Juris Florentinus, Benedictinus, & Abbas Samminiatenſis, exeunte Sæculo XIV. & ineunte ſequenti floruit. Commentarium in Sextum compoſuit, Romæ & Venetiis ann. 1586. *in fol.* impreſſum, quem laudat S. Antoninus in tertia parte ſuæ Summæ Theologicæ. *folio* 79. *verſo*.

Launoi, (*Joannes de*) Valoniis in Diœceſi Conſtantienſi in Normannia 21. Dec. an. 1603. natus, an. 1633. Sorbonæ Licentiatus, an. 1636. Sacerdotio, & Doctoris Laurea inſignitus eſt, atque in Domum, & Societatem Navarræam admiſſus, Pariſiis obiit 10. Martii an. 1678. Multa is nobis Opera dereliquit, in Hiſtoriam Artem judicandi de ſcriptis, Diſciplinamque Eccleſiaſticam, quibus Conciliorum authoritatem, Epiſcoporum, Regumque jura acriter defendit. Extat hujus Authoris Liber *in* 4. Pariſiis impreſſus ſub hoc titulo: *Regia in Matrimonium poteſtas*, vel *Tractatus de Jure Sæcularium Principum in ſanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus*. Dominicus Galeſius Romæ Librum *in* 4. annum 1677. typis mandari curavit, cui, eodem anno alio in quatuor libro reſpondit D. de Launoi, Omnia Beneficia repudiavit.

Ledeſma, (*Bartholomæus*) Nievæ prope Salmanticam natus, profeſſione Dominicanus, in Americam miſſus eſt, ibique diu Theologiam Mexici docuit. Epiſcopus Antequerenſis in Provincia Guiaacana, obiit an. 1604. edito Tractatu de Sacramentis.

Ledeſma, (*Petrus*) ſic dictus a Vico cognomine, in Regno Legionenſi prope Salmanticam, ubi natus eſt. Dominicanus obiit an. 1616. Is librum emiſit *de magno Matrimonii Sacramento*, & quædam alia Opera.

Legnano, (*Joannes de*) Mediolanenſis Juriſconſultus e pago Legnano ad Atheſin ortus, Juris fuit Doctor Bononiæ, ubi 16. Febr. an. 1382. obiit. Quæ compoſuit Opera ſunt: 1. *De Cenſura Eccleſiaſtica*. 2. *De Interdicto Eccleſiaſtico*. 3. *De Beneficiorum Eccleſiaſticorum pluralitate*. 4. *De Horis Canonicis*; atque Commentarium in tres priores Libros decretalium, & unum in Clementinas &c. Prima ejus operum editio Venetiis an. 1584. facta eſt.

S. Leo. *Vide* Indicem Pontificum.

Leo, (*Joannes Franciſcus*) Epiſcopus Teleſiæ Urbis olim Epiſcopalis in Laboriis Neapolitanis, cujus ſedes poſt hujus urbis ruinam Cerritum Pagum ei vicinum translata eſt, Author eſt Operis *in* 4. inſcripti: *Praxis Archiepiſcopalis, ſive Theſaurus fori Eccleſiaſtici*, multas continens deciſiones, Venetiis ann. 1605. & 1607. Bononiæ ann. 1614. & Romæ ann. 1616. editum. Tractatum quoque emiſit *de Sortilegiis* 12. tantum Capitibus comprehenſum, Lugduni an. 1620. & iterum ibidem ann. 1669. editum, in primo tomo *Malleus Maleficorum*.

Leſſius, (*Leonardus*) prope Antuerpiam natus 1. Oct. an. 1554. e Soc. Jeſu, diu Philoſophiam & Theologiam Duaci, Pariſiis, & Lovanii in Collegiis Ordinis ſui profeſſus eſt. Obiit 16. Jan. an. 1623. Tractatum ſcripſit *de Jure & Juſtitia*, in 4. Libros diviſum, Antuerpiæ ann. 1612. & Lugduni ann. 1653. *in fol.* editum, aliaque complures duobus volum. *in fol.* Univerſitates Lovanii & Duaci 31. ex ejus Propoſitionibus an. 1587. cenſura notarunt; quam Cenſuram ann. 1613. renovarunt Lovanienſes Doctores, quod Sixtus V. qui Cauſæ cognitionem an. 1588. quique de primis cenſuris judicium ſibi ſumpſerat, nullam tuliſſet ſententiam. Innocentius quoque XI. ad quem res iſta an. 1679. fuerat delata, nullum pariter tulit judicium.

Litteræ vulgo patentes.	Philippi Valeſii —— an. 1330.
	Joannis —— an. 1350.
	Caroli Sapientis dicti an. 1369. & 1370.
	Caroli VII. —— an. 1441.
	Ludovici XII. —— an. 1479.
	Franciſci I. —— an. 1520.
	Caroli IX. an. 1551. 1556. 1571. & 1573.
	Henrici III. an. 1579. & 1583.
	Henrici IV. —— an. 1599.
	Ludovici XIII. —— an. 1612.
	Ludovici XIV. an. 1645. 1646. 1653. 1656. & 1663.

Vide Edicta.

Libertates Eccleſiæ Gallicanæ 2. vol. *in fol.* earumque probationes 2. vol. pariter *in fol.* collectæ a Petro Pithou de quo fiet mentio. *Vide* Pithou.

Loiſeau, (*Carolus*) Senatus Pariſienſis Advocatus, an. 1566. natus, fuit Prætor ſecundarius Senonarum, Baillivius Caſtellodu̧ni, tum Advocatus Conſultor in Senatu Pariſienſi; 27. Oct. 1627. obiit, atque in Eccleſia S. Coſmæ ſepultus eſt. Tractatum is confecit *de Officiis & Dignitatibus &c.* in 5. libros diviſum, cum alio libro de Juſtitia Eccleſiaſtica, Pariſiis *in fol.* an. 1670. juxta editionem factam ann. 1660. cum additamentis R. D. Claudii Joly, tum Pariſienſis Canonici.

Loiſel, (*Antonius*) Bellovaci natus, Advocatus Senatus Pariſienſis, tum Generalis Procuratoris vicem gerens, Regius Advocatus in Juridica Curia Aquitaniæ an. 1581. ac tandem Conſiliarius in quæſtorum ſuprema Curia an. 1594. Pariſiis 24. Apr. an. 1617. natus an. 81. obiit.

Leges Romanæ, in hoc Dictionario frequenter laudatæ ſeu Digeſtorum, ſeu Codicis; quas Juſtinianus Imperator ex Codicibus Gregoriano, Theodoſiano & Hermogeniano collegit cura Treboniani Cancellarii ſui, Novemque aliorum Juriſperitorum, quas ann. 529. promulgari juſſit.

Leges Hiſpanicæ vocatæ *de Toro*, & Additiones Legibus Alphonſi IX. Regis Legionenſis & Caſtellani, qui 24. Septemb. an. 1250. obiit.

Lombardus, (*Petrus*) dictus Magiſter Sententiarum, Navatræ in Lombardia, unde Lombardi cognomen accepit, natus eſt. Canonicus fuit Carnutenſis, Pariſiis Theologiam profeſſus eſt; tum hujus urbis factus Epiſcopus recuſante Philippo Archidiacono Eccleſiæ Pariſienſis, Filio Ludov. VI. dicti Craſſi, & Fratre Ludov. Junioris hoc nomine ſeptimi, qui dignitatem hanc Lombardo Præceptori ſuo peperit. Ad an. 1159. Epiſcopatum ſuum adivit, & 20. Julii ann. 1164. obiit. Quatuor ſententiarum libros 14. ferme annis ante mortem ſuam compoſuit.

Longolius, (*Chriſtoforus Longueil*) Hic Author Humanarum litterarum ſtudio tam celebris, ut Leonis X. exiſtimationem meruerit, Mechliniæ natus, confectis ſtudiis Viennam Delphinatus petiit, ubi ſub inclyto Decio Juriſprudentiæ operam dedit. Refert D. Dupin ipſum Pariſienſis Senatus Conſiliarium fuiſſe, atque 11. Septemb. an. 1532. ætatis 34. D. Hofman mortem ejus ad an. 1522. refert; verum erravit in hoc Librarius: Hic Author de Sortitione Schedularum loquens (*) ait: *nova iſta aleæ ratio plane noſtra eſt*. Antonius hujus Scriptoris Pater, qui Clericali militiæ nomen dederat, fuit Ludov. XII. ab Eleemoſynis.

Lopez, (*Ludovicus*) Dominicanus, a quo Opus accepimus inſcriptum: *Inſtructorium Conſcientiæ*, in duas partes diviſum, quarum prior Salmanticæ an. 1592. edita eſt cum Tractatu, de Contractibus Negotiatorum, ibidem an. 1592. & Lugduni ann. 1594. Madriti ann. 1595. etiam ſuperſtes fuit.

Lopez de Madera, (*Gregorius*) Madriti natus, Juris Profeſſor, Eques Ordinis S. Jacobi, & tandem Conſiliarius Conſilii Caſtellani an. 1619. præcipuum opus ſcripſit inſcriptum: *Animadverſorium Juris*. Aliud etiam Hiſpanica lingua compoſuit ſub hoc titulo: *Excellentias de la Monarchia y Regno de Eſpagna*. Vallitoleti an. 1597. tum Madriti an. 1625. editum.

Lovetus, (*Georgius*) fuit Canonicus Eccleſiæ Pariſienſis, & Conſiliarius Inquiſitionum Parlamenti, tum ſupre-

(*) *L. 3. Epiſt. 33.*

ſupremæ Curiæ. Collectiunes is dereliquit Arreſtor. anno 1609. poſt ejus mortem promulgatam cura Magiſtri Gabrielis Michaëlis de Roche-Maillet, quem Illuſtriſs. Dominus Seguier, tum Parlamenti Præſes, ipſiuſque frater, Eccleſiæ Pariſienſis Decanus Archetypi Manuſcripti participem fecit. Julianus Brodeu, Advocatus, ipſum Annotationibus, Additiunibuſque illuſtravit, novamque huius editiunem, quæ fuit undecima, an. 1633. in vulgus emiſit. Duubus volum. *in fol.* Pariſiis ann. 1678. & iterum ibidem ann. 1713. typis mandatum eſt. *Vide* Du Mouſin.

Lugo, (*Joannes de*) Jeſuita Hiſpanus admiſſus 6. Julii an. 1603. Madriti natus 25. Nov. an. 1583. Salmanticæ Theologiæ, ac Juriſprudentiæ operam dedit; tum per aliquot annus Valliſuleti, & 20. eoque amplius annus Theolugiam profeſſus eſt Romæ, ubi Patrem Maimburgium diſcipulum hebuit. Ab Urbano VIII. purpura ſacra 14. Dec. an. 1643. inſignitus; obiit 20. Auguſti anno 1660. Multa is ſcripſit Opera Theologiæ & Juris 7. volum. *in fol.* qualia ſunt: 1. *Reſponſorium Moralium Libri ſex*. 2. *De Jure & Juſtitia*, ſeorſim Lugduni annum 1652. edita, 3. *De Sacramentis in genere*. 4. *De Incarnatione*, &c.

Lugo, (*Franciſcus de*) hujuſce Cardinalis frater, etiam e Soc. Jeſu, qui an. 1650. obiit, Tractatum de Sacramentis, & alios quuſdam emiſit.

Lupus, (*Chriſtianus*) cujus pruprium nomen fuit Chriſtianus Wulff, natu Ypienſis. Ætatis an. 15. Ordinem Eremitarum S. Auguſtini elegit, Lovanii ſtuduit, & Coloniæ Philoſophiam publice docuit, unde Lovanium redux, Theologiam ibi profeſſus eſt. Præcipuis Ordinis ſui functus muneribus, Romam ſub Pontificatu Alexandri VII. ſe contulit, quo exurtis de Gratia diſſidiis, uti Legatus Luvanienſis Univerſitatis rediit. 10. Julii ann. 1681. mortuus eſt. Is quinque volumina *in* 4. compoſuit, quorum duo prima, ut notat D. Dupin, *ann.* 1666. typis edita ſuere, Alexandro VIII. nuncupata, quæ præclaras in Concilia ſeu Oecumenica, ſeu particularia, Obſervationes continent, in quibus quoque Ultramuntanorum opinionibus addictus imprimis videtur, quod præſertim in ipſius Tractum de Appellationibus ad ſanctam Sedem liquido conſtat, Coloniæ anno 1681. In ipſius tamen uperibus optima reperiuntur, quorum ſunt: 1. Ipſius Annotationes in Libros de Præſcriptiunibus, Tertulliani, Bruxellis ann. 1675. II. Concilium Neapolitanum cum duobus aliis Actis, editum Lovanii ann. 1682. quo etiam annu typis mandata eſt Epiſtolarum Collectio, Actaque alia, cum Scholiis & Annotatiunibus, quæ ad Concil. Epheſinum, & Chalcedunenſe ſpectant. Alia minus præcipua ejus ſilentur Opera.

Lyra, (*Nicolaus de*) in Pago ejuſdem nominis in Diœceſi Ebredunenſi Judæis Parentibus natus, Ordinem S. Franciſci in Monaſteriu an. 1291. amplexus eſt, Ordiniſque ſui in Burgundia fuit Præpoſitus Generalis. Regina Joanna Uxor Philippi V. dicti Longi, ipſum ann. 1325. ultimæ ſuæ voluntatis executorem nuncupavit. Theologiam profeſſus eſt in Conventu Pariſienſi Franciſcanorum, ubi 23. Octob. an. 1349. aut juxta Moreri 14. Octob. an. 1349. obiit. In Magiſtrum Sententiarum ſcripſit, atque in Univerſa Biblia Adjectiones ab an. 1293. in an. 1330. productas confecit. Primum Romæ ann. 1471. tum emendatius Lugduni 1590. fuere editæ. *Vide* Gloſſa ordinaria.

M

MÆrat, (*Ludovicus*) e Soc. Jeſu, Trecis natus, tribus vulum. *in fol.* Curſum Theologicum emiſit, cujus prima editio Pariſiis 6. Aug. ann. 1633. in lucem prodiit ſub hoc titulo: *Diſputationes in Summam D. Thomæ*. Hujus tomum primum Cardinali de Rupefulcatio nuncupavit, in quo diſputat de Deo, de Angelis, de Actibus humanis, de Peccatis & Legibus: Alterum Cardinali de la Valette, in quo agit de Gratia & de tribus Virtutibus Theologicis, de Incarnatione, de Juſtitia & Jure. Tertius denique Tomus, in quo agitur de Sacramentis in genere & de quolibet in ſpecie, ſub auſpiciis Henrici Borbonii, tum Metenſi fruentis Epiſcopatu in vulgus emiſſus eſt.

Mainard, ſeu Meinard, (*Geraldus*) ortus apud S. Cereum Cadurcenſis agri; fuit Conſiliarius in Toloſano Parlamento ad finem Sæculi XVI. Is ſemper pro Rege inter motus civiles ſtetit, oppreſſoque magna Ducis de Jojeuſe poteſtate Senatu, abdicatu munere, amanſque otii natale ſolum petiit, ubi præclaram Arreſtor. Collectionem 11. libris contentam compoſuit.

Majolus, (*Simon*) Aſtæ in Pedemontio natus, Oppiduli cujuſdam in Appulia, in Regno Neapolitano, nomine, *Vulturata*, ſeu *Vulturaria*, Epiſcopus, cujus Diœceſis Archiepiſcopatus Beneventini eſt ſuffraganea, opus præcipuum eumpoſuit, cujus titulus eſt, *Dies Canicula-res*, quodque 23. complectitur Dialogos, in quibus Theologus, Eques, & Philuſophus ſunt Collucutores. Septem Tomis totum continetur Opus, qui Volum. amplum *in fol.* efficiunt, Pragæ ann. 1613. & Moguntiæ ann. 1695. editum. Librum quoque de Irregularitate, cæteriſque Impedimentis Canonicis promulgavit hic Auctor Romæ *in* 4. an. 1610. & alium *pro defenſione Imaginum*.

Major, (*Joannes*) in Scotia natus, Cantabrigii, cum Pariſiis in Collegio Montis-acuti Litteris uperam dedie, Theologiæ Doctor Domus Navarræ ann. 1505. admiſſus Glaſcovii profeſſus eſt: Philoſuphiam in Collegio Montis acuti, poſtea Theologiam an. 1528. publice docuit, tandemque in Scotia circa ann. 1540. ſexagenarius obiit. Scripſit in Magiſtrum Sententiarum, aliudque emiſit Opus inſcriptum: *Placita Theologica &c.*

Magiſter ſententiarum. *Vide* Lombardus.

Maitre, (*Ægidius*) Pariſiis natus, parta nominis ſui in furo gloria, a Franciſco I. Generalis Advocati munere an. 1540. inſignitus, decennio poſt Præſes honorarius factus: tandem ab Henr. II. in Senatu Pariſienſi Proto-Præſidis munus accepit, quo ad an. 1562. honorifice atque integerrime functus eſt. Opus is nobis dereliquit in quinque libris diſtributum: quorum primus agit de Actionibus & manus injectionibus; ſecundus de jure indemnitatis Dominorum: tertius de Regaliis: quartus de Feudis, Hommagiis, & Vaſſaliis: & quintus de Appellatinnibus tamquam ab Abuſu. Altera editio Pariſiis an. 1653. *in* 8. facta eſt.

Malderus, (*Joannes*) prope Bruxellas 14. Aug. ann. 1563. natus, Lovanii Theologiam pruſeſſus eſt; ann. 1611. Antuerpienſem obtinuit Epiſcopatum, ac 18. Oct. an. 1653. mortuus eſt. Scripſit in D. Thumam, aliaque Theolugiæ Controverſiarumque emiſit Opera; extat etiam Liber ipſius *de Sigillo Confeſſionis*, Antuerpiæ *in* 8. an. 1626. editus; alterque *de abuſu reſtrictionum mentalium*.

Maldunatus, (*Joannes*) Jeſuita Hiſpanus ann. 1534. Caſæ Regiæ in Eſtremadura prope Lerenam natus, Toletum & Soto Salmanticæ audivit, ubi poſtea Philoſophiam & Theologiam audivit. An. 1562. Societati Jeſu adſcriptus Rumæ, in Galliam venit, & Pariſiis, Pictavii, & Avarici profeſſus eſt, ac Romam Gregorio XIII. accerſitus 5. Jan. ann. 1583. obiit. Scripſit Commentarium in Evangelia &c. & Summam Caſuum Conſcientiæ, Lugduni ann. 1604. editam, quæ ex ejus ſcriptis a Patre Martino Cardeignae cullecta, vere non eſt ejus opus. Scripſit quoque Opuſcula, Tractatus Controverſiarum &c.

Manualis.
Romæ, an. 1560. & 1594.
Iprarum, an. 1576.
Mechliniæ, 1586 & 1607.
Cameraci 1622.
Atrebati, 1600. 1618. & 1615.
& Toleti.

Mara, (*Petrus de*) 24. Januarii ann. 1594. in Caſtellu de Gaue prope Palum in Benearnia, Juris Studio Toloſæ incubuit ſupremo Palenſi Conſilio forum adiit, cujus Conſiliarius, tum ann. 1622. ejuſdem Conſilii a Ludovico XIII. in Parlamentum mutati Præſes, tandemque Regi a Sanctioribus Conſiliis ann. 1639. factus eſt. Ann. 1641. Tractatum *de Concordia Sacerdotii & Imperii* in quatuor libros diviſum, & *in* 4. editum, ann. 1641. & *in folio* Pariſiis ann. 1663. 1669. & 1704. quæ poſtrema editiu D. Baluzii ſtudio confecta eſt: atque hoc opus emiſit hic Auctor, ut ſeditioſum refelleret Optatum Gallum. Orbus Uxore Margareta de Forgues, & ad annum 1608. Clericali militiæ adſcriptus, Barcinone ad annum 1648. Sacerdotio initiatus eſt, atque Conſurani Epiſcopus Inauguratus; tum anno 1652. Archiepiſcopus Toloſanus creatus eſt, & ann. 1658. Regni Publicus Admini-

miniſter, ac 29. Junii anu. 1662. ſtatim obiit, acceptis Bullis Archiepiſcopatus Pariſianſia, ad quem fuerat nominatus.

Marechal, (*Jacobus*) Pariſienſis Senarus Cauſidicus, & Socer Guymierii, qui an. 1505. obiit. Tractatum emiſit de titulis Honorificis, atque alia Opera in Jus Gallicum. *Vide* Guymierius.

Mare, (*Nicolaus de la*) Regius Conſiliarius, in Caſtellana Pariſiorum Curia Judex delegatus, cujus probitas, ſapientia, & eruditio pro merito vix poſſunt laudari, ex urbe olim precipua, nunc autem pago Lutetiæ proximo, vulgo *Noiſi le Grand* natus, cujus ea eſt amœnitas, ut ibi ſæpiſſime Galliæ Reges fuerint commorati; ibique ſolitum Pater ejus Domicilium habebat uti Legatus Regiæ venationis in Præfectura *de Livri*. Sæpiſſime a Rege in variis Provinciis tempore inopiæ deputatus eſt; quo in munere ea ſe probitata geſſit, ut primi Regni Adminiſtri, atque Magiſtratus debitas ei & ſcriptis ſuis & viva voce laudes dederint pro ſingulari ejus ſapientia ac probitate. Laborioſum atque eruditione plenum Opus in vulgus emiſit inſcriptum: *Tractatus de Politica diſciplina*, cujus jam tria *in fol.* ſunt Volumina Regi nuncupata, quæ excipiet quartum, ſi ſoſpitem eum Deus ſervet, & incolumem.

Marſiliis, (*Hippolytus de*). Vide *Hippolytus &c.*

Matthæus Pariſienſis ſic dictus, vel quia Pariſiis, ut notat Bellarminus, natus erat, vel ſaltem in ea urbe Literis operam dederat, anno 1217. Benedictinorum Ordinem amplexus eſt in Abbatia S. Albani in Anglia e Congregatione Cluniacenſi, ann. 1259. obiit. Hiſtoriam Angliæ ab anno 1067. ad anno 1259. compoſuit, Londini anno 1571. impreſſam: eam autem Hiſtoriam ad annum 1273. continuavit Guillelmus de Riſhanger ejuſdem Monaſterii Religioſus.

Matthæus, cognomine *de Afflictis*, Parthenope natus, inſula Neapolitani maris ad oram Laboriarum prope Cajetam, fuis Regius Conſiliarius Neapoli. Opus emiſit a multis Canonicis Doctoribus laudatum cui titulus: *Deciſiones Neapolitanæ*.

Mauduit, (*Joannes*) Argentonii Biturigum 6. Julii an. 1579. natus, in Bituricenſi Jeſuitarum Collegio humanioribus Litteris, & Lutetiæ Pariſiorum Philoſophiæ operam dedit, tum Pictavii menſe Octobris ann. 1598. ad an. 1601. Juriſprudentiæ, ibique Doctoris Lauream obtinuit. Publicas ab anno ſequenti Lectiones dedit, primamque Pictavii cauſſam ſuam egit. 6. Novembris anni ejuſdem, cum Argentonium rediiſſet, Joannem patrem ſuum excepit in munere Ballivii & Judicis ejuſdem urbis, ubi in Conſuetudinem Bituricenſem Commentarium fecit, quem typis mandari curavit an. 1613. & iterum Pariſiis in 8. anno 1624. editum. Incerta eſt mortis ejus epocha, ac certe obiit non ſine magna Judicis integerrimi ac ſapientiſſimi fama.

Medina, (*Joannes de*) Compluti in Hiſpania natus, ubi viginti annis Theologiam publice docuit, ac 56. an. ætate provectus ann. 1546. obiit. Præclarum ab eo Tractatum accepimus: *De Reſtitutione & Contractibus*; alterum *de Pœnitentia*: alioſque permultos.

Medina, (*Bartholomæus de*) Dominicanus, Medina in Celtiberia oriundus, Theologiam Scholaſticam Salmanticæ docuit, & an. 1577. mortuus eſt. Scripſit in Summam D. Thomæ, ac Tractatum confecit *de Contractibus*, & alterum *de Inſtructione Confeſſariorum*.

Medina, (*Michael de*) Franciſcanus, in Cordubenſi Diœceſi natus, Inclytum Alphonſum de Caſtro audivit, tum Doctor Theologus admiſſus eſt: Concilio Tridentino, uti Hiſpanus Theologus, adfuit, ac Toleti ab anu. 1580. e vita migravit, Multos emiſit Tractatus Theologicos, ſcilicet, de Pœnitentia ſalutari; De Purgatorio: De Continentia eorum, qui ſunt *in ſacris* in 5. Libris. *Chriſtiana Paræneſis, ſive de recta fide in Deum* 7. Libris &c. quique eo adhuc ſuperſtite fuere editi.

Monita ſive Acta Cleri Gallicani a Joanne Gentili Canonico Rhemenſi ſex volumin. in *fol.* edita Pariſiis ann. 1641. editio iſta prolixior eſt editione ann. 1646. ceteriſque prioribus.

Menagius, (*Ægidius*) cujus laudatur hic Dictionarium Etymologicum, 20. Auguſti an. 1613. natus eſt Andegavi, ac Pariſiis ſtudiorum curſu perfecto, ibidem Parlamenti Cauſidicus admiſſus eſt, cujus munia non multo tempore obiit. De quibuſdam proviſus Beneficiis, obtentaque ex duplicis Abbatiæ reditibus 4000. Librarum Gallicarum penſiones, totum ſe humanioribus Litteris involvit. Rex 2000. Librarum Gallicarum donavit. Multa in lucem protulit Opera, quorum præcipuum eſt ipſius Dictionarium, quod Gallici idiomatis Origines continet, quo nondum edito obiit hic Auctor 23. Auguſti anno 1692. Is fuit e Celebri Florentina Academia, quæ dicitur *la Cruſca*, quæ vox *Furfurem* ſignificat, tamquam ſymbolum curæ ac laboris ejus, ad ſegregandum ab omni labe Tuſcum idioma.

Menard, (*Domnus Hugo*) Benedictinus e Congregatione ſancti Mauri, Pariſiis ann. 1600. natus in Monaſterium Benedictinorum ſancti Dionyſii in Gallia admiſſus, poſtea viginti novam annos ætate provectus ſtrictiorem diſciplinam amplexus eſt; ac Pariſiis in Abbatia ſancti Germani a Pratis 21. Januarii ann. 1644. obiit. Anno 1629. Sanctorum Ordinis ſui Martyrologium una cum eruditis notis duobus volum. *in fol.* promulgavit, Scholia in Sacramentarium ſancti Gregorii anno 1642. & alia quædam opera, uti Diſſertationem *de Unico Dionyſio*: Animadverſiones in Epiſtolam ſancto Barnabæ adſcriptam: & Annotationes in Concordiam Regularum ſancti Benedicti primi Abbatis Anianenſis in Occitania in Diœceſi Monſpelienſi, anno 821. mortui, quæ anno 1648. in lucem prodiere.

Menologia Græcorum. Præcipua in iis Sanctorum geſta moreſque eorum, uti in Martyrologiis noſtris annotantur: eaque a meneis diſcrepant, amplo videlicet opere, duodecim volumin. pro eodem anni menſium numero, in quo dies feſti Sanctorum, Miſſa eorundem, variæ Orationes, & ſumma Vitæ eorundem continentur, qua in re conveniunt hi Libri cum Breviariis, ac Miſſalibus noſtris.

Menochius, (*Jacobus*) Papiæ natus, Juriſprudentia adeo excelluit, ut ſui ſæculi Bartholus diceretur. In Pedemontio ac Piſis, & per 23. annos Patavii, & tandem Papiæ jus Profeſſus eſt. Ipſum Conſiliarium, ac tandem Mediolanenſis Conſilii Præſidem nuncupavit Philippus II. Hiſpaniæ Rex. 10. Aug. ann. 1607. ætatis ſuæ 75. obiit, ac Papiæ in Eccleſia Clericorum Regularium ſepultus eſt. Præcipua ejus Opera ſunt: *De adipiſcenda poſſeſſione: de Recuperanda poſſeſſione; de Arbitrariis Judicum quæſtionibus, & Cauſſis Conſiliorum*, tom. 13.

Menochius, (*Joannes Stephanus*) Papiæ an. 1576. natus, Societati Jeſu ann. 1591. annumeratus, & Doctor Theologus, Jacobi Menochii, de quo modo dictum eſt, filius, Romæ octogenarius obiit. Præcipua ejus opera ſunt: *Hieropoliticon, ſeu Inſtitutiones politicæ ex Sacris Script. depromtæ. L. 3. Brevis explicatio ſenſus Litteralis totius Scripturæ*, Tom. 2. *de Republica Hebræorum Lib. 8. &c.*

Merbes, (*Bonus de*) in Picardia apud Montem-Deſiderium an. 1598. natus, Pariſiis in Collegio Bellovacenſi 10. Octobris, aut juxta D. Dupin, 2. Auguſti an. 1684. obiit. Is amplum Moralium opus 2. vol. *in fol.* complexus eſt inſcriptum: *Summa Chriſtiana*, quam anu. 1683. in vulgus emiſit.

Meſnil, (*Baptiſta*) forum adiit, ac privatas egit cauſſas in Pariſienſi Parlamento, cujus ætatis ſuæ anno 38. Generalis Advocatus deſignatus eſt. Is primus in Parlamenti inſtauratione orationes habuit, quarum primam ann. 1569. recitavit. Circa ann. 1571. natus ann. 51. a vivis migravit. Juridicum nobis dereliquit Opus inſcriptum: *Quæſtiones notabiles*.

Metaphraſtus, (*Simeon*) ortu Conſtantinopolitanus, fuit Secretarius pro rebus extraneis Leonis VI. dicti Philoſophi, qui ſummam Imperii Conſtantinopolitani 1. Martii an. 886. obtinuit, ac 11. Junii an. 911. obiit, atque Conſtantini Porphyrogeniti Leonis filii. Scripſit Hiſtoriam vitæ Sanctorum, cujus variæ extant Verſiones apud Lipomanum, & Surium.

Meis, (*Jacobus du*). Vide *Du Mets*.

Minutius Felix, inclytus Romæ Cauſſarum patronus initio ſæculi tertii, hoc eſt, poſt Tertullianum, & ſanctum Cyprianum, Dialogum elegantiſſimum compoſuit, ubi interlocutores ſunt Chriſtianus ſub nomine *Octavii*, & Paganus, ſub nomine *Cecilii*; quo opinionum idololatriæ ridiculum demonſtrat. Hoc opus Heidelbergæ an. 1560. ab operibus Arnobii ſeparatum, & quorum octavus erat ex nonnullis Liber, poſtea Romæ, Baſileæ, Francofurti, Hamburgi, & Pariſiis impreſſum fuit. Hæc editio an. 1643. quæ etiam operibus ſancti Cypriani ann. 1666. addita eſt, omnibus antecellit.

Miranda, (*Ludovicus de*) Auctor Hiſpanus Valliſoleti exeunte Sæculo decimo ſexto natus, profeſſione Franciſcanus, Provinciæ S. Jacobi fuit Definitor, ac Salmanticæ.

Digitized by Google

Theologiam profeſſus eſt. Inter cetera Opera compoſuit *Directorium, ſeu Manuale Prælatorum Regularium*, duobus Libris uno volum. *in fol.* contentis: Tractatum *de ſacris Montalibus*: alterum *de Sacræ Scripturæ ſenſibus* &c.

Molanus, (*Joannes*) Inſulis in Belgio ann. 1533. natus, an. 1570. Lovanii Doctoris Laurea obtenta, ibi Philoſophiam & Theologiam profeſſus eſt, atque a Summo Pontifice & Hiſpaniarum Rege Librorum Cenſor, Lovanii 18. Septemb. an. 1585. obiit. Scripſit 1. *De Teſtamentis*. 2. *Theologiæ practicæ Compendium*. 3. *De Decimis*. 4. *De Canonicis Libri* 3. *in* 8. Coloniæ an. 1585. & 1587. 5. Annotationes in Martyrologium Uſuardi, Lovanii an. 1568. & ſex aliis vicibus ipſo ſuperſtite ibidem editas. Ipſius Tractatus *de Canonicis & eorum Officiis*, Coloniæ *in* 8. an. 1585. & 1587. & is pariter, cui titulus *de fide Hæreticis ſervanda*, *in* 8. anno 1584 aut 20. Junii an. 1585. juxta D. Dupin editus eſt.

Moſfeſius, (*Andreas*) Religioſus e Theatinorum familia. Theologiæ Doctor, Juriſque Profeſſor, Opus Morale emiſit inſcriptum: *Promptuarium triplicis Juris Divini, Canonici, & Civilis; ſeu Summam Moralis Theologiæ, & Caſuum Conſcientiæ*, quam primum Neapoli, ubi an. 1619. profitebatur, in lucem mandari curavit.

Monſchus, (*Joannes*). Hic Auctor, qui initio Sæculi decimi quarti floruit, Gloſſam compoſuit in Sextum, non multo poſt, cum a Bonifacio VIII. fuiſſet promulgatus. Venetiis an. 1585. cum additionibus Philippi Probi, typis impreſſa eſt. Quaſdam etiam ex iis interpretatus eſt, quæ *Extravagantes communes* appellantur: Pictavii fuit Epiſcopus, tum ab eodem Summo Pontifice Cardinalis, & in Galliam Legatus deſignatus. Patrem habuit, ut fertur, Fabium Ferrarium Abbavillæum; tres quippe clavos in Scuto Gentilitio gerebat. Is ann. 1303. *Cardinalis Monachi* Collegium in viam ſancti Victoris Pariſiis inſtituit ac dotavit: is etiam quaſi Teſtamentarius Procurator Cardinalis Joannis Cholet, Collegium ejuſdem nominis fundavit.

Monte-Ferrato, (*Guillelmus Joannes de*) eximius Juris Canonici Doctore Catalaunia oriundus, Tractatum compoſuit in Regulas Cancellariæ Romanæ: alterum *de Generalis Concilii poteſtate &c.* Vivebat anno 1480.

Monte-Landuno, (*Guillelmus de*). Illuſtris hic Doctor fuit Juris, quod Pariſiis & Toloſæ publice docuit. Ex ejus Aquitaniæ Annalibus pag. 193. colligitur, ipſum ann. 1334. una cum pueris Regis Hungariæ Pictavium ſe contuliſſe, ipſum Rectorem ac Priorem ſancti Pauli extitiſſe, ac tandem Abbatem Monaſterii ejuſdem urbis fuiſſe electum, ubi ſepultus eſt, ut declarat vetus Capituli hujuſce Abbatiæ Codex hiſce verbis: *Dominus Abbas de Monte-Landuno qui gloſſavit Clementinas, & compoſuit unum Tractatum ſuper Sacramenta Eccleſiæ, & fuit notabilis Doctor in Decretis, qui ſepelitur ante magnum Altare a latere dextro.* Ex ejus tumulo penitus oblitteratus eſt annus mortis illius; at electioni ſuæ diu ſuperſtitem non fuiſſe conſtat, cum Stephanus ipſius Succeſſor in hac Abbatia ann. 1343. obierit. Scripſit hic Auctor opus inſcriptum *Repertorium in aliquot titulos Juris Civilis*, Venetiis ann. 1587. editum: Commentaria quoque in Clementinas, Extravagantes Joannis XXII., & in *Communes*, etſi non ſolus earum interpres emiſit.

Montbrlon, ſeu Montholon (*Franciſcus*) in Senatu Pariſienſi ab anno 1618. Cauſidicus, Regi a ſanctioribus Conſiliis an. 1645. Regio diplomate deſignatus, an. 1679. natus, anno 79. obiit.

Moreri, (*Ludovicus*) cujus Hiſtoricum Dictionarium in præſenti laudatur, 25. Martii an. 1643. in Forojulienſi Diœceſi in Provincia natus, nomen *Moreri* a vico *de Morier* ibidem poſiti duxit, cujus N. Chatranel, Proavus ipſius, natu Divionenſis, erat Dominus, nomenque ſibi ſumpſerat. Dictionarium ſuum Hiſtoricum an. 1673. uno volum. *in fol.* Lugduni in vulgus emiſit, auctum deinde altero volum. quod anno duntaxat 1681. in lucem prodiit poſt ejus mortem, quæ in Calendas Julii anno 1680. ætatis ann. 37. incidit, duobus iſtis volum. alia quatuor addita ſunt.

Morin, (*Joannes*) Bleſis ann. 1591. Calviniſtis parentibus ortus, Rupellæ ſtatim muſis operam dedit, poſtea Lugduni Batavorum Philoſophiæ ac Juriſprudentiæ: Catholicam fidem, opera Cardinalis du Perron, amplexus, Congregationi Oratorii Jeſu, quam a paucis in Galliam adduxerat Cardinalis de Berulle, nomen dedit. Is in Biblia Polyglotta D. de le Jay Pentateuchum Hebræo-Samaritanum inſeruit, cujus a temporibus D. Hieronymi non erat mentio, & cujus erat Manuſcriptum exemplar ex Oriente allatum in Domo Pariſienſi Oratorii, ubi Vir ille doctus apoplexia 28. Februarii an. 1659. periit. Plures ab eo accepimus Tractatus, ſcilicet. *De Confirmatione: de Contritione & Attritione: de Pœnitentia*. Quod ultimum Opus omnium admirationem in ſe convertit, majorem etiam opus illius de Ordinationibus. Non ſine magna animi voluptate legi poſſunt Analyſis, ac Cenſura D. Dupin de operibus viri illius ampliſſimi.

Mornacius, (*Antonius*) in Senatu Pariſienſi anno 1597. cauſſas agebat, ac Pariſiis ejus Opera ann. 1654. quatuor volumin. *in folio*, ſtudio Franciſci Piſſon etiam Cauſidici Pariſienſis, fuere promulgata, quorum etiam nova Pariſiis extat editio. In Digeſta Annotationes; ac de variis Juris quæſtionibus præclaros emiſit Tractatus.

Moronus, (*Nicolaus*). Tribunalis Inquiſitionis Conſultor, qui ob ingenii ſui amplitudinem *Doctor illuminatus* nuncupatus eſt, Tractatum compoſuit *de Fide, Treguа, & Pace*. Venetiis anno 1584.

Moulin. (*Carolus de*) Hic Juriſperitus Pariſiis ann. 1500. natus, Juriſprudentiam ab anno ætatis ſuæ decimo ſeptimo profeſſus, ann. 1522. in Senatus Pariſienſis Cauſidicorum Collegium admiſſus eſt. Civilibus Pariſinorum diſcordiis in Germaniam ſecedere coactus, Tubingæ, aliiſque in Oppidis Jus publice docuit. Anno 1564. Lutetiam rediit, ac 27. Decembris ann. 1566. obiit. Novitatis amans habitus eſt, ſcribitque D. Sponde, ipſum licet ſupplicem Parlamento in Calviniſtas libellum obtulerit, Lutheri reipſa erroribus fuiſſe infectum, nec ſine cauſſa, ſcripta ipſius a Clemente VIII. publico fuiſſe damnata incendio: Attamen Orthodoxam fidem profeſſus obiit præſentibus Claudio d' Eſpence Doctore Sorbonico, Renato Bonelle Gymnaſii Pleſſæi Rectore, & Franciſco Curtio Parocho Eccleſiæ Parœcialis ſancti Andreæ ab Arcubus, in cujus Cœmeterio ſepultus eſt. Tractatum ſtatim *in folio* emiſit Pariſiis, tum Venetiis, Baſileæ, & Lugduni *in* 4. editum pro defenſione edicti, quod promulgari juſſit Henricus II. contra parvas dattas & receptionem Concilii Tridentini; quod Curiæ Romanæ indignationem in ipſum convertit. Scripſit quoque Commentarium in Regulas Cancellariæ Romanæ in Gallia receptas, Lugduni *in* 4. anno 1552. Pariſiis an. 1598. & 1608. *in* 8. editum, cui Annotationes addidit Lovetus, Pariſiis *in* 4. ann. 1656. & 1699. typis mandatas. Conſuetudinem Pariſienſem notis illuſtravit, ann. 1539. quas Dionyſius Godefridus *Juris Gallici Clavem* appellat, & quas, uti opus omnibus ſuis abſolutum numeris, quodque nemo poſſit aſſequi, laudibus effert Brodeau. Caute legenda ſunt quæ ſcripſit de Uſura; vult enim licitam eſſe Uſuram mutuæ pecuniæ datæ divitibus.

N

NAclantus, (*Jacobus*). Hic Auctor, cujus proprium nomen eſt, *Nacchiante*, ex Italica Lingua, Florentiæ natus, & Profeſſione Dominicanus, ann. 1544. Clugiæ Veneti Status Oppiduli in inſula poſiti, Epiſcopus electus menſe Januario; 18. Tractatus in Sacramenta, multoſque alios compoſuit, ſcilicet: 1. *De poteſtate Summi Pontificis*. 2. *De reſidentia Epiſcoporum*. 3. *De Primatu Petri*. 4. *De Communione ſub utraque Specie*. 5. *Sex dierum Mundi explicatio, & eorum arcanorum detectio*. 6. *Sex Mundi ætates*. 7. *De Eccleſiaſtica Hierarchia*. 8. *Theoremata Theologica, Metaphyſica, & Naturalia*. 9. *Explicatio Epiſtolarum ad Romanos & ad Epheſios*. Theoremata Theologica ſunt numero quatuordecim: Metaphyſica ſexdecim: & Naturalia duodecim, uno volumine in duos tomos diſtributo, *in folio* quod typis fuit impreſſum ſub Pontificatu Julii III. qui Paulo III. ſucceſſit 8. Februario an. 1550. & iterum Lugduni an. 1657. Obiit 6. Maii an. 1569. Concilio Tridentino interfuerat.

Nangis, (*Guillelmus de*) Benedictinus in Monaſterio S. Dionyſii in Gallia, decimo tertio Sæculo floruit. Is fuit Auctor Chronici ab Adamo ad an. 1301. quod Dominus Lucas d' Acheri in undecimo *Spicilegii ſui* tomo ſolum retulit ab. ann. 1113. ad an. 1301. quaſi ſeriem Chronici Sigeberti. Scripſit quoque Hiſtorias ſancti Ludovici, & Phi-

Digitized by Google

& Philippi dicti Audacis, & Chronicon Regum Galliæ ad an. etiam 1301. quo igitur tempore vivebat adhuc hic Auctor. An. 1596. ejus Opera typis mandari curavit D. Pithou.

Navv, (*Joannes*) Conſiliarius, Secretarius Regius, & in Pariſienſi Senatu Cauſidicus, edictorum Regiorum Epitomem juxta ſeriem Litterarum Alphabeti compoſuit, Pariſiis anno 1658. editam.

Navarra, (*Petrus*) Toleti natus, ſæculo decimo ſexto vivebat. Præcipuum illius Auctoris opus eſt Liber *de damnis illatis redintegrandis, & Reſtitutione in foro conſcientiæ*: 2. Tomis Lugduni an. 1593. editus.

Navarrus, (*Martinus Aſpilcueta*) 13. Decembris an. 1493. Veraſoini ad Pompejonem Navarræ caput, unde *Navarri* nomen accepit, natus, Compluti Philoſophiæ ſtuduit, Theologiæ & Juriſprudentiæ operam dedit Cadurci & Toloſæ, ubi diu Jus, uti per quatuordecim annos jam Salmanticæ, profeſſus eſt; Conimbricæ quoque Jus idem duodecim annos publice docuit: Ordinem Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini e Congregatione de Ronceval amplexus eſt, cumque ferme octogenarius Romam petiiſſet, ut Bartholomæi Carranza Toletani Archiepiſcopi Innocentiam tueretur, Pœnitentiarius deſignatus eſt ſub ſancto Carolo Borromæo Proto-Pœnitentiario, atque in eadem urbe anno 1586. obiit. Ipſius Opera Juris Canonici & Moralis tribus volum. *in folio* continentur, Venetiis an. 1588. Romæ an. 1590. Lugduni an. 1597. Venetiis iterum an. 1601. & Coloniæ an. 16.6. edita. Quinque ipſius Libri Conſiliorum ſeparatim *in folio* an. 1601. & Romæ an. 1602. duobus volum. *in* 4. fuere editi.

Neophytus Rhodinus Auctor eſt Operis inſcripti: *Synoplia Spiritualis*, in quinque Libros diviſi, in quo agit de rebus, quæ ad fidem pertinent. Alios etiam multos conſcripſit Tractatus, ut *Interrogatorium Confeſſorum*, Romæ an. 1621. *in Compendium Divinorum Sacramentorum; de Præceptis Decalogi: de Peccatis: de Cenſuris; de Officio divino recitando, &c.* quæ omnia typis mandari juſſit ſacra Congregatio Romæ *in* 8. an. 1630. Is erat natu Cyprius, & Monachus S. Baſilii.

Nero, (*Petrus*) a Stephano Girard adjutus, Epitomen Edictorum confecit 1. Septemb. an. 1655. editum: duo iſti erant Cauſidici in Senatu Pariſienſi.

Nevo, (*Alexander de*) *Vide* Alexander.

Nugno, vel Nugnus, (*Ægidius*) Dominicanus, qui ſcripſit in Summam D. Thomæ, ante Adriani VI. tempora vivebat, ac Doctor Lovanienſis 21. Junii an. 1491. admiſſus eſt.

O

Oldrandus, cognominatus *de Laude* ab urbe Lombardiæ ad Adduam, poſita inter Mediolanum, & Cremonam, an. 1330. florebat. Opus Juris eruditione plenum conſcripſit ſub titulo: *Conſilia &c.*

Olive, (*Simon d'*) Dominus du Meinil, alterius Inquiſitionum Curiæ in Toloſano Parlamento Conſiliarius, Arreſtorum notabilium hujus Parlamenti Collectionem confecit in multos Libros diviſam, quam Henrico Borbonio Principi Condæo 8. Junii an. 1538. nuncupavit. In lucem quoque protulit *Actiones Forenſes in* 4. quæ ſunt Collectio actionum ipſius. Auctor eſt judicio, eloquentia & fama præcipuus.

Onuphrius. *Vide* Panvinus.

S. Optatus, Epiſcopus Milevis Numidiæ in Africa oppidi, conſcripſit opuſculum de ſciſmate Donatiſtarum in Parmenianum, in ſex Libros diſtiſum ad an. 370. quibus ſeptimus additus eſt continens ipſius additamenta ſex prioribus. Circiter an. 380. obiit. Moguntiæ ann. 1549. in lucem prodiit prima hujus libri editio, quam excepere aliæ permultæ, quarum abſolutiſſimam emiſit D. Dupin, an. 1700. & cui Annotationes, Diſſertationes duas, Actorumque Collectionem, quæ ad Donatiſtas pertinent, adjunxit.

Ordo Romanus. Libellus eſt, in quo de Divinis agitur Officiis, cujus incerto Auctore, certa eſt Antiquitas; quippe qui fuerit compoſitus, cum in Galliam inductus eſt uſus divini Officii Romani, poſtulantibus Pepino, & Carolomanno.

Origenes, ob vim ingenii dictus *Adamantius*, Alexandriæ Ægypti anno 185. natus, ſub ſancto Clemente Alexandrino ſacras arripuit Litteras, atque a 18. ætatis anno Magiſtro ſuo ſucceſſit in ſede famoſæ Scholæ Alexandrinæ. Ibi Tetrapla compoſuit, quæ variis columnis Bibliorum Textum ſeu Hebraicum ſeu ſeptuaginta Interpretum, ſive etiam aliarum vetuſtarum Verſionum referebant, quibus etiam duos alios addidit textus, ut Hexapla ſua conficeret. Sacerdotio initiatus eſt ab Epiſcopis Palæſtinæ, qua Achajam an. 228. petens, tranſibat. Ipſius Auditor fuit S. Gregorius cognomento Thaumaturgus, Neocæſareæ Epiſcopus. Circa an. 252. Tyri obiit. S. Epiphanius & Ruffinus ad 6000. Voluminum ſeu membranarum convolutarum recenſent ipſius Opera, quorum reſiduum 2. volum. *in folio* continetur, & nonnulli alii Tractatus, qui ſeparatim fuere editi.

Oſſat. (*Arnaldus*) *Vide* Epiſtolæ Cardinalis &c.

P

S. Pacianus, Vir Hiſpanus, potentia, & opibus inſignis, qui ex ethnico factus Chriſtianus, Barcinone Epiſcopatum obtinuit, ac ſub Valente Imperatore floruit. Anno 380. aut poſt aliquos annos, imperante Theodoſio Magno obiit. Scripſit hortatoriam Orationem ad Pœnitentiam, Librum de Baptiſmo, & Epiſtolas in Novatianos.

Pacus, (*Matthæus*). Hic Juriſconſultus apud Conſerannos natus, Toloſæ Doctorum numero adſcriptus, ſcribebat ante Carolum du Moulin, qui an. 1522. Senatus Pariſienſis Cauſidicus adſcriptus eſt. Tractatum compoſuit in titulum Concordati *de mandatis Apoſtolicis*, quem in partes octo, & partem quamlibet innumeros diſtribuit, ſuperſtes fuit etiam an. 1518. quo pragmaticæ ſanctionis cum Gloſſa Guymierii editionem Toloſæ promulgavit.

Palaſius, (*Michael*) Theologus Hiſpanus, & a Bailio *Theologorum Hiſpanorum diſſertiſſimus* nuncupatus, ſcripſit in Magiſtrum ſententiarum.

Paludanus, (*Petrus de Palude*) e Familia Dominorum de Varembon in Burgundia natus, ac Theologiæ Licentiatus, Profeſſione Dominicanus, ejuſdemque Ordinis an. 1317. Vicarius Generalis, a Joanne XXII. Belli ſacri vulgo *Cruciatæ* Præco deſignatus, ab eodem Patriarchatum Hieroſolymitanum an. 1330. obtinuit, ac Pariſios ab Oriente redux, ibi obiit 31. Januarii an. 1341. ex Moreri, etſi mortis ipſius diem aliquot annis nonnulli accelerent, alii longius protrahant. Erudite ſcripſit in Magiſtrum Sententiarum: primaque hujus operis editio Pariſiis anno 1614. in lucem prodiit.

Paluello, (*Rogerius de*) Utriuſque Juris Doctor deſignatus, patrem habuit Comitem de Pontaviſſe; ac fratrem primogenitum D. Marchionem de Paluelle in inferiore Normania. Auctor hujuſce Dictionarii cum eo anno 1659. & 1660. in Collegio Navarræo ſub D. Touraine Philoſophiæ dedit operam. Ingenio optimiſque moribus ſemper emicuit inter alios D. de la Paluelle, qui fuit Dominus & Patronus Parœciæ de Lucerna. Clericali militiæ adſcriptus, Parœciæ Campeſtris onus non faſtidivit, divinæ flagrans ſtudio gloriæ. Coſediarum Diœceſeos ob ſingularem virtutem Procurator electus, tandem in eadem Diœceſi Clincampi Parochus obiit a tredecim ferme annis. Anno 1710. Cadomi typis mandavit Opus *in* 8. inſcriptum, *Reſolutiones multorum Caſuum Conſcientiæ*, quod comprobarunt illuſtriſſ. Dominus Carolus Franciſcus de Brienne Coſediarum Epiſcopus; quatuor Doctores Sorbonici, utriuſque Juris Doctor. In toto ferme hoc Opere agitantur quæſtiones, quæ pertinent ad Conſuetudinem uſuſque Normannæ Provinciæ.

Pamelius, (*Jacobus*) Brugis in Belgio 13. Maii an. 1536. ex Adolpho Pamelii Barone, atque Carolo quinto a ſecretioribus Conſiliis natus, fuit Canonicus ſancti Donatiani in eadem urbe, Audomaropolis Archidiaconus, ac Præpoſitus ſancti Salvatoris Ultrajectini. Audomaropolitanus Epiſcopus deſignatus, Montibus in Hannonia 19. Septembris an. 1587. obiit. In Tertullianum, ac ſanctum Cyprianum ſcripſit, ut peritiſſimus judicandi Cenſor.

Panormitanus. *Vide* Abbas.

Panvinus, (*Onuphrius*) in Statu Veneto Veronæ natus, fuit Religioſus ex Ordine Eremitarum ſancti Auguſtini ſub Pontificatu Pii IV. Panormi vitæ 1. æ an. 39. ſecundum Moreri & Vallemont obiit. Chronicon Eccleſia-

ſticum compoſuit; dictus a Paulo Manutio *Helluo Antiquarum Hiſtoriarum*. Platinæ Hiſtoriam de vita ſummorum Pontificum continuavit, atque hoc Opus ſancto Pio V. ann. 1566. nuncupavit. Emiſit quoque *Chronicon Ordinis Eremitarum a divi Auguſtini temporibus ad an.* 1550. & alia Opera, ut Tractatum *de antiquo ritu baptizandi Cathecumenos:* & alium: *de Primatu Petri*, Venetiis an. 1589. & 1591. &c. *in* 4. editum.

Papias. *Vide* Guydo Papias.

Papon, (*Joannes*) e ſancti Germani tractu in Forenſium Comitatu natus ſecundum nonnullos, Conſiliarius Regius ſuit, ac Prætor primarius Mombriſonii in Foreſia, an. 1582. vivebat. Arreſtorum collectionem compoſuit in 24. Libros per titulos diſtributam, quam typis primum an. 1556. & iterum an. 1585. tum octoginta annos natus mandasi curavit, quæque aucta in tertia editione a Joanne Chenu Senatus Pariſienſis Advocato, Pariſiis an. 1601. quarto ann. 1607. *in* 4. in lucem prodiit: Commentarium quoque confecit in conſuetudinem Borboniam, & Tractatum de Arte Tabellionum, qui Lugduni an. 1577. tribus voluminibus emiſſus eſt.

Paré, (*Ambroſius*) Lavalli in Cenomania natus Calviniſta, Henrici II. ſuit Chirurgus, & Franciſci II. Caroli IX. & Henrici III. ipſum a cæde ſancti Bartholomæi incolumem præſtitit Carolus IX. Is Tractatum compoſuit de Relatione Impotentiæ Viri & Mulieris, aliorumque operum, quæ ad artem medicam pertinent, quæque in ſummam collecta ſunt: quæ 25. Tractatus continent, Pariſiis an. 1607. edita. Obiit hic Auctor 15. Aprilis 1592. Alii volunt ipſum 20. Decemb. an. 1590. fuiſſe mortuum.

Paſchalius Ratbertus, Monachus Benedictinus, Abbas Corbejenſis, obiit an. 851.

Paſqualigi, (*Zacharias*) Veronæ natus, & an. 1616. Religioſus e Theatinorum ſamilia, Theologiam profeſſus eſt ſub Urbano VIII. & Innocentio X. ann. 1630. & 1645. Ann. 1647. & 1652. Opus vulgavit inſcriptum: *Variarum Quæſtionum Moralium & Canonicarum Centuria*, Romæ an. 1647. *in folio* editum, aliosque complures Tractatus, ſeu Theologicæ, ſeu Moralis, uti *Praxis jejunii Eccleſiaſtici*, an. 1654. *De Sacrificio novæ legis*, *Quæſtiones Theologicæ*, *Morales & Juridicæ*, Lugduni an. 1622.

Paſquier, (*Stephanus*) Pariſiis an. 1582. natus, in Quæſtorum Curia ejuſdem urbis Regius fuit Cauſidicus, unus e Parlamenti Cauſidicis peritiſſimus, & quaſi ipſius Oraculum. In Theodorum Paſquier primogenitum ſuum, Generalis Advocati in Curia regiarum rationis munus tranſtulit, quod ab Henrico III. acceperat, quodque per aliquot annos magna cum laude obierat. Pariſiis 31. Auguſti 1615. mortuus eſt, atque in æde ſacra ſancti Severini ſepultus eſt. Inquiſitionum volumen *in folio* promulgavit, quo & ſcientiæ & ingenii vaſtitas dijudicari poteſt. Præter Theodorum duos alios habuit filios, ſcilicet Nicolaum Paſquier Libellorum ſupplicum Magiſtrum, & Guydonem Paſquier Rationum Auditorem.

Paſtor, (*Melchior*) Juriſconſultus Gallus, Doctor & Juris Profeſſor Aquis Sextiis in Provincia, Tractatum emiſit: *de Beneficiis & Cenſuris Eccleſiaſticis ad uſum utriuſque Fori*. Altera vice in eadem urbe an. 1660. recognitum, & a ſe ipſo emendatum *in* 4. Toloſæ iterum an. 1675. & denuo cum reliquis ejuſdem Auctoris operibus an. 1710. *in folio* ibidem editus eſt.

Paſtorale ſeu Manuale,	Mechliniæ comprobatum a Lovanienſibus Doctoribus 23. Septembris ann. 1588. Atrebati, Cameraci, Yprarum, & Bartholomæi *ab Aula*, a Lovanienſibus Doctoribus an. 1573. comprobatum.

S. Paulinus, Nolanus Epiſcopus, & Burdigalæ ad an. 353. natus, Auſonii ſuit Auditor, & Conſul ad an. 375. Statim Nolam cum Theraſia conjuge ſe recepit, & ſimul cum ea in Hiſpaniam migravit quaſi cœlebs cum ſorore: a Delphino Burdigalæ Epiſcopo baptizatus, ac Barcinone anno 393. Sacerdotio initiatus, Romam venit, indeque Nolam, cujus an. 409. Epiſcopatum obtinuit, ac menſe Junio an. 431. ibidem e vivis exceſſit. Hujuſce Sancti Opera ſunt Epiſtolæ & Poemata, quæ Pariſiis primum an. 1516. edita ſunt.

S. Paulinus. Epiſcopus is ſuit & Patriarca Aquilejæ, quam in ipſum dignitatem contulit Carolomannus ad an. 774. Anno 794. ad Concilium Francoſotdienſe venit, cui interfuere 300. ferme Epiſcopi Galliæ, Germaniæ & Italiæ, quia 56. Canones condiderunt, quorum primo damnantur Elipandus Toletanus, & Felix Urgellius, qui Chriſto Filii adoptivi appellationem adſcribebant. Sanctus Paulinus ſcriptum treſque libros in duos illos Epiſcopos Hiſpanos compoſuit, quædam etiam ab eo ſcriptorum & epiſtolarum fragmenta accepimus. Præclarum quoque edidit Tractatum ſub hoc titulo: *de ſalutaribus Documentis*, olim ſub nomine S. Auguſtini promulgatum, quique reperitur in appendice ſexti volum. Operum hujuſce S. Doctoris pag. 204. Obiit hic ſanctus Epiſcopus 2. Januarii an. 803. aut 801.

Paulus cognomento Caſtrenſis, e Caſtro Regni Neapolitani oppido in Hydruntino agro natus, per 50. annos Patavii, Florentiæ, Senis, & Bononiæ tanta nominis ſui fama Jus profeſſus eſt, ut de ipſo diceretur: *ſi Bartholus non eſſet eſſet Paulus*. Anno 1437. Patavii ſenex obiit.

Paulus Romanus, Italus Religioſus ex Ordine Eremitarum ſancti Auguſtini, ann. 1474. florebat: is compoſuit Tractatum *de Uſu Clavium*: alterum *de Penſionibus*, aliaque multa Opera.

Paulus Peruſinus, Religioſus Carmelita, fuit Doctor Theologus in facultate Pariſina, Pariſiiſque diu profeſſus eſt; qua de re multi eum fuiſſe Gallum exiſtimarunt, quod tamen eſt incertum. Obiit anno 1344. Scripſit in Magiſtrum Sententiarum.

Paulus. Inclytus is erat ſecundi ſæculi Juriſperitus. Ulpiani ac Papiniani tempore æqualis, quibuſcum ſub Imperatore *Peſcennio Nigro* ad annum ſalutis 193. inter ſecretioris Conſilii Patres annumeratus eſt. Plures ſunt Romanæ Leges, quas tulit, Digeſtis inſertæ.

Paz, (*Jacobus Alvarez de*) Toleti in Hiſpania natus, ætatis anno 17. inter Patres Soc. Jeſu nomen dedit; præclaras is etiam Novitius compoſuit Meditationes atque commovendis animis valde idoneas. Compluti poſtea Theologiæ dedit operam, tum Peruviam miſſus eſt, ubi ſexagenarius 17. Januarii anno 1720. non ſine ſanctitatis fama vitam finivit. Is multa compoſuit Opera. 1. *de Vita Spirituali Libri quinque*. 2. *de Inquiſitione pacis*. 3. *de Exterminatione mali*. 4. *de Sacerdotum Inſtitutione*, & alios Tractatus, quorum nonnulli Gallice ſunt redditi.

Peirat, (*Guillelmus de*). Hic Auctor Lugduni natus, ſtatim in Parlamento Pariſienſi Generalis Procuratoris fuit ſubſtitutus, tum ſanctæ Capellæ Vincennarum Theſaurarius, tandemque Sanctæ Sedis Proto-Notarius, Conſiliarius, & Eleemoſynarius ſamulans Regum Henrici IV. & Ludovici XIII. quorum juſſu compoſuit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Aulæ*; ſeu *Antiquitates & inquiſitiones Capellæ & Oratorii Regum Galliæ a Cledoveo I.* quam Ludovico XIV. anno 1645. dedicavit; quo anno Pariſiis viſa eſt prima Editio, quam perfectam, morte præventus non conſpexit. Hoc Opus uno volumine *in folio* in tres libros diſtributos continetur, in quibus agit: 1. De re divina, modoque, quo variis temporibus in Regio Sacello confecta eſt. 2. de Variis, quæ in eo obſervantur, Cæremoniis. 3. de Juribus & Privilegiis magni Eleemoſynarii, aliorumque Eccleſiaſticorum Miniſtrorum inferiorum.

Peirere, (*Abrahamus la*) in Burdigalenſi Parlamento Cauſidicus, Auctor eſt Operis inſcripti: *Deciſiones Summariæ fori*, juxta ſeriem Litterarum Alphabeti, cum multis Arreſtis ejuſdem Parlamenti & Annotationibus. Jam a 45. annis forum frequentabat, cum hoc opus in lucem protulit, editum *in* 8. Burdigalæ ann. 1675.

Peleus, (*Julianus*) natu Andegavus, & Pariſienſis Senatus, ſæculo decimo ſexto exeunte Cauſidicus, multa ſcripſit Opera, quorum primum inſcribitur: *Quæſtio de ſolutione Matrimonii ob defectum teſtium non apparentium*; alterum: *de jure Connubiorum*, qui duo Tractatus Pariſiis *in* 8. ann. 1602. ſunt editi. Tertium Opus prioribus majoris momenti titulum præfert: *Quæſtiones illuſtres tam de rebus Beneficiariis*, *Civilibus & Criminalibus*, *quam de Conſuetudinibus Galliæ*, *Jure ſcripto*, *& Conſtitutione Eccleſiæ Gallicanæ*, quæ numero 165. illuſtriſſimo Nicolao Brulard, Domino de Sillery, Regio Sigillorum Cuſtodi ann. 1604. & Galliæ Cancellario ab an. 1607. ad ann. 1625. nuncupatæ ſunt, Eodem volumine aliud continetur Opus inſcriptum: *Actiones forenſes*, *ſingulares*, *&*

nota-

notabiles, quæ numero 557. octo Libris continentur, in quibus de iiſdem rebus agit. Prima editio Pariſiis ann. 1631. *in folio* confecta eſt.

Pelletier, (*D. Jacobus de*) Vir nobilis, Conſiliarius Regius, Pariſienſis Cauſidicus, ac rerum ad Curiam Romanam pertinentium executor, in Rothomagenſi diœceſi natus eſt, atque illuſtri & antiquæ familiæ de Tournelu, cujus Elogium & Genealogiam texuit Moreri, aſſinis, Librum compoſuit inſcriptum: *Inſtructio ad impetrandas quaslibet expeditiones in Curia Romana &c.* bipartitum, ac prima vice Pariſiis anno 1677. & ſeptima ibidem anno 1692. typis mandatum; quod quidem Opus omnibus ita fuit acceptum, ut hujus editiones ſeptem per ſe ipſum vendiderit. Collectionem quoque generalem omnium Galliæ Beneficiorum, quæ a Rege pendent, idem Auctor confecit.

Pellizzarius, (*Franciſcus*) Hic Auctor Placentinus e Societate Jeſu, Theologiæ Profeſſor, qui ad medium ultimi ſæculi vivebat, Manuale Regularium compoſuit in decem Tractatus, ſub his titulis diviſum: *de Statu Religioſo: de Novitiatu: de Profeſſione: de Pœnis, & Cenſuris: de Privilegiis: de Monialibus &c.* Liber *de Monialibus*, omnium primus Bononiæ anno 1644. & Venetiis an. 1646. & 1651. & editus eſt: Ceteri poſtea fuere impreſſi ſimul in tertia editione *in fol.* Lugduni an. 1665.

Pœnitentialis. Liber, continens Canones, qui modum tempuſque pœnitentiæ pro delictorum qualitate imponendæ præſcribunt, cum Orationibus & Formulis, quæ olim erant in uſu ad pœnitentium reconciliationem: Duo in hoc Dictionario laudantur, prior eſt Romanus; & alter Theodori Cantorberienſis in Anglia Archiepiſcopi; tertius eſt Venerabilis Bedæ.

Perrai, (*Michael*) 15. Februarii 1661. in Pariſienſi Senatu Advocatus, Auctor eſt Operis inſcripti: *Jus Canonicum Galliæ*, ſeu *Deciſiones de rebus Beneficialibus*, in ſeptem libros diviſi; Pariſiis ann. 1689. & 1708. editi. Tractatum quoque emiſit de Portionibus congruis, de Jure Curatorum Primitivorum ac Vicariorum perpetuorum, in Oblationes, Decimas, & Primitias, Pariſiis, duobus volumin. *in* 12. anno 1689. in vulgus emiſſum, cum Notis & Obſervationibus in Edictum an. 1695. de Diſciplina Eccleſiaſtica, in quadrageſimum quartum articulum cujus in errorem lapſus eſt, cum aſſerit, ad exequendam Eccleſiaſtici Judicis ſententiam, requiri Litteras permiſſivas, vulgo *Pareatis*, Judicis ſæcularis etiam ad bonorum traditionem ſub cuſtodiam & executiones: Quod obſervarunt Auctores Ephemeridum Doctorum.

Perrier, (*Scipio de*) Cauſidicus Parlamenti Provinciæ Opus compoſuit inſcriptum: *Quæſtiones Notabiles Juris*, Gratianopoli ann. 1660. *in folio* editum.

Perron, (*Jacobus Davy du*) ex inferiori Normannia ortus, apud Helvetios Bernæ natus, quo parentes ejus 25. Novembris anno 1556. confugerant, a Patre in hæreſi Calviniana ſtatim educatus eſt, quam poſtea lectis ſancti Auguſtini & ſancti Thomæ operibus ejuravit, atque Clericali militiæ nomen dedit. Is Henricum de Sponde, qui Pamiæ deinde factus eſt Epiſcopus, ad Catholicam fidem adduxit. Eum pacis ſuæ cum ſancta Sede conciliatorem legavit Henricus IV. Romam, ubi Epiſcopus Ebredunenſis inauguratus eſt. Sacra ipſum purpura donavit Clemens VIII ann. 1604. & ab Henrico IV. de Archiepiſcopatu Senonenſi provitas, Pariſiis 5. Septembris ann. 1618. obiit. Multa Gallice conſcripſit Opera, imprimiſque Reſponſum ad Henricum VIII. Angliæ Regem.

Peruſio, vel Peruſinus. *Vide* Angelus de Perusio, Paulus de Perusio.

Petrus, Cognomento Alvernus, ex Alvernia Provincia, in qua natus eſt, Sancti Thomæ fuit Auditor, ſancti Dominici Ordinem amplexus eſt, cujus Provincialis fuit. Florebat ann. 1360.

Petrus de Ancharano. *Vide* Ancharanus.

Petrus de Aragonia. *Vide* Aragonius.

Petrus, Cognominatus *de Tarentaſia*, Dominicanus, in Tarentaſia natus, quæ eſt vallis ingens, una videlicet Provincia Sabaudicæ ditionis, cujus caput eſt Forum Claudii in Tarentaſia, non vero oppidum, uti exiſtimavit Pater Labbeus. Octogeſimus nonus fuit Lugduni Archiepiſcopus, ubi ſanctum Bonaventuram, quocum purpura a Gregorio X. fuerat inſignitus, mortuum pro Concione laudavit per celebrationem ſecundi Concilii Generalis Lugdunenſis. Factus Papa, Innocentii V. nomen aſſumpſit, obiitque ann. 1276. Scripſit in Magiſtrum ſententiarum in Epiſtolas ſancti Pauli; Theologiæque epitomen confecit, &c.

Petrus Aurelius. Suppoſitum nomen eſt Joannis du Verger de Hauranne, Abbatis ſancti Cyrani, qui Bajonæ anno 1581. natus eſt. Anno 1620. de Abbatia S. Cyrani proviſus eſt: Petri Aurelii nomen ſibi aſſumpſit initio Libri ſui pro defenſione Hierarchiæ Eccleſiæ, in duos Angliæ Doctores; qui juſſu propriiſque impenſis Cleri Gallicani in Comitiis anno 1635. typis impreſſus eſt addito magnifico Auctoris elogio, qui præ modeſtia, quis eſſet, aperire noluerat. Pariſiis obiit 9. Julii 1643. & in Eccleſia ſancti Jacobi ab alto paſſu ſepultus eſt.

Petrus a ſancto Joſeph, Religioſus Fulienſis, multa compoſuit Opera, imprimiſque Theologiam Dogmaticam & Moralem tribus volumin. *in* 12. inſcriptam: *Idea Theologiæ Sacramentalis: Idea Theologiæ Moralis: Idea Theologiæ Speculativæ*. Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Henrico d' Eſcoubleau de Sourdis, Burdigalenſi Archiepiſcopo, dedicatam. Opus ejus eſt etiam *Summula Caſuum Conſcientiæ &c.*

Peyrinis, (*Laurentius de*) Religioſus e Minimorum familia, cujus ter fuit Præpoſitus Provincialis, Juris utriuſque Doctor, nec non Inquiſitor, Genuæ natus eſt. Librum hic Auctor emiſit inſcriptum: *Religioſus Prælatus & ſubditus*: Romæ ann. 1623. approbatum, & Genuæ *in* 4. ann. 1630. & 1632. editum; cujus etiam facta eſt editio anno 1639. & Lugduni anno 1668.

Philarchus, (*Coſmas*) Piſtorii in Etruria natus, Opus confecit, *de Officio Sacerdotis*: duobus tomis Venetiis ann. 1597. editum. Jam Florentiæ ann. 1575. alterum ejus Opus *de Prædeſtinatione & Reprobatione in* 8. in lucem prodierat.

Piaceſius, (*Paulus Piaſecki*) Premiſliæ in Polonia Epiſcopus Tractatum confecit inſcriptum; *Praxis Epiſcopalis & Eccleſiaſtica de Officio & poteſtate Epiſcopi* primum Venetiis *in* anno 1613. tum Coloniæ anno 1615. *in* 8. & iterum anno 1680. & 1687. In vulgus quoque emiſit anno 1646. *Chronicam rerum geſtarum in Polonia*, Poloniæ Hiſtoriam a Stephano Battori complectens, Cracoviæ *in folio* editum.

Petrus Cantor. Is Auctor dictus Cantor ab officio Cantoris Eccleſiæ Pariſienſis, fuit Doctor Theologus in Facultate Pariſienſi. Ciſtercienſem diſciplinam amplexus eſt in Abbatia Longi-pontis inter Compendium & Auguſtam Sueſſionum, ubi ad ann. 1197. vita functus eſt. Scripſit Summam Caſuum Conſcientiæ: Grammaticam Theologorum: Opus inſcriptum: *Verbum abbreviatum &c.*

Petrus Bleſenſis. Sic cognominatus vel a Bleſis patria, ſecundum nonnullos, vel a Bleſarum familia in Britannia, ut aliorum fert opinio, Pariſiis Humanioribus Litteris operam dedit, ac Bononiæ Juri Canonico & Civili: tum ad Theologiam ſub Joanne Saliſberienſi, poſtea Carnutenſi Epiſcopo, animum convertit: in Siciliam migravit, ibique fuit a ſtudiis Guillelmo II. hujus inſulæ Regi, cujus deinceps fuit Amanuenſis; unde in Galliam redux juſſu Henrici II. Angliæ Regis Londinum venit, ubi fuit Archidiaconus prius Bathuenſis. Obiit in Anglia ann. 1200. Prima Operum ejus editio Moguntiæ, altera Pariſiis anno 1519. uti ultima cum Annotationibus ann. 1667. in lucem prodiit.

Piſſon, (*Franciſcus*) Burgis 5. Auguſti anno 1612. natus, ubi Pater ac Avunculus Juriſprudentiam profitebantur, 5. Decemb. ann. 1633. inter Senatus Pariſienſis Cauſidicos annumeratus, Pariſiis 10. Octobris an. 1691. obiit. Librum *de Beneficiis* Lutetiæ ann. 1654. promulgavit: ann. 1663. Pragmaticam ſancti Ludovici cum Commentario; ann. 1666. Pragmaticam Caroli VIII. etiam Commentario illuſtratam; ann. 1688. Librum de Regaliis, &c.

Piſanus, vel Piſanella. *Vide* Bartholomæus Pisanus.

Piſanus, (*Alphonſus*) Toleti natus, ætatis 24. ann. factus Jeſuita ann. 1552. Romæ ſtatim Philoſophiam publice docuit, ubi poſtea Doctoris Lauream obtinuit: ann. 1559. in Germaniam venit, ac per ſeptem aut octo annos Theologiam Ingolſtadii ac Dilingæ magna nominis ſui fama profeſſus eſt. Tandemque miſſus in Poſnaniam, ac deinde Kaliaum Poloniæ, in hoc ultimo oppido 9. Decemb. ann. 1598. obiit. Varios hic ſcripſit Tra-

Tractatus, uti de Jejunio, de Continentia, & Cœlibatu Apoſtolico. Aliud etiam compoſuit Opus inſcriptum: *Canones & Acta Concilii Nicæni univerſalis*, Coloniæ *in* 8. ann. 1591. editum.

Piſanus, (*Reinerius*) Piſis natus, profeſſione Dominicanus, Summam Moralem compoſuit, cui titulus: *Pantheologia*: in duas partes diviſam, quarum prior de Caſibus Conſcientiæ agit; altera, ad præcones Verbi Divini pertinet. Lexicon eſt iſta ſumma Theologicum, cujus Argumenta Alphabetico ordine ſunt digeſta; quodque a Jacobo Florentino Minorita auctum, Norimbergæ anno 1473. ejuſdem ſtudio typis mandatum eſt. Hic Auctor Theologiam ab an. 1414. profeſſus eſt, ac præcipua Ordinis ſui obiit munera. Hujus Operis factis additamentis a Patre Nicolao, altera confecta eſt Pariſiis editio.

Pithou, (*Petrus*) Hiſtoria, Juriſprudentia, & arte judicandi de ſcriptis Auctorum inclytus, ortus eſt ex nobili familia inferioris Normanniæ. Guillelmus Pithou, unus ex Proavis, inter Viros nobiles Provinciæ, Chriſtianæ Religionis ſtudio incenſus, pia ſumpſit arma, Hieroſolymamque petiit, militaturus in exercitu Infidelibus oppoſito anno 1190. Conſequentibus ſæculis, hoc eſt, ad annum 1408. Æmilius Pithou, relictæ natali ſolo, rebuſque paternis primogenito ſuo conceſſis, in Campaniam venit, ubi ducta conjuge, filium ſuſcepit nomine Andream, a quo genitus eſt Petrus, qui alium quoque habuit filium nomine Petrum, qui ex ſecundis nuptiis duos ſuſcepit filios, ſcilicet Petrum, de quo nunc agitur, & Franciſcum.

Petrus Pithou 1. Novembris an. 1538. natus, Humanioribus Litteris Trecis operam dedit: tum Pariſios miſſus ſub Tunerbo idem ſtudium prorogavit. Quo confecto Avarici Jus Civile edoctus eſt ab inclyto Cujacio, quem Valentiam in Delphinatu proſecutus eſt ad ann. 1560. tanti viri non minus virtute, quam amicitia captus. Tum Pariſios rediit, ubi inter Cauſidicos admiſſus forum frequentavit, una tamen cauſſa ſolum defenſa & obtenta, quod Conſulentium undique reſponſis nimium eſſet occupatus: poſtea Ballivius Tornoduri, tandemque Subſtitutus Procuratoris Generalis in Curia Juſtitiæ Aquitaniæ, atque Novigenti ad Sequanam 1. Novembris an. 1598. ætatis anno 58. obiit. Sepultus in Eccleſia Minoritarum, anno 1579. Catharinæ Paluau, Conſiliarii in Parlamento filiæ nupſerat, ex eaque ſuſcepit natus quatuor primis annis emortuos, duaſque filias, Ludovicam & Mariam, quæ nupſit D. l' Echaſſier, ex quo genuit Mariam l' Echaſſier, matrem D. le Pelletier Publicarum Rationum Inſpectorem Generalem, Regique a ſecretioribus Conſiliis. Doctum hunc virum pleniſſime laudant DD. de Thou & de Sainte Marthe, uti Lipſius & Turnebus. Ipſius Opera ſunt: *Collectio Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ: Annotationes in Conſuetudinem Trecenſem: de Latinis ſanctorum Bibliorum Interpretibus: Moſaicarum, & Romanarum Legum collatio*, aliaque multa. Calvini erroribus deceptus vix Bartholomæi cædem effugit, opitulanteque amico ſuo Antonio Loiſel, apud quem delituit. Ipſum ad Catholicam fidem adduxit Simon Vigor, S. Pauli Parochus.

Platea, (*Franciſcus de*) eruditus Bononiæ Canoniſta, Franciſcanus an. 1442. florebat. Compoſuit ſummam Myſteriorum Religionis Chriſtianæ; Orationes ſacras, & Tractatus de Matrimonio, de Cenſuris, de Excommunicatione, de Uſura, & Reſtitutione. Ejus Opera primum Patavii an. 1473. & Pariſiis ann. 476. ejuſque Tractatus de excommunicatione Venetiis an. 1584. edita ſunt.

Plato, Philoſophus Athenienſis, duxque Academicæ ſectæ circiter an. 429. ante Chriſtum natus, Socratis diſcipulus, Athenis in Academia docuit. Unde ipſius diſcipuli dicti ſunt Academici; atque 81. ætatis an. obiit. Supremum Rerum omnium Rectorem Deum agnovit vir ille magnus, verum alios quoque Deos, uti dæmones & heroes admiſit.

Plutarchus. Hic Auctor Hiſtoricus ſimul Philoſophus & Orator, Chæroneæ in Bœotia Græciæ Provincia natus, tanti ab Imperatore Trajano factus eſt, ut ipſum Conſulem deſignarit, Illyriæque præfecerit. In patriam ſediit Plutarchus, ipſumque ad tertium annum Imperii Adriani vixiſſe, hoc eſt, ad ann. 119. refert ſanctus Hieronymus; verum ex ejus ſcriptis vitam diutius produxiſſe facile colligitur. Hic ſcripſit hiſtoriam Virorum Illuſtrium ſeu Græcorum ſeu Romanorum, alioſque præclaros Moralium Tractatus; quorum tamen nonnulli ad alium Plutarchum, qui junior dicitur, merito referuntur; uti obſervarunt ſapientes rerum antiquarum Cenſores.

Policrates Tractatum conſcripſit, in quo de Maleficis loquitur. Ante tempora Delrio, a quo hac de re laudatur, vivebat.

Polman, (*Joannes*) Doctor Belgicus, Tubiſiæ natus, Canonicus Theologus, & Pœnitentiarius Eccleſiæ Cameracenſis ante medium ſæculum decimum ſeptimum, viginti octo annos Theologiam profeſſus eſt. Compoſuit *Breviarium Theologicum*, aliaque Opera, quorum altera editio ann. 1655. facta eſt.

Pomerius, (*Julianus*) e Mauritania in Africa oriundus, in Gallias venit, ubi anno 496. Sacerdotio initiatus eſt. Is eſt Auctor trium Librorum *de vita contemplativa*, quos *Prognoſticon* inſcripſit, quique olim ſancto Proſpero, cujus operibus etiamnum inſerti ſunt, adſcripti fuere. Librum quoque emiſit *de contemtu mundi*: aliumque *de vitiis & virtutibus*, uti teſtatur Gennadius. Simile quoddam Opus ſcripſit 200. poſt annis *Pomerius*, alter Epiſcopus Toletanus; quam ob rem immerito Trithemius, aliique nonnulli e duobus unum fecere Auctorem, uti obſervas Doctor Godeau in tertio tomo Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ.

Poncher. *Vide* STEPHANUS PONCHER.

Pontanus, (*Dionyſius*) Bleſenſis Cauſidicus, qui in Bleſarum Conſuetudinem, aliorumque locorum, Commentarium confecit; cujus tomus prior an. 1556. editus eſt, in eoque de ſola Bleſenſi conſuetudine Auctor agit decem titulis. Alter vero tomus viginti tres complectens titulos, D. Jacobi Dupre cura in lucem prodiit, cui manuſcriptum Pontani communicavit Doctor Seguier: qui duo tomi uno Volumine *in folio* Pariſiis ann. 1677. edito continentur.

Pontificale Romanum.

Pontius, (*Baſilius Pontius Legionenſis*) ortu Granatenſis in Hiſpania, Salmanticæ Ordinem Eremitarum S. Auguſtini amplexus, Theologiæ Juriſque Canonici periſſimus, Compluti publice docuit: Salmanticæ an. 1629. obiit. Hujus præcipua ſunt Opera: *De Sacramento Confirmationis: De Sacramento Matrimonii, cum appendice de Matrimonio Catholici cum Hæretico*, Bruxellis *in fol.* ann. 1628. Lugduni ann. 1640. & Venetiis an. 1645. Peculiarem quoque Tractatum emiſit *de impedimentis Matrimonii*, Salmanticæ *in* 4. ann. 1613. & Quæſtiones in Scripturam in eadem urbe ann. 1611.

Porta, (*Joannes Baptiſta*, cognomento *a Porta*) Neapolitanus, atque in Mathematicis, Philoſophicis, ac Medicis rebus verſatiſſimus, Aſtrologiæ Judiciariæ mentem appulit ac Magiæ naturali, de qua etiam Librum compoſuit; verum ab illicitis illis ſcientiis, jubente ſummo Pontifice, abſtinuit, atque ann. 1655. mortuus eſt.

Portel, (*Laurentius*) profeſſione Franciſcanus, compoſuit ſummam Latinam Theologiæ Moralis, ſecundum ordinem Alphabeticum, quæ in partes multas, & pars quælibet in caſus dividitur.

Poſſevinus, (*Joannes Baptiſta Bernardinus*) e Societate Jeſu, Mantuæ natus, ineunte ultimo ſæculo multos in lucem protulit Tractatus, quorum præcipui ſunt. unus *de Sacramento Matrimonii*: alter *de Extrema unctione*: tertius *de Sacrificio Miſſæ*, & alius *de Officio Curati*, Lugduni ann. 1617. & Auguſtæ Taurinorum, ann. 1623.

Poſſidius, (*non Paſſidonius* ut ſcribunt Honoratus Auguſtodunenſis, aliique nonnulli) Epiſcopus Calamatenſis in Algeria Africæ, ann. 430. florebat. Fuit Diſcipulus Sancti Auguſtini, cujus vitam conſcripſit, Operaque accurate recenſuit.

Pragmatica Sanctio. Non in hoc Dictionario laudatur Pragmatica, quam ſeu Articulis ann. 1268. promulgari juſſit San. Ludovicus Pariſiis *in* 4. ann. 1663. edita cum Præfatione, & Commentario Franciſci Pinſſon: verum ea, quam Avarici ſtatuit præſens Carolus VII. an. 1438. Parlamenti auctoritate 13. Julii ann. 1439. confirmata, cujus capita fuerant ſtatuta juxta decreta Concilii Baſileenſis ab Eugenio IV. hactenus approbati: quo circa ex viginti tribus, quæ continet capitibus, viginti & unum a Summo Pontifice fuere approbata, aliaque ſpectant tantummodo ad Collationem Beneficiorum, cauſaſque majores, prima ejus editio Pariſiis ann. 1486. facta eſt. Huic autem Pragmaticæ derogatum eſt per Concordatum inter Leonem X. & Franciſcum I. Bononiæ 16. Auguſti ann. 1516. quo facto Bulla Papæ Pragmaticam revocans 16. Decembris ſequentis, & Concordatum fuere approbata

bata & confirmata in quinto Concilio Lateranenſi. Hic non fit ſermo de Difficultatibus, quibus occurrerunt Franciſcus I. Ludovicus XI. Carolus VIII. & Ludovicus XII. tum a Clero tum a Galliæ Parlamentis, prius quam vim ſuam obtineret illud Concordatum. Pariſiis *in fol.* ann. 1666. edita eſt hæc Pragmatica cum Interpretationibus Guymierii, Additionibus Probi, atque Annotationibus Franciſci Pinſſon.

Præpoſitus, (Nomen hujus Auctoris eſt *Joannes Antonius a Sancto Georgio*) natus Mediolani, ubi primum ſancti Ambroſii fuit *Præpoſitus*, tum Rotæ Auditor, Epiſcopus Alexandriæ, eandemque Cardinalis, cognominatus Alexandrinus ſeu Placentinus an. 1493. primam Partem Decreti Gratiani, quartum decretalium Librum, & Clementinas commentariis illuſtravit. Tractatum quoque compoſuit *de Appellationibus*.

Prette, (*Claudius le*) in quinta inquiſitionum Parlamenti Pariſienſis Curia ann. 1595. Conſiliarius, Arreſta collegit, quorum receutiſſima ſunt ab an. 1621. quæ doctis illuſtravit Obſervationibus. Quartam his addidit centuriam, notaſque D. Gueret an. 1676. Editio Pariſiis *in folio* facta eſt, ac ceteris præſtat.

Probus, (*Philippus*) cognominatus ex nonnullis *Bienne*: ex aliis *Prudens-homa*, uti eum appellat *Joannes Chenuius* in ſua Collectione Privilegiorum Avarici, pag. 82. qui addit, Probum fuiſſe Doctorem, & Profeſſorem Juris Canonici Pariſiis, & Canonicum & Officialem in eadem urbe. Affirmat tamen ipſe *Probus* (*a*) ſe eſſe magnum Vicarium & Officialem Ambiani & vicem gerentem Officialis Capituli Eccleſiæ Pariſienſis. Natus in Bituricenſi tractu Pariſiis obiit, atque ſub Sanctorum Innocentium oſſuarium 3. Julii ann. 1503. ſepultus eſt. Additiones in Pragmaticam confecit editas an. 1546. & 1555. alios etiam Tractatus emiſit, ut ſunt iſti; *De Mandatis Apoſtolicis: De Penſionibus: De Diſpenſationibus: De Devolutionibus &c.*

Propertius, (*Sextus Aurelius*) Poeta Latinus Moraviæ in Umbria, juxta communem opinionem natus, fuit Æqualis Ovidii & Tibulli. Obiit poſt Virgilium, hoc eſt poſt annum 735. conditæ Romæ, vel 19. annis ante Chriſtianam Epocham.

S. Proſper. Hic ſanctus Eloquentia & Eruditione adeo conſpicuus, quem abſque cauſſa Epiſcopum Regienſem fuiſſe contendit Trithemius, fuit vir Laicus, uti defendunt perſpicaciſſimi Antiquitatis Cenſores; quam rem quinque rationibus confirmat D. Dupin: 1. Victorius Aquitanus in ſua Præfatione Chronici, quod paulo poſt mortem hujus Sancti confecit, dato Epiſcopi nomine Euſebio, & Sacerdotis S. Hieronymo, S. Proſperum, ſolummodo *Virum venerabilem* appellat. 2. Quia Gelaſius Papa ipſum ſolum *Virum religioſiſſimum* nominat, etſi loquens de Sancto Auguſtino & Hieronymo, priori Epiſcopi nomen, alteri Sacerdotis adſcribit. 3. Quia Marcellinus, Ado, & Gennadius in ſuis Chronicis uno hoc nomine ipſum deſignant. *Homo Aquitanicæ Regionis*. 4. Quia S. Fulgentius cap. 30. Libri ad Monimum, loquens de S. Proſpero, ſimpliciter ait: *Proſper vir eruditus*. 5. Denique, quia Hincmarus, Rabanus, & Prudentium ipſum Epiſcopi nomine nunquam decorarunt, unde in Trithemium concludit doctus hic Criticus, S. Proſperum Regii nunquam fuiſſe Epiſcopum, & quidem vivo Proſpero hujus urbis Eccleſiæ præerat Maximus Epiſcopus, cui ſucceſſit Fauſtus, uti teſtatur Euchariſticam Poema Sidonii ad Fauſtum, in quo aſſerit eum, ut in Abbatiali ſede Lirinenſi, ſic in Epiſcopatu Regienſi Maximi fuiſſe ſucceſſorem.

Ceterum res eſt omnibus notiſſima, duos in Gallia Proſperi nomine extitiſſe Epiſcopos, quorum alter Aurelianis fuit Epiſcopus, ad quem decimam quintam Epiſtolam Libri ſui octavi ſcribit Sidonius; alter Concilio Vaſſonenſi ann. 527. & Carpentoratenſi an. 529. ſubſcripſit.

S. Proſper Auguſtini & vivi, & mortui doctrinam in Pelagianos & Semi-Pelagianos acerrime ſemper defendit; uti liquido conſtat & fuſe in ejus Epiſtola ad Ruffinum quemdam, qui ad ipſum de ſparſis circa D. Auguſtini ſcripta, rumoribus ſcripſerat, in qua rumorum hujuſmodi finem ſimulque Pelagianorum, a quibus diſſeminabatur ea fama, errores fuſe deſcribit.

Succeſſu temporis unus ex iis, nomine Vincentius, ſcriptum promulgavit, ſexdecim erroneas continens propoſitiones, quas uti complexiones ex doctrina S. Auguſtini deductas affirmabat; quibus reſpondit S. Proſper Germanum hujus S. Doctoris ſenſum reſpective ad quamlibet ex his propoſitionibus exponens; cumque Gratiæ impugnatores novas quindecim difficultates propoſuiſſent, eas ad vivum reſecavit idem ſanctus, oſtenditque ſancti Auguſtini doctrinam apprime cum Eccleſiæ Catholicæ dogmate conſentire.

Cum inter Aſſeclas Caſſiani volitarent ejus collationes in quarum decima tertia Auctor ſub nomine Abbates Cheremonis regulas divi Auguſtini jam mortui placitis adverſas proponebat, eas ſtrenue impugnavit atque confutavit ſanctus Proſper.

Poema *de ingratis*, quod 45. capita complectitur, illuſtriſſimum eſt ex operibus, quæ compoſuit hic ſanctus in hæreſim Pelagii, ejuſque fautores, quos inſuperabiliter profligat.

Præter Opera, de quibus hactenus; quoſdam etiam Commentarios in Scripturam ſacram emiſit S. Proſper, Explicationes S. Auguſtini fideliter ſecutus, ut liquido apparet in ſuo Commentario in 50. ultimos Pſalmos.

Denique S. Proſper Chronica ſcripſit, quæ a Mundo condito ad ann. 455. deſiuunt, ut teſtantur Gennadius, Victorius, Caſſiodorus, S. Iſidorus Hiſpalenſis, aliique permulti.

Quod ad reliqua pertinet Opera, quæ ſub Proſperi nomine promulgantur; falſo quædam ei fuere adſcripta, ut ſunt Libri de vita contemplativa; quos ex conſenſu omnium Doctorum compoſuit Julianus Pomerius. Hujuſmodi quoque Liber eſt de Promiſſis & Prædictionibus, qui & dictionis & ſententiæ genere ab Auctore Afro ſcriptus exſtimatur. Ultimus eſt denique Liber de vocatione Gentium, quem multi Critici eruditione conſpicui S. Proſpero, alii nihilominus S. Leoni adſcribunt. Obiit S. Proſper paulo poſt edita Chronica; quare in errorem lapſus eſt Baronius, qui mortem illius ad ann. 465. aſſignat.

Prima operum ſancti Proſperi editio Lugduni an. 1539. confecta eſt: Secunda Lovanii ann. 1566. tertia fuſior & emendatior ſuperioribus Duaci an. 1577. quarta ad exemplar tertiæ confecta Coloniæ ann. 1609. & iterum ann. 1630. Pariſiis quoque in lucem prodiit editio ſancti Proſperi cum operibus ſancti Leonis ann. 1671. aliæque permultæ deinceps.

Puy, (*Petrus de*) Filius Claudii du Puy, 7. Februarii 1576. inter Conſiliarios Pariſienſis Parlamenti admiſſus, familiares habuit Doct. de Tou affinem ſuum, inclytumque Nicolaum Rigault. Cuſtos fuit Regiæ Bibliothecæ, cum titulo ipſius Conſiliarii. Auctor eſt eruditi Operis inſcripti: *Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ*: Hiſtoriæ Schiſmatis, quod ab an. 1378. ad an. 1428. Eccleſiam vexavit; Hiſtoriæ Pragmaticæ & Cordati. Librum quoque emiſit de interdicto Eccleſiaſtico, alioſque complures. Pariſiis decimo ſexto Decembris an. 1651. ferme ſeptuagenarius obiit.

Q

QUaranta, (*Stephanus*) Juris Doctor, Canonicus & Officialis Neapolitanus, Epitomen Alphabeticam omnium Conſtitutionum Summorum Pontificum, & Decretorum Congregationum, quæ a Summis Pontificibus fuere confirmata, compoſuit. Proſper de Auguſtino, Sacerdos Neapolitanus, huic Annotationes maximi momenti adjunxit. Hoc Opus Lugduni ann. 1622. typis editum eſt.

R

RAbanus, (*Maurus Magnentius*) Moguntiæ circiter annum 788. natus, Benedictinus fuit Religioſus in Abbatia Fuldenſi, Turonibus ſub Alcuino ſtudiis vacavit; in Germaniam rediit, ubi ætatis ſuæ 30. ann. ab Haiſtulpho Sacerdotio initiatus, electus eſt Abbas Fuldenſis ann. 82. tum ſextus Archiepiſcopus Moguntinus quinquennio aut ſexennio poſt; Mortis ejus diem Vvinſelii pagi Diœceſis Moguntinæ ann. 855. affigit Trithemius.

Radulphus. Hic Auctor cognominatus *de Riva*, Bredæ in Brabantia natus eſt. Is fuit Decanus Tungrorum Urbis tractus Leodicenſis, atque Sæculo decimo quarto Theologiæ, Juriſprudentiæ & Linguarum ſcientia floruit. In Bibliotheca

(*a*) Addit. tit. de Elec. C. *Sicut*. §. Quibus V. *Collegiatis*.

theca Patrum reperitur unum ex ejus operibus, inſcriptum: *de Canonum obſervantia*, in quo agit de antiquo uſu Reguliſque officii Eccleſiaſtici; atque probat *(a)* Breviarium Romanum non continere antiquum officium Eccleſiæ Romanæ, hodierno brevius & a Franciſcanis retento, & in Capella Innocentii III. recitari ſolito, proindeque antiqua Breviaria eſſe retinenda. Romæ obiit ſecundo Novembris an. 1403. aut juxta nonnullos aliquot ann. tardius.

Ranchin, (*Guillelmus*) Monſpeliaci Juris Profeſſor fuit Regiuſque Advocatus in Curia rei tributariæ ejuſdem urbis, cujus Pariſiis ann. 1597. unum ex operibus typis mandatum eſt, inſcriptum: *Lectiones Variæ &c.* cum aliis Tractatibus denuo impreſſum Marpurgi Urbis primariæ ſuperioris Laudgraviatus Haſſiæ in Germania.

Ranchin, (*Stephanus.*) Hic Auctor unus fuit e novem Juriſperitis, qui obſervationes fecere in 633. Deciſiones Guidonis Papæ, Genevæ ann. 1667. editas. Poſt Boerium vivebat, & etiam poſt Philibertum Bugnon Advocatum Regium in Curia inferiori Lugdunenſi rei Tributariæ, de quo ſupra.

Raqueau, (*Franciſcus*) Doctor & Rector Univerſitatis Bituricenſis, & Proprætor Balliviatus Melodunenſis, Conſuetudinem Bituricenſem interpretatus eſt cum collationibus aliarum Conſuetudinum, quæ Pariſiis primum an. 1615. editæ ſunt. Indicem quoque texuit Jurium Regis & Dominorum, in quo Conſuetudinum noſtrarum difficilia vocabula explicat. Obiit Avarici an. 1605.

Raymundus de Pennafort. Barcinone natus hic Sanctus ann. 1175. Bononiæ Juri operam dedit, Doctorumque numero adſcriptus ibidem publice docuit: Barcinonenſis Eccleſiæ fuit Canonicus, tum S. Dominici Ordinem ann. 1218. ex aliis vero ann. 122. amplexus eſt, S. Petri Nolaſco, natione Galli, Confeſſiones audivit. A Gregorio IX. Romam accerſitus, quinque Libros Decretalium ejus juſſu an. 1211. compegit, eumque Capellani ſui munere, hoc eſt, Auditoris cauſſarum Palatii Apoſtolici & Pœnitentiarii Romæ officio decoravit. An. 1238. tertius Generalis præpoſitus Ordinis ſui electus eſt, & Barcinone 6. Januarii an. 1275. prope centenarius obiit. Is ſcripſit Summam Theologiæ Moralis uno volumine *in folio* inſcriptam: *Summa de Caſibus Pœnitentialibus*, in quatuor Libros diviſam, Romæque an. 1603. editam. A Clemente VIII. cui prima hujus Operis editio fuerat nuncupata, in Sanctorum numerum vigeſimo nono Aprilis an. 1601. relatus eſt. In lucem prodiit nova hujus *Summæ* editio Avenione ann. 1715. cum Gloſſis Joannis de Friburgo *in* 4. typis denuo Lutetiæ demandata eſt ſtudio R. P. Laget Dominicani Aqui-ſextienſis, qui novas addidit Obſervationes, in quoſdam operis titulos.

Rebel, (*Fernandus.*) Hic auctor prope Monſpeliacum circiter ann. 1500. natus, Doctor fuit & Theologiæ profeſſor Eboræ Urbis Archiepiſcopalis in Luſitania, quæ Ulyſſipone regni hujus Urbe primaria viginti Leucas diſtat, ejuſdemque urbis Univerſitatis fuit Cancellarius.

Rebuffus, (*Petrus*) Doctor Montis-Peliaci ad ann. 1500. in Vicinia hujus urbis natus, Juriſprudentiam Avarici, Cadurci, Pictavii, Toloſæ, & Pariſiis profeſſus eſt, ubi publice explicato Concordato ann. 1535. exercitoque Cauſarum patrocinio, ſacros Ordines an. 1547. ſuſcepit, ac 2. Novembris an. 1557. obiit, in Collegio Auguſtodunenſi ſepultus. Prima Operum illius editio ann. 1550. confecta eſt: Tractatum emiſit, cui titulus: *Praxis Beneficiorum*, & Commentarium in Concordatum, Pariſiis *in fol.* an. 1664. editum.

Reginaldus, (*Valerius*) in Burgundiæ Comitatu natus Societatem Jeſu ingreſſus, initio Sæculi decimi ſeptimi ſcribebat, atque amplum Moralium Opus inſcriptum: *Praxis fori pœnitentialis*, in triginta duos Libros diviſum, uno vol. *in fol.* promulgavit ann. 1617.

Reginon, (*Rolandus*) Monachus Benedictinus, Abbas de Prom, in diœceſi Trevirenſi circiter ann. 892. Chronica texuit ab Orbe condito an. 908. in decem Libros diviſa, quæ Alberto Epiſcopo Metenſi nuncupavit, & quæ Coloniæ ann. 1583. typis edita ſunt. Collectionem etiam confecit Canonum & Regularum Eccleſiaſticarum, in duos libros diviſam; & circa an. 906. perfectam, cujus ultima editio eſt an. 1671. Hoc opus jam an. 1659. *in* 4. fuerat editum. Ceteris antecellit editio Pariſienſis *in* 8. quod Baluzii annotationes contineat.

Regula Sancti Benedicti, quæ a Cardinali de Turrecremata, & a Smaragdo Abbate commentariis illuſtrata, & Coloniæ *in folio* an. 1575. typis edita. *Vide S. Benedictus.*

Regulæ Cancellariæ Romanæ: Scilicet decima octava; decima nona; vigeſima octava, & trigeſima quarta.

Ricard, (*Joannes Maria*) Bellovaci natus, inclytus fuit patronus Reſponſor Senatus Pariſienſis, ubi a medio Sæculo ultimo magna fama patrocinatus fuerat. Eximium compoſuit Tractatum de donationibus: Commentarium in Conſuetudinem Ambianenſem, aliaque multa Opera duobus volum. *in folio* edita. Obiit anno ætatis ſuæ 56. ann. 1678.

Dionyſius Simon, Conſiliarius in Curia præſidiali Auguſtomagi, qui Bibliothecam Hiſtoricam Juriſconſultorum compoſuit, ſcripſit quoque Additamenta in hunc Auctorem.

Riccius, (*Joannes Aloiſius Ricci*) Canonicus Eccleſiæ Neapolitanæ, tum Vici Æquenſis, Urbis Neapolitani Regni Epiſcopus, cujus ſedes Epiſcopalis eſt ſuffraganea Surrenti, & cujus ſuperſunt tantum quadraginta domus, ceteris terræ motu anni 1694. everſis, nobis Opus reliquit inſcriptum: *Praxis rerum quotidianarum Eccleſiaſtici Fori*, quod quatuor partibus continet 1601. deciſiones, & quadraginta quatuor quæſtiones *de remiſſione delinquentium*, ingenti volum. *in folio*, quatuor tomos continente, Venetiis ann. 1646. aliquanto poſt mortem Auctoris edito. Alia eſt etiam editio Toloſæ an. 1671. & alia Neapolis an. 1698. *in folio*.

Richardus a ſancto Victore, ab Abbatia ſancti Victoris Pariſienſis ſic dictus, ubi fuit Canonicus Regularis ex Ordine S. Auguſtini, & cujus Prior extitit ann. 1164. E Scotia natus, ann. 1130. floruit, & S. Bernardo amiciſſimus fuit. Obiit circa an. 1173. Ipſius Opera Theologica Venetiis ann. 1592. typis impreſſa ſunt.

Richardus de Mediavilla, Religioſus Anglus Ordinis S. Franciſci, qui confecto ſtudiorum curriculo Oxonii, Pariſios venit, ubi in Univerſitate anno 1290. floruit. Dictus eſt *Doctor ſolidus & copioſus, fundatiſſimus & authoratus.* Primum Venetiis typis mandatum eſt ejus Commentarium in Magiſtrum Sententiarum, ad cujus calcem reperiuntur 80. Quæſtiones quodlibeticæ Theologicæ. Alia quoque Opera compoſuit, quæ non fuere edita.

Rigault, (*Nicolaus*) Pariſiis an. 1577. natus, Conſiliarius fuit in Parlamento Metenſi, Cuſtoſque Bibliothecæ Regiæ; ac 23. Februarii an. 1653. Tulli in Lotharingia obiit. Inter Opera docti illius viri utilitate præſtant ejus Annotationes in Tertullianum, Minutium Felicem, & ſanctum Cyprianum. Joannes Fell, Epiſcopus Oxonienſis, aliique nonnulli Calvinianæ hæreſis erroribus quibuſdam eum faviſſe ſuccenſent, licet Catholicum.

Ripa, (*Joannes Franciſcus*) celebris fuit Juriſconſultus Italus, qui Juriſprudentiam Avenione, & deinde Papiæ profeſſus eſt, ubi obiit an. 1534. Scripſit in Jus Canonicum & Civile. Eſt etiam aliud hujus Auctoris Opus inſcriptum: *Reſponſa &c.* & ſpecialis Tractatus *de Peſte*, ut teſtatur Dionyſius Simon in ſua Bibliotheca Auctorum Juris.

Ritualia {
Romanum a Paulo V. electo Pontifice
17. Maii 1605. Promulgatum.
Gemeticenſe, a 850. annis.
Rhemenſe an. 1585.
Mechlinienſe, an. 1598.
Pariſienſe, an. 1647. & 1697.
Bituricenſe.
Burdigalenſe.
Alectenſe.
Andegavenſe & alia multa.
}

Robertus, (*Annæus*) Filius Joannis Aureliæ Juriſconſulti, fuit Pariſienſis Cauſidicus; Latinam compoſuit Actionum Collectionem, quas Pariſiis habuit ab ann. 1571. ad ann. 1595. cum multis præcipuis Arreſtis. Jam ab an. 1589. tertiam emiſerat editionem poſtea auctam. Hoc Opus Gallice reddidit Tournet Notis additis.

Roche flavin, (*Bernardus de*) Præſes Curiæ eorum, qui de Libellis ſupplicibus judicant in Parlamento Toloſano, primum fuerat Conſiliarius in Senatu Pariſienſi; ejuſdemque Senatus Arreſtorum Notabilium Collectionem confecit, in ſex Libros ordine Alphabetico diviſam, cum Tractatu de Juribus Dominorum, qui locum tenet deciſionum circa res Beneficiarias ſeu feudales & eas quæ ad Emphyteuſim pertinent, uno volumin. *in folio*. Opus quo-

(*a*) Præp. 22.

Digitized by Google

quoque edidit inſcriptum: *De Parlamentis Galliæ in fol.* quod res curioſas continet.

Rodericus, (*Hieronymus*) Religioſus Luſitanus Minorita, Theologiam Moralem Salmanticæ in Monaſterio Ordinis ſui profeſſus eſt. Hic Auctor Opus nobis dereliquit, cui titulus: *Resolutiones Quæſtionum Regularium ad forum Compendii*, Lugduni *in folio* an. 1634.

Rodericus, vel Rodriguez, (*Emmanuel*) Salmanticenſis Doctor, Juriſque Canonici peritiſſimus e Luſitania oriundus Franciſcanus, Definitor Provinciæ S. Jacobi, tum Commiſſarius Generalis totius Ordinis, Opus *in folio* confecit inſcriptum: *Quæſtiones Canonicæ & Regulares*: 1. Salmanticæ editum, an. 1598. tum Antuerpiæ duobus volum. *in folio* anno 1628. Aliud quoque volumen *in folio* promulgavit, quo colliguntur Regularium privilegia in eadem urbe anno 1605. tum iterum Antuerpiæ *in folio* an. 1616. editum. Summam quoque caſuum Conſcientiæ Hiſpana lingua compoſuit inſcriptum: *Suma de Caſos de Conſcientia*.

Roie, (*Franciſcus de*) Juriſconſultus & Profeſſor Andegavenſis, Opus compoſuit inſcriptum: *Inſtitutiones Juris Canonici*, in tres partes diviſum, quarum prima diſputat de Legibus & Perſonis Eccleſiaſticorum; altera de rebus Eccleſiaſticis, earumque acquiſitione: & tertia de Actionibus & Judiciis. Hoc Opus Pariſiis anno 1681. *in* 12. emiſſum eſt. Aliud quoque conſcripſit Andegavi *in* 8. anno 1785. *de Privilegiis* editum Opus, & Tractatum de Jure Patronatu & de Juribus honorificis in Eccleſia Andegavi, *in quarto* anno 1667. Obiit anno 1686.

Rollandus, cognominatus *a Valle*. Hic Auctor, qui ultimo ſæculo ſcribebat, Caſalii natus eſt, & compoſuit Opus deciſiones continens, inſcriptum: *Conſilia*, & Tractatum *de Dote & de Inventario*, in ſolio editum anno 1571.

Roſell, (*Joſeph*). Hic Auctor, Carthuſianus, emiſit Opus, cui titulus: *Tractatus, ſive Praxis deponendi Conſcientiam in dubiis & ſcrupulis, circa caſus morales occurrentibus*. Bis editum eſt hoc Opus *in* 12. 498. pag. & 43. Capitibus, Bruxellis.

Roſella. *Vide* Trovamala.

Rota Romana (*Deciſiones Rotæ*). Eſt Juriſdictio duodecim Præſulum, qui Rotæ Auditores Appellantur, qui jure provocationis de rebus omnibus Eccleſiaſticis ferunt judicium. Hoc tribunal *Rota* dicitur, quod curia, quo conveniunt iſti Judices, ſit ſtructa quadris marmoreis, in Rotæ formam diſpoſitis. Hi præſules ſunt ſemper numero duodecim, quorum octo ſunt Itali, unus Gallus, unus Germanus, & duo Hiſpani, quorum quilibet pro mercede cujuslibet menſis centum ducatos nummos obtinet. *Deciſiones Rotæ*, in Gallia nec etiam in Italia, *non faciunt Jus: nec Judex ſecundum eas tenetur judicare; ſed habentur pro deciſionibus magiſtralibus ... & ſæpe Rota judicat contra ipſas, ut dicit Cardinalis in c.* Paſtoralis *de fide inſtrumentorum*, ut loquitur Joannes Franciſcus de Pavinis in ſua Præfatione ad Extravagantes Joannis XXII. Gloſſa, quam citat, huic rei concordat.

Rota Peruſina, (*Deciſiones*) a Clemente VIII. inſtituta per Bullam ſusm *exponi*, 28. Martii an. 1530.

Rubricæ Miſſalis Romani.

Rubricæ Miſſalis Pariſienſis.

Ruſee, (*Arnulphus*). Turonibus natus hic Auctor, Proboque tempore æqualis, initio ſæculi decimi ſexti vivebat. Primum fuit Profeſſor Juris Aureliæ, tum Conſiliarius in Parlamento Pariſienſi, Canonicus Aurelianenſis, atque Abbas noſtræ Dominæ de Victoria prope Silvanectum. Librum conpoſuit, *de Jure Regaliorum*, Pariſiis an. 1534. & 1542. editum, & alium *de Præeminentia Archiepiſcopalis dignitatis*.

S

SA. *Vide* Emmanuel Sa.

Sainte-Beuve, (*Jacobus*) 20. Aprilis an. 1613. Pariſiis natus, an. 1638. Doctorum numero in Sorbona adſcriptus, undecim annis Theologiam profeſſus eſt; Verum cum a Dominico Arnaldo ſteriſſet, Profeſſoris munere privatus eſt: Formulæ tamen ſubſcripſit, atque Cleri Gallicani Theologus electus eſt, & 15. Decembris ann. 1687. obiit. Cum Deciſiones ejus privatis multis ipſum conſulentibus natas Frater ipſius perquiſiiſſet, 3. volum. *in quarto* eas typis mandari curavit, primum anno 1689. alterum anno 1692. & tertium anno 1704. Quoſdam etiam compoſuit hic Auctor Theologicos Tractatus, uti *de Confirmatione &c.*

Sairus, (*Gregorius*) Benedictinus Anglus e Caſſini Congregatione, an. 1559. Opus ſuum conficiebat inſcriptum: *Theſaurus caſuum conſcientiæ*. Aliud quoque emiſit, cui titulus, *Clavis Regia*, Antuerpiæ an. 1618.

Salas, vel Salaz, (*Joannes de*) e Societate Jeſu Oſmæ, quæ urbs eſt Epiſcopalis veteris Caſtiliæ, natus, anno 1613. obiit. Scripſit in Summam S. Thomæ *in Primam Secundæ*, ac Tractatum de Legibus, alioſque multos confecit.

Salianus, (*Jacobus*). Hic Annalium ſcriptor Avenione natus, an. 1578. ætatis vigeſimo primo Societati Jeſu adſcriptus, Rector poſtea fuit Collegii Veſuntini. Veteris Teſtamenti Annale ſex volum. *in folio*, quorum ultimum in Chriſtum deſinit, confecit, quos poſtea in Compendium ſed brevius redegit, Pariſiis 23. Januarii anno 1640. non vero 1650. ut vult Hoſman, obiit.

Saliſberienſis. *Vide* Joannes de Saliſberi.

Salmeron, (*Alphonſus*) e Soc. Jeſu, Toleti natus, Tridentini Concilii tribus diverſis convocationibus interfuit, ac Neapoli 13 Februarii 1585., ætatis ſuæ an. 69. obiit. Sexdecim voluminibus *in folio* ejus Opera in Scripturam Sacram continentur.

Salonius, (*Michael Thomas*) Valentiæ in Hiſpania natus, Religioſus Ordinis Eremitarum S Auguſtini, Valentiæ Doctor & Profeſſor Theologiæ extitit. Ab eo accepimus volum. ingens *de Juſtitia & Jure*, & Commentarium in Summam S. Thomæ: ad finem ſæculi decimi ſexti florebat.

Salvianus, Sacerdos Maſſilienſis; Origine Trevirenſis. Placidiæ Sacerdotio nondum initiatus nupſerat, quacum cœlebs vivebat an. 496. firma adbuc, licet ſenex, erat valetudine. Tractatum emiſit de Providentia Divina, in octo libros diviſum: & alterum de Avaritia in quatuor Libros, & Epiſtolas quaſdam. Ultimam Operum ejus editionem a D. Baluzio accepimus.

Sanchea, (*Thomas*) Hiſpanus, Cordubæ anno 1551. natus, an. 1567. Societati Jeſu adſcriptus, Granatæ 19. Maji anno 1610. obiit. Tractatum conſcripſit, *de Matrimonio*, in decem Libros diviſum, quorum quilibet in diſputationes ſubditur magno volumine *in fol.*, primum Genuæ anno 1592. edito, tum Antuerpiæ anno 1607. 1614. & 1626. & Lugduni anno 1637. & 1649. & alterum de Præceptis Decalogi, in quatuor Libros diſtributum, cui titulus: *Opus Morale de Præceptis Decalogi, ſeu Summa Caſuum conſcientiæ*. Laudatur imprimis, quod Scriptorum locus vere & accurate in medium adduxerit, præter aliorum Auctorum conſuetudinem. Emmanuel Laurentius Soarez Sacerdos Ulyſſiponenſis Volumen de Matrimonio ſecundum Litterarum ſeriem anno 1661. contraxit.

Sanlegerius, (*Petrus Franciſcus de Tonderi*) Juriſconſultus Avenionenſis, ante medium ultimum ſæculum clarus, fuit Decanus Conſultorum ſancti Officii Romæ, ac de re Beneficiaria Tractatum emiſit ſub hoc titulo: *Tractatus de penſionibus Eccleſiaſticis, ad ſtilum Curiæ Romanæ, & ad praxim Tribunalium Galliæ accommodatus*, Lugduni *in folio* an. 1662. & 1670. editum. Jam alium ediderat Tractatum: *de Præventione Judiciali*, Avenione *in quarto* an. 1623.

Sbrozzius, (*Jacobus*) Juris Doctor, ortu Polonus, ultimi ſæculi Auctor, Tractatum edidit inſcriptum: *de Officio & poteſtate Vicaris Epiſcopi*, Romæ *in quarto* an. 1604. tum denuo Venetiis cum Annotationibus anno 1623. impreſſum.

Scotus, (*Joannes Duns*) e pago *Duns*) in Scotia, ubi an. 1275. natus eſt, ſic dictus; licet ex aliis Dunſtonii in Ducatu Northumbricenſi in Anglia ortum habuerit. Minoritarum inſtitutum amplexus eſt, cujus ſolemnia in Conventu Novi Caſtri in Anglia vota emiſit. Oxonii Theologiam ab anno ætatis ſuæ 24. profeſſus eſt; poſtea Pariſiis, ubi initio decimi quarti ſæculi Doctoris lauream gradatim obtinuit. Coloniæ obiit 8. Novembris ann. 1308. Scripſit Commentarium in Magiſtrum Sententiarum, alioſque plures Tractatus Theologicos, duodecim voluminibus Lugduni an. 1639. editos.

Scriptura Sacra magno teſtimoniorum numero ſeu veteris ſeu novi Teſtamenti.

Selva, (*Joannes de*) ortu Lemovix, fuit primo Advocatus Generalis, tum Conſiliarius, denique an. 1514.

Pro-

Digitized by Google

Proto Præſes Parlamenti Burdigalenſis. Fuit quoque Proto Præſes Senatus Mediolanenſis an. 1515. poſtea Parlamenti Rothomagenſis, tandemque Pariſienſis an. 1521. Pariſiis an. 1529. obiit, atque in Æde Sacra S. Nicolai de Cardonneto ſepultus eſt. Ipſi adſcribitur Tractatus *de Beneficiis*, quem notis illuſtravit du Moulin, Pariſiis *in quarto* an. 1628. editus. Opus eſt eximium.

Semelier, (*R. P. Joannes Laurentius*) Sacerdos e Congregatione Doctrinæ Chriſtianæ, cujus Pater fuit Regius Secretarius, Avuſque Tabellio in Caſtelletto Pariſienſi, Theologiam ab an. 1694. profeſſus eſt, qua ſexennium functus exercitatione, duobus annis Domum Doctrinæ Chriſtianæ Victoriaci Franciſci rexit, anno uno Nucerii in Burgundia, anniſque tribus in Domo ſancti Juliani Pariſiis. Huic debentur eximia Colloquia Diœceſis Pariſienſis de Matrimonio, quæ juſſu Eminentiſſimi Cardinalis de Noailles Pariſienſis Archiepiſcopi, typis excudi quinque volum. *in* 12. an. 1713. curavit. His etiam addidit Colloquia de Reſtitutione.

Seneca, (*Lucius Annæus*) Philoſophus Stoicus, Neroniſque Præceptor, qui juſſit eum occidi; quique data mortis optione, ab hoc Principe, incidi ſibi venas impetravit, ut placido quieſceret fato, ad an. 65. a Chriſto nato. Quæſtura ac Prætura functus fuerat. Scripſit Epiſtolas: Tractatum de Beneficiis: alterum de Tranquillitate animi: tertium de ira, de Quæſtionibus naturalibus & controverſiis.

Senis, (*Federicus de*). *Vide* Federicus.

Serarius, (*Nicolaus*) e Soc. Jeſu, in Lotharingia natus, Moguntiæ diu verſatus eſt. Probe Græcam norat & Hebraicam linguam, magnamque veteris Teſtamenti partem Commentariis illuſtravit. Is fuit tempore æqualis Scaligero, qui 21. Januarii an. 1609. obiit, & Joanni Druſio, qui ad annum 1616. vitam prorogavit. Moguntiæ anno 1600. obiit, ut refert Hofman.

Sidonius Apollinaris, (*Cajus Sollius*) ortu Lugdunenſis, mortuo Eparchio anno 472. Epiſcopus Claromontanus electus eſt. Nato ſuo e Papinella uxore ſuſcepto dignitates ſuas ſæculares dimiſit, obiitque 23. Auguſti an. 482. ætatis 52.

Simeon, cognomine Theſſalonicenſis, quod initio ſæculi decimi quinti Theſſalonicæ fuerit Archiepiſcopus, obiit ann. 1429. Scripſit Tractatum de Liturgia, in quo Miſſæ Cæremonias, & ea, quæ pertinent ad Miniſtros veſteſque ſacerdotales exponit, & quem in Collectione ſua Græcorum Ritualium Pater Goar promulgavit. Extant ejus alia Manuſcripta in Bibliotheca Vaticana & in ea Imperatoris.

Sirmondus, (*Jacobus*). Doctus hic Jeſuita e Regio Judice Ricomagi in Alvernia natus 12. Octobris ann. 1559. Societati Jeſu 21. Auguſti an. 1576. dato nomine, Romam petiit, ubi fuit Amanuenſis per ſexdecim annos Patris Aquaviva Præpoſiti Generalis Ordinis ſui, ibique arctiſſimo amicitiæ vinculo junctus eſt cum Cardinalibus Baronio, Barberino, Toleto, d'Oſſat, & Bellarmino an. 1608. Pariſios rediit, atque Collegii Claromontani ann. 1617. Rector fuit & anno 1637. Ludovico XIII. fuit ab audiendis Confeſſionibus, obiitque 7. Octobris ann. 1651. ætatis 92. Veterum Galliæ Conciliorum collectionem emiſit tribus volumin. *in folio* an. 1629. confectam. Supplementum autem horum duobus volum. *in folio* additum eſt, quorum primum a Ludovico Odeſpun de la Mechiniere Turonenſi Sacerdote compoſuit, Pariſiis anno 1646. in lucem prodiit: alterum, cujus Auctor eſt Petrus de la Lande Theſaurarius Eccleſiæ ſancti Framburgi oppidi Silvanecti. Pariſiis anno 1660. editum eſt, at duorum illorum voluminum præcipuum caput, quod ad Jus Canonicum pertinet, in Collectione Patris Labbe reperitur. Idem Pater Sirmondus multa alia compoſuit Opera, & Annotationes in quadraginta & amplius Auctores Eccleſiaſticos, quorum Opera typis mandari curavit. Alia hujus doctiſſimi Jeſuitæ quatuor volum. *in folio* anno 1696. edita ſunt.

S. Sixtus (*Cardinalis de*). *Vide* Turrecremata (*Joannes de*).

Sixtus Senenſis, (*Franciſcus*) Judæus, qui ſancti Pii V. cura ad Chriſti fidem adductus eſt, ac ſancti Dominici Ordinem amplexus eſt, cujus ſanctus hic Pontifex fuerat Præpoſitus Generalis. Præſertim Scripturæ Sacræ operam dedit, de qua Tractatus multos valde utiles compoſuit. Omnium præcipuus eſt ipſius *Bibliotheca Sacra*, quæ fit plurimi, & quam ætatis ſuæ ann. 46. in vulgus emiſit an. 1566. In hoc opere de diverſis Bibliorum Libris eorumque Auctoribus fuſe agit. Eſt etiam alius ejus Tractatus, quem inſcripſit; *de uſu Concordantiarum Sanctæ Bibliæ*. Linguam Græcam, Hebraicam & Latinam penitus norat. Genuæ an. 1569. natus an. 49. obiit. Hottinger, licet Auctor Proteſtans, laudat imprimis ejus judicium, quo Bibliothecam Sacram compoſuit. Qui curioſius vitam geſtaque hujus Auctoris vellent pernoſcere, legant Cenſuram hujus Operis a Patre Simon, in ſua Veteris Teſtamenti Hiſtoria, confectam Lib. 3. cap. 17.

Socinus, (*Bartholomæus*) Juriſconſultus Italus, qui Jus Piſis profeſſus eſt, ubi Decium habuit diſcipulum. Eruditum ab eo prodiit Opus inſcriptum: *Concilia* &c. Fuit Patruus *Mariani Socini*, de quo fit nunc mentio.

Socinus, (*Marianus*) prioris nepos, Senis natus eſt, ac Jus Bononiæ tum profeſſus eſt, cum Papiæ Alciatus Scripſit Commentarium in primum, ſecundum, quartum, & quintum Librum Decretalium, cum aliis quibuſdam Tractatibus Parmæ an. 1575. Francofurti an. 1585. & Venetiis anno 1593. tribus voluminibus *in folio* editum.

Socrates, dictus Sholaſticus, quinto ſæculo Hiſtoriam Eccleſiaſticam compoſuit, qua prorogatur Hiſtoria Euſebii Epiſcopi Cæſarienſis ad centum quadraginta annos, in qua Novatianis Epiſcopis omnino favere videtur.

Soeſve, (*Lucianus*) Pariſiis natus, ubi Cauſidicorum numero 21. Julii an. 1637. adſcriptus eſt; duobus volumin. *in folio* Pariſiis an. 1682. editis primi hujus Parlamenti Galliæ Arreſtorum 800. collectionem confecit ab an. 1640. ad menſem Januarium an. 1682. in Centurias diviſam, quam inſcripſit: *Quæſtiones notabiles, ſeu Juris ſeu Conſuetudinum*. Cauſidicorum Decanus obiit anno 1695.

Solier, (*Joannes*) Cauſidicus Parlamenti Toloſani, rerumque ad Romanam Curiam pertinentium Expeditor, notas confecit in Tractatum *de Beneficiis* Melchioris Paſtor: in Inſtitutiones Juris Canonici Lanceloti: & in Flaminium *de Reſignatione Beneficiorum*.

Sorbus, (*Hieronymus de Sorbo*) Religioſus Capucinus. 31. Maii an. 1596. decimus ſextus Ordinis ſui Præpoſitus Generalis electus, Opus compoſuit inſcriptum: *Compendium Privilegiorum*, &c. in quo emandavit, & auxit librum Alphonſi de Caſarubios Hiſpani, de Privilegiis Fratrum Minorum, aliorumque Religioſorum. Hoc Opus Venetiis ann. 1603. Auctore etiam ſuperſtite, editum eſt.

Sotus, (*Dominicus*) Segoviæ an. 1494. e Patre olitore natus, Compluti ſub ſancto Thoma de Villa Nova Philoſophiæ operam dedit, ac Pariſiis obtento Artium Magiſterio, Complutum rediit, ubi Philoſophiam profeſſus eſt; Dominicanorum Ordini Salmanticæ nomen dedit, ubi Theologiam publice docuit. 5. Decembris an. 1560. obiit. Hiſpana Eccleſia eum Theologum ſuum deſtinarat, in Concilio Tridentino an. 1530. ipſius Commentarium in Epiſtolam ad Romanos Salmanticæ: anno vero 1573. Lovanii, & anno 1584. Venetiis ejus pariter Commentarium in Magiſtrum ſententiarum typis in lucem prodiit. Tractatum quoque emiſit de Sigillo Confeſſionis, & alia Opera, uti *de Juſtitia & Jure*, Salmanticæ *in folio* an. 1556. & 1569. & Lugduni eodem anno edita ſunt.

Sotus, (*Petrus*) Dominicanus, in Hiſpania Cordubæ natus, & Dominico Soto æqualis, Theologiam Dillingæ Sueviæ oppidi profeſſus eſt, Concilioque Tridentino interfuit, ubi 20. Aprilis an. 1563. mortuus eſt. Eximium compoſuit Tractatum *de Juſtitia & Jure*, in octo Libros diviſum, Antuerpiæ an. 1568. editum: alterum inſcriptum: *Chriſtiana Inſtitutio*, & alium, *de Sacerdotum Inſtitutione*: ultimum denique, *Defenſio Catholicæ confeſſionis*.

Sozomenus, (*Hermias*) dictus Scholaſticus, Salaminæ urbe Cypri primaria natus, quinto ſæculo floruit. Conſtantinopoli foro dedit operam, atque Hiſtoriam texuit Eccleſiaſticam novem libris, incipiens ab anno 324. ad 439. Obiit ad ann. 450.

Sponde (*Henricus de*) in Aquitania 6. Januarii an. 1568. natus, in hæreſi Calviniana a Patre ſuo Joannæ Navarræ Reginæ Secretario inſtitutus, ſupplicum fuit Magiſter Libellorum; Joanniſque fratris ſui exemplum ſecutus, Catholicam fidem an. 1595. amplexus eſt: an. 1600. cum Cardinali de Sourdis Romam ſe contulit, ubi quinquennio aut ſexennio poſt Sacerdotio initiatus eſt. An. 1626. Pamienſem Epiſcopatum obtinuit, ac Toloſæ 18. Maii

anno

ann. 1645. obiit. Annales Baronii in Epitomen contraxit, quos ad an. 1640. prorogavit.

Statuta antiquorum Ordinum, ſeu Regulæ ſanctorum Patrum, hoc eſt, Serapionis, Paphnucii, utriuique Macarii, ſancti Aureliani, & ſancti Ferreoli, quæ reperiuntur in *Monaſtico Ciſtercienſi*, quod continet etiam inſtituta Ordinis S. Benedicti., an. 1134. atque exceptionem veterum definitionum ejuſdem Ordinis, quæ factæ ſunt ann. 1289.

Statuta Synodica ſeu Ordinationes,
- Statuta Synodica Guillelmi de Begaumont Epiſcopi Andegavenſis ad ann. 1216.
- Statuta Synodica Petri de Collemedio, Rothomagenſis Archiepiſcopi ad an. 1250.
- Nemanſi an. 1284.
- Coloniæ an. 1300.
- Ambiani an. 1411.
- Statuta Synodica Joannis de Reli Epiſcopi Andegavenſis an. 1493.
- Witchboldi, Archiepiſcopi Dublini in Hibernia an. 1518.
- Pariſiorum an. 1608. 1674. 1697. & Eminentiſſimi Cardinalis de Noailles, Archiepiſcopi Pariſienſis ſecunda Januar. ann. 1709.
- Lemovici an. 1610.
- Andegavi an. 1617. & 1655.
- Rhemenſis Eccleſiæ an. 1639.
- Narbonis an. 1667.
- Alectæ ab an. 1640. ad an. 1674.
- Atrebati an. 1675.
- Sanitis an. 1677.
- Luconii.
- Cardinalis Grimaldi, Archiepiſcopi Aquis-Sextienſis.
- Et antiqua Statuta Cameraci, Lingonarum, Syracuſarum an. 1556. edita.
- *Vide* Synodus in Indicem Conciliorum & Synodorum.

Statuta Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis.

Statuta Cupediniariorum, aliorumque ſimilium.

Stephanus Poncher, Epiſcopus Pariſienſis, cujus laudatur Synodus habita an. 1503. Fuit Sigillorum Regni Cuſtos an. 1512. & Archiepiſcopus Senonenſis an. 1519.

Strabo, (*Valafridus*) ſic cognominatus ab oculis diſtortis, fuit Benedictinus in Fuldenſi Germaniæ Abbatia. Decanus fuit Abbatiæ ſancti Galli; tum Abbas Augienſis in Diœceſi Conſtantienſi ad Rhenum, atque obiit an. 849. Ipſius Opera de divinis Officiis, aliaque primum Coloniæ ann. 1568. tum Romæ an. 1590. & alibi poſtea fuere edita. *Vide Gloſſa ordinaria*.

Strickius, (*Samuel*) celeber Germaniæ Juriſperitus, Francofurti circiter medium ſæculi ultimi Jus profitebatur. Quinque Diſſertationes de Quæſtionibus Juris promulgavit, (*Diſſertationes Legales*) quæ in eadem urbe an. 1664. fuere editæ, de quibus diſputat reſpective ad quinque Senſus Corporeos. Iterum typis fuere impreſſæ ann. 1671. & quinque prioribus totidem novas Auctor addidit Diſſertationes, in quibus multas agitat quæſtiones alias, quæ cohærent Cæcis, Surdis, Mutis, Memoriæ, ac ejus defectui atque Cogitationibus. Hoc idem Opus iterum Francofurti *in* 4. pag. 628. ann. 1717. impreſſum eſt, uti ſcripſere Auctores Ephemeridum Pariſiorum menſe Junio an. 1718.

Suarez, vel Soarez, (*Franciſcus*) Granatæ an. 1547. natus, an. 1564. Societati Jeſu adſcriptus eſt; Compluti, Salmanticæ, ac Romæ publice docuit; tum Conimbricæ primus Theologiæ fuit Profeſſor, Eboræ Doctoris inſigne obtinuit, & Ulyſſipone ann. 1617. obiit. Ipſius opera viginti quatuor voluminum edita ſunt, quorum præcipua ſunt. Hæc numerantur: *Tractatus de Auxiliis: de Divina Gratia: de Religione, de ſancto Pontifice: de Primatu ſummi Pontificis: de Antichriſto: de Opere ſex dierum*; & Commentarium in tertiam partem Summæ ſancti Thomæ &c. Tractatus ejus inſcriptus: *de Legibus, ac de Legiſlatore, ſeu de obſequio divinis Legibus debito* eruditione præſtat, ac tanti fit ab ipſis etiam Anglis, ut Londini *in fol.* an. 1679. fuerit editus.

Suetonius, initio Imperii Veſpeſiani natus, Adriano Imperatori fuit a Sanctioribus Secretis, qui Romæ an. nativ. Chriſti 75. ortus, 11. Auguſti an. 117. ſummam Imperii obtinuit. Duodecim priorum Cæſarum Hiſtoriam ſcripſit.

Surius, (*Laurentius*) Lubecæ ann. 1522. natus, Coloniæ Cartuſianorum diſciplinam an. 1542. amplexus eſt. Brevi ad ipſum humaniſſime ſcripſit ſanctus Pius V. de ſex tomis Vitæ ſanctorum quos emiſerat. Collectionem quoque Conciliorum aliaque compoſuit Opera, atque Coloniæ ad an. 1578. obiit.

Sylveſter Mozolin, vel Mazolin, Dominicanus a Congregatione Lombardiæ, e pago Prierio Monſerratenſis tractatus oriundus, Bononiæ Theologiam publice docuit: fuit Magiſter ſacri Palatii, & Ordinis ſui Præpoſitus Generalis, atque Rhedonibus in Britannia, dum monaſteria inviſeret, an. 1520. obiit. Auctor eſt ſummæ Caſuum Conſcientiæ, ab ejus nomine dictæ, *Summa Sylveſtrina*, quæ præcipuas continet Deciſiones Bartholomæi Piſani, Auctoris Sæculi decimi quarti; ſancti Antonini, Angeli de Clavaſio, & Baptiſtæ Trovamalæ, quam Leoni X. nuncupavit, quæ Antuerpiæ an. 1580. & Lugduni an. 1593. edita eſt. Petrus Vendromænus, Curiæ Eccleſiaſticæ Venetiis Patronus, convenientia addidit, juxta Decreta Concilii Tridentini atque Catechiſmi Romani, quæ Sylveſtro tempore fuere poſteriore. Hic Auctor alium quoque Librum conſcripſit ſub hoc titulo: *De Strimagarum Dæmonumque mirandis*; Romæ *in quarto* an. 1575. editum. Scripſit quoque in Magiſtrum Sententiarum, & quoſdam alios Tractatus emiſit. Is primus ex Onuphrio ſcripſit in Lutherum.

Sylvius, (*Franciſcus du Bois*) nomen Gallicum a voce Latina, *Sylva*, ductum, quod Parens hujus Auctoris, Guillelmi du Bois nomine diceretur, qui natus eſt in pago quodam, Bruxellis & Montibus in Hannonia finitimo an. 1581. Lovanii Philoſophiæ, quam poſtea publice docuit, operam dedit; ac deinceps triginta & amplius annis Duaci Theologiam profeſſus eſt ab an. 1610. Fuit Superior Seminarii Cameracenſis, & Canonicus ann. 1618. tandemque Decanus ſancti Amati Duacenſis, atque univerſitatis Pro-Cancellarius. Anno 1620. edidit ſuum Commentarium in ſanctum Thomam, quem ann. 1641. multum auxit. Sex volum. *in fol.* edita ſunt nunc ejus Opera, quibus in Antuerpienſi editione an. 1698. ac Pariſienſi ann. 1714. additus eſt magnus Deciſionum numerus, de Difficultatibus, quas interrogatus diſſolverat, pariterque ſpeciales quidam Tractatus. Menſe Februario obiit anno milleſimo ſexageſimo quaranteſimo nono.

T

Tabiena, vel Tabienſis. Proprium hujus Auctoris nomen eſt *Joannes Tagnazzo*, vel *Tagnatias*, de quo loquitur Moreri ſub nomine *Cagnazzo*, Tabiena dictus eſt a *Tabia*, Vico Diœceſis Albingenſis in Liguria ad oram maritimam Genuenſem. Religioſus Dominicanus, floruit anno milleſimo quinquageſimo vigeſimo quarto, ſummam Caſuum Conſcientiæ compoſuit inſcriptam: *Summa Tabiena*, vel *Summa Summarum*, quam Cardinali Cajetano dicavit.

Tagereau, (*Vincentius*) Pariſienſis Senatus Advocatus initio ſæculi ultimi regnante Ludovico XIII. eximium ſcripſit Tractatum de impotentia Viri, & Mulieris, Pariſiis duobus volum. *in* 8. an. 1611. editum.

Taiſant, (*N.*) primum in Parlamento Divionenſi Patronus, tum Conſiliarius Regius, tum Galliæ Quæſtor, ſummuſque Ærarii Regii Præfectus exitit.

Talon, (*Dionyſius*) unus ex peritiſſimis Regni Magiſtratibus fuit, nobis paulo poſt medium ſæculum ultimum notus, iſque Advocatus Generalis Senatus Pariſienſis ante an. 1633.

Tannerus, (*Adamus*) Jeſuita, natus Peni-Ponti Oppidi Tirolis Provinciæ, fuit Doctor & Profeſſor Theologiæ in Univerſitate Ingolſtadienſi in Bavaria ann. 1615. Varios Theologiæ, Controverſiarumque Tractatus emiſit, quorum præcipui ſunt: *de Verbo Dei ſcripto & non ſcripto*, alterum *de Judice Controverſiarum fidei*; tertium *de bonis Operibus &c.*

Tapperus, (*Ruardus*) Enchuſæ in Hollandia natus, Doctor fuit Lovanii, ubi 39. annis Theologiam profeſſus eſt: Ejuſdem urbis Univerſitatis Pro Cancellarius, & Decanus Eccleſiæ ſancti Petri, ab Imperatore Carolo V.

ad Con-

ad Concilium Tridentinum Theologus miſſus eſt, ac 2. Martii an. 1559. ætatis ſuæ an. 71. obiit. Scripſit multa Opera Theologica, unumque præcipue pro defenſione Chriſtianæ Doctrinæ contra Lutheranos; Antuerpiæ ann. 1582. editum. Is Lutheri Articulos ab Univerſitate Lovanienſi poſtea damnatos in ordinem digeſſit.

Tarentaſia. *Vide* Petrus Cognomine DE TARENTASIA.

Terentius, (*Clemens*) Juriſconſultus, qui amplum de Legibus compoſuit Opus, in viginti Libros diviſum: longe diverſus a Terentio Comico Poeta, qui Carthagine natus eſt.

Tertullianus, (*Quintus Septimus Florens Tertullianus*) natus & Sacerdos Carthagine, filius ethnici Centurionis, ab initio Sæculi tertii inanium deorum cultor vivebat; verum a Deo illuſtratus, fidem Chriſtianam amplexus eſt, cujus veritatis ſtudioſiſſimus fuit aſſertor. Excelſo fuit ingenio, & quamvis ferreo eſſet obſcuroque dicendi genere, diſertum tamen acre & magnificum extitit. Unum ex præcipuis ejus Operibus fuit Liber de Præſcriptionibus contra hæreticos, in quo enumerat, qui ab initio Eccleſiæ extitere. Cum Romæ degeret adverteretque juſſu Severi Imperatoris ſævire perſecutionem crudelem in Chriſtianos, ſive odio Religionis, ſive ob multa, quibus ab Ethnicis falſo accuſabantur, nefanda ſcelera, mira patrocinium ipſorum Apologia ſuſcepit, quam indicto nomine ſuo Magiſtratibus obtulit; ubi Roma ad Bellum Parthicum ann. 201. profectus eſt Imperator Severus. Extant etiam alii ejus Tractatus pro defenſione Eccleſiæ in Idololatriam, Judæos, & Martioniſtas, Valentinianos, alioſque temporis ſui hæreticos. Attamen poſt tam illuſtria initia, ab Eccleſia defecit Tertullianus, & ipſe factus eſt hæreticus, ſecutus partes ſenſuſque Montani, adoptatiſque diſcipulorum ejus ſomniis. Quæ fuerint ab eo funeſto infauſtoque caſu ejus geſta & exitus, ignoratur. Hoc unum certum eſt, ipſum grandævum mortuum poſt ſe reliquiſſe ſectatores, qui *Tertullianiſtæ* dicti ſunt: quique ad tempora ſancti Auguſtini pervenere, qui teſtatur, eos, qui fuerant ſuperſtites ſuo tempore, pauci, ad Eccleſiæ ſinum rediiſſe, quæ tempore Tertulliani de erroribus, quos hæreſi damnavit poſtea, ſententiam nondum tulerat. Inter varias Operum Tertulliani editiones, ceteris præſtant editiones Pamelii & Rigault, qui textum notis ſuis illuſtrarunt; Vita quæ Tertulliani Pamelii editionem incipit. Eruditi multi Interpretes Gallice reddiderunt. 1. Ipſius Apologeticum. 2. Tractatum de Carne Chriſti. 3. De Reſurrectione Carnis. 4. Librum de Pallio. 5. De Patientia. 6. Exhortationem ad Martyrium. Eximiæ illæ Verſiones D. Giry & Menaſſier debentur. Obſervandum cum Moreri (*a*) quoſdam veteres, quorum unus fuit Martyr, Tertulliani nomine fuiſſe appellatos, quam ob cauſſam erravit *Beatus Rhenanus*, qui ſcripſit Apologiam pro Chriſtianis a Tertulliano Martyre fuiſſe confectam, quod falſum eſt.

Thaumas, (*Joannes*) ortu Pariſienſis, initio ultimi ſæculi Cauſidicus, Dictionarium Civile & Canonicum promulgavit, in duas partes diviſum, quarum prior Jus Civile, altera Jus Canonicum continet; illuſtriſſimo Domino Nicolao le Jay Senatus Pariſienſis Proto-Præſidi inſcriptum.

Theodoretus Antiochiæ anno 386. natus, diſcipulus S. Joannis Chryſoſtomi, & Epiſcopus Cyri in Syria ad ann. 423. aut ſecundum alios 420. Chalcedonenſi Concilio anno 451. interfuit, qui ſexennio poſt obiiſſe exiſtimatur. Quidam mortis ejus diem ann. 460. quidam vero ſerius aſſigunt. Sirmondus Jeſuita anno 1642. Opera ejus quatuor voluminibus, quibus Garnier quoque Jeſuita quintum addidit volumen, quod Tractatus nondum editos continet. Præcipua ejus Auctoris Opera ſunt Commentarius per interrogationes & reſponſiones in octo primos Bibliorum Libros: ſcilicet, Pentateuchum, Joſue, Judices, Ruth, Libros Regum, & Paralipomenon: hujus autem hæc eſt inſcriptio: *De ſelectis Script. Sacræ quæſtionibus ambiguis in Octateuchum*. Pſalmos quoque interpretatus eſt; Verum ipſius in Epiſtolas ſancti Pauli Commentarium ceteris omnibus antecellit. Hiſtoriam etiam Eccleſiaſticam emiſit hic antiquus Auctor, in quinque Libros diviſam, quaſi Supplementum Hiſtoriarum Socratis & Sozomeni, quorum aliquos emendat errores. Ab anno 322. in quem deſinit Euſebii Hiſtoria, ad ann. 424. prorogatur. Græce Baſileæ anno 1535. & Pariſiis ann. 1544. edita eſt, quam Latine verſam in lucem pro-

iſ

(*a*) *Diction. Moreri V. Tertul. pag. 721. Col. 1. in fine.*

tulit Doctor, de Valois ann. 1673. Præclara ejus, hic ſileutur Opera in Hæreticos: *Hæreticarum Fabularum Libri quinque*, & alia multa. Advertendum hic Inclytum hunc virum a Neſtorio Patriarcha Conſtantinopolitano ab initio ſteriſſe, eumque pro ipſius defenſione in Anathematiſmos a ſancto Cyrillo in Alexandriæ Synodo promulgatos ſcripſiſſe: Verum ab eo poſtea defecit, atque de morte ejus, ut impii obitu, in multis ſuis Epiſtolis loquitur.

Theodulphus. *Vide* CAPITULARIA THEODULPHI.

Theophylactus, Archiepiſcopus Bulgariæ, quam *Giuſtandil* Turcæ nunc vocant, quæque Achridi Metropolis eſt, Conſtantinopoli natus eſt, ubi Eccleſiaſticis diſciplinis eruditus adeo profecit, ut brevi in doctiſſimum ſui virum ſæculi evaſerit, dignus, qui adjutricem Mariam, uxorem Imperatoris Michaelis haberet, ad obtinendam Metropolim Achridum, ubi Barbaros complures Ethnicoſque repertos ad Chriſti fidem adduxit. Sæculo undecimo florebat, obiitque tantum an. 1071. producto ad Gregorii VII. Pontificatum vitæ ſuæ ſpatio. Quatuor Evangelia & Epiſtolas ſancti Pauli Commentariis explanavit. Septuaginta etiam quinque ſcripſit Epiſtolas, quas Græce typis mandari curavit Joannes Meurſius, quaſque Vincentius de Marinier Valentinus Latine reddidit.

Thevreneau, (*Adamo*) Pariſienſis Senatus Cauſidicus Initio ſæculi ultimi de Edictis Opus conſcripſit, diviſum in ſex Libros *in quarto*, Cardinali Richelio inſcriptum an. 1628. & Lugduni *in quarto* an. 1666. editum. Opus eſt eximium.

Thiers, (*Joannes Baptiſta*) Carnuti natus, initio humaniores Litteras in Collegio Pleſſæo Pariſiis docuit: Baccalaureatum in Sorbona obtinuit, in Diœceſi Carnutenſi de Parœcia de Champrond proviſus eſt, quam poſtea permutavit in Parœciam de Vibrai in Diœceſi Cœnomana, ubi menſe Martio 1603. ſexagenarius obiit. Peritus fuit & audax Criticus. Plures ſcripſit Tractatus, videlicet. Primo de Diminutione Feſtorum dierum, Pariſiis *in* 12. ann. 1670. & Lugduni an. 1677. Secundo de Scholis. Tertio de Ludis. Quarto de jure Parochorum ferendi ſtolam, Pariſiis *in* 12. an. 1674. Quinto de Portico Templorum *in* 12. an. 1679. Sexto de frequenti expoſitione ſacroſancti Sacramenti. Septimo de uſu redituum Eccleſiaſticorum Beneficiorum. Octavo de Clauſura Monialium, Pariſiis *in* 12. ann. 1681. Et Nono de Comis adſciticiis. Decimo de jure Epiſcoporum abſolvendi ab hæreſi. Undecimo de Superſtitionibus, Pariſiis an. 1679. quatuor volum. *in* 12. Duodecimo de Spoliis Parochorum, Pariſiis anno 1683. & alia multa Opera, quorum fit Catalogus in Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum D. Dupin.

S. Thomas, Dominicanus, in Caſtello Aquinate ann. 1224. Laboris in Regno Neapolitano natus, Neapoli Philoſophiæ ſtuduit, an. 1241. S. Dominici Ordinem ſuſcepit, Pariſiis Theologiæ an. 1244. operam dedit, ubi omnium applauſu profeſſus eſt. Sub inclyto quoque Alberto Magno Coloniæ audivit; Pariſios rediit, ac tandem in Italiam an. 1263. remigravit. Foſſæ novæ prope Terracinam, alteri Concilio Lugdunenſi juſſu Gregorii X. adſuturus, 7. Maii obiit. Relatus in Sanctorum numero anno 1323. a Joanne XXII. A S. Pio V. an. 1567. inter Eccleſiæ Doctores adſcriptus eſt. Sub Urbano VI. Corpus ejus Toloſam tranſlatum eſt; atque Urbani IV. juſſu officium ſacroſancti Sacramenti compoſuit. Scripſit ſummam Theologicam perfectam, Commentarium in Magiſtrum ſententiarum, aliaque multa Opera eximia, primum Venetiis an. 1490. & poſtea Lugduni an. 1518. Romæ an. 1570. Antuerpiæ an. 1612. Pariſiis, aliiſque in multis oppidis edita, quæ duodecim volum. *in folio* continentur, & ipſi Doctoris Angelici nomen an. 1368. ſub Urbano VI. Pontifice comparaverunt.

Thomas a Kempis. *Vide* KEMPIS.

Thomaſſinus, (*Ludovicus*) Aquis-ſextiis in Provincia vigeſimo octavo Auguſti ann. 1619. e Joſepho Thomaſſino Curiæ fiſci, Reique tributariæ Tribunalis in Provincia Advocato Generali, & e Joanna d' Antraigues ejus conjuge natus, ab initio apud Patres Oratorii, quorum Congregationi ab anno ætatis ſuæ 13. cum medio adſcriptus eſt, Litteris operam dedit. Confecto ſtudiorum curriculo, humaniores Litteras ac Matheſim Vindocini, Trecis, ac Juliaci publice docuit. Tum Philoſophiam Lugduni juxta Platonis

pla-

placita, & Theologiam Salmurii profeſſus eſt. Pariſios ann. 1650. venit, ac in ipſum onus ſpiritualia Colloquia in Seminario Sancti Maglorii conficiendi impoſitum eſt a Patre Bourgoin Præpoſito Generali, ibique Theologiam ab an. 1654. ad annam 1668. profeſſus eſt. Hinc Domi Inſtitutionis Patram Oratorii in ſuburbio Sancti Michaelis commoratus eſt, ubi per ſexdecim annos eruditum Opus diſciplinæ Eccleſiæ, aliaque nobis tranſmiſſa Opera compoſuit. Romam ab Innocentio XI. accerſitum ire prohibuit Ludovicus XIV. Lovanii ann. 1668. Tractatus ejus de Gratia diſcipulis ſuis dictatus in Seminario Sancti Maglorii typis editus eſt, & iterum Pariſiis auctus anno 1682. Verum cum apertius ad Prærogativas ab Ultramontanis ſummo Pontificis adſcriptas inclinaret hic Auctor, atque eo modo jura Libertateſque Eccleſiæ Gallicanæ infirmaret, Procuratoris Generalis monito ſuppreſſus eſt hic Liber, cujus exemplaria omnia e Bibliopolæ manibus educta Oratorii Patribus ſedulo cuſtodienda commiſſa ſunt. Liber ejus, Gallice ſcriptus in antiquam novamque diſciplinam Eccleſiæ de Beneficiis & Beneficiariis, tribus volumin. *in folio* editus eſt, quorum primum anno 1679. & ultimum anno 1684. in lucem prodiit. Juſſus ab Innocentio XI. Librum hunc Latine reddere, octodecim menſibus rem perfecit, atque anno 1688. edidit. Hic Auctor Tractatum quoque emiſit de Jejunio: alterum de Feſtis diebus: alium de Officio divino: quartum de Mendacio & Jurejurando: ultimum denique Hiſtoricum & Dogmaticum de variis diſciplinæ Eccleſiaſticæ quæſtionibus; his omnibus addenda ſunt ejus Opera Theologica tribus vol. *in fol.* quorum primum agit de Deo, ejuſque Attributis: ſecundum de Incarnatione: tertium Prolegomena Theologica continet. Obiit hic Vir doctus nocte Natalis Chriſti ann. 1695. ætatis ſuæ 77. cum quatuor menſibus.

Tibullus, (*Aulus Albius*) Eques Romanus, Romæ ante Chriſtum natum ann. 43. ortus, familiaris fuit Horatii & Ovidii. Quatuor Libris Elegias emiſit. Anno a partu Virgineo 17. obiit.

Tillet, (*Joannes du*) Engoliſmæ ortus, Scriba fuit primarius Senatus Pariſienſis, & obiit menſe Decembris anno 1570. Calvinus fuerat ipſius Præceptor, uti Joannis fratris Epiſcopi Meldenſis, & Ludovici alterius fratris, Canonici Engoliſmenſis, qui Calvinum Genevam ſecutus eſt: unde tamen in Galliam rediit, obiitque Catholicus. Joannes du Tillet Scriba Commentarium ſcripſit in Libertates Eccleſiæ Gallicanæ, Pariſiis anno 1551. & 1594. editum, & Collectionem Hiſtoriæ Regum Galliæ ad ann. 1547. Epiſcopus, qui obiit anno 1570. Chronica quoque Regum Galliæ a Pharamundo ad ſuam ætatem produxit. Tractatum pariter de Miſſæ ſacrificio, & alterum de Religione Chriſtiana emiſit. Commentarium quoque & Perquiſitiones confecit Scriba de Rebus Gallicis pro Minoritate Franciſci II. contra Rebelles, & Inſtitutionem Chriſtiani Principis &c.

Tiraqueau, (*Andreas*) Juriſconſultus Gallus, in Pictavia Fonteniaci natus, exeunte Sæculo decimo quinto & ſequentis initio florebat. Statim fuit Judex ordinariæ Juriſdictionis Engoliſmenſis, tum a Franciſco primo Parlamenti Burdigalenſis Conſiliarius, & poſtea Pariſienſis Senatus, eum honore præeminentiæ inter eos, qui jam prius munere iſto fungebantur, cum ob ſingularem viri hujus virtutem ſic ſtatuiſſet Henricus II. Ex unica conjuge triginta ſuſcepit filios, atque anno 1559. aut anno citius ſenex obiit. Tractatum promulgavit de Prærogativis Nobilium: alterum de Gentilitia Redhibitione: unum de Legibus Matrimonii, & Commentarium in *Alexandrum ab Alexandro* alioſque complures.

Toletus, (*Franciſcus*) Cordubæ in Andaluſia anno 1532. natus, Dominici Soto fuit Diſcipulus, Philoſophiam Salmanticæ docuit, ac S. Pii V. Concionator ſacer extitit ann. 1558. inter Patres Soc. Jeſu nomine dato, Primo Societatis ſuæ Cardinalis an. 1593. a Clemente VIII. factus, obiit 14. Decembris ann. 1596. Summam Moralem compoſuit, cujus eſt inſcriptio: *Inſtructio Sacerdotum*, in octo Libros diviſam.

Toſtatus, (*Alphonſus*) cognomine Abulenſis, quod Abulæ in Hiſpania fuerit Epiſcopus, Salmanticæ Doctor ibidem ab anno ætatis 22. profeſſus eſt, ad Concilium Baſileenſe anno 1431. coactum una cum Joanne Capreolo ſe contulit. Tanta is fuit eruditione, ut de ipſo dictum fuerit, *hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne*, ut in ejus Tumuli inſcriptione Abulæ legere eſt, ubi anno 1454. obiit. Ipſius Opera 27. vol. *in fol.* anno 1530. primum edita ſunt, & quorum multæ alibi fuere editiones.

Tournet, (*Joannes*) ultimo ſæculo Pariſienſis Senatus Cauſidicus, Collectionem Arreſtorum Parlamentorum Galliæ duabus vol. *in folio* ſecundum Literarum ſeriem emiſit, atque Annotationes in eas Caroli du Moulin in Conſuetudinem Pariſienſem, notitiam quoque omnium Diœceſon, univerſalis Eccleſiæ Pariſiis ann. 5625. promulgavit.

Troncon, (*Joannes*) Cauſidicus Pariſienſis, Dominus de Chaumonrel-la-Ville & du Preſlai, in Conſuetudinem Pariſienſem ſcripſit Commentarium, diviſam in ſexdecim titulos, qui 362. Articulos continent, ab eo inſcriptum, Jus Gallicum Præfecturæ & Vice-Comitatus Pariſienſis cujus ſunt plures editiones Pariſiis: quarta an. milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio *in fol.* emiſſa eſt. Is Pariſienſium Conſulum juſſu Mariæ Thereſiæ Auſtriacæ Ludovici IV. conjugis Pariſios introitum magnificum deſcripſit anno 1660. factum, Libro edito ann. 1662.

Trovamala, (*Joannes Baptiſta de*) e Liguria ortus, ac profeſſione Franciſcanus, Summam compoſuit dictam, *Roſella*. Lovanii ann. 1483. ſcribebat. Summa hæc Venetiis primum anno 1499. in lucem prodiit, & ab eo tempore Argentorati, Venetiis, Pariſiis, & alibi edita eſt.

Turrecremata, (*Joannes de*) Torquemadi in Hiſpania natus, Valliſoleti, Dominicanorum Ordinem amplexus eſt: Pariſiis admiſſus Theologiæ Doctor, quam uti Jus Canonicum profeſſus eſt. Magiſter fuit ſacri Palatii anno 1431. & ſacra inſignitus purpura anno 1439. (is fuit vigeſimus tertius Cardinalis Ordinis ſui) Albani, tum ann. 1464. Sabini Epiſcopatum obtinuit, Legatus in Galliam venit, & octogenarius exeunte Septembri an. 1468. obiit, cum Baſileenſi & Florentino Conciliis interfuiſſet. Vulgo Cardinalis a Sancto Xiſto nominatur. Tractatum emiſit inſcriptum, *Summa de Eccleſia*, Lugduni *in fol.* an. 1495. editum, & Commentarium in Decretum Gratiani 4. vol. *in fol.* Venetiis anno 1578. & alia quædam Opera.

Turrianus (*Franciſcus*) in Diœceſis Valentinæ pago in Hiſpania an. 1505. natus, an. 1566. die natali Chriſti Societati Jeſu adſcriptus, Concilium Tridentinum, deinde Romam petivit, & an. 1584. ferme octogenarius obiit. Tractatum compoſuit *de Matrimoniis Clandeſtinis*, unum *de Sanctiſſima Eucbariſtia*, alium *de Ritibus Eccleſiaſticis*, aliaque Opera multa, quæ recenſet D. Dupin, loquens de Auctoribus Eccleſiaſticis Sæculi decimi ſexti.

Turturetus, (*Vincentius*) Auctor Siculus, qui fuit Capellanus Philippi IV. Hiſpaniæ Regis, cujus Regnum ab anno 1621. incœpit, & Librum compoſuit inſcriptum, *De Capellis & Capellanis Regum*.

V

VAL. *Vide* Du Val.

Valentia, (*Gregorius*) Jeſuita Hiſpanus, Medinæ in veteri Caſtilia natus, Societati Jeſu anno 1584. admiſſus, Theologiam Ingolſtadii in Bavaria publice docuit, ac Neapoli vigeſimo quinto Aprilis ann. 1603. ætatis 54. mortuus eſt. Ipſius Opera, uno Volumine contenta, primum Lugduni anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo promulgata ſunt, quorum poſtea multæ fuerunt editiones.

Valerius Maximus, Hiſtoricus ortu Romanus, qui dicta factaque illuſtrium Romanorum novem Libris complexus eſt, quem ſcripſit ad Tiberium, Auguſti ſucceſſorem 19. Aug. anno poſt Chriſtum natum 14. vel potius Nepotianus, Afer, epitomen condidit & in ordinem digeſſit, quæ ſub Valerii nomine fuere edita.

Valerius, (*Joannes*) Valentiæ in Hiſpania ortus, ac Prior Cartuſiæ Majoricæ, Opus confecit inſcriptum: *Differentia inter forum conſcientiæ & judiciale*, Majoricæ anno 1616. & 1624. & Venetiis anno 1645. *in fol.* editum.

Vandon, Religioſus Benedictinus, fuit Abbas Sancti

Vandregiſili; æqualis tempore S. Vvulfræ, in Vaſtinio natus, tum Archiepiſcopus Senonenſis, & qui tandem in Abbatia ſancti Vandregiſili ann. 720. obiit.

Van-eſpen, (*Zeger Bernardus.*) Hic Auctor, Sacerdos Belga, & nunc etiam Lovanii Profeſſor Juris Canonici, Opus emiſit inſcriptum: *Jus Eccleſiaſticum univerſum*, an. 1700. Bruxellis & Lovanii tribus volumin. *in fol.*, & iterum Coloniæ an. 1702. & 1709. editum. Hic Auctor, licet cæcus, novæ hujus Operis editioni multo Ampliori incumbit. Duobus prioribus voluminibus continetur commentarius univerſus in Jus Canonicum; & tertio Tractatus varii *de rebus Eccleſiaſticis, verbigratia, de Promulgatione legum Eccleſiaſticarum & ſpeciatim Bullarum*, aliique ſimiles Bruxellis anno 1712. *in quarto* editi. Is etiam compoſuit Tractatum de Simonia circa Beneficia, & de Penſionibus Eccleſiaſticis Lovanii anno 1686. *in octavo* editum.

Vaſquez, (*Gabriel*) Hiſpanus an. 1569. Societatis Jeſu, Compluti docuit, an. 1598. contra Comitolum etiam e Societ. Jeſu ſcripſit de Opinione probabili, quam impugnabat hic ultimus, initio decimi ſeptimi Sæculi obiit. Multa emiſit Opera Lugduni decem volum. *in folio* an. 1650.

Vega, (*Andreas*) Dominicanus Hiſpanus, Theologus Scholaſticus Sæculi decimi ſexti, Salmanticæ Theologiam profeſſus, atque ſub Theologi titulo ab Eccleſia Hiſpana ad Concilium Tridentinum legatus eſt. Conſcripſit Opus *de Juſtificatione*, in quindecim Libros diviſum, ad Cardinalem Paccieco anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo, & Tractatum de gratia, fide, operibus, & meritis in quindecim quæſtiones diviſum.

Venette, (*Nicolaus.*) Hic Auctor erat Decanus Medicoram aggregatorum Collegio Regio Rupellæ. Scripſit Opus ſub titulo: *Imago conjugalis amoris* anno 1696. editum.

Vera-Cruz, vel *a Vera Cruce*, (*Alfonſus Gutierez*) Doctor Hiſpanus, in Toletana Diœceſi natus, Theologism Salmanticæ docuit ultimo Sæculo. Cum in Americam navigaſſet, Ordinem Eremitarum Sancti Auguſtini amplaxus eſt in urbe *a Vera Cruce*, cujus nomen ſemper retinuit; fuit Provincialis Præpoſitus Mexici, ubi Theologiam profeſſus eſt. Inter cætera ejus Opera in lucem prodiit *Speculum Conjugiorum, ſive de Sacramento Matrimonii*, Quidam aſſerunt eum obiiſſe an. 1564. alii vero ad annum 1580. vixiſſe.

Ugolin, (*Bartholomæus*) in Lombardia natus, fuit doctus Juriſconſultus, & Bononiæ Doctor. Sacerdotio ſuſcepto, Eremitarum S. Auguſtini Ordinem ampleaus eſt. Præcipui ejus Tractatus ſunt: 1. *De Sacramentis.* 2. *de Poteſtate Epiſcopi*, Romæ *in folio* an. 1617. 3. *de Cenſuris reſervatis ſummo Pontifici*, Venetiis *in* 4. ann. 1602. & 1609. Hoc Opus Bononiæ jam in lucem prodierat *in folio* an. 1594. 4. *de Irregularitate.* 5. *de Uſuris*, Venetiis *in* 4. an. 1604. Doctus ille vir, a Bartolo *Fons Legum* Dictus, Azotum exeunte ſæculo duodecimo habuit diſcipulum, & Bononiæ an. 1200. obiit.

Veſt, (*Bernardus de*) Dominus de Roquemont, ex inclyto Senatus Pariſienſis Advocato, tum Conſiliario, ac ſupplicum libellorum Magiſtro Reginæ Catharinæ Mediceæ, Matris Regum Caroli IX. Franciſci II. & Henrici II. natus, præcipuorum hujus Parlamenti Areſtorum Collectionem emiſit; quam, intra juventam raptus, promulgare non potuit Parens illius Auctor. Hæc autem collectio ducenta triginta & ſeptem Arreſta continena, primum Pariſiis vigeſimo octavo Junii 1615. & altera anno 1624. confecta eſt.

Victorellus, (*Andreas*) Baſſani Italiæ oppidi natus & Theologiæ Doctor, Annotationes, & Additiones perutiles Summæ Cardinalis Toleti confecit: initio ſæculi ultimi ſcribebat; ejus Annotationes Summæ Toleti menſe Januario an. 1617. Romæ, & biennio poſt Pariſiis in lucem prodiere.

Victoria, (*Franciſcus de*) ab urbe Victoria in Navarra (ubi natus fuit) ſic dictus, Dominicanorum Ordinem amplexus, Pariſiis ſtuduit, ac Theologiæ Doctor & Profeſſor Salmanticæ extitit. Opus compoſuit, in quo agit. 1. de Sacramentis. 2. de Poteſtate Epiſcopi. 3. de Cenſuris reſervatis ſummo Pontifici. 4. de Irregularitate &c. Salmanticæ 14. Auguſti ann. 1546. obiit.

Ville, (*Claudius de*) inclytus Senatus Pariſienſis Cauſidicus, amplum volumen *in folio* 1041. pagg. continens, quinto Januarii anno 1692. Pariſiis in lucem protulit, inſcriptum: *Dictionarium continens præcipua effata & deciſiones fori, Arreſtis Parlamenti Pariſienſis, aliorumque Galliæ Parlamentorum confirmata*. Id Opus Doctor Brunet, Domino de Chailly, Ærariique Regii cuſtodi, nuncupavit. Deciſiones numero 10843. cum indiciis clariſſimæ ſunt & breviſſimæ.

Vitelleſchi, (*Mutius*) Societatis Jeſu ultimo Sæcalo Præpoſitus Generalis, Romæ anno etiam 1667. ſcribebat. Opinione probabili non gaudebat, ut teſtatur ejus Epiſtola quarto Januarii anno milleſimo ſexageſimo ſeptimo ad Religioſos ejuſdem Societatis.

Vivaldus, (*Martinus Alphonſus de Vivaldo*) an. 1592. ſcribebat. Præcipuum ejus Opus in hoc Dictionario laudatum, eſt *Eccleſiæ Candelabrum aureum de ſeptem Sacramentis*, in quatuor partes diviſum, cum ſupplemento, cujus partes duæ priores Brixiæ an. 1588. editæ ſunt.

Ulpianus, (*Domitius*) Juriſconſultus Romanus, Papiniani Diſcipulus, ac ſucceſſu temporis Tutor, Secretarius, Conſiliarius, ac Miniſter Imperatoris Alexandri Severi, tandemque Prætorii Præfectus (quæ præcipua erat Imperii Romani dignitas) a militibus cuſtodiæ Prætorianæ circa an. ducenteſimam vigeſimum ſeptimum occiſus eſt, atque ethnicus obiit, Chriſtianorumque, uti ſemper fuerat, hoſtis infenſus. Magnus legum numerus, quæ ejus nomine in Digeſtis per titulos deſignantur, manifeſte oſtendunt, quantam ſibi & eruditione & ingenii vaſtitate gloriam pepererit.

Ulricus Molitor, ortu Conſtantienſis, Juris Doctor, quod Papiæ docuit, Colloquii vice Tractatum emiſit, de Lamiis & Pythoniſſis mulieribus, Pariſiis an. 1561. & iterum Lugduni an. 1620. duobus tomis *in* 8. editum. Hoc Opus alteri fuit inſertum, quod Lugduni ann. 1669. ſub hoc titulo in lucem prodiit: *Mallei Maleficarum tractatus aliquot, tam veterum quam recentiorum, in unum Corpus coacervati*. Reperitur in prima parte Tomi ſecundi.

Vrai, (*Joannes Baptiſta de*) Auctor eſt Homeliarum in Evangelia dierum Dominicorum, quæ juxta ſenſum Litteralem & Moralem exponit; cujus Opus Pariſiis an. 1685. & 1690. quinque volum. *in* 12. editum eſt. Fuit Canonicus Regularis, Doctor Theologus Facultatis Pariſienſis, ac prior Sancti Ambroſii Melodunenſis.

Uſuardus, Benedictinus in Abbatia Sancti Germani a Pratis & Alcuini diſcipulus, ad an. 875. Martyrologium compoſuit Carolo Calvo, Carolomanni Nepoti dicatum, cujus R. P. du Sollier e Societate Jeſu novam promulgavit editionem ad quatuordecim priores, ac ſeptemdecim manuſcripta integra, & ferme alia qninquaglnta mutila recognita. Volumen eſt *in folio* pag. 800. & amplius continens, & Antuerpiæ an. 1714. editum.

Valafridus Strabo. *Vide* Strabo.

Y

Yſambertus, (*Nicolaus*) Aureliæ natus, Theologiam in Sorbona profeſſus eſt, Sylvio tempore æqualis, qui decimo quarto Maii ann. 1642. ætatis ſuæ 77. obiit.

Yvo Carnutenſis, ortu Bellovacus, fuit Lanfranci diſcipulus, Prior Abbatiæ Beccenſis; poſtea ſancti Quintini Bellovacorum Abbas factus, Ordinis Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini; tum ab Urbano II. Capuæ circa an. 1092. Epiſcopus inauguratus eſt. Eximius ille Juris Canonici Doctor ab anno 1115. obiit. Scripſit *Volumen Decretorum*, hoc eſt, volumen excerptum ex Regulis Eccleſiaſticis, quod *Panormia* dicitur, & quod a Michaele Voſmediano recognitum & emendatum, Baſileæ an. 1499. & Lovanii an. 1557. *in* 8. editum eſt. Aliæ editiones Lovanii an. 1561. *in folio*, & Pariſiis an. 1647. *in folio* quoque maiori forma editæ ſunt. Tractatum quoque ab eo accepimus: *de divinis & Eccleſiaſticis Officiis*: Chronicon: 287. Epiſtolas, & 22. Orationes ſacras. Sanctus Pius V. Papa Balla ſua 18. Decembris anno 1670. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis, 20. Maii celeberrimi hujus Præſulis diem feſtum agere conceſſit.

Google

Z

Zabarella, vel Zabarelis, (*Franciſcus de*) inclytus Juris Canonici Doctor, Patavii ann. 1339. natus, Juri Bononiæ operam dedit, quod deinde Patavii non ſine nomine profeſſus eſt. Urbem hanc in Franciſcum Carrari, ipſius Dominum, fruſtra miſſo Zabarella, Galliæ Regis auxilium implorantem, an. 1406. Veneti obtinuerunt; ipſeque Zabarella quatuordecim deputatis præſens, Patavinum Vexillum magnifica prius habita Oratione, Victori tradidit. Aliquando poſt Florentiæ Juriſprudentiam docuit, ac Panormitanum habuit Auditorem. Hunc Romam accerſivit Papa. Patavium redit, cujus Epiſcopatum abnuit. Romam denuo accerſitus a Joanne XXIII. Florentinum obtinuit Archiepiſcopatum, ab eodemque Purpuram ſacram an. 1411. eumque Cardinalem cum Antonio de Chalant pariter Cardinali & Emanuele Cryſoloro legavit hic Papa ad Imperatorem Sigiſmundum, qui, ut finem Schiſmati Eccleſiæ unitatem ac pacem perturbanti imponeret, Concilium Generale poſtulabat Conſtantiæ habitum, ubi Otho Colonna ſub Martini V. nomine ann. 1417. Summus Pontifex renuntiatus eſt. Zabarella Conſtantiæ 5. (ex nonnullis 6.) Novembris ejuſdem anni obiit, 78. annos natus, ac Patavium corpus ejus delatum eſt, ubi in Eccleſia Cathedrali juxta Sacellum Beatæ Virginis fuit ſepultum. Doctus hic Cardinalis compoſuit. 1. 6. Volum. Commentariorum in Decretales & Clementinas. 2. Volumen Conſiliorum 3. Volumen Orationum & Epiſtolarum 4. Tractatum *de Horis Canonicis*. 5. tres libros *de Felicitate*. 6. *Varias Legum Repetitiones*. 7. *Opuſcula de Artibus Liberalibus*, 8. *de natura rerum diverſarum* 9. *Commentarios in Naturalem & Moralem Philoſophiam*. 10. *Hiſtoriam ſui temporis*. 11. *Acta in Conciliis Piſano & Conſtantienſi*. 12. *In vetus & novum Teſtamentum*, 13. *de Schiſmate*. Ipſius Commentarius in Decretales & Clementinas Venetiis anno 1579. & 1581. tribus volumin. *in fol.* & poſtea anno 1602. & 1612. duobus volumin. fuit editus. Additiones in ejus Decretalium Commentarium compoſuit Joannes Thierri, Philippus Francus, Nicolaus Superantius, & Vincentius Godemini ſuas quoque additiones Clementinarum Commentario adjunxerunt.

Alter fuit Zabarella, (*Jacobus*) Cardinalis Nepos, atque Philoſophus eximius. Patavii 5. Septembris anno 1533. natus, ibique menſe Octobri ann. 1589. obiit, ac ſepultus eſt in Eccleſia S. Antonii.

Zacchias, (*Paulus*) inclytus Medicus, Primarius Romæ totiuſque Eccleſiaſtici Status, Opus compoſuit inſcriptum: *Quæſtiones Medico-Legales*, Romæ an. 1621. 1628. 1630. & 1634. & Lugduni ann. 1661. editæ, quas Alexandro VII. inſcripſit. Extat etiam alia editio Lugdunenſis anno 1701.

Zacharias Paſqualigi *Vide* PASQUALIGI.

Zenzelinus, vel, Genzelinus *de Caſſanis*, inclytus Juris Profeſſor, qui paulo poſt promulgationem 20. Extravagantium Joannis XXII. earum Gloſſam a Summaria confecit, Cardinali Arnoldo ſub titulo S. Euſtachii inſcripta.

Zerola, (*Thomas*) Minoritanus Epiſcopus in ſinu Salernitano Neapolitani Regni, in Citeriori Principatu, præcipuum emiſit Opus inſcriptum: *Praxis Epiſcopalis*, cujus editio Colonienſis anno 1680. *in* 4. ceteris præſtat.

Prætermittuntur hic alii multi Auctores, quod eorum Hiſtoria non ſatis ſit perſpecta.

FINIS INDICIS AUCTORUM.

INDEX CHRONOLOGICUS
CONCILIORUM, ET SYNODORUM,
Quæ in hoc DICTIONARIO laudantur.

Nomina Conciliorum, & Annorum, quibus habita ſunt.

CONcilium Eliberitanum. *Eliberis*, Urbs olim Archiepiſcopalis Hiſpaniæ, prope Toletum, cujus Sedes, poſt Urbis excidium, Toletum tranſlata eſt; habitum eſt anno, 305

I. Arelatenſe. *Arelate*, Urbs Galliæ in Provincia, eum tirulo Archiepiſc. an. 314

Ancyranus, *Ancyra*, Urbs primaria Galatiæ in Aſia Minori, nunc *Angori* dicta, an. 314

Neocæſarienſe. *Neocæſarea*, Urbs, quæ nunc *Nijkat* dicitur, & Metropolis Cappadociæ, an. 334

I. Romanum. *Roma*, Urbs Italiæ, totiuſque Orbis Chriſtiani Caput, ob Sedem Apoſtolicam ibi conſtitutam, an. 315

Laodicæum. *Laodicæa*, Urbs eſt Phrygiæ in Aſia minori, circa an. 320

Gangrenſe, ab Urbe hujus nominis a Turcis *Kiengara* dicta, quæ Archiepiſcopalis eſt in Paphlagonia, Provincia Aſiæ Minoris; habitum eſt an. 325

II. Antiochenum. *Antiochia*, Urbs, quæ nune *Antachia* dicitur, Syriæ Caput, an. 341

Sardicenſe, *Sardes*, Urbs Illyriæ, nunc autem Bulgariæ, 347

I. Carthaginenſe. *Carthago*, Urbs olim magni Caput Imperii, prope Tunetem poſita in Africa, cujus ruinæ nunc tantum ſuperſunt, 348

I. Valentinum. *Valentia*, Urbs Epiſcopalis Galliæ, Tractus Valentini in Delphinatu, 374

I. Conſtantinopolitanum, ſecundum Oecumenicum. Conſtantinopolis, Urbs Europæ a Turcis *Stambol* dicta, quæ eſt Antiquum Byzantium Thraciæ, nune aurem Romaniæ Caput, 381

Capuanum. *Capua*, Urbs Laboriarum in Regno Neapolitano, eum titulo Archiepiſcoparus, 389

II. Carthaginenſe, 390

III. Carthaginenſe, 397

IV. Carthaginenſe, 398

V. Carthaginenſe, 398

I. Toletanum. *Toletum*, Urbs Caput Caſtiliæ novæ, cum titulo Archiepiſcopatus & Primatiæ Hiſpaniarum, 400

Africanum, 405

Milevitanum, *Milevis*, Urbs Numidiæ in Algeriano Regno in Africa, 416

Africanum, 424

Epheſinum, tertium Oecumenicum. *Epheſus*, Urbs Joniæ in Aſia minori. Huic Concilio præfuit pro Cæleſtino I. Papa Sanctus Cyrillus, 431

I. Arauſicanum. *Arauſica*, Urbs Provinciæ eum tit. Princ. & Epiſcopatus, 441

I. Vaſenſe. *Vaſio*, Urbs Epiſcopalis Galliæ, in Vindaſcino Comitatu in Provincia, 442

Chalcedonenſe, IV, Oecumenicum. *Chalcedonia*, Urbs Epiſcopalis in Aſia Minore, contra Conſtantinopolim poſita, 451

II. Arelatenſe, 452

III. Arelatenſe, 455

I. Turonenſe. *Turones*, Urbs Archiepiſcopalis Galliæ, Caput Turonenſis Provinciæ, 641

Venetenſe. *Venetia*, Urbs Epiſcopalis Galliæ in Britannia, 465

Romanum, 494

IV. Romanum, 502

Agathenſe, *Agatha*, Urbs inferioris Occitaniæ, cum tirulo Epiſcopatus. Huie Concilio præfuit S. Cæſarius, an. 506

Romanum, 506

I. Aurelianenſe. *Aurelia*, Urbs Epiſcopalis, Aurelianenſis Agri Caput. Huic Concilio adfuere Archiepiſcopi Burdigalenſis, Bituricenſis, Auguſtæ Auſcicorum, Turonenſis, & Rhotomagenſis, cum viginti ſeptem Epiſcopis, qui 31. Canones condiderunt, an. 511

Tarraconenſe. *Tarraco*, Urbs inclyta Archiepiſcopalis. Prineipatus Cataluniæ in Hiſpania, ubi Concilium hoc decem tantum Epiſcoporum, qui tredecim Capitula ſeu Statuta de Diſciplina ſtatuerunt, ſub Hormiſdæ Pontificatu habitum eſt, an. 516

Epaonenſe. *Epaonum*, Urbs vel vicus antiqui Regni Burgundiæ, e Juriſdictione, ut fertur, Diœceſis Viennenſis in Delphinatu. Hoc Concilium ab Avito Viennæ Archiepiſcopo convocatum eſt, & cui interfuere Archiepiſc. Lugdunenſis, & viginri tres Epiſc. ſub Sigiſmundo Burgundiæ Rege, atque in eo 40. Canones condiderunt, 517

Iler-

Ilerdenſe. *Ilerda*, Urbs Epiſcopalis in Catalunia, 524
IV Arelatenſe, 524
Valentinum. *Valentia*, Regni cognominis Caput in Hiſpania cum titulo Archiepiſcopatus, 524
II. Vaſenſe, 529
II. Toletanum, 531
I. Alvernenſe, regnante Theodeberto in Auſtraſia. *Alvernia*, nunc Galliæ Provincia, 535
II. Aurelianenſe, 536
III. Aurelianenſe, 538
IV. Aurelianenſe, 541
V. Aurelianenſe, 549
II. Claromontanum. *Claromontum*, Urbs Epiſcopalis Galliæ, Alverniæ Caput, 549
II. Conſtantinopolitanum, Oecumenicum quintum, habitum Vigilio Pontifice, & imperante Juſtiniano, an. 553
III. Pariſienſe. *Pariſii*, Regni Galliæ Urbs Primaria, olim Epiſcopalis, cujus Sedes Archiepiſcopalis Eccleſiæ honore a Gregorio XV. an. 1622. & Ducatus; ac dignitatis Paris Franciæ titulo a Ludovico Magno, an. 1674. inſignita eſt, 547
II. Turonenſe, 567
III. Bracarenſe. *Bracara*, Urbs Luſitaniæ, cum titulo Archiepiſcopatus in Provincia, quæ dicitur inter *Douro & Minho*, 572
Altiſſiodorenſe. *Altiſſiodorum*, Urbs Epiſcopalis Galliæ, in Ducatu Burgundiæ, 578
I. Matiſconenſe. *Matiſco*, Urbs Epiſcopalis ejuſdem Ducatus Burgundiæ, & Caput Provinciæ Matiſconenſis, 581
II. Matiſconenſe, ſub Pelagio II. habitum a ſexaginta duobus Epiſcopis, præter multos alios Deputatos, 585
Narbonenſe. *Narbo*, Urbs Galliæ in Occitania, cum titulo Archiepiſcopatus, 589
III. Toletanum, 589
Romanum, 601
II. Hiſpalenſe. *Hiſpalis*, Urbs Hiſpaniæ, Archiepiſcopalis & Andaluſiæ Caput. 719
IV. Toletanum, 633
V. Toletanum, 636
VII. Toletanum, 646
Cabillonenſe, *Cabillo* ad Ararim, Urbs Galliæ, in Ducatu Burgundiæ, cum titulo Epiſcopatus, 650
VIII. Toletanum, 653
IX. Toletanum, 655
X. Toletanum, 659
Nannetenſe. *Nannetes*, Urbs Galliæ ad Ligerim & Ardram, in Britannia ſuperiori, cum titulo Epiſcopatus.
Nannetenſe alterum, cujus incerta eſt Epocha, uti obſervat Pater LABBE, *Tom. IX. col.* 174.
Eliberitanum, 672
Bracarenſe, 675
XI. Toletanum, 675
III. Conſtantinopolitanum, Sextum Oecumenicum, 680
XII. Toletanum, 681
XIII. Toletanum, 683
Conſtantinopolitanum, dictum in *Trullo*, ſeu *Trullanum*, quod in Sacrario Palatii Imperialis, quod *Trullum* dictum eſt, habitum fuerit; dicitur etiam *Quini-Sextum*, 692
XIV. Toletanum, 693
Romanum, 743
Cloveshoenſe. *Clovesboum*, Urbs Angliæ, ſub Ethebaldo Merciæ Rege, 747
I. Vermerienſe, cui Concilio adfuit Pinus. *Vermeria*, olim Regia domus, ad Oeſiam in Valeſia, Diœceſis Sueſſionenſis, 752
Veronenſe. *Verona*, Urbs Epiſcopalis, & Agri Veronenſis Caput apud Venetos, 755
Compendienſe. *Compendium*, Urbs Galliæ, ad confluentem Oeſiæ & Axonæ poſita in Valeſia, Diœceſis Sueſſionenſis, 757
II. Nicænum, ſeptimum Oecumenicum, 787
Foro-Julienſe. *Forum-Julii*, Urbs Italiæ, in Provincia Aquilejenſi, apud Venetos, 791
Francofordienſe. *Francofurtum*, Urbs Imperialis Germaniæ ad Mœnum, in Franconia Diœceſis Moguntinæ, 794
III. Turonenſe, 813
Moguntinum: *Moguntia*, Urbs Germaniæ, cujus Archiepiſcopus primus eſt Imperii Elector, 813
VI. Arelatenſe, ſub Leone VII. 813
II. Cabillonenſe ad Ararim, 813
Arelatenſe, 813
Cabillonenſe, ad Ararim, 814
Aquiſgranenſe. *Aquiſgranum*, Urbs Germaniæ Libera, in finibus Ducatuum Juliaci, & Limburgi poſita, e Provincia Weſtephaliæ, ubi commoratus eſt Carolomannus, 816
Romanum ſub Eugenio II. cui adfuerunt 63 Epiſcopi, 826
VI. Pariſienſe, 829
II Aquiſgranenſe, 836
Andegavenſe, in pago quodam, qui *Lauriacum* dicitur, habitum, 843
Meldenſe. *Meldæ*, Urbs Caput Briæ, cum titulo Epiſcopatus, 845
Moguntinum, 847
Wormatienſe. *Wormatia*, Urbs Epiſcopalis Germaniæ ad Rhenum, in inferiori Palatinatu poſita, 847
II Sueſſionenſe. *Sueſſio*, Urbs Galliæ in Picardia, Sueſſionenſis Agri Caput, cum titulo Epiſcopatus, 853
III. Valentinum, 855
II. Tullenſe. Apud *Tuſiacum Villam*, Diœceſis Tullenſis in Gallia habitum, 860

IV. Con-

IV. Conſtantinopolitanum, Octavum Oecumenicum, 869
Fiſmienſe. *Fiſmium*, Pagus eſt in Diœceſi Rhemenſi, qui dicitur *Apud Sanctam Macram*, quia ibi hæc Sancta Martyrium paſſa eſt, 881
Nemanſcnſe, Porti prope *Nemauſum*, inferioris Occitaniæ Urbem, cum titulo Epiſcopatus habitum, 886
Nannetenſe, 890
Triburienſe. *Tribur*, Urbs olim Regia inter Oppenheim & Moguntiam poſita, quæ fuit everſa, 895
Apud Altheum in Pago Rhetia, 917
Grateleanum, quod convocari curavit Athelſtanus, vel Adelſtanus Angliæ Rex, ubi promulgatæ ſunt Leges permultæ tam pro publico Eccleſiæ, quam Regni bono, 928
Rhemenſe. *Rhemi*, Urbs Primaria Campaniæ in Gallia, cum titulo Archiepiſc. dignitatiſque Ducatus Paris. Galliæ, 992
Ravennatenſe. *Ravenna*, Urbs Archiepiſcopalis Italiæ, in Æmilia, 997
Aurelianenſe, 1017
II. Lemovicenſe. *Lemovicum*, Urbs Epiſcopalis Galliæ, & Lemovicii Caput, 1031
Bituricenſe. *Biturigum*, Urbs Archiepiſcopalis Galliæ, Caput Provinciæ & Ducatus Bituricenſis, quæ a Veteribus dicta eſt, *Avaricum Biturigum*, vel *Avaricum Cuborum*, 1031
Rhemenſe, 1049
Toloſanum. *Toloſa*, Urbs Calliæ, Occitaniæ Caput, cum titulo Archiepiſc. 1056
Romanum, ſub Nicolao II. 1059
Turonenſe, 1060
Rothomagenſe. *Rothomagus*, Urbs Archiepiſc. Galliæ, Normanniæ Caput, 1072
Pictavenſe. *Pictavium* Urbs Epiſcopalis Galliæ, & Pictonicæ Provinciæ Caput, 1078
IV Romanum, ſub Gregorio VII. 1078
Melphitanum. *Melphi*, Urbs Regni Neapolitani, cum titulo Epiſcopatus & Principatus, 1090
Beneventinum. *Beneventum*, Urbs Archiepiſcopalis Principatus Ulterioris, in Regno Neapolitano, cum titulo Ducatus habitum eſt ſub Urbano II. an 1091
Placentinum. *Placentia*, Urbs Epiſcopalis Italiæ in Longobardis, 1095
Eboracenſe. *Eboracum*, Urbs Archiepiſcopalis Angliæ, Caput Ducatus ejuſdem nominis, quæ ab Anglis dicitur *Caerfrock*. Hic Archiepiſcopatus a Canruarienſi primatia pendet, & Provincia ſita eſt ad Septentrionem hujuſce Regni, 1095
Claromontanum, 1095
Lateranenſe, 1112
Rothomagenſe, ad an. 1118
I. Lateranenſe, IX. Oecumenicum, 1123
Londinenſe. *Londinum*, Urbs Epiſcopalis & Caput Angliæ, 1138
II. Lateranenſe, X. Oecumenicum, Romæ in Baſilica S Joannis Lateranenſis habitum, 1139
Rhemenſe, 1148
Turonenſe, 1163
Abrincatenſe. *Abrincæ*, Urbs Epiſcopalis Galliæ in inferiori Normannia, 1171
Londinenſe, 1200
Avenionenſe. *Avenio*, Urbs Galliæ in Provincia, cum titulo Archiepiſcopatus, 1209
Pariſienſe, 1212
Monſpellienſe. *Monſpelliacum*, Urbs Epiſcopalis Galliæ, in inferiori Occitania, 1214
IV. Lateranenſe, XII. Oecumenicum habitum, an. 1215
Oxonienſe. *Oxonium*, Urbs Epiſcopalis Angliæ, in Comiratu ejuſdem nominis, 1222
Apud Compinacum, Urbem Galliæ in Provincia Inculiſmenſi, ubi natus eſt Franciſcus I 1238
I. Lugdunenſe. XIII Oecumenicum. *Lugdunum*, Urbs Galliæ, cum titulo Archiep. Caput Provinciæ Lugdunenſis, 1245
Albienſe. *Albia*, Urbs Galliæ, Caput Albigenſis tractus in ſuperiori Occitania, cujus Sedes Biturigi ſuffraganea., ab Innocentio XI. Archiepiſcopatus titulo, anno 1676 inſignita eſt, 1254
Biterrenſe. *Biterræ*, Urbs Epiſcopalis Galliæ in Occitania, 1255
Monſpellienſe, 1258
Apud Compinacum, 1260
Londinenſe, 1268
Turonenſe, apud Rhedones in Britannia habitum, 1273
II. Lugdunenſe, XIV. Oecumenicum, 1274
I. Saliſburienſe. *Salesburgum*, Urbs Germaniæ, e Circulo Bavariæ, cum titulo Archiepiſcopatus, 1274
Arelatenſe, 1275
Budenſe. *Buda*, Urbs inferioris Hungariæ, in Comitatu Pilſenenſi, 1279
Saliſburienſe, 1281
Lambethenſe. *Lambetha* Pagus eſt Angliæ prope Londinum, 1281
Nemauſenſe, 1284
Ravennatenſe, 1286
Herbipolenſe. *Herbipolis*, Urbs Germaniæ in Franconia, cum titulo Epiſcop. 1287
Exonienſe. *Exonia*, Urbs Epiſcopalis Angliæ, Caput Comitatus Devonii, 1287
Auſcitanum. *Auguſta Auſcicorum*, Urbs Archiepiſcopalis in Vaſconia, Caput Comitatus Armeniaci, 1300
Concilium apud Pennam Fidelem. *Penna Fidelis*, Urbs Hiſpaniæ in veteri Caſtilia; a Gondiſalvo, Toleti Archiepiſcopo cum Suffraganeis Epiſcopis. Habitum eſt hoc Concilium, an. 1302
Nugarolienſe. *Nugarola*, Caput Comitatus

Ar-

Armeniaci in Vaſconia. Habitum eſt Concilium ab Amanæo, Auſcitano Archiepiſcopo, 1303
Pariſienſe, 1310
Saliſburienſe, 1310
Viennenſe, XV. Oecumenicum. *Vienna* Urbs Archiepiſcopalis Galliæ, Caput Viennenſis Provinciæ in Delphinatu, quæ ab antiquis *Vienna Allobrogum* dicta eſt, 1310
II. Ravennatenſe, 1311
Salmurienſe, 1315
IV. Ravennatenſe, 1317
Palentinum. *Palentia*, Urbs Hiſpaniæ in Legionenſi Regno, cum titulo Epiſcopatus Burgis Suffraganei, 1322
Avenionenſe, 1326
Poſonienſe. *Poſonium*, Urbs Primaria ſuperioris Hungariæ, ad Danubium, quam *Poſon* nominant Hungari. Habitum eſt hoc Concilium a Legato Clementis V, an. 1309 & confirmatum a Clemente VI an. 1346
Pariſienſe, ſub Guillelmo, Archiepiſcopo Senonenſi, 1346
Andegavenſe. *Andegavum*, Urbs Galliæ, Caput Andegavenſis Ducatus, cum titulo Epiſcopatus, 1365
Vaurenſe. *Vaurum*, Urbs Galliæ, 1368
Conſtantienſe, XVI. Oecumenicum. *Conſtantia*, Urbs Libera & Imperialis in Suevia, cum titulo Epiſcopatus, 1414
Saliſburienſe, 1420
Pariſienſe, 1429
Baſileenſe. *Baſilea*, Urbs Helvetiorum, ad Rhenum, unius ex tredecim pagorum Helvetiorum Caput, cum titulo Epiſcopatus Suffraganei Archiepiſcopi Veſuntini, 1431
Florentinum. *Florentia*, Urbs Italiæ, Caput Etruriæ, cum titulo Archiepiſcopatus, 1438
Rothomagenſe, ſub *Raoldo Rouſſel* hujus Urbis Epiſcopo, habitum an. 1445
Magdeburgenſe, 1450
Eboracenſe, 1466
Toletanum, 1470
Toletanum, 1473
Senonenſe. *Senone*, olim *Agendicum*, Urbs Archiepiſcopalis Galliæ, nunc in Provincia Campana, quæ prius ad Burgundiam pertinebat, comprehenſa, Senonenſis tractus Caput, 1485
V. Lateranenſe, 1512
Tarentinum, Cardinalis Cajetani cura initio ſæculi proxime elapſi coactum. *Tarentum*, Urbs & Ducatus Hydruntini Agri in Regno Neapolitano.
Senonenſe; 1528
I. Colonienſe. *Colonia Agrippæ*, Urbs Imperialis Germaniæ, cum titulo Archiepiſcopatus & Electoratus, 1536
Tridentinum, decimum octavum Oecumenicum. *Tridentum*, Urbs Epiſcopalis, ad fines Tirolis ſita inter Italiam & Germaniam, Caput Tridentinæ Regionis. Habitum eſt hoc Concilium an. 1545
Moguntinum, 1547
II. Trevirenſe, 1549
Narbonenſe, 1551
Toletanum, 1556
Cameracenſe. *Cameracum*, Urbs Belgii, Caput Cameracenſis Agri, cum titulo Ducatus & Archiepiſcopatus, 1565
I. Mediolanenſe. *Mediolanum*, Urbs Italiæ Caput Ducatus ejuſdem nominis cum titulo Archiepiſcopatus, 1565
Sipontinum. *Sipontum*, Urbs Regni Neapolitani, nunc everſa, ſed Concilium hoc Manfredoniæ, Urbis prope Siponti ruinas extructæ, an. 1250. habitum eſt an. 1567
II. Mediolanenſe, 1569
Mechlinienſe. *Mechlinia*, Urbs eſt Archiepiſcopalis Brabantiæ, inter Antuerpiam, Lovanium, & Bruxellas poſita, 1570
III. Mediolanenſe, 1573
Genuenſe. *Genua*, Urbs Archiepiſcopalis Italiæ in veteri Liguria, Caput Regionis, quæ dicitur Status Reipublicæ Genuenſis, 1574
IV. Mediolanenſe, 1576
V. Mediolanenſe, 1579
Rothomagenſe, 1581
Cameracenſe, 1581
VI. Mediolanenſe, 1582
Rhemenſe, 1583
Burdigalenſe. *Burdigala*, Urbs Galliæ, Aquitaniæ Caput, cum titulo Archiepiſcopatus, 1583
Turonenſe, 1583
Bituricenſe, 1584
Aquenſe. *Aquæ Sextiæ*, Urbs Archiepiſcopalis & Primaria Provinciæ, 1585
Mexicanum. *Mexicum*, Urbs Primaria Americæ Septentrionalis cum titulo Archiepiſcopatus, 1585
Toloſanum, 1590
Aquilejenſe. *Aquileja*, Urbs Patriarchalis in Agro Forojulienſi Venetæ Reipublicæ, cujus Sedes eſt Udinæ, 1590
Mechlinienſe, 1607
Burdigalenſe, 1609
Narbonenſe, 1609
Rothomagenſe, 1614
Burdigalenſe, 1624

Et alia multa, quæ laudat Decretum Gratiani, atque Decretales, de quibus in hoc Opere fit mentio.

SYNODI.

ROMANA Synodus, ſub Hilario, anno 465
Romana ſub Symmacho, qui electus eſt an. 498. & obiit an. 514
Altiſſiodorenſis an. 570. aut ſecundum alios, 578
Turonenſis, 858
Rhemenſis, 874
Romana, ſub Leone VIII. 963
Romana, ſub Gregorio VII. 1078
Pariſienſis, 1175
Pariſienſis, 1228
Nemauſenſis, 1284
Exonienſis, 1287
Colonienſis, circa 1300
Bajocenſis, 1300
Antuerpienſis, 1304
Lingonienſis, 1404
Trecenſis, 1427
Lingonenſis, 1452
Lingonenſis, 1455
Romana, 1502
Audomaropolitana, 1503
Pariſienſis, 1503
Ilerdenſis, 1516
Atrebatenſis, 1516
Senonenſis, 1524
Carnutenſis, 1526
Auguſtana, 1548
Pariſienſis, 1557
Cameracenſis, 1567
Ebroicenſis, 1576
Mediolanenſis. (XI.) 1584
Veſuntina, 1600
Cameracenſis, 1604
Mechlinienſis, 1607
Pariſienſis, 1608
Lemovicenſis, 1610
Veſuntina, 1631
Melphitana, 1639
Alectenſis, 1640
Cum aliis quę ſecutę ſunt ad an. 1659
Florentina, 1645
Veſuntina, 1648
Senonenſis, 1658
Namurcenſis, 1659
Veſuntina, 1663
Veſuntina, 1673
Pariſienſis, 1674
Veſuntina, 1675
Aqui-ſextienſis, 1685
Veſuntina, 1687
Pariſienſis, 1697
Et aliæ nonnullæ, quæ Cameraci, Hypris, Atrebati, & Audomari ſubſecutæ ſunt.

FINIS Indicis Conciliorum & Synodorum.

DICTIO-

DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ,
S E U
PRÆCIPUARUM DIFFICULTATUM
CIRCA MORALEM AC DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM,
D E C I S I O N E S

E Scripturis, Conciliis, Pontificum Decretalibus, Patribus, nec non celeberrimis Theologis, & Canonum peritis depromtæ.

A B B A S.

DE variis hujuſce vocis ſignificationibus heic non agitur, nec de iis pariter ſeu Principibus, ſeu Laicis Superioribus, qui Abbatis titulum ſibi vindicarunt, antequam Superiorum quorumdam Regularium ipſo uſu proprius ſactus ſit. De his enim videre eſt quæ ſcripſit HOFMAN in Lexico ſuo Univerſali (*a*). At heic obſervaſſe ſatis erit Abbatem proprie, & juxta Canonum mentem (*b*) loquendo, eum eſſe quem Abbatiæ cujuſdam Religioſi qui jure ſuffragii gaudent, in Superiorem ſibi elegerunt ac Patrem ſpiritualem, cui juxta votum in ſolemni profeſſione emiſſum, ſe obtemperaturos eſſe promittunt, in iis omnibus quæ regularem obſervantiam ſpectant.

Hinc patet quantum ab hujuſcemodi Abbate diſtent Abbates Commendatarii dicti, quos ſcilicet Rex ſummo Pontifici intra ſex menſes a die vacationis præſentat, quique eo titulo tertia parte fructuum Abbatiæ libere potiuntur, dum pars altera locorum regularium inſtaurationi inſumenda ſupponitur; tertia dumtaxat parte in Religioſorum uſum reſervata.

Regulares nempe Abbates juriſdictionem in Monaſterii ſui Religioſos habent; ſecus Commendatarii, ſaltem in Galliis, ubi ne ipſos quidem Novitios ad Profeſſionem admittere poſſunt, niſi Cardinalitia fulgeant dignitate.

In Comitatibus Flandrico, & Atrebatenſi omnes Abbatiæ ſunt Regulares, Electivæ, & Confirmativæ ſeu ab Ordinum Capitibus a quibus pendent, qualis eſt Abbatia Vigonienſis Ordinis Præmonſtratenſis in Diœceſi Atrebatenſi; ſeu quandoque ab Epiſcopo Diœceſano, qualis eſt Abbatia Anchini Ordinis S. Benedicti in eadem Diœceſi. (*c*) Jus idem Electionis ſervarunt ſibi in Galliis Abbatiæ, & Monaſteria quæ ordinum ſunt Capita, Cluniacum ſcilicet, Ciſtercium, Grandimontium, Vallis Scholaſticorum, S. Antonius Viennenſis, Mathurinenſes, Præmonſtratum, Vallis Braſſicarum, S. Edus, Pontiniacum, Firmitas, Claravallis, & Morimontium (*d*).

Abbatum Regularium alii Triennales ſunt, nonnulli vero Perpetui; at omnes debent eſſe Sacerdotes, (*e*) ne ipſis quidem Commendatariis exceptis, niſi ex diſpenſatione ſummi Pontificis.

(*a*) Hofman. Lexicon univerſ. V. *Abbas*.

(*b*) Gregor. IX. in Cap. *Abbatem*. de reſcriptis.

(*c*) Definit. Canon. *pag.* 182.

(*d*) Edict. *Bleſ.* art. 3.

(*e*) Cap. *Ut Abbas* 1. de ætat. qualit. & ord. præfic. l. 1. Tit. 14.

Google

CASUS PRIMUS.

ALexius Reformati cujuſdam Ordinis Religioſus, pietate & doctrina plurimum commendatus, Monaſterii alterius Ordinis Abbas electus fuit ab iis omnibus qui jus habent ſuffragii, quamvis nec illius communitatis membrum, nec ejuſdem ſit habitus & Regulæ. Quæritur an abſque peculiari Papæ diſpenſatione poſſit, aut debeat oblatam dignitatem acceptare.

Respons.

Nec poteſt, nec debet Religioſus ille tali electioni aſſentiri; cum canonica non ſit, & cuilibet Capitulo Regulari diſtricte prohibitum ſit alterius Ordinis Abbatem, Superioremve ſibi aligere, quia ſane non eapedit in eodem degere Monaſterio Religioſos profeſſione, habitu aut Regula diverſos; ac præcipue eum, qui toti communitati regendæ præficitur, non eſſe illius communitatis membrum.

Diſciplinæ hujus primus vindex eſt S. Gregorius Magnus in Concilio Romæ habito an. 601. ut legere eſt apud Grattianum (a): *Defuncto vero Abbate*, inquit ſanctus Pontifex, *cujuſquam Congregationis non eatraneus eligatur, niſi de eadem Congregatione, quem ſibi propria voluntate concors fratrum ſocietas elegerit; & qui electus fuerit ſine dolo aut venalitate aliqua, ordinetur.*

(a) Canon. *Quam ſit* 1. §. 2. 18. q. 2.

Equidem ſanctus Pontifex eaceptionem ſubjicit verbis: *quod ſi aptam inter ſe perſonam invenire nequiverint, ſollerter ſibi de aliis Monaſteriis eligant ordinandum*. Sed præterquam quod verba illa de altero Monaſterio, ejuſdem tamen Ordinis intelligenda ſunt, ſuperſluit jam omnino exceptio illa, ea quo Regularium communitates adeo numeroſæ evaſerunt, totque idoneis viris, qui aliis præficiantur, ſunt refertæ. Unde Clemens V. nulla illius exceptionis facta mentione, indiſtincte prohibet, in Abbates aut Superiores eligi viros alterius Ordinis. En verba illius ex Concilio Viennenſi an. 1311. (b) *Cum rationi non congruat ut homines diſparis profeſſionis, vel habitus ſimul in iiſdem Monaſteriis ſocientur, prohibemus ne Religioſus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cetera eligatur: quod ſi ſecus actum extiterit, ſit eo ipſo irritum & inane.* Idem omnino ſtatuit Gloſſa in alteram *Nicolai* III. (c) Conſtitutionem; ipſaque jamjam allata Deciſione nititur. Debet igitur Alexius electioni ſuæ renantiare, cum Canonicis Conſtitutionibus adverſetur, nec poſſit ei abſque diſpenſatione Pontificia aſſentiri; ſecus prohibitionem Eccleſiæ in Concilio Generali ſancitam infracturus.

(b) Clemant. *Cum rationi* 1. de Elect. & Elector. poteſt. l. 1. tit. 3.

(c) Nicolaus III. in Cap. *Nullus* 28. de Elect. &c. in 6.

CASUS II.

Rainfredus Monaſterii ſancti Alſiri Abbas cum ſine cauſſa, & propria auctoritate quatuor aut quinque Priores Conventuales depoſuiſſet, duo ex illis id ægre ferentes, tali depoſitioni aſſentiri recuſarunt; Quæritur an ſalvo obedientiæ voto ita ſe gerere potuerint.

Respons.

Ut hæc ſolvatur difficultas, duo diſtinguenda ſunt Priorum Conventualium genera. Alii nimirum a Regulari Capitulo canonice electi, ab ipſo Abbate confirmantur. Alii vero quos Fagnanus (d) Manuales appellat, a Capitulo minime nominantur, ſed a ſolo Abbate minoribus quibuſdam communitatibus præficiuntur. Quo poſito, reſpondeo Priores illos a Capitulo canonice electos, atque ab Abbate confirmatos, non poſſe ſolius Abbatis auctoritate, ad ipſius nutum munere ſuo privari, niſi ex cauſſa legitima & juris ordine ſervato. Ita Fagnanus, qui ſententiam ſuam probat ex Concilio tertio Lateranenſe (e) ſub Alexandro III. cujus Decretum in Corpore Juris relatum ita ſe habet: *Priores autem cum in Eccleſiis Conventualibus per electionem Capitulorum ſuoram canonice fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſſa non muteatur*. Cauſſas autem legitimas reputat idem Concilium, *ſi fuerint dilapidatores, incontinenter vixerint, aut tale quid egerint; pro quo amovendi merito videantur, aut ſi etiam pro neceſſitate majoris Officii de conſilio fratrum fuerint transferendi.*

(d) Fagnan. ad C. *Cum ad Monaſterium* C. de ſtatu Monachorum, num. 37.

(e) Alex III. in Conc. Lat. 3. c. 10. in cap. *Monachi*, 2. §. *Priores* de ſtatu Monachorum.

Accedit Gloſſa in hæc verba *non muteatur*. *Nota heic differentiam*, inquit, *inter Priorem Conventualem, & alium: quia Prior Conventualis deponi non poteſt niſi pro manifeſta & rationabili cauſſa*. Quod & probat ex hoc Juris axiomate: *Sine culpa nemo debet privari jure ſuo*. Cui etiam congruunt hæc ſancti Gregorii ad Columbum Epiſcopum (f) verba; *Satis perverſum, & contra eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, ut fruſtra pro quorumdam voluntatibus quis privetur, quem ſua culpa, vel facinus ab Officii quo fungitur gradu non dejicit*. Idem omnino ſentiunt Innocentius IV. in ſuo ſuper allatam modo Decretalem commentario, Joannes Andreas, & Cardinalis Hoſtienſis (g).

(f) Greg. in canon. *Satis* 7. diſt. 56.

(g) Innoc. IV. in cit. Cap. *Monachi*. Joan. Andr. ib. n. 12. & in C. *Cum ſingula* de Præb. in 6. n. 1. Hoſtienſis in dictum C. n. 3. et.

Aliud plane dicendum de aliis ſecundæ claſſis Prioribus, quos Abbas propria auctoritate minorum communitatum adminiſtrationi præpoſuit, de quibus loquitur Innocentius III. Jum ait in Decretali prius laudata (h): *Tales autem ad agenda officia Monaſterii deputeatur qui fideles fuerint, & diſcreti*; ii ſcilicet ad nutum Abbatis deponi poſſunt aut revocari.

(h) In cit. Cap. *Cum ad Monaſterium*. §. *Tales*.

Cenſent quidem nonnulli Doctores Ultramontani hancce revocarionem ad nutum Abbatis, & ſine cauſſa fieri non poſſe; (i) at ſecus ſentiunt plurimi magni nominis Canoniſtæ, puta (k) Hoſtienſis, Joannes Andreas, Antonius de Butrio, Petrus Ancharanus, Decius, Baldus, Cardinalis, Felinus, Socinus, Geminianus, pluresque alii, quos ſequitur Fagnanus; atque ita a ſacra Congregatione judicatum aſſerit 7. Martii 1650. juxta deciſionem Rotæ 16. Martii 1584.

(i) Innoc. IV. in C. *Inſinuante*, qui clerici vel voventes &c. n. 2.

(K) Hoſtienſ. in cit. C. *Cum ad Monaſterium*. n. 21. Joan. Andr. in C. *Cum ſingula*. de præb. in 6. n. 2. Ant. de Butrio ibid. n. 5. Anchar. ib. num. 4. Franca ib. n. 1. Decius in C. *Ad noſtram*. n. 7. de confirm. utili, vel inutili. Socinus ſenior conſil. 174 n. 8. Felinus in C. *Per tuas*, de major. & obed. n. 4. Joan. de Selva tract. de benef. 3. part. q. 68. n. 3. Fagnanus loco cit.

Dicendum igitur ſupradictos Priores Conventuales, ſi a Capitulo canonice electi, atque ab Abbate confirmati fuerint, non teneri depoſitioni ſuæ acquieſcere, niſi adſint prænotatæ conditiones; ſecus autem ſi ſolius Abbatis auctoritate minorum Monaſteriorum regimini fuerint præfecti; attamen caveat Abbas ne ex tali depoſitione ſcandalum patiatur ſeu Monaſterium, ſeu Prior ipſe depoſitus; aliter contra caritatem graviter peccaturus.

CASUS III.

Dominicus Abbas Regularis Monaſterii ſancti Liæi, Fabianum Presbyterum ſæcularem nominavit ad Parochialem ſancti Albini, non requiſito conſenſu Religioſorum Monaſterii a quo pendet illa Parochialis Eccleſia. Id ne valide ſaltem potuit?

Respons.

Id præſtare non potuit; nec enim Regularis Abbas tale jus exercere poteſt ſine conſenſu Capituli Abbatiæ ſuæ. Ita docet (l) Silveſter de Prierio juxta Decretalem Cæleſtini III. quæ ſic habet (m): *Reſpondemus quod in præſentationibus Prælatorum intelligi debet, quod fiant de Collegiorum ſuorum conſenſu, ſine quo non obtineant firmitatem. Unde ſi conſtiterit Conventus vel majoris, & ſanioris partis non adfuiſſe conſenſum, inſtitutionem ejuſmodi conveait evacuari*. Quibus addit Gloſſa ibid. *cum non ſint factæ ſecundum jus, ſed contemtis illis, qui requiri debent*. Quod etiam ibid. duabus confirmatur Decretalibus, altera Alexandri III. (n) altera Innocentii III. (o) *ubi*, inquit Gloſſa, *hoc videtur expreſſum*.

(l) Silveſter. v. *Abbas* q. 3. §. 1.

(m) Cap. *Ea noſcitur* 6. de his quæ fiunt, &c. lib. 3. Decret. tit. 10.

Ab ea excipitur regula caſus in ipſa Cæleſtini III. Decretali expreſſus his verbis: *Niſi ex antiqua & approbata conſuetudine, vel concessa libertate aliqui eorum probaverint commiſſi ſibi Collegii non debere Eccleſiarum, ſea Beneficiorum collationibus requiri conſenſum.*

(n) Alex. III. in Cap. *Novit*. & Cap. *Quanto* 3. eod. tit.

(o) Innoc. III. in Cap. *Quod ſicut*. 28. de conſuetudine l. 1. tit. 4.

CASUS IV.

Benedictus juxta Conſtitutiones Monaſterii, cujus eſt Abbas Regularis, tenetur Religioſorum qui Capitulum componunt explorare conſilium, ubi de admittendis ad profeſſionem ſolemnem Novitiis agitur; ob idque ſuper Novitii receptione communitatem convocavit; verum novitium huncce, quamvis ſuffragiorum pluralitate excluſum, propria ipſe auctoritate ad profeſſionem admiſit; contradicere non audentibus Religioſis. Id ne tuta conſcientia præſtare potuit?

Reſ-

Digitized by Google

RESPONS.

Aſſerunt plures, iique celebres Canoniſtæ, non teneri Abbatem regularem juxta votorum pluralitatem de Novitii ad profeſſionem admiſſione aut excluſione pronuntiare; ſed conquiſitis Capituli ſuffragiis poſſe Abbatem ad libitum ea de re ſtatuere. Verum, opinio hæc omnium Monaſteriorum praxi adverſatur, nulloque fundamento ſulciri videtur.

Cenſemus igitur oppoſitam ſententiam, tum rationi, tum juri magis eſſe conformem. Rationi quidem; ſecus communitatis ſuffragia exquirere ſuperfluum eſſet. Juri etiam, cum habeant, juxta canones, Religioſi vocem deliberativam, in iis omnibus quæ ad Capitulum referuntur, ſed præcipue in ipſo de quo agitur caſu.

Probari id poteſt ex jam laudata Cæleſtini III. Decretali (a) ubi ſtatuit Abbatem, cui jus competit una cum Capitulo, nominandi ad Beneficia quæ a Monaſterio pendent, non poſſe id præſtare ſine conſenſu, inſtitutioneſque ad ipſius ſolius præſentationem factas, eſſe irritas. Jam vero non minus jure ſuffragii potiuntur Religioſi ubi de admittenda profeſſione quam ubi de Beneficiorum præſentatione agitur: quod ergo nequit Abbas ſolus, in uno caſu, id pariter nequit in altero.

(a) Cæleſt. III. in Cap. *Ea noſcitur*. ſupr. cit.

CASUS V.

Candidus Abbas Regularis Monaſterii ſancti Aſaphi ſeu ſpeciali privilegio, ſeu conſuetudine legitime præſcripta, in ea eſt poſſeſſione ut Novitiorum profeſſionem auctoritate propria excipiat; poteſt ne eo jure tuta conſcientia uti contra juris communis diſpoſitionem, atque obſiſtentibus Religioſis?

RESPONS.

Poteſt Abbas ille tuto in ea poſſeſſione ſtare; ut patet ex eadem Cæleſtini III. Decretali, (b) ubi conceditur Abbati ut poſſit ſolus ſeu ex conſuetudine ſeu ex privilegio nominare ad Beneficia quæ pendet a Monaſterio; quod etiam ad profeſſionis admiſſionem extendi poteſt.

(b) Cap. *Ea noſcitur* ſupr. cit.

Patet 2. ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (c) in qua ſupponit Monachorum admiſſionem quandoque ad ſolum Abbatum pertinere, eoque defuncto jus illud Conventui non competere. *Ex quo textu*, inquit Barboſa, *colligunt Doctores communiter creationem Monachorum ſpectare ad ſolum Abbatem, quando Religio habet ad hoc talem conſuetudinem*: hæc autem conſuetudo legitima eſſe debet. *Licet enim*, inquit Gregorius IX. (d), *longævæ conſuetudinis non ſit levis auctoritas; non tamen eſt uſque adeo valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationalis & legitime præſcripta*.

(c) Boniſ. VIII. in Cap. *Si ad ſolum*. fin. de Regularibus in 6. lib. 3. tit. 14.

(d) In Cap. *Cum tanto*. fin. de Conſuetud. lib. 1. tit. 4.

Congrueret ſane, ut Abbas ille uſui ſe conformaret qui apud omnes fere Ordines viget, ubi quotquot ſunt quibus conſtat Capitulum, ſuffragium ferunt cum Abbate, cum quis ad profeſſionem admittendus eſt; quod quidem Religioni conducibilius eſt, & Regulis magis conſonum; cum illius certior ſit vocatio, qui Abbatis ſimul & Religioſorum ſuffragiis admittitur, utpote cujus magis exploratæ ſunt actiones & vita.

CASUS VI.

Philemon Religioſus rixatus cum Clerico ſæculari, cui alapam ex irati animi motu impegit, Abbatem ſuum regularem adiit ad conſequendam excommunicationis abſolutionem, quam ei Abbas conceſſit. Quæritur an rite & valide coram Deo abſolutus fuerit?

RESPONS.

Poteſt quidem Abbas regularis Monachum ſuum cum altero quocumque Monacho rixatum, ob idque excommunicatum abſolvere: verum id nequit ſi Monachus ille Clerico ſæculari vim intulit; tunc enim abſolutio cenſuræ ad Epiſcopum Diœceſis ubi admiſſum eſt delictum, pertinet.

Ita docet Gloſſa in Canonem Gratiani (e) his verbis: *Abbas enim poteſt abſolvere Monachum injicientem manus in Monachum ſuum vel alterius, ſed non poteſt ſi percuſſerit Clericum ſæcularem*. Id confirmat auctor Gloſſæ ex Decretali Innocentii III. in corpore juris relata (f): indeque patet Philemonem valide abſolutum non fuiſſe, atque adeo ipſum teneri Epiſcopum diœceſanum adire.

(e) Gloſſa in Can. *Si quis*. 5. diſt. 90.

(f) Innoc. III. in Cap. *Cum illorum*. 32. de ſent. excom. lib. 5. tit. 39.

CASUS VII.

Joachimus Abbas regularis Monaſterii, cujus bona communia ſunt ipſi & Religioſis, poſtquam ſumtus neceſſarios Abbatiæ ſuppeditavit, superſunt ei quovis anno bis mille librarum; poteſt ne de iis propria auctoritate ad libitum diſponere?

RESPONS.

Non poteſt; ſiquidem, ut ait Silvius (g), *Abbas non eſt dominus rerum Monaſterii, ſed diſpenſator; ad diſpenſatorem autem pertinet non pro libitu bona ſibi concredita diſpenſare, ſed ex cauſſa legitima*.

(g) Reſolut. var. v *Abbas* II. tom. 5.

Eo nixus fundamento aſſerit Joannes Major (h) talem Abbatem reum eſſe vitii proprietatis, ſi bona Monaſterii in favorem amicorum, aut parentum minime egentium impendat. Idem ſentit Navarrus (i), atque ex S. Auguſtino (K) probat non magis poſſe Abbatem regularem, quam Religioſi & Moniales donare Monaſterii bona, ſed ea teneri impendere aut in uſum Monaſterii aut in pauperum ſolatium.

(h) In 4. ſent. diſt. 38. q. 9.

(i) Navar. Manual Conf. xvii. n. 105. & in Can. *Non liceat*, 20. 12. q. 2. §. 15.

(K) S. Aug. in Can. *Non dicatis*. ij. 12. d. 1.

CASUS VIII.

Oneſimus, Reformati cujuſdam Ordinis Religioſus, Tonſura & quatuor minoribus Ordinibus a regulari Monaſterii cujus eſt profeſſus, Abbate initiatus eſt: Diœceſanum poſtea adivit Epiſcopum, ut ab eo Subdiaconatum reciperet. Quæritur 1. utrum a ſuo valide ordinatus fuerit Abbate? 2. utrum Epiſcopus ipſum de novo ordinare nequeat, priuſquam ei ſacrum, quem petit Ordinem conferat?

RESPONS.

Certum eſt, ex jure communi Epiſcopum ſolum ordinarium eſſe Tonſuræ, aliorumque ſive majorum, ſive minorum ordinum Miniſtrum; quod quidem probatu facile eſt ex Conciliis œcumenicis, Niceno 1. habito ſub S. Silveſtro an. 325. (l) Florentino, (m) & Tridentino (n). Cujus rei hanc etiam rationem affert ſanctus Thomas (o), quod cum Epiſcopus ordinarius ſit Confirmationis, a fortiori ordinarius debet eſſe Sacramenti Ordinis miniſter.

(l) Concil. Nic. 1. Can. 4.

(m) Concil. Florent. in decreto Eugenii IV.

(n) Concil. Trid. Seſſ. 23. Can. 7.

(o) S. Thom. in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1.

Attamen ex jure eodem conceſſum eſt Abbatibus regularibus, qui ſint Sacerdotes & ab Epiſcopo ſolemniter benedicti, Tonſuram & quatuor minores Ordines conferre Religioſis ſibi ſubditis, in proprio dumtaxat Monaſterio; ex vi juriſdictionis quaſi Epiſcopalis, quam eis conceſſit Sedes Apoſtolica (p). Quod ita declarat Innocentius III. ad Rothomagenſem ſcribens Archiepiſcopum; *Cum in ſeptima Synodo* (q) *ſit ſtatutum*, inquit Pontifex (r), *ut Lectores per manus impoſitionem licentia ſit unicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolummodo faciendi, dummodo ipſi ab Epiſcopo (ſecundum morem præficiendorum Abbatum) manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet, eum exſiſtere Sacerdotem; per primam Tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam a talibus Clericalis ordo confertur*. Verum hæc eis non competit poteſtas erga alium quemquam, aut extra Monaſterium degentem, ut hiſce conſtat verbis: *in proprio Monaſterio ſolummodo*, nec non iſto Concilii Tridentini textu (ſ): *Abbatibus, & aliis, quantumvis exemtis, non liceat in poſterum intra fines alicujus diœceſis conſiſtentibus; etiamſi nullius diœceſis, vel exemti eſſe dicantur, cuiquam qui regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre. Nec ipſi Abbates & alii exemti .... Litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed eorum omnium ordinatio ... ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exſiſtunt, pertineat*.

(p) In quos Eccleſiaſticam & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent. Alex. IV. in C. *Abbates*. 3. de privilegiis in 6. l. 1. tit. 8.

(q) Can. *Quoniam*. 1. diſt. 69.

(r) Innoc. III. in Capar. *Cum contingat*. ij. de ætate & qualitate & ordine præficiendorum. l. 1. tit. 14.

(ſ) Conc. Trid. Seſſ. 23. C. 14. de Reform.

Quod cum ita ſit; ut quæſtioni propoſitæ fiat ſatis, dicendum, Oneſimum legitime Tonſura ceteriſque Ordinibus fuiſſe initiatum; ſi ipſius Abbas regularis ſit Sacerdos, & ſolemniter ab Epiſcopo benedictus; & ſi quaſi Epiſcopalem obtineat juriſdictionem, aut ſpeciali ſummi Pontificis privilegio hæc ei facta ſit poteſtas, Tonſuram mi-

noreſque ordines ſuis Religioſis conferendi, ac proinde ab Epiſcopo dicti Oneſimi non iterandam eſſe ordinationem, antequam ad Subdiaconatum admittatur.

(a) Bapt. Trovamal. in Roſella v. *Abbas*.

Obſervat Baptiſta Trovamala (*a*), Abbatem regularem, qui ter ab Epiſcopo benedictionem requiſivit, quam ab eodem injuſte renuente obtinere non potuit, jus illud licita poſſe ſibi arrogare. Sic enim declaravit Alexander III. pro Abbatibus ordinis Ciſtercienſis (*b*) in Decretali ad Religioſos ejuſdem Ordinis, cujus hæc ſunt verba: *Statuimus præterea, ut, ſi Epiſcopus tertio eum humilitate ac devotione .... requiſitus, ſubſtitutos Abbates veſtros benedicere forte renuerit, eiſdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium hujuſmodi pertinent, exercere; donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiam recogitent, & Abbates benedicere non recuſent.* Verum in eo caſu congruam magis & tutiorem adhibere viam poſſunt Abbates regulares; ſi nimirum ad Papam confugiant, & ab ipſo impetrent, ut deneganti Ordinario alium ſubſtituat in eam rem Epiſcopum.

(b) Alexand. III. in Cap. *Statuimus* 1. de ſupplenda negligentia Prælatorum, l. 2. in 6o.

Ceterum, inquit idem Trovamala (*c*), *non eſt tamen licitum Abbatibus, aliis, quam Monaſteriorum ſuorum converſis .... & in quos Eccleſiaſticam & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, primam Clericalem conferre Tonſuram, niſi eis competat ex pleno Apoſtolicæ Sedis indulto.* Quod idem Auctor allata ſuperius Alexandri III. Conſtitutione confirmat. *

(c) V. *Abbas.* cit.

(1) * An invalide perinde ac illicita ſit Tonſuræ & minorum Ordinum collatio ab Abbate ei facta in quem nullam habet juriſdictionem, opportune heic quærendum venit.

Cui quæſtioni affirmative reſpondet Auctor conſultationum Canonicarum hac in parte peritus, ſi quis umquam; † rationemque affert, quia hoc in caſu poteſtatem ſibi factam prætergreditur Abbas ille: cum enim conferendorum Ordinum poteſtas jure tantum Eccleſiaſtico ei conceſſa ſit qui Epiſcopali caractere non eſt inſignitus, poteſt ab Eccleſia ordinatio ab eo collata invalida perinde ac illicita declarari: maxime cum certum ſit, poteſtatem illam juriſdictionis eſſe, potius quam ordinis; ſolumque ex decentia ad id requiri in Abbate Presbyteratum. Si enim ad ordinem pertineret ea poteſtas, jam delegari alteri non poſſet, ut patet ex Cap. 2x. de Conſect. Nec dici poteſt quod talis poteſtas ſit ordinis Sacerdotalis, ſecus valide eam exerceret quilibet Sacerdos, quod nemo dixerit.

† Tom. 3. de ordine Conſult. 4.

Nec dicas non-declaraſſe iſtius hujuſmodi ordinationes a Concilio Tridentino prohibitas; nam jure ipſo communi quæ juriſdictionis ſunt, ac ipſius limites excedunt, irrita ſunt & nulla.

CASUS XIX.

Chrysologus Ordinis ſancti Bernardi Religioſus, Facultatis Pariſienſis Baccalaureus, electus Abbas regularis Monaſterii in longinqua Provincia ſiti, Pariſios ſe conferre optaret in primis, ut emenſo Licentiæ curſu, deinde Doctorum numero poſſet adſcribi. Quæritur utrum biennio trienniove ob eam cauſſam a Monaſterio tuta conſcientia poſſit abeſſe?

Respons.

Non poteſt Religioſus ille abeſſe; quia Paſtores, id eſt, ii omnes, qui beneficia vel dignitates obtinent, quibus annexa eſt animarum cura, ad reſidentiam neceſſario tenentur, ut in multis decretum eſt Conciliis, præſertimque Lateranenſi an. 1179. & Tridentino; & in ſuis Decretalibus, quas refert ſumma juris, declararunt Leo IV. Alexander III. Cæleſtinus III. Innocentius III. & Gregorius IX. (*d*) Atqui Abbas regularis vere eſt paſtor, quandoquidem ad ipſum pertinet cura ſpiritualis, ſaluſque ſuorum Religioſorum. Tenetur itaque in ſuo Monaſterio reſidere, ut curatus in ſua Parœcia, ut ovium ſibi commiſſarum, quarum Deo rationem aliquando redditurus eſt, ſaluti invigilet.

(d) Alex. III. in Conc. Lateran. in C. *Licet nonnulli*. 3. Leo IV. in Cap. *Ex geſtis*. 2. Alexand. III. in Cap. *Conquerente*. 2. Cæleſtin. III. in Cap. *Ex parte*. 8. Innoc. III. in Cap. *Qualiter*. 9. & in Cap. *Ex tua*. 11. & Greg. IX. in Cap. *Clericos*. tit. de Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel præbenda. l. 3. tit. 4.

Equidem ſi talis in caſu propoſito eſſet permiſſa abſentia, a fortiori magno Parochorum numero foret licita, quibus cum majori ſit opus ſcientia quam Religioſis, ob eam cauſſam a ſuis Parœciis abeſſe poſſent abſque peccato: quod Eccleſiaſticam omnino perturbaret diſciplinam, & innumeris propemodum animabus certum ſalutis periculum & detrimentum afferret. (*e*)

(e) De ſainte Beuve. tom. 3. cap. 136.

CASUS X.

(2) Aristarchus Clericus Tonſura initiatus, triginta jam annos natus, cum de Abbatia ſancti Galli in commendam fuerit proviſus, qua jam a quinque annis pacifice fruitur, nec ad ſacros Ordines promoveri curet; injecto ſibi ſcrupulo valde angitur, quod nimirum ſub peccato teneretur curare, ut intra annum ad Sacerdotium promoveretur, ſubducta temporis ratione a die proviſionibus ſuis adſcripta, vel ſaltem additionis ad talem Abbatiam. Quæritur, an re ipſa ad id teneretur? Et utrum etiamnum ſubſiſtat hujuſmodi obligatio?

Respons.

Exiſtimamus, Ariſtarchum vere teneri ad recipiendum Sacerdotium, primo anno quo ei in commendam collata eſt Abbatia; eamdemque obligationem hactenus ſic perſeverare, ut vel eam indeſinenter adimplere, vel Abbatiam ſuam dimittere teneatur; niſi de conſenſu Regis a ſummo Pontifice ſuper hac re legitime diſpenſetur; quia Abbas commendatarius & Abbas regularis, quoad rem præſentem ſpectat, eadem lege tenentur.

Primo deciſionem hanc probat Gloſſa (*f*) in unam Decretalem Innocentii III. quæ de Abbate regulari agens dicit, *quia Abbas debet eſſe Sacerdos*: quod idem alia confirmat Decretali expromta e decreto Concilii Pictavienſis ſub Gregorio VI. an. 1078. habiti, in quo idem ſtatuitur his verbis: (*g*) *Ut Abbates, Decani & Præpoſiti, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant: ... quod ſi aliqua juſta cauſſa prohibente Presbyteri ..... eſſe non potuerint, prælationes amittant.* Rem hanc aſſerit Fagnanus in ſuo ſuper hanc Decretalem Commentario tribus hiſce rationibus (*h*). 1. *Quia ſolemniter benedicuntur, ut in Cap. 1. ſupra de ſupplenda negligentia Prælatorum; & ita neceſſario debent eſſe Presbyteri.* 2. *Tum quia minores Ordines conferunt, idque præſtare nequeant, niſi ſint benedicti & Presbyteri, ut in C.* Quoniam 69. *diſtinctione: Et in C.* Cum contingat. *Infra. Eodem.* Tertiam hanc rationem addit inclytus hic Canoniſta. *Tum denique quia curam habent animarum, ſaltem reſpectu Monachorum ſuorum. Can.* Nullam. 18. q. 2. & Cap. *Cum ad Monaſterium.* Infra de ſtatu Monachorum. Ex quo facile colligitur, eamdem eſſe Abbatis commendatarii obligationem, cum regularis Abbatis vicem gerat.

(f) Gloſſa in C. *Expoſuiſti*. 9. ſt. *promoveri*. de corpore vitiatis ordinandis, vel non, lib. 1. tit. 20.

(g) Conc. Pictav. in Cap. *Ut Abbates* 1. de ætate & qualit. & ordine præficiendorum, lib. 1. tit. 14.

(h) Proſper. Fagnanus in eit. C. *Ut Abbates*. n. 1. & ſeqq.

2. Hoc idem diſciplinæ punctum pro utroque Abbate ſtatuit Conſtitutio Clementis V. in qua de Prioribus Conventualibus ſeu Titularibus, ſeu Commendatariis loquens hic Pontifex dicit: (*i*) *Qui autem Prioratus iſtos Conventuales, vel illos non Conventuales curatos habuerint; infra annum, computandum a tempore collationis, ſeu commiſſionis ſibi factæ de eis, & poſſeſſionis eorum adeptæ, vel infra vigeſimum-quintum ætatis ſuæ annum; ſi ante annum ipſum non Conventuales Prioratus eis commiſſi fuerint aut collati, ſe faciant ad Sacerdotium promoveri. Quod ſi, ceſſante rationabili cauſſa, non fecerint, eo ipſo nulla etiam monitione præmiſſa, prædictis Prioratibus ſint privati, qui ipſis iterum ea vice nullatenus conferantur.*

(i) Clementins, *Ne in agro*. §. Ceterum de ſtatu Monachorum.

Idem autem de Abbatibus regularibus, atque de hujuſmodi Prioribus dicendum, cum ejuſdem ſint naturæ amborum beneficia ſeu dignitates, communiaque in eam rem onera.

3. Edicto (3) Bleſenſi menſis Maji an. 1579. (*K*) novum huic rei accedit argumentum, quibuſdam additis non magni momenti temperamentis. En ejus verba: *Abbates & Priores Conventuales, ætatem a Conciliis requiſitam adepti, juxta ea ſe facient ad Sacerdotium promoveri intra annum a proviſionibus ſuis; niſi ſuper hac re legitime fuerint diſpenſati: & nihilominus, aut intra duos annos inſequentes, niſi ad dictam ordinem ſe faciant promoveri; eorum beneficia declarabuntur vacantia & impetrabilia; ipſique cogentur reddere ac reſtituere fructus, quos perceperint, ut in pia opera cedant & diſtribuantur.*

(K) Edictum Bleſenſe, art. 3.

4. Quartam prædictis addit probationem Concilium

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. IV. num. 1. (2) Vid. ibid. (3) Vid. ibid. Obſerv. III. num. 3.

Digitized by Google

ciliũ Rothomagenſe ſub Cardinali Borbonio anno 1581. habitum; cujus expreſſum eſt de eo Diſciplinæ capite Decretum. (a) *Abbates & Priores regulares, atque etiam exemti, aut Commendatarii*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *ſi ætatem præſcriptam a jure, ad ſuſcipiendos ſacros ordines attigerint; intra annum promoveantur: facultateſque de non promovenda, præterquam in caſibus a jure expreſſis conceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur. Alias Epiſcopus pro ſuo Jure agat uſque ad declarationem vacantium omnium beneficiorum.*

(a) Conc. Rothomag. tit. de Monaſteriis. n. 4.

Denique hactenus dicta idipſum confirmat, quod Papa Bullas ſeu proviſiones Abbatibus Commendatariis non concedat, niſi ſub expreſſa conditione, quod ſe ad Sacerdotium promoveri intra annum curabunt; cui profecto deeſſe nequeunt abſque peccato, niſi cum iis expreſſe diſpenſet ſummus Pontifex. *

* Ad caſ. X. & ſeqq. videſis Conſult. XVI. Auctoris mox laudati, eodem Tom. 2. de Ordine.

CASUS XI.

(1) Anſelmus obtentis ex regio reſcripto Abbatiæ commendatæ Bullis cum appoſita conditione, quod Commendatarius ad Sacerdotium intra annum ſe promoveri curabit; cui conditioni cum non ſatisfecerit, nec ſacros Ordines ſuſcipere intendat; poſtulat, utrum in foro conſcientiæ *ipſo facto* per hunc defectum vacet Abbatia ſua, priuſquam acceſſerit ſententia juridica.

RESPONS.

Cum juſtis de cauſſis Abbatem etiam regularem ordinare nequeat Epiſcopus, ſeu quod neceſſaria careat ſcientia, ſeu ob aliam juſtam rationem; (b) negari quoque non poteſt pro Abbate Commendatario æquas pariter intervenire poſſe rationes: attamen licet ipſius negligentia juſte excuſari non poſſit, & reus ſit in primis, appoſitam ſuis proviſionibus nolens adimplere conditionem; hinc non ſequitur *ipſo facto* ex tali defectu, ejus vacare beneficium.

(b) S. Greg. in Can. *Arcendus*. 10. diſt. 50. & Innoc. III. in Cap. *Tuam*. 10. de ætate & qualitate & ordine præficiendorum. lib. 1. tit. 14.

Hoc unum igitur certum eſt, eum beneficio ſuo per juridicam ſententiam eſſe privandum juxta ſtatutum Lateranenſis Concilii ſub Alexandro III. habiti (c): unde colligi neceſſe eſt, quod cum Anſelmus juridice per ſententiam aut Arreſtum Abbatia ſua non fuerit ſpoliatus; dici nequit ipſum Beneficio ſuo fuiſſe ob id unum privatum, quod ſuſcipiendi intra annum Sacerdotii impoſitæ ſibi conditioni non ſatisfecerit.

(c) Conc. Lateran. 3. de elect. Summi Pont. C. 3.

Hanc deciſionem ea præcipue ratione ſtabilimus, quod Bullis ejus inſerta Sacerdotii intra annum ſuſcipiendi clauſula, ſit tantum comminatoria, cui nimirum a ſummo Pontifice non additum fuit decretum irritans: quare in ſimili caſu omnino neceſſe eſt ad vacationem Beneficii, ut tres præceſſerint canonicæ monitiones, debito cum intervallo factæ; ac deinde juridica accedat ſententia, qua vacans declaretur.

Confirmari poteſt hæc opinio exemplo Clerici de Beneficio ſacerdotali *a lege* vel *ex fundatione*, proviſi, qui per triennium ſacerdotio initiari neglexit; nam ſecundum juriſprudentiam quæ viget in Gallia, Clericus ille contra devolutarium uti poteſt Regula *de pacificis poſſeſſoribus*, & poſt triennalem poſſeſſionem debet in jure ſibi per eam quæſito manuteneri.

CASUS XII.

(2) Athanaſius, e diœceſi Pariſienſi, de Abbatia vel Prioratu ſancti Framburgi in Commendam proviſus, Sacerdotem ſe initiari non curavit intra annum, ex quo talem Abbatiam vel Prioratum adivit, uti jure & proviſionum ſuarum tenore ad id tenebatur; & a duobus annis eo potitur Beneficio: quæritur, utrum ad reſtitutionem fructuum quos percepit, in foro conſcientiæ teneatur?

RESPONS.

Exiſtimamus eum ad talem reſtitutionem obligari, quia cum jure, & proviſionum ſuarum tenore ad ſacerdotium ſuſcipiendum intra annum teneretur, neglecta tam juſtæ obligationis adimplendæ neceſſitate, injuſtus hujuſce Beneficii cenſendus eſt poſſeſſor: quod quidem eo magis æquitati conſonum videri debet, quod eo Beneficio potiri non potuit abſque alterius injuria, qui & titulo & natura Beneficii requiſitis dotibus fuiſſet præditus, aut ſaltem voluiſſet ac potuiſſet eas intra annum ſibi comparare.

Attamen, ſi diebus ſingulis officium ſuum recitaverit Athanaſius, & pro debito bonum ſpirituale & temporale Monaſterii procuraverit; in eo caſu ad totalem fructuum reſtitutionem non teneatur; ſecus, ſi eam neglexerit obligationem, integros fructus perceptos reſtituere tenebitur. Si tamen neglecta officii ſui recitatione, utilem aliunde bono ſpirituali vel temporali Beneficii ſui operam collocaverit; dici etiam poteſt, ipſum in eo caſu ad integram quoque redituum perceptorum reſtitutionem non teneri, cum majorem vel minorem eorum partem acquiſiviſſet pro majori vel minori cura impenſa ac labores juxta illud effatum Bonifacii VIII. *Beneficium..... datur propter officium*, (d) quia voce illa, *officium*, non modo intelligitur Breviarii recitatio; ad quam tenetur Beneficiarius; verum etiam omnis cura ac labor impenſa ad bonum ſpirituale aut temporale ſui Beneficii procurandum.

(d) Bonif. VIII. in Cap. *Quia*. fin. de reſcriptis in 6. lib. 1. tit. 1.

Nono equidem Bleſenſis edicti articulo ſtatuitur, ut, qui de Abbatiis aut Prioratibus conventualibus proviſi, ſe ad ſacerdotium promoveri neglexerint, intra primum annum aut ſaltem alterum ab obtentis proviſionibus, eorum Beneficia *ipſo facto* declarentur vacantia & impetrabilia, & ipſi Beneficiarii perceptos fructus reſtituere cogantur: verum id de reſtitutione in ſolidum intelligi non debet, niſi juridica damnentur ſententia: atqui æquum non foret integra fructuum reſtitutione Beneficiarium mulctare, qui ſingulis diebus divinum officium recitaſſet, quo etiam omiſſo ſimili pœnæ eum ſubjici foret injuſtum, ſi utilem aliunde bono ſpirituali aut temporali Beneficii ſui operam dediſſet, ſeu curando, ut piè ac decenter officia divina in eo celebrentur; ſeu jura ipſius vindicando, ac redituum conſervationi invigilando: cum in hujuſmodi curis ex parte conſiſtat quod a jure dicitur *officium*, adeo ut qui eas adhibet, pari hinc mercede dignus efficiatur.

Vide OBEDIENTIA *Caſibus* 2. 3. 4. 5. 6. & 8.

ABBATISSA.

ABBATISSÆ nomine heic intelligitur, Religioſa, quæ ſpirituali in Monaſterio Puellarum regimini præficitur.

Abbatiſſa præſente Epiſcopo Diœceſano, aut ejus ſubſtituto debet eligi; pleræque tamen in Gallia pendent a nominatione Regis, de qua tamen nulla fit mentio a ſummo Pontifice in Bullis ſeu Proviſionibus Abbatiſſæ conceſſis, uti nec de Epiſtola, quam ſcribit Rex pro Religioſis a ſe nominatis: contra vero dictis Bul-

(1) Vid. Monda Pontaſ. Obſerv. IV. num. 3. (2) Vid. ibid.

Digitized by Google

Bullis Romæ hoc inſeritur decretum ; *Dummodo ſaltem duarum ex tribus partibus dictarum Monialium ejuſdem Monaſterii Capitulariter & per vota ſecreta , præſtandus ad hoc , expreſſus accedat conſenſus* : Cujus clauſulæ in Gallia non habetur ratio ; cum Rex jus ſuum ac poſſeſſionem ex tempore concordati retinuerit ad nominandas Monialium Abbatiſſas , uti Monachorum Abbates .

(*a*) Conc. Trid. Seſſ. 25. de regular. C. 7.

Ex Conc. Tridentino (*a*) Abbatiſſa non poteſt eligi niſi quadraginta annos ætate provecta , aut ſaltem triginta perfectos , idque poſt quinquennium ab emiſſa profeſſione ; at in Gallia invaluit Edictum menſis Decembris anno 1606. cujus Articulus quartus ſic habet ; *Religioſæ deinceps non providebuntur de Abbatiis aut Prioratibus conventualibus , niſi a decem jam annis profeſſionem emiſerint , aut per ſex annos clauſtrale munus obierint* : cui edicto ſtandum , niſi forte ei Rex derogare velit.

Nulla Abbatiſſa duas ſimul poſſidere Abbatias poteſt.

Abbatiſſæ Juriſdictio multo magis eſt limitata , quam Abbatis. Suas namque Religioſas benedicere , nec verba ſacra facere , nec alias exercere poteſt functiones mulieribus interdictas , (*b*) uti proferre cenſuras , multo minus a cenſuris abſolvere ligatas , quippe quæ Clavibus Eccleſiæ careat , ordine ſcilicet & juriſdictione , (*c*) quæ Abbatibus competunt : quamdam tamen eis juriſdictionem concedit Eccleſia pro rebus quibuſdam , uti in ſequentibus Deciſionibus patebit.

(*b*) Innoc. III. in Cap. *Nova* , de pœnit. & remiſſ. Honor. III. in Cap. *Dilata* . de majorit. & obedient.

(*c*) S. Th. in 4 diſt. 19. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 4. Gloſſa in Cap. *Exſecrabilis* . 4. de præb. & dignit. V *Suſpendere* . lib. 3. extravagant Comm. a t. 1.

CASUS PRIMUS,

EUTHALIA nominata ad Abbatiam Sanctæ Clotildis ad quam reſeriptum habet regium , cujus etiam Bullæ Romæ ſunt expeditæ , hoc ſibi jus competere contendit dandi habitum novitiæ cuidam , quæ in hac Abbatia religioni nomen dare ſtatuit : Abbatiſſæ conſilio obſiſtere cuperent communitatis hujuſce Religioſæ ; verum a propoſito abſtinent , ne ipſi diſpliceant : qua de re quæritur , utrum Euthaliæ , quæ Abbatiæ poſſeſſionem nondum adivit , tuta conſcientia eo jure frui liceat ?

RESPONS.

Abbatiſſa , de qua fit mentio in caſu propoſito , hoc ſibi jus arrogare nequit novitiis dandi habitum in Religioſarum Abbatia , ad quam a Rege nominata eſt , priuſquam Bullis Roma receptis , Abbatiæ poſſeſſionem adiverit ; cum antea non ſit vere Abbatiſſa , nec ideo juriſdictionem quæ huic dignitati competit , exercere aut ejus obire functiones poſſit .

Quod quidem adeo verum eſt , ut in caſu propoſito Epiſcopus ipſe petenti puellæ habitum novitiæ dare non poſſit , etiam in monaſtario juriſdictioni ſuæ ſubdito : quia ad Religionem puellam admittendi jus ei non competit , niſi poſt datum a communitata conſenſum . Communitas autem vacante ſede Abbatiali puellam ad Religionem admittere non poteſt ; quandoquidem deficiente Abbatiſſa duce , uti vera communitas haberi non poteſt . Ita ſenſit Doctor inclytus , cujus deciſiones in vulgus emiſſæ ſunt . (*d*)

(*d*) De Sainte Beuve . Tom. 2. caſ. 179.

CASUS II.

ADALAIDA , Abbatiſſa Monaſterii Sancti Benedicti , ubi ea viget antiqua conſuetudo , ut Abbatiſſa Monialium communitatis ſuæ ſuffragia ad aurem excipiat , ubi de admiſſione aut excluſione Novitiæ ad profeſſionem agitur ; quærit , utrum ſuffragia deinceps eodem modo poſſit excipere illæſa conſcientia : an vero Scrutinii formam introducere teneatur , ut fieri ſolet in reliquis Ordinis ſui Monaſteriis ?

RESPONS.

Hæc Abbatiſſa deinceps Monialium communitatis ſuæ ſuffragia ad aurem poteſt excipere ad Novitiarum admiſſionem aut excluſionem : nec Scrutinii formam , licet in reliquis Ordinis ſui Monaſteriis uſitatam , introducere tenetur . .

Hujus quidem deciſionis hæc eſt potiſſimum ratio , quod nullus in Regula Sancti Benedicti articulus , aut canon aliquis reperiatur , quo hæc ratio ſuffragia recipiendi ad formam Scrutinii transferatur . Quocirca conſuetudo illa , qua Adelaida Monialium ſuarum ſuffragia ſecreto excipere ſolet , cum uti abuſiva haberi nequeat , ab ea retineri poteſt ; verum etiam huic conſuetudini , tamquam legi in monaſterio ſuo conſtitutæ ſeſe conformare poteſt , juxta hæc Juſtiniani Imperatoris verba : *Ex non ſcripto jus venit , quod uſus comprobavit , Nam diuturni mores conſenſu utentium comprobati , legem imitantur* ; (*e*) hoc eſt , *tantum valet conſuetudo , ubi lex ſcripta non eſt* , uti explicat Gloſſa ; quibus etiam concordant hæc verba legis digeſtorum (*f*) : *inveterata conſuetudo non immerito pro lege cuſtoditur : & hoc eſt jus , quod dicitur moribus conſtitutum* .

(*e*) §. *Ex non ſcripto* . 9. lib. 1. inſtit. tit. 2. de jure naturali , gentium & civili .

(*f*) L. *De quibus* . 32. §. 1. de legibus Senatuſque conſultis . l. 1. tit. 3.

Hæc etiam deciſio alterius conſuetudinis multo majoris momenti , & Conſtitutione Bonifacii VIII. firmatæ exemplo confirmari poteſt , (*g*) in qua declarat hic Papa , quod in Monaſteriis , ubi Religioſorum receptio ad Abbatem ſolum , excluſo capitulo , ſeu privilegio , ſeu antiqua conſuetudine pertinet , Abbas eo jure licite frui poteſt ; unde colligi poteſt Abbatiſſam a fortiori , eumdem quo jam dudum fruitur , uſum retinere poſſe . Ita ſentit doctus ætatis noſtræ Theologus . (*h*) .

(*g*) Bonif. VIII. in Cap. *Si ad ſolum* . fin. de regularibus & tranſeuntibus ad Religionem . in 6. lib. tit. 14.

(*h*) De Sainte Beuve . Tom. 2. caſu 77.

CASUS III.

FREDAGUNDA , Reformati cujuſdam Ordinis Abbatiſſa , propinquorum ſuorum , aliorumque ex amicis , in quos nulla cadit mali ſuſpicio , officioſos aditus ſola ad clathros recipit : quæritur utrum id præſtare queat abſque peccato contra Ordinis ſui ſtatuta , quibus Religioſis in communi prohibetur , ne abſque ſocia viſitationes excipiant ?

RESPONS.

Quæſtionem ſimilem diſſolvunt Angelus de Clavaſio & Silveſter (*i*) dicendo , Abbatiſſæ id nullatenus licitum eſſe , eamque debere ſemper comitem habere quamdam ex vetulis Monaſterii ſui Religioſis , cum ad clathros ire tenetur , ut cum externis perſonis colloquatur . Id quidem facile probari poteſt ex canone Hiſpalenſis concilii , qui e ſeptimo œcumenico concilio depromtus eſt , (*k*) & quo Moniali cuique prohibetur , ne cum aliquo & quidem Religioſo ſola colloquatur , & in quo additur , quod *quando neceſſaria vitæ a parte virorum ad Regulares deferuntur , extra portam hæc ſuſcipiat Abbatiſſa Monaſterii feminarum , cum aliqua vetula Monacha* : & Concilium Hiſpalenſe (*l*) ſtatuit quidem , *ne cum ea ſola , quæ præeſt , frequenter ſuperiores loqui oporteat ; ſed ſub teſtimonio duarum vel trium ſororum* .

(*i*) Angelus . V. *Abbatiſſa* . q. 7. Silveſter de Prierio eod. v. q. 3. n. 10.

(*k*) Can. *Definimus* . 21. 18. q. 2.

(*l*) Conc. Hiſpal. 2. in C. *In decimam* . 24. eadem cauſa & q.

Equidem debitum ab Abbatiſſa ſuis Religioſis exemplum in iis quæ ad obſervantiam regularis diſciplinæ pertinent , exigit , ut quæ ab aliis poſtulat ſibi ſubditis , ipſa prior perficiat , ne hac in re aliæ jure merito ei quidpiam exprobrare , aut quid licentius contra regulam & debitum ordinem facere audeant ob eam cauſam , quod ipſa regulam infringeret ; quæ ſane res foret periculoſa & lubrica ob

ſta-

Digitized by Google

fragilitatem ſexus, ac diſcrimen quod ex ſæcularium conſortio ſubeunt Deo devotæ filiæ.

CASUS IV.

Bernardina, Abbatiſſa Monaſterii ſancti Flori, cum unam e ſuis Religioſis ad officium ſuum mollibus verbis reducere fruſtra tentaverit, eam a ſacris arcere, ſe poſſe exiſtimavit: quæritur, num id legitime facere potuerit?

Ratio dubitandi eſt, quia æquum non videtur ex una parte feminam uti poſſe poteſtate clavium: ex alia jus illud videtur confirmari ab Honorio III. qui in ſua Decretali nedum improbat, Abbatiſſam ſuſpenſionis pœna *ab officio Beneficioque* in ſuas Religioſas, Clericoſque ſuæ juriſdictioni ſubditos uſam eſſe, ut potius ipſius Superiori mandet, ut eos ad obedientiam cenſura Eccleſiaſtica compellat: hæc ſunt verba Pontificis: (*a*) *Mandamus, quatenus dictas Canonicas & Clericos, ut præfatæ Abbatiſſæ obedientiam & reverentiam impendentes, ejus ſalubria monita & mandata obſervent, cenſura Eccleſiaſtica compellas.*

(*a*) Honor. III. in Cap. *Dilecta*. 12. de majoritate & obedient. lib. 1. tit. 33.

Respons.

Antequam propoſitæ difficultati reſpondeatur, ſciendum 1. Honorii III. Decretalem non de Religioſis, ſed ſolummodo loqui de quibuſdam Canonicis ſæcularibus, quales etiam nunc ſunt in Germania, in Belgio & in Lotharingia, *cum Canonicas ſuas.... officio Beneficioque ſuſpendat*: hæc ſunt hujus Decretalis verba, de quibus Gloſſ. *Non dicit: Monachas. Loquitur enim ſecundum conſuetudinem Theutonicorum, ubi ſunt Canonicæ ſæculares, quæ nullam faciunt profeſſionem, nec renuntiant propriis, immo quandoque contrahunt matrimonium.*

2. Id etiam obſervandum, a ſummo Pontifice nihil definiri, circa latam ab Abbatiſſa ſuſpenſionem; cum ſententiam ſuam non aperiens, hoc unum Monaſterii Superiori mandat, ut Canonicas ad obedientiam Abbatiſſæ ſuæ præſtandam compellat.

3. Denique ſciendum, hanc ſuſpenſionem intelligendam eſſe dumtaxat *ab actibus temporalibus*, ut loquitur Gloſſa in unam conſtitutionem Joannis XXII. (*b*) *a quibus etiam ſuſpendit Abbatiſſa, quæ non habet Claves, & alii ſæculares*, addit Auctor hujus Gloſſæ.

(*b*) Gloſſa in Cap. *Exſecrabilis*. 4 de præbendis & dignit. V. *Suſpendere*. 1 5. extravagantium Commun. tit. 2.

His tribus obſervatis, quæſtioni propoſitæ reſpondemus, & dicimus, Bernardinam vi tituli & dignitatis ſuæ Abbatiſſæ, nullam vere ſpiritualem exercere poſſe juriſdictionem, ut patet ex his D. Thomæ verbis (*c*): *Mulier ſecundum Apoſtolum, eſt in ſtatu ſubjectionis: & ideo ipſa non poteſt habere aliquam juriſdictionem ſpiritualem... unde mulier non habet, neque clavem ordinis, neque clavem juriſdictionis: ſed mulieri committitur aliquis uſus clavium*, qui ſcilicet ſpiritualis Eccleſiæ juriſdictionis ſimilitudinem quamdam præ ſe refert: *ſicut habere correptionem in ſubditas mulieres, propter periculum cohabitationis, ſi viri mulieribus cohabitarent.* Idem addit alibi S. Doctor, loquens de poteſtate Abbatiſſarum: (*d*) *Ad illud de Abbatiſſis, dicendum, quod non habent claves ad aperiendum regnum cælorum; ſed actum ſimilem actui clavium; ſcilicet in correptione temporali, & diſciplina ſuarum Monialium, propter periculum cohabitationis virorum inter eas.*

(*c*) S. Th. in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 3. ad 4.

(*d*) Idem ibid. ad Hannibaldum. q. 1. a. 1. ad 3. & in 4. diſt. 25. q. 2. a. 1.

CASUS V.

Henrica, Abbatiſſa Monaſterii ſancti Staniſlai, quod immediate a ſancta Sede dependet, & eximitur a juriſdictione Epiſcopi; inſtar Præſulum ſeu majorum ſive minorum, hoc ſibi jus competere contendit, eligendi ſibi quem voluerit, Confeſſarium pro libito; & re ipſa unum elegit, cui a biennio trienniove conſcientiæ ſuæ ſecretum committit. Quæritur, utrum hoc ipſi jus competat vi dignitatis ſuæ & exemtionis, & utrum validæ ſint hujus Confeſſarii abſolutiones?

Respons.

Licet Abbatiſſa ſit immunis a juriſdictione Epiſcopi, ac juriſdictionem Epiſcopalem per ſuos Officiales poſſit exercere; hoc tamen jus ſibi arrogare nequit, eligendi ſibi, quem voluerit Confeſſarium: quia in eo haberi non poteſt numero Præſulum, quibus ſolis convenit hæc facultas. Id ipſum docet Silveſter de Prierio poſt Paludanum, cujus hæc ſunt verba: (*e*) *Ex his autem patet, quod hoc privilegium non habent; primo exemti, non prælati... ſecundo nec Abbatiſſa alia, quamvis exerceat jura Epiſcopalia, ponendo officiales, & quantumcumque exemta; quia non eſt Prælatus, cum non habeat claves.* Idem docet Sylvius (*f*): unde colligimus Henricam non potuiſſe ſibi Confeſſorem eligere; eumque, cui a biennio trienniove peccata ſua confeſſa eſt, eam idcirco valide abſolvere non potuiſſe, niſi forte de conſenſu Epiſcopi a ſummo Pontifice jus illud ſpeciali privilegio obtinuiſſet.

(*e*) Paludanus apud Sylveſt. V. *Confeſſor*. 1. q. 1.

(*f*) Franc. Sylvius in S. Th. q. 8. a. 5. q. 2. concl. 2.

CASUS VI.

Constantia, filia illegitima, Religionem profeſſa in Abbatia ſanctæ Gloſſinæ poſt duodecim annos Prioriſſa, & deinde ejuſdem Monaſterii Abbatiſſa electa eſt, non obtenta diſpenſatione a Papa, & ne quidem cuiquam declarato natalium ſuorum defectu. Quæritur, utrum ejus electio ſit canonica & valida?

Respons.

Quidam Auctores, ut Emmanuel Rodriguez & Miranda (*g*) & alii etiam recentiores talem Abbatiſſam legitime electam fuiſſe contendunt. At contrarium ſentit Fagnanus (*h*) ſuamque ſolide opinionem confirmat, magno Doctorum antiquorum numero fretus & auctoritate. En ejus probationes.

(*g*) Emman. Rodriguez. Tom. 1. qq. regular. q. 13. ar. 21. Miranda tract. de Monialibus q. 6. art 5.

(*h*) Fagnan. in C Ut *filii*. 1. de filiis Presbyterorum. n. 38. & ſeqq.

Prioriſſa namque aut Abbatiſſa veram habet dignitatem juxta verba Bonifacii VIII. (*i*) & ut docent Geminianus, Auctor Gloſſæ in legem Codicis Juſtiniani, (*k*) Bartolus, Baldus, & Rebuffus. (*l*) *Etſi de Abbatiſſis dicatur*, ut obſervat D. Thomas (*m*), *quod non habeat prælationem ordinariam, ut Epiſcopi, ſed quaſi ex commiſſione propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres.*

(*i*) Bonifac. VIII. in C. *Indemnitatibus*. 45. § 1. verſ. *Verum*, & Gemin. a. nos, ibid.

(*k*) Gloſſa in L. *Generale*. 13. Cod. de Sacroſanctis Eccleſ. v. *Dignitatis*, l. 1. t. 2.

(*l*) Bart. in l *Si ut proponitis*. 1. Cod. de dignitatibus. n. 43. e. 1. tit. 5. Bald. in l. *Femina*. ff. de reg. jur. n. 10. Rebuff. de pacificis poſſeſſor.

Atqui ſola profeſſio ſolemnis non ſufficit, ut ad eam dignitatem promoveatur Religioſa illegitima, niſi diſpenſationem a ſummo Pontifice obtinuerit, nec defectu natalium minus ad eam ſit inhabilis, quam aliis defectibus, de quibus loquitur jus Canonicum, cum generalis ſit defenſio, ut conſtat ex his antiqui Concilii Pictavienſis verbis: (*n*) *Ceteri ex fornicatione nati ..... prælationem nullatenus habeant.* Et ex his Gregorii IX. (*o*) *& alii non legitime nati*; quæ verba univerſim prolata utriuſque ſexus perſonas illegitimas comprehendunt, nulla excepta, ut hic terminus, *ſi quis*, qui, ut lex loquitur (*p*) *tam maſculos, quam feminas complectitur.* Unde affirmat Decius (*q*) hanc interpretationem, etiam in re odioſa, admitti ab omnibus Auctoribus; quod etiam ex Fagnano (*r*) & multis antiquis Canoniſtis (*ſ*) certius eſt: 1. Cum res ad Religioſas pertinet. 2. Quando, ut loquitur idem Bartolus, eſt rationum identitas. (*t*) Quocirca, ut ſimplex Religioſus illegitime natus, ad nullam evehi poteſt prælaturam, abſque diſpenſatione ſummi Pontificis; idem dicendum ſit de Religioſa in ſimili caſu.

(*m*) S. Thom. in 4. diſt. 25. q. 2. a. 1. ad 1.

(*n*) Conc Pictav. in C Ut *filii*. 1. de filiis Presbyt. l. 1. tit. 17.

(*o*) Greg. IX. 6. in C. *Nimis*. fin. Cod. tit.

(*p*) L. *Verbum*. 1. ff. de verb. ſignificat. lib. 50. tit. 16. & lege, *Hoc Edicto* 1. ff. de pecun. conſtituta. lib. 13. tit. 5. & ib. Bartol.

(*q*) Decius in l. *Femina*. ff. de reg. juris num. 108.

(*r*) Fagnan. loc. cit. n. 41.

(*ſ*) Cardinalis Zabarella in Clement. 1. de reſcriptis. q. 5. Decius in citat. leg. *Femina*. in 110. verſ. *Sed tamen*.

(*t*) Bartolus in l. *Si ita*. ff. de gradis 2. oppoſ. 2.

Ratio, qua nititur hæc Eccleſiæ diſciplina, eſt quia permagni intereſt, ut perſona quæ totius communitatis regimini præficitur, non modo ſit libera ab omni culpa, ſed etiam macula, *quia etſi non ſit nota delicti*, ut loquitur Innocentius III. ſcribens ad Epiſcopum Florentinum, (*u*) *eſt tamen nota defectus.* Natalium autem defectus eſt nota, quæ ignominia perſonam afficit, ſeu ob deteſtationem criminis, quo nata eſt, ſeu ob ſuſpicionem vel timorem ne parentum libidinem proles imitetur, juxta hoc dictum: *Sæpe foles ſimilis filius eſſe patri*; & iſtud aliud: *Inſequitur leviter filia matris iter.* Quod quidem ſæpe ſæpius uſu venit; ut aſſerit Sixtus V. in ſua Bulla 26. Novembris an. 1587. (*x*) *qui et plurimum parentum vitia & incontinentiam imitari ſolent.* Rem ita non modo definiunt inclyti, quos laudavimus Canoniſtæ, verum etiam Panormitanus, Archidiaconus, Navarrus, aliique complures.

(*u*) Innoc. III. in C. *Accedens*. 14. de purgat. Canonica. l. 5. tit. 34.

(*x*) Sixt. V. in Bul. *De Omnibus*. 71. §. 1.

Ceterum, cum aſſeruimus illegitimam perſonam ad nullam regularem prælaturam evehi poſſe canonice, niſi ad eam per diſpenſationem Papæ idonea efficiatur; non intendimus derogare privilegio nonnul-

A

Digitized by Google

nullorum generalium præpoſitorum quorumdam Ordinum, de quibus loquitur Rodriguez *(a)*, quo Ordinum ſuorum Religioſas in eo caſu poſſunt diſpenſare, modo tale privilegium nec a Concilio Tridentino nec a ſummo Pontifice fuerit revocatum

(a) Emman. Rodriguez qq regular. q. 13. art. 22. & in Sum. tom. 2. C. 19. num. 12.

CASUS VII.

Catharina, Abbatiſſa Monaſterii Ordinis ſancti Benedicti, in quo obſervatur regula mitigata, in aliud Monaſterium tranſlata eſt, ubi viget ſtrictior & reformata ejuſdem Ordinis diſciplina: Quæritur, utrum ſecundam illam Abbatiam acceptando, eamdem reformatam diſciplinam obſervare ſub peccato non teneatur, licet ad eam vi profeſſionis ſuæ & voti non teneatur?

Respons.

Videtur dubium non eſſe, quin Catharina teneatur ad obſervandam ſtrictiorem & reformatam diſciplinam, acceptata nova Abbatia, in qua eadem ſtrictior diſciplina ſervatur.

Ratio eſt, quia qui acceptat beneficium, cenſetur etiam & acceptare incommodum: atqui ſtrictior & reformata diſciplina eſt onus ſeu incommodum, quod a nova ad quam transferri Catharina conſenſit, Abbatia ſeparari non poteſt. Igitur ad ejus obſervationem omnino tenetur. Licet enim ad eam ſolemni ſua profeſſione non teneatur, quam emiſit in priori Monaſterio, alteram Abbatiam accipere non potuit, ſecluſa obligatione ejuſdem regulas obſervandi juxta illud juris effatum: *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum (b)*: hoc eſt, qui ſentit commodum, ſentiat onus; vel, qui non ſentit onus, non ſentiat commodum, uti explicat Gloſſa; *(c)* quocirca novam Abbatiam retinere, & ejus fructus colligere abſque diſpenſatione Romana non poteſt, quin omnia huic annexa ſubeat onera, quorum primum & maximum eſt obſervatio ſtrictioris & reformatæ diſciplinæ: quod denuo congruit cum hac alia Bonifacii VIII. Regula: *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. (d)*

(b) Reg. 55. de regulis juris in 6.

(c) Gloſſa in citat. reg. 55. V. *& contra*.

(d) Reg. 77. de regulis juris in 6.

Equidem, cum hæc Abbatiſſa translatione ſua facta ſit dux ſecundi hujuſce Monaſterii, neceſſe eſt ad bonum, quo Religioſis Communitatis ſuæ præire debet, exemplum, ut ad aliarum normam vitæ ſuæ exigat rationem, nec quidquam ſingulare in ea quoad regulas & conſtitutiones congregationis ſuæ appareat.

CASUS VIII.

Cum Ulrica Matrona nobilis, amicæ ſuæ Chriſtinæ ſancti Fulberti Abbatiſſæ 900. librarum annumeraſſet nomine Florentis, qui filiam ſuam Religioni a ſe deſtinatam ea ſumma dotabat: cumque Abbatiſſa illa Ulricæ amicæ ſuæ 500. libras ea conditione dono dediſſet, quod, ſi forte ſolemnia Religionis vota non emitteret filia, dictam ſummam 500. librarum Ulrica Florenti reſtitueret: evenit, ut filia Monaſterium ingreſſa, aliquanto poſt ex eo voluerit exire: quo facto Abbatiſſa 8500. libras Florenti reſtituit, ſimulque Ulricæ onus impoſuit, ut eidem 500. libras redderet; at cum jure merito dubitare poſſit hæc Abbatiſſa, num Ulrica impoſitam ſibi reſtitutionem facere aut poſſit aut velit, poſtulat Abbatiſſa, quid in eo caſu ſibi faciendum ſit, & utrum hujus Matronæ defectu ipſa 500. libras reſtituere teneatur, quamvis id ipſum, niſi impenſis Monaſterii, præſtare non valeat.

Respons.

Difficultas iſta anno 1625. ſub caſu ſimili fuit Sylvio propoſita, cui reſpondit *(e)* dicendo: *quia Abbates & Abbatiſſæ non ſunt proprietarii bonorum Monaſterii, uti nec eorum, quæ in illud conferuntur, ſed diſpenſatores tantum: ideoque non poſſunt illa expendere, niſi vel in utilitatem Monaſterii, vel in Pauperes, ſeu opera pia, vel in compenſationem eorum, quæ Monaſterio ſint benefacta*. Unde Abbatiſſa iſta Ulricæ propria auctoritate 500. libras dono dare nequivit, niſi eas forte benefactis ſuis in Monaſterium collatis meruerit.

(e) Franc. Sylvius, Var. reſolut. v. *Abbatiſſa*. 1. tom. 5.

Præſuppoſito hoc effato, tum difficultati præciſe, inquit doctus hic Theologus, *Reſpondeo 2. Abbatiſſam debere pertinenter ſe informare de rei veritate; & caſu quo deprehendat eam tertiam perſonam deeſſe officio reſtituendi, ipſa tenetur*, de Religioſarum conſenſu, *patri refundere eam pecuniam ſecundum ea, quæ tradunt ſanctus Antoninus (f)* aliique tres præcipuæ notæ Auctores: *(g)* cujus deciſionis hanc etiam affert rationem: *quia quicumque eſt reſtitutioni obnoxius, non eſt liber ab ea obligatione, donec inæqualitas ſit ſublata & æqualitas facta, ſi fieri poteſt, & non interveniat juſta remiſſio*. Quibus addit hic Auctor, Abbatiſſam, facta reſtitutione, teneri ad agendum contra illam Matronam, eamque inſequendam, donec acceptam reſtituat pecuniam, *alioquin damnificaret Monaſterium, cujus utilitati ipſa ſtudere debet*.

(f) S. Antonin. Sum. Theologicæ, part. 2. C. 4. §. 1.

(g) Navarr. Man. C. 17. n. 57. Tolet, inſtruct. Sacerdotum, l. 5. c. 24. Lopez. part. 1. c. 108. & 121.

CASUS IX.

Sophia Abbatiſſa Monaſterii ſancti Claudii, ſciens, puellam, quæ inter Novitias libens annumerata eſt, mutaſſe conſilium, nec ſe ad emittendam profeſſionem offerre, niſi coactam parentum odio, minis aliiſque malis tractationibus; peccat ne mortaliter, hujuſmodi Novitiam ad ſolemnem votorum nuncupationem admittendo? Peccaret ne etiam mortaliter, ſi inter Novitias ſolummodo puellam ad ingrediendum Monaſterium pariter coactam a parentibus ſciens adſcribi permitteret?

Respons.

Certum eſt, hanc Abbatiſſam in utroque caſu lethaliter peccare, quoniam actu per ſuum conſenſum ad vim puellæ illatam, & per ſuam præſentiam, ad excommunicationem a Concilio Tridentino *(h)* latam concurrit. *Quia anathema*, ex Concilio Meldenſi *(i)* an. 845. habito, *eſt æternæ mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi crimine*. En verba ipſius Concilii Tridentini: *Anathemati ſancta Synodus ſubjicit omnes & ſingulas perſonas, cujuſcumque qualitatis & conditionis fuerint, tam Clericos, quam Laicos ſæculares, vel regulares; atque etiam qualibet dignitate fulgentes, ſi quomodocumque coegerit aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in caſibus in jure expreſſis, ad ingrediendum Monaſterium, vel ſuſcipiendum habitum cujuſcumque religionis, vel ad emittendam profeſſionem; quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint; quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquomodo modo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint*.

(h) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 18. de Regularibus & Monialibus.

(i) Conc. Meldenſ. c. 6. in Can. *Nemo*. 41. ſ. q. 13.

Quibus verbis conſtat 1. eos excommunicationem incurrere, qui puellas vel mulieres cogunt ad ingrediendum Monaſterium, ut eas cogant ad ſolemnem religionis profeſſionem. 2. eos pariter excommunicationi ſubjici, qui puellam, ſponte quidem Monaſterium ingreſſam, ſed mutato conſilio exire cupientem, invitam in eo remanere compellunt. 3. eidem excommunicationis pœnæ eos ſubjici, qui hujuſmodi violentiæ ſuum præbent conſenſum, aut eam auctoritate ſua fulciunt, aut per præſentiam ſuam favent eidem.

Unde ſequitur, in caſu propoſito Sophiam non poſſe excuſari a peccato mortali, nec ab anathemate, quod eſt ſui pœna peccati. Et quidem merito hujuſce ſancti Concilii Patres terribilem hanc tulere cenſuram in eos, qui talem admittunt violentiam, aut ipſi quomodocumque favent: nam ſolius eſt Dei hanc fidelibus mentem gratiæ ſuæ lumine inſpirare, ut ſæcularibus rebus abdicatis, ipſi ſoli, emiſſo ſolemni religionis voto, ſerviant. Et ii, qui puellam ad religionis ingreſſum compellunt, immane facinus in Dei auctoritatem, ſupremumque ejus in creaturas dominium admittunt; & quidem graviter in jus naturale offendunt, quo quilibet eſt propriæ voluntatis arbiter.

A B L U T I O.

Vide Missa. Caſibus. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 22. 27.

ABOR.

A B O R T U S.

ABORTUS eſt præmaturus gravidæ feminæ partus: qui fetum voluntarie ante tempus abigit, ſeu ſit animatus, ſive non, fit reus peccati mortalis, & etiam homicidii, atque adeo irregularitatem incurrit, ſi fetus ſit animatus (*a*), ut declarat Innocentius III. (*b*). De hoc crimine verbis vehementiſſimis loquitur S. Auguſtinus; & ab eo *libidinoſa crudelitas* (*c*) nuncupatur; ac ſeveriſſime omnes hujuſce criminis rei Legibus Romanis puniebantur. (*d*)

Inter Medicos & Philoſophos non conſtat, quo præciſe tempore fetus ſit animatus: probabiliorem poſtea de hac re opinionem referemus. In ſecunda etiam deciſione afferetur ea de re doctrina Sacræ Facultatis Pariſienſis, ſimulque cenſura a Clero Gallicano an. 1700. lata de duabus pernicioſis propoſitionibus, quas corruptæ morum diſciplinæ auctores protulerant.

(*a*) Cajet. in ſum. v. *Abortus*. Bartholom. Fumus eod. v. Cap. *Si aliquis*, 5. de homicid. l. 5. tit. 12.

(*b*) Innoc. III. in C. *Sicut*. 20. de homicid.

(*c*) S. Aug. l. 1. de nupt. & concupiſ. C. 15. in Can. *Aliquando*, 7. 32. q. 2. & in Can. *Quod vero*. 8. ibid.

(*d*) Leg. *Si quis aliquid*. 38 §. qui abortivum. 5. ff. de pœn's. lib. 48. tit. 19.

CASUS PRIMUS.

MAGDALENA, puella nobilis, ac Sponſa unius ex primis urbis ampliſſimæ Magiſtratibus, a Ferdinando corrupta, ex cujus coitu gravidam ſe exiſtimat; potione fetum, priuſquam ſit animatus, abigere ſtatuit, ut famæ ſuæ ſimulque fortunæ conſulat. Numquid tale conſilium abſque reatu peccati mortalis valet perficere?

RESPONS.

Puella illa conſilium ſuum de procurando ſibi abortu abſque reatu peccati mortalis perficere nequit; quæcumque ex alia parte infamia aut infortunium ipſi contingat. Hæc veritas adeo firmis ac certis munitur argumentis, ut iis contradici non poſſit.

Primum argumentum ducitur, 1. Ex Concilio Trullano, an. 692. (*e*) quo ſic habetur: *Eas, quæ dant abortionem facientia medicamenta, & qui fetus necantia venena excipiunt, homicidæ pœnis ſubjicimus*. 2. Ex Concilio Eliberitano, (*f*) quod ab an. 305. prohibuerat, ne ad Communionem admitterentur mulieres hujus criminis nocentes, quas benigne excipere putavit Eccleſia, cum in vigeſimo Canone Concilii Ancyrani an. 314. eas ad decem annos pœnitentiæ reduxit. *De mulieribus quæ fornicantur & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum, ut utero conceptos excutiant; antiqua quidem definitio, uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia removet; humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus ſecundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur*. Hæc ſunt verba hujus Canonis. 3. ex Concilio Ilerdenſi ſub Joanne I. an. 524. quod iis pœnitentiam ſeptem annorum infligit, qua nondum peracta ad Communionem non debent admitti. 4. Ex Concilio Moguntino ſub Leone IV. quod Conciliorum Eliberitani & Ilerdenſis Decreta renovat. 5. Ex Vormatienſi Concilio in Decretalium corpore relato (*g*), cujus eſt iſtud Decretum. *Si aliquis cauſſa explendæ libidinis, vel odii meditatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, ut homicida teneatur*.

(*e*) Conc. Trullanum. Can. 61.

(*f*) Conc. Eliberit. Can. 63.

(*g*) Conc. Vvormat. in Cap. *Si aliquis*, 5. de homicid. volunt. vel Caſuali ſecund. Burchard. L. 17. Decret. c. 57.

Secundum argumentum hujus deciſionis petitur ex his Tertulliani verbis (*h*), *Nobis vero homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem deliberatur*, (*i*) *diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt, prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt & qui eſt futurus; etiam fructus omnis jam in ſemine eſt*.

Idem docet Minucius Felix in ſuo Dialogo, & eum fore Ethnicum aſſerit, qui contrarium auderet defendere. En ipſius verba: *Sunt, quæ in ipſis viſceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant antequam pariant: & hæc utique de deorum veſtrorum diſciplina deſcendunt*. (*k*)

(*h*) Tertull. Apologet. C. 9.

(*i*) Hoc eſt dum adhuc dubitatur an concepta utero ſemina coibunt in fetum. Nicol. Rigal. heic.

(*k*) Minut. Fel. in Oct. ſub finem.

S. Baſilius ad Amphilochium ſcribens, (*l*) uno verbo omnes ſolvit difficultates ſimulque diſtinctiones quæ poſſent afferri, crimen illud indiſcriminatim & in quolibet caſu damnando. *Quæ de induſtria fetum corrupit, cædis pœnas luat. Formati autem vel informis ſubtilitas a nobis non attenditur. Hic enim non ſolum quod naſciturum fuit vindicatur; ſed etiam ipſa, quæ ſibi inſidias paravit, quoniam ut plurimum ejuſmodi inceptis una quoque mulieres intereunt*. Sic loquitur antiquus Eccleſiæ Pater, cui conſentit Theodorus Balſamon in annotationibus ſuis in Canonem, in quo reperitur ille textus. *Præſens autem Canon*, inquit, *decernens eas quæ tale quid agunt, homicidarum pœnis ſubjici; adjicit non eſſe differentiam ullam abortivi fetus; ſive enim eſt informe, quod abortu ejectum eſt, ſive formatum & quod habet hominis characterem, eadem eſt ratio*. Et quidem ſi fetui inanimi vita non adimatur, fit tamen æquivalens; cum vivere & naſci impediatur: *Unde ſicut iis, qui non quidem aliena tollit, ſed tamen alium impedit, ut diteſcat, aut lucrum faciat*, uti argumentatur Eſtius (*m*), *quamvis proprie non furetur; peccat tamen contra ſeptimum præceptum Decalogi; ita qui futurum hominem impedit, etſi proprie non accidat; in eodem tamen genere peccat, eo nimirum peccato, quod ad homicidium reducatur*. Verum miſſis argumentis ad Decretorias auctoritates redeamus.

(*l*) S. Baſil. Ep. ad Amphil. can. 2.

(*m*) Guillelmus Eſtius. L. 4. diſt. c. 234. par. 3.

Tertium denique argumentum ſuppeditat Sixtus V. per Conſtitutionem ſuam octogeſimam ſeptimam 16. Novembris an. 1588. (*n*) quæ ſic habet. *Omnes & quoſcumque, tam viros, quam mulieres, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis ac conditionis*, inquit hic ſummus Pontifex, *etiam Clericos ſæculares, vel cujuſvis ordinis regulares, quavis dignitate & præeminentia eccleſiaſtica vel mundana fulgentes, qui de cetero per ſe, aut per interpoſitas perſonas abortus, ſeu fetus immaturi, tam animati, quam inanimati, formati, vel informis ejectionem procuraverint percuſſionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribuſque mulieri prægnanti impoſitis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime exquiſitis rationibus; ita ut re ipſa abortus inde ſecutus fuerit: ac etiam prægnantes ipſas mulieres, quæ ſcienter præmiſſa fecerint, pœnas tam divino, quam humano jure, ac tam per Canonicas ſanctiones & Apoſtolicas Conſtitutiones, quam civilia jura adverſus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & re ipſa patraverint propoſitas & inflictas ... eo ipſo incurrere hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, ipſaſque pœnas Leges & Conſtitutiones ad caſus præfatos extendimus. Eos vero, qui Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, officiis, dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis ... ipſo facto privamus, & in futurum inhabiles ad ea ſuſcipienda decernimus ... eiſdem pœnis teneri omnino ſtatuimus, eos qui ſterilitatis potiones, ac venena potionibus propinaverint, & quominus fetum concipiant, impedimentum præſtiterint, ac ea facienda & exſequenda curaverint; ſive quoquo modo in his conſuluerint, ac mulieres ipſas, quæ pocula ſponte ac ſcienter ſumſerint ..... decernentes ac declarantes, quod ... nec perſonæ, ſic, ut præfertur, delinquentes & excommunicatæ, præterquam in mortis articulo abſolvi valeant .... nec per locorum ordinarios, nec per alios, quavis auctoritate fulgentes, quam per nos & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros ..... ac*

tam

(*n*) Sixtus V. in Bulla, *Effrenatam*. 87. §. 1. 2. 5. & 6.

Digitized by Google

tam abſolvendi quam diſpenſandi facultatem hujuſmadi, etiam quoad forum conſcientiæ in caſibus ſuperius expreſſis nobis & ſucceſſoribus noſtris reſervamus, &c. Ultimum tamen hunc articulum mitigavit Gregorius XIV. per ſuam Bullam datam 9. Junii an. 1591. *(a)* & cuilibet Sacerdoti ab Epiſcopo approbato poteſtatem facit abſolvendi ab excommunicatione & peccato, eos qui rei fuerint hujus criminis.

(a) Greg. XIV. in Bulla *Sedes Apoſtolica*. §. 3.

Ut perficiatur, & certior etiam fiat hæc deciſio, juvat heic referre Cenſuram, quam tulit Innocentius XI. in 34. & 35. Propoſitiones inter 65. quas damnavit 2. Martii an. 1679. Trigeſima quarta hec erat: „ Licet procurare abortum ante animationem fetus; ne puella, deprehenſa gravida „ occidatur, aut infametur „. Trigeſima vero quinta hæc erat: „ Videtur probabile omnem fetum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali: & tunc „ primum incipere eamdem habere, cum paritur; „ conſequenter dicendum erit in nullo abortu ho„ micidium committi „. Hæ ſunt duæ Propoſitiones exſecrandæ, quas temere protulerant quidam Caſuiſtæ, ut crimen a culpa vindicarent, quod a Sixto V. *exſecrandum*, a Gregorio XIV. *maximum facinus* dicitur, & a vindicta eximerent contra Decreta Conciliorum & ſanctorum Patrum. Verum Eccleſia Moralis diſciplinæ integritati tuendæ ſemper intenta, publicis Cenſuris perniciosam hanc doctrinam damnavit, ubi promulgata eſt; eamque tueri ac in praxim reducere prohibuit Innocentius XI. ſub pœna *Excommunicatione ipſo facto* Apoſtolicæ Sedi reſervatæ; excepto mortis articulo.

Quæret heic aliquis occaſione hujus difficultatis, quo tempore fetus ſit animatus. Verum hæc quæſtio ad Phyſicam pertinet, & de ea diſſentiunt vel peritiſſimi Medici. Dicemus tamen opinionem hoc tempore maxime communem eſſe, fetum eſſe animatum poſt quadraginta dies pro maſculis, & poſt octoginta pro feminis. Apud Hippocratem nihilominus legimus maſculum poſt triginta dies, & feminam poſt quadraginta duos animari. *(b)*

(b) Hippocrates. L. *de natura fetus*. c. 10.

Quamvis longior jam ſit hæc reſponſio, advertendum tamen cum Covarruvia *(c)* abortum fetus inanimati, licet natura ſua graviſſimum, non eſſe verum homicidium, cum maſſa hæc informis re ipſa non ſit homo. *Quod vero non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere*, inquit ſanctus Auguſtinus *(d)*, *profecto nec hominem deputavit, quod tale in utero geritur .... ideo Lex noluit ad homicidium pertinere: quia nondum dici poteſt anima viva in eo corpore, quod ſenſu caret.* Hinc expreſſe declarat Innocentius III. *(e)* in una Decretali, irregularitatem non eos incurrere, qui fetus inanimati ejectionem procurant.

(c) Covarr. in Clem *Si furioſus*, §. 3.

(d) S. Aug. l. q. in Exod. q. 80. in Can. *Quod vero* 8 32. q. 2.

(e) Innoc. III in Cap. *Sicut*. 20. *de homicidio volunt.* vel *caſuali*. l. 5. tit. 12.

CASUS II.

Mœvia, prægnans mulier, ægrotat, ac de vita periclitatur: ipſi Medicus remedium proponit, quo ſanitatem probabiliter recuperabit: aſt aliunde certum eſt moraliter, eam abortum eſſe paſſuram. Quæritur utrum eo poſſit uti remedio abſque lethali culpa, ſolo intuitu conſervandæ vitæ ſuæ.

Respons.

Multi Auctores ſentiunt, mulierem in caſu Mœviæ poſitam tali poſſe uti remedio ſeu medicina abſque peccato, ut vitæ ſuæ conſulat; etſi moraliter ſit certum, eam per vim medicinæ abortum eſſe paſſuram. Ratio eorum eſt, quia vitam ſuam fetus ſui integritati, præſertim ſi non ſit animatus, poteſt anteponere; cum jure naturæ vitæ noſtræ invaſorem liceat occidere, ubi aliter defendi non poteſt; nec ipſum occidere intendimus, ſed ſolum vitam noſtram tueri, quam aliter in tuto ponere, niſi eo occiſo, non poſſumus.

Multi etiam eadem utuntur ratione, ad probandum, licitam eſſe mulieri talis medicinæ ſumtionem; etſi de animatione fetus ſui certa ſit, modo ejus abortum directe non intendat; cum talis intentio, utpote per ſe mala numquam poſſit eſſe licita. Huic rationi ſubjungunt, vix fieri poſſe, ut parentis mortem non comitetur prolis interitus: quocirca ſatius eſt, ut non obſtante abortus periculo remedium ſumat; quoniam ſi ope illius vitæ ſuæ conſulat, & partus ſui incolumitati providebit.

Attamen ſi fetus ſit animatus, tali remedio uti non poteſt Chriſtiana mulier tuta conſcientia: quia prolis ſuæ abſque Baptiſmo morituræ ſalutem æternam, vitæ corporis ſui brevi perituræ debet anteponere. Id ipſum docet Sylvius his verbis *(f)*: *Quando fetus eſt, aut eſſe putatur animatus; non licet præbere medicinam, de ſe tendentem ad occiſionem fetus, etiamſi alioquin mater verſetur in certo mortis periculo: quia hoc eſſet directe cooperari ad occiſionem innocentis, quod per ſe malum eſt.* Suamque ſententiam tuetur hic doctus S. Thomæ interpres, 1. auctoritate ſancti Ambroſii *(g)*, *Si non poteſt ſubveniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari, quam gravari alterum.* 2. ſuffragiis multorum aliorum Auctorum. *(g)*

(f) Franc. Sylvius in 2. 2. q. 64. quæſito 4. concluſ. 2.

(g) S. Ambroſ. in Can. *Denique*. 10. 14. q. 5.

At ſi conſtet fetum non eſſe animatum, multo minoris difficultas ſit momenti. Quidam Auctores, etiam graviſſimi, exiſtimant quod, ſi ex peritorum ſententia medicorum, vitæ diſcrimen mater abſque tali medicina nequeat vitare, eam tum poteſt ſumere; modo per eam non intendatur abortus, qui tantum eveniat per accidens, & contra intentionem matris, necnon Medicorum qui eam ſuadent.

(h) Silveſter de Prierio, v. *Medicus*. q. 4. Bartholomæus Fumus in Armilla. v. *Abortus*. Navarrus Man. c. 105. n. 62. Sanchez, l. 9. de Matrim. diſp. 20. n. 6. & 10. Et Lopez, part. 1. c. 63.

Hæc eſt opinio S. Antonini *(i)*, qui cum aſſeruit, Medicum talem non poſſe abſque peccato medicinam porrigere, cum fetus eſt animatus, ſubjungit: *Si autem puerperium nondum eſt animatum anima rationali, poſſet tunc & deberet dare talem medicinam: quia licet impediret animationem talis fetus; non tamen eſſet cauſſa mortis alicujus hominis: & hoc bonum ſequitur; quia liberat matrem a morte. Quod ſi tamen dubium eſt de puerperio, utrum ſit animatum, vel inanimatum anima rationali; dando talem medicinam*, inquit ille, *videtur quod peccet mortaliter, quia ſe exponit periculo peccati mortalis, id eſt, homicidii.*

(i) S. Anton. 3. part. Sum. Theolog. tit. 2. c. 7. § 2. Et apud eum Joan. Neapolitanus, in. *Quodlib.*

Hanc opinionem ſequitur Auctor Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ *(k)*, qui poſt Sanctum Thomam divo Antonino præcipue eſt addictus, ejuſque rationes adhibet ad probandum, mulierem de qua in caſu propoſito agitur, poſſe talem medicinam abſque peccato ſumere.

(k) De Genet. Theol. Mor. tom. 6. tract. 6. cap. 5. n. 11.

Admittitur vulgo ab octo ultimis, quos laudavimus, Auctoribus, hæc opinio; cui tamen contradicunt alii permulti: & in primis Cardinalis de Lugo *(l)*, qui acriter defendit, tale remedium non eſſe licitum, etiam in caſu ipſo in quo fetus non eſt animatus. Cum eo ſentit Sylvius *(m)*: *Etiamſi certum ſit*, inquit, *fetum necdum eſſe animatum, non exiſtimamus licere ad conſervationem matris præbere medicinam, vel eo animo, ut ſequatur abortus; vel quæ de ſe, ſeu ex natura ſua ad abortum ordinatur .... quia per ſe & directe procurare abortum, etiam ante animationem, eſt peccatum mortale, juri naturali contrarium. Prolis enim conceptionem, quæ nata eſt ſequi ex copula carnali, impedire, eſt contra naturam, naturalemque finem generationis, quod proinde nullo bono fine honeſtari poteſt.*

(l) De Lugo, de Juſt. tit. 2. diſput. 10. ſ. 5. n. 13.

(m) Sylvius, loc. cit. conc. 3. Et apud eum Petrus Navarra, l. 2. c. 3. n. 140. & alii.

Cabaſſutius *(n)* fuſe expoſitam S. Antonini ejuſque aſſeclarum ſententiam, ſic refellit: *Sed obſiſtit Apoſtolus dicens, non eſſe facienda mala ad bonum finem: & aliunde conſentiunt catholici Doctores, non poſſe intendi aut procurari pollutionem, etiam ad conſervandam vitam, utendo pharmaco, aut talibus cibis, ex quibus futura putetur. At vero abortus procuratus majorem habet mali ſpeciem, quam pollutio, quæ eſt deſtructio unius tantum ſeminis; abortus autem deſtruit duorum ſeminum conjunctionem, quæ propterea propius ordinatur ad hominis productionem, quam ſimplex ſemen. Igitur ſolicitior debet eſſe cautio circa abortum, quam circa pollutionem.*

(n) Joan. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & Prax. l. 5. c. 10. n. 8.

Hæc poſtrema opinio procul dubio tutior eſt in praxi: quocirca propoſitæ difficultati reſpondendum exiſtimamus. 1. Quod, ſi Mœvia certa ſit, aut ſolum dubitet, utrum puerperium ſuum ſit animatum; propoſita a Medico non poteſt uti medicina, cum moraliter ſit certum, illam ex ea abortum paſſuram. 2. Quod probabilius eſt, eam tali medicina uti non poſſe, etſi aliunde ſibi conſtet, illud nondum eſſe animatum: cum multo ſit tutius pro ea vitam ſuam divinæ committere providentiæ, quam ſervare vello modo, ex multis peritis Doctoribus illicito, & quem proinde abſque peccato nequit adhibere.

Digitized by Google

CASUS III.

Juliana, a quatuor menſibus prægnans mulier, ad nuptias invitata, cum præter modum ſaltaſſet, etiam cum anxietate ob ſuam graviditatem, nullum tamen inde exiſtimans ſibi caſum eventurum, paullo poſt diebus mortuum ejecit partum; an ipſi coram Deo adſcribi debet mors infantis?

Quærit pariter Adrianus, utrum percuſſa pede muliere ex ira, quæ partum ejecit ex ictu mortuum; reus ſit de abortu mulieris ſuæ, qui præter intentionem ſuam evenit, eumque de eo mulierem percutiens ne quidem cogitaret.

RESPONS.

Hæc mulier & Adrianus ambo ſunt rei in caſibus propoſitis. Certum eſt enim, quod quis abortus criminis fieri poteſt reus abſque intentione illum inferendi, non tantum cum evenit actione illicita, ſed etiam licita.

Hanc deciſionem ſtatuit doctrina S. Thomæ (a), qui de homicidio loquens in genere ait, eo fieri quempiam crimine obſtrictum, eum non per ſe quidem & expreſſe, ſed tantum in ſua cauſſa fuit intentum. *Contingit tamen*, inquit, *id quod non eſt actu & per ſe volitum vel intentum, eſſe per accidens volitum vel intentum, ſecundum quod cauſſa per accidens dicitur, removens prohibens. Unde ille, qui non removet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium.* Poſitum generatim hoc præceptum fuſius explicat Angelicus Doctor aſſerens duplici ratione homicidii per accidens quempiam fieri conſcium. *Hoc autem*, inquit, *contingit dupliciter: uno modo, quando dans operam rebus illicitis quas vitare debebat, homicidium incurrit; alio modo, quando non adhibet debitam ſolicitudinem.* Unde colligendum eſt Julianam & Adrianum ambos eſſe reos: Julianam quidem eſt rea, quia non ipſi in eo, quo erat, ſtatu, licita fuit ſaltatio, quodque illius peccatum adauget, etiam immodica cum libidine, & contra conſcientiæ ſuæ lumen ac remorſus exercita; quare, ut a peccato non poteſt excuſari, ſic eam abortum ſuum procuraſſe non poſſumus diffiteri. Adrianus etiam minus eſt excuſandus, quia mulierem ſuam prægnantem ex ſubito iræ motu percutiens, rem illicitam fecit, cujus proinde conſecutiones ipſi debent adſcribi. *Ille, qui percutit mulierem prægnantem*, inquit S. Thomas, (b) *dat operam rei illicitæ. Et ideo, ſi ſequatur mors mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen.*

(a) 2. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. in corp.

(b) Idem ibid. ad 2.

Doctoris Angelici doctrinam in duobus propoſitis caſibus accurate ſequitur S. Antoninus (c). En ſolutionis illius verba: *Ille, qui non removet, quod debet removere ex quo ſequitur homicidium, erit ei quodammodo homicidium voluntarium; quod poteſt contingere dupliciter. Uno modo: quia dat operam rei illicitæ. Alio modo: quia, etſi dat operam rei licitæ, non adhibet debitam ſolicitudinem, vel diligentiam ad tollendam homicidium, quod poteſt ſequi. Puta ..... verberat mulierem prægnantem..... vel mulier prægnans ſaltat....., quando in aliquo prædictorum caſuum ſequitur homicidium, imputatur ei ad mortale:*

(c) S. Anton. 2. part. ſum. Theol. tit. 7. c. 8. §. 1.

Vide IRREGULARITAS, *ex abortu*.

A B S O L U T I O.

1. VOX iſta, *Abſolutio*, ſumitur heic pro remiſſione peccatorum, quam Pœnitentibus concedit Confeſſarios in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Judicis functionem in nomine Chriſti, & tamquam Miniſter ejus exercet. At Confeſſarios eos ſolum poteſt abſolvere, in quos legitimam habet juriſdictionem, quæ ſibi conceditur per approbationem Epiſcopi.

2 Sumitur etiam vox illa, pro abſolutione a cenſuris Eccleſiaſticis, excommunicatione videlicet, ſuſpenſione & interdicto.

Diſcrimen eſſentiale, quod intercedit inter duas illas Abſolutionum ſpecies, in eo conſiſtit, quod, ut docet D. Thomas (d), prior ſit Sacramentalis, hoc eſt, quæ in ſolo Pœnitentiæ Sacramento conferri poteſt, & iis dumtaxat, qui ad eam recipiendam, integra omnium ſuorum, ſaltem mortalium Confeſſione, & ſincera animi converſione ſunt rite diſpoſiti. Unde ſequitur ſolius eſſe Sacerdotis eam conferre, modo juriſdictionem habeat ſufficientem; id eſt, ordinariam, qualis Parochis competit, vel delegatam, qualem habent Confeſſarii ab Epiſcopo loci in quo Sacramentum adminiſtrant, approbati. Altera contra, a quocumque Eccleſiaſtico qui non ſit etiam Sacerdos, ea, qua dicemus ratione, ubi de Excommunicatione; conferri poteſt, & valide quidem, eam non poſtulantibus.

(d) S. Thom. Opuſc. 22.

3. Denique terminus ille, *Abſolutio*, uſurpatur quoque in foro, ubi juridicam ſignificat declarationem innocentiæ illius, qui falſo de crimine accuſatus, abſolutorium illius obtinet judicium.

Quod heic *Abſolutionem* dicimus, conſiſtit in his verbis quæ Sacramenti Pœnitentiæ formam conſtituunt: Ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; hoc eſt, ut explicat Polmanus (e): *Impendo tibi Abſolutionis ſacramentum, de ſe habens vim remittendi peccata, ſi nihil obſtet*, vel etiam, ut addit hic Theologus, *quantum eſt ex parte Sacramenti, quod tibi adminiſtro confero tibi gratiam ſanctificantem, ex ſe remiſſivam peccatorum*; vel denique, ut pergit idem Auctor: *Ego ſolvo peccatorum tuorum vincula, ſive culpam, ſive pœnam. ſive obligationem conſitend, ſive aliam rationem, qua te ligare poſſunt.*

(e) Polman. Breviar. Theol. part. 3. n. 281.

Ex hac explicatione manifeſtum eſt, vocem, *Abſolutio*, ſuam ducere originem a poteſtate remittendi peccata, quam Sacerdotibus in perſona diſcipulorum ſuorum contulit Chriſtus, eis dicens (f): *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quibus verbis clare conſtat a Chriſto Domino haberi *peccata*, *tamquam* vin-

(f) Joan. 20. 23.

Digitized by Google

vincula, quibus conſtrictæ, ut loquitur Catechiſmus Concilii Tridentini, *animæ tenentur*. (a)

(a) Catechiſ. Trid. Concil. part. 2. §. 19. de Sacram. Pœnit.

Quæ hactenus diximus de poteſtate Sacerdotum ac germano verborum iſtorum ſenſu: *Ego te abſolvo a peccatis*, evidenter oſtendunt, quam falſus ſit & erroneus ille ſenſus, quem verbis iſtis attribuunt Lutherani, cum aſſerunt, ea ſimplicem dumtaxat continere declarationem, qua Sacerdos peccatori declarat, ipſi peccata remitti: quem errorem hiſce verbis anathemate percellit Concilium Tridentinum (b): *Si quis dixerit, Abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti.... anathema ſit*. Quocirca certiſſimum eſt, Abſolutionem, ut jam obſervavimus, eſſentialiter eſſe actum judicialem, quem Sacerdos in pœnitentem exercet auctoritate & reali poteſtate; vi cujus ut cauſſa minus præcipua, peccata remittit pœnitentis vere contriti, & etiam minus valide contriti, Sacramentum peragendo, quod ea condonandi vim in ſe retinet: qua in re novæ Legis Sacerdotes diſcrepant a Judæorum Sacerdotibus; *quibus*; ut non minus præclare, quam nervoſe inquit S. Chryſoſtomus, *non purgare quidem, ſed purgatos probare licebat; at vero noſtris Sacerdotibus, non tantum corporis lepram, verum etiam animæ ſordes, non dico purgatos probare, ſed purgare prorſus, conceſſum eſt*.

(b) Conc. Trid. Seſſ. 14. Can. 9.

At quantacumque ſit, & miranda ea Sacerdotum poteſtas, effectum ſuum producere nequit, niſi erga eos, qui rite ſunt diſpoſiti ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum; id eſt, qui veram de peccatis ſuis contritionem habent, ſincero Deum de cetero non offendendi propoſito conjunctam. (1) At quæ & qualis debeat eſſe hujuſmodi contritio, ſive pro adultis Baptiſmum, ſive Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipientibus, intelligi accuratius non poteſt, quam per declarationem hac de re in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani an. 1700. habitis, confectam; cujus hæc ſunt verba, in iiſdem Comitiis addita cenſuræ 127. Propoſitionum Moralium, quas protulerant quidam Morales Theologi (c).

(c) Art. 45.

De dilectione Dei, ſicut ad Sacramentum Baptiſmi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ eſt Baptiſmus laborioſus, requiſita, ne neceſſariam doctrinam omittamus; hæc duo in primis ex ſacroſancta Synodo Tridentina monenda & docenda eſſe duximus. Primum: ne quis putet in utroque Sacramento requiri, ut præviam contritionem, eam quæ ſit caritate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum: ne quis putet in utroque Sacramento ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei & ſpei actus non incipiat diligere Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem. Neque vero ſatis adimpleri poteſt utrique Sacramento vitæ novæ incboandæ, ac ſervandi mandata divina propoſitum; ſi pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec ſit ſaltem animo ita præparato, ut ad illud exſequendum, divina opitulante gratia ſeſe excitet ac provocet.

Poſtulat iſta Cleri Declaratio, ut addamus Propoſitiones morales, quæ unanimi conſenſum eorum qui Comitiis aderant, cenſuræ nota inuſtæ ſunt. Harum autem propoſitionum hæc ſunt verba cum cenſura.

PROPOSITIO LXXXV.

Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

CENSURA.

Hæc propoſitio eſt hæretica.

PROPOSITIO LXXXVI.

Attritio ex gehennæ metu ſufficit, etiam ſine ulla Dei dilectione, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu; quia talis honeſta & ſupernaturalis eſt.

CENSURA.

Hæc propoſitio, qua a diſpoſitionibus neceſſariis ad abſolutionem excluditur quilibet ad Deum offenſum reſpectus, temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, & in hæreſim inducit.

PROPOSITIO. LXXXVI.

Concilium Tridentinum adeo expreſſe definivit, attritionem quæ non vivificet animam, quæque ſupponatur ſine amore Dei eſſe, ſufficere ad abſolutionem, ut anathema pronuntiet adverſus.

CENSURA.

Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, Concilio Tridentino contrari, & in errorem inducit.

PROPOSITIO LXXXVII.

Pœnitenti, habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ

(1) Vid. *Menda Paſtal*. Obſerv. II. num. 1.

Eccleſiæ etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.

CENSURA.

Hæc propoſito eſt erronea, & ad finalem impœnitentiam ducit.

(1) Obſervandum, hæc verba: *Ego te abſolvo a peccatis*, in Eccleſia Latina non ſemper adhibita fuiſſe; ſed antiquitus viguiſſe formam per modum deprecationis conceptam, quæ etiamnum eſt in uſu in Eccleſia Græca, ut videre eſt in Euchologiis Græcorum, ſeu antiquis, ſeu modernis.

Id vero probari poteſt generali conſuetudine, quæ per multa obtinuit ſæcula, quibus adhibebatur forma deprecatoria, qua Sacerdos Deum orabat, ut pœnitenti, quæ modo conſeſſus erat, peccata condonare vellet. Unde Auctores permulti antiqui, videlicet operum, quibus eſt titulus, *Ordo Romanus*, & *Micrologus*, & Alcuinus (*a*) & Amalarius, (*b*) & Burchardus epiſcopus Vormatienſis (*c*), preces tantum ad exprimendam abſolutionis formam referunt.

Opus etiam prædictis antiquius, quod *Liber Sacramentorum* & *Liber Sacramentarius* dicitur, a Gelaſio I. ut refert VValafridus Strabo (*d*) compoſitum; quod que vulgo Sancti Gregorii Sacramentarium nuncupatur, quod ab eo emendatum in meliorem formam redactum fuerit, nequaquam formam commemorat, qua utimur ad abſolvendos pœnitentes, qui peccata depoſuerunt, ſed preces dumtaxat a Sacerdote pro illis faciendas; & quinque refert Orationes, quarum prima ad peccatores generatim, & quatuor ſequentes ad pœnitentem ſpectant, quibus præſcribitur hic titulus: *Orationes & preces ſuper pœnitentem, confitentem peccata ſua more ſolito*: tum de extrema unctione loquitur, cujus formam ſolitam his verbis ſubjungit: *Inungo te oleo ſancto &c.* & poſtea tres addit Orationes pro ægrotante (*e*).

Fateor equidem hanc probationem eſſe tantum negativam: verum ad eos pertinet, qui eam impugnare auderent, contrarium rationibus poſitivis aſſerere, expromtis ex aliis ejuſdem momenti auctoribus, & iis, quos modo laudavimus coævis. Ceterum, quidquid ſit hac de re, Eccleſia Romana Græcos non condemnavit, qui formam abſolutionis a Latinorum forma diverſam, ſemper adhibuerunt: & ſi neceſſe eſſet, plura nobis liceret afferre teſtimonia Patrum Eccleſiæ Latinæ, qui Orationis nomine abſolutionem appellant, quam peccatori pœnitenti confert Sacerdos. *Quid eſt enim, aliud* (manus impoſitio) *niſi Oratio ſuper hominem?* inquit S Auguſtinus (*f*) loquens de reconciliatione peccatoris, quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ per miniſterium Sacerdotis, quam manuum impoſitionem appellat. *Sufficit*, inquit etiam ſanctus Leo (*g*), *illa confeſſio, quæ primum offertur Deo, tum etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium deprecator accedit* Et alibi; (*h*) *Cum indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri, multum utile, ac neceſſarium eſt, ut ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur.*

Ceterum S. Thomas formæ deprecatoriæ nullo modo favet, uti in medium protulit Auctor quem colimus, qui objectionem in aſſertionem duxit cap. 5. 22. opuſculi, nam clare a primo capite & quatuor aliis inſequentibus propugnat S. Doctor, hanc ſemper formam, *Ego te abſolvo a peccatis*, in Eccleſia Latina uſitatam, eſſe adhibendam.

Tandem Lectorem monemus, nos de induſtria ſilere heic de abſolutione peccatorum, quæ ſummo Pontifici pro omnibus fidelibus; Epiſcopis pro ſuis Diœceſanis, & quidem Prælatis majoribus regularibus pro Religioſis Ordinis ſui reſervantur, de quibus poſtea fiet mentio titulo *Caſus reſervati*. Nihil etiam dicitur de abſolutione a cenſuris Eccleſiaſticis, & ab hæreſi, de qua alibi. Verum ut ea res dilucidetur, perlegenda eſt deciſio prima hujus tituli, in qua fuſe de illa re dicimus.

(*a*) Alcuinus de Eccleſ. Officiis. C. de quadrag. in Sabb. ante Dom. palmar. & fer. 6 in Paraſc.

(*b*) Amalarius Fortunatus, lib. 1. præfat. & cap. 1. 9. 12. & 23 & lib. 3. c. 40. & lib. 4. c. 23. 20. & 42. Micrologus. c. 13. 24 25. 31 42. 49. 55.

(*c*) Decreti Buchardi lib. 18. c. fin & lib. 89. c. 7.

(*d*) VValfrid. Strabo. l. *de rebus Eccleſ.* c. 22.

(*e*) Liber Sacramentorum apud S. Greg. tom. 2. col. 1529. Edit. Pariſ. 1673.

(*f*) S. Aug. lib 3. contra Donatiſt. c. 6.

(*g*) Leo Epiſt. 20.

(*h*) Idem Epiſt. 91.

CASUS PRIMUS.

(2) PATERNUS, recens Sacerdos initiatus, cum præceps accurriſſet moribundo opem allaturus, ipſi abſolutionem modo deprecatorio contulit, quo de facto quæritur 1. utrum lethaliter, ſic abſolutionis beneficium impertiendo, peccaverit. 2. utrum hæc abſolutio ſit valida.

RESPONS.

Certum eſt, Paternum abſque culpæ lethalis reatu, propria auctoritate & ſine ulla neceſſitate non potuiſſe introducere rationem adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ contrariam uſui recepto & in Eccleſia Occidentali univerſim approbato.

Neceſſe eſt igitur, ut quilibet Eccleſiæ Latinæ Confeſſarius abſolutionem conferat abſolutis terminis, dicendo: *Ego te abſolvo a peccatis tuis &c.* non vero modo deprecatorio, his aut ſimilibus: *Deus te abſolvat &c.* Cujus quidem rei hæc ſunt præcipua momenta & motiva, quibus adducta eſt Eccleſia Latina, ut formam abſolutam deprecatoriæ anteponeret. 1. Cum in perſona Apoſtolorum Sacerdotes omnes poteſtate remittendi peccata dignatus eſt Chriſtus Dominus, eis dicens: (*i*) *quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*, manifeſte oſtendit, quod in illius poteſtatis exercitio ea debent uſurpare verba, quæ hujus vim & amplitudinem enucleatius exprimant. Atqui verba

(*i*) Matth. 18. & Joan. 20. 23.

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. V. num. 1.

(2) Vid. ibid.

ba iſta: *Ego te abſolvo &c.* vim illam & amplitudinem expreſſius pro certo declarant, quam hæc alia, *Deus te abſolvat*, aut ſimilia. Quare cum Sacramenta ſint ſigna gratiæ quam producunt, *&* *efficiant*, ut docet S. Thomas, *quod figurant (a)* magis neceſſe videtur, ut in Sacramento Pœnitentiæ hæc uſurpetur forma, *Ego te abſolvo &c.* quia verba illa conſignatiſſime ſignificant non ſolum Sacerdotis poteſtatam ad remittenda peccata, ſed ipſam, quæ fit in Sacramento, peccatorum remiſſionem, cum anima ſolvitur a vinculis ac ſervitute peccati per miniſterium ſacerdotis ſupra dicta verba proferentis; uti obſervat Catechiſmus Concilii Tridentini *(b)*.

(a) S. Thom. 3. part. q. 84. cap. 3. in corp. & ad 3.

(b) Catechiſmus ad Parochos *de Pœnitent.* §. 3.

2. *Quamvis abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio*, inquiunt Patres Concilii Tridentini *(c)*, *tamen non eſt ſolum audum miniſterium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut a Judice, ſententia pronuntiatur.* Unde ſequitur Confeſſarium, non alia debere verba uſurpare, quam iſta: *Ego te abſolvo &c.* cum nulla diſtinctius & Judicis qualitatem & actum, quo in ſacro Pœnitentiæ Tribunali fungitur, judicialem ſignificent.

(c) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 6.

3. Denique hoc ipſo perducta eſt Eccleſia, ut mentem ſuam tam aperte hac de re aperiret, quemadmodum videre eſt his verbis Decreti Concilio Florentino ab Eugenio IV. additi. *(d) Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit*; Ego te abſolvo &c. & his aliis Concilii Tridentini: *Declarat præterea ſancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo &c.* Hinc forma illa in omnibus Eccleſiis, ut teſtantur omnes Libri Rituales, obſervatur, ab eo præſertim tempore, quo Opuſculum ſuum vigeſimum ſecundum compoſuit S. Thomas ad præpoſitum Generalem Ordinis ſui inſcriptum, *(e)* ut illius uſum formæ adverſus quemdam defenderent Auctorem, qui contrariam aſſerere doctrinam auſus fuerat, cujus etiam opinionam valde temerariam appellat, *prælecto Libello, a vobis exhibito*, ſic enim Tractatum illum incipit, *inveni aſſertionem cujuſdam valde temerariam, dicentis, quod Sacerdos, abſolvendo, uti non debet hac forma: Ego te abſolvo.* Cumque ſolidis probavit rationibus, hæc verba veram eſſe hujus Sacramenti formam; ſic concludit: *Non ergo eſt forma in Sacramento Pœnitentiæ: Abſolutionem & remiſſionem tribuat tibi omnipotens Deus, ſed: Ego te abſolvo.* Hactenus de prima propoſitæ difficultatis parte.

(d) Eugenius IV. in Decreto pro inſtruct. Armen an. 1439. & Trident. Seſſ. 14. c. 4.

(e) S. Thomas Opuſcula 22. c. 1.

Quod pertinet ad validitatem abſolutionis deprecatoriæ; hoc eſt, illius, quam per modum orationis conferret Sacerdos dicendo, v. g. *Deus te abſolvat:* Sunt quidem Doctores Scholaſtici, qui exiſtimant hujuſmodi abſolutionem eſſe invalidam, & rationibus ſupra allatis ad aſſerendam formæ abſolutæ neceſſitatem nituntur, eoque præſertim, quod forma deprecatoria præſupponi videtur, a Chriſto peccata remittendi poteſtatem Sacerdoti non fuiſſe collatam, quandoquidem eam proferendo Deum orat, ut ipſe peccatorem abſolvere dignetur.

Nihilominus conſtat, nulla poſſe ratione probari, formam hujuſce Sacramenti terminis abſolutis fuiſſe prolatam ante Hugonem a ſancto Victore; id eſt, ante ſæculum duodecimum. E contra paſſim reperitur forma deprecatoria, ut fidem faciunt multi antiqui Rituales Latini, quos laudat P. Morinus *(f)* unde multi antiqui doctique Theologi docent, formam quæ deprecatoria appellatur, ſufficere ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ. Inter eos præcipui ſunt 1. Petrus Cantor *(g)*, cujus Opus prototypum exſtat in bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis, hanc opinionem tuetur. 2. Idem ſentit Guillelmus Pariſienſis, dicens: *(h) Neque more judicum forinſecorum pronantiat Confeſſor: abſolvimus te, non condemnamus. Sed magis orationem facit ſuper eum; ut Deus abſolutionem & remiſſionem atque gratiam ſanctificationis tribuat: & nemo dubitat, quin poſſit & debeat Confeſſor orare Patrem miſericordiarum, & etiam remittat peccanti peccata.* 3. Eamdem Doctrinam tuetur Alexander Halenſis *(i)*. 4. Dominicus Sotus *(k)* prædictos Auctores antecesſores ſuos ſequitur, ut ex his ejus verbis conſtat. *Reſpondeo*, inquit, ... *remittuntur tibi peccata: ſolidum eſſet Sacramentum; neque neceſſarium eſt addere: abſolvo te ab omnibus peccatis tuis; licet ſit congruum.* Et iterum: *Chriſtus non legitur hanc formam*, (indicativam) *inſtituiſſe: neque etiam in communi uſu habetur. Quin immo in quibuſdam abſolutionibus, quæ in Eccleſia publice fiunt, ſicut in Prima & Completorio in Cœna Domini, abſolvens non utitur forma indicativa:* Ego te abſolvo: *ſed deprecativa:* Miſereatur veſtri &c.

(f) Morin. l. 8. *de Pœnit.* c. 10.

(g) Petrus Cantor in Summa, *de Sacram.*

(h) Guillelmus Pariſienſis tract. *de Sacram. Pœnitent.* c. 19.

(i) Alexander Haleuſis, 4. part. Summæ Theolog. memb. 3. a. 2.

(k) Dom. Sotus in 4. diſt. 14. q. 1. a. 3.

Multos alios omittimus Auctores, qui idem ſentiunt: ſed congruum eſt eorum præcipuas afferre rationes; quarum 1. eſt, quod forma illa in Eccleſia Græca non ſit in uſu, nec ſolum Græci Schiſmatici, ſed etiam Catholici ea utantur, ut teſtatur Cabaſilas *(l)* in ſua Liturgiæ Expoſitione, in qua expreſſis verbis dicit, quod peccatorum quoque remiſſio pœnitentibus datur per orationem Sacerdotum.

(l) Cabaſilas. Expoſit. Liturg. c. 29.

Equidem Græcorum Euchologia, & eorum etiam qui Latinæ Eccleſiæ ſunt conjuncti, omnia formam continent deprecativam; ne recentibus quidem exceptis, quæ auctoritate & conſenſu Eccleſiæ Latinæ fuere edita, ut Venetiis an. 1638. & 1683. & quibus etiam Romæ ceteriſque in Eccleſiis Latinis utuntur nemine diſcrepante: quod uſus ille fuerit confirmatus Unionis Decreto, quod in Generali Concilio Florentino conditum eſt, in quo non reformati fuere Græcorum ritus in adminiſtratione hujus Sacramenti, qui ut ante, deprecativam formam ſemper adhibuerunt, quin ante vel poſt Eugenii IV. Decretum reclamarit Eccleſia Latina.

Arcudius inclytus Græciæ Auctor, qui ad unionem utriuſque Eccleſiæ procurandam juſſu ſummi Pontificis operam dedit, antiqua perſcrutatus monumenta ad reperiendum aliquod exemplum, quo probaretur in Eccleſia Græca uſus abſolutionis in Latina uſitatus, ingenue fatetur, nullum ſe inveniſſe Euchologium, quo non enuntiaretur forma deprecativa *(m)*.

(m) Petrus Arcudius, l. *de Concord. Eccleſia, Occid. cum Orient.* c. 3.

Tandem ex eo de validitate hujuſmodi abſolutionis certi eſſe debemus, quod eam, ſaltem tacite, in inſtructione de Græcorum ritibus per bullam ſuam 31. Auguſti an. 1595. *(n)* approbarit Clemens VIII. in qua poſitive declarat, in caſu neceſſitatis Latinos Sacerdotes a Græcis poſſe abſolvi, modo utantur forma abſoluta, ut Concilio Florentino definitum eſt, cui etiam deprecatoriam poterunt, pro more, ſi velint, addere. En verba ſummi Pontificis: *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſolvere: Utantur forma abſolutionis in Generali Concilio Florentino præſcripta: & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecatoriam, quam pro forma hujus Sacramenti abſolutionis dicere tantum conſueverunt.* Inſuper dici poteſt, quod licet abſolutio Sacerdotis quoad voces ſit abſoluta, re ipſa tamen & interpretative orationem quamdam continet, qua Deus rogatur, ut ratam habere velit Sacerdotis abſolutionem, quam non ſuo, ſed nomine Chriſti impertit, cujus eſt Miniſter, ut docet S. Ambroſius *(o)* his verbis: *Ecce*, inquit, *quia per Spiritum ſanctum peccata donantur; homines autem in remiſſione peccatorum miniſterium ſuum exhibent; non jus alicujus poteſtatis exercent: neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nomine peccata dimittunt. Iſti rogant: divinitus donat: Humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis.* Ob eam quoque rationem Dei Filius, antequam Apoſtolis eam communicaret potentiam, ipſis dixit: *Accipite Spiritum ſanctum*: quo videlicet intelligerent Spiritum ſanctum, quia Deus eſt, condonare peccata; hominesque non poſſe ea remittere propria auctoritate & vi meritorum ſuorum, ſed quia in illis habitat Spiritus ſanctus, ut loquitur Apoſtolus *(p)*; atque adeo, cum Sacerdotes ad talem remiſſionem ſolo diſtributorum titulo concurrant, non requiri, ut, quæ ab iis exercetur actio, abſolute in forma exprimatur: quod pure miniſterialis ſit actio illa, quæ aliunde ſatis exprimitur; non ſolum precibus Sacerdotis a Deo poſtulantis, ut peccatori ipſius peccata dimittat, ſicut in extrema unctione; ſed etiam ex eo quod peccator ipſe Chriſti mediationem interponere ad veniam peccati obtinendam teneatur.

(n) Clemens VIII. in Bulla. *Sanctiſſimus*, §. 3.

(o) S. Ambroſ. l. 3. de Spiritu ſancto. c. 18.

(p) 1. Cor. 3. 16.

Ve-

Verum licet formam Eccleſia mutaverit deprecativam, cui abſolutam ſubſtituit, forſan propter Albigenſes, Huſſitas, alioſque hæreticos, qui Sacerdotibus potentiam abſolvendi a peccatis denegabant; nihil tamen mutavit de ſubſtantia Sacramenti Pœnitentiæ, cum utroque forma ex æquo oſtendat, Deum ut cauſſam præcipuam, Sacerdotum miniſterio, peccatorum remiſſionem operari.

Ad caſum igitur propoſitum reſpondemus, quod, quamvis Paterous de quo ſit mentio in allata quæſtione, graviter deliquerit, formam deprecativam adhibens contra univerſalem Eccleſiæ Latinæ conſuetudinem, ipſius tamen abſolutio eſt valida.

Obſervandum tamen circa propoſitam difficultatem; 1. Multos eſſe Theologos, qui ſentiunt, Deum quorumdam Sacramentorum materiam & formam, *quantum ad ſpeciem infimam*, ut loquuntur in Scholis, non determinaſſe, ſed earum determinationem poteſtati Eccleſiæ permiſiſſe; ita ut, ſi in Eccleſia Latina aut Græca, quis uſui Eccleſiæ propriæ non ſe conformet, invalidum ſit Sacramentum. Conformiter ad hanc opinionem Ordinatio Sagii facta, in qua inſtrumenta neceſſaria per ſe ipſum tangenda non præbuerat Epiſcopus Clericis Ordinatis, juſſu Clementis VIII. iterata eſt ſub conditione, ut refert Yſambertus. *(a)*

(a) Nicol. Yſamb. de Sacram. Pœnit. tom. 3. p. 415.

2. Id etiam advertendum, primis Eccleſiæ ſæculis Patres in ſcriptis ſuis ſiluiſſe de verbis formæ Sacramentorum, ne Ethnicis manifeſtata fierent in riſum & jocos: quod manifeſtum fit ex verbis Innocentii I. de Confirmatione ſcribentis *(b)*: *Verba vero dicere non poſſum; ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.*

(b) Innoc. I. Epiſt. I. ad Decentium, c. 3.

3. Denique id obſervare intereſt plurimum bonam fidem in Sacramentis numquam poſſe ſupplere eorum defectui, quæ ad validitatem Sacramenti neceſſaria ſunt, ſicque in eorum adminiſtratione tutiorem ſemper partem eſſe eligendam, nulla cujuſcumque probabilitatis habita ratione.

His obſervationibus additur, Romanam Eccleſiam ceteris omnibus privatis Eccleſiis, ne Græca quidem excepta, dominari. Quæ dicta ſint, ad majorem rei de qua agitur, explicationem.

CASUS II.

Leonatus, Parochus ſancti Prolii, vocatus ad excipiendam confeſſionem ægri, qui apoplexia tenebatur, cum eum extremos ſpiritus efflantem inveniſſet, hæc duo tantum verba proferre potuit, *te abſolvo*, non additis iſtis, *a peccatis tuis*. Quæritur, utrum hæc abſolutio ſit valida?

Respons.

Paludanus exiſtimat, addendum eſſe, *a peccatis*. Sic enim argumentatur: *(c) Verba illa* (abſolvo te a peccatis) *per ſe pertinent ad formam Sacramenti, quæ directe ſignificant ejus effectum. Sed prædicta verba directe ſignificant effectum Sacramenti Pœnitentiæ.* Ergo &c. Hanc tamen abſolutionem validam eſſe aſſerimus. Ita ſentit S. Thomas, *(d)* ſicque probat: *Hoc autem Sacramentum, ſcilicet Pœnitentiæ, non conſiſtit in conſecratione alicujus materiæ, nec in uſu alicujus materiæ ſanctificatæ; ſed magis in remotione cujuſdam materiæ, ſcilicet peccati, prout peccata dicuntur eſſe materia Pœnitentiæ .... Talis autem remotio ſignificatur a Sacerdote, cum dicitur*: Ego te abſolvo, *nam peccata ſunt quædam vincula, ſecundum illud Proverbiorum* 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. *Unde patet, quod hæc eſt convenientiſſima forma hujus Sacramenti*: Ego te abſolvo. S. Antoninus *(e)* S. Thomam ſequitur, quem laudat cum Innocentio IV. & Cardinali Hoſtienſi.

(c) Petr. Palud. in 4. diſt. 22. q. 10. art. 2.

(d) S. Thom. 3. part. q. 84. a. 3. in corp.

(e) S. Anton. in ſummula tract. de bonitate Confeſſaris, 3. part. cap. 20. p. 175.

Idem ſentit eruditus Magiſtri ſententiarum Interpres, & tribus nititur rationibus: *(f)* 1. Quia actio Sacramenti a legitimo Miniſtro facta ſufficienter his verbis exprimitur. 2. Quia in iis fit mentio de perſona, cui Sacramentum adminiſtratur. 3. Quia eorumdem verborum ſufficienter determinatur ſenſus, non ſolum propter confeſſionem a Pœnitente modo factam, & etiam præſente; ſed etiam ob intentionem Sacerdotis eum a peccatis abſolvendi.

(f) Guillelmus Eſtius in 4. diſt. 14. §. 3.

Rem eamdem docet Sylvius *(g)*: *Ratio eſt*, inquit, *quia poſita peccatorum confeſſione, ſuper quam hæc verba* (te abſolvo) *cadunt, videntur habere ſatis determinatam ſignificationem ex intentione abſolventis, & ex præſentia confitentis, etiamſi non addatur*, a peccatis: *ſicut in Judiciis humanis, quando judex audivit cauſſam rei, ſufficit, quod in eum proferat ſententiam abſolutionis ..... etiamſi non exprimat, a quo illum abſolvit.*

(g) Sylvius in 3. partem ſummæ S. Th. q. 84. art. 3. quæſt. 1.

Re vera, Decretum quod in fine actorum Concilii Florentini reperitur, & Concilium Tridentinum *(h)* hæc tantum verba, *Ego te abſolvo*, tamquam neceſſaria commemorant. Quod pariter docent omnes Theologi, qui ſolum pronomen, *Ego*, excipiunt, quod non eſſe neceſſarium fatentur.

(h) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 3.

(1) Conſentiunt etiam iidem Theologi, non licere Sacerdotibus, omittere aliquod verbum formæ in Eccleſia uſitatæ, & in omnibus Ritualibus præſcriptæ, eoſque teneri ad recitandas preces, quæ formam vel antecedunt, vel ſubſequuntur, etſi ad eſſentiam Sacramenti ex Concilio Tridentino non pertineant.

Circa difficultatem quam modo ſolvimus, juvat advertere quoſdam Auctores, puta Durandum, voluiſſe, hæc verba: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ad formam hujus Sacramenti eſſentialiter pertinere. At vulgo refellitur hæc opinio tamquam falſa, a ceteris omnibus, qui unanimi conſenſu defendunt, hæc verba congrue tantum ob Eccleſia fuiſſe addita, ut intelligatur, Sacerdotem, ſolum ut Chriſti Miniſtrum, abſolvere a peccatis, uti docet S. Thomas, *(i)* Deumque ſolum, ut cauſſam præcipuam ea condonare juxta illud: (k) *Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates*. Ea eſt Doctoris Angelici ſententia his verbis: *Convenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam auctoritatem, ſcilicet, ut dicatur: Ego te abſolvo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti .... quia tamen hoc non eſt determinatum ex verbis Chriſti, ſicut in baptiſmo, talis appoſitio relinquitur arbitrio Sacerdotis*: hoc eſt Sacerdos non tenetur ad eam vi præcepti Chriſti; ſed ſolum Eccleſiæ, quæ ſic ſtatuit.

(i) S. Thom. 3. part. q. 84. art. 3. ad 3.

(k) Iſaiæ c. 43. v. 5

Ceterum permagni refert factam jam in ſuperiori difficultate animadverſionem non obliviſci; cum nempe agitur de validitate Sacramenti, tutiorem partem eſſe eligendam, quando agendi tempus ſuppetit, nec eſſe diſpenſationi locum.

CASUS III.

Antoninus, gravi ſe morbo correptum ſentiens, Confeſſarium accerſiri juſſit: ſed paullo poſt apoplexia oppugnatus vociſque rationiſque omnem amiſit uſum. Tum adveniens Confeſſarius, ægrumque in eo reperiens ſtatu; caſum hunc, quaſi juſtum Dei ſupplicium habuit, eique abſolutionem a ſe conferendam eſſe non exiſtimavit, ſive ob publicum in quo vixit, ſcandalum; ſive etiam ob defectum ſignorum pœnitentiæ, quæ materiæ Sacramenti locum tenerent: petitur utrum in hoc reprehenſione dignus ſit hic Confeſſarius.

Respons.

Non eſt dubitandi locus, quin reprehenſione dignus ſit hic Confeſſarius, graviterque peccaverit. Cum enim confeſſionem requiſivit æger, priuſquam loquela & ſenſibus fuerit deſtitutus, debet abſolvi, licet actu pœnitentiæ ſigna dare non poſſit; ut baptiſmus, ex definitione tertii Concilii Carthaginienſis *(l)* ei conferri debet, qui prius ſibi dari requiſivit, quam in ſimilem caſum incideret.

(l) Conc. Carthag. III. C. 34.

Ratio eſt, quia exterius manifeſtata nec revocata confitendi voluntas ejus, in ipſo perſeverare cenſeri debet, & Sacramenti ſufficiens materia exiſtimari. Hæc eſt ſententia S. Thomæ, qui eam probat *(m)* quarto Concilio Carthaginienſi, *(n)* quod refert Gratianus in ſuo Decreto his verbis: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, in infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.*

(m) S. Thom. 3 part. quæſt. 8. a. 9. in corp. & in 4. diſt. 9. q. 1. art. 5. quæſtione 3. in corp.

(n) Conc. Carthag. IV. in Can. *Is, qui*, 8. 26. q. 6.

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. IV. Num. II.

Si ſupervixerit, admoneatur a prædictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos qui pœnitentiam dedit, probaverit.

Concilii Carthaginienſis Decreto concordat omnino Concilium Arauſicanum (*a*) a Gratiano his verbis laudatum: *Similiter ſubito obmuteſcens — baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt; ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu. Amentibus etiam quæcumque pietatis ſunt, conferenda ſunt.*

(*a*) Conc. Arauſic. I. C. 3. in Can. Qui recedunt, 7. §. 1. & 2. eadem cauſſa & q.

Sanctus Leo, ſcribens ad Theodorum Epiſcopum Forojulienſem, etiam a Gratiano laudatus, idem ſtatuit: (*b*) *quod ſi aliqua ægritudine fuerint aggravati*, inquit ſanctus ille Papa, *ut quod paullo ante poſcebant ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis fidelium & circumſtantium prodeſſe debebunt; ut ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur.*

(*b*) S. Leo in Can. His qui. ea. ibid.

Denique rem ita conſtituunt variarum Eccleſiarum Ritualia, ac in primis Romanum, Paulli V. juſſu editum, (*c*) Manuale Cameracenſe an. 1622. & Atrebatenſe an. ſeq. Quibus omnibus addi poteſt hanc eſſe doctrinam celeberrimorum Theologorum & Canoniſtarum (*d*), quorum Cabaſſutius, unus e recentioribus hanc affert rationem: *quia impotentia diſpenſat ab integritate materiali confeſſionis. Hic autem æger*, ſubjungit hic Auctor, *confeſſus eſt, ut potuit, in genere, ſe habere peccata, deque eis ſe dolere, dum petiit Confeſſorem, aut ſigna exhibuit doloris. Adeſt igitur, qualis exhiberi potuit, materia, atque, ut ſuppono, intentio miniſtri & forma. Eſt igitur validum Sacramentum. Sicut valet*, inquit ad Confirmationem, *confeſſio per interpretem; ita & iſta ante exhibita pœnitentiæ ſigna valent ad Sacramentum; ſi qui tunc præſentes affirment & atteſtentur.*

(*c*) Rituale Rom. tit. de Sacram. pœnitentiæ.

(*d*) S. Anton. 3. part. tit 10. C. 2. ſub med. Silveſt. v. Confeſſio, 3. q. 3. Navar. Man. C. 20. n. 27. Bellarminus. L. 2. de pœnit. C. 7. ſub finem. Tolet. Inſtruct. Sacerd. L. 3. C. 2. Sylvius in ſupplem. S. Thomæ, qu. 9. a. 2. quæſito 5. Cabaſſutius Juris Canon. theor. & praxis. L. 3. C. 11. Bancel. v. Communio, q. 18.

CASUS IV.

Guillelmus ſubita oppreſſus eſt apoplexia, qua & loquelam & uſum rationis amiſit, nec ea durante potuit Confeſſarium poſtulare. Vocatus eſt tamen Parochus ejus, qui, cum eum extremos vitæ ſpiritus efflantem inveniſſet, ipſum mortuum dimiſit, denegata ipſi abſolutione. Quæritur num ideo Parochus ille ſit reprehenſione dignus, & utrum ei abſolutionem conferre non debuerit?

Respons.

Quamvis non multum impedita videatur hæc difficultas, ea tamen in re diſcrepant multi præcipuæ notæ Auctores.

Prima opinio eorum eſt, qui contendunt, quod ſi moribundus Chriſtianam vitam duxerit, Sacramenta recipiendo, ac mores ſuos recte componendo; ipſi poteſt conferri abſolutio, ſaltem ſub hac conditione, *ſi es capax*, etſi nullum poſſit dare contritionis ſignum, nec Confeſſarium poſtulandi tempus habuerit. Sic ſentiunt *Homobonus* Pœnitentiarius Bononienſis, & Antoninus Epiſcopus Antuerpienſis.

Hanc afferunt ſuæ opinionis rationem, quod Chriſtiana illius hominis vita impellit ad credendum, quod pœnitentiæ ſigna exhiberet, ſi poſſet: quod juxta ipſos ſufficit. Sententiam ſuam comprobant auctoritate S. Auguſtini (*e*) qui dicit, in ſimili caſu poſſe conferri baptiſmum Catechumeno; etſi notum ſit, eum in adulterio vivere. En verba ſancti Doctoris: *Ego non ſolum alios Cathecumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia; cum ſalvos corpore non admittamus ad Baptiſmum: tamen, ſi deſperati jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto: ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebras uſque ad Baptiſmum ſtatuerant detineri? Quæ autem Baptiſmatis*, pergit S. Doctor, *eadem reconciliationis eſt cauſſa; ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.*

(*e*) S. Aug. l. 1. de adulterinis conjug. C. 28.

Addunt illi Auctores ad confirmationem ſuæ ſententiæ; quod juxta Concilium Carthaginienſe IV. ſub Anaſtaſio I. an. 398. habitum & Leone III. approbatum (*f*), & juxta communem omnium Theologorum doctrinam abſolvi debet moribundus, licet ut peccator agnoſceretur, cum teſtantur circumſtantes, eum, nondum amiſſa loquela & ratione, Confeſſarium poſtulaſſe: quia tum Confeſſarius juſte præſumere poteſt, ægrum illum delictorum ſuorum pœnitere cum propoſito non peccandi de cetero; in quo reperitur ſufficiens materia formæ abſolutionis. Unde concludunt vitam Chriſtianam alterius moribundi a fortiori Confeſſario certius eſſe teſtimonium illius deſiderii ad petendam, ſi poſſet, abſolutionem; quam circumſtantium atteſtatio, de qua modo diximus, & ipſe etiam vocalis declaratio moribundi, ſi loqui poſſet, qui vitam ſolutam & incontinentem duxit: cum ſancti Patres valde ſuſpectas improborum morientium converſionis promiſſiones habuerint: *quia rogare*, ut ait ſanctus Cyprianus (*g*) ad Antonianum ſcribens, *illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*; quocirca *Pœnitentia*, inquit Auctor antiquus, (*h*) *quæ ab infirmo petitur, infirma eſt; & quæ a moriente tantum petitur, timeo, ne ipſa moriatur*. Sic non præſumi debet, *quod ſi quis*, ait Auguſtinus, *poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam & accepit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit; ſed non præſumimus, quia bene hinc exit. Non præſumo: non vos fallo, non præſumo* (*i*).

(*f*) Conc. Carth. 4. C. 76.

(*g*) S. Cyprian. Epiſt. 52. ſecundum Pamelium, vel l. 4. Epiſt. 2. ſecundum Eraſmum, vel 55. ſecund. Fell. Oxon.

(*h*) Apud S. Aug. ſer. 252. in Appendice. Alias 17. de tempore.

(*i*) S. Aug. Serm. 30. inter dubios.

Doctores iidem, qui volunt abſolvi moribundum in caſu propoſito, ſuam quoque tuentur opinionem ſtatuto Synodi Eccleſiæ Lemovicenſis an. 1610. quo res ita decernitur, (*K*) ut ex his conſtat verbis: *Poterit quoque idem applicari remedium ei, qui judicio omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita pœnitentia, nulloque ſigno contritionis edito, cum violentia morbi judicatur de repente & ex improviſo præventus ac oppreſſus, & Chriſtiane vixit; ferrique poteſt judicium ex actionibus vitæ & moribus eum libenter Pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore, ſi tempus & violentia morbi permiſiſſent; licet hoc in caſu nihil de abſolutionis effectu promittere poſſimus: ſed animarum ſalvandarum cauſſa, nullum remedium omittere debemus, quod Deus poteſtati noſtræ commiſit; Deum orantes, ut immenſa bonitate & miſericordia quod deeſt ægrotorum diſpoſitioni ſuppleat, cetera inſcrutabilibus Dei judiciis commendantes.*

(*k*) Statut. Eccleſ. Lemovicenſis, c. 10.

Ultimam tandem addunt rationem ex Sacerdotali ſeu Manuali Romano, quod laudat Pater Morin, nec non Auctor Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ (*l*). *Talis infirmus, aut jam amiſit loquelam, vel uſum rationis, puta, quia phreneticus; aut non. In primo caſu, ſi bene vivebat, ut bonus fidelis, & frequentabat confeſſionem & communionem & hujuſmodi; quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt: vel etiam, ſi malus & obſtinatus diu perſeverans in peccatis eſt, & diu non confeſſus; ſi petiit Sacerdotem ut confiteretur; oſtendit ſe facere velle omnia quæ debet, & interea factus eſt mutus vel phreneticus, periculum eſt in mora, debet præſupponi contritus: & faciente aliquo Confeſſionem generalem pro eo; ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia & peccato; & poteſt injungere circumſtantibus aliquid pro eo faciendum, ut hæredibus, aut conſanguineis, pro ejus anima, ſi velint acceptare. Deinde debet dari ei Eucharistia, quamvis non ſit confeſſus.* Quibus verbis liquet abſolutionem non eſſe denegandam, non modo ei, qui poſtquam petiit Confeſſarium, factus eſt phreneticus aut vocis uſum amiſit; ſed ei quoque, qui in ſimili caſu poſitus Confeſſarium petendi tempus non habuiſſet, modo elapſo tempore bonis fuerit moribus.

(*l*) Sacerdotale juxta uſum Eccleſiæ Rom. excuſum an. 1560. Venetiis apud Joannem Variſium, & Socios, fol. 62. apud Fr. de Genet. tom. 4. tract. 6. c. 12. q. 5.

(1) Alteram ſententiam, priori contrariam defendunt Cardinalis de Lugo, aliique multi eruditi Theologi qui putant, quod tali ægroto, quantumvis bonis moribus, vitæque antea Chriſtianæ antenactæ fama prædito, abſolutio impendi non debet, cum ante petitam confeſſionem, loquela aut rationis uſu captus eſt.

Iſta potiſſimum ratione nituntur, quod fatentibus

(1) Vid. *Menda Notaſ.* Obſerv. IV. Num. III.

bus omnibus Theologis, nullum valide poſſit adminiſtrari Sacramentum, niſi adſit ſufficiens materia, cui forma poſſit applicari: atqui in caſu propoſito, inquiunt, nulla eſt Sacramenti pœnitentiæ materia; cum materia proxima hujus Sacramenti in actibus Pœnitentis ſenſibilibus conſiſtat, ut a Concilio Tridentino definitum eſt (a); unde ſequitur, quod, cum æger ille contritionem ſuam exterius manifeſtare nequeat, nec ejus ſigna ante infirmitatem ſuam dederit, ei abſolutio impendi non poteſt, quæ eſt forma Sacramenti. *Ubi nulla moraliter proxima ſigna præceſſerunt petitæ confeſſionis aut contritionis*, inquit Cabaſſutius, *neque a Sacerdote perſpecta, neque a circumſtantibus atteſtata; nullatenus impendi debet abſolutio, ubi nulla prorſus exhibetur materia Sacramenti: ideoque contraria opinio nihil habet probabilitatis; ſed eſt plane improbabilis* (b).

(a) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 3.

(b) Joan. Cabaſſutius juris Can. theor. & praxis. l. 3. c. 11. n. 9. & 10. & apud eum Vaſquez Navar. Henriquez, & alii.

Equidem licet ex moribundi Chriſtiana quam duxit, vita præſumi poſſit, quod in ea qua verſatur, extremitate, de peccatis ſuis contritionem, eaque confitendi deſiderium habeat, aut potius habiturus ſit, ſi de præſenti rationis uſu polleret; id non ſufficit ad ſtatuendam Sacramenti materiam; licet ſit ſufficiens occaſio judicandi, ipſum eſſe diſpoſitum ad illud recipiendum: ratio eſt, quia dolor de peccato, & voluntas confitendi peccata, non ſunt hujus Sacramenti materia, niſi quatenus ſignis quibuſdam externis ſunt cognita Sacerdoti, qui verba abſolutionis proferendo formam applicat: atqui nullum, ut ſupponitur, hujuſce doloris ac voluntatis ſignum externum Sacerdoti eſt cognitum; & ei nemo atteſtatur, ægrum hujus doloris ſigna dediſſe. Ubinam eſt igitur ſufficiens materia, cui formam applicare poſſit? Inſuper Auctores qui affirmativam tenent ſententiam, ſupponunt dari poſſe abſolutionem ſub iſta conditione, *ſi es capax*: quo introducitur mos in Eccleſia inuſitatus, & ideo non licitus, uti probamus loquendo de abſolutione conditionali (c).

(c) Caſus. Mauricus. 5.

Allatum quidem ſancti Auguſtini teſtimonium priori opinioni favere prima fronte videtur; at ſi propius expendatur, facile erit cognitu, illud non eſſe decretorium pro auctoribus ejus. Cum enim aſſerit S. Doctor, pœnitentem, ad eam de qua loquimur, extremitatem redactum abſolvendum eſſe; ut lavacro regenerationis abluendus eſt Cathecumenus moriens nullo dato pœnitentiæ ſigno; quia ex æquo incedunt Baptiſmus ac Pœnitentia; hinc probat omnino, ut videtur, contrariam iis opinionem, a quibus laudatur; cum æger, de quo loquitur, Pœnitentiam, ut Cathecumenus Baptiſmum, petierit, *ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit*: alioquin manca eſſet duorum illorum morientium hominum ab illo Doctore facta comparatio; quæ conveniens eſt inter eum qui Pœnitentiam, & eum qui Baptiſmum poſtulavit. Quocirca, ut Cathecumeno qui Baptiſmum petit, Baptiſmus non eſt denegandus; ſic pœnitenti qui Sacramentum Pœnitentiæ rogavit, abſolutio eſt impertienda; cum ſufficiat, & non revocatum ſubſiſtat externum quod manifeſtavit, recipiendi Pœnitentiæ Sacramenti votum; ac licet aut infirmitate, aut impotenti libidinis motu, in peccatum mortale recidiſſet, illius ſtatim eum pœnituiſſe præſumendum eſt; quandoquidem, ut propriis S. Auguſtini verbis ſupponitur, in ordine Pœnitentium eſſe perſeveret, ac regulis ab Eccleſia pœnitentibus præſcriptis ſe ſubjiciat.

Igitur hæc ſecunda ſententia cum veris Theologiæ principiis magis conſentit; etſi prior dolori & caritati Eccleſiæ in fideles, filios ſuos congruat. Hinc etiam fatetur S. Auguſtinus, loquens de Baptiſmo Cathecumeni, eos non eſſe damnandos, qui a ſe diſſentiunt: (d) *Non tamen propterea*, inquit S. Doctor, *damnare debemus eos, qui timidius agunt quam nobis videtur agi oportere; ac de pecunia conſervo credita improbius, quam cautius judicare voluiſſe judicemur. Satis quippe in talibus reſpiciendum eſt illud Apoſtoli, ubi dicit* (e): Unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.

(d) S. Aug. lib. 1. de Adulter. conjug. c. 26.

(e) Rom. 14. 12.

Ceterum qui priorem opinionem poſteriori anteponere vellent, eos fateri neceſſe eſt, rationes & auctoritates quibus nituntur, tacite ſaltem probare, quod, ſi moribundus de quo agitur, hactenus diſſolute & criminoſe vixerit, a Sacerdote non debeat abſolvi, quoniam in tali caſu nulla ſibi apparet ſufficiens ratio, proximam Sacramenti materiam, quæ, ut jam diximus, ſunt actus pœnitentis, adeſſe præſentem; cui rei fruſtra objicitur, Auguſtinum, loquentem de Cathecumeno, qui actu in adulterio vivit, & cui tamen in articulo mortis baptiſmum conferendum eſſe contendit, videri indicare, abſolutionem pariter moribundo, in ſimili circumſtantia poſito, eſſe tribuendam. Fruſtra, inquam, fit iſta objectio. Probari namque facile poteſt, ea quæ profert hic ſanctus Doctor, nullo pacto adverſari iis, quæ modo diximus de moribundo, cujus criminoſa fuit vita & ſcandaloſa; nam S. Auguſtinus expreſſe loquitur de moribundo, qui, cum eſſet Cathecumenus, ſe ipſum ad Baptiſmum ſuſcipiendum diſponebat, etſi adhuc peccatis eſſet obſtrictus; & conſequenter de homine, qui ſuum accipiendi hujus Sacramenti, non obſtante peccato ſuo, votum manifeſtarat: unde pariter concludendum, quod, quando aſſerit, idem ferri debere judicium de Sacramento Pœnitentiæ, ut de Baptiſmo; ſupponit procul dubio in hoc moribundo ſinceræ converſionis voluntatem, cujus præcedens bona vita, ex priori opinione, ſaltem ſufficiens eſt ſignum; at quæ nullo pacto ſupponi poteſt in eo, qui ad mortem in crimine perſeveravit.

Ex dictis hactenus concludimus 1. quod, ſi Guillelmus de quo fit mentio in caſu propoſito, hactenus in crimine vitam duxerit, dici non poteſt, ejus Parochum potuiſſe illi abſolutionem conferre: ſic enim renovaretur doctrina Amadæi Guimenii (f) quæ a Facultate Theologica Pariſienſi 3. Febr. 1665. damnata, uti falſa, temeraria & Pœnitentiæ Sacramento injurioſa; Romæ etiam tribus diverſis temporibus, & noviſſime 16. Sept. 1680. Innocentii XI. Decreto proſcripta eſt. 2. Quod, licet hic moribundus vitam ſancte pieque exegerit, non tamen reprehenſione dignus eſt Parochus, qui abſolutionem ei denegavit, cum eam ante extremam infirmitatem non petierit, nec ullum poſtea contritionis ſignum dederit ægrotus: & quod in eo egit Parochus non ſolum convenienter ad Regulas Eccleſiæ, ſed etiam ad principia Theologiæ, uti conſtat ex Cenſura ejuſdem Facultatis Pariſienſis an. 1665. in iſtam propoſitionem ejuſdem Auctoris (g): *Talis infirmus qui amiſit loquelam, vel uſum rationis; ſi bene vivebat, ut bonus & fidelis, & frequentabat confeſſionem & communionem; quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, debet præſupponi contritus: & faciente aliquo Confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia & peccato*: quam propoſitionem omnes Doctores Conventus his verbis damnarunt: *Doctrina hujus propoſitionis univerſim & abſolute ſumta, eſt in praxi periculoſa.* *

(f) Amad. Guimenius pag. 224. n. 13. pag. 225. n. 21. pag. 225. n. 23. & pag. 410. 413. & 424.

(g) Amad. Guimenius pag. 122. n. 1.

* Paullo ſane acerbior videtur hocce Auctoris deciſio; cum in pluribus Diœceſibus vigeat praxis contraria, & quidem gravibus nixa motivis: quæ videre poteris tum in Theologia morali Gratianopolitana, tum apud Auctorem Conſultationum Canonicarum Tom. 2. de Pœnit. tum etiam apud Doctores Sorbonicos poſterioris ævi celeberrimos, qui Sacræ Facultatis Pariſienſis ſenſum callentes ipſius Cenſuram ab Auctore laudatam, non adeo urgendam putant. Obſervant nimirum a Sacra Facultate merito damnatam Amadei Guimenii propoſitionem *univerſim & abſolute ſumtam ut in praxi periculoſam*; quia paſſim neceſſitatem imponit Sacerdotibus omnes hujuſmodi homines abſolvendi, poſſentque plures ea doctrina abuti; dum quibuſvis leviter & temere Abſolutionem concederent.

Ceterum in caſu de quo agitur, Abſolutionem impertiendam probat inprimis Sacerdotale Romanum, quod typis editum eſt Venetiis an. 1560. ubi aperte ita decernitur, cujus auctoritate nixus Gregor. XV. dum eſſet Archiepiſcopus Bononienſis, rem pariter definit in Memoriali, Cap. 1. de Forma pœnit.

Ratio autem quam toties laudat Auctor noſter, quod ſcilicet in eo qui nulla dat ſigna, deeſſet materia Sacramenti, exigui videtur momenti; cum omnino certum non ſit actus pœnitentis eſſe materiam illam. Scotiſtæ enim & alii Theologi, aliam aſſignant materiam. Tandem dato quod actus pœnitentis ſint materia eſſentialis, ii merito præceſſiſſe cenſentur, æque ac in eo qui petiit Sacramentum; nec enim magis præſens eſt pe-

litio

ctio iſtius, quam boni actus alterius. Nec dicas Extrema unctione ſuccurri ægroto illi: nam accidunt caſus in quibus præſto non eſt Sacramenti illius materia; aliunde ſi periculum Profanationis pœnitentiæ timetur ex defectu actuum pœnitentis, cur timendum non erit idem periculum pro extrema unctione ex defectu diſpoſitionum?

Iis omnibus unum addi velim, quod nempe dum toties prohibetur, Abſolutionem iis indulgeri qui poſt vitam improbe peractam ſubito obmuteſcunt nullis datis pœnitentiæ ſignis, inde ſupponi videtur illa eſſe concedendam qui probe vixerunt.

CASUS V.

(1) Henricus, Parochus S. Carilephi, vocatus ad ferendam ſpiritualem opem ægroto, a quo fuerat petitus; cum eum exſpirantem inveniſſet, & dubitaret, utrum etiam viveret, nec ne, ipſi conditionalem abſolutionem dedit. Quæritur utrum ſic ſe gerere potuerit abſque peccato, & utrum in aliquo alio caſu ſimilis poſſet conferri abſolutio?

Respons.

Conditio appoſita pertinere poteſt ad tempus præteritum, vel præſens, vel futurum. Quod ſpectat ad præteritum, poteſt aliquando Confeſſarius oblivisci, utrum abſolutionem penitenti dederit an non. Quo in caſu, juxta Sylvium, (a) abſolvere poteſt ſub iſta conditione, *ſi non es abſolutus, ego te abſolvo*. Pro præſenti vero tempore, *non licet tamen*, inquit idem Sylvius, *apponere conditionem præſentem; ſi vere promittis reſtituere: aut futuram; ſi reſtitues: quarum præſens quidem, ſi ſubſiſtat, non annullat Sacramentum*. Quod autem ad futurum pertinet, ne quidem valide Confeſſor poteſt dare abſolutionem ſub conditione hujus temporis: *futura vero annullat*, pergit idem Theologus; *quia non eſt in poteſtate Miniſtri ſuſpendere Sacramentum, vel ejus effectum, quando ponuntur omnia neceſſaria*: hoc eſt, cum nihil deeſt ad integritatem & perfectionem Sacramenti. Idem ſentit Bailius (b).

(a) Franc. Sylvius in 3. part. S. Thom. q. 84. a. 3. quæſito 1. ſub fin.

(b) De exam. Confeſſor. 1. part. q. 65.

Obſervat Sylvius, quandoque eſſe neceſſe, ut conditionem pœnitenti proponat Confeſſarius, eamque ab eo acceptari contendat: v. g. cum eum ab excommunicatione abſolvit vi poteſtatis ab Epiſcopo ea conditione ſibi commiſſæ, ut poſt acceptam abſolutionem Epiſcopum perſonaliter adire promiſerit; tum enim ab eo Confeſſario poſt acceptatam tantum conditionem abſolvendus eſt: *ſed ea conditio*, inquit, *non debet eſſe in forma; ſed pœnitenti proponenda eſt*; quam ſi receperit, abſolute eſt abſolvendus.

Sequitur ex doctrina hujus Auctoris, in caſu propoſito Henricum non potuiſſe abſolvere ægrum, a quo vocatus fuerat, ſub una conditione, quæ ad præſens tempus pertineret, qualis eſt iſta; *ſi es contritus*, aut ad futurum, qualis eſt hæc alia: *ſi ex hac infirmitate ſis moriturus*; at eum, ſalva Sacramenti eſſentia, potuiſſe abſolvere ſub conditione, quæ ad præteritum tempus ſpectaret.

Certum eſt tamen, non ſine auſu temerario abſolutionem conditionalem moribundo qui rationis uſu ſit deſtitutus, impendi; cum hujuſmodi abſolutio non vigeat in Eccleſia, neque de illa fiat mentio in aliquo Concilio aut Rituali: & Rituale Romanum, caſus deſignans in quibus conferri poſſunt Baptiſmus & Extrema Unctio ſub conditione, non idem refert de Sacramento Pœnitentiæ, quod ſane annotaſset, ſi in praxi id foret licitum: quibus omnibus addi poteſt, abſolutionem hoc modo dari non poſſe, prohibente Concilio Tridentino, ne quidquam ſub pœna excommunicationis in Sacramentorum adminiſtratione immutetur eorum, quæ in Eccleſia Catholica fuere conſtituta: (c) *Si quis dixerit*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem, mutari poſſe, anathema ſit*. Atqui conditionalis abſolutio adhiberi nequit, non mutata univerſali Eccleſiæ conſuetudine: quæ eſt & ſemper fuit, eam abſolute conferre; non igitur contraria induci poteſt abſque peccato, abſolutionem conditionate conferendo. Rem iſtam ſic definiunt multi eruditi Theologi, quales ſunt Auctores Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ, colloquiorum Diœceſis Lucionienſis & D. de Sainte Beuve (d).

(c) Conc. Trid. Seſſ. 7. de Sacram. in genere. Can. 13.

(d) Gener. Theolog. mor. tom. 4. tract. 6. c. 12. n. 6. Colloquia Lucion. tom. 6. coll. 4. q. 3.

CASUS VI.

(2) Philippus facta Parocho ſuo annua Confeſſione cenſetur ab eo nullam habere contritionem ſupernaturalem; quæritur utrum abſolutionem ei nihilominus impertire debeat, cum eam denegandi nulla aliunde ipſi ſuppetat ratio.

Respons.

Parochus iſte 1. præcepto caritatis erga proximum tenetur illum ad pœnitentiam adducere, omnia ei motiva repræſentando, quibus ad eam convenientius excitari poteſt; at ſi illo functus officio, juſte judicare poteſt de duritia cordis illius hominis, ad aliquod tempus ei differenda eſt abſolutio, piaque interim ſunt injungenda opera, quibus ad eam recipiendam dignior, & ad gratiam Sacramenti percipiendam paratior efficiatur. Ratio eſt, quia cum legitime judicare poteſt Confeſsarius, ſuum pœnitentem non habere veram contritionem, tum ei abſolutionem denegare debet; cum enim contritio ſupernaturalis, ſaltem imperfecta, ſit diſpoſitio abſolute neceſsaria ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum, contra propriæ conſcientiæ lumen ageret, ſi abſolutionem homini ad eam non recte diſpoſito conſerret, ſicque Sacramentum profanandi ſe voluntarie periculo committeret. Qua de re tria juvat obſervare.

1. Pœnitentem veram habere poſse contritionem, etſi vitioſi cujuſdam in ſe habitus ſentiat motus, quos comprimere nititur, & in quos aut errore aut infirmitate recidit, ut iis uſu venit, qui contumelioſas ſoliti proferre voces, eaſdem aut ſubito iræ impetu, aut inadvertentia abrepti, contra propriam voluntatem depromunt; de quibus illud affirmari poteſt S. Gregorii: (e) *Mentem impellit furor, quo non trahit deſiderium: & agit commota, velut neſciens, unde poſt doleat ſciens*.

(e) S. Greg. Paſtoralis cura part. 3. admonit. 10.

2. Id obſervandum, aliquando neceſse eſse, ut per aliquod tempus probetur pœnitens, ad inveſtigandum, num in priſtina reverſurus ſit delicta, cum falſam fuiſse pœnitentiam ſæpiſſime arguat voluntarius in ea relapſus, juxta hanc eximiam Auctoris antiqui ſententiam: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum ſanatur tardius. Frequenter peccans & lugens vix veniam meretur (f)*. At nihilominus temporis ſolius ſpatium, quo probatur pœnitens ut tutius poſſit abſolvi non ſolam eſse regulam, qua de ipſius converſione certi eſse valeamus: *Non tam enim*, inquit S. Auguſtinus (g), *conſideranda eſt menſura temporis, quam doloris: & non ſufficit pœnitenti*, ex S. Leone (h), *mores in melius commutare & a præteritis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo &c.*

(f) Apud. S. Aug. Soliloq. in Can. *Inanis*. 13. *de pœnit.* diſt. 3.

(g) Can. *In actione. de pœnit.* diſt. 1.

(h) Can. *Non ſufficit*. 63. *de pœnit.* diſt. 1.

3. Denique illud advertendum eſt, peccatorem vere contritum eſse poſse, licet exterius non manifeſtetur dolor ejus, nec externa ac ſenſibilia illius ſigna habeat Confeſsarius. Nam, ut ait idem S. Auguſtinus loco mox laudato: *Plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri; neque in aliorum notitiam, niſi per verba, vel quæcumque alia ſigna procedit; cum ſit coram illo cui dicitur: Gemitus meus a te non eſt abſconditus (i)*. Unde colligitur, Confeſsario non inſufficientem ſemper videri debere pœnitentis ſui contritionem, præſertim cum legitima adeſt cauſsa judicandi, eum vere dolere de peccato, cum ſincero deinceps non illud admittendi propoſito. *Vide* caſum XI.

(i) Pſalm. 37.

CASUS VII.

Sergius, multa eaque gravia confeſsus peccata, a Confeſsario ſuo interrogatus eſt, num vere Deum offendiſse doleret: cui ille reſpondit, ſe non dolere omnino: ſed magnam ſibi eſſe diſplicentiam, quod juſto illo, debitoque careret dolore: quæritur utrum ea diſplicentia ſit ſufficiens materia Sacramenti, ita ut Confeſsarius ipſi abſolutionem poſſit impertiri.

RE

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. IV. num. III.

(2) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. V. num. II. & Animadv. V. *Coacus*.

Digitized by Google

Respons.

Duplici modo talem diſplicentiam quis habere poteſt. 1. Eam habere poteſt, quia peccatorum ſuorum magnitudinem agnoſcens, novit etiam, ſe convenienter ad eorum atrocitatem non dolere, quamvis ea, quantum in ſe eſt, deteſtetur: atque hæc diſplicentia ſufficiens eſt Sacramenti materia, quia vere ex dilectione Dei procedit; quocirca ſi talis ſit Sergii diſplicentia, a Confeſſore ſuo abſque dubio poteſt abſolvi. 2. Talem diſplicentiam modo quoque naturali poteſt habere, non tamen Deum offendiſſe dolens: quo in caſu, cum hæc diſplicentia non ſit adjuncta dolori de peccato, ea non ſufficit ad materiam Sacramenti Pœnitentiæ: quia differt omnino ab eo dolore, qui motivo ſupernaturali concipitur, & ad omnia peccata mortalia, ſaltem implicite, extenditur; quique eſt diſpoſitio neceſſario requiſita ad recipiendum digne Sacramentum, & ſine qua eſt invalidum, etſi diſpliceat eum non habere dolorem peccatori, ſeque hujus defectus accuſet. Quocirca ſi Sergius naturalem illam tantum ſine contritione habeat diſplicentiam, a Confeſſore nequit abſolvi, qui eum ita affectum noverit.

Cum igitur Navarra, aliique nonnulli Auctores docuerunt, diſplicentiam defectus contritionis ſufficere cum Sacramento; intelligi debent de diſplicentia non in ſecundo ſenſu, ſed in primo; hoc eſt, de diſplicentia, quæ ex motivo amoris Dei, ſaltem inchoati, odiique peccati concipitur, ut probat hujus Canoniſtæ textus: (a) *Quia & poſſet dici*, inquit: *eſto talis dolor non ſit contritio formalis; deſiderium tamen habendi eam, adjuncto juſto dolore, quo dolet, ſe non poſſe pervenire ad contritionis perfectionem, ſaltem virtualiter eſſe ipſam contritionem in voluntate partis intellectivæ ſitam fomento auxilii Dei, bona deſideria foventis; etiamſi pars ſenſitiva recalcitraret ...; porro bonum ſignum eſt, quod pœniteas ſua ſponte affirmet, ſe malle mortuum eſſe, aut aliud ſimile pati, quam peccaſſe, &c.* Quibus verbis manifeſte conſtat, hunc Auctorem non loqui de nuda & ſimplici diſplicentia, ſed quæ peccati dolorem contineat. Unde etiam contraria opinio falſa eſt, temeraria, & erronea, & ut talis a Facultate Pariſienſi 3. Feb. an. 1665. damnata eſt, cum aliis opinionibus laxioribus, quæ anno ſuperiori ſub ſuppoſito Amadei Guimenii nomine prodierant, cujus Opus Bambergæ & Panormi ab anno 1657. & poſtea auctum an. 1664. Madriti typis editum fuerat. Quæ omnes opiniones ſub Alexandro VII. 5. Aprilis an. 1666. a Cardinalibus Congregationis *Indicis* & ſub Clemente X. 12. Septemb. an. 1675. ab eadem Congregatione Cardinalium, Inquiſitorum Generalium: denique ab Innocentio XI. 16. Sept. an. 1680. fuerant damnatæ ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*, Sanctæ & Apoſtolicæ Sedi reſervatæ.

(a) Navar. cap. Man. 1. n. 18. & apud eum Paludanus in 4. diſt. 17. q. 2. 5.

Juvabit forſitan heic legere cenſuram Theologicæ Facultatis Pariſienſis, & propoſitionem ab ea damnatam. Propoſitio eſt hujuſmodi: *Sacramentum in non ponente obicem ſuum ſemper habet effectum, & ſaltem illum, qui confitetur cum aliqua diſplicentia & dolore, ſed tamen ſcienter ſine propoſito vitandi lethalia, efficere confeſſionem validam & non iterandam* (b). Cenſura vero eſt iſtu: *Doctrina hæc, prout ab auctore intenditur & infertur, falſa eſt, temeraria, erronea, & contraria Conciliis & Traditioni, ac Sacramentum Pœnitentiæ prorſus evacuans.*

(b) Amadeus Guimen, pag. 277. n. 18.

CASUS VIII.

Thomassina, mulier octoginta annos & amplius nata, ſic memoria deficit, ut peccata ſua non niſi generatim poſſit confiteri, adeo ut nullo modo eorum recordetur, quæ heri commiſit. Quæritur, utrum ad abſolutionem ei conferendam ſatis ſit, ut peccata ſua generatim confiteatur, etſi nullum ſpeciatim deſignet; & utrum Confeſſarius ſub tali accuſatione eam debeat abſolvere, cum ſincerum peccati ſui teſtatur dolorem.

Respons.

Primum, id fieri a Confeſſario neceſſe eſt, ut eam interroget de peccatis, quæ eam commiſiſſe poteſt exiſtimare, quo ei viam recordandi præmuniat, & ſimul confitendi; quæ res ſi non bene ſuccedat, huic mulieri abſolutionem conferre debet Confeſſarius.

Ratio eſt, quia mulierem illam habere debet, ut ægrum qui loquelam amiſit, aut milites qui ad prælium accincti peccata ſua propter moram declarare non poſſunt. Quamobrem, ut ſacramentalem hujuſmodi perſonis abſolutionem impertire poteſt, uti definivit Concilium Arauſicanum an. 1441. habitum; (c) & docent S. Leo (d) & S Auguſtinus (e), & verbis expreſſis ſtatuitur in Concilio Carthaginienſi tertio & quarto (f), eam pariter concedere mulieri debet in eo degenti ſtatu, qui morbi quædam eſt ſpecies.

(c) Conc. Arau. Can. 12. in Can. *Qui recedunt*. q. 26. q. 6.

Hoc unum obſervandum, quod ſi mulier iſta pie ſemper vixerit ab eo tempore, quo memoria deſtituta eſt, & Confeſſarius juſte poſſit judicare, eam nullum ab ultima quam recepit, abſolutione, lethale peccatum admiſiſſe, novam ei poteſt non conferre abſolutionem, quoties ad Pœnitentiæ tribunal accedit; verum in dubio ſuper generali peccatorum ſuorum accuſatione eam debet abſolvere, prævio contritionis actu. Hanc difficultatem ſic definivit eruditus ætatis noſtræ Theologus (g).

(d) S. Leo Epiſt. 91. *ad Theodor.* c. 4.

(e) S. Aug. l. 1. *de adult. Conjugiis*. c. 28.

(f) Conc. Carthag. 3. c. 32. & Carth. 4. c. 76.

(g) De Sainte Beuve, tom. 2. *Caſu* 151.

CASUS IX.

Bartinus, Sacerdos, audita perſæpe confeſſione mulieris meretricis, quæ de levibus vulgo ſe accuſat mendaciis, quæ adornat ad faciliorem mercium ſuarum venditionem, aut excuſationem erga maritum de levibus quibuſdam defectibus, quos per imprudentiam aut oblivionem admittit; obſervavit, illam non debito ſeſe dolore, nec ſincero emendationis propoſito accuſare, cum adverterit, quod jam dudum in dicta mendacia eo ipſo die recidat, quo Pœnitentiæ & etiam Euchariſtiæ Sacramenta ſuſcepit: Quæritur utrum in hoc caſu abſolutionem illi facile concedere poſſit, & utrum non adſit periculum, ne confeſſiones ejus, ita fieri ſolitæ, ex mera, ut videtur, conſuetudine, nullæ ſint & ſacrilegæ defectu contritionis ſufficientis.

Respons.

Probabile eſt omnino, hujuſmodi confeſſiones eſſe invalidas ob defectum contritionis & ſufficientis propoſiti. Ratio eſt quia peccata, quæcumque ſint, Sacramenti Pœnitentiæ non ſunt materia, niſi quatenus confeſſa adjuncto vero dolore de iis commiſſis, ſinceroque non ea deinceps committendi propoſito: de ea re conſentiunt omnes Theologi. Si hæc igitur mulier peccata ſua, licet leviſſima, tantum ex conſuetudine accuſet, abſque vero dolore quod ea commiſerit, ac firmo propoſito eadem non committendi deinceps ac ſe emendandi, qualiter præſumi poteſt ex iis quæ in caſu propoſito referuntur; conſtat ejus confeſſiones eſſe infructuoſas, & quidem invalidas defectu materiæ requiſitæ ad validitatem Sacramenti. Quare exiſtimamus, ipſius Confeſſarium peropportune illi abſolutionem differre, quo propriæ negligentiæ pondus omne ſentiat; & interea eidem remedia ac pias praxes præſcribere convenientiſſimas, ut ad receptionem hujus Sacramenti, ac ſalubriorem ipſius uſum majorem curam in poſterum adhibeat.

Non ideo tamen affirmamus, hujuſmodi confeſſiones eſſe prorſus ſacrilegas, cum pœnitens ſedulo curat adhibere diſpoſitiones requiſitas; nec Sacramentum ſemper eſſe infructuoſum & invalidum, ob aliquam ſuſcipientis negligentiam. Nam, ut docte ratiocinatur S. Thomas, (h) *poteſt ergo dupliciter contingere, quod negligentia ſit peccatum mortale. Uno modo, ex parte ejus quod prætermittitur per negligentiam; quod quidem, ſi ſit de neceſſitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive circumſtantia: erit peccatum mortale. Alio modo, ex parte cauſæ: ſi enim voluntas in tantum ſit remiſſa circa ea quæ ſunt Dei, ut totaliter a caritate Dei deficiat; talis negligentia eſt peccatum mortale: & hoc præcipue contingit, quod negligentia*

(h) S. Thom. 2. 2. q. 54. a. 3.

Digitized by Google

gentia ſequitur ex contemtu. Alioquin, ſi negligentia conſiſtat in prætermiſſione alicujus actus vel circumſtantiæ, quæ non ſit de neceſſitate ſalutis, nec hoc fiat ex contemtu, ſed ex aliquo defectu ſervoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum; tunc negligentia non eſt peccatum mortale, ſed veniale. Ex qua doctrina ſequitur, quod, licet perſonæ illæ tepidæ & negligentes infructuoſe Sacramentum recipiant, non ideo ſemper ſacrilegio ſe coinquinant.

Id ipſum ſancti Bonaventuræ auctoritate confirmari poteſt (*a*); qui, poſtquam dixit profanationem Sacramenti eſſe ſacrilegium, ſubdit poſtea non ideo profanari, quia levi aliqua negligentia ſit infructuoſum, & quidem invalidum: atque eorum ponit exemplum, qui communicant, quorum alii ſe præparant, alii nullo modo ſe diſponunt, alii vero non ſufficienter; ſed tamen ſecundum ſuam opinionem, quantum ſat eſt, ſe præparant; unde concludit ſanctus hic Cardinalis iſto modo: *Qui ergo ſufficienter ſe præparat, manducat digne. Qui nullo modo ſe præparat, manducat indigne. Qui autem minus ſufficienter ſe præparat, ſcilicet ſecundum probabilitatem, potius quam ſecundum veritatem, non manducat digne, quia non ſe præparavit digne ſufficienter: nec indigne, quia ſe præparavit tantum probabiliter. Talis, quamvis non recipiat gratiam, non tamen incurrit offenſam.* Atque hinc colligi neceſſe eſt, idem eſſe dicendum de confeſſione; atque adeo eos qui venialia confitendo, defectu diſpoſitionum quas habuiſſe ſe exiſtimabant, infructuoſe Sacramentum Pœnitentiæ recipiunt; non tamen formalis ſacrilegii, ſed, ut loquuntur in ſcholis, materialis tantum, quod proinde eis in peccatum non debet adſcribi, reos fieri; de quibus alibi dicit ſanctus Doctor; (*b*) *Evadunt offenſam, quamvis non acquirant gloriam.*

(*a*) Bonav. in 4. diſt. 9. a. 2. q. 3. in corp.

(*b*) Idem. l. 4. Sentent. diſt. 17. part. 2, a. 2. q. 4. ad 4.

Objici poteſt, eos de quibus loquimur, Sacramentum profanare, ac proinde mortaliter peccare, cum abſque crimine nequeat eſſe Sacramenti profanatio. Cui reſponderi facile poteſt, dicendo, quod, ſtricte loquendo, non profanatur Sacramentum, quoties infructuoſum redditur & invalidum, non habita hujuſmodi inutilitatis aut invaliditatis voluntate, ſed ſolum omiſſione quæ ex ſe non ſit lethalis. Nam, etſi defectus doloris circa peccata mortalia ſit omiſſio mortalis; quia a Deo nos avertunt, & pro viribus noſtris eniti debeamus, ut cum ipſo reconciliemur; non idem tamen de venialibus dicendum, quæ, cum Dei gratia non nos privent, ab eo quoque non nos ſeparant. Quare cum defectus doloris circa ejuſmodi peccata, ex ſe non ſit lethalis: probabile non eſt, hujuſmodi pariter defectum involuntarium in confeſſione eſſe delictum; atque eos qui hoc nomine profanationis talem defectum deſignari volunt, fateri neceſſe eſt, hanc profanationem non eſſe lethalem (*c*).

(*c*) Gener. Theolog. Moral. tom. 4. tract. 6. c. 6. n. 7. & 8.

CASUS X.

Justina in Confeſſione multos defectus & imperfectiones declarat, quæ tot eſſe judicat peccata, quorum abſolutionem petit; contra vero Confeſſario ipſius eſt perſuaſum, nullum, ne quidem veniale peccatum, reperiri, in omni Juſtinæ confeſſione. Quæritur, utrum ad majorem ſecuritatem ipſiuſque mulierculæ conſolationem abſolutio ſit ei impertienda?

Respons.

Confeſſarius ille Juſtinam abſolvere non debet in caſu propoſito. Quando enim Confeſſarius exiſtimat, defectus a pœnitente, uti peccata declaratos, re ipſa non eſſe peccata, ipſi Abſolutionem non debet impertire; quia Sacramenti formam, nonniſi ſufficienti materiæ, applicare tenetur: atqui conſentiunt omnes Theologi remotam Pœnitentiæ materiam eſſe ſolum peccatum: unde ſequitur, quod ſi defectus quos accuſat pœnitens, non ſint peccata, ſed ſolum ſimplices imperfectiones, ſeu defectus naturales; idque Confeſſario ſit perſuaſum, formam proferre nequit abſque periculo profanandi Sacramenti. Huic etiam altera poteſt addi ratio: numquam videlicet eſſe licitum, agere contra propriam conſcientiam; nam, ut ait Gratianus (*d*) in hæc Apoſtoli verba: (*e*) *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Omne, quod contra conſcientiam fit, ædificat ad gehennam.* Quo effato unam ex deciſionibus ſuis, quas refert quintus Decretalium liber, confirmat Innocentius III. (*f*): atqui Confeſſarius de quo agitur, contra propriæ conſcientiæ dictamen, Sacramenti formam rei applicaret, quam certo novit non eſſe ſufficientem materiam, quod ab eo, ut ſupra diximus, abſque crimine aut pollutionis Sacramenti periculo fieri nequit. Ceterum, ſi Confeſſario non ſit omnino perſuaſum, hos defectus ab omni culpa vacare, & merito dubitat; ſuum pœnitentem debet impellere, ut præteritæ vitæ ſingulare quoddam peccatum iterum confiteatur; illudque in actu contritionis ſuæ futuro comprehendat, ut deinde poſſit abſolvi.

(*d*) Gratianus, §. *Ex his.* ad Can. *Omnes.* 14. 28. q. 1.

(*e*) Rom. 14. 23.

(*f*) Innoc. III in cap. *Per tuas* 31. *de Simonia*, &c. lib. 5. tit. 3.

CASUS XI.

Nicolaus, natione Moſcovita, & Catholicus, degens in Gallia, nullumque reperiens Confeſſarium; Moſcovitarum linguæ peritum, in gravem incidit morbum; atque Parocho ipſum adeunti notificat, ſe velle peccata confiteri atrocia quæ commiſit, ut ab iis abſolvatur; verum cum a Parocho ejus lingua non intelligatur, ſignis tantum mentem ſuam aperit, & pectus percutit, ad ſignificandam animi ſui de peccatis contritionem. Quæritur, 1. Utrum Parochus ipſum abſolvere debeat, ſi varia quorum reus eſt peccata, ſigillatim cognoſcere nequeat. 2. Utrum homo ille omnium peccatorum ſuorum remiſſionem obtineat per Abſolutionem Sacerdotis, ſi imperfectam tantum habeat contritionem. 3. Utrum interpretem, ſi quempiam reperire poteſt, adhibere teneatur, ut Confeſſario ſuæ conſcientiæ ſtatum hac ratione manifeſtet.

Respons.

1. Parochus Nicolaum poteſt & debet abſolvere; cum in allegatis circumſtantiis in caſu propoſito non aliter confiteri teneatur, nec poſſit, & nemo ad impoſſibile obligetur, ut fert regula juris (*g*): *Impoſſibilium nulla eſt obligatio.*

2. Dubium eſſe nequit, quin Abſolutio quæ huic advenæ conferetur, peccatorum illius remiſſionem producat, etſi non perfecta ſit ejus contritio, cum ſola cum Sacramento ſufficiat attritio, ut alibi probamus. Quocirca idem ferri debet judicium de iſto homine, ac de muto qui litteras non novit, aut de ægroto, qui petito Confeſſario, loquelam amittit, aut etiam uſum rationis, priuſquam advenerit Confeſſarius: nam, ut hujuſmodi perſonis non eſt deneganda Abſolutio, ſic nec iſti advenæ, qui ſignis dumtaxat peccata declarare poteſt.

(*g*) Reg. 185. ff. *de diverſis juris antiqui*, lib. 50. tit. 17.

Caſum hunc ſic diſſolvit S. Thomas, cujus hæc ſunt verba: (*h*) *In eo, qui uſum linguæ non habet, ſicut eſt mutus, vel qui eſt alterius linguæ, ſufficit, quod per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur; quia,* inquit, ut ſupra jam diximus, *non exigitur ab homine pluſquam poſſit.*

(*h*) Supplem. 3 part. S. Thomæ, q. 9. art. 3. ad 2.

Quod ad ultimam quæſtionem pertinet, qua petitur, utrum hic advena teneretur ad interpretem, ſi quem reperire poſſet, adhibendum, nec alio modo conſcientiam ſuam aperire poſſet; quidam Theologi inter quos præcipue Yſambertus, (*i*) contendunt, eum nec præcepto divino, nec eccleſiaſtico ad id obligari. Exiſtimamus tamen eum teneri, quia eo, quo poſſumus, modo confiteri peccata tenemur. Ita etiam ſentit D. Thomas, qui cum dixit ſufficere aut per ſcriptum, aut per ſigna aliqua, aut ope interpretis, addit, quod *ideo, quando non poſſumus uno modo; debemus ſecundum quod poſſumus confiteri.*

(*i*) Yſamb. *de Sacram. Pœnit.* diſput. 18. art. 3. tom. 3. pag. 132.

CASUS XII.

Peste graſſante in Parœcia S. Mauri, Gilbertus ejus Parochus, multos ægrotos in ædibus ſuis incluſos, quos non videbat, confeſſus eſt & abſolvit, quos tamen loquentes diſtincte audiebat: quæritur utrum iſtæ Abſolutiones ſint validæ & licitæ?

Respons.

Certum eſt, hujuſmodi Abſolutiones eſſe validas & licitas. Validæ ſunt: quia ad validitatem

Abſo-

Abſolutionis efficiendam, ſufficit, ut qui eam recipit, ſit præſens, & peccata ſua Sacerdoti ſincere contritus declaraverit, & Sacerdos ipſis auditis, legitimam habeat abſolvendi poteſtatem: Ea autem omnia in caſu propoſito reperiuntur, cum ægroti, eo quo poſſunt modo, præſentes, peccata ſua confeſſi ſunt, & Parochus neceſſaria ad abſolvendum poteſtate ſit munitus. Quid igitur invalidas efficeret iſtas Abſolutiones? Numquid diebus ſingulis abſolvuntur Moniales, quæ non videntur? Num etiam generalis impenditur Abſolutio omnibus militibus exercitus, ad pugnam accinctis, licet maximam eorum partem non videat Sacerdos, nec eorum peccata poſſit audire?

Igitur Abſolutiones hujuſmodi, non modo validæ, ſed etiam ſunt licitæ, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ in duobus allatis exemplis: quibus addi poteſt exemplum Confeſſarii cæci; qui, quamvis ſuos non intueatur pœnitentes, eos tamen valide & licite pro certo poteſt abſolvere. Idem igitur affirmari debet de Abſolutionibus a Parocho in caſu propoſito conceſſis: Plurimi namque refert, ut peſtis tempore prudenter caveat Parochus, ne in ſimilem morbum incurrat, ut Parochianis opem præſtare poſſit, cum id fieri poteſt abſque præjudicio eorum ſalutis. Hæc adeo ſunt per ſe clara & aperta, ut probatione non egeant.

CASUS XIII.

Bernardus, adoleſcens Sacerdos, ad audiendas confeſſiones non ita pridem admiſſus, in quibuſdam Caſuiſtis legit, quod quotieſcumque pœnitens affirmat, ſe pœnitere de ſuo peccato; ac promittit, ſe in poſterum illud non admiſſurum; verbis ejus fidem adhibere debet Confeſſarius, nec ſine injuſtitia abſolutionem ei denegare poteſt. Petitur utrum Bernardus in praxi ſemper hanc regulam ſequi poſſit.

RESPONS.

Certum eſt, Bernardum tota conſcientia non poſſe in praxi ſequi hanc regulam, quia falſa eſt & periculoſa, ſi generaliter & ſecundum verba in caſu præſenti expreſſa ſumatur, ut nunc oſtendemus, præcipuas referendo rationes, ob quas tenetur Confeſſarius abſolutionem petentibus aut differre aut etiam denegare: quocirca hoc reſponſo multi definientur caſus ſingulares, qui hac de re poſſunt proponi.

Sed prius pro certo habendum Confeſſarium, utpote Sacramenti pœnitentiæ Miniſtro, non eſſe licitum illud adminiſtrare, niſi iis, quos ad illud recipiendum ſufficienter eſſe diſpoſitos judicat; eumque ſub peccato teneri aut prorogare aut abſolutionem denegare iis, qui ad eam neceſſarias diſpoſitiones non afferunt: ut probari poteſt iſtis Inſtitutionis hujus Sacramenti verbis apud ſanctum Joannem: *(a) quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt:* aut iſtis aliis, quæ apud ſanctum Matthæum leguntur: *(b) quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Num juxta ſanctorum Patrum expoſitionem, Chriſtus his verbis Sacerdotibus non ſolum peccatores ſolvendi poteſtatem contulit: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* ſed etiam poteſtatem eos ligandi, hoc eſt, ipſis denegandi aut prorogandi gratiam Abſolutionis, cum addit: *& quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quod etiam expreſſe definivit Concilium Tridentinum his verbis: *(c) Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres (d) credunt & docent.*

(a) Joan. 20. 21.

(b) Matth. 18. 29.

(c) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 8.

(d) S. Hieron. in Matth. 16. & S. Ambr. lib. 1. de pœnit. c. 2.

Omnis igitur difficultas in eo poſita eſt, ut dignoſcatur, quinam ſint ii, qui ad abſolutionem recipiendam ſufficienter non diſpoſiti; & quibus proinde teneatur Confeſſor eam ad tempus differre, aut omnino recuſare. Ut unica reſponſione innumeris ſatisfiat caſibus ſingularibus, qui hac de re morali poſſunt proponi; generales heic tantum afferemus regulas, quas ſequi tamquam certas, omnino neceſſe eſt, & e quibus facile poterunt erui particulares concluſiones ad ſolvendas varias difficultates, quæ ea de re poſſunt fieri.

1. Proroganda eſt abſolutio iis, qui propter ſuam culpam aut negligentiam articulos doctrinæ Chriſtianæ ignorant, quorum cognitio eſt neceſſaria ad ſalutem, ut ſunt myſteria ſanctæ Trinitatis, Incarnationis, Redemtionis per merita Chriſti, & præmii æterni: articuli Symboli Apoſtolorum, ſaltem quoad ſubſtantiam: Præcepta Dei & Eccleſiæ, Oratio Dominica, Sacramenta, quæ ſunt recipienda & officia ſui ſtatus, conformiter ad Regulas, quas ſtatuit S. Carolus Borromæus, (e) cujus hæc ſunt verba: *Quicumque rationis uſum attigerit, ſub reatu peccati mortalis omnes Symboli Apoſtolici quo Eccleſia utitur, articulos ſcire tenetur, ſaltem quoad ſubſtantiam: item Dei & Eccleſiæ præcepta, quæ ſub peccato mortali obſervanda ſunt, quæque ſolent in ſcholis doctrinæ Chriſtianæ comparari. Ubi ergo pœnitens hæc ignoraverit; ſi quam primum ad ea diſcendum non acquieverit, abſolvi non debet. Immo, ſi ad ea diſcenda ſe diſpoſitum ſignificaverit; interrogandum, num alias de ea negligentia a Confeſſore, ſive ipſe ſit, ſive alius, aut Paſtor, monitus fuerit: ſi quidem pro modulo diligentiam ad hoc non adhibuerit, tamdiu illi abſolutio differatur, donec huic officio pœnitens ſatisfecerit. Quod ſi nondum admonitus fuerit, abſolvatur quidem; ſed de ſupradictis, ut poterit, inſtruatur.*

(e) S. Carolus part 4. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis. Inſtruct. Confeſſorum circa med.

Conſequenter ad hanc regulam ſtatuit idem ſanctus Cardinalis, ut *patres aut matres familias, qui ſuos filios aut domeſticos (de quo interrogabuntur) ſupradicta ſcire neglexerint, aut ab iiſdem Dei & Eccleſiæ præcepta obſervari non curant; aut, quod plus eſt, obſervari impediunt: puta, cum famuli & famulæ ita occupantur, ut pro ſuis neceſſitatibus laborare feſtis diebus ipſis neceſſum ſit; aut tempus non concedunt, quo illi juxta Eccleſiæ præceptum miſſæ poſſint intereſſe; aut qui, an ſint in ſua familia, qui legitimo impedimento teneantur, ignorantes, cœnare eos ſinunt quadrageſimæ, aut alio jejunii dierum tempore, aut prandere ante horam in his diebus inſtitutam, aut eos objurgare negligunt, cum præcepta Dei tranſgrediuntur: aut denique quando famuli cum ſcandalo & ſine emendatione vivunt, nec e domo eos eliminant: ſi in his caſibus officio non ſatisfaciant, nec de hactenus habita circa familiæ ſuæ curam in ſupradictis negligentia emendentur; non abſolvantur.* Quibus omnibus addi poſſunt 1. Damnatio hujus pernicioſæ propoſitionis ab Innocentio XI. *(f): Abſolutionis capax eſt homo, quamvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* 2. Multa Ritualia, quæ invalidam declarant eorum confeſſionem, qui culpabiliter ſunt in tali ignorantia.

(f) Propoſitio 24. damnata ab Innocentio XI. die 2. Martii an. 1679.

2. Differri aut etiam negari debet abſolutio iis, qui in proxima verſantur peccati mortalis occaſione, quam fugere, cum poſſint, renuunt; ſeu res ex ſe ipſa ac natura ſua, ſeu per accidens propter malum habitum ad peccatum inclinet. *(g)* Ratio evidens eſt: quia omnis peccator abſolutionis eſt indignus, niſi abſolute a peccato abſtinere velit: Atqui non poteſt affirmari, eum a peccato velle ſe abſtinere abſolute, qui proximam peccandi occaſionem effugere renuit: Nam qui vult cauſſam, cenſetur, ſaltem virtualiter, ut loquitur Schola, velle quoque effectum, qui neceſſario, aut ſaltem vulgò ex ea dimanat: neque veram facere poteſt pœnitentiam, dum peccati cauſſam non vult evitare. *Satisfactio* namque *pœnitentiæ*, inquit Canon apud Gratianum, *(h) eſt peccatorum cauſſas excidere.* Hinc aſſerit alius Canon, *(i)* quod *valet interdum converſis pro animæ ſalute mutatio loci. Plerumque enim, dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus.* Et Sapiens ait: *(K) Qui amat periculum, in illo peribit.*

(g) Statutum Cardinalis Grimaldi. n. 4.

(h) Satisfact. 3. de pœnit. diſt. 3.

(i) Can. Valet. 0. diſt. 8.

(K) Eccli. 3. v. 27.

Juvat, heic præclaras ſancti Caroli Borromæi inſtructiones referre. En verba illius: *(l) Sciant denique* (Confeſſarii) *ſe non poſſe iis impendere beneficium abſolutionis, qui peccati mortalis occaſionem omnem fugere ſerio non propoſuerint.* Sic autem proximam

(l) Act. Eccleſiæ Mediol. part. 4. inſtruct. Confeſſ. cit.

ximam occaſionem definivit hic ſanctus Archiepiſcopus .... *peccati mortalis occaſiones vocantur, quidquid ad peccatum inducit, aut ea ſua natura aut ex parte pœnitentis fragilis, qui in ea occaſione poſitus, ita peccare conſuevit; ut probabile ſit, ex eo peſſimo habitu in eadem peccata lapſurum, ſi in illa occaſione amplius perſeveret.* Et adductis quibuſdam propoſiti ſui exemplis, ita concludit: *Pœnitentem ergo in aliqua ex his occaſionibus verſantem, aut ſimilibus, ſi urgens ſit illa occaſio, ut qui concubinam v. g. aleret; non debet ſine dubio Confeſſarius abſolvere; niſi hanc occaſionem antea ſuſtulerit. Pro aliis vero occaſionibus, quales ſunt aleæ vacatio, aſpectus minus pudici, colloquia, geſtus &c. non abſolvatur, niſi eas dimittere pœnitens polliceatur. Quod ſi jam alias id pollicitus ſit, nec emendatus fuerit; abſolutio tamdiu differatur, donec emendationem agnoverit.* Sic de prima occaſionis proximæ ſpecie loquitur hic Sanctus, hoc eſt, de iis quæ natura ſua ad peccatum impellunt; tum de ſecunda occaſionis proximæ ſpecie loquitur, id eſt, de iis quæ caſu tantum & ex pravo cordis habitu ad peccandum inducunt, quarum nonnullis allatis exemplis, regulas præſcribit, quas prudens debeat ſequi Confeſſarius; quæ adeo præclaræ & utiles ſunt, ut earum lectio, licet iſto longiori textu contenta, tædium afferre cuiquam non poſſit. *Peccatorum mortalium occaſiones, quæ tales habentur, non niſi ex perſonæ infirmitate*, inquit, *ſunt eæ res, quæ, licet in ſe licitæ ſint, prudenter tamen judicatur, pœnitentem earum uſu in eadem peccata relapſurum, ſi in iis, ut antea, immoretur. Sic multis eſſe ſolet ſæculi frequentatio, militia, commercium, magiſtratus, advocatorum aut procuratorum profeſſio, aliaque ejuſmodi exercitia, in quibus homo, qui ſæpius moraliter peccare conſuevit, vel ex blaſphemia, furto, injuſtitia, calumnia, odio, fraude, perjuriis, vel aliis, ex quibus novit, quod ſi in his exercitiis verſetur amplius, illi erunt totidem peccandi occaſiones; non eſt ſane cur exiſtiment, pœnitentem illum peccati occaſionibus efficacius obſiturum, quam antea: unde in eadem peccata relapſurum prudenter judicari poteſt; ideo tales, ut ait Auguſtinus, aut debeat ab hoc exercitio, ipſis periculoſo, omnino abſtinere, aut ſaltem huic non vacare, niſi cum licentia & directione Sacerdotis probi & prudentis, qui non debet in eo ſtatu pœnitentem abſolvere, ſi in eadem peccata, quamdiu in eadem occaſione perſeveraverit, rurſus iturum dubitet. Ideo debet per aliquod temporis ſpatium de emendatione certior fieri.*

Quod S. Carolus heic de profeſſionibus, quæ ſunt proximæ peccati occaſiones, aſſerit, id ipſum jam ante declararat S. Gregorius Magnus his terminis: *(a) Sunt enim pleraque negotia, quæ ſine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, ut animus non recurrat.*

(a) S. Greg. Hom. 24. in Evang.

Gravioribus etiam verbis mentem ſuam hac de re, in Concilio Romæ habito ann. 1078. quod refert Gratianus, aperuerat Gregorius VII. *(b)*. Hæc ſunt illius verba: *Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum ſanctorum patrum auctoritatem pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit.... recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi negotium derelinquat, vel officium deſerat.... arma deponat, ulterioſque non ferat.*

(b) Can. Falſas, c. de pœnit. diſt. 5.

Non minus vehementer rem hanc explicat Innocentius II. in Concilio Generali Romæ habito an. 1139. *Falſa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nullatenus prævalet.*

Antiquam iſtam Eccleſiæ diſciplinam ſectans Innocentius XI. Decreto ſuo 2. Martii an. 1679. dato in 65. propoſitiones morales, iſtam damnavit: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult omittere. Quin imo directe & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit:* & ſexageſimam ſecundam his verbis: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit:* denique iſtam ſexageſimam tertiam: *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.* Tanta fuit & mentis cæcitas & animi pravitas illorum Caſuiſtarum, quorum audaciam non modo ſancta Sedes cohibuit, ſed quibus etiam obſtitere multi, iique doctiſſimi Præſules noſtræ ætatis *(c)*.

(c) Statutum Cardinalis Grimaldi, art. 6.

Statutum Epiſcopi Atrebatenſis, 7. Nov. an. 1671. &c.

Priuſquam tertium caput expendamus, non alienum erit obſervare 1. S. Carolum exiſtimare, quod ſi Confeſſarius prudenter judicat, ſe poſſe fidem adhibere primo aut ſecundo pœnitentis promiſſo, quo peccati ſui occaſionem vitare ſe obſtringit; tunc abſolvi poteſt; ſed non ultra: Quod ſi contra ſuis promiſſis eum non ſtetiſſe, tertia vice agnoſcat; tum deneganda eſt ei abſolutio, donec omnino occaſionem culpæ ſuæ effugerit: alioquin pœnitentis delicta præpoſtere in ſe transferret, ac Prophetæ Samueli contradiceret, qui id præſtare recuſavit Sauli dicenti: *Peccavi; ſed nunc porta, quæſo, peccatum meum*: quod exemplum imitari debet prudens Confeſſarius, juxta monitum Auctoris antiqui, cujus opus S. Gregorio Magno adſcribitur, dicentis: *(d) Ecce fortis Propheta refugit ſuſcipere onus regalis peccati; ut Sacerdos Eccleſiæ timeat, & peccatorum importabilium pondera ſubire pertimeſcat.*

(d) Apud S. Greg. in 1. Reg. 15. 31. lib. 6. c. 2.

2. Id quoque advertendum: ſicut non debet is abſolvi, qui proxima peccati mortalis occaſione implicitus eam effugere renuit; idem dicendum eſſe de eo, qui proximo ſuo Deum lethaliter offendendi occaſionem præbet, niſi huicce malo, quantum in ſe eſt, remedium afferat. *(e)* Tales ſunt. 1. Mulieres, quæ a ſuis monitæ Confeſſariis, mammas habere detectas ac nudas perſeverant. 2. Ii, qui laſcivas pingunt & vendunt Tabulas *(f)*, quæ ad impudicitiam concitant. 3. Ii qui apud ſe alearum, aliorumque ludorum conventus habent, ubi vulgo admittuntur juramenta, blaſphemiæ, imprecationes, fraudes, comeſſationes, aliaque ſimilia peccata. 4. Qui hujuſmodi aleis & ludis impenſe dediti, in iis tempus omne conſumunt, nec ludunt niſi rixando & jurando. 5. Qui cœtus conſectantur, in quibus vulgo in caſtitatem quomodocumque delinquitur, 6. Qui ebrioſitati addicti, popinas frequenter adeunt, ſæpe cum propriæ ſuæ familiæ damno, aut proximi ſcandalo. 7. Perſonæ publicæ, ut Paſtores, Confeſſarii, Judices, Medici & aliæ ſimiles, quæ propter ignorantiam neceſſaria ſtatus ſui nequeunt obire munia, aut quæ ad id ſufficientes in re gravi iiſdem fungi negligunt. 8. Qui libros componunt contra fidem, aut bonos mores, ut ſunt libri hæretici, magici aut amatorii; *(g)* ac ſimiliter typographi & librarii, qui eoſdem aut imprimunt, aut vendunt. 9. Domini Parochiarum, & alii auctoritatem habentes, qui a ſubditis ſuis Dominicos aut Feſtos dies profanari permittunt: & a fortiori, qui, licet moniti, licentiam hanc notorie ſcandaloſam auctoritate ſua confirmant. 10. Tandem, patres, matreſque familias, qui inter pueros ſuos, aut famulos ſuos turpia quædam facta patiuntur.

(e) Statutum Cardinalis Grimaldi. art. 5.

(f) Idem. art. 7.

(g) Idem n. 6.

3. *Proroganda eſt adhuc abſolutio, donec emendentur*, inquit S. Carolus Borromæus *(h)*, *his, qui, licet ſe peccatum dimiſſuros polliceantur; ab illo tamen non ſeparandos Confeſſor ſuſpicetur: ut ſunt ii, & præſertim juvenes otioſi, qui ſolent majoris temporis parte aleis, crapulis, amoribus, peccatis carnalibus, blaſphemiis, inhoneſtis converſationibus, diſſenſionibus, odiis & detractionibus vacare... aut qui a multis annis in iiſdem peccatis perſeverarunt; nec, ut emendarentur, laborarunt.*

(h) S. Carol. Borrom. Acta Eccleſiæ Mediol. part. 4. t. Inſtructio Confeſſorum.

Idcirco autem poſt ſanctum Archiepiſcopum affirmamus, peccatoribus habitualibus prorogandam aut etiam recuſandam eſſe abſolutionem, quia vera contritio neceſſaria eſt ad Sacramentum pœnitentiæ digne recipiendum: atqui contritio, ut vera ſit, neceſſario debet habere ſincerum atque conſtans propoſitum non peccandi, ut declarat Concilium Tridentinum *(i)*: *Declarat igitur ſancta Synodus*, inquiunt Patres hujus Concilii, *hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud (k): Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis: & facite vobis cor novum & ſpiritum novum.* Qua in re conſentit

(i) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 4.

(k) Ezech. 18. 31.

Con-

Concilium cum Apoſtolo dicente: (a) *quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Hoc eſt, ſincera contritio emendationem vitæ ſtabilem & conſtantem producit.

Quæ cum ita ſint, quo pacto Confeſſarius tantillom eruditus, ſapienter judicare poteſt, hominem, in ſuo peccato perſeverantem, cujus vita continua eſt confeſſionum infructuoſarum, quotidianique in vitia relapſus circuitio; ſinceram habere contritionem, firmumque non peccandi conſilium, cum qoalibet die & ſæpe per multos annos ſine intermiſſione converſatione ſua contrarium teſtetur? Profecto qui ſic judicaret, aliter ſane ac divus Auguſtinus ſentiret, cujus hæc ſunt verba (b): *Si ergo pœnitet; cur facis, quod male feciſti? ſi feciſſe pœnitet, noli facere. Si adhuc facis; certe non es pœnitens*. Hinc *irriſor eſt* (c), inquit antiquus Auctor, *non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet: nec videtur Deum poſcere ſubditus; ſed ſubſannare ſuperbus. Ille pœnitentiam digne agit, qui, quæ commiſit ſic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat*. (d) *Nam qui plangit peccatum & iterum admittit peccatum: quaſi ſi quis lavet laterem crudum: quia quanto magis laverit, tanto magis lutum facit*. Quare Coocilium Toletanum merito in falſos illos inſurgit pœnitentes, qui ſibi debitam eſſe, quoties libuerit, pœnitentiam contendunt; ac ſapiens iſtud conſtitoit ſtatutum (e): *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundum canonem, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam; ut quotieſcumque peccare libuerit, toties a Presbytero ſe reconciliari expoſtulent: & ideo pro coercenda tam exſecrabili præſumtione, id a ſancto Concilio jubetur; ut ſecundum formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ*.

Non ergo ſufficit, ut ore tantum fateatur pœnitens ſe a Deo veniam poſtulare; eumque offendiſſe, ſe dolere, cum vera contritio non in verbis, ſed in interno voluntatis peccatum, utpote Deo diſplicens, actu deteſtantis conſiſtat. Quare ad ſola pœnitentis verba non attendere debet prudens Confeſſarius: *pœnitentia erga non verbis agenda eſt, ſed & facto*, inqoit S. Ambroſius (f). *Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit.... ſed opera quæruntur*, ait alter Auctor antiqoos (g). Pœnitentiæ laborioſæ operibus certus eſſe debet Sacerdos de intima ſui pœnitentis diſpoſitione; cum enim inania Deo verba non ſatisfaciant, nec iis etiam contentus eſſe debet. *Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis*, ut loquitur S. Gregorius (h), *cum æterni arbitrium ſequitur Judicis*.

Equidem tenetur Confeſſarius iis fidem adhibere, de quibus ſe accuſat pœnitens; verum ſuſpecta prudenter debet habere ejus promiſſa, qui ſimilibus ſæpe ſæpius obſtrictus, nulla adimplevit: ac juſte ſuſpicari poteſt, ne com a promiſſis facta plerumque diſcrepent, ſe ipſum circumveniat, conſcientiæ ſuæ latebras non ſufficienter explorans: *quibus fit*, ut docet S. Gregorius (i) his verbis, *ut aliud in imis intentia ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat. Nam ſæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono amare quod non amat; de mundi autem gloria non amare quod amat*. Igitur abſolutionem habituali peccatori conferre non debet Sacerdos, ne injuſta illa indulgentia ipſum infirmiorem remittat qoam antea; cum ſæpe fiat, ut hujuſmodi pœnitentes e tribunali Pœnitentiæ, novo onuſti crimine, hoc eſt, Sacramenti profanatione, exeant, & in ipſos juſte cadat hæc tremenda Principis Apoſtolorum ſententia, (K) *facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus*.

Dictis tandem hactenus addi poteſt exemplum praxis quarumdam Eccleſiarum antiquarum, quibus ita viſum fuit abſolutionis præpropere certum diſcrimen, ut iis etiam per quædam ſæcola denegarint, qui in gravia a baptiſmo lapſi crimina, nonniſi extremo vitæ ſuæ tempore illam poſtulabant, ut videre eſt in Concilio Eliberitano, quod in hoc caſo, ne mulieres quidem excipit, etſi majorem erga eas ſemper indulgentiam oſtenderit Eccleſia (l). Teſtis eſt etiam locupletiſſimus antiquæ hujus & adeo ſeveræ ac tremendæ diſciplinæ ſanctus Cyprianus ad Antonianum epiſcopum ſcribens (m) his verbis. *Idcirco, frater cariſſime*, inqnit ſanctus Martyr, *pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis & pacis; ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia; ſed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*. Duram hanc ſeveritatem non imminuit hic ſanctus Epiſcopus, niſi erga ſolos peccatores, qui in perſecutionis diſcrimen adducebantur, ut alibi ſcribit (n).

(a) 2. Cor. 7. 10.

(b) S. Aug. in Can. Pœnitentes. 10. de pœnit. diſt. 1.

(c) Iſidorus l. 2. Sentent. c. 16. in Can. Irriſor. 11. de pœnit. diſt. 3.

(d) Can. ille. 9. ead. diſt.

(e) Conc. Tolet. 3. Can. 11.

(f) S. Ambr. l. de Lapſu Virginis, n. 33.

(g) Apud S. Auguſt. Serm. 215. n. 1. alias 57 de tempore, nunc in Append.

(h) S. Greg. Hom. 26. in Ezechielem.

(i) S. Greg. Paſt. curæ 1. part. c. 9.

(K) 2. Petri 2. 20.

(l) Conc. Eliberit. Can. 65. 66. 68. 70. & 71.

(m) S. Cyprian. Epiſt. 52. ſecundum Pamelium, vel lib. 4. Epiſt. 2. ſecundum Eraſm. vel 55. ſecundum Fellum Oxon.

Hæc eadem diſciplina diu poſt ſanctum Cyprianum etiam vigebat, ut primo Arelatenſi Concilio videre licet; quo Apoſtatæ, qoi, neglecta per vitam pœnitentia, reconciliationis & abſolutionis gratiam poſtulabant, hujus ſolatio privabantur: (o) *Placuit, eis non dandam Communionem, niſi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ*. Quæ verba ſunt Canonis 23. hujus Coocilii.

Quæ hactenus diximus, manifeſte oſtendunt, quam ſuſpecta Eccleſiæ ſemper viſa ſint Confeſſiones, & promiſſa pœnitentium habitualium; neque eorum qui in habitu peccati vixere, certam eſſe poſſe converſionem, niſi præteritum vitæ ſuæ tempus in melius commutaverint; atque adeo prudenti Confeſſario promiſſiones eorum non ſufficere debere, ut de eorum converſione certus fiat: quare de hujuſmodi peccatoribus loquens S. Bernardus, (p) ait, *dicit: Quia dives ſum, & nullius egeo; cum ſit pauper, & miſer, & miſerabilis. Nam & inventa occaſione ebullire ſaniem, quæ latebat in ulcere; & excisam, non exſtirpatam arborem in ſilvam pullulare videas denſiorem. Quod periculum ſi volumus declinare, ſecurim ponamus neceſſe eſt ad radices arborum, non ad ramos*. Hoc eſt: peccatori non ſufficit pœnitenti, ut a conſuetis ſe abſtineat peccatis, ſed neceſſe eſt etiam ad ſinceram veramque converſionem, ut eorum cauſſas & cupiditatem eradicet; quo vigeat in ipſo ſolida pietas ac pura caritas.

Id etiam in iis certius eſt, qui totum vitæ ſpatium in pravis & crimineſis habitibus decurrunt, atque converſionis ſuæ tempus ad ſeniles annos remittunt: nam de iis proprie loquitur Job, dicens: *Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient* (q). Nam ex dicto Sapientis (r), *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*.

His tandem finem imponemus Cenſuram referendo periculoſæ hujus & temerariæ propoſitionis, quam inſulſe protulerant moderni quidam Auctores, factam ab Innocetio XI. 2. Martii an. 1679. (ſ): *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ; etſi emendationis ſpes nulla appareat; nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodo ore proferat, ſe dolere & proponere emendationem*.

4. Illis pariter neganda eſt abſolutio, qui inimicitias & odia in proximum animo gerentes, ex parte ſui id præſtare nolunt, ut cum ſuis inimicis in gratiam redeant. Is namque Dei amicitiam non meretur, qoi renuit cum proximo inire concordiam. Unde a Nannetenſis Concilii Patribus iſtud fuit conditum ſtatutum: (t) *Ut Dominicis & diebus feſtis Presbyteri, antequam Miſſas celebrent, plebem interrogent..... ſi aliqui diſcordantes ſint, qui inter ſe litem implacabilem habeant: & ſi inventi fuerint, ſtatim reconcilientur. Quod ſi renuerint pacem ſuſcipere, ab Eccleſia ejiciantur, uſque quo ad caritatem redeant*.

Provinciale Concilium Agathenſe ſub Symmacho Papa a triginta quinque Epiſcopis habitum longius procedit, cujus eſt iſtud decretum (u). *Quod ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de Eccleſiæ cœtu juſtiſſima excommunicatione pellantur*. Qua re manifeſtum eſt, hujuſmodi perſonas ab Eccleſia Sacramentorum incapaces judicari; quæcumque aliunde pœnitentiæ opera exerceant: nam, ut in Romano Concilio quinto ſub Gregorio VII. declaratum eſt. (x) *Qui odium in corde gerit, recognoſcat, ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere*.

At vero facile non dijudicari poteſt, quem ſibi quiſque modum præſcribere debeat, cum de diſſenſione agitur, propter varias quæ occurrunt, circumſtantias. Quapropter magna opus eſt Confeſ-

(n) Idem Epiſt. 54. Pamelio, vel Eraſm. l. 1. Epiſt. 2. vel 57. ſecundum Fell. Oxon.

(o) Conc. Arelat. 1. ſub S. Silveſtro, Can. 3.

(p) S. Bern. Serm. 2. de Aſſumpt. beatæ Virgin. c. 6.

(q) Job. 20. 11.

(r) Proverb. 22. 6.

(ſ) 60. Propoſitio, damnata ab Innocent. XI. inter 65.

(t) Conc. Nannet. c. 1.

(u) Conc. Agath. c. 31.

(x) Conc. Rom. 5. in Can. Falſas. 6 de pœnit. diſt. 5.

Digitized by Google

feſſario prudentia, ne a pœnitente indebitas agendi rationes exigat. Attamen inficiari non poteſt abſolutionem eſſe negandam. 1. Iis, qui, cum ſint aggreſſores, debitam a ſe offenſis ſatisfactionem recuſant. 2. Iis, qui inimico ſuo nec bene, nec male ſe cupere profitentur, ſed eum qualis ſit, talem eſſe velle; quibus eum oblata occaſione non ſalutare eſt conſtitutum, aut pro eo ad Deum preces fundere; aut ipſi in neceſſitatibus ejus vel ſpiritualibus vel temporalibus opem præſtare. 3. Iis, qui præteritas ſuas inimicitias non confitentur, niſi actualem etiam in inimicum averſionem oſtendendo, dum ſcilicet de eo & animo & voce iracunda loquuntur, ut eorum indicant verba. 4. Iis, qui ipſius occurſum accurate devitant, de eo paſſim male loquuntur, de eo bene audire non niſi moleſte ferunt; de ipſius malis exſultant, aut de bono ac proſperis rebus mœrent. Ii omnes abſolutionis gratia indigni cenſeri debent, dum pravo eo modo afficiuntur, ut fert ſtatutum Cardinalis Grimaldi *(a)*. 5. Qui alienam rem, cum reddere poſſint, injuſte detinent, abſolutionis quoque ſunt incapaces *(b)*. *Si enim res aliena, propter quam peccatum eſt*, inquit S. Auguſtinus *(c)* in ſua ad Macedonium Epiſtola, *cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur: ſi autem veraciter agitur; non remittetur peccatum; niſi reſtituatur ablatum; .... cum reſtitui poteſt*. Eodem in numero haberi debent ii, qui multoties jam de reſtitutione moniti, quam promiſere, eam adimplere, cum poſſint, neglexerunt; nedum enim novis eorum confidere debeamus promiſſis, iis e contra abſolutio eſt deneganda, donec ſatisfecerint.

(a) Statutum Cardinalis Grimaldi. art. 2.

(b) Ibidem art. 3.

(c) S. Aug. Epiſt. 153. n. 6.

Quod dicimus de obligatione reſtituendi, debet intelligi de iis omnibus, qui commiſſa aliqua injuſtitia, aut illato damno proximi ſui bonis aut honori; ipſum pro poteſtate reſarcire contemnunt, aut qui, cum multoties id promiſerint, promiſſa præſtare neglexerunt; cum bujuſmodi perſonæ in proxima cenſeantur verſari occaſione peccati alienam rem injuſte retinendo: *Ante factam reſtitutionem nemo abſolvatur*, inquit S. Carolus Borromæus, *(d) niſi impotentia, aut gravis & periculoſa infirmitas obſtiterit: cui tamen, ut quam primum poterit, ſatisfaciat, præcipietur*. Hæc eſt etiam communis ſententia Auctorum, qui agunt de Moralibus *(e)*.

(d) S. Carol. Acta Eccleſ. Mediol. p. 4. tit. *inſtruct. Confeſſorum*.

Sub eo capite continentur 1. ii, qui ob immoderatas & ſuperfluas impenſas, debita ſua ſolvere nequeunt. 2. Qui, ut debita perſolvant, creditores ſuos immenſo pretio annonam aut alia ſimilia mercari, auctoritate ſua compellunt. 3. Domini altam juriſdictionem habentes; qui, cum fuerint moniti, in ſuis Dominiis jura exerceri negligunt; vel quia nocentes tutantur, aut neceſſariis parcunt impenſis, ut debitis damnentur ſuppliciis. 4. Domini Parœciarum, qui neglecta Paſtorum aut Confeſſariorum ſuorum pia admonitione, vel minis vel aliter Clientes ſuos in Moletrinis ſuis frumenta molere cogunt, etſi jure illo non fruantur; vel qui, cum jus illud in Clientes ſuos habeant; Piſtrinarios ſuos falſas retinere menſuras patiuntur. 5. Denique ii omnes, qui commiſſas in ſuos Clientes injurias aut vexationes reſarcire nolunt; aut ſola dant, abſque executione promiſſa *(f)*.

(e) Azor. Cajet. Navar. Reginald. De Sainte Beuve. tom. 1. Caſ. 40. & 208 Merbeſius, *de reſtit. in genere*. diſp. 1. puncto unico prop. 2. Statutum Card. Grimaldi. art. 3. &c.

6. Tandem neganda eſt abſolutio publicis peccatoribus; *neque eos abſolvat* Confeſſarius, inquit Rituale Romanum, *(g) qui publicum ſcandalum dederunt; niſi publice ſatisfaciant & ſcandalum tollant*. Publicus autem peccator is dicitur, qui in peccato mortali perſeverat, quod eſt publicum vel evidentia facti, vel confeſſione publica peccatoris, vel debita convictione juridica in foro Eccleſiaſtico aut Seculari. Nunc ſi quæratur, qualis debeat eſſe publica ſatisfactio, quam a publico peccatore debet exigere Confeſſarius; diſtinguendum eſt. Nam vel is peccator ſanus eſt, vel æger. Si ſit ſanus; hac de re Epiſcopum conſulat Confeſſarius, ejuſque mandata obſervet: Si periculoſe ægrotet peccator; cogendus eſt, tum cum ei viaticum ſanctum & Extrema unctio adminiſtrabuntur, ad petendam ſuppliciter a Deo veniam, & ab iis, qui tum forte aderunt, ob ſcandalum quod præbuit; ejuſque cauſſam removendam. Sic cogendus Concubinarius, ut domo ſua concubinam expellat: Uſurarius, ut uſuras reſtituat, vel, ſi forte extemplo id ipſum præſtare nequeat, ut ſaltem ſufficientem iis faciat cautionem, quibus debita eſt reſtitutio: inimicus, ut in concordiam redeat, æternaque odium oblivione premat: & ſic de ceteris.

(f) De Sainte Beuve tom. 1. Caſib. 116. 117. 118. & 121.

(g) Rituale Rom. *de Sacram. pœnitentia*. Statut. Synod. Card. Grimaldi. n. 8. De Sainte Beuve. tom. 1.

Præter illas regulas generales, quas ſibi proponere debet ſapiens Confeſſarius, quoad abſolutionis repulſam; deinceps tamen ſingula quæque enumerabimus, multis reſpondendo ſingularibus difficultatibus quarum circumſtantiæ majorem poſtulant explicationem.

CASUS XIV.

Cestius, vir nobilis Catholicus, cubicularium habet hæreticum: quæritur utrum ſub peccato teneatur illum e domo ſua ablegare, ne forte illius ſamuli conſuetudine ad hæreſim abducatur; & utrum eum expellere recuſans, a Confeſſario cogendus ſit per abſolutionis denegationem.

Responsio.

Non tenetur ad ablegandum talem ſamulum, ordinarie loquendo. Ratio eſt, quia *Magis eſt probabile*, inquit S. Thomas *(h) quod ſervus, qui regitur imperio domini, convertatur ad fidem domini fidelis, quam e converſo. Et ideo non eſt prohibitum, quin fideles habeant ſervos infideles. Si tamen*, addit S. Doctor, *domino periculum immineret ex communione talis ſervi, deberet eum a ſe abjicere ſecundum illud mandatum Domini: (i) Si pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te*. Et in eo caſu ad id cogi deberet abſolutionis recuſatione.

(h) S. Thomas. 2. 2. q. 10. art. 9. ad 3.

(i) Matth. 18.

CASUS XV.

Balduinus, ampliſſimi dominii villicus generalis, actu in proxima impudicitiæ occaſione verſatur; cum domi ſuæ mulierem retineat, quacum ſæpiſſime libidinoſe egit. Ipſi præcepit Confeſſarius, ut famulam hanc a ſe dimitteret; verum ei declaravit, id a ſe fieri non poſſe. 1. Quia cum ſit ſagaciſſima, rerumque ſuarum valde intelligens, ipſius curæ octo aut decem alios famulos commiſit, tam ad ea quæ ad eorum cibum, quam quæ ad cetera pertinent. 2. Quia famulæ hujus maritum procuratorem ſibi habet, rerum omnium ſuarum adeo intelligentem, ut abſque illius opera brevi in pejus ruerent omnia ſua negotia, quibus propter ingenii ſui tarditatem, & experientiæ defectum invigilare non poteſt ſine hominis illius auxilio, quo privaretur, mulierem ejus e domo ſua expellendo. 3. Quia tam mulieri, quam marito plus octingentas libras debet; quas tam cito, abſque gravi incommodo ſolvere non poteſt.

Quæritur 1. utrum iſtæ rationes non ſufficiant, ut ab illa muliere abigenda excuſetur Balduinus. 2. Utrum Confeſſarius ipſi abſolutionem impertire non poſſit ob firmum illius cum hac muliere non amplius peccandi propoſitum.

Responsio.

Omnes illæ rationes, quantumvis in ſpeciem probabiles, in foro interno conſcientiæ ſunt omnino illegitimæ. Nam, licet Balduinus rem ad majores anguſtias adduceret, & tamquam certiſſimam rerum ſuarum ruinam, expulſione hujus famulæ e domo ſua, ſupponeret, eam tamen retinere non poſſet, juxta illam Domini noſtri ſententiam *(k)*: *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur; animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

(k) Matth. 16. 26.

Ultro quidem fatemur, villicum hunc generalem ex famulatu mulieris hujus ac mariti ejus magnum lucrum percepturum, remque omnem dilapſuram, ſi eos a ſe abigeret; cum præcipuæ ſint ipſi, ut ſupponitur, utilitatis; ſed eos apud ſe retinens, animæ ſuæ patitur detrimentum, quia in proxima peccati mortalis remanet occaſione. Quid igitur lucri afferret ipſi ad æternitatem, ex hujuſmodi famulitio percepta utilitas, quæ ſalutis ſuæ jacturam

non

Digitized by Google

non impediret? Aliunde, dicit Chriſtus apud S. Lucam *(a)*: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Et paullo poſt *(b)*: *Sic ergo omnis ex vobis, qui renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Hoc eſt, ut quis ad Chriſtum pertineat, neceſſe eſt, ut iis omnibus renuntiet, quæ aut a Chriſto ſeparant, aut ad Chriſtum ſincera pœnitentia redire prohibent. Omnis igitur abjicienda eſt temporalis utilitas, ubi ejus haberi non poteſt ratio, niſi perſeveremus in peccato mortali, ad quod nos indubitanter occaſio proxima inducit.

(a) Luc. 14.
(b) Ibid. v. 27.

Ob eam rationem hero qui famula ſua abutitur, neganda eſt abſolutio; cum eam e domo ſua pellere ideo recuſat, quod magnæ ſit utilitatis ad rerum ſuarum aut familiæ adminiſtrationem; & quod aliorum famulorum res omnis domeſtica deprædationi exponetur. Nam quantumvis certiſſimum eſſet id quod ſupponit, non idonea tamen eſſet coram Deo hujuſmodi excuſatio; cum dixerit Chriſtus *(c)*: *Si ſcandalizaverit te manus tua, abſcide illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem; ubi vermis eorum non moritur, nec ignis extinguitur. Si pes tuus ſcandalizat te, amputa illum: bonum eſt tibi, claudum intrare in vitam æternam, quam duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis .... Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te; ejice eum: bonum eſt tibi, luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*. Hoc eſt, ut explicant ſancti Patres *(d)*, Chriſtianus ab omnibus iis rebus ſe debet ſeparare, quæ ipſum ad peccandum impellunt; etſi manu, pede, oculo aut etiam vita propria videantur ſibi cariores.

(c) Marc. 9. 42. 46.
(d) Aug. l. 1. c. 2. *de ſermone Domini in monte* n. 40. Item Theophylactus in Matth. 5. S. Hilar. in Matth. c. 4. S. Athan. q. 70. S. Chryſoſt. Hom. 17. in Matth. Cyrilus Alex. l. 2. in Joan. c. 2). &c.

Denique fruſtra cauſatur Balduinus, ſe non poſſe 800. libras famulæ ſuæ, ipſiuſque marito debitas abſque gravi ſuo incommodo perſolvere: nullum etenim tam grave eſt incommodum, quod perpeti non debeat, ut præſens devitet periculum lethalis noxæ, hanc ſibi famulam mulierem habendo, in ea, de qua agitur, circumſtantia. Inſuper, ſi præſentem hanc pecuniæ ſummam numerare re ipſa nequeat; hujus ſaltem cautionem ſufficientem facere poteſt, donec eam ex ſolvere queat de præſenti.

Vide rationes hujus deciſionis, quas attulimus in reſponſione generali ad Caſum 13. art. 2.

CASUS XVI.

(1) Callistus, cum ſit in proxima peccati mortalis occaſione, quia apud ſe famulam habet, genere ſibi propinquam, qua ab aliquot annis abutitur; Paſchali tempore ſuo ſe Parocho ſtitit peccata confeſſurus, a quo monitus eſt, ut eam e domo ſua puellam abigeret: verum id a ſe fieri non poſſe declaravit Calliſtus, quin & ipſe eſſet omnibus ſcandalo; & ejus pariter propinqua, quæ aliande parentibus ſuis orbata, omni etiam bono carebat ad vitam ſuſtentandam; quare Parochum rogavit, ut ejus permiſſu puellam hanc quinque ſaltem aut ſex menſibus retineret apud ſe, quo eam in matrimonium collocaret, adjuncto etiam eadem non abutendi amplius firmo propoſito. Quæritur, utrum in his circumſtantiis a Parocho ſuo non poſſit abſolvi?

Respons.

Parochus ille judicare debet, Calliſtum non ſufficienter eſſe diſpoſitum, ad recipiendum digne Pœnitentiæ Sacramentum, cum famulam ſuam retinere velit; nec ideo abſolutionem ei impertire poteſt: cum inanis ſit, nulliuſque ponderis ratio, quam affert, ut proximam peccati occaſionem non deſerat, proindeque apud Confeſſarium nullius debeat eſſe momenti: nam in offenſionem & ſcandalum incurrit, vel quia jam nota eſt ipſius peccati occaſio proxima; vel penitus eſt ignota: ſi nota ſit ipſius peccati occaſio; tolletur ſcandalum per diſceſſum illius perſonæ, quæ ſcandalo anſam præbebat; ſi vero ſit ignota, nec ulla ſubſit ſuſpicio libidinoſi commercii inter duas illas perſonas; multas ipſis probabiles divortii vias prudentia ſuggerere poteſt, quas ſine ſcandalo poterunt adhibere. At vero, licet Calliſtus nulla, ne ſpecioſa quidem ſimulatione diſceſſionem ſuam poſſet obtendere, non idcirco immunis eſſet ab obligatione famulam hanc a ſe dimittendi: quia multo pluris intereſt, ut animam ſuam ſalvam faciat, quam honori aut vitæ ſuæ conſulat, quæ cum ſalute æterna æquiponderari non poſſunt; ut certiſſime comprobamus in reſponſione allata ad ſuperiorem difficultatem.

Hæc regula Moralis tanti eſt momenti, tamque indubitata, ut quodcumque ex alia parte ſubſit ſcandali periculum, numquam ea poſſit omitti, juxta illud S. Gregorii Papæ *(f)*: *Si autem de veritate ſcandalum ſumitur; utilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur*. Ob eam cauſſam, ſi mulier habitu adultera tempore Paſchali Confeſſario ſe ſiſtat, ab eoque abſolutionem ea de cauſſa requirat, ut integram pudicitiæ ſervet famam, cujus naufragium patietur; niſi cum ſociis feminis, ad eam rem ob libidinis ſuæ ſuſpicionem intentis, ſacro Euchariſtiæ pabulo reficiatur; hæc, inquam, mulier adultera remittenda eſt, donec mores in melius commutaverit; quodcumque hinc oriatur ſcandalum. Nam a Chriſto Domino peccatoris Judex conſtitutus eſt Confeſſarius: atqui Judex numquam injuſtam, & quæ ad proximi exitium vertat, ſententiam proferre poteſt contra lumen propriæ conſcientiæ. Cum igitur hujuſmodi abſolutio, non modo Confeſſario, ſed etiam mulieri, foret pernicioſa; non dubium eſt quin Confeſſarius obfirmato debeat eſſe animo ad ei denegandam abſolutionem, quantumvis ſpecioſus ſit prætextus, quo eam requirit *(g)*.

(f) S. Greg. Hom. 7. in Ezech.
(f) Merbeſius de pœn. diſp. 1. q. 48. De Sainte Beuve. tom. 3. Caſu 2.

CASUS XVII.

Julitta, puella ſub poteſtate patris & matris, in proxima mortalis delicti occaſione verſatur, cum famulo patris ſui; & cum eo ſæpe fornicatur. Sacerdotem adit de peccato ſuo, cui ſe abſolvere recuſanti exponit, in ſua poteſtate non eſſe poſitum, ut eam occaſionem interrumpat, quia hujus famuli, patri ſuo ob ejus utilitatem & operam cariſſimi dimiſſionem procurare nequit. Quæritur, utrum Confeſſario ſatis eſſe debeat hæc ratio, adjuncta promiſſo non deinceps fornicandi, ut eam poſſit abſolvere.

Respons.

Exiſtimamus, quod ſi Confeſſario nullam prudentia ſuggerat viam ſeparandi Julittam ab eo famulo, quocum ſæpe deliquit; ante omnia puellæ huic injungere debet pœnitentiæ opera convenientiſſima quæque & utiliſſima: v. g. ut frequentes Deo fundat preces, pias peragat lectiones, pro frequenti confeſſione identidem Confeſſarium adeat rite diſpoſita ad Pœnitentiæ Sacramentum recipiendum, cum eam abſolvere opportunum judicaverit: at id in primis neceſſarium & quod permagni intereſt, præcipere debet, ut ſola famulum hunc numquam alloquatur; non verbis, non oculorum contuitu, aut aliquo externo ſigno manentis adhuc libidinis indicia ei manifeſtet, ſed potius ſevero erga eum ſupercilio ſe gerat: quæ ſi accurate perficiat, cum per juſtum tempus probata fuerit, a Confeſſario poterit abſolvi; non ante.

CASUS XVIII.

Philiponus, per annum Maria libidinoſe abuſus; ab improba peccandi conſuetudine, ſimul cum ea ſe ſincere revocavit: Nihilominus officioſe ſe quandoque inviſunt; ac mutuas ad ſe invicem, verbis quidem honeſtis, ſcribunt epiſtolas. Maria quidem in arctum coactam Philiponi effigiem ſibi ſervat, quod ſit graphice picta, & quibuſdam etiam gemmis diſtincta. Ipſius Mariæ Confeſſarius abſolutionis repulſam ei minatus eſt, niſi a viri illius conſuetudine abſtineret, ac niſi ejus effigiem confringeret. Quæritur utrum Confeſſarius iſte nimia, hac in re, ſeveritate ſe gerat?

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* At non omittenda ſubjecta Animadv. III. *Concin.*

RESPONS.

Exiſtimamus, eum Confeſſarium non immoderata accuſandum eſſe ſeveritate in eo caſu. Innumeris namque exemplis ſatis ſuperque manifeſtum eſt, quam iis facile ſit ad crimen revolvi, qui ſemel refractis pudicitiæ clauſtris cum ſociis peccati familiaritate ſunt conjuncti, aut oblata in ſceleris præmium munera ſervare volunt; & quidem qui ſic agit, numquid volens relapſus periculum ſubit? nam quanta & quam metuenda eſt hominis infirmitas? aut cujus non eſt capax ſceleris abſque auxilio gratiæ, qua indigni fiunt illi, qui non debita cura occaſiones peccati fugiunt, in primiſque hujuſmodi peccati, quod admiſere Philiponus & Maria? Mirum in modum cordis humanis receſſus, humanæque infirmitatis pericula detegit S. Gregorius Magnus (a) his verbis: *Cum ſit inviſibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur; niſi quod inhærens corpori, quaſi quædam egrediendi foramina ejuſdem corporis ſenſus habet; viſus quippe, auditus, guſtus, odoratus & tactus, quaſi quædam viæ mentis ſunt, quibus foras veniat, & ea quæ extra ejus ſunt ſubſtantiam, concupiſcat: per hos enim corporis ſenſus, quaſi per feneſtras quaſdam exteriora quæque anima reſpicit, reſpiciens concupiſcit*; quod his Jeremiæ verbis aſſerit S. Doctor: (b) Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras. *Quiſquis vero per has corporis feneſtras exterius reſpicit, plerumque in delectationem peccati*, pergit S. Papa, *etiam nolens cadit, atque obligatus deſideriis incipit velle quod noluit. Præceps quippe anima, dum ante non prævidet, ne incaute videat quod concupiſcat, cæca poſt incipit deſiderare quod vidit*. Quod denuo confirmat hic Sanctus exemplo Davidis (c) qui, licet ſanctus, ſolo Bethſabeæ curioſo nimis & imprudenti aſpectu in crimen incidit. Unde concludit ſanctus Pontifex, quam ſerio & attente oculos ab iis avertere debeamus, quæ mala deſideria in animis noſtris ingenerare valent; ſic Jobum imitantes, qui dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine (d)*.

(a) S Greg. l. 21. Moral. c. 2. initio.

(b) Jerem. 9. 21.

(c) 2. Reg. 11. 2.

(d) Job. 31. 1.

Qua autem ratione defendi poſſet, Mariam ſic eſſe diſpoſitam, dum a tali viro officioſas admittit ſalutationes, dum epiſtolis ejus delectatur, quibus reſpondet; dum tandem pudicitiæ ſuæ corruptoris effigiem & ideam, præmiumque ſui peccati conſervat & intuetur?

CASUS XIX.

MARINUS ſemel aut iterum tantum famula ſua libidinoſe abuſus, poſt duos treſve menſes, crimen ſuum Confeſſario aperit; ſancteque ei pollicetur ſe de eo vehementer dolere, & ab eo tempore ipſius famulæ ſolius colloquium vitaſſe, ne in peccatum relaberetur. Quæritur, num Confeſſarius prima illa vice poſſit eum abſolvere, quin eum ad dimittendam famulam ſuam compellat?

RESPONS.

Si Confeſſario ſit perſuaſum, Marinum ſincere ad rectam viam rediiſſe, eumque in poſterum delinquendi occaſionem ſedulo vitaturum, uti jam a duobus tribuſve menſibus evitavit, videtur hac prima vice poſſe abſolvi. Ratio eſt, quia nondum penitus manifeſtum eſt, occaſionem de qua agitur, eſſe vere proximam; & juſte ſperari poteſt, quod propoſitis pœnitenti ſuo remediis quibuſdam, non amplius ipſi futura eſt occaſio proxima. At ſi Confeſſario perſuaſum ſit, hanc occaſionem vere eſſe proximam; eum abſolvere nequit ſalvo ſuo miniſterio, tutaque conſcientia: & ad tempus ſaltem ei proroganda eſt abſolutio, ut vel emendatione vel culpæ iterata admiſſione poſſit judicare, num quoad ipſum occaſio iſta ſit proxima, nec ne. Nam eo in caſu certam hanc debet habere juris regulam: (e) *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus*. Quod intelligi debet: *in eodem genere mali, & durante priore cauſſa mali*.

(e) Reg. 3. *de regulis juris in 6. & l. Nos omnes 3. §. a barbaris. ff. de re milita-ri*. lib. 49. tit. 16.

Id ipſum Rituali Romano eſt conſentaneum, (f) quo cavetur, ne pœnitentem Confeſſarius abſolvat, qui proximam peccati occaſionem non vult effugere. Hæc enim prohibitio de prima abſolutione intelligenda eſt, cum inter multas non diſtinguat; ac verbis generalibus, nulla exceptione facta loquatur.

(f) Ritual. Rom. tit. *De Sacram. Pœnit.*

Diximus: *hac prima vice*: id eſt, ſi hic homo talibus jam inutiliter non ſe obſtrinxerit promiſſis: ſi quod enim prius fecerit, cui infidus fuerit; ſuſpectam illam deberet habere novam pollicitationem, eique abſolutionem recuſare. Sed quia in propoſito caſu cernere eſt, prima hac vice Marinum hujuſmodi promiſſo ſe obſtrinxiſſe; huic fidem adhibere, eumque abſolvere poteſt Sacerdos; præſertim, ſi qua eſſet cauſſa timendi ſcandali propter abſolutionem negatam, modo aliunde eum diſpoſitum ad pœnitentiam recipiendam comperiat.

Chriſtianæ illius indulgentiæ, ſimulque Confeſſarii conſtantiæ nobis eſt auctor ſanctus Carolus Borromæus his verbis. (g) *Primo differatur abſolutio, donec emendationis ſigna dederit. Quod ſi inde infamiæ periculum pœnitenti acciderit; & Confeſſor talia contritionis in eo ſigna perſpexerit, debitamque ad excipienda remedia emendationi ſuæ neceſſaria diſpoſitionem obſervaverit; debet proponi alia magis opportuna, v. g. ut ſolus ſolam mulierem numquam alloquatur, ut orationes aliquas agat, corpus aſperius habeat, & in primis pro frequenti confeſſione Confeſſorem adeat.... tunc poterit abſolvi*: quibus exceptionem iſtam ſubdit hic ſanctus Archiepiſcopus: *Quod ſi tamen hac jam habita, aut a ſe aut ab alio Confeſſore diligentia, non emendatus pœnitens fuerit; non abſolvatur, donec occaſio illa ſublata fuerit, vel agendum aliter nobis videatur, de quo nobis in eo caſu, celato perſonæ nomine, aliquid ſignificabitur*.

(g) S. Carol. Borrom Act. Eccleſ. Mediol. part. 4. *inſtruct. Confeſſorum*.

Unde ſequitur, hac in re non poſſe quempiam, niſi ab arcta quæ ducit ad cœlum, via aberret, modernis quibuſdam Caſuiſtis aſſentiri, qui Navarræ (h) ſententia ſuffulti, contendunt abſolvendam eſſe famulam, quæ ter quaterve cum domino ſuo fornicata eſt, etiam non ſublata ea in qua verſatur, peccati occaſione; cum id præſtare nequit abſque amiſſione mercedis ſuæ; quaſi debitum operæ pretium, ſaluti ſuæ ac æternæ vitæ bonum eſſet anteponendum. (i)

(h) Navarr. Man. c. 3. n. 20. §. *Eſt tamen*.

(i) Cajetan. in Matth. 5. Bail. *Examen pœnitentium*. part. 3. q. 7.

CASUS XX.

PORPHYRIUS, qui a ſex menſibus, aut ab anno in proxima peccati occaſione verſatur; tempore Miſſionis peccata confitetur, ac Confeſſarii ſuo Miſſionario pollicetur, ſe quam primum hanc occaſionem dimiſſurum, & injunctam pro ejus arbitrio pœnitentiam confecturum. Qua de re petitur, utrum hic Miſſionarius, qui ad tempus & quaſi tranſeundo eo in loco verſatur quo non rediturus eſt, Porphyrium ob ejus promiſſum queat abſolvere.

RESPONS.

Exiſtimat Doctor inclytus, (k) Miſſionarium hunc poſſe abſolutionem impertire Porphyrio, quem non amplius eſt viſurus, ob ſimplicem ejus promiſſionem; modo ſit convictus de veritate ipſius converſionis. Nihilominus illud intelligendum eſt, ut noſtra fert opinio, de primo promiſſo primaque abſolutione, & dummodo talis homo ad tempus ſuæ Confeſſionis, peccatum ſuum non prorogaverit. Nam ſi tale ante alteri Confeſſario promiſſum fecerit, cui non ſteterit, aut etiam peccatum ſuum ad tempus ſuæ Confeſſionis protulerit, non ſufficit, ut intra ſe Miſſionarius ſit convictus de veritate ejus promiſſi atque emendationis; eam e contra ſuſpectam habere debet, ac conjicere, ut præteritæ fuerunt, ſic præſentem ejus promiſſionem fore vacuam: & ideo abſolutionem ei denegare, donec eam in qua eſt, occaſionem re ipſa dimiſerit; cum a Confeſſario exigat prudentia, ut cautius agat erga pœnitentem, qui fidem jam Deo atque Confeſſario ſuo datam violavit, quam erga eum, qui promiſſa implevit: nec tam facile de veritate converſionis pœnitentis, qui ad tempus ſuæ Confeſſionis in crimine perſeveravit, Sacerdos debeat eſſe convictus, quam erga eum, qui ſe a

(K) De Sainte Beuve. tom. 3. Caſ. 26.

pec-

peccato abſtinuit ab reliquo tempore, quique pia ſibi pœnitentiæ opera propria ſponte injunxit, ut ad recipiendam abſolutionem paratior eſſet.

Supervacuum eſt antem dicere, quod, cum Porphyrium non ſit reviſurus Miſſionarius, eum debet abſolvere. Quid enim obſtabit, quominus hic homo, ſi vere ſit pœnitens, alium adeat Confeſſarium, a quo abſolutionem, derelicta peccati ſui occaſione proxima, novoque vitæ genere inſtituto poterit obtinere? Cur igitur Miſſionarius ille in dubio abſolutionem adhibebit abſque urgenti neceſſitate, qualis eſſet morbus periculoſus? Cum ea de re multa jam a nobis dicta fuerint (a), hactenus iſta ſufficiant.

(a) Caſus Bernardus. 13.

CASUS XXI.

Joannes ſe accuſat, ſæpe cum Maria ſua ſponſa peccaſſe, ob multas criminoſas cum ea familiaritates habitas, quoties eam inviſit. Confeſſarius ipſum vult cogere, ne eam ulterius viſitet, cum ſit ipſi proxima peccandi occaſio: at ei obedire recuſat, quod fortunam ſuam amitteret, quæ omnino pendet ab ineundo matrimonio cum ea filia, quacum tamen ſe non deinceps peccaturum promittit. Quæritur, quid Confeſſario ſit faciendum? an abſolutio deneganda eſt?

Respons.

Confeſſarius accurate perpendere debet, num frequentes illæ officioſæ ſalutationes ſint Joanni proxima peccandi occaſio; & ſi crebris ejus in culpam recidivis judicet, eum ſponſam ſuam inviſendo, in eaſdem criminoſas familiaritates relapſurum, ipſi deneganda eſt abſolutio, niſi eam ſe non amplius inviſurum promittat: itque docendus eſt, omnes in unum collatas mundi divitias non poſſe conferri cum ſalute animæ ſuæ, cujus periculum incurrit, dum voluntarie occaſionem captat eadem committendi crimina. Id quidem ſuperius probavimus, ad ſimilem reſpondentes difficultatem, his Chriſti verbis (b): *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur; animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

(b) Matth. 16. 26.

Attamen, cum ſola præterita experientia non ſemper conſtet, occaſionem vere eſſe proximam; atque nova circumſtantia perſæpe ceſſare peccati diſcrimen; ſi Joannes promittere velit, ſe Mariam deinceps non eſſe inviſurum, niſi comitante eum ac præſente perſona probatæ virtutis; videtur tunc a Confeſſario poſſe abſolvi, modo perſuaſam habeat ejus promiſſi veritatem. Atque in eo caſu ſequi licet hanc regulam antiqui Auctoris, cujus Opus inter ſcripta S. Chryſoſtomi reperitur (c): *Ubi paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt: ut quid Sacerdos ejus auſterus?*

(c) Auctor Operis imperfecti in Matth. Hom. 43. in Can. *Alligant.* 23. 26. q. 7.

CASUS XXII.

Ulyssas, vir bellicoſus, corrupta famula, e qua magno omnium loci ſui incolarum ſcandalo prolem ſuſcepit; paſchali tempore delicta ſua aperuit Parocho ſuo, a quo abſolutionem impetravit, ſeu quia magnam peccatorum ſuorum contritionem exhibuerit, ſeu quia ſe in poſterum cum ea puella non peccaturum enixe promiſit. Datam fidem eventus comprobavit, cum re ipſa non ea jam abuſus fuerit; atque ut in ſuo firmius perſiſteret propoſito; per annum inſequentem Pœnitentiæ Sacramentum a tribus diverſis Confeſſariis ſuſcepit, atque in Parœcia ſua quatuor diebus feſtis annuis ſacro Corporis Chriſti pabulo refectus eſt. Poſtea Religioſum quemdam adivit, cui ad majorem ſui demiſſionem ea quæ cum illa puella commiſerat, delicta patefecit; hanc e domo ſua pellere famulam a Religioſo juſſus eſt; quam rem cum exſequi recuſaverit, quod de peccatis dumtaxat jam ante annum aut menſes octodecim remiſſis neque novo caſu iteratis ageretur; ſine abſolutione dimiſſus eſt.

Qua de re quæritur, utrum ultimus hic Confeſſarius officio ſuo functus fuerit; an vero injuſte abſolutionem Ulyſſi denegaverit?

Respons.

Religioſus ſapienter ſe geſſit; atque erga Ulyſſem partes ſuas peregit, ei abſolutionem denegando; idque ob duplicem paris momenti rationem.

Prima: quia hominem hunc quaſi publicum concubinarium habere potuit: cum etiam domi ſuæ puellam quæ publica fuerat concubina ſua, retineret: cui rei fruſtra quis objiciet, eum jam ab anno non amplius illa puella abuti, ſinceramque delicti ſui pœnitentiam egiſſe. Nam ſemper verum eſt dicere ipſius pœnitentiam eſſe occultam, nec umquam publicam futuram eſſe, dum domi ſuæ famulam, ſcandali cauſſam habiturus eſt: contra vero potius exiſtimabitur, ipſum cum ea aut facto aut alia modo etiamnum delinquere; idque eo facilius quod nota ſit domini poteſtas in famulam, quæ refractis pudicitiæ clauſtris, multo liberius libidinoſæ cupiditati obſequitur, quam alia quæ ſapiens continuo fuerit. Vulgus, quod plerumque vel ſolam mali ſpeciem, in malum, & quidem aliquando abſque cauſſa, vertit; non adducetur ad credendum, Ulyſſem vere mores emendaſſe, dum proximam delictorum ſuorum occaſionem non deſeret, cum ſuus quemque ſenſus admoneat, quanta ſit humana fragilitas.

Cum igitur juſte Confeſſarius judicare potuerit, nondum deſiiſſe ſcandalum, quod præbuerat Ulyſſes; ipſum cogere debuit ad pellendam e domo ſua famulam, quæ offenſionis origo fuerat, quæque ejuſdem nunc etiam cauſſa erat: ſecus, abſque abſolutione fuit dimittendus.

Altera ratio eſt, quia præter ſcandalum exſiſtens, negari non poteſt, quin Ulyſſes ſit in proxima peccandi occaſione, dum indeſinenter ante oculos obverſatur famula cauſſa malorum, cujus ipſe expertus eſt infirmitatem. Circumſtantiæ quas notavimus, hoc eſt, famulæ, & etiam corruptæ conditio, adjuncta extremæ fragilitati, qua non immunes ſunt puellæ vel integerrimæ; talem quoque periculoſiorem efficiunt occaſionem, atque eo ſtrictius ad urgendam ſeparationem impellunt. Unde ſequitur Ulyſſem debere neceſſario ex ædibus ſuis hanc famulam abigere, ad majorem ſalutis ſuæ ſecuritatem, occaſionem peccari amovendo, & ad tollendam ſcandali quod præboit, cauſſam, quæ ea remanente ſubſiſteret.

Caſum hunc ita definiunt Sylvius (d), Silveſter de Prierio (e), Graffius (f), Cardinalis Toletus (g), Navarra (h), Azorius (i), Sayrus (k), aliique permulti, quorum nonnulli, ut Silveſter, Graffius, Azorius, & Navarra exiſtimant, ea quæ hactenus diximus, vera eſſe non ſolum de concubinariis publicis, verum etiam de iis qui tales habentur, quamvis re vera tales non ſint.

Ceterum ex dictis facile colligi poteſt, Ulyſſis Parochum, treſque alios Confeſſarios, a quibus abſolutionem & communicandi facultatem obtinuit nondum dimiſſa famula ſua, peſſime egiſſe: quandoquidem omnis peccator, qui in tali occaſione proxima peccandi verſatur, ſit indignus abſolutione, donec eam omnino effugerit, ut ſolide probat Auctor eruditus Colloquiorum diœceſis Lucionienſis (l) auctoritate ſancti Caroli Borromæi, quam ſupra retulimus ad confirmationem ejuſdem veritatis (m).

(d) Franc. Sylv. var. reſolut. v. *Abſol.*

(e) Silveſt. v. *Concubinarius*. q. 2.

(f) Jacobus a Graffiis. l. 2. c. 76. n. 7.

(g) Toletus Inſtr. Sacerd. l. 5. c. 10.

(h) Navar. Man. c. 3. n. 14. & 15. & c. 16. n. 20.

(i) Azor. tom. 3. c. 6. q. 2.

(k) Greg. Sairus Clavis Regiæ. l. 8. c. 2. n. 9.

(l) Colloq. Lucionii. tom. 6. *de Sacram. Pœnit.* a. q. 3.

(m) Supra. Caſ. 13. art. 2.

CASUS XXIII.

Tullius, cum per multos annos in habitu peccati mortalis perſtiterit, in illud a duobus jam menſibus non relapſus eſt; quæritur utrum Confeſſarius quem adivit, abſolutionem ei conferre non poſſit?

Respons.

Confeſſarius illius hominis eum in quibuſdam caſibus poteſt abſolvere; & in aliis non debet. Nam, ut quis abſolutione ſit dignus, non ſufficit, ut per unum duoſve menſes a peccato ſe abſtinuerit. Ratio eſt, quia fieri poteſt, ut in peccatum non fuerit relapſus ob eam dumtaxat cauſſam, quod a ſolita peccandi occaſione fuerit remotus, v. g. homo ſolitus in ludo fallere, aut vehementius iraſci & maledictis inſectari famulos ſuos, aut conjugem

& pueros e duobus menſibus hæc non admiſit vitia, quia longum peregit iter, quod eum a domo ſua ſudique ſociis divertit; forſan etiam ægrotavit, aut graviter infirmus ſuit per duos treſve menſes, per quos cum puella non peccavit, quacum ante peccare ſolitus erat. Hic homo ebrietati deditus, per duos menſes in hoc gulæ vitium non incidit, vel ob defectum pecuniæ, vel etiam ſanitatis. Uſurarius per tres menſes pecuniam ad uſuram non dedit, quia nemo mutuam ab eo petierit. In his omnibus caſibus evidens eſt temporis diuturnitatem non ſolam eſſe debere regulam, quam ſequi debeat Confeſſarius, ut certus fiat de vera pœnitentis ſui converſione: atque adeo, ſi Tullius in his aut ſimilibus caſibus verſetur, a Confeſſario ipſi ad tempus proroganda eſt abſolutio, donec certiora habeat emendationis ejus argumenta.

Ut igitur de ejus converſione certus ſit Confeſſarius neceſſe eſt ut ſerio perpendat, num homo ille, de peccatis ſuis vere contritus, cupiditatibus ſuis obſiſtere conatus ſuerit, an pravos habitus oppoſitarum virtutum actus colendo emendarit; quo in caſu ipſum poterit abſolvere poſt probationem juſti temporis, & non aliter; niſi forte præſens mortis periculum ſubiret. Si igitur Tullium hoc modo eſſe diſpoſitum agnoſcat Confeſſarius, ipſi abſolutionis gratiam concedere poteſt, præſcripta tamen prius vivendi ratione, qua ſuturas tentationes poſſit ſuperare.

CASUS XXIV.

(1) Lucilius, a multis annis pejerare, aut obſcena, multoties etiam in die, verba proferre aſſuefactus; a prava illa conſuetudine diſcedere tanto ſtudio conatus eſt, ut ſemel tantum intra duos treſve dies, hujuſmodi peccata voluntarie committat. Quæritur, utrum Confeſſarius, quem adit, eum ſic diſpoſitum abſolvere non poſſit?

Respons.

Non exiſtimamus, Lucilii Confeſſarium ſtatim ei abſolutionem poſſe conferre abſque periculo abutendi poteſtate ſua. Nam, ut qui comitiali morbo ter quaterve in hebdomada corripiebatur, adhibitis remediis ſanatus dici non poteſt, ſi intra menſem ſemel biſve tantum corripiatur: ſic, qui ſingulis diebus peccatum mortale committere ſolitus erat, a prava ſua conſuetudine immunis non eſt cenſendus, quod non adeo frequenter, atque antea illud jam admittat: *Pœnitentiam quippe agere*, inquit S. Gregorius Magnus (a), *eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui alia deplorat, at tamen alia committit, adhuc pœnitentiam agere aut diſſimulat, aut ignorat.* Idem antea dixerat ſanctus Ambroſius (b). Quod quidem huic verbo Chriſti adulteram mulierem alloquentis, omnino eſt conſonum (c): *Vade, & jam amplius noli peccare*: atque huic alteri ejuſdem ad Paralyticum quem ſanaverat, & in quo vera peccatoris forma exhibetur (d): *Ecce ſanus factus es; noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

(a) S. Greg. Hom. 34. in Evang. & Epiſt. 39.

(b) S. Ambr. in Pſal. 37 n. 59. & in Can. Pœnitentia 1. de pœnit. diſt. 3.

(c) Joan. 8. 11.

(d) Joan. 5. 14.

Lucilii itaque Confeſſarius abſolutionem ei prorogare debet, & pia interim ei imponere opera, quibus ad malam ſuam conſuetudinem vincendam validior fiat; ipſum etiam ad ſe redire coget tempore præſcripto, ut facti progreſſus rationem reddat, abſolutionem deinde ſuſcepturus, ſi dignus evaſerit, ad priſtina quorum habitum contraxerat, non reverſus peccata.

CASUS XXV.

Manlius, ſancti Jobi Parochus, cujus externa ſe gerendi ratio Epiſcopo ſuo & Parochianis arridet, at qui multis annis in ſecreto impudicitiæ mortali peccato perſeverat; cum miſſionis tempore peccata vere contritus depoſuerit, paratus ad quamlibet a Confeſſario ſibi impoſitam ſatisfactionem implendam; enixe poſtulat abſolutionem ac licentiam ſacra faciendi, ſolitaſque obeundi functiones, 1. quia nullus ſibi ad vitæ neceſſaria ſuppetit cenſus niſi Beneficii Parochialis, 2. quia ætate jam provectus eſt, & infirmus. 3. quia Vicarium nec habet, qui vices ſuas impleat, nec habere poſſit ob modicitatem redituum ſuæ Parœciæ: qua de re quæritur, utrum Confeſſarius abſolutionem ipſi conferre, ſimulque celebrandi, ac Beneficium ſuum retinendi licentiam facere debeat.

Respons.

Exiſtimat doctus Theologus (e), hujuſce Parochi Confeſſarium non teneri ad impertiendam ipſi abſolutionem, nec ideo facultatem retinendi ſuum Beneficium, aut ejus functiones obeundi; etſi ætate ſit provectus, infirmus, pauper & abſque Vicario: omnes namque hujuſmodi rationes humanæ ſunt omnino, & ad ipſius ſalutem nullatenus pertinent. Quare Confeſſarius, ſtricte loquendo, ab eo poteſt exigere, ut Beneficium ſuum, cum eo ſit indignus, abdicet; ac reliquum vitæ ſuæ tempus in laborioſis pœnitentiæ operibus inſumat. Hæc eſt germana Eccleſiæ ſententia.

(e) De Sainte Beuve. tom. 1. Caſ. 7. tom. 3. Caſ. 19.

Nihilominus; 1. ſi penitus nota ſit hujuſce Parochi ſincera converſio Confeſſario, & a notabili tempore in ſolitum crimen non fuerit relapſus: 2. ſi perſuaſum ſit Confeſſario, quod data ipſi celebrandi ac Beneficium retinendi facultate, magnum inde Eccleſia commodum percipiet, & ea indulgentia in bonum illius ſpirituale atque Parochianorum cedet; videtur, quod in eo caſu, ſalvo ſuo miniſterio, eum abſolvere, & in officio permanendi facultatem concedere poterit. Addit tamen hic Theologus, quod ſi Parochus iſte alia multa Beneficia curata habuerit, in quibus eodem pravo habitu inquinatus vixerit, & etiam de præſenti vivat; tum ei Confeſſarius permittere nequit, ut Beneficium ſuum poſt tam diuturnam corruptionis animi ſui experientiam retineat.

CASUS XXVI.

Heliodorus, quinquagenarius, apud Parochum ſuum tempore Paſchali peccata ſua confitens, ſe ipſum accuſat, quod per Quadrageſimam, alioſque per annum decurrentem jejunii dies, etſi potens ſervare, non obſervaverit. Ab eo petit Parochus, num in ea ſit non jejunandi conſuetudine? Cui reſpondet, ſe numquam jejunium ferme obſervaſſe: quia artem factitat, qua frequenter ad hominum non jejunantium cœtus neceſſario vocatur, quibuſcum ſeu condecentia, ſeu grati animi ſignificatione cibum potumque ſumere cogitur. Qua de re inquirit Parochus: 1. utrum huic homini abſolutio ſit proroganda, dum per aliquod tempus jejunium ſervaverit, aliaque pœnitentiæ opera coluerit. 2. utrum tamquam invalidas poſſit habere præteritas ejus confeſſiones ob defectum firmi propoſiti, habitumque inveteratum, jejunii præceptum non ſervandi; & utrum neceſſe ſit, ut eum ad generalem obliget confeſſionem, quo ſuperiores, ſi forte ſint invalidæ, reparet.

Respons.

Parochus ille Heliodoro abſolutionem tenetur differre ad tempus, donec jejuniis, aliiſque ſatisfactoriis operibus præteritas immoderationes expiare cœperit: & ſi forte ea in re obtemperare renuat, & abſolutionem efflagitare perſiſtat; ea a Parocho deneganda eſt: alioqui ipſe coram Deo fieret reus delictorum hujus hominis, cui aliunde inutilis foret abſolutio. Illud autem his ſancti Ambroſii verbis nititur (f): *Nonnulli ideo poſcunt Pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi tam non ſe ſolvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare. Suam enim conſcientiam non exuunt; Sacerdotis induunt.* De primo poſtulato ſic ſentimus.

(f) S. Ambr. in Can. Nonnulli. 55. de pœnit. diſt. 1.

Quod ad ſecundum ſpectat, dicimus recidivam in peccatum, certum ſemper non eſſe ſignum præteritarum confeſſionum invaliditatis. Conſtat enim, quod, non obſtante firmo non peccandi propoſito, commiſſum prius iteratur peccatum, modo ob vim libidinis vel tentationis, quandoque etiam ob fragilitatem. At, cum notabile tempus inſumſit peccator, non curans de obſervatione præcepti Eccleſiaſtici; recte judicari poteſt, eum firmum non habuiſſe propoſitum mores pravos emendandi, cum peccata confeſſus eſt, juxta illud

(1) Vid. *Monda Paſtoſ.* Obſerv. IV. num. V.

illud ſancti Gregorii (*a*) *in peccato ſemper vivere cupiant, qui numquam deſinant peccare, dum vivunt*: proindeque defectu boni propoſiti confeſſiones illius fuiſſe invalidas, quas ideo Paſchali tempore tantum confecit, ut, cum re ipſa malus eſſet, viri probi ſpeciem præ ſe ferret. Id quidem probari poteſt auctoritate S. Ambroſii, S. Auguſtini, S. Gregorii Papæ, S. Iſidosi, quorum teſtimonia jam ſuperius, dum de peccatore habituali, allata non iteramus (*b*). Heliodorus itaque in caſu poſitus a Parocho ſuo cogendus eſt, ut priorum confeſſionum ſuarum vitia, generali confeſſione reſarciat, pœniteatque ſuorum delictorum, præſertimque contemtos præcepti Eccleſiaſtici quo ad jejunium tenentur omnes, qui illud obſervare poſſunt.

(*a*) S. Greg. in Can. *Valueſſent*. 60. *De Pœnit.* diſt. 1.

(*b*) Supra Caſu. 13. n. 3.

CASUS XXVII.

Federicus, homo rebus omnibus, in primiſque præſenti pecunia diriſſimus, 500. Librasum furtum, a ſe Guillelmo factum, Paſchali tempore confeſſus eſt, abſolutionemque ſuſcepit, pollicitos ſe ſummam illam intra duos menſes ad minus reſtituturum. Qua de re quæritur, otrum Confeſſarius hominem hanc abſolvere debuerit, nondum facta reſtitutione; poſito quod eam abſque ullo incommodo facere potuerit.

Respons.

Federici Confeſſarius, abſque juſta neceſſitate eum abſolvere non debuit, ante factam ablatæ pecuniæ reſtitutionem, cum eam, ut ſupponitur, actu reddere potuiſſet, nec ulla ipſi cauſſa ſubeſſet, cur eam reſtitutionem ad aliod tempus differret. Hæc eſt doctrina ſancti Thomæ, cujus hanc affert rationem (*c*): *Sicut accipere rem alienam*, inquit Angelicus Doctor, *eſt peccatum contra juſtitiam; ita etiam detinere eam. Quia per hoc, quod aliquis detinet rem alienam, invito domino, impedit eum ab uſu rei ſuæ; & ſic ei facit injuriam. Manifeſtum eſt autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari: ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere, ſecundum illud Eccl.* 21. Quaſi a facie colubri fuge peccatum. *Et ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt uſum concedere.* Unde ſequitur injuſtum rei alienæ detentorem non eſſe a Confeſſario abſolvendum; cum is, qui in peccato per aliquod etiam modicum tempus vult remanere, abſolutione ſit indignus. Addi poteſt, hanc ſancti Thomæ ſententiam congruere ſententiæ S. Auguſtini in ſua ad Macedonium Epiſtola dicentis (*d*): *ſi res aliena propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſet, non redditur; non agitur pœnitentia, ſed fingitur.*

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 8. in corp.

(*d*) S. Aug. in Can. *Res aliena*. 1. 14. q. 6.

Multo magis, *caveant Confeſſores*, inquit S. Carolus (*e*), *ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant; quibus cum facultas adſit, aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſſas facta ſunt, perſolvendi; illiſque, ut id facerent ſuperiori confeſſione præceptum ſit; præſtare tamen neglexerint.*

(*e*) S. Carol. Borrom. Acta Eccl. Mediol. part. 4. tit. *Inſtruct. Confeſſorum*.

CASUS XXVIII.

Daniel, Carolo Parocho ſuo delicta confitens, ſe ipſum accuſat, quod conſcius peccati ſui, uſuras tamen acceperit per multos annos; ad id onum impulſus, ut divitias ſuas, uti evenit, hac ratione augeret. Cum eum abſolvere gravaretur Carolus; ipſo præſente Daniel omnes Syngraphas irritas fecit, vi quarum uſuras illas percipiebat; & omne lucrum ex his perceptum, indeſinenter ſe reſtituturum promiſit. Quæritur, utsum illum ſic diſpoſitum abſolvere poſſit Carolus.

Respons.

Carolus Danielem abſolvere non debet ante factam, ſi actu ab eo fieri poſſit, omnium uſurarum reſtitutionem, quibus rem ſuam auxit. Id ipſum plus quam ſatis confirmant allata in reſponſione ad præcedentem difficultatem S. Auguſtini & S. Thomæ teſtimonia; quæ cum ad reſtitutionis generatim ſumtæ pertineant neceſſitatem, alia ſubjiciemus, quæ ad uſurarios ſpeciatim ſpectant.

Gregorius X. in Concilio œcumenico Lugdunenſi an. 1274. habito (*f*) prohibet, ne ante factam uſurarum reſtitutionem, ad confeſſionem admittantur aut abſolvantur uſurarii, vel ſi ab iis actu fieri non poſſit, ante datam ſufficientem earum cautionem. En ejus verba: *Nullas manifeſtorum uſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent... idoneam cautionem.* Idem multo ante jam prohibuerat Eugenius III. erga raptores alieni boni, inter quos numerari debent uſurarii, licet non aperte violenti, ut videre eſt in ona ex ejus Decretalibus, quam refert Summa juris (*g*).

(*f*) Greg. X. in Conc. gen. Lugd. in Cap. *Quamquam*. fin. de uſuris in 6. L. 5. tit. 5.

(*g*) Eugenius III. in Cap. *Super*. 2. de raptoribus, &c. L. 5. tit. 17.

Auctor opuſculi ſexageſimi tertii, quod inter opuſcula S. Thomæ recenſetur, idem docet loquens de uſurariis, qui poſſunt ſeſtituere: *In foro autem pœnitentiæ*, inquit (*h*), *ubi de correctione peccati agitur, maxime in quantum eſt contra legem Dei, ſic compellendi ſunt uſurarii ad reſtitutionem, ut beneficium abſolutionis eis denegetur; niſi reſtitutionem faciant plenam, quantum potuerint, aut dilationem petierint ab his, quibus tenentur reſtituere; ... alias non debeat abſolvi in foro pœnitentiæ.* Idem quoque vetat S. Carolus in laudata ſuperius ad Confeſſarius Inſtructione. *Ante factam reſtitutionem nemo abſolvatur*, inquit, *niſi aut impotentia, aut gravis & pericaloſa infirmitas obſtiterit.*

(*h*) Apud. S. Th. Opuſc. 73. de uſuris. C. 21.

Circa autem hæc ultima verba, *niſi .... gravis & pericaloſa infirmitas obſtiterit*, neceſſe eſt obſervare, fieri poſſe, ut talis uſuratius jacens in extremis mortis delicta confiteatur, utque præſens, licet amplius affluat divitiis, ipſi pecunia non ſuppetat, vel ſufficiens deſit tempus ad faciendam actu reſtitutionem neceſſariam: quo in caſu ſapientiſſime cavere debet Confeſſarius, ut fiat reſtitutio: & ob eam rem videtur, quod teſtamento poſſet legare ſummam amico certo, cujus fidei poſſet confidere; qui teſtamento declarabitur, teſtatorem ipſi talem ſummam in pia opera locandam reliquiſſe, dum ipſi viva voce indicabit, quis aut quæ eſſet, in quem hæc ſumma eſſet conferenda; abſque ulla in teſtamento reſtitutionis mentione, ſeu ut occultum maneret teſtatoris delictum, ſeu etiam ne hac via reſciſſoriam hujus legati actionem intentare poſſent heredes. Dici etiam poteſt, Confeſſarium poſſe cogere hunc ægrum, Syngraphas delatori perſolvendas ſcribere aut juridicas obligationes in favorem ejus vel eorum, quibus reſtituere teneretur; eaſque remittere intra eorum manus, aut Confeſſario ipſi committere eaſdem ut remittat.

CASUS XXIX.

(1) Oliverius, cum ab annis viginti mollitici ſeu pollutionis habitum contraxerit Pariſiis Romam peregrinandi pedibus, cauſſa pœnitentiæ, & ad obtinendam a Deo peccatorum ſuorum veniem, conſilium init; ſtatuta perficit; & cum huc advenit, generalem emittit peccatorum ſuorum confeſſionem, qua conſtat, per tot annos vitam ipſius continuum fuiſſe confeſſionum, & in ſolita delicta recidivarum circulum; cum eorum accuſatione fuerit contentus, ſoloque promiſſo, non ea deinceps admittendi; leveſque ſibi impoſitas ſatisfactiones adimplendi, licet promiſſis non ſteterit. Qua de re poſtulat Confeſſarius, utrom tuta conſcientia, ſalviſque Eccleſiæ regulis eum poſſit abſolvere.

Respons.

Inclytus Doctor Sorbonicus (*i*), propoſitæ difficultati huic reſpondet; ad Confeſſarji prudentiam ſpectare, ut perpendat, num ſibi ſit perſuaſum, peregrinum hunc ſufficienter eſſe diſpoſitum ad recipiendam digne abſolutionem; qui in caſu exiſtimat, eam ipſi eſſe conferendam. Confeſſarius autem, non ſolum debet attendere ad externa veræ contritionis ſigna quæ oſtendit Oliverius, ſed etiam ad longum ac difficile iter ab illo ea mente ſuſceptam, ut emendationem ſuam facilius obtineret, & ad ejus confeſſionem generalem eo pariter conſilio factam: ita ut ſi peregrino illi firmiter ſit ſtatutum jam Pariſiis iter facienti, ne in peccatum ſuum denuo incidat, quod promiſſum ab eo jam tem-

(*i*) De Ste. Beuve, to. n. 1. caſ. 38.

(1) Vid. *Monda Pontaſ.* Obſerv. IV. num. V.

tempore fidus perfecerit, nec non de hujuſmodi peccato vere ſit contritus; videtur poſſe abſolvi in his adeo gravibus circumſtantiis: quia juſta de cauſſa poſſet Confeſſarius timere, ne, ſi forte ſine abſolutione remitteretur hic homo, perfectis omnibus ad eam merendam neceſſariis; animo concideret & de ſua ſalute deſperaret. Igitur juſte præſumi poteſt, quod, cum in eo tantos gratia produxerit effectus, Deuſque ipſi ignoſcere peccata videatur; ejus quoque Miniſter in hac occaſione ſeveritatem qua alias uti deberet, poteſt imminuere, eamque Doctoris antiqui jam alibi laudatam ſervare regulam (a): *ubi Paterfamilias largus eſt; diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt: ut quid Sacerdos ejus auſterus!* Nonne addit idem, *melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem?*

(a) Auctor Operis imperf. in Matt. in Can. Alligant, 11. 26. q. 7.

At ſi contra Confeſſario ſit perſuaſum, peregrinum hunc non ſufficienter eſſe diſpoſitum ad recipiendam abſolutionem, uti jure poſſet exiſtimare, ſi a diſceſſu ſuo Pariſiis in peccatum ſuum habituale hic homo incidiſſet; non eum debet abſolvere, ſed ordinarias ſequi Eccleſiæ regulas, quibus ſtatuitur, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ admittantur, qui digni ſint, ſive incolæ, aut viatores vel peregrini.

CASUS XXX.

(1) Judas Gilberto Parocho ſuo duo peccata habitualia in confeſſione declaravit; quorum primum eſt ebrietas, in quam ter quavis hebdomada plerumque labitur: alterum eſt, blaſphemia quotidiana.

Gilbertus, prorogata ejus abſolutione, injunxit ei per menſem; ut quoties fieret ebrius, toties etiam jejunaret; & ut veniam a Deo peteret, preceſque flexis per ſeſqui horam genibus funderet, quoties blaſphemias proferret, ſi forte ab eo denuo admitteretur immane hujuſmodi peccatum.

Exeunte menſe rediit Judas, & Confeſſario declaravit; ſe per menſem ter dumtaxat inebriatum fuiſſe; adeoque ſe toties juxta præſcriptam ſibi agendi rationem jejunaſſe: ac bis tantum in hebdomada blaſphemias, quandoque imprudenter, alias ſubito iræ impetu correptum ſe protuliſſe; ſed ob eam rem injuncta ſibi pia opera exſecutioni ſe mandaſſe. Quæritur utrum Gilbertus Judam in eo ſtatu poſſit, aut debeat abſolvere.

Respons.

Exiſtimamus, indubitanter dici poſſe, quod ſi habitualia iſta peccata denuo commiſiſſet Judas; non perfectis iis, quæ a Parocho ſuo fuerant præſcripta, remediis; abſolutione foret indignus: ſed quia iis remediis uſus eſt, hinc ſinceram oſtendit vitia ſua emendandi voluntatem. Nihilominus opportunum nobis videtur, ut Gilbertus, eum ſingulari caritate & indulgentia exceptum adducat, ut prioribus remediis ad ſuam emendationem inefficacibus, alia ſeveriora ſufficiat, & ad corrigendos pravos habitus potiora; atque ad brevius temporis intervallum abſolutionis ſuæ dilationem libens interim accipiat, in primis ob ſuam in ſolitas intemperantias recidivam; quas, uti blaſphemiam, propter inadvertentiam aut præcipitem iracundiæ motum excuſare non poteſt; cum in eas libens & liber omnino fuerit relapſus.

Ideo autem ad hanc ſecundam in caſu propoſito abſolutionis dilationem adhibendam inducimur, quia ſecundum Concilium Tridentinum (b), Ceſſatio a peccatis eſt neceſſaria ad recipiendam abſolutionem diſpoſitio: atqui dici non poteſt, Judam ceſſaſſe peccare, etſi non adeo frequenter, ut ante, non peccaverit: Sicut æger continua febre laborans ante, nunc autem triduana aut quartana jactatus dumtaxat, omni febre carere non dicendus eſt, etſi ea tribus duobuſve diebus alternis corripiatur. Unde colligi neceſſe eſt, a Gilberto abſolutionem Judæ eſſe prorogandam; donec per juſtum tempus ab ebrietate abſtinuerit; cumque omnem vinolentiæ habitum depoſuerit, eum poſſe abſolvi, licet in blaſphemiam denuo inciderit, vel per imprudentiam, vel inconſideratam excandeſcentiam, cui præſcripta afferre remedia pertexit.

(b) Con. Trid. Seſſ. 14. c. 4.

Hactenus dicta confirmari poſſunt exemplo famuli res domini ſui furantis: nam, ſi dominus hic quotidiana edoctus famuli ſui furta, culpam hanc ipſi ea conditione ignoviſſet, ut in poſterum idem peccatum non admitteret; & poſt menſem didicerit, furta ſua famulum ſemel bisve in hebdomada iterare; numquid herus immunis eſſet ab obligatione promiſſam famulo veniam concedendi? Idem affirmari poteſt de Confeſſario & pœnitente, de quo in caſu propoſito agitur. Nam ut vere mores ſuos non emendavit famulus, qui fur eſſe non deſinit; ſic vere contritus non eſt pœnitens ille, quoniam in peccatis durat, licet minus frequenter, quæ prius declaraverat; atque adeo Gilbertus ei abſolutionem prorogare poteſt, donec ad illam percipiendam ſit magis paratus (c).

(c) Genet. Theol. Moral. tom. 4. tract. 6. cap. 7. n. 15.

CASUS XXXI.

Audentius, Judex ſæcularis, multis prælatis ſententiis, quibus invalida declaravit multa matrimonia, a filiisfamilias abſque conſenſu parentum ſuorum contracta; & ob eam rem ſcrupulo agitatus, quod ea valida declarat Concilium Tridentinum; de eo ſe accuſavit in confeſſione. Quæritur, utrum Confeſſarius eum abſolvere potuerit, antequam ab eo promiſſionem hujuſmodi judicia non pronuntiandi exegerit?

Respons.

Audentii Confeſſarius ei ſtatim ex animo ſcrupulum evellere debuit, eique poſtea abſolutionem conferre; nam ſic in Gallia Judices ſæculares ferre ſententiam conſueverunt; quia juſta de cauſſa præſumunt in his matrimoniis intervenire raptum ſeductionis, qui ad mentem Tridentini Concilii eſt impedimentum dirimens matrimonii. Equidem jure merito dubitari poteſt, an pupillus cui ignota eſſe nequit ſua a parentibus dependentia, ſe ipſum proprio motu determinet; quin ſolicitetur vel a futura ſponſa, vel ab aliis qui agunt in ejus favorem, ad contrahendum matrimonium, familiæ ſuæ injurioſum, aut impar generi ſuo aut fortunæ, quam meretur; & cujus funeſtos non poteſt prævidere eventus, ex eo ſecuturos, ut conſtat experientia.

CASUS XXXII.

Herculus, Parochus ſancti Geminî, factus hæreticus publicus, & idcirco Beneficio ſuo Judicis ſententia privatus, retinet ne tamen poteſtatem abſolvendi valide a peccatis, & etiam Euchariſtiam conficiendi?

Respons.

Licet Herculus, non obſtante hæreſi ſua, Euchariſtiam conſecrandi poteſtatem retineat, a peccatis tamen valide abſolvere nequit: magnum quippe diſcrimen intercedit inter poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam & poteſtatem abſolvendi a peccatis. Conſecrandi poteſtas unice pendet a ſacro, quo inſignitur in ordinatione Sacerdos, charactere: quocirca neque cenſuris, qualeſcumque ſint, nec ipſa etiam degradatione, nec hæreſi ſeu ſecreta ſeu publica, nec ſchiſmate tolli poteſt hujus ope characteris collata poteſtas. Unde etiam hujuſmodi hæretici, denuo ad Eccleſiæ communionem admiſſi, non de novo ordinantur. Ex quo colligi debet Herculum, licet hæreticum, valide poſſe Euchariſtiam conſecrare. *Quia conſecratio Euchariſtiæ eſt actus conſequens Ordinis poteſtatem*, inquit S. Thomas (d): *illi, qui ſunt ab Eccleſia ſeparati per hæreſim, aut ſchiſma, aut excommunicationem, poſſunt quidem conſecrare Euchariſtiam, quæ ab eis conſecrata, verum corpus & ſanguinem Chriſti continet: non tamen hoc recte faciunt*, addit ſanctus Doctor, *ſed peccant facientes*, & *ſolus Baptiſmus*, ut ibidem obſervat Angelicus Doctor, *permittitur eſſe ratus hæreticis & ſchiſmaticis: quia poſſunt licite baptizare in articulo neceſſitatis. In nullo autem caſu licite poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre.* Quod etiam declarat Innocentius I. apud Gratianum (e) quam exceptionem inducit abſoluta hujuſce Sacramenti neceſſitas.

(d) S. Thom. 3. part. ſum. q. 82. a. 7. in corp.

(e) Innoc. I. in Can. *Arianos* 1. q. 10.

Quod

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. IV. num. V.

Quod pertinet ad poteſtatem abſolvendi a peccatis; certum eſt ea privari Sacerdotem per hæreſim, qua publice fit infamis: quia ad validam abſolutionem non ſufficit poteſtas Ordinis, ſed requiritur neceſſario poteſtas juriſdictionis: atqui per hæreſim publicam aut ſchiſma eam omnimode amittit; nullatenus igitur valide abſolvere poteſt. *Poteſtas autem Juriſdictionis*, inquit S. Thomas *(a)*, *eſt, quæ ex ſimplici injunctione hominis confertur: & talis poteſtas non manet. Unde non poſſunt nec abſolvere, nec excommunicare... quod ſi fecerint, nihil eſt actum.* Hæc etiam fuſius & ſolidius probatur veritas in reſponſionibus ad ſequentes difficultates.

(a) S. Th. 2. 2. q. 39. a. 3. in corp. & in 4. diſt. 3. q. 1. art. 2. in corp.

CASUS XXXIII.

Paschasius, Parochus ſancti Framburgi, cum ſit ſuſpenſus, interdictus, aut excommunicatus occultus, multoties tamen quoſdam e ſuis Parochianis abſolvit, qui eum cenſuris ligatum ignorabant. Quæritur utrum iſtæ abſolutiones ſint validæ?

Respons.

Abſolutiones iſtæ ſunt validæ, licet a Paſchaſio collatæ, dum actu cenſuris, immo etiam irregularitate eſſet obſtrictus. Hæc eſt expreſſa ſancti Thomæ ſententia. En ejus verba *(b)*: *Poteſtas miniſtrandi Sacramenta pertinet ad ſpiritualem characterem, qui indelebilis eſt .... & ideo ſuper hoc quod aliquis ab Eccleſia ſuſpenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit poteſtatem conferendi Sacramentum; ſed licentiam utendi hac poteſtate. Et ideo Sacramentum quidem confert; ſed tamen peccat conferendo; & ſimiliter ille, qui ab eo accipit Sacramentum; & ſic non percipit rem Sacramenti, niſi forte per ignorantiam excuſetur.* Alii multi Theologi & Canoniſtæ idem ſentiunt *(c)*.

(b) S. Th. 3. part. q. 64. a. 9. ad 3.

(c) Tolet. Inſt. Sacerd. l. 1. c. 13. n. 3. Joan. Cabaſſutius juris can. theor. & prax. l. 5. c. 14. n. 8. Dom. Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 4.

Ratio eſt, quia ſecundum principium & doctrinam ſancti Thomæ, Parochus ille per cenſuram quam incurrit, non amiſit poteſtatem conferendi Sacramenta; ſed ſolum facultatem utendi hac poteſtate: ergo excommunicatus, judicio Eccleſiæ talis denuntiatus, non abſolute privatur communione corporis ejus, niſi ſeparatione totali & ſolemni a legitimo Superiore prolata.

Certum eſt tamen, 1. lethaliter peccare Parochum, qui ea utitur poteſtate abſque juſta neceſſitate. 2. eum etiam mortaliter peccare, licet juſta neceſſitate coactum, niſi prius ad veram contritionem adjunctam ſincero propoſito abſolutionem ab excommunicatione ſua requirendi, atque Eccleſiæ & proximo ſuo ſatisfaciendi, ſe ipſum excitaverit, 3. aliter eum irregularitatem incurrere, cum excommunicato favere non intenderit Eccleſia, cui nimirum ob ſolam fidelium neceſſitatem Sacramentum aliquod conferre permittit.

CASUS XXXIV.

Nicetius, Sacerdos excommunicatus denuntiatus, per pagum remotæ provinciæ tranſiens, rogatus eſt, ut moribundum abſolveret, quorumdam reſervatorum caſuum reum, qui ad confeſſionem Sacerdotem popoſcerat; eique abſolutionem impertiit, quod non alius poſſet inveniri Sacerdos. Quæritur, utrum hæc abſolutio ſit licita & valida?

Respons.

Difficultatem iſtam accuratius & fuſius præ omnibus explicuit Fagnanus, qui contra Navarrum, Eveillon, alioſque multos auctores propugnat hanc abſolutionem nec licitam, nec validam eſſe: quod probat *(d)*.

(d) Fagnan. in Cap. *Non eſt vobis*, de ſponſ. & matrim. init.

1. Per expreſſam declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, factam ad preces Epiſcopi, qui difficultatis de qua in caſu propoſito agitur, deciſionem poſtulabat. *Epiſcopus Valentinus*, inquit, *petiit declarari, utrum pœnitens in articulo mortis conſtitutus poſſit in caſibus reſervatis abſolvere quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus & denuntiatus, ut tenuit Navarrus de regulis Confeſſariorum c. 27. n. 272. verſ.* Quod per eadem verba. *fol.* 551. En Declaratio horum Cardinalium, ut a Canoniſta illo refertur. *Congregatio generalis .... cenſuit, non poſſe: quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non poſſint, etiam in hoc caſu neceſſitatis.* Quam ſententiam confirmant iſti Cardinales auctoritatibus tredecim celeberrimorum Auctorum *(e)*, qui idem contra Paludanum, Silveſtrum & Sotum ſentiunt *(f)*. Poſtea explicant, quo ſenſu debeat intelligi hac de re Concilium Tridentinum. *Nec obſtat caput 7. de caſuum reſervatione; quia debet intelligi de omnibus Sacerdotibus in unitate Eccleſiæ viventibus, referendumque ad eos Sacerdotes, de quibus eodem capite 7. in prima & ſecunda parte agitur, qui habent ordinariam, vel delegatam poteſtatem.* Ea ſunt propria hujus declarationis verba, quæ primæ rationis loco affert Fagnanus.

(e) Mag. Sent. lib. 4. diſt. 19. S. Thom. 3. part. q. 82. art. 7. & ad 2. & in 4. diſt. 19. q. 1. a. 2. quæſtiunc. Durandus in 4. diſt. 30. q. 2. n. 17. reſponſ. ad 4. Capreol. in 4. diſt. 19. q. 1. art. 3. Turre Cremata in C. 1. de pœnit. diſt. 6. n. 2. S. Ant. 3. part. tit. 14. c. 10. §. Quintadecima. Raccon. in 4. diſt. 25. q. a. 2. 2. Scotus in 4. diſt. 19. q. uni. a. 4. Richard. in 4. diſt. 18. a. 6. q. 3. Alexander Halenſis in 4. part. q. 20. memb. 8. a. 2. Navar. Man. c. 26. n. 26. Abbas in c. cum Clericis de Ordinat. ab Epiſcopo, qui renuntiavit. &c. Et Decius in L. More. ff. 1. de juriſdict. omnium judicum.

2. Idem Canoniſta relato integro capite ſeptimo decimæ quartæ Seſſionis Concilii, eoque in tres partes diſtributo, oſtendit, hæc verba quæ in tertia parte continentur; *Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt*, ſolum eſſe intelligenda de Sacerdotibus, de quibus fit mentio in prima & ſecunda parte hujus capitis: *Quo ſenſu evidenter patet*, inquit hic Auctor, *Concilium in illis verbis*: omnes Sacerdotes, *nihil egiſſe, ac ne cogitaſſe quidem de Sacerdotibus ab unitate Eccleſiæ præciſis; ſed voluiſſe tantum includere Sacerdotes illos, de quibus egerat in prima & ſecunda parte illius decreti, qui habent vel ordinariam vel delegatam juriſdictionem; & ſic vivunt in unitate Eccleſiæ.*

Equidem ex dictis Concilii ſatis liquido conſtat, eos ſolum comprehendi Sacerdotes, qui actu in Eccleſiæ communione vivunt, cum addit, hos Sacerdotes non habere poteſtatem quemquam abſolvendi a caſibus reſervatis, niſi in articulo mortis conſtitutum: quia per hoc ſupponit, eos habere igitur poteſtatem abſolvendi a non reſervatis extra caſum hunc neceſſitatis: atque adeo Sacerdotes notorie excommunicatos non vult intelligi; quibus videlicet nulla competit poteſtas abſolvendi, ne quidem a non reſervatis, illos qui in hoc caſu non ſunt poſiti.

Inſuper, ex titulo hujus capitis, qui ſic habet: *de caſuum reſervatione*, videtur, Concilium loqui dumtaxat de Sacerdotibus, quibus prohibitum eſt, ne abſolvant, *vi reſervationis*: quæ prohibitio ad Sacerdotes nominatim excommunicatos pertinere non poteſt; quia ipſis non eſt prohibita Sacramenti Penitentiæ adminiſtratio, præciſe ob reſervationem quorumdam caſuum a Superiore factam, ſed quia omni juriſdictione ordinaria carent & delegata, utpote præciſi a communione Eccleſiæ, & ob eam cauſſam omni clavium uſu privati; nullamque, ut multi ferunt Canones *(g)*, ſuperioritatem in fideles habere poſſunt. Concilium igitur de Sacerdotum poteſtate non loquitur niſi relate ad ſolam reſervationem: alioqui, nulla eſſet connexio inter titulum hujus capitis, & ea quę ipſo capite continentur.

(f) Paludan. in 4. diſt. 25. q. 1. art 3. ad 3. Sotus ibid. Silveſter. v. Confeſſor. 1. §. 11.

(g) Can. *Audivimus*. 4. Can. *Ait*. 11. Can. *Aperte* 32. Can. *Miramur*. 37. 24. q. 1.

Dici poteſt etiam, quod cum a Concilio omnibus Sacerdotibus ſit poteſtas abſolvendi in articulo mortis ab omnibus peccatis & cenſuris; cenſeri non poteſt Concilium locutum fuiſſe de Sacerdotibus a communione fidelium præciſis; aſſerit enim eam fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem, in caſu neceſſitatis poteſtatem illam concedendi: atqui certum eſt, illud tantum intelligi poſſe de ſolis Sacerdotibus, qui in ejus communione vivunt; cum opinio communis, quam tuentur celeberrimi Theologi & Canoniſtæ, quorum multi ante Concilium Tridentinum vixere *(h)*, fuit quod Sacerdos, nominatim excommunicatus, non habebat poteſtatem abſolvendi, ne quidem in caſu urgentis neceſſitatis, ut his verbis jam ſupra laudatis obſervat Sacra Congregatio: *quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non poſſint etiam in hoc caſu neceſſitatis*: Vixque credibile eſt, Concilium Divi Thomæ doctrinæ tam impenſe addictum, ab ea in eo capite recedere voluiſſe; cum præſertim Doctoris Angelici ſententiam amplexi fuerint Auctores Theologi, ſacrorumque Canonum peritia clariſſimi.

(h) Magiſt. ſentent. S. Thomas. Durandus. &c.

Iis addi poteſt, quod ſi Concilium decreto ſuo Sacerdotes nominatim excommunicatos comprehen-

dere

dere voluiſſet, Cardinalis Joannes Moronus, Epiſcopus Tiburtinus, qui Pii IV. Legatus Bullæ confirmationis Concilii cui præerat, Chirographum ſuum appoſuit, quique idcirco mentem Concilii, verumque ipſius Decreti ſenſum ignorare non poterat; caute non fuiſſet aſſenſus, ut Sacra cui præerat Congregatio declarationem Concilio oppoſitam amitteret: & quod Gregorius XIII. ſub cujus pontificatu facta fuit hæc declaratio, & cui aderat Cardinalis Philippus Buon-compagno, iſtius Pontificis nepos, qui ante ſuam promotionem Concilio quoque, uti Epiſcopus interfuerat, non eam ſine dubio promulgandam permiſiſſet, ſi germanæ ejuſdem Concilii ſententiæ fuiſſet oppoſita.

Dicendum itaque, his Concilii verbis, *omnes Sacerdotes*, non intelligi, *niſi omnes habiles & capaces juriſdictionis*, inter quos annumerari nequeunt illi, qui ſunt extra corpus & ſocietatem fidelium, ob rationem ſuperius a nobis allatam: qua in re Navarrus, qui vocem *omnes* nimis ad litteram & ſine exceptione interpretatus eſt; a vero aberravit, cum in ſuo Manuali *(a)* an. 1575. edito, D. Thomæ ſententiam ſtatim amplexus, in alio ſuo opere *(b)* ab eo diſſentit.

Objici poteſt contra iſtam deciſionem, credibile non eſſe, Eccleſiam ſingulari filios ſuos caritate complectentem, voluiſſe iis auxilium denegare adeo neceſſarium, qualis eſt in propoſita ſpecie abſolutio, Sacerdotem hunc excommunicatum omni privando poteſtate: adeoque tutius dici poſſe, quod non intendit, Sacerdoti, quantumvis excommunicato, recuſare poteſtatem abſolvendi moribundum, qui ab alio Sacerdote nequit abſolvi; *ne hac ipſa occaſione aliquis pereat*, ut loquitur Concilium Tridentinum *(c)*.

Facilis eſt huic objectioni reſponſio: nam ad ſtatuendam opinionem de re tanti momenti, in qua agitur de validitate aut invaliditate Sacramenti, non ſufficiunt rationes veriſimilitudinis aut convenientiæ: nam hujuſmodi argumentis affirmari poſſet, ad caritatem atque amorem Eccleſiæ pro filiis ſuis pertinere, ut Diaconus, aut alius Clericus poſſit moribundum abſolvere, aut etiam ut æger in urgenti neceſſitate viaticum ſanctum & extremam unctionem a Sacerdote hæretico poſſit accipere; cum certum ſit, hæc duo Sacramenta gratiam juſtificantem conferre, ut declarat Concilium Tridentinum; *(d)* quod tamen adeo abſurdum eſt, ut refelli non ſit neceſſe. Temerarium eſt igitur, talem velle tueri opinionem, niſi alicujus canonis auctoritate muniatur, qualiter ſuppetunt multi ad probandum, excommunicatum denuntiatum, hæreticum, aut ſchiſmaticum, poſſe valide Baptiſmum conferre propter abſolutam hujus Sacramenti neceſſitatem *(e)*.

Hactenus dicta confirmari poſſunt, dicendo cum ſancto Thoma, abſolutionem Sacerdotis eſſe actum judicialem, ut ait ſanctus Ambroſius, a Gratiano laudatus *(f)*, quo Sacerdos eſt judex, & ut definivit Concilium Tridentinum his verbis *(g)*: *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti.... anathema ſit*. Atqui judex non poteſt ferre ſententiam, niſi pro illis aut contra illos, in quos habet juriſdictionem. Ergo invalida eſt illius abſolutio qui illam confert pœnitenti, in quem nullam habet juriſdictionem, ut propriis ejuſdem Concilii verbis conſtat *(h)*: quare invalida eſt abſolutio Sacerdotis, nominatim excommunicati: quandoquidem ex Conc. Arauſicano

(a) Navar. Manual. c. 26. n. 20.

(b) Idem de Reg. Confeſſar. c. 37. n. 272.

(c) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 4.

(d) Conc. Trid. Seſſ. 7. de Sacram. in genere, can. 7. & 8. Et Seſſ. 14. de Sacram. Extr. Unct. can. 2.

(e) § *Verum* ad Can. *Præter*. diſt. 32. Can. *Arianos*. 13. 1. q. 1. Can. *Si quem*, 40. 24. q. 1. Can. *Si qui* & ſeqq. de *Conſecr*. diſt. 4.

(f) S. Amb. in Can. *Verbum*. de Pœnit. diſt. 1.

(g) Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacram. Pœnit. can. 9.

(h) Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 7. de caſuum reſervatione.

(i), *ſejungitur a conſortio totius Chriſtianitatis*; & dæmonis poteſtati traditur: *(Omnis Chriſtianus*, inquit S. Auguſtinus *(k)*, *qui a Sacerdotibus excommunicatur, ſatanæ traditur. Quomodo? Scilicet, quia extra Eccleſiam diabolus eſt; ſicut in Eccleſia Chriſtus, ac per hoc quaſi Diabolo traditur)* & nullam habet poteſtatem ſolvendi & ligandi *(l)*. Unde aſſerit S. Thomas *(m)*, *quod excommunicatio eſt juriſdictionis privatio*. Et quidem eo principio nititur ejus ſententia de propoſita difficultate. Sic autem argumentatur hic ſanctus Doctor *(n)*: *In omnibus prædictis* (Schiſmaticis, Hæreticis, Excommunicatis &c.) *manet clavium poteſtas, quantum ad eſſentiam: ſed uſus impeditur ex defectu materiæ. Cum enim uſus clavium prælationem in utente requirat, reſpectu ejus in quem utitur.... propria materia in quam exercetur uſus clavium, eſt homo ſubditus: & quia per ordinationem Eccleſiæ unus ſubditur alteri; ideo etiam per Eccleſiæ Prælatos poteſt ſubtrahi alicui ille, qui ei erat ſubditus. Unde, cum Eccleſia Hæreticos & Schiſmaticos & alios hujuſmodi privet, ſubtrahendo ſubditos, vel ſimpliciter, vel quantum ad aliquid; quantum ad hoc quo privati ſunt, non poſſunt uſum clavium habere*. Unde aſſerit Paludanus *(o)*, etſi noſtræ ſententiæ alibi oppoſitus videatur, Eccleſiam non ſupplere defectum juriſdictionis in tali Sacerdote, quam, cum delicto ſuo amiſerit, propter quod excommunicatus eſt, eam quoque ſine ejus pœnitentia recuperare & exercere non poteſt: quocirca *melius eſt*, inquit idem Auctor, *non confiteri, quam hæretico confiteri, mori ſine communione, quam de manu hæretici communicare.... Idem eſt de excommunicato & ſuſpenſo: quia aliud eſt de non habente juriſdictionem cui Eccleſia eam tribuit, aliud de eo qui ſuo delicto eam perdidit: quia ſine ſua pœnitentia ei non reddit. Unde ſolum baptiſmum a talibus licet recipere*. Idem ſentit Sotus *(p)*.

Præter ſanctum Thomam alioſque omnes, quorum auctoritates a Sacra Congregatione referuntur; nobiſcum etiam hac de re pro certo ſentiunt alii bene multi Auctores celeberrimi. Quales ſunt S. Raymundus, Covarruvias *(q)*, Joannes Medina *(r)*, Panormitanus & Præpoſitus *(ſ)*, Auctor Gloſſæ Decreti Gratiani *(t)*, Cabaſſutius *(u)*, Auctor colloquiorum Condomenſis Diœceſis *(x)*, & alii permulti; quibuſcum invalidam eſſe concludimus abſolutionem, de qua agitur in caſu propoſito: quia Nicetius excommunicatus ſcilicet denuntiatus, juriſdictione carebat ad eam valide conferendam. Fateri tamen debemus, quoſdam eſſe Auctores, qui a nobis diſſentiunt, ut Melchior Canus, Toletus, Azor & Bonacina, quorum opinionem ſecutus eſt Auctor colloquiorum Diœceſis Antuerpienſis, & qui ſentiunt talem abſolutionem in caſu propoſito, licitam eſſe & validam. At certiora nobis videntur, quæ attulimus, argumenta, quam ut a noſtra recedamos opinione.

Vide { Accusatus, Caſu 7. | Appeollatio. | Casus Reservati. | Confessarius, 1. & 2. | Confessio. | Excommunicatio Caſib. 32. & 15. ſequentibus. | Jubilæum. | Surdus & Mutus. | Suspensio. }

(l) Conc. Arauſicanum in Can. *Canonica*. 107. 11. q. 3.

(k) S. Aug. in Can. *Omnis*. 32. & in can. ſeq. 11. q. 3.

(l) Can. *Audivimus*. & 32. aliis ſap. cit. 24. q. 1. Cap. *Romana*. 1. de officio vicarii in 6. lib. 1. tit. 13. Et cap. Si iis. 10. & ibi Gloſſa. v. *Excommunicari*. De officio & poteſtate judicis delegati. in 6. lib. 1. tit. 14.

(m) S. Th. in 4. diſt. 18. q. 2. quæſt. 3. in corp.

(n) Idem ibid. diſt. 19. quæſt. 1. a. 2. quæſt. 3. in corp.

(o) Palud. in 4. diſt. 1. quæſt. 3. con. 6.

(p) Dom. Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. a. 4.

(q) Covarruvias in c. *Alma mater*. relect. 1. partis §. 6. n. 8. conc. 5. de Sentent. Excom. in 6.

(r) Joan. Medina Tract. Pœnit. q. 25.

(ſ) Præpoſitus in cap. *Non eſt vobis*. 7. de Regularibus &c.

(t) Gloſſa in Can. *Præter*. diſt. 32. v. *Per manus*.

(u) Joan. Cabaſſut. l. 5. c. 14. n. 5.

(x) Colloq. Diœc. Cond. tom. 1. colloq. 12. ſect. 1.

ABSTINENTIA.

DE ABSTINENTIA verba faciemus ſub titulis: *Jejunium & Rogationes*; quare illius tantum definitionem heic afferre, ſatis erit: *Abſtinentia*, inquit Polmanus *(y)*, *eſt virtus moderans affectum, uſumque delectationis eſculentorum*; ut ſobrietas vini, ceterorumque potulentorum.

Vide { JEJUNIUM. | ROGATIONES. }

(y) Polm. p. 2. n. 1090.

ACCE-

ACCEPTIO PERSONARUM.

ACCEPTIO perſonarum, juxta definitionem quam affert Polmanus, eſt vitium, quo alicui datur vel attribuitur abſque juxta cauſſa, quod alteri juſtitiæ titulo eſt debitum. Acceptio perſonarum, inquit hic Theologus, eſt (*a*) *vitium juſtitiæ diſtributivæ oppoſitum, quo fit iniqua diviſio bonorum, onerumve communium, habito reſpectu ad perſonas, earumve qualitates impertinentes, non ad juſtas cauſſas.*

(*a*) Polmanus par. 2. 2. pag. 135. num. 715. edit. Pariſ. an. 1693.

Hæc definitio conformis eſt doctrinæ S Thomæ (*b*) qui dicit: *Perſonarum acceptio eſt, cum aliquid perſonæ attribuitur præter proportionem dignitati ipſius.* Et iterum: (*c*) *Perſonarum acceptio opponitur juſtitiæ diſtributivæ.* Et alibi etiam (*d*): *Acceptio perſonarum eſt peccatum, in quantum contrariatur juſtitiæ.* Quocirca admittitur peccatum acceptionis perſonarum, *Puta*, inquit S. Thomas, *ſi aliquis promoveat aliquem ad prælationem vel magiſterium, quia dives vel quia eſt conſanguineus ſuus, eſt acceptio perſonæ*: cujus rei hanc affert rationem (*e*): *Spiritualium... Prælatus Eccleſiaſticus non eſt dominus, ut poſſit ea dare pro libito; ſed diſpenſator, ſecundum illud* 1. ad Cor IV. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti &c.*

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 63. art. 2. in corp.

(*c*) Idem. ibidem art. 1. in corp.

(*d*) Idem cit. art. 2. in corp.

(*e*) Idem cit. art. 2. ad 1.

Diximus: *quod alteri titulo juſtitiæ eſt debitum*, quia minus digno, quiſque ſuum dare poteſt abſque peccato acceptionis perſonarum, juxta hæc verba Angelici Doctoris (*f*): *In hac donatione non habet locum perſonarum acceptio: quia quilibet abſque injuſtitia poteſt de ſuo dare, quantum vult & cui vult.* Quod probat hic Sanctus iſtis Chriſti Domini verbis (*g*): *An non licet mihi quod volo, facere?* Quæ verba juxta Cajetanum hoc ſenſu debent accipi (*h*): *Quantum ad hoc, quod non facio alteri injuriam, non autem abſolute; alioquin*, inquit, *prodigalitas non eſſet vitium: licet enim quod volo, facere; ſervatis tamen debitis circumſtantiis, quando facio.*

(*f*) Idem cit. art. 1. ad 3.

(*g*) Matth. 20.

(*h*) Cajet. in S. Thom. ad cit. art. 3.

CASUS PRIMUS.

SERVIUS virum divitem, qui ipſum officioſe adit, aut quocum rem habet, honorificentius ac majori apparatu excipit, quam virum genere mediocrem aut pauperem. Quæritur, utrum peccatum acceptionis perſonarum, a Scriptura damnatum committat?

RESPONS.

Quæſtionem hanc ſolvit S. Thomas (*i*), dicendo: 1. Committi peccatum acceptionis perſonarum, cum dives honoratur, propter divitias tantum: ſola namque virtus aut ſuperioritas in aliquo debent honorari: quare, cum virtutem divitiæ, aut legitimam in pauperes ſuperioritatem non efficiant, dives propter ſuas divitias præcipuo in pauperem non poteſt honori haberi, abſque reatu hujus pecti. Dicendo tamen 2. divitem poſſe magis quam egenum, honorari; ſi propter majorem, quem inter cives ſuos atque in ordine ad ſocietatem civilem, divitiæ ei faciunt locum honoretur. En verba ipſiuſmet Doctoris Angelici: *Honor eſt quoddam teſtimonium de virtute ejus, qui honoratur: & ideo ſola virtus eſt debita cauſſa honoris. Sciendum tamen eſt, quod aliquis poteſt honorari, non ſolum propter virtutem propriam, ſed etiam propter virtutem alterius; ſicut Principes & Prælati honorantur, etiam ſi ſint mali, in quantum gerunt perſonam Dei, & communitatis, cui præficiuntur ..... Eadem ratione parentes & domini ſunt honorandi propter participationem divinæ dignitatis... Senes autem honorandi ſunt propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus, licet hoc ſignum quandoque deficiat .... Divites autem honorandi ſunt, propter hoc, quod majorem locum in communitatibus obtinent: ſi autem ſolum intuitu divitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis perſonarum.* His verbis ſufficienter explicatur textus ſancti Apoſtoli Jacobi (*k*) erga eos, qui peccatum acceptionis perſonarum admittunt pauperes divitibus poſthabendo: atque ex iis colligimus, quod ſi Servius de quo fit mentio in caſu propoſito, ampliori divites, quam pauperes, honore proſequatur, non committit peccatum acceptionis, ſi id faciat ob eorum virtutem, dignitatem aut ordinem tantum; ſecus autem, ſi divitiarum eorum rationem tantum habeat (*l*). *In quotidianis confeſſionibus, qui præfert divitem pauperi, non in hoc peccat; niſi intus ita judicet, ut quanto ditior, tanto melior videatur. In his*, addit S. Doctor, *quæ mundi convictus requirit, oportet mundo gerere morem.*

(*i*) S. Th. 2. 2. q. 63. art. 3. in corp.

(*k*) Jacob. 2.

(*l*) S. Th. quodl. 10. art. 12. in argum. Sed contra.

Advertere tamen intereſt, quod hac in re unum ſit ex ſancto Doctore excipiendum, *nimirum quod in his, quæ ad fidem Chriſti pertinent, peccatum eſſet, divites pauperibus præferre, ſicut miniſtrationes Sacramentorum & alia hujuſmodi*, ut loquitur idem S. Thomas (*m*).

(*m*) Cit. art. 1. ad 1.

CASUS II.

THEODATUS, Clerico Beneficium contulit ob eam præciſe rationem, quia nobilis erat, potius quam alteri, qui non erat nobilis; licet hic poſterior eo dignus eſſet aliunde Beneficio. Quæritur, utrum in hac re peccatum acceptionis perſonarum commiſerit?

RESPONS.

Cum ad utilitatem miniſteriumque Eccleſiæ parum interſit, ut miniſtri ejus ſint nobiles, aut plebeii, nec virtus eorum ac dignitas generis nobilitate conſtet; Theodatus ob eam ſolam præciſe rationem Clerico nobili Beneficium potius conferre non potuit, quam alteri non nobili, qui aliunde dignus erat eo Beneficio, quin peccati acceptionis perſonarum reus ſit factus; ut ex his D. Thomæ verbis probare eſt (*n*): *Accipere perſonam proprie, eſt in aliquo negotio attendere quaſi regulam negotii, conditionem perſonæ, nihil facientem ad negotium. Puta, cum ideo do Beneficium alicui, quia eſt nobilis, ſive pulcher: nobilitas enim, ſive pulcritudo, nihil facit ad hoc, quod habeat Beneficium.*

(*n*) S. Th in Epiſt. ad Galat. 2. Lect. 2.

(*o*) Idem 2. 2.

Eamdem doctrinam multo ante S. Thomam docuerat S. Auguſtinus, in una ex ſuis epiſtolis; quæ ſic habet (*o*): *Nec ſane, quantum arbitror, putandum eſt, leve eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſi illam diſtantiam ſedendi ac ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem*

Idem 2. 2. q. 63. a. 2. corp.

ad

Digitized by Google

ad ſedem honoris Eccleſiæ, contemto paupere inſtructiore atque ſanctiore?

Attamen, *quia perſonarum acceptio eſt, cum aliquid perſonæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipſius; conſiderare oportet*, inquit Angelicus Doctor, *quod dignitas alicujus perſonæ poteſt attendi dupliciter: uno modo ſimpliciter & ſecundum ſe; & ſic majoris dignitatis eſt ille, qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ bonis. Alio modo, per comparationem ad bonum commune: contingit enim, quod quandoque ille, qui eſt minus ſanctus & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune, propter potentiam vel induſtriam ſæcularem, vel propter aliquid hujuſmodi: & quia diſpenſationes ſpiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem ſecundum illud* 1. *Corinth.* 12. Unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem; *Ideo quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium illi qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus præferuntur.*

CASUS III.

Cæsar, Dux exercitus, cum ſtatuerit decem millia nummorum exercitus ſui ordinum Ductoribus ac militibus diſpertire, tamquam mercedem magnanimitatis qua in prœlio enituere, majorem iis portionem conceſſit, in quos magis propendebat, quam aliis. Quæritur utrum acceptione perſonarum deliquerit?

Respons.

Diſtinctione opus eſt: nam ſi decem illa nummorum millia ad Cæſarem pertinerent; quam libuit, iis portionem facere potuit quos diligebat, aut pluris faciebat, cum rem ſuam dare nemini teneretur, ſed iis quos potius duxit, illa liberaliter poſſet donare. Ratio eſt, quia acceptio perſonarum locum non habet, in iis quorum abſolutum quis habet dominium; quare S. Antoninus (*a*) definita his verbis acceptione perſonarum: *Acceptio perſonarum eſt vitium, quo id quod ex debito juſtitiæ alteri eſt conferendum, exhibetur perſonæ, non ob meritum ejus ad ipſam rem, ſed ob conditionem ipſius, non congruentem ad ipſam rem*: addit: *Propterea autem dicitur*: ex debito juſtitiæ conferendum: *quia in his quæ dantur mere ex liberalitate, non ex debito, non habet locum acceptio perſonarum; ſi datur magis uni perſonæ quam alteri... quia ſuum eſt quod dat, & nemini debet; & in re ſua unuſquiſque eſt moderator & judex.*

(*a*) S. Anton. 2. part. Sum. Theologiæ, tit. 9. c. 20. init.

At ſi contra hæc pecuniæ ſumma a Principe ſtatuta eſt, quæ illis diſtribueretur, qui præmium meruerunt, ita ut illius Cæſar nudus ſit diſtributor; ſit reus peccati acceptionis perſonarum, niſi ex æquo eam dividat, non eos anteponendo quos amat, iis quibus benefacere non perpendet.

Hæc deciſio nititur doctrina Sancti Thomæ, qui ſic habet (*b*): *Perſonarum acceptio opponitur juſtitiæ. Unde locum habet in his, quæ dantur ex debito, quod attendit juſtitia.... in.... beneficiis gratis datis non ſolum Deo, ſed etiam homini liberum eſt dare cui voluerit.* Quod probat iſto Chriſti verbo (*c*): *An non licet mihi quod volo facere?* Rem eandem alibi docet his verbis (*d*): *Duplex eſt*, inquit, *datio: Una quidem pertinens ad juſtitiam, qua ſcilicet aliquis dat alicui, quod ei debetur; & circa tales dationes attenditur perſonarum acceptio. Alia eſt datio ad liberalitatem pertinens, qua ſcilicet gratis datur alicui, quod ei non debetur.... & in hac donatione non habet locum perſonarum acceptio; quia quilibet abſque injuſtitia poteſt de ſuo dare quantum vult, & cui vult.*

(*b*) S. Th. in Epiſt. ad Rom. c. 2. Lect. 2.

(*c*) Matth. 20. 15.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 63. a. 1. in corp.

CASUS IV.

Duæ Personæ intervenere ad obtinendas diſpenſationes matrimonii ejuſdem naturæ; quarum una erat nobilis, & altera vilioris conditionis. Priori diſpenſationem Superior conceſſit, & alteri recuſavit. Quæritur, utrum Superior ita ſe gerere potuerit abſque peccato acceptionis perſonarum.

Respons.

Difficultati huic reſpondet ſanctus Thomas (*e*), dicendo, Superiorem poſſe ſine ullo peccato concedere hujuſmodi diſpenſationem alicui perſonæ inſigni ob genus ſuum aut alias rationes, eamque pauperi perſonæ denegare; cujus rei hanc affert rationem; *quia diſpenſatio matrimonii contrahendi principaliter fieri conſuevit propter fœdus pacis firmandum: quod quidem magis eſt neceſſarium communi utilitati circa perſonas excellentes, & ideo facilius cum eis diſpenſatur abſque peccato acceptionis perſonarum.* Aliunde juxta doctrinam ejuſdem Angelici Doctoris, in ſuperiori reſponſione allatam, acceptio perſonarum in his tantum rebus locum habet, quæ fieri debent ex debito juſtitiæ, quæque tamen omittuntur: hujuſmodi autem diſpenſatio non eſt debitum juſtitiæ, ſed mera gratia. Igitur Superior eam concedere vel denegare poteſt, prout libuerit, quin acceptione perſonarum delinquat. Nihilominus, ſi perſonæ plebeiæ nota eſt conceſſio diſpenſationis alteri nobili facta, quam ipſa poſtulabat; ad prudentiam Superioris pertineret, eam pariter non denegare perſonæ infimæ, ne de ſe conquerendi, aut ſe ipſum de crimine acceptionis perſonarum accuſandi occaſionem præbeat.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 2.

Vide { Collator. Patronus. Judex. }

ACCUSATOR.

ACCUSATOR is dicitur, qui rei crimen ad Judicem defert, ab eoque hujus vindictam boni publici cauſſa poſtulat. Unde Accuſatio definitur: *Delatio rei de crimine per actorem, ſpondentem, ſe illud probaturum ſub pœna talionis* (*f*).

Secundum Juriſprudentiam quæ in Gallia obſervatur, Procurator Generalis Regius aut ejus ſubſtituti, & Procuratores fiſcales Dominorum, ſoli admittuntur Accuſatores in cauſſa capitali; cum privatis tantum ſit licitum eſſe delatores in propria cauſſa, & offenſæ a reo commiſſæ ſatisfactionem exigere, in iis dumtaxat quæ pertinent ad ſuum damnum & intereſſe (*g*): qua in re conſuetudo Gallica differt a Juriſprudentia Legum Romanarum, quibus privati non modo ad accuſationem admittebantur, ſed etiam quibus accuſatum in judicio perſequi ad definitivam ſententiam debebant; & ſi calumnia intervenerit, eadem plecti pœna qua reum volebant (*h*).

In duobus tamen caſibus, privato cuilibet in Gallia licitum eſt, proprio privatoque nomine ad accuſandum deſcendere.

(*f*) Polman. Brev. Theol. part. 1. a. n. 674.

(*g*) *Vide* Reus.

(*h*) Leg. *Libellorum* 3. Leg. *Si cui crimen* 7. ff. de accuſat. & inſcript. & leg. *Si quis alicui*. cod. ad Legem Juliam majeſtatis, l. 9. tit. 8.

Primus

Primus eſt, uti apud Romanos (*a*) crimen læſæ Majeſtatis.

Alter eſt adulterinæ Monetæ. At ſi reus agnoſcatur innoxius, accuſator vero de calumnia ſit convictus, is non modo damno & intereſſe erga reum, ſed etiam eodem damnatur ſupplicio, quod reum pati volebat. Hujus rei domeſticum eſt recenſque exemplum mors violenta cujuſdam Marchionis.

Omnis Accuſator fit irregularis, uti Judex & Tortor, ubi ſequitur mors accuſati.

Filius familias, qui patrem ſuum accuſat in cauſſa capitali, exheredari poteſt, etſi pater ſit reus; (*b*) modo crimen nec ad Principem nec ad Rempublicam pertineat; Donatarius etiam qui Donatorem juridice accuſavit, cenſetur ingratus; & a Donatore revocari poteſt donatio, præſertim quando crimen quo accuſatur, non ad Donatarium ſuoſve ſpectat.

(*a*) Leg. *Famoſi*. 7. ff. ad Legem Juliam majeſtatis. l. 48. *Famoſi*, Inquit Lex (id eſt *infames*, ait Gloſſa) *qui jus accuſandi non habent, ſine dubitatione admittuntur ad hanc accuſationem*.

(*b*) Authent. Ut *cum*. de appellatione. c 3. Authent. Collet. 5. tit. 16.

CASUS PRIMUS.

APPOLLONIUS compertum habet, Arnaldum grave ſcelus admiſiſſe. Petitur utrum poſſit eſſe caſus aliquis, in quo teneatur ſub peccato illum accuſare?

RESPONS.

Si crimen Arnaldi *fuerit tale*, inquit S. Thomas, (*c*) *quod vergat in detrimentum Reipublicæ, teneatur ad accuſationem; dummodo ſufficienter poſſit probare, quod pertinet ad officium accuſatoris: puta, cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem ſeu ſpiritualem.* v. g. urbem imperii hoſtibus tradere, aut eam incendio abſumere ſtatuit: homo hæreſim diſſeminat, qua populum inficit & corrumpit: in Principis vitam conjuravit ſceleratus. Si Apollonio id ſit notum, ejuſque rei inexpugnabiles poſſit afferre probationes: non dubium eſt, quin teneatur ad accuſandum deſcendere juxta formam judicii, ſi aliter malum antevertere nequeat: *Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem non redundet*, ſubjungit S. Thomas, *vel etiam ſi ſufficientem probationem adhibere non poſſit; non tenetur ad intentandum accuſationem: quia ad hoc nullus tenetur, quod non poteſt debito modo perficere.* Idem etiam docet alibi (*d*): & cum eo Cardinalis Cajetanus ipſius Commentator, aliique permulti docti Theologi.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 68. art. 1. in corp.

(*d*) Idem q. 3. de virtut. art. 2. ad 7.

CASUS II.

OLYMPIUS penes ſe habet probationes ſufficientes criminis, quo ſe miles obſtrinxit. Quæritur, utrum eum tuta conſcientia poſſit accuſare, non prius monitum, ut mores pravos emendet factique pœniteat?

RESPONS.

Duplex eſt de ea difficultate opinio. Prior, quam ſtatim refert S. Thomas (*e*), eſt eorum, qui volunt, talem hominem ſecreto prius eſſe monendum, quam juridice accuſetur, niſi crimen ejus foret publicum, aut antevertendum malum majus, quod ex eo poſſet evenire. *Vel dicendum*, addit Doctor Angelicus, *ſecundum alios, quod in accuſatione non agitur ad emendationem peccantis; ſed ad bonum commune, ſcilicet juſtitiam conſervandam per punitionem delinquentis. Et ideo accuſatio in judicio bona conſcientia fieri poteſt; etiamſi admonitio non præcedat; nec eſt contra præceptum Domini, quod intelligitur, quando agitur ad emendationem peccantis.*

(*e*) S. Th. in 4. diſt. 19. q. 2. a. 3. quæſtiunc. 2. ad 4. & 2. 2. q. 68. a. 1. in corp.

Hæc ultima ſententia, quæ ſancto Doctor potior videtur, magis etiam bono publico convenit. Licet enim delinquentis emendatio fraterna correctione procurari poſſet; innumeri ſunt caſus, in quibus & reo inutilis, & bono publico noxia eſſet.

Atque hinc concludimus, quod ſi unicum juſtitiæ bonum intendat Olympius: ipſi eſt licitum, militem accuſare, qui pœna dignum admiſit facinus, etiam prævia non adhibita fraterna correctione: in primis ſi juſte timeatur, ne tale crimen bono publico noxium futurum ſit; quo in caſu ad illud declarandum ſub peccato teneretur, modo ſufficientes poſſit illius afferre probationes; uti in reſponſione ad præcedentem difficultatem oſtendimus.

CASUS III.

AURELIUS, qui ſe accuſatorem in Caſſium profeſſus eſt, dum fit in accuſatum quæſtio, agnoſcit ſe in errorem per ignorantiam facti lapſum eſſe. Quæritur, utrum plane accuſationem omittere teneatur; an vero ſufficiat, ut ipſe nihil moliens, quæſtionem fieri non impediat?

RESPONS.

Certum eſt, Aurelium teneri ſub peccato deſiſtere penitus accuſatione ſua, rationemque inire, ut cum accuſato ad æquam accedat compoſitionem. Ratio eſt, quia, ut ait S. Thomas (*f*), *perſonæ accuſati facit injuriam, ſi de falſo accuſet.* Ad debitam igitur erga ipſum tenetur ſatisfactionem: quam melius præſtare nequit, quam deſiſtendo, & componendo cum accuſato: *qui*, ut addit idem Sanctus, *ſi innocens fuerit, poteſt injuriam ſuam remittere, maxime ſi non calumnioſe accuſavit, ſed ex animi levitate.* Altera hæc etiam ſubjungi poteſt ratio, quia manente ejuſdem hominis accuſatione, iniqua in accuſatum poſſet intervenire ſententia, cujus accuſator præcipuus auctor eſſet, & cui per deſiſtentiam ſuam mederi poteſt.

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 68. a. 4. ad 2.

CASUS IV.

MARCELLINUS vindictæ cupidine aut odio accenſus, Brandano crimen atrox intulit, quod in judicio probare non potuit. Petitur, quam ei Judex pœnam infligere debeat?

RESPONS.

Quæſtioni huic reſpondet S. Thomas, dicendo, quod falſus accuſator ſimili debeat pœna condemnari, in cujus periculum falſo accuſatum adduxit: quæ pœna Talio in Scriptura nuncupatur. *Accuſator in cauſſa accuſationis*, inquit hic ſanctus Doctor, (*g*) *conſtituitur pars, intendens ad pœnam accuſati. Ad Judicem autem pertinet, ut inter eos juſtitiæ æqualitatem conſtituat: juſtitiæ autem æqualitas hoc requirit, ut nocumentum quod quis alteri intentat, ipſe patiatur, ſecundum illud Exodi* 21. Oculum pro oculo: dentem pro dente. *Et ideo juſtum eſt, ut ille qui per accuſationem aliquem in periculum gravis pœnæ inducit, ipſe ſimilem pœnam patiatur.* Unde ſequitur, quod ſi a Marcellino de capitali crimine falſo accuſatus fuerit Brandanus, ipſum morte Judex condemnare debet, in cujus diſcrimen Brandanum falſo adduxerat: ſi autem non ſit cauſſa capitalis, ipſum Judex minori pœna, ſed qualem requirit criminis hujus qualitas, puniat.

(*g*) S. Th. 2. 2. q. 68. a. 4. in corp. Et quodlib. 12. art. 23.

CASUS V.

TITIUS Mævium in judicio accuſavit, quod Sempronium occiderit, quem re ipſa occidit. At Titius, cum ſufficientes accuſationis ſuæ non poſſit afferre probationes, periclitatur morte damnari, tamquam falſus accuſator. Quæritur, utrum Lucius cui cognitum eſt homicidium, Titii ſaluti proſpicere ſub peccato teneatur, revelato Mævii crimine?

RESPONS.

Non tenetur. Ratio eſt, quia in periculum quo imprudens progreſſus eſt, ſponte ſua ſe injecit Titius:

Titius: qua in re diverſa eſt ipſius conditio ab eo, qui injuſte accuſatus, in vitæ diſcrimen invitus adducitur, cujus proinde ſaluti invigilare caritas impellit. Hæc deciſio eſt ſancti Thomæ, qui ſic habet (a): *Super his vero quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre teſtimonium; niſi cum a ſuperiore compellitur ſecundum ordinem Juris. Quin, ſi circa hoc veritas occultetur; nulli ex hoc ſpeciale damnum naſcitur; vel, ſi immineat periculum accuſatori; non eſt curandum, quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit. Alia autem ratio eſt de reo, cui periculum imminet, nolente.* Idem ſentit Sylvius.

(a) S. Th. 2. 2. q. 70. a. in. 1 corp.

Exceptio tamen eſt facienda de accuſatore, qui ſufficientes non poteſt in accuſatum ſuppeditare rationes. *Cum enim accuſator*, ut animadvertit Sylvius (b), *ex neceſſitate qua obſtringebatur, accuſavit*; v. g. ſi crimen accuſati directe & immediate bonum publicum, puta conjurationem in vitam Principis, in Regnum aut Religionem attingebat; *tunc ſi periculum ei immineat*, pergit idem Auctor, *niſi alius qui facti conſcius eſt, ſponte ferat teſtimonium, ipſe tenetur illud ferre .... imminet enim periculum tertiæ perſonæ: quod quidem periculum ipſe non accerſivit, ſed in illud incidit, agendo quod debebat agere.*

(b) Franc. Sylvius in 2. 2. qu. 7. art. 1. concl. 4.

Vide { Reus. Testis. }

CASUS VI.

Bertoldus quæſtionum criminalium Judex, ad accuſandum Amedeum admiſit hominem notorie excommunicatum, aut infamia aſperſum, aut magno aliquo crimine accuſatum. Quæritur, utrum id tum conſcientia facere potuerit, & etiamnum ob talem accuſationem in Amedeum poſſit inquirere?

Respons.

Certum eſt, Bertoldo talem non admittendum fuiſſe ad accuſandum, neque eum in Amedeum ob talem accuſationem poſſe inquirere: quia inquirere tantum poteſt ob accuſationem legitimam, atque ab iis inſtitutam, quibus jus inferendi competit: atqui, per leges ſeu Civiles, ſeu Eccleſiaſticas (c) ab omni accuſatione juridica repelluntur hujuſmodi perſonæ. *Quærendum eſt in judicio*, inquit Canon antiquus, quem Calliſto I. Gratianus tribuit, & cujus initium a nonageſimo ſexto Canone quarti Concilii Carthaginienſis eſt depromtum (d); *cujus ſit converſationis & fidei is qui accuſat, & is qui accuſatur: quoniam hi, qui non ſunt rectæ converſationis ac fidei, ac quorum vita eſt accuſabilis, non permittuntur majores natu accuſare.* Multos alios omittimus Canones, qui rem eamdem declarant, & quos margini adnotare nobis ſufficit.

(c) Leg. Is qui. Leg. 4. Qui accuſat. 8. L. Alii. 9. L. Hos accuſare. 11. §. fin. L. Si plures. 16. ff. de accuſationibus & inſcriptionibus. L. 48. tit. 2 Leg. Criminis. 15. cod. de his qui accuſare non poſſunt. L. 9. tit. 1.

Veritati huic ſuffragatur ſanctus Thomas, dicens (e), *quod aliqui propter peccatum redduntur inhabiles ad accuſandum, ſicut excommunicati, infames, & illi qui ſunt de majoribus criminibus accuſati, priuſquam innoxii demonſtrentur.*

(e) S. Th. 2. 2. q. 68. art. 1. ad 2.

Herardus, Archiepiſcopus Turonenſis ait etiam in ſua Synodo habita an. 858. (f): *Criminoſus locum accuſandi non habeat.* Ex quibus conſtat, judicem non poſſe vel inſtituere, vel proferre judicium aliquod juſtitiæ conſonum ob rationem adeo inſtabilem, & quæ jure ipſo irrita declaratur.

(f) Herardi Synod. c. 70. apud Sirmundam. tom. 3. Conc. Galliæ. pag. 214.

CASUS VIII.

Leopoldus juridicam in proprium ſuum Superiorem, ſeu Præſulem, inſtituit accuſationem. Petitur, utrum id ipſi licitum ſit?

Respons.

Leopoldo id ipſum eſt licitum, modo requiſitas habeat ad inſtituendam accuſationem, qualitates; & per eam Eccleſiæ aut regni bonum procurare intendat. *Si fuerint alias idonei ad accuſandum*, inquit S. Thomas (g), *licet ſubditis ex caritate ſuos Prælatos accuſare.* Atque eo ſenſu, juxta ſanctum Doctorem intelligendi ſunt Canones (h) qui inferioribus Superiores accuſare prohibent: ratio eſt, quia ſi iſta inferioribus non concederetur licentia, magnum inde publico bono nocumentum eveniret in eo quod Superiores, quorum doctrina vel vita eſſet damnanda, a periculo accuſationis tuti, majores ſibi aſſumerent ſpiritus, & impunitatis ſpe freti, vitam licentiorem perditoſque mores prorogarent.

(g) S. Th. 2. 2. q. 70. ad 2.

(h) Silveſt. in can. *Clericus*. 10. & paſſim. 2. q. 7.

Ceterum heic obſervare intereſt, quod regulariter nemo privatus ad accuſandum reum in cauſſa criminali admittitur in Gallia. Nam juxta hujus regni conſuetudinem ſoli procuratores generales Regii aut eorum ſubſtituti, vel procuratores fiſcales eorum, qui altam habent juriſdictionem, capitalem poſſunt ſententiam poſtulare. Unde Eccleſiaſticus pro rebus ſuis civilibus reum accuſare poteſt, non præmiſſa proteſtatione, quam erga delatores ſtatuit Bonifacius VIII. quia hujus ſummi Pontificis conſtitutio qua id prohibetur, in Gallia cum requiſitis ſolemnitatibus non fuit admiſſa.

Vide { Accusatus. Reus. Testis. }

ACCUSATUS.

QUÆ obſervavimus initio verbi *Accuſator*, ad hujus intelligentiam ſufficere poſſunt. Heic igitur erit ſatis, præcipuas afferre regulas, quæ ad rem iſtam ſpectant.

(d) Can. *Quærendum*. 18. 2. q. 7. & can. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 11. &c. q. 4. Et can. 2. 3. 4. 9. 10. 11. &c. 3. q. 5.

Prima eſt: omnis accuſatus, a Judice ſuo legitimo interrogatus, tenetur ei reſpondere, cum juridice interrogatur, ac veritatem ipſi manifeſtare, ſi caſus excipias in ſequentibus deciſionibus expreſſos; in quibus tamen numquam licet ei mentiri, etſi ſaluti propriæ conſuleret, contra veritatem loquendo.

Secunda: quod, ut plurimum in judicio non admittitur accuſatio contra impuberes; uti Arreſto Senatus Pariſienſis, 16. Maii an. 1630. a D. Du Frene (i) relato Decretum eſt: duo etiam ſimilia refert Bonifacius; alterum 24. Martii an. 1659. alterum 36. Novembris an. 1667. (k)

(i) Diarium fori. tom. 1. l. 8. c. 70.

(k) Bonifacius tom. 2. part. 3. tit. 2. cap. 8.

Tertia: quod Curiarum ſupremarum Conſiliarii, in ea dumtaxat cujus ſunt membra, poſſunt accuſari curia, ut multis Arreſtis decretum eſt (l), & inter alia duobus Parlamenti provincialis 9. Martii an. 1647. & 26. Februarii an. 1657.

(l) Idem. tom. 4. l. 1. tit. 1. n. 19. & tit. 25. n. 9.

Quarta: quod accuſatus de crimine non admittitur ad accuſandum pari crimine accuſatorem ſuum: uti decrevit idem Parlamentum 16. Feb. an. 1647. (m)

(m) Idem tom. 2. l. 3. n. 7. & tit. 1. c. 5.

Quin-

Quinta : quod omnis accuſatus, qui crimen diſſolvit, de quo accuſatur, poteſt appellare contra accuſatorem ſuum ac delatorem pro ſuo damno & intereſſe.

Sexta : quod Parochus ante ſuum officialem de crimine accuſatus, ab exercitio ordinum ſuorum & functionum curialium, etiam ante convictionem poteſt interdici ; quo in caſu Paræciæ ſuæ redditus omnes non poſſunt adjudicari Sacerdoti, qui Beneficii ipſius adminiſtrationi committitur, ſed tantum portio conveniens juxta Arreſtum Parlamenti Aqui-Sextienſis 26. Januarii an. 1690. quod refert Blondeau. (*a*)

(*a*) Diarium fori. in fol. t. 2. pag. 774.

Non adeo decretoria videtur hæcce Authoris ſententia ; varias enim adhibendas ei modificationes cenſent quamplurimi Canoniſtæ, quorum rationes, & momenta ex ſequentibus deciſionibus, ſed præſertim ex Reſponſionibus ad Caſum quartum eruere poterit lector.

CASUS PRIMUS.

Blasius, reus criminis capitalis, cujus in judicio accuſabatur ; a Judice interrogatus, illud ſe admiſiſſe negavit, ſciens utique, quod ſi fateretur, ipſum Judex morte puniret. Quæritur, utrum negare potuerit abſque peccato : cum vitæ ſuæ conſulere ſit de jure naturali : aut ſaltem veritatem celare verbis utens ipſi non adverſis?

Responsio.

Diſtinctione opus eſt, ut propoſitæ difficultati fiat ſatis. Nam vel Judex in Blaſium inquiſivit, eumque *ſecundum ordinem juris*, ut loquuntur Theologi, interrogavit : vel in ipſum inquiſivit, eumque interrogavit, omiſſis a jure in cauſa capitali præſcriptis formulis.

In primo caſu, Blaſius ſub reatu peccati mortalis Judici tenebatur obedire, tanquam legitimo Superiori, atque adeo veritatem, de qua interrogabatur, confiteri, quam ſi perjurio negavit, multo gravius peccavit. *Quicumque facit contra debitum juſtitiæ, mortaliter peccat*, inquit S. Thomas (*b*) ...... *pertinet autem ad debitum juſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo Superiori in his, ad quæ jus Prælationis ſe extendit. Judex autem .... ſuperior eſt reſpectu ejus, qui judicatur : & ideo ex debito tenetur accuſatus judici veritatem exponere, quam ab eo ſecundum formam juris exigit, & ideo ſi confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.* Quæ ultima verba cum doctrina Sancti Auguſtini conſentiunt, dicentis : (*c*) *Timendo mori mentitur & moritur, antequam moriatur, qui ideo mentiebatur, ut viveret. Mentiri vis, ne moriaris, & mentiris & moreris. Et cum vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris, incidis in duas ; et prius in anima, poſtea in corpore moriaris.*

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 59. a. 1. in corp.

(*c*) S. Aug. in Pſal. 30. enar. 2. n. 12.

In ſecundo caſu Blaſius non tenebatur agnoſcere Judicem, tanquam ſuperiorem ſuum legitimum, nec ideo ipſi obedire : quia Judex non cenſetur accuſati ſuperior legitimus : niſi præſcriptas legibus regulas obſervando in ſuis proceſſibus atque judiciis. Unde ſequitur, hunc hominem ſub pœna peccati mortalis non fuiſſe obligatum Judici in eo caſu veritatem manifeſtare : etſi mendacio eam occultare non potuerit : cum ex Auguſtino, ita peccatum natura ſua eſt mendacium, ut ob quamcumque cauſam non eſſe peccatum deſinat. Quæ dicimus cum doctrina S. Thomæ conſentiunt, qui verbis ſuperius relatis ſubjungit : *Si vero Judex exquirat hoc, quod non poteſt ſecundum ordinem juris ; non tenetur ei accuſatus reſpondere, ſed poteſt, vel per appellationem, vel aliter licite ſubterfugere. Mendacium tamen dicere non licet.*

Fuſius etiam mentem ſuam alibi aperit Doctor Angelicus, (*d*) loquens de caſu, in quo Judex ab accuſato juſjurandum poteſt exigere, ab eoque criminis ſui confeſſionem requirere ; quod quidem ipſum fateri tenetur, ait, cum præceſſere infamia, aut ſemiplena probatio, aut graves conjecturæ, vel manifeſta indicia. *Aliud eſt*, inquit, *veritatem tacere : aliud eſt falſitatem proponere : quorum primum in aliquo caſu licet, non enim aliquis tenetur, omnem veritatem confiteri : ſed illam ſolum quam ab eo poteſt, & debet requirere Judex : ſecundum ordinem juris : puta cum præceſſit infamia ſuper aliquo crimine, vel expreſſa judicia apparuerunt ; vel etiam cum præceſſit probatio ſemiplena, falſitatem tamen ſupponere, in nullo caſu licet. Ad id autem quod licitum eſt, poteſt aliquis procedere, vel per vias licitas & fini intento accomodas, quod pertinet ad prudentiam ; vel per aliquas vias illicitas & propoſito fini incongruas, quod pertinet ad aſtutiam, quæ exercetur per fraudem & dolum ..... quorum primum eſt laudabile ; ſecundum vere vitioſum.* Unde his verbis concludit Sanctus Doctor : *Sic ergo reo, qui accuſatur, licet ſe defendere veritatem occultando, quam confiteri non tenetur per aliquos convenientes modos : puta quod non reſpondeat, ad quæ non reſpondere tenetur. Hoc autem non eſt calumnioſe ſe defendere ; ſed magis prudenter evadere. Non autem licet ei, vel falſitatem dicere ; vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur ; neque etiam aliquem dolum vel fraudem adhibere : quia fraus & dolus vim mendacii habent : & hoc eſt calumnioſe ſe defendere.*

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 69. a. 2. in corp.

Hæc D. Thomæ doctrina congruit 1. cum Decretali Innocentii III. (*e*) ad Epiſcopum Vercellenſem, & ad Abbatem quemdam, qua declarat, cum in cauſa Novarrenſis Epiſcopi Judices eſſent conſtituti, præſcriptas a jure formulas eos non ſervaſſe, adeoque eos in tota litis ejus ſerie prævaricatos, teneri ea reſarcire, quæ juri contraria fecerant ; quia, inquit, *ex his, quæ inordinate ſunt acta, non poteſt ordinabiliter agi.* 2. Cum alia Decretali ejuſdem ſummi Pontificis ad Archiepiſcopum Tarraconenſem & ad unum Abbatem, (*f*) in qua declarat, quod in accuſatum non debeat inquiri, niſi infamia præceſſerit, de Crimine, cujus accuſatur : quod idem denuo inculcat in alia Decretali ad Epiſcopum Genevenſem : (*g*) quas tres decretales confirmat idem Papa per quartam in Concilio Lateranenſi ſub ſuo Pontificatu anno 1215. habito, promulgatam : (*h*) in qua aſſerit, Superiorem non poſſe juridice procedere in accuſatum, niſi ſit infamis, quod probat allatis duobus Scripturæ Sacræ teſtimoniis, uno quidem veteris, altero novi teſtamenti ; tum ſingulas enumerat formulas, quas in proceſſibus ac judiciis ſuis Judices obſervare tenentur.

(*e*) Innoc. III. in c. Qualiter. 17. de accuſationibus &c. l. 5. t. 1.

(*f*) Idem in c. cum oporteat. 19. eod. tit.

(*g*) Idem in c. Inquiſitionis 21. §. tertio. eod. t.

(*h*) Idem in c. Qualiter 24. eod. t.

Conſtat his omnibus argumentis. 1. Blaſium, ut jam diximus, non teneri ad manifeſtandam Judici veritatem, ſi contra juris ordinem ab ipſo interrogetur, eamque modo licito occultare potuiſſe. 2. Eam mendacio occultare non fuiſſe ei licitum. 3. Ipſum teneri ſub peccato mortali ſuum confiteri ſcelus, ſi juridice procedat Judex, juſque ipſum interrogandi habeat, ſeu quod infamiæ eſſet compertus de crimine, cujus accuſabatur : aut eſſet ſemiplena probatio, aut in eum manifeſta indicia præceſſerint. Qui contrarium aſſereret, perjurio locum daret, ad quod jam rei nimium propenderint ; Criminum impunitati viam aperiret, ac tandem vim omnem legum ; Judicumque vigilantiam inutilem efficeret.

CASUS II.

Harmocrates, de homicidio accuſatus, in quem illius rei ſe teſtem oculatum profitebatur unus homo, pugnaciſſime, ſemper defendit, ſe illius criminis inſontem eſſe in omnibus interrogatis, ad quæ reſpondit. Quæritur utrum dici nequeat,

Digitized by Google

queat, omnia; quæ protulit in eo, mendacia non eſſe peccata mortalia; cum aliter vitæ ſuæ conſulere non poſſet niſi veritatem negando, ac jure naturali omnibus liceat mortem devitare?

RESPONS.

Duplex eſt de eo caſu ſententia. Prima eſt, in caſu propoſito eſſe tantum peccatum veniale. Ita ſentiunt Panormitanus, (a) Sylveſter Prierius (b), Angelus de Clavaſio (c), & Bartolomæus Fumus Author ſummæ, *Aurea armilla* (d). Qui exiſtimant, eſſe tantum veniale peccatum, ſi quis neget crimen, cujus eſt reus, cum ex ejus confeſſione ſequi debet pœna temporalis; etſi fateantur eſſe mortale peccatum, ſi de excommunicatione incurrenda ageretur.

(a) Panorm. in c. cum ſuper 2. de confeſſis l. 2. t. 18.
(b) Sylveſter. v. Confeſſio delicti. q. 2.
(c) Angelus de Clavaſio eod. v. n. 1.
(d) Barthol. Fumus in aurea Armilla, eod. v. n. 8.

Altera opinio, quæ tuta eſt & probabilior, aſſerit hujuſmodi mendacia eſſe peccata mortalia. Et quidem mendacium, quod profert accuſatus, qui ſe veritatem prolaturum juravit, Deo infert contumeliam, quem falſitatis teſtem appellare non reformidat. Ratio eſt, quia, ut ait D. Thomas (e) *Omne, quod eſt contrarium divinæ gloriæ, eſt peccatum mortale: ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere, ut patet 1. ad Corin. 10. Sed quod reus id, quod contra ſe eſt, confiteatur, pertinet ad gloriam Dei.* Quod Exemplo Acham confirmat, a quo furti, quod perpetrarat confeſſionem extorquere volens Joſue ait: (f) *Fili mi, da gloriam Domino, Deo Iſrael: & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* Unde ſic concludit S. Thomas: *Deo mentiri ad excuſandum peccatum, eſt peccatum mortale.*

(e) S. Th. 2. 2. q. 69 ar. 1. Argum. Sed contra.
(f) Joſ. 7. 19.

Inſuper hujuſmodi accuſatus Judici ſecundum ordinem juris interroganti injuriam infert, quem perjurio decipit, negando veritatem, quam manifeſtare tenetur. Qua igitur ratione ipſius perjurium non eſſet lethale? *Mentiri ad liberandum aliquem a morte cum injuria alterius*, inquit etiam S. Thomas (g) *non eſt mendacium ſimpliciter officioſum: ſed habet aliquid de pernicioſo admixtum. Cum autem aliquis mentitur in judicio ad excuſationem ſui, facit ei injuriam, cui obedire tenetur, dum ſibi denegat, quod ei debet, ſcilicet confeſſionem veritatis.*

(g) S. Th. 2. 2. q. 69. ar. 1. ad 2.

Alteram quoque rationem addit hic Sanctus, qua gravius eſſe mendacium oſtenditur: quia, inquit, ille qui mentitur in judicio ſe excuſando, (h) facit & contra dilectionem Dei, cujus eſt judicium, & contra dilectionem proximi, tum ex parte judicis, cui debitum negat, tum ex parte accuſatoris, qui punitur, ſi in probatione deficiat: Cum S. Thoma ſentiunt etiam Cardinalis Cajetanus (i), Covarruvias (k), Navarra (l), Cabaſſutius (m), aliique permulti. Igitur a peccato mortali non excuſandus videtur Hermocrates, in adjunctis caſus propoſiti mentiens.

(h) Idem 2. c. ad 3.
(i) Cajet. in S. Th. l. c.
(k) Cov. qq. pract. q. 23.
(l) Nav. Man. c. 25. n. 35.
(m) Cabaſſutius Juris c. Theor. & Pr. l. 4. c. 6. n. 1.

CASUS III.

THEODEMARUS, mille libras domeſtico furto ſurripuiſſe accuſatus: cum Ludovicus, quem is refutare non poteſt, juridice teſtatus fuerit, eum eſſe hujus furti reum: pertinaciter coram judice defendit ſe inſontem eſſe hujus criminis: quod norit ſe ſub uno teſtimonio morte damnari non poſſe. Quæritur, utrum, tuta conſcientia eum abſolvere poſſit Confeſſarius, etſi in mendacio ſuo ad vitæ ſuæ ſalutem perſeverare ſtatuerit: an vero abſolutionem ei denegare debeat, donec verum confeſſus fuerit, licet ſibi notum ſit ex hujuſmodi confeſſione reum morte puniendum?

Prima dubitandi ratio eſt Confeſſario, quia Panormitanus, aliique multi Authores, qui relaxativæ morum diſciplinæ non favent, exiſtimant, reum in caſu Theodemari poſitum, non teneri ad confeſſionem veritatis, ubi de ſalute ſua agitur, eamque poſſe abſque reatu peccati mortalis negare, cum ſibimetipſi mortis ſuæ cauſa eſſet. Atqui, abſolutio, inquit Confeſſarius, pro venialibus dumtaxat non debet recuſari: igitur Theodemaro poteſt conferri, ſi venialia ſint ipſius mendacia.

Secunda eſt, quia cum Sancto Thoma conſentiunt omnes Doctores, reum poſſe, ubi ſeſe offert occaſio, e carcere elabi ſine peccato ſeu ante, ſeu poſt dictam in eum ſententiam, modo vim non adhibeat. Ex quo inferri poſſe videtur, vitæ pariter ſuæ eum poſſe proſpicere, crimen ſuum negando.

Tertia eſt, quia nemo tenetur ad dicendum teſtimonium in propinquos. *Lege Julia judiciorum publicorum cavetur*, inquit Lex, *ne invito denuntietur, ut teſtimonium litis dicat adverſus ſocerum, generum, vitricum, privignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eoſve, qui priores gradu ſint.* A fortiori minus quis tenetur ad ferendum contra ſe ipſum teſtimonium, præſertim cum de vita agitur. Ex quo colligi poteſt, ut videtur, ad id pariter Confeſſarium cogere non valere, abſolutionem recuſando.

RESPONS.

Hæc difficultas ſuperiori annexa eſt equidem. Certum eſt, quoſdam Authores, uti *Leſſium* (n), ob tres allatas rationes probabile judicare, quod abſque peccato mortali hujuſmodi reus peccatum ſuum negare poteſt, nec a Confeſſario cogendus eſt abſolutione denegata, ad illud manifeſtandum judici, in eo, de quo agitur caſu: etſi contrariam opinionem probabiliorem, uti revera eſt, judicent. Exiſtimamus itaque, quod cum perjuria & mendacia Theodemari coram judice ſecundum ordinem juris interrogante, ſint mortalia, ut probant allata in ſuperiore Reſponſione, argumenta: & conſequenter indignus eſt abſolutione, dum crimen ſuum jam a teſte probatiſſimo atteſtatum, negare perſeverat.

(n) Leſſius de Juſt. & Jure. l. 2. c. 31. dub. 3. n. 16.

Hujuſce rei iſtam affert cauſam modernus Canoniſta (o): *quia, eſt contra jus naturale & bonam fidem, ſi quis, ubi ſubeſt periculum mortalis culpæ, opinionem eligat minus probabilem, & minus tutam in conſcientia, relinquendo probabiliorem ſimul & tutiorem.* Unde ſequitur, quod in caſu propoſito, *prudens Sacerdos*, ſubjungit idem Author, *recuſabit abſolvere reum: ſimulque præſtolabitur eventum. Aut enim reus diffitens dimittetur: dimiſſus porro non tenebitur poſthac apud Judicem confiteri: ſed ei ſola Sacramentalis confeſſio cum ſatisfactione ſufficiet ad ſalutem; vel econtra reus non confeſſus condemnabitur: Eoque caſu, cum nihil ſuperſit, quod amplius metuat, neque poſſit ſemel facta condemnatio augeri: Confeſſarius illum facilius ad confitendum judicialiter ſcelus ſuum adiget; ad hoc enim obligatur, quamdiu eſt ſub juridica poteſtate detentus. Poſtquam vero reus huic ſatisfecerit obligationi; tum demum illum Sacerdos ſacramentaliter abſolvet.* Alter Canoniſta Cabaſſutio antiquior; poſtquam aſſeruit, accuſatum hunc abſque reatu culpæ lethalis non poſſe ſe abſtinere a veritate manifeſtanda Judici *ſecundum formam juris* ipſum interrogantis, his verbis concludit: (p) *tunc ...... adeo obligatur; ut a Confeſſario non ſit abſolvendus, niſi proponat illud confiteri.*

(o) Cabaſſ. l. 4. Theor. & prax juris Can. c. 6. n. 3.
(p) Navarr. Manual. c. 25. n. 35.

Quod ad oppoſitas rationes pertinet: ad primam dicendum, opinionem contrariam dici non poſſe probabilem, niſi ſimplici probabilitate extrinſeca, id eſt, numero Authorum, qui eam talem reputant, eamque nulla ratione niti ſolida; cum defendi non poſſit, niſi mendacium ac perjurium, quæ nullo in caſu poſſunt eſſe licita, approbando: Ex quo altera refellitur ratio: Conceditur namque reum e carcere poſſe elabi, ſi ſuppetat via, nec vim adhibeat. At fuga nullum mendacium, nullum admittit perjurium, ut facit verum negans, quod fateri tenetur Judici ipſum juxta legitimam judiciorum formam interroganti. Pariter quamvis ex legibus in propinquos ad certum gradum teſtimonium dicere non cogatur, cum de ordinariis, & non privilegiatis Criminibus agitur: In ſe ipſum tamen quiſque illud ferre tenetur, cum omitti nequit ſine mortali offenſa Dei, ut fit in caſu propoſito, in quo tenetur Theodemarus Judici veritatem legitime inquirenti manifeſtare ſub pœna peccati. Cæterum Theodemari Confeſſarius moneat, eum teneri, ſi forte idem eveniat caſus, ad vitanda hujuſmodi perjuria.

Vide { IRREGULARIS. CASUS, THEODOSIUS. }

CASUS

CASUS IV.

Nepotianus, de furto notabili & adulterio accuſatus ab Ambroſio, dignitatem Eccleſiæ Cathedralis ab avunculo ſuo ſibi reſignatam adeptus eſt: Quæritur, utrum legitime de ea provideri potuerit, an vero ad eam quoque canonice a Capitulo poſſet eligi; ſi eſſet electiva?

Respons.

Magnum intercedit diſcrimen inter Collationem & Electionem. Quod pertinet ad Collationem Beneficii faciendam Clerico, qui juridice accuſatus vel denuntiatus eſt; exiſtimamus, eam non fore canonicam, niſi innocentiam ſuam de crimine purgaſſet, atque per juridicam ſententiam extra omnem accuſationem eſſet poſitus. Hoc patet ex Canonibus ad marginem appoſitis (a), idque ex multis juris contextibus Gloſſa comprobat (b). Hoſtienſis, Panormitanus, Antonius de Butrio, Felinus & Socinus idem docent. *Nota* 1. inquit ſecundus ex iſtis Canoniſtis (c), *quod pendente accuſatione, ſeu inquiſitione contra aliquem, non debet iſte promoveri ad aliquod beneficium vel officium .... & hoc procedit etiam in dignitatibus ſæcularibus*. Tum hanc etiam ſubjungit animadverſionem: *Nota 2. quod ex pendentia accuſationis gravatur opinio accuſati, ut interim non dicatur perſona integra omnino. Licet ergo pendentia accuſationis non privet quem jure jam acquiſito, neque exercitio juris illius .... tamen inhabilitatur, quoad acquirendum de novo*. Hactenus dicta confirmat Panormitanus, multis expreſſis ſeu juris Canonici ſeu Romani teſtimoniis, quæ heic referre longius eſſet. Ratio qua nititur hic Canoniſta, videtur decretoria: Nam, etſi accuſatus non ſemper reus haberi debeat, jure tamen talis reputatur, donec falſitatem impoſiti ſibi criminis evicerit: & *impeditur tamen ab honoribus*, inquiunt Gloſſa (d), & Hoſtienſis (e); unde talis homo ad ſactos non debet Ordines admitti, ut vult Canon a Gloſſa laudatus, donec impoſitum ſibi crimen diſſolverit (f).

(a) S. Greg. l. 4. Epiſt. 34. indict. 13. in C. *Omnipotens*. 4. de accuſat. (lib. 5. tit. 2.) Cæleſtinus I. in Can. *Tantis*. 3. diſt. 81. &c.

(b) Gloſſa in cit. Can. *Omnipotens*. 4. v. *Nuntiantur*.

(c) Panorm. ibidem v. eod.

(d) Gloſſa in Can. *Nonne ſin*. q. 4. v. *Sententia*.

(e) Hoſtienſis in cit. C. *Omnipotens*. v. *Honoretur*.

(f) Cit. Can. *Tantis*. & ibi Gloſſa. a. *Obrepſit*.

Neque etiam fieri poteſt talis accuſati canonica electio, cum de eo in cauſſa criminali inquiſitum eſt: quia in eo caſu præceſſit infamia, ait Panormitanus, & quod juxta regulam Bonifacii VIII. (g) *infamibus porta non pateant dignitatum*: quæ regula ad ſæculares, inquit Gloſſa (h), procedit etiam dignitates.

(g) Reg. 87. de reg. juris. in 6.

(h) Gloſſa ibid. v. *Infamibus*.

At ſi talis homo ſit ſimpliciter accuſatus, nec præceſſerit infamia, per inquiſitionem ante factam, aut aliter; tum ipſius electio ad aliquam dignitatem non eſſet adverſus canones; quia non agunt de ſimplici electione, ſed tantum de promotione, quæ a ſe invicem multum diſcrepant. Ita ſentit Innocentius IV. (i) in ſuo ſuper Decretales commentario, qui verbis expreſſis dicit, ſolam infamiam quæ oriri poteſt ex ſimplici accuſatione, ſufficere, ne clericus ad dignitatem promoveatur, licet non ſit ſufficiens, ut ſimpliciter eligatur: *quare enim puniretur*, inquit doctus hic Papa, *ſi non eſt verum crimen, de quo accuſatur? & ſic facile eſſet, ſi hoc eſſet verum, quemlibet ab electione excludere*. Innocentio IV. ſuffragantur alii plures Auctores. Attamen fateri debemus, quoſdam contra velle, ut infamia, e ſola accuſatione ſeu vera ſeu falſa proveniens, electioni obſtet, non minus quam promotioni. At mediam quamdam inter duas opiniones viam init Hoſtienſis; Innocentii IV. ſententiæ accedendo, eam eſſe veriſimiliorem affirmat; præſertim, ſi de accuſatione, nondum publica, intelligatur. *Primus ſcilicet occultus* (accuſatus) *non probibebitur eligi, ... & ſic intelligitur prima opinio: Secundus vero eligi prohibetur, ſicut & ille contra quem ſit inquiſitio, quæ non procedit, niſi contra infamatum .... talis erga repellitur: quia fama electi in nullo debet vacilare*. Hanc diſtinctionem admittit Panormitanus his verbis (k): *Puto dicendum, quod inquiſitus etiam eligi non poteſt: quia jam præceſſit infamia: & electio de tali fieri non poteſt*. Quod Cæleſtini I. ſuperius laudato Canone, & Alexandri III. Decretali (l) confirmat. Quibus dictis ſubjungit: *ſi vero eſt accuſatus, aut tunc præceſſit infamia facti, impedit .... ſi vero non præceſſit infamia: & etiam non poteſt eligi .... quia ſola infamia facti impedit .... ſi vero non præceſſit infamia; & tunc eligi poterit, ne malitioſe ſit attentata accuſatio .... ſi vero eſt denuntiatus, & tunc præceſſit infamia, etiam eligi non poteſt ratione prædicta; ſi non præceſſit, aut ſuperior inquirit: & interim poteſt eligi, ſed non promoveri*.

(i) Innoc. IV. Hoſtienſis. Joannes Andreas & Ancharanus in C. *Accuſatum*. de Simonia.

(k) Panorm. in cit. Can. *Omnipotens*.

(l) Can. *Tantis*. cit. Alex. III. in C. *Cum in cunctis*. 7. de electione, &c. l. 1. tit. 6.

His dictis facile eſt colligere, accuſationem in Nepotianum inſtitutam, ipſius promotionis canonicum eſſe impedimentum: & ipſius electionis non foret impedimentum, niſi eam præceſſerit aut ſubſecuta fuerit aliqua infamia.

CASUS V.

Epiphanius, meditatæ cædis accuſatus, & morte per contumaciam damnatus, cum a tribus ſatellitibus, a Judice Criminali miſſis, fuiſſet deprehenſus; adverſus eos ſe defendit, ut ſaluti ſuæ conſuleret, aut carcerem evitaret. Quæritur, utrum id abſque peccato facere potuerit, ut re vera potuiſſet vitæ ſuæ fuga proſpicere?

Respons.

Diſtinguendum eſt: nam, vel Epiphanius juſte ad mortem damnatus eſt, vel injuſte: in primo caſu ipſi omnis erat interdicta defenſio; in ſecundo vero licita. *Aliquis damnatur ad mortem dupliciter*, inquit S. Thomas (m): *uno modo juſte, & ſic non licet condemnato ſe defendere .... unde relinquitur, quod ex parte ejus bellum ſit injuſtum. Unde indubitanter peccat. Alio modo condemnatur quis injuſte; & tale judicium ſimile eſt violentiæ latronum .... & ideo ſicut licet reſiſtere latronibus; ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus*. *Niſi forte*, ſubdit S. Doctor per exceptionem, *propter ſcandalum vitandum; cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur*.

(m) S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. in corp.

Sylvius S. Thomæ interpres idem docet his verbis (n): *Juſte condemnato non licet ſe defendere vel contra judicem, vel contra executores ſententiæ. Inique autem condemnato licet, quando id fieri poteſt abſque ſcandalo, aut alio gravi malo*. Cujus quidem hanc rationem affert ex Epiſtola ad Romanos deductam. *Quia illo caſu ſe defendere*, ait, *eſt reſiſtere poteſtati, a Deo ordinatæ ad vindictam malorum: qui autem ei reſiſtit, ipſe ſibi damnationem acquirit; ad Rom. 13*. Cui priori hanc alteram ſubjungit rationem: *Deinde Judex licite poteſt reum tunc reſiſtentem impugnare. Ergo non poteſt reus licite reſiſtere: quia bellum non poteſt ex utraque parte eſſe juſtum: niſi forte per ignorantiam alterius .... in propoſito autem non ſupponitur ulla ignorantia*. De eo etiam qui injuſte damnatus eſt, S. Thomæ aſſentitur hic Theologus.

(n) Franc. Sylvius in S. Thom. art. 4. cit.

In eo doctrinæ capite cum D. Thoma ſentiunt alii permulti Theologi, quales ſunt Cajetanus, Bannes, Petrus de Arragonia, Michael Salonius, Petrus Sotus, Gabriel, Navarra, Gregorius de Valentia, Emmanuel Rodriguez & Sairus, a quo laudatur his verbis (o): *reus juſte condemnatus, etiam ad mortem, tenetur parere judici, & non per vim reſiſtere judici vel miniſtro*. Sic ſanctus Thomas &c. (a) His omnibus addi poteſt Covarruvias (p), qui pro eadem ſententia laudat Archidiaconum, Alexandrum, Dynum & Chaſſanæum.

(o) Greg. Saïrus, Clavis Regiæ l. 11. c. 8. n. 1. Et apud eum P. Sotus de Juſtitia & Jure q. 6. a. 4. Gabriel Biel, in diſt. 15. q. 6. art. 2. concl. 2. Navar. in Can. *Statuimus*. 19. q. 3. Greg. de Valent. tom. 3. diſput. 5. q. 13. puncto 4. Emmanuel Rodriguez Tract. de ordine judiciali c. 34. concl. 3. &c.

(p) Covar. l. 3. variar. reſol. c. 2. n. 23. & apud eum Archid. in C. *Cum homo*. 23. q. 5. Alexand. in Leg. 1. §. *Item ſi quis*. ff. ſi quis eum, qui in jus vocatus, vi eximat. l 2. tit. 7. Dynus in reg. *Quod quis*. de reg. juris in 6. Chaſſanæus in Conſuet. Burgundiæ. ſub. 1. §. 7. v. *Necanter*. n. 3.

Ad paritatem autem fugæ, qua vitæ ſuæ conſulere poteſt; cum eodem Doctore Angelico dicendum, magnum eſſe diſcrimen inter evitationem mortis per fugam, ejuſdemque evitationem per vim & reſiſtentiam: quia mortem ſibi procurare nemo tenetur, ſe ipſum tradens judici; verum ei non licet evitare per vim (q): *Nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem; ſed quod ipſe mortem patiatur. Et ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur, quod eſt, manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non reſiſtere agenti; quin patiatur, quod juſtum eſt, eum pati*. Quæ dicta hoc exemplo probat Angelicus Doctor. *Sicut etiamſi aliquis ſit condemnatus, ut fame moriatur; non peccat, ſi cibum ſibi occultate miniſtratum ſumat: quia non ſumere, eſſet ſe ipſum occidere*.

(q) Idem S. Thom. ad 2.

D 2 CA-

CASUS VI.

Cesselius, Subdiaconus, denuntiato ſibi dadimonio perſonali, ob accuſationem criminis capitalis cujus reus factus eſt, cum ab Officiali interrogatus fuiſſet, ſe reum eſſe confeſſus eſt. Quæritur, utrum Officialis illum pœna canonica poſſit condemnare quam meretur hoc crimen, ob illius tantum confeſſionem, contra illam juris regulam: *Nemo auditur perire volens*.

Respons.

Magnum eſt, quoad rem præſentem, diſſidium inter Juriſprudentiam eccleſiaſticam & ſæcularem. Nam ſæculari non ſufficit confeſſio criminis facta ab accuſato; ſed ante pœnæ injunctionem, alias exigit probationes. Ratio eſt, quia reum ſcelus ſuum confitentem habet, uti hominem, qui ad ſuum præpoſtere ruit interitum; quique vitam membraque corporis ſui, cum eorum non ſit dominus, juſtitiæ rigori ſponte non poteſt permittere: atque in eo ſolum vim ſuam retinet hæc regula: *Non auditur perire volens*: & edictum Ludovici XII. Bleſis menſe Martio an. 1499. factum, cui conforme eſt aliud Franciſci I. an. 1539. diſtinguit inter crimina, quæ pœnam corpoream merentur, & ea quæ non merentur. Quod ad priora pertinet, ad confeſſionem accuſati, alias neceſſe eſt accedere probationes, ut juridica ſit convictio. De poſterioribus vero, quæ non pœnam corpoream, ſed debitam tantum exigunt partis adverſæ ſatisfactionem, vel mulctam aut aliquam levem pœnam, ſola ſufficit accuſati confeſſio ad legitimam ejus condemnationem.

Non eodem ſe res habet modo in Juriſprudentia eccleſiaſtica. Cum enim Judices Eccleſiaſtici, Laicorum more non damnent pœnis corporeis, & omnia eorum judicia ad ſalutem accuſati atque emendationem ſpectent; non habetur in iis reorum confeſſio, ut ſignum ſpontanei interitus, verum ut nota deſiderii propriæ ſuæ ſalutis & emendationis: quare ſuperior regula reſpectu eorum vim non habet. Unde colligimus, Officialem de quo in ſpecie propoſita agitur, legitime Ceſſelium damnare poſſe poſt voluntariam ſui criminis confeſſionem ad pœnam canonicam, quam admiſſo facinore meritus eſt (*a*).

(*a*) Du Caſſe officialis condo: praxis juriſp. Eccl. current. cap. 10. n. 2.

CASUS VII.

Birgitta, rea adulterii, a marito ſuo de eo crimine juridice accuſatur. Petitur, utrum teneatur, ſub reatu peccati mortalis illud Judici interroganti manifeſtare atque confiteri?

Respons.

Circa hoc eſt diſtinguendum, inquit D. Thomas: (*b*) *ſi enim adulterium ſit omnino occultum, non debet peccatum ſuum in judicio confiteri, nec debet ab ea exigi juramentum de veritate dicenda; quia occulta ſoli divino judicio reſervantur, ſecundum illud* 1. *Corinth.* 4. Nolite ante tempus judicare, quouſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum. *Sed quando ex adulterio procedit infamia, vel aliqua ſigna evidentia apparent, quæ vehementem ſuſpicionem facere poſſunt; vel quando eſt ſemiplene probatum; tunc debet ab ea exigi juramentum de veritate dicenda: & ipſa tenetur confiteri veritatem.*

(*b*) S. Th. quodl. 5. q. 8. art. 16.

CASUS VIII.

Christianus, Paſtor, de ſortilegio accuſatus, & in equuleum impoſitus, licet hujus criminis inſons; propter vim tormentorum ſe reum fateri coactus eſt, etſi ex confeſſione ſua mortem ſecuturam non dubitaret. Poſtea Confeſſarium ſibi dari poſtulavit, cui declaravit ſuam innocentiam: quam ob rem ab eo exigit, ut falſo ſibi impoſiti criminis factam confeſſionem revocaret: at id a ſe fieri poſſe, abſolute negavit, dicens; mortem ſe anteponere diris tormentis, quibus procul dubio iterum ſententia Judicis admoveretur, juxta leges patriæ ſuæ, ſi confeſſionem ſuam revocaret.

Qua de re poſtulat Confeſſarius, num in eo caſu Chriſtianum abſolvere potuerit? ratio dubitandi eſt, quia mortis ſuæ vera cenſetur eſſe cauſſa talis homo, & ideo abſolutionis indignus eſt, cum mortem ſibi voluntarie procurare nunquam liceat.

Respons.

Exiſtimant Auctores, & quidem graviſſimi, ſcilicet Dominicus Sotus (*c*), Angelus de Clavaſio (*d*), Gregorius Sairus (*e*), Petrus Navarra, Petrus Ledeſma, & Cardinalis Toletus (*f*): quod, ſi talis accuſatus vilioris ſit conditionis, qualis eſt is de quo agitur, probabile eſt, quod Confeſſarius eum poſſit abſolvere. Sylvius (*g*) ad horum videtur propendere opinionem Auctorum. quorum hæ ſunt rationes. 1. Quod talis homo mortem tormentorum quæſtioni poſſit anteferre, cum duriora ſibi & magis metuenda ea videntur, quam mors ipſa. 2. Quod ſibi ſoli injuriam faciat, cum vilioris ſit conditionis; & quod ſi quos haberet parentes, non eis magnam ſua mors afferret ignominiam, habita ratione eorum infimæ conditionis. Iſte nihilominus Theologus ſatis oſtendit, hanc ſibi non arridere opinionem, quam ab extrinſeco ſolum, hoc eſt, ob Auctores qui eam propugnant, probabilem agnoſcit: quare de ea, uti de re dubia, loquitur. *Quæ utcumque ſe habeant*, inquit, *propter auctoritatem nihilominus Doctorum qui ſic loquuntur, ea probabilem faciunt hanc concluſionem*.

(*c*) Dom. Sotus de juſtitia & jure, q. 10. art. 2. & alibi.

(*d*) Angelus de Clavaſio. v. *Detractio*. in fin.

(*e*) Greg. Sairus, Clavis Regia l. 11. c. 3. & apud eum Petrus Navarra, Petrus Ledeſma & alii.

(*f*) Tolet. Inſtruct. Sacerd. l. 5. c. 66.

Opinio contraria, quam ſolam exiſtimamus veram, potioribus nititur rationibus. Nam, cum nemo vitæ ſuæ aut membrorum ſuorum dominium habeat, non cuiquam licitum eſt horum ſibi jacturam inferre; & ſi in eo pertinaciter conſilio perſeveret, a Confeſſario non eſt abſolvendus. Ita ſentiunt Panormitanus, aliique complures inclyti Canoniſtæ, quos laudat & ſequitur Covarruvias (*h*). Silveſter de Prierio, Azorius (*i*) & Navarra (*k*), eamdem amplectuntur ſententiam, & omnes conſentiunt, homini non eſſe licitum, ſponte periculum ſubire amittendi vitam aut membrum, crimen confitendo cujus eſt inſons; & quod ſi alterutrum ex his malis, revocata falſa confeſſione ſua, poſſit evitare, ad id præſtandum teneatur. Unde concludi neceſſe eſt, quod ſi ſaluti ſuæ proſpicere poſſit Chriſtianus diffitendo crimen, idque nihilominus facere recuſet, ei abſolutio a Confeſſario deneganda eſt, cum a peccato mortali non vacet ejus denegatio.

(*g*) Franciſcus Sylvius Reſolut. var. v. *Sortilegium*. 2. concl. 2.

(*h*) Covarruvias a Leyva. l. 1. Var. reſol. c. 2. n. 8.

(*i*) Joan. Azor. part. 3. l. 5. c. 9.

(*k*) Navar. in Can. *Inter verba*. 55. 11. q. 3. conc. 6. coroll. 44. n. 170.
Et Manual. c. 18. n. 29.

CASUS IX.

Antonius juridice, licet injuſte, accuſatur de cæde Claudii. Renato comperta eſt ipſius innocentia; verum cum ejus rei teſtis non appelletur, pro eo teſtimonium dicere non poteſt. Quæritur, num aliunde teneatur, ad procurandam criminis falſo impoſiti Antonio depulſionem, ejuſque accuſati liberationem?

Respons.

Pro certo ad id obligatur, & tenetur ad declarandam veritatem, eamque probandam, quantum in ſe eſt, ſeu judicem adeundo, ſeu aliquam aliam perſonam, quæ utiliter ad detegendam Antonii innocentiam, poſſit operam collocare. Id ipſum docet ſanctus Thomas, & multis confirmat Scripturæ teſtimoniis hoc modo: (*l*) *Si teſtimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injuſta morte ſeu pœna quacumque vel a falſa infamia, vel ab aliquo damno; tunc tenetur homo ad teſtificandum: et ſi ejus teſtimonium non requiratur, tenetur facere quod in ſe eſt, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc poſſit prodeſſe. Dicitur enim Pſal.* 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate: *& Prov.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: *& Rom.* 1. *dicitur*: Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt; ſed etiam qui conſentiunt facientibus. *Ubi dicit Gloſſa* (*m*): Conſentire eſt tacere, cum poſſis redarguere.

(*l*) S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. in corp.

(*m*) S. Amb. in hunc locum.

ADO-

A D O P T I O.

De hocce Titulo agetur ubi de *Impedimento Adoptionis*, ſeu *Cognationis Legalis*, quæ inter Matrimonii impedimenta numeratur.

A D U L A T I O.

ADULARI, eo ſenſu quo in hoc titulo ſumitur, proprie loquendo, eſt ultra modum alterius recte facta amplificare, aut ejus vitia nimium excuſare, ipſi complacendi gratia. Hinc *Adulatio* ex Cajetano (*a*) *eſt peccatum; quia eſt exceſſiva laus, ſeu complacentia verbis vel factis in communi converſatione*: Quod a ſancto Thoma deſumſit hic Auctor (*b*).

(*a*) Cajet. in Summa. v. *Adulatio*. in t.

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 1 115. in corp.

Quatuor variis modis adulationis peccatum admitti poteſt, ut in tertia hujus tituli deciſione oſtendemus; ac triplici etiam ratione peccatum iſtud, ex doctrina S. Thomæ quem ſequitur idem Cajetanus, poteſt eſſe mortale: 1. Ratione rei quæ laudatur, ut cum laudibus extollitur actio, quæ eſt peccatum mortale. 2. Ratione finis: ut cum quis eo fine laudatur, ut aliquod gravæ damnum, corporeum vel ſpirituale, proximo inferat. 3. Ratione occaſionis, quæ perſonæ laudatæ præbetur, ut peccatum aliquod mortale admittat.

Quod pertinet ad duos priores modos, a peccato non poſſunt excuſari, quia tum adulatio caritati adverſatur, eamque deſtruit: at vero tertius modus a peccato mortali poteſt excuſari, vel per inadvertentiam adulatoris, vel quia debitas exiſtimat, quas exaggerat laudes, nec inde perſooam laudatam peccandi occaſionem ſumturam eſſe exiſtimat. Iis exceptis caſibus Adulatio eſt tantum venialis; & quis etiam, ex D. Thoma, quaodoque laudari poteſt abſque reatu adulationis; cum juſtæ amicitiæ ſervatur regula, nimirum, *ut ex hoc eum conſoletur, ne in tribulationibus deficiat: vel etiam ut in bono proficere ſtudeat*.

CASUS PRIMUS.

AURELIUS adulatione immodicæ quemdam e ſuis amicis ad actionem criminoſam impulit. Numquid in eo mortaliter deliquit, licet ipſi talem actionem non perſuaſerit?

RESPONS.

Dubinm non eſt, quin Aurelius mortaliter peccaverit, cum blanditiis ſuis ad amici ſui crimen efficaciter contulit, quod probabiliter abſque tali adulatione non admiſiſſet. Ita ſentit S. Thomas (*c*), qui propugnat, peccatum talis adulatoris non minus eſſe mortale peccatum, etſi proximo ſuo eſſe peccandi occaſionem per blanditias ſuas non intenderet. *Adulatio autem*, inquit Angelicus Doctor, *caritati contrariatur .... per occaſionem: ſicut cum laus adulatoris fit alteri occaſio peccandi etiam præter adulatoris intentionem*. Tum ſubjungit (*d*): *ille enim plus nocet quam ſibi, aliis: quia ſibi nocet tamquam ſufficiens cauſſa peccaudi, aliis autem occaſionabiliter tantum*.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 115. art. 2. in corp.

(*d*) Idem. ibid. ad 2.

Idem dicendum, inquit S. Doctor, de eo, qui proximo ſuo nocere per adulationem intendit. *Alio modo ratione intentionis; puta cum quis alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat, vel corporaliter vel ſpiritualiter: & hoc etiam eſt peccatum mortale: & de hoc habetur Proverb.* 27. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula blandientis. Ac de hujuſmodi Adulatoribus juxta Doctorem Angelicum intelligi debet Canon e quarto Carthaginienſi Concilio depromtus, quem laudat Gratianus (*e*) quo ſtatuitur, *ut Clericus, qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur*. Quæ pœna non niſi pro graviſſimis peccatis ab Eccleſia conſtituta eſt, de cujus canonis verbis allatis dicit S. Thomas: *Auctoritas illa loquitur de eo qui proditorie alteri adulatur, ut eum decipiat*.

(*e*) Concil. Carth. IV. c. 56. in Can. *Clericus*. diſt. 46.

CASUS II.

OLYMPIUS, cum cognoviſſet, fratrem ſuum contumeliis oneraſſe Philippum communem ſibi inimicum, eum ob eam rem tamquam ob egregium aliquod facinus laudibus cumulavit. Quæritur, utrum in eo mortaliter peccaverit?

RESPONS.

Nulla heic nobis ſuppetit ratio, cur Olympius a peccato mortali eximatur: nam criminis approbatio non minus eſt coram Deo peccatum, quam ipſa criminis actio. *Contrariatur ſiquidem caritati tripliciter*, ait Doctor Angelicus (*f*): *uno modo ratione ipſius materiæ; puta cum aliquis laudat alicujus peccatum: hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus juſtitiam homo loquitur; & contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet. Unde eſt peccatum mortale, ſecundum illud Iſaiæ* 5. Væ qui dicitis malum, bonum. Et paullo poſt ſubdit: *Talis enim adulatio dicitur plus nocere, quam gladius perſecutoris: quia in potioribus bonis nocet, ſcilicet in ſpiritualibus*.

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 115. art. 2. cit. in corp.

CASUS III.

PHALERAUS in nobilium conventu hominis faceti ac hilaris famam aucupans, ſæpe ex amicis ſuis quoſdam adulatorie laudibus extollit; aut notabiliter gravitatem minuit criminis, cujus aliquis eſt conſcius, illud inter nugas annumerans. Quodnam eſt illius peccatum?

RESPONS.

Phalieri peccatum grave eſt in primo caſu, at mortale in altero. Sciendum itaque Adulationis peccatum quadruplici modo poſſe committi. 1. cum in aliquo laudatur dos aliqua aut virtus qua caret; & eſt verum mendacium, *quod fit placendi cupiditate de ſuaviloquio*, ut loquitur S. Auguſtinus (*g*).

(*g*) S. Aug. in Can. *Primum*., S. 22. q. 2.

2. Eſt eorum, qui vitam bonorum amplius, quam debent, laudant, ut loquitur ſanctus Gregorius (*a*).

3. Eſt, cum laudatur in aliquo qualitas aut actio, quæ mala eſt mortaliter, & tamquam bona haberi contenditur. Hancque adulationis ſpeciem damnat antiquus Papa dicens (*b*): *Quæ eſt iſta juſtitiæ inimica benignitas, palpare* (id eſt adulari, addit Gloſſa) *criminoſos, & vulnera eorum uſque in diem judicii incurata ſervare?... dum falſa blandimenta & periculoſas adulationes ipſorum libenter accipimus, in eiſdem permanere peccatis, eis inutiliter indulgemus; aut ipſa peccata augere permittimus.*

4. Denique adulationis modus fit minuendo gravitatem peccati mortalis, dicendo eſſe leve peccatum. De hac adulationis ſpecie loquitur Regius Pſaltes (*c*), *inquit D. Thomas*, (*d*) dum ait: laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur; & S. Paullus dicens (*e*): *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Id ipſum docet Angelus de Clavaſio poſt Halenſem (*f*). *Adulatio fit quatuor modis ſecundum Alexandrum ..., 1. Laudando bonum, quod non habent. 2. Augendo bonum quod habent pluſquam ſit. 3. Laudando malum quod habent, dicendo bonum. 4. Minuendo malum ipſum, ſcilicet dicendo, non tam grave peccatum. Primi duo modi ſunt venialia peccata, niſi immiſceatur contemtus Dei, vel in eo quod laudat, vel in eo qui laudatur. Tertius & quartus modus eſt peccatum mortale, ſi malum ſit mortale.* Quod cum Gloſſa congruit (*g*).

Gratianus (*h*) duos priores modos ſub his terminis complectitur: *Si amplius fuerit blanditus, quam expedit, Si cuicumque majori perſonæ, aut ex voluntate, aut ex neceſſitate adulari voluerit*: eoſque inter venialia peccata annumerat. Sunt quidem peccata, quia, ut ait S. Auguſtinus (*i*), *nec ipſa veritas ſine placendi hominibus enuntianda eſt.*

Gloſſa dicit: (*k*) *Tribus modis adulatur quis, vel tribuendo alicui homini bonum quod non habet; vel nimium extollendo bonum quod habet: utrumque iſtorum eſt veniale: vel approbando malum quod habet; & iſtud eſt mortale*: quod probat his Iſaiæ (*l*) verbis, quæ refert Canon (*m*): *Væ qui dicitis malum, bonum; & bonum, malum, ponentes tenebras, lucem: & lucem, tenebras.*

De tertio adulationis modo loquitur S. Gregorius (*n*) his verbis: *Sunt nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur* (*o*): Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis. *Ad hoc quippe pulvillus ponitur, ut mollius quieſcatur. Quiſquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum ſub capite, vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea, fultus laudibus, molliter quieſcat.*

De hoc etiam adulationis genere loquitur antiquus Canon (*p*) his verbis: Nemo .... prudentium putet, quod minus ſit periculum in verbis, lingua mentiendo, quam manibus ſanguinem fundendo. Melius eſt autem pro veritate pati ſupplicium, quam pro adulatione recipere beneficium.

Uno verbo, ad dijudicandum tuto de qualitate peccati adulationis, habenda eſt ratio doctrinæ S. Thomæ dicentis (*q*): *Peccatum mortale eſt, quod caritati contrariatur, quandoque etiam non. Contrariatur ſiquidem caritati tripliciter. Uno modo, ratione ipſius materiæ, puta, cum aliquis laudat alicujus peccatum: hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus juſtitiam homo loquitur; & contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet. Unde eſt peccatum mortale, ſecundum illud Iſaiæ*, 5. Væ qui dicitis malum, bonum. *Alio modo, ratione intentionis: puta, cum quis alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat, vel corporaliter, vel ſpiritualiter: & hoc eſt etiam peccatum mortale, & de hoc habetur Proverb.* 27. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula blandientis. *Tertio modo; per occaſionem, ſicut cum laus adulatoris, ſit alteri occaſio peccandi, etiam præter adulatoris intentionem: & in hoc conſiderare oportet, utrum ſit occaſio data, vel accepta; & qualis ruina ſubſequatur. Si autem aliquis ex ſola aviditate delectandi alios, vel etiam ad evitandum aliquod malum vel conſequendum aliquid in neceſſitate alicui adulatus fuerit, non eſt contra caritatem. Unde non eſt peccatum mortale, ſed veniale.* Hæc ille.

Cajetanus in hunc ſecundum articulum ait: *Cum dicitur adulator, laudando alicujus peccatum, peccat mortaliter; intellige, ſi laudat hominem de peccato mortali. Nam ſi de veniali laudet, venialiter peccat; quoniam materia non eſt contraria caritate, nec contra juſtitiam Dei, ſed præter illam laudat: qui veniale laudat, nec contra dilectionem proximi loquitur, fovendo eum in peccato veniali, ſed præter eam.*

(*a*) S. Greg. l. 9. Epiſt. 30. in Can. *Sunt plurimi*. 11. 6. q. 1.

(*b*) Hormiſdas. in Can. *Si quis*. 29. diſt. 50.

(*c*) Pſal. 9. 24.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1.

(*e*) Galat. 1.

(*f*) Alex. Halenſis. Angelus. v. *Adulatio*. n. 15. Sylvius. v. *Adulatio*, q. 2.

(*g*) Gloſſa in can *Sunt plurimi*. 11. 6. q. 1. v. *Laudant*.

(*h*) Gratian. § *Alias*. d ſt. a. ſub. fin.

(*i*) S. Aug. l. de mendacio. c. 14. cit. Can. *Primum*.

(*k*) Gloſſa in cit. § *Alias* v. *Adulari*.

(*l*) Iſai. c. 5.

(*m*) Can. *Væ qui dicitis*. 59. 11. q. 3.

(*n*) Greg. l. 8. Moral. c. 4. in Can. *Sunt nonnulli*. 2. diſt. 46.

(*o*) Ezech. 13.

(*p*) Can. *Nemo*. 80. 11. q. 3.

(*q*) S. Th. cit. q. 115. ad 2. in corp.

ADULTERIUM.

ADULTERIUM nonnulli definiunt *alieni thori violatio*, juxta ea quæ dicuntur in Canone Decreti Gratiani (*r*). Alii verbis iſtis illud accuratius definiunt: *Adulterium eſt illicitus conjugatorum* (*utriuſque aut alterius tantum*) *concubitus*. Juxta ſenſum ſecundæ hujus definitionis, crimen iſtud poteſt committi: 1. A conjugato cum perſona libera. 2 A conjugato cum conjugata, aut viciſſim. Primum dicitur ſimplex, & alterum duplex. Multis in locis hujuſce operis dicemus de effectibus adulterii.

Liberi ex adulterio nati non poſſunt fieri legitimi, ne quidem per ſubſequens matrimonium, quoad ſucceſſionem paternam vel maternam.

Jus accuſationis in materia adulterii, ad ſolum maritum, excluſo quocumque alio, pertinet. *Publico judicio*, inquit Lex (*ſ*), *non habere mulieres adulterii accuſationem ... Lex Julia declarat*. Hæc eſt etiam conſuetudo Galliæ (*t*), quæ in hoc antiquis Legibus Romanis eſt contraria, quæ jus illud tribuit Patri, Fratri, Sorori ac Patruo (*u*). Si tamen vir uxoris ſuæ adulterio faveret, ad accuſationem admitteretur ejus pater aut alius cognatus, uti decretum eſt multis Arreſtis, quæ referunt Corbin, & Soefve (*x*).

Ad ſolum Judicem ſæcularem pertinet cognitio de crimine adulterii, juxta edictum an 1336. quod refert Fontanon (*y*), & innumera Arreſta ſupremarum Curiarum, quæ reperiuntur in Dictionario D. Brillon (*z*), & apud Bouchel (*aa*).

Mor-

(*r*) Can. *Non mœchaberis*. 11. 32. q. 6.

(*ſ*) Leg. *Publico*. 11. cod. ad Legem Juliam de adult. l. 9. tit. 7.

(*t*) La Peyrere Litt. A. n. 17. & 27. Baſſet. collect. Arreſt. tom 1. lib. 6. tit. 18. cap. 1.

(*u*) Leg. *Quamvis*. 30. cod. cit. tit.

(*x*) Corbin. cap. 62. Soefve tom. 2. cent 3. cap. 57.

(*y*) Fontanon. tom. 4. p. 941. col. 1.

(*z*) Brillon. Diction. Arreſt. v. *Adulterium*. n. 65. & ſeq.

(*aa*) Bouchel. Biblioth. can. tom. 1. pag. 745. col. 2.

Digitized by Google

Morte puniebantur in antiqua Lege mulieres adulteræ cujuſcumque conditionis, & abſque exceptione alicujus caſus. (*a*) Eamdem pœnam decernit Jus Romanum (*b*). At ea non utitur ſeveritate Galliæ Juriſprudentia; ac mulierem de adulterio convictam tantum dote ſua multat in gratiam ipſius mariti, atque uſufructu partis bonorum ejus eidem poſt mortem a marito conceſſæ: (*c*) nec non aliis omnibus ejus prætentionibus ſeu erga mobilia, ſeu immobilia poſt nuptias ei parta; niſi ex ſuperiori matrimonio filios ſuſceperit; quo caſu ad maritum non pertinet, niſi ſumma, ad quam pervenire poſſet legitima portio natorum ex priore conjuge: modo conjugis ſuæ libidinis non fuerit adjutor (*d*). Multa ſunt tamen Arreſta, quibus fertur mortis pœna in ſervos, famulos & villicos reos adulterii cum domina commiſſi (*e*).

(*a*) Levit. 20. 10. Deut. 22. 22. Joan. 8. 5.
(*b*) Leg. *Quamvis*. cit.
(*c*) Mainard. l. 4. c. 1.
(*d*) Idem L. 6. c. 22.

Ceterum, marito non licet juridice accuſare eum, qui cum ipſius muliere admiſit adulterium, omiſſa accuſatione mulieris, uti decretum eſt in Curia criminali Senatus Pariſienſis 14. Junii an. 1625. (*f*)

(*e*) Brillon. Dict. Arreſt. v. *Adulterium*. n. 225. & ſeq.

Denique crimen admiſſum de conſenſu mariti, eſt tamen verum adulterium, uti decrevit Clerus Gallicanus in Comitiis an. 1700. cenſura propoſitionis ſequentis.

(*f*) Barder. tom. 2. l. 1. c. 47.

PROPOSITIO XLIII. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium: adeoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.*

CENSURA. *Doctrina (hac propoſitione) contenta, ſcandaloſa eſt, pernicioſa, caſtarum & piarum aurium offenſiva & erronea.*

CASUS PRIMUS.

VITELLIUS, certus de adulterio mulieris ſuæ, eam dimiſit quoad thorum; nec jam vult ipſi debitum conjugale reddere. Quæritur, utrum tuta conſcientia ſic ſe gerere poſſit?

RESPONS.

Poteſt eam pro certo dimittere. Cum enim uxor, cujus caro juxta Scripturam (*g*) eſt una cum carne mariti ſui, *erunt duo in carne una*, eam adulterio dividit; vir ille, non jam, ut antea, tenetur ipſi debitum conjugale reddere, ac eam quoad thorum poteſt dimittere. Cum illa unam carnem in aliam diviſerit, inquit Auctor operis imperfecti in Matthæum (*h*), & ſe fornicatione ſeparaverit a marito; non debet teneri: ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scriptura (*i*): *Qui adulteram tenet, ſtultus & impius eſt*. Nec minus eſt certum idem jus viro competere ob alios impudicitiæ actus graviores, quos mulier admiſiſſet; cum vox, *fornicatio*, omnem carnalem concubitum illicitum, contineat, ut ait S. Auguſtinus in Canone Decreti Gratiani relatus (*k*).

(*g*) Geneſ 2. 24.
(*h*) In Can. *Dicit*. 2. 32. q. 1.
(*i*) Prov. 18.

Hæc deciſio conformis eſt doctrinæ Chriſti ipſius, qui in tali caſu divortium permittit, ut conſtat his verbis (*l*). *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari*. In quem textum ſic dicit S. Thomas (*m*): *Dominus uxorem dimittere conceſſit propter fornicationem, in pœnam illius qui fidem fregit, & in favorem illius qui ſervavit; ut non ſit adſtrictus ad reddendum debitum ei, qui non ſervavit fidem*. Et alibi (*n*): *Vir poteſt dimittere uxorem .... quantum ad thorum .... quam cito ſibi conſtat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, niſi per Eccleſiam compellatur*. Idem docent S. Bonaventura & S. Antoninus (*o*), quos ſequuntur omnes Theologi & Canoniſtæ.

(*k*) Can. *Meretrices*. 11. 32. q. 4. Et Can. *Idolatria*. 5. 28. q. 1.
(*l*) Matth. 5. 32.
(*m*) S. Th. in 4. diſt. 35. q. uo. 2. in corp.
(*n*) Idem Ibid. art. 3. in corp.
(*o*) S. Bonav. in 4. diſt. 35. art. uo. q. 3. in corp. S. Antoo. 3. part. ſum. Theol. tit. 1. c. 21. §. 5.

CASUS II.

VALERIUS, adulterium commiſit: quæritur, utrum Publia, uxor illius, ab eo ſe poſſit ſeparare quoad thorum, ac debitum conjugale ei denegare; uti poſſet ipſius maritus, ſi ipſa fuiſſet adulterata?

RESPONS.

Jure illo fruitur Publia. Quamvis enim Cajetanus (*p*), nixus teſtimonio ſancti Ambroſii (*q*), cenſeat, ſoli viro competere ſeparationem quoad thorum; nec jus idem uxori convenire, quia nullibi id ipſum teſtatur Scriptura; pro certo tamen habendum, quod adulterium ſit juſta & ſufficiens cauſſa ſeparationis quoad thorum pro utroque ex conjugatis. En illius rei probationes.

(*p*) Cajet. in cap. 19. Matt.
(*q*) S. Amb. in 1. Cor. 7.

1. Id ipſum formaliter aſſerunt antiquus Canon Innocentii I. ad Exuperium Epiſcopum ſcribentis (*r*): Concilium Milevitanum, quod in ſuo Decreto laudat Gratianus (*ſ*); & S. Hieronymus in ſua ad Oceanum Epiſtola (*t*) in qua ſic ait: *Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta cauſſa fornicationis: & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in feminas: neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus*. Cujus rei hanc rationem affert in laudato Canone Innocentius I. quia *Chriſtiana Religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat .... vir utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur*. Idem ſentit S. Auguſtinus; ut videre eſt ex multis Canonibus depromtis ex ejus operibus & ad marginem indicatis (*u*).

(*r*) Innoc. in Can. *Chriſtiana*. fin 32. q. 5.
(*ſ*) Conc. Milevit. uu. 2. in Can. *Placuit*. 5. 32 q. 7.
(*t*) S. Hieron. in Can. *Præcepit*. 10. 32. q. 5.
(*u*) S. Aug. in Can. *Idolatria*. 5. 28. q. 1. Et in Can. *Nihil*. 1. 32. q. 6. Et in Can *Apoſtolus*. 3. 32. q. 7.

Eamdem doctrinam docuere omnes celeberrimi ſive Theologi, ſive Canoniſtæ poſt Magiſtrum Sententiarum & S. Thomam; & imprimis Toſtatus (*x*), S. Antoninus (*y*), Cardinalis Bellarminus, Toletus, & alii permulti, qui in hoc caſu idem jus uxori ac viro tribuunt, conformiter ad hæc Apoſtoli verba, (*z*) quæ expreſſe denotant, uxorem quandoque virum ſuum poſſe dimittere: *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*.

(*x*) Alphonſus Toſtatus Epiſc. Abulenſis in Matt. 19. q. 66. in fine.
(*y*) S. Anton. 3. p. tit. 2. Sum. Theol. tit. c. 21. §. 4.
(*z*) 1. Cor. 7. 10. & 11.

3. His omnibus auctoritatibus accedit ratio, quæ vult, ut frangenti fidem, fides poſſit eidem frangi: unde ſic habet Alexander III. (*aa*) *Nec tu ei, etiamſi promiſſum tuum juramento vel fidei obligatione interpoſita firmaſſes, aliquatenus teneris; ſi conſtat eum conditioni minime paruiſſe*. Quæ regula apprime quæſtioni propoſitæ convenit; cum viro ſuo poteſtatem in corpus ſuum contuliſſe non cenſetur mulier, niſi ſub iſta conditione; *ſi contra legem conjugii non peccaveris*, ut loquitur Innocentius III. in una ex ſuis Decretalibus (*bb*). Unde ſequitur, quod, ubi alteruter huic conditioni non ſatisfecit, non eſt æquum, alterum ſubjacere ſervituti, cui ſe ſubmiſerat ſub iſta tantum conditione juxta illud juris effatum. *Non ſervanti fidem, fides ſervanda non eſt* (*ee*).

(*aa*) Alex. III. cap. *Pervenit*. 6 de jure jurando l. 2. tit. 24.
(*bb*) Innoc. III. in cap. *Quemadmodum*. 25. cod. tit.
(*ee*) Argum. Legis *Cum proponas*. 21. cod. de pactis l. 2. tit. 3.

Inſuper, in omni contractu ſubſunt ſemper conditiones juſtæ & honeſtæ, qualis eſt iſta, etſi nulla hujus verbis expreſſis facta fuerit exceptio, ut fuſe probat Gloſſa (*dd*), quæ inter ceteras iſtam deſignat: *ſi mihi ſervabitur fides*. Ex quo colligendum, jus idem mulieri hac in re competere ac viro, cum datam nubendo fidem ſolvit.

(*dd*) Gloſſa in cap. *Quemadmodum*. de jure jurando v. *Conditio*.

Equidem docet Apoſtolus, pro hac idem ferri debe-

Digitized by Google

debere judicium de uxore reſpective ad maritum, ac de marito reſpective ad uxorem, cum declarat habere invicem poteſtatem in corpus ſuum; atque ut corpus mulieris ſubjacet poteſtati viri, ſic corpus viri eſſe in poteſtate mulieris. Ex quo ſequitur, quod alterutro adulterante, qui mœchatur, juſte puniri poteſt per privationem vel denegationem debiti conjugalis; ut concludit Innocentius I. in Canone ſuperius laudato (a); cujus conſecutionis hæc afferri poteſt ratio jure naturæ fundata ex S. Auguſtino (b): *Iniquum eſt, ut quiſque de alio judicare velit, & judicari de ſe nolit.*

(a) Innoc. I. in cit. Can. *Chriſtiana.*

(b) S. Aug. in Can. *Iniquum.* 4. 12. q. 6.

Attamen juvat obſervare circa præſentem difficultatem, quod alterutro ex conjugatis adulterante, alteri debitum conjugale non poteſt alter recuſare; cum adulterium non eſt formale, ſed ſolum materiale, ut loquitur Schola; hoc eſt, quando v. g. uxor, quæ vi ſibi illatæ non potuit obſiſtere, aut quæ juſte poterat exiſtimare virum ſuum obiiſſe, alteri viro bona fide nupſit. Prior namque redux maritus mulierem ſuam de adulterio non poteſt inſimulare, eamque ut ream hujus criminis habere; ſed ſolum eam cogere ut ad ſe redeat, atque a ſecundo marito ſuppoſito ſeparetur. Id conſtat ex S. Leone in ſua ad Nicetam Epiſcopum Aquileienſem Epiſtola (c); ex Innocentio I. in ſua pariter ad Probum Epiſtola (d); & verbis expreſſis ex S. Auguſtino, quem refert Canon (e). Tandem leges civiles Canonibus conſentiunt, ut videre eſt in lege Digeſtorum, ad marginem indicata (f).

(c) S. Leo Epiſt. 77. c. 2. in Can. *Cum per bellicam.* 34. q. 1. & 2.

(d) Innoc. I. in Can. *Cum in captivitate.* ibid.

Idem dicendum, cum nocte a viro mulier decepta eſt, quem jure ſuum eſſe putabat maritum; idem de viro ſit judicium; (uti Jacob evenit erga Liam, quam Rachelem eſſe exiſtimavit (g). Id ipſum expreſſe probatur ex Concilio Triburienſi, quod refert Decretum Gratiani (h).

(e) S. Aug. in Can. *Si virgo.* ibid.

(f) Leg. *Vim paſſam.* 39. ff. ad Legem Juliam. de adulteriis coercendis.

(g) Geneſ. 29. 24.

(h) Conc. Tributien. in Can. *In Lectum.* 6. 34. q. 1. & 2.

CASUS III.

Eligius occultum admiſit adulterium. Petitur, utrum ex eo jus amiſerit debitum conjugale requirendi a conjuge ſua, cui peccatum ſuum non eſt manifeſtum, in primis, cum illud per pœnitentiam expiaverit?

Respons.

Cum nemo turpitudinis ſuæ debeat eſſe præco, nec ſceleris ſui aliter, quam per pœnitentiam, vindex, putamus, hominem hunc in propoſito caſu jure ſuo non excidere. Conſtat ſaltem, quod ſi debitum conjugale, vi juſtitiæ non poſſit exigere, priuſquam peccati ſui pœnam per pœnitentiam luerit; ut docent multi Auctores, & præcipue S. Antoninus (i) & S. Raymundus; poteſt ſaltem illud petere, uti actum amicitiæ. *Ipſe tamen adulter*, inquit Covarruvius (k), *abſque peccato poterit debitum petere, vel ab ignorante conjuge, vel a ſciente, modo ab invita per vim illud non exigat: quia adulter non eſt lege divina in interiori, aut exteriori foro ipſo privatus jure petendi ab altero conjuge debitum .... alioqui ſequeretur, adulterum occultum non poſſe petere a conjuge, ignorante adulterium, debitum conjugale: quod perquam durum eſt; immo falſum eſſe opinor.* In quo hic Canoniſta multos graves ſequitur Auctores, quos pro ſe laudat; quales ſunt Dominicus Sotus, Petrus Soto, & Cajetanus.

(i) S. Anton. 3. part. tit. 1. c. 20. § 9.

(k) Covarruvias a Leyva de matrimon. 2. part. c. 7. §. 2. n. 4. Et apud eum Dom. Sotus 4. diſt. 36. q. un. a. 3. Petrus Soto Inſt. Sacerd. c. de matrim. dil. 16. Et Cajet. l. 17. reſponſ. c. 4.

CASUS IV.

Ambrosius, conſcius eſt adulterii ſuæ conjugis; quæritur, num abſque peccato poſſit eam dimittere quoad thorum tantum, cum ipſe ejuſdem ſit reus criminis?

Respons.

Sanctus Auguſtinus, in canone Decreti Gratiani relatus, (l) ait, *nihil iniquius eſſe, quam fornicationis cauſſa dimittere uxorem; ſi & ipſe convincitur fornicari; occurrit enim illud*: in quo enim alterum judicas, temet ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas: *quapropter quiſquis, fornicationis cauſſa, vult abjicere uxorem, prior debet eſſe a fornicatione purgatus: quod ſimiliter etiam de femina dixerim.* Ratio, quam affert S. Doctor eſt iſta (m): *Si caput es*, inquit, *duc: ſequatur illa caput ſuum. Sed vide quo eas. Noli ire, quo non vis, ut ſequatur.* Et alibi (n): *Cum debeas in virtute præcedere; quoniam caſtitas virtus eſt; tu ſub uno impetu libidinis cadis: & vis uxorem tuam eſſe victricem, tu victus jaces .... Si caput eſt vir; melius debet vivere vir, & præcedere in omnibus bonis factis uxorem ſuam; ut illa imitetur virum & ſequatur caput ſuum. In peccato pari innocentiorem facit videri virum, non divina veritas, ſed humana perverſitas.* Doctrinæ S. Auguſtini conformes ſunt leges Romanæ (o): *Periniquum enim videtur eſſe*, inquit una ex his legibus, *ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibeat.*

(l) S. Aug. in Can. *Nihil.* 32. q. 6.

(m) S. Aug. Serm. 392. n. 2. 5.

(n) Idem in Epiſt. ad Galat. Serm. 9. n. 3. & 4.

(o) Leg Si uxor 13. ff. ad Legem Juliam de adulteriis. §. 5. l. 48. tit. 5.

Ex his teſtimoniis hactenus allatis liquido conſtat, Ambroſium in caſu propoſito, tuta conſcientia ab uxore ſua divortium facere non poſſe quoad thorum, nec ei debitum conjugale recuſare ob adulterium quod commiſit; cum ipſe primus fidem ei datam violaverit.

Idem dicendum de marito; qui cum ab initio ſit innoxius, juſte debitum conjugale uxori ſuæ in adulterio deprehenſæ recuſat, & poſtea ſimile ipſe perpetrat facinus. Nam ubi ipſe admiſit, juſte non poteſt jam tale debitum denegare, ut docet S. Antoninus (p), & multo ante declaraverat Innocentius III. in una ex ſuis Decretalibus ad Epiſcopum Ambianenſem (q). En ipſa verba Decretalis: *Tua fraternitas requiſivit, utrum aliquo denegante uxori ſuæ in adulterio deprehenſæ, debitum conjugale; ſi ipſe poſtmodum cum alia perpetret adulterium manifeſte, cogi debeat, ut eamdem maritali affectione pertractet. Super quo tibi reſpondemus, quod, cum paria crimina compenſatione mutua deleantur; vir hujuſmodi fornicationis obtentu, ſuæ uxoris nequit conſortium declinare.*

(p) S. Anton. 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5.

(q) Innoc. III. in cap. *Tua Fraternitas.* 7. de adulter. & ſtup. l. 5. tit. 16.

Hinc a fortiori ſequitur, eum qui adulterium, licet occultum, commiſit, non poſſe illæſa conſcientia eum juridice accuſare, qui conſcius eſt paris ſecum ſceleris, quod probare poteſt ad obtinendam ſententiam divortii. *Divortium ex cauſſa fornicationis fit uno accuſante alium*, inquit S. Thomas (r): *& quia nullus accuſare poteſt alium, qui in ſimili crimine exiſtit; quando uterque fornicatur, divortium celebrari non poteſt.* Quod nititur illo Innocentii I. effato (ſ): *Chriſtiana Religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat.* Quo circa adulter, licet occultus, obtenta divortii ſententia in mulierem, abſque peccato non poſſet uti; eamque jam dimiſſam, denuo accipere teneretur; ut conſtat ex verbis Decretalis Innocentii III. modo citatæ; & ex alia ejuſdem Papæ Decretali ad Turonenſem Archiepiſcopum (t), in qua hanc affert rationem ſuæ deciſionis: *Cum*, inquit, *matrimonii jus in utroque læſum conſiſtat, paria delicta mutua compenſatione tolluntur.* Quæ ratio eadem eſt, ac ſuperioris Decretalis, quam e lege Digeſtorum expromſit, & quæ ſic habet (u). *Viro atque uxore, invicem accuſantibus cauſſam repudii dediſſe utrumque, pronuntiatum eſt. Sed ita accipi debet; ut ea lege quam ambo contemſerunt, neuter vindicetur. Paria enim delicta mutua compenſatione diſſolvuntur.*

(r) S. Th. in 4. diſt. 35. q. unica art. 4. ad 2. & art. 6. ad 5.

(ſ) Innoc. I. in Can. *Chriſtiana.* 23. 32. 7. 6.

(t) Innoc. III. in cap. *Intelleximus.* eod. tit.

(u) L. *Viro.* 39. ff. ſoluto matrimonio, l. 24. tit. tit. 3.

CASUS V.

Marcellus, cum ab uxore ſua debitum conjugale obtinere non potuerit, occultum commiſit adulterium: quæritur, utrum uxor illius, detecto ejus adulterio, jus habeat in poſterum recuſandi debitum propter hanc infidelitatem.

Respons.

Non æquum eſt, ut in bonum illius qui eſt cauſſa criminis, cedat crimen. Atqui Marcelli uxor cenſenda eſt cauſſa incontinentiæ ſui mariti, injuſte ipſi & multoties denegato debito conjugali. Igitur adulterium ipſius obtendere non poteſt, ut in denegatione ſua perſeveret. Ita ſentit Cardinalis Toletus, de ſimili caſu loquens (x): *Sunt multi caſus, in quibus vir tenetur reddere debitum uxori, etiam poſtquam commiſit adulterium: dummodo non* per-

(x) Franc. Tolet. Inſtr. Sacerd. l. 7. c. 24. n. 5.

perſeverat in illo, inquit hic Cardinalis .... *Quintus caſus ſolet addi, quando vir dedit occaſionem feminæ adulterandi; quia noluit reddere debitum. Tunc ſi adulteretur femina, tenetur vir reddere debitum.* Quod probat auctoritate S. Auguſtini ad Ecdiciam ſcribentis (*a*); qui ait, quod cum vir qui continentiam ſervare cuperet, uxori ſuæ debitum reddere cogitur, id ipſi continentiæ imputatur, ſi timeat, ne mulier adulterium committat; unde ſequitur e contrario, quod qui debitum negando eſt cauſſa alterius peccati, id ipſi pariter peccato tribuitur. Hic Auctor S. Thomam (*b*) laudat, qui rem eamdem docet: *Septem ſunt caſus*, inquit hic S. Doctor, *in quibus vir non poteſt ob cauſſam fornicationis uxorem dimittere .... tertius: quando ipſe ei occaſionem fornicandi dedit, ut quia non vult reddere debitum.*

(*a*) S. Aug. in Can. *Secundum*. 3. 35. q. 5.

(*b*) S. Th. in I. Corinth. 7. lect. 2.

Contrariam quidem opinionem defendit Auctor modernus (*c*) & contendit, adulteram ob talem cauſſam non poſſe excuſari, & a viro ſuo poſſe dimitti. Id probare conatur ex Decretali Alexandri III. ad Epiſcopum Cretenſem (*d*). En quæſtionis propoſitæ, ac ſolutionis datæ verba ipſa: *Significaſti, quod quidam, uxore ſua ſine judicio Eccleſiæ dimiſſa, pro eo quod ſuggeſtum ſibi fuerat, ipſam inceſtum cum quodam conſanguineo ſuo commiſiſſe, vinculo fuit propter hoc excommunicationis adſtrictus. Verum mulier non continuit; ſed ſobolem de alio viro ſuſcepit, nec minus poſtulat viro ſuo reſtitui, aſſerens ſe ab ipſo injuſte dimiſſam, & eumdem ſibi materiam adulterandi dediſſe.* Factum ſequitur deciſio. *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus: quod ſi notorium eſt, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet; niſi conſtaret ipſum cum alia adulterium commiſiſſe.*

(*c*) Franc. de Genet. Theol. Mor. tom. 4. part. 2. tract. 9. a. 9. n. 19.

(*d*) Alexand. III. in cap. *Significaſti*. 4. de divortiis.

Attamen non putamus, opinionem hanc privatam hujus Auctoris eſſe admittendam. Nam caſus in Decretali Alexandri III. propoſitus eſt plane diverſus ab eo de quo nunc eſt quæſtio: quandoquidem Marcelli adulterium eſt occultum & unicum; cum adulterium mulieris, de qua loquitur Alexander III. eſſet publicum eaque mulier jam eſſet infamata vehementi ſibi adſcriptæ inceſtus ſuſpicione, & publico ob eam rem mariti ſui divortio: quocirca ex adulterio ipſius recte concludi poſſet, eam eſſe conſciam inceſtus, de quo a marito ſuo accuſabatur, atque ita duritiam ſui mariti proſtitutionis ſuæ ſolam non eſſe cauſſam. Inſuper agitur in hac Decretali de judicio exterioris fori; quæ circumſtantiæ in caſu propoſito non reperiuntur.

Pergimus ergo dicere, uxorem Marcelli eſſe veram cauſſam adulterii, quod commiſit, denegando ipſi pertinaciter debitum conjugale: atque adeo nullum ipſi jus competere ad eum dimittendum quoad thorum, obtentu criminis quod commiſit: quod de utroque conjugato in pari caſu eſt dicendum. *Si tu abſtines ſine uxoris voluntate*, inquit S. Chryſoſtomus, (*e*) *tribuis ei fornicandi licentiam: & peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ.*

(*e*) S. Chryſoſt. in Can. *Si tu*. 24. 17. q. 3.

CASUS VI.

Sabinius cum Roſalis uxore ad extremam rerum omnium inopiam redactus, aſſentitur, Roſaliam adulterium committere cum Abundio, homine opulento; & ad illud eam incitat, allectus ea ſpe, quod miſeriam eorum ſumtibus ſuis ſublevabit Abundius. Roſalia igitur hominis illius libidini obſequitur; ac per annum integrum cum eo adulteratur. Sabinius videns, libidinoſum illud patefieri commercium, cujus ſe participem non eſſe, perſuadere contendit; & anxius de mutatione uxoris ſuæ, quæ eum non eodem, quo prius, amore proſequitur; ipſi conjugale debitum denegat, & etiam eam a ſe dimittit. Quæritur, utrum hujuſmodi divortium cum ea facere non poſſit tuta conſcientia; cum Roſalia crimen ſuum excuſare nequeat per conſenſum mariti ſui.

Respons.

Negari non poteſt, quin verum adulterium admiſerit Roſalia, invito conſenſu mariti ſui. Nam hujuſmodi conſenſus non impedit, quominus matrimonii abruperit fidem, a qua immunem nunquam uxorem vir poteſt præſtare; ut conſtat ex condemnatione obſcenæ hujus propoſitionis ab Innocentio XI. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium: adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum* (*f*).

(*f*) 10. Propoſitio damnata ab Innocentio XI.

Attamen, cum ſola non ſit nocens Roſalia, eamque ad mœchandum impulerit Sabinius; non æquum eſt, eum ex uxoris ſuæ adulterio commodum percipere, ut eam repudiet, neque quoad domicilium, neque quoad thorum. Cur enim improbet maritus mores, quos ipſe, aut ante corrupit, inquit lex (*g*), aut poſtea probavit?

(*g*) L. *Cum Mulier*. 46. ff. ſoluto matrim.

Rem hanc manifeſte decidit Innocentius III. ſcribens ad Præpoſitum Magdeburgenſem, dicendo, quod *vir prior* cogatur redire ad ipſam (*h*), & maritali eam affectione tractare; cum adulterium ei non poſſit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præſertim invitam. Quæ duo ultima verba addidit ideo, quia caſus de quo conſulebatur, continebat, mulierem ad adulterium fuiſſe compulſam de conſenſu mariti (*i*) *quam .... cuidam conſanguineo ſuo tradidit in quantum potuit renitentem.* In quo maritus erat magis damnandus.

(*h*) Innoc. III. in cap. *Diſcretionem*. 6. de eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ vel ſponſæ. l. 4. tit. 13.

Idem docet S. Thomas, (*k*) cum enumerans caſus, in quibus vir uxorem ſuam juſte poteſt repudiare; præſentem de quo agimus, excipit dicens: *excipiuntur ſeptem caſus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem ... ſecundus: Si ipſe uxorem proſtituerit*. Idem ſentit S. Bonaventura (*l*).

(*i*) Cit. cap. *Diſcretionem*.

(*k*) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. a. 1. in corp. & in ſupplem. 3. part. q. 62. a. 2. in corp.

CASUS VII.

Sabinius Roſaliam ad adulterium non incitavit; ſed non impedivit, licet potuerit, immo vero illud diſſimulavit, vel corruptorem uxoris ſuæ reformidans, vel aliquam inde ſperans utilitatem, & etiamnum ſe illud ignorare ſimulat. Qua de re quæritur, utrum propter adulterium ipſius Roſaliam poſſit dimittere?

(*l*) S. Bonavent. in 4. diſt. 35. art. un. q. 2. in corp.

Respons.

Joannes VIII. ſummus Pontifex, a Gratiano laudatus (*m*) declarat, quod, *qui crimina, cum poteſt emendare, non corrigit, ipſe committit*; ea nimirum ſilentio ſuo comprobans; quod ea juris regula nititur (*n*): *Qui tacet conſentire videtur*. Dicendum itaque, quod Sabinius criminoſe adulterium Roſaliæ diſſimulando, reus eſt peccati ipſius; *nam patronus turpitudinis ejus eſt, qui crimen celat uxoris*, inquit Canon (*o*); quare jus amittit, quod aliter haberet, eam dimittendi.

(*m*) Joan. VIII. in Can. *Præterea*. 12. 23. q. 8.

(*n*) Reg. 43. de reg. juris. in 6.

(*o*) Apud S. Chryſoſt. Hom. 32. operis imperf. in Matt. in Can. *Sicut*. 1. 32. q. 10.

Dici tamen poteſt, quod ſi diſſimulato aliquamdiu Roſaliæ crimine, palam ejus libidini, & quantum poteſt, obſiſtit, eaque, ipſo invito perſeveret, jus recuperat ei divortium indicendi, & eam abſque peccato dimittere poteſt.

CASUS VIII.

Titius injuſte & per vim domo ſua Mæviam uxorem ſuam pepulit; quæ, cum inopiam ſuam ſublevare non poſſet, adulterium poſtea commiſit, ut inde victum ſibi compararet. Petitur, utrum tuta conſcientia illam non reſumere, eique ad vitam neceſſaria non ſuppeditare poſſit?

Respons.

Maritus ille, qui crudelis & inhumanus dici poteſt, Mæviam denuo recipere, eique ad vitam neceſſaria ſuppeditare tenetur, quamvis adulterata ſit. Quamvis enim apud Deum excuſationem non admittat tale peccatum; & omnia ei potius mala fuiſſent toleranda, quam crimen illud admittere, ut probat Gloſſa in Decretalem Alexandri III. (*p*) auctoritate S. Auguſtini (*q*) his verbis: *Cum pudicitia virtus ſit animi, comitemque habeat fortitudinem, qua qualibet potius mala tolerare, quam malo conſentire decernat, &c.* attamen vere dici poteſt, Mæviam id facinus non admiſiſſe, niſi compulſam omnia Titii crudelitate, qua eam domo injuſte & per vim pepulit; atque adeo illius veram eſſe cauſſam: onde ſequitur, æquum non eſſe, ut ex eo commodum percipiat. Nam ſecundum S. Chryſoſtomum in Canone ſuperius laudato in reſponſione ad quintam difficultatem (*r*); vir abſtinens ſine uxoris voluntate, tribuit ei fornicandi licentiam; & peccatum mulieris viri abſtinentiæ imputabitur.

(*p*) Gloſſa in cap. *Ex Litteris*. 5. de divortiis l. 4. tit. 19. v. *Compulſa*.

(*q*) S. Aug. l. 1. de Civit. Dei, c. 18. in Can. *Ita*. 5. 32. q. 5.

(*r*) S. Chryſoſt. in Can. *Si tu*. 24. 27. q. 2.

bitur. Ex quo ſequitur, quod a fortiori mulieris peccatum ei imputabitur, cum illud tantum admiſit e domo viri per vim pulſa, & ad extremam inopiam redacta. Hoc manifeſte conſtat: nam vir pellens uxorem, quam abſque auxilio relinquit, eam majori libidinis periculo committit, quam ei ſimpliciter conjugale debitum denegando: ex quo ſit nocentior.

Poteſt etiam aliquatenus ei comparari, qui ipſe uxorem ſuam proſtituit: atqui juxta S. Thomam *(a)* talis homo uxorem ſuam non poteſt dimittere ſub prætextu adulterii quod commiſit, quoniam hujus eſt auctor. Igitur in caſu propoſito, mulieri ſuæ crimen imputare non poteſt, od quod neceſſitate compulſa eſt: cum eam domo ſus pellens, & ad vitam neceſſaria non ſuppeditans, ad id illam adegit: quocirca Titius poſt adulterium uxoris ſuæ pari modo, ac ante illud commiſſum, tenetur ad illam recipiendam ac ei vitæ neceſſaria ſuppeditanda.

(a) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. a. 1. in corp.

CASUS IX.

Marianæ, ab Alexandro metu miniſque mortis ad ſecum mœchaudum compulſæ, Lucas maritus ejus qui hoc reſcivit, debitum conjugale reddere denegavit. Quæritur, utrum in tali repulſa queat perſeverare?

Respons.

Certum eſt, quod in caſu propoſito Lucas poteſt in ſua repulſa ad teddendum conjugi ſuæ debitum conjugale perſeverare. Ratio eſt, quia ſufficienter voluntarium eſt crimen illius, nec metu, quantumvis gravi, quemquem poſſe excuſari, qui facinus admittit ex natura ſua mortale; ut facile probat Canon in Gratiani Decreto relatus *(b)*; in quo aperte declaratur, metum non eximere a peccato, nec impedire, ne qui per infirmitatem cadit, iram in ſe Dei provocet; *Quia magis timet hominem, quam Deum*. Quod conſentit cum doctrina S. Auguſtini, cujus auctoritatem in ſuperiori reſponſione laudavimus. Unde concludendum, quod, cum Mariana potius mala omnia & mortem ipſam tolerare, quam peccato conſenſum præbere teneretur, pro certo nocens eſt; atque adeo ut admiſſi ſceleris pœnam luat æquum eſſe.

(b) Can. *Quiſquis*. 80. 22. q. 3.

Solutionem hanc adeo certam exiſtimamus; ut validiora etiam illius argumenta omittemus, heic tantum Sylvii auctoritatem afferre contenti, qui opinionem ſuam confirmat ex Canone depromto ex operibus S. Hieronymi *(c)*: *Si mulier*, inquit hic Theologus, *metu vel alia ſimili ex cauſſa inducatur ad fornicandum; non excuſatur, quin poſſit dimitti*. 32. q. 7. Can. *Omnes*.

(c) Franc. Sylvius in Supplem. 3. part. Sum. S. Thomæ q. 62. a. 1.

Nihilominus, cum Marianæ peccatum non adeo grave ſit, ac ſi commiſiſſet illud, impulſa habitu libidinis; Lucam exhortari poteſt Confeſſarius ejus, ut uxori ſuæ indulgeat, ſi ſincere teſtificetur, ſe pœnitere, quod nimia infirmitate ceſſetit metui ac minis, de quibus agitur in caſu propoſito.

CASUS X.

Beatrix, adulterium in ſuo corpore perpeſſa eſt per vim, cui omnino non potuit reſiſtere; atque Richardus, ſe infamatum agnoſcens hac turpitudine, quamvis involuntaria; quia publica facta eſt, eam dimiſit quoad thorum & domicilium. Quæritur, utrum ſine peccato id facere potuerit?

Respons.

Richardus ob talem actionem Beatricem eo modo repudiare non potuit. *Nam ſine culpa, niſi ſubſit cauſſa*, inquit Boniſacius VIII. *(d) non eſt aliquis puniendus*, nec proinde jure ſuo privandus. Atqui certum eſt Beatricem nullo pacto hujuſce adulterii eſſe ream, quod, pro ea, eſt tantum materiale; ut in Scholis loquuntur, cum ei nullatenus ſit aſſenſo. *Non poteſt fieri*, inquit S. Hieronymus *(e)*, *ut, niſi quis mœchetur prius in corde, mœchari poſſit in corpore*. Unde dicit S. Auguſtinus, *(f)* loquens de Lucretia, a Tarquinio vim ſimilem paſſa, quod, quamvis duo ad tale concurrant adulterium, ab uno tamen dumtaxat admittitur adulterium; cum altera non aſſenſerit perſona; & per vim majorem illud tantum perpetrarit. *Mirabile dictu. Duo fecerunt, & adulterium unus admiſit*, inquit S. Doctor. Et quidem ex S. Hieronymo *(g) corpus mulieris, non vis maculat, ſed voluntas; & a violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt pudicitia (h)*. Unde ſequitur, quod Richardus coram Deo tenetur ad recipiendam uxorem ſuam, cum injuſtum ſit cum ea ipſius divortium. Ita decidit S. Thomas; qui aſſerit, virum non poſſe uxorem ſuam dimittere cauſſa adulterii in ſeptem diverſis caſibus; quorum præſens eſt quintus: *(i) Si fuerit vi oppreſſa*. Idem docet ſanctus Antoninus *(k)*.

(d) Reg. 23. de reg. juris in 6.

(e) S. Hieron. in Can. de *Pudicitia*. 6. 33. q. 6.

(f) a. Aug. l. 3. de Civit. Dei. c. 19. in Can. *Propoſito*. 4. 32. q. 5.

(g) S. Hieron. cit. Can. de *Pudicitia*.

(h) Idem ibid.

(i) S. Th. in 4. diſt. 35. a. 5. in corp.

(k) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 21. §. 5.

CASUS XI.

Lœlia hoc ſibi jus atrogat, dimittendi Fulvium maritum ſuum, quia commiſit adulterium; ex quo etiam luem quamdam veneream contraxit, qua ab eo & ipſa infecta eſt, tum cum libidinem ejus ignorabat; quæritur, utrum eum tuta conſcientia dimittere poſſit, præſertim, ſi noverit ipſius pœnitentiam?

Videtur quod poſſit: quia tunc Evangelium ſeparationem permittit verbis generalibus & abſolutis, non deſignando, eum qui ſit innocens, teneri ad communicandum poſtea cum reo.

Contra dici poteſt, quod nequeat; quia Fulvii pœnitentiam, pravoſque mores emendatos novit: is autem tamquam adulter haberi non debet, qui pœnitentia peccatum ſuum expiavit, juxta illud S. Auguſtini dictum; *(l) Cur enim deputamus adulteros, quos, vel baptiſmate ablutos, vel pœnitentia credimus eſſe ſanatos?* Lœlia igitur deinceps conjugale debitum non poteſt denegare, propter adulterium ab ipſo commiſſum quod pœnitentia delevit. Sic enim concludit S. Doctor *(m)*, qui allato mulieris adulteræ exemplo ita ſubjungit: *Quis non intelligat, debere maritum ignoſcere, quod videt ignoviſſe Dominum amborum: nec jam ſe dicere adulterum, cujus pœnitentis crimen divina credit miſeratione deletum?* Cui teſtimonio addi poteſt, eum qui aliter ageret, Deo ipſo ſeverum eſſe magis & immiſericordem, quandoquidem ſincere pœnitenti omnia ipſe nobis peccata miſericorditer condonet. En prima ratio, quæ pro Fulvio efferri poteſt, ſimulque auctoritate antiqui Gallicani Concilii firmari his verbis *(n)*: *Si mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpe, recipere peccatricem*. Unde concludi neceſſe eſt, a Lœlia Fulvium pœnitentem & prima vice infidum ad uſum matrimonii eſſe admittendum.

(l) S. Aug. in Can. *Quod autem*. 7. 32. q. 1.

(m) Idem. ibid.

(n) Ex cap. *Si vir*. 3. de adulteriis & ſtupro. l. 5. tit. 16.

Altera etiam ſuppetit hac de re validior, & magis poſitiva ratio; antiquus videlicet Canon *(o)*, quo manifeſtis verbis fertur, maritum in eo caſu non poſſe abſque peccato cum conjuge ſua non reconciliari: quod pariter intelligi debet de muliere erga maritum. En verba Canonis. *Dixi illi: quid ſi mulier dimiſſa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum ſuum reverti; nonne recipietur a viro ſuo? Immo, ſi non receperit eam vir ſuus, peccat, & magnum peccatum admittit: ſed debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit*.

(o) Can. *Ego dixi*. 7. 34. q. 1.

Denique poteſt dici, quod ſi Lœlia pertinaciter virum ſuum admittere nolit; rea futura ſit incontinentiæ mariti ſui, cujus frequentes actus eum eſſe admiſſurum in poſterum veriſimile eſt, ob nimiam ejus infirmitatem ad caſtitatem ſervandam. Hæc ſunt præcipua rationum momenta, quibus adductus eſt inſignis Theologus *(p)*, ut defenderet, fidelem conjugem coram Deo teneri ad recipiendum alterum, qui adulterio conjugii fidem violavit, cum Deo pœnitentia ſatisfecit.

(p) Guillelmus Eſtius in 4. diſt. 35. §. 8. Et Laimen. tract. 10. 3. part. c. 7. n. 16.

Quæritur itaque, utrum pro Lœlia ſtet ratio; an non?

Respons.

Noſtra fert ſententia, Lœliam in caſu propoſito non poſſe damnari. Ratio eſt; quia, cum alter e conjugatis jus alterum dimittendi ob infidelitatem ipſius acquiſivit: nulla jam lege tenetur, cum reo in gratiam redire; hoc eſt, ipſi jura ſua reſtituere; etſi pravos mores emendarit, ac pœnitentiam de peccato egerit. Ita ſentiunt multi ſancti Auctores.

Pri-

(a) S. Bonav. in 4. d. 35. art. 1. q. 5.

Primus eſt S. Bonaventura, (a) dicens: *Ad reconciliationem faciendam .... aut unus petit & alter repugnat ..... ſi autem alter petit; aut nocens petit innocentem: & ſic non debet cogi ad reconciliationem ..... quantumcumque mulier faciat pœnitentiam, nunquam acquirit jus in virum, ipſo nolente, niſi vir fornicetur; & hoc propter contumeliam, quam intulit matrimonio; quia directe peccavit contra bonum fidei.*

(b) S. Th. in 4. d. 35. q. un. a. 6. ad 2.

Alter eſt S. Thomas, qui dicit (b) quod, *Pœnitentia uxoris debet inducere virum, ut uxorem fornicantem non accuſet, aut dimittat, ſed tamen non poteſt ad hoc cogi: nec poteſt per pœnitentiam uxor eum ab accuſatione repellere.* Quod pariter de uxore fideli erga maritum adulterum intelligi debet. Hujus autem deciſionis hanc S. Doctor affert rationem, qua reſponderi poteſt primæ Fulvii excuſationi, quam etiam firmat S. Auguſtini authoritas: *Quia ceſſante culpa*, inquit Angelicus Doctor, *& quantum ad actum, & quantum ad maculam, adhuc manet aliquid de reatu; & ceſſante etiam reatu, quoad Deum, adhuc manet reatus, quoad pœnam humano judicio inferendum: quia homo non videt cor, ſicut Deus.*

(c) S. Anton. 3. part. tit. 1. c. 23 §. 5.

Tertius eſt S. Antoninus (c) his verbis: *Ubi delinquens omnino vellet ſe emendare, vel præſumeretur pœnitens, debet innocenti perſuaderi, quod ſibi reconciliet; tamen ad hoc cogi non poteſt per ſubtractionem abſolutionis, niſi hoc faceret ex odio vel vindicta.*

Deciſionem iſtam confirmat iſtud ratiocinium: Jus, quod fruitur conjux innocens, ad denegandum adultero conjugale debitum; natura ſua eſt perpetuum, ut conſtat ex his Chriſti verbis, abſque exceptione prolatis, & quorum ſenſus eſt univerſus, abſolutus & abſque ulla reſtrictione (d): *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* Illa igitur dimiſſio ad certum tempus non eſt reſtringenda: & conjux inſons, in ea, ſi libuerit, continuo perſeverare poteſt: & quidem poſt latam a Judice Eccleſiaſtico divortii ſententiam, jus habet Religionem amplectendi, aut Sacros Ordines ſuſcipiendi, atque adeo nocentem perſonam debito conjugali perpetuo privandi.

(d) Mat. 5. 32.

Verum quidem eſt, quod ſtante adulterio occulto, nec juridice probato, non licet parti innocenti, conſortem quoad domicilium dimittere: attamen in conſcientiæ foro adultero debitum conjugale denegandi jure potitur, quod jus ipſius non exterioris fori actionibus, aut Judicis ſententia divortium proferentis, ſed infractione fidei conjugalis innititur.

Allatis hactenus probationibus addi poteſt Canon antiquus, (e) in quo manifeſte ſoluta videtur hæc quæſtio, ut obſervat Ledeſma Author non contemnendus: (f) nam Stephanus V. Pontifex Max. cui a Gratiano tribuitur Canon ille, vel potius Paulinus, Epiſcopus Forojulienſis, ut obſervat Pithon, ſcribens ad Haſtulfum, qui uxorem ſuam ſub adulterii ſuſpicione occideret, damnata ipſius crudelitate & injuſtitia, ait: *Poſt ſeptem annos peracta pœnitentia, dimittere eam per approbatam cauſam poteras, ſi voluiſſes; occidere tamen nullatenus debuiſti.*

(e) Can. Admonere. 8. 33. qu. 2.
(f) Petrus Ledeſma de mat. c. 20. n. 11.

Ex adductis authoritatibus liquet, Læliam in foro interiori nullatenus teneri, ad redeundum in gratiam cum Fulvio, hoc eſt, ad ei reddendum impoſterum debitum conjugale: cum eo ſeipſum jure ſponte privaverit, per fidei violationem, & etiam ipſa non poſſet abſque periculo contrahendi iterum obſcœnum illius morbum.

Verum ut hæc difficultas ſit extra omne dubium, juvat reſpondere rationibus, quæ pro Fulvio adducuntur.

1. Objicitur, quod ſi Lælia cum Fulvio in gratiam redire vi juſtitiæ non teneatur, ad id ſaltem ex præcepto Chriſtianæ caritatis obligatur; alioquin eſſet cauſa peccatorum impudicitiæ, quæ denuo admitteret, quæque illa, cum poſſit, illi conjugale debitum reddendo impedire, tenetur.

Objectioni huic reſpondemus, quod cum Læliæ repulſa ſit juſta, non peccat ipſa in caritatem, quam in maritum debet habere: quia caritas ordinata primum ipſa ſibi proſpicit; atque, ut vulgo ajunt, *Tunica pallio propior eſt*; hoc eſt, poteſt ipſa, ſalva æquitate, evitare malum, quod cohabitatio illius poſſet contrahere, atque proprium commodum mariti ſui commodo anteferre, qui propria ſua culpa incidit jure, quod habebat in mulierem: *Et propter contumeliam quam intulit matrimonio: quia directe peccavit contra bonum fidei*, ut loquitur Sanctus Bonaventura.

Cœterum, ſi Fulvius ſit vere converſus, poteſt auxiliante divina gratia, & Sacramentorum uſu frequenti, a Deo perſeverantiæ donum obtinere, & continentiam ſervare, ut innumeri alii, qui celibem vitam & caſtam degunt.

2. Quidam citantur Canones, quibus probare nituntur, a Lælia Fulvium, uti adulterum, expiato per pœnitentiam peccato, haberi non debere, quocirca jus ſuum priſtinum ipſi debet reſtituere, cui rei reſpondemus, verum quidem eſſe, adulterum, expiato per pœnitentiam peccato, coram Deo non eſſe talem quoad culpam criminis, cum ipſius remiſſionem per pœnitentiam obtinuit, ſed nihilominus adhuc manere aliquid de reatu, ut loquitur S. Thomas, *& quod ceſſante etiam reatu quoad Deum, adhuc manet reatus, quoad pœnam humano judicio inferendum*, ſubjungit idem Sanctus Doctor, atque eo ſenſu intelligendus eſt Sanctus Auguſtinus.

3. Additur Decretalis ex antiquo Galliæ Concilio deprompta, cujus textui Eſtius innititur, & quam præpropere omnino intelligit. Etenim conſtat illud Concilium, loqui tantummodo de debito obligationis abſolutæ & rigoroſæ, ut obſervat Gloſſa, in hanc vocem *debet*, (g) & quam his explicat terminis, *debito honeſtatis, & non neceſſitatis*, atque hanc affert rationem: *quia etiam poſt poſſet eam accuſare de adulterio.*

(g) Gloſſa in c. Si vir cit. v. Debet.

Cabaſſutius (h) quoque ſecundum hunc ſenſum iſtam intelligit Decretalem. En ejus verba, quæ ferme hactenus dicta comprehendunt: *Quod vero ibidem* (citato cap. *ſi vir*) *dicitur, debere a viro uxorem pœnitentem recipi, intellige cum Gloſſa ibi de convenientia, non de conſcientiæ, vel obligationis debito. Abſolute enim loquendo, ſi vir hanc injuriam ſponte non condonet, aut niſi ipſe pari quoque delicto peccaverit, liber in perpetuum a conjugali onere manet: idemque juris habet fœmina innocens reſpectu mariti adulteri; ideo ut, re juridice probata, poſſit conjux innocens, non modo dimittere conſortem invitum, ſed præterea Religionem ingredi, aut ſacris ſe Ordinibus alligare.* (i) *& refertur*, addit, *Hiſtoriæ Lauſiacæ capite 28. Sanctum Paulum, cognomine Simplicem, deſeruiſſe deprehenſam in adulterio uxorem, vitæque Monaſticæ ſe addixiſſe ſub magni Antonii diſciplina.*

(h) Joan. Cabaſſ. juris can. theor. & prax. l. 3. c. 28. n. 5.
(i) Can. Agatboſa 21. 27. q. 2. Cap. Conſuluiſti. Et Capite Veniens. 16. de conv. conjug. l. 3. tit. 31.

Ultima denique ratio, quæ affertur, ad probandum, Læliam teneri in gratiam cum Fulvio redire, cœteris ſpecioſior, licet infirmior; depromitur e Canone *Ego dixi*. Sed cum canon ille fuerit extractus ex opere inſcripto: *Liber Paſtoris*, ſub nomine Hermæ, qui ſecundo ſæculo vixiſſe ac ſcripſiſſe fertur, rem non poteſt decidere: quod opus illud ſit Apocryphum, ut conveniunt doctiſſimi Critici.

CASUS XII.

Theophrastes & Opportuna, uxor illius, ambo adulterati ſunt; ſed maritus mores emendat & pœnitentiam facit: Uxor vero, cui nota eſt viri pœnitentia, in ſuo adulterio perſeverat. Quæritur, utrum in eo caſu vir poſſit abſolute conjugale debitum uxori ſuæ denegare?

Responsa.

Videtur, non eſſe locum dubitandi, quin vir, qui peccatum ſuum pœnitentia expiavit, & cujus uxor ejuſdem peccati nocens, in adulterio perſeverat, poſſit ei nuptiale debitum denegare, & etiam divortium jure perſequi. *Si mulier conſcia fornicationis viri, ſciat eum pœnituiſſe, ipſa vero nihilominus perſiſtat in adulterio, poterit accuſari & dimitti*, inquit Sylvius. (k).

(k) Sylv. in Suppl. S. Tho. q. 62. a. 2.

Duacenſis ille Profeſſor ſuam ſententiam authoritate S. Antonini confirmat: (l) *Si tamen vir egiſſet pœnitentiam, & uxor nollet agere, ſed perſeveraret in adulterio; poſſet ſine peccato accuſare & dimittere.* Probatque ſuam concluſionem, quatuor Canonibus Decreti Gratiani. (m) Rem eamdem jam ante S. Antoninum docuerat S. Bonavent. (n)

(l) S. Anton. 3. p. ſum. t. 1. c. 2. §. 6.
(m) Can. Sicut. 1. & tribus ſeqq. 32. qu. 1.
(n) S. Bonav. in 4. diſt. 35. reſp. ad dub. 1.

eam-

eamque rationem affert ; quia ſua pœnitentia & emendatione amiſſum peccato ſuo jus repudii vir recuperat. *Si tam vir egiſſet pœnitentiam*, inquit, *& illa accuſata nollet agere pœnitentiam ; ſi perſeveraret in adulterio ; creditur tunc, quod vir poſſit eam accuſare, & dimittere per ſententiam.*

CASUS XIII.

Joannes commiſit adulterium. Sebaſtiana uxor illius criminis conſcia, debitum tamen conjugale ab eo requiſivit, aut ſemel, biſve reddidit. At cum eo rixata ob rem quamdam domeſticam, ſtatuit ei deinceps recuſare tale debitum, ob crimen ab illo admiſſum, fideique violationem ; Quæritur, utrum id tuta conſcientia poſſit.

Respons.

Mariti ſui adulterium jam obtendere non poteſt Sebaſtiana, ad non reddendum ei debitum : quia, cum illud ab eo exegerit, aut ipſi reddiderit, conſcia adulterii, quod commiſerat. *Tunc eum videtur ſibi reconciliaſſe*, inquit Sanctus Antoninus, (a) *unde non poteſt innocens amplius denegare debitum adultero, niſi recidivaret*. Id etiam conſtat ex diſpoſitione legum Digeſtorum, (b) & ex alia lege Codicis, in qua Imperator Alexander dicit : (c) *Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore, inferre non poſſe, nemini dubium eſt.*

(a) S. Antun. 3. par. tit. 1. c. 21. § 5.
(b) L. 8 maritus. ff. ad Leg. Juliam de adulteriis coercendis l. 2. l. 45. tit. 5.
(c) L. Crimen 11. cod. de adulter. & ſtupro l. 9. t. 9.
(d) Gelaſius in can. Si illic. 29. 29. q. 4.

Ratio eſt, quia, ut ait Gelaſius Papa, (d) *ſi .... confiteritur .... eum, qui male tractatus eſt, ignoviſſe, ſemel in ablatione remiſſa punitio recidivo dolore non debet iterari, divina ſcilicet immitatione clementiæ, qui dimiſſa peccata in ultionem redire non patitur.* Unde colligendum, in caſu propoſito, Sebaſtianam, cum ſponte ſe jure ſpoliaverit ſuo ad divortium, admiſſo videlicet ad conjugale debitum viro ; ad culpam præcedentem, eo jam non poſſe jure frui. Sic ſentit D. Thomas (e) his verbis : *excipiuntur ſeptem caſus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem ..... ſextus : ſi reconciliaverit eam ſibi, poſt adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoſcens.* Author Gloſſæ in Decretalem Clementis III. (f) ait pariter, quod *ſi reconciliata fuerit ; poſtea illam fornicationem objicere non poterit : quia ei remiſit hoc, quod ipſi licet ſecundum Evangelicam veritatem .... & quia mores illius jam comprobavit .... niſi poſtea fornicetur.*

(e) S. Th. in 4. d. 35. q. un. 1. in corp. Item in ſupplem. q. 62. art. 1. in corp. & ibi Sylvius & alii.
(f) Gloſſa in c. Plerumque 24. de donat. inter virum & mulierem. v. Nec reconciliatio.

Cœterum, conſtat, ea, quæ hactenus dicta ſunt de marito erga uxorem adulteram, intelligenda eſſe pariter de uxore erga virum ſuum adulterum : quia, *in cauſa divortii*, inquit Sanctus Thomas (g) *vir & uxor ad paria judicantur, ut idem ſit licitum & illicitum uni, quod alteri.*

(g) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. a. 5. in corp.

CASUS XIV.

Artemisia, cognito viri ſui adulterio, ac ipſi condonata infidelitate, in ſimile crimen ipſa incidit. Quæritur, utrum vir illius jus habeat ad non ignoſcendum illi, ac debitum conjugale denegandum ?

Respons.

Videtur, affirmari poſſe, quod, *rigoroſe loquendo*, Artemiſiæ maritus poſſit eam quoad thorum dimittere. Ratio eſt, quia uxori ſuæ ſemel reconciliatus, amiſſum prius adulterio ſuo, jus omne recuperavit ; quia, ut ait Gelaſius Papa in ſuperiori difficultate laudatus, (h) *ſemel in ablatione remiſſa punitio recidivo dolore non debet iterari*. Ita ſentit Gloſſa in canonem Decreti Gratiani (i).

(h) Gelaſius in can. Si illic. 20. 23. q. 4.
(i) Gloſſa in can. Nihil. 1. 23. qu. 6. v. Purgatus.

Diximus ; *rigoroſe loquendo* : Licet enim jam adulter non ſit dicendus is, qui adulterium ſuum ſincera pœnitentia delevit, ut ait Sanctus Auguſtinus ; (k) attamen verum eſt, dicere, quod ſi mulieri ſuæ reconciliari deberet ex præcepto caritatis ; licet ei nunquam fuiſſet infidelis, ut aſſerit idem Sanctus Doctor a fortiori ipſi culpam ſuam debet ignoſcere, cum ipſe præiverit exemplo criminis, quod ipſa agnovit : quocirca, ſi erga eam foret immiſericors, ea dignus eſſet exprobatione, *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi ; quoniam rogaſti me ; nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum ?* (l)

(k) S. Aug. in cau. Quod autem. 7. 32. q. 1.
(l) Matth. 18. 32. & 33.

CASUS XV.

Adelaida a decennio commiſit adulterium, quod, cum Protaſius, vir illius a paucis diebus reſcivit ; illiuſque ſufficientes poſſit afferre probationes, ſtatuit illi divortium juridice intentare ; Petitur, utrum poſt tam longum tempus debeat admitti talis accuſatio ?

Respons.

Quamvis juxta Leges Romanas (m) non debeant admitti accuſatio adulterii, nec damni per illud crimen illati petitio ; poſt quinquennium elapſum ; nihilominus licet reum hujus criminis, quoad divortium judicio proſequi, ut docet Gloſſa in Canonem Decreti Gratiani (n) his verbis : *Numquid præjudicat ſibi maritus, tacendo per ſeptennium ; cum ultra quinquennium non audiatur accuſatio adulterii : ut Codice de Adulteriis* L. Adulter ? *Sed illud continet quoad pœnam Legalem ; non quoad petendum divortium .... Numquid ergo in infinitum poteſt eum accuſare) Dicunt quidam, quod non ultra viginti annos, ut C. de falſis L. querela. Hugo dicit, quod uſque ad milleſimum, & quandocumque clamaverint crimina.* Si igitur Protaſio adſint ſufficientes probationes Adulterii Adelaidæ, divortium poteſt tuta conſcientia juridice poſtulare.

(m) L. Adulter. ad Legem Juliam Cod. de adulter. & ſtupro. l. 9. t. 9.
(n) Gloſſa in can. Admonere 8. 33. q. 1. v. Penitentia.

Dicimus ; *Si Protaſio adſint ſufficientes probationes* ; hoc eſt, probationes certæ, non incertæ & æquivocæ ; ut ſunt munera, Epiſtolæ amatoriæ ; oſcula, aut aliæ ſimiles familiaritates, niſi forte circumſtantiis adeo validis ſint adjunctæ, ut vehementem commiſſi adulterii præſumptionem inducant ; quales ſunt illæ, quas in una ex ſuis Decretalibus exprimit Alexander III. his verbis : (o) *ſolum cum ſola, nudum cum nuda, eodem lecto jacentem. Viderunt multis ſecretis locis & latebris ad hoc commodis & horis electis*. Ex his enim circumſtantiis judicatur adulterium fuiſſe commiſſum ; ut conſtat ex iſta deciſione ejuſdem Papæ : *Reſpondemus, quod ex hujuſmodi violenta, & certa ſuſpicione fornicationis poteſt ſententia promulgari.*

(o) Alexand. III. in c. Litteris. 12. de præſumptionibus l. 2. t. 23.

CASUS XVI.

Cum Antonius Roſam conjugem ſuam adulterii crimine inſimulaſſet ; Bertinus publice declarat, eam vere eſſe ream, & ſecum eam fuiſſe mœchatam. Quæritur, utrum Judex eam debeat admittere declarationem in Roſam.

Respons.

Declarationi hujuſmodi nulla fides eſt adhibenda in Judicio contra Roſam, juxta Decretalem Clementis III. qui dicit, quod proprio ſuo præjudicio facta confeſſio confitendi tantum, & non aliis, nocet. En verba illius : (p) *Eos, quorum ſuggeſtione ſcelus homicidii Præsbyter ſe perpetraſſe proponit, niſi aliis modis verum eſſe conſtiterit, nulli cenſemus pœnæ ſubdendos ; cum ſecundum utriuſque juris ſtatuta, de ſe confeſſi ſuper aliorum conſcientiis interrogari non debent ; & (criminis læſæ majeſtatis excepto) de reatu proprio confitentis perículoſa confeſſio non adverſus quemlibet admittenda*. Qua de re Author Gloſſæ dicit (q) *nulli ergo de ſe confeſſo ſuper crimine aliorum creditur.*

(p) Clem. III. in cit. c. Cum Monaſterium 1. de Confeſſis l. 2. tit. 18.

Ea quoque in re cum jure conſentiunt duo antiqui Canones ; en verba prioris : (r) *nemini, præterquam de crimine læſæ majeſtatis de ſe confeſſo credi poteſt ſuper crimen alienum : quoniam ejus atque omnis rei profeſſio periculoſa eſt ; & admitti adverſus quemlibet non debet.* Alter Canon eſt hujuſmodi (ſ) *non eſt credendum contra alios eorum confeſſioni, qui criminibus implicati ſunt.* Juriſprudentia pariter civilis in eo cum Sanctis Canonibus congruit ; ut videre eſt Lege Imperatorum Honorii & Theodoſii, qui rem eamdem declarant (t).

(q) Gloſſa in cit. cap. Cum Monaſter. v. Confeſſi.
(r) Can. Nemini. fin. 13. q. 3.
(ſ) Can. Neganda. 2. 3. q. 11.
(t) Accuſationis. fin. Cod. de Accuſat. & inſcriptionibus l. 9. t. 9.

Obſervandum tamen, quod, ſi aliunde Roſa vehementi criminis ſuſpicione eſſet infamata, Bertini declaratio non eſſet inutilis ; ac neceſſe eſſet, ut ea ſe purgaret. Hinc Clemens III. hanc exceptionem expreſſe deſignat in reſponſione facta ad difficulta-

tem

tem ſibi propoſitam. *Si tamen*, inquit, *eos infamia hujuſmodi laborare cognoveris; ſingulis eis... purgationem injungas*. Unde, ſi innocentiam ſuam a crimine vindicare non poſſet, præſumeretur reus conformiter ad Leges Canonicas (*a*).

(*a*) Alex. III. in Cap. *Cum P. Manconella*, 7. Innoc. III. in Cap. *Inter*. 12. de purgat. Canonica. l. 5. tit. 34.

CASUS XVII.

Silvester novit pro certo, mulierem ſuam adulterium commiſiſſe: quæritur, utrum abſque peccato mortali, propria auctoritate poſſit eam, etiam quoad habitationem, dimittere; cum ipſe ejuſdem non ſit reus criminis.

Respons.

Quamvis innocenti parti ſit licitum, conſortem ream adulterii, quoad thorum dimittere; hoc eſt, illi conjugale debitum denegare, ut oſtendimus in reſponſione ad primam difficultatem; non idem dicendum eſt, de dimiſſione quoad habitationem, ſeu domicilium. Nam vel adulterium eſt publicum, vel occultum. Si ſit occultum; innocens conſortem ream quoad domicilium privata auctoritate non poteſt dimittere; quia id abſque ſcandalo, & conſequenter abſque mortali peccato non poſſet efficere; quare neceſſe eſt omnino, ut Superioris interveniat auctoritas, ut ſtatuitur Canone Agathenſis Concilii (*b*), qui ſic habet: *Si antequam apud Epiſcopos comprovinciales diſſidii cauſſas dixerint, & priuſquam in judicio damnentur, uxores ſuas abjecerint, a communione ſanctæ Eccleſiæ & populi cœtu, pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur*. Alio Canone idem prohibet Alexander II. (*c*): *Mandamus tibi*, inquit hic Pontifex ad quemdam privatum ſcribens, *ut hanc quam habes, uxorem, nullatenus præſumas dimittere, vel aliam ducere, donec Epiſcoporum religioſorum concilium cauſſam iſtam examinaverit*. Alexander III. in Decretali ad Epiſcopum Ambianenſem longius procedit; nam divortium privata auctoritate factum prohibet, in caſu etiam impedimenti dirimentis, publici & notorii, vultque, ut qui petit divortium, Eccleſiæ judicium exſpectet, & quod ſi uxorem ſuam dimiſerit, compellatur ad eam reſumendam, donec acceſſerit Judicis ſententia. En verba illius Pontificis (*d*): *Prudentia tua cognoſcat, quod etiamſi parentela eſſet publica & notoria, abſque judicio Eccleſiæ ab ea ſeparari non potuit. Quare ipſum ad eam recipiendam, quæ petit reſtitutionem ipſius, diſtricte compellas*. Quod ita tamen debet intelligi, ut ab ea conjugale debitum maritus non poſſit exigere.

(*b*) Conc. Agath. c. 25. in Can. *Sæculares*. 1. 35. q. 1.

(*c*) Alex. II. in Can. *Multorum*. 10. 11. q. 6.

(*d*) Alex. III. in Cap. *Porro* 3. de divortiis. l. 4. tit. 18.

His probationibus addi poteſt auctoritas Cæleſtini III. (*e*), qui declarat, divortium fieri non poſſe quoad habitationem propter impotentiam, niſi cum defectus ille juridice probatus fuit: atque in multis aliis Canonibus hinc ſtatuitur (*f*), mulierem a viro ſuo ſub adulterii prætextu derelictam, in omni ſuo jure cum marito ſuo eſſe reſtituendam.

(*e*) Cæleſt. III. in Cap. *Laudabilem*. 5. de frigidis & maleficiatis &c. l. 4. tit. 15.

(*f*) Can. *Hiſtoria*. 3. & ſeq. 33. q. 2.

Idem docet S. Thomas (*g*) his verbis: „ Quantum ad thorum & cohabitationem... non poteſt „ dimitti (uxor) niſi judicio Eccleſiæ: & ſi alias „ dimiſſa fuerit; debet cogi ad cohabitandum, niſi „ poſſit ei vir incontinenti fornicationem probare. „ Hæc autem dimiſſio, divortium dicitur; & ideo „ concedendum eſt, quod divortium non poteſt „ celebrari, niſi judicio Eccleſiæ.

(*g*) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. a. 3. in corp. Item S. Anton. 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5.

Diximus, quod in caſu adulterii occulti, is qui propria auctoritate facit divortium, plerumque mortaliter peccat, propter ſcandalum, quod iſtam dimiſſionem, ſi ſit publica, comitatur: videtur tamen, quod peccato mortali non ſit damnandus maritus, qui certus de adulterio ſuæ uxoris, eam dimittit non exſpectata Judicis ſententia: cum id facere poteſt abſque ſcandalo, ut v. g. ſub prætextu militiæ, longinquæ peregrinationis, aut domicilii mutandi in regione aliena, ad commercium ibi vel mandatum aliquod exercendum: tum enim jure tantum utitur, ſibi per mulieris crimen quæſito, & de quo ipſa non poteſt conqueri. Ita ſentit Auctor Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ (*h*).

(*h*) Franc. de Genet. Theol. Moral. tom. 3. part. 2. tract. 9. cap. 9. n. 36.

Quando adulterium eſt publicum, mulierem nondum quoad domicilium poteſt dimittere innocens, ut probari poteſt, non modo ex allata nunc Alexandri III. Decretali, in qua divortium prohibet hic Pontifex etiam in caſu impedimenti publici parentelæ, ſed etiam ex Decreto Concilii Agathenſis pariter relato: conſtat nimirum ex his omnibus teſtimoniis, prohibitum eſſe divortium abſolute pro quacumque cauſſa ante Superioris ſententiam. Hujuſce rei hanc affert Gratianus rationem (*i*): *Ipſa ſeparatio pœna eſt, & pœna nulli eſt inferenda, niſi per Judicem*. Auctor Gloſſæ in Decretalem Clementis III. (*k*) eamdem tuetur ſententiam, quam probat ex Decretali Alexandri III. ſuperius laudata.

(*i*) Grat. § *Ex hoc*. ad Can. *Juno*. 4. 33. q. 2.

(*k*) Gloſſa in Cap. *Plerumque*. 4. de donat. inter virum & uxorem. v. *Judicio Eccleſia*. l. 4. tit. 20.

Quidam tamen excipiuntur caſus, in quibus ſine peccato fieri poteſt divortium, & quidem ante ſententiam Judicis. Primus: ſi adulterium adeo eſſet notorium, ut de eo vix quiſquam dubitaret, ut ſi reus cum adultera publice habitaret: Secundus, ſi jam lata eſſet ſententia, qua reus de hoc crimine fuiſſet convictus: Tertius, ſi adulterium ipſe juridice eſſet confeſſus: cum talis confeſſio ex Bonifacio VIII. publicæ notorietati æquivaleat (*l*). Triplicem hanc exceptionem afferunt S. Antoninus (*m*), Gloſſa in Canonem Decreti Gratiani (*n*), Covarruvias (*o*), & Silveſter Canoniſta inclytus.

(*l*) Bon. VIII. in Cap. *Poſtquam*. de accuſationibus inquiſit. & denunt. in 6.

(*m*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. 21. § 5.

(*n*) Gloſſa in Can. *Sicut*. 1. 3. q. 1.

(*o*) Didacus Covarruvias a Leyva de Matrim. 2. part. tom. 1. c. 7. §. 5. n. 15.

CASUS XVIII.

Rainaldus adeo infelix eſt, ut mulier ſua ſimul cum vicino quodam ſuo adulteretur, non ſine magno oppiduli ſui incolarum omnium ſcandalo. Quæritur, utrum ſub conſcientia teneatur eam dimittere, non quoad thorum tantum, ſed etiam quoad habitationem; cum aliter tanto non poſſit malo obſiſtere.

Respons.

Sentimus, Rainaldum teneri ſub conſcientia ad integrum cum uxore ſua divortium: cum in ſcandaloſo ac publico illa vivat adulterio, nec poſſit ei malo aliter mederi: præſertim, ſi aliqua ſpes affulgeat ipſius emendationem procurandi hac ratione; quæ, ut ait S. Thomas (*p*), ideo fuit uſitata, ut mulier emendaretur, ac pravos, ob publicam ignominiam ex divortio, mores deponeret. *Dimiſſio uxoris fornicantis introducta eſt ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam*; inquit S. Doctor. Quod etiam certius eſt, cum inde ſcandalum ſumit ipſe maritus, patiens tam turpis dedecoris, & præcipue cum ipſe fautor ejus exiſtimatur.

(*p*) S. Th. in 4. diſt. 35. art. 2. in corp.

Prima hujus deciſionis probatio petitur ex S. Hieronymo, qui Scripturæ ſacræ textu fretus, ait, maritum expellere debere talem uxorem; cum mores emendare recuſat: *cum illa unam carnem diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit a marito*, inquit hic Doctor (*q*), *non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scriptura* (*r*): Qui adulteram tenet, ſtultus & impius eſt.... *& quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam veteri crimen impingeret; ſic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam prima vivente non habeat*.

(*q*) S. Hieron. in c. *Dixit*. 2. 23. q. 1.

(*r*) Prov. 18. 13.

Secunda ducitur ex antiquo Galliæ Concilio, quod refert Decretalis his verbis (*ſ*): *Si vir, ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa; reus erit, & ejus peccati particeps*.

(*ſ*) Cap. *Si vir*. l. 1. de adulteriis & ſtupro. l. 5. tit. 16.

Tertia ſuppeditat Auctor operis imperfecti in S. Matthæum, a Gratiano relatum in Canone (*t*), in quo ſic legitur: *Sicut crudelis eſt & iniquus, qui caſtam dimittit; ſic fatuus eſt & injuſtus, qui retinet meretricem. Nam turpitudinis patronus eſt, qui crimen celat uxoris*. Iiſdem fere terminis in una Decretali loquitur Innocentius III. (*u*) quod illi Auctores ſacra Scriptura expromſere; in qua dicit Sapiens (*x*): *Qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & inſipiens*. Addi poſſet id, quod in alio legitur Canone (*y*), quem laudat Decretum Gratiani, in quo expreſſe diſſolvitur hæc difficultas; ſed cum ſufficiant allatæ auctoritates ad confirmandam veritatem hujus deciſionis: opus, quo refertur hic Canon, eſt apocryphum; quare illum omittimus, ut alia certiſſima afferamus hujuſce rei argumenta.

(*t*) Can. *Sicut* 32. q. 1.

(*u*) Innoc. III. in Cap. *Quemadmodum*. 25. de jure jurando. l. 2. tit. 24.

(*x*) Prov. 18 cit.

(*y*) Can. *Ego*. 7. 24. q. 1.

Quarta probatio eſt S. Auguſtini (*z*); qui cum in expoſitione ſermonis Domini in monte protuliſſet, Salvatorem noſtrum permiſiſſe tantum, non imperaſſe divortium fornicationis cauſſa; conſueta ſe humilitate retractat hoc modo: *Ubi dixi*

(*z*) S. Aug. l. 1. Retract. c. 19.

Digitized by Google

hoc permiſſam eſſe, non juſſum, inquit hic S. Doctor, *non attendi aliam Scripturam, dicentem:* Qui tenet adulteram, ſtultus & impius eſt. *Nec ſane adulteram diutius fuiſſe deputandam illam mulierem; etiam poſtea quam audivit a Domino (a):* Nec ego te damnabo: vade, & deinceps jam noli peccare. Quibus verbis conſtat, S. Auguſtinum non exiſtimare, quod vir uxorem in adulterio perſeverantem retinere poſſit: at quod poſt ejus emendationem jam uti adultera non eſt habenda, atque cum ea in gratiam redire poſſit, ſi velit.

(a) Joan. 8. 11.

Quinta eſt S. Bonaventuræ *(b)*, qui dicit; quod mulier *aut fornicatur in occulto, aut in manifeſto*, inquit hic S. Cardinalis: *ſi in occulto; ſic non poteſt dimittere eam: quia non poteſt probare .... ſi in manifeſto; aut perſeverat in malitia, aut convertitur ad pœnitentiam; ſi perſeverat in malitia; ſic quia ſcandalizat, & quia vir tenetur eam corrigere juxta mandatum Evangelicum, tenetur eam dimittere: Si autem pœnitet & ſe corrigit, non tenetur.*

(b) S. Bonav. in 4. diſt. 35. art. in corp. Et in Supplem. q. 62. a. 2. in corp.

Sextam affert S. Thomas *(c)*, qui hac de re cum aliis ſic loquitur: „ Si mulier de peccato pœniteat, „ vir non tenetur eam dimittere: ſi autem non „ pœniteat; tenetur, ne peccato ejus conſentire „ videatur, dum correctionem debitam non apponit. *Et alibi (d)*. Ipſa confuſio quam reportat „ de divortio, debet eam cohibere. Quod ſi cohibere non poteſt; minus malum, quod ſola ipſa „ peccet, quam quod vir peccati ejus ſit particeps „. Atque in eo Magiſtrum Sententiarum ſecuti ſunt duo illi Sancti, ut patet ex ejus verbis *(e)*: *Si vir ſcienter patitur; conſentire videtur ... Si enim in adulterio perſeverare elegit* (uxor), *patronus turpitudinis & lenocinii reus maritus habebitur, niſi eam adulterii ream facere voluerit.* Non mirum igitur ſi poſt tot tamque inſignes auctoritates eamdem doctrinam ſecuti ſint alii Theologi, & inter eos præcipue Durandus *(f)*, Paludanus *(g)*, Richardus de Mediavilla *(h)*, & alii permulti.

(c) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. a. 2. in corp. Et in Supplem. q. 62. a. 2. in corp.

(d) Idem ib. a. 5. ad 2. Idem ibid. diſt. 35. art. 3. in corp.

(e) Petrus Lombardus l. 4. ſent. diſt. 35.

(f) Durandus in 4. diſt. 35. q. 1, n. 8.

Denique hactenus dicta confirmat antiqua Eccleſiæ diſciplina, vetuſto iſto, quem refert Gratianus *(i)*, canone expreſſa: *Si quis uxorem ſuam ſcit adulteram, & non vult dimittere eam, ſed in matrimonio habere; tribus annis pœniteat: & quamdiu pœnitet, abſtineat ſe ab illa.*

(g) Petrus Paludan. ibid. q. 1. a. 3.

(h) Richardus de Mediavilla, in 4. diſt. 35. q. 2. a. 1.

CASUS XIX.

Lambertus a ſuo Confeſſario incitatus, ut mulierem ſuam dimitteret, quia publice adulteratur, & ipſe turpitudinis ejus patronus habetur, eo adduci non potuit duabus de cauſſis; Prima eſt: quia ad victum labore & induſtria uxoris ſuæ indiget: altera, quæ majoris eſt momenti, quia eam dimittere non poteſt abſque periculo incontinentiæ, ad quam valde pronus eſt; cum ante matrimonium ſuum caſtitatem ſervare non potuerit; nec etiam poſt contractas nuptias quando a conjuge fuit remotus.

(i) Pœnitential. Theodori in Can. *Si quis*. 6. 32. q. 1.

Quæritur, utrum rationibus illis a propoſito ſibi divortio non excuſetur.

Respons.

Quidam Auctores exiſtimant, virum in caſu propoſito ad divortium non teneri, atque adeo conjugale debitum ab uxore ſua poſſe exigere abſque peccato *(K)*: 1. quia, ut ſuſceptam effugiat reprehenſionem, omnemque a ſe mulieris ſuæ libidini lenocinandi ſuſpicionem amoveat, ſatis eſt, ut qualibet data occaſione teſtetur, ſe illam damnare & improbare; ſic enim omnem infamiam ac ſcandalum inde proveniens devitat; omnemque a ſe malam ſuſpicionem ſufficienter expellit. 2. quia experientia notum eſt, divortium, licet ad emendationem mulieris inſtitutum, non idoneam tamen hujuſce rei obtinendæ ſemper eſſe rationem; quæ quamvis eſſet hujuſmodi, ad eam tamen non teneretur maritus incontinens, qui ſaluti ſuæ potius, adhibito matrimonii remedio, proſpicere debet, quam incertam adhibere viam ad emendationem uxoris ſuæ adulteræ. 3. Quia Chriſtus permiſit tantum, & non imperavit divortium fornicationis cauſſa.

(k) Dom. Soto in 4. diſt. 36. a. 2. Palud. Ibid. Silveſter. Bartholomæus Fumus in Armilla. Navar. Man. c. 16. num. 8. Et Toletus Inſtruct. Sacerd. l. 7. c. 27.

Alii contra, iique permulti Theologi defendunt, virum in caſu Lamberti poſitum ſub peccato teneri ad repudiandam uxorem ſuam. 1. quia eam abſque infamia retinere non poteſt; quandoquidem verbis quibus libidinem ejus damnaret, quantumvis gravibus, contradiceret hujuſmodi retentio. 2. quia incertus eſſet, cujus patris eſſent liberi ex illa adultera prognati; & fieri poſſet facile, ut quos gigneret adulter, quamvis illegitimi, tamen legitimi haberentur, cum tales reputentur illi omnes, qui *conſtante matrimonio* naſcuntur: quocirca legitimis liberis injuriam faceret: cum ad eorum jura contra omnem æquitatem admitterentur illegitimi.

Secundam hanc admittimus opinionem, quam ſolam in praxi tutam exiſtimamus, Conſtat enim, quidquid in contrarium afferant opinionis alterius aſſertores, juxta interpretationem Canonum ac ſanctorum Patrum, in reſponſione ad præcedentem difficultatem a nobis allatam, præſertimque S. Auguſtini *(l)*, hæc verba Scripturæ *(m)*: *Qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & impius*, formale continere præceptum, quo vir in ſimili de quo agitur caſu poſitus, ad divortium cum uxore ſua obligatur, ut inconcuſſe ante probavimus. Idem præceptum ſatis liquide continetur in his S. Paulli verbis: *(n) Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.*

(l) S. Aug. l. 1. Retract. c. 19.

(m) Prov. 18. 19.

(n) 1. Corinth. 6. 16.

Exceptiones vero, quibus nonnulli Auctores præceptum hoc reſtringunt, nulla legitima ratione nituntur aut in Scriptura aut in traditione; ſuntque inſufficientes ſecundum opinionem celeberrimorum Theologorum *(o)*, præſertimque D. Thomæ, qui indiſtincte, nullaque admiſſa exceptione dicit *(p) Si mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere: ſi autem non pœniteat, tenetur: ne peccato ejus conſentire videatur.*

(o) Dur. in 4. diſt. 35. q. 1. Richardus de Mediavilla. Ibid. q. 2. a. 1.

Quare concludimus, Lambertum teneri ad dimittendam uxorem ſuam, ſi aliter eam non poſſit emendare; ne ipſe ſcandalum patiatur, ut turpitudinis ejus patronus, & ad ſatisfaciendum præcepto Caritatis, quo tenetur, uti poteſt, ejus adulterio mederi. Ceterum ad vitandum incontinentiæ periculum ad preces aliaque in tentatione adhiberi ſolita remedia recurrat: cum aliunde caſtitatem ſervare teneatur, puta ſi non eſſet conjugatus, aut ab uxore ſua eſſet remotus, ipſave ægrotaret: *quemadmodum uxore infirmante corporaliter*, inquit ſanctus Bonaventura *(q)*, *tenetur continere ad tempus, ita uxore infirmante ſpiritualiter, tenetur eam repellere: quoniam, quamvis poſſit culpam indulgere: debet tamen corrigere.* Heic lubet omittere aliam Lamberti excuſationem, quia vix tamquam vera ſupponi poteſt: cum rariſſime eveniat, ut victus hominis a labore & induſtria mulieris pendeat; & aliunde non eſt admittenda, niſi in caſu extremæ neceſſitatis.

(p) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. a. 2.

(q) S. Bonav. in 4. diſt. 35. art. un. q. 2. in corp.

CASUS XX.

Berthæ maritus ab anno & amplius in adulterio penitus publico vitam degit. Quæritur, utrum in conſcientia obligetur ad eum dimittendum etiam quoad habitationem?

Respons.

Quamvis de muliere, uti de marito ſit judicandum, & paribus, juxta ſanctos Canones *(r)* in re qualibet legibus teneantur; magnum tamen intercedit diſcrimen inter mulierem quæ cum viro habitat, quem publicum etiam novit eſſe adulterum, & inter virum, qui mulierem retinet pari infectam crimine. Ratio eſt 1. quia nulla ex eo mulier aſpergitur infamia: quia numquam præſumitur conſcia libidinis ſui mariti; atque nullum inde parit ſcandalum: modo ſaltem oſtendat, ſe mariti ſui libidinem improbare, nec ei ſe præbere occaſionem. 2. Quia mulieri non poteſt imputari legitimorum puerorum incerta origo. 3. Quia marito a Sanctis Canonibus præſcribitur divortium a muliere adultera in pœnam criminis & illius emendationem, ut antea diximus. Atqui ad mulierem non pertinet punire aut emendare virum ſuum, cum ſit ſuperior. Igitur Canones illi ſolum intelligi debent de obligatione viri, ad puniendam divortio conjugem ſuam. Equidem de ſolo viro loquuntur, ubi divortium conſtituunt, nec eamdem erga virum adulterum obligationem uxori imponunt. Addi poteſt inſuper, raro virum adulterum, ex mulieris ſuæ divortio meliorem effici, & contra ex divortio fieri pejorem & diſſolutiorem. Affirmandum igitur, Bertham in

(r) S. Chryſ. in Can. *Si quis*. 5. 32. q. 1. S. Hieron. in Can. *Præcept*. 50. Et in Can. *Apud nos*. 20. 32. q. 5. Innocent. III. in Cap. *Intelleximus*. c. de adulteriis & ſtupro.

caſu

Digitized by Google

caſu propoſito non teneri ſub peccato ad dimittendum virum ſuum, niſi perſuaſum haberet, eum pravos mores ob talem ſeparationem mutaturum: tum enim contra caritatis præceptum & propriam conſcientiam peccaret, niſi eum dimitteret.

Convenit hæc deciſio cum ſententia plurium inſignium Theologorum. Sic ſuam exprimit Durandus (a): *De muliere autem utrum teneatur, virum publice fornicantem & non corrigentem ſe, dimittere, durum eſt dicere, quod teneatur, propter imbecillitatem ſexus muliebris, & quia non habet parem auctoritatem ad correctionem viri; maxime quoad cohabitationem, in qua vir eſt caput mulieris: & quia hoc eſſet leviter condemnare multas mulieres.*

(a) Durand. in 4. diſt. 35. q. 2.

Idem ſentit Dominicus Soto, nec mirum; cum velit, ut vidimus in ſuperiorem difficultatem, virum non ſemper in pari caſu, teneri ad divortium. At ſi male pro viro pugnet, conſultius pro muliere perorat, cujus maritus in publico vivit adulterio; & rationibus jam ſuperius deſignatis probat, eam non teneri ad dimiſſionem. En verba illius (b): *Uxor, cum non ſit viri caput, poteſtatem non habet eum corrigendi aut corripiendi. Quare, licet cum illo adultero commaneat, nullum indicium exhibet ſe in adulterium conſentire: atque adeo nullam prebibet ſcandalum. Immo aſſa exploratiſſimum eſt, feminas id ægerrime ferre & zelotypia enari: neque vero infamia ulla inde aſperguntur: quia nulla, aut vix ulla eſt, quæ velit virum ferre adulterum: neque ſe periculo objiciunt incertitudinis filiorum: nam ipſæ ſunt, quæ certiſſimos edunt partus. Quare nulli ſunt Canones, qui hac parte de uxoribus loquantur; ſed ſolis viris videntur jubere, ut a pertinaci adultera recedant.* Subjungit deinde Auctor ille, quod *illa abſtinentia*; hoc eſt denegatio debiti conjugalis, vel ſeparatio a viro, *adeo non cedit in remedium viro; ut ſæpius eſſe ei conſuevit majus præcipitium. Recrudeſcere enim tunc ſoleat viri, & pejores fieri.*

(b) Dom. Soto in 4. diſt. 3. q. un. a. 2.

Denique Cardinalis Cajetanus, Navarra, & multi Auctores moderni idem docent, ac præcipue Auctor Colloquiorum Petrocoricenſium, auctor Theologiæ moralis Gratianopolitanæ Sainte, Beuve (c).

(c) Nav. Manual. c. 16. n. 28. Colloq. Petroc. tom. 4. q. 2. De Gener. Theol. Mor. tom. 4. part. 2. tract. 9. c. 8. n. 49. De Sainte Beuve, tom. 3. caſ. 134. &c.

CASUS XXI.

PAMPHILUS novit, uxorem ſuam cum uno e viciniis ſuis adulterium commiſiſſe; quod nullatenus teſtibus oculatis, ſed tantum validis conjecturis poteſt probare. Quæritur, utrum nihilominus eam in judicio accuſare, & divortii ſententiam perſequi poſſit?

RESPONS.

Non neceſſe eſt, ut teſtes oculati indignum illud facinus viderint, ad inquirendum juridice in perſonam hujus criminis ream. Nam, ut qui illud admittunt, quam cautiſſime quærunt latebras, nulla de eo poſſet haberi certitudo, ſi hæc una ſuppeteret via ad illud legitime probandum. Non neceſſe eſt igitur, ut accuſator illius probationes quoad factum evidentes afferat; ut ſufficit moralis certitudo, quæ habetur per conjecturas adeo vehementer, ut crimen jam dubium eſſe nequeat: Atque eo ſenſu intelligendus eſt S. Hieronymus, quem in ſuo Decreto refert Gratianus (d), cum ait, quod *ſuſpicio fornicationis* divortio poteſt locum præbere: hoc eſt; ſuſpicio bene fundata, quæque præſumtionem violentam poſſit ingenerare, ut explicat Gloſſa (e): *Heic ergo de ſuſpicione violenta loquitur.*

(d) S. Hieron. in Can. *Dixit*. 2. 32. q. 1.

(e) Gloſſa in cit. Can. *Dixit*. v. *Suſpicio*.

Conjecturas autem iſtas exigit S. Thomas (f) loquens de marito, qui de adulterio uxorem ſuam ſuſpicatur: *Si de facto iſto non conſtat, poſſunt eſſe violentæ ſuſpiciones fornicationis, quibus probatis videtur fornicatio eſſe probata. Ut ſi inveniatur ſolus cum ſola, horis & locis ſuſpectis, & nudus cum nuda.* Doctori Angelico præiverat Alexander III. in una ex ſuis Decretalibus ad Archidiaconum Genuenſem (g) qui ab ipſo requirebat, num vir ad divortium ſub iſta teſtium depoſitione eſſet admittendus: *afferentes .... quod conſanguineum viri ejuſdem, ſolum cum ſola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem, ea, ut credebant intentione, ut eam cognoſceret carnaliter, viderunt; multis locis ſecretis & latebris ad hoc commodis & horis electis.* Cui reſpondet ſummus hic Pontifex iſtis verbis: *Ex hujuſmodi violenta & certa ſuſpicione fornicationis poteſt ſententia divortii promulgari: ita quidem, ut vir licentiam habeat, mortua illa, ducendi aliam, muliere ſine ſpe conjugii remanente.*

(f) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. a. 3. ad 4.

(g) Alex. III. in Cap. *Litteris*, 12. de præſumtionibus l. 3. tit. 23.

CASUS XXII.

ALEXANDER & ADRIANA, uxor ejus, ambo adulterium commiſerunt. Adrianæ adulterium publicum eſt, & juridice probatum; Alexandri vero occultum; nec in foro exteriori probari poteſt. Quæritur, utrum Adrianam poſſit dimittere Alexander, vi ſententiæ divortium edicentis, quam obtinuit?

RESPONSIO.

Quamvis in foro exteriori Alexandro ſit licitum divortium, in conſcientiæ tamen foro eſt illicitum. Nam etſi exceptionem in exteriori foro adhibere non poſſit Adriana in maritum ſuum; poteſt tamen cum juſtitia coram Deo; ita ut Alexander coram Deo teneatur in gratiam cum illa redire, eique conjugale debitum reddere. *Si adulterium viri ſit occultum*, inquit S. Thomas (h), *per hoc non aufertur jus excipiendi contra accuſationem viri uxori adulteræ: quamvis deſit ſibi probatio: & ideo peccat vir divortium petens: & ſi poſt ſententiam de divortio uxor petat debitum, vel reconciliationem, vir tenetur ad utrumque.*

(h) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. art. 6. ad 5.

Eamdem rem expreſſe docet S. Bonaventura (i); hanc enim ſibi quæſtionem proponit: *Quæritur, utrum vir qui fornicatur in occulto, poſſit dimittere uxorem quæ fornicatur in aperto*: cui quæſtioni his verbis reſpondet: *Reſpondeo, dicendum, quod talis fornicans non debet eam dimittere; nec poteſt ſine peccato in conſpectu Dei; licet poſſit in conſpectu Eccleſiæ, pro eo quod uxori non deſit jus excipiendi; quamvis deſit probatio.*

(i) S. Bonav. in 4. diſt. 35. in Expoſit. Litteræ dub. 1.

Deciſio iſta nititur hoc principio, quod paſſim in operibus ſuis ſtatuit S. Auguſtinus, & quod Canone refertur (k): *Nihil iniquius, quam fornicationis cauſſa dimittere uxorem, ſi & ipſe convincitur fornicari. Occurrit enim illud (l):* in quo enim alterum judicas, temet ipſum condemnas; eamdem enim agis, quæ judicas. Unde ſic concludit hic ſanctus Pater: *Quapropter quiſquis fornicationis cauſſa vult abjicere uxorem, prius debet eſſe a fornicatione purgatus.* Idem principium alibi etiam defendit hic ſanctus Doctor, ut patet ex multis Canonibus, quos Gratianus e ſcriptis illius deprompſit, quoſque ad marginem indicamus (m).

(k) S. Aug. in Can. *Nihil*. 32. q. 9.

(l) Rom. 2. 1.

(m) S. Aug. in Can. 1. 3. & 4. eadem cauſſa & quæſt.

Ceterum modo dicta vera ſunt; etſi ab uno unus tantum actus adulterii; ab alio ex conjugibus plures actus fuerint admiſſi, & quamvis alter ſimplicis adulterii, alter inceſtus etiam reus eſſet: quia accuſandi jure, ſimul & conjugale debitum recuſandi excidit qualiſcumque adulter.

CASUS XXIII.

PALLADIUS, uxore convicta de adulterio, a judice divortii ſententiam obtinuit; eaque dimiſſa quoad ſeparationem, in idem adulterii crimen ipſe incidit. Petitur, utrum cum uxore ſua reconciliari, eamque recipere teneatur?

RESPONS.

Dicendum in caſu propoſito, cum S. Thoma (n), quod, *propter adulterium, quod vir, prius innocens*, uti Palladius, *ſecundum rigorem juris non debet cogi ad recipiendam uxorem adulteram.* Ratio eſt; quia vir, qui judicis ſententia uxorem dimiſit, liber eſt a ſervitute quam per matrimonium contraxit cum ea; cumque uxor ſit rea, jam merito crimen ſuum non poteſt deferre. Iſtud ratiocinium inſtituit Auctor Gloſſæ in Decreti Gratiani Canonem (o); obſervatque Auctor ille, Decretales quibus contrarium ſtatui videtur, de eo caſu dumtaxat eſſe intelligendas, in quo divortium judicis ſententia non eſt factum. En verba illius: *Quid, ſi poſtea maritus adulteret, poſtquam ſententia eſſet lata contra uxorem de adulterio? dicunt omnes, quod maritus tenetur eam recipere .... quod vix credo, eo quod nulla facta ſit injuria .... eſt enim liberatus a mutua ſervitute. Nam cum illa mulier non poſſit induci teſtis ſuper aliquo, cum ſit damnata de adulterio.*

(n) S. Th. in 4. diſt. 34. q. un. a. 6. ad 4.

(o) Gloſſa in Can. *Apoſtolus*. 3. 32. q. 7. v. *Viro*.

Ergo nec ad accuſandam admittitur. Non enim poteſt dici, quod ſuam injuriam proſequitur, cum omne jus, ſive etiam ſervitutem quam habuit in viro, perdiderit: & præmiſſas decretales (a) intelligo, cum non fuit ſententia lata ſuper adulterio .... alias inconveniens eſſet, quod ſententia a qua non eſſet appellatum, & quæ tranſivit in rem judicatam propter delictum ſupervenient retractaretur. Hoc autem bene concedo, quod propter delictum ſuperveniens reſtituitur ſervitus prior, dummodo ſententia non præceſſerit ſuper adulterio.

(a) Cap. *Ex Litteris*. 5. de Divortiis. Cap. *Tua*. 7. de Adulteriis & Stupro.

Auctor tamen hujus Gloſſæ (b) jure excipit caſum, in quo mariti adulterium, publicum evaſiſſet: tunc enim dicendum locum eſſe compenſationi, cum paria crimina compenſatione mutua deleantur, ut loquitur Innocentius III. in una e ſuis Decretalibus (c).

(b) Gloſſa in Cap. *Ex Litteris*. & 2. & aliis ſeq. citatis.

(c) Innoc. III. in Cap. *Tua fraternitas*. 7. de Adulteriis & Stupro. l. 5. tit. 16.

CASUS XXIV.

Leander, orbus uxore ſua Agnete, ex qua per octo annos nullam ſuſcepit prolem; poſtea Barbaræ nupſit, quacum etiam abſque liberis ſuſceptis quatuor tranſegit annos. Poſtea Barbara libidini indulgens, ſingulis diebus adulterium committit, & nihilominus marito ſuo debitum reddit. Fit gravida, ignorans omnino quis ſit verus futuræ prolis auctor; an maritus, an vero adulter. Puerum enixa & pravos emendans mores; etiam cum marito ſuo per quindecim annos familiariter agit abſque ſuſceptione prolis.

Quæritur de eo, utrum puer quem genuit, cenſeri debeat legitimus; atque adeo utrum mater, quæ una cum puero univerſa legatrix defuncti mariti, qualibet ex dimidia parte ſuccedente, inſtituta eſt; puero poſſit derelinquere portionem legatam a marito ſuo juxta conſuetudinem patriæ, nulla iis parte collata, qui, deficiente puero, eſſent heredes neceſſarii.

Ratio dubitandi eſt, quia ſecundum omnem veriſimilitudinem, hic puer eſt ex adulterio natus, cum Leander per octo annos prioris ſui conjugii, nec per quatuor primos poſterioris ullam ſuſceperit prolem, uti nec per quindecim qui ſecuti ſunt ortum hujus pueri: unde vere judicari poteſt hunc hominem fuiſſe impotentem.

Ex alia parte affirmat Barbara, quod vir ſuus erat perfecte potens ad copulam, quam ſingulis fere noctibus habebat cum ipſa, & quod ſi quatuor primis annis ab eo prolem non ſuſcepit, id potuiſſe contingere quia forte junior erat; cum nupſit quatuordecim vix annus nata. Addit inſuper, quod ſi poſtea prolem non ſuſcepit, id ex eo oritur, quod dum eſſet gravida abortum paſſa ſit, & pariendo ad mortem ægrotaverit, quo ex caſu indubitanter ſterilis facta ſit.

Respons.

Filius hic legitimna habeei debet ob multas rationes. Prima: quia, ut ait Sylvius, hoc juris effatum, *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*, in hoc caſu locum debet habere (d). Idem ſentit alter Theologus (e) hoc alio juris effato nixus (f): *Pater .... is eſt, quem nuptiæ demonſtrant*; & propugnat, quod *ſemper prævalet favor matrimonii, niſi quando evidenter conſtiterit conceptio ex adulterio*.

(d) Franc. Sylvius in 1. 2. q. 62. art. 1. quæſito 3. conc. 1.

(e) Joan. Azor. Inſtit. Moral part. 3. l. 5. c. 6. §. 4.

(f) L. *Quia ſemper*. 5. ff. de in jus vocando. l. 2. tit. 4.

Id quidem juris civilis legibus æquiſſimis eſt conſentaneum. *Filium eum definimus*, inquit una ex his legibus (g), *qui ex viro & uxore ejus naſcitur. Sed ſi fingamus abfuiſſe maritum, verbi gratia, per decenniam: reverſum, anniculum inveniſſe in domo ſua placet nobis Juliani ſententia hunc non eſſe mariti filium. Non tamen ferendam, Julianus ait, eum qui cum uxore ſua aſſidue moratus, nolit filium agnoſcere, quaſi non ſuum. Sed mihi videtur, (quod & Scævola probat) ſi conſtet maritum aliquamdiu cum uxore ſua non concubuiſſe, infirmitate interveniente, vel alia cauſa; vel ſi ea valetudine paterfamilias fuit, ut generare non poſſit; hunc qui in domo natus eſt, licet vicinis ſcientibus, filium non eſſe.*

(g) L. *Filium*. ff. de his, qui ſunt vel alieni juris vel ſui.

Ex illo Ulpiani in hac lege loquentis ratiocinio, filius de quo in caſu propoſito agitur, debet reputari legitimus; quia conſtat 1. Leandrum, cum uxore aliquamdiu, immo ſæpe, concubuiſſe. 2. nullam infirmitatem interveniſſe, quæ eum ad copulam inhabilem effecerit. 3. denique id non apparere, quod ea valetudine fuerit, ut generare non poſſet.

Altera ratio quæ priorem firmat, eſt, quia in rebus dubiis benignior pars ac minus odioſa eſt ſequenda, juxta iſtam juris regulam (h): *Semper in obſcuris, quod minimum eſt ſequimur*. Et hanc aliam: (i) *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*.

(h) L. 9. ff. de diverſis regul. juris antiqui. l. 50. tit. 17.

(i) Leg. 56. ff. eod. tit.

Exiſtimamus igitur, Barbaram poſſe filio ſuo derelinquere partem integram boni, quod ipſi legavit ejus maritus; nec eam teneri hujus partis ceteros defuncti heredes participes efficere.

CASUS XXV.

Theodebertus inventam mulierem ſuam in flagranti adulterio, ſubito occidit. Quæritur, utrum abſque peccatu mortali, ita ſe gerere potuerit?

Respons.

Certum eſt, Theodebertum uxorem ſuam non potuiſſe occidere abſque reatu gravis peccati mortalis; nam, etſi coram hominibus in tali occaſione valde excuſandus videatur, nihilominus coram Deo & juxta leges Eccleſiæ omnino reus eſt. Sic enim docet S. Auguſtinus his verbis (K): *Non licet Chriſtiano uxorem adulteram occidere, ſed tantum dimittere*. Gratianus in ſuo Canonum Decreto eamdem adſtruit veritatem, eos exponens, qui de ea re agunt (l).

(K) S. Aug. l. 2. de Adulter. conjugiis. c. 5. in Can. *Si quod*. 5. 33. q. 2.

Fatendum tamen, legibus Romanis (m) aliquatenus tolerari tale facinus, in eo quod maritum non puniret, qui uxorem ſuam occidiſſet inventam in flagranti adulterio: at iiſdem legibus numquam illud permiſſum eſt, cum pœnam illius tantum diſſimulaverint; quod haberetur tale homicidium tamquam effectus violentiæ libidinis, quæ etiam marito omnem ferme rationis uſum adimebat. *Lex Civilis*, inquit S. Thomas (n), *quaſi licitum computat, quod in ipſo actu eam interficiat, non quaſi præcipiens, ſed quaſi pœnam homicidii non inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occiſionem uxoris*.

(l) Gratian. §. *In hoc*. ad Can. *Interfectores*. & §. *In præmiſſis*. ad Can. *Si quod*. 33. q. 2.

(m) L. *Gracchus*. 4. Cod. ad Legem Juliam de Adulteriis, &c. L. 9. tit. 9.

(n) S. Th. in 4. diſt. 37. q. 2. a. 1. in corp.

At vero, cum leges illæ tale facinus toleraſſent, nihilominus tamen coram Deo deteſtandum eſſet, nec minus contra leges divinas & eccleſiaſticas: cum eos non habeat Eccleſia innocentes, qui crimina commiſere, quorum pœnam non ſtatuit judicium ſæculare. *Sed Eccleſia*, ſubjungit Doctor Angelicus, *in hoc non eſt aſtricta legibus humanis, ut judicet eum ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ judicio Eccleſiaſtico inferendæ, ex hoc quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per judicium ſæculare*: unde ſic concludit; *& ideo in nullo caſu licet viro interficere uxorem propria auctoritate*.

Attamen fuere Caſuiſtæ adeo temerarii, ut contrariam huic doctrinæ ſententiam defendere auſi fuerint: verum opinionem eorum erroneam & crudelem damnavit Alexander VII. Decreto lato 24. Septemb. an. 1665. & vetuit ne quis ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* latæ & ſanctæ Sedi reſervatæ, doceret, & ad praxim reduceret facinus quod hac propoſitione, novi illi Doctores iniquitatis protulerant. *Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem, in adulterio deprehenſam.*

Vide { Accusatus Caſu 7.
Debitum Conjugale.
Divortium.
Restitutio Caſ. Constantina. & 3. ſequentibus. }

ADVENA.

Vide { Beneficiarius.
Hæres. }

ADVO-

ADVOCATUS.

ADVOCATORUM conditio adeo fuit quolibet tempore celebris, ut eos frequenter ad Reipublicæ adminiſtrationem eligerent Romani, & in Gallia ad Supremos Magiſtratus ante publicorum munerum nundinationem aſſumerentur.

Advocatus, qui pro debito ſuo religionis adimplet officia, pauperum, uti divitum defenſionem debet ſuſcipere, ut præſcribit Conſtitutio Caroli V. an. 1560.

Advocatis non licet partibus adverſis ſimul conſulere, neque cauſſas agere, quas norunt aut exiſtimant eſſe injuſtas. Probibetur primum edicto Aurelianenſi an. 1556. alterum edicto pariter Aurelianenſi an. 1560.

Eorum patrocinium non debent recuſare, quorum partes adverſæ ſunt potentes; quo ab iis denegato ad judicem ex officio pertinet ei patronum adjudicare, qui nullum cauſſæ ſuæ defenſorem poteſt invenire; quod antiquo juri Romano (a) eſt conforme.

(a) Leg. *Hunc titulum.* 2 §. 4. ff. de poſtulando. l. 3. tit. 2.

Nobilitatis titulo non derogat Advocati conditio; quod etiam erga eos verum eſt, qui ſimul Advocati & Procuratoris munera in quibuſdam provinciarum tribunalibus conjuncta obeunt, ut ſtatuit Senatus Pariſienſis 13. Junii an. 1665. (b).

(b) Diarium Curiarum. l. 7. c. 13.

Advocatus actæ a ſe cauſſæ non poteſt fieri judex, etſi judex inferior in cauſſa appellationis poſſit eſſe Advocatus.

Advocatus poteſt cauſſam dicere in dominum ſuum feudalem, quin ab ejus feudi jure deſciſcat.

Sunt Advocati, qui dicuntur Generales, & ii ſunt in Parlamentis, ad quos alii Advocati cauſſas deferre tenentur, in quibus res Regis aut communitatis aguntur, & de quibus poſſunt concludere, auditis partium Advocatis.

Sunt denique in inferioribus tribunalibus Advocati, dicti Regii, qui proprie loquendo, Generalium Advocatorum in his inferioribus curiis vicem gerunt.

CASUS PRIMUS.

CAMILLUS, Advocatus cauſſæ injuſtæ defenſionem ex ſimplici ignorantia ſuſcepit. Nunquid reus eſt coram Deo?

RESPONS.

Dicendum de hac difficuliare Camillum in tantum coram Deo poſſe excuſari, in quantum excuſatur ejus ignorantia. *Si autem ignoranter cauſſam defendit, putans eſſe juſtam; excuſatur ſecundum modum, quo ignorantia excuſari poteſt*, inquit S. Thomas (c). Quocirca, ſi ignorantia ejus ſit craſſa & affectata, non niſi ad ipſius damnationem conducit; ſi vero ad rem difficilem pertineat, quæ ſolitum Advocatorum captum ſuperet, atque omnem curam adhibuerit ad elucidandam cauſſæ veritatem & juſtitiam; a peccato excuſari debet.

(c) S. Th. 2. 2. q. 71. art. 3. in corp.

CASUS II.

TATAONTANUS, Advocatus, ſuſcepit cauſſæ defenſionem, quam ſtatim juſtam exiſtimabat, ſed quam in proceſſu litigii injuſtam poſtea agnovit: quæritur, utrum ab ea defendenda deſiſtere debeat; an vero, ſi eam tueri perſeveret, clienti ſuo acceptam pecuniam reſtituere, & etiam parti adverſæ quam damnificavit, illatum damnum reparare teneatur.

RESPONS.

Tenetur hic Advocatus ſuſceptam omittere cauſſam, ubi ejus injuſtitiam agnoſcit; & poſito quod eam defendere perſeveret, præter culpam qua ſe obſtringit, tenetur acceptam a cliente ſuo pecuniam reddere, & illatum per malam fidem ſuam parti adverſæ damnum reſtituere.

Primo tenetur clienti ſuo pecuniam reddere, quam accepit pro mercede defenſionis cauſſæ, quam injuſtam noverat; cum injuſtitia pecuniæ pretio, neque aliter poſſit defendi. *Juſtus vero Advocatus*, inquit S. Gregorius (d), *injuſtas cauſſas nullo modo ſuſcipit; nec verba dare pro injuſtitia conſentit.* Id ipſum docet S. Auguſtinus (e) ad Macedonium ſcribens, cui præcipua cauſſidici officia, ejuſque obligationes exponit. Primum de quo vult moneri cauſſidicum, illud eſt, ut acceptam mercedem ad ſtandum contra juſtitiam & veritatem, & ad fallendum Judicem reſtituat. *Si juſtitia ſincerius conſulatur*, inquit, *juſtius dicitur Advocato: redde, quod accepiſti: quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, Judicem feſelliſti, juſtam cauſſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti.* Et cum queſtus eſſet celeberrimos quoſque Advocatos, quique probi habentur, ſolere, exemplo Farinacii, cauſſas non bonas agere, & etiam gloriari eas obtinere; ſubdit poſtea: *Quis tandem Advocatus, aut ex Advocato vir optimus facile reperitur, qui ſuſcepto ſuo dicat: recipe quod mihi, cum tibi male adeſſem, dediſti, & redde adverſario tuo; quod, me agente inique abſtuliſti? Et tamen quem prioris vectæ vitæ rectiſſime pœnitet, etiam hoc facere debet; ut. Si ille qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem; ejus tamen iniquitatis nolit iſte habere mercedem: niſi forte reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculo aufertur; & reſtituendum non eſt, quod in ipſo foro, ubi peccata puniuntur, decepto Judice, & circumventis Legibus obtinetur.* En propria ſancti Auguſtini verba.

(d) S. Greg. Hom. 7. in Ezech. in fine.

(e) S. Aug. Epiſt. 153. alias 54. n. 25.

Eamdem doctrinam docet S. Raymundus (f), dicens, quatuor in Advocato eſſe conſideranda, quorum primum eſt: *Ne ſcilicet aſſumat cauſſam injuſtam vel deſperatam*, ait: *& ſi accepit ab initio ignoranter, & in proceſſu judicii agnoſcit cauſſam talem; debet eam relinquere.* Cui rei conforme eſt Jus Romanum (g), ubi dicitur: *Non autem ſibi cauſſa cognita, quod improba ſit, vel penitus deſperata, & ex mendacibus allegationibũ compoſita, ipſi ſcientes prudenteſque mala conſcientia liti patrocinabuntur. Sed, & ſi certamine procedente, aliquid tale ſibi cognitum fuerit, a cauſſa recedent, ab hujuſmodi communione ſeſe penitus ſeparantes.*

(f) S. Raymund. in Sum. l. 2. tit. 5. §. 39.

(g) Authentica *Hodie* Cod. de Judiciis. l. 3. tit. 1.

Non idem igitur ferendum eſt judicium de Advocato, qui cauſſæ injuſtæ patrocinium ſuſcipit, ac de Medico qui ægrum curare contendit, cujus novit morbum eſſe inſanabilem ac deploratum: nam, ut ait S. Thomas (h), *Medicus, accipiens in cura infirmitatem deſperatam, nulli facit injuriam; Advoca-*

(h) S. Th. 2. 2. q. 71. a. 3. ad 3.

vocatus autem ſuſcipiens cauſſam injuſtam, injuſte lædit eum contra quem injuſto patrocinium præſtat; & ideo non eſt ſimilis ratio.

Secundo tenetur Tribonianus ſub peccato ad reſtitutionem damni quod intulit, ſeu quia falſo Leges aliaſve auctoritates allegavit, ſeu quia falſa ſuppoſuit facta e quibus tale damnum eſt ſecutum; vel quia ſuperfluas a Judice petens obtinuit dilationes, vel noxias alterutri ex partibus, ſeu ut juſtum vitaret judicium, aut ſpe majoris lucri proceſſum differret, vel quia damnum hoc tandem alia quacumque ratione procreavit. *Tenetur autem Advocatus*, inquit etiam idem S. Raymundus (a). *ad reſtitutionem omnium, quæ illi contra quos præſtabat patrocinium, propter ipſius pertinaciam injuſte amiſerunt*. Idem aſſerit S. Thomas (b) iſto ratiocinio: *Illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum, ſive conſulendo, ſive adjuvando, ſive qualitercumque conſentiendo: quia conſilians & adjuvans quodammodo eſt faciens: & Apoſtolus ad Rom. 1. dicit, quod digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt peccatum, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Ex eo autem medio hanc infert concluſionem: *Unde ... omnes tales ad reſtitutionem tenentur*. Quam deinde accommodat Cauſidico, de quo loquimur: *Manifeſtum eſt autem*, ait, *quod Advocatus auxilium & conſilium præſtat ei, cujus cauſſæ patrocinatur. Unde ſi ſcienter injuſtam cauſſam defendit; abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars incurrit*.

(a) S. Raym. loc. cit.

(b) S. Th. cit. art. 3. in corp.

Denique bis omnibus accedit auctoritas S. Antonini, qui accurate S. Thomæ doctrinam ſecutus rem etiam minutius perſequitur. En ipſius verba (c): *Cum faveat ſubdole, cauſſas prodendo, id eſt, decipiendo clientulum, dum ſcilicet occulte adjuvant adverſarium, tenentur ultra peccatum injuſtitiæ & proditionis, ad omne damnum & intereſſe læſo. 2. Quia cauſſas deſperatas foveat contra conſcientiam... & talis etiam tenetur parti adverſariæ quæ juſtitiam habet, de omni damno & intereſſo; & etiam ſuo clientulo, de expenſis, ſi ſuadet ſibi jus habere ut litiget. 3. Cum dilationes ſuperfluas nituntur obtinere, ad hoc tantum, ut fugiant ſententiam, vel magis prolongetur litigium, unde plus lucrentur; vel ſcienter ſine rationabili cauſſa faciunt clientulum appellare: & etiam tenentur de damnis propter hoc*. *Vide* Casum VII.

(c) S. Anton. 2. part. Sum. Theolog. t. 6. c. 2. §. 5.

CASUS III.

(1) Sallustium, Advocatus, convictus ſtatim de juſtitia cauſſæ quam defendendam ſuſcepit; agnovit poſtea, valde eſſe probabile, eamdem eſſe injuſtam, eoque præſertim tempore, cum ad judicium eſſet inſtructa. Quæritur, utrum talem cauſſam debeat deſerere; an vero partem adverſam ſuis poſſit juvare conſiliis, ut damnum reſarciat, quod vel ſcriptionibus ſuis, ad ordinandam litem productis, vel etiam cauſſæ dictionibus, ipſi potuit inferre?

Respons.

Hoc unum Advocato huic dari poteſt conſilium, ut nimirum clientem ſuum inducat ad componendam litem cum parte adverſa modo juſto; quod ſi forte recuſet, ab ea cauſſa defendenda abſtinere debet: cujus tamen ſecretum tuta conſcientia prodere non poteſt, ſuis conſiliis adverſam partem juvando. Caſum hunc ſic ſolvit S. Thomas his verbis (d): *Advocatus, ſi in principio credidit cauſſam juſtam eſſe; & poſtea in proceſſu appareat, eam eſſe injuſtam; non debet eam prodere, ut ſcilicet aliam partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſſæ alteri parti revelet. Poteſt tamen & debet cauſſam deſerere; vel eum cujus cauſſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarii damno*.

(d) S. Th. 2. 2. q. 71. a. 3. ad 2.

CASUS IV.

Scævola, Advocatus, pro Joanne in Jacobum cauſſam dicens de Præſcriptione, nihil non molitus eſt in actione ſua, ut in Jacobum Judicum invidiam concitaret, eoſque erga eum male affectus redderet, exprobrans ipſi vitia, multaque injuria objiciens facta, quæ ad cauſſam non pertinebant. 1. Peccavit ne mortaliter? 2. Tenetur ne ad aliquam reſtitutionem?

Respons.

Caritatis Chriſtianæ regulas ignoraret, qui talem Advocatum eo modo in partem ſuam adverſam agere poſſe defenderet; ut magno caritatis præcepto, non minus Cauſidici, quam reliqui homines, proximi ſuæ famæ parcere teneantur; quando Judici vitia ejus manifeſtare non obligantur; nec talis cognitio ad juſtum de partium litigio judicium ferendum eſt neceſſaria. Merbeſius (e) quatuor Edicta Galliæ Regum ſuppeditat, quibus ea iniqua quorumdam Cauſidicorum damnatur agendi ratio, qui cauſſæ ſuæ præcipua in adverſariorum contumeliis firmamenta reponunt; & quibus ipſis prohibetur, ne quidquam proferant, quo contradicentium ſibi partium honos lædatur; cum ad id cauſſæ agendæ non cogit neceſſitas.

(e) Merbeſius Summ. Chriſt. tom. 1. pag. 605. Concluſ. 5.

Primum Edictum eſt Philippi Valeſii, nomine iſtu ſexti; quo an. 1344. ſic ſtatuit ille Rex (f): *Tenentes Parlamenta pati non debent, quemquam ab Advocatis verbis injurioſis vituperari*.

(f) Edictum an. 1344.

Secundum eſt an. 1435. (g) quo Carolus VII. ſapienter Advocatis vetat: *Ne quiſquam Advocatus adverſam partem contumeliis aut injuriis laceſſat, neque quidquam proferat, quod in alterius opprobrium exeat*. Et contradicentes multa puniri vult ad arbitrium judicum.

(g) Art. 54.

Tertium eſt an. 1507. (h), quo Ludovicus XII. eamdem renovat prohibitionem.

(h) Art. 122.

Quartum eſt an. 1535. in quo Franciſcus I. his quos refert hic Auctor, terminis loquitur (i): *Si quis per verba quæ profert, honorem alterius auferat, hoc proprie & per ſe eſt dicere convicium vel contumeliam: & hoc eſt peccatum mortale non minus quam furtum, vel rapina*.

(i) Cap. 1. a. 4.

Ex iſtis omnibus Regum Edictis liquido conſtat, non nunc primum extitiſſe Advocatos parum Chriſtianos, qui calumnis, maledictis & injuriis partes ſuas adverſas inſectati ſunt; & interpoſita tantum Principis auctoritate hanc potuiſſe cohiberi effrenatam dicendi licentiam, quam noſtris etiam inſtauratam vidimus temporibus magno perhonorificæ Cauſidicorum conditionis opprobrio.

Concludimus inde, 1. Scævolam abſque peccato non potuiſſe Jacobum infamare, aut eum verbis injurioſis ac amaris inceſſere, eo fine, ut Joanni gratus fieret, aut Judices in Jacobum male affectos redderet; niſi ad id eum neceſſario cauſſæ ſuæ patrocinium cogeret. 2. Eum teneri ad debitam legitime Jacobo reparationem, cum id egerit.

CASUS V.

Magnobodus, omni re vel mobili vel immobili carens, quique opera ac labore victum vix quærit, falſo incuſatus crimine, Elvidium Cauſidicum rogat, ut cauſſæ ſuæ patrocinium, cum omni alterius ope ſit deſtitutus, velit per caritatem ſuſcipere: quod ipſi denegat Elvidius, cauſſam ipſius gratuito nolens agere. Qua de re petitur, 1. Utrum Elvidius talis hominis cauſſam, etiam abſque ſpe mercedis, ſuſcipere ſub peccati reatu non teneatur. 2. Utrum judex poſſit, an etiam debeat hunc Advocatum compellere auctoritate ſua, ut Magnobodi defenſionem ſuſcipiat; & ad obedientiam obligetur hic Advocatus in tali caſu?

Respons.

Exiſtimamus. 1. quoad priorem quæſtionem, idem de iſto caſu ferri debere judicium, atque de eo, in quo pauper ad extremam, aut graviſſimam redactus neceſſitatem, eleemoſynam ab eo poſtulat, qui eam ſine gravamine poteſt erogare; atque, ut is præcepto caritatis ad ſubveniendum inopi, nihil aliunde ſperanti, opem ferre tenetur; ſic Elvidium in conſcientia obligari ad defendendam Magnobodi cauſſam, gratuito & Chriſtiana caritate inductum, cum aliter impoſitæ ſibi calumniæ ſuccumberet, atque falſo ſibi adſcripti criminis pœnas lege conſtituta ſubiret. *Advocati & Procuratoris iniquitates ſunt octo*, inquit Cajetanus: (K) .... *Octava eſt nolle aut negligere advocare in cauſſa juſta pauperis, cum ipſe Advocatus poſſit; nec appareat alius, qui advocet, & ſine ejus adjutorio pauper opprimi creditur; in ejuſmodi enim caſu tenetur ipſe* adro-

(k) Cajetan. in ſumm. v. Advocatus.

(1) Vid. *Manda Pontaſ.* Obſerv. IV. num. V. & Animadv. VII. *Contin.*

advocare, ſeu procurare, ſicut Medicus, medicare: ſi in ſimili periculo eſſet pauperis ſanitas. Conſentit hic doctus Cardinalis cum doctrina S. Thomæ *(a)*: qui in eo caſu de onere Advocati idem fert judicium, ac de caſu illius, a quo pauper in extrema neceſſitate conſtitutus eleemoſynam rogat, & ab eodem abſque notabili incommodo ipſius poteſt accipere; atque aſſerit, quod, quamvis ad eam pro omnibus non teneatur indifferenter, in eo tamen caſu tenetur: ſic licet Advocatus pauperum omnium ad ſe confugientium cauſſas agere gratuito non tenetur, quia tum propriis rebus renuntiare teneretur; tamen abſque peccato non poſſet abſtinere a defenſione pauperis in eo caſu, in quo conſtitutus eſſe ſupponitur Magnobodus. *Cum præſtare patrocinium cauſſæ pauperum ad opus miſericordiæ pertineat*; inquit Doctor Angelicus, *idem eſt heic dicendum, quod & ſupra de aliis operibus miſericordiæ dictum eſt* ..... * *Conſiderandam reſtat, utrum aliquis tantam neceſſitatem patiatur, quod non in promtu appareat, quomodo ei poſſit aliter ſubveniri; & in tali caſu tenetur, ei opus miſericordiæ impendere: ſi autem in promtu appareat, quomodo aliter ei ſubveniri poſſit, non tenetur ex neceſſitate indigenti ſubvenire, ita quod non faciendo peccet .... Unde Advocatus non tenetur ſemper cauſſæ pauperum patrocinium præſtare, ſed ſolum, concurrentibus conditionibus prædictis; alioquin oporteret, eum omnia alia negotia prætermittere, & ſolis cauſſis pauperum intendere.* Hæc ille. Ex hoc D. Thomæ principio ſic concludit Merbeſius *(b)*: *Advocati peccant, ſi pauperibus ad extremam vel etiam gravem neceſſitatem adactis & omni ope deſtitutis, quorum miſeriam cognitam habent, ſuccurrere & patrocinari abnuant.*

(a) S. Th. 2. 2. q. 71. art. 1.

* 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3.

(b) Merbeſ. tom. 2. Sum. Chriſt. q. 104. concl. 1.

Idem docet Angelus de Clavaſio *(c)*: *Si eſt impotens* (ad ſolvendum) inquit, *tenetur gratis advocare: lege divina hoc præcipiente, (d) .... & credo, quod peccat mortaliter, quando ſcit, talem impotentem incurrere notabile damnum: ſecus ſi leve damnum; tunc eſſet veniale.* Eodem modo loquitur Silveſter *(e)*.

(c) Angelus. v. Advocati. q. 10.

(d) Matth. 22.

(e) Silveſter v. eod. q. 10.

2. Quod ſi Elvidius pertinaciter & abſque ulla juſta ratione hoc ei caritatis officium præſtare recuſet, ad id a judice cogendus eſt. Ita ſentit Guido Papæ *(f)* qui, ut teſtis oculatus, hunc uſum in Parlamento Gratianopolitano, cujus erat Conſiliarius, obſervari affirmat. *Idem etiam vidi obſervari in paupere ſeu miſerabili, qui non habet unde litigare.* Hæc ſunt verba hujuſce Juriſperiti: qui addit, quod ſi rationabili de cauſſa in pauperis favorem litigare non poſſet Advocatus; Judicum eſſet providere, & etiam gratuito pauperi ad victum neceſſaria ſuppeditare; *alias hoc fieri facere deberent Domini de Parlamento, vel quilibet alius judex inferior de ſuo proprio.* Sententia hujus Juriſconſulti convenit 1. cum antiquo Jure Romano *(g)*, uti Lege videre eſt, qua ſtatuitur, ut a Judice detur Advocatus *debilibus*; hoc eſt, iis quibus non ſuppetit facultas cauſſæ ſuæ defendendæ: unde acute ſic concludit Guido Papæ: *Non poteſt intelligi ſumtibus debilis, ſeu miſerabilis perſonæ: quia nihil vel parum habet: ergo debet intelligi gratis, vel ſumtibus Domini Judicis, in cujus Curia litigatur, ad hoc, ne inſtantia depereat.* 2. Convenit etiam cum Conſtitutione Juſtiniani *(h)* in quadam ex Authenticis ejus ad Quæſtorem Tribonianum, cui jubet hanc in pauperes exercere caritatem: *alioquin etiam gratis lites audire.* 3. Denique addit hic Juriſconſultus: *Et niſi Advocatus facto ſibi præcepto per Curiam, præſtet patrocinium, debet repelli ab advocatione dictæ Curiæ, niſi ſe excuſet cauſſa rationabili*: quod probat hic Auctor allatis Juris Romani multis teſtimoniis, nec non multorum Canoniſtarum ac Juriſconſultorum. Idem obſervat etiam Papo *(i)*, & P. Matthæus *(k)* in Guidonem modo laudatum: *Quoties deficit Advocatus*, inquit, *publico ſtipendio pauperi ſuffragaturus, cogendus a Judice erit aliquis Advocatus, gratis pauperi patrocinari.* Ita ſentiunt quoque Oſtienſis, Abbas, Felinus *(l)*, Baldus *(m)*, Jaſon *(n)* multique alii ſeu Canoniſtæ ſeu Juriſperiti.

(f) Guido Papæ decif. 561. n. 2.

(g) Ulpianus in Leg. *Nec Quidquam*. 9. §. 5. ff. de officio Proconſulis & Legati. n. 1. tit. 16.

(h) Novell. ex Libr. 17. de mandatis Principum Auth. Collat. 3. tit. 4. c. 3.

(i) Papon L. 6. tit. 4. n. 4. apud Brillon. v. *Advocat.* n 141.

(K) P. Matth in Guidonem Papæ.

(l) Felinus. in c. 1. de offic. Judicis ordin. L. 1. tit. 32.

(m) Baldus in L. *Si furioſi*. Cod. de nu pt.

(n) Jaſon. in §. *Omnes*. n. triplici. Cal. penult.

Optandum ſane foret, ut Princeps vel Reſpublica Advocatum Pauperum vellet conſtituere, juſtamque ei mercedem adſcribere; ut unum eſſe teſtatur Boerius *(o)* *in Parlamento Provinciæ: Rex habet*, inquit, *unum Advocatum ſtipendiatum pro pauperibus.*

(o) Boerius. decif. 323.

Talis inſtitutus eſt Regiis Conſtitutionibus Victorii Amedei Sardiniæ Regis, pauperum Advocatus, perinde ac Procurator, quorum uterque ab ipſo Rege ſtipendiatus; gratis pauperibus patrocinium impendere tenetur.

CASUS VI.

Lentulus, litem habens diuturnæ atque intricatæ diſquiſitionis cum homine præpotente, Tullio Advocato ſuo centum dupliones pro mercede promiſit, ſi litem auferret; & quinquaginta ſolummodo, ſi cauſſa caderet: verum poſt ſemeſtre ſpatium cum adverſario ſuo, de omnibus ſuis prætenſionibus reciprocis tranſegit. Tullius propugnat, teneri Lentulum ad ſolutionem 100. duplionum; non ſolum quia in lite iſta multum jam inſudavit; verum etiam, quia per ſe non ſtetit, quominus promiſſum ea res felicem haberet exitum. Quæritur, utrum Lentulus de ea ſumma erga Tullium teneatur?

Respons.

Diſtinctione opus eſt: nam, ſi Lentulus cum adverſario ſuo tranſegit in fraudem Advocati, ne promiſſa ei facta perficeret; ad totius ſummæ promiſſæ ſolutionem tenetur; quia ipſum fraus juvare non debet, juxta illud Juris effatum: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debet (p)*; & hoc aliud Innocentii III. *(q) Non deceptoribus, ſed deceptis jura ſubveniunt.* Et quia contra fraudis pœnam meretur ex Lege, quæ dicit *(r)*: *Æque in omnibus fraus punitur.* Verum, ſi bona fide rem compoſuit propria tantum motus utilitate & quiete, ſufficit, ut Tullio pro ratione & modo laboris ab eo hactenus confecti mercedem tribuat. Ita ſentit S. Antoninus *(ſ)*, qui ſibi quæſtionem iſtam proponit his terminis: *Quid ſi clientulus promittat dare Advocato centum, ſi vincit cauſſam; & ſi perdidit, quinquaginta... Sed quid, ſi clientulus tranſegerit, ſeu alias ſe compoſuerit cum adverſario numquid Advocatus habebit integre illa centum ſibi promiſſa?* Cui quæſtioni, allatis variis auctorum opinionibus reſpondet: *Ad concordandas ergo iſtas opiniones, diſtingue. Aut clientulus tranſegit in fraudem Advocati, & tunc totum ſalarium habebit; quia per eum non ſtetit: aut hoc egit, ſcilicet tranſigendo bona fide; puta, quia lis dubia erat; & tunc pro rata ſervitii habebit, conſiderata ejus facundia; niſi aliud fuerit factum, ſeu pactum inter eos.*

(p) Innoc. III. in Cap. *Officii*. 14. de teſtam. & ultimis voluntat. L. 3. tit. 26.

Et in cap. *Cum dilectus*. 8. de religioſis domibus. L. 3. tit. 36.

(q) Innoc III. in C. *Inter*. 8. de Donationib. lib. 3. tit 24.

(r) Leg. *In fraudem*. 45. ff. de jure fiſci. l. 49. tit. 14.

(ſ) S. Antonin. 3. Part. Summ. Theol. t. 6. c. 2 §. 4.

CASUS VII.

Pomponius ſuſcepta Theobaldi in Olivierum defenſione, cauſſam ejus, licet æquiſſimam amiſit, propter malitiam, ignorantiam vel imprudentiam. Quæritur, utrum teneatur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem totius damni, quod paſſus eſt Theobaldus.

Respons.

S. Raymundus *(t)* nullum admittit diſcrimen inter Judicem, qui propter malitiam vel imprudentiam male judicavit, & Advocatum, qui propter infidelitatem, vel ignorantiam, aut imprudentiam, ſuſceptam a ſe cauſſam male defendit. Nam, etſi infidelitas ſit crimen ignorantia atrocius, certum eſt tamen eum ob infidelitatem vel ignorantiam non poſſe excuſari; cum cauſſæ patrocinium ſuſcipere non debeat, niſi ſit ad id idoneus, ac debitam huic rei curam afferat. *Tenetur autem Advocatus ad reſtitutionem omnium*, inquit ille Sanctus.... *illis, quibus præſtitit patrocinium: ſi propter ſuam infidelitatem, vel negligentiam, vel imprudentiam amiſerunt cauſſam.*

(t) S. Raym. in Sum. l. 2. tit. 5. §. 39.

Deciſionem iſtam confirmat Decretalis Gregorii IX. *(u)*, in qua ſic loquitur hic ſummus Pontifex: *Si culpa tua datum eſt damnum vel injuria irrogata... aut hæc imperitia tua ſive negligentia evenerunt: jure ſuper his ſatisfacere oportet: nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.*

(u) Greg. IX. in Cap. *Si culpa*. fin. de injuriis & damno dato. l. 5. tit. 36.

Sententiæ noſtræ conſentit S. Bernardinus, ut patet ex his ejus verbis *(x)*: *Si quis ex officio ſuo tenetur a damno alterum defenſare, vel præſervare: non tantum, ſi ex malitia, verum etiam ſi ex notabili negligentia, vel incuria aut imperitia, offi-*

(x) S. Bernar. Serm. 34. in Dom. 4. Quadrageſimæ. c. 4. tom. 1.

cio

cio ſuo notabiliter indebite contingit illum damnificari; cui ſic tenetur, totum illud damnum reſtituere obligatur: verbi gratia.... Notarii, qui neſciant condere inſtrumentum, unde multi perdunt jura ſua.... Procuratores & Advocati, qui in eiſdem cauſſis admittunt cauſſas juſtas; atque conſilia dantes his etiam poſſunt annumerari...., tales, inquam, ſi ex eorum imperitia, vel negligentia quidam damnificantur, ſatisfacere debent. Prima, qua nititur ratio eſt, *quia talia præcavere debent.* Altera: *quia unuſquiſque tenetur ſufficienter ſcire & exſequi diligenter artem, quam profitetur; maxime quando vergit in periculum error ſuus.* Tertia: *quia eorum imperitia & negligentia habent quamdam efficacem cauſſalitatem damnificationis illorum.* Hoc eſt, ut omnia verbo complectamur, Advocati aliique ſimiles ſub conſcientia tenentur noſſe ſufficienter officia ſua, ea fideliter & accurate exſequi, nullumque proximo ſuo damnum inferre; alioquin ignorantia eorum vel incuria illatæ injuriæ ſufficiens eſt cauſſa, ut ad eam reparandam obligentur. Unde colligendum eſt, Pomponium Theobaldo teneri de omni damno quod ipſi attulit, propter ſuam infidelitatem, vel ignorantiam, aut negligentiam.

Obſervandum cum ſancto Bernardino, quod heic de Advocato a nobis dicitur, debere quoque intelligi de Procuratoribus, Scribis, Notariis, Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, aliiſque omnibus quarumcumque artium Magiſtris; qui omnes tenentur ſub peccato ad reſtitutionem damni quod attulerunt, non ſolum culpa notabili, ſed ea etiam quæ levis jure dicitur: quia certum eſt, illos tantum uti eorum opera, quibus eſt perſuaſum de eorum peritia, fidelitate ac diligentia in exſequendis officiis ſuis; quique aliter ab iis caute diffiderent (a).

(a) Theolog. Mor. Franc. de Genet tom. 6. Tract. 8. c. 5. n. 4. Colloquia Condom. tom. 1. Colloq. 14. ſect. 2.

Vide Caſus 2. ſupra.

CASUS VIII.

Bartolus, qui a duodecim annis honorifice advocationem exercet; cum ſolemni quæ in feſto Corporis Domini fieri ſolet, proceſſioni adeſſet, hoc ſibi jus eſſe contendit, ut in ea antiquos omnes antecederet Æditmos, quos vulgus Matricularios vocat, qui triginta numero, & amplius aderant omnes Notarii, Procuratores & Mercatores; verum iſti omnes Bartoli ſuſcepto obſtiterunt, qui vitandi cauſſa ſcandali modeſte receſſit, eoſque poſtridie in jus vocavit, ut Judicis auctoritate eorum controverſia dirimeretur. Quæritur, utrum tuta conſcientia, nec in Chriſtianam delinquens humilitatem ita ſe gerere potuerit.

Responsio.

Certum eſt illud principium, quemlibet poſſe, illæſa humilitate, eum poſtulare honoris gradum, pro ratione characteris ſui, aut ſuæ dignitatis ſibi debitum; *cui honorem, honorem*, inquit Apoſtolus (b):

(b) Rom. 13. 7.

In eo igitur unice poſita eſt quæſtio, ut dignoſcatur, utrum præcedentia in antiquos Matricularios, Notarios, Procuratores, Mercatores, alioſve ſimiles, tali Advocato ſit debita. Id autem conſtitutum eſt ex ſolemni Pariſienſis Senatus Arreſto, quod poſtulante celebri nec non docto D. Talon Advocato generali 15. Junii an. 1688. latum eſt, quo expreſſis verbis ſtatuitur, ut nulla habita ratione ſupplicis Libelli antiquorum Matriculariorum ſeu Æedituorum, Advocati de præſenti cauſſas agentes, in proceſſionibus ac publicis cærimoniis antiquos Æedituos qui rationem reddunt, ſint antéceſſuri. Hoc Arreſtum latum eſt in Æedituos Parœciæ S. Severini Pariſienſis, ac in Diario fori (c) refertur. Quo Arreſto nihil ſapientius conſtitutum eſt: *Laudabile* namque *vitæque hominum eſt neceſſarium advocationis officium*, inquit Imperator Anaſtaſius in una Lege Codicis (d). *Advocati... dirimunt ambigua facta cauſſarum, ſuæque defenſionis viribus in rebus ſæpe publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant: non minus provident humano generi, quam ſi prœliis atque vulneribus patriam parenteſque ſalvarent... laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt.* Magnificis hiſce verbis alii duo Imperatores, Leo & Anthemius (e) Advocatos prædicant, qui olim etiam in Gallia tanti fiebant, ut antiquiores ad ſuffragiorum honorem una cum Conſiliariis admittere non dubitaret Senatus Pariſienſis, uti conſtat ex terminis Arreſti Curiæ, menſe Junio an. 1319. lati, quod poſt Corbinum refert D. Brillon (f): *vocatis ad hoc Advocatis Parlamenti antiquioribus & provectioribus.*

(c) Diarium fori. tom. 4. p. 737.

(d) Leg. Laudabile. 23. Cod. de Advocatis diverſorum judiciorum. tit. 7.

(e) L. Advocati. 14. Cod. eod. tit.

(f) D. Brillon. Dict. Arreſto. v. Advocat. n. 134.

Quæ cum ita ſint; num æquum foret viris, qui nobilem adeo excolunt artem, debitum recuſare honoris gradum, eoſque minus honorifice, quam nudos cives habere? Quin exſtant etiam plurima Arreſta, quæ etiam inter Religioſos Ordines qui proceſſionibus aderant, præcedentiæ gradum conſtituunt.

Exiſtimamus igitur, quod, cum præcedentiæ gradum in Æedituos Matricularios, ſolo ſibi juris debiti motivo ductus vindicet Bartolus, nec niſi ex prudentia abierit, & ad evitandum ſcandalum mox futurum, ſi diutius inſtitiſſet; non cenſeri debet reus alicujus peccati. His etiam addi poteſt, conceſſum a Curia præcedentiæ in Æedituos privilegium non eſſe honorem ipſi nominatim proprium, ſed omni Advocatorum ordini communem: quocirca abſque eorum præjudicio, jure ipſis communi cedere non poterat; uti perſona Eccleſiaſtica privilegium omnibus Clericis conceſſum non poteſt deſerere.

Vide { Clericus, Caſus *Hermanus*. / Irregularitas, Caſus *Lucius*. / Restitutio, Caſus *Amabilis*. }

ÆQUIVOCATIO.

Vide { Jurare. / Mendacium. / Perjurium. }

AFFINITAS, *ſeu* COGNATIO.

Vide Impedimentum Affinitatis.

ALBINATUS.

ALBINUS dicitur, *quaſi alibi natus*; hoc eſt, natus in regione peregrina, quæ videlicet extra Galliæ regnum poſita eſt, nec Regio ſubjacet dominio. Albinus proprie is eſt, qui dicitur Ἀλλόφυλος, *Peregrinus*; *alienigena*; *externus*; *diverſæ nationis*.

Quam-

Albinatus, prout in Gallia intelligitur, eſt jus Regis ſuccedendi Peregrino, in univerſa bona, quæ tempore mortis in regno Galliæ habebat (*a*). Peregrinus vero is dicitur, qui nec natione Gallus eſt, nec jus Gallicæ civitatis acquiſivit, hoc eſt, qui Regia diplomata non obtinuit relata in tabulas curiæ Regiarum rationum, quibus advenæ idem jus ac Gallo indigenæ confertur.

(*a*) Bouchel. Bibliot. Juris Galliel. v. *Albinatus*.

Jus illud non eſt Galliæ proprium: antiquitus enim vigebat apud Græcos & Romanos, ut videre eſt in multis Legibus Digeſtorum & Codicis; & etiamnum viget in aliis plurimis Imperiis ſeu Orientis ſeu Occidentis. An. 1577. Bacquetus eruditum, ac lectione dignum, de Albinatu tractatum emiſit.

Quamvis Albini, qui Gallicæ civitatis jure donati ſunt, contractus inter vivos agere, bona mobilia & immobilia acquirere & vendere, donationes inter vivos facere & acceptare, mutuas etiam, tum quoad proprietatem, tum quoad uſumfructum, atque contractus matrimoniales poſſint ſcribere, ut ceteri Regis ſubditi; qui tamen jure Gallicæ civitatis non potiuntur, ſunt 1. inhabiles ad poſſidenda munera, officia & Beneficia. 2. Juridicam non poſſunt inſtituere petitionem, niſi ſpondeant pro judicato, hoc eſt, pro ſummis quibus poſſent damnari, ſeu quoad ſortem, ſeu quoad ſumtus. 3. Teſtamento nec legare nec legari poſſunt. 4. Ad bonorum ceſſionem non admittuntur. 5. Ipſis non ſuccedunt parentes, exceptis filiis regnicolis, hoc eſt, qui Galliam habitant, & pro quibus antiqua mitigata eſt ſeveritas legis, quæ filios illos, etiam in regno natos, a parentum ſuorum hereditate excludebat.

Albinatui non ſubjacent in Gallia exterorum Principum legati, uti nec mercator peregrinus, qui in regno non habet domicilium ſtabile, ſed tranſitorium tantum; vel etiam mercatores, qui Lugduni nundinas frequentant, quoad merces ſuas tantum & bona mobilia.

Abalienari non poteſt jus ſuccedendi bonis Albinorum, Regioque dominio eſt annexum; quocirca ad ſolum Regem pertinet, excluſis aliis omnibus altæ etiam juriſdictionis dominis. Hinc de Albino dicitur, *vivit, ut liber; moritur ut ſervus*; & ſi Gallica civitate potitur, *vivit ut ingenuus; moritur quaſi libertinus* (*b*).

(*b*) L. *Etiamſi* ff. de jure aureorum annulorum.

Advena corpore cogi & cuſtodiam mandari poteſt, permittente tandummodo civilis & ordinariæ cognitionis judice; cum de habitatione ac cibariis agitur.

Sunt quædam in Gallia Provinciæ, quæ Regis privilegio Albinatus juri non ſunt ſubditæ, ut Occitania & Vice Comitatus Turonenſis, ut obſervat Bouchel (*c*).

(*c*) Bouchel. Bibl. juris Gallici. v. *Albinatus*.

Alia eſt etiam Albinatus ſpecies, quæ ad illegitimos pertinet, quorum hereditas ad Regem devolvitur, vel ad dominos altæ juriſdictionis, in quorum finibus illegitimus natus habitabat, & ubi mortuus eſt.

Vide DEPOSITUM. Caſu ultimo.

ALTARE.

ALTARE dicitur, menſa, ſupra quam offertur ſacroſanctum corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium.

1. Debet eſſe lapideum, etſi ab initio naſcentis Eccleſiæ ligneum fuerit (*d*).

2. Solus Epiſcopus (*e*) illud benedicere & Chriſmate conſecrare debet; in eo que condi neceſſe eſt ſanctorum Reliquias, quarum locus dicitur ſepulcrum.

3. Altare, inquit Angelus de Clavaſio (*f*), *duplex eſt; aliud ſtabile.... aliud autem dicitur viaticum, ſcilicet in via portandum, vel portabile*.

4. Conſecrationem ſuam amittit Altare (*g*), cum deſtruitur, aut notabiliter frangitur, Reliquiarumve ſepulcrum frangitur.

(*d*) Can. *Altaria*. de conſecr. diſt. 1. S. Thom. 3. part. q. 3. ad 3. & in 4. diſt. 13. q. 1. a. 2. p. 5. ad 2.

(*e*) Can. *Nullus* & Can. *Concedimus*. Can. *Unicuique*. Can. *Placuit*. & Can. *Clericos* de conſecrat. diſt. 1. c. in Ligonis de conſ. Eccl. vel Altaris.

(*f*) Angelus v. *Altare*.

(*g*) Innoc. III. in Cap. *Ad hæc*. de conſ. Eccl.

CASUS PRIMUS.

LAPIDE Altaris capellæ ſancti Gordiani abſque Reliquiis conſecrato, num poteſt uti abſque peccato Capellanus ad Miſſam celebrandam?

RESPONS.

Theologi & Canoniſtæ non conſentiunt de quæſtione, qua petitur, utrum conſecrari poſſit Altare, non appoſitis Reliquiis. Alii contendunt, Reliquias eſſe abſolute neceſſarias ad conſecrationem altaris ſeu ſtabilis ſeu viatici; inter quos Silveſter aliique permulti Auctores eam opinionem tuentur antiqua nixi Eccleſiæ praxi, quæ ſine Reliquiis altaria conſecrare non ſolebant, uti facile probari poteſt: 1. Ex S. Ambroſio (*h*), qui Mediolanenſi populo, roganti, ut ea, qua ante Apoſtolorum Baſilicam conſecrarat, ſolemnitate, novam extructam Mediolani Eccleſiam conſecraret, *Faciam*, reſpondet, *ſi Martyrum Reliquias invenero*. 2. Ex S. Hieronymo in Vigilantium ſcribente. 3. Ex S. Paullino (*i*), qui ad amicum ſuum Severum ſcribens dicit: *Sancta ſub æternis Altaribus oſſa quieſcunt*. Et ad ipſum veræ crucis fruſtulum mittit, quod ſuadet, ut ſub Altari una cum ſanctorum Martyrum Reliquiis condat. 4. Ex Concilio Africano anno 424. (*k*)

cusuj

(*h*) S. Ambr. Epiſt. 29. [illegible] edit.

(*i*) S. Paullin. Epiſt. 12. n. [illegible] in Bibliot. PP. tom. 5. pag. [illegible] edit. Antuerp.

(*k*) Conc. Afric. in Can. *Placuit*. 26. de conſecr. diſt. 1.

Digitized by Google

cujus eſt iſtud Decretum. *Placuit, ut Altaria .... in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum condita probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur. Si autem propter tumultus populares non finitur; plebes tamen admoneantur ne illa loca frequentent; ut qui recte ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione devicti teneantur.* 5. Ex ſecundo Concilio Nicæno, in quo ſic habetur (a): *Si a præſenti tempore inventus fuerit Epiſcopus abſque Lipſanis conſecrare Templum, deponatur; ut ille, qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreditur.* 6. Ex S. Gregorio Turonenſi (b), qui refert, in parvo Oratorio a ſe erectum fuiſſe altare, in quo Reliquias magna ſolemnitate repoſuit: *Altare, quod erexeramus, ſanctificavimus &c.* 7. Ex Sacramentario S. Gregorii Magni, quod promulgavit Menardus Benedictinus (c),

(a) Conc. Nicæn. Act. VII. 2. Can. 7.

(b) S. Greg. Turon. l. de Gloria Confeſſ. c. 20.

(c) Sacram. S. Greg. p. 157. & ſeq.

Hæc omnia teſtimonia de ſolis fixis Altaribus intelliguntur: cum vero in uſu fuere Aræ portatiles, quod evenit octavo ſæculo, ut teſtatur Venerabilis Beda, in ſua Angliæ Hiſtoria (d), conſecratæ etiam fuere in quatuor angulis & medio reliquias apponendo, ut refert Vando, Abbas S. Vvandregeſili, loquens de S. Valſranno, Senonenſi Archiepiſcopo (e): *Altare conſecrandum in quatuor angulorum locis, & in medio Reliquias continens Sanctorum, in modum Clypei, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat.* Quibus omnibus tandem addi poteſt auctoritas S. Thomæ (f), qui dicit, *conſecratur Altare cum Reliquiis Sanctorum.*

(d) Beda l. 5. c. Hiſtor.

(e) Apud Surium. 20. Martii.

(f) S. Th. 3. part. 4. 83. a. 3. in corp.

Suam quoque ſententiam confirmant illi Auctores ex ipſis precibus, quas profert Sacerdos aſcendens ad Altare, dum dicit: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hic ſunt &c.* & in Offertorio: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus .... in honorem beatæ Mariæ .... & iſtorum & omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem &c.*

Alii (g) contra volunt, Reliquias ad Altaris conſecrationem non eſſe neceſſarias. Ita ſentit Sotus, & loquens de Canone *Placuit* ait, hunc Canonem jam obſoleviſſe. *Canon vero ille jam non eſt obſervatu neceſſarius, niſi ubi ejuſmodi Reliquiæ haberi poſſunt; neque in ara neceſſe eſt, ut recondantur.* Cujus rei hanc affert rationem: *Quando enim populus Chriſtianus non erat tam amplus, non ita paſſim fabricabantur Eccleſiæ; ſed ubi erant Reliquiæ, ut eadem Diſtinctione (h), Canone* Arianorum *legitur.* Eamdem ſententiam tuetur Cardinalis a Turre Cremata (i): *Credo*, inquit, *quod Reliquiæ non ſint de ſubſtantia conſecrationis Eccleſiæ vel Altaris: & ideo non minus conſecrabitur Eccleſia, vel altare ſi illæ non habeantur.* Equidem Agathenſe Concilium ann. 506. in Decreto Gratiani relatum (k) ad conſecrationem Altaris neceſſarias eſſe Reliquias non ſignificat; ſed *Altaria*, inquit, *placuit non ſolum unctione Chriſmatis, ſed etiam Sacerdotali benedictione ſacrari.* Huc accedunt antiqua Miſſalia, quibus hæc fertur Rubrica: *Si Reliquiæ non fuerint in altari, omittatur illa particula orationis, quæ dicitur poſt confeſſionem, ſcilicet: Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic ſunt.* Hanc Rubricam referunt Azorius & Silveſter (l).

(g) Can. Nullus. 11. de conſecrat. diſt. 1.
Aſtenſis. 3. 30.
Nugnus in 3. partem. S. Th. q. 8. a. 3 dub. 3.
Sotus in 4. diſt. 13. a. 6.
Et Suarez in S. Thomam q. 83.

(h) De Conſecr. diſt. 1.

(i) Jo a Turre cremata. tom. 4 in Can. *Placuit.* cit.

(k) Concil. Agathen. in Can. *Altaria.* 32. diſt. 1.

(l) Joan. Azorius l. 1. Inſtit. Moral. c. 27. §. 8.
Silveſter. v. *Altaria.* q. 2.

Alii denique, ut Durandus, Joannes Andreas & Gloſſa in Canonem *Placuit* (m), contendunt, quod licet ad portatilis Aræ conſecrationem neceſſariæ non ſint Reliquiæ; in ſtabili tamen, ubi conſecratur Eccleſia, debent reponi; & quod Reliquiarum defectu, ipſum Chriſti Corpus recondi debet: verum ultimam hanc praxim improbavit Innocentius IV. ab Hoſtienſi conſultus, qui hanc opinionem refellit (n): uti Panormitanus cum omnibus aliis Canoniſtis.

(m) Guillelmus Durandus Epiſc. Mimatenſis l. 1. Rationalis divinorum Officiorum. c. 7.
Joannes Andreas in Cap. *Ad hæc* de 1. Conſecratione Eccleſiæ vel Altaris.
Abbas & Gloſſa in Can. *Placuit.* cit. v. *Reliquiæ.*

(n) Hoſtienſis in Summa tit. de Conſecrat. Eccleſ.

Primæ igitur, aut alteri ſtandum opinioni; cum utraque ſatis firmis nitatur rationibus, ut tamquam probabiles habeantur, & ad praxim abſque peccato poſſint reduci. Unde colligimus, S. Gordiani Capellanum in caſu propoſito poſſe celebrare in Altari ſuæ Capellæ, licet abſque Reliquiis conſecrato, cum eſſentia conſecrationis in ſola Chriſmatis unctione & Epiſcopi benedictione conſiſtat ex Decreto Concilii Agathenſis ſupra relato; etſi ſolita ſit hæc Eccleſiæ praxis, ut, ubi ſuppetunt Reliquiæ, in eo recondantur. Doctus ultimi Sæculi Theologus, qui præcipuam probationum quas attulimus, partem nobis ſuppeditavit, hanc amplectitur ſententiam (o). Addendum etiam exiſtimamus, tutius eſſe, ſequi opinionem Bonacinæ, qui ſentit in tali dubio recurrendum eſſe, cum fieri poteſt, ad auctoritatem ac deciſionem ſummi Pontificis.

(o) De Ste. Beuve tom. 2. Caſ. 79.

CASUS II.

Medericus, recens S. Boni Curatus, cum in Parœciam ſuam vigilia natalis Domini veniſſet, ut Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem adiret; curialeſque obiret functiones, cumque Altaris lapidem a paucis diebus emtum, & ab Epiſcopo nondum ob eam cauſſam conſecratum, ſolummodo inveniſſet; eo ſe poſſe uti exiſtimavit ob urgentem neceſſitatem; ut poſtridie, diebuſque feſtis ſequentibus, Miſſæ intereſſe poſſent ſui Parochiani. Quæritur, utrum abſque gravi peccato ſic ſe gerere potuerit?

Respons.

Quemadmodum in loco, qui ab Epiſcopo non fuit conſecratus, aut benedictus, celebrare, ſtricte eſt vetitum, ut ſtatuunt multi canones (p); ſic ſacroſanctum Altaris Sacrificium, in Ara ab Epiſcopo non conſecrata offerre, pariter vetatur, ut probat S. Thoma (q); qui cum aſſeruit, divina myſteria in loco non conſecrato poſſe celebrari, de conſenſu tamen & permiſſione Epiſcopi, addit poſtea; *Non tamen ſine Altari portatili conſecrato; unde in eadem Diſtinctione (r) legitur:* concedimus, ſi Eccleſiæ fuerint incenſæ, vel combuſtæ, in Capellis cum tabula conſecrata Miſſas interim celebrari; *quia enim ſanctitas Chriſti fons eſt totius Eccleſiaſticæ ſanctitatis, ideo in neceſſitate ſufficit ad peragendum hoc Sacramentum Altare ſanctificatum.* Et iterum alibi (ſ): *Ideo etiam debet in Altari & in domo conſecrata celebrari hoc Sacramentum. Si autem neceſſitas adſit, ut propter deſtructionem Eccleſiarum in aliqua terra, vel itinere conſtitutis, licet etiam in locis non conſecratis celebrare; dummodo habeant Altare portatile conſecratum.*

(p) Can. Sicut. 33.
Can. Miſſarum. 32.
Can. Hic ergo. 14.
Et Can. Nullus. 15. de conſecrat. diſt. 1.

(q) S. Thom. 3. part. q. 83. art. 3. ad 2.

(r) De conſecrat. diſt. 1.

(ſ) S. Th. in 4. diſt. 13. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 3. in corp.

Diximus: *in ara ab Epiſcopo non conſecrata;* quia, ut ait idem Doctor Angelicus (t), *Tales conſecrationes Epiſcopo reſervantur, tamquam principi totius Eccleſiaſtici Ordinis.*

(t) Idem. 3. part q. 82. art. 1. ad 4.

Ex dictis igitur colligendum, Medericum de quo in ſpecie propoſita fit mentio, non potuiſſe abſque gravi peccato celebrare in Altari non conſecrato; atque ita fuiſſe convenientius, ut ſequentibus feſtis Miſſæ Sacrificio non adeſſent ipſius Parochiani, cum in eo caſu pro ipſis non urgeret Eccleſiæ præceptum; nec eos ad audiendum Sacrum, ſaltem in hoc templo obligaret.

CASUS III.

Cum Leporius Villam emiſſet, ubi eſt Capella domeſtica, in qua jam pridem Sacrificium Miſſæ non fuit celebratum, & quam ad ſacra facienda diſpoſuiſſet; Parochus loci illius Altaris lapidem inſpexit, in angulo hujus Capellæ repertum, in quo, cum nec crucem inſculptam, nec Reliquias, aliudve exterius conſecrationis ſignum obſervare potuiſſet, eo uti non eſt auſus. Qua de re quæritur, utrum eo uti abſque peccato potuiſſet, & utrum deinceps in eo altari abſque ſcrupulo celebrare poſſit?

Respons.

Probabile eſt, Parochum illum ob bonam ſui fidem abſque peccato in hoc Altari celebrare potuiſſe, atque adeo deinceps poſſe. Ratio eſt, quia juxta ſententiam multorum gravium Auctorum, quos in reſponſione ad primam difficultatem laudavimus, Reliquiæ ad Altaris conſecrationem non ſunt abſolute neceſſariæ; atque ideo, cum earum in lapide non appareat veſtigium; hinc illud non fuiſſe conſecratum conjicere non debet Parochus: quandoquidem ad conſecrationem ſufficiat ſola Epiſcopi benedictio juxta formam ab Eccleſia præſcriptam facta cum unctione Chriſmatis, uti jam ex Canone Concilii Agathenſis probavimus: nec etiam ad judicium tale ferendum ſufficit defectus crucis inſculptæ, utpote ad id minime neceſſariæ. Quocirca non obſtantibus duobus illis defectibus juſte præſumere poteſt hic Parochus illum lapidem fuiſſe conſecratum, & eo conſequenter abſque peccato uti poteſt.

Atta-

Digitized by Google

Attamen ſi aliunde juſtis de cauſſis dubia eſſet illius conſecratio; tunc ut dubia haberi poſſet, atque lapidem non ſuiſſe conſecratum præſumi: quia in caſu dubii legitimi, ſtatuunt Canooes *(a)*, *ut Ecclefiæ vel Altaria quæ ambigua ſunt de conſecratione, conſecrentur*. Sic ſimili difficultati ab amico ſuo Doctore conſultus reſpondit doctus Theologus 17. Auguſti an. 1665. *(b)*.

(a) Can. *Eccleſiæ*. 18. de conſec. diſt. 1.

(b) De Ste. Beuve tom. 3. Caſ. 179.

CASUS IV.

Geminius, Sacerdos, die Dominica in villa degens, obi domeſtica erat Capella, cujus Altare erat tantummodo ligneum, in eo Miſſæ Sacrificium obtulit. Numquid potuit illud celebrare abſque peccato?

Respons.

Certum eſt, hunc Sacerdotem abſque gravis peccati reatu io tali Altari celebrare non potuiſſe, quod ab eo tamquam non conſecratum haberi debuit: quia prohibitom eſt Altare conſecrare vel benedicere, niſi lapideum, ut ſtatuit Concilium Epaonenſe, quod in ſuo Decreto his verbis refert Gratianus *(c)*: *Altaria, ſi non fuerint lapidea, chriſmatis unctione non conſecrentur*. *Quod quidem*, inquit S. Thomas *(d)*, *competit & ſignificationis hujus Sacramenti: tum quia Altare ſignificat Chriſtum: dicitur autem 1. ad Corinth.* 10. Petra autem erat Chriſtus. *Tum etiam quia Corpus Chriſti in ſepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad uſum Sacramenti: lapis enim & ſolidus eſt & de facili poteſt inveniri*. Hac eadem S. Thomæ auctoritate ſuam ſententiam confirmat Cardinalis a Turrecremata in ſuo commentario in Canonem modo allegatum.

(c) Conc. Epaonenſ. c. 26 & 27. in Can. *Altaria*. 31. de conſec. diſt. 1.

(d) S. Th. 3. part. q. 73. a. 3 ad 5.

CASUS V.

Cum ruinoſa eſſet, & anguſtior S. Deodati Eccleſia, dominus loci Paschali curato atque incolis, novam propriis ſumtibus majorem atque pulcriorem ædificare ſe velle propoſuit: quod ab omnibus libenter acceptom eſt, & veteris Eccleſiæ demolitionem ſtatim aggreſſi ſunt. Sed cum appropinquaret Feſtum Pentecoſtes, Altare in cœmeterio extruxit Paſchalis, in quo ipſe, Vicarius ejus & Æditous ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium obtulerunt. Quod cum reſciviſſet Balduinus Parochus vicinus Paſchali, ipſi declaravit, eum male egiſſe, & quidem irregularitatem incurriſſe, quia polluta ob demolitionem Eccleſia, pollutum quoque fuit cœmeteriom juxta iſtam juris regulam *(e)*: *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*. Qua de re petitur, utrum hæc ſententia legitimis ſit nixa ratiooibus?

(e) Reg. 42. de regul. jur. in 6.

Respons.

Paſchalis in duobos peccavit; primo qoia Eccleſiæ demolitioni aſſentiri non debuit abſque auctoritate & conſenſu Epiſcopi Diœceſani, immo debuit obſiſtere; donec ſcripto obtentum talem conſenſum penes ſe haberet: quia omnes Canones, qui de Eccleſiarum everſione loqouotur, prohibent, ne qua, niſi de conſenſo Epiſcopi, diſturbetur. *Nemo Eccleſiam ædificet*, inquit antiquom Galliæ Concilium *(f)*, *antequam Epiſcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publice atrium deſignet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria & ad cuſtodiam, & ſtipendia cuſtodum ſufficiant: & oſtenſa donatione ſic domum ædificet; & poſtquam conſecrata fuerit, atrium ejuſdem Eccleſiæ ſancta aqua conſpergat*.

(f) Conc. Aurelian. in Can. *Nemo*. 9. de conſecrat. diſt. 1.

Altera Paſchalis culpa haud dubie multo gravior eſt: 1. quia in loco privato abſque auctoritate Epiſcopi Altare exſtruxit, cui ſoli convenit talis poteſtas; cum ne quidem ſine ejus conſenſo, novum in Eccleſia jam conſecrata, erigere ſit licitum, ut indicant hæc verba antiqui Canoois, a Gratiano Hormiſdæ ſummo Pontifici adſcripti *(g)*: *Nullus Presbyter in Eccleſia conſecrata aliud Altare erigat, niſi quod ab Epiſcopo loci ſanctificatum eſt, vel permiſſum; ut ſit diſcretio inter ſacrum & non ſacrum: nec dedicationem fingat: niſi ſit. Quod ſi fecerit, ſi Clericus eſt, degradetur: ſi vero laicus; anathematizetur*, 2. Quia in eo Miſſam celebravit: quod abſque graviſſimi peccati reatu præſtare non potoit, uti Vicarius & Æditoos: ſi curatum propria ſua auctoritate Altare illud exſtruxiſſe ipſis fuit cognitum.

(g) Can. *Nullus* 25. ibid.

Certum eſt nihilominus, Paſchalem, uti alios duos Sacerdotes non idcirco in irregularitatem impegiſſe; quia nullus exſtat ea de re Canon; cumque irregularitas odioſa ſit res, ultra juris limites extendi non debet, juxta iſtam Bonifacii VIII. regulam. *Odia reſtringi .... convenit (h)*.

(h) Reg. 15. de reg. juris in 6.

Quod pertinet ad rationem qua utitur Balduinus ad probandum irregularitatem in eo caſu inveniri; reſpondendum 1. Eccleſiam ob ipſius demolitionem non cenſendam eſſe pollutam: neqoe enim polluta cenſeri poteſt Eccleſia, niſi ſit Eccleſia: atqoi talis eſſe non perſeverat, ubi diruitur. 2. cum etiam per demolitionem ſuam polluta ſupponeretur Eccleſia, ipſum tamen pollutum cenſeri non deberet cœmeterium, niſi Eccleſiæ adjaceret. 3. Cum utraque polluta ſupponerentur, nondum tamen irregularitati ſubjacerent Paſchalis & alii Presbyteri, quia per celebrationem in loco polluto noo ſit Sacerdos irregularis, licet abſque gravi peccato in eo non poſſit ſacra offerre: ut in una ex ſuis Conſtitutionibus declarat Bonifacius VIII. *(i)* his verbis: *Is, qui in Eccleſia, ſanguinis aut ſeminis effuſione polluta, vel qui præſentibus majori excommunicatione innodatis, ſcienter celebrare præſumit: licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non ſit expreſſum in jure) laqueum non incurrit*. Unde aſſerit Gloſſa, quod, quamvis celebraotes in loco interdicto incurrant in irregularitatem, *celebrantes* tamen *in loco polluto non contrahunt irregularitatem: niſi fuerit cautum in jure & expreſſum*. Ratio hujus diſcriminis eſt, quia id ipſum quod dicitur *Pollutio Eccleſiæ*, proprie loquendo non idem eſt ac *cenſura interdicti*. Ita communiter docent Theologi & Canoniſtæ, inter quos præcipue Sairus *(K)*, Sotus, Paludanus, & poſt ipſos Navarra *(l)* & Cardinalis Toletus.

(i) Bonifac. VIII. in Cap. *Is qui* 18. de ſententia excom. &c. in 6. l. 5. tit. 11.

(K) Greg. Sairus l. 5. Theſauri c. 26. n. 19.

(l) Navar. Manual. c. 27. n. 83.

Toletus Inſtruct. Sacerd. l. 2. c. 2. n. 2

CASUS VI.

Cum in Eccleſia S. Bertini magnus lapis Altaris a ſua baſi ſeu ſtipite ruinoſo ſuiſſet ſeparatus, cumque Altare ſuiſſet reſtitotum, bona fide in eo celebravit Parochus, non iterata hujuſce lapidis conſecratione: qua de re duo inquiruntur: primum: utrum illod Altare ſuam amiſerit conſecrationem. Alterum: utrum, poſito quod eam amiſerit, jam conſecratum cenſeri non debeat, ob ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, quod in eo Parochus obtulit, uti calix non conſecratos ad Sacrificium adhibitus, jam ex eo ſit conſecratus.

Respons.

Duæ ſunt contrariæ ea de re ſententiæ. Prima & magis communis, qoam ſequuntur multi graves Auctores ultimi ſæculi, qui de rebus moralibus ſcripſere *(m)*, eſt quod in caſu propoſito Altare ſtabile ſuam amittat conſecrationem, in eoqoe inclyti Yvonis Carnotenſis ſententiam amplectuotur *(n)*, qui antiquo Decreti Gratiaoi Canone *(o)* nititur, & ex quo infert, quod, cum ſit, ut ſi moto ſua ſede Altaris, lapis a baſi ſeu ſulcieote ſtipite ſeparetur, nova indigeat Altare conſecratione, priuſquam in eo ſacra poſſint offerri. Cujus rei hæc poteſt afferri ratio, quia tota compage Aram conficiente, ubi dividitur lapis aut ſeparatur a ſtipite; neceſſario ſequitur, conſecrationem violari, ut loquitur S. Carolus Borromæus *(p)*, exponens, quo pacto e ſua ſede poſſit moveri Altare, quin ſuam amittat conſecrationem: *Cum vero Altare conſecratum transferri contigerit*, inquit hic S. Archiepiſcopus, *quod, ut ne iterum conſecrari opus ſit, ea transferendi ratio adhiberi poterit. ut primo illud totum aſſeribus tabuliſque ligatis, recte apteque concluſum, e loco ita moveatur accurate, ut ſtipes a ſolo Eccleſiæ convulſus, ac minimum quidem ab Altaris menſa disjungatur, ſed totus affixus eis inhæreat, ut conſecratio violetur*.

(m) De Ste. Beuve tom. 2. Caſ. 79.

De Genet. Theol. Mor. tom. 3. tract. 5. c. 7. n. 13.

Colloq. Lucion. tom. 5. Colloq. 16. q. 1.

(n) Yvo Carn. Epiſt. 72.

(o) Can. *Si motum*. 19. de conſec. diſt. 1.

(p) Act. Eccl. Mediol. part. 4. de lapide Altarium portatilium. Inſtruct. fabricæ & ſupellect. Eccleſiæ.

Idem docet Auctor Gloſſæ in Canonem, de quo modo diximus *(q)*. En ipſius verba: *Conſecratio autem ipſius Altaris, præſertim intelligitur eſſe in conjunctione menſæ, ſcilicet lapidis ſuperioris & ſtructuræ inferioris. Ergo, ſi menſa fuerit mota*,

(q) Gloſſa in cit. Can. *Si motum*. v. *Altare*.

vel

vel aliquis de lapidibus tangens ipſum, exſecraretur Altare, & eſt conſecrandum. Ad hæc accedit auctoritas Alexandri III. qui in una ex ſuis Decretalibus ſic dicit (*a*): *Si Altare motum fuerit... debet denuo conſecrari.*

(*a*) Alex. III. in Cap. *Ad hæc* 1. de conſecrat. Eccleſiæ vel Altaris l. 3. tit. 40.

Opinio contraria, licet minus communis, ſuos tamen habet fautores, qui nituntur 1. Exemplo Altarium portatilium, & contendunt hunc terminum, *motum*, quod in jure reperitur, nihil aliud ſignificare, *quam mutatum quoad formam, ita quod formam amiſerit per diminutionem, vel augmentum*, ut explicat Gloſſa (*b*). 2. uſu ipſo, qui ut legum, ſic Canonum eſt verus interpres. *Optima enim eſt legum interpres, conſuetudo* (*c*). Quod confirmant ex eodem Canone. *Si motum*, quo fertur, Eccleſiam amittere ſuam conſecrationem; cum e loco ſuo mutatur Altare: cui rei tamen praxis eſt contraria, ut notat Alexander III. his verbis (*d*): *Propter hoc vero nequaquam reiterare ſuam conſecrationem Eccleſia conſuevit, licet id quidam Canones innuere videantur.*

(*b*) Gloſſa in Cap. *Ad hæc*. 1. de conſecr. Eccleſiæ &c. v. *Altare*.

(*c*) Leg. *Si de interpretatione*. 57. ff. de Legibus, Senatuſque Conſultis. l. 1. t. 3.

(*d*) Alex. III. in cit. Cap. *Ad hæc*.

Secundam hanc opinionem non admittit Silveſter (*e*), niſi cum diſtinctione, dicens, quod, ſi reliquiarum tumulus ſit in ipſo lapide, eum ſolo motu locali non amittere ſuam conſecrationem; cujus contrarium evenit, ſi idem tumulus ſit inferior lapide, & ab eo ſejunctus.

(*e*) Silveſt. v. *Altare*. q. 10.

Quamvis quælibet ex his tribus opinionibus ſuam habeat probabilitatem: primæ tamen ſtandum exiſtimamus, quia potioribus nititur rationibus & auctoritatibus, & in praxi eſt communior. Unde colligimus, quod exſecrato Eccleſiæ S. Bertini Altari, in novo Altari Parochus non debuit celebrare, priuſquam ab Epiſcopo fuiſſet conſecratum. Hæc eſt reſponſio noſtra ad primam expoſiti caſus difficultatem.

Quod ſpectat ad ſecundam, qua quæritur, utrum Altare amiſſam conſecrationem ſuam ſola Miſſæ celebratione recuperet: quidam Auctores affirmant, & volunt, idem eſſe dicendum de Altari exſecrato, ac de Calice, qui e profano fit ſacer ubi primum in eo conſecratus eſt Sanguis Chriſti. Verum æquam non ducimus eſſe paritatem: quia, licet Calix non conſecratus ſolo uſu Sacerdotis celebrantis fiat ſacer, juxta hæc S. Auguſtini verba (*f*): *Vaſa ... quæ ipſo miniſterio conſecrata ſancta dicantur in ejus honorem, cui pro ſalute noſtra inde ſervitur*: non idem tamen de Altari ferri debet judicium, quia Chriſti corpus non immediate Altaris lapidem tangit, ut Sanguis Calicem, qui ob eam cauſſam fit vere conſecratus.

(*f*) S. Aug. in Pſal. 113. Serm. 2. n. 6.

CASUS VII.

Cum in Capella S. Joannis fortuito lapis Altaris cecidiſſet, ſepulcrum, hoc eſt, locus in quo Reliquiæ erant conditæ, fractus eſt, nec in eo jam Reliquiæ inveniuntur. Numquid Capellanus in eo Altari Miſſam in poſterum poteſt celebrare, cum præſertim levis ſit aliunde fractio?

Respons.

Capellanus ille deinceps abſque peccato ſuper hanc menſam Altaris Sacrificium offerre non poteſt: quia fracto ſepulcro ſuam amiſit conſecrationem: nam, etſi tamquam vera ſupponatur opinio, quæ Reliquias ad Altaris conſecrationem non eſſe neceſſarias aſſerit; hoc non obſtat, quominus lapidem hunc, fractione ſepulcri, ſuam amiſiſſe conſecrationem, aſſeratur. Ratio eſt, quia, cum Altare una cum Reliquiis fuit conſecratum, tumulus quo includuntur, tamquam pars præcipua debet haberi; atque adeo ejus fractio non ut levis, ſed ut enormis cenſenda eſt. Multi etiam Auctores affirmant lapidem hujuſmodi, ſola ſigilli fractione, ſuam amittere conſecrationem, etſi Reliquiæ permaneant. Unde ſequitur eum lapidem a fortiori exſecrari, cum deſunt Reliquiæ.

Deciſionem hanc affert Silveſter (*g*): *Violatur*, inquit, *vel exſecratur* (Altare).... *ſi moveatur, vel frangatur, vel minuatur ſignum ſepulchri.... & hoc ubicumque ſit ſigillum: etiam in latere*. Idem docent multi Auctores moderni (*h*), ſecuti hunc Dominicanum & Cardinalem a Turrecremata, qui eandem etiam ſequitur opinionem (*i*).

(*g*) Silveſt. v. *Altare*. q. 6.

(*h*) De Genet. Theol. moral. tom. 3. tract. 3. c. 7. n. 11. Sainte Beuve. tom. 1. Caſ. 79. Colloq. Lucion. tom. 3. Colloq. 26. q. 1.

(*i*) Joannes a Turrecremata tom. 4. in cit. Can. *Si motum*. §. *Ad primum*.

CASUS VIII.

Patricius, Parochus S. Albini, unicum habens in ſua Eccleſia Altaris lapidem, qui ita fuit mutilatus, ut una e crucibus in quatuor angulis inſculptis fracta fuerit, poſtulat, utrum non obſtante hac fractione, illo poſſit uti lapide ad Sacrificium offerendum.

Respons.

Si fractio ſit levis, ita ut eo lapide facile uti poſſit Patricius, in eo abſque peccato celebrare poteſt: at ſi fractio ſit enormis, hoc eſt, valde notabilis, ita ut commode eo lapide non poſſit uti: tunc abſque gravi peccato Miſſam celebrare non poteſt; quia in eo caſu lapis ſuperſtes ſuam amiſit conſecrationem. Id ipſum probatur ex Decretali Innocentii III. ad Epiſcopum Nidroſiæ in Norvegia (*k*), in qua dicit ſummus hic Pontifex: *Altare vero, in quo tabula, cui conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur*, ſi mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito conſecrari. Idem etiam aſſerit in alia Decretali (*l*), in qua loquens de Eccleſia quæ fuerat combuſta, ſed cujus menſa Altaris leviter tantum læſa fuerat, declarat, hanc Aræ menſam, ſuam non amiſiſſe conſecrationem. *Inquiſitioni tuæ taliter duximus reſpondendum*, hæc ſunt illius verba, *quod, cum parietes in ſua integritate permanſerint: & tabula Altaris denuo mota, vel enormiter læſa non fuerit: ob cauſſam prædictam nec Eccleſia, nec Altare debet denuo conſecrari.*

(*k*) Innoc. III. in Cap. *Quod in dubiis*. de conſecr. Eccleſiæ vel Altaris. l. 3. tit. 40.

(*l*) Idem. in Cap. *Ligneis*. 6. eodem tit.

Sed quæri poteſt, quæ cenſeri debeat *fractio enormis*. Ea de re non omnino inter ſe conſentiunt Doctores. Quatuor enim ſunt diverſæ opiniones, a celebri Germano Doctore (*m*) relatæ, quæ ſuas habent rationes. Verumtamen, ut huic quæſtioni præciſe fiat ſatis, exiſtimamus, opinionem Hoſtienſis, qui putat ſolam fractionem unius ex angulis menſæ Altari ſufficere, ut ſuam amittat conſecrationem, nimis eſſe rigoroſam: atque adeo Patricium in eo, quem habet, Lapide poſſe celebrare, modo major pars integra remaneat, ac facile Calicem & Hoſtiam poſſit excipere. Hæc deciſio congruit cum Gloſſa (*n*), quæ hæc verba *enormiter fracta*, his aliis explicat: *ultra medietatem*: quo in ſenſu eamdem ſumunt Turrecremata (*o*), & Nugnus (*p*). En verba ultimi hujuſce Auctoris: *Si lapis conſecratus frangatur, amittitur conſecratio, ut docet Silveſter v. Altare q. 8. Verum eſt, quod debet eſſe fractio notabilis: alias non amittitur conſecratio. Tum autem non cenſetur notabilis, quando major pars quæ remanet, eſt ſufficiens, ut in illa poſſit Calix & Hoſtia collocari. Si vero frangatur per medium: etiamſi quæcumque pars ad hoc eſſet ſufficiens, nulla manet conſecrata: quia certum eſt, non poſſe utramque partem manere conſecratam: & non eſt major ratio de una, quam de altera.* Ceterum, cum legitime dubitari poteſt, utrum fractio ſit levis, vel enormis: ea de re conſulendus eſt Epiſcopus, atque ipſius ſtandum judicio, ut obſervat Hoſtienſis modo laudatus.

(*m*) Gabriel Biel. lect. 13. in Can. *Miſſæ*.

(*n*) Gloſſa in Can. *Si motum*. 19. de conſecr. diſt. 1. v. *Altare*.

(*o*) Joannes Card. de Turrecremata in cit. Can. *Si motum*. num. 4.

(*p*) Didacus Nugnus in 3. part. S. Th. q. 83. art. 3.

A M O R.

Vide (CARITAS.)

A N T I D A T A.

ANTIDATA definitur his terminis : *Dies antiquior adſcripta alicui inſtrumento aut Epiſtolæ* : ut cum ſcribitur ſyngrapha , aut Epiſtola 25. die Junii an. 1730, & ipſi adſcribitur prima dies ejuſdem menſis ; unde conſtat Antidaram poſſe cadere in judiciale ſeu publicum inſtrumentum & inſtrumentum privatum.

Antidata in urroque caſu eſt mendacium ſcriptum , & cnnſequenter peccatum . At inſtrumenti publici Antidata peccatum eſt multn gravius ; ſeu ab Officiali publicn , ſeu a privata perſona adſcribatur : atque hnc genus falſitatis inſolitæ inquiſitioni in ſuum auctorem locum præbet.

Edicto an. 1673. (*a*) prnhibetnr ſub pœna falſi , ne Cambiorum Syngraphis dies antiquior adſcribarur , cnnſormiter ad hæc verba Legis (*b*) : *Si a debitore , prælato die pignoris obligatio mentiatur : falſi criminis locus eſt*. Equidem vera data , eſt circumſtantia maximi momenti : quæ confert ad probandum , inſtrumentum aliquod eſſe perfectum & authenticum : quare ſolemnem hanc cæremoniam exigunr Leges omnes: ut videre eſt ex omnibus contextibus , ad marginem indicatis (*c*).

(*a*) Tit. 5. art. 26.

(*b*) L. *Si a debitore*. 25. ff. ad legem Corneliam de falſis. l. 48. tit. 20.

(*c*) L. *Si qua*. 4. Cod. de diverſis reſcriptis & pragmaticis ſanctionibus l. 1. tit. 23. Et Innoc. III. in Can. *Inter dilectos*. 6 de fide inſtrum. L. 2. tit. 22.

CASUS PRIMUS.

GODEFRIDUS, ſnum propria mann dia prima Junii ſcripſit teſtamentum ; cujus diem trimeſtri ſpatio prætulit : verum Joannes & Jacobus ipſius heredes, magnis , quæ Eccleſiæ pauperibus & amicis ſuis ſcripſit . Legatis offenſi ; poſt ipſius mortem hujuſce teſtamenti reſciſſionem juridice poſtulaverunt , cujus invaliditatem probare ob Antidatam , adhibitis pluribus incorruptis teſtibus , proponunt . Quæritur , utrum ad petitionem ſuam debeant admitti.

RESPONS.

Joannes & Jacobus ad talem petitionem non debent admitti , & quidem impenſis debent multari . Ita ſentit Baſnagius (*d*) in ſuo de Normana Conſnetndine Commentario , in quo Arreſtum Rothomagenſis Parlamenti 21. Junii an. 1622. datum refert , quo res ſic fuit judicata : cujus rei duplex poteſt afferri ratio : Prima eſt , quia heredes iſto agendi modo defuncti memoriam obſcurare contenduot ; quocirca bonis ab eo poſt mortem derelictis fiunt indigni .

(*d*) Art. 432.

Secunda eſt , quia , ut noſtra fert opinio , ad validitatem Teſtamenti , propria manu ſcripti , non requiritur dies adſcripta , ſeu data , uti decrevit quarta inquiſitionum Curia Senatus Pariſienſis an. 1661. Arreſto , quod refert Jovet (*e*) . Equidem hujus teſtamenti data nihil conſert ad probandam ipſius veritatem , aut Teſtatoris intentionem : cum Edictis non exigatur data , niſi in Teſtamentis ſolemnibus aut nuncupativis , quæ recipiunt Notarii publici , aut Parochi , vel eorum Vicarii , ſufficienti ad hoc auctoritate muniti , coram quatnor teſtibus . Ceterum circa Teſtamenta olographa , ſeu propria Teſtatoris mann facta obſervandum : 1. Quod non neceſſe eſt , in regionibus quæ jure ſcripto utantur , ut Teſtamentum olographum ſit totum propria Teſtatoris manu ſcriptum ; modo ſit ab eo ſubſcriptum (*f*) : at ſecundum Conſuetudinem Pariſienſem totum Teſtatoris manu debet eſſe ſcriptum & ſubſcriptum : nulla notis arithmeticis ſumma debet exprimi . requiritur tandem ut iu inſtrumento vox Teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis eaprimatur .

(*e*) Jovet. v. Teſt. n. 78.

(*f*) D. Olive. l. 5. cap. 36.

2. Quod ſecundum Arreſtum ſupremæ Curiæ 24. Julii an. 1601. datum , Teſtamentum olographum in Alvernia , quæ jure ſcripto utitur , ſine ullo teſte factum , eſt validnm , ex Arreſto quiotæ Curiæ inquiſitionum Parlamenti Pariſienſis , quod refert Le Pretre , & ex tribus aliis ejuſdem Parlamenti Arreſtis 7. Aug. 1649. 27. Jan. 1651. & 20. Julii an. 1652. pronnntiatis , quæ refert Henrys (*g*) , qui exiſtimant , quod ſuprema Curia voluit tamquam valida approbare omnia Teſtamenta olographa , in omnibus regionibus juris ſcripti , quæ ſuæ Juriſdictioni ſubjacent , & a fortiori in aliis regionibus , quæ jure conſuetudinario utuntur . In eam rem D. Brillon (*h*) laudat Le Pretre , Chenn & dn Freſne , qui multa , nt diximus , referunt Pariſienſis Senatus Arreſta conformiter lata ,

(*g*) Henrys. tom. 2. l. 5. q. 1.

(*h*) D. Brillon. v. Teſtam. Dict. Arreſt. n. 456.

3. Denique : quod ſequeſter & delator Teſtamenti ologrsphi , in ſui favorem facti , ipſum ad forenſe tabularium ſtatim deferre debet : tum a Judice veniam petere debet probandi , quod Teſtatoris manu fuerit ſcriptum : ac defuncti heredes in judicium Apparitoris opera præſentes vocare , ut coram ipſis oſtendatur , hoc ioſtrumentum eſſe defuncti Teſtamentum (*i*) , ſibique , iiſque præſentibus , adjudicetur traditio Legati ſub cantione juratoria actoris. Ita dijudicatum eſt per Arreſtum 24. Maji ann. 1661. a Gueſſerio relatum , quem laudat D. Brillon (*k*).

(*i*) De la Gueſſiere. tom. 2. l. 4. c. 17.

(*k*) E. Brillon. Dict. Teſt. v. Teſtam. n. 474.

CASUS II.

ANTONIUS Ægidio ſummam 3000. Librarum debebat , per ſyngrsphain corsm duobus Notariis confectam , cujus data erat ſecuoda dies Jan. & ſolutio facienda die prima menſis Junii inſequentis . Cum Ægidio opus fuiſſet pecunia , ante præſtitutam ſolutionis diem ; ſyngrapham illam die tertia Maji negotiatus eſt cum Camſore , cni illsm ſyngrapham ceſſit per modum chirographi camſorii . Eadem die Maji tertia , Camſor Ægidii chirographum Antonio obtulit , qui viva tantum voce ceſſionem factam acceptavit , ſolutionem 3000. Librarum pro die ſyngraphæ appoſita promiſit . Paucis poſt diebus ab Ægidii creditoribus , omne Antonii debitum Judicis auctoritate inter manus illius detentum eſt . Camſor , ignorans hanc juridicam detentionem , elapſo ſolutionis ſpatio , Antonium adivit , ab eo ſummam per Ægidii ſyngrspham debitam accepturus : cujus ſolutionem Antonius ei denegavit , ob juridicam prius intra manus ſuas factam detentionem ; qua non obſtante , ſolutionem tamen ab eo debitum eſſe Camſor conteſtatus eſt , quod omni detentione anterior eſſet acceptio verbalis ceſſionis ab eo facta : quocirca , mutata debiti natura ex hac parte , tria Librarum millia , nnn jam ad Ægidium , ſed ad ſe (Camſorem) pertinebant , cum dennntiationis vicem teneret acceptio : ac Ceſſionarius per eam tali modo rem apprehenderet , ut nullum poſtea jus in rem Ceſſionarii competeret Ceſſoris creditoribus . Inſuper Camſor , his Antonium verbis allocutus eſt : Tuæ ego fidei confiſus ſuum , quia virum te probum novi ; quæ res ſi mihi fuiſſet dubia , ſcriptam a te poſtulaſſem acceptionem : verum , cum negotium tibi faceſſat ſolutio mea ; id unum ſaltem rogo te , ut juxta promiſſam a te ſolutionem meam , die tertia menſis elapſi pro hodierna die , prima Junii , ad calcem ceſſionis hoc mihi promiſſum ſcripto referas , eidemque diei , quo mihi voce feciſti , acceptionem tuam ſcripto aſſignes . Id a te exigit in mei ſavorem æqnitas naturalis . Quæritur , utrum Antonius titulum , quem poſtulat Camſor , tuta conſcientia poſſit concedere ?

RESPONS.

Antiquus Sorbonæ Profeſſor (*l*) de ſimili caſu olim conſultus , jure reſpondet , Antonium tuta conſcientia non poſſe ſolvere Camſori , Ægidii ceſſionario . 3000. Librarum , quibus erga Ægidium per ſyngrapham ſuam tenetur ; dum manebit detentio intra manus illius facta ab Ægidii credi-

(*l*) De Ste. Beuve. tom. 1. Caſ. 97.

toribus ; promiſſio namque verbalis ab eo facta Campſori de ejus ſolutione ad diem præſtitutam, ad id unum ipſum cogit, ut die præſtituta 3000. Librarum illi ſolvat; cujus tunc erunt, modo tuto & abſque periculo litis id præſtare valeat : ſic enim explicanda eſt ejus promiſſio.

Hoc igitur potiſſimum ſcire intereſt, utrum ſumma illa ad Campſorem; an vero ad Ægidii creditores pertineat : Atqui certum eſt, eam ad Campſorem non pertinere : quia acceptio verbalis chirographi campſorii non eum facit dominum, pro quo ſit debiti alicujus ceſſio per tale chirographum, niſi ſit ſcripta, Ratio eſt, quia acceptio ſcripta, denuntiatæ tranſſcriptionis locum tenet : quæ denuntiatio ceſſionis fieri debet parti, cui hujus ceſſionis ſen tranſſcriptionis ſit juridica denuntiatio, alioquin ceſſionarium non facit poſſeſſorem : *Simplex ceſſio*, inquit Conſuetudo Pariſienſis, *non facit detentorem; ſed debitori denuntianda eſt tranſſcriptio ante exſecutionem (a)*. Unde ſequitur, quod, cum nullum proprietatis aut poſſeſſionis jus ceſſionario conferat ceſſio in ſummam delatam, ante ſcriptam illius denuntiationem; ceſſor ſemper eſt verus dominus, quare juridica detentio a creditoribus ſuis in rem tranſſcriptam facta, eſt legitima; eorumque priorem facit ſolutionem ante ceſſionarium.

(a) Conſuetudo Pariſienſ. art. 108.

Id unum igitur in eo caſu facere poteſt Antonius, ut nimirum Campſori legitimum det teſtimonium promiſſæ a ſe ſolutionis die tertia Maji 3000. Librarum ad diem præſtitutam. At datam huic teſtimonio nequit apponere, niſi pro ea die, qua illud ſcripturus eſt; nam per antidatam ad falſitatem accederet ex ejus parte injuſtitia; in eo quod teſtimonium illud per antidatam juri creditorum noceret, quorum juridica detentio tertia die Maji poſterior eſt, atque per eam Campſor fieret juridicus 3000. Librarum detentor & dominus, ac proinde creditorum juridica detentio nulla; quod abſque manifeſta fieri nequit injuſtitia.

Addi poteſt, quod ſi Antonius antidatam Campſori concederet; præſens adiret perjurii periculum; ut datam ſuam defenderet, aut in falſarii crimen incurreret. Ratio eſt, quia jurejurando quod ab eo Judex requireret, declarare teneretur, quantam Ægidio ſummam pecuniæ tum deberet, cum intra manus ſuas ab ejus creditoribus detenta eſt. Nec ſine perjurio affirmare poſſet, ſe illam cujus re vera erat debitor, ſummam tum non debuiſſe; cum eam nec facto nec legitimo inſtrumento de manibus ſuis amiſiſſet. Quod ſi contra Ægidio hanc a ſe debitam fuiſſe ſummam fateretur ea ipſa die, qua eam juridice detinuere creditores, falſarius tunc haberetur per Antidatam inſtrumenti, quod Nummulario conceſſiſſet.

Uno verbo omnis Antidata eſt illicita, ſi tertiæ perſonæ ſit detrimentoſa, Sic v. g. ſi a Titio centum nummos abſque chirographi cautione prima die Januarii mutuatus ſim; & aliquanto poſt, creditores mei quibus ſub Chirographi cautione duo millia nummorum debeo, omnia mea bona quæ ad ipſorum ſolutionem non ſufficiunt, Judicis ſententia detineant; hodierna die Titio ſyngrapham non mihi licet ſcribere, cui apponatur dies prima Januarii, quamvis verum ſit, hoc creditum aliis tempore eſſe anterius. Ratio eſt, quia creditores, juridicos detentores defraudarem, quibus ſolis, utpote Chirographariis, competit jus ſolutionis, ante alios qui chirographo vel publica ſyngrapha carent.

APPARITOR *vel* SERVIENS.

APPARITOR, ſeu Accenſus, eſt infimus Juſtitiæ Officialis, cujus eſt mandata Juſtitiæ civilia exſequi, Apparitor tamen ab Accenſo in eo differt, quod ad ſolum Apparitorem Curiæ pertineat denuntiare actiones Procuratorum Partium adverſarum, cauſſaſque quæ in foro agendæ ſunt, appellare; quod jus Accenſis non competit.

Communes tamen multæ conveniunt functiones Apparitoribus & Accenſis: quales ſunt mandata Juſtitiæ, denuntiationes neceſſariæ ad litem inſtruendam, exſecutiones, coactiones, bonorum obſignationes, & incarcerationes.

Quatuor ſpecie diverſi diſtinguuntur Accenſi ſeu Apparitores. Scilicet Regii Accenſi, qui in omni Regno vadimonium indicere poſſunt: Accenſi virgati, ut in Caſtellana Pariſienſi curia nominantur, qui in urbe ſola, Pariſienſique ſuburbana juriſdictione, mandata poſſunt exſequi: Accenſi equeſtres, & Accenſi dominiales.

Denuntiationum ſuarum exemplar renentur Apparitores & Accenſi vel perſonæ in judicium vocatæ, vel ipſa abſente, alicui ex ejus domicilio dare, eumque tantum diem iis adſcribere tenentur, quo factæ ſunt; addita etiam in quibuſdam caſibus, hora qua factæ ſunt, ſeu ante ſeu poſt meridiem; ut cum eorum acta ſeu libelli exſecutionem juridicam obſignationem vel arreſtum continent, uti fert Edictum Bleſenſe (b), quod addit; „ & apponent dicti Apparitores infra ſuos libellos, quod pro mercede ſua acceperint, ſimulque nomina ſua.

(b) Edictum Bleſenſe art. 173.

Omnes ad ſolutionem coactiones, bonorum detentiones, exſecutiones & incarcerationes accurate fieri debent; verum non adhibendo vim & injurias, & ea moderatione atque humanitate, quam poſtulat Juſtitiæ miniſterium, quod exercent. Edictum Ambacianum (c) etiam edicit, ut injuriæ & convicia ab Accenſis prolata pœna corporea puniantur. Addendum inſuper, in eorum actis referenda eſſe omnem ſuppellectilem ceteraque mobilia, in quæ manus immittunt, iis tamen debitori relictis, quæ corripi conſtitutiones vetant: & ſi detentioni obſtent debitores vel alii, de eo fieri debet mentio in actis ſeu libellis.

(c) Edictum Ambac. art. 6.

Conſtat ex dictis, quanti Apparitorum atque Accenſorum interſit, auctoritatem ſuam atque officium habere omnino perſpectum: quod in eo præcipue poſitum eſt, ut miniſterium ſuum fide & integre obeant, quin repetunda-

rum

rum crimine poſſint inſimulari, & ut ſint contenti mercede ſibi debita ſecundum conſuetudinem & ſtatuta, & in dubio, juxta taxationem judicum, quibus Bleſenſi conſtitutione (*a*) ſit poteſtas Apparitorum mercedem conſtituendi, ipſis ſimul mortis minatione intentata, ſi amplius exigant. Legi poſſunt aliæ multæ conſtitutiones, quæ Apparitorum, & Accenſorum officia deſignant. (*b*)

(*a*) Edict. Bleſenſe art. 159. & 160.

(*b*) Edict. Philip. IV. an. 1302. art. 18. & 27. Edict. Fran. I. an. 1535. c. 6. a. 10. & an. 1536. c. 20. art. 3. Edict. Caroli VIII. an. 1490 art. 3.

CASUS PRIMUS.

AGOBARDUS in Caſtellana Pariſienſi curia Apparitor, ab ignatio, aliiſque duobus, tribuſque privatis hominibus committitur, ut in vicum tres quatuorve leucas diſtantem ſe conferat, ut unam manuum injectionem nomine Ignatii, eodemque tempore multas alias nominibus illorum pivatorum conficiat. Numquid poteſt abſque injuſtitia exigere ſolutionem a quolibet debitorum, quorum res apprehendit, juxta taxationem conſtitutionum, quaſi unam tantum manuum immiſſionem fecerit?

RESPONS.

Certum eſt, hunc Apparitorem, abſque immani injuſtitia, non poſſe a quolibet privato, cujus res apprehendit, exigere, niſi quantum per ordinationem, ipſi adjudicatur pro tali itinere; cum aliter pro duobus nummis in diurnam mercedem ſibi debitis v. g. octo vel decem exigeret. Igitur o non ipſi eſt licitum exigere aut recipere pro moltis executionibus in varios homines ejuſdem loci factis, niſi ſummam ipſi debitam pro ſalario unius executionis.

Sic ſtatutum eſt pet ordinationem Philippi IV. cognomine Pulchri an. 1402. in qua ſic loquitut ille Rex: (*c*) *Volumus nihilominus, quod dicti ſervientes modeſtum ſalariam accipiant: videlicet ſervient equeſter tres ſolidos in die; pedeſter decem & octo denarios monetæ currentis, quando villam exibit: nec altra pro die accipiant pro ſalario ſuo, quæcumque adjornamenta, aut proceſſus alios ad eorum officiam pertinentes faciant pro pluribus negotiis, pluribuſque perſonis ..... Si ſervientes mittantur contra plures pro executionibus faciendis, non recipiant pro ſalario ſuo, niſi quantum reciperent, ſi contra unum tantummodo mitterentur, prout in ordinatione noſtra continetur.*

(*c*) Ordinat. 1402. art. 26. Fontanon. tom. 1. pag. 5080.

Idem obſervatur in ordinatione Caroli V. an. 1355. (*d*) „ Volumus, & jubemus, *inquit hic Princeps*, ut dicti ſervientes pro una die; unius „ tantum diætæ ſalarium poſſint accipere: licet „ illa die, multas executiones & pro pluribus faciant; ſicque conſtituto eorum ſalario ſint contenti: quin poſſint exigere, extorquere, aut illud quid poſtulare pro ſuis impenſis. Et ſi contrarium faciant, officio ſuo priventur, graviter puniantur & in carcerem mittantur, quo liberari, aut relaxari non poterunt, donec reſtituerint id omne, quod injuſte exegerint & extorſerint, ac mulctam ſolverint, qua ob eam cauſam damnari poterunt. „ Eadem res ſic etiam ſtatuta ſuerat ab eodem Carolo V. cum Regens eſſet in Gallia, ann. 1358. (*e*) & iterum a Franciſco I. (*f*) qui Accenſis prohibuit, ne quidquam amplius, quam tres ſolidos Pariſinos pro qualibet diœta exigerent, idque ſub pœna corporea.

(*d*) Ordinat. an. 1355 art. 5. Fontanon. ib. pag. 501.

(*e*) Ordinat. Caroli V. a. 6. Fontanon. ibid.

(*f*) Ordinat. Franciſci I. art. 164. Fontanon. Ibid. pag. 502.

CASUS II.

PHILOCLES, mercator, Gades iter parans ad mercaturam ſuam, Caſtellanæ Curiæ Apparitori ſententiam commiſit, qua Joannes ſibi ad ſolutionem 1000. librarum, quas ei commodaverat, tenebatur; eique mandavit, ut eam juridica detentione, ac venditione mobilium ſui debitoris executioni mandaret; cum Apparitor per annum & amplius hanc executionem neglexiſſet, creditores ſuos fraudavit Joannes, ac ſolum vertit. Philocles ex Hiſpania redux Apparitorem vult cogere, ut ſibi 1000. libras propria ſolvat pecunia. Quæritur, utrum juſta ſit ipſius petitio?

RESPONS.

Exiſtimamus, quod ſi Joannes debitor eſſet ſolvendo idoneus, quo tempore Philocles ſententiam ſuam executioni mandandam ei commiſit, ac debitam pro opera ſua pecuniam acceperit, aut perficiendum hoc mandatum acceperit, accuſari non poteſt ob negligentiam; cum ſit cauſa jacturæ, quam patitur Philocles 1000. librarum: quocirca ad earum ſolutionem obligatur, juxta iſtam Gregorii IX. deciſionem: „ (*g*) Si culpa tua datum „ eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem ſorte tuliſti, aut hæc impe„ritia tua ſive negligentia evenerunt, jure ſu„per his ſatisfacere te oportet .... qui oc„caſionem damni dat, damnum (*videtur*) „ dediſſe.

(*g*) Gregor. IX. in cap. Si culpa fin. de injuriis & damno dato, lib. 5. tit. 36.

Sententiam hanc confirmat Juriſprudentia, quæ in Gallia obſervatur pro Apparitoribus exequentibus. Nam 1. cum Apparitor executionem faciendam accepit; ea non eſt ab eo procraſtinanda; aut ſaltem de dilatione mandans eſt monendus, aliter tenetur de damnis & intereſſe ſuæ partis. Sic res diudicata eſt in Parlamento Tornacenſi 8. Octob. 1696. in Apparitorem dictum Vander Gaegbe. 2. Apparitor parti ſuæ inſtrumenta & pecuniam intra menſem debet reſtituere; vel ſi pro executione facienda ſalarium accepit, eamque per annum integrum procraſtinaverit; proprio nomine de ſummæ ſolutione damnatur; ut multis Arreſtis Senatus Pariſienſis ſtatutum eſt, præcipueque 1. Aprilis an. 1555. 13. Maji ann. 1563. & 23. Julii an. 1571. (*h*) quæ Juriſprudentia non impedit, uti exiſtimamus, ne, in ſoro interiori teneatur talis Apparitor ad reſtitutionem damni per ſuam negligentiam parti ſuæ illati; etſi nondum effluxiſſet annus integer.

(*h*) D. Brillon. Diction. Arrest. v. Apparitor. n. 7. & 19.

APPELLATIO.

APPELLATIONUM uſus antiquus earum neceſſitatem confirmat, ut vel judicum errores & ignorantiam, vel judiciorum injuſtitiam emendent; *appellandi uſus*, inquit Lex (*i*) *quam ſit frequens, quam neceſſarius, nemo eſt, qui neſciat; quippe cum iniquitatem judicantium, vel imperitiam corrigat.*

Appellatio, inquit Silveſter, *eſt a minore* (judice) *ad majorem vel ſuperiorem provocatio* (*k*) quæ definitio legi conformis eſt dicenti: (*l*) *Appellatio quidem iniquitatis ſententiæ querelam continet;* & in jure appellatio conſideratur tanquam *remedium .... ad præſidium innocentiæ inſtitutum*, ut loquitur Innocentius III. (*m*) unde dici poteſt, jure naturæ multis in caſibus licitam eſſe appellationem.

(*i*) Leg. Appellandi 1. ff. de appell. & relat. l. 49. t. 1.
(*k*) Silveſt. v. Appell. n. 2. & paſſim 2. q. 6.
(*l*) L. Præfecti 17. ff. de minorib. 25. an. lib. 4. t. 4.
(*m*) Innoc. III. in cap. Cum ſpeciali. 61. de appell. l. 2. t. 28.

(a) Lege A ſententia ff. de appellat. l. 1. eodem tit.

Jure Romano licitum erat appellare a ſententia, quæ ad rem propriam pertinebat, vel ſcripto, vel viva ſolum voce (a): niſi, cum Imperator ipſe, aut ſenatus, dixerat ſententiam: at ſecundum uſus noſtros verbalis non ſufficit appellatio: nam parti adverſæ tempore præſcripto per Apparitoris relationem denuntiari debet, ac requiſitæ obſervandæ ſunt juris formulæ.

A ſupremæ Curiæ Arreſto non interjicitur appellatio ob debitam ipſi reverentiam; at ſuperſunt alia juris remedia ad poſtulandam ipſius reformationem; ut ſi quis jus contra velit experiri, vel per libellum civilem, per Arreſti reſciſſionem, aut oppoſitionem, aut in caſu diſcrepantiæ Arreſtorum.

Cum diverſi ſint in Gallia Juriſdictionum gradus, juxta Gallicam juriſprudentiam varii quoque ſunt appellationum gradus. 1. ab infimo, medioque foro ad Judicem Regium provocatur: a ſupremo foro, quod a Rege immediate pendet, ad Ballivios ac Seneſcallos Provinciarum, tum ad Præſidialem Curiam, indeque ad Parlamentum. Quod pertinet ad forum dominorum, qui pendet ab alio domino, cui juriſdictio competit, ad ipſius judicem provocatur. Multas hic omittimus alias Juriſdictiones privatas, quales ſunt Juriſdictiones Præpoſiti familiæ & annonæ Regiæ; Judicum-Conſulum; Curiæ quæſtoriæ; aliæque ſimiles, a quibus indiſcriminatim provocatur: harum enim Juriſdictionum cognitio ad Cauſidicos & Procuratores pertinet.

(b) Statutum Aulæ reg. 7. Nov. 1619.

Simplex appellatio in materia civili, & intra præſcriptum tempus facta, ſententiæ judicis *vulgo* eſt ſuſpenſiva, præterquam in re proviſoria: (b) dicimus *vulgo*: nam in caſibus innumeris ſententiæ ſuum ſortiuntur effectum *non obſtantibus oppoſitionibus aut appellationibus quibuſcumque*, atque per ſolam Superioris ſententiam inferioris judicis effectus impeditur.

In materia vero criminali Appellatio reſcindit judicium; quocirca reus moriens, *conſtante appellatione*, nullam jure incurrit infamiam, & ipſius acta a die provocationis ad ipſius obitum, qui ante confirmatam ſententiam evenit, ſunt valida. Ab hac regula illi ſolum eximendi ſunt rei, quorum memoria lite infamatur. At ſi ſententia ante rei obitum fuerit confirmata; omnia ipſius acta ſunt invalida, & ſi medio illo tempore quædam ipſi contingat hæreditas, non eſt ipſius, ſed fiſci.

Eſt ſpecies quædam appellationis, quæ dicitur *a minima*; quæ locum tantum habet in re criminali, in qua contingere poteſt pœna afflictiva; tumque Procurator Regius ad Parlamentum provocat, cum nimirum judicat, pœnam ab inferiori judice inflictam, crimini non eſſe parem; & concluſiones ſuæ in judicio non fuere admiſſæ.

(1) Denique eſt aliud etiam appellationum genus, quod appellatio tanquam *ab uſu* dicitur, quæ conſiſtit in jure provocandi ad Supremos Principes. Talis eſt v. g. Appellatio a reſcripti Romanæ Curiæ executione; (nam a reſcripto ipſo non fit provocatio, ne debita Summo Pontifici lædatur reverentia, ſed ſolus vituperetur impetrans) aut a ſententia Officialis, qui juriſdictionis ſuæ limites exceſſit; aut ab aliquo alio diſciplinæ aut Juriſprudentiæ, quæ in Gallia obſervatur, oppoſito judicio.

Appellatio tanquam ab uſu erga reſcripta Romanæ Curiæ locum habet in omnibus caſibus, in quibus eadem Curia Regis, Regnique jura attentaret, ut ſi bonorum Eccleſiaſticorum abalienationem Papa permitteret; ſi pecuniarum exactionem juberet: ſi quibuſdam Concordati articulis, aut Cancellariæ Romanæ acceptis in Gallia regulis derogaret, aut indultis Cardinalium, & Officialium Regum aut Principum ſupremorum: Si diſpenſationes invalidas aut injuſtas concederet, aut ſibi devolutarum ad ſedem Apoſtolicam per appellationem cauſarum judicium aſſumeret, ut de iis Romæ, non ad commiſſarios *in partibus* remiſſis, judicaret; & aliis hujuſmodi caſibus.

Appellatur tanquam *ab abuſu* a ſententiis Judicum Eccleſiaſticorum, cum Regiis conſtitutionibus, Arreſtis, & Conſtitutionibus Canonicis, aut Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ſunt contrariæ; aut denique, cum Judex Eccleſiaſticus juriſdictionem ſæcularem uſurpat

Appellationes *ab abuſu* ad ſupremas Curias devolvuntur, & ſententiarum executionem ſuſpendunt, excepto eo caſu, in quo agitur de correctione morum Eccleſiaſticæ perſonæ; & quia abuſus non tegitur, nulli incompetentiæ ſubjacent hujuſmodi appellationes, & ſemper admittuntur, etiam in caſu, in quo tres conſequenter interpoſitæ fuiſſent ſententiæ conformes, quibus fuiſſet datus, quia jura privatorum, publico juri poſtponuntur.

CASUS

(1) Vid. *Menda Pontef.* Obſerv. III. num. II.

CASUS PRIMUS.

HIERONYMUS de furto, quod re ipſa commiſit, accuſatus, ab inferiore judice, debita pœna condemnatur: Sed quia damnationis ſuæ non ſuppetunt probationes ſufficientes, ab inferioris judicis ſententia ad ſuperiorem provocat, ut ab eo declaretur innocens. Quæritur, utrum tuta conſcientia id præſtare queat?

RESPONS.

Conſtat, quod quilibet homo in judicio gravatus, ad ſuperiorem judicem poteſt appellare ab eo, uti declarat Innocentius III. (a) his verbis: *Si appellans fuerit gravatus injuſte, gravamen hujuſmodi per ſuperiorem poterit emendari*. Atqui homo in judicio gravari poteſt triplici modo: 1. Quando ut reus damnatus eſt, cum a crimine ſeu delicto coram Deo eſt innocens, quod ipſi adſcribitur, fuitque cauſſa ipſius condemnationis. 2. Cum re ipſa coram Deo reus, talis non eſt coram judice, qui ferre debet ſententiam ſecundum allegata & probata; eumque condemnat, non ſufficientes habens damnationis illius probationes. 3. Denique: Cum reus coram Deo & erga judicem, & juridice convictus de crimine cujus accuſatur, acerbiore pœna damnatur. Unde concludendum eſt, quod in caſu propoſito Hieronymo jus competit provocandi, ab inferiore judice ad tribunal ſuperius, ad reformandam inferioris ſententiam; quod licet reus ſit coram Deo, non eſt tamen reus erga judicem & in foro exteriori, ut ait Gratianus (b): *Sententia, citra ſolitum ordinem judiciorum a præſide prolata, auctoritatem rei judicatæ non habet*. Quam regulam Gratianus e lege Codicis Juſtiniani (c) depromſit. Cum igitur Judex, ſine hujuſmodi probationibus, Hieronymum condemnavit; illegitima eſt ejus ſententia, ac de ea per appellationem ad ſuperiorem conqueri poteſt Hieronymus, illiuſque emendationem poſtulare, uti non ſufficienter convictus: quod congruit cum illis S. Auguſtini verbis (d): *Nos in quemquam ſententiam ferre non poſſumus, niſi aut convictum, aut ſponte confeſſum*. Nihilominus ad reſtitutionem rei a ſe ablatæ tenetur: uti a Confeſſario ſuo monendus eſt.

(a) Innoc. III. in Cap. *Paſtoralis*. 53. de appellat. &c. l. 2. tit. 28.

(b) Gratian. Can. *Et qui appellat*. 2. q. 2. q. 6. 3.

(c) *L. Prolatam*. 4. Cod. de ſententiis & interl. omnium Judic. l. 7. t. 45.

(d) S. Aug. in Can. *Nos*. 1. 2. q. 1.

CASUS II.

ARCHELAUS, Religioſus, graviſſimo & ſcandaloſo admiſſo delicto, propter quod a ſuo Superiore & Capitulo damnatus eſt ad incarcerationem ſemeſtrem, & triduanum in hebdomada jejunium, ad Prælatum majorem regularem provocavit ab ea ſententia. Quæritur, utrum ipſius appellatio ſit legitima, & ſit ſuſpenſiva executionis ſententiæ?

RESPONS.

Si pœnam hanc meretur hic Religioſus, & juxta formam jure ac ſtatutis Ordinis præſcriptam cum eo actum fuerit, ut præſumitur; nulla ei competit ratio provocandi a ſententia lata: 1. Quia a juſto judicio non fit appellatio abſque judicis injuria. 2. Quia, cum de emendatione morum agitur, reus provocare non poteſt a ſententia qua condemnatur, niſi ſit gravatus. Atqui dici nequit, Archelaum in caſu propoſito eſſe gravatum, cum ſit reus de crimine graviſſimo & ſcandaloſo: igitur appellatio ab eo interpoſita, non ſolum injuſta, ſed ne quidem ſententiæ eſt ſuſpenſiva. Angelus (e) & Silveſter (f) ita ſentiunt; quorum prior ſic quæſtionem proponit: *Utrum Religioſus poſſit appellare?* Cui his verbis reſpondit: *Reſpondeo, quod non a correctione ſuorum Prælatorum, ſi fiat ſecundum ſtatuta Ordinis vel Regulæ*. Id ipſum quoque definivit Alexander III. in Concilio Lateranenſi (g), ubi prohibita Religioſis appellatione a juſta Prælatorum ſuorum ſententia, ſubjungit: *præcipue vero hoc in Religioſis volumus obſervari; ne religioſi, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui & Capituli diſciplinam appellare præſumant: ſed devote ac humiliter ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua fuerit eiſdem injunctum* (h). Idem Pontifex ad Abbatem ſcribens, ſtatuit etiam eamdem diſciplinæ regulam his verbis: *Mandamus, quatenus, ſi quando quilibet ſubditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideo minus eum juxta rigorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & inſtitutionem Ordinis, corrigas & caſtiges*. Hujus rei iſtam affert rationem; *Quia remedium appellationis non ideo eſt inventum, ut alicui, a Religionis & Ordinis obſervantia exorbitanti, debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere*.

(e) Angel. v. *Appellatio*. q. 10.

(f) Silveſter ibid. num. 9.

(g) Alex. III. in Conc. gen. Later. in Cap. *Ad noſtram*. 30. & in Cap. *Reprehenſibilis*. 26. de ap. l. 2. t. 28.

(h) Idem ad cit. Cap. *Ad noſtram*.

Tandem diſciplinam ſtatuit Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. cujus ſimilem allatæ ſuperius rationem affert (i): *Cum appellationis remedium non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum*. Hanc tamen pro Religioſis exceptionem addit Silveſter (k): *niſi prælatus excedat modum in corrigendo*, & auctoritatem duarum Decretalium Alexandri III. quæ ad marginem indicantur (l).

(i) Innoc. III. in Cap. *Cum ſpeciali*. p. 61. eod. tit.

(k) Silveſter l. c.

(l) Alex. III. in Cap. *De Priore*. 3. de appellat. & in Cap. *Super*. 15. de officio & poteſt. jud. delegati.

CASUS III.

NICANDER, Religioſus Monaſterii non exemti, graviſſimum commiſit delictum, propter quod ipſius Superior juridicam in eum pronuntiavit ſententiam, qua per biennium carcere continuoque jejunio damnatus eſt. Hic Religioſus ad Epiſcopum e lata ſententia provocare intendit; quæritur, utrum hoc ei jus competat, eoque poſſit uti tuta conſcientia?

RESPONS.

Religioſos ſuos qui pœna digni ſunt, ſine controverſia poſſunt punire Abbates regulares, aut monaſteriorum Superiores: cumque iis pœnitentiæ impoſitæ, Ordinis ſtatutis ſunt conformes, Diœceſanus Epiſcopus iis modum præſcribere nequit; nec damnati Religioſi ad ipſum non valent provocare, ut definivit Alexander III. in Concilio Lateranenſi an. 1179. *Præcipue vero*, inquit hic ſummus Pontifex (m), *hoc in Religioſis volumus obſervari; ne Religioſi, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui & Capituli diſciplinam appellare præſumant: ſed humiliter ac devote ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua fuerit eiſdem injunctum*.

(m) Alex. III. in Cap. *Reprehenſibilis*. 26. de appell. &c. l. 2. tit. 28.

Ratio eſt, quia reus a judicio damnatorio provocare tuta conſcientia non poteſt, niſi ſit injuſtitia vel exceſſus in pœna delicto ſuo inflicta. Unde ſequitur, quod ſi Nicander in eo caſu reperiatur, a ſententia prælati ſui, hoc eſt, legitimi Superioris, appellare nequit; & ſi appellationem interponeret, ad eam nullatenus attendere teneretur ipſius Superior. At ſi Superioris ſui judicio gravatus fuerit hic Religioſus, ac levior pro delicto quod admiſit, Ordinis ſui ſtatutis pœna conſtituatur, ad Epiſcopum Diœceſanum tuto provocare poteſt: cum jure naturali, quiſque injuſtitiam ſibi factam a ſe poſſit propellere. Hæc eſt D. Thomæ doctrina, qui ſic habet (n): *Cum autem Judex aliquem injuſte gravat: quantum ad hoc relinquit ordinem ſuperioris poteſtatis, ſecundum quam neceſſitas ſibi juſte judicandi imponitur. Et ideo licitum eſt ei qui contra juſtitiam gravatur, ad directionem ſuperioris poteſtatis recurrere appellando*. Quod congruit cum antiquo Canone (o), qui ſic habet: *Omnis oppreſſus libere Sacerdotum, ſi voluerit, appellet judicium, & a nullo prohibeatur, ſed ab his fulciatur & liberetur*. Iſtis contextibus non excipiuntur Religioſi, qui etiam præ ceteris omnibus Prælatorum merentur patrocinium. Unde Alexander III. in una e ſuis Decretalibus ad Archiepiſcopum Eboracenſem, vult ut ſevere puniatur Prior regularis, qui Religioſum ſuum, nulla habita ipſius ad ſanctam Sedem appellationis ratione, immoderatius caſtigaverat (p).

Deciſionem hanc afferunt Silveſter (q), Navarra (r), uti Sairus (ſ), Azorius (t), treſque alii Auctores, quos laudat Sylvius (u) ipſis aſſentiens; qui obſervat Navarram & Sairum addere, quod, quamvis Religioſus injuſto judicio gravatus, ab eo appellare non poſſet: ſaltem ei competeret jus querelæ apud Superiorem illius, qui injuſte ſecum egiſſet: & ab eo patrocinium illius poſſet requirere; quod ipſi concedere teneretur ille Superior, poſt accuratam facti inquiſitionem.

(n) S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3. ad 1.

(o) Can. *Omnis*. 2. 3. q. 6.

(p) Alex. III. in Cap. *De Priore*. 31. de app. &c.

(q) Silv. v. *Appellatio*. q. 7.

(r) Navar. l. 2. conſil. de appellat. conſ. 4.

(ſ) Greg. Sairus. 12. clavis Regiæ c. 27.

(t) Joan. Azor. Inſt. Moral. p. 1. l. 11. q. 13.

(u) Franc. Sylvius Reſolut. var. v. *Appellatio regularium*.

Ceterum juvat obſervare, nec Decretalem Alexandri III. ad Abbatem S. Petri *(a)*, nec Concilium Tridentinum *(b)*, hactenus dictis adverſari; quia, ut obſervat idem Sylvius, non loquuntur de iis, qui injuſte gravantur: ſed ſolum de illis, qui abſque cauſſa, & ut debitam delictis ſuis pœnam declinent, ad appellationem recurrunt, aut e Monaſteriis ſuis effugiunt. *Quibus conſideratis*, inquit doctus ille Theologus, *dicendum eſt, quod Religioſi, ad injuſtam vexationem propulſandam appellantes, nec in carcerem mitti poſſunt, nec impediri, ne ſuam appellationem proſequantur; ſicut nec Ordinarii eas, ſine venia repertos extra conventum, detinere vel punire poſſunt: ſi fidem ſufficientem faciant juſtæ cauſſæ, cur ad Superiorem fugiant*.

(a) Alex. III. in Cap. *Ad noſtram*. 3. de appellationibus &c.

(b) Conc. Trid. ſeſſ. 2. de regularibus & monialibus. c. 4.

CASUS IV.

Gabinius centum nummos Mævio furatus & captus ac juridice de eo furto convictus, patibulo damnatus eſt: quæritur, utrum abſque peccato ab ea poſſit ad ſupremam Curiam provocare ſententia; ſeu ut mitius obtineat judicium; ſeu ut vitam producat?

Respons.

Quamvis juſta ſit judicio ſubalterni in Gabinium ſententia; nec is per eam poſſit dici gravatus, quia conſentanea eſt legibus pœna ipſi conſtituta, qua cum legitima & ſufficienti probatione damnatus eſt; certum eſt tamen, eum ſine peccato ad Superiorem Judicem poſſe appellare: quia in tali caſu, legibus eccleſiaſticis & civilibus, licita eſt appellatio. *Liceat etiam in criminalibus cauſſis appellare*, inquit Canon antiquus *(c)*; *nec appellandi vox denegetur ei, quem ſupplicio ſententia deſtinavit*. Leges etiam civiles reis magis favent, quam eccleſiaſticæ, licet damnatis. Lege namque civili *(d)*: *Non tantum ei qui ad ſupplicium ducitur, provocare permittitur; verum alii quoque, nomine ejus, non tantum ſi ille mandaverit. verum quiſquis alius procurare voluerit: neque diſtinguitur, utrum neceſſarius ejus, id eſt, convictus*, (inquit Gloſſa) *ſit, nec ne. Credo enim humanitatis ratione omnem provocantem audiri debere. Quid ergo, ſi reſiſtat, qui damnatus eſt, adverſus provocationem, nec velit admitti ejus appellationem, perire feſtinans? Adhuc putem differendum ſupplicium*. Ratio autem hujus Legis, quæ ex Ulpiano deducta poteſt afferri, eſt, *quia non auditur perire volens*. Sic caſum iſtum an. 1668. definivit inclytus Theologus *(e)*; & ratio, propter quam cuique appellationem liceat interponere pro reo, etiam invito, eſt communitatis utilitas intuenda, & conſervanda vita concivis damnati.

(c) Can. *Liceat*. 20. 2. q. 6.

(d) L. *Non tantum*. 6. ff. de appellationibus, &c. l. 49. tit. 1.

(e) De Ste. Beuve tom. 1. Caſ. 166.

CASUS V.

Ludovicus favorabilem obtinuit ſententiam in Laurentium, ſuper litem qua inter ſe diſſidebant. Attamen jus Laurentii eſt probabile, etſi probabilius ſit jus Ludovici. Petitur, utrum Laurentius poſſit ab ea ſententia appellare?

Respons.

Ut propoſitæ difficultati reſpondeatur, utendum diſtinctione: nam, vel cauſſa eſt criminalis, vel ſolum civilis. Si ſit criminalis, & vita aut mutilatio periclitetur; Laurentius abſque peccato a ſententia poteſt provocare, cum jus ſuum ſit probabile. At ſi de cauſſa tantum civili agatur; v. g. de dominio agri, domus, aut alterius rei, quam jam poſſideat Ludovicus; Laurentio, qui opinionem tantum probabilem habet in probabiliorem, non competit jus appellandi; quia, ut ait Alexander III. *(f) De jure, melior eſt conditio poſſidentis*: quod etiam affirmat Boniſacius VIII. in hac juris regula *(g)*: *In pari delicto vel cauſſa, potior eſt conditio poſſidentis*: quæ regula, pariter lege *(h)* civilis accipitur & confirmatur. Nihilominus, ſi rem conteſtatam non poſſideret Ludovicus; in eo caſu, Laurentius a ſententia ſibi contradicente, appellationem poſſet interponere.

(f) Alex. III. in Cap. *Ad aures*. 6. de præſcriptionibus. l. 2. tit. 26. & in Cap. *Quod autem*. 5. de jure Patronatus. l. 3. tit. 38.

(g) Boniſac. VIII. Reg. 65. de reg. jur. in 6.

(h) L. *Quoties*. 11. C. de rei vindicatione l. 3. tit. 32. Et reg. 126. ff. de diverſis reg. juris antiqui l. 50. tit. 17.

CASUS VI.

Publius, amiſſa lite quam injuſte ex odio intulerat Claudio, ab inferiore ad ſuperiorem Judicem cauſſam promovit. Nondum dijudicata appellatione, Publius tempore Paſchali ſuum adivit Parochum ad confeſſione, ſeque accuſavit de injuſta ſua provocatione contra Claudium. Qua de re quæritur, utrum hic homo, denegata voluntarie appellationis ſuæ remiſſione, a ſuo Parocho potuerit abſolvi, an vero ei abſolutio debuerit recuſari.

Respons.

Præclara iſta regula, quam S. Antoninus e S. Bernardo deprompſit, fulcienda eſt propoſitæ difficultatis ſolutione *(i)*: *Non eſt appellatio ſuffugium, ſed refugium; ſed antidotum verſum eſt in venenum: qui enim non vere gravatus appellat, ut frequenter accidit, aut gravare intendit, aut tempus remittere*.

(i) S. Bern. l. 3. de Conſiderat. c. 3. apud S. Anton. tom. 3. Sum. Hiſtorialis pag. 48. edit. Lugdun. an. 1587.

Hoc ſuppoſito, dicimus, Publium non ſine culpa potuiſſe appellationem interjicere in caſu propoſito; quod cum fecerit, juxta legem civilem ab Eccleſia approbatam, & in Canone Decreti Gratiani his Paulli Juriſconſulti relatam verbis *(K)*, *omnino puniendus eſt; ut quoties injuſta appellatio pronuntiatur, ſumtus quos, dum ſequeretur adverſarius, impendit, reddere cogatur, non ſimplos ſed quadruplos*.

(k) Can. *Omnino*. 27. 2. p. 6.

2. Cum interpoſita a Publio appellatio ſit injuſta, & nixa ipſius in Claudium odio, ut ſupponitur; cumque in ſua perſeveret injuſtitia propter negatam remiſſionem ſuæ appellationis: exiſtimamus contra opinionem moderni Theologi *(l)*, Publium a ſuo Parocho non poſſe abſolvi: licet enim appellationis judicium ad ſuperiorem judicem pertineat, ac temere appellans impenſis debeat ab eo condemnari; hoc non obſtat, quominus Confeſſarius cui Pœnitens ſuam declarat injuſtitiam, eum adigere debeat ad eam reparandam ante appellationis ſolutionem: atqui Publius injuſtitiam ſuam confitens, eam facile, ab appellatione ſua deſiſtendo, reparare poteſt: ad id itaque debet adigi a Confeſſario per negationem abſolutionis; quam ſi concederet, litis injuſtitiæ vim ac robur adderet, quæ non minus poſt, quam ante appellationem ſubſiſtit.

(l) De Ste. Beuve tom. 1. Caſ. 161

Inſuper, a Confeſſario non ſimpliciter permitti debet ſententiæ judicis illati Claudio damni reparatio; quod Publium videlicet ſumtibus ſit damnaturus. 1. Namque fieri poteſt, uti ſæpe evenit, vel ipſum judicaturum, remiſſis utrimque impenſis, vel Publium non iis eſſe damnandum impenſis, quæ pretio adæquent impenſas a Claudio in litis contentione factas: cum certum ſit, litigatores non profuturis abſumi impendiis, quæ videlicet ad impenſarum taxationem non referuntur, quamvis legitime debita; qualia ſunt v. g. jactura temporis reſpectu artificis; vecturæ pro eo, qui pedes jus ſuum apud cognitores ac judices perſequi nequit: damnum quod patitur mercator, abſens a ſua taberna ac commercio, ut liti ſuæ det operam; & alia ſimilia.

His addendum, quod Publius denegans revocationem ſuæ appellationis, manifeſte oſtendit, quod in animo ſupereſt odii fomes, quo motus litem intulit, quam injuſtam agnoſcit; unde non ſufficienter ad abſolutionem recipiendam eſt diſpoſitus, eaque ob iſtam cauſſam debet recuſari.

CASUS VII.

Sempronius, de delicto juridice accuſatus, quod re ipſa admiſit, a quibuſdam formulis a judice factis in proceſſus informatione appellavit; eo conſilio, ut rem intricatam longius produceret, atque ita per tempus ſibi liceret parare amicos apud partem adverſam, & judices qui litem debent dirimere; ſicque commodius referre judicium. Petitur, utrum abſque peccato appellationem hanc interponere potuerit?

Respons.

Si juridice & conformiter ad conſtitutiones Principis factæ ſint formulæ, a quibus provocavit Sempronius, talis appellatio eſt illicita. Ratio eſt, quia injuriam infert judici a quo appellavit, & ordinem juſtitiæ erga proximum & communitatem, quantum in ſe fuit, perturbavit. Hæc eſt D. Thomæ doctrina his verbis *(m)*: *Duplici de cauſſa contingit aliquem appellare. Uno quidem modo, confidentia juſtæ cauſſæ: quia ſcilicet injuſte a judice*

(m) S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3. in corp.

gra-

Digitized by Google

gravatar : & ſic licitum eſt appellare … alio modo aliquis appellat cauſſa afferendæ moræ, ne contra eum juſta ſententia proferatur : & hoc eſt calumnioſe defendere, quod eſt illicitum … facit enim injuriam & judici, cujus officium impedit, & adverſario ſuo, cujus juſtitiam, quantum poteſt, perturbat. Et ideo, ſicut dicitur 2. *q.* 6. omnino puniendus, cujus appellatio injuſta pronuntiatur.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex Decretali, in qua declarat Innocentius III. *(a)* appellationem in jus fuiſſe inductam, ne inſontes a ſubalternis judicibus opprimerentur, non vero ut iniquitas defenderetur, ac jus retardaretur : *cum Appellationis remedium*, inquit, *non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed in præſidium innocentiæ inſtitutum*. Huic poteſt addi auctoritas S. Bernardi *(b)* qui eodem nixus principio diait : *Iniqua autem omnis appellatio, ad quam juſtitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves; ſed ſi graveris, licet … qui igitur non gravatus appellat*, concludit, *liquet, quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non eſt autem ſuffugium appellatio; ſed refugium.* Attamen, *quantos novimus appellaſſe pulſatos*, pergit S. Doctor, *quo interim liceret; quod numquam licet? nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuiſſe appellationis ſuffragio nefaria, ſcimus.*

(a) Innoc. III. in Cap. *Cum ſpecialis* §. *Porro*. de appellationibus &c. l. 2. tit. 28.

(b) S. Bern. lib. de conſideratione, 2. n. 7.

CASUS VIII.

Sebastianus apud Turcas degens, a judice Chriſtiano mille libris multatus eſt, quod prævaricatus ſit in commercio, quod Galli in Oriente exercent. Petitur, utrum ad judicem ſuperiorem qui eſt infidelis, provocare poſſit?

Respons.

Conſtat evidenter, Sebaſtianum tale non poſſe, peccato mortali, interponere appellationem, aliunde incurſurus excommunicationem, ut ſtatuit quartum Concilium Carthaginienſe an. 398. quod refert Gratiani Decretum his verbis *(c)*; *Catholicus, qui cauſſam ſuam ſive juſtam, ſive injuſtam, ad judicium alterius fidei judicis provocat, excommunicatur.* Atqui pœna excommunicationis omnium eſt maxima, quæ peccatori ab Eccleſia poſſit infligi : quandoquidem, ut ait Innocentius III. *(d)* ſit mors animæ, atque ea ratione, non niſi ob peccatum mortale poſſit infligi, ut declarat Meldenſe Concilium an. 845. *(e)*: *Anathema eſt mortis æternæ damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine.*

(c) Can. *Catholicus*. 32. 2. q. 6.

(d) Innoc. III. in Cap. *Per venerabilem*. 13. qui filii ſint legitimi. lib. 4. tit. 17.

Hæc deciſio eſt S. Thomæ *(f)*, qui laudato ſuperius Concilii Carthaginienſis Canone, ſuam probat ſententiam. En ipſius verba : *quia non præſumitur eſſe rectitudo, ubi vera fides non eſt; ideo non licet Catholico ad infidelem judicem appellare, ſecundum illud* 2. *q.* 6. *c.* Catholicus &c. *Nam & Apoſtolus arguit eos, qui judicio contendebant apud infideles (g).*

(e) Conc. Meldenſe. c. 59. in Can. *Nemo*. 41. 11. q. 3.

(f) S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3. ad 1.

(g) 1. Cor 6. 6.

CASUS IX.

Episcopus quidam in Parochum ſuæ Diœceſis, de atroci crimine accuſatum, inquiſivit, quod octo vel decem teſtium integerrimorum teſtimoniis eſt compertum; cumque ab inquiſitione ad Metropolitanum appellaſſet hic Parochus; in eam tamen Epiſcopus aut ejus Officialis, ſententiam excommunicationis pronuntiavit. Quæritur, utrum vere ſit excommunicatus, ita ut ipſius appellatio excommunicationis ſententiam poſſit ſuſpendere?

Respons.

Parochus ille non eſt vere excommunicatus; quia Judex qui ſententiam tulit, appellatione erat obſtrictus, quamvis eſſet injuſta, nullaque ratione ſubnixa. *Sententia lata per inferiorem Prælatum, poſtquam appellatum fuit ad ſuperiorem, non ſolum injuſta, ſed etiam nulla eſt, ex defectu poteſtatis*, inquit peritus Canoniſta *(h)*. Hinc Alexander III. in una ex ſuis Decretalibus ad quemdam Præſulem *(i)*, loquens de Sacerdote, qui, non obſtante pronuntiata excommunicatione contra ſe celebrarat, poſt interpoſitam ſuam appellationem; declarat hoc illi Sacerdoti tamquam crimen non eſſe adſcribendum. *Mandamus, quatenus prædictum Presbyterum, pro eo, quod poſt excommunicationem, contra appellationem factam divina cantavit, nullatenus inquietes, ſed ad eum ſtatum reduces omnia, in quo erant tempore appellationis emiſſæ.* Huic deciſioni congruit Innocentius III. *(K)* his verbis : *Sententiam ipſam, ab eo poſt appellationem legitime promulgatam, irritam decernimus & inanem … eamdem ſententiam poſt appellationem promulgatam, decernimus viribus caruiſſe.* Idem definivit Lucius III. ſcribens ad Epiſcopum Norvicenſem propter quorumdam interdictum *(l)*. *Noveris*, inquit hic ſummus Pontifex, *quod, ſicut poſt appellationem excommunicari non poſſunt; ſic interdictum nequeunt, cui ante appellationem eos conſtat ſuppoſitos, declinare.* In una Decretali ad Decanum Eccleſiæ Rotomagenſis eodem modo rem definit Cæleſtinus III. *(m)* loquens de appellatione interjecta ante eventum conditionis, ſub qua lata fuerat ſententia excommunicationis. „Denique idem dici debet, „quando ſententia excommunicationis eſt tantum „declaratoria, hoc eſt cum judex eccleſiaſticus „tantum declarat, quempiam incurriſſe excommunicationem, jure vel conſtitutione latam per „tale factum : nam interpoſita appellatio ab illa „ſententia impediret, ne reus denuntiaretur ex„communicatus; quia denuntiatio eſt effectus ſen„tentiæ declaratoriæ, qui per appellationem ſuſ„penditur „. Hæc ſunt verba Colloquiorum eccleſiaſticorum Diœceſis Andegavenſis menſe junio ann. 1611. *(n)*.

(h) Joan. Cabaſſut. Jur. Can. theor. & prax. l. 5. c. 10. n. 22.

(i) Alex. III. in Cap. *Ad præſentiam*. 16. *De appellationibus*. &c. l. 2. tit. 28.

(K) Innoc. III. in Cap. *Dilectis*. 55. eod. tit.

(l) Lucius III. in C. *Ad hæc*. 37. de appellationibus &c. l. 2. tit. 28.

(m) Cæleſtin. III. in Cap. *Præterea*. 30. eod. tit.

Angelus de Clavaſio. v. *Appellatio*. q. 1.

Silveſter & alii commoniter.

(n) Q. 2. p. 141.

CASUS X.

Isidorus Agricola, in Eccleſia Parochiali immodeſte omnino ſe gerens contra ſeptum Aræ maximæ; cum a ſuo Parocho, qui multis tum ſacrum Domini corpus porrigebat, monitus eſſet ut recederet, arroganter ac faſtidioſe reſpondit, id ſibi non placere; qua de re cum Parochus apud Officialem poſtridie fuiſſet conqueſtus, hic homo, poſtulante promotore, in judicium pro cauſſa criminali adductus eſt. At cum ipſi vadimonium per ſe obeundum denuntiatum Officialis juſſu fuiſſet, ab eo tamquam ab abuſu appellavit ad Judicem Regium. Numquid Officialis, ſpreta appellatione, proceſſum continuare poteſt, atque contra appellantem ferre ſententiam?

Respons.

Abſque dubio proceſſus ſeriem contra Iſidorum perſequi, & eum debita condemnare pœna poteſt Officialis. Ratio eſt, quia ipſius inobedientia & ſcandalum, cujus cauſſa fuit, haberi debent tamquam divini Officii turbamentum; qui caſus ad Officialis cognitionem, alio quolibet excluſo Judice, pertinet : quare hujuſmodi appellatione impediri non poteſt Judicis eccleſiaſtici poteſtas. Quod ita ſtatuit Edictum an. 1539. *(o)*.

(o) Edict. an. 1539. art. 1. 2. 3. & 4.

Hæc deciſio conformis eſt huic decreto Concilii Tridentini *(p)*. *Epiſcopi … in omnibus his quæ ad viſitationem ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, jus & poteſtatem habeant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi puniendi & exſequendi, juxta canonum ſanctiones, quæ illis & prudentia ſua, pro ſubditorum emendatione, ac Diœceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur; nec his, ubi de viſitatione aut morum correctione agitur, exemtio, aut ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela etiam ad ſedem Apoſtolicam interpoſita, exſecutionem eorum, quæ ab his mandata, decreta aut judicata fuerint, quoque modo impediat aut ſuſpendat.*

(p) Conc. Tr. ſeſſ. 24. c. 10. de reform.

Hæc diſciplina admittitur in Gallia, ubi in pari caſu appellatio tamquam ab abuſu, ſuſpenſivum non habet effectum, juxta Edicta, Aurelianenſe ann. 1560. Melodunenſe & Bleſenſe *(q)*, quæ in eo conformia ſunt Edictis Franciſci I. an. 1539. quod jam ſuperius laudavimus, & Caroli IX. an. 1671. *(r)*

(q) Edict. Melod. a. 1. Edictum Bleſenſe an. 62.

Circa præſentem difficultatem juvat obſervare, 1. uſum appellationum ab abuſu in Galliam non fuiſſe inductum, niſi ineunte regno Caroli VIII. cum de ea nulla fiat mentio ante id temporis, neque in antiquo ſtilo Senatus Pariſienſis, neque in Auctoribus qui ante an. 1414. ſcripſere, ut *Joannes Galli* Cauſſidicus Regius; atque hunc uſum hodie in quatuor dumtaxat caſibus eſſe approbatum.

(r) Edictum an. 1571. art. 1.

1. Quan-

1. Quando appellans prætexit, Judicis eccleſiaſtici ſententiam eſſe latam contra Regia Edicta. 2. Contra Sacrorum Canonum præſcripta. 3. Contra jura & Libertates Eccleſiæ Gallicanæ. 4. Denique cum Judex eccleſiaſticus exceſſit limites propriæ juriſdictionis, per uſurpationem Regiæ juriſdictionis. Ita advertit Cabaſſutius (*a*), quo confirmatur hæc deciſio; cum Officialis de quo in caſu propoſito, non niſi conformiter ad Conſtitutiones eccleſiaſticas (*b*) & edicta Regia proceſſiſſe cenſeri poſſit.

(*a*) Joan. Cabaſſus. Juris Can. theor. & prax. l. 4. c. 18. n. 16, & c. 23. n. 1.

2. Sententiam Officialis in uno capite *abuſivam*, talem in omnibus, licet de ſe non ſint talia, eſſe cenſendam. Ratio eſt quia ſecundum juris effectum, *cauſſa judicata eſt individua*: & quidquid profert Judex, eſt invalidum, quando excedit ſuam poteſtatem, juxta regulam iſtam: *Ea, quæ fiunt a judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt* (*c*); quam Boniſacius depromſit ex hac alia antiqui juris Romani regula: *Factum a Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt* (*d*). Hanc animadverſionem confirmant multa Arreſta quæ refert Albertus (*e*); & inter cetera Arreſtum Parlamenti Toloſani 10. Julii an. 1645. Si tamen abuſus levis eſt, Curia vulgo pronuntiat, *nulla habita ratione appellationis tamquam ab abuſu*; ac cetera ſententiæ capita confirmat.

Vide Caſum IX.

(*b*) Alex. III. in Cap. *Ad noſtram*. 3. Et in Cap. *Reprehenſibilis*. 26. de appellationibus &c. l. 2. tit. 28.

(*c*) Reg. 26. de reg. Juris in 6.

(*d*) Reg. 170. ff. de diverſis regulis Juris antiqui.

CASUS XI.

Julianus, Sacerdos e Diœceſi Pariſienſi, Lagniaci in eadem Diœceſi habitans, damnatus ab Officiali ab ejus ſententia Romam appellavit; ac ſummus Pontifex appellationis judicem Epiſcopum Bleſenſem, aut ipſius Officialem delegavit. Quæritur, utrum Juliani pars adverſa ſub peccati conſcientia teneatur ad ſubeundam Judicis delegati ſententiam?

(*e*) Albert, v. *Official*, art. 9.

R e s p o n s.

Reſpondemus 1. quod ſi ſententia a qua appellatur, in Julianum ab Officiali Pariſienſi lata fuerit, appellatio eſt illegitima & invalida; quia in Gallia, Romam, *omiſſo medio*, non poteſt interponi appellatio, juxta Concordatum initum inter Leonem X. & Franciſcum I. En ipſius verba (*f*): *Statuimus quoque & ordinamus, quod in Regno, Delphinatu & Comitatu, prædictæ omnes & ſingulæ cauſſæ, exceptis majoribus, in jure expreſſe denominatis, apud illos judices in partibus, qui de jure aut conſuetudine præſcripta, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant. Et ne ſub umbra appellationum, quæ nimium & nonnumquam frivole interponi conſueverunt, ... vexationibus materia præbeatur; volumus, quod ſi quis offenſus coram ſuo Judice, juſtitiæ complementum habere non poſſit, ad immediatum ſuperiorem per appellationem recurſum habeat, nec ad aliquem ſuperiorem, etiam ad nos & ſucceſſores noſtros, vel ſedem prædictam, omiſſo medio .... quomodolibet appelletur.*

(*f*) Concord. tit. de frivolis appellationib. §. *Et ne ſub umbra*.

(*g*) Conc. gener. Later. c. 37. in Cap. *Nonnullis*. 28. de reſcriptis. l. 1. tit. 1.

2. Si ſententia, a qua appellavit Julianus, dicta ſit ab Officiali Lugdunenſi, qui eſt judex ſuperior immediatus judicis Pariſienſis; appellatio eſt quidem legitima: ſed pars adverſa Juliani non ideo tenetur ad ordinandam litem coram Epiſcopo, vel Officiali Bleſenſi; quia ex dicto Concordato, ſummo Pontifici non competit jus in Gallia committendi Judicem, qui *extra duas legales dietas*, diſtet e partium domicilio; neque Epiſcopo aut Officiali delegato vi commiſſionis ſuæ proceſſum inſtruendi, ferente Concordato: *Si ab illis appellari contigerit ... committi debet in partibus convicinis*. Cum igitur Bleſæ Lagniaco & Lugduno amplius duas dietas diſtent, denuntiatus non tenetur in conſcientia Judici huic obſequium præſtare.

Obſervandum hac de re 1. locum, ut diximus, quo remitti debent cauſſæ hujuſmodi, non amplius quam duas dietas debere eſſe diſſitum a finibus Diœceſis ubi reus habitat, ut diu ante Concordatum jam fuerat conſtitutum in Concilio generali Lateranenſi (*g*) his terminis: *Statuimus, ne quis ultra duas dietas extra ſuam Diœceſim per litteras Apoſtolicas ad Judicem trahi poſſit, niſi de aſſenſu partium fuerit impetratæ*. Quod confirmatum in Concilio Tridentino (*h*) in Gallia obſervatur.

(*h*) Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 9.

2. Dietas ſecundum conſuetudinem loci eſſe numerandas, ut advertit Gloſſa (*i*); & quamlibet dietam, regulariter loquendo, vicena continere paſſuum millia, quæ duas circiter leucas complectuntur, ut ait Lex ad marginem indicata (*k*), & Auctor Gloſſæ in unam Conſtitutionem Boniſacii VIII. (*l*).

(*i*) Gloſſa in cit. Cap. *Nonnulli*. v. *Ultra duas dietas*.

(*k*) L. *Vicena*. 3. ff. ſi quis l. 2. tit. 12.

3. Si longius ſe transferre conſentiat reus, reſcriptum ibi poſſe exſecutioni mandari, ut fert ejuſdem Pontificis Conſtitutio.

4. Si officialis delegatus, plus quam duabus dietis remotus, ad requiſitam diſtantiam, vel propriis vel Actoris ſumtibus ire velit; reum tunc teneri ad ſe conferendum in locum deſtinatum, ut obſervat eadem Gloſſa, & ſtatuit Decretalis Honorii Papæ III. (*m*).

(*l*) Gloſſa in Cap. *Præſenti*. 34. de præb. & dignit. in 6. l. 3. tit. 4.

5. Denique neceſſe eſſe, ut Judex delegatus, non modo non amplius duarum dietarum ſpatio diſtet, ſed inſuper ut ſit intra limites Parlamenti, cujus juriſdictioni litigantes ſubjacent, ut probat Fevretus (*n*) per multa Arreſta, & unum præcipue Arreſtum Senatus Pariſienſis an. 1491. & per aliud Parlamenti Divionenſis 19. Feb. ann. 1613. quod latum eſt ob reſcriptum, quod a Curia Romana obtinuerat Antonius Arnulphus, Sacerdos, ortu Auſſonenſis, Religioſus Cæleſtinus.

(*m*) Honorius III. in Cap. *Olim*. de exceptionibus. l. 2. tit. 25.

(*n*) Carolus Fevretus. tract. de Abuſu. l. 4. c. 2. n. 10.

CASUS XII.

(1) Pamelius, Galliæ Epiſcopus, Officialis ſui miniſterio ſententiam excommunicationis majoris tulit in Joſephum, Parochum ſuæ Diœceſeos. Verum ab ea tamquam abuſiva ad Parlamentum provocavit ille Parochus, defendens, ſententiam Officialis Epiſcopi manifeſto eſſe invalidam; atque Arreſtum conſecutus eſt, quo Curia ſententiam abuſivam declarat; Parochum ad Epiſcopum remittit, ut ab excommunicatione abſolvatur, & ad priſtina Parochi munia reſtituatur; atque jubet Epiſcopo, ut eum abſolvat, propoſita etiam temporalium bonorum juridica detentione. Andreas urbis Epiſcopalis Parochus & ordinarius Confeſſor, quatuor aut quinque Conſiliariorum, qui rei Judices fuere, poſtulat, utrum eos abſolvere poſſit, etſi in ſimili cauſſa, uti in iſta, ſententiam ſuam dicere eodem modo perſeverent.

R e s p o n s.

Ut propoſitæ difficultati fiat ſatis, duo præſupponenda ſunt principia. Primum: quod nullum, ſæcularibus Principibus in ſpiritualem Eccleſiæ juriſdictionem jus competit, ut nullum Eccleſiæ in temporalem eorum poteſtatem. Alterum: quod Princeps, & ſub eo ipſius Parlamenta, Eccleſiaſticam diſciplinam tueri debent: quo titulo ejuſdem diſciplinæ obſervationi conſulere, pacemque ſeu in Eccleſia, ſeu in Regno procurare poſſunt, immo & debent.

Hinc ſequitur, quod, quamvis Principibus aut eorum Officialibus juridicis, nulla in ſpiritualem Eccleſiæ juriſdictionem poteſtas conveniat; atque adeo ab excommunicatione lata ab Epiſcopo aut ejus Officiali nequeant abſolvere; iis tamen jure poſſunt obſiſtere: qui auctoritate ſua ſpirituali nixi, poteſtate ſua abutuntur; inconſideratius iniquas ferendo excommunicationes, quæ frequenter eccleſiæ & Regno tumultum injiciunt.

Ob eam cauſſam Principes, vel religione ſua præcipui ſuarum eſſe partium exiſtimaverunt, ut auctoritate ſua, quorumdam Præſulum injuſtitias vimque refrenarent. Cujus rei primum ſuppeditat exemplum Imperator Juſtinianus (*o*), qui per unam ex ſuis Conſtitutionibus 1. Epiſcopis prohibet, ne abſque legitima cauſſa quemque fidelem excommunicent: *Omnibus autem Epiſcopis & Presbyteris interdicimus, ſegregare aliquem a ſacra communione, antequam cauſſa monſtretur, propter quam ſanctæ regulæ hoc fieri jubent*. 2. ſtatuit, ut, *ſi quis autem præter hoc a ſancta communione quemquam ſegregaverit; ille quidem qui injuſte a communione ſegregatus eſt, ſolutus excommunicatione a majore Sacerdote, ſanctam mereatur communionem*. 3. Jubet, ut injuſte excommunicatos, ad arbitrium Superioris ſui, tamdiu ipſe excom-

(*o*) Nov. 123. de ſanctiſſimis Epiſcopis &c. c. 11. (auth. collat. 9. t. 6.)

(1) Vid. *Mendo Pentaſ.* Obſerv. IV. num. VI.

tur : *Qui vero*, inquit, *aliquem a ſancta communione ſegregare præſumpſerit, modis omnibus a Sacerdote, ſub quo conſtitutus eſt, ſeparabitur a communione, quanto tempore ille perſpeaerit, ut quod injuſte fecit, juſte ſuſtineat*.

Fruſtra in hanc Imperatoris Legem, quis objiceret, ſæcularem Principem eſſe, qui in propria ſua cauſa loquitur, ac talem ſibi proprio marte authoritatem vindicat : Nam 1. S. Gregorius (*a*) qui multas Chriſtianorum Imperatorum leges, uti obſervatum a nobis fuit in hujuſce Operis præfatione, admiſit, atque ampliſſimis laudibus cumulavit; talem conſtitutionem juſtam eſſe agnoſcit, quandoquidem ad Joannem Locridis in Albania Epiſcopum ſcribens, agnoſcit, Sententiam ab eo in Hadrianum Thebarum Epiſcopum latam, eſſe invalidam; quod in ea ferenda non obſervaſſet Leges Imperiales, atque, ut loquitur, *Juſſa imperialia, & contra leges ... Canoneſque prolata, ipſo non poterat jure ſubſiſtere*.

(*a*) S. Greg. l. 2. Ep. indict. XI. Epiſt. 6.

2. Antiquum Pariſienſe Concilium, in Decreto Gratiani laudatum (*b*) declarat, hanc eamdem Juſtiniani legem ab Eccleſia approbari : *de illicita excommunicatione Lex Juſtiniani Imperatoris Catholici, quam probat & ſervat Catholica Eccleſia*, cujus textum refert; & poſtea Sancti Gregorii, de quo modo authoritatem laudat.

(*b*) Conc. Pariſienſ. in c. de illicita 6. 24. q. 3.

3. Eo etiam certiſſimo argumento aſſeritur Principis aut ipſius Officialium poteſtas ad obligandum Epiſcopum, ut ab injuſta ligatum excommunicatione ſolvat; quod, cum fideles coram ſe in jus vocati ob cauſas omnino civiles decernerent Judices Eccleſiaſtici, abuſum hunc emendare curaverit Sanctus Ludovicus, expreſſo ſubditis ſuis prohibens Edicto, ne in illo caſu Judicibus iſtis ſe ſiſterent; ad quod, ſi forte cogerentur per viam excommunicationis, latam Sententiam revocare teneretur Judex Eccleſiaſticus, ſub pœna juridicæ detentionis temporalium ſuorum.

Præſuppoſitis duobus his principiis, conſtat, appellationem tanquam ab abuſu eſſe legitimam. 1. Cum ſubeſt oppreſſio ac violentia; nam juris ac patrocinii ſui ſubditis ſuis debitor eſt Princeps. 2. Cum accepti in Regno violantur Canones : quia Canonum Rex eſt defenſor, eorumque obſervationi invigilare debet. 3. Cum Edicta, Ordinationes, & Concordata, aut Privilegia Eccleſiæ Gallicanæ infringuntur : quo caſu juſta eſt appellatio ab abuſu, quando aliqua reperitur juris nullitas in ſententia aut in proceſſu : ut cum fertur excommunicationis ſententia in Officialem ſæcularem in iis, quæ pertinent ad ejus officium : tum enim valet imprimis illud Sancti Gregorii (*c*) & Simplicii Papæ (*d*) ad Epiſcopum Ravennatem ſcribentis. *Privilegium dignitatis meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate* : Eo nixus firmamento Generalis Procurator Senatus Pariſienſis an. 1385. declaravit, ſui eſſe officii, conatus atque abuſus ſpiritualis juriſdictionis in temporalem reprimeret, eoſque revocari curaret.

(*c*) S. Gregor. in Can. privil. 63. 11. q. 3.
(*d*) Simplicius Epiſt. 2. Joan. Epiſcop. Ravennat. in Canon. ubi 7. diſt. 74.

Colligimus igitur, quod ſi quatuor aut quinque Conſiliarii, quos ad confeſſionem excipit Andreas, legitimam habuerint cauſam ſic ſentiendi contra Epiſcopum, de quo in ſpecie propoſita fit mentio : eos Parochus ille poteſt, imo & debet abſolvere, cum damnari nequeat eorum impoſterum tali modo ſentiendi conſilium.

CASUS XIII.

Hugo, Sacerdos, quem judici Promotor perſecutus eſt, Officialis ſententia declaratus eſt ſuſpenſus : unde poſtea ad Metropolitanum convocavit. Quæritur, utrum ipſius appellatio ſit ſuſpenſiva effectus cenſuræ, ita ut abſque peccato mortali, functiones ſuas Eccleſiaſticas, ut antea, poſſit obire?

RESPONS.

Certum eſt, appellationem ad quemlibet ſuperiorem nunquam eſſe ſuſpenſivam cenſuræ latæ, qua tenetur appellans; quocirca Hugo in eo caſu in functionum ſuarum exercitio perſeverare, abſque reatu peccati mortalis & irregularitatis non poteſt. Hanc deciſionem firmat Decretalis Innocentii III. ad Epiſcopum Elnenſem (*e*), in qua aſſerit hic Summus Pontifex, excommunicationem; (idem dicendum de aliis cenſuris) ſemel latam, ſuum producere effectum : *cum executionem excommunicatio ſecum trahat*. Unde aſſerit Author Gloſſæ, excommunicationem, cum ſemel eſt valida, ſtatim ligare reum (*f*) *ſtatim ligat ſententia excommunicationis, vel ſaltem nulla eſt*. Atqui judicium jam executioni mandatum nunquam ſuſpendit appellatio; unde concludendum eſt in caſu propoſito, Hugonem cenſura ipſum lata obſtrictum teneri, non obſtante quacumque appellatione ipſius.

(*e*) Innoc. III. in cap. Paſtoralis 53. de appellat. recuſar. & relationibus l. 2. tit. 28.
(*f*) Gloſſa in cit. cap. Paſtoralis v. Excommun.

Hanc diſciplinæ regulam confirmavit Concilium Tridentinum (*g*) declarans, quod in iis, quæ pertineant ad morum correctionem & Eccleſiæ diſciplinam, appellatio nullum habet effectum ſuſpenſivum, ſed ſolum devolutivum, *ne remedio*, inquit Concilium, *ad innocentiæ præſidium inſtituto ad iniquitatis defenſionem abutantur appellantes*. Et vero, quid eſt appellatio, niſi querela damnati, qui a ſuperiore Judice poſtulat abſolvi? Atqui non poteſt dici, rei querelam ſatis eſſe, ut ſe ipſum queat abſolvere, alioquin nullus foret reus, qui vel æquiſſima, quibus damnatus eſſet, impune declinare judicia non poſſet. Denique, ſi conſideretur appellatio tanquam ſupplex libellus, quo appellans a ſuperiore judice, abſolutionem ſuam poſtulat; Multo minus defendi poteſt effectus ſuſpenſivus : quandoquidem abſolutionem non facit ſola ejus petitio. Sic rem iſtam definiunt Navarra, Cabaſſutius, & Author Colloquiorum Condomi (*h*).

(*g*) Conc. Tr. Seſſ. 12. c. 1. de refor.

CASUS XIV.

Lucianus, Epiſcopus Glandetenſis, actu Diœceſis ſuæ Eccleſias viſitans, cum collegiatam inviſiſſet Eccleſiam compoſita Decano & duodecim Canonicis, in qua permulti erant abuſus, graviaque vitia emendanda; ſtatutum fecit ad neceſſarium eorum remedium; illudque Capituli Procuratori denuntiari curavit. Ab eo ſtatuto appellationem interjecere novem Canonici contendentes, Eccleſiam ſuam Diœceſani Epiſcopi Juriſdictioni non ſubjacere; ac nullo pacto ſtatuto ipſius Epiſcopi obtemperarunt. Numquid in eo peccaverunt? An per eorum apellationem ſuſpenditur executio ſtatuti illius, quod hujus Eccleſiæ bono, ac membrorum Capituli ſaluti neceſſarium ſupponitur?

(*h*) Navarr. Man. c. 27. n. 150. Cabaſſut. juris Canon. Theor. & praxis l. 4. c. 12. n. 14. Colloq. Cond. t. 2 Coll. 103. 3. ſect. 2.

RESPONS.

Canonici illi abſque peccato, Epiſcopi ſtatuto obedientiam denegare non potuerunt : cum appellatio ſeu ſimplex, ſeu ab abuſu, nullum in eo caſu effectum ſuſpenſivum habeat. Id Concilii Tridentini laudato ſuperius Decreto probari poteſt, (*i*) quo fertur, ubi de correctione morum aut viſitatione agitur, nulla exemptione, nec inhibitione, aut appellatione interpoſita, etiam ad Summum Pontificem impediri executionem ſententiæ Epiſcopi. *Epiſcopi, ut aptius quem regunt populum, poſſint in officio atque in obedientia continere*, inquit Concilium, *in omnibus his, quæ ad viſitationem ac morum correctionem ſubditorum ſpectant, jus & poteſtatem habeant, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi juxta Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione ac Diœceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur : nec in his, ubi de viſitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat*. Viget illud Decretum in Gallia, ac ſtabilitum eſt Edictis Franciſci I. Caroli IX. & Henrici III. quæ ſuperius attulimus, quibus addenda ſunt regia diplomata Henrici IV. menſe Decembri an. 1606. conceſſa (*k*) nec non Declaratio Ludovici Magni menſe Martio an. 1666. Et quidem plurimi intereſt, hoc diſciplinæ punctum tueri; cum emendatio morum, Eccleſiarum Decor, & Officiorum divinorum nec non adminiſtrationis Sacramentorum bonus ordo moram pati nequeant, abſque notabili Eccleſiæ detrimento. Jure igitur Reges, quos modo laudavimus

(*i*) Conc. Tr. Seſſ. 24. c. 10. de reform.
(*k*) Edictum an. 1606. a. 2.

vimus

vimus edictis ac placitis ſuis ſtatuerunt, appellationes in bis caſibus interpoſitas nullum ſuſpenſivum effectum, ſed tantummodo devolutivum eſſe habituras. *Appellationes tanquam ab abuſu a Sacerdotibus, aliiſve perſonis Eccleſiaſticis interpoſitæ in iis, quæ pertinent ad diſciplinam & correctionem, aliiſve actionibus pure perſonalibus, non noa vero realibus*, inquit Franciſcus I. In ſuo Edicto unn. 1539. *nullum babebunt effectum ſuſpenſivum. Verum non obſtantibus prædictis appellationibus, & abſque earum præjudicio, executioni ſuam ſententiam mandare poterunt Eccleſiæ judices in dictas perſonas Eccleſiaſticas.*

Multo ante Concilium Tridentinum jam conſtituta fuerat eadem diſciplina, ut oſtendit Decretalis Innocentii III. io Concilio Lateranenſi, in qua hic Papa Præſules hortatur, ut emendandis Diœceſanorum ſuorum, præcipue Clericorum ſibi ſubditorum pravis moribus ſedulam darent operam, ſic ſubdit: (a) *ut autem correctionis & reformationis officium libere valeant exercere, decernimus, ut executionem ipſorum nulla conſuetudo, vel appellatio valeat impedire, niſi formam in talibus exceſſerint obſervandam.*

(a) Innoc. III. in cap. Irrefragabili 13 de officio Iudicis ordinarii l. 1. tit. 31.

Poſt tot ac tam firma argumenta, nullus eſt dubitandi locus, quin novem Cannnici teneantur ad exequendum Glandatenſis Epiſcopi ſtatutum; cumqne illegitima ſit eorum appellatio, eam omittere, ac Diœceſano ſuo Epiſcopo debeant obtemperare.

Vide Caſum VII.

CASUS XV.

Cum Canonici duarum Eccleſiarum Collegiatarum Sancti Juſti & Sancti Pauli multum de præcedentia concertaſſent in ſolemnitate, cui omnea Urbis Proceſſiones una cum Cathedrali aderant; Epiſcopus ſententiam tulit in ſavorem Canonicorum ſancti Juſti, iiſque præcedentiam adjudicavit in Canonicos ſancti Pauli, qui ab Epiſcopi judicio ad Metropolitanum appellarunt, & contendunt, ſe non teneri interim Epiſcopi ſententiam exequi, Quæritur, utrum ipſorum appellatio atque contentio ſit juſta; & ntrum abſque inobedientia appellationem ſuam judicio nequeat perſequi?

RESPONS.

Conſtat, Canonicos ſancti Pauli iniquam interpoſniſſe appellationem, quam judicio perſequi non poſſunt, quin Epiſcopo ſuo fiant inhobedientes. Ratio eſt, quia Epiſcopus Diœceſanus pleno jure hujnſmodi diſſidia poteſt dirimere, & quod opportunius ſibi & æquius videbitur, ſtatuere; quin judicii ſui effectum impediat appellatio; uti fert Decretum, quod expreſſe ſuper hac ſecerunt Patres Tridentini, quodque in Gallia acceptum viget. En verba Decreti: (b) *Controverſias omnes de præcedentia, quæ perſæpe maximo cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares, quam regalares, cum in proceſſionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella & aliis ſimilibus, Epiſcopus, amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque componat.* Cui congruit Edictum Franciſci I. quod ſupra retulimus.

(b) Conc. Tr. ſeſſ. 25. de regul. & monialibus c. 13.

Obſervandum, nulli Eccleſiaſtico licitum eſſe appellare a cenſuris jure latis: quia appellans non poteſt appellationem interponere, niſi ſupponendo aliquam ſui læſionem vel injuſtitiam, de qua quæritur, & cui a ſuperiore Judice remedium afferri poſtulat; atqui Lex jure lata, ſemper juſta cenſetur, uti cedens in bonum publicum, & de qua proinde nemo conqueri poteſt.

CASUS XVI.

Sextilianus, Parochus ſancti Jordani, ab Officiali Diœceſano damnatus, in proceſſu, quo cum Parocho ſuo vicino litigabat, ad Metropolitanum rem provocavit; a quo ſimiliter damnatus, ab hac ſententia ad Primatem appellationem interjecit, qui ſimilem duabus Prioribus ſententiam tulit. Quæritur utrum in eo caſu, ab hac ultima ſententia vel ſimpliciter, vel etiam tanquam ab abuſu poſſit appellare?

RESPONS.

Certum eſt, Sextilianum in eo caſu, nec ſimpliciter, nec tanquam ab abuſu poſſe appellare: ratio eſt, quia poſt tres ſententias damnatorias conformiter latas, appellationi locus non ſuppetit, ut docent celeberrimi Galliæ Juriſperiti, uti Rebuffus, Febretur, & Chenn. (c) Hæc eſt etiam Lex Concordati inter Leonem X. & Franciſcum I. initi, (d) in quo ſic habetur: *a definitivis* vero (ſententiis) tertio provocare non licere decernimus. Sed volumus ... tertiam definitivam ſententiam .... conformem (omni mora ceſſante) executioni debitæ demandari debere; quacumque appellatione interpoſita non obſtanre. Rebnffus Pariſienſis Senatus Arreſtum affert, menſe Decembri an. 1543. latum contra Cardinalem Ferrarienſem, qui poſt tres ſententias conformes in ſe latas provocaverat, & qui impenſis damnatus eſt.

(c) Rebuffus in citato ſtatuimus. Febretus tr. de abuſu l. 9. cap. 2. n. 1. Chena. qq notabiles centur. 2. q. 10. n. 15.
(d) Concor. 1. de frivolis appellat. P. ſtatuimus.

Hæc Juriſprudentia adeo religioſe obſervatnr, ut, quamvis appellantem non admitteret Judex ſuperior, ſed ſolam partium auditionem de invaliditate unius ex ſententiis, ab appellante propoſitæ decerneret, & interim executionis prorogationem ſtatueret, tale judicium abuſivum declaretur, uti decretum eſt Arreſto ejuſdem Senatus 17. Aprilis an. 1536. quod refert Chopin (e).

(e) Renatus Chopin de polit. Eccleſ. l. 2. n. 27.

Hactenus laudati Juriſperiti hac in re conſentiunt cum Canonicis Conſtitutionibus, ut indicat Decretalis Honorii III. (f) qui tertiam omnino eadem de re interpoſitam appellatinnem rejicit, licet Romam delatam. Clemens V. hoc diſciplinæ punctum confirmavit: is, qui in beneficiali, vel alia quavis cauſa tres contra ſe in petitorio vel poſſeſſorio ſententias reportavit, inquit hic Papa, (g) ad agendum de nullitate ipſarum, vel alicujus ex eis, nullatenus admittatur, donec hujuſmodi ſententiæ plenarie fueriut executioni mandatæ.

(f) Honorius III. in c. ſua nobis 65. de appellat.
(g) Clementina ut Calumniis 1. de ſentent. & re judicata Lib. 2. tit. 11.

Acta Cleri Gallicani (h) celeberrimum referunt Arreſtum Senatus Pariſienſis, de impotentia 16. Januarii an 1601. latum pro Magdalena de Caſtria in Carolum de Caſtiglione, tanquam ab abuſu provocantem a ſentantiis in eum latis; prima ab Officiali Senonienſi, 19. Januarii an. 1599. altera, a Deputatis Archiepiſcopi Lugdunenſis 14. Auguſti inſequentis, & tertia a Deputatis Summi Pontificis 15. Martii an. 1600. quod Arreſtum declarat, eum non eſſe admittendum ad appellationem ſuam tanquam ab abuſu, & tres ſententias executioni eſſe mandandas, atque eum litis impenſis condemnat.

(h) Acta Cleri t. 2. c. 15. a. 3. pag. 10.

Nihilominus advertendum eſt, circa appellationem tanquam ab abuſu, quod ſi tres illæ conformes ſenrentiæ forenr injuſtæ, ac de injuſta invaſione juriſdictionis Eccleſiaſticæ in ſæcularem, ut ſi a Judicibus Eccleſiaſticis latæ fuiſſent pro decimis feudalibus, pro poſſeſſorio Beneficii, pro jure Patronatus laici, aut alia re ſimili, cujus cognitio ad Regium Judicem ſine controverſia pertineret; tunc hujuſmodi appellatio eſſet legitima, ut aſſerunt Chopin, (i) Rebuffus (k) & poſt iſtos Febretus. (l) *Abuſus quippe in publicas leges, nullo privatæ partis ſilentio confirmatur*, inquit Chopin, *nec inde appellantium querela depellitur taciti conſenſus præſcriptione, ſi abuſive dictæ poſtmodum oſtendantur, nuſquam vim obtinuerint rei judicatæ*; quare in errore lapſus eſt Chenu, ut obſervat Febretus, quando aſſerit, in nullo caſu a tertia duabus Prioribus conformi ſententia appellari.

(i) Chopin l. cit. t. 1. n. 6.
(k) Rebuffus in concordata t. de frivolis appellat. circ. fin.
(l) Carolus Febretus tr. de abuſ. l. 1. c. 2. n. 14. & l. 9. c. 2. n. 4.

Vide { Reus. Judex. Resignatio. }

A P P R O B A T I O.

DUPLEX eſt in Eccleſia poteſtatis ſpecies. Prior Ordinis; poſterior Juriſdictionis, quæ Clavium Eccleſiæ poteſtas dicitur. Quilibet Sacerdos in ordinatione ſua poteſtatem Ordinis recepit; verum nondum habet poteſtatem juriſdictionis quoad uſum, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem.

Juriſdictio quorumdam Eccleſiaſticorum vel eſt ordinaria, vel delegata. Illa Epiſcopis in ſua Diœceſi, Parochis in ſuis Parœciis competit in ſuos ſubditos, qui hoc Sacramentum volunt accipere; ſed ea carent reliqui Sacerdotes, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, hoc eſt, in caſu evidenti mortis imminentis, in quo verſaretur peccator carens Confeſſario approbato: quare, cum in re illa maximus omnium defectus ſit defectus juriſdictionis, nullus Sacerdos, extra hunc caſum (a), Sacramentum adminiſtrare poteſt, niſi ab Eccleſia ſibi communicetur talis poteſtas juriſdictionis, tumque delegata nuncupatur. Unde ſequitur, nullum Sacerdotem valide confeſſiones poſſe excipere, ut in Concilio Tridentino definitum eſt (b), niſi cum idoneus ad audiendas confeſſiones ab Epiſcopo Diœceſano repertus, ab eo tale miniſterium exercendi facultatem obtinuit; idque vocatur *Approbatio*; quæ, licet a juriſdictione delegata diſtinguatur, eam tamen includit, atque *ſubinde hæc eſt illi annexa*, inquit Polmanus (c), *abſolute; vel conditionate, dependenter a venia Parochorum, & eorum quorum intereſt*, hoc eſt, qui ordinariam habent juriſdictionem.

(a) Summa doctr. Facult. Theol. Pariſ. par. 2. art. 59.

(b) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 15.

(c) Polm. Brev. Theol. part. 3. n. 333.

Epiſcopi ad quoddam tempus, ad locum, nec non ad quaſdam perſonas reſtringere poſſunt ſuas approbationes, ut eaſdem revocare, cum id opportunum exiſtimaverint, de eo ſoli Deo rationem redditurí.

Obſervandum 1. quod approbatio unius Epiſcopi data Sacerdoti ad audiendas confeſſiones in ſua Diœceſi, nullam ei conferat poteſtatem in Diœceſi alterius Epiſcopi abſque iſtius pariter Epiſcopi approbatione. 2. quod Religioſi ſolo ſuo permittente Superiore regulari alios Religioſos ſui Monaſterii poſſunt confitentes audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani. De hac prærogativa nemo cum iis controverſatur.

CASUS PRIMUS.

VINCENTIUS, Sacerdos, abſolvit Gilbertum, qui eum ad confeſſionem adivit, & in quem tamen nullam habebat juriſdictionem. Quæritur, utrum hæc abſolutio non modo ſit illicita, ſed etiam invalida?

RESPONS.

Non dubia eſt hujuſce abſolutionis invaliditas: quia Sacerdoti neceſſaria eſt ſpecialis auctoritas, ut acceptam in ordinatione ſua ligandi & ſolvendi poteſtatem exerceat. Nam ex S. Thoma (d): *Duplex eſt poteſtas ſpiritualis: una quidem Sacramentalis*, (ſeu Ordinis) *; alia Juriſdictionalis. Sacramentalis quidem poteſtas eſt, quæ per aliquam conſecrationem confertur .... poteſtas autem Juriſdictionalis eſt, quæ ex ſimplici injunctione hominis confertur*. Prima igitur conſiſtit in ſpirituali poteſtate condonandi peccata, quam auctoritate Chriſti Sacerdoti a ſe ordinato confert Epiſcopus: eaque a Sacerdote ſeparari nequit, cum ſit pars ipſius conſecrationis: nondum tamen eam neque licite, neque valide exercere poteſt ante conceſſionem Eccleſiæ; eaque conceſſio, ſeu ſpecialis poteſtas, quæ Præſulum ac Paſtorum miniſterio confertur, dicitur poteſtas Juriſdictionis, vi cujus poteſtatem ſuam Ordinis Sacerdos exercere poteſt in eos, quos ipſi adſcribit ac ſubdit Eccleſia, & quæ proinde, ut poteſtas Ordinis, a Sacerdote non eſt inſeparabilis; cum eam non conferre ipſi, aut collatam revocare poſſit Eccleſia.

(d) 2. Th. 2. 2. q. 39. a. 3. in corp.

Priorem Apoſtolis ſuis dedit Chriſtus dicens (e): *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt*. Et alteram ipſis contulit dicens (f): *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Et alibi (g): *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra; euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Unde colligendum, quod, ſi neceſſe fuerit, ut Apoſtoli, jam Sacerdotes poteſtatem Juriſdictionis a Chriſto reciperent, priuſquam Ordinis poteſtatem exercerent; procul dubio eamdem exercere nequeunt Sacerdotes, ante acceptam ab Eccleſia illius exercendæ conceſſionem.

(e) Joann. 20.

(f) Ibi v. cit.

(g) Matt. 28. v. 19. & ſeq.

Hinc declarat Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. an. 1215. habitum, nullum Sacerdotem poſſe uti poteſtate abſolvendi ante obtentam poteſtatem Juriſdictionis (h): *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſſa ſua confiteri peccata*; licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ipſe illum non poſſit ſolvere, vel ligare. Hinc etiam Tridentinum Concilium (i) invalidam declarat Sacerdotis abſolutionem, qui nullam habet vel ordinariam, vel delegatam Juriſdictionem. *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat; nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet Juriſdictionem*. Quibus verbis liquido conſtat, hanc adeo certam veritatem a nemine in dubium eſſe revocandam: unde dicit S. Thomas (K): *De neceſſitate hujus Sacramenti eſt, non ſolum ut Miniſter habeat Ordinem .... ſed etiam quod habeat Juriſdictionem. Et ideo, ſicut ille qui non eſt Sacerdos, non poteſt hoc Sacramentum conferre; ita nec ille, qui non habet Juriſdictionem*.

(h) Conc. Lat. ſub Innoc. III. in Cap. Omnis. 12. de Pœnit. & de remiſſ. l. 5. tit. 28.

(i) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.

(K) S. Th. in 4. diſt. 17. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 4. in corp.

Hinc ſequitur, Vincentium, qui poteſtatem tantum Ordinis habet, abſque poteſtate Juriſdictionis, cum a ſuo non ſit approbatus Epiſcopo; Gilbertum ſibi non ſubditum quoad effectum Pœnitentiæ, nec licite, nec valide potuiſſe abſolvere. Hanc difficultatem ſic ſolvunt Colloquia Condom. & Lucon. (l)

(l) Coll. Luc. tom. 8. Colloq. 17 q. 3. & Condom. tom. 2. Colloq. 12. ſect. 1.

CASUS II.

GILBERTUS, Parochus ſancti Agobardi, qui plures, quam 2000. Parochianorum habet, quos omnes

(e) Vid. Menda Pontaſ. Obſerv. I. oom. I. ſecundo loco.

omnes intra quindenos Paſchalis temporis dies in confeſſione audire non poteſt, duorum Parochorum eorumque Vicariorum, qui ſibi ſunt vicini, minicterium rogare ſolet, quique in Eccleſia ſua ob paucitatem ſuorum Parochianorum, ipſi opem facile poſſunt præſtare. Numquid eorum auxilio poteſt uti, licet ad audiendas confeſſiones extra Parœciam ſuam non ſint admiſſi; & ſola Gilberti permiſſio ſufficit ne, ut validæ ſint eorum confeſſiones, quos audiunt?

RESPONS.

(a) Acta Eccleſ. Mediol. part. 2. tit. monitæ executionis decretorum, quæ ad Sacram. pertinent. pag. 318. Edit. Lugd. an. 1683.

Ex Actis S. Caroli (a), in undecima ſua Synodo ad dicendum impellimur, Gilbertum eorum tantum Parochorum aut Sacerdotum opem rogare poſſe, qui generalem confeſſiones audiendi in tota Diœceſi, aut particularem in Parochia S. Agobardi conceſſionem obtinuere. *Quod in noſtris Sacramenti Pœnitentiæ inſtructionum additionibus cautum eſt*, inquit hic S. Archiepiſcopus, *ut tempore Paſchali, Parochi aliorum Parochorum miniſterio ad confeſſiones Parochialium ſuorum audiendas uti poſſint, id de Parochis tantummodo intelligi declaramus, quibus extra Parochiæ propriæ fines ad audiendas confeſſiones probatis ſcripta facultas data eſt.* At vero ſi ea in re ſufficeret ſola Gilberti facultas, dicendum foret, quod poſſet concedere poteſtatem audiendi confeſſiones; quod aperte contrarium eſt Concilio Tridentino, quod, cum ſtatuerit, a nullo Sacerdote laicorum confeſſiones audiri poſſe, niſi ſit proviſus de Beneficio Curato, aut ab Epiſcopo approbatus, conſequenter conſtituit, Parocho non licere alios, niſi proprios Parochianos, confitentes audire abſque Ordinarii admiſſione; cum titulo Beneficii ſui in ſuos tantum, non vero in alios reliquorum Parochorum Parochianos juriſdictionem habet, quam ſola Epiſcopi approbatione poteſt obtinere: quod etiam pro Vicariis certius eſt, quorum approbatio Parochiarum quibus deſerviunt, fines non tranſgreditur.

Fatendum tamen, quod, cum Epiſcopus manifeſtavit, ſe non improbare, quod ita ſe gerant Parochi, ipſius conſenſus ſufficientis approbationis locum tenet (b).

(b) Franc. de Genet. Theol. Moral. tom. 4. Tract. 6. c. 8. n. 11.

CASUS III.

ANTONINUS, Parochus primitivus S. Benedicti, hujuſce Parœciæ incolas valide & licite ſe poſſe in confeſſione audire contendit; Matthæus vero ejuſdem Parœciæ Vicarius perpetuus, defendit, hoc ei jus non convenire: pro quo ſtat ratio?

RESPONS.

Priuſquam quæſtioni propoſitæ reſpondeatur, ſciendum eſt, nomine Parochorum primitivorum intelligi Beneficiarios Eccleſiarum, a quibus Parochiales Eccleſiæ portione redituum ſuorum fuere dotatæ, & a quibus fuere diſtractæ. Quo præſuppoſito, reſpondemus, Beneficiarios illos, Parochos primitivos, in illas Parochiales jura tantum honorifica obtinere, quale eſt jus præſentationis, ut vocant. Id confirmat Decretalis Alexandri III. ad Archiepiſcopum Eboracenſem (c), in qua dicit hic ſummus Pontifex, illarum Parochialium Eccleſiarum titulares eſſe inſtituendos, *ad præſentationem rectoris Eccleſiæ majoris*, ac pendere debere ab Eccleſiis, a quibus fuere ſejunctæ; & quæ titulum Primitivarum curatarum, atque nomen retinent: *Providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci Eccleſiæ matrici ſervetur.*

(c) Alex. III. in Cap. *Ad audientiam*. 3. de Eccleſiis ædificandis vel reparandis. l. 3. tit. 48.

(1) Conſtitutio Ludovici XIII. an. 1629. (d) convenit cum iis quæ dicimus, & inſuper aſſerit, Parochos primitivos in ſignum ſuperioritatis ſuæ, quatuor Feſtis annuis, & die S. Patroni Miſſam ſolemnem poſſe celebrare in illis Eccleſiis Parochialibus. Eamdem diſciplinam ſtatuit Clerus Gallicanus, ut indicant iſta verba, quæ in Actis ejus leguntur: *Quia Abbates, Priores, Capitula & Communitates Religioſæ, qui ſunt Rectores, aut Parochi primitivi quarumdam Parochiarum, ſæpe Feſtis annuis aut aliis ſolemnitatibus per ſe ipſos, aut per quoſdam Religioſos, alioſve a ſe deputatos ſuſcipiunt prædicare, audire confeſſiones, adminiſtrare Sacramenta, facere proclamationes, quæ omnia ſunt functiones Curiales: dictis Abbatibus, Prioribus, Religioſis, aut aliis ſic deputatis, prædictas functiones obire, erit prohibitum, niſi ad eam rem ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali fuerint approbati (e).* Unde dicendum, Antonium, quatenus eſt Curatus primitivus, nullum ex officio poſſe Sacramentum adminiſtrare in Eccleſia S. Benedicti abſque conſenſu Matthæi ejuſdem Eccleſiæ Titularis.

(d) Art. 11.

(e) Acta Cleri. Gall. tom. 1. *Regulamentum Regularium*. Cap. 13. tit. 14.

CASUS IV.

CUM MARTINUS, Sacerdos in vicinam urbis Epiſcopalis Parœciam ab Epiſcopo miſſus eſſet ad audiendas confeſſiones; acriter huic rei obſtitit Parochus; verumtamen quoſdam in confeſſione audivit vi admiſſionis ſuæ pro tota Diœceſi, & mandati, quod ab Epiſcopo acceperat. Numquid validæ ſunt abſolutiones, quas contulit?

RESPONS.

Abſolutiones quas contulit Martinus, non obſtante Parochi intercesſione, ſunt validæ. Ita docet S. Thomas (f), qui contrariam ſententiam aſſerit eſſe erroneam. *Alii dicunt*, inquit Angelicus Doctor, *quod nullus poteſt, etiam auctoritate ſuperioris Prælati, abſolvere ſubditum inferioris Prælati contra voluntatem ipſius: puta non poteſt auctoritate Epiſcopi contra voluntatem Parochialis aliquem abſolvere. Hoc eſt erroneum: quia ad abſolvendum requiritur poteſtas Sacerdotalis & juriſdictio: Epiſcopus autem habet immediatam juriſdictionem in omnes* ſui Epiſcopatus. *Unde Epiſcopus poteſt omnium confeſſiones audire, etiam contra voluntatem Presbyteri Parochialis; & ſimiliter etiam ille, cui Epiſcopus committit.*

(f) S. Thom. quodl. 12. q. 19. art. 30.

CASUS V.

DALPHINUS, Canonicus in Eccleſia collegiali ſanctæ Fidei, in qua eſt Beneficium Curatum, cujus, ut Canonicus antiquior, eſt Parochus primitivus, pure ac ſimpliciter ad audiendas in eo confeſſiones admiſſionem ſuam a Vicario Generali Epiſcopi obtinuit; nulla facta de Parocho mentione in ſua approbatione, cui proinde juncta ſupponitur juriſdictio. Numquid confeſſiones audire ac valide abſolvere poteſt Parochianos, qui ipſum adeunt, etiam tempore Paſchali, non requiſito prius conſenſu Parochi?

RESPONS.

Cum abſoluta ſit & generalis Delphini approbatio, nec ipſi appoſita fuerit hæc clauſula ordinaria *de conſenſu Parochorum*; conſtat eum poſſe audire confeſſiones, etiam Paſchales; eoſque valide abſolvere, qui eum ad ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ adeunt. Ratio eſt, quia, ut jam diximus in reſponſione ad primam difficultatem, Sacerdos ad confeſſiones admiſſus valide poteſt abſolvere, cum a Superiore legitimo juriſdictionis poteſtatem accepit. Atqui Delphinus hanc poteſtatem accepit a Vicario generali, qui in hac re una cum Epiſcopo cenſetur eſſe perſona; cum per ſuam approbationem in Eccleſia ſanctæ Fidei confeſſiones poſſit audire, non requiſito Parochi conſenſu; cumque eam poteſtatem, non modo non conſentiente, ſed etiam invito Parocho, Epiſcopus aut Vicarius ejus ipſi facere valeat, ut in reſponſione ad præcedentem difficultatem probavimus ex auctoritate S. Thomæ. Seu igitur ſenex Canonicus ſanctæ Fidei, cujus præbendæ cura annexa eſt, aſſentiatur, Delphinum in ea Eccleſia confeſſiones audire, ſeu non, valide poteſt & licite hoc in ea miniſterio defungi.

CASUS VI.

POLYCARPUS, ad confeſſiones audiendas Sacerdos non admiſſus, accerſitus ad opem ferendam moribundo nondum confeſſo, poteſt ne valide & licite ipſi abſolutionem conferre: licet in eum nullam habeat juriſdictionem ordinariam vel delegatam?

RES-

(1) Vid. Manda Pontaſ. Obſerv. III. num. III.

RESPONS.

Certum eſt, quod eum & poteſt & debet abſolvere; hunc enim ſolum a regula generali caſum excipit Concilium Tridentinum, (*a*) cujus decretum his verbis enuntiatur: *Vtramtamen pie admodam, ne in hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.*

(*a*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. de ſacram. Pœnit. c. 7.

Eamdem rem multo ante Concilium Tridentinum docuerat ſanctus Thomas. En ipſius verba (*b*): *Quilibet Sacerdos, quantum eſt de virtute clavium, habet poteſtatem indifferenter in omnes, & quantum ad omnia peccata. Sed quod non poſſit omnes ab omnibus peccatis abſolvere; hoc eſt, quia per ordinationem Eccleſiæ habet juriſdictionem limitatam; vel omnino nullam habet. Sed quia neceſſitas legem non habet; ideo quando articulus neceſſitatis imminet; per Eccleſiæ ordinationem non impeditur, quin abſolvere poſſit, ex quo habet claves, etiam Sacramentaliter: & tantum conſequitur ex abſolutione alterius, ſicut ſi a proprio Sacerdote abſolveretur: nec ſolum a peccatis poteſt tunc a quolibet Sacerdote abſolvi; ſed etiam ab excommunicatione, a quocumque ſit lata; quia hæc abſolutio etiam ad juriſdictionem pertinet, quæ per legem ordinationis Eccleſiæ coarctatur.* Ex quibus verbis liquet, in caſu propoſito, quemlibet Sacerdotem, etiam non admiſſum, ſufficientem habere juriſdictionem in talem moribundum, quæ non ſolum generali Eccleſiæ uſu tacitoque omnium Paſtorum conſenſu nititur; ſed etiam decreto Concilii, quod modo retulimus.

(*b*) S. Th. in 4. diſt. 20. q. 1. a. 2. q. 2. in corp.

CASUS VII.

Hubertus pro tribus annis ab Epiſcopo Diœceſano admiſſus ad audiendas confeſſiones, ac Vicarii functiones in Parœcia ſancti Donati obeundas, elapſo hoc temporis ſpatio, ut antea, confeſſiones etiam audivit; quin admiſſionem ſuam renovari poſtulaverit. Quæritur utrum abſolutiones, quas elapſis tribus annis contulit, ſint invalidæ. Videntur eſſe invalidæ, quandoquidem nullam tum juriſdictionem habebat in eos quorum confeſſiones excipiebat, & quos conſequenter valide abſolvere non poterat, ut docet S. Thomas. Contra vero dici poteſt eas abſolutiones eſſe validas propter publicum errorem, & quia nullum ſubeſt impedimentum naturale aut divinum in hoc Confeſſario. *Quid juris?*

RESPONS.

Abſolutiones, quas elapſo approbationis ſuæ ſpatio contulit Hubertus, abſolute ſunt invalidæ ex defectu juriſdictionis, quæ tribus annis præteritis in ipſo deſiit; cum per id tempus tantummodo ipſi fuerat communicata. Id conſtat ex decreto Concilii Tridentini, & ex doctrina ſancti Thomæ, quæ in reſponſione ad primam difficultatem attulimus.

Verum quidem eſt, quod in caſu propoſito adeſt error publicus, & quod nullum eſt in hoc Confeſſario impedimentum naturale aut divinum; at id ipſum non impedit invaliditatem abſolutionum, quas contulit; tertia namque deeſt conditio, titulus videlicet coloratus, quo deficit; cum prior quem habebat, deſierit; ac in eodem ſit ſtatu, ac ſi numquam habuiſſet.

CASUS VIII.

Sidonius, Doctor peritus, præcipuus Diœceſani Epiſcopi amicus, ruri apud Parochum degens tempore Paſchatis, multorum confeſſiones quos præ multitudine non poterat ille Parochus audire, libens excepit; licet ad confeſſionem non admiſſus ab Epiſcopo, quem id non improbaturum certo novit Sidonius. Qua de re quæritur, utrum abſolutiones quas contulit, ſaltem validæ ſint.

RESPONS.

Abſolutiones quas contulit Sidonius in caſu propoſito, ſunt invalidæ. Fieri namque poteſt, ut Epiſcopus, licet ipſi amicus, improbaverit, eum propria auctoritate ſe in ſanctum illud ac maximum interpoſuiſſe miniſterium, a quo etiam ob peculiares ac ſibi ſoli cognitas rationes eum arcere poterat. Itaque Sidonii abſolutiones, cum iis conferri poſſunt, quas ſub conditione *de futuro* temere conferret Sacerdos, quæque invalidæ ſunt; cum effectum Sacramenti ad tempus ſuſpendere nequeat Confeſſarius.

Reſponſionem hanc aſſerit ſanctus Thomas, & poſt ipſum Theologi omnes, qui docent, omnem abſolutionem irritam fieri defectu juriſdictionis in conferente; cum talis poteſtas non minus ſit neceſſaria ad ejus validitatem, quam poteſtas ordinis, ut in Tridentino Concilio definitum eſt (*c*). Cum autem ea careret poteſtate Sidonius, ab Epiſcopo non admiſſus, quam tamen ſub falſo prætextu ſibi arrogavit; eos igitur valide abſolvere non potuit, quos in confeſſione audivit. Et quidem, ſi conjecturis tantum, aut præſumtionibus fulciretur Sacramentorum validitas; ruerent fundatiſſima Theologiæ principia, ac totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ quæ probatiſſima eſt, ordo perverteretur. Nam v. g. ſub ſpecie obſequii matrimonio intereſſe amicus Parochi; abſque miſſione apud populum quis concionari; a caſibus reſervatis abſolvere poteſt Confeſſarius, ſub præſumta obtinendæ ab Epiſcopo hujuſmodi licentiæ ſpe, ſi peteretur; & ſic de ceteris (*d*). Uno verbo huic Paludani regulæ ſtandum (*e*): *Nulla ratihabitio confirmat Sacramentum.*

(*c*) Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.

(*d*) Dom. Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 3. Suarez tom. 4 diſp. 26. ſect. 2. n. 16. Reginal. prax. fori Pœnitent. l. 1. c. 8. n. 89. & alii.

CASUS IX.

Andreas, Vici ſancti Salvatoris ab Epiſcopali urbe octo leucas diſtantis Vicarius, Sabbatho ſancto memor, admiſſionis ſuæ tempus eo ipſo die finiri; ſine mora per nuntium ac epiſtolam Vicarium Generalem, a quo jam bis fuerat admiſſus, rogavit, ut eam prorogaret ob incurrens Paſchale tempus, quo omnium ſuorum Parochianorum confeſſiones ſolus excipere non poterat Parochus. At cum non niſi poſtridie ad horam decimam aut undecimam redux eſſe poſſet nuntius; Andreas interim, admiſſionem ſuam a Vicario Generali die ſaltem Dominica mane fuiſſe conceſſam ac ſubſcriptam convictus, ad ſacrum Pœnitentiæ tribunal acceſſit; ac duodecim vel quindecim perſonas in confeſſione audivit; & poſtea admiſſionem ſuam ad annum productam accepit.

(*e*) Petrus Palud. in 4. diſt. 17. q. 5. §. *Quantum ad tertium.*

Quo poſito, quæritur 1. utrum Andreas peccaverit, confeſſiones excipiens, non exſpectato Vicarii Generalis reſponſo. 2. Utrum validæ ſint, quas audivit, confeſſiones?

RESPONS.

Exiſtimamus, graviter deliquiſſe Andream confeſſiones audiendo ante acceptam admiſſionis ſuæ prorogationem. Voluntarium namque ſubiit confeſſiones audiendi periculum abſque poteſtate, vel ob repulſam juſtam Vicarii Generalis; vel ob nuntii ſui aut ejus dimiſſionis procraſtinationem; quo in caſu abſolutiones Andreæ forent procul dubio irritæ; cum præcipuus ſit in Confeſſario defectus poteſtatis; ut patet ex probationibus in reſponſione ad primam difficultatem allatis. Verum poſito etiam quod requiſitam Vicarius Generalis licentiam die Sabbathi conceſſerit; adhuc tamen graviter peccavit Andreas; quia nondum ſibi cognita probationis ſuæ conceſſione, Sacramentum pœnitentiæ abſque poteſtate adminiſtrandi diſcrimen adivit; quocirca licet probabile ſit, duodecim vel quindecim quas excepit, confeſſiones eſſe validas; nihilominus ad majorem certitudinem neceſſe eſt, ut in dubio eas a pœnitentibus ſuis iterari conſtituat.

CASUS X.

Urbanus, Sacerdos ſæcularis, vel regularis in Vaſarenſi Diœceſi natus, ab Epiſcopo Forojulienſi ad audiendas in ſua Diœceſi ſolas confeſſiones virorum pagi ſancti Verani admiſſus, quaſdam etiam die paſchatis mulieres, quibus audiendis ob ea-

rum ſrequentiam impar erat Parochus, nec non duos etiam proximæ alterius Diœceſis Parœciæ homines ad confeſſionem admiſit. Quæritur, utrum abſolutiones, quas mulieribus iſtis ac duobus viris contulit, ſint validæ? Ea autem Urbanus ratione inducitur ad credendum, ſe eos valide abſolvere potuiſſe, quod præter approbationem Epiſcopi Forojulienſis, ab Epiſcopo quoque originis ſuæ fuerat admiſſus abſque ulla temporis, perſonarum locive limitatione; quæ res ad validitatem abſolutionum quas contulit, ſatis eſſe videtur.

Respons.

Collatæ ab Urbano abſolutiones pro certo ſunt irritæ: quia ad ſolas virorum pagi ſancti Verani confeſſiones audiendas approbatus, omni carebat in eiuſdem pagi mulieres, ac multo magis in alterius Diœceſis homines juriſdictione, quæ etiam in eoſdem homines juriſdictione, quæ etiam in eoſdem homines Epiſcopo Forojulienſi non competit.

Ratio hujus ſolutionis eſt, quia Epiſcopus Confeſſariorum approbationes poteſt adſtringere, non quoad tempus dumtaxat, ſed quoad loca & perſonas; cum id bono fidelium & Eccleſiæ ſuæ utilitati congruum ſibi videbitur, uti pro Regularibus etiam conſtituit Clemens X. per Bullam datam die 21. Junii an. 1670. (a) cujus hæc ſunt verba: *Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti; arbitrio Ordinariorum relinqui ipſo, cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur probare, admittere.*

(a) Clemens X. in Bulla, *Superna*. §. 4.

Nec obſtat ad aſſerendam harum abſolutionum validitatem, Urbanum ab Epiſcopo ſuo naturali Vaſatenſi abſque limitatione ſuiſſe approbatum; cum neque mulieres, neque viri duo de quibus agitur, juriſdictioni ejus Præſulis ſubjacerent. Ubi namque declarat Concilium Tridentinum (b), nullum Sacerdotem, etiam Regularem, poſſe confeſſiones audire, niſi approbationem ab Epiſcopo obtinuerit; de ſolo pœnitentis, non vero Confeſſarii Epiſcopo intelligi debet; quia cum Epiſcopo in alterius Epiſcopi diœceſanos non competat juriſdictio, eam ad neminem poteſt transferre juxta iſtam juris regulam (c): *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.* Unde ex tali approbatione validæ fieri nequeunt Urbani abſolutiones.

(b) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 15.

(c) Reg. 67. de reg. juris in 6.

Hactenus dictis congruit tertium Mediolanenſe Concilium an. 1573. ſub ſancto Carolo habitum, cujus hæc ſunt verba, quoad rem præſentem (d): *Qui ad Confeſſarium etiam regularem, in aliena Diœceſi commorantem dedita opera ſe conferens, peccata ſua ſit confeſſus, niſi Confeſſarius ille & ab Epiſcopo loci, & a confitentis Ordinario ad confeſſiones audiendas probatus erit; ei tamquam inconfeſſo, Parochus Eucharistiæ Sacramentum ne præbeat.*

(d) Conc. Mediol. 3. de iis, quæ ad Sacram. exhib. pertinent.

Hanc reſponſionem confirmat Breve Alexandri VII. ad Epiſcopum Andegavenſem 26. Febr. ann. 1659. ſcriptum, quo ſummus hic Pontifex trium propoſitionum cenſuram a Congregatione Inquiſitionis latam confirmat in cauſa Regularium, qui contendebant, ſe non indigere Ordinarii approbatione ad audiendas confeſſiones ſæcularium: nec ab Epiſcopo approbationes ſuas poſſe limitari, nec revocari; & inſuper Regulares ſemel approbatos ab uno Epiſcopo ad audiendas confeſſiones in ſua Diœceſi haberi pro approbatis in aliis Diœceſibus. En propria ſecundæ propoſitionis verba: *Ubi Concilium eſt receptum, non poſſunt Epiſcopi reſtringere, vel limitare approbationes quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque illas ulla ex cauſa revocare. Quin immo Ordinum Mendicantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur: & ſi ab Epiſcopis non probentur, negatio valet, ac ſi approbatio illa conceſſa fuiſſet.* Centura hæc eſt: *Hæc propoſitio complexe accepta eſt falſa, ſcandaloſa & erronea.* Alias vero duas propoſitiones aſſertæ a nobis veritati contrarias eadem Congregatio declaravit falſas, temerarias, ſcandaloſas, ad hereſim & ſchiſma inducentes, animarum ſaluti pernicioſas & Concilio Tridentino injurioſas. Tertia his verbis erat comprehenſa: *Regulares Ordinum Mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus, nec nova Epiſcoporum indigent approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi a peccatis Epiſcopo reſervatis; etiamſi ab Epiſcopo auctoritas ipſa ipſis indulta non fuerit.* Sic dicit cenſura: Propoſitio iſta, *quoad primam partem eſt falſa & ſaluti animarum pernicioſa. Quoad ſecundam partem, eſt falſa, auctoritati Epiſcoporum & Sedi Apoſtolicæ injurioſa.*

Proſcripta itaque Concilii Tridentini oraculo & ſanctæ Sedis auctoritate, falſæ illius doctrinæ novitate, dubia eſſe nequit invaliditas abſolutionum, quas in caſu propoſito mulieribus & duobus viris contulit Urbanus; ſeu ſæcularis, ſive Regularis ſupponatur.

CASUS XI.

Dominicus, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, non obtenta approbatione, ab Epiſcopo tranſeunte viſus eſt pro tribunali pœnitentiæ ſedens, ac illud ſacramentum adminiſtrans, a quo tamen in miniſterio ſuo non eſt interruptus: licet eum a ſe non fuiſſe approbatum utique noverit; numquid ſic tacite approbatus cenſetur, juxta iſtam juris regulam; *Qui tacet, conſentire videtur* (e)? & quas deinceps contulit abſolutiones, num validæ haberi debent?

(e) Reg. 43. de reg. juris in 6.

Respons.

Canonicus ille tacite approbatus cenſeri non debet; licet ab Epiſcopo viſus confeſſiones audiendo, in tali miniſterio non fuerit interruptus: ne dum enim Epiſcopi ſilentium pro tacito conſenſu haberi debeat; juſte contra præſumendum, eum improbare nimiam Canonici audaciam, quam palam ideo non reprehendit Epiſcopus, ut ejus infamiam declinaret, occultum quidem ipſius peccatum non manifeſtans, ſed forte pœnam meditans: quocirca non minus invalide, poſtquam ab Epiſcopo viſus eſt, quam ante abſolvit ille Canonicus; atque propoſitæ juris regulæ, hæc altera opponenda (f): *Is qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.* Quod ſi forte vel pœna vel objurgatione in Dominicum non animadvertat Epiſcopus vel immemor, vel officii ſui parum ſtudioſus, aut aliqua humana ratione inductus; dubia ſemper certo manebit intentio hujus Prælati; donec ea de re mentem aperuerit: ac manente ipſius ſilentio, invalidum cenſeri debet, quidquid ab eo Canonico factum eſt, ut fert iſta juris regula: *Quæ contra jus fiunt, debeat utique pro infectis haberi* (g).

(f) Reg. 44. de eod. tit.

(g) Reg. 64. de regulis juris in 6.

CASUS XII.

Theodulphus, Sacerdos ad audiendas confeſſiones non approbatus, aliis quandoque Sacerdotibus ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrat, qui venialium dumtaxat culparum rei ſunt; vel qui inſuper mortalia confitentur peccata, quorum ab ipſis olim Sacerdotibus approbatis ſacta eſt confeſſio: numquid ita ſe gerere poteſt abſque peccato, ac validæ ſunt ejuſdem abſolutiones?

Respons.

Ante Concilium Tridentinum ad abſolvendum valide in aliqua Parœcia ſufficiebat quidem Parochi loci illius uti Paſtoris ordinarii delegata juriſdictio. Verum, cum ex tali Parochorum poteſtate magni orirentur abuſus; Eccleſia, ut a ſacro illo, cui eorumdem Parochorum nimia facilitate ſe ingerebant, inſcios vel nefarios Sacerdotes miniſterio amoveret, iſtud in hoc ultimo œcumenico Concilio Decretum condidit (h): *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant,* inquiunt Patres, *decernit tamen ſacroſancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; niſi aut parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem .... obtinent, privilegiis & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili non obſtantibus.* Qua de re obſervandum, in eo Decreto nullum fieri diſcrimen inter

(h) Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de reform.

con-

Digitized by Google

confeſſionem, ubi de peccatis mortalibus, & inter confeſſionem, in qua de venialibus tantum agitur, ſed ad utramque requiri Epiſcopi approbationem, qua ſola Confeſſariis in pœnitentes confertur juriſdictio.

Scripſit quidem Galliæ Epiſcopus *(a)* Sacerdotem non approbatum poſſe abſolvere valide & licite quemlibet a quibuſvis peccatis venialibus & etiam mortalibus alias confeſſis & remiſſis; ſive id poſſit, inquit, ex conſuetudine vel tacita Eccleſiæ conceſſione. Quod probat ſuffragio quatuor aut quinque Caſuiſtarum, quos laudat Bonacina *(b)*. At ſi ex tacito Epiſcoporum conſenſu viguit mos ille, uti Pariſiis & in aliis multis Diœceſibus ab annis quadraginta vidimus; certum eſt tamen eum non fuiſſe univerſum; atque Auctoris illius opinionem pro his tantum Diœceſibus eſſe veram, in quibus de conſenſu Epiſcoporum obtinet; cum huic conſuetudini penitus adverſari videatur allatum Decretum; eamque penitus ſapientiſſimi Galliæ Epiſcopi ademerint. Unde colligimus, Theodulphum, ſi in ea verſetur Diœceſi ubi mos ille obſoleverit, ut in Diœceſi Pariſienſi; abſque peccato Sacerdotum confeſſiones non poſſe audire, etſi venialia tantum, aut mortalia alias jam confeſſa accuſent: quod ſi faciat, abſolutiones quas confert, ſunt irritæ.

(a) Lud. Abelly. Med. Theol. part 2. ſect. 16.

(b) Bonacina de ſacram. Pœnit. diſp. 5. q. 7. puncto 1.

CASUS XIII.

Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Novarienſis illud jam pridem jus obtinet, ut in decem Diœceſis Parœciis Curatos inſtituat; ac Presbyteros, ibi confitentes, approbet, non reclamante & conquerente, qui id novit, Epiſcopo. Hoc unum conſtat, quoſdam ex iis Presbyteris quandoque, omiſſo Capitulo, approbationem ſuam ab Epiſcopo poſtulare. Qua de re duo requiruntur. Primum: Utrum illud Capituli jus legitimum cenſeri debeat aut poſſit, ſufficiatque ad canonicam inſtitutionem Curatorum, approbationemque Presbyterorum, qui in his verſantur Parœciis, non interpellato Epiſcopo. Secundum: Utrum aliarum Parœciarum quæ pleno jure pendent ab Epiſcopo, Curati, ac Sacerdotes ad audiendas in iis confeſſiones approbati, valide in decem illis Parœciis Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare abſque conſenſu Capituli; aut in propriis Eccleſiis earum incolas ad confeſſionem admittere valeant?

Respons.

Ex jure communi ſoli Epiſcopo in tota ſua Diœceſi competit quidem Curatorum inſtitutio *(c)*: attamen jus illud aliis etiam ſpeciali privilegio communicari poteſt, ut patet ex Decretali Innocentii III. ad Epiſcopum & Archidiaconum Norvicenſem in pari difficultate, quam dijudicat hic Papa, ſecundum Richmondiæ Archidiaconum *(d)*, qui pari, quoſdam inſtituendi Parochos, jure fruebatur. Unde colligi poteſt, Capitulum illud poſſeſſionem ſuam ab Epiſcopo cognitam & non controverſam retinere poſſe, donec eam juridica ſententia ab eo obtenta amittat; atque adeo Curatos decem Parœciarum Capitulo inſtitutos, nec non Sacerdotes ab eodem approbatos, earum incolas ſacramentaliter abſolvere poſſe. Ratio eſt, quia Capituli poſſeſſio ſpeciali haud dubie privilegio nititur; cum huic non intercedat Epiſcopus ſciens; nec deeo conqueratur: atqui *Privilegia Eccleſiarum*, inquit Canon antiquus *(e)*, *& ſacerdotum intemerata & inviolata cunctis decernimus manere temporibus*. Et alter Gelaſii Papæ *(f)*: *Deceſſorum ſtatuta .... legitima & juſta, ſucceſſorem cuſtodire convenit*. Quod etiam ſtat pro Eccleſiis privatis; ut jure *(g)* ac legibus Imperatorum Arcadii & Honorii *(h)* quas refert Gratianus, decernitur. Conſuetudine inſuper fulcitur Novarienſis Capituli poſſeſſio, ut ſtatuit Decretalis Honorii III. ad Capitulum Pariſienſis Eccleſiæ his verbis: *Cum conſuetudinis uſuſque longævi non ſit levis auctoritas, & plerumque diſcordiam pariant novitates &c. (i)* Nihilominus, ſi Sacerdotibus harum tantummodo Pa-

(c) Alex. III. in Cap. *Ex frequentibus*, 3. de inſtitutionibus. 3. tit. 7.

(d) Innoc. III. in Cap. *Cum veniſſet*. 6. eod. tit.

(e) Can. *Privilegia*. 1. 25. q. 12.

(f) Gelaſius in Can. *Deceſſorum*. 19. eadem cauſa & quæſt.

(g) Conc. Carthag. 5. in Can. *Placuit*. 3. diſt. 31. Et in Can. *Cum de quorumdam*. 4. diſt. 24. Alex. III. in Cap. *Ucerum*. 1. Et in Cap. *Super eo*. 3. de cognatione ſpirituali. l. 4. tit. 11. Et Bonifacius VIII. in Cap. *Mandatum*. de Præbendis & Dignit. in 6. l. 3. tit. 4.

(h) Can. *Quæcumque*. 20. 25. q. 2.

(i) Honorius III. in Cap. *Cum conſuetudinis*. 9. de conſuetudine. l. 1. tit. 4.

rœciarum manſionariis Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem interdiceret Epiſcopus, ad obedientiam tenerentur, donec ab eo cujus eſt ſolius approbare, juxta Tridentinum Concilium ad audiendas confeſſiones admitterentur. Hæc de prima parte quæſtionis.

Quod ad ſecundum quæſitum pertinet: Exiſtimamus Parochos qui pleno jure ab Epiſcopo pendent, valide ac licite decem Parœciarum incolas abſque conſenſu Capituli poſſe abſolvere, ſufficiente ad id ſola Epiſcopi auctoritate, ſeu in his Parœciarum, ſeu in propriis Eccleſiis: modo tamen conſenſerint decem illarum Parœciarum Curati; & non aliter.

CASUS XIV.

Didacus, Gandavenſis Officialis, aut Cathedralis Eccleſiæ magnus Archidiaconus, quoſdam in confeſſione audivit; licet ab Epiſcopo non approbatus. An validæ ſunt abſolutiones, quas contulit? Invalidæ videntur, cum ab Epiſcopo ad confeſſionem non eſſet admiſſus. Validæ contra videntur, cum una ſit ejus, quatenus Officialis, cum Epiſcopo juriſdictio.

Respons.

Didaci abſolutiones ab Epiſcopo non approbati, ſunt irritæ: ratio eſt quia, cum abſolute loquatur Concilium Tridentinum de neceſſitate approbationis, non diſtinguendo inter ſimplicem Sacerdotem, & eum qui aliqua dignitate pollet; nulla quoque a nobis admitti debet diſtinctio, juxta iſtud juris effatum: *(k) Ubi Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus*. Et iſtud aliud antiquo Canoni conſentiens *(l)*: *Qui non excipit, omnia comprehendit*. Unde ſequitur, Archidiaconos aut Officiales, cum a regula generali quam ſtatuit Concilium, non eximantur; cum aliis ſimplicibus Sacerdotibus quoad neceſſitatem approbationis comprehendi, nec ſine ea valide Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare poſſe.

Neque obſtat, quod Didacus Epiſcopalem habere juriſdictionem dicatur: de ſola namque contentioſa illud eſt intelligendum, qua nec confiteri, neque ullam poteſt obire functionem, ex iis quæ voluntariæ dicuntur.

(k) Argum. Legis *De præſio*. ff. de publicana in rem actione. lib. 5. tit. 2.

(l) Nicolaus I. in Can. *Si Romanorum*. 4. diſt. 29.

Vide Archidiaconus, Caſu 5.

CASUS XV.

Archambaldus, Religioſus, ab Ordinario Diœceſano non approbatus, reliquos monaſterii ſui Religioſos ad confeſſionem admiſit, nec non quoſdam etiam laicos qui illud incolunt, uti janitorem, olitorem, mercenarium, eoſque, qui ad novitiarum ſeſe offerentes, aliquamdiu ante ſuſceptionem habitus religionis probantur. Numquid valide & licite ita ſe gerere potuit?

Respons.

Sacroſancta ſynodus Tridentina, de qua ſuperius in reſponſione ad Caſum 12. loquens de poteſtate Regularium quoad confeſſionem; *Decernit .... nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Epiſcopis ...., approbationem .... obtineat*. Unde colligendum eſt ad audiendas Religioſorum ſui Ordinis confeſſiones, non ipſis eſſe neceſſariam Epiſcopi, ſed ſolam Superiorum regularium ſufficere approbationem: atque adeo, ſi Archembaldus a Superiore ſuo ad audiendas Religioſorum ſuorum confeſſiones fuerit deputatus; abſque alia approbatione, id licite ac valide facere potuit.

Quod ad laicos pertinet qui Monaſterium incolunt: ii ad confeſſionem, ſolo concedente regulari Superiore, admitti potuere ab eodem Religioſo; ſi ita monaſterii familiæ ſint addicti, ut in eo ad vitam debeant permanere, & non aliter *(m)*: nam ſi familiæ non ſint membra, & in monaſterio ad tempus dumtaxat permanere debeant; neceſſaria eſt Epiſcopi approbatio ut in confeſſione poſſint

(m) De Genet. Theol. Moral. tom 4. part. 4. tract. 6. cap. 8. n. 8.

audi-

auditi; quod infra in reſponſione ad ſextam deci- mam difficultatem probabitur.

Exiſtimamus tamen, eos eſſe excipiendos, qui ad Novitiatum deſtinati, aliquamdiu in monaſterio ſæculari habitu permanent; donec vocationem eorum ponderans Superior, omnino noverit, *quo ſpiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitæ genus elegerent; quem ſibi finem propoſuerint; num zelo melioris frugis ac perfectioris vitæ, & ut Deo melius famulari poſſint; an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu*, uti loquitur Bulla Clementis VIII. *(a)* data 12. Martii ann. 1596. reſtaurata 20. Junii ann. 1599. & 19. Maii 1602. & tandem aucta 19. Martii ann. 1603. Ratio eſt, quia, licet annus probationis, non niſi a die ſumtionis habitus religioſi computetur in iis tamen; quæ ad confeſſionem pertinent, tamquam Novitii debent haberi, cum religioſæ obſervantiæ uſibus ſubdantur ac regulari obedientiæ: quocirca eos abſolvere abſque ſpeciali Epiſcopi approbatione poteſt Novitiorum moderator, dum religionis voto ſe obſtringendi, & in monaſterio permanendi propoſitum tenuerint. Ita ſentit eruditus Gennenſis Religioſus cum Antonio Corduba, Andrea Vega, & Suarez quos laudat *(b)*. En ipſius verba; *Licet non ſint vere Religioſi, ſunt tamen vere ſubditi. Unde debent, ſi volunt permanere in religione, ea omnia ſervare & facere, quæ boni ſubditi faciunt, & ad rectum experimentum, & ſui ipſorum & religionis conductum, poſſunt. Quod ſi alium Confeſſarium elegerint a deputato per Prælatum, poſſunt, ſecundum Rodriguez, hac ſola de cauſſa a Religione expelli, tamquam male diſpoſiti ad votum obedientiæ, quod profiteri intendunt*. Hæc eo probabilior nobis videtur opinio, quod talis poſtulans e monaſterio exiens ad confeſſionem, ſi forte in eo non eſſet, (ut conſtat eſſe plurima) Religioſus ab Epiſcopo approbatus; multis eſſet, quæ facile quiſque excogitare poteſt, incommodis obnoxius.

(a) Clem. VIII in Bulla Regularis. §. 13. to. 3. Bullarii pag. 121. edit. Lugd. ann. 1692.

(b) Laur. de Peyrinis de offic. Prælat. regularia. q. 3 c. 1 n. 102. & ſeq. Et apud eum Corduba qq. Theol. q. 10. Vega 2. part. Sum. 9. c. 29. Caſ. 5. & Suarez tom. 4. de Religione tract. 1 n. 6. 7. o. 4.

CASUS XVI.

(1) Ea antiqua cujuſdam Abbatiæ conſuetudine, Regularis Abbas, e ſuis Religioſis, quos libuerit approbat, ad audiendas ſæcularium, ibi manentium, etiam famulorum laicorum & aliorum confeſſiones; non petita ab Epiſcopo Diœceſano approbatione, quam neceſſariam Confeſſariis declarat eſſe Concilium Tridentinum. Quæritur, utrum illa conſuetudo ſit legitima, & horum ſæcularium confeſſiones validæ?

Respons.

Partem affirmantem aſſerunt Auctores quidam, *(c)* his potiſſimum nixi rationibus: 1. Quia rem ita definivit ſacra Congregatio, interpres Tridentini Concilii ſub Gregorio XIII. 2. Quia ſpeciale illud privilegium Ciſterci enſi Ordini conceſſit Bonifacius VIII. 3. Quia huic rei non adverſatur Concilium Tridentinum *(d)*; cum enim declarat, ſæcularium Confeſſarii, qui a regularibus pendent, quibus imminet animarum cura; quique non ſunt de illorum monaſteriorum familie, immediate ſubeſſe juriſdictioni, viſitationi & correctioni Epiſcopi Diœceſani; inde colligunt ſæcularium Confeſſarii qui ſunt de familia monaſteriorum, a juriſdictione Epiſcopi eximi, atque adeo ipſius approbatione non indigere; ſicque intelligendum eſſe Concilium, cum ait *(e)*: *Nullum etiam regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, ... niſi aut Parochiale Beneficium habeat; aut ab Epiſcopis ..... approbationem ..... obtineat*. 4. Tandem, quia non damnari poteſt hæc conſuetudo, cum non ſit Decretis Concilii adverſa, licet præſcriptione etiam non ſtaret: quia non niſi ut hujus Legis explicatio conſideranda eſt.

(c) Joan. la Crux. l. 2. de Stat. Relig. c. 5. dub. 4. &c. dub. 1.

(d) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 11. de Regular. & Monialibus.

(e) Idem Seſſ. 23. c. 15. de reform.

Miſſis tamen infirmis illis rationibus, exiſtimamus, conſuetudinem qua nixus Abbas regularis de quo in caſu propoſito, hoc ſibi jus arroget, ut ſæcularium Abbatiæ ſuæ Confeſſarios approbet; merum eſſe abuſum, qui emendandus eſt, uti contrarius mox allato Concilii Tridentini Decreto; quo nullus vel ſæcularis, vel regularis ad audiendas confeſſiones admittitur Sacerdos, *niſi aut Parochiale Beneficium habeat aut ab Epiſcopis ..... approbationem ..... obtineat*. Id quidem fuſe probat Sylvius in una ex ſuis deciſionibus 9. Junii ann. 1641. *(f)* poſt alios multos Auctores, quos laudat; quales ſunt Barboſa *(g)*, cujus hæc ſunt verba: *Hinc ſit Prælatos, ſeu alios Religioſos Confeſſores non poſſe audire confeſſiones ſæcularium, qui ſunt de familia, & deſerviunt ipſorum monaſteriis, abſque approbatione vel licentia Epiſcopi*: Suarez loquens de Franciſcanis *(h)*: Emmanuel Rodriguez, qui, cum priori ſtatim opinioni favere videatur *(i)*, eam tamen in reliquo opere deſerit (k); & Hieronymus Rodericus *(l)*.

(f) Franc. Sylvius. reſolut. var. v. *Confeſſarii approbatio*.

(g) Aug. Barboſa allegat. 25. n. 46.

(h) Suarez tom. 4 de Relig. l. 2. c. 19. n. 7.

(i) Emman. Rodriguez tom. 1. qq. regular. q. 56. art. 24.

(k) Idem tom. 2. q. 67. alias 68. art. 1

(l) Hieron. Rodericus reſolut. 31. v. *Retractatio*.

Ad confirmationem hujus deciſionis hoc unum ſupereſt, ut allatis rationibus fiat ſatis: & ad primum quidem dicimus cum laudato ſuperius Sylvio *(m)*, allegatam ſupra Cardinalium declarationem in uno Joanne Galemart reperiri, cujus opus ſacræ Congregationis declarationes continens a Cardinalibus illius non modo improbatum, ſed etiam eorum Decreto 29. Aprilis an. 1651. & alio 6. Junii ejuſdem anni ſtricte fuit vetitum, uti complectens Decreta aut ſuppoſita, aut immutata.

Nec majoris eſt momenti altera, quam affert Rodriguez, declaratio, miſſis data & Auctore, quam reperiri ait poſt Bullas Gregorii XIII. cujus auctoritate ſuam conabatur probare opinionem pro ſæcularibus, *qui ſunt de familia*, ut loquitur, *& continui commenſales, non autem eorum qui deſerviunt in eorum monaſterio*. In magno namque Bullario ſiletur omnino hæc declaratio, quam nullam eſſe ſatis indicat hic Auctor, cum poſtea contrariam, ut advertimus, opinionem amplectatur. Equidem Gregorius XIII. nona ſua Bulla *(n)* 1. Martii an. 1573. Clemens VIII. 115. Bulla ſua *(o)*, 7. Decembris an. 1604. ac tandem Clemens X. ſeptima ſua Bulla 21. Junii 1670. *(p)* expreſſis verbis declararunt, Decretum Concilii Tridentini pro Confeſſariis regularibus ad litteram eſſe obſervandum. *Decernimus & declaramus* .... inquit hic ultimus Papa, *in monaſteriis ac etiam collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos regulares, quam Confeſſores regularium eorumdem monaſteriorum, ſeu collegiorum, audire confeſſiones illorum ſæcularium qui inibi ſunt vere de familia, & continui commenſales; non autem illorum qui tantum ipſis deſerviant*.

(m) Franc. Sylvius loco cit. Et in 2. 2. q. 100. art. 2. in fine.

(n) Greg. XIII. in Bulla. *In tanta*. § 6. & ſeqq.

(o) Clem. VIII. in Bulla. *Quecumque*. §. 6.

(p) Clem. X. in Bulla. *Superna*. 7. §. 4. in magno Bullario. tom. 5. pag. 494.

2. Fruſtra quoque affertur privilegium Ciſtercienſibus a Bonifacio VIII. conceſſum; quod his verbis Tridentini Concilii penitus eſt revocatum *(q)*: *Privilegiis & conſuetudine quacumque etiam immemorabili, non obſtantibus*.

(q) Conc. Trid Seſſ. 23. c. 15. de reformat.

3. Nec priori opinioni favet, id quod legitur in undecimo Seſſionis vigeſimæ quintæ capite: ibi namque Concilium tantummodo loquitur de Confeſſariis regularibus quoad quaſdam perſonas ſæculares, quæ ſunt *de familia monaſterii*, non vero de aliis, quæ eidem deſerviunt monaſterio; quas immediate juriſdictioni, viſitationi & correctioni Epiſcopi ſubeſſe declarat, in iis quæ ad animarum curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent: unde colligitur manifeſto, regulares, eorum Confeſſarios, qui non ſunt de familia monaſterii, hoc ſibi jus non poſſe vindicare, ut ſine approbatione Epiſcopi confeſſiones eorum excipiant; cum eo in loco non de Confeſſariis generatim, ſed de iis tantum loquatur Concilium, quibus incumbit cura animarum; vultque eos, qui a monaſterio ad id præficiuntur, etiam ad nutum amovibiles, non deputari, niſi de conſenſu Epiſcopi ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo; quod examen non intelligitur, de eo, quod fit ſpeciatim pro adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ; ſed generatim pro cura animarum; cum expreſſe de approbatione requiſita ad audiendas ſæcularium confeſſiones non agat Concilium, niſi in decimo quinto capite Seſſionis vigeſimæ tertiæ.

Antiqua denique, qua nititur Monaſterium, de quo agitur in propoſito caſu, conſuetudo, legitima cenſeretur, ſi vel ſanctæ Sedis, vel ipſiuſmet Tridentini Concilii in ea regione promulgati & admiſſi privilegio niteretur; verum illius nulla

(1) Vid. *Menda Pastaſ.* Obſerv. V. num. III.

nūlla debet haberi ratio, cum & Concilio ſit antiquior, & nullo ſulciatur poſteriori privilegio; ac proinde ut Legis generalis colluſio cenſenda eſt. Ita ratiocinatur Sylvius. Convenienter ad hæc principia exploſum ſemper fuit in Gallia privilegium ab Innocentio VIII. Abbati Ciſtercienſi & quatuor primis hujuſce Ordinis Patribus an. 1489. conceſſum, Subdiaconatum videlicet & Diaconatum ſuis conferendi Religioſis, ut obſervat idem Theologus (a).

(a) Sylvius tom 4. pag. 613. col. 2.

CASUS XVII.

Agathangelum, Ordinis cujuſdam mendicantium Religioſum, ab Epiſcopo Diœceſano approbatum, a ſæcularium confeſſionibus audiendis amovit ipſius Superior, leviorem falſis quorumdam ei malevolorum rumoribus fidem adhibens; licet ſeptem jam vel octo annis Confeſſarii miniſterio honorifice functus fuerit: qua de re inquirit ille Religioſus. 1. Utrum deinceps, ſæcularium confeſſiones audire, certus de ſua innocentia, ut ante, non poſſit; cum ab Epiſcopo ſuo ſit approbatus; injuſta atque contumelioſa ſit ſui Superioris interdictio, & ex jure naturæ famæ ſuæ poſſit conſulere, quæ ſic non modo apud Religioſos ſui Monaſterii, ſed & reliquos ſuos pœnitentes attereretur. 2. Poſito quod ſine peccato in Monaſterio confeſſiones audire nequeat; utrum ſaltem eoſdem ſæculares rure, aut etiam alios de conſenſu Parochi loci illius in quo verſabitur, confiteri non poſſit?

R..SPONS.

Ad primam quæſtionem reſpondemus, Religioſo non ſatis eſſe Epiſcopi approbationem, ut in Monaſterio ſuo confeſſiones poſſit audire; ſed inſuper requiri Superioris ſui regularis licentiam: unde eo prohibente Agathangelus deinceps in Eccleſia ſui Monaſterii ſæcularium confeſſiones excipere non poteſt. Licet enim falſa criminatione nitatur Superioris ſui interdictum; ab audiendis tamen ſæcularium confeſſionibus ob debitam ipſi obedientiam abſtinere debet, alioquin, necdum famæ ſuæ conſuleret, ſed ceteris Religioſis, immo & ſæcularibus qui id noverint, ſcandalum præberet: nec non ſui Superioria animum eo agendi modo exaſperaret, a quo proinde ſeverius poſſet excipi. Quocirca dici poteſt; ut Sacerdos ſæcularis, licet approbatus, in Parochiali Eccleſia, non niſi de conſenſu Parochi, confeſſiones audire poteſt; ſic Religioſo idem non licere in Eccleſia ſui Monaſterii, niſi concedente Superiore ſuo regulari.

Ratio eſt, quia Epiſcopus approbando Confeſſarium, juriſdictionem ei concedens, non intendit, ut ea utatur in Eccleſia ſui Monaſterii, invito ſuo Superiore immediato, hoc eſt, Superiore regulari Monaſterii ſui; unde admiſſioni hæc ſemper apponitur clauſula: *De conſenſu Superiorum*: Quare a laico facta confeſſio Religioſo, qui tali conſenſu careret, licet valida ex parte pœnitentia, eſſet tamen illicita ex parte Religioſi audientis; qui, licet ab Epiſcopo approbatus, graviter tamen ita ſe gerens peccaret.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondemus, Religioſum illum licite Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare poſſe in Parœcia Diœceſis Epiſcopi, a quo fuit approbatus, & tamen de conſenſu Parochi illius: nam Superioris Regularia licentia intra Monaſterium ipſi tantum eſt neceſſaria, & non alibi. Quare in eo caſu legitimæ eſſent, tum ex parte Agathangeli, tum ex parte pœnitentis, confeſſiones quas audiret. Hæc adeo certa videntur, ut de ea difficultate ſuſius dicere non ſit neceſſe.

CASUS XVIII.

Landericus, Monaſterii exemti Religioſus, ab Abbate Regulari Monachorum Confeſſarius conſtitutus, & etiam ab Epiſcopo ad audiendas ſæcularium Diœceſis ſuæ confeſſiones approbatus, eo jam dudum functus miniſterio, tandem obſurduit; quare alterum ei Abbas ſubſtituit ad excipiendas Monachorum confeſſiones, quolibet alio ad id excluſo. Poſt tres menſes Landericus, excuſſa penitus ſurditate ſua, quoſdam ſæculares, ſibi jam pridem confiteri ſolitos, in confeſſione audivit, & duas etiam Religioſas ejuſdem Ordinis, ac ejuſdem Abbatis juriſdictioni ſubditas. Qua de re duo quæruntur. Primum: Utrum Landericus valide ac licite eos ſæculares abſolvere potuerit; conceſſa ſibi prius in eos juriſdictione per alterius Confeſſarii ſubſtitutionem ab Abbate privatus, quocumque alio ad id muneris etiam amoto. Alterum: utrum abſolutio quam duabus impertiit Religioſis, ſit valida?

Respona.

Ad ſolutionem prioris quæſtionis, quæ ad ſæcularium confeſſiones ſpectat a Landerico exceptas; ſupponendum, tria ex parte Confeſſario requiri, ut valide laicos poſſit abſolvere. Primum eſt; poteſtas Ordinis: alterum; poteſtas Juriſdictionis: & tertium; Epiſcopi Diœceſani approbatio, non revocata; quæ tria cum Landerico conveniant, quippe qui ſit Sacerdos, ab Epiſcopo neceſſariam habens juriſdictionem, nec non approbationem ſimplicem & ab Abbatis regularis conſenſu independentem; hinc concludimus, abſolutiones quas contulit illis ſæcularibus, eſſe validas: & quidem etiam licitæ defendi poſſunt; cum in regulares juriſdictionem tantum amiſerit per mandatum Abbatis; nulla facta de ſæcularibus mentione, in quos ipſe, ut Abbas, nullam habet juriſdictionem. Difficultatem hanc an. 1641. ſibi propoſitam ita diſſolvit Sylvius (b). *Ergo habet omnia*, inquit, *quæ ex parte Confeſſoris neceſſaria ſunt ad confeſſiones ſæcularium audiendas, eoſque valide abſolvendum. Et quoniam non liquet de contrario Prælati mandato, non videtur etiam Titius illicite talium confeſſiones audire.*

(b) Sylvius. Reſolut var. v. *Confeſſio*. 4. reſp. ad dub. 2.

Non idem dici poteſt de abſolutionibus, quas duabus Religioſis contulit Landericus: nam invalidæ ſunt, niſi forte duabus illis Religioſis veniam conceſſerit earum Superior regularis peccata confitendi Sacerdoti, quem admiſerit Epiſcopus Diœceſanus: *Juris enim communis eſt*, inquit idem Theologus, *quod nullus Sacerdos, ſive regularis, ſive ſæcularis, poſſit audire confeſſiones Religioſorum ac Religioſarum, niſi a Prælatis ipſorum juriſdictionem accipiat. Loquor autem de Religioſis ab Epiſcoporum juriſdictione exemtis* (c). Atqui talem juriſdictionem, nec ab Epiſcopo, nec a Superiore regulari acceperat Landericus: non ab Epiſcopo, qui ea carens ipſe in perſonas exemtas, eam in ipſum transferre non potuit juxta iſtam Bonifacii VIII. (d) regulam: *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur*. Nec etiam a Superiore ſuo regulari, qui ipſum tali juriſdictione per alterius ſubſtitutionem, quolibet alio excluſo, ſpoliaverat. Non igitur duas illas valide Religioſas abſolvere potuit ob defectum legitimæ poteſtatis, qui in Confeſſario omnium eſt maximus.

(c) Idem ibid. reſponſ. ad dub. 3.

(d) Reg. 79. de reg. ju is in 6.

CASUS XIX.

Monasterium Monialium S. Jobi, vi antiqui ab Apoſtolica ſede ſibi conceſſi privilegii hoc jus poſſidet, ut ab Epiſcopi Diœceſani juriſdictione eximatur, cujus tamen privilegii ignorantiam prætendit Epiſcopus. Rogatus ab una ex hia Monialibus, Parœciæ in qua ſitum eſt Monaſterium, Vicarius, ut peccata ſua confitentem audiret, id ſtatim ob eam cauſſam recuſavit, quod ad excipiendas Monialium confeſſiones non eſſet approbatus; ſed victus tandem illius precibus, eam in confeſſione audivit: qua de re quæritur, utrum Vicarius peccaverit Religioſæ illius confeſſionem audiens; eamque valide abſolvere potuerit?

Respons.

Quamvis omne privilegium, odioſa ſit res, quod a jure communi recedat (e); ſtricte tamen eſt tenendum, ſi ſit legitimum (f). Unde ſancti Jobi Religioſæ ab Epiſcopi juriſdictione, etiam de præſenti, liberæ, non tenentur approbatos ab eo adhibere Confeſſarios ad ſuas confeſſiones; quam-

(e) L. *Jus ſingulare*. 16. ff. de legibus ſenatuſque conſultis &c. l. 1. tit. 3.

(f) Can. *Privilegia*. 1. & 2. & paſſim. 25. q. 2.

Digitized by Google

tumvis ille exemtionis ſuæ ignorantiam prætendat. Quocirca Religioſam Monaſterii ſancti Jobi valide abſolvere potuit Vicarius, de quo fit mentio in caſu propoſito; quamvis ad audiendas Monialium confeſſiones non admiſſus a ſuo Epiſcopo fuerit; cum pro iis tantum ſit neceſſaria hæc approbatio, quæ non tali fruuntur privilegio. Ita ſentit modernus Theologus (a).

(a) De Sainte Beuve tom. 2. Caſ. 177.

CASUS XX.

Rutilius, ſpectatæ pietatis Religioſus, qui Doctoratus laurea inſignitus, per multos annos in ſuo Monaſterio Theologiam profeſſus eſt, a Superiore ſuo regulari approbatus, Communitatis ſuæ Confeſſarius ſtatutus eſt, etiam cum facultate, ſæcularium confeſſiones audiendi, etſi ab Epiſcopo non admiſſus. Suam autem Rutilio ob ſingularem ejus eruditionem ac pietatem ſufficere licentiam contendit ille Superior, hac potiſſimum nixus ratione, quod Concilium Tridentinum, poſtquam declaravit, in citato vigeſimæ tertiæ Seſſionis capite, nullum Sacerdotem ſæcularem aut regularem confeſſiones poſſe audire abſque Ordinarii approbatione ac prævio examine, hanc addat exceptionem, *aut alias idoneus judicetur*. Ex quibus verbis videtur Rutilius eximi ab examine & approbatione Epiſcopi; cum aliunde conſtet de ipſius idoneitate ad confeſſiones audiendas. De quo petitur, utrum pro eo valeat hæc exceptio; ac ſæcularium confeſſiones, ſolo concedente Superiore ſuo, poſſit audire.

Respons.

Certum eſt, hanc exceptionem, *aut alias idoneus judicetur*, nullo pacto Rutilio, vel Superioris ipſius præſumtioni favere. Conſtat nimirum, hæc verba ad examen referri, quod pro arbitrio Epiſcopi fieri, vel etiam omitti poteſt, ſi aliunde conſtet de idoneitate Sacerdotis; non vero ad approbationem, quæ Confeſſario omnino eſt neceſſaria, ut conſtat ex ſeptima Clementis X. Bulla ſuperius laudata, qua ſummus hic Pontifex generatim & diſtincte conceſſa olim Regularibus ob eam cauſſam privilegia revocat; ac declarat, nullum Regularem confeſſiones valide poſſe audire, niſi ab Epiſcopo loci probatus fuerit.

Nullam igitur hæc deciſio patitur difficultatem; præcipue ex quo tempore ſanctus Papa Pius V. ne quidem Theologiæ Profeſſores, ab obligatione requirendæ ab Epiſcopo Diœceſano approbationis, juxta Concilium Tridentinum immunes eſſe declaravit Bulla ſua 133. data 6. Aug. an. 1571. (b). En ipſius verba: *Hac noſtra Conſtitutione perpetua ſancimus & declaramus Decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium audiendis confeſſionibus ſæcularium præpoſitorum, ab Epiſcopis facienda obſervari debere; etiam in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, etiam ſub regulari diſciplina viventibus; etiamſi ſint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum ſuorum licentia graduati, vel promoti, vel a ſuis Magiſtris generalibus, vel Provincialibus Miniſtris ſæcularium confeſſionibus audiendis expoſiti ... inhibentes quibuſcumque Regularibus quorumvis Ordinum .... ne vigore deputationis & approbationis ab eiſdem Magiſtris & Miniſtris Provincialibus .... abſque ſpeciali in poſterum licentia & approbatione ab Ordinariis obtinenda, ſæcularium confeſſiones audire præſumant: decernentes irritum & inane; ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Conſtitutionem hanc penitus confirmarunt Bullæ Gregorii XIII. & Clementis VIII, (c) ſupra allatæ; & 92. Urbani VIII. 12. Septemb. an. 1628. (d) cujus hæc ſunt verba: *Omnia & ſingula indulta hujuſmodi, audiendi ſæcularium confeſſiones abſque Ordinarii examine & approbatione, quibuſvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, Societati etiam Jeſu, Congregationibus & Ordinibus .... etiam quomodolibet exemtis, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectis .... revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, annullamus, viribuſque & effectu vacuamus &c.* Qua quidem Conſtitutione nihil ſapientius: ſit enim quantumlibet, Theologiæ Scholaſticæ aut poſitivæ ſciens Profeſſor; liquet tamen, eum in ampliſſimo moralis diſciplinæ campo, parum aſſe poſſe exercitatum, quæ peculiare quoddam exigit ſtudiorum genus, non eo tantum, ut lepram a lepra, mortale a veniali probe noverit ſecernere; verum etiam, ut innumeras difficultates ac impedimenta diſſolvat, quæ parit caſuum conſcientiæ diſcuſſio; præſertim in iis, quæ ſpectant ad cenſuras, irregularitatem, contractus, reſtitutionem, Uſuram & Simoniam. Noverit Sacerdos omnem myſticam, quæ ad attributa divina, ſanctiſſimam Trinitatem, Incarnationem & alia ſimilia pertinet Theologiam; nondum eo fit idoneus, ut ad tremendum animarum regimen accedat, niſi perſpectam omnino morum ſcientiam habuerit, hoc eſt, Canonum & Legum peritiam; ac zelo, prudentia, probitate, ceteriſque Confeſſario dotibus neceſſariis ſit præditus; cum, ut medicus animarum, eas ſanare nequeat, niſi morborum naturam ac remedia calleat; & ut Judex conſcientiæ peccatorum, æquam non poſſit pro iis vel contra eos ferre ſententiam; niſi intelligentia, probitate, ac neceſſariis polleat cognitionibus. Idcirco Eccleſia præpoſuit Epiſcopos, eorum examini, qui id ſibi onus imponere ambirent; ut ſecernerent idoneos ab ineptis, qui ſcilicet debita carent ſcientia, aut probitate morum, aut aliis requiſitis animi dotibus. His omnibus addi poſſet ſpeciale Cleri Gallicani in Comitiis generalibus interdictum, quo ſæcularium confeſſiones audire prohibentur, tum regulares, tum ſæculares Sacerdotes, non obtenta Epiſcopi approbatione (e).

(b) Pius V. in Bulla Romani. §. 2. & 3.

(c) Greg. XIII. Bulla. In tanta. 9. data die 1. Martii. 1573. §. 6.
Et Clemens VIII. in Bulla Quacumque ſupra cit.

(d) Urban. VIII. in Bulla Cum ſicut. ea §. 1. in Bullario magno. tom. 4. pag. 152. col. 2.

(e) Comitia Cleri Gall. an. 1641. in primo Actorum Cleri tomo relata. pag. 690.

CASUS XXI.

Nicasius, Pariſienſis Diœceſanus, Meldas conſulto petiit, ut cuidam Monaſterii Meldenſis Religioſo, quem pro tota Diœceſi ſua approbavit hujus urbis Epiſcopus, vitæ ſuæ delicta pateſaceret in confeſſione. Numquid valida eſt abſolutio, quam vi approbationis ſuæ Nicaſio contulit?

Respons.

Invalida eſt hæc abſolutio; neque enim ulla Meldenſi Confeſſario in Pariſienſes Diœceſanos competit Juriſdictio, uti nec ipſi Epiſcopo, qui eam proinde in alium transferre nequit. Hanc deciſionem aſſerit Concilium Tridentinum, quo ſtatutum eſt, Confeſſarium, uti Judicem, non niſi in ſubditos poteſtatem ſuam poſſe exercere. *Quoniam igitur*, inquit Concilium (f), *natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.* Conformiter ad hoc Decretum, in tertio Mediolanenſi Concilio ſtatuit S. Carolus, ut ei Sacramentum Euchariſtiæ deneget Parochus, tamquam minime confeſſo, qui dedita opera in alienam migrans Diœceſim, peccata ſua confeſſus eſt Sacerdoti aut Religioſo, qui licet ab Epiſcopo loci, in quo commoratur, probatus ſit, ab Epiſcopo tamen proprio pœnitentis, non eſt admiſſus, ut legere eſt in reſponſione ad decimam difficultatem.

(f) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.

Ad hæc accedit Bulla ſeptima Clementis X. 21. Junii an. 1676. (g) quæ hanc expreſſe verbis iſtis ſolvit difficultatem: *Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Diœceſani Epiſcopi approbatione audire: quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus, a quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati.* Quibus verbis conſtat, quod, etſi Religioſus de quo agitur, Pariſiis antea probatus fuiſſet, non ei tamen Nicaſium Pariſiorum Diœceſanum in confeſſione audire, finita per diſceſſionem approbatione ſua licebat. Poſt tam certas auctoritates, non eas referre neceſſe eſt, quas ſuppeditant ſcripta Theologorum & Canoniſtarum, quibus omnibus ſufficit Fagnanus, ejuſdem doctrinæ aſſertor (h); eo majori fide dignus, quod ſcri-

(g) Clemens X. in Bulla Superna. §. 4.

(h) Proſper Fagnan. in cap. Ne pro dilationis. de pœnit. & remiſſionibus.

Digitized by Google

ſcriba eſſet ſacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum (*a*).

(*a*) In magno Bullario. tom. 1. pag. 111.

CASUS XXIII.

Religiosus ab Epiſcopo Diœceſano ad audiendas ſæcularium confeſſiones admiſſus, cenſetus ne etiam approbatus ad eacipiendas confeſſiones Monialium ſui Ordinis; vel etiam approbatus ad audiendas Religioſas unius Monaſterii, cenſetus ne approbatus ad aliarum confeſſiones excipiendas?

Respons.

Certum eſt, approbationem hujuſce Religioſi, aut cujuslibet alterius Cooſeſſarii ad audiendas ſæcularium confeſſiones oon ultra progredi; quocirca Monialium, etiam ſui Ordinis, confeſſiones excipere non poteſt abſque ſpeciali facultate; ſeu Epiſcopi, ſi ipſius ſubmittaotur juriſdictioni; ſeu Superioris earum regularis, ſi ſint exemtæ: atque idem de iis dicendum, qui ſunt approbati ad audiendas confeſſiones unius Monaſterii Religioſarum; neque enim alias alterius Monaſterii, licet ejuſdem Ordinis, poſſunt audire, ut ſtatuit Clemens X. in relata ſuperius Bulla his verbis. *Decernimus & declaramus .... generaliter approbatos ab Epiſcopo, ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas neququam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum: ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minime poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii.*

Idem jam ante conſtituerat Gregorius XV. (*b*) in Bulla ſua decima octava data 5. Feb. 1622. quæ ſic habet: *Decernimus, ſtatuimus & declaramus,* ioquit hic Papa, *as deinceps .... Confeſſores, ... ſive regulares, ſive ſæculares, quomodocumque exemti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confeſſiones Monialium, etiam regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant; niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem quæ gratis concedatur, obtineant.*

(*b*) Gregor. XV. in Bulla *Inſcrutabilis.* §. 5.

Iſtis duorum ſummorum Pontificum conſtitutionibus præiverant Decreta Conciliorum, præſertimque Oxonienſis, an. 1222. a Stephano Caotuarienſi Archiepiſcopo ad reformationem Eccleſiæ Anglicanæ ſub Honorio III. Papa habiti (*c*), cujus Canon eſt iſte: *Confiteantur etiam Moniales Sacerdotibus, ab Epiſcopo ſibi deputatis.*

(*c*) Conc. Oxonienſ. tit. *Quod Moniales.* &c.

Vide { Absolutio. Caſu 5. / Casus reservati. / Confessarii. Caſu 9. / Confessio. Caſ. 6. 7. 9. 17. & 33. / Jubilæum. }

A R B I T E R.

ARBITER is dicitur, qui eorum controverſias ſuſcipit, a quibus ex juſto compromiſſo hujuſce rei poteſtatem accepit (*d*). Iſque duplex diſtiogui poteſt: vel *Arbitrator*; ſeu *Arbiter compromiſſarius*, qui litem *ex æquo & bono*, non ex rigore Juſtitiæ, ſervataque judiciorum forma componere ſuſcipit (*e*): Iſque ex Silveſtro eſt tantum *amicabilis compoſitor*, nullamque juriſdictionem habet, niſi forte ex partium compromiſſo conſentieotium, ut aliquid ex rigore Juris laxet: quo in caſu veri Arbitri officio fuogitur; de quo ooo eſt heic ſermo: vel eſt *Arbiter Juris*, quia, ut ait Panormitanus (*f*), in eo caſu nominatur & eligitur, *ut procedat ſecundum Jus & ſervato Juris ordine*, uti loquitur Innoceotius IV. (*g*): atque is omnino iocorruptus & æqui juriſque debet eſſe ſervantiſſimus, de quo in hoc titulo loquimur, & quem ſic definit doctus Theologus (*h*): *Arbiter eſt judex, ex diſceptantium compromiſſione delectus ad controverſiam dirimendum.*

(*d*) L. Labeo. 3. §. 1. & L. Pomponius. 13. §. 2. ff. de receptis qui arbitrium &c. l. 4. tit. 8.

(*e*) §. Præſenti inſtitut. de empt. & Innoc. IV in c. Quintaval's. de jure jurando.

(*f*) Panormit. apud Silveſt. v. *Arbiter.* n. 2.

Uoicus, aut piures in eodem negotio poſſuot eligi Arbitri. Quandoque diſſideotes ioter ſe partes Judices Arbitrorum judicio permittuot, quos etiam ex officio nominant.

(*g*) Innoc. IV. ad cap. *Quintaval'is* de jure jur. & Leg. *Compromiſſum.* 1. ff. de receptis qui arbitrium receperunt.

In iis quæ ad Regnum aut commuoem utilitarem ſpectant, uti de ſeditione, conſpiratione aut crimine, facere compromiſſum non licet, etſi de ioteresſe civili, quod inde emergit, fieri poſſit.

Illi ſoli ad compromiſſum ſaciendum ſunt idooei, qui proprio nomioe coram Judice poſſunt litigare: Ceteri vero ſunt iohabiles, 1. Ut Pupilli, qui, cum rem ſuam abalienare nequeaot, compromiſſo ſpondere non poſſuot: cum ſioe booorum alienatione ooo fiat. 2. Illi omnes, qui civiliter mortui ſuot, aut Lege interdicti, aut tales reputati, ut ſuot excommunicati denuotiati. 3. Judices pro lite, cujus iis eſt notio. 4. Qui profeſſione ſua ſunt inſames, aut tales juridice denuntiati. 5. Addi poſſunt mulieres, quæ ad arbitrium non admittuntur, iis exceptis, de quibus poſtea.

(*h*) Polman. Brev. Theol. p. 2. n. 651.

Cum Arbitris certum ex compromiſſo præfigitur temporis ſpatium ad ſenteotiam ferendam, quo elapſo deſinit eorum poteſtas: ſi ex compromiſſo tempus non præfigitur, irritum fit Arbitrorum judicium ſubſequens deountiationem unius ex compromiſſoribus de oullitate eorum ſenteotiæ; ut ſert Arreſtum Senatus Pariſieoſis die 10. Decemb. an. 1627. latum (*i*).

(*i*) Diarium forl 1. 2. cap. 76.

Acceptum ſemel alicujus rei Arbitrium quis, oiſi ex cauſſa legitima, abdicare noo poteſt; uti compromiſſo reountiare compromiſſor, oiſi ſtatutam ex eo pœnam luat, triplici caſu excepto: 1. Cum Judicio noo adfuere ſinguli Arbitri. 2. Cum de ſiogulis capitibus controverſis ſeoteotiam noo tulere, quando potue-

tuerunt. 3. Cum tempus ex compromiſſo conſtitutum ſententia ſubſecuta eſt. Hanc eamdem pœnam luit compromiſſor, ab Arbitrio appellans, ſi ex compromiſſo de ea fuerit conventum.

Appellationes a ſententiis Arbitrorum ad Parlamenta deferuntur; & quidem intra juriſdictionem Senatus Pariſienſis, ad ſupremam Curiam.

Arbitralis ſententia ex Edicto menſis Martii an. 1673. apud Notarium deponi neceſſe eſt, qui hujus exemplar partibus, quarum intereſt, ſuppeditare poteſt; tumque ſententia hypothecæ locum obtinet; at exſecutioni mandari tantum poteſt confirmata a Judice, ſub cujus judicio lis erat: aut, ſi forte lis non fuerit intentata, a Judice domicilii partinm: tumque ſuum ſemper, non obſtante quacumque appellatione, ſortitur effectum.

Quod pertinet ad Arbitros a Judice deſignatos; non niſi vi mandati illius procedunt: ſed eadem eſt coram iſtis, atque aliis procedendi ratio, exceptis illis arbitriis, quæ ad commercium pertinent: qua de re conſuli poſſunt Statuta conſtitutionis an. 1673. (a)

(a) Ord. an. 1673. art. 9. & ſeqq.

CASUS PRIMUS.

Alexius & Jordanus de dominio, ſeu poſſeſſione cujuſdam hereditatis litigantes, ex compromiſſo inter ſe facto, Galterium diſſidii ſui Arbitrum elegerunt. Quæritur utrum ſub peccati conſcientia teneatur Galterius ad dijudicandam litem eorum ex rigore legum?

Respons.

Quamvis *Judices Arbitrarii ſint*, juxta definitionem ſancti Antonini, *qui nullam poteſtatem habentes, cum conſenſu litigantium in Judices eliguntur, in quos compromittitur, ut eorum ſententiæ ſtetur*; ſicque electi litem inſtruere, judicia interponere, dilationes concedere, ac tandem decretorias ferre valeant ſententias; quia tamen a litigantibus aſſumuntur vulgo, ut diſſidia ſua, non ſtricto jure, ſed amicabiliter componant; non, ut Judices tantum, ſed uti partium mediatores habendi ſunt. Unde ſequitur, Arbitros ad eumdem non teneri rigorem, ac Judices, qui ad legum mentem ac normam ſua debent judicia dirigere; ſed eos, quantum patitur æquitas, quibuſdam uti poſſe mitigationibus; cum ex compromiſſo partium, ſatis conſtet, eos non fuiſſe electos, uti Judices rigoroſos, ſed amicabiles compoſitores, quibus & rem & jura ſua pacis amore committunt, & ut parcant laboribus, impenſis, ceteriſque incommodis, quæ lites ad ſtricti Juris formam dijudicatas comitantur; quæque amica compoſitione vitantur.

Secundum hanc regulam Galterius, cujus Arbitrio Alexius & Jordanus ſuam litem commiſere, non tenetur ſub peccato ad eam dijudicandam in rigore juſtitiæ; ſed quodam uti poteſt temperamento, modo non ſit injuſtum, & in ſua ſententia æquitatis rationem habere.

Juvat obſervare: 1. Arbitrorum uſum adeo neceſſarium fuiſſe judicatum, ut Galliæ Regum Franciſci II. menſe Aug. an. 1560. (b) Caroli IX. Febuar. an. 1566. (c) & Ludovici magni an. 1673. (d) Edictis teneantur litigantes Arbitris a ſe electis, aut ſi renuerint, a Judice ex officio eligendis diſſidia ſua permittere: quod fit plerumque pro mercatoribus quoad commercium; pro iis, qui ſocietatem iniere, inter quos eſt ſucceſſio dividenda, aut a quibus Tutelæ rationes referendæ.

(b) Edictum an. 1560. art. 2.

(c) Edictum an. 1566. art. 83.

(d) Edictum an. 1673. cap. de ſocietatibus. art. 9. & ſeq.

2. *De officio Arbitri tractantibus*, inquit Lex Digeſtorum (e), *ſciendum eſt, omnem tractatum ex ipſo compromiſſo ſumendum: nec enim aliud illi licebit, quam quod ibi efficere poſſit, cautum eſt. Non ergo quodlibet ſtatuere Arbiter poterit, nec in qua re libet, niſi de qua re compromiſſum eſt, & quatenus compromiſſum eſt.*

(e) L. *Non diſtinguemus*. 32. §. 15. ff. de receptis, qui arbitrium receperunt, ut ſententiam dicant. l. 4. tit. 8.

3. Eadem ratione legitimum judicium Arbitros ferre non poſſe, niſi intra tempus compromiſſo ſtatutum; quod nullum eſt elapſo eo tempore, juxta legem Codicis Juſtiniani (f): *Si ultra diem compromiſſo comprehenſam judicatum eſt, ſententia nulla eſt.*

(f) L. *Ex ſententia*. Cod. de receptis arbitris. l. 2. tit. 55.

CASUS II.

Dijudicata a duobus Arbitris lite inter Briandum & Antonium ex compromiſſo, vi cujus judicatum negans, ad ſolutionem centum duplionum erga alterum damnabatur; poteſt ne Briandus tuta conſcientia Arbitrorum recuſare judicium, centum duplionibus Antonio perſolutis?

Respons.

Poteſt. In hoc quippe differt ab alio judicio ſententia arbitraria, quod, qui ſe læſum exiſtimat, ab ea abſolvatur, multam pecuniariam adverſæ parti ſolvens ex compromiſſo: quare ſi centum dupliones ſolvere malit Briandus, quam ſententiæ aſſentiri, iis ſolutis, etiam tuta conſcientia liber eſt; uti probat hæc Lex: (g) *Ex compromiſſo placet exceptionem non naſci; ſed pœnæ petitionem.* Immo addit S. Antoninus (h) quod, *qui jurant, ſtare dicto Arbitri ſub pœna, evadunt perjurium ſolvendo pœnam.*

(g) L. *Ex compromiſſo*. 2. ff. de receptis, qui arbitrium &c. L. 4. tit. 8. cit.

(h) S. Anton. 3. part. tit. 9.

CASUS III.

Paullus & Barnabas, commiſſa lite ſua Chrysoliti arbitrio, ex compromiſſo convenerunt, ut, qui electi Arbitri judicio non ſtaret, is alteri ante appellationem ſuam ſibi licitam, quingentas libras ſolveret. Paullus ex hoc pacto, apud Chryſolitum quingentas libras depoſuit, Barnabæ numerandas, ſi Arbitri judicatum negaret: Barnabas vero cui præſens deerat pecunia, ſyngrapham campſoriam manu ſua ſubſcriptam, ſola exhibitione ſolvendam tradidit, qua ſe quingentas libras Paullo debere fatebatur ob mutuatam ab eo pecuniam aut merces emptas; quam ſyngrapham Paullo Chryſolitum traditurum conſenſit, ſi ab ejus arbitrio appellaret. Quo facto Chryſoliti ſententia damnatus eſt Barnabas, qui ab ea provocat; quocirca Chryſolitus Barnabæ ſyngrapham Paullo tradit conſequenter ad ejus conſenſum. Numquid in eo caſu damnari poteſt Chryſoliti agendi ratio?

Respons.

Chryſoliti damnanda eſt agendi ratio triplici de cauſa. 1. Quia latam a ſe ſententiam per ſe ipſum exſequi non potuit contra Ordinationem Ludovici XIII. Pariſiis an. 1619. datam, qua ad Judices ordinarios arbitriorum remittitur exſecutio, & ab iis appellatio ad Præſidiales Curias, ſi ad eas res pertineat, aut ad Parlamentum. Et quidem Arbiter eſt perſona privata, ad quam non transfert Princeps auctoritatem ſuam, uti ad Judices ordinarios, ad quos proinde ſpectat tantummodo hujuſmodi arbitriorum, quantumlibet juſta ſint, exſecutoria ſententia. Quocirca Paullus pactæ ſummæ ſolutionem prius exigere non potuit, quam litigantium Judex arbitrale confirmaſſet judicium; & ipſe ſupplici poſtea libello, a Judice appellato poſtulaſſet, ut irrita eſſet appellantis provocatio, donec pactam ſolviſſet ſummam, ut vulgo judicant Parlamenta; quod videre eſt ex Arreſtis Senatus Pariſienſis 5. Januarii ann. 1526. 20.

No-

Novemb. 1532. 13. Maii 1575. 30. Auguſti 1577. 23. Decemb. 1584. 23. Martii 1596. &c. conformiter ad Edictum arbitrorum an. 1560. & Ordinationes an. 1559. & 1561. Chryſolitus igitur exterum ſibi jus arrogavit, & ad ſolum Superiorem pertinens, Judicem cujus erat appellationis cognitio.

2. Quia legitimam forte appellationis cauſſam habet Barnabas; quo in caſu de bene vel male judicato a ſe, decernere nequit Arbiter: quod tamen fecit ſuam exſequens ſententiam, & indebita aliunde pœna Barnabam damnans, qua ſine lite nova abſolvi nequit.

3. Denique, quia Chryſolitus in jus vocari imprudenter periclitatus eſt ad dicendum verum de ſyngrapha, qua, cum Barnabas Paulli debitor ob mutuatam pecuniam, merceique ab eo emtas falſu diceretur, ad jusjurandum uterque a Barnaba poterat adigi, atque ita aut verum dicere, aut pejerare.

CASUS IV.

Litem a quinquennio inter ſe motam Euſtadius & Narciſſus ex compromiſſo ante Notarium facto, Fullonii, Mævii & Caii arbitrio componere ſtatuerunt. Fullonius, perpenſis utriuſque rationibus, pro Euſtadio ſtandum eſſe exiſtimavit; at contra ſenſerunt Caius & Mævius, atque arbitralem ſententiam, neglecta Fullonii interceſſione, tulerunt. Numquid ſtare poteſt hæc ſententia, uti valida & juridica?

Respons.

Diſtinguendum; nam vel Caius & Mævius ſententiam ſuam tulere præſente Fullonio, vel ipſo abſente ac inſcio: Si præſens fuerit, eorum ſententia, licet ipſius opinioni contraria, eſt juridica: *Sufficit ſententia duorum, cum tres eliguntur, præſente tertio, etiamſi ille diſſentiat*, inquit S. Antoninus *(a)*: quod huic concordat Legi *(b)*: *Sed ſi major arbitrorum pars conſentiat ei* (ſententiæ), *ſtabitur*. Qua de re ait Bartholus *(c)*: *Si Arbitri pares numero diſcordant, non valet ſententia; alias ſtabitur dicto majoris partis*. Rem quoque ita definivit Bonifacius VIII. *(d) Si ex tribus Arbitris*, inquit hic Papa, *te duo in decem, & tertius in quinque condemnent, debet ſententia prævalere duorum*. Quod Pontificis dictum cuidam Concilio Africano *(e)* in Decretalibus *(f)* relato his verbis, eſt contentaneum: *Si tres* (Arbitros) *elegerint, aut omnium ſequantur ſententia, aut duorum*. Idem docent Concilium Milevitanum *(g)*, & ipſa Romana Juriſprudentia *(h)*: *Si adſit* (tertius) *& contra ſentiat, ſtatur duorum ſententiæ*, inquit Lex aliqua. Idem quoque ſentit Bartholus *(i)*: atque in Gallia obſervatur hic uſus. Bouchel *(k)* namque in ſua Bibliotheca Juris Gallici Arreſtum quintæ Curiæ Inquiſitionum Senatus Pariſienſis refert latum 11. Decembris an. 1585. inter Gabrielem & Franciſcum Moncheni, quo decretum eſt, non obſtante unius Arbitri denegatione, ſententiam a duobus aliis ſubſcriptam executioni eſſe mandandam.

At ſi Fullonius abſens eſſet, eorum ſententia non cenſeretur legitima: *Eo tamen abſente, non valet ſententia*, inquit idem S. Antoninus conformiter ad hæc verba legis Digeſtorum *(l)*: *Duo ex tribus judicibus, uno abſente, judicare non poſſunt; quippe omnes judicare juſſi ſunt*.

Congruit etiam in utroque caſu hæc deciſio alteri legi, cujus hæc ſunt verba *(m)*: *Celſus ſcribit, ſi in tres fuerit compromiſſum, ſufficere quidem duorum conſenſum, ſi præſens fuerit & tertius; alioquin abſente eo, licet duo conſentiant, Arbitrium non valere*. Cujus rei hanc Juriſconſultus rationem affert: *& potuit præſentia ejus trahere eos in ejus ſententiam*.

Advertendum tamen. 1. Quod cum Lex ſtatuit, ſententiam a duobus Arbitris, abſente tertio, eſſe invalidam, illud de eo caſu debet intelligi, in quo tertii abſentia non foret voluntaria aut malæ fidei ex parte illius: nam, ſi de præſentia requiſitus, conſulto abeſſet, lata tamen eo abſente, valida eſſet ſententia, uti definivit Bonifacius VIII. *(n)* hac ſua conſtitutione: *Ut quæſtionibus, quæ plerumque propter Arbitrorum voluntariam, ſeu malitioſam abſentiam, remanent indeciſæ, finis celerius imponatur; ſtatuimus, ut ſi ex tribus Arbitris a partibus electis, eorum aliquis ab aliis legitime requiſitus ad examinandum vel definiendum una cum eis negotium, ſuper quo inter ipſos extitit compromiſſum, non curavit* (ceſſante impedimento legitimo) *convenire; duo præſentes, penes quos* (licet Lex civilis aliud innuere videatur) *totalem eo caſu remanere decernimus poteſtatem, poſſint* (malitioſa ſeu voluntaria illius abſentia non obſtante) *dictum examinare negotium & libere definire; ſicut poſſent illo præſente, nec volente, cum eis in unam ſententiam concordare*.

2. Obſervandum denuo, quod *non eſt idem in duobus Arbitris, quod heic dicitur in tribus*, inquit Gloſſa *(o)*: *quia, ſi in duobus unus ſe abſentat malitioſe, alter non poteſt procedere, quia in tribus duo ſunt major pars .... præterea ille abſens habetur pro præſente & contradicente, ut heic vides. Ergo neutrius valet ſententia*. Hoc tamen intelligi debet, cum de tertio inter ſe convenire non potuerunt, ad quod tenerentur, ſi poſſent ex compromiſſo *(p)*: *debet Prætor cogere* (duos) *Arbitros, ſi non conſentiant, tertiam certam eligere perſonam, cujus auctoritati pareatur*: quæ ultima verba ad Gloſſæ *(q)* explicationem ſunt referenda, *quando concordat cum altero ex duobus*. Neque ab hac diſſentit jus Romanum, ut iſta ejus lege videre eſt: *Duo judices dati, diverſas ſententias dederunt. Modeſtinus reſpondit utramque ſententiam in pendenti eſſe, donec competens judex unam earum confirmaverit (r)*. Idem, a fortiori, dicendum de duobus Arbitris, qui oppoſitas dedere ſententias.

3. *Dico etiam*, ſubjungit idem Gloſſarius, *quod ſi in compromiſſo hoc actum eſt, quod non valeat ipſorum trium Arbitrorum ſententia, niſi omnes concordent, quod non habebit locum Decretalis iſta eadem ratione .... unde tunc locum habet hæc Decretalis, cum ſimpliciter ſunt aſſumti*.

4. Advertendum, quod, ſi ſententia eſſet invalida; ut quæ ab Arbitro viginti annis minore ferretur, tunc pœna non eſſet debita *(ſ)*: quia in ſua conſtitutione addit Bonifacius VIII. *Licet cum unus Arbiter in 15. alius in 10. tertius vero in 5. pronuntiant; illius, qui dixit de ſumma minori* (*cum in illa omnes concordes exſiſtant*) *ſententia efficax videatur*. Idem docet Gloſſa, *(t)* hanc allegans juris regulam: *Plus enim ſemper in ſe continet quod eſt minus*; & hanc aliam; *Semper in obſcuris quod minimum eſt, ſequimur*; quibus hæc addi poteſt tertia, quæ ad primam redit: *In toto & pars continetur (u)*.

CASUS V.

Petrus, Joannes, Jacobus & Paullus, cum litis inter Titium & Mævium motæ arbitrium ex compromiſſo accepiſſent; Paulluſque in gravem morbum incidiſſet; de conſenſu Paulli ſibi aſſentientis tres alii rem judicarunt; quo facto Titius ſententia ſtare, & etiam 300. librarum mulctam ſolvere denegavit, ei indictam ex compromiſſo, qui judicatum ab Arbitris facere recuſaret. Eam autem potiſſimum recuſationis ſuæ cauſam affert, quod ſimul cum aliis tribus ſententiam Paullus non dixerit. Numquid tuta conſcientia, non ſolum arbitrariam negare ſententiam poteſt; ſed etiam Mævio 300. librarum ſolutionem recuſare?

Respons.

Certum eſt Titium in eo caſu, non ſolum trium Arbitrorum ſententiam, ſed etiam 300. librarum ſolutionem Mævio poſſe negare. Ratio eſt, quia, *ſi plures ſunt, qui Arbitrium receperunt, nemo unus cogendus erit ſententiam dicere; ſed, aut omnes, aut nullus*; inquit Lex *(x)*, unde per unius abſentiam invalida fit ſententia, quia abſens alios ad contrariam poterat adducere ſententiam, ſi præſens fuiſſet, ut ſupra oſtenſum eſt: *Sicuti tribus judicibus datis*, inquit alia Lex *(y)*, *quod duo ex conſenſu, abſente tertio, judicaverunt, nihil valet. Quia*

id

(a) S. Anton. 3. part. Sum. tit. 6. cap. 6.

(b) Leg. Diem. 27. §. 3. ff. de receptis, qui Arbitrium receperunt. &c.

(c) Barthol. arg. dictæ Legis.

(d) Bonif. VIII. in C. Si ex tribus. 1. de Arbitris. in 6.

(e) Concil. African. c. 18.

(f) In Cap. Sane. 2. de Arbitris. L. 1. tit. 43.

(g) Concil. Milevit. c. 24.

(h) L. Duo ex tribus. 39. ff. de re judicata. l. 42. tit. 1.

(i) Barthol. arg. eis.

(k) Bouchel Biblint. Juris Gallici. v. Arbitri.

(l) Cit. L. Duo ex tribus.

(m) Leg. Item. 17. ff. eod. §. 7.

(n) Bonifac. VIII. in C. Ut quæſtionibus. fin. de Arbitris. in 6. l. 1. tit. 22.

(o) Gloſſa in cit. cap. v. Pro præſenti.

(p) Leg. Item. 17. ff. de receptis &c. §. 5. & 6.

(q) Gloſſa. v. Auctoritati.

(r) Leg. Duo. 28. ff. de judicata l. 42. tit. 1.

(ſ) Mornacius. l. 41. ff. de receptis Arbitris.

(t) Gloſſa cit. C. Si ex tribus. 1. v. de ſumma minori.

(u) Reg. 9. 110. & 113. ff. de reg. juris.

(x) L. Item. 17. §. 2. & 7. ff. eod. tit.

(y) L. Sicuti. ibid.

id demum quod major pars omnium judicavit, ratum eſt; cum & omnes judicaſſe palam eſt. Unde ſequitur, quod, cum irritum ſit trium, abſente Paullo, Arbitrium; Titius non tenetur ad judicatum faciendum, neque latam ex compromiſſo pœnam ſubeundam, quæ de legitima tantummodo & valida ſententia intelligi debet.

Ratio hujus deciſionis eſt, quia collata ex compromiſſo multis Arbitris judicii poteſtas, iis indiviſim, ut ſic dicam, communicatur, neque inter eos dividi poteſt; quocirca omnibus non pronuntiantibus, ſententia non eſt juridica. *Celſus quoque libro tertio Digeſtorum ſcribit*, ut fert prima Lex quam attulimus (*a*), *ſi in tres fuerit compromiſſum, ſufficere quidem duorum conſenſum, ſi præſens fuerit & tertius: alioquin abſente eo, licet duo conſentiant, Arbitrium non valere, quia in plures fuit compromiſſum; & potuit præſentia ejus trahere eos in ejus ſententiam.*

(*a*) Cit. Leg. *Item*. §. 7.

Nec juvat dicere, Paullum tribus aliis, qui ſententiam tulerunt, aſſentiri. Nam vere ſemper dici poteſt, quod, ſi una cum eis rei examini præſens fuiſſet, nova ſibi addita rationum congerie, ſententiam ipſe mutare, & alios etiam ad contrariam adducere potuiſſet.

CASUS VI.

Fiacrius & Julianus, meri cives Toloſani, a Joanne & Paullo ad dirimendum diſſidium ſuum pro reddenda ratione ſocietatis Arbitri ſunt nominati. Paullus falſa produxit inſtrumenta, falſoſque teſtes. Paullum duoſque teſtes falſi compertos debita pœna damnarunt illi duo Arbitri; nondum lite dijudicata. Numquid plus æquo ſibi arrogarunt illi duo Arbitri?

Respons.

Duo illi Arbitri haud dubie nimium ſibi ſumſerunt, Paullum duoſque teſtes ipſius puniendo. *Arbiter non poteſt punire teſtem, qui dicit falſum teſtimonium coram eo, vel partes producentes falſa inſtrumenta; ſi ſolum eſt Arbiter vel Arbitrator, & non alius Judex habens merum imperium:* Iſta S. Antoninus, qui duplicem hujus affere cauſſam. 1. *Quia poteſtas puniendi non eſt attributa, niſi per juriſdictionem, qua caret Arbiter, ut Arbiter*, inquit Silveſter (*b*) poſt S. Antoninum (*c*). Nullam igitur in compromittentes, eorumve teſtes, licet de falſo convictos poſſunt conſtituere pœnam; *unde neceſſe eſt*, inquit S. Thomas (*d*), *Arbitrium pœna vallari, quia Arbitri, qui non ſunt ſuperiores, non habent de ſe plenam poteſtatem coercendi.* 2. *Quia poteſtas Arbitri*, inquit idem S. Antoninus, (*e*) & poſt ipſum Silveſter iiſdem terminis, (*f*) *eſt ita limitata, quod de rebus extra compromiſſum & partes compromittentes nullo modo cognoſcit:* quam rationem confirmat auctoritas Decretalis Innocentii III. his verbis (*g*): *Cum Arbitri judicare non valeant, niſi de his tantum, ſuper quibus in eos extiterit compromiſſum:* Atqui nullam Arbitris ſe ipſos puniendi poteſtatem contulere compromittentes, nec ipſius compromiſſi teſtes fuere participes: nulla quoque eos coercere pœna, ac multo minus eam executioni mandare poſſunt illi Arbitri: *Poteſtas Arbitri eſt ita limitata*, inquit Silveſter, (*h*) *quod de rebus extra compromiſſum & partes compromittentes judicare non valet, niſi de his, ſuper quibus initum eſt compromiſſum ... teſtis autem in id non compromiſit, & ejus falſitas eſt omnino extra cauſſam & perſonas compromittentes.*

(*b*) Silveſter. v. *Arbiter*. q. 25.

(*c*) S. Anton. 3. p. tit. 9. c. 0.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 67. a. 3. ad 2.

(*e*) S. Anton. loc. cit.

(*f*) Silveſter v. *Arbiter*. q. 25.

(*g*) Innoc. III. in C. *Cum dilectus*. 0. de Arbitris.

(*h*) Silveſter ibid.

Ob eas rationes ſententiam ſuam executioni mandare nequeunt hujuſmodi Arbitri. Qua de re Arreſtum 9. Julii an. 1613. & aliud Parlamenti Divionenſis 18. Novembris an. 1599. refert Bouvot, (*i*) quæ pariter citat D. Brillon in ſuo Arreſtorum Dictionario (*k*). Neceſſe eſt igitur, ut a Judice regio confirmetur arbitralis ſententia, priuſquam ſuum habeat effectum, ut ait Mornacius; (*l*) & conſentiunt ceteri omnes Galliæ Juriſperiti.

(*i*) Bouvot. tom. 2. v. *Arbiter*. q. 28.

(*k*) D. Brillon v. *Arbiter* p. 51. & 54.

(*l*) Mornac. in l. 1. ff. de receptis Arbitris &c.

CASUS VII.

Georgius & Andreas de multis factæ inter ſe ſocietatis capitibus diſſidentes, metu impenſarum litis ex compromiſſo Jodocum ſibi communem amicum Arbitrum elegerunt, qui intra quadraginta dierum ſpatium jurgia ſua Arbitrio ſuo diſſolveret. Rem per id tempus ſine intermiſſione ad judicium diſpoſuit Jodocus; verum, quamlibet adhibuerit diligentiam, ſententiam non niſi poſt duos vel tres dies ab elapſo temporis præſtituti ſpatio ferre potuit.

Georgius ipſius judicio ſtetit; aſt Andreas qui ſe læſum exiſtimat, judicato ſtare recuſat; & contendit, invalidam eſſe ſentantiam, quæ videlicet ſtatuto per compromiſſum tempore non lata fuerit. Cui jus?

Respons.

Pro Andrea ſtat jus: neque enim ſententiam ſubire tenetur; ratio eſt, *quia ſi ultra diem compromiſſo comprehenſum, judicatum eſt, ſententia nulla eſt*, inquit Lex (*m*), *nec ullam pœnam committit* (*n*), *qui ei non paruerit*. Judex autem numquam magis eſt illegitimus, quam ob defectum poteſtatis, qua finitu per exitum temporis præſtituti Jodocus validam non potuit ferre ſententiam: unde ſequitur Andream neque in externo neque in interno ſoro teneri ad faciendum judicatum.

(*m*) L. Ex ſententia. 1. Cod. de receptis Arbitris.

(*n*) Id eſt, *Non incidit in obligationem*. Gloſſa ibid. v. *Committit*.

Obſervandum nihilominus, quod, ſi ex compromiſſo Georgii & Andreæ tempus prorogare potuiſſet Jodocus; tunc per dilationis ſpatium permaneret ejus poteſtas. *Arbiter ita eſt ſumtus ex compromiſſo, ut & diem proferre poſſit*, ait Lex alia (*o*): *hoc quidem facere poteſt.*

(*o*) L. Arbiter. 31. ff. de receptis qui Arbitrium receperunt ut ſententiam dicant, & ibi Gloſſa.

CASUS VIII.

Stanislaus a Marco & Antonio de reddenda ratione diſſidentibus, & ad litem paratis, Arbiter electus, intra tempus ex compromiſſo ſtatutum ſententiam tulit; ſed quatriduo poſt præſtitutam diem agnito errore, quod Marco plus quam debitum aſſignaverit; latum a ſe judicium emendavit. Numquid tali modo ſe gerere & potuit, & quidem debuit?

Respons.

Poſt latam decretoriam ſententiam ceſſat omnis Arbitrorum poteſtas, eo tantum fine data, ut conſtat ex Decretali Honorii III. ad marginem indicata (*p*): quare finita eorum poteſtate, nihil jam immutare, nihil in Arbitrio jam poſſunt retractare, quamvis erroneum dignoſcatur. *Arbiter etſi erraverit in ſententia dicenda, corrigere eam non poteſt*, inquit Lex una Digeſtorum (*q*).

(*p*) Honor. III. in C. *Ex poſita*. 2. de Arbitris. l. 1. tit. 43.

(*q*) L. *Quia Arbiter*. 20. ff. de receptis qui Arbitrium &c.

Diximus: *poſt latam decretoriam ſententiam*: nam ſi interpoſita tantum fuiſſet, tali judicio nondum deſineret eorum poteſtas, cum res penitus excuſſa non fuiſſet.

Ex dictis ſequitur, Stanislaum latam a ſe ſententiam ſupprimere, reformare, neque immutare potuiſſe elapſo poteſtatis ſibi conceſſæ ſpatio: quare hoc unum ei ſupereſt, ut de judicii ſui injuſtitia compromittentes admoneat, ut læſus ad appellationem, ſi ſibi opportunum videatur, recurrat, nec alter injuſtitiam emendare voluerit.

Huic deciſioni favet hæc alia Lex (*r*): *Videndum erit, an mutare ſententiam poſſit, & alias quidem eſt cogitatum, ſi Arbiter juſſit dari, mox vetuit, utrum eo quod juſſit, an eo quod vetuit, ſtari debeat? Et Sabinus quidem putavit poſſe. Caſſius ſententiam magiſtri ſui bene excuſat; & ait, Sabinum non de ea ſenſiſſe ſententia, quæ Arbitrium finiat; ſed de præparatione cauſſæ: ut puta, ſi juſſit, ut litigatores Kalendis adeſſe, mox Idibus jubeat: nam mutare eum diem poſſe. Ceterum ſi condemnavit, vel abſolvit, dum Arbiter eſſe deſierit, mutare ſententiam non poſſe.*

(*r*) L. Qualem. 19. §. 2. ff. eod. tit.

CA-

C A S U S IX.

Cosmas & Damsanus a triennio litigantes, tandem ex pacto invicem compromiſſo, Anthimum Religioſum, communem ſibi amicum, reique inter ſe controverſæ peritiſſimum, Arbitrum unicum admiſerunt. Quæritur, utrum tale Arbitrium propria auctoritate ſuſcipere poſſit hic Religioſus?

Raspona.

Religioſus a mundo ſegregatus, ac ſui Superioris obedientiæ ſubmiſſus, in cellula ſolitarius, orationi tantum, abjecta rerum omnium ſæcularium cura, vacare debet: *Placuit communi noſtro Concilio*, inquit Eugenius Papa *(a)*, *ut nullus Monachorum pro lucro terreno de monaſterio exire nefandiſſimo auſu præſumat .... neque aliis quibuſcumque negotiis ſeſe implicare: ſit clauſtro ſuo contentus; quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio Monachus. Sedeat itaque ſolitarius & taceat, quia mundo mortuus eſt, Deo autem vivit.* Aſſeritque Pelagius Papa *(b)* verbis expreſſis, quod *cauſarum cognitio, conventiones, actus, publica litigia &c.* nullo pacto ſtatui Religioſo conveniunt. *Nullus eorum, id eſt, Monachorum*, inquit Canon e Concilio Tarraconenſi depromtus, *(c) forenſis negotii ſuſceptor vel exſecutor exiſtat*; hanc addens exceptionem; *niſi quod monaſterii expoſcit utilitas, Abbate ſibi nihilominus imperante.* Unde hæc noſtra fert ſententia, Anthimum propria auctoritate litis Arbitrium ſuſcipere non poſſe, quemadmodum *Religioſus*, ut declarat Bonifacius VIII. *(d) exſecutor ab aliquo in ſua voluntate ultima deputatus non poteſt, (cum velle & nolle non habeat) hujuſmodi officium ſuſcipere vel exſequi; niſi a Superiore ſuo petita ſuper hoc licentia & obtenta.* Ita ſentiunt Panormitanus & Baldus, quos laudat & ſequitur Angelus *(e)*, qui ſuam allata mox paritate ſententiam comprobat; nec etiam ab eo diſſentit Silveſter *(f)*.

(a) Eugenius Papa in Can. *Placuit*. 8. 16. q. 2.

(b) Pelagius in Can. *De præſentium portitore*. 20. 16. q. 1.

(c) Concil. Tarraconenſ. c. 11. in Can. *Monachi*. 15. 16. q. 1.

(d) Bonif. VIII. in C. *Religioſus*. 2. de teſtament. & ultimis voluntatibus in 6. l. 3. tit. 11.

(e) Angelus. v. *Arbiter*. q. 5.

(f) Silveſter. v. *Arbiter*. q. 10.

C A S U S X.

Palladius & Juvenalis animo libenti, litis inter Antonium & Joannem motæ Arbitrium receperunt; remque ſimul jam diſcutere cœperant; cum advertit Juvenalis, id fieri non poſſe, quominus Joannem, ſibi amiciſſimum damnaret: quocirca Arbitrium dimittere, remque alterius judicio committere ſtatuit: ſed Antonius ipſi litem intulit, ac vadimonium coram Judice denuntiavit, ut de ferenda ſimul cum Palladio Arbitraria ſententia damnaretur. Quæritur, utrum Antonius litem motam in Juvenalem tuta valeat conſcientia perſequi, non obſtante illius diſceſſione?

Raspons.

Affirmari poteſt, regulariter loquendo, licitam eſſe Antonii in Juvenalem, actionem; eumque ad Arbitrium dicendum ex ſententia Judicis cogi poſſe: Nam *qui ſemel Arbitrium recepit*, inquit Mornacius *(g)* a D. Brillon laudatus *(h)*, *aperto compromiſſo & cœpto judicio, niſi cauſa ſubſit, compelli poteſt, ut perficiat; damnarique in id quod intereſt compromittentium, ſi ſecus faxit: ita judicatum an.* 1595. Sic quoque ſentiunt Bouvot, *(i)* & Papo *(k)*; qui duo refert Senatus Pariſienſis Arreſta, unum 26. Januarii 1534. & alterum 13. Maii an. 1566. quibus ita judicatum fuit. Eamdem etiam jurisprudentiam aſſerit Bouchel *(l)* in ſua Bibliotheca juris Gallici ex Arreſto Senatus ejuſdem Pariſienſis 26. Januarii an. 1537.

Obſervandum heic 1. quod ob legitimas rationes arbitratum ſuum dimittere poteſt Juvenalis, nec ideo in eo caſu litem in eum motam perſequi poſſet Antonius. Ex legibus autem hæ ſunt cauſæ legitimæ: *Si fuerit infamatus a litigatoribus* (*ſcilicet de facto*, addit Gloſſa); *ut ſi inimicitiæ capitales, inter eum & litigatores, aut alterum ex litigatoribus interceſſerit; aut ſi ætas aut valetudo, quæ poſtea contigit, id ei munus remittat; aut occupatio negotiorum propriorum, vel profectio urgens, aut munus aliquid reipublicæ*, ut fert Lex una Digeſtorum *(m)*, vel ut addit Lex alia *(n)*: *& ſi qua alia incommoditas ei poſt Arbitrium ſuſceptum incidat: ſed in cauſſa valetudinis ſimilibuſve cauſſa cognita differre cogitur*; quæ cauſſæ ſunt legitimæ, & juri naturali conſonæ.

(g) Mornac. l. 25. ff. *De receptis Arbitris*.

(h) D. Brillon. Diction. Arreſt. v. *Arbiter*.

(i) Bouvot tom. 2. v. *Arbiter*. q. 10.

(k) Papo l. 6. tit. 3. n. 5.

(l) Bouchel. Bibliotheca juris Gallici tom. 1. pag. 226. v. *Arbitrium*.

(m) Leg. *Licet*. 15. de receptis, qui Arbitrium. &c.

(n) Leg. *Et ſi*. 16. Ibid.

2. Quod irritum ſit, ut ait Mornacius *(o)*, Arbitrium, ſi a minore 20. annis proferatur, & compromiſſum facere minores non poſſint; ut decrevit Divionenſe Parlamentum Arreſto 6. Maii 1567. quod refert Bouvot *(p)*.

3. Quod per obitum Palladii Arbitrium remittere poſſet Juvenalis; nam ex Decretali Gregorii IX. cujus ſumma hæc eſt *(q)*: *Compromiſſum ante ſententiam latam, finitur morte alterius compromittentis.* Idem docet Bardet, *(r)* qui Senatus Pariſienſis Arreſtum 19. Januar. 1638. in eam rem affert: ſi tamen a Parlamento Arbitri eſſent electi, alium loco defuncti ſubrogare poſſet.

Hinc affirmamus, recte loquendo, actionem Antonii in Juvenalem legitimis fulciri rationibus; nam ſi Arbitro illi vera ſuppeteret cauſſa dimittendi Arbitrium, tuta conſcientia ipſius damnationem judicio perſequi non valeret Antonius; at ſola ei non ſufficit ad legitimam excuſationem ejus in Joannem prædilectio, cum Judicem quemlibet & Arbitrum par ſit ferre ſententiam abſque perſonarum acceptione, juxta illud dictum Sapientis *(ſ)*: *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.*

(o) Mornac. l. 42. ff. de receptis &c.

(p) Bouvot. tom. 2. v. *Arbitri*. cap. 12.

(q) Argum. Cap. *Compromiſſum*. fin. de Arbitris. L. 1. tit. 43.

(r) Bardet. tom. 2. l. 5. cap. 6.

(ſ) Eccl. 7. 6.

C A S U S XI.

Adalbertus & Maxentius diſſidium ſuum de ſumma centum nummorum, Auſtrebertæ Cauſidici viduæ peritiſſimæ Arbitrio ſubmiſerunt. Numquid poteſt, Arbitri vicem gerens, diſſidium tale dirimere hæc mulier?

Raspons.

Auſtreberta nullatenus Arbitrium ſuſcipere poteſt: *Mulier non poteſt eſſe Arbiter*, inquit Baldus *(t)* in Legem Juſtiniani his verbis expreſſam: *Sancimus mulieres .... licet ſummæ atque optimæ opinionis conſtitutæ in ſe Arbitrium ſuſceperint .... ab omni judiciali examine ſeparari.* Quam Legem eodem ſenſu Gloſſa exponit.

Nihilominus ad Arbitrium admitteretur mulier Princeps, aut ſecundum nonnullos, Matrona nobilis, ut Duciſſa propter eminentem qualitatem; uti probat Fevretus *(u)* in ſuo tractatu de abuſu; idque auctoritate Camilli Borelli *(x)*, qui varia hujus affert exempla. Idem ſentit inclytus Cujacius, idque confirmat exemplo Arethuſæ, Alcinoi uxoris, quæ ex Homero in Odyſſea, Judicis functiones obivit; uti mulieres apud Lacedæmonios, in quorum Senatum ſæpe admiſſa eſt Arthemiſia. Sæpe etiam in Concilio Perſarum ſententiam dixit Aſpaſia, Hermotini filia, & apud Romanos Julia Mammæa, ut obſervat idem Fevretus.

Sed miſſo profanorum teſtimonio, refere Gratiani Decretum Canonem quemdam, *(y)* quem S. Gregorio adſcribit egregius ille collector; quem tamen Romani correctores Canonem ab Yvone Carnutenſi & Panormitano, Alexandro II. *(z)* obſervant attribui, quo ſummus ille Pontifex Epiſcopi, nomine Mennæ, capitaliter accuſati judicium, Brunegildis Galliæ Reginæ Arbitrio ſubmittit; *purgationem tamen*, inquit, *ante te, duabus ſibi Sacerdotibus junctis, ubi accuſator ceſſaverit, eumdem, ex ſe præbere tuo committimus Arbitrio (aa)*.

Certius etiam hanc veritatem aſſerit Decretalis Innocentii III. in corpore juris relata, qua Reginæ Galliæ Arbitrium, quibuſdam ei aſſiſtentibus Epiſcopis, pro Abbate ac Religio-

(t) Baldus argum. Legis *Sancimus*. fin. codice de receptis Arbitris.

(u) Fevretus l. 4. cap. 4. n. 20.

(x) Camillus Borellus in ſumma deciſionum tit. 63. n. 161. & ſeqq.

(y) Can. *Mennam* 7. 2. q. 4.

(z) Alexander ab Alexandro l. 4. c. 22.

(aa) Æliſiona l. 12. variar.

ſis

Digitized by Google

ſis Monaſterii cujuſdam Ciſtercienſis in Hoſpitalarios latum, confirmat hic Papa, non obſtante Lege *Sancimus*: *Quamvis autem*, ait hic Pontifex (*a*) *ſecundam regulam juris Civilis, feminæ a publicis officiis ſint remotæ, & alibi dicatur, quod licet ſummæ opinionis exiſtant, ſi Arbitrium in ſe ſuſceperint .... ab omni ſunt judiciali examine ſeparandæ .... quia tamen juxta conſuetudinem approbatam, quæ pro lege ſervatur in partibus Gallicanis, feminæ præcellentes in ſubditos ſuos ordinariam juriſdictionem habere noſcuntur: mandamus quatenus Hoſpitalarios, ut Arbitrium ipſum .... obſerveat, per pœnam in compromiſſo ſtatutam, appellatione poſtpoſita compellatis*; ad Cancellarium autem, & ad unum Eccleſiæ Pariſienſis Canonicum, hanc Decretalem ſcribebat hic ſummus Pontifex.

Ad hæc verba *in partibus Gallicanis feminæ præcellentes*, compromiſſum refert D. Pithou anni 1220. factum inter Abbatem Religioſoſque Monaſterii Cellenſis, Ordinis ſancti Benedicti, & Abbatiſſam monaſterii beatæ Virginis Trecenſis, inter ſe coram Judicibus a Papa nominatis litigantes; qui, ut liti ſuæ finem imponeret, Arbitrio ſe Blancæ, Comitiſſæ Palatinæ Trecenſi, ſubmiſere; quod quidem compromiſſum in Regia Bibliotheca, inter veteres Campaniæ codices, reperitur.

Eodem, ac mulieres Principes, frui privilegio Duciſſas contendit, ſed ſine exemplo, Mornacius (*b*). Contra vero Arreſtum 29. Aug. 1602. laudat Le Pretre in ſua Arreſtorum collectione, (*c*) quo irrita Gallici Mareſcalli uxoris Arbitralis ſententia declarata eſt; licet ei conforme Arreſtum, ob æquitatem ejus, tulerit Parlamentum.

Vide (JUDEX.)

(*a*) Innoc. III. in C. *Dilecti*. 4. de Arbitris.

(*b*) Mornac. ad legem fin. Cod. de receptis Arbitr.

(*c*) Le Pretre Centur. 3. cap. 40. n. 14.

ARCHIDIACONUS.

ARCHIDIACONUS, ex primæva ſua inſtitutione, fuerat conſtitutus Superior. Moderator, ſeu primus Diaconorum; ac præterea inſpectionis & auctoritatis jure in Subdiaconos, alioſque inferiores Clericos potiebatur. Quod nomen a primo Concilio Nicæno œcumenico ortum eſt: qui enim ante Archidiaconi munere fungebatur, dicti ſunt Vicarii Epiſcopi, a quo primum locum obtinebant Unde a Ferrerio in libro ſuo inſcripto, *Nova & methodica inſtitutionum Juris Canonici tractatio*, (*d*) definitur Archidiaconus: *Perpetuus & a jure datus Epiſcopi Vicarius, ut ejus juriſdictionem in Clerum univerſum exerceat, ſive ruri, ſive in urbe* Primus Diaconorum appellatur, quia, ut ait hic Auctor, non tenetur eſſe Presbyter, ſed ſufficit, ut ſit Diaconus; quod Pictavienſi Concilio (*e*), ann. 1078. conforme eſt, ut refert Summa Juris: & etiam ab Innocentio III. *Oculus Epiſcopi* (*f*) dictus ob jus inſpectionis, quod ei competit, in doctrinam moreſque Cleri.

Diœceſeos viſitationem ſemel quolibet anno, loco Epiſcopi, exercere legitime, ſimulque delinquentes emendare poteſt Clericos: qua in re contentioſam quamdam & ordinariam videtur habere juriſdictionem. Inſuper durante viſitationis ſuæ tempore, cujuſque Parœciæ ſtatum, ſimulque Parochianorum in Curatum querelas in acta poteſt referre, eorumque intra menſem, facta viſitatione, (*g*) Epiſcopo rationem reddere, qui de iis, prout magis expedire videbitur, feret judicium (*h*). Sed in eum jus præventionis obtinent Epiſcopus & ipſius Officialis; neque etiam de præſenti, niſi de culpis levibus, per viſitationem, cognoſcere poteſt: unde ait Iſidorus: (*i*) *jurgia ad ejus pertinent curam*.

Archidiaconi etiam, juxta Arreſtorum juriſprudentiam, Fabricarum cujuſlibet Eccleſiæ Parochialis reddituum rationem, in viſitatione tantum, exigere poſſunt, ut obſervat Ludovicus Dubois, in ſuo libro inſcripto: *Regulæ juris Canonici Gallici* (*k*); nec non ſtatuta quoque condere de recuperandis aut occupandis Fabricarum denariis, ut ſupponit articulus 17. Edicti ann. 1695. ubi obſervandum, quod volens quiſpiam jus ſuum experiri, ab Archidiaconi ſententia ad Epiſcopum immediate debet provocare.

Archidiaconi Canonici magnos poſſunt repetere proventus, cum abſunt, tempore ſuæ viſitationis, aut pro adminiſtratione negotiorum Cleri: (*l*) atque, ut accuratius ſuo fungerentur munere, in quibuſdam Provinciis jus Cuſtodiæ, ſeu, ut vocant noſtri, in Cura vacantes jus deportus: ſed non una eſt, illud percipiendi, ubique ratio.

Archidiaconus Doctoratus laurea, aut ſaltem licentiatu in Theologia, aut Jure canonico ex Concilio Tridentino debet eſſe inſignitus (*m*).

Archidiaconus nullam debet exigere aut percipere mercedem a Curatis ad eorum præſentationem, intronizationem ſeu inſtallationem, ut ſtatuere Concilia, Salmurienſe habitum ann. 1315. Andegavenſe ann. 1365. III. œcumenicum Lateranenſe ſub Alexandro III. an. 1179. Bullæque ſummorum Pontificum Lucii III. Clementis III. Gregorii IX. Innocentii IV. Urbani IV. Gregorii X. & Honorii III. & denique Concilium Baſilienſe. Ceterum obſervat Auctor nuperus (*n*), quoſdam eſſe Archidiaconos

(*d*) Ferrerius in tit. 23. Decretal. p. 51.

(*e*) Conc. Pict. in Cap. *Ut Abbates*. 9. de ætate, qualitat. & ordine præficiendorum. lib 4. tit. 14.

(*f*) Innoc. III. in C. *Ad hæc*. 7. §. 4. de officio Archidiac.

(*g*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. Cap. 3 de reform. & Gloſſa in Can. *Diaconos*. diſt. 93.

(*g*) Alex. III. in Can. *Mandamus*. 6. col. 1.

(*h*) Conc. Trid. ſeſſ 24. de reform. c. 3.

(*i*) Iſidorus in Can. *Perlectis*. 1. §. *Archidiaconus*. 2. diſt. 25.

(*k*) Edict. an. 1695. a. 14.

(*l*) Tom. 3. c. 3. p. 98. & Act. Cler. t. 3. part. 3.

(*m*) Conc. Trid. ſeſſ. 25. n. 12. de reform.

(*n*) Fevret. tom. 1. l. 4. c. 3. n. 1n.

ut

ut Senonenſis Eccleſiæ Archidiaconi, qui ſummorum Pontificum indultis freti, jus ab Archiepiſcopo aut Epiſcopo ſuo ob ejus inſtallationem exigunt.

Ex edicto Caroli VI. 18 Febr. 1408. Archidiaconis prohibetur, ne ad viſitationes ſuas duplicem procurationem, alteram a Parocho, alteram a Fabrica accipiant.

CASUS PRIMUS.

EUPOLAMO, Pictavienſi Archidiacono, viſitationes ſuas legitime exercenti obſtitere 1. Conventus cujuſdam intra fines juriſdictionis ſuæ Religioſi. 2. Quidam privati Religioſi, de beneficiis curatis proviſi. 3. Cujuſdam Collegiatæ Eccleſiæ Canonici, qui ſe immunes ab ejus viſitatione profitentes, ei Eccleſiæ aditum denegarunt. Numquid ita ſe gerere potuerunt, ſalva obedientia; ac in oppoſitione ſua legitimis nituntur rationibus?

RESPONS.

Reſpondemus 1. Religioſorum Monaſteria Archidiaconorum viſitationi non ſubjacere, *ut plurimum*, eo ſolo caſu excepto, quo legitime præſcripta conſuetudine jus illud viſitationis obtinerent: quam exceptionem hæc fert Honorii III. deciſio:

(a) Honor. III. in Cap. Dilecto. 30. de offic. Arch. lib. 1. tit. 23.

(a) Niſi vobis conſtiterit præfatum Archidiaconum, vel prædeceſſores ipſius, de pacifica ſic obtenta conſuetudine, juriſdictionem aliquam in ipſo Monaſterio, vel in hujuſmodi Abbatiis hactenus habuiſſe; præfatum Monaſterium ab ejus impetitione penitus abſolvatis .... Si vero de præmiſſis conſtiterit, per eoſdem (Canonicos Eccleſiæ Senonenſis) *eamdem juriſdictionem dumtaxat adjudicantes eidem in Monaſterio ſupradicto, quam ipſum vel prædeceſſores ſuos in Monaſterio ipſo, vel in eiſdem Abbatiis habuiſſe conſtiterit, ſuper aliis perpetuum ei* (Archidiacono) *ſilentium imponatis.*

2. Religioſorum, quibus incumbit animarum cura, Eccleſias viſitare poteſt Archidiaconus, iis exceptis, quæ intra Monaſterium ſitæ ſunt, quas per ſe ipſum tantum viſitare poteſt Ordinarius; (1) ut fert Edictum menſis Apr. an. 1695. (b) his verbis: *Parochiales Eccleſias in Monaſteriis, Beneficiis Ordinis Melitenſis, & Eccleſiis Religioſorum, qui ſe exemtos contendunt, per ſe viſitare poterunt* (Epiſcopi) *paritérque ſive per ſe, ſive Archidiaconos ſuos, aut per alios Sacerdotes, eas quarum Parochi erunt Religioſi, eaſque quas ſe viſitare poſſe contendunt Capitula.*

(b) Edict. 20. 1695. art. 15.

3. Collegiatas Eccleſias viſitandi jus Archidiaconis *communiter loquendo*, non competit; ii namque ſunt excipiendi, qui ex legitima conſuetudine, hoc jus ſibi attribuerent, ac poſſiderent: ut in hac poſſeſſione retentus eſt Archidiaconus ultra Ligerim, in Antuerpienſi Diœceſi, ex Arreſto Senatus Pariſienſis 26. Junii an. 1640. lato, in Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ Bleſonenſis, ut refert Diarium fori (c). Has Eupolemus in tribus propoſitis caſibus ſequi debet regulas, & ii quoque, qui viſitationi Eccleſiarum ſuarum obſtitere; ne canonicam ei debitam offendant obedientiam.

(c) Diarium fori. tom. 1.

CASUS II.

FLORUS, Cathedralis Eccleſiæ Galliæ Archidiaconus, in curſu viſitationis ſuæ agniti ex quodam contracto matrimonio ſcandali cognitionem ad ſe pertinere exiſtimavit; litemque in eam rem aliquo modo ordinavit. Quæritur, utrum non tranſgreſſo juriſdictionis ſuæ limite litem ita ordinare potuerit; & Canonicæ, ac Juriſprudentiæ noſtræ conformis haberi debeat hæcce agendi ratio?

RESPONS.

Id pro certo ſupponendum: 1. Archidiacono ut tali tranſitoriam tantum convenire juriſdictionem, 2. eam *in tranſitu & in curſu viſitationis tantum* illum poſſe exercere. 3. juriſdictionem ipſius non eſſe, *niſi de modicis cauſſis*, ut loquitur Gloſſa in Decretalem Innocentii III. (d), quæ *ardua negotia* ex profeſſo excipit.

(d) Gloſſa in Cap. *Ad hæc.* 7. de offic. Arch. v. *Jurgia.*

Hoc præſuppoſito dicimus, Florum, integro jure Officialis, de prædicto cognoſcere non potuiſſe matrimonio, ejuſque actionem nullam eſſe & irritam; cum omnis cauſſa matrimonialis, ſive jus publicum, ſeu privatum ſpectet, maximi ſit momenti.

Diximus; *Archidiacono ut tali*: aliter namque dicendum eſſet. 1. Si Archidiaconus ſimul & Officialis exſiſteret. 2. Si de omnibus cauſſis Eccleſiaſticis vi poſſeſſionis extra omnem memoriam poſitæ cognoſceret; cum eam haberet poteſtatem ex conſuetudine non interrupta & legitime præſcripta, ut probat Honorii III. Decretalis ad marginem indicata (e): Talis eſt ex D. Chopin (f) Archidiaconus Eccleſiæ Collegiatæ noſtræ Dominæ Belnenſis.

(e) Hon. III. in Cap. *Dilecto.* fin. de off. Archid. & ibi Gloſſ. v. *Pacifica.* Item Gloſſ. in Cap. *Accedentibus.* 12. v. *Epiſcopalis digni* ...

Blondellus in ſuo Commentario de ſtatutis Curiæ Epiſcopalis Auguſtodunenſis (g) aſſerit, de cauſſis Matrimonialibus, Archidiaconum vi talis poſſeſſionis aut legitimi privilegii poſſe cognoſcere; quod quidem jus Arreſto Divionenſis Parlamenti 12. Aug. an. 1639. Belnenſi Archidiacono, nomine Joannis Lopin, in Auguſtodunenſem Officialem aſſertum eſt; ut refert Fevretus (h), talem nihilominus improbans conſuetudinem, cujus injuſtitiam, non multis tantummodo rationibus, ſed & textibus comprobat. Multa etiam ſupremarum Curiarum laudat Arreſta, ex quibus Archidiacono tollitur omnium cauſſarum Eccleſiaſticarum notio. Eorum primum pro Domino ex Ambacia, Epiſcopo Ticorienſi latum eſt in Joannem Fleuriol, Trecorienſis Eccleſiæ magnum Archidiaconum, cujus erat cognitio immemorabilis omnium cauſſarum & interventionum ſeu in re civili ſive capitali: quique ideo Officialem ſuum, Promotorem, Graphiarium, Procuratores & Apparitores ſuos Guigamp tenebat, ac poſſeſſionem ſuam ex multis actionibus in officialitate ſua ab an. 1446. ad an. 1612. ordinatis comprobabat. Quibus tamen non obſtantibus, juriſdictione ſua privatus eſt ex Decreto majoris Concilii 13. Mar. an. 1613. lato, & 15. inſequentis Aprilis promulgato, una cum interdicto, ne de cauſſis Matrimonii, excommunicationis, aut criminalibus, niſi de conſenſu Epiſcopi, cognoſceret. Alterum Arreſtum pro Officiali Bituricenſi 17. Maii an. 1618. latum eſt in Buſſiacenſem Archidiaconum, cui pariter omnis adempta eſt juriſdictio circa cauſſas ſpirituales civiles ſeu criminales, exceptis cauſſis levibus in curſu viſitationum ſuarum, non obſtante titulis comprobata poſſeſſione immemorabili. Tertium Arreſtum obtinuit Illuſtriſs. ac Reverend. *D. Henricus de Gaudy*, Cardinalis & Archiepiſcopus Pariſienſis in Pariſienſem Archidiaconum in pari cauſſa condemnatum, & ad levium cauſſarum cognitionem (*in tranſitu*) & tempore viſitationis ſuæ redactum, licet juriſdictionem ſuam pro quibuslibet cauſſis, & etiam Arreſtis confirmatam a 300. annis probaret; quod pariter pro Archidiaconis Joſæ & Briæ ejuſdem Eccleſiæ Pariſienſis ſtatutum eſt. Quæ Arreſta Tridentini Concilii Decreto huic ſunt conſentanea (i). *Cui* (Epiſcopo) *ipſi Archidiaconi .... viſitationis factæ infra menſem rationem reddere & depoſitiones teſtium, ac integra acta ei exhibere teneantur. Non obſtantibus, quacumque conſuetudine etiam immemorabili, atque exemtionibus, & privilegiis quibuſcumque.*

(f) Chopin. l. 1. polit. Eccleſ. c. ult. n. 21. & l. 2. c. 2. n. 5. &c. c. 7. n. 22.

(g) Blondel. t. de appell.

(h) Fevret. l. 4. c. 3 n. 22.

(i) Concil. Trid. Seſſ. 24. for. c. 3.

CASUS III.

ACOARAOUS, Archidiaconus Eccleſiæ Cathedralis, facta an. 1700. Parœciarum juriſdictionis ſuæ viſitatione, cujus a qualibet viginti aſſes pro ſtipendio accepit ſibi debitos, eamdem ſummam pro inſequenti quinquennio, juxta morem a prædeceſſoſibus ſuis uſurpatum exegit; licet hac prima tantum vice viſitationem ſuam exercuerit. Hunc ipſius Confeſſarius adigit, ne in poſterum talem exigat ſummam, niſi per ſe viſitet; & etiam acceptam elapſo quinquennio Parochis aut Parœciarum Fabricis, eum reſtituere compellit; an pro Confeſſario ſtat jus?

(1) Vid. *Monda Pontaſ.* Obſerv. III. num. IV.

RESPONS.

Pro Conſeſſario Agobardi ſtat jus, ut fert Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. habiti Decretum, cujus hæc ſunt in corpore Juris verba relata (a): *Procurationes, quæ ratione viſitationis debentur Epiſcopis, vel Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam Apoſtolicæ Sedis legatis, aut nuntiis, abſque manifeſta & neceſſaria cauſſa nullatenus exigantur; niſi quando perſonaliter officium viſitationis impendunt*. Ex quo ſequitur Agobardum aliumve Archidiaconum, tuta conſcientia jus exigere non poſſe, ſibi tantum, dum per ſe viſitat, debitum, eumque proinde teneri ad reſtituendum Eccleſiis vel Titularibus, quæ pro quinque annis accepit; iis tamen exceptis, quæ bona fide accepiſſet & conſumſiſſet, ex iis non ditior factus.

(a) Innoc. III. in Conci. Later. 4. in Cap. *Procurationes*. 23. de cenſibus & procurat. l. 3. tit. 39.

Cum autem exceptionem hanc appoſuerit Concilium; *abſque manifeſta & neceſſaria cauſſa*; hinc colligendum eſt, hunc Archidiaconum, ſi ob juſtam forte ac patentem rationem; qualis eſt morbus, a viſitationibus ſuis abſtinuiſſet, non eſſe cogendum ad reſtitutionem eorum, quæ durante abſentiæ ſuæ cauſſa accepiſſet.

Verum ſola propoſiti caſus expoſitione conſtat, hanc exceptionem ad Agobardum non pertinere; quippe qui jus ſuum ob antiquam Archidiaconorum anteceſſorum ſuorum conſuetudinem, quam ex Concilio Tridentino abuſiva eſt, probare contendat: neque enim veriſimile eſt, ipſum quinquennio fuiſſe impeditum a viſitationibus ſuis, hoc vel illo tempore conficiendis.

Obſervandum tamen, in quibuſdam Diœceſibus Eccleſias Epiſcopo annuum debere cenſum; quo in caſo præter cenſum ſibi debitum, qui & *jus Cathedraticum* dicitur, jus viſitationis poteſt exigere; cum hoc ei dumtaxat ſit prohibitum, ne nova imponat onera. Sic etiam veterem Archidiacono cenſum poſſunt debere Parochiales Eccleſiæ, quem independenter a jure viſitationis poteſt exigere; ut ferunt multæ Decretales, in primiſque una Decretalis tertii Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. ann. 1179. habiti, his verbis: *Prohibemus inſuper, ne ab Abbatibus, Epiſcopis, vel aliis Prælatis novi cenſus imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur* (b). Et alteram ejuſdem ſummi Pontificis ad Epiſcopum Carnutenſem, quæ ſic habet (c): *Eccleſiis quas de novo Epiſcopi de manibus Laicorum eripiunt, præter Cathedraticum & jura omnia, quæ aliis Eccleſiis imponuntur, exactionem prohibemus imponi*.

(b) Conc. Lateran. 3. in Cap. *Prohibemus*. 7. eod. tit.

(c) Alex. III. in Cap. *Eccleſiis*. 9. eod. tit.

CASUS IV.

THAONULOS, Eccleſiæ Cathedralis Lucenſis Archidiaconus, Diœceſanas viſitans Parœcias, debitum vulgo Archidiaconis jus accipit, & inſuper prandium ac cœnam exigit, quæ Parochi, ne in ejus offenſionem incurrant, denegare non audent: qua de re quæritur, utrum in eo injuſte non ſe gerat?

RESPONS.

In caſu propoſito iniquæ reus eſt exactionis iſte Archidiaconus: nam ab eodem Parocho, jus viſitationis, vel victu, vel pecunia, non autem utrumque, poteſt accipere; cum ei ſuppeditetur pecunia ad impenſas viſitationis ſuæ, quam propriis eum facere nefas eſt ſumtibus, juxta illud Apoſtoli (d): *Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Accepta itaque pecunia, victum non poteſt exigere; quod quidem probare facile eſt;

(d) I. Corinth. 9. 7.

1. Ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (e) qui, cum advertit, a Gregorio X. in ſecundo Concilio Lugdunenſi an. 1274. fuiſſe prohibitum, ne Archiepiſcopi, ceterique inferiores, quibus competit jus viſitationis, quidquam pro viſitatione accipiant; *Verum*, ſubdit, *quoniam rerum experientia nos inſtruxit, ex hoc, tam perſonis viſitantibus, quam locis & Eccleſiis viſitatis, multa incommodorum diſpendia provenire; concedimus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, & alii, quibus ex officio competit viſitare, a volentibus Eccleſiarum & locorum viſitatorum Rectoribus, ſeu perſonis pecuniam licite recipere valeant, ſumtibus moderatis faciendis in victualibus, diebus quibus viſitationis officium perſonaliter exercebunt adjicientes; quod non liceat viſitanti, niſi unam procurationem recipere una die, ſive unum locum ſolum viſitaverit, ſive plura … cum ei ſufficere debeat, ut temporalia metat a locis perſonaliter viſitatis, pro diebus quibus ſpiritualia ſubminiſtrat*. Quibus verbis conſtat Archidiaconum a Parochis neceſſariam tantum ad victum modicum & tenuem, pecuniam exigere poſſe, non vero victualia; & inſuper pecuniæ ſummam.

(e) Boniſac. VIII. in Cap. *Felicis* de cenſibus, in 6. l. 3. tit. 20.

2. Rem eamdem expreſſius declarat Concilium Tridentinum (f) his verbis: *Caveant*, Archidiaconi, *ne inutilibus ſumtibus cuiquam graves oneroſive ſint,… Neve ipſi aut quiſquam ſuorum quidquam procurationis cauſſa pro viſitatione…. aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant… exceptis tamen victualibus, quæ ſibi ac ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantum neceſſitate, & non ultra, erunt miniſtranda. Sit tamen in optione eorum qui viſitantur, ſi malint ſolvere, id quod erat ab ipſis antea ſolvi, certa pecunia taxata, conſuetum; an vero prædicta victualia miniſtrare*. Cui Decreto quidquam addere inutile eſt ad ſolutionem præſentis difficultatis.

(f) Conc. Trid. Seſſ. 24. de reformat. c. 3.

CASUS V.

DEMOPHILUS, Cathedralis Eccleſiæ Oſnabrucenſis magnus Archidiaconus, Parœcias actu viſitans, cum die Dominica mane ad Eccleſiam S. Alberti deveniſſet, a duobus Æditius addiſcit, Parochum cum quibuſdam amicis ſuis pridie in popina cœnaſſe, contra ſynodicam Diœceſeos Conſtitutionem, qua id ſub mortali peccato, etiam Epiſcopo reſervato, fuit vetitum. De facto convenit Parochus, & ſupplex Archidiaconum rogat, ut ſe velit abſolvere, quo ſolemnem Parœciæ Miſſam poſſit celebrare; ſimulque promittens, iterum ſe ab Epiſcopo aut Pœnitentiario poſtridie abſolutionem requiſiturum. Hanc autem ejus, quam poſtulat, gratiæ cauſſam Archidiacono ſuppeditat, quod omiſſa ob defectum Vicarii, aut vicini Sacerdotis Sacrificii celebratione, duo inde mala evenirent: primum; quod illo die Miſſæ intereſſe non poſſent Parochiani: alterum; quod ipſia eſſet ſcandalo & offenſioni, non ſine magno ſpiritualis eorum boni diſpendio. Numquid eum in caſu adeo gravi *ad cautelam* abſolvere poteſt Archidiaconus?

RESPONS.

Parochum illum valide nequit abſolvere Archidiaconus, niſi aliunde ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones approbatus: *Archidiaconus* enim, inquit Paludanus (g), *licet ſit Judex ordinarius de conſuetudine, tamen non in foro conſcientiæ, etiamſi Sacerdos… unde, ſi poteſt audire; hoc eſt ex commiſſione*. Unde ſequitur, ipſi juxta Concilium Tridentinum (h) nullum jus competere, Parochum hunc a peccato de quo agitur, abſolvendi, aut ipſius reſervationem tollendi vel differendi; nec ſufficit ea, quam affert ad obtinendam abſolutionem, Parochi ratio: neque enim peccabunt, omiſſa abſque ſui culpa Miſſæ auditione, Parochiani; & ſi quod inde ſuboriatur ſcandalum, illud totum in ſe convertet Parochus male agens. Archidiaconus contra, ipſum a ſacro faciendo interdicere debet, eo ipſo die & in poſterum, donec a legitimo Superiore fuerit abſolutus, ut hac ſalubri animadverſione ad meliorem frugem ſe recipiat. Exiſtimat tamen inclytus Theologus, de ſimili olim difficultate interrogatus (i), hunc Parochum propriæ conſcientiæ ſuæ lumini ab Archidiacono poſſe committi, ſi bono ſpirituali Parochianorum conduceret, ut ipſis non eſſet ſcandalo Parochus, aut ex levitate condonanda deliquiſſet.

(g) Petrus Palud. in 4. diſt. 17. q. 4. a. 2. §. *Quarta conditio*.

(h) Conc. Trid. Seſſ. 14. Can. 12.

(i) De Ste. Beuve tom. 3. Caſ. 79.

CASUS VI.

PAULLUS, Archidiaconus & Canonicus Auguſtodunenſis Capitulo litem eo intulit, quod ipſum in choro præſentem nollent habere, tempore viſitationis ſuæ. Numquid litem hanc abſque injuſtitia poteſt agere?

RES-

RESPONS.

(n) L. 4. c. 3. n. 20. Reſpondemus cum Fevreto (n), Archidiaconum habendum eſſe in choro præſentem, ac perceptu-rum eſſe non ſolum magnos reditus, ſed etiam diſtributionem ſeu quotidianas, ſeu manuales. Solutionem hanc adſtruit hic Auctor ex Arreſto Divionenſis Parlamenti ea de re 1. Julii an. 1656. lato Petro Durgon Archidiacono Auguſtodunenſi, & Canonico Eccleſiæ Collegiatæ beatæ Virginis Borboniæ. Aliud etiam refert publici Regii Conſilii latum 23. Feb. an. 1636. pro Archidiaconis in ſimili litigio.

Vide APPROBATIO. Caſ. 14.

ARMA.

Vide CLERICUS. Caſ. 7.

ASPECTUS.

ASPECTUS dicitur 1. actio, qua percipiuntur colorata. 2. Apud Aſtrologos & etiam Aſtronomos aſpectus vocatur, varia Planetarum inter ſe poſitio. Verum in hoc titulo de aſpectu agitur priori ſenſu, ac de bono vel
(b) Jerem. 9. 21. malo uſu oculorum, per quos *aſcendit mors*, inquit Jeremias (b), *tamquam per feneſtras noſtras: ingreſſa eſt domos noſtras diſperdere parvulos de foris, juvenes de plateis*. Heic autem perpendemus, quam periculoſum ſit, abſolute loquendo, oculis ſuis nimium indulgere; quot quantaque mala vel ex uno aſpectu illicito poſſint oriri.

CASUS PRIMUS.

SOSTHENAS ſæpe ſæpius Chriſtinam intueri delectatur, unde in ipſo oriuntur motus inordinati. Peccat ne in eo, cum ultra non progreditur?

RESPONS.

Certum eſt Sosthenem graviter peccare, non ſolum quia illicitæ indulget voluptati; ſed quia periculo ſe committit ipſum etiam peccatum ambiendi: un-
(c) Matth. 5. 29. & 30. de ait Chriſtus in Evangelio (c): *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te; erue eum & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam: & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam*
(d) S. Aug. Ep. 211. olim 109. n. 98. *& projice abs te*. Unde ait S. Auguſtinus (d): *Oculi veſtri, etſi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neque enim, quando proceditis, viros videre prohibemini, aut appetere, aut ab ipſis appeti velle: nec ſolo tactu, ſed affectu quoque & aſpectu appetitur, & appetit femina. Nec dicatis, vos habere animos pudicos; ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe invicem ſibi,* ſubdit S. Doctor, *etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore; etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit caſtitas ipſa de moribus. Unde & Prophetæ mens*, ait egregie admodum S. Gregorius Magnus,
(e) S. Greg. Papa. lib. 21. Moral. c. 2. (e), *quæ ſublevata ſæpe myſteriis internis intererat, quia alienam conjugem,* (Bethſabæam videlicet Uriæ uxorem) *incaute vidit, obtenebrata poſtmodum ſibimet illicite conjunxit*. Ex quibus ſanctorum Patrum teſtimoniis liquido conſtat, hujuſmodi aſpectus innoxios eſſe non poſſe; quia non ſolum voluptuoſi ſunt, sed etiam ad peccatum inducunt; ac proinde metu peccati caute eſſe vitandos.

CASUS II.

ALGASIA, puella octodecim vel viginti annos nata, in porticu hortiſque Principis, ſingulis ferme diebus ambulans, ibi curioſius ſtatuarum, tabularumque nuditates ſæpe intuetur. Peccat ne, ſi pravis cogitationibus inordinatiſque, quos ex tali aſpectu in ſe ſentit, motibus non aſſentiatur?

RESPONS.

Ut propoſitæ difficultati fiat ſatis, id tamquam verum, quod nemo ſapiens negabit, præſupponendum, non alio magis imaginationem commoveri, cupiditates accendi, ipſamque mentem corrumpi,
(f) S. Chryſ. in Pſal. 113. quam obſcenis ſtatuis, turpiumque rerum imaginibus: quare, *Dæmon*, ait S. Chryſoſtomus (f), *nudæ figuræ aſſidet*, ut in loco ſibi dedicato, ſubdit poſt hunc S. Patrem, Merbeſius; *& nunc quidem ſtatuæ*, pergit S. Doctor, *ſunt imagines fornicationis, nunc inſani in maſculos amoris*. Quam rem ut comprobet, hæc adducit exempla: *Quid enim ſibi vult Aquila? Quid vero Ganymedes? quid Apollo, qui virginem perſequitur; quid aliæ exſecrandæ figuræ? Ubique laſcivia nefariorum concubituum, & inſanientium amorum ſtatuæ ubique cernuntur.*

Eam rem compertam habuit S. Carolus Borro-
(g) S. Carolus in Conc. Prov. 3. tit. de iis, quæ paſſim ad Ordinis Sacramentum pertinent. tom. 1. pag. 77. col. 2. mæus (g), in id præcipue intentus, ut impudicas e medio tolleret ſtatuas ac imagines. En ipſius verba in ſuo tertio Concilio Provinciali Mediolani an. 1573. habiti. *Quoniam Chriſtianorum hominum mentes facile corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ, ob rerum turpium atque obſcenarum imagines; ideo illas effingi vetitum eſt Conſtantinopolitanæ Synodi Canone. Itaque curet Epiſcopus, ut quicumque laici homines id generis imagines habent, vel tabulis vel parietibus expreſſas, pro pietatis Chriſtianæ cui addicti eſſe debent, ſtudio, eas abjiciant, vel plane deleant, vel ad honeſtatem reconcinent*. Et iterum alibi (h): *In ſacris imaginibus*
(h) Id. Act. part. 2. c. 17. ſit quæ in imaginibus pingendis & ſculpendis caven[illegible]a, &c. tom. 2. pag. 473. *pingendis, ſculpendiſve .... quidquid profanum, turpe, vel obſcenum, inhoneſtum, procacitatemve oſtentans, omnibus caveatur .... aut quo Fidelium mentes oculique offendi poſſint, prorſus vitetur.*

Prohibet etiam hic S. Archiepiſcopus (i), ne feſtis diebus, cærimoniiſve, quibus ſolent exornari Eccleſiæ, adhibeantur imagines, aulææve profana,
(i) Id. loco citato. n. 27. Ethnicorum fabulas aut aliud quid complectentia, quo poſſet animus ad obſcenas induci cogitationes. Ea de re legi quoque poteſt S. Augusti-
(k) S. Aug. l. 1. conf. c. 16. nus (K), ex cujus lectione facile conſtabit, quam noxiæ ſint hujuſmodi imagines, quæ & ipſi ſancto Doctori fuerant occaſio peccati: *Ego vero il-*
(l) Merbeſius, Sum. Chriſt. tom. 1. par. 2. pag. 54. *lud feci ac libens* (l). Ex quibus facile colligi poteſt, Algaſiam in caſu propoſito peccare, non tantum ob inordinatas quas parit hic intuitus, affectiones, ſed etiam ob evidens cui ſe committit, gravius delinquendi periculum.

CASUS III.

Poſſunt ne conjuges citra peccatum mortale ſeſe mutuo turpiter nudos inſpicere, voluptatis ſoliuſve curioſitatis animo?

RESPONS.

Aſpectus hujuſmodi extra matrimonii ſanctitatem penitus verſantur; proindeque ſine gravi culpa, ſaltem veniali, fieri nequeunt. Hinc ſanctus

Digitized by Google

(a) S. Aug. lib. de bono conjugali. c. 6. in can. Quidquid. 3. 32. q. 2.

(b) S. Hieron. in Cap. 5. Epiſt. ad Gal. in hæc verba: *Manifeſta autem ſunt opera carnis.*

(c) Idem in Con. Origo. 5. 32. q. 4. & ibi Gloſſa.

Auguſtinus ait (a): *Quidquid ſe conjugati immodeſtum, inverecundum ſordidamve gerunt, vitium eſt hominum; non culpa nuptiarum.* Ac S. Hieronymus (b): *Ipſarum quoque opera nuptiarum, ſi non verecunde & cum honeſtate, quaſi ſub oculis Dei fiant, ut tantum liberis ſerviatur, immunditiam & luxuriam nominavit* Apoſtolus. Et certe, ut cum eodem S. Doctore loquar (c): *Nihil.... intereſt, quam ex honeſta cauſſa quis inſaniat.* Hoc eſt, etſi conjuges ſub prætextu matrimonii tales aſpectus ſibi putent eſſe licitos; fieri tamen nequeunt abſque peccato & quadam inſania. Quia *ſapiens vir*, inquit idem Hieronymus, *judicio debet amare conjugem, non affectu*; ſcilicet: *explendæ libidinis*, addit Gloſſa. Talia igitur carnalis voluptatis incitamenta a prudente quovis Confeſſario ſunt omnino prohibenda.

Vide { DEBITUM CONJUGALE. MATRIMONIUM. }

ASTROLOGIA JUDICIARIA.

(d) Prooem. in c. Ex tuarum tenore §. 7. de ſortilegiis, lib. 5. tit. 21.

(e) Polman. Brev. Theol. p. 2. n. 967. & ſeqq.

(f) Barthol. Fumus, v. *Aſtrologia.* n. 1. Graſſius Deciſionum aurearum l. 2. c. 3. n. 13.

ASTROLOGIA naturalis, longe ab ea differt, quæ divinatrix ſeu *judiciaria* nominatur: illa namque nihil mali continet; hæc vero omnino eſt damnanda (d). Aſtrologia naturalis definitur, *Aſtrorum conſideratio, indeque ſumta prædictio eventuum cæleſtium elementarium.* Hujus ope ſcientiæ preſagiuntur Eclypſes Solis & Lunæ, pluvia, tempeſtates, effectus & conſecutiones quorumdam morborum, aliique ſimiles eventus.

Aſtrologia judiciaria definitur (e): *Aſtrorum conſideratio, indeque ſumta prædictio futurorum contingentium, dependentium a cauſſa indeterminata & libera.* Hoc falſo niſi fundamento Genethllaci, iique omnes qui falſa illa deluduntur ſcientiæ ſpecie, contendunt, omnia, ne humanis quidem actionibus exceptis, immutabili quadam evenire Siderum poſitione, quam *Fatum* nominant: quo principio tollitur liberum arbitrium, Deoque fit injuria, cujus providentiæ, cuncta, quæ in mundo ſunt, ſubjiciuntur (f).

Pernicioſam illam ſcientiam, quæ creata quæque ad Aſtrorum ſitum eventuſque omnes ad ineluctabilem quamdam neceſſitatem refert; ſemper damnarunt Eccleſia, Patreſque ipſi, uti prima ſolutione conſtabit.

CASUS PRIMUS.

PEccat ne mortaliter LEODEGARIUS, qui Aſtrologiæ judiciariæ peritiſſimus, ſimulque in ea exercitatus, ex inſpectione Siderum multa etiam prædicit, quæ a ſola videntur humana voluntate pendere, quæque certa exiſtimat ob multos eventus, quos prædictionibus ſuis jam invenit conformes?

RESPONS.

(g) 1. Th. 1. part. q. 115 art. 4. & 2. 2. q. 95. art. 5. in corp. &c.

(h) S. Aug. Epiſt. 55 alias 119. c. 7.

(i) S. Thom. Opuſc. 26. ad Reginaldum de judiciis aſtrorum.

Certum eſt, lethalis peccati reum eſſe Leodegarium; uti multis in locis de Aſtrologia judiciaria loquens evincit S. Thomas (g): cujus doctrinæ hoc eſt ſummarium.

1. Aſſerit poſt S. Auguſtinum (h), corpora cæleſtia ſuis influxibus in ſublunaria agere, eaque immutare poſſe: *Oportet te ſcire*, inquit Angelicus Doctor (i), *quod virtus cæleſtium corporum ad immutanda corpora inferiora ſe intendit: dicit enim Auguſtinus 5. de Civitate Dei:* Non uſquequaque abſurde dici poteſt ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam ſidereos pervenire. *Et ideo, ſi aliquis judiciis aſtrorum utatur ad prænoſcendum corporales effectus; puta tempeſtatem & ſerenitatem aeris; ſanitatem vel infirmitatem corporis; vel ubertatem & ſterilitatem frugum, & ſimilia, quæ ex corporalibus & naturalibus cauſſis dependent, nullum videtur eſſe peccatum. Nam omnes homines circa tales effectus aliqua obſervatione utuntur corporum cæleſtium; ſicut agricolæ ſeminant & metunt certo tempore, quod obſervatur ſecundum motum Solis; nautæ navigationem vitant in plenilunio, vel etiam in lunæ defectu: Medici circa ægritudines criticos dies obſervant, qui determinantur ſecundum curſum Solis & Lunæ: unde non eſt inconveniens ſecundum aliquas alias occultiores ſtellarum obſervationes, circa corporales effectus uti Aſtrorum judicio.*

2. *Hoc autem omnino tenere oportet*, pergit idem S. Doctor, *quod voluntas hominis non eſt ſubjecta neceſſitati Aſtrorum: alioquin periret liberum arbitrium, quo ſublato non deputarentur homini, neque bona opera ad meritum, neque mala ad culpam; & ideo certiſſime tenendum eſt cuilibet Chriſtiano, quod ea quæ ex voluntate hominis dependent, qualia ſunt omnia humana opera, non ex neceſſitate Aſtris ſubduntur; & ideo dicitur Jeremiæ* 10. A ſignis cæli nolite metuere, quæ gentes timent.

(k) Idem. 2. 2. q. 95. a. 5. in corp.

(l) Sixtus V. in Bulla *Cœli & terræ.* 17. an. 1586.

Prolixiori licet huic S. Thomæ teſtimonio, illud quoque addendum, quo hujuſmodi prædictiones; demonis opus eſſe, ac proinde ſuperſtitioſas, vanas, falſas & ideo peccaminoſas affirmat. *Si quis ergo*, inquit (k), *utitur conſideratione Aſtrorum ad præcognoſcendos futuros caſuales vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoſcendum per certitudinem futura opera hominum; procedit hoc ex falſa & vana opinione; & ſic operatio dæmonis ſe immiſcet. Unde erit divinatio ſuperſtitioſa & illicita.*

Hinc etiam fictitiam illam ſcientiam ſub gravibus pœnis vetuit Sixtus V. Agriculturam tantummodo, Navigationem, & Medicinam excipiens cum S. Thoma conſtitutione ſua (l); cujus ob rei momentum propria exſcribere verba opportunum duximus. *Nec vero*, inquit ſummus Pontifex, *ad futuros eventus & fortuitos caſus prænoſcendos (futuris eventibus ex naturalibus cauſſis neceſſario & frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, exceptis) ullæ ſunt veræ artes aut diſciplinæ; ſed fallaces & vanæ, improborum hominum aſtutia & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, conſilio, vel auxilio omnis divinatio dimanat; ſive quod expreſſe ad futura manifeſtanda invocentur, ſive quod ipſi pravitate ſua & odio in genus humanum occulte, etiam præter hominis intentionem ſe ingerant, & intrudant vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum pernicioſis vanitatibus, & fallaci contingentium præenuntiatione implicentur, & omnis impietatis genere depraventur .... Itaque, cum futuros eventus in ſe ipſis conſiderare, antequam fiat, ſit Dei proprium; illud neceſſario conſequitur, ut Aſtrologi & alii prædicti, qui hujuſmodi futura præenuntiare, aut prænoſcere quocumque modo, niſi Deo revelante, audent, injuſte atque imprudenter quod Dei eſt ſibi aſſumant & uſurpent; ſic fit, ut dum ab eis quod ſolius eſt Creatoris perperam creaturis tribuitur, divina majeſtas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioſo Chriſti ſanguine redemtis peſtis & exitium importetur.*

Denique hujuſmodi Aſtrologiam ac divinationem condemnarunt multa Concilia Provincialia; ac præcipuæ

eipue primum Toletanum an. 400. ſub Anaſtaſio Papa habitum *(u)*, hoc Canone: *Si quis Aſtrologiæ vel matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema, ſit.* Primom Mediolanenſe ſub S. Carolo an. 1565. *(b) Aſtrologi, qui ex Solis, Lunæ & aliorum aſtrorum motu, figura & aſpectu, de hominum actionibus, quæ ex libero voluntatis arbitrio proficiſcuntur, certo aliquid eventurum affirmant, gravibus pœnis plectantur.* Remenſe an. 1583. cujus Decretum eſt iſtud *(c)*: *Qui divinationibus, ſeu prædictionibus, ad artem judiciariam pertinentibus utuntur, vel eiſdem fidem adhibent, excommunicentur.* Burdigalenſe eodem anno habitum *(d)*. Toloſanum an. 1590. *(e)* & Narbonenſe an. 1609. *(f)*; quod etiam ſubtilius rem iſtam exſequitur in ſuo Decreto, cujus hæc ſunt verba: *Damnamus magos, veneficos, divinatores, ſortilegos, conjectores, augures, haruſpices, mathematicos, judiciarios, cum dæmonibus fœdera & pacta tacite, vel expreſſe habentes, morbos imprecationibus, verbis, ligaturis, aut actionibus ſuperſtitioſe ſanare intendentes, eoſque, uti ſacra Decreta excommunicaverunt ipſo facto, ſic & nos excommunicamus....* Ex quo patet, eodem haberi numero Aſtrologiæ judiciariæ deditos, atque magos ac ſortilegos.

Hactenus dicta conſentiunt cum doctrina Patrum Eccleſiæ, & in primis S. Auguſtini *(g)*. Eamdem quoque fictam ſcientiam damnarunt Leges civiles *(h)*, uti Carolus IX. Aurelianenſi edicto, & Henricus III. Bleſenſi *(i)*.

(a) Conc. Toletan. 1. Can. 16.
(b) Conc. Mediol. 1. part. 2. tit. de magicis artibus.
(c) Concil. Remenſ. c. 4. Sortilegiis &c.
(d) Conc. Burdigal. c. 7. de magicis artibus.
(e) Concil. Toloſan. part. 4. c. 12. de hæreticis, magis, ſortilegis, & Aſtrologia.
(f) Conc. Narbon. c. 3. de libris vetitis.
(g) S. Aug. l. 4. Confeſſ. c. 3. n. 4. l. 2 de doctrina Chriſt. c. 21. & 23. ſeu n. 33. & ſeqq. In Pſal. 61. n. 23. & Epiſt. 246. q. 2.
(h) L. Artem. 2. Cod. de maleficis & mathem. &c. l. 9. tit. 18. Et Leg. Mathematicos. 11. Cod. de Epiſcopali audientia. &c. lib. 1. tit. 4.
(i) Edict. Aurelianenſe. an. 1570. art. 26. & Bleſenſe an. 1579 Cap. de Eccleſia. art. 30.

CASUS II.

Portianus, Aſtrorum peritiam affectans, tamquam certum affirmat, puellulum ſibi quadam hora diei cujuſdam ſub eo, qui Venus dicitur, planeta natum, cum ad pubertatis annos pervenerit, in primis fore mulieroſum. Numquid in eo peccat, atque judicium ejus Religionis præceptis eſt adverſum?

Respons.

Portianus a peccato nequit excuſari. Licet enim, *ſi quis cæleſtium influxuum cauſſas, ut inclinativas ad ea quæ ex corporibus pendent, humana, ſuſcipiat; nec errat, nec peccat*, inquit Cajetanus, *& ex conſideratione Aſtrorum timere, cavere, audere, &c. aliquid quatenus ex corporibus pendet, nullum peccatum eſt*, pergit idem Cardinalis, *ſervato moderamine conjecturæ, ut ſcilicet homo non pro certo, ſed conjectura habeat, quidquid e cælo ducitur circa humanas actiones ... quia non ſubjiciuntur actiones humanæ cælo, niſi per indirectam inclinationem; hoc eſt, niſi pro quanto pendent a corporibus*: attamen peccat, ſi ſimplicis conjecturæ limites excedat, effectus illos tamquam certo futuros ſuſcipiendo: Atqui Portianus intra ſimplicis conjecturæ fines non ſe continet: cum pro certo aſſerat filium ſuum, utpote ſub Venere natum, fore mulieroſum: quare errat & peccat; cum ſit certum, hominis libertatem, quamvis peccato debilitatam, non penitus fuiſſe extinctam, atque adeo auxiliante gratia, eum impudicitiæ, uti ceteris vitiis, poſſe obſiſtere.

Huic doctrinæ omnino aſſentitur S. Thomas dicens *(k) Divinationi quæ ex opinione falſa vel vana procedit, ingerit ſe operatio dæmonis, ut hominum animos implicet vanitati aut falſitati. Vana autem aut falſa opinione utitur, ſi quis ex conſideratione ſtellarum futura velit præcognoſcere, quæ per ea præcognoſci non poſſunt .... ſubtrahuntur cauſſalitati cæleſtium corporum actus liberi arbitrii, quod eſt facultas voluntatis & rationis. Intellectus enim ſive ratio, non eſt corpus, nec actus organi corporei; & per conſequens nec voluntas, quæ eſt in ratione .... Nullum autem corpus poteſt imprimere in rem incorpoream. Unde impoſſibile eſt, quod corpora cæleſtia directe imprimant in intellectum & voluntate. Hoc enim eſſet ponere, intellectum non differre a ſenſu.. Unde corpora cæleſtia non poſſunt eſſe per ſe cauſſa operationum liberi arbitrii. Poſſunt tamen ad hoc diſpoſitive inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum, & per conſequens in vires ſenſitivas, quæ ſunt actus corporalium organorum, qui inclinant ad humanos actus. Quia tamen vires ſenſitivæ obediunt rationi.... nulla neceſſitas ex hoc libero arbitrio imponitur: ſed contra inclinationem cæleſtium corporum homo poteſt per rationem operari.* Ex quo ratiocinio ſic concludit Angelicus Doctor: *Si quis ergo conſideratione aſtrorum utatur ad præcognoſcendos futuros caſuales, vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoſcendum per certitudinem futura opera hominum; procedit hoc falſa & vana opinione: & ſic operatio dæmonis ſe immiſcet. Unde erit divinatio ſuperſtitioſa & illicita.*

Solus itaque *(Deus) in æternitate videt ea quæ futura ſunt, quaſi præſentia*, inquit alibi idem S. Doctor *(l)*. *Si quis ergo hujuſmodi futura prænuntiare aut præcognoſcere quocumque modo præſumſerit, niſi Deo revelante, manifeſte uſurpat ſibi quod Dei eſt.... Hoc autem conſtat eſſe peccatum. Unde divinatio ſemper eſt peccatum.*

(k) S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 5. in corp.
(l) S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 1. in corp.

ATTENTIO.

ATTENTIO, generaliter loquendo, *eſt voluntaria*, inquit Polmanus *(m)*, *animi applicatio ad id quod agitur*; v. g. applicatio ad orationem; quæ vel eſt externa, cum ad externam tantum verborum prolationem fit attentio; vel interna, cum fit ad ſenſum verborum mentis applicatio.

Quadruplex vulgo diſtinguitur attentio; ſcilicet, actualis, virtualis, habitualis & interpretativa.

Attentio actualis eſt *præſens animi applicatio, ad opus quod agitur*, inquit idem Thelogus *(n)*: *qua de re ipſa mens cogitat eodem momento, quo actus producitur externus*, ait Cabaſſutius *(o)*; ut ſi quis de verbis orationis eorumque ſenſu actu cogitet.

Attentio virtualis eſt *Animi ad opus applicatio, non actu, ſed virtute remanens ex actuali prohabita, non revocata (p)*: vel ut loquitur Cabaſſutius *(q)*, *qua homo libere actum exſerit exteriorem in virtute deliberationis, quæ præceſſit: ut cum quis ex vi præcedentis decreti*, ait ille, *proficiſcendi Maſſiliam itineri ſe accinxit, etſi proficiſcendo in alias res diſtrahatur, neque de Maſſilia cogitet (r)*.

Attentio habitualis eſt *Propenſio ad attendendum, orta ex frequentatione actuum (ſ)*; ita ut ſi actu de ea cogitatum fuiſſet, neceſſaria attentio non omiſſa eſſet. Aſſerit Cabaſſutius *(t)* cum Theologis, duas priores attentionis ſpecies aut ſimul aut ſeorſim ſufficere, ut actio aliqua ſit voluntaria: *habitualis* vero *attentio*, ait, *neque humana vere eſt, neque rationem ſequitur, neque ſufficit ad ullum officium... ut ſi noctambulus dormiens, aliquid e canonicis horis recitaret.*

Attentio denique interpretativa, inquit idem Polmanus *(u)*, eſt *applicatio animi ad opus, non in ſe, ſed in alio tamquam continente, vel cauſſa*. Qualis eſt ea, quam quis habere cenſetur orans, ad verba quæ diſtincte profert & attente.

(m) Polman. Brev. theol. part. 1. n. 826.
(n) Polman. ibid. n. 830.
(o) Cabaſſutius Jur. C. 2. Theor. & Praxis l. 2. c. 32. n. 10.
(p) Polm. ibid. n. 831.
(q) Cabaſſut. cit. n. 10.
(r) Idem ibid.
(ſ) Polman. ibid. n. 832. & 833.
(t) Cabaſſut. ibid.
(u) Polman. ibid. n. 114.

CASUS PRIMUS.

Claudius, Beneficiarius Officium Breviarii recitans, ad accuratam tantum verborum prolationem, neglecto ſenſu, ſimpliciter attendit: Numquid illud ſatis eſt, ut a peccato ſit immunis?

Respons.

(a) S. Th. 2. 2. q. 83. a. 13. in corp.

Claudium a peccato non eximit ſola ad verba attentio, quod clare evincit S. Thomas (a), qui triplicem diſtinguit attentionem. *Sciendum tamen eſt*, inquit ſanctus Doctor, *quod triplex eſt attentio, quæ orationi vocali poteſt adhiberi. Una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret. Secunda, qua attenditur ad ſenſum verborum. Tertia, qua attenditur ad finem orationis, ſcilicet ad Deum & rem pro qua oratur; quæ quidem eſt maxime neceſſaria; & hanc etiam poſſunt habere idiotæ.*

(b) S. Aug. in Pſal. 18. enarrat. 2. n. 1.

Prima attentio, ea videlicet, qua quis ad accuratam verborum pronuntiationem, non ad ſenſum attendit, præciſe in ſe conſiderata non ſufficit: illius namque ope divinæ laudes, non corde, ſed more Pſittacorum, ore tantum decantantur, ut ait Auguſtinus (b): *Non quaſi avium voce cantemur*, inquit ſanctus Doctor, *nam meruli & corvi, & picæ, & ejuſmodi volucres, ſæpe ab hominibus docentur ſonare quod neſciunt .... quam multi mali, & luxurioſi, ſic cantant digna auribus ſuis, & cordibus. Novimus & dolemus; eo enim ſunt pejores, quod non poſſunt ignorare quod cantant.* Altera igitur priori conjungenda eſt attentio, ita ut ad ſenſum verborum attendatur, ut ſuis olim commendabat Religioſis ſanctus Bernardus (c). *Nil aliud, cum pſallitis, quam quod pſallitis cogitetis.* Et ut verbis ſuus reſpondeat affectus, uti docet ſanctus Auguſtinus dicens (d): *Deum laudate; & ſi orat Pſalmus, orate: & ſi gemit, gemite: & ſi gratulatur, gaudete: & ſi ſperat, ſperate: & ſi timet, timete; omnia enim quæ hcic ſcripta ſunt, ſpeculum noſtrum ſunt.*

(c) S. Bernar. Serm. 47. in Cant. n. 8.

(d) S. Aug. in Pſalm. 30. enarrat. 4. n. 1.

Eos tamen damnare nolumus, qui generali quadam ad Deum mentis attentione ſunt contenti, aut pia, quæ verbis refertur, cogitatione mentem ſuam recreant, ut continuo ad ſenſum verborum attendere nequeat. Immo ex S. Thoma, *hæc ultima attentio eſt laudabilior, quam ſecunda: & ſecunda, quam prima* (e). Quamquam ſub prætextu elevationis mentis ad Deum, mentem a ſenſu verborum quæ proferuntur, avertere ex profeſſo non liceat. Hæc eſt propoſitæ difficultatis enodatio, qua conſtat, in recitatione Officii ſui per ſolam primam attentionem, Claudium a peccato non liberari.

(e) S. Th. in 4. dist. 15. q. 4. a. 2. quæſtiunc. 5. in corp.

CASUS II.

Alexius, Beneficiarius, initio recitationis Officii ſui, ſtatim Deum laudare, neceſſariaſque ſibi ab eo ſupplex gratias poſtulare, actu intendit; at in decurſu diuturnis mens ejus ſic abripitur diſtractionibus, ut toto eo tempore, nec ad Deum, nec ad verba quæ profert, omnino attendat. Numquid ex eo fit, ut digne ac meritorie, Officium divinum non perſolvat; ac recitata per has animi divagationes, iterare teneatur?

Respons.

Si involuntariæ ſint & abſque conſenſu illæ animi diſtractiones, ex his non impeditur Alexius, quominus digne & meritorie divinum perſolvat Officium; nec proinde tenetur, recitata per has animi divagationes repetere. Nam ex D. Thoma, ſi involuntariæ ſint diſtractiones, factis tamen, dum mens aberrat, ſuum manet precibus meritum, vi prioris intentionis, quæ ſemper, ut loquitur Schola, virtualiter ſubſiſtit. His autem pro certo involuntarie agnoſcuntur indiciis, ſi accurate rejiciantur; priſtinaque revocetur attentio, per elevationem mentis ad Deum. *Dico, quod attentio in oratione manere debet ſemper ſecundum virtutem*, inquit Angelicus Doctor (f): *Sed non requiritur, quod ſemper maneat per eſſentiam actus. Manet autem ſecundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obſequium reddendi, etiamſi in proſecutione orationis mens ad alia rapiatur; niſi tanta fiat evagatio, quod omnino depereat vis primæ intentionis. Et ideo oportet, quod frequenter ror ſuum revocet ad ſe ipſum.* Et alibi, poſtquam duplicem orationis fructum ſic diſtinxit S. Doctor (g): *Unus fructus eſt meritum, quod homini provenit; alius fructus eſt ſpiritualis conſolatio, & devotio concepta ex oratione*; tum ſubdit: *Et quantum ad fructum devotionis ſpiritualis privatur, qui non attendit ad ea quæ orat, ſeu non intelligit: ſed quantum ad fructum meriti, non eſt dicendum quod privatur: quia ſic multæ orationes eſſent ſine merito; cum vix unum* Pater noſter, *poteſt homo dicere, quin mens ad alia feratur. Et ideo dicendum eſt, quod, quando orans aliquando divertit ab iis quæ dicit; ſeu quando quis in uno opere meritorio non continue cogitat in quolibet actu, quod facit hoc propter Deum; non perdit rationem meriti.... Prima vis* (intentionis) *facit totum opus meritorium; niſi interrumpatur per contrariam affectionem, quæ divertat a fine prædicto ad finem contrarium.*

(f) S. Th. in 4. diſt. 15. q. 4. art. 2. quæſtiunc. 4. in corp.

(g) Idem in 1. ad Corinth. 14. Lect. 3. Idem 2. 2. q. 83. a. 13. ad 3.

At ſi quis contra, mentem ad alia, licet de ſe bona, voluntarie in oratione divertat, non ſolum meritum orationis fructumque illius amittit, ſed etiam culpam contrahit, ſi ex propoſito, iis mens occupetur, quæ pariunt diſtractiones; qualia ſunt objecta exteriora; & quidem mortalis fieret culpa, ſi per notabilem Officii ad quod tenetur, partem diſtractio voluntaria perduraret. *Verbum Hugonis*, inquit etiam S. Thomas (h), *intelligendum eſt, quando aliquis ex propoſito, mentem ad alia diſtrahit in oratione: tunc enim ſine culpa non eſt: præcipue, ſi in aliis ſponte ſe occupat, quæ mentem diſtrahunt; ſicut ſunt exteriora opera: & ſi ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit. Si autem, ſine hoc quod percipiamus, mens ad alia evagetur; vel culpa caret, vel parviſſima culpa eſt; niſi præcedens cogitatio ex qua contingit evagatio, talis in cauſſa eſſe dicatur.* Quocirca qui ſic voce tenus, & aliis ductus cogitationibus oraret, is illo poſſet notari Scripturæ teſtimonio (i): *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt a me.*

(h) Idem in 4. loco ſupra cit.

(i) Matt. 15. 8.

Fruſtra vero quis oppoſuerit, ab Eccleſia internam attentionem non poſſe præcipi ſub ſpecie hujus regulæ (K), *Eccleſia,... de occultis non judicat.* Quamvis enim de internis, utpote ſibi occultis rebus non judicet Eccleſia, ac eas proinde continere præcepto nequeat, ſi in ſe ipſis conſiderentur, hoc eſt, ſeparatum a rebus externis; eas tamen præcipere indirecte poteſt, & quatenus externo quem imperat, actu involvuntur. Atqui externæ quas imperat preces, abſque attentione ac devotione non ſunt veræ preces: quo circa iſta attentio, quamvis actu interno contenta, cadit ſub Eccleſiæ præceptum; unde ea poteſtate uſa eſt in tribus œcumenicis Conciliis, in quibus Officii Breviarii recitationem attentam præcepit; videlicet Lateranenſi ſub Innocentio III. (l), Viennenſi ſub Clemente V. & Tridentino.

(K) Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reformat. matrim. Et Cap. *Tuanos*. 24. de ſimonia &c.

(l) Conc. Lateran. ſub Innoc. III. c. 19. in Cap. *Dolentes*. 9. de celebration. Miſſarum &c. l. 3. tit. 41. Conc. Viennenſe in Clementina *Gravi*. de celebrat. Miſſarum &c. l. 3. tit 14. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reformat. c. 12.

Vide (Officium Breviarii.)

AUGU-

AUGURIUM.

TERMINUS hic ſignificat divinationem ex cantu vel clangore avium; atque a Polmano ſic definitur : *Augurium eſt dæmonis reſponſio per obſervationem avium* (*a*).

Divinationis hæc ſpecies, ſeu pacto explicito, ſeu implicito fiat, eſt peccatum mortale, ut docet S. Thomas (*b*): *& auguriis, vel incantationibus ſervientem*, inquiunt Patres quarti Concilii Carthaginienſis... *a conventu Eccleſiæ ſeparandum*, hoc eſt, excommunicatione dignum, præcipimus (*c*).

Merito tamen fatetur Auctor allatæ definitionis (*d*) quod, *Quamvis futurorum contingentium prædictio ſpectet ad ſuperſtitioſam divinationem .... tamen licita eſt prædictio eventuum dependentium a cantu avium .. tamquam cauſſa naturali, aut cum iis habentium connexionem naturalem. Sic ex motu, aut cantu avium prædici poſſunt, ſerenitates, pluviæ, tempeſtates &c.*

(*a*) Polman. Brev. Th. part. 2. n. 964.
(*b*) S. Th. 2. 2. q. 95. a. 3.
(*c*) Conc. Carthag. 4. Can. *Auguriis*. 12. 26. q. 5.
(*d*) Polman. ibid. n. 966.

Vide (SUPERSTITIO. Caſu ultimo.)

AVARITIA.

AVARITIA eſt inordinatus amor divitiarum, erogationiſque illarum tenacitas, ut definit Polmanus (*e*) juxta hæc Sapientis (*f*): *Avarus non implebitur pecunia*; & hæc alia ſancti Auguſtini verba (*g*): *Non ſolum avarus eſt, qui rapit aliena; ſed & ille avarus eſt, qui cupide ſervat ſua.*

Vitium illud, quod inter *capitalia* annumeratur, eſt ſemper mortale. 1. cum juſtitiæ eſt oppoſitum in re gravi, hoc eſt, ut explicat ſanctus Thomas (*h*) *in quantum aliquis ... acquirit pecuniam ultra debitum aliena ſurripiendo vel retinendo*. 2. Aliquoties etiam eſt mortale, licet non juſtitiæ adverſum; *Si in tantum ... amor divitiarum creſcat*, inquit idem Angelicus Doctor (*i*), *quod præferatur caritati; ut ſcilicet, propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei & proximi; ſic avaritia erit peccatum mortale.*

De iis autem, qui hujus ſpeciei avaritiæ conſcii ſunt, loquitur S. Auguſtinus dicens (*k*): (Avari) *frui volunt nummo, uti autem Deo, quoniam non nummum propter Deum impendunt; ſed Deum propter nummum colunt*. Sed extra hunc caſum avaritiæ peccatum non eſt mortale: *Si autem inordinatio amoris intra hoc ſiſtat*, addit idem S. Thomas, *ut ſcilicet homo, quamvis ſuperflue divitias amet, non tamen præfert earum amorem amori divino, ut ſi propter divitias velit aliquid facere contra Deum & proximum; ſic avaritia eſt peccatum veniale*. Attamen ab omni avaritia declinare debet verus Chriſtianus, cum eam generatim & indiſtincte Scriptura in multis damnet locis, ad marginem indicatis (*l*).

Ceterum avaritia jure merito peccatum mortale dicitur: quia, ut ait S Thomas (*m*), *vitium capitale dicitur .... ex quo alia vitia oriuntur ... ſicut cum quis ad habendam pecuniam furatur, furtum ex avaritia naſcitur*. Septem ſunt autem, juxta eumdem Angelicum Doctorem (*n*), quæ ex avaritia oriuntur, ſcilicet *proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, & contra miſericordiam obduratio*: quorum in eodem Doctore legi poteſt applicatio. Addit. S. Iſidorus, furtum, mendacium, & falſum teſtimonium, & alia quædam vitia, quæ, ut probat idem S. Doctor (*o*), ad ſeptem allata ſuperius per ſe referuntur.

(*e*) Polman. Brev. Th. p. 2. n. 2455.
(*f*) Eccl. 5. 9.
(*g*) S. Aug. Serm. 107. c. 5. ſeu n. 4.
(*h*) S. Th. 2. 2. q. 118. a. 1. in corp. & ibid. a. 3. in corp.
(*i*) Id. ib. c. a. 4. in corp.
(*k*) S. Aug. 11. de Civit. Dei c. 25.
(*l*) Eccli. 10. 10. & 31. 5. Baruch 3. 10. Eph 5. 5. Coloſſ. 3. 5. Luc. 6. 24 & 18. 14. Matth 19. 24. 1. Tim. 6. 9 & 10. Jac. 5. 1. &c.
(*m*) S. Th. in 2. Sentent. q. 42. q. 2. ar. 5. in corp.
(*n*) S. Th. 2. 2. q. 118. a. 8.
(*o*) Id. c. a. fin. ad 5.

CASUS PRIMUS.

GRATIANUS ſufficientibus, ut honeſtam pro ſtatu ſuo vitam degat, bonis affluens, majora etiam peroptat, nihilque non molitur, ut alia, non iniquis tamen rationibus, inveniat. Numquid ex eo fit avaritiæ conſcius homo ille, & peccatum ipſius eſt ne mortale?

RESPONS.

Ut avaritia non ſit peccatum mortale, non juſtitiæ modo, ſed nec caritati debet eſſe oppoſita, cum non minus caritatis, quam juſtitiæ præcepto teneatur Chriſtianus. Quare ſi tanta ſit augendæ rei Gratiano cupiditas, ut non vereatur præceptum caritatis infringere, quo eam expleat; dubium eſſe nequit, quominus lethalis culpæ ſit conſcius. Hanc difficultatem ita ſolvit ſanctus

(a) S. Aug. Serm. 18. n. 4. ctus Thomas *(a)* his verbis: *Si ergo*, inquit, *in tantum divitiarum amor creſcat, quod præferatur caritati: ut ſcilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei & proximi; ſic avaritia erit peccatum mortale:* qua ſolutione multos ſpeciales caſus facile eſt diſſolvere, unde iſtum minutius non expendemus.

CASUS II.

Numquid avaritiæ peccati damnari poteſt Philomenus, homo ditiſſimus, nec ampliora quidem fortunæ cupidus; qui cum ſe ſuamque familiam ſolitis reditibus honeſte poſſit ſuſtentare, numeratæ 100000. librarum pecuniæ ſummam voluptuoſe poſſidet, eamque acri ſtudio ſervat intactam.

Eo ſe tuta putat eſſe conſcientia, 1. quod pecuniam hanc duobus tribuſve ſuis filiis conſervet. 2. quod in poſterum plures ſe putat eſſe ſuſcepturum filios. 3. quod multi ſint, abſque pecunia, vitæ caſus inſuperabiles, uti ſunt morbi diuturni, bella, fames, incendia, aliaque id genus, quæ prudenter proſpicienda ſunt. 4 denique, quod pauperes ſolita eleemoſyna ſublevet. Nonne ex his, ab avaritiæ peccato eximitur Philomenus?

R E S P O N S.

(b) S. Aug. Ser. 107. n. 4. Ex S. Auguſtino *(b)*: *Non ſolum avarus eſt qui rapit aliena, ſed & ille avarus eſt qui cupide ſervat ſua.* Unde ex tali ſua ſervandi cupiditate procul dubio avaritiæ fit homo conſcius, & eorum Deo damnandus, ut indicant hæc verba
(c) Eccli. 16. v. 9. & 10. Sapientis *(c)*: *Avaro autem nihil eſt ſceleſtius: nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam:* quia avarus huic uni rei ſtudet: *& hic enim animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua.* Totam in ea ſpem ac felicitatem reponit, unice contentus eam vel oculis vel manibus prenſare, illiuſque tantummodo jacturam reformidans.

Unde avaritia a S. Thoma, turpiſſimum dicitur vitium, quod hominem pecuniæ bono, ſcilicet caduco, ac ſapiente indigno ſubjiciat: hinc voluptuoſo aut ſuperbo contemtibilior eſt avarus ob avaritiam, *quæ*, ut ait Apoſtolus *(d)*, *eſt ſimu-* (d) Coloſſ. 3.
lacrorum ſervitus, & qua pecuniæ ſuæ magis, 5.
quam ethnicus idolo eſt addictus, ut nimirum nova acquirat, vel parta conſervet. Quare ex ſancto Gregorio avaritiam conſequuntur fraus, perfidia, mendacium, perjurium, vis, proditio, in pauperes & in ſe ipſum immanitas. Ex quibus facile colligitur, Philomenum, bonis ſuis effocatum, ab avaritiæ peccato eximi non poſſe, tantam ſervando pecuniæ ſummam, quam facile ad uſus legitimos poſſet convertere, ac deberet.

Verum eas quas affert, cupiditatis ſuæ cauſſas perpendamus. *Dicturus es*, inquit ſanctus Auguſtinus *(e)*, duobus tribuſve *filiis meis ſervo: hæc* (e) S. Aug. in Pſal. 38. n. 11.
vox pietatis, eſt excuſatio iniquitatis. Et alibi *(f)*: *Palliare ſe volunt nomine pietatis & dealbare, ut quaſi propter filios videantur ſervare* (f) Idem. Serm. 9. n. 20.
homines, quod propter avaritiam ſervant. At novos, addit, ſpero me ſuſcepturum filios: ſed quid ſub ſpe futuræ prolis licet ne tantam, & forſan inutiliter, ipſe ſervare pecuniæ ſummam? *Scis eum poſſeſſurum, cui ſervas? Aut ſi nondum natus eſt, ſcis naſciturum?* reſpondet ſanctus Auguſtinus *(g)*: *Servas filiis, incertum eſt an futu-* (g) Idem in Pſal. 38. n. 12.
ris, an poſſeſſuris. pergit ſanctus Doctor, *forte enim poſſeſſus poſſidebis, & quod a te habebit, non tenebit.* Supponamus etiam, ſperatos fore pueros, præter jam natam ſobolem. An certus eſt is, de tradendo ipſis theſauro, qui incendia, bella ceteroſque eventus fortuitos cauſſatur? *forte cum ei ſervas*, addit idem ſanctus Doctor, *antequam ille veniat, tu perdes: quam multi redierunt ad domos ſuas, & quod poſuerunt, non invenerunt!*

BAPTISMUS.

BAPTISMUS, primnm Eccleſiæ Sacramentum, qnod ideo *Sacramentum fidei* & *janua Sacramentorum* appellatur, eſt Sacramentum, quo remittuntur peccatum originale, cunctaque peccara actualia, tum quoad culpam, tum quoad pœnam.

Triplicem Baptiſmi ſpeciem diſtinguunt Theologi, *fluminis* videlicet, *flaminis & ſanguinis*: *fluminis*, qui in aqua confertur; *flaminis*, qui per Spiritum ſanctum cor immutantem cum propoſito recipiendi Sacramentom, operatur; & *Sanguinis*, qui in martyrio conſiſtit. Ex his tribus primus ſolus eſt verum Sacramentum; teliqui vero, Baptiſmi metaphorice dicti, eamdem producunt gratiam, ac Sacramentum ipſum, cujus vicem ſupplent.

Ordinarius hujus Sacramenti miniſter eſt Sacerdos: aſt in caſu neceſſitatis, non valide modo, ſed & licite a qualibet perſona conferri poteſt.

Ut reliqua Sacramenta, ſic Baptiſmnm inſtituit Chriſtus; verum quo tempore inſtituerit, inter ſe diſputant Theologi: qoidam volunt ab eo tantum poſt mortem & reſurrectionem ſuam; quidam ante ſoiſſe inſtitutum contendunt. Docet S Thomas (*a*) ante mortem ſuam Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum, tum cum a Joanne in Jordane fuit baptizatus: ſed hujuſce Sacramenri neceſſitatem, non niſi poſt mortem ipſius fuiſſe conſtitutam & ab Apoſtolis promulgatam. Id quidem ex Scriptura, ſanctorumque Patrum teſtimoniis fuſe probat Sylvius, atque contendit ipſius neceſſitatem non fuiſſe ſtabiliram ante deſcenſum Spiritus ſancti in Apoſtolos, cæteroſque fideles eorom comites die Pentecoſtes, cum nimirum palam divulgata eſt. Verum, cum iſta quæſtio nec ad fidem, nec ad mores pertineat, hanc controverſiam libenter omittimns.

Materia hujus Sacramenti eſt aqua naturalis & elementaris, cui immergitur infans, vel qua aſpergitur; cuique in nulla neceſſitate alia qualibet aqua ſeu liqoor poteſt ſupplere.

Forma in his verbis poſita eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritu ſancti*. Nullaque alia ad validitatem hujus Sacramenti ſorma ſufficere poteſt: unde ſi qois baptizaret dicens: *Ego te baptizo in nomine Chriſti*, vel, *in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis*, is validum non conferret Sacramentum, ut patebit ex deciſione ſeptima, in qua ſolventur antiquæ auctoritates, quibus contrarium ſtatui videtur. Ratio eſt, quia neceſſario expreſſa debet fieri mentio cujuslibet e perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis in forma hujus Sacramenti; juxta præceptum, verbaque ipſa Chriſti, in ultimo ſancti Matthæi Evangelii capite, Apoſtolos ſuos ante aſcenſionem ſuam in univerſum orbem mittentis docere omnes gentes. Hanc doctrinam ſequuntur S. Cyprianus in Epiſtola ſua ad *Jubajanum* (*b*), S. Baſilius (*c*), denique multis in locis S. Auguſtinus (*d*).

Ordinarius hujus Sacramenti miniſter eſt Sacerdos: verum quilibet homo valide illud, & etiam licite; ſeu Chriſtianus, Judæus, infidelis aut paganus, vir aut mulier ſit; in neceſſitate poteſt adminiſtrare, modo illud conferens intendat ſacere id ipſum quod facit Eccleſia.

Baptiſmus in eodem ſubjecto abſque gravi crimine & etiam irregularitate nequit iterari; nam, licet in caſibus tantum jure expreſſis teneri debeat irregularitas, quæ nulla vel Canone vel Decretali pro iterantibus Baptiſmum exprimitur; hujuſce tamen criminis vel irregularitatis nodo ligati habentur, ur docent communiter peritiſſimi Theologi cum multis Canoniſtis, quales ſunt Sylvius in ſuo commentario in tertiam partem ſummæ ſancti Thomæ, Scotus, Silveſter, Navarra aliique permulti, qui rem concludunt ex Decretali Alexandri III. (*e*) ad Abbatem ſanctæ Genoveſæ, unde quid ſimile colligi poteſt. Id vero de iis tantum intelligi debet, qui certi de collato Baptiſmo abſolute; non de iis qui in dubio poſitivo ſub iſta conditione, *ſi non eſt baptizatus*, denuo baptizant; quamvis contrarium aſſerat Auctor Catechiſmi Concilii Tridentini, qui ea in re nullam opinionis ſuæ rationem aſſerens a communi Doctorum Sententia recedit.

(*a*) S. Thom 3. p. q. 66. art. 1.

(*b*) S. Cypri. Ep. 73.

(*c*) S. Baſil. l. de Spiritu ſancto. c. 12.

(*d*) S. Aug. l. 3. de Bapt. c. 12. 13. 15. lib. 6. c. 25. lib. 7. c. 53.

(*e*) Alex. III. in Cap. *Ex litterarum*. 2. de apoſtatis.

Digitized by Google

Duplex eſt hujus Sacramenti effectus prior, character Chriſtiani: alter, gratia habitualis & ſanctificans: nam ut omnes in Adam mortui ſunt, & in Chriſto renaſcuntur *ex aqua & Spiritu Sancto*, ex ejus oraculo; fiunt Chriſti & Eccleſiæ membra viva, *filii & heredes*; *heredes quidem Dei*, *coheredes autem Chriſti*, ut loquitur Apoſtolus (*a*); ac fuſe exponit S. Chryſoſtomus in ſua ad Neophytos homilia. Omnibus ſive infantibus ſive adultis, hoc eſt, qui a fidelibus aut infidelibus parentibus orti ſunt, Baptiſmus abſolute eſt neceſſarius *neceſſitate medii*, ut explicant Theologi, & ſtatuit Concilium Tridentinum, a quo contrarium docentes hoc anathemate damnati ſunt (*b*): *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe*: *hoc eſt*, *non neceſſarium ad ſalutem*; *anathema ſit*. Eamque neceſſitatem ſupplet dumtaxat vel Martyrium, vel ſincera animi ad Deum converſio cum voto recipiendi Sacramenti.

(*a*) Ad Rom. 8. 17.

(*b*) Concil. Trid Seſſ. 7. Can. 2. & 5.

Non alibi, quam in Eccleſia, excepto urgentis neceſſitatis caſu, aut de expreſſa Epiſcopi ſui facultate, baptiſmum conferre poteſt Parochus, aut quilibet alius ſacerdos; neque nude, ac omiſſis ab Eccleſia præſcriptis ritibus, niſi idem concedat Epiſcopus, aut infanti præſens immineat mortis periculum; quia in circumſtantia prætermiſſæ ſuppleri debent cærimoniæ, ſi ſufficienti poſt acceptum baptiſmum tempore infans fuerit ſuperſtes.

Una ex his cærimoniis eſt, ut baptizato detur patrinus, qui 1. ſic dicitur; quia *ſpiritalis patris onus implere debet erga filiaſtrum*, ut loquitur Theologus. *Sponſor* quoque vocatur: *quia ſpondet & reſpondet pro baptizato*, *quod ſatanæ*, *pompis ejus omnibuſque operibus abrenuntiabit*. 3. Denique *Suſceptor* nominatur; *quia de manu baptizantis baptizatum ſuſcipit in fidem*, *curamque ſuam*. Unde Religioſi ac Religioſæ, cum Superiorum ſuorum obedientiæ ſubjecti, & a rebus externis ſejuncti, ac proinde patrinorum officia explere nequeant, ad hoc munus non admittuntur; uti ab eo quoque excludi debent Infideles, Hæretici, Excommunicati denuntiati, ac peccatores publici & ſcandaloſi.

Tribus modis valide conferri poteſt baptiſmus. 1. immerſione 2. infuſione; & 3. aſperſione. Horum omnium antiquiſſimus, quique non modo in Latina, ſed etiam Orientis Eccleſia maxime viguit, fuit immerſio, ut docent Concilia, Patres Eccleſiæ, Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Græcorum Euchologium. Ritum hunc etiamnum obſervant Eccleſiæ quædam, uti Mediolanenſis; quod conſtat ex his Ambroſiani Ritualis terminis (*c*): *Interrogatus* (baptizandus) *ter mergitur in memoriam mortis & reſurrectionis Chriſti Domini*, *utque intelligat*, *ſe cum Chriſto conſepultum*, *reſurrecturum eſſe*. *Trina autem merſione ſignificatur triduana Domini ſepultura*. Tum ſubdit hoc Rituale: *Parochus infantem ſupinum*, *a patrino ſublatum*, *utraque manu excipit*; *& mergendo*, *ſi certo ſcit*, *illum non eſſe baptizatum*, *explicate profert*: N. ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen: *quæ verba proferantur*, *dum ter mergit*: *ſemel*, *dum ait*, N. ego te baptizo in nomine Patris; *iterum*, *dum ait*, & Filii: *tertio*, *dum dicit*: & Spiritus ſancti. Amen.

(*c*) Rit. Ambroſ. tit. de inſtruct. Baptiſm.

Quod ad aſperſionem pertinet, eam fuiſſe ab Apoſtolis uſurpatam valide conjicitur, qui una die 3000. & 5000 hominum baptizabant.

Hodiernus denique obtinet uſus, ut infuſione aquæ in caput infantis baptiſma conferatur.

Parochus, in Gallia, omnium in ſua Parœcia baptizatorum Codicem, cujus paginæ numeratæ per primam & ultimam a Judice Regio propria ſubſcriptionis nota ſunt inſignitæ, habere tenetur, ſimilemque poſt ſex hebdomadas cujuſque anni elapſi ſubſcriptum. & pro vero aſſertum tabulario Regii Judicis, in cujus juriſdictione ſita eſt ſua Eccleſia, ſuppeditare; conformiter ad Edictum an 1667. (*d*): quo etiam ſtatuitur, ut in eo fiat mentio de natali infantis, atque ut baptiſmi deſcriptæ formulæ ſubſcribat Parochus aut Vicarius baptizans, una cum patrino vel matrina, & etiam, ſi adſit, patre infantis.

(*d*) Edict. an. 1667. tit. 20.

CASUS PRIMUS.

OCTAVIANUS, puerum vicini ſui recens natum, & de vita periclitantem baptizaturus, limpidam non habens aquam, e luto expreſſam aquam adhibuit. Numquid validus eſt hic baptiſmus; & eſſet pariter, ſi aquam alteri liquori, ut juri carnium permixtam adhibuiſſet?

RESPONS.

Baptiſmum valide, in qualibet aqua, modo ſit naturalis, ſive fluviatili, fontana, marina, paluſtri &c. ſive e glacie aut nive expreſſa, ſive alteri aut liquori aut materiæ permixta, poteſt conferri; modo naturam aquæ ſervet, nec alterius materiæ nimia permixtione, aqua eſſe deſinat. Huc redit longa D. Thomæ ſic concludentis argumentatio (*e*): *Sic ergo dicendum eſt*, *quod in qualibet aqua*, *qualitercumque transmutata*, *dummodo non ſolvatur ſpecies aquæ*.

(*f*) S. Th. 3. part. Sum. q. 66. a. 4. in corp.

(a) Idem ibidem art. 2.

aquæ, poteſt fieri baptiſmus. Et paullo poſt (a): *Admixtio Chriſmatis non ſolvit ſpeciem aquæ; ſicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum hujuſmodi, niſi forte ſit facta tanta reſolutio corporum linaterum in aqua, quod liquor plus habeat de alienu ſubſtantia, quam de aqua; quod ex ſpiſſitudine perſpici poteſt. Si tamen ex liquore ſic inſpiſſato exprimatur aqua ſubtilis, poteſt in ea fieri baptiſmus, ſicut & in aqua quæ exprimitur ex luto, licet in luto baptiſmus fieri non poſſit*. Denique, idem de lixivia aſſerit S. Doctor (b): *Quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, ſed ſolum alterationem quamdam recipiunt ex hoc quod tranſeunt per aliqua corpora*. Hæc eſt ejus ratio. Ex quo ſequitur, validum eſſe Octaviano collatum baptiſmum; ſi fluens, ac ſpeciem ſuam retinebat aqua quam adhibuit. Quod dicendum de quacumque alia aqua naturali, quamvis permixta carnium decoctioni alteriuſve corporis, ex cujus mixtione naturam aquæ non amittat.

(b) Idem ib. ad 4.

CASUS II.

Metrodorus, recenter natum infantem ſuum, brevi moriturum, cum domui ſuæ mineralem tantum aquam vel lixiviam haberet, ea baptizavit. Numquid validus eſt baptiſmus?

RESPONS.

Duplex diſtinguenda eſt aqua mineralis; altera naturalis, artificialis altera. Certum eſt, a Metrodoro infantem ſuum baptizari potuiſſe aqua minerali naturali, quia elementaris aquæ formam & proprietates multas retinet. Hæc aquæ ſpecies; quod idem de lixivia dicendum; ut dicit S. Thomas (c): *In lixivio*, inquit, *& in aquis ſulphureorum balneorum poteſt fieri baptiſmus: quia tales aquæ non incorporantur per artem vel naturam aliquibus corporibus mixtis, ſed ſolum alterationem quamdam recipiunt, &c.* Aſt aqua mineralis artificialis eſt inſufficiens baptiſmi materia, qua ſi uſus eſt Metrodorus, invalidus eſt pro certo infantis ſui baptiſmus, ut docet S. Thomas (d), & in una Decretali ſtatuit Innocentius III. (e).

(c) S. Th. 3. part. q. 66. a. 4. ad 4.

(d) Idem ib. in cor. & ad 5.

CASUS III.

(e) Innoc. III. in Cap. *Non ut apponeres*. de bapt. & ejus effectu.

Mainfardus moribundum infantem baptizaturus, cum aquam tantum alteri liquori in magna quantitate permixtam inveniſſet, potuit ne dubiam illam abſque peccato adhibere materiam, cum foret incertum, quis alteri liquor prævaleret?

RESPONS.

Potuit, quia in caſu tam gravis neceſſitatis materia dubia licet uti, cum certa non ſuppetit. Ita ſentit doctus Theologus in ſuo Commentario in S. Thomam dicens (f): *Uti materia & forma dubia; cum poſſis habere certam & indubitatam, peccatum eſt mortale. Si autem non poſſis habere aliam; & neceſſitas aut ſalus proximi poſtulet miniſtrari Sacramentum; licet ea uti, quia*, inquit, *in dubiis eligi poteſt pars minus periculoſa: neque eſt ullum periculum irriſionis rerum divinarum, quandoquidem neceſſitas id poſtulet*. Attamen, ſi deinceps ſit aquæ puræ copia, infans denuo, ſi ſit ſuperſtes, foret ſub conditione baptizandus.

(f) Franc. Syl. in 3. part. S. Thom. q. 60. art. 8. quæſito 3. concluſ. 4.

CASUS IV.

Roganti Lucino, Parœciæ ſuæ domino, ut domi ſuæ natum ſibi infantem, vellet baptizare Parochus, donec in Eccleſia ſupplerentur cærimoniæ, ac nomen a Galliæ Mareſcallo, qui tum in Germania regiis præerat copiis, quique infantis patrinus erat futurus, acciperet; morem geſſit Parochus ille. Nonne propria auctoritate abſque peccato ita ſe gerere potuit?

RESPONS.

Parochus ille, abſque gravi peccato infantem in domo illius domini baptizare non potuit, niſi præſens ſubeſſet mortis periculum. Hæc eſt enim Eccleſiæ regula, ut baptiſmus extra caſum urgentis neceſſitatis, non niſi in Eccleſia conferatur; exceptis tantum Regum vel Principum liberis, ut a Clemente V. in Concilio œcumenico Viennenſi an. 1311. conſtitutum eſt. *Præſenti prohibemus Decreto*, inquit hic Papa (g), *ne quis de cetero in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ad hoc fontes ſpecialiter ſunt deputati, aliquos (niſi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint; aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur, quod alii tentare ſimilia non præſumant*. Conſtitutionem hanc in Synodis ſuis acceptarunt Epiſcopi, aut Statutis ſuis (h); & a quibuſdam etiam lata eſt in tranſgreſſores excommunicationis pœna, *ipſo facto* (i).

(g) Clem. V. in Clem. unica de Bapt. & ejus effectu.

(h) Synod. Mechliniens. an. 1607. cit. 3. Synod. Atrebas. cap. 5. de bapt. Conc. Narbon. an. 1609. cap. 24. de Bapt. Sacram.

Novam etiam huic rei probationem addit Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum, in quo ſic habetur: *In privatis locis nemo baptizari debet, niſi forte ſint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipſis depoſcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, ſeu Oratoriis et in aqua baptiſmali de more benedicta*.

(i) Statut. antiq. Cameracenſia tit. 2. Ex Manual. Paſtorum ejuſdem Diœceſis.

Deciſionem hanc aſſerunt Sylvius (k) & quatuordecim quos laudat, auctores, ſeu Theologi ſeu Canoniſtæ, quorum Sotus & Navarra (l), tam juſtæ Legis tranſgreſſionem lethalem eſſe contendunt, quibus ipſe aſſentitur, etiam addendo: *Quoniam vero Clementina prædicta eſt de re magni momenti, & ſtrictum continet præceptum; ideo ipſius tranſgreſſionem eſſe mortalem, etiam ex ſententia illorum, qui id non aperte exprimunt, omnino eſt exiſtimandum*.

(k) Sylvius reſolut. var. v. *Baptiſmus*. 4.

(l) Dom. Sot. in 4. diſt. 4. a. 3. Navar. Man. c. 22. n. 7.

Graviter igitur peccavit is de quo agitur Parochus, Eccleſiaſticum propria auctoritate, nimiaque in Parœciæ ſuæ dominum indulgentia, præceptum infringens, non obtenta Epiſcopi ſui licentia, atque contemtu, ſaltem tacito, baptiſmatis cærimonias contra expreſſum Tridentini Concilii Statutum omittens (m).

(m) Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 13.

Juvat heic obſervare, vocem hanc, *Principes*, intelligi tantum de ſupremis Principibus, non vero de iis, qui cum Principum dignitate floreant, ſubditi ſunt tamen Regis, aut alterius ſupremi Principis, ut poſt Gloſſam, alioſque auctores obſervat mox laudatus Theologus.

CASUS V.

Numquid peccavit Epiphanius, ſancti Joſephi Parochus, qui cum baptiſmalem aquam pro reliquo anno non ſatis eſſe ad finem Septembris advertiſſet, communem aquam propria auctoritate ſuperinfudit in ſupplementum?

RESPONS.

In caſu propoſito non peccavit ille Parochus; immo ſancti Caroli Borromæi conſilium hac in re ſecutus eſt (n): dicit enim, quod, ſi advertit Parochus, aquam baptiſmalem in fonte baptiſmatis deficere, aut præ temporis diuturnitate corrumpi, in Metropolitanam, aut Parochianam vicinam perget Eccleſiam: *unde*, inquit ſanctus Cardinalis, *proprio vaſculo nitido aquam baptiſmalem accipiat, in Parochialemque Eccleſiam ſecreto ferat; ubi, quam primum in fontem effundet, baptiſmalique aqua allata tantum etiam aquæ puræ, nitidæ & recentis addet, quantum ſatis erit: Hoc ipſum quoque præſtabit, ſi etiam aqua baptiſmalis per annum aliquo modo defecerit*: obſervans nihilominus, quod aqua communis addita baptiſmali, *longe paucior ſit*, ut alibi dicit.

(n) Act. Eccleſ. Mediolan. part 4. de Bapt. adminiſtr. to. 1. pag. 412.

CASUS VI.

Gerardus, ſancti Mamerti Parochus, cum tempore Paſchatis advertiſſet, ſufficientem ſibi ſupereſſe Chriſmatis & Olei ſacri copiam, non alia ab Epiſcopo recens conſecrata requiſivit, ſed veteribus per inſequentem annum in collatione baptiſmi uſus eſt. Numquid ita ſe gerere potuit abſque peccato?

RESPONS.

Parochus ille ex hac ſua negligentia grave commiſit peccatum, cum in re permagni momenti Eccleſiæ regulas violaverit. Nam, quod ad Chriſma pertinet, neceſſe eſt, ut vetere combuſto, recens ab Epiſcopo conſecratum Feria quinta in Cœna Domini adhibeatur, ut ſtatuit Canon antiquus, quem Fabiano adſcribit Gratianus: in quo ſummus hic Pontifex, qui ineunte ſæculo tertio

vi-

vivebat, ea de re ſic loquitur in ſua ſecunda ad Epiſcopos Orientis Epiſtola (a): *Litteris veſtris inter cetera inſertum invenimus, quoſdam regionis veſtræ Epiſcopos a veſtro noſtroque ordine diſcrepare, & non per ſingulos annos in Cœna Domini Chriſma conficere..... errant vero, qui talia excogitant, & mente veſana potius quam recta ſentientes hæc audent...... Sancti Chriſmatis confectio per annos ſingulos eſt agenda, & de anno in annum revocanda & fidelibus tradenda: quia novum Sacramentum eſt per ſingulos annos, & jam dicto die innovandum, & vetus in ſanctis Eccleſiis cremandum.* Tum ſubdit: *Ita a ſanctis Apoſtolis & ſucceſſoribus eorum accepimus & vobis tenenda mandamus.* Nec minus Oleum ſanctum eſt renovandum quolibet anno; licet enim de eo nulla fiat in jure expreſſa mentio; ſufficit, ut id ab Epiſcopo præcipiatur in Rituali, quod jus continet, ad quod ſub peccato tenetur quilibet Parochus.

CASUS VII.

Vvalericus, Agricola, infantem quem modo ſibi peperit uxor ſua, ad extrema redactum baptizavit; ipſum in aqua immergens, & hæc ſola verba proferens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Numquid validus eſt hujuſce infantis baptiſmus? aut etiam validus eſſet, ſi Vvalericus dixiſſet; *Ego te baptizo in nomine ſanctæ Trinitatis*, vel *in nomine Jeſu Chriſti*.

Respons.

Ad primam difficultatem reſpondemus, infantem non valide fuiſſe baptizatum. Nam ad eſſentiam formæ baptiſmi pertinet, ut baptizantis actio ac baptizati perſona exprimatur dicendo: *Ego te baptizo*, ut docet S. Thomas his verbis (b): *De ſubtractione, hoc certum eſt, quod ſi ſubtrahatur aliquod, quod ſit de ſubſtantia formæ, non eſt baptiſmus..... ſed quidam dicunt, quod expreſſio actus non eſt de ſubſtantia formæ: unde, ſi ſubtrahatur, facta ſola Trinitatis invocatione, erit baptiſmus. Sed contra hoc eſt Decretalis Alexandri Papæ III. (c), qui dicit, quod, ſi quis puerum in aqua ter merſerit, dicendo:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; *ſi non dicat:* Ego te baptizo; *talis immerſio non facit baptiſma. Oportet enim, quod per formam virtus Trinitatis invocatæ ad materiam propoſitam determinetur; quod fit in expreſſione actus. Similiter etiam expreſſio perſonæ baptizatæ eſt de ſubſtantia formæ: quia per eam determinatur actus ad hunc baptiſmum: & ideo, ſi ſubtrahatur, non erit baptiſmus.*

Idem dicendum, ſi puerum ſuum baptizaſſet Vvalericus, dicens: *Ego te baptizo in nomine ſanctæ Trinitatis.* Nam certum eſt expreſſam trium perſonarum invocationem eſſe eſſentialem baptiſmi formæ, quam Chriſtus ipſe Apoſtolis ſuis præſcribere dignatus eſt his verbis (d): *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Unde colligendum hanc aliam formam: *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti*, non ſufficere ad validitatem baptiſmi.

Attamen ultro concedimus, non unam fuiſſe antiquorum ſententiam de validitate aut invaliditate hujus formæ: *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti.* Multi namque eam ad validitatem baptiſmi ſufficere contenderunt, inter quos præcipuus eſt S. Ambroſius (e), cujus auctoritate motus Nicolaus Primus ad eamdem opinionem adductus eſt, ut patet ex hac ſua ad Bulgaros an. 866. facta reſponſione (f). *A quodam Judæo, neſcitis utrum Chriſtiano, an Pagano: multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de iis ſit agendum, conſulitis. Hi profecto, ſi in ſanctæ Trinitatis, vel tantum in Chriſti nomine, ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt (unum quippe idemque eſt, ut ſanctus exponit Ambroſius) conſtat eos non eſſe denuo baptizandos.* Eamdem ſententiam amplectitur Nemauſenſe Concilium (g): nam præſcripta ſolita forma, qua SS. Trinitatis ſingulæ perſonæ exprimuntur, ſubdit poſtea: *Idem dicimus, ſcilicet infantem baptizatum eſſe, ſi baptizans dixit:* Baptizo te in nomine Chriſti.

(a) Fabianus in Can. *Litteris*. 10. de conſecrat. diſt. 3.

(b) S. Thom. in 4. diſt. 3. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 3. in corp.

(c) Alex. III. in Cap. Si quis. de bapt. & ejus effectu. l. 3. tit. 42.

(d) Matth. 28. 29.

(e) S. Amb. l. 1. de Spiritu ſancto. cap. 3. ſeu n. 42.

(f) Nicol. I. in Can. *A quodam*. 24. de Conſecrat. diſt. 4.

(g) Conc. Nemauſenſ. an. 1284. tit. de Bapt.

Eamdem quoque opinionem ſequitur S. Bernardus (h), ac pro ſe, uti Nicolaus Primus, decimum laudat Actuum Apoſtolorum caput, quod eodem ſenſu explicat Venerabilis Beda. Idem quoque ſcripſit Petrus Lombardus (i).

Præcipui quidem momenti videntur eſſe allatæ auctoritates; iis tamen non obſtantibus, contrarium docent communiter Theologi, qui nituntur auctoritatibus 1. S. Cypriani (k), qui collatum ſub hac forma baptiſmum irritum eſſe contendit. 2. Quadrageſimi octavi & quadrageſimi noni Canonis, inter eos, qui *Apoſtolici* dicuntur, qui baptiſmum collatum *in mortem Chriſti* improbantes, tres in forma hujuſce Sacramenti perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis ex profeſſo enuntiari volunt. 3. Sanctorum Baſilii, & Leonis (l). 4. Didymi, & S. Gregorii Papæ (m). 5. Iſidori, cognomine Mercatoris, qui dicit (n): *Proinde, ſi omiſſa qualibet Trinitatis perſona baptiſma detur: manifeſte in regenerationis aqua nil agitur, niſi tota Trinitas invocetur.* 6. S. Fulgentii (o). 7. S. Auguſtini (p). 8. S. Joannis Damaſceni, qui dicit (q): *Qui in ſanctam Trinitatem minime baptizati ſunt, hi denuo baptizentur neceſſe eſt.* 9. Hanc etiam Pelagii Papæ ad Gaudentium Epiſcopum ſcribentis relatam in Canone deciſionem in medium adducunt (r): *Si re vera hi de hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vicinis commorari dicuntur, ſolummodo ſe in nomine Domini baptizatos fuiſſe forſitan confitentur, ſine cujuſquam dubitationis ambiguo, eos ad Catholicam fidem venientes in ſanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Et in alio Canone (ſ), in quo Baptiſmum *in nomine ſolummodo Chriſti* collatum improbat; eumque tantum verum admittit, qui in nomine ſanctæ Trinitatis, eo quo Chriſtus ipſe apud Matthæum præſcripſit, modo, id eſt, tres perſonas exprimendo confertur. 10. Nituntur quoque hac alia deciſione Zachariæ Papæ (t), qui Anglicanum Concilium relatum, in quo ſoluta fuerat hujuſmodi ſolemnis quæſtio, approbat, ejuſque Decretum his verbis confirmat. *Quod omnino verum eſt, quia ſi lotus in Fonte baptiſmati quis fuerit ſine invocatione Trinitatis, perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti fuerit baptizatus. Hoc quoque obſervari in prædicta ſynodo Sacerdotes voluerunt, ut qui vel unam de Trinitate perſonam in baptiſmo non nominaret; illud baptiſma eſſe verum non poſſe: quod pro certo verum eſt.* 11. Auctoritate S. Thomæ, (u) qui expreſſe docet, abſque explicita trium perſonarum mentione invalidum eſſe baptiſma. *Unde non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti*, inquit Angelicus Doctor, *niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur.* 12. Auctoritate S. Bonaventuræ (x) aliorumque celeberrimorum Theologorum, qui in eo cum antiqua Eccleſiæ conſentiunt doctrina, quam docuere Patres modo laudati. Ipſe quoque Tertullianus his verbis (y): *Lex tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta:* Ite, *inquit*, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: & S. Cyprianus iſtis adeo expreſſis (z): *Ubi poſt reſurrectionem a Domino Apoſtoli ad gentes mittuntur; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus* (ſancti) *baptizari Gentiles jubentur: Quomodo ergo quidam dicunt foras extra Eccleſiam, immo contra Eccleſiam, modo in nomine Jeſu Chriſti ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi, quando ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Idem docet S. Hilarius, ceterique Patres. Hanc itaque ſententiam amplecti debemus non modo ut certiorem & præcipua auctoritate pollentem, ſed etiam ut tutiorem, quæ videlicet cum verbis Chriſti in ultimo Matthæi capite prolatis, & præſcriptis apprime conſentit.

Quod ad appoſitas auctoritates attinet, non abs re erit, aliquid de iis dicere, atque ut a potiori quæ ceteris fundamentum præbet, quæque a quibuſdam Actuum Apoſtolorum locis ducitur, in quibus aſſeritur, baptiſmum conferri *in nomine Chriſti*, initium ſumamus; Reſpondendum, per hæc verba Sacramenti formam non deſignari, ſed ſolum diſcrimen inter baptiſmum Jeſu Chriſti, & baptiſmum Joannis Baptiſtæ; ita ut, cum quidam affirmantur baptizati

in

(h) S. Bern. Epiſt. 403.

(i) Magiſter ſent. l. 4. diſt. 3.

(k) S. Cypr. cit. Epiſt. 73.

(l) S. Baſil. l. de Spiritu ſancto. c. 12. in fine. S. Leo Epiſt. 4. c. 3.

(m) Didymus l. 2. de Spiritu ſancto. S. Greg. l. 9. Epiſt. 61.

(n) Iſidorus. l. 2. de Eccleſiaſt. officiis. c. 24.

(o) S. Fulg. l. de Incar. c. 11.

(p) S. Aug. lib. 3. de Baptiſm. c. 15. ſeu n. 25. Et in Can. *Sanctum*. 36. de Conſecrat. diſt. 4.

(q) S. Joan. Damaſc. l. 4. de fide. c. 10.

(r) Pelagius in Can. *Si re vera*. 30. de Conſecrat. diſt. 4.

(ſ) Idem in Can. *Multi*. 82. ibidem.

(t) Zacharias in Can. *In Synodo*. 83. ib.

(u) S. Th. 3. part. 3. ſum. Theol. q. 68. a. 6. in corp.

(x) S. Bonav. in 4. diſt. 3. part. 1. art. 2. q. 2.

(y) Tertull. l. de Bapt. c. 13.

(z) Cypr. Epiſt. 73.

Digitized by Google

in nomine Chriſti, hoc ſignificet, eos baptiſmo *a* Chriſto inſtituto, non vero a S. Joanne, fuiſſe initiatos. Quæ quidem explicatio obvia eſt, & ſimplici 19. Capitis Actuum Apoſtolorum lectione fit manifeſta. Ibi namque legimus, quod, cum Epheſum veniſſet Paullus, & quoſdam inveniſſet Chriſti Diſcipulos, & quos proinde baptizatos exiſtimabat, ab iis petiit, num Spiritum ſanctum accepiſſent, hoc eſt, Sacramentum Confirmationis, quo fidelibus datur Spiritus ſanctus; cui reſponderunt: *Neque, ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus*: quod reſponſum miratus Apoſtolus retulit: *In quo ergo baptizati eſtis?* quaſi dicere voluiſſet; ſi Chriſti baptiſmate baptizati eſſetis, utique audiſſetis, *ſi Spiritus ſanctus eſt*; quia in Chriſti baptiſmo nominatur: tumque reſponderunt, ſe baptizatos fuiſſe *in Joannis baptiſmate*: ſubditque poſtea Auctor ſacer: *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu*; hoc eſt: Paullo non fuit ſatis, ut S. Joannis baptiſmate fuiſſent loti, niſi & baptiſmate Chriſti initiarentur, quod utique modo tantum ſibi *a* Chriſto ante Aſcenſionem ſuam ſibi præſcripto conferebant Apoſtoli; hoc eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Expoſitionis hujus vindex eſt Cyprianus, qui iſta ſecundi capitis ejuſdem libri Actuum verba explicans, *baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu*, ait (*a*): *Jeſu Chriſti mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque filius adjungeretur*. Quocirca ex S. Paullo, in collatione baptiſmi invocabatur Spiritus ſanctus; & ex S. Cypriano, fiebat mentio de Patre non minus, quam de Filio; atque adeo jam tum expreſſe invocabantur tres Perſonæ divinæ, ut notat ex profeſſo Tertullianus his verbis (*b*): *Tingentes eos (gentes) in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*.

(*a*) S. Cyprian. cit. Epiſt. 73.

(*b*) Tertull. l. de Bapt. c. 13.

Argumentationem hanc ducit S. Joannes Damaſcenus, qui eam ex textu Capitis ultimi Evangelii ſecundum Matthæum confirmat, in quo Chriſtus Apoſtolis ſuis imperat baptizare, *in nomine Patris* &c. quæque reſponſio S. Thomæ procul dubio eſt anteponenda, cum ait (*c*), veriſimile eſſe, Apoſtolos his verbis in collatione baptiſmi uſos fuiſſe, *in nomine Domini Jeſu*, ex ſpeciali quadam revelatione, ut Jeſu Chriſti nomen, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, majori veneratione dignum efficerent. Ut quid enim ſupponeretur hujuſmodi revelatio omnino adverſa mandatis apertis Domini?

(*c*) S. Th. 3. part. q. 66. a. 6. ad 1.

Quod ad S. Ambroſium pertinet, ultro fatemur, ipſum obſcuris terminis mentem ſuam aperire; at juvat obſervare, dicta ejus in loco ſuperius laudato duci ex capite 12. libri de Spiritu ſancto, quem jam compoſuerat S. Baſilius: atqui in eodem capite pro explicita trium Perſonarum SS. Trinitatis invocatione ſtat Baſilius, ut indicant hæc ipſius verba: *Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Unde ſequitur, S. Ambroſium eſſe exponendum, ut ſecundi Capitis Actuum verba explicat S. Cyprianus.

Auctoritas Nicolai I. quæ opponitur, habenda eſt, ut opinio Doctoris privati, non ut deciſio ſummi Pontificis: ratio eſt aperta; neque enim ab eo requirebant Bulgari, utrum idem eſſet baptiſma collatum in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, atque collatum tantummodo in nomine Chriſti, ſed de eo ſolum illum conſulebant, validuſne eſſet baptiſmus *a* Judæo quodam cujus incerta erat religio, collatus. Proprio itaque ingenio reſpondet hic Papa iis de quibus non interrogabatur, ac ſententiam ſuam ut privatus Doctor proponit de re non petita: quare quod addit de ſuo, non haberi poteſt formalis deciſio, nec proinde æqualis poteſt eſſe auctoritatis, ac deciſiones contrariæ Pelagii atque Zachariæ, qui præciſe ad requiſitas difficultates reſpondent.

Auctoritati vero Venerabilis Bedæ, cum propria S. Ambroſii verba referat, reſpondemus 1. uti jam ejuſdem S. Doctoris teſtimonium fuit expoſitum. 2. Hunc auctorem alibi tam manifeſte mentem ſuam aperire (*d*), ut dubium eſſe nequeat, eum cum antiqua Traditione conſentire hac in re. Sic enim loquitur: *Si quis baptizans, dicit: Ego te baptizo in Chriſto Jeſu; & non dicat: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſicut Dominus inſtituit, non eſt verus baptiſmus*. Concilium quidem Nemauſenſe allatis modo terminis utitur, Sed 1. privata eſt Synodus a Bertrando Nemauſi Epiſcopo habita. 2. Agnoſcit hæc Synodus formam ab Eccleſia uſurpari ſolitam eam eſſe, in qua fit expreſſio manifeſta cujuslibet Perſonæ ſanctæ Trinitatis: ac prohibet, ne alia, in qua fit tantum mentio de Chriſti nomina, laicis manifeſtetur, ne ea in collatione baptiſmi utantur, *Quod tamen non eſt laicis exprimendum, ne a forma prædicta, ſtatuta per Eccleſiam, recedatur*. Illa igitur Synodus, ut opinionem tantum habuit quorumdam ſenſum, qui tum exiſtimabant, ſufficere baptiſmum *in nomine Chriſti* collatum.

(*d*) V. Beda lib. var. qq. q. 14.

Nec etiam obſtat S. Bernardi auctoritas; nam dici poteſt 1. Ad eum vix pertinere allatam Epiſtolam, utpote Traditioni contrariam. 2. Poſito etiam, quod ea ſit ejus opus, ipſius opinionem non magis eſſe admittendam, quam illam, qua contendit, validum fore baptiſmum collatum *in nomine ſanctæ ac veræ Crucis*; quod a nullo umquam Patre, vel Theologo propoſitum eſt. Utramque igitur opinionem in medium protulit hic Sanctus ob nimium pietatis affectum in Chriſti nomen ac ſacrum Paſſionis ipſius inſtrumentum, nec non fiduciam in infinita ipſius merita: qua ratione etiam ductus Cajetanus ſcripſit, non damnari infantes ſine baptiſmo morientes, ſed e miſericordia divina eorum ſalutem eſſe ſperandam: quod tamen adverſatur doctrinæ S. Auguſtini, S. Fulgentii (*e*) aliorumque ſanctorum Patrum, & etiam Eccleſiæ fidei. Unde hunc locum e ſcriptis hujuſce Cardinalis deleri juſſit S. Pius V. Pontifex Max. quaſi opinionem erroneam contineret.

(*e*) S. Aug. in Can. *Firmiſſime*. 3. de conſecrat. diſt. 4.

CASUS VIII.

Oldradius, adoleſcens, Grammaticæ dans operam, fratrem ſuum modo natum & moribundum baptizaturus, hæc verba adhibuit: *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: opportunius dictum exiſtimans, quam *in nomine*. Quæritur, utrum baptiſmus ille ſub hac forma collatus ſit validus, cum aliunde nihil deſit?

Respons.

Baptiſmus ille eſt irritus: quia mutatio vocis *in nominibus*, loco *in nomine*, eſt eſſentialis, quod ſenſum verborum Sacramenti penitus deſtruat, cum vox illa *in nominibus* non eſſentiæ unitatem in tribus Perſonis ſignificet, cujus tamen expreſſio ad validitatem baptiſmi non minus eſt neceſſaria, quam trium perſonarum S. Trinitatis invocatio; ut docet S. Hieronymus, in Canone Decreti Gratiani his verbis relatus (*f*): *Non baptizamur in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; ſed in uno nomine, quod intelligitur Deus*. Idem ſentit S. Auguſtinus, eamdemque affert rationem (*g*), *in nomine*, inquit, *non in nominibus. Hi enim tres unum ſunt; & hi tres unus eſt Deus*. Eamdem doctrinam ſequitur S. Thomas his verbis (*h*): *Etſi ſint tria nomina perſonalia trium perſonarum, eſt tamen nomen unum eſſentiale. Virtus autem divina, quæ operatur in baptiſmo, ad eſſentiam pertinet, & ideo dicitur*: in nomine, *& non* in nominibus.

(*f*) S. Hieron. in Epiſt. ad Galat. l. 2. c. 4. in Can. *Eadem*. 1. de conſecr. diſt. 4.

(*g*) S. Aug. l. 2. contra Maximinum. c. 23.

(*h*) S. Th. 3. part. Sum. 66. art. 5. ad 6.

CASUS IX.

Marsilius, infantem baptizans, ex ignorantia formæ verba, & quidem quoad ſubſtantiam, immutavit; nonne in eo mortaliter peccavit?

Respons.

Diſtinctione opus eſt: nam ſi Marſilius ſit Clericus, & Miniſter ordinarius, vel delegatus Sacramenti baptiſmatis, eum a lethali culpa excuſare non poteſt ejus ignorantia; cum cenſeri debeat voluntaria, ex principio S. Thomæ (*i*) qui dicit: *Quod dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis poteſt ſcire, & debet*. Miniſter autem ordinarius ali-

(*i*) S. Th. 2. 2. q. 6. a. 8. in corp.

Digitized by Google

cujus Sacramenti formam modumque illud adminiſtrandi, utique ſcire tenetur; igitur, cum ejus ignorantia ſit voluntaria, eum coram Deo a culpa excuſare nequit, & quidem mortali ob gravitatem materiæ, quandoquidem de validitate aut invaliditate Sacramenti ad ſalutem omnino neceſſarii agatur. Si vero Marſilius ſit laicus, a mortali excuſatur ob ſuam ignorantiam, niſi ex profeſſione ſua modum conferendi baptiſmi, ut chirurgus vel obſtetrix, ſcire teneatur. *Sæcularis autem in neceſſitate baptizans*, inquit Sylvius (a), *& ex ignorantia formam corrumpens, etiam ſubſtantialiter, excuſari poteſt, ſaltem a mortali; ſi tamen non eſt obſtetrix. Hæc enim non debet admitti ad illud officium, niſi bene inſtructa, ut eſt in Synodo Provinciali Cameracenſi tit. 6. & ſi admiſſa fuerit, obligata eſt ſcire formam baptiſmi; ipſiuſque Parochus tenetur curare, ut ipſa non ſolum formam, ſed etiam rectum baptizandi ritum probe teneat & ſervet.*

(a) Sylvius in 3. p. Sum S. Th. q. 8. quæſito 3. concluſ. 2.

CASUS X.

Clotildes, ruſtica obſtetrix, de forma baptiſmi male inſtructa, infantem baptizavit, ex ignorantia dicens, *in nomine Matris*, pro *in nomine Patris &c.* Numquid validus eſt hic baptiſmus?

RESPONS.

Irritus eſt hic baptiſmus ex S. Thoma (b): *quia ſi tanta ſit corruptio*, inquit Angelicus Doctor, *quæ omnino auferat ſenſum locutionis; non videtur perfici Sacramentum: & hoc præcipue contingit, quando ſit corruptio ex parte principii dictionis: puta, ſi loco ejus, quod eſt*, in nomine Patris, *dicat*: in nomine Matris.... *quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat ſignificationem.*

(b) S. Th. 3. part q. 60. art. 7. ad 3.

CASUS XI.

Maxentius, homo rudis & inſcius, infantem in mortis periculo conſtitutum baptizavit dicens. *Ego te baptizo, in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta*: veram exiſtimans ſe formam proferre. Numquid validus eſt hic baptiſmus?

RESPONS.

Priuſquam propoſitæ quæſtioni fiat ſatis, ſupponenda eſt iſta quam docet S. Thomas (c), certa regula; verba nimirum, in quibus poſita eſt forma Sacramenti, operari prout ſignificant; omnemque in iis factam mutationem eſſe eſſentialem, ſi ex ea alius fiat eorum ſenſus, quam ex Chriſti inſtitutione debent habere; tumque Sacramentum eſt invalidum: quod quidem fieri poteſt: 1. Additione vocis quæ catholicum ſenſum deſtruat, ut ſi quis diceret: *in nomine Patris majoris*. 2. Omiſſione vocis eſſentialis, qualis eſt, *Patris*. 3. Immutatione vocis pariter eſſentialis, ut *Matris*, pro *Patris*. 4. Tranſpoſitione tanta verborum, ut eumdem præ ſe jam ſenſum non referat; ut ſi quis diceret: *Nomine in te Patris, & ego, &c.* En verba Doctoris Angelici: *Cum enim verba operentur in Sacramentis, quantum ad ſenſum quem faciunt ..... oportet conſiderare, utrum per talem mutationem tollatur debitus ſenſus verborum: quia ſi ſic; manifeſtum eſt, quod tollitur veritas Sacramenti. Manifeſtum eſt autem, quod ſi diminuatur aliquid eorum, quæ ſunt de ſubſtantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum: & ideo non perficitur Sacramentum.*

(c) S. Th. 3. p. q. 60. art. 8. in corp.

Quod tamen hactenus poſt S. Thomam diximus, de mutatione eſſentiali, non ita intelligendum, ut ſi fiat quædam verborum alteratio, qua non idem omnino remaneat ſenſus, invalidum ſit ſemper Sacramentum; ſed de ea judicandum moraliter, & ſecundum communem hominum exiſtimationem, inquit Bellarminus (d); ſic, ut non obſtante verborum alteratione, eumdem remanere ſenſum judicetur; atque adeo validum eſſe Sacramentum, cum obvius eſt auditoribus proprius eorum ſenſus, quamquam a proferente, vel per ignorantiam, vel per inadvertentiam fuerint aliquo modo vitiata: *Atque de eo judicandum eſt*, ait inclytus hujus temporis Theologus (e), *ex modo quo proferuntur verba iſta in talibus circumſtantiis, ad faciendam talem actionem, atque ex eorum connexione cum aliis formæ Sacramentalis verbis; v. g. cum iſtis prioribus*: Ego te baptizo, in nomine..... Quibus addimus hanc reſtrictionem in finali tantum verborum mutatione locum habere, *quia variatio dictionis ex parte principii mutat ſignificationem*; ex D. Thoma in ſuperiori reſponſione laudata, & ex S. Antonino, a quo pariter laudatur (f); ac verum omnino ſenſum eorum perimit.

(d) Bellarm. l. 1. de Sacram. in gen. c. 21.

(e) Franc. de Genet. Theol. Mor. tom. 3. Traité 1. Chap. 5. n. 4. & 5.

(f) S. Anton. 3. part. tit. 14. c. 13. §. 3.

His ita præſuppoſitis, reſpondemus collatum a Maxentio baptiſmum eſſe validum, ut ſimilem caſui propoſito ſolvit quæſtionem Zacharias a S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino conſultus (g); *Retulerunt*, ait hic ſummus Pontifex, *nuntii tui, quod fuerit in eodem Provincia Sacerdos: qui latinam linguam penitus ignorabat; & dum baptizaret neſciens latini eloquii, infringens linguam diceret*, baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta; *ac per hoc tua reverenda Fraternitas conſideravit eos rebaptizare....* Quod factum ſic diſſolvit hic Papa: *Sed, ſanctiſſime Frater, ſi ille qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæreſim; ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, ut ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet; non poſſumus conſentire, ut denuo baptizetur.* Idem docet S. Thomas, cujus hanc affert rationem (h): *Si autem non totaliter auferatur ſenſus locutionis*, inquit hic ſanctus, *per hujuſmodi corruptelam; nihilominus perficitur Sacramentum. Ex hoc præcipue contingit, quando ſit corruptio ex parte finis: puta, ſi aliquis dicat*: In nomine Patrias, & Filias. *Quamvis enim hujuſmodi verba, corrupte prolata, nihil ſignificent ex parte impoſitionis, accipiuntur tamen, ut ſignificantia ex accommodatione uſus; & ideo licet mutetur ſonus ſenſibilis, remanet tamen idem ſenſus.* Atque ut oſtendat, finali verborum mutatione, non idem, quoad verum ſenſum, atque initiali effici, ſubjungit: *Quod autem dictum eſt de differentia corruptionis circa principium vel finem dictionis, rationem habet, quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat ſignificationem: variatio autem ex parte finis ut plurimum, non mutat ſignificationem, quæ tamen apud Græcos variat etiam ſecundum principium dictionis in declinationibus verborum.*

(g) Zacharias in Can. Retulerunt. 86. de Conſec. Diſt. 4.

(h) S. Th. 3. part. Sum. q. 60. art. 7. ad 3.

De eadem agens quæſtione Bellarminus, S. Thomæ aſſentitur; *non enim ait*, ut loquitur doctus hic Cardinalis: in nomine Patriæ, & Filiæ; *quod ratio Grammaticæ exigebat, ſi is de induſtria formam mutare voluiſſet*; Sed in nomine Patria, & Filia; *quæ cum ex ſe nihil ſignificent, ſignum eſt illum voluiſſe dicere, quod alii dicunt, cum ajunt*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Obſervandum nihilominus, idem dici non poſſe de eo, qui baptizans ea mente formæ verba immutaret, ut novum in Eccleſiam errorem induceret; quem caſum in deciſione ſua expreſſe deſignat Zacharias Papa, & cujus exceptionis hanc rationem affert S. Thomas (i): quia *intentio* (Miniſtri) *requiritur ad Sacramentum..... Et ideo, ſi intendat per hujuſmodi additionem, vel diminutionem, alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici Sacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Eccleſia.*

(i) Idem. cit. loco ad 2 in corp.

CASUS XII.

Infanti modo nato, & moribundo aquam infudit homo præſens, & formæ baptiſmi neſcius, cujus verba protulit obſtetrix. Nonne validus eſt hic baptiſmus?

RESPONS.

Baptiſmus ille pro certo eſt invalidus, Obſtetrix namque formam proferens ſignificavit ſe baptizare contra veritatem; quandoquidem aquam, ſine qua verus eſſe non poteſt baptiſmus, non effundebat: pariter homo, qui ſolam effudit aquam, non contulit Sacramentum, quod conferri non poteſt, niſi formam proferendo, ſimulque materiam applicando; juxta illud S. Auguſtini (K): *Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua?*

(K) S. Aug. in Can. Detrahe. 54. 2. q. 1.

Acce-

Digitized by Google

Accedit verbam ad elementum, & fit Sacramentum. Eandem doctrinam ſequitur S. Thomas *(a)*. *Integritas baptiſmi cnſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ*, inquit S. Doctor; *Et ideo neque ille qui tantum verba profert, baptizat, neque ille qui immergit: & ideo, ſi unus verba proferat, & alius immergat; nulla forma verboram poterit eſſe conveniens: neque enim poterit dici*; Ego te baptizo: *cum ipſe non immergat, & per conſequens non baptizet: neque etiam poterit dici:* Nos te baptizamus; *cum neuter baptizet*. Iſtam quoque difficultatem ita ſolvit S. Antoninus *(b)*, S. Thomæ *(c)*, S. Raymundi & Hoſtienſis teſtimonia allegans: quibus addit invaliditatem ordinationis, quæ ita fieret ab Epiſcopo & Sacerdote; ut Epiſcopus munus tantum imponeret, & Sacerdos formam proferret *(d)*.

(a) S. Th. cit. 3. part. q. 67. a. 6. ad 3.

(b) S. Anton. 3. part. Sum. tit. 14. c. 13. §. 7.

(c) S. Th. in 4. diſt. 6. q. 2. a. 1. quæſt. 2.

CASUS XIII.

Jostinus & Andreas ambo infantem modo natum & moribundum baptizarunt, ſeorſim proferendo verba formæ, ſimulque aquam infundendo. An validus eſt hic baptiſmus?

(d) Conc. Tolet. in Can. *Quorumdam*. 14. diſt. 13.

Respons.

Difficultati huic reſpondet S. Thomas *(e)* dicens, ab eo ſolo conferri baptiſmum, qui primus verba protulit & aquam infudit: quo cognito alter ab actione ſua deſiſtere debet. Si vero uterque ſimul & eodem tempore & verba proferret, & materiam miniſtraret, validum pariter foret Baptiſmum. En verba doctoris Angelici: „ Si vero uterque diceret: *Ego te baptizo &c.* uterque exprimeret ſuam intentionem: quaſi ipſe ſingulariter „ baptiſmum conſerret: quod poſſet contingere in „ eo caſu, in quo contentioſe aliquem baptizare co„ naretur; & tunc manifeſtum eſt, quod ille „ qui prius verba proferret, daret baptiſmi Sacra„ mentum; alius vero, quantumcumque jus bapti„ zandi haberet, nihil faceret: &, ſi verba pro„ nuntiare præſumeret, eſſet puniendus tamquam „ rebaptizator. Si autem omnino ſimul ambo ver„ ba proferrent, & hominem immergerent, aut aſ„ pergerent; eſſent puniendi de inordinato modo „ baptizandi, & non de iteratione baptiſmi; quia „ uterque intenderet non baptizatum baptizare; & „ uterque, quantum eſt in ſe, baptizaret; nec tra„ derent aliud & aliud Sacramentum; ſed Chri„ ſtus, qui eſt unus interius baptizans, unum Sa„ cramentum per utrumque conferret.

(e) S. Th. 3. part. Sum. q. 67. art. 6. in corp.

CASUS XIV.

Ranulphus infantem de vita periclitantem baptizavit, ſtatim aquam in ejus caput infundens, tum immediate poſt formæ verba proferens. Quæritur utrum validus ſit hic baptiſmus, nec a Parocho, ſaltem ſub conditione, ſit iterandus?

Respons.

Auctor Gloſſæ in Canonem, a Gratiano e ſcriptis S. Auguſtini depromtum, *(f)* exiſtimat, invalidum eſſe baptiſmum; cum ſimul & eodem tempore non concurrunt materia & forma, ita ut ſi infans ea aqua ante prolationem ultimi verbi formæ, educeretur, non valide eſſet baptizatus. Verum illud ſcrupuloſius dictum videtur.

(f) Gloſſa in Can. *Detrahe*. 34. 1. q. 1. v. *Detrahe*.

Scotus *(g)*, & quidam alii doctores exiſtimant, ad validitatem baptiſmi ſatis eſſe, ſi tum forma proferatur, cum perficitur applicatio materiæ; aut materia applicetur, cum ultima formæ verba proferuntur: ac propugnant, baptiſmum fore invalidum; ſi formæ verba, quamvis immediate poſt factam ablutionem proferrentur; quia, inquiunt, tunc non fit, quod verba ſignificant; cumque formæ ſua deſit veritas, Sacramento quoque ſua deeſt validitas.

(g) Scotus. in 4. diſt. 6. q. 2.

Alii denique quorum certior nobis videtur opinio, exiſtimant ſatis eſſe, ſi materia & forma ſimul concurrant, moraliter loquendo. Hanc autem ſententiæ ſuæ afferunt rationem, quia, cum Sacramentum ſit ens morale, uſuique hominum accommodatum; hoc non intendit Chriſtus, ut qui illud conferret, ad tam accuratam ac rigoroſam materiæ cum forma applicationem teneretur: & conſequenter validum eſt, modo materiæ forma moraliter conjungatur, hoc eſt, modo inter prolationem formæ & applicationem materiæ ea tantummodo ſit temporis diſtantia (ſecundum conſuetam agendi, loquendi & judicandi rationem) actio Miniſtri, ac verba ab eodem prolata talem inter ſe habeant connexionem, qua materiæ applicatio cuilibet homini juſte judicanti ſufficientes verborum prolatione videatur eſſe determinata: unde pro Sacramentorum diverſitate, ea quoque debet eſſe diverſa temporis diſtantia: v. g. minor eſſe debet illa temporis diſtantia; cum actio miniſtri per verbum de præſenti ſignificatur, ut in baptiſmo: *Ego te baptizo*: Sed major poteſt eſſe in Sacramento matrimonii inter materiam, & formam; quia, cum ſit ſpecies quædam contractus, non neceſſe eſt, ut traditio & acceptatio mutua eodem præciſe tempore fiat; ſed ſufficit, ut utraque concurrat, in quantum exigit natura contractus. Ita pariter, cum in Sacramento Pœnitentiæ exerceatur actus Judicii, ſatis eſt, ut confeſſio pœnitentis, & abſolutio Sacerdotis, ita concurrant, ut ex utriuſque diſtantia agnoſcatur, verum ferri judicium. Unde colligi poteſt, collatum a Ranulpho baptiſmum eſſe validum; cum eodem tempore, moraliter loquendo, materiam poſuit, & verba protulit: & ſic a Parocho non eſſe iterandum. Nihilominus, cum ea de re non conſentiant Theologi; tutius nobis videtur in ſimili caſu baptiſmum ſub conditione iterare, uti facit in aliis multis Eccleſia, quo in tuto ſalus infantis ponatur.

CASUS XV.

Maclovius, S. Melanii Parochus, infantem baptizans, inchoatam formam ad hæc verba, *Ego te baptizo*, interrupit; ut patrem infantis præſentem & apoplexia correptum abſolveret, eumque animam efflantem paucis hortaretur: ac poſtea reliquam formam pronuntiavit, addens: *In nomine Patris &c.* Numquid validus eſt hic baptiſmus?

Respons.

Interruptio levis & non diuturna; ut ſi baptizans Sacerdos, prolatis his verbis: *Ego te baptizo*, adſtantibus ſilentium juberet: tumque formam perficeret, dicens: *In nomine Patris &c.* *(h)* non obſtaret validitati baptiſmi: aſt invalidum fieret Sacramentum interruptione notabili, & ſufficiente ut actio Miniſtri ejuſque intentio eſſet intermiſſa: *Si ſit tanta interruptio*, inquit S. Thomas *(i)*, *quod intercipiatur intentio pronuntiantis: tollitur ſenſus Sacramenti, ac per conſequens veritas ejus. Non autem tollitur, quando eſt parva interruptio, quæ intentionem pronuntiantis, & intellectum verborum non aufert*. Unde colligimus, baptiſmum a Maclovio collatum in caſu propoſito eſſe invalidum; quandoquidem interruptio fit notabilis, ejuſque actio atque intentio fuerit intermiſſa: quare in eo caſu iterandus eſt baptiſmus, uti decidunt duo inclyti Auctores *(k)*.

(h) Sylv. in 3. part. Sum. S. Th. q. 60. a. 8. ad 3.

(i) S. Th. ib. cit. a. 8. ad 3.

(K) De Genet. Theol. Mor. tom. 3 Tract. 3. c. 3. n. 7. Colloq. Lucon. tom. 3. Colloq. 2. q. 3.

CASUS XVI.

Melania, obſtetrix, cum recte parere non poſſet mulier, infantem, nondum caput exſerentem, in utero materno, antequam natus eſſet, baptizavit. De facto objurgata eſt, atque infantem jam natum denuo baptizandum eſſe accepit. Qua de re quæritur, utrum infantem hunc abſolute, an vero ſub conditione baptizare debeat Parochus?

Respons.

Obſtetrix illa infantem in utero materno baptizare non debuit, quia, *qui in maternis uteris ſunt*, inquit S. Iſidorus in Canone citatus *(l)*, *ideo cum matre baptizari non poſſunt: quia qui natus adhuc ſecundum Adam non eſt, renaſci ſecundum Chriſtum non poteſt: neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præceſſit*. Quocirca Parochus, nulla habita ratione baptiſmi a Melania collati, qui invalidus eſt: infantem hunc abſolute, & conſueta utens forma baptizabit.

(l) Iſidor. l. 1. ſentent. de ſummo bono. c. 24. in Can. *Qui maternis*. 115. de conſec. diſt. 4.

Ad confirmationem hujus deciſionis accedit auctoritas S. Thomæ *(m)* his verbis: *Nullo modo infantes, in maternis uteris exiſtentes, baptizari poſſunt*. Cujus rei hanc affert rationem *(n)*: *Pueri in maternis uteris exiſtentes nondum prodierunt in lucem, at cum aliis hominibus vitam ducunt. Unde non poſſunt ſubjici actioni humanæ, ut per eorum miniſterium Sacramenta recipiant ad ſalutem*.

(m) S. Th. 3. part Sum. q. 68. art. 11. in corp.

(n) Idem. ibid. ad 1.

Fatendum tamen, Melaniam in caſu propoſito, juxta opinionem inclyti Theologi (a), bona fide agendo non peccaſſe. Notandum, ait hic Doctor, *quod ſi occurrat caſus, in quo adhuc incluſus in utero matris extremam tantum partem pedis, vel digiti oſtendit, ſitque mortis periculum; tunc debet baptizari... quia in caſu neceſſitatis licet applicare Sacramentum parti dubiæ*. Quæ verba deciſioni noſtræ non ſunt oppoſita; quia terminus, *oſtendit*, poteſt, immo & debet intelligi de pede aut digito, qui extra maternum uterum apparet.

(a) Nic. Yſambert. de bapt. diſput. 3. art. fin. n. 2.

CASUS XVII.

Pomponia, obſtetrix, periculoſo cum adeſſet puerperio; timens, ne cum matre ſimul obiret infans, cujus caput aut pes tantum ad extra apparebat, ipſum baptizavit, aquam effundens in partem ex utero egreſſum, ſolitamque pronuntians formam. Numquid valide baptizatus eſt hic infans, ita ut perfecte natus, iterum baptizari non debeat?

Respons.

Ex ſancto Thoma validus eſt in capite collatus baptiſmus; quare baptizatus eo modo a Pomponia infans iterum non eſt baptizandus, ſi e materna exeat viſceribus. At vero baptizatus in pede, manuve (quod fieri non debet, niſi cum vitalis percipitur motus) iterum ſub conditione baptizandus eſt, quando perfecte natus fuerit; cujus diſcriminis hæc eſt ratio, quia omnium ſenſuum radix eſt caput, ſedeſque præcipua judicii ac rationis: „ Si „ tamen, *inquit S. Thomas (b)*, primo caput egre„ diatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet „ baptizari, periculo imminente; & non eſt poſt„ ea rebaptizandus, ſi eum perfecte naſci contige„ *rit*: & videtur idem faciendum, quæcumque alia „ pars egrediatur, periculo imminente; quia ta„ men in nulla exteriorum partium integritas vi„ tæ conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam, „ quod propter dubium quacumque alia parte cor„ poris abluta, puer poſt perfectam nativitatem ſit „ baptizandus ſub hac forma: *Si* non es baptiza„ tus, ego te baptizo &c. „

(b) S. Th. 3. part. q. 68. ar. 11. ad 4.

Idem docet S. Carolus Borromæus (c); „ Si ve„ ro, *ait*, fetus ex utero matris, quæ periculoſe „ laborat, vel manu, vel pede, vel alia parte ex„ ſtans, ob neceſſitatem in ea ipſa parte ab obſte„ trice baptizatus eſt; cum ſuperſtes erit, ſub ea „ conditione baptizetur. Si vero in capite quod „ primum ex utero prodiit, baptizatus eſt, forma „ ſervata; quando ſupervixerit, ad Eccleſiam de„ feratur, cui tamen reliquæ cærimoniæ adhi„ beantur, quæ ad ſolemnitatem baptiſmi perti„ nent. „

(c) S. Carol. Act. Eccleſiæ Mediolan. part. 4. cit. quæ Parochus in Bapt. adminiſtrat. animadvertat.

Hanc vult obſervari S. Carolus regulam, quam ex D. Thoma depromſit. Fatendum tamen, ſententiam Doctoris Angelici eſſe opinionem; non vero certam & inconcuſſam veritatem: atqui, ubi de opinione agitur, tutior pars eſt eligenda, præſertim in re Sacramentorum, ac potiſſimum in baptiſmo, a quo pendet æterna ſalus infantis. Opportunius itaque videtur; ut omne vitetur periculum, ſi jam in capite baptizatus infans, cum e ſinu materno exierit, iterum ſub conditione baptizetur. Ita ſentit doctus Theologus (d), cujus ſententiam firmat illa ſancti Auguſtini auctoritas ad Dardanum ſcribentis (e): *Nec renaſci quiſquam poteſt, antequam natus ſit*. Quod idem aſſerunt S. Iſidorus & S. Thomas in ſuperiori reſponſione laudati. Atqui defendi poteſt, infantem nondum eſſe natum, cujus caput dumtaxat ex utero matris exſtat. Tutius eſt igitur eum ſub conditione hac, iterum baptizare: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* quandoquidem ea ratione in tuto ponitur ſalus infantis, nec ulla fit Sacramento ſic confecto injuria.

(d) De Ste. Beuve tom. 2. Caſ. 60.

(e) S. Aug. Epiſt. 187. n. 31. novæ edit.

CASUS XVIII.

Nicolaa, obſtetrix, modo natum infantem & ferme moribundum in hac neceſſitate baptizavit: Numquid ſub peccato mortali tenetur pater infantis eum ad Eccleſiam, ubi ceſſat mortis periculum, deferre, ut ſuppleantur baptiſmi cærimoniæ?

Respons.

Cum in tuto per baptiſmum poſita ſit ſalus infantis, hujuſce Sacramenti cærimonias diutius pater, quam baptiſmum ipſum, prorogare poteſt, non tamen ad longum tempus, & ſolum juſta de cauſſa, non vero affectata negligentia ſine peccato poteſt; quod quidem mortale fieret, ſi ex contemtu mora interveniret, aut magnum aliquod inde oriretur ſcandalum, ut patet ex hoc Tridentini Concilii Canone, quo anathemate percutiuntur hujuſce moræ rei (f): *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti.... poſſe, anathema ſit*. Hinc eas cærimonias fuſe ac minutim perſequitur S. Thomas (g), earumque vim explicat; illaſque ſupplendi in ſimili caſu conſtituunt Ritualia neceſſitatem, quam etiam probant duæ Decretales, altera Innocentii III. (h) his verbis: *In talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat omiſſum*. Altera Gregorii IX. (i), *Non eſt aliquid iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi ordines caute ſupplendum, quod per errorem exſtitit prætermiſſum*.

(f) Conc. Trid. Seſſ. 7. Can. 13.

(g) S. Thom. 3. part. Sum. q. 71. per totam.

(h) Innoc. III. in Cap. Paſtoralis. 2. de Sacram. non iterandis. l. 1. tit. 16.

Quod ſi pro iis non ſuppleantur baptiſmi cærimoniæ, qui hæreſim ejurarunt; id ex eo fit, ne male edocti populi, præcipueque hæretici, qui de Eccleſia falſo mentiri geſtiunt, exiſtiment, aut etiam malitioſe promulgent, baptiſmum in Eccleſia Catholica iterari, cærimoniaſve Sacramenti ad ſalutem neceſſarias eſſe judicari.

(i) Greg. IX. Cap. Preſbyter. fin. eod. tit.

CASUS XIX.

Flaminia, obſtetrix ruſtica, præcipuo erga Deiparam Virginem pietatis ſenſu affecta, cujus etiam nomine dicitur; de vita periclitantes pueros baptizans, hac uti forma conſuevit: N. *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & ſanctæ Virginis Mariæ*. Numquid validus eſt hic baptiſmus?

Respons.

Priuſquam difficultati propoſitæ reſpondeatur, dicendum poſt S. Thomam (k) quod, *ſi diminuatur aliquid eorum, quæ ſunt de ſubſtantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum, & ideo non perficitur Sacramentum.... ſi autem ſubtrahatur aliquid, quod non ſit de ſubſtantia formæ, talis diminutio non tollit debitum ſenſum verborum, & per conſequens nec Sacramenti perfectionem.... circa additionem etiam contingit oppoſiti, quod eſt corruptivum debiti ſenſus: puta, ſi aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, ſicut Ariani baptizabant; & ideo talis additio tollit veritatem Sacramenti. Si vero ſit talis additio, quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur Sacramenti veritas*. Idem dicendum de tranſlatione verborum (l), *quia ſi tollit ſenſum locutionis, non perficitur Sacramentum. Si autem ſit talis tranſpoſitio quæ ſenſum locutionis non variet, non tollitur veritas Sacramenti*, ait idem Sanctus.

(k) S. Th. 3. part. q. 60. a. 8. in corp. & in 4. diſt. 3. q. 2. art. 2.

(l) Idem. cit. art. 8. ad 3.

Hoc ita præſuppoſito, uti principio certo, reſpondemus, quod, ſi Flaminia infantes baptizare in nomine beatæ Virginis, ut ſanctiſſimæ Trinitatis intendat, baptiſmus eſt irritus: quia tum facta additio fidei Catholicæ eſt oppoſita: at ſi per talem additionem, id ipſum nullo modo intendat, ſed tantum, ut baptizato adſit B. Virgo; nec credat ipſius interceſſionem, quidquam conferre ad effectum Sacramenti; validus eſt baptiſmus, quamvis hæc addens verba conſuetæ formæ delinquat. Hanc difficultatem, ita ſolvit idem Doctor Angelicus (m): en ipſius verba. *Si diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & beatæ Virginis Mariæ; non eſſet baptiſmus: quia dicitur* 1. *ad Corinthios* 1. Numquid Paullus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Paulli baptizati eſtis? *Sed hoc verum eſt, ſi ſic intelligatur in nomine beatæ Virginis baptizari, ſicut in nomine Trinitatis, qua baptiſmus conſecratur. Talis enim ſenſus eſſet contrarius veræ Fidei; ac per conſequens tolleret veritatem Sacramenti. Si vero ſic*

(m) Idem. cit. art. 8. in corp. Et in 4. diſt. 3. q. 1. a. 2. quæſtiuncula. 3. in corp.

v. el-

Digitized by Google

intelligatur quod additur: Et in nomine B. Virginis, *non quaſi nomen B. Virginis aliquid operetur in baptiſmo; ſed ut ejus interceſſio proſit baptizato ad conſervandam gratiam baptiſmalem, non tollitur perfectio Sacramenti.* Sed tandem, ſi de Flaminiæ intentione, infantem ſub tali forma baptizantis conſtare non poſſet; opportunum ducimus, baptiſmum ad majorem ſecuritatem ſub conditione iterare.

CASUS XX.

Nebridio, S. Aureæ Parocho ad baptiſmum oblatus eſt infans monſtruoſus, cui duo erant capita, alterum apprime formatum, alterum informe, cum duobus pectoribus parum inter ſe permixtis, cuique duplicis ſexus inerant indicia. Numquid tale monſtrum baptizare; & qua ratione debuit Nebridius?

Respons.

1. Id conſtat, monſtrum non eſſe baptizandum, ſi nulla in eo forma figurave humana appareat; 2. Cum hic infans caput habeat rite formatum, abſolute ac ſine conditione ſolita forma: *Ego te baptizo &c.* baptizandus eſt. 3. Si caput ſit duplex, pectuſque itidem duplex; certum eſt indicium duas eſſe perſonas: tumque ſeparatim eſſent baptizandæ, aquam in primum caput infundendo, formamque proferendo; deinde idem in altero capite faciendo; vel ſaltem imminente mortis periculo in duo ſimul capita aquam infundendo ſub hac forma: *Ego vos baptizo &c.*

Sed cum in caſu propoſito non ſatis ſit perſpicuum, duplicem eſſe perſonam, quia duo rite formata capita, nec etiam diſtincta pectora inſunt monſtro de quo agitur; illud primo in capite bene formato abſolute & conſueta utens forma baptizare debet Nebridius, tum illud idem in capite informi ſub hac conditione baptizare: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

> (a) S. Carol. Act. Eccleſiæ Mediolan. p. 2. tit. Quæ Parochus, in bapt. adminiſtrat. animadvertat.

Hanc difficultatem ita ſolvit S. Carolus Borromæus (a): *Si quando præterea monſtrum humanum baptiſmo offertur, videndum eſt, antequam baptizetur; an una perſona ſit, an vero duæ: tum maſculus ſit, an femina. Si quæ, re perſpecta, dubium eſt, an ſint duo, utpote quia duo capita non habet, nec pectora bene diſtincta; unus intentione certa, neque vaga ſimpliciter baptizetur; alter vero, ſeu alii, ſub conditione,* ſi non es baptizatus &c. *Si vero, quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam diſtincta in monſtro apparent, homines duo eſſe perſpicuum eſt; ſinguli ſimpliciter baptizentur: quod ſi mortis periculo in mora erit, numero plurali baptizentur:* Ego vos baptizo in nomine Patris &c. *Sin autem una perſona eſt, utpote unum tantum caput habens; tamquam unus baptizetur, etiamſi alia membra plura, geminave habeat. At vero monſtrum, quod hominis ſpeciem non præ ſe fert, non baptizetur, niſi primum Archiepiſcopus conſulatur.* Denique, *ſi diſcuſſione facta, maneat dubium,* an homo ſit, necne, ut docet Sylvius (b), *ſemper oportet baptizare ſub hac conditione.* Si tu es homo, ego te baptizo in nomine Patris &c. *ne per noſtram dubitationem pereant animæ, quæ forte ſunt humanæ.*

> (b) Fr. Sylv. in 3. part. Sum. S. Thom. q. 68. art. 11.

CASUS XXI.

Faustinus, Subdiaconus, Octavii Parochi ſancti Gaudentii nepos, de vita periclitantem baptizare puerum rogatus, abſente avunculo ſuo, eum adhibitis ſolitis cærimoniis, ſalutaribus aquis abluit. Quod factum non arguit redux Octavius: ea tamen de re ſcrupulum injecit Octavio vicinus ejus Parochus. Qua de re quæritur, utrum male ſe geſſerit Fauſtinus?

Respons.

Male profecto ſe geſſit Fauſtinus; illicitum ſibi uſurpans miniſterium: nam præter Epiſcopum, ſolus Sacerdos eſt ordinarius Baptiſmi ſolemnis miniſter, qui etiam *poteſt baptizare præſente Epiſcopo,* ut ait S. Thomas (c), *eo quod hoc pertinet ad officium Sacerdotis.* Hæc eſt S. Iſidori deciſio in Canone Decreti Gratiani his verbis relata (d); *Conſtat baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum, ejuſque myſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopo vel Presbytero, niſi, his longe procul abſentibus, ultima languoris neceſſitas cogat: quod & Laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quiſpiam ſine remedio ſalutari de ſæculo evocetur.* Ubi nomine *Presbyter* intelligendus eſt proprius Parochus, aut alius ab eo delegatus Sacerdos: *Quando baptiſmus ſolemniter & ordinate celebratur,* inquit S. Thomas (e), *debet aliquis ſacramentum ſuſcipere a Presbytero, curam animarum habente, vel ab aliquo vice ejus.*

> (c) S. Th. 3. part. q. 67. a. 4. in corp.
>
> (d) Iſidorus in Can. Conſtat, 19. de conſecr. diſt. 4.
>
> (e) S. Th. 3. part. Sum. q. 67. a. 4. ad 2.

Conſentit quidem Auctor Gloſſæ in alium Canonem, in quo Gelaſius Papa Iſidoro uno & amplius ſæculo ſuperior iiſdem ferme verbis loquitur (f), abſente Presbytero Diaconum ſolemniter poſſe baptizare: *Ubi neceſſitas exigit, & Presbyter eſt abſens, poteſt Diaconus etiam jure ſuo baptizare.* Sic S. Philippus Diaconus Samaritanos & Eunuchum Reginæ Candacis Æthiopiæ baptizavit: verum hodie Diaconus, non niſi ſolo concedente Epiſcopo, valet baptizare, ut ſtatuunt Ritualia, Romanum, Andegavenſe, aliaque plurima: quod ne quidem recenter eſt conſtitutum, ut patet ex iſto Decreto Concilii Eboracenſis, quod an. 1195. præſide Huberto Archiepiſcopo Cantuarienſi Cæleſtini III. ſummi Pontificis Legato habitum eſt: *Decrevimus etiam, ut non niſi ſumma & gravi urgente neceſſitate, Diaconus baptizet .... ut juxta paternorum tenorem Canonum huic ordini Sacerdotali proprie convenire decrevit antiquitas* (g). In primo quidem Arauſicano Concilio ſub S. Leone an. 441. ea conceſſione unctiones ſacras, in hoc Sacramento adhiberi ſolitas, facere poterat Diaconus, quod ipſi antea prohibitum eſt: at Subdiacono hoc miniſterium eſt omnino interdictum, quod ne in ullo quidem caſu exercere poſſunt Diaconi, *principaliter & quaſi ex proprio officio,* ut loquitur S. Thomas (h), ſed ſolum, ut delegati a Presbytero abſente, & cum juſta adeſt neceſſitas.

> (f) Gloſſa in Can. Diaconus. 13. diſt. 93 v. Neceſſitas.
>
> (g) Concil. Ebora. decreto 4.
>
> (h) S. Th. 3. part q. 67. a. 1. in corp.

CASUS XXII.

Nonne de novo lethaliter peccavit Nicephorus, ſancti Odomai Parochus, qui peccati mortalis jam conſcius, infantem baptizavit, non facta prius peccatorum ſuorum confeſſione, aut ullo contritionis actu elicito?

Respons.

In propoſito caſu mortaliter peccavit hic Parochus. Ordinarius namque Sacramentorum Miniſter debet eſſe in ſtatu gratiæ, ut ea licite poſſit adminiſtrare, non minus quam ea recipere, *quæ Sacramenta vivorum dicuntur:* aliter ſacrilegii fit reus; quandoquidem ex omnibus Theologis ſancta ſancte tractanda ſunt, hoc eſt, abſque reatu peccati mortalis. Hujus doctrinæ vindex eſt Adrianus VI. (i) qui, cum aſſeruit, neminem rigoroſe teneri ſub reatu novi peccati ad eliciendum actum contritionis, ubi in mortale lapſus eſt; eum tamen, de quo nunc agitur, caſum excipit. *Fateor tamen,* inquit, *quod in quibuſdam caſibus tenetur homo, ad ſtatim, quantum in ſe eſt, conteri; videlicet ratione adminiſtrationis, vel ſuſceptionis Sacramentorum ..... quæ digne ſuſcipi, vel miniſtrari nequeant ſine contritione: non enim excuſatur homo, ſi poſt lapſum contrectat, vel ſuſcipit, niſi probabiliter ſe exiſtimet in ſtatu gratiæ.* Quibus ultimis verbis palam fit, cum nemo de ſinceritate ſuæ contritionis poſſit eſſe certus, id ſatis eſſe, ut ad eam quis, quantum in ſe eſt, ſe ipſum excitet.

> (i) Adrianus VI. q. 3. de Conf.

Idem multo ante docuerat S. Thomas his verbis (k): *Aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non ſecundum quod oportet... dictum eſt autem (l) conveniens eſſe, ut Sacramentorum Miniſtri ſint juſti: quia Miniſtri debent Domino conformari, ſecundum illud Levitici* 19. Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum: *& ideo non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe Miniſtros Dei & Eccleſiæ, in diſpenſatione Sacramentorum peccent.* Subdit poſtea, peccatum illud eſſe mortale. *Quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem Sacramentorum, quantum eſt ex parte*

> (k) S. Th. 3. part. Sum. q. 64. art. 6. in corp.
>
> (l) Idem. ibid. art. 5. ad 3.

Digitized by Google

ipſius peccatoris; licet Sacramenta ſecundum ſe incontaminabilia ſint; conſequens eſt, quod tale peccatum en genere ſuo ſit mortale. Quæ doctrina omnino conformis eſt, 1. iſtis S. Auguſtini verbis (*a*); *Omnia Sacramenta cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus.* 2. Huic deciſioni Nicolai I. qui a Bulgaris conſultus an. 866, num a malo Sacerdote qui ab Eccleſia ſit toleratus, Sacramenta recipere liceret; his reſpondet terminis (*b*): *Qualiſcumque Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt, coinquinare non poteſt.... quoniam mali bona adminiſtrando ſe tantummodo lædunt, & cerea fax accenſa ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis vero lumen tenebris adminiſtrat, & unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet.*

(*a*) S. Aug. in Can. Omnis. 78. 1. q. 1.

(*b*) Nicolaus I. in Can. Sciſcitantibus. ſin. 15. q. 1.

Ratio hujus doctrinæ eſt quia, cum Sacramentum ſit res ſanctiſſima: quæ, ut probat S. Thomas, ſancte & reverenter eſt tractanda; cumque Sacerdos, uti miniſter Chriſti & Eccleſiæ, digne Sacramenta adminiſtrare teneatur ſecundum eam, quam in ordinatione ſua gratiam accepit; abſque gravi delicto, conſcius ipſe peccati mortalis, tanto fungi nequit miniſterio.

Conſtat ergo, Nicephorum in caſu propoſito 1, ſub reatu novi peccati teneri ad eliciendum veræ contritionis actum de ſuo peccato, aut; ſi poſſet, ad illud confitendum, priuſquam Baptiſmum conferret. 2. Si non ſibi ſuppeteret Confeſſarii copia, eum debuiſſe perfecte, quantum in ſe fuit, contritionis actum elicere, ne in ſacrilegium incurreret.

CASUS XXIII.

Vulmarius, S. Gilberti Parochus, mortalis peccati conſcius, cujus etiam denuo committendi affectum retinet, ſubito accerſitur, ut domi infantem baptizet, quem ob imminens vitæ periculum ad Eccleſiam deferre non licebat. Numquid eum, ita affectus, abſque reatu novi mortalis peccati, baptizare poteſt?

Respons.

Omnis quidem Sacerdos Sacramentum *ex officio* adminiſtrans, hoc eſt, uti Miniſter Eccleſiæ, mortaliter peccet, ut diximus in ſuperiori reſponſione, cum peccatum ſuum non ante confitetur, aut ſaltem confeſſionis defectu, de eo non ſincere conteritur: *Quandocumque exhibet ſe in aliquo actu, ut Miniſtrum Eccleſiæ*, ait D. Thomas (*c*), *mortaliter peccat; & toties mortaliter peccat, quoties hujuſmodi actum facit. Secus autem eſſet*, addit Angelicus Doctor, *ſi in aliqua neceſſitate aliquid ſacrum contingeret, vel exſequeretur in illo caſu, in quo etiam laicis liceret; ſicut ſi baptizaret in articulo neceſſitatis.* Quod idem alibi his inculcat verbis (*d*): *In articulo tamen neceſſitatis non peccaret, baptizando in caſu in quo poſſet etiam laicus baptizare. Sic enim patet, quod non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ; ſed ſubveniret neceſſitatem patienti.* Ita ſanctus Doctor.

(*c*) S. Th. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 5. ad 4.

(*d*) Idem. 3. part. q. 64. a. 6. ad 4.

Verum cum de eo non loquatur S. Doctor Parocho, qui actu in crimine perſeverare intendat, qualis eſſe ſupponitur Vulmarius; exiſtimamus cum S. Antonino (*e*) ob hanc circumſtantiam talem Parochum coram Deo fieri reum, ſi baptiſmum in caſu propoſito adminiſtret, nec prius ſe ad perfectam excitet contritionem.

(*e*) S. Anton. 3. part. Sum. tit. 14. c. 13. §. 4.

Ceterum, quod dicit S. Thomas, non eſt intelligendum de adminiſtratione aliorum Sacramentorum, quorum non tanta eſt, ſicut Baptiſmi neceſſitas: unde ſubjungit S. Doctor: *Secus eſt autem in aliis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut baptiſmus.*

CASUS XXIV.

Marculphus, in Sinenſi Regno Sacerdos Miſſionarius, quærit, utrum ethnicorum parentum filios abſque conſenſu, immo etiam invitis eorum parentibus, poſſit, vel debeat baptizare, cum ſeſe offerat ſæpius occaſio; præſertim quando de vita in morbo periclitantur illi filii?

Respons.

Ad ſolutionem hujus difficultatis, cum S. Thoma diſtinctione utendum: Etenim *Pueri infidelium filii*, inquit S. Doctor (*f*), *aut habent uſum rationis, aut non habent: ſi autem habent, jam quantum ad ea quæ ſunt juris divini aut naturalis, incipiunt ſuæ poteſtatis eſſe. Et ideo propria voluntate, invitis parentibus, poſſunt baptiſmum ſuſcipere... Et ideo tales moveri poſſunt, & induci ad ſuſcipiendum baptiſmum. Si vero*, addit, *nondum habent uſum liberi arbitrii, ſecundum jus naturale ſunt ſub cura parentum, quamdiu ipſi ſibi providere non poſſunt. Unde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod ſalvabantur in fide parentum. Et ideo contra juſtitiam naturalem eſſet; ſi tales pueri invitis parentibus baptizarentur, ſicut etiam ſi aliquis habens uſum rationis baptizaretur invitus* (*g*).

(*f*) S. Th. 3. p. q. 68. art. 10. in corp.

Aliam quoque affert rationem, cur in eo caſu non debeant baptiſmo initiari: *Eſſet etiam periculoſum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili*, ait, *ad infidelitatem redirent propter naturalem affectionem ad parentes: & ideo non habet hoc Eccleſiæ conſuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur.* Hinc etiam ſacra Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, Congregatio, a Sinenſium Miſſionariis conſulta, Decreto quod probavit Innocentio X. ſtatuit, ne invitis parentibus baptizarentur pueri eorum; & quia Judæi cujuſdam puella Avenione, ipſo inſcio, fuerat baptizata; omnibus divini verbi præconibus, juſſit ut declararent eum, qui tale quid temere præſumeret, præter peccatum mortale quod committeret, pœnæ pro Superioris arbitrio infligendæ fore ſubjectum: ut refert Bancelius (*h*), quas etiam regulas Marculphus tenere debet.

(*g*) Idem. 2. 2. q. 10. art. 12.

(*h*) Lud. Bancel. t. 1. Moralis. S. Th. v. Infidelitas.

Quod hactenus diximus, de eo quoque caſu intelligi debet, in quo pueri illi etiam ad mortem ægrotant; non vero de iis, qui evidenter ſunt moribundi ac deſperati; neque etiam de illis, quos Ethnici populi, ut nimiæ ſe prolis faſtidio expediant, ad oram maritimam deferunt fluctibus abſorbendos; tum (*i*) enim Miſſionarius, aut quilibet alter Chriſtianus iis baptiſmum conferre poteſt, immo caritatis præcepto tenetur; modo abſit vis & ſcandalum.

(*i*) De Ste. Beuve tom. 3. Caſ. 23.

CASUS XXV.

Goiricus, ſancti Severi Parochus, adultum quemdam e ſuis Parœcianis de vita periclitantem baptizavit, qui ab ortu ſuo rationis uſu caruerat, vel qui amens aut furioſus evaſerat. Numquid illud recte præſtare potuit?

Respons.

Circa amentes, & furioſos diſtinguendum eſt, loquitur S. Thomas (K). *Quidam enim ſunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus uſus rationis apparet; & de talibus, quantum ad baptiſmi ſuſceptionem, videtur eſſe idem judicium & de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ. Alii vero ſunt amentes*, pergit idem Sanctus, *qui ex ſana mente quam habuerunt prius, in amentiam inciderant: & tales ſunt ſecundum judicandi voluntatem quam habuerant, dum ſanæ mentis exſiſterent. Et ideo, ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, debet eis exhiberi, in furia & amentia conſtitutis; etiamſi tunc actu contradicant. Alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi.* En deciſio S. Thomæ (*l*), qui paullo poſt ſubjicit, idem de amentibus ac furioſis ferri debere judicium, ac de lethargicis, qui ſunt baptizandi, ſi ante lethargum ſuſcipiendi baptiſmi voluntatem manifeſtarent; alias non debent baptizari. *Dormientes non ſunt baptizandi, niſi periculum mortis immineat. In quo caſu baptizari debent, ſi prius in eis voluntas apparuit ſuſcipiendi baptiſmum: ſicut & de amentibus dictum eſt, ſicut Auguſtinus narrat in 4. libro Confeſſionum* (*m*) *de amico ſuo, qui baptizatus eſt neſciens propter periculum mortis.*

(K) S. Th. 3. part. Sum. q. 66. a. 12. in corp.

(*l*) Idem ib. ad 1.

(*m*) S. Aug. l. 4. Conf. c. 7.

Deciſionem hanc Doctoris Angelici firmat Decretalis Innocentii III. ad Archiepiſcopum Arelaten-

(a) Innoc. III. in Cap. *Majores.* 3. de Baptiſmo, & ejus effectu, in fine l. 3. tit. 42.

tenſem, in qua ſic loquitur ſummus Pontifex *(a)*: „ Dormientes autem & amentes, ſi priusquam „ amentiam incurrerent, aut dormirent in contra„ dictione perſiſterent; quia in eis intelligitur con„ tradictionis propoſitum perdurare, etſi fuerint im„ merſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti. „ Secus autem, ſi prius Cathecumeni extitiſſent, „ & habuiſſent propoſitum baptizandi. Unde ta„ les in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia ba„ ptizare. Tunc ergo characterem Sacramentalis „ imprimit operatio, cum obicem voluntatis con„ trariæ non invenit obſiſtentem.

CASUS XXVI.

Hassanus, ortu & religione Turca, in Golcondico regno periculoſe ægrotans, ac Fidem Chriſti cupiens amplecti, Ethnicum hoſpitem ſuum rogavit, ut ſe Baptiſmi aquis vellet initiare, cum eum baptiſmi conferendi modum edocuiſſet: ipſum baptizavit Ethnicus, actionem ſuam, uti cærimoniam Haſſano inutilem reputans, neque ullo pacto ei peccatum condonare, aut aliud quid producere intendens. An validus eſt hic baptiſmus.

Respons.

Baptiſmus hic validus eſt, quia in baptizante non requiritur fides ad valorem hujus Sacramenti, & ſufficit, ut intendat id facere, quod facit Eccleſia; unde ait Iſidorus, cognomine Mercator; *(b) Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat; ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi; licet Paganus ſit, qui baptizat.* Et S. Auguſtinus *(c)*: *Baptiſmus talis eſt, qualis ille eſt, in cujus poteſtate datur; non qualis eſt ille, per cujus miniſterium datur.* Modo itaque id facere, quod in tali caſu facit Eccleſia, intenderit Paganus ille, qui Haſſanum ſalutaribus aquis abluit: certum eſt baptiſmo, etiam contra ipſius opinionem, ſuum non defuiſſe effectum. Hanc doctrinam expreſſe docet S. Thomas his verbis *(d)*: *Si vero patiatur* (inquit) *fidei defectum circa ipſum Sacramentum, quod exhibet; licet credat, per id quod agitur exterius nullum ſequi interiorem effectum; non tamen ignorat, quod Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum: unde non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere id, quod facit Eccleſia, licet æſtimet id nihil eſſe. Et talis intentio ſufficit ad Sacramentum, quia ..... Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, ex cujus fide ſuppletur id, quod deeſt fidei Miniſtri.* Congruit hæc S. Thomæ doctrina cum hac Nicolai I. ad Bulgaros reſponſione (e): *A quodam Judæo, neſcitis, utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de iis ſit agendum conſulitis. Hi profecto ſi in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſunt ... conſtat eos non eſſe denuo baptizandos.*

(b) Iſidorus in Can. *Romanus*. 2. 2. de conſecrat. diſt. 4.

(c) S. Aug. in Can. *Baptiſmus*. 2. ibid.

(d) S. Th. 3. par. Sum. q. 64. art. 9. ad 1.

(e) Nicol. I. in Can. *A quodam* 24. de conſecr. diſt. 4.

CASUS XXVII.

Tharasius, homo ignarus & hæreticus, intendit quidem baptizans id, quod vult fieri Eccleſia in adminiſtratione baptiſmi: at ignorat penitus, quæ ſit iſta Eccleſiæ intentio, nec ipſam etiam Catholicam, a qua per hæreſim ſegregatur, veram eſſe credit Eccleſiam. Numquid poteſt dici, eum in tali caſu valide baptizare?

Respons.

Ex ſuperiori reſponſione patet ſolutio præſentis difficultatis; quia tamen ſtrictius ad Baptiſmi ab hæreticis collati valorem attinet, huic ſpeciatim reſpondendum eſſe ducimus. Exiſtimamus itaque Baptiſmum a Tharaſio collatum, in iis quas proponit caſus, circumſtantiis, eſſe validum.

Certum quidem eſt, S. Cyprianum, alioſque permultos cum eo Africæ Epiſcopos *(f)* contendiſſe, quod baptiſmus extra Eccleſiam Catholicam collatus eſſet invalidus. At contra ſtatuit Stephanus Papa, neque fidem, neque Miniſtri ſanctitatem requiri ad validitatem hujus Sacramenti, quod a quolibet hæretico valide poſſet adminiſtrari. Hujus quoque doctrinæ vindex eſt S. Auguſtinus in uno Canone Decreti Gratiani *(g)*, qui ex quinto ſuo tractatu in Joannem depromtus eſt, & in alio, quem pariter idem Gratianus collegit e ſexto ejuſdem ſancti Doctoris libro contra Donatiſtas; in quo aſſerit, verum ab hæreticis conferri & recipi Baptiſma *(h)*, etſi gratiam Sacramenti non recipiant ſuſcipientes, dum in hæreſi perſiſtunt; eamque affirmat alibi quæſtionem a Concilio Œcumenico ſic fuiſſe ſolutam.

(f) S. Cypr. in Can. *Si quis*. 70. 1. q. 1.

(g) S. Aug. tract. in Can. *Si juſtus*. 30. & ſeqq. 2. q. 1.

(h) Idem in Can. *Etiam*. 48. eodem cauſa & q.

Hinc etiam in Conciliis ſecundo Arelatenſi *(i)*, & Laodiceno ſub S. Silveſtro *(K)* conſtitutum eſt, ut ad communionem admitterentur hæretici illi, qui fidem Catholicam amplecterentur, etſi ab hæreticis fuiſſent baptizati. Quod idem jam ſtatuerat primum Concilium Arelatenſe ſub eodem ſummo Pontifice habitum *(l)*, quod in ſuo Decreto refert Gratianus.

(i) Conc. Arelat. 2. c. 17.

(k) Concil. Laodicen. c. 7.

(l) Conc. Arelat. 1. a. S. in Can. *De Arianis*. 109. de conſecr. diſt. 4.

Ratio, qua nititur hoc punctum fidei, eſt, quia Sacramenta ſuum producunt effectum *ex opere operato*, ut loquitur Schola; hoc eſt, vi propria, & ſibi per divinam inſtitutionem indita, independenter a merito conferentis; modo nullus ſit obex parte ſuſcipientis, & non ſolum *ex opere operantis*, hoc eſt, vi ſolius ſanctitatis Miniſtri: ut docet Paſchaſius a Gratiano laudatus *(m)*, de Euchariſtia loquens ſpeciatim. Antiquam illam, quam unanimi conſenſu ſecuti ſunt omnes Theologi, doctrinam aſſerunt Concilium Tridentinum *(n)* in iſto Canone: *Si quis dixerit baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum, anathema ſit.*

(m) Paſchaſ. in Can *Intra*. 77. 1. q. 3

(n) Conc. Tr. Seſſ. 7. Can. 4.

CASUS XXVIII.

Rabbinus Salomon, Avenionenſis Judæus, inſtante mortis periculo, baptiſmum requiſivit: at, cum neque a propinquis, aliiſve ſibi miniſtrantibus, utpote Judæis, eum poſſet accipere; aquam ipſemet in caput ſuum effudit dicens: *Ego me baptizo, in nomine Patris*, &c. Ex morbo factus ſanus a Sacerdote petivit, num valeret, quem ipſe ſibi contulerat, Baptiſmus? Quid reſponſi dare debuit Sacerdos?

Respons.

Judæo huic reſpondere debuit Sacerdos, ipſius baptiſmum eſſe invalidum; quia nemo ſe ipſum baptizare poteſt. Hæc fuit reſponſio Innocentii III. ad Epiſcopum Metenſem, de ſimili difficultate interrogantem *(o)* „ Reſpondemus, quod cum inter „ baptizantem, & baptizatum debeat eſſe diſcre„ tio, ſicut ex verbis Domini colligitur, dicentis „ Apoſtolis: *Ite, baptizate omnes gentes in no„ mine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti (p)*; „ memoratus Judæus eſt denuo ab alio baptizan„ dus: ut oſtendatur, quod alius eſt qui baptiza„ tur, & alius qui baptizat „. Quod etiam confirmat doctus hic Papa, ducta ſimilitudine inter generationem ſpiritualem, & carnalem. „ Sicut „ ergo in carnali generatione, *inquit*, qua proles „ ex viro & femina naſcitur, alius eſt qui car„ naliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur: „ ſic in Sacramentali generatione, qua ſoboles ex „ aqua & Spiritu ſancto renaſcitur, alius debet „ eſſe qui ſpiritualiter generet, & alius qui ſpi„ ritualiter generetur „. Quare ab alia perſona baptizari debet Judæus, de quo in caſu propoſito.

(o) Innoc. III. in Cap. *Debitum*. 4. de baptiſmo, & ejus effectu. l. 3. tit. 42.

(p) Matth. 28. 19.

Juvat heic obſervare, quod ſi obiiſſet Judæus ille, Baptiſmi votum perfectæ contritioni conjunctum ipſius Sacramenti vicem impleſſet, ut ait idem ſummus Pontifex .... *Quamvis, ſi talis continuo deceſſiſſet, ad patriam protinus evolaſſe propter Sacramenti fidem, etſi non propter fidei Sacramentum.*

CASUS XXIX.

Nonne Vigilantium hæreticum baptizare debet Paullus, ſancti Lamberti Parochus, ut eum, ejurata hæreſi, ad Eccleſiæ communionem admittat?

Respons.

Quinam ſunt hæretici, uti Lutherani & Calviniſtæ, qui eamdem, atque Eccleſia Catholica, materiam ac formam ad collationem baptiſmi adhibent; quare, ſi eorum ſectam Vigilantius ab iis baptizatus ſequatur, a Parocho iterum non eſt

bapti-

baptizandus, niſi forte juſta de cauſſa eum valide non fuiſſe baptiaatum judicet; qun in caſu illum ſub conditione, & non aliter iterum baptiaare debet: ſed ſi nulla ſubſit juſta ratio, ſufficit, ut eo, quo in Rituali præſcribuntur, modo cærimoniæ ſuppleantur, Si contra inter eos annumeretur hic hæreticus, qui non baptiſma conſerunt in nomine ſanctæ Trinitatis, ut Ariani qui Chriſti, vel Montaniſtæ, qui Spiritus ſancti divinitatem negabant, certum eſt, eum, licet ab iis baptizatum, denuo eſſe baptiaandum, nt Eccleſiæ aggregetur,

Id ipſum clare ac fuſe doeet S. Gregorius Magnus, ſcribens ad Epiſcopos Iberiæ, quæ nunc Gurgiſtana regio dicitur, majori Armeniæ finitima his verbis (a). „Ab antiqua Patrum inſtitutione didicimus, nt qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut unctione Chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum matris Eccleſiæ revocetur. Hi vero hæretici (b), qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, ſicut ſunt Bonoſiani, & Cataphryges; quia & illi Chriſtum Dominum non credunt, & iſti, Spiritum ſanctum perverſu ſenſu eſſe quemdam pravum hominem, Montanum credunt... & alii tales, cum ad Eccleſiam ſanctam veniunt, baptiaantur: quia baptiſma non fuit quod in errore poſiti in ſanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt,

(a) Gregor. Papa in Can. *Ab antiqua*, de Conſecrat. diſt. 4.

(b) Ibid. lib. 2. Epiſt. 61.

CASUS XXX.

Esther, in hæreſi Calviniana nata ejuſque erroribus imbuta, cum ad veræ fidei lucem veniſſet, Parocho ſuo indicavit, ſe valide non fuiſſe baptizatam. 1. Quia Calviniſtæ Miniſtri, cum baptiſmum non credant eſſe Sacramentum ad ſalutem neceſſarium, ſed juſtificationis tantum ſigillum, ſeu exterius ſignum, eum proinde illa, qua ſolet in Eccleſia Catholica, tattone non conſerunt, ſed aquam manu apprehenſam in oblatos e pulpito effundunt infantes, quos proinde, ne gutta quidem ſæpe attingit. 2. Quia Miniſtri formam non proferunt, aquam projiciendo, ſed poſt illam projectam. 3. Quia Synodus Mechlinienſis, quam laudat Benvelet, ac Statuta Synodi Narbonenſis an. 1667. jubent, ut denuo baptizentur Calviniſtæ, qui Catholicæ Eccleſiæ fidem amplectuntur. Quod etiam in uſu fuit in quibuſdam Occitaniæ Diœceſibus, in quibus ſolita forma adhiberi conſuevit, omiſſa quoque conditione; *ſi non es baptizatus*.

His adductus rationibus Parochus Eſtherem baptizavit: quæritur utrum ita abſque crimine ſe gerere potuerit?

Responsa.

Eſtherem iterum baptizare illæſa conſcientia non potuit hic Parochus, neque ad id propter allatas in caſu propoſito rationes adduci debuit.

1. Quia Pagani, hæretici multi, ac Judæi, non credunt, baptiſmo conferri gratiam juſtificantem; attamen validum ſemper ab iis collatum agnovit Eccleſia baptiſmum; modo id obſervent, quod huic Sacramentu aſſentiale eſt, ad cujus valorem certum eſt non neceſſariam eſſe Miniſtri fidem, uti docent Patres & Concilia, præſertim Concilium Arelatenſe an. 314. (c) S. Auguſtinus multis in locis (d), S. Leo, S. Gregorius Magnus, Iſidorus, aliique permulti, ut videre eſt in multis Canonibus ad marginem indicatis (e).

(c) Conc. Arelat. c. 8. in Can. *De Arianis*. 109. de Conſecr. diſt. 4.

(d) S. Aug. l. 1. de Bapt. contra Donatiſtas c. 1. in Can. *Nullus*. 40. eadem diſt. 4. Et l. 3. c. 15. in Can. *Nunc autem*. 46. Et l. 4. c. 1. in Can. *Eccleſia*. Et l. 5. c. 20. in Can. *Quomodo*. 41. cit. diſt. 4.

(e) S. Leo Epiſt. 90. in Can. *Hi de quibus*. 38. ibid. S. Greg. Epiſt. 61. in Can. *Ab antiqua*. 44. ibid. S. Iſidor. in Can. *Romanus* 23. ibid. Nic. 1. in Can. *A quodam*. 24. ibid. Beda in Can. *Sive*. 31. ibid. &c.

Hæc autem afferri poteſt ratio, cur neque caritas neque fides neceſſario prærequirantur in Miniſtro baptiſmi, quia videlicet *non agit in virtute propria, ſed in virtute Chriſti*, inquit S. Thomas (f), hoc eſt, non ut cauſſa præcipua, ſed ut inſtrumentum, quo Deus utitur ad producendum effectum Sacramenti: *Sicut autem*, pergit Angelicus Doctor, *pertinet ad propriam virtutem hominis caritas; ita & fides. Unde ſicut non requiritur ad perfectionem Sacramenti, quod miniſter ſit in caritate; ſed poſſunt etiam peccatores Sacramenta conferre .... ita non requiritur ad perfectionem Sacramenti fides ejus: ſed infidelis poteſt verum Sacramentum præbere; dummodo cetera adſint, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti.*

(f) S. Th. 3. part. q. 64. art. 9. in corp. Et in 4. diſt. 6. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 2.

Hinc ſequitur, primam ruere Eſtheris rationem ad probandam invaliditatem baptiſmi ſui; nulliuſque pariter eſſe momenti alteram quam addit, circa modum quo Miniſtri Calviniſtæ baptiſma ſolent conferre; quandoquidem unanimis ſit omnium Theologorum conſenſus, illud non minus eſſe validum, quod aſperſione, quam quod immerſione aut infuſione adminiſtratur: *quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis*, inquit S. Thomas (g); *quia hoc habet communior uſus, poteſt tamen fieri baptiſmus per modum aſperſionis*.

(g) Idem. ibid. q. 66. a. 7. in corp.

Neque potior eſt tertia, quam affert Eſther, ratio: neque enim neceſſe eſt, nt eo præciſe inſtanti forma proferatur quo applicatur materia, ſed ſufficit, ut immediate poſt pronuntietur, uti probavimus in reſponſione ad caſum decimum quartum: in quo id etiam a nobis obſervatum eſt, quod, cum de interruptione interjecta inter applicationem materiæ & formæ diſſentiunt Theologi, tutius eſt baptiſmum ſub conditione iterare.

Ad Synodi autem Mechlinienſis auctoritatem reſponderi poteſt, multas præter Calviniſmum, in Batavia viciniſque regionibus eſſe hæreticorum ſectas, quorum fieri poteſt ut invalidus ſit baptiſmus; quos proinde denuo baptiaandos eſſe conſtituit prædicta Synodus, dum hæreſim ejurant, & de quibus ſolis loquitur.

Denique referuntur Eccleſiæ Narbonenſis Statuta, de quibus, cum nec citentur, nec legerimus, hoc unum dicimus, quod ſi talia ſint, qualia eſſe ſupponuntur, iis aſſenſus præberi nequit, ut patet ex dictis hactenus; præterquam quod praxis illa in multis Galliæ provincialibus Conciliis damnata eſt; ac præcipue in Rothomagenſi an. 1581. (h) Turonenſi biennio poſt (i), & Aquenſi an. 1585. (k) Horum autem Conciliorum hæc ſunt Decreta: *Antea in pleriſque noſtrarum Diœceſum locis*, inquit Rothomagenſe, *baptizati ab hæreticis, præſertim a Calviniſtis, redeuntes ad Eccleſiam Catholicam iterum tingebantur, hac ſub verborum forma*: Si non es baptizatus ego te baptiao: *Quia dubitabant nonnulli de valore baptiſmi ab hujuſmodi hæreticis collati: eo quod non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum. Verum quoniam illa formula baptizandi fuit introducta propter baptiſmata occulta, & de quibus non apparebat; nec uni mulieri, ſeu alteri privatim baptizanti credi non debebat; contra vero conſtabat Calviniſtas, in cœtu publico baptizare in forma verborum & materia a Chriſto inſtituta, nec de hoc facto ambigi poterat; vetamus abſolutionem repeti cum quibuſcumque verbis a Calviniſmo, aut aliis hæreſibus ſimiliter baptizantibus, ad noſtras tranſeuntibus, ne de Anabaptiſmo redarguamur.*

(h) Conc. Rothomag. an. 1581. tit. de Sacram. §. 1.

(i) Conc. Turonens an. 1583. tit. de Bapt.

(k) Conc. Aquens an. 1585. tit. de Bapt. Sacramento.

En verba Conc. Turonenſis: *Eos, qui ab hæreticis Calviniſtis ſunt baptizati cum aquæ infuſione, ſeu in aquam immerſione, & horum verborum*, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, *proclamatione & intentione faciendi quod facit Eccleſia; dicit hæc Synodus ſacroſanctis Conciliis inhærendo, rebaptizari non debere, ne quidem ſub hujus conditionis, ſeu clauſulæ adjectione*: Si non es baptiaatus, ego te baptizo. Aquenſis Concilii Decretum iiſdem terminis ac Rothomagenſis continetur. Quibus Conciliis addi poſſunt Synodi 1. Toloſana an. 1590. quæ dicit: (l) *Quos antea baptizarint hæretici, eos rebaptizari prohibemus; niſi forte receptam ab Eccleſia baptiſmi formam, materiamque eos minime obſervaſſe conſtiterit*: 2. Narbonenſis ſub Ludovico de Veruins Narbonæ Archiepiſcopo an. 1609. habita, cujus Decretum tale eſt (m): *Quos jam baptizarint hæretici, eos rebaptizare prohibemus, ſub pœnis in ſacris canonibus contentis, niſi forte inſtitutam a Chriſto baptiſmi formam, materiamque eos minime obſervaſſe conſtaret*. Quo igitur pacto fieri poſſet, ut hujuſce Diœceſis extarent Statuta tam aperto Decreto contraria? Sed hæc ſufficiant.

(l) Conc. Toloſan. an. 1590. part. 2. Cap 2. de Bapt. num. 5.

(m) Conc. Narbon. an. 1609. c. 14. de Bapt.

CASUS XXXI.

Junianus, triginta annos natus, e Chriſtianis parentibus, atque ab iis Chriſtiane educatus, cum de baptiſmo ſuo dubitet, quod a viginti annis & amplius, mortui ſint ſui parentes; Parochum ſuum Bernardum enixe rogat, ut ſe velit, ſaltem ſub

con-

conditione, ſacris tingere aquis; quo tuta ſit ſalus ſua. Quid tum faciet Parochus?

R e s p o n s.

Difficultatem hanc ſolvit Innocentius III. in ſua Decretali ad Epiſcopum Ferrarienſem, dicens (a): *Certe de illo, qui natus eſt de Chriſtianis parentibus & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumtio pro certitudine ſit habenda.* Quare non denuo baptizandus eſt, *donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur*, inquit hic ſummus Pontifex. Idem poſt Paludanum docet S. Antoninus (b).

(a) Innoc. III. in Cap. *Veniens.* 3. de Presbyt. non baptizato l. 3. tit. 43.

(b) S. Anton. 3. part. Sum. tit. 14. c. 13. §. § 12. & apud eum Paludan.

Eam ſequatur Bernardus regulam, niſi forte juſta de cauſſa dubius ſit Juniani baptiſmus: ſeu quia nativitati ejus adſtantes, nec eum ad Eccleſiam fuiſſe delatum, nec domi baptizatum eſſe teſtantur, ſeu quia parentes ejus Calvinianam hæreſim profitebantur, quorum aſſeclæ non neceſſarium ad ſalutem baptiſmum exiſtimant; ſeu quia moribus ipſe ac religione perditus vitam degebat; tum enim, ſi neque ſcripto, neque teſtibus conſtet de ipſius baptiſmo, a Parocho poſſet, immo & baptizari deberet. Hæc eſt Alexandri III. deciſio in una ex ſuis Decretalibus, cujus hæc ſunt verba: *de quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmiſſis*: Si baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo &c. (c) Quod congruit cum ſententia S. Leonis multis in locis, ac præſertim in trigeſima ſeptima ſua Epiſtola ſic ſcribentis (d): *In primis itaque providere debemus, ne dum ſpeciem quamdam cautionis tenemus, in damnum generandarum incidamus animarum. Quis enim ita ſit ſuſpicationibus ſuis deditus, ut verum eſſe definiat, quod, omni manifeſtatione ceſſante, ex opinione ambigua ſuſpicatur? Cum itaque baptizatum ſe nec ille recordetur, qui regenerationis eſt cupidus, nec alter atteſtari de eo poſſit, quod neſciat conſecratum; nihil eſt in quo peccatum poſſit obrepere, cum in hac parte conſcientiæ ſuæ nec ille reus ſit, qui conſecratur; nec ille, qui conſecrat*: Et in Epiſtola ad Ruſticum, epiſcopum Narbonenſem (e): *Si nulla exſiſtant indicia inter propinquos, aut familiares; nulla inter Clericos, aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur; agendum eſt, ut renaſcantur, ne manifeſte pereant, in quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum. Qui autem poſſunt meminiſſe, quod ad Eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed ſi hoc etiam ab eorum memoria alienum eſt, conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur: quia non temeritas intervenit præſumtionis, ubi eſt diligentia pietatis.*

(c) Alex. III. in Cap. *De quibus.* 2. de Bapt. & ejus effectu, l. 3. tit. 42.

(d) S. Leo Epiſt. 37. c. 1.

(e) Idem. Epiſt. 95. c. 15.

C A S U S XXXII.

Gerbertus, Germanus, 34. annos natus in provincia ubi viget ſecta Anabaptiſtarum, a triginta ferme annis in religione catholica pie educatus eſt a parente ſuo catholico, qui de mortuis parentibus ejus Anabaptiſtis, ipſius inſtitutionis curam ſuſcepit. Parens Gelberti, nec ipſemet recordatur ſe fuiſſe baptizatum; quamcumque adhibuerint diligentiam ad illud cognoſcendum. Quare a Parocho ſuo baptiſmi Sacramentum requirit Gerbertus: Numquid eum in talibus circumſtantiis baptizare debet Parochus?

R e s p o n s.

De ſimili difficultate conſultus ab epiſcopo Ravennate ſanctus Leo reſpondet (f) 1. *Scimus quidem inexpiabile eſſe facinus ..... lavacrum quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire.* 2. *Sed in hoc*, id eſt, in eo qui ſe baptizatum fuiſſe penitus ignorat, *nihil ſimile formidatur; quoniam non poteſt in iterationis crimen venire, quod omnino factum eſſe neſcitur.* 3. *Quoties perſona talis inciderit; ſolicita primum examinatione diſcutite, & longo tempore, niſi forte ſupremus finis immineat, indagate, utrum nemo penitus ſit, qui teſtimonio ſuo juvare poſſit ignorantiam neſcientis.* 4. denique, *Et cum conſtiterit hunc, qui baptiſmatis indiget Sacramento, ſola inaniter ſuſpicione prohiberi; accedat intrepidus ad conſequendam gratiam, cujus in ſe nullum ſcit eſſe veſtigium: nec vereamur huic ſalutis januam aperire, quam numquam ante docetur ingreſſus.*

(f) S. Leo. Ep. 31. c. 2. in Can. Cum itaque. 112. de conſecrat. diſt. 4.

Conſentit hæc deciſio cum iſto Provincialis Concilii Carthaginienſis Statuto, quod an. 498. a ſexaginta tribus Epiſcopis habitum, quintum vulgo nominatur (g): *Placuit de infantibus; quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne ipſa trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.*

(g) Conc. Carthag. 5. Can. 6. & refertur a Gratiano in Can. Placuit. CXI. de conſecrat. diſt. 4.

Idem docet S. Gregorius Magnus; uti Gregorius II. (h). *De parvulis vero, qui a parentibus ſubtracti ſunt*, inquit poſterior hic Papa, *& an baptizati ſint, an non, ignorant, hos baptizare debeas ſecundum Patrum traditionem, (ſi non fuerit qui teſtificetur) ratio poſcit.* Hanc igitur regulam ſequetur Gerberti Parochus in caſu propoſito; & cum ab infantia ſua, neque quatuor primis vitæ ſuæ annis, eum utpote parentum Anabaptiſtarum filium, fuiſſe baptiſmo initiatum, quacumque adhibita perquiſitione, non compertum ſit, illum profecto ſacris tingere aquis debet iſte Parochus.

(h) S. Greg. l. 12. Epiſt. 31. Greg. II. in Cap. *Parvulos.* 110. de conſecrat. diſt. 4.

Obſervandum autem circa propoſitam difficultatem, 1. in dubio probabili de baptiſmo hujus infantis, eum denuo, ſub conditione tantum, eſſe baptizandum ex verbis Alexandri III. (i) in ſuperiori reſponſione relatis. 2. dubium illud fore probabile, ſi e catholicis ſit parentibus ortus, atque catholicam duxerit vitam; tunc enim juſte præſumi poſſet, eum fuiſſe baptizatum, ut oſtendimus auctoritate Innocentii III. (k) ad epiſcopum Ferrarienſem ſcribentis: qua in re dici nequit ſummum hunc Pontificem diſſentire a Concilio Carthaginienſi, S. Leone aliiſque antiquis: dici namque poteſt illos de iis tantum fuiſſe locutos, qui a Chriſtianis parentibus ortum non haberent, quales ſunt Anabaptiſtæ, quod velint infantes tunc dumtaxat eſſe baptizandos, cum ad eam pervenerint ætatem, qua de rebus fidei interrogati reſpondere valent.

(i) Alex. III. in Cap. *De quibus.* 2. de Bapt. & ejus effectu, l. 3. tit. 42.

(k) Innoc. III. in Cap. *Veniens.* de Presbytero non baptizato, in fine l. 3. tit. 43.

C A S U S XXXIII.

Kondomirus, miles infidelis, in pugna ductus captivus, cum aliis quibuſdam vi baptizatus eſt, nullo modo intendens, immo reluctans baptiſmo initiari. Poſt aliquot menſes fidem amplexus eſt; qua de re quæritur, utrum ipſius baptiſma ita ſit validum, ut eum denuo baptizare non neceſſe ſit?

R e s p o n s.

Adultorum validum non eſt Sacramentum abſque voluntate, ſeu intentione ſaltem interpretativa illud recipiendi. Ita communiter Theologi poſt S. Thomam (l): *Ex parte baptizati*, inquit ſanctus Doctor, *requiritur voluntas ſive intentio ſuſcipiendi Sacramentum.* Quod etiam docent S. Bonaventura (m), S. Antoninus (n), aliique permulti, S. Auguſtini teſtimonio fulti, cujus hæc verba refert Gratianus (o): *Cum pro parvulis alii reſpondet, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti; valet utique ad eorum conſecrationem: quia ipſi reſpondere non poſſunt. At ſi pro eo qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet.* Ex qua regula illud in Evangelio dictum eſt, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet: *ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur* (p).

(l) S. Th. 3. part. q. 68. a. 7. in corp.

(m) S. Bonav. in 4. diſt. 4. a. 2. q. 1.

(n) S. Anton. 3. part. tit. 14. c. 13. § 9.

(o) S. Aug. l. 4. de Bapt. c. 24. in Can. *Cum pro parvulis.* 77. de Conſecr. diſt. 4.

(p) Joan. 9. 21.

Cum S. Auguſtino conſentit Innocentius III. ſcribens ad epiſcopum Arelatenſem (q): Licet enim de iis loquatur, ut valide baptizatis, qui vi fuerunt coacti ad amplectendam fidem Chriſtianam, & quos proinde conformem fidei vitam ſequi Eccleſia compellebat, ut patet ex hoc Decreto Concilii Toletani IV. ann. 633. habiti (r): *Qui autem ad Chriſtianitatem coacti ſunt venire.... oportet ut fidem quam etiam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur: ne nomen Domini blaſphemetur, & fides quam ſuſceperunt, vilis & con-*

(q) Innoc. III. in Cap. *Majores*, 3. de Baptiſmo & ejus effectu. l. 3. tit. 42.

(r) Conc. Tol. IV. c. 56. in Can. *De Judæis.* 5. diſt. 45.

tem-

contemtibilis habeatur. Supponit tamen hic ſummus Pontifex, eos baptiſmo ſuo ſufficienter aſſenſiſſe, ut re ipſa illi ſufficienter aſſentirent, ex D. Bonaventura (*a*) aliiſque Theologis, qui, ut ii de quibus loquitur hic Papa, baptiſmum mallent ſuſcipere, quam legum rigorem, pœnaſque edicto Principis latas in renitentes ſubire. En verba Innocentii III. *Is qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptiſmi ſuſcipit Sacramentum... characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum: & ipſe, tamquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ; in quo caſu debet intelligi Decretum Concilii Toletani.* *Ille vero*, ſubdit ſummus Pontifex; *qui numquam conſenſit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti*. Unde ab Eccleſia ad obſervantiam legum ſuarum hujuſmodi cogi non poteſt. Cujus rei hanc affert rationem, quia *plus eſt expreſſe contradicere, quam minime conſentire*: quaſi diceret, quod ſi baptiſmi ſuſceptioni ſufficiens ſit obex diſſenſus; a fortiori potior eſt manifeſta contradictio: quod quidem hac ſimilitudine comprobat: *Sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans thurificare idolis cogitur violenter.*

(*a*) S. Bonav. in 4. diſt. q. a. a. q. a.

Ex his itaque rationibus & auctoritatibus ſequitur invalidum eſſe baptiſmum, diſſentienti omnino collatum; ut ſi baptizaretur dormiens aut amens, inquit idem Papa, niſi ante ſomnum aut dementiam baptiſmo ſuo fuiſſent aſſenſi. Unde ad propoſitam difficultatem ſpeciatim reſpondemus, quod ſi ea Kondomiro ſit vis illata, ut omnem in eo, illam quoque quam *conditionatam* vocat Innocentius III. voluntatem deſtruat, ut ſi per vim fuerit aqua immerſus; irritum eſt ipſius baptiſma: at ſi non eam paſſus violentiam, metu carceris aut etiam pœnæ majoris baptiſmo ſuo fuerit aſſenſus; tum Sacramenti characterem, non vero adjunctam ei gratiam ſuſcepit. *Sciendum*, inquit ſanctus Thomas (*b*), *quod non requiritur in adulto voluntas abſoluta ſuſcipiendi, quod Eccleſia confert: ſed ſufficit voluntas conditionata, ſicut eſt in voluntariis mixtis, ut dicitur in 3. Ethicorum, & ideo ſi ſit coactio ſufficiens, ita quod principium ſit ex tota extra, nil conferentem vim paſſo, ut cum aliquis reclamans immergitur violenter; ſane talis nec Sacramentum recipit, nec rem Sacramenti. Si autem ſit coactio inducens, ſicut minis vel flagellis: ita quod baptizatus potius eligat baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati; tunc ſuſcipit Sacramentum; ſed non rem Sacramenti.*

(*b*) S. Th. in 4. diſt. 6. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 3. in corp.

CASUS XXXIV.

An iterum, ſub conditione ſaltem, THEOBALDUS ſancti Bricii Parochus baptizare debeat infantem in limine repertum cum appenſa ad collum ſchedula, quæ ipſum jam ob obſtetrice fuiſſe baptizatum teſtatur.

RESPONS.

Theobaldum infantem hunc facere iterum debet aquis baptiſmi abluere ſub conditione, ob iſtam quam tradit Sextum œcumenicum Concilium, generalem regulam (*c*): *De infantibus quoque decernimus*, inquiunt Patres hujus Concilii, *quoties non inveniuntur firmi teſtes, qui eos abſque ulla dubitatione baptizatos eſſe dicant, nec ipſi propter ætatem de ſibi tradito myſterio apte reſpondere poſſint, abſque ulla offenſione baptizari, ne forte ejuſmodi dubitatio eos ejuſmodi purificationis ſanctificatione privet.*

(*c*) Sexta Synodus General. Can. 84.

Idem ſtatuit Concilium Carthaginienſe, de quo jam ſupra in caſu trigeſimo ſecundo, qui incipit a voce *Gerbertus*. En verba ipſius (*d*): *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt propter ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos: ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.* Sic fert etiam Concilium Eboracenſe an. 1195. (*e*): *Ubi autem puer cujus baptiſma ignoratur, reperitur expoſitus; ſive cum ſale, ſive ſine ſale, baptizetur; cum non intelligatur iteratum, quod neſcitur fuiſſe collatum.* Conſtat autem ſchedulam ab homine incognito, & forſan diſſolutioris vitæ, vel etiam ſectæ quæ baptiſmum ad ſalutem non eſſe neceſſarium credit, ſcriptam, non eſſe ſufficiens teſtimonium de baptiſmo expoſiti infantis: quare huic fides ex Aquenſi Concilio an. 1585. (*f*) numquam adhiberi debet: *Licet expoſitus infans ſcriptam habeat collo appenſum, quo ille baptizatus ſignificetur; ſi tamen re diligenter perquiſita... adhuc dubium ſit eum baptizatum eſſe, ea conditionis formula baptizetur. Si es baptizatus, ego te iterum non baptizo. Et ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Eodem modo loquitur Toloſana Synodus an. 1590. (*g*): *Cum projectis expoſitiſque puerulis*, ait, *licet affixa reperiatur ſchedula quæ eos baptizatos eſſe teſtetur; in id tamen, an verum fictumque ſit, Parochi diligenter inquirent. Si certi nihil compererint, inſcripto chartulæ nomine eos ſub conditione baptizabunt.* Aquenſis Concilii ea de re verba uſurpat Narbonenſe an. 1609. (*h*). Conformiter ad hæc Decreta in Noſocomio Pariſienſi, aliiſque puerulorum expoſitorum, iterum baptizantur ſub conditione infantes: idque eo rectius fit, quod omni prorſus fide indigni ſint, qui ſic prolem ſuam exponunt; cum etiam fieri poſſit aliunde, ut valide non fuerint baptizati, propter imperitiam eorum qui baptiſma conferunt, eorumve præproperam feſtinationem.

(*d*) Concil. Carth. 5. in Can. Placuit. C. de Conſecr. diſt. 4.

(*e*) Concil. Ebor. Dec. 4.

(*f*) Conc. Aquenſ. tit. de Bapt. Sacram.

(*g*) Conc. Toloſ. p. 2. Cap. 2. de Bapt.

(*h*) Conc. Narbon. c. 14. de Bapt. Sacramento.

Fatendum tamen in eo caſu unum ſatis eſſe teſtem integrum & incorruptum; præſertimque cum tertiæ perſonæ res non agitur, ut docet Gloſſa in Canonem *Placuit*, modo laudatum; quam admittunt Fagnanus, aliique inclyti Canonum interpretes.

CASUS XXXV.

Cum erronum mendicantium turma in amplo pago per totum ſancti Patroni feſtum diem mendicaſſent, duos ibi in cujuſdam villici horreo pueros, alterum ferme tres, alterum quatuor annos natum ad multam noctem dereliquerunt; quos cum paullo poſt mendicorum diſceſſum reperiſſet villica dormientes: de ea re Parochum admonuit. Quid tum faciet Parochus? Num eos ſub conditione baptizabit?

RESPONS.

Idem, ut videtur, ferri debet judicium, de duobus illis puerulis, atque de infantibus in domorum limine expoſitis, ac proinde illi ſub conditione ſunt baptizandi; quod juſta de cauſſa dubium eſſe poſſit, an homines illi vagi ſuos baptizari pueros curaverint.

1. Quia fæx illa hominum, ſupina plerumque laborans ignorantia, abſque ullo Religionis exercitio, aut potius abſque Religione vitam diſſolutiorem eo impunius degit, quod una ad plurimum die in eodem loco commorentur tranſeuntes. 2. Quia raro viri cum iis quas ſecum ducunt, mulieribus matrimonio juncti ſunt. Aliquando prope claram Abbatiam, Pariſiis decem, aut duodecim leucas diſtantem, horum ſceleratorum viginti & amplius ipſi vidimus colluviem, quorum unus alteri promercalem ſuam uxorem, ac ſuppoſitam quatuor tantum aſſibus vendidit ac tranſtulit: atque de illorum impiorum tolerantia conqueſti, hoc unum abſtulimus reſponſum, eos neceſſe eſſe concoquere; ne iſti, uti non ita pridem quidam abſque dono dimiſſi fecerant, Abbatiæ villam aliquam de nocte incenderent. 3. Quia iis ſolemne eſt non intermiſſa fundere mendacia. Quatuor, aut quinque, inquit is, ſunt mihi liberi, qui fame pereunt; aut uxor ex puerperio abſque ope cubans: alter mancum, claudum, membris inertem, aut ægrum ſe ſimulat. Unus comitiali morbo corripitur; alius omnium egens in diſſitam ſexaginta & amplius leucas patriam redit; iſte e Xenodochio exit, aut etiam e tetro carcere, cujus ærumnas jamdudum, regia non valens ſolvere vectigalia, paſſus eſt: famulatum amiſit ille, nec vi-

vi-

tam labore tolerandam invenit; hujus a trimeſtri ſpatio ægrotat uxor abſque auxilio; iſti officit frontis mollities, ne ſtipem corroget; huic non deeſt natalium ſplendor, ſed cenſus eſt tenuis, aut nullus: mercatorem ſe bonis omnibus funditus everterunt argentariæ diſſolutiones; & in his omnibus ne primæ quidem ſæpe veriloquii ſpecies reperitur; atque a quinquaginta annis tot exemplis res nobis comperta eſt, ut jam incertæ nobis eſſe nequeunt eorum fraudes, eoſque habere debeamus, uti fures eleemoſynarum, quæ veris debentur pauperibus. 4. Deſidioſæ illius gentis hinc etiam manifeſta fit impietas, quod Eccleſias non ſubeat, niſi ut falſa hæc annuntiet, quo aſſes quoſdam emungat; idque tam alta voce, ut illo murmure querulo fidelium mentes ad orationem intentæ alio divagentur, ac patiantur neceſſe ſit, donec mendicabula hæc fictarum calamitatum ſuarum concurſum, ac longiſſimam ſeriem effutierint, quam etiam prorogare quandoque geſtiunt, ut repulſæ damnum ac faſtidium hac ratione vindicent.

Ex his omnibus liquet, cujuſmodi farinæ ſint illi errones vicorum & urbium, quam incerta ſit eorum Religio, & quam male tuto credi poſſit, eos infantibus ſuis aut conferri curaſſe baptiſmum, aut etiam per ſe valide contuliſſe, cum incerta non ſit craſſa eorum inſcitia; ac nullum ferme ad ea ſtudium, quæ ad ſalutem pertinent.

Exiſtimamus igitur, quod ſi expoſiti infantes cum ſcripto ad collum appenſo, ſub conditione debeant baptizari, nulla habita illius ſchedulæ ratione, ut ſtatuunt Concilia Provincialia, Toloſanum *(a)*, Aquenſe *(b)* & Narbonenſe *(c)*; cur itidem non ſacris abluentur aquis pueruli, quorum parentes noſcuntur adeo irreligioſi atque craſſe ignari? Ita nobiſcum ſentit Auctor Colloquiorum Diœceſis Andegavenſis ann. 1703. *(d)* in quibus id tamen animadverſum fuit, quod, ſi quibuſdam annis natu majores eſſent illi pueri; tunc Epiſcopi conſilium requirere teneretur Parochus. Quæ ratio & Canonibus magis conſentanea, & magis tuta nobis videtur.

(a) Conc. Toloſan. an. 1590. Cap. 2.

(b) Concil. Aquenſe tit. de S. Bapt.

(c) Conc. Narbon. 1609. c. 14.

(d) Colloq. Andegavens. menſe ſept. 1703. q. 3.

CASUS XXXVI.

Rabbinus David Judæus Auguſtanus, ſolo temporalis quæſtus intuitu, omnique prorſus in Chriſtum ipſiusve Sacramenta, fide deſtitutus, baptiſmum ſuſcepit. Numquid validus eſt hic baptiſmus?

RESPONSIO.

Ex multis quidem Scripturæ ſacræ *(e)* ſanctorumque Patrum teſtimoniis conſtat, in adultis neceſſario fidem requiri *(f)* ad ſuſcipiendum digne & utiliter baptiſmum; ſed eamdem quoque certum eſt non eſſe neceſſariam ad eum valide ſuſcipiendum, cum ejus validitatem Eccleſia agnoſcat, qui ab hæreticis confertur, modo illud obſervent, quod huic Sacramento eſt eſſentiale. Doctrinam hanc clare vindicat S. Auguſtinus his verbis *(g)*: *Non intereſt*, inquit S. Doctor, *cum de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam: ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt.* Idem quoque docet S. Thomas *(h)*: *Alio modo requiritur aliquid ex neceſſitate ad baptiſmum*, ait Angelicus Doctor, *ſine quo character baptiſmatis imprimi non poteſt, & ſic recta fides baptizati non requiritur ex neceſſitate ad baptiſmum, ſicut nec recta fides baptizantis, dummodo adſint cetera, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti.* Cujus hanc addit rationem: *Non enim Sacramentum perficitur per juſtitiam hominis dantis, vel ſuſcipientis baptiſmum, ſed per virtutem Dei.* Hinc ſequitur Judæum, de quo in caſu propoſito, licet in Chriſtum illiuſve baptiſma nullam fidem habuerit, baptiſmi tamen charactere fuiſſe ſignatum ob conſenſum ſuum, quamvis baptiſmalem gratiam non acceperit.

(e) Marc. c. ult. v. 16. Heb. 11. 6. Act. 8. 37. &c.

(f) Origen. Hom. 8. in Exod. 8. S. Aug. in Can. *Prima*. 73. de Conſecr. diſt. 4.

(g) S. Aug. in Can. *Sicut*. 152. de Conſecr. diſt. 4. § 1.

(h) S. Th. 3. part. Sum. q. 48. art. 3.

Ceterum de pueris nondum ratione utentibus idem non eſt dicendum, ac de adultis circa fidei neceſſitatem in his requiſitam; certum eſt enim pueros, nondum actu fidem habentes, poſſe baptiſmo juſtificari, ut docent S. Auguſtinus ad Bonifacium ſcribens *(i)*, aliiſque multis in locis, & ipſo poſterior Auctor antiquus *(K)*; ac definivit Innocentius III. in Decretali quadam ad Epiſcopum Arelatenſem *(l)*, in qua oppoſita ſolvit argumenta hic ſummus Pontifex: quod pariter a Concilio Tridentino definitum eſt *(m)*. Legi quoque poteſt, qua ratione eamdem doctrinam, ſeu ratiocinio, ſeu S. Auguſtini auctoritate alibi S. Thomas defenderit, atque confirmarit *(n)*.

(i) S. Aug. in Can. *Nihil*. 76. de Conſecr. diſt. 4. ac l. 1. de Peccatorum meritis. c. 25. 27. & 31. & Serm. 10. de verbis Apoſt.

(k) Iſidorus in Can. *Parvuli*. 74. cit. diſt.

(l) Innoc. III. in Cap. *Majores*. 3 de Bapt. & ejus effectu.

(m) Conc. Trident. Seſſ. 7. Can. 13. de Baptiſmo.

(n) S. Th. cit. q. 68. a. 9. ad 1.

CASUS XXXVII.

Florianus, adultus vir, multorum conſcius criminum, humanis tantum rationibus, aut propria utilitate ductus baptiſmum ſuſcepit, interiorem ſervans affectum ad ſua peccata. Numquid integram in futurum eorum veniam impetrabit, ſi de iis conteratur, atque ad pœnitentiam recurrat?

RESPONSIO.

Dubium eſſe nequit, quin ceſſante per pœnitentiam, ſuorumque peccatorum, ac præcipue commiſſi ſacrilegii confeſſionem Floriani fictione, baptiſmus quo ſtatim abuſus eſt, ſuum poſtea, ut docet S. Auguſtinus *(o)*, ſortiatur effectum, *Tunc valere ad ſalutem incipit baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum abolitionem non ſinebat fieri.* Nam, etſi conſcius peccati, baptiſmi characterem, ut ait itidem S. Doctor, non tamen gratiam ſanctificantem ſuſcipit *(p)*, ob obicem peccati, quod pœnitentia tantum deleri poteſt: quod idem aſſerit de eo, qui in hæreſi aut ſchiſmate baptizatus, ad Eccleſiam revertitur *(q)*. *Sic etiam iſte, qui baptiſma Chriſti, quod non amiſerunt, qui ſe ſeparaverunt, inimicus caritatis & pacis Chriſti in aliqua hæreſi, aut ſchiſmate accepit, quo ſacrilego ſcelere peccata ejus non dimittebantur; cum ſe correxerit, & ad Eccleſiæ ſocietatem unitatemque venerit; non iterum baptizandus eſt: quia ei ipſa reconciliatione ac pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum ejus in unitate jam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod in ſchiſmate prodeſſe non poterat.* Et alibi *(r)*: *Cum reverſi fuerint, accipiunt virtutem Spiritus ſancti, quem ii, qui extra Eccleſiam baptizantur, nondum habent.* Hæc autem hujuſce doctrinæ poteſt afferri ratio, quod Sacramenta quæ characterem imprimunt, uti Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, ſuſcipientem in ſtatu invariabili conſtituunt, quamvis imperfecto ob defectum gratiæ, cui obeſt peccatum. Unde character ille haberi debet uti potentia paſſiva, quæ accedente gratia perficitur: Deumque, qui eſt miſericordia, Sacramento ſuam integram tribuere efficaciam credi neceſſe eſt, ubi obicem peccati tollit ſinceri animi converſio.

(o) S. Aug. l. 1. de Bapt. c. 12. in Can. *Tunc valere*. 41. de Conſecrat. diſt. 4.

(p) Idem in Can. *Quomodo* 41. ibidem.

(q) Idem. L. 1. de Bapt. contra Donatiſtas. cit Cap. 12. ſeu. n. 18.

(r) Idem in Can. *Quamvis*. 29. de Conſ. diſt. 4.

Doctorem gratiæ ſequitur S. Thomas *(ſ)*: *Quando aliquis baptizatur*, inquit, *accipit characterem, quaſi formam, & conſequitur proprium effectum qui eſt gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet, quod, remota ea per pœnitentiam, baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum.* Quod ita intelligendum eſt, ut peccatorum præcedentium remiſſionem propria virtute baptiſmus operetur; pœnitentia vero indirecte fictionem amovendo. Diximus *remiſſionem peccatorum præcedentium*: nam uti alibi advertit Angelicus Doctor *(t)*, *baptiſmus, recedente fictione, habet illum effectum quem prius habuiſſet, ſi fictio non fuiſſet: & ideo peccata præcedentia baptiſmus remittit & quoad culpam & quoad pœnam; ſed peccata ſequentia remittuntur virtute contritionis quæ fictionem amovet, quantum ad culpam, ſed non quantum ad pœnam totaliter.* Et alibi *(u)*: *Ad baptiſmi effectum conſequendum concurrit baptiſmus & pœnitentia: Sed baptiſmus, tamquam cauſſa per ſe agens; pœnitentia, ſicut cauſſa per accidens; id eſt, removens prohibens.*

(ſ) S. Thom. 3. par. q. 69. a. 10. in corp.

(t) Idem in 4. diſt. 4. q. 3. a. 2. ad 2.

(u) Idem. 3. part. q. 69. cit. art. 10. ad 2.

CASUS XXXVIII.

Osmanus, miles Turca, captus in pugna, cædium, furtorum, blaſphemiarum, aliorumque ſine numero peccatorum conſcius, baptiſmum requirit. Numquid Sacerdos ei tot ſceleribus con-

gruen-

gruentem debet prius injungere ſatisfactionem, quam ei baptiſmum conferat?

RESPONS.

Sacerdos talem Oſmano ſatisfactionem injungere non poteſt; quia certum eſt de fide, baptiſmo non tantum originale, ſed & actuale peccatum deleri, tum quoad culpam, tum quoad pœnam.

Sufficit igitur 1. ut Oſmanus præcipua Religionis Chriſtianæ myſteria credat, & cognoſcat juxta hæc Chriſti verba (a): *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; quia *Eccleſia Paradiſo comparata*, inquit S. Auguſtinus (b), *indicat nobis poſſe quidem ejus baptiſmum homines etiam foris recipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere .... Sic ergo baptiſmus Eccleſiæ poteſt eſſe extra Eccleſiam, munus autem beatæ vitæ non niſi intra Eccleſiam reperitur*. 2. Requiritur, ut homo ille ſincere de peccatis doleat, Deumque diligere incipiat, *tamquam omnis juſtitiæ fontem*, ut loquuntur Patres Tridentini (c).

(a) Marc. c. ult. v. 16.

(b) S. Aug. l. 4. de Bapt. c. 1. in Can. Eccleſia. 45. de Conſecrat. diſt. 4.

(c) Concil. Trid. Seſſ. 6. de juſtificat. c. 6.

Hanc deciſionem confirmant 1. auctoritas ſancti Auguſtini dicentis (d): *Generante carne tantummodo trahitur peccatum originale; regenerante autem Spiritu, non ſolum originalium, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum*, 2. S. Thomæ (e), qui poſito hoc principio: *Manifeſtum eſt autem.... quod mors Chriſti ſatisfactoria fuit ſufficienter pro peccatis, non ſolum noſtris, ſed etiam totius mundi, ut dicitur* 1. *Joan.* 2. hanc tandem elicit concluſionem: *Et ideo ei qui baptizatur, pro quibuſcumque peccatis non eſt aliqua ſatisfactio injungenda. Hoc enim eſſet injuriam facere paſſioni & morti Chriſti, quaſi ipſa non eſſet ſufficiens ad plenariam ſatisfactionem pro peccatis baptizatorum*.

(d) S. Aug. l. 1. de peccat. meritis & remiſſ. c. 16.

(e) S. Th. 3. part. q. 68. art. 5. in corp.

Neque diſpar eſt a S. Thoma Eccleſiæ doctrina, ut conſtat 1. ex Decreti Eugenii IV. verbis iſtis (f): *Hujus Sacramenti* (baptiſmi) *effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio; ſed morientes, antequam culpam aliquam admittant, ſtatim ad regnum cælorum & Dei viſionem perveniunt*. 2. ex capite ſeptimo ſextæ Seſſionis Tridentini Concilii, quod legi poteſt.

(f) Eugenii IV Decretum pro Armenis ad calcem Concilii Florentini.

Hanc hujus doctrinæ rationem ſuppeditat Innocentius III. ad Epiſcopum Ferrarienſem ſcribens (g), cui declarat irritum fore cujuſdam hominis ordinationem ad Sacerdotium ante ſuſceptum baptiſmum: *Cum baptiſmus*, inquit, *ſit fundamentum omnium Sacramentorum, ante ſuſceptionem baptiſmi non ſuſcipiatur aliud Sacramentum: quoniam ubi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt*.

(g) Innoc. III. in Cap. Veniens De Presbytero non baptizato. l. 3. tit. 43.

Circa autem præſentem difficultatem, duo nobis ſunt cum S. Thoma (h) obſervanda. Primum, quod *ſi qui tamen baptizandi ex ſua devotione ſua peccata confiteri vellent, eſſet eorum confeſſio audienda, non ad hoc quod eis ſatisfactio imponeretur, ſed ad hoc, quod contra peccata conſueta eis ſpiritualis informatio vitæ traderetur*. Alterum; quod poſt ſuſceptionem baptiſmi, ad alieni boni reſtitutionem, injuriæque proximo illatæ eſſent cogendi: *Reſtituere male oblata proximis*, ut loquitur idem Angelicus Doctor (i), *& ſatisfacere eis de injuriis illatis, eſt ceſſare a peccando: quia hoc ipſum, quod eſt detinere aliena, & proximum non placare eſt peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis injungendum eſt, quod ſatisfaciant proximis, ſicut & quod deſiſtant a peccato. Non eſt autem eis injungendum, quod pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur*.

(h) S. Th. 3. part. q. 68. a. 6. in corp.

(i) Idem ibid. art. 5. ad 1.

CASUS XXXIX.

MENANDER, Chirurgus mulierum in partu adjutor, cum mulieris cujuſdam puerperio præſens illam vidiſſet extremos jam efflantem halitus, nec vitam ad horæ quadrantem producere valentem, ante mortem latus ei excidit, ut infans ex utero extractus ſalvus fieret, ac baptiſmo initiaretur. Qua de re a Confeſſario ſuo graviter objurgatus retulit, id eo dumtaxat momento ſe geſſiſſe, cum proxima morti foret mulier; atque eo fine, ut infantis proſpiceret felicitati; cujus æterna ſalus procul dubio temporali matris vitæ eſſet anteponenda; quæ aliunde omnibus jam munita Eccleſiæ Sacramentis, omni prorſus ratione ſenſuque carebat. Quæritur jam cui ſit jus, an Menandro, an vero ipſius Confeſſario?

RESPONS.

Pro Confeſſario ſtat jus: nam homicidii reus eſt Menander, quod propria auctoritate mulieri huic vitam eripuit, neque ulla ratione ab homicidii reatu poteſt excuſari. Id quidem docet S. Antoninus (K): *Mulier viva nullo modo debet ſcindi, ut puer, quem habet in ventre, baptizetur; etiamſi conſtaret, ipſum moriturum alias ſine baptiſmo*. Deciſionem hanc firmat S. Thomas iſto fultus Apoſtoli (l) principio: *Dicendum*, inquit (m), *quod non ſunt facienda mala, ut veniant bona, Rom.* 3. *Et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum*. Unde matris mortem abſque crimine accelerare non potuit Menander, ut infantis ſaluti proſpiceret; *ſi tamen*, pergit Angelicus Doctor, *mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur*: cum experientia ſit compertum, ut obſervat Poſſevinus (n), ex Medicorum conſenſu; quos ex iis plurimos, ac peritiſſimos ſe conſuluiſſe teſtatur, talem infantem matri ſuæ, ſaltem tribus horæ quadrantibus poſſe eſſe ſuperſtitem. Idque conſulere Parochum iis qui periculoſo adſunt puerperio, vult (o), S. Carolus: *Si quando autem in partu mulier obierit*, inquit hic S. Archiepiſcopus, *hoc fieri admonebit, ut uterus aperiatur, indeque fetus eductus, ſi vivit, quam primum baptizetur*.

(K) S. Anton. 3. part. Sum. tit. 14. c. 13. §. 1.

(l) Rom. 3. 8.

(m) S. Th. 3. part. Sum. q. 68. a. 11. ad 3.

(n) Poſſevinus de officio Curati c. 6.

(o) S. Carol. Acta Eccleſiæ Mediolan. p. 4. Inſtruct. Confeſſ. tit. de iis, quæ Parochus curet, cum timetur de partu.

Vide { PUTATIVUS. }

BELLUM.

IN hoc titulo non agitur de bello, quod civile dicitur, ut ſit inter Principem aut Rempublicam, & quoſdam eis ſubditos; aut inter ejuſdem Status ſubditos, vel denique inter Magiſtratus & populum ejuſdem Principis; ſed de bello proprie dicto procedit quæſtio: cujus quidem juſtam cauſſam, legitimumque finem complectitur iſta a celebri Theologo allata definitio (p): *Bellum eſt publica armorum aſſumtio Reipublicæ tuendæ vindicandæve gratia*: ex his terminis: *publica armorum aſſumtio*, intelligitur ad ſolum Principem, aut Reipublicæ rectores pertinere jus publica auctoritate arma aſſumendi: ex iſtis autem: *Reipublicæ tuendæ vindicandæve gratia*, liquet, duplex diſtinguendum eſſe belli genus: *defenſivum* unum, quod ſit contra hoſtes Reipublicæ, ut eam defendant, alterum *offenſivum*: cujus

(p) Polman. Brev. Theol. part. 2. 2. num. 24.

finis

finis eſt vindicta publicæ injuriæ Principi, aut Statui illatæ, cum debita iis denegatur ſatisfactio.

Omnis Princeps, aut Reſpublica, qui alium etiam Principem ſui ſuperiorem agnoſcit, ut in Germania Princeps Elector ſacri Imperii, bellum pure defenſivum ſuſcipere poteſt. At ſupremo dumtaxat Principi, hoc eſt, qui in temporalibus nullum ſe ſuperiorem agnoſcit, uti Imperaror, Galliæ Rex, aliique ſimiles Principes, licet bellum offenſivum inſerre.

Belli juſti tres ſunt conditiones, publica videlicet auctoritas, cauſſa legitima, & intentio recta; quarum una deficiente bellum eſt illicitum, nec a peccato mortali excuſantur bellantes, ut fuſius explicabimus in prima hujuſce tituli deciſione.

Hinc palam fit, quam injuſtum & immane ſit bellum, ab eo illatum, qui illud tantum indicit ob ambitionem atque latius dominandi libidinem, ob avaritiam & majorum divitiarum cupiditatem, aut nimiæ vicini Principis quocum pace fruitur, potentiæ timorem, vel etiam regionem ſedibus ac domicilio opportuniorem poſſidendi invidiam; vel denique ob Rivalem bonis aut ſtatu, ut putatur, ſuo indignum, aut jure legitime acquiſito ſpoliandi cupidinem, quod inde ſit aliquid incommodi, quo armorum vi cupit eſſe immunis.

Si belli duces ac milites dubitent, num ſit juſtum bellum de cujus injuſtitia non convicti, poſſunt tamen abſque crimine militari, ac Principi ſuo ſervire; *ſi vero certum non eſt*, inquit Cajetanus (a), *ſubditi Principis indicentis bellum, excuſantur obedientes domino ſuo*. Quod probat hic Cardinalis auctoritate ſancti Auguſtini contra Manichæos ſcribentis (b), quem Gratianus, licet fuſius & clarius mentem ſuam aperiat in eo, ex quo Canonem hunc excerpſit loco hic collector, ſic loquentem inducit: *Vir juſtus ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrilego, militet; recte poteſt, illo jubente bellare, ſi vice pacis ordinem ſervans, quod ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt; vel utrum ſit, certum non eſt; ita ut fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Idem docet Bartholomæus Fumus, atque Cajetanus; ex quo ſic concludit hic Cardinalis: *Excuſatur ergo ſubditus in bello de quo neſcit an ſit juſtum .... ratione obedientiæ. Et univerſalis ratio, quare obedientia in dubiis excuſat*, ſubdit idem Auctor, *eſt, quia non eſt ſubditorum diſcutere conſilia, definitioneſque dominorum ſuorum; ſed præſumenda ſunt juſta, niſi manifeſtam contineant iniquitatem.* Eos tamen a peccato non excuſat hic Auctor, qui in tali dubio ſub aliquo Principe, cum nec ejus eſſent ſubditi, nec ſtipendiarii, militiam voluntarie ſuſciperent.

(a) Cajet. in Summ. v. Bellum. n. 3.

(b) S. Aug. l. 22. contra Fauſtum. c. 74. & 75. in Can. Quid culpatur. 42. 23. q. 1. §. 2.

Verum hæc merito agitatur quæſtio, utrum videlicet Princeps, qui ob illatæ injuriæ, aut publici damni ſatisfactionem, juſtum bellum ſuſcepit, illud remittere ſub conſcientia teneatur; an vero prorogare poſſit, cum ab hoſte debita offertur ſatisfactio? cui quæſtioni, ut reſpondeatur, tria belli tempora, ſeu triplicem ſtatum vult idem Cardinalis diſtingui.

Primus eſt initium belli, quando nimirum bellum fuit denuntiatum, & incedit, aut ſaltem collectus eſt exercitus; quo in caſu oblatam ſibi denegare non poteſt Princeps æquam ſatisfactionem; quia ob neceſſitatem tantum quæ in hoc caſu deſinit, bellum poteſt fieri juſtum, ex his S Auguſtini verbis (c); *Pacem debet habere voluntas, bellum neceſſitas .... non enim pax quæritur, ut bellum exciteturr; ſed bellum geritur, ut pax acquiratur.*

(c) S. Aug. in Can. Noli. 1. 23. q. 1.

Secundus belli ſtatus eſt, cum jam facta ſint utrinque hoſtilia, ut pugnæ, obſidiones urbium &c. quo tempore juxta Cajetanum non tenetur Princeps bellum intermittere ob coactam ſatisfactionis ab hoſte factæ oblationem: quia, ut ait, ille Princeps qui juſtum bellum gerit, eſt inſtar capitalis Judicis, cujus eſt, uti perſonæ publicæ, ſcelus aliquod ulciſci; cumque juſtum bellum ſit actus juſtitiæ vindicativæ, illud prorogare poteſt in illius vindictam, qui culpa ſua huic anſam præbuit, quique ob denegatam, quam ſtatim offerre poterat, ſatisfactionem, voluntariam injuſtitiæ ſuæ pœnas luendi ſubiit neceſſitatem. Sed exigunt humanitatis ac prudentiæ Leges, ut bello, quantumlibet producto, juſti præfigantur limites; ne ſeverioris ob injuriam aut illatum damnum vindictæ deſiderio, majora vel Statui vel ipſi Principi mala eveniant, quam bonum quod inde ſperatur; cum incertus ſit exitus, & anceps fortuna belli, atque inclementem ac ferreum hominem odio Deus proſequatur. Obtenta itaque ſibi, aut ſubditis ſuis debita ſatisfactione; hoc Chriſtiano Principi ſatis eſſe debet, ut ſibi cautionem capiat, qua obtectus in poſterum nihil ab hoſte reformidet.

Tertius denique belli ſtatus eſt, cum jam deferveſcit ac brevi confici vide-

tur: qua de re hic Auctor eodem plane modo, ac de ſecundo belli ſtatu argumentatur.

Quod pertinet ad obligationem reſtituendi damna, occaſione belli injuſte illata, alibi de ea fiet ſermo.

Ut vi aperta, ſic dolo ac ſtratagemate cum hoſtibus bellare licet, modo iis data ſervetur fides.

CASUS PRIMUS.

Theodulus, Princeps ſupremus, illatam ſibi a vicino Principe injuriam armis ulciſci cupiens, nec ei tamen, niſi juſta de cauſſa, bellum indicere volens, ne effuſum in eo ſanguinem Deus a ſe requirat, a ſuo Confeſſario poſtulat, quæ ſint requiſitæ conditiones ad bellum juſtum & innoxium, Quid reſpondebit ille Confeſſarius?

RESPONS.

Theodulo conſulens ille Confeſſarius doctrinam tantum S. Thomæ ſequetur, qui docet, juſtum eſſe non poſſe bellum, niſi adſint tres conditiones; *Ad hoc*, inquit ſanctus Doctor, (a) *quod aliquod bellum ſit juſtum, tria requiruntur.*

(a) S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. in corp. Item q. 41. a. 1. ad 2. & 3. part. q. 42. art. 2. ad 1.

Primo quidem, auctoritas Principis, cujus mandato bellum eſt gerendum; non enim pertinet ad perſonam privatam bellum movere: quia poteſt jus ſuum in judicio Superioris proſequi. Solus namque Princeps contra iniqua hoſtium molimina ditionem ſuam tueri poteſt, ut multis Scripturæ ſacræ tum veteris, tum novi Teſtamenti teſtimoniis probat Angelicus Doctor, cui his verbis congruit S. Auguſtinus (b): *Ordo tamen ille naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli auctoritas atque conſilium penes Principem ſit:* nec non iſta lex Valentiniani & Valentis (c): *Nulli prorſus; nobis inſciis atque inconſultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* Quod pariter anterioribus ac poſterioribus Legibus (d) fuit prohibitum.

(b) S. Aug. lib. 22 contra Fauſt. c. 75.

(c) Leg. *Nulli*, unic. Cod. ut armorum uſus inſcio Principe interdictus ſit. lib. 13, tit. 42.

(d) Leg. 1. ff. ad Leg. Juliam. & Novel. de armis.

Secundo, requiritur juſta cauſſa, addit S. Thomas, *ut ſcilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur.* Quod ex S. Auguſtino (e) confirmat idem Angelicus Doctor: *Unde & Auguſtinus in lib. 83. quæſtionum: juſta bella ſolent definiri, quæ ulciſcuntur injurias, ſi quæ gens, vel civitas plectenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere, quod per injuriam ablatum eſt.*

(e) Lib. 83. qq. q. 10. in Joſue.

Tertio, requiritur ut ſit intentio bellantium recta, qua ſcilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Quod probat Angelicus Doctor auctoritate S. Auguſtini in Decreto Gratiani his verbis relata (f): *Apud veros Dei cultores etiam illa bella peccata non ſunt, quæ .... pacis ſtudio geruntur, ut mali coerceantur, & boni ſubleventur.* Non ſine ratione ita loquebatur hic gratiæ Doctor: quandoquidem non aliter ſenſerint, vel ipſimet ethnici, ut patet ex his Tullii verbis: (g) *Bellum ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud, niſi pax quæſita videatur.* Quæ quidem tertia conditio tanti eſt momenti ad belli juſtitiam, ut poſſit eſſe illicitum, niſi duabus prioribus accedat. *Poteſt autem contingere*, inquit S. Thomas, *ut ſi ſit legitima auctoritas indicentis bellum, & cauſſa juſta, nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum.* Quod ex his S. Auguſtini verbis ex ejus amplo in Fauſtum Manichæum opere depromtis confirmat: *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus .... libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia; hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.*

(f) S. Aug. in Can. *Apud.* 6. 23. q. 1.

(g) Cicero. l. 3. de Officiis.

Ex dictis itaque colligendum, quod, ut Theoduli bellum ſit juſtum & innoxium, non ſufficit in eo ſuprema auctoritas; ſed inſuper requiritur. 1. Ut juſtam ob cauſſam hoſti ſuo bellum indicat, ac juſtitiæ ſit conformis ejus intentio. 2. Ut belli declarandi ſit pax, finis: *Pacem* namque, ut pulchre ait S. Auguſtinus (h), *habere debet voluntas; bellum neceſſitas ...., non enim pax quæritur, ut bellum exerceatur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur.*

(h) Idem Epiſt. 189. alias 205. in Can. *Noli.* 3. 23. q. 1.

Hæc Theodulo conſulens norit principia Confeſſarius; ſed inſuper, quod præcipuum caput eſt, quæ ſint in Principe juſtæ belli indicendi cauſſæ a Covarruvia (i) qui earum quatuor recenſet, omnino accipiat. Prima *inter alias belli cauſſas .... illa eſt omnium probatiſſima, quod bellum fiat ad defenſionem Reipublicæ, ne ea a tyranno per vim opprimatur; item ad defenſionem proprii imperii & provinciarum ad id pertinentium.* Quod probat doctus ille Epiſcopus ex Decretali Innocentii III. ad Epiſcopum Dalmatam, (k) atque tribus Digeſtorum Legibus.

(i) Didac. Covar. a Leyva. tom. 1 part. 2. ſelectionia in Cap. *Peccatum*. 4. de regulis juris in 6. §. 10. n. 3. & 4.

(k) Innoc. III. in Cap. *Olim*. 12. de reſtit. ſpoliat. lib. 2. tit. 3.

Secunda eſt, *quoties bellum geritur ad vindicandam injuriam iniquiſſime illatam*, aut damnum injuſtum reparandum. Quod probat auctoritate S. Auguſtini iiſdem jam terminis a S. Thoma laudata, & qui iis æquivalent quoad ſenſum, qui reperiuntur in exemplari hujuſce ſancti Doctoris, cui conſentiunt hæc alia antiqui Canonis verba: (l) *Juſtum eſt bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulſandorum hoſtium cauſſa.*

(l) Iſidor. in Can. *Juſtum*. 2. 23. q. 2.

Tertia, *cum ſubditi adverſus Principem inſurgant, nec volunt ei obedire, etſi fuerint ab illo ſæpe admoniti*; ut ait idem Covarruvias, his nixus Apoſtoli verbis: (m) *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*; & hoc exemplo, quod e ſecundo Regum (n) libro depromitur, in quo fit mentio de rebellione ac punitione Sebæ, ſeditionem in Iſrael contra David moventis; atque Auguſtini auctoritate in Gratiani Decreto laudata, (o) qui hanc rationem, uti legitimam comprobat.

(m) Rom. 13. 2.

(n) 2. Reg. 20. & 21.

(o) S. Aug. in Can. *Quid culpatur*. 4. 23. q. 1.

Quarta, *cum quis alium impedit*, inquit idem noſter Canoniſta, *ne per aliquam Provinciam tranſeat, etiam propriam impedientis; modo tranſitus ille innoxius futurus ſit. Etenim licitum eſt tunc bellum impedienti movere; nam cum tranſitus innoxius, qui jure humanæ ſocietatis debetur, negatus fuerit; juſte neganti bellum infertur.* Ob eam cauſſam, addit hic Auctor, Sehon & Og, Amorrhæorum Regibus (p) bellum intulere Iſraelitæ, quos ex crimine eximit S. Auguſtinus, dicens (q): *Notandum eſt ſane, quemadmodum juſta bella gerebantur, (a filiis Iſrael contra Amorrhæos) innoxius enim tranſitus negabatur, qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat.* Hæc ſunt potiſſimum, quæ ſcire tenetur Theoduli Confeſſarius, ut Pœnitenti ſuo tuto reſpondeat, & conſulat.

(p) Num. 21. v. 21. & ſeqq.

(q) S. Aug. q. 44. in Num. in Can. *Notandum*. fin. 23. q. 2.

CASUS II.

Nectarium, Principem Chriſtianum, paterni Regni, tum ætatis prærogativa, tum Patris teſtamento heredem, in jure ſuo interpellat Maximus, frater ejus natu minor, qui ſceptrum dolo occupatum, vi retinet. Nectarius vicinis ſuis Principibus parum carus, emendicato fruſtra ab iis auxilio, ab infideli Principe opem vellet petere, cujus imperio finitima eſt ſua ditio. Qua de re quærit, utrum in explicatis modo circumſtantiis abſque peccato id ipſum præſtare valeat?

RESPONS.

Diſtinctione opus eſt: nam, vel Princeps ille infidelis cum Chriſtianis nec active, nec paſſive militat, vel non: ſi non militat; hæc eſt S. Antonini ſententia (r), Nectarium abſque peccato infidelis hujus Principis auxilium poſſe implorare, cum non alia ratione jus a fratre ſuo debitum poſſit repoſcere, ac legibus naturalibus divinis & humanis vim vi repellere liceat. *Puto infideles pacificos, non habentes guerram active nec paſſive nobiſcum; imminente neceſſitate licite poſſe vocari: aliter non; ſcilicet, ſi guerra urget, vel noſtrum bellum eſt juſtum, vel injuſtum, ſed non urget neceſſitas*; ut loquitur inclytus Auctor apud S. Antoninum, qui inſuper pro eadem opinione Joannem Neapolitanum laudat: *Idem etiam tenet Joannes Neapolitanus in* quod-

(r) S. Anton. 3. p. tit. 4. c. 2. §. 12.

Digitized by Google

quodlibetis, concludens, quod, cum non ſit guerra inter nos & Saracenos & Turcas, non liceret modo uti auxilio eorum contra fideles, dum duret guerra. Idem denique ſentit Nicolaus de Lyra (a), de Davide loquens his verbis: *In tali bello* (hoc eſt Davidis contra Saul) *juſto poterat licite uti Philiſtinorum qui erant infideles, conſortio & auxilio,.. nec peccaſſet David, ſi habebat juſtum bellum contra Saul, quod potuit eſſe ... poterant enim ipſi filii Iſrael cum Philiſtæis facere, & ſi non fœdera perpetua, tamen treguas ad tempus & juramento firmare.*

Verum, ſi de præſenti militet cum Chriſtianis hic Princeps infidelis, ejus auxilium requirere non poteſt Nectarius, niſi urgente ad id neceſſitate; quantumvis aliunde æquum foret bellum.

CASUS III.

Numquid peccat ANNIBAL, Dux exercitus, qui hoſtes diebus Dominicis ac feſtis præcipuis incautos, ac minus cuſtoditos noſcens, pugnam ſolet edere?

RESPONS.

Reſpondet Angelico Doctori (b) adhærens S. Antoninus (c), *quod diebus feſtis bellare, ſecundum Thomam, licet, urgente neceſſitate, alias non.* Cujus deciſionis hanc affert rationem S. Thomas: *Ordinatio feſtorum*, inquit, *non impedit ea quæ ordinantur ad hominis ſalutem, etiam corporalem. Et inde eſt quod medici licite poſſunt medicari homines in die feſto. Multo autem magis obſervanda eſt ſalus Reipublicæ, poſtquam impediuntur occiſiones plurimorum, & innumera mala & temporalia, & ſpiritualia, quam ſalus corporalis unius hominis. Et ideo pro tuitione Reipublicæ fidelium licitum eſt juſta bella exercere in diebus feſtis, ſi tamen hoc neceſſitas expoſcat. Hoc enim eſſet tentare Deum; ſi quis imminente tali neceſſitate vellet a bello abſtinere. Sed, neceſſitate ceſſante, non eſt licitum bellare in diebus feſtis.* En verba S. Thomæ.

Cajetanus hæc Angelici Doctoris verba explicans: *Si tamen hoc neceſſitas expoſcat*; & hæc alia: *ſed neceſſitate ceſſante non eſt licitum bellare in diebus feſtis*, oblatam tantum victoriæ referendæ occaſionem contendit eſſe neceſſitatem ſufficientem, quæ in eo caſu ab omni peccato eximat: quia de facili labitur occaſio, niſi oblata, opportune & ſuo tempore teneatur: v. g. die feſti Dux cum 30000. pugnantium, hoſtilem penitus fundere poteſt exercitum 20000. pugnantium, quem ſequenti die jam vincere non poterit; quod craſtina die 15000. militum ſubſidio augebitur: quo in caſu pro certo, quodcumque ſit feſtum, pugnam edere & poteſt & debet. Longius etiam progreditur Cajetanus, & propugnat, etiam ſublata omni neceſſitate nullum eſſe peccatum die feſta pugnare: *Cum bellare*, inquit, *non ſit de genere opus ſervile, nec ſecundum ſe malum, ſed pro cauſato illicitum pro quanto fini ipſius Sabbati improportionatum eſt; nulla ratio apparet, quare ſit peccatum mortale, in feſto abſque neceſſitate* (bellare) *ſi divina non omittantur.* Hæc tamen opinio mitior nobis videtur; nec in praxi ſequenda.

Ea nonnullis quidem Canonibus fuit vetitum abſque neceſſitate bellare, non ſolum feſtis diebus, ſed etiam tempore Adventus & uſque ad octavam Epiphaniæ, & a Dominica ſeptuageſimæ ad octavam Paſchæ; & ex quibus pariter fuit conſtitutum, ut toto eo tempore fiant induciæ ſeu treugæ, earumque infractores excommunicent Epiſcopi (d); Verum irriti fuere illi Canones, nec ad praxim poſſe reduci ab Epiſcopis judicati ſunt: *Sed quod dicit heic, hodie non tenet*, inquit Gloſſa (e) *& Epiſcopi, qui non ſervant hanc conſtitutionem (ſcilicet in non excommunicando) contrarium facientes, ut ibi mandatur*, addit ſanctus Antoninus, (f) *non dicuntur tranſgreſſores: quia non fuit moribus utentium approbata hujuſmodi Treuga.*

CASUS IV.

ARMENOUS, Equitum Tribunus, vir rei bellicæ peritiſſimus, non palam, ſed ſtructis inſidiis hoſtes appetens magnam, quolibet militiæ tempore, eorum ſtragem edit; numquid abſque peccato ita ſe gerere poteſt, ſi bellum ſit juſtum?

(a) Nicol. de Lyra in reg. 28.

(b) S. Th. 2. 2. q. 40. art. 4.

(c) S. Anton. 3. part. tit. 4. c. 2. §. 9.

(d) Nicol. I. in Can. Si nulla. 15. 23. q. 8. Alex. III. in c. 1. de Treuga & pace. l. 1. tit. 34.

(e) Gloſſa in d. c. Treugas v. frangatur.

(f) S. Anton. cit. §. 9.

RESPONS.

Poteſt. Ita ſentit S. Auguſtinus his verbis: (g) *Cui bellare fas eſt, ... cum juſtum bellum ſuſceperit: utrum aperta pugna, utrum inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſt.* S. Auguſtinum ſequitur Silveſter de Prierio (h), cui jam præiverat in eadem opinione S. Antoninus (i); qui addit licite quidem hoſtibus ſtrui inſidias, *dummodo fidem non rumpamus*; quod probat: 1. auctoritate S. Auguſtini quam refert Canon (k) his verbis: *fides enim quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur.* 2. auctoritate S. Thomæ (l).

Idem docet Angelus de Clavaſio (m), ac ſententiam ſuam, iiſdem quas attulimus rationibus, nec non auctoritate S. Hieronymi quem laudat Gratianus in Decreto (n), confirmat. Hanc quoque deciſionem aſſerit illuſtre quoddam exemplum e Scriptura (o) depromtum, in quo Deus Joſue imperat, ut urbis Hai habitatoribus, Iſraelitarum hoſtibus ponat inſidias. *Pone inſidias urbi poſt eam. Surrexitque Joſue & omnis exercitus bellatorum cum eo ... præcepitque eis dicens: Ponite inſidias poſt civitatem, nec longius recedatis..... Vobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidiis, & vaſtabitis civitatem... Inſidiæ quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim, & pergentes ad civitatem, ceperunt & ſuccenderunt eam.* Sic loquitur Scriptura, quæ hoc uno exemplo Armenoum a crimine eximit.

CASUS V.

EUGENIUS, Centurio, ejuſque peditum manipulus, hoſtilem vicum expugnatum, qui impoſita ſibi tributa ſolvere recuſarat, diripuerunt, ac maximam ibi prædam fecere. Numquid eorum eſt hæc præda legitime, ita ut ad nullam teneantur reſtitutionem?

RESPONS.

Ut propoſita ſolvatur quæſtio, diſtinguendum cum S. Thoma (p): *Si illi qui deprædantur, hoſtes*, inquit Angelicus Doctor, *habeant bellum juſtum; ea quæ per violentiam acquirunt in bello, eorum efficiuntur: & hoc non habet rationem rapinæ. Unde nec ad reſtitutionem tenentur.* Quod idem affirmat Juſtinianus Imperator his verbis (q): *Ea quæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra ſunt*; niſi forte aliter lege præcipua cautum ſit, uti in Gallia, ubi Maris Præfectus Generalis maritimæ prædæ decimam partem obtinet: *Si vero*, pergit idem ſanctus Doctor, *illi, qui prædam accipiunt, habent bellum injuſtum: rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur.* Eodem modo ſentit Zacharias Paſcaligius (r), qui ſuam aſſerit ſententiam auctoritatibus S. Thomæ, Canonis Decreti Gratiani, quinque legum ac tredecim aliorum Auctorum, quibus addi poteſt S. Antoninus (ſ): ex quibus omnibus patet, quid de Eugenio ejuſque peditibus ſentiendum ſit.

Juvat tamen heic obſervare 1. Quod, licet in bello juſto ablata reſtituere non teneantur milites, defectu tamen bonæ intentionis peccant ſæpiſſime, cum nimirum cupiditate atque avaritia potius ducti, quam motivo juſtitiæ prædantur; *Militare*, inquit S. Auguſtinus (t) *non eſt delictum, ſed propter prædam militare peccatum eſt*: quod idem obſervat S. Thomas (u); *Quamvis*, ait, *poſſint in acceptione prædæ juſtum bellum habentes peccare per cupiditatem ex prava intentione, ſi ſcilicet non propter juſtitiam, ſed propter prædam principaliter pugnant.* 2. Id etiam obſervandum cum S. Bernardino Senenſi (x), quod *ſubditus movens bellum pro domino ſibi mandante, aut credit bellum eſſe juſtum, aut injuſtum, aut dubitat. In primo caſu, cum credit eſſe juſtum, quia habet rationem hoc credendi, non tenetur reſtituere ea quæ accepit ab hoſtibus, niſi ſecundum edictum domini ſui* (quod jam ſupra diximus.) *Neque peccat, niſi habeat corruptam intentionem, ſcilicet per cupiditatem, odium, vindictam & ſimilia, quæ ponuntur vigeſima tertia qu. 1. Canon. quid culpatur*, (Quod ſimiliter poſt ſanctum Thomam docuimus.) *In ſecundo vero caſu, cum ſcit, vel probabiliter credit; puta rationem credendi habet*, bel-

(g) S. Aug. q. 10. in Joſue in Can. *Dominus*. 22. 23. q. 2.

(h) Silveſt. de Prierio. v. *Bellum*. q. 8.

(i) S. Anton. 3. part. tit. 4. c. 2. §. 10.

(k) S. Aug. in Can. *Noli*. 3. 23. q. 1. §. 3.

(l) S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 3.

(m) Angelus de Clavaſio. v. *Bellum*. n. 12.

(n) S. Hieron. in Can. *Utilem*. 21. 22. q. 2.

(o) Joſue 8. 25. & ſeqq.

(p) S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 8. ad 1.

(q) §. 17. Inſtitut. de rebus cadiris.

(r) Zachar. Paſcaligo. Var. quæſt. moral. Cas. Centuria. 2. q. 113. n. 5 & 6 jod cum S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. Can. *Jus gentium*. diſt. 1. leg. 5. §. *Item capta*. ff. de actions. poſſ. l. *Naturalem*. §. fin. & l. *Transfugam*. ff. de acquirendo rerum dominio L. *Hoſtes*, & L. *Si quid*, ff. de Captivis, & poſtliminio &c. Lib. 49. tit. 15.

(ſ) S. Anton. 3. pars. tit. 4. c. 2. §. 1.

(t) S. Aug. in Can. *Militare*. 5. q. 23.

(u) S. Thom. cit. art. 8. ad 1.

(x) S. Bernardinus Senenſis Serm. 3. in Dom. 4. Quadrageſimæ art. 2. c. 3.

bellum eſſe injuſtum, reſtituere obligatur: quia tenetur plus Deo, quam hominibus obedire. In tertio autem non tenetur; excuſatur enim propter obedientiæ bonum; licet forte peccet dominus contra Deum. Pro ſua opinione hic S. laudat Silveſtrum *(a)*, a quo citantur Joannes de Anagnia, & Hoſtienſis.

(a) Silveſter v. Bellum, 3. q. 6, §. *Secunda*.

CASUS VI.

Nonne homicidii reus eſt Hermocrates, miles, qui nec excubias agens, nec in hoſtiles emiſſus agros, ſed ambulans, hoſticum cui forte occurrit, militem dormientem interfecit?

Respons.

Certum eſt, Hermocratem homicidii conſcium eſſe: quia neminem dedita opera ac privata auctoritate licet occidere, ut conſentiunt omnes Theologi: Atqui Hermocrates, cum nec vigilias agat, nec ad prædam ſit emiſſus, hoſticum hunc militem privata occidit auctoritate: ſit ergo illa cæde reus homicidii *(b)*. Inſuper *qui in bello juſto occidit*, inquit Navarra *(c)*, *... poteſt quidem habere propoſitum & animum occidendi propter bonum pacis, & tranquillitatis Reipublicæ: At qui in aliis caſibus occidit, non poteſt jure habere animum occidendi*. Certum eſt autem, unius militis necem ad publicam tranquillitatem nihil conferre; cum ex ea nec debilitetur exercitus, nec ſit minus formidandus; Unde inhumani animi eſt tantum Hermocratis actio.

(b) D. De Sainte Beuve tom. 3, Caſ. 10.

(c) Navarr. Manual. c. 15, n. 2.

CASUS VII.

Herennius, miles, ſub Principe libenti animo militiam profeſſus in bello, de cujus juſtitia firma ipſi erat dubitatio, cum urbis vi captæ direptioni adfuiſſet, ex ea mille nummorum utilitatem percepit. Pace compoſita, triennio quadrienniove poſt bellum hoc pro certo fuiſſe injuſtum agnovit. An tenetur ad reſtitutionem mille nummorum?

Respons.

Parem, quam ſibi proponit Angelus de Clavaſio *(d)*, difficultatem ſolvit dicens, talem hominem ſub conſcientia teneri ad reſtitutionem eorum omnium, quæ ea ratione lucratus eſt, licet eſſent abſumta; *Quia*, inquit, *numquam habuit bonam fidem, ex quo ſemper dubius permanſit*. Eamdem ſententiam tuetur Silveſter his verbis *(e)*: *Cum autem ſciverit, aut probabiliter crediderit bellum injuſtum, reſtituere tenetur omnia quæ habet ..., & etiam quæ ſunt conſumta, ſi ſemper fuit dubius; quia non fuit poſſeſſor bonæ fidei*.

(d) Angelus de Clavaſio. v. *Bellum*. n. 9.

(e) Silveſter v. Bellum. n. 10. vel. q. 9.

Nec juvat heic dicere, Herennium tribus annis integris mille nummos penes ſe habuiſſe, quos proinde uſucapione acquiſivit: Nam ex jure canonico, ut alibi probavimus, per uſucapionem non acquiritur rei proprietas, niſi legitimo ad præſcribendum tempore bona fide fuerit poſſeſſa: atqui, licet abſolute loquendo, Herennius non fuerit poſſeſſor malæ fidei, non fuit tamen bonæ fidei, durante videlicet ipſius dubio probabili ac firmo, ut ſupponitur: *Quia jura requirunt*, inquit alibi idem Clavaſius, de præſcriptione loquens *(f)*, *nedum quis non ſit in mala fide, ſed quod ſit in bona fide: & ideo, licet non ſit in mala fide, non eſt tamen in bona. Et hæc opinio*, ſubdit, *in foro animæ eſt verior quoad uſucapionem rei, ſed reſpectu fructuum lucrandorum, ſufficit malam opinionem abeſſe. Quamvis Panormitanus, & communis opinio, & Gloſſa*, pergit idem Auctor, *... teneat, quod dubitatio etiam firma non impedit præſcriptionem, etiam quoad rem ... ſed hoc verum quoad forum contentioſum tenetur, non quoad conſcientiam*.

(f) Angelus de Clavaſio. v. *Præſcriptio*. q. 4.

Vide Centurio.

BENEDICTIO.

NOn in Eccleſiam tantummodo Chriſtianam Benedictionum uſus inductus eſt, ſed etiam Judaicam: præcepit namque Deus Moyſi, ut Aaroni ac Sacerdotibus populo ſuo benedicere juberet *(g)*; *Loquere ad Aaron & filiis ejus; ſic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te; .... & ego benedicam ei*. Henricus Epiſcopus Gandavenſis aſſerit, Sacerdotes illos, peracto ſacrificio, benedicere populo ſolitos, ad quatuor Mundi partes, Orientem primo, tum Occidentem, poſtea ad Septemtrionem, ac denique Meridiem elevando manus *ſurſum ſcilicet*, ait, *& deorſum, ſiniſtrorſum & dextrorſum (h)*: in quo expreſſa erat Crucis Chriſti figura; quodque hereticos confuſione debet percellere; qui ſacrum illud ſignum, in honorem Crucis Domini Jeſu & tamquam Paſſionis ejus memoriale, inſtitutum contemnunt.

(g) Num. c. 6. 23. & ſeqq.

(h) Janſen. Gandav. in Cap. 50. Eccli. v. 22.

Non dubium eſt, quin mos benedicendi rebus & perſonis, per totam Eccleſiam uſurpatus, ab Apoſtolica traditione dimanet. Ex Auguſtino namque ad Januarium ſcribente *(i)*: *Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri*.

(i) S. Aug. Ep. 54. n. 1. alias. 118 & l. 4. de Bapt. contra Donatiſtas. c. 24.

Inter autem Eccleſiæ conſuetudines, nullus eſt univerſalior uſus, quam ut res perſonæque Crucis benedictione muniantur. Cujus rei Chriſtus Apoſtolos ſuos ab incunabulis Eccleſiæ inſtituta commonens, exemplum dedit, eis ante aſcenſum ſuum in cælum benedicens: *Elevatis manibus benedixit eis*; quod quidem præſtitit, ut putat S. Hieronymus, *(k)* ſignum Crucis efformando, quod eſt ipſius character, uti exiſtimat Auctor ſermonis S. Auguſtino adſcripti *(l)*, qui Chriſtum Ananiæ ſic loquentem inducit, cum ad ipſum Paullus ad Baptiſmum miſſus eſt: *Vade ad eum & ſigna eum charactere meo*. Si vero modus ille perſonis benedicendi tam aperte Scripturæ ſacræ ac Traditionis auctoritate ſit munitus; a fortiori probari & ad praxim reduci debet mos univerſalis Eccleſiæ rebus benedicendi.

(k) S. Hieron. in Iſai. c. 66.

(l) Apud S. Aug. Serm. 204. Appendicis. n. 2. alias Serm. 35. de Sanctis.

In hoc titulo nullum ſpecialem hac de re caſum proponimus, ſed in titulis inferius citatis reperientur.

Vide Absolutio. Missa. Caſ. 27.

BENE-

B E N E F I C I A R I U S.

AD intelligentiam preſentis tituli, neceſſe eſt ea prælegi, quæ in ſequenti præmittuntur: heic tantum neceſſe eſt, quaſdam fieri animadverſiones.

Prima: omnis Beneficiarius quatuordecim annos natus cenſetur eſſe major quoad Beneficii ſui bonorum adminiſtrationem.

Secunda: ante prædictam ætatem, rediruum Beneficii ſui rationem a patre ipſiuſve ſucceſſoribus non poteſt exigere in foro exteriori; præſertim ſi nullo publico inſtrumento eorum onus curave ad patrem pertineat; uti declaratum eſt ex Arreſto an. 1679. (*a*) Quocirca patris eſt videre, utrum eos legitime & ex conſcientia adminiſtraverit.

(*a*) De la Gueſſiere tom. 4. l. 2. c. 8.

Tertia: nullum Beneficium poteſt conferri, antequam vacet, neque etiam priuſquam ad notitiam Collatoris pervenerit, ipſum vacare (*b*).

(*b*) Reg. de veriſimil. notit. obitus.

Quarta: Collator el ctiva Beneficia non poteſt conferre, ſed ſolum collativa, neque etiam de Beneficiis Patronatus laice poteſt providere. niſi ad præſentationem Patronorum, aut poſt elapſum tempus ad nominationem jure conceſſum; quo in caſu Epiſcopus confert *Jure devoluto*.

Quinta: non poteſt conferre Beneficium, niſi iis qui ætatem ac peritiam habent requiſitam. Quare de Beneficio provideri non poſſunt 1 Advena 2. Filius illegitimus 3 Excommunicatus. 4 Clericus qui non ſit Sacerdos, niſi cum onere, quod intra annum Sacerdotio initiabitur proviſus 5 Is, qui non eſt Sacerdos, ſi Beneficium ſit *Sacerdotale a fundatione* ante proviſionem. 6 Religioſus, ſi Beneficium ſit ſæculare, & vice verſa. 7. Clericus non Graduatus; ſi vacet Beneficium intra quatuor menſes Graduatis aſſignatos 8. Laicus ſive nuptus ſive non, aut bigamus, aliique ſimiles ad poſſidenda Beneficia inhabiles.

Heic autem non abſque cauſſa Laicos annumeramus inrer eos, quos ſacri Canones a Beneficiis eccleſiaſticis excludunt. Nam, ex Hiſtoria notum eſt, antiquos Clodovæi ſucceſſores reges, aut Eccleſiæ regularum inſcios. aut ejus diſciplinæ parum obſervantes, de Abbatiis aliiſque Beneficiis Officiales ſuos ſeu ad præmium peractæ militiæ, vel peragendæ, ſeu dono gratuito providere ſoliros eſſe; quod malum ad dimidium uſque noni ſæculi pervenit, donec ſub Sergio II. ſummo Pontifice regnante Carolo Calvo, id eſt, an. 845 coactum eſt Meldenſe Concilium, in quo hujuſce Concilii Patres deplorata Eccleſiaſticæ diſciplinæ ruina, octoginta condidere Canones; quorum in decimo ſic loquuntur: *Perventum eſt ſiquidem ad nos, quod auditu lugubre & dictu nefas, actuque horribile, ac nimis triſte dignoſcitur: quia contra omnem auctoritatem, contra Patrum Decreta & totius Chriſtianæ Religionis conſuetudinem in Monaſteriis regularibus Laici in medio Sacerdotum & Levitarum ac caeterorum Religioſorum virorum, ut Domini & Magiſtri. reſideant, & velut Abbates, de illorum vita & converſatione decernant; eoſque dijudicent ..... vere enim iſta eſt abominatio deſolationis*. Tum vero circumventus princeps ab aulicis, penes quos erant Abbatiæ ditiſſimæ, ac dignitates Eccleſiæ imprimis honorificæ; maximam eorum Canonum partem repudiavit: quocirca aliquamdiu graſſatum eſt malum, donec radicitus ablatum eſt zelo ac prudentia multorum ſanctorum Præſulum; ac ita refloruit antiqua diſciplina, ut hactenus viguerit. Sed reliquas pergamus animadverſiones.

Sexta: Beneficiarius ad reparationes ſui temporis tenetur, ejuſque heredes poſt ejus obitum; ac bona eorum, a die qua Beneficium adiit, oppignerata in eam rem cenſetur (*c*).

(*c*) Louet. Litt. B. n. 30.

Septima: Beneficiarios de duobus Beneficiis incomparabilibus, ut de duobus Beneficiis curatis, duobus Præbendis, aut Beneficio curato & Canonicatu proviſio ad optionem quidem annus tribuitur; verum abuſum pacificæ utriuſque Beneficii poſſeſſionis per annum ſuſtulit Declaratio Regia 7 Januarii ann. 1681. facta, qua ipſi rantum adſcribuntur fructus illius, in quo actu reſidebit, & qua ſtaruitur, ut alterius reditus partim in deſervientis commodum, & quod reliquum eſt in reparationes aliaſque cedant Eccleſiæ neceſſitates, aut etiam ad ſublevandam pauperum loci illius egeſtatem.

Octava, & quæ maximi eſt momenti: uno debet quiſque Beneficiarius eſſe contentus Beneficio; quod ad honeſtam ſuam ſuſtentationem ſufficiat; & ſi quid

ſi quid ultra neceſſarium e Beneficio ſuo ſibi ſuperſit, id ipſum erogare debet ad eleemoſynas aliave pia opera, cum Beneficii ſui redituum ſit tantum œconomus ac diſpenſator, ut in ſequentibus deciſionibus manifeſtum fiet.

Clericus, qui proprio nomine Beneficium obtinet, ut alteri conferat, quacumque ratione id fiat, confidentiæ ſit conſcius, & etiam ſimoniæ, ſi pecunia aut alia qualibet re, quæ pretio ſit æſtimabilis, illud adipiſcatur. Verum de ea re quæ non eſt hujus loci, fuſius alibi dicetur; de poſtrema quidem in tertio volumine, ut de priore in ſecundo.

CASUS PRIMUS.

HUBERTUS adoleſcens, quintæ ſcholæ auditor, de Beneficio 300. librarum reditus annui proviſus, ſingulis ſcholæ diebus magnum Breviarii Officium, ſimulque ſtudiorum ſuorum onera explere moraliter nequit. Namquid abſque peccato horas Cauonicas omittere poteſt, Officium tantummodo de beata Virgine recitando?

RESPONS.

Recitationem Breviarii ſine peccato omittere nequit Hubertus, etiam poſtpoſitis ſtudiis aut alia qualibet occupatione; quia, ut ait Concilium Conſtantienſe (*a*): *Beneficia propter Officia conceduntur*; neque ab hac regula excipiuntur adoleſcentes ſcholaſtici, aut ætate provectiores. Leo namque X. in Bulla ſua ſeptima 5. Maii an. 1514. indiſtincte ac generaliter de omnibus Beneficiariis loquitur his verbis (*b*): *Statuimus quoque & ordinamus, ut quilibet, habens Beneficium cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat, pro rata omiſſionis recitationis Officii & temporis; ſed eos, tamquam injuſte perceptos, in fabricam hujuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynis erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit; legitima monitione præcedente Beneficio ipſo privetur.* Scholaſticus autem decem aut duodecim annos, non minus quam adultus quinquaginta annos natus, ſub termino *quilibet*, comprehenditur: Quocirca æqualis eſt utriuſque obligatio ad recitationem Breviarii; *cum propter Officium detur Beneficium.* Quam rationem affert S. Pius V. in centeſima trigeſima quinta Bulla ſua 20. Sept. an. 1571. (*c*), in qua, uti Leo X. terminum indefinitum, *quicumque habens Beneficium*, uſurpat. Ita etiam ſentiunt Theologi & Canoniſtæ (*d*).

(a) Conc. Conſtant. Seſſ. 4. Decreto de diſpenſationibus.

(b) Leo X. Bulla. Superna diſpoſitione, 7. §. 38

(c) S. Pius V. in Bulla. Ex proximo.

(d) Sylveſt. reſolut. Var. v. Beneficium. 2. quæſito. Tolet. inſtruct. Sacerd. l. 2. c. 21. n. 3.

CASUS II.

ROMUALDUS, tonſura initiatus, de Capellania S. Leonardi proviſus, perpenſo ejus fundationis titulo hæc verba invenit: *Qui Capellanus tenebitur ad celebrandum tres Miſſas qualibet hebdomada*: nulla in eo facta mentione, quod reſidere, aut per ſe ipſum Miſſas celebrare obligetur Titularis. Nonne Capellaniam iſtam ſine ſcrupulo ſibi ſervare poteſt, licet ſacris Ordinibus inaugurari non curet; modo dictas Miſſas alius pro ſe ipſo celebret Sacerdos?

RESPONS.

Capellam iſtam procul dubio retinere poteſt Romualdus, etiam tuta conſcientia, modo in loco fundationis Capellæ Miſſas ex titulo injunctas celebrari curet; nam, cum eas ex titulo fundationis per ſe ipſum celebrare, aut in loco dictæ Capellæ remanere non teneatur; ſatis eſt ad eam retinendam, ut ſit tonſura initiatus, ac firmum habeat Clericorum more vivendi propoſitum, ad dictam Capellam habendam, etiamſi ad Sacerdotium ſe promoveri non curet; quia Capella illa, ut vulgo loquuntur, non eſt Sacerdotalis, ſed tantum Clericalis.

Hæc eſt Fagnani (*e*) deciſio, qui parem his verbis quæſtionem proponit: *An Capellania, cui eſt annexum onus Miſſarum celebrandarum, ſit Sacerdotalis, an vero Capellanus teneatur Miſſas per ſe ipſum celebrare*: Cui quæſtioni reſpondet talem Capellaniam non cenſeri Sacerdotalem, ſed ſimplicem tantum & Clericalem; quo fit, ut ſatis ſit, ſi Miſſas ex fundatione conſtitutas celebrari curet Titularis, juxta iſtam juris regulam (*f*): *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum. Vera eſt*, inquit hic Canoniſta, *& communiter recepta opinio Lapi Abbatis in ſuis allegationibus .... Altare, ſeu Capellam ea lege erectam, ut Capellanus ſeu Presbyter eligendus debeat in divinis deſervire & Miſſas celebrare pro anima fundatoris, neque actu, neque aptitudine eſſe Sacerdotalem; ſed poſſe conferri ſimplici Clerico 14. annorum. Movetur, quia de generali conſuetudine, quam Papa ſcit & tolerat, Beneficia ſimplicia perſonalem reſidentiam non requirunt, ut notat Gloſſa in cap.* Gratia, *v.* De jure, *de reſcriptis in 6. Et quamvis teſtator juſſerit, ut Presbyter debeat in divinis deſervire & Miſſas celebrare; tamen ſatisfit teſtatori, ſi ibi per alium divina celebrentur.* Quod confirmat hic Auctor ex iſta juris regula (*g*): *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.* Cujus rationem hanc ſubdit; *cum jure expreſſum non ſit, ut hoc caſu per ſe deſervire debeat.* Suam denique ſententiam confirmat doctus ille auctor ex decem aut duodecim Sacræ Congregationis Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum deciſionibus, quarum duæ latæ ſunt 6. Julii & 1. Decembris an. 1581, tres 15. Jnnii 1589. 17. Novemb. 1605. & 3. Aprilis 1610. & aliæ ſeptem ſine adſcripta die, præter Rotæ deciſionem latam 23. Januarii 1589. quarum textum apud auctorem legere eſt, qui inſuper multos pro ſua ſententia laudat inclytos Canoniſtas, ſe ipſo ſuperiores; quibus etiam Cabaſſutium, idem ſentientem, ipſi addimus (*h*).

(e) Proſper Fagnan. in Cap. Ut Abbates. 7. de ætate & qualit. & ordin. præficiendorum.

(f) Reg. 68. de reg. juris in 6.

(g) Reg. 72. ibidem.

(h) Joan. Cabaſſut. juris Can. Theor. & prax. l. 2. c. 25. n. 6.

CASUS III.

Nonne valida eſt collatio Capellaniæ S. Chryſogoni, VERANO Diacono facta, quæ ea lege erecta eſt, ut Capellanus duas ibi Miſſas qualibet hebdomada celebret, ac in Capellæ loco reſideat, modo ad Sacerdotium ſe faciat promoveri Veranus intra annum?

RESPONS.

Valida eſt collatio facta Verano, de qua in caſu propoſito fit mentio; licet enim Sacerdotalis ſit iſta Capella, ac Titularis reſidentiam exigat; ad validitatem tamen collationis ſatis eſt, ſi intra annum Sacerdotio ſe inaugurari curet: cui deciſioni favet Gallicana Juriſprudentia.

Ita quoque ſentit Fagnanus (*i*); *Nota*, inquit, *.... ad obtinendum Beneficium, cui ſacer ordo ſit annexus, non requiri, ut quis actu in eo Ordine ſit conſtitutus tempore collationis; ſed ſatis eſſe, ut ſe promoveri faciat intra tempus a jure præfixum.* Quod probat 1. ex Decretali Alexandri III. cum an. 1179. Concilio œcumenico Lateranenſi adeſſet (*k*), qua ſummus hic Pontifex ab iis qui de Beneficio proviſi ſunt, exigit ſolum, ut ſe ad ordinem Beneficio requiſitum intra tempus a jure præſtitutum promoveri faciant. 2. ex declaratione Sacræ Congregationis in ſimili cauſſa; cujus hæc ſunt verba ab auctore relata: *Cum Capitulum Eccleſiæ Paduanæ contuliſſet quamdam Capellam Sacerdotalem ad Altare S. Joannis in Cathedrali, Franciſco annum vigeſimum quartum agenti, & quæſitum eſſet, an ſic proviſus de dicta Capellania Sacerdotali eſſet inhabilis ex c. 4. ſeſſ. 22. in fine, & c. 5. ſeſſ. 25. die tertia Decembris 1578. Sacra Congregatio cenſuit Parochialem non poſſe valide conferri ei, qui non attigerit vigeſimum quintum annum ... ſed, ſi Presbyteratus ſit annexus alicui Beneficio; non tamen neceſſe eſt, ut promovendus habeat Ordinem requiſitum tempore promotionis; ſed ſatis eſt, ut faciat ſe promoveri in proximis temporibus.*

(i) Proſp. Fagnanus in Cap. Ut Abbates. ſupra cit.

(k) Alexand. III. in Cap. Cum in cunctis. 7. de electione & electi poteſt. l. 1. tit. 6.

C A-

Google

CASUS IV.

GERANO Sacerdoti collatus eſt Prioratus, vel ſimplex Capella, cujus fundatione ſtatuitur, ut in Eccleſia Beneficii, quatuor ſingulis hebdomadis Miſſæ ſint celebrandæ: at ipſe in urbe hinc quinque aut ſex leucas diſtante habitans Miſſas celebrat, ut quadraginta parcat nummis, quos Sacerdoti eas pro ſe in loco ipſo celebraturo daret: qua de re quæritur; 1. utrum per ſe hujuſce Beneficii Miſſas poſſit in poſterum celebrare. 2. utrum, poſito quod eas deinceps alteri Sacerdoti celebrandas demandare ſub conſcientia teneatur; jam alibi celebratas a ſe, in loco ipſo Beneficii iterum ipſe celebrare, aut ab alio curare celebrandas teneatur?

RESPONS.

Cum ex fundatione teneatur hujuſce Beneficii Titularis quatuor Miſſas qualibet hebdomada in loco Beneficii celebrare; certum eſt, Geranum qui Beneficium ſimul & onus ejus accepit, prædictas Miſſas in Eccleſia ex fundatione debita vel per ſe ipſum, vel per alium Sacerdotem debere in poſterum celebrare. Quod pertinet ad tempus elapſum, exiſtimamus, eum oneri ſuo non ſatisfeciſſe, licet eumdem quem exigit fundatio, Miſſarum numerum expleverit; quandoquidem ex fundationis hujuſce titulo, non Miſſas ſolum celebrare, ſed etiam in loco ex fundatione debito teneatur: Quocirca, præter ſolitum quatuor Miſſarum numerum, omiſſas in loco Beneficii & alibi dictas Miſſas, vel per ſe vel per alium iterabit in Beneficii ſui Eccleſia; ut tutiori poſſit eſſe conſcientia.

Dicimus; *ut tutiori poſſit eſſe conſcientia*. Sunt enim quidam auctores, qui volunt Beneficiarium non obligari ad reſtitutionem Miſſarum, quæ alibi ſine juſta cauſſa, quam in loco Beneficii, fuere celebratæ, quia fructu Sacrificii non caruit Fundator: quam opinionem, nedum condemnat, immo probabilem eſſe aſſerit Sylvius (a): *An is, qui ſine cauſſa legitima, & citra impedimentum celebravit Miſſas extra locum ex fundatione debitum ... teneatur ad reſtitutionem iterum celebrando in loco debito; ſunt qui probabiliter affirmant: alii etiam probabiliter negant, quia non privavit fundatorem fructus Sacrificii*; ut loquitur hic doctus Theologus.

(a) Franc. Sylvius Var. reſoluc. v. Miſſa. 1.

Opinioni tamen contrariæ affirmans præponitur. 1. quia, ut diximus, Geranus Beneficium acceptare coram Deo non potuit ſine ejus onere, juxta illud Innocentii III. effatum. *Res cum onere ſua tranſit*: (b) unde ſubjungit idem Sylvius: *Tenetur enim quilibet Beneficiarius onera ſuo Beneficio annexa exſolvere*. 2. Quia æquas ad placitum conditiones bonorum ſuorum donationi poteſt apponere donator; nec ea poſſidere, niſi illas explendo fideliter conditiones, poteſt donatarius: atqui Titulari Beneficii quod habet Geranus, bona ſua non contulere Fundatores, niſi ſub his duabus conditionibus; priore quidem, quod quatuor in hebdomada Miſſæ celebrarentur: altera; quod celebrarentur in ipſa Beneficii Eccleſia, & non alibi: quam ultimam conditionem, cum non adimpleverit Geranus, commiſſæque poſſit culpæ mederi; ad illud ergo ſub conſcientia obligatur.

(b) Innoc. III. in Cap Cum non ſint. 23. de decimis, &c. l. 3. tit. 30.

3. Quia alibi Miſſas, quam in loco Beneficii celebrans Geranus, injuſte Beneficii Eccleſiam jure ipſi ex fundatione acquiſito, incolaſque audiendi ſacrum facultate privat. Dicimus, *injuſte*, quia non propria auctoritate ſic ſe poteſt gerere; ſed de licentia ſolius Epiſcopi, cujus eſt ultimam morientium voluntatem interpretari, ſicque ab una Eccleſia in aliam pia transferre opera: quam rationem affert Sylvius (c) ad probationem noſtræ ſententiæ. *Commutationes ultimarum voluntatum*, inquit, *non niſi per Epiſcopos, ſeu alios poteſtatem ſimilem habentes, fieri poſſe; idque ex juſta & neceſſaria cauſſa diſponit Concilium* (d). *Eſſet autem mutare voluntatem fundatoris, minuere numerum Miſſarum, aut eas alibi celebrare, quam fundator voluerit*.

(c) Sylvius loco cit.

(d) Conc. Trid Seſſ. 22. c. 6. de reformat. & Seſſ. 25. c. 4. de reform.

4. Communitatis quoque intereſt, ut fideliter exſecutioni demandentur fundationes; ne forte, ſi alio Beneficii ſui onera transferre cuilibet Beneficiario liceret; multis Beneficiorum ſuorum conditiones non explentibus, ſic irrita omnino fieret fundatorum intentio.

5. His rationibus additur, quod, ſi extra locum ex fundatione debitum, adimplerentur Beneficii onera, hinc pro certo oriretur ſcandalum; facile ſibi videlicet perſuadente populo, ea penitus omitti.

Colligendum itaque ex dictis, teneri Geranum ad celebrandas vel per ſe vel per alium Miſſas, quas in urbe ſui domicilii celebravit: licet enim debito Deus honore, nec fructu Sacrificii fundator privatus fuerit; ſuo tamen jure privatam Beneficii ſui Eccleſiam, & loci incolas auditione Miſſæ fruſtratus eſt, atque fundatorum intentionem irritam fecit.

Eamdem ſententiam amplectitur Fagnanus (e), quam formali Sacræ Congregationis deciſione iſta comprobat: *Archiepiſcopus Compoſtellanus poſuit ſub ſequeſtra fructus cujuſdam Capellaniæ, eo quod illius Capellanus non ſatisfeciſſet ibi oneri quatuor Miſſarum in fundatione injuncto. Capellanus vero aſſerens ſe celebraſſe Salmanticæ, ubi ſtudiorum cauſſa degebat; addit Sacram Congregationem Concilii die prima Decembris* 1581. *Sacra Congregatio cenſuit Miſſas eſſe celebrandas in Capella, ſive per ipſum Capellanum; ſive per alium; niſi ſecus in fundatione cautum ſit; & Archiepiſcopum debere relaxare ſequeſtrum fructuum, retentis tamen fructibus pro ea quantitate, ex qua ſolvi debeat ſtipendium iis, qui in defectum Capellani celebrarunt Miſſas in dicta Capella, vel celebrabunt*.

(e) Fagnan. in Cap Abbates. 1. de ætate & qualit. & ord. præficiendorum. n. 65. l. 1. tit. 14.

CASUS V.

AGATHANGELUS Capellaniam poſſidet, ex cujus fundatione quatuor Miſſas tenetur celebrare Titularis in hebdomada, non deſignata intentione. Numquid pro Miſſis iſtis accipere poteſt ſtipendia, cum fundator Capellæ ſuæ harum Miſſarum applicationem pro animæ ſuæ ſalute, aut alia qualibet privata intentione non exigat?

RESPONS.

Pari quam ſibi proponit Cabaſſutius, quæſtioni reſpondet (f), Capellanum adſtringi ad applicandas Miſſas ex titulo fundationis ſuæ Capellæ latas juxta fundatoris intentionem: quod ex hac Juris Civilis ſimul & Canonici regula confirmat: *Inſpicimus*, inquit Bonifacius VIII. (g) *in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*: *Atqui veroſimilius eſt*, ait Cabaſſutius, *hanc fuiſſe fundatoris mentem, ut Miſſæ ſibi applicaventur; & eſt frequentiſſima talium fundatorum intentio*, ut pro ſe ipſis celebrentur. Tenetur ergo Agathangelus ex hoc principio omnes Capellaniæ ſuæ Miſſas pro fundatorum animabus applicare: quare ſic concludit hic Auctor: *Ergo hoc idem de propoſito fundatore, ubi nihil aliud liquet, præſumi debet, ut voluerit ſibi omni meliori modo providere*. Suamque confirmat ſententiam, ex paritate deducta a legato teſtatoris, qui locum legatum clare non expreſſit: tunc enim: *Cum res legata eſt, ... inquit Lex* (h), *ibi præſtanda eſt, ubi teſtator voluit, vel ubi veriſimile eſt, eum voluiſſe*.

(f) Joan. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & prax. l. 2. c. 18. n. 8.

(g) Reg. 55. de reg. Juris in 6.

(h) L. Cum re. 47. ff. de legatis & fideicom. l. 30. tit. 1.

CASUS VI.

ERHARDUS, Canonicus 70. annos natus, Firmino amico ſuo favere cupiens, ipſi inſcio Præbendam ſuam reſignat in Curia Romana; acceptaſque proviſiones ſecreto retinet; aut ſi eas reſignatario ſuo remittat, id ea tantum conditione fit, ne intra biennium trienniumve Beneficii poſſeſſionem adeat. Numquid tuta conſcientia eo modo ſe gerere poteſt Erhardus?

RESPONS.

Exiſtimamus, Erhardum Præbendæ Firmino a ſe reſignatæ proviſiones, ſub quocumque prætextu retinere non poſſe: nam eodem modo dicendum de reſignatione Beneficiorum, juxta ſanctum Cyprianum, ac de primogenitis Eſau, quæ ſemel Jacob fratri ſuo tranſſcripta, nequaquam recuperare potuit (i): *Quam periculoſum ſit*, inquit ſanctus Martyr, *in divinis rebus, ut quis cedat jure ſuo & poteſtate, Scriptura ſancta declarat; cum in Geneſi Eſau primatus ſuos inde perdiderit, nec recipere poſtmodum id potuerit, quod ſemel ceſſit*. Ratio eſt, quia reſignans,

(i) S. Cyprian. in Can. Periculoſum. 8. 7. q. 1.

Digitized by Google

guans, aut Beneficio ſuo voluntarie cedens, illud retinere abſque ſpecie quadam confidentiæ non intendit; admiſſa namque reſignatione a legitimo Superiore, Beneficiario nullum jam in Beneficium jus competit; licet nondum per immiſſionem reſignatarii a poſſeſſione expellatur; ut conſtat ex tribus Decretalibus (a), quarum prima eſt Alexandri III. ad epiſcopum Verulanum ſcribentis; altera Clementis III. ac tertia Innocentii III. in Concilio Lateranenſi œcumenico: alioquin a ſanctis Canonibus foveretur proſcripta Beneficiorum hereditas; atque reſignatarius jure ſuo privaretur, cum nec Beneficium adire, nec reſignationem valeret promulgare, juxta regulam *De publicandis*, in Gallia admiſſam. Unde reſignatum Beneficium retinere non poteſt Beneficiarius, niſi illud a Collatore denuo accipiat, ut fert modo laudata Alexandri III. Decretalis.

(a) Alex. III. in Cap. *Ex tranſmiſſa*. 3. de renunciatione. l. 1. tit. 9. Clem. III. in Cap. *De præſentis*. 6. eod. tit. Innoc. III. in Cap. *Quidam*. 12. eod. tit.

Idem quoque docet Cabaſſutius (b), aſſerens 1. quod ſi reſignans cum reſignatario conveniat de ſtatuto aditionis Beneficii tempore, hinc ambo confidentiæ fiunt conſcii ſimoniacæ. *Id quidem, ſi ex mutua conventione fiat, nulla obtenta diſpenſatione*, inquit hic Auctor, *manifeſtam involvit realem ſimoniam & confidentiam. Quis enim ignorare poſſit*, ſubjungit idem Canoniſta, *omnem hujuſmodi privatorum ex privata auctoritate pactionibus conditionem ac legem, ſimoniacam eſſe* (c). 2. Quod ſi abſque expreſſa conventione, ſola fuerit intentio, quod res ita fiat; tunc *ſaltem mentali ſimoniæ & fiduciariæ, conventioni dabitur locus, fraudulentaque interveniet colluſio, quæ utrumque reddet Beneficio inhabilem*.

(b) Joan. Cabaſſut. Juris Can. theor. & prax. l. 2 n. 13.

(c) Alex. III. in Cap. *Cum pridem* 4. de pactis. l. 1. tit. 35. Greg. IX. in Cap. *Pactiones*. 8. eod. tit. Alex. III. in Cap. *Conſtitutus*. 4. Et in Cap. *Super eo*. 7. de tranſactionibus.

Ludovicus Magnus Galliæ Rex, ut huic malo, in quibus regni Provinciis ſerpenti, occurreret, tamquam Canonum Regularumque Eccleſiæ protector, Edicto ſuo apud Fontem Bellaqueum menſe Octobri an. 1646. lato (d) ſtatuit, ut Judices nullam habeant rationem proviſionum, quas dant Collatores ordinarii, vel eorum Vicarii, ad reſignationem, renuntiationem aut permutationem; niſi procurationes ad reſignandum vel permutandum, non ſolum admiſſæ, ſed etiam in publicas tabulas ante obitum reſignantis vel permutantis fuerint relatæ, eodem Edicto (e) jubetur, ut, ſalva Cancellariæ Romanæ regula *De publicandis reſig.* cum permutantium alter poſt conſtitutum ex hac regula tempus obierit, non adito Beneficio permutato; ipſius ſuperſtes Beneficio a ſe permutato omnino privetur, & eo quo ante fruebatur, jure cadat, quod, non niſi nova proviſione adipiſci poteſt; idque, ſeu per morbum aut aliter permutatio facta fuerit (f).

(d) Edict. an. 1646. art. 13.

(e) Idem. art. 14.

(f) De Genet. Theol. Mor. tom. 2. tract. 1. c. 15. n. 16. Colloq. Condom. tom. 1. Colloq. 2. Sect. 3. De Sainte Beuve tom. 1. Caſ. 28.

CASUS VII.

Albanus Balduino amico ſuo Beneficium curatum reſignavit, ac proviſiones in Curia Romana obtentas ei remiſit; cujus poſſeſſionem adire per annum integrum diſtulit Balduinus. Interim fructus Beneficii percepit Albanus, quos cum non ſibi legitime acquiſitos formidet, poſtulat, utrum eos retinere poſſit; an vero Balduino a die admiſſæ reſignationis reſtituere teneatur?

Respons.

Certum eſt, Beneficii reſignati, & cujus reſignationem admiſit Papa, fructus eſſe reſignantis, donec per ſui immiſſionem eum expellat reſignatarius; quia iſtius nullum eſt jus in Beneficium niſi poſt illud aditum. Fructus itaque perceptos retinere poteſt Albanus, modo per annum illum Beneficio deſervire non intermiſerit. *Non obſtat reſignatio*, ait Cabaſſutius, (g) *quominus reſignans teneat adhuc reſignatum a ſe Beneficium, donec per ipſius reſignatarii immiſſionem a poſſeſſione expellatur*.

(g) Joan. Cabaſſut. Juris Can. theor. & prax. l. 2. c. 41. n. 7.

Ea de re tria advertit hic Canoniſta, quæ ſcire neceſſe eſt. 1. quod *reſignatario conceditur ex uſu Galliæ triennium, intra quod tenetur Beneficii ſibi reſignati poſſeſſionem adire, alioqui vacabit Beneficium; eoque tam reſignans, quam reſignatarius ſpoliabitur ob præſumtam amborum confidentiam*. Terminus ille, *triennii*, ita intelligi debet, ſi reſignans ſit vivus: alioquin reſignatario ſex tantum menſes conceduntur ad obtinendam poſſeſſionem, ita ut, ſi ſex elapſis menſibus reſignans moreretur, ante adeptam a reſignatario poſſeſſionem; Beneficium reſignatum ex obitu vacaret.

2. Obſervat quoque Cabaſſutius, quod Beneficium *vacabit quoque, ſi reſignatarius adeat quidem poſſeſſionem nondum finito triennio; ſed reſignans non ſupervixerit biduo poſt aditam poſſeſſionem*. Quod etiam obſervarunt Papo, aliique multi Galliæ Juriſperiti (h).

3. Denique advertendum, quod uſus ille in Gallia non obtinet, niſi pro Beneficiis compatibilibus; cum enim duo ſunt incompatibilia, unum intra annum neceſſario eſt dimittendum, ut obſervant Rebuffus, Louetus, Brodelius & Antonius Faber.

(h) Papo. l. 3. placitorum tit. de public. reſignat. n. 8. Paleus. l. 1. qq. forenſium. Moſnier, Traite des Alliances du Droit Franc. v. *Benefice*. n. 10. Paſtor. l. 3. de Benef. tit. 8. n. 5.

CASUS VIII.

Titularis Capellaniæ ſancti Venantii, quorum annuus reditus eſt 400. Librarum, ab omni vetuſtate tres Miſſas qualibet hebdomada pro anima fundatorum defunctorum celebrarunt. Julius vero, cui collatum eſt illud Beneficium, non reperto fundationis titulo, incertus ex hoc, num ad eumdem Miſſarum numerum teneatur, duas ſolummodo celebrare ſtatuit, cum prædeceſſorum ſuorum exemplo ad majorem ſe numerum non obligare, perſuaſum habeat. Nonne illæſa conſcientia ſic ſe poteſt gerere?

Respons.

Julius ſine peccato conſilium ſuum de celebrandis duabus tantum Miſſis, ſpreto prædeceſſorum ſuorum exemplo, perficere nequit. Cum enim Capellæ ſuæ titulo careat; uſum antiquum, ceu legem obſervare tenetur, quæ ab ipſo fundationis titulo ſuam ducit originem; ob duplicem rationem. 1. quia ad tale onus, immo etiam majus ſatis eſt annuus Capellæ reditus. 2. quia juxta hæc Legis verba: (i) *Semper veſtigia voluntatis ſequimur teſtatorum*, & ex Concilio Tridentino (k), ſolius eſt Epiſcopi in ultimis teſtatorum defunctorum voluntatibus aliquid immutare, utpote qui earum legitimus eſt interpres: excepto tamen litigii caſu, in quo de iis, juxta Galliæ iuriſprudentiam ad Regios Judices pertinet etiam cognitio. Atqui juſte præſumi poteſt tres in hebdomada Miſſas celebrandas ab hujus Capellæ fundatoribus fuiſſe injunctas; cum tituli fundationis locum ſufficienter antiqua & immemorialis ſuppleat conſuetudo ex alia Lege, qua dicitur (l): *Optima enim eſt Legum interpres, conſuetudo*. Quod etiam aſſerit Innocentius III. in una ex ſuis Decretalibus (m). Ex quibus colligendum, a Julio conſuetudini huic longa annorum ſerie ſtabilitæ non poſſe derogari, quam contra, ut Legem religioſe ſervandam obſervare tenetur ex hac Juris regula (n): *Inveterata conſuetudo pro Lege non immerito cuſtoditur*. Eodem nixus principio ſimilem 25. Septembris an. 1634. difficultatem ſolvit Sylvius (o).

(i) L. *Quidam*. 5. Cod de neceſſariis ſervis heredibus inſtituendis vel ſubſtituendis l. 6. tit. 27.

(k) Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 6. de refor. & Seſſ. 25 c. 4. de reformat.

(l) L. *Si de interpretatione*. 37. ff. de Legibus &c. l. 1. tit. 3.

(m) Innoc. III. in Cap. *Cum dilectus*. 8. de conſuetudine. l. 1. tit 4.

(n) L. *De quibus*. 32. §. 1. ff. de Legibus &c.

(o) Franc. Sylvius reſolut. var. v. *Miſſa*. 1.

CASUS IX.

Gabriel, Capellæ S. Saturnini quæ ſibi a *Michaele* reſignata eſt, Titularis, expenſis illius Beneficii titulis, ut ejus apprime noſceret onera; comperit, *Lucam Michaele* immediate priorem, tres Miſſas minores qualibet hebdomada pro fundatorum anima celebraſſe, quas ex fundatione debitas exiſtimavit, cujus inſtrumentum archetypum dicitur reperiri in Archivo *Ferdinandi*, illius loci domini.

Certum quidem eſt, *Gabrielem*, a fiſcali Procuratore *Ferdinandi* voce requiſitum, ut parem Miſſarum numerum celebraret, inter tabulas ceteraque a *Michaele* ſuo reſignante accepta inſtrumenta, exſcriptionem inveniſſe archetypi illius inſtrumenti, quæ a duobus Lutetiæ Notariis an. 1655. collata & recognita fuiſſe videtur, & qua declaratur 1. quod autographo inſtrumento, e quo excerpta eſt illa deſcriptio, adſcribitur an. 1403. 2. quod *Martha*, facta ſibi a marito ſuo *Alexandro* debita auctoritate, fundavit ac fundat Capellam S. Saturnini. 3. quod in Caſtello ſuo adminiſtrabitur a Titulari, qui tenebitur reſidere in loco, cujus rei cauſſa hoſpitium in eodem Caſtello habebit, & tres Miſſas minores qualibet hebdomada celebrare, Canonicas horas, Miſſamque ſolemnem decantare, feſto die Patroni, præcipuis B. Virginis feſtis diebus, nec

non

non Paſchatis, Pentecoſtes, omnium ſanctorum & nativitatis Domini, cum tribus hujus diei Miſſis ſolemnibus; & quod propriis impenſis duorum opem ſibi poſcet Sacerdotum, qui inſuper eodem S. Patroni die ſingnli ad Miſſam minorem erunt obligati. 4 quod *Martha* dictam Capellam ſumma 27. librarum, & quibuſdam agrorum jugeribus dotavit.

Certum eſt etiam, quod in regione ubi ſitum eſt Beneficium, duæ treſve reperiuntur deſcriptiones eodem ferme tempore recognitæ, ac prior de qua nunc agitur; quod ei auctoritatem conciliat, ac omnem ferme tollit ſuſpicionem: quibus omnibus additur, *Gabrielem* etiamnum partem agrorum in illa deſcriptione memoratorum poſſidere. Unde concludere poſſe contendit fiſcalis Procurator 1. juſte præſumi, reliquum hujuſce Capellæ proventum annuum 180. librarum e beneficiis Marthæ aut Alexandri, eorumve in hoc dominio ſucceſſorum, proficiſci. 2. reditum illum parem eſſe oneribus, trium præcipue Miſſarum minorum qualibet hebdomada: cum in ea præſertim erectum fuerit provincia, quæ ſecunda eſt, atque ubi vili emuntur ad vitam neceſſaria. Atque adeo teneri Gabrielem ad tres Miſſas, ut fert ſundatio, de qua fit mentio in deſcriptione quam habet, itaque ſimili, quæ in Archivio *Ferdinandi* reperitur; qua etiam obligatione non ſolveretur ob contrarium anteceſſorum ſuorum exemplum, cum nulla umquam, quantumvis antiqua, prævaleat conſuetudo in talem titulum, qui præſcriptionem non admittit.

Gabriel e contra, hujuſce Capellæ Titularis, his potiſſimum fretus rationibus ad unius tantum Miſſæ pro qualibet hebdomada ſe teneri contendit celebrationem.

1. Quia deſcriptio de qua fit ſermo, neque in foro interiori, neque exteriori poteſt obligare; cum, ut authentica haberi nequeat, quæ videlicet judicis auctoritate, neque auditis partibus, aut in judicium vocatis collata ac recognita fuerit, ſed his tantum generalibus terminis: *Apographum collatum cum autographo in membrana; quo facto, redditum a Notariis regiis Caſtellanæ Curiæ Pariſienſis, ſubſcriptis 23. Febr. 1655.*

2. Quia non ſolum juridica eſt illa collatio & facta inauditis aut vocatis partibus, ut de illius autographi veritate contenderent, eamve agnoſcerent, ſed quia ne quidem annotatur, a quo fuerit præſentatum, aut cui a Notariis redditum.

3. Quia ex hac deſcriptione Titulari aſſignantur quidem octo tritici heminæ, cum dolio vini majore quod tum quadraginta valebat aſſibus, ita ut totum viginti ſeptem libris fuerit æſtimatum: & quod inſuper tertiam vindemiæ cujuſdam vitis partem una cum hoſpitio ſuo in Caſtello Titularis habebit. Hos autem reditus, neque tale hoſpitium poſſidet; villam quidem habet ex agris quibuſdam & vitibus compoſitam; verum de ea in deſcriptione illa nulla fit mentio, ita ut plane ſit incertum, unde fundi illi procedant; an ab *Alexandro* ejuſve ſucceſſoribus in dominio, aut a privatis quibuſdam fuerint dati; an vero a quibuſdam antiquis Titularibus permutati, aut acquiſiti fuerint. Ex quo colligit Gabriel, quod, quamvis de auctenticitate deſcriptionis illius conſtaret, ad ejus tamen onera non teneretur, cum deſignatos in ea fundos non poſſideat & aliunde conſtet, præcipuam hujuſce Capellæ redituum partem, ſæviente Calviniſtarum rebellione, fuiſſe uſurpatam & deperditam, uti palam fit ex multis actis, quæ profert *Gabriel*, ac præſertim ex quinque, ſexve obtentis monitoriis, quorum unum ea recentioribus, requirente *Luca* an. 1659. & alterum an. 1684. requirente pariter *Michaele*, promulgata ſunt; ſed etiam ex aliis ejuſdem regionis Beneficiariis, qui eamdem viam inutiliter adhibuerunt, ut injuſtos redituum Beneficiorum ſuorum invaſores, aut titulorum detentores poſſint detegere.

4. Quia juſte præſumit *Gabriel*, falſitati ſubeſſe autographum hujus deſcriptionis; cum penes ſe habeat Latinum inſtrumentum autographum, ac juſtum, priore 22. annis ſuperius, ex quo antiquior ſupponitur fundatio, quam ex memorata deſcriptione. Illo inſtrumento ratum habetur concordatum initum inter dictæ Capellæ Titularem ex una parte, & Officiales juridicos Fundatoris ex alia; quæ ratihabitio a Regulari Abbate, tum Beneficii Collatore, in generali Capitulo an. 1413. facta eſt, cui autographo inſeruntur quoque aliæ litteræ patentes, Titulari ab alio Abbate 30. Auguſti an. 1381. conceſſæ, quibus comprobatur fundatio, & in quibus recenſentur fructus dictæ Capellæ, prætermiſſis ejus oneribus. Unde multa *Gabriel* ducit argumenta, quibus collatæ de qua agitur, deſcriptionis nullitas evincitur.

Primum: Quod ex litteris patentibus erectæ jam an. 1381. Capellæ fundatio viginti duobus poſt annis, hoc eſt, an. 1403. facta non fuerit, ut fert ſuppoſiti autographi deſcriptio.

Secundum: Quod ex litteris ratihabitionis an. 1381. autographum fundationis Capellæ, quod & ipſe Abbas legerat, in Abbatiæ Archivio cum aliis ejuſdem naturæ inſtrumentis aſſervaretur ex his autographi fundationis verbis: *Hæc omnia & alia in litteris dictorum nobilium Fundatorum prædictarum Capellaniarum, ſigillis eorumdem propriis ſigillatis, penes nos ex cauſſa retentis, vidimus &c.* Ex quo patet, quod, ſi vera eſſet de qua agitur, deſcriptio, cum antiquo illo autographo, non ſolum quoad memoratos in eo reditus conſentiret, ſed 22. ſaltem annis eſſe deberet antiquior; cum litteræ illæ ratihabitionis an. 1381. jam erectam ſupponunt Capellaniam, nec etiam cum litteris patentibus, quæ eodem ratihabitionis autographo continentur, deſcriptio illa cohæret. 1. Quod iſta ſex tantum heminas frumenti; litteræ vero ratihabitionis *ſexdecim ſeutaria frumenti* Capellano aſſignent. 2. Quod ex iiſdem litteris duarum librarum cum decem aſſibus ſolutione Fundator & Martha erga Titularem quotannis ſe adſtringunt, de quibus ſilet deſcriptio, cum de quibuſdam vineis Beneficio addictis loquatur, quas etiam prætermittunt litteræ ratihabitionis.

Tertium: Quod *Marthæ* tantum *Alexandri* uxori, a viro ſuo legitima auctoritate munitæ Capellæ fundationem tribuit deſcriptio, cum litteræ an. 1381. & 1410. eam conjunctim *Marthæ & Alexandro* tribuant. Ex quibus contradictionibus falſi arguitur illa deſcriptio.

Cum vero objicitur *Lucam* tres in hebdomada Miſſas celebrari curaſſe, reſpondet *Gabriel* 1. quod illius exemplum erga ſe vim legis non obtinet. 2. Quod ita ſcrupuloſius ſe geſſerit *Lucas*, dubitans videlicet, num ſuppoſito autographo conformis eſſet deſcriptio, non perpenſis rationibus, quæ utrumque in ſuſpicionem falſitatis adducunt. 3. Quod de præſenti difficultate ad *Lucam*, tum vita fruentem, ſcribenti *Gabrieli*, novo Titulari, an. 1687. *Lucas* his verbis reſponderit: *Quod ad divinum Officium, ceteraque Capellæ onera pertinet, nihil certi ſcio .... Audivi tamen a quibuſdam; duas a Reverendiſſimo defuncto Epiſcopo Miſſas in hebdomada fuiſſe conſtitutas: quam ego conſtitutionem numquam vidi. Quocirca, ne cui rei deeſſem, plures potius, quam pauciores celebrandas curavi, hoc eſt, eas omnes quæ debitæ nuntiabantur, ſive eſſent, ſive non; cum de reditu quem ferme totum diſtribuebam, parum curarem .... unde tale eſt meum exemplum, quod perpendas potius, quam imiteris.* Quibus verbis *Lucas* manifeſte oſtendit, quod ſi duas treſve in hebdomada Miſſas celebrari curaverit, non ita ſe geſſit, ad id ſe obligatum exiſtimans vi allegatæ deſcriptionis; ſed quia aliunde bonis affluens, modicum hujus Capellæ reditum non multi faceret, quem ad eleemoſynas, aliaque pia opera impendebat. Quam ob rem in eadem Epiſtola ad *Gabrielem* ait, ſe neſcire quo pacto deſcriptionem de qua agitur penes ſe habuerit. Unde colligit *Gabriel* ab exemplo *Lucæ*, ut is affirmat, in ipſius ſucceſſores Titulares quidquam inferri non poſſe. 4. Denique, quod cum in Sorbona bis de ſua obligatione, ſcilicet 15. Martii & 1. Julii an. 1687. conſultaverit, ſcripto ſex ei reſponderint Doctores antiquo ſe uſui ſtare poſſe, unam tantum pro fundatoribus ſuæ Capellæ eorumque ſucceſſoribus Miſſam in hebdomada celebrandi.

Quartum argumentum de nullitate deſcriptionis eſt, quia licet a *Michaele* Lucæ ſucceſſore una tantum

tum

Digitized by Google

tum hebdomadana Miſſa, uti ab ejus antiquis anteceſſoribus, fuerit celebrata, non interceſſit tamen *Ferdinandi* præſentis Procurator fiſcalis, nec in judicio conqueſtus eſt, uti exigebat ab eo ipſius officium, ſi authenticam habuiſſet deſcriptionem, ejuſque antographum, quod in caſtelli Archivio ipſi ſub clave commiſſo fuiſſet repertum, ſi verum fuiſſet; quod eo libentius feciſſet; quod *Ferdinandus* ejuſque juridici Officiales a *Michaele*, cum iis ob alias cauſſas litigante, parumper eſſent averſi.

Quintum: quod deſcriptionis, quamtumvis ſecundum formam recognitæ, nec ejus autographi ulla ratio ſit habenda: quippe quæ non ſint obligatoria, cum in eo ſine Acceptante ſolus loquatur Fundator, quod tamen ad contractum obligatorium requiritur ex Lege Civili & Canonica, immo ea iſta contractus definitione; *Contractus eſt duarum vel plurium in idem placitum conſenſus*; quod etiam confirmant litteræ ratihabitionis an. 1413. & 1381. quibus Abbates & Monaſterium in generali Capitulo fundationem & dotationem Capellæ S. Saturnini, aliorumque duorum Beneficiorum, de quibus ibidem ſit mentio, acceptant & comprobant. Ergo ex deſcriptione illa ejuſve autographo, licet veris, ad tres Miſſas in hebdomada *Gabriel* non obligatur.

Sextum denique argumentum ea eo, quod *Gabriel* ſit poſſeſſor bonæ fidei ex uſu immamoriali, juxta quem unam tantum in hebdomada Miſſam celebrarunt ipſius anteceſſores; ut quinquaginta ferme publicis inſtrumentis confirmat.

Primum eſt pactum inter Ludovicum Sacerdotem & Bertinum Capellæ redituum conductorem confectum coram Notariis 3. Aug. an 1591. quo ad rem divinam faciendam ſe obligat Ludovicus per duos annos, ſi modo libras decem quolibet anno accipiat, *quæ res divina in Miſſa minori pro qualibet hebdomada conſiſtit, conformiter ad onus Bertino impoſitum ipſius contracta conductione*; & inſuper ad rem pariter divinam ſolitam conficiendam die feſto Patroni, modo *viginti aſſes* quolibet anno accipiat, ſeu pro ſuo, ſeu Sacerdotis ad Officium divinum decantandum adjutoris, ſtipendio.

Secundum eſt aliud pariter conventum inter Ludovicum & Bertinum, quo Capellæ adminiſtrationem in ſe ſuſpicit Ludovicus, pro qua decem libras quolibet anno a Bertino accipiet, *ut ab immemoriali tempore una Miſſa qualibet anni hebdomada celebrata eſt*. Hæc ſunt verba Conventi, quo etiam ad ſolitum Officium die feſto Patroni ſe adſtringit Ludovicus, ſi triginta aſſes acceperit; quo pacto ſervato 4. aut 5. apochas infra conſcripſit Ludovicus.

Tertium eſt ſupplex libellus, a Cajo Sacerdore, an. 1648. datus, quo redituum Capellæ juridicam poſtulat detentionem pro ſolutione ſua ob rem divinam in ea a ſe factam pro Capellano immediato *Luca* anteceſſore; quæ ſolutio eſt ſeadecim librarum pro quolibet anno; quam etiam ſummam pro Miſſa hebdomadana celebranda officioque die S. Patroni peragendo ſolvit hodiernus Titularis.

Quartum eſt conventum an. 1684. inter *Michaelem* tunc Capellanum, & *Julianam* Sacerdotem, qui pro quindecim libris quolibet anno recipiendis, dictæ Capellæ onus, Miſſam videlicet in hebdomada, & unam in die feſto ſancti Saturnini, Capellæ Patroni, celebrandam in ſe ſuſcipit pro *Michaele*.. Cetera vero inſtrumenta ſunt apochæ variis temporibus ex 130. annis, & amplius a variis quoque Sacerdotibus obſignatæ, qui pactum ſtipendium ad celebrationem ejuſdem numeri Miſſarum ſe teſtantus accepiſſe, & quarum antiquiſſimæ adſcribitur an. 1587. & ultimæ an. 1719.

Hæc eſt diuturna poſſeſſio non controverſa, qua etiam nunc fruitur *Gabriel*, qui unam qualibet hebdomada Miſſam minorem, unamque die feſto celebrandam ad an. 1720. curavit. Cui uſui ſibi noto fiſcalis Procurator domini, qui a *Gabriele* ſupra memorata inſtrumenta accepit, nihil a ſe opponi poſſe declaravit; niſi ſolam prædictam deſcriptionem, quam ut inutilem conſiderat; unde ipſum in tam diuturna ac pacifica poſſeſſione interturbare non ſuſcipit.

Allatis hiſce rationibus ſeu pro Titulari, ſeu contra; *Gabriel* nunc de iſta proviſus Capellania poſtulat, 1. utrum ſub peccato deſcriptioni illi fidem adhibere teneatur, cujus autographum, nec in Archiviis Abbatiæ, aut domini loci poſt accuratam inquiſitionem, reperitur: an vero antepoſito huic deſcriptioni autographo an. 1381. ſtabilitam ab an. 133. rationibus conſuetudinem de una tantum Miſſa qualibet hebdomada, dieque feſto Patroni ſequi poſſit, celebranda in Eccleſia Collegiata vicina, quo translatum eſt ab Epiſcopo Diœceſano Officium, poſt incenſum a Calviniſtis an. 1561. pagum cum caſtello, ac dictæ Capellaniæ ſacello?

2. Utrum diruto ſacello, Officium ſolemne in eo die feſto Patroni decantari ſolitum pro quo, nunc viginti, alias triginta aſſes ſolvebat Titularis, *Gabriel* omittere poſſit, ob translationem Officii dictæ Capellæ in proximam Collegiatam, in qua poſt chori diſceſſum, divinum iterari non poteſt Officium; pro quo Miſſam minorem celebrari curat, uti fecere a vetuſtate ipſius anteceſſores, quin interceſſerint domini loci, vel *Ferdinandus* eorum ſucceſſor, aut ipſe fiſci Procurator?

RESPONS.

Exiſtimamus 1. Fundationis deſcriptionem, de qua ſit mentio in caſu propoſito, non eam habere authenticitatem, quæ ſufficiat ad jus ſtabiliendum, atque ad onera quæ continet, Gabrieli imponenda.

Ratio eſt 1. quia falſum eſſe poteſt ac ſuppoſitum ejus autographum, quod etiam tale eſſe apparet; cum ejus deſcriptio omnibus deſtituatur formalitatibus ad fidem faciendam in judicio, in quo deſcriptio quælibet fidem non habet, niſi coram partibus, quarum intereſt, aut ſaltem debite vocatis exſcripta fuerit a Notariis ex autographo, quod, uti verum agnitum aſt; qua conditione caret præſens deſcriptio, in qua notatum non fuit a Notariis, a quo oblatum, aut cui redditum fuerit deſcriptionis illius primarium exemplar, quod neque in Archivis domini loci, aut Abbatiæ qua pendet Beneficium, quacumque adhibita diligentia non fuit repertum.

2. Quia allegatus libellus non fide dignior eſt, quam ipſa deſcriptio, utpote cui idem ferme dies atque deſcriptioni, ſit adſcriptus, cujus etiam autographum penes Ferdinandum eſſe non aſſeritur: adde quod libellus judici oblatus a quopiam, tam falſi, quam veri tenax eſt, nec proinde, niſi poſt latam ei conformem ſententiam fidem poteſt facere.

3. Quia ex Latino *Gabrielis* autographo conſtare videtur de falſitate deſcriptionis; cum illud 22. annis tempore ſit ſuperius, & aliunde diuturniore fulciatur uſu, cui non contradixere, quod appareat, *Ferdinandus*, aut loci domini eo priores, ipſorumve juridici Officiales, etſi ignorare non potuerint.

4. Quia veritatem, falſitatemve hujus deſcriptionis, quantum in ſe fuit, fruſtra Gabriel inquiſivit, nec longo, quem nunc *Gabriel* ab anno 1687. & ante ipſum immediate Michael obtinuit, unicam tantum in hebdomada Miſſam celebrandi, uſui juridice contradixere *Ferdinandus*, & ejus Procurator fiſcalis; ex quo ducitur argumentum exiſtimandi, ipſis etiam ſuppoſitam videri deſcriptionem ſupra dictam: idque eo magis, quod tertia parte Beneficium imminui non ſuſtinuiſſent æquitate nixi præſertim cum Michaele in cauſſa ejuſdem Beneficii ob alia litigantes: quæ cum ita ſint, exiſtimamus, eum quem obtinet, uſum a *Gabriele* poſſe retineri; non petita ab Epiſcopo diœceſano Miſſarum imminutione.

5. Idem plane ſentimus de aliis oneribus in eadem deſcriptione memoratis: 1. quia de iis nulla ſit mentio in litteris ratihabitionis an. 1413. neque in inſertis ibidem litteris patentibus an. 1381. quæ ſolæ ſunt authenticæ. 2. Quia non juſte præſumi poteſt, ab Epiſcopo divinum Officium cum undecim ſolemnibus Miſſis fuiſſe translatum in Eccleſiam Collegiatam, ubi jam quotidie canerentur horæ canonicæ, quas cantu iterare non poterat Titularis, non minus defectu auctoritatis, quam temporis eodem mane.

CASUS X.

RINALDUS, ſanctæ Faræ Capellanus, ex fundatione ſuæ Capellæ, tenetur ad Sacrum faciendum quotidie pro defunctis: quod tamen onus quibuſ-

cam

ſtam diebus menſis cujuslibet non implet; modo ob infirmitatem aut itineris ſuſceptionem; modo ob defectum confeſſionis, quam ſibi neceſſariam exiſtimans, facere non poteſt; quandoque etiam ob celebrationem Miſſæ ad proprias neceſſitates: An tenetur per alium Sacerdotem ſupplere, aut omiſſas quibuſdam diebus Miſſas pro rata reſtituere?

RESPONS.

Capellanus ille in propoſitis caſibus, nec per alium Sacerdotem ſupplere, nec omiſſa Sacra reſtituere tenetur. Cujus deciſionis hæ ſunt potiſſimum rationes.

1. Quia, ſi rigoroſe talem fundationem exſequi deberet Sacerdos; quandoque ad Sacrum faciendum, licet non rite diſpoſitus, teneretur: quod in conſecutione eſt valde periculoſum. 2. Miſſæ ſacrificium numquam pro ſe ipſo, pro parentibus, & propinquis offerre poſſet: quod juſtitiæ ſimul & pietati eſt contrarium. 3. Juſte præſumitur eam non fuiſſe fundatoris intentionem, ut Capellanus ille per alium Sacerdotem huic omiſſioni ſupplere, aut reſtituere cogeretur, legitimo præſertim detentus Miſſæ celebrandæ impedimento, quale eſt morbus, quo durante, vel ipſi Laici, ita ſentiente Gloſſa *(a)*, domeſticos ſuos mercede ſua non debent imminuere, licet poſſint in rigore juſtitiæ.

(a) Gloſſa in leg. *De arbitribus*. §. *De illa*. ff. de uſufructu.

Hanc deciſionem ex Canoniſtis confirmat Decretalis Alexandri III. *(b)* qui factam a Præpoſito, Capituloque Inſulano ad Præbendam Sacerdotis electionem approbat, qua Titularis ſingulis diebus in eorum Eccleſia per ſe ſolum, & non per alium celebrare teneretur, ſub his tamen conditionibus. 1. *Niſi infirmitate corporali fuerit impeditus.* 2. *Salva honeſtate ſua & debita devotione.* Unde colligi neceſſe eſt, quod ſi Riberius ægrotet; ſi conſcius peccati mortalis, Confeſſarii copiam non habeat; aut etiam mortali non obnoxius ad Sacrum non rite diſponatur; ſi neceſſarium iter ſuſcipiat; ſi pro ſe, vel pro parentibus, aut benefactoribus ſuis velit celebrare ſi ægro ſuccurrere ex caritate; aut ex officio teneatur, vel aliud legitimum ſubſit non celebrandi impedimentum; tunc per alium Sacerdotem ſupplere non debet, nec adeo reſtituere; cum in his occaſionibus tale poſſit, ut diximus, jure præſumi de intentione fundatoris: *Duriſſimum enim, & indecorum, & debitæ devotioni oppoſitum nimis eſt*, inquit Caballutius, *(c) ſi Sacerdos tam iniquo vinculo adſtringatur, ut totius vitæ tempore non poſſit, niſi pro uno aliquo defuncto, numquam vero pro ſe ipſo, numquam pro ſancta Eccleſia, numquam pro urgentibus populi calamitatibus, numquam pro parentibus aut fratribus defunctis celebrare.*

(b) Alex. III. in Cap. *Significatum*. 21. de Præbendis & dignit. l. 3. tit. 5.

(c) Joan. Caballut. juris. Can. theor. & prax. l. 2. c. 28. n.

Hinc Panormitanus aliique Canoniſtæ putant, *(d)* talem Sacerdotem ſemel in hebdomada abſtinere poſſe a Sacro faciendo, aut ea ipſa die pro ſe ipſo celebrare, aut gratuito pro alio, ſine debito Miſſæ pro fundatore: quod idem dici volunt, ſi per menſem ægrotet in anno. Hæc tamen Cabaſſutii opinio tutior nobis videtur, *(e) Meoque judicio*, inquit, *juſtior & æquior ſententia, quam tuentur Petrus Navarra (f), ... aliique Doctores, conceditur morbo dierum quindecim inducias.* Quamvis exiſtimemus, ex menſtruo morbo ad reſtitutionem non teneri hunc Capellanum; ut putat, alibi de eadem re agens ipſe Cabaſſutius *(g)*: *Hoc tamen obſervandum de Miſſarum fundatarum onere quotidiano, Sacerdotibus morbo aliove neceſſario impedimento detentis indulgeri menſem unum, intra quem, cum non poſſint ſine periculo celebrare, non etiam teneatur per alium Sacerdotem ſupplere, aut de ſtipendiis Miſſarum pro rata dimittere vel reſtituere. Ex æquitate enim ac epikeia id conceſſum fuit a Concilio Mediolanenſi 7. Provinciali, teſte Diana (h) ... atque præſumendum hanc eſſe rationabilem Fundatoris mentem.* Hæc ſunt verba docti illius Canoniſtæ, qui opinionem ſuam ex aliis quinque Auctoribus confirmat.

(d) Panormitanus. In Cap. cit. *Significatum*.
Aug. Barboſa de officio & poteſt. Epiſcopi part. 2. allegat. 24. n. 3.
Zerola praxis Epiſcop. part. 1. v. *Miſſa*. ad. 6.
Et part. 2. v. eod § 6.
Navar. l. 3. Conſil. 25. n. 4.
Silveſter. v. *Miſſa*. 3. q. 7. §. *Quintum*.
Et alii apud Joan Caballut. loco cit.

(e) Cabaſſut. loco cit. n. 10.

(f) Petrus Navarra l. 2. de reſtitut. c. 2. n. 212.

(g) Cabaſſut. l. 6. c. 14. n. 1.

(h) Diana Miſcellan. part. 4. tract. 4. reſolut. 238.

CASUS XI.

Maximus, S. Juliani Capellanus, duas in hebdomada Miſſas ex titulo fundationis celebrare tenetur pro defunctis fundatoribus, qui ob eam rem 300. Libris annui reditus Capellam ſuam dotarunt, qui reditus e quinquaginta agrorum jugeribus percipiebatur. Sed quia viginti tantum nunc poſſidet jugera, ceteris tempore bellorum civilium uſurpatis, cujus rei nulla ſibi probatio ſuppetit; duas ex fundatione Miſſas debitas ad unam ſe poſſe reducere exiſtimavit, cum de rationabili Fundatorum voluntate id ipſum præſumſerit, qui, ſi vita fruerentur, huic imminutioni onerum libenter fuiſſent aſſenſi; aut prævisa reditus imminutione, minora impoſuiſſent. Numquid eo ſe modo gerere poteſt Maximus abſque peccato?

RESPONS.

Capellanus ille Miſſas ex fundatione debitas, propria auctoritate non poteſt detrahere: licet enim par ſit, ut imminuto Beneficii reditu, ejus pro rata minuantur quoque onera, juxta illud Legis effatum: *(i) Qui ſuum deplorant patrimonium diminutum, alieno ſaltem functionis onere liberentur*; quia juſte præſumi poteſt, eam fuiſſe intentionem fundatoris, qui fundationis onera, iis tantum quæ in fundationis inſtrumento exprimuntur, conditionibus Capellæ Titulari imponit: Quia tamen ex Gloſſa, *(k) Nec in ſua cauſſa poteſt quis eſſe judex*, jus ſuum per ſe ipſum vindicare non poteſt; quod ad ipſum fundatoris intentionem non pertineat interpretari, ſed ex Concilio Tridentino *(l)* ad ſolos Epiſcopos, quos idcirco *Exſecutores Teſtamentorum* appellat Gregorius IX. *(m)*.

(i) L. *Hi quos*. Cod. de alluvionibus. l. 7. tit. 41.

(k) Gloſſa in Can. *De accidendis*. 8. v. *Pro ſe*. 23. q. 5.

(l) Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 6. & 8. de reform.

(m) Greg. IX. in Cap. *Tua nobis*. 17 de Teſtamentis, &c. l. 3. tit. 26.

Neceſſe eſt igitur, ut in caſu propoſito Maximus ſupplicem Epiſcopo det libellum, in quo redituum ſtatum, ſimulque Capellæ ſuæ onera exponat; atque Collatore, Patrono ceteriſve, quorum intereſt, vocatis, onerum dictæ Capellæ quæ fert fundatio, imminutionem obtineat: aliter nullam poteſt demere Miſſam, ex iis quas exigit fundatio. 1. Quia Beneficium acceptando, omnes quoque in fundatione expreſſas Miſſas cenſetur eſſe celebraturus, ut facile probari poteſt ex Decretali Alexandri III. ad Epiſcopum Lingonenſem *(n)*. 2. Quia ultima voluntas defuncti, ut loquitur S. Gregorius *(o)*, modis omnibus conſervari debet quæ ſola legitimi Superioris Eccleſiaſtici interpretatione poteſt reformari; cum ipſemet conſenſus heredis fundatoris, aut Patroni, non interveniente Eccleſia, Titulari ſit penitus inutilis. Ita ſentit Sylvius in ſua deciſione 22. Septembris an. 1634. *(p)* nec non Auctor Colloquiorum Diœceſis Condomenſis *(q)*.

(n) Alex. III. in Cap. *Conquerens*. 6. de Præbendis & dignit. l. 3. tit. 4.

(o) S. Greg. in Can. *Ultima*. 4. 13. q. 2. Et in Can. *Admonere*. 14. 16. q. 1.

(p) Fr. Sylvius. reſolut. var. v. *Miſſa*. 1.

(q) Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 7. Sect. 1.

CASUS XII.

Sex ſunt in Eccleſia Collegiata S. Boniti Capellaniæ fundatæ, ex quibus cuilibet Titulari aſſignatur 300. Librarum reditus, conſiſtens in agris, qui per annos 1700. & 1701. vaſtatis ab exercitu hoſtili frumentis & pabulis, cuique Capellano vix 150. Libras unoquoque anno attulere. Qua de re quæritur, utrum tuta conſcientia numerum Miſſarum quæ ſingulis diebus ex fundatione debentur, imminuere non poſſint Titulares dictarum Capellaniarum?

RESPONS.

Parem huic ſibi propoſitam difficultatem 7. Decembris an. 1640. ita ſolvit Sylvius: *(r) Reſpondetur*, inquit, *talium Capellaniarum poſſeſſores officio ſuo ſatisfacturos, ſi pro illis duobus annis Miſſas celebrent pro rata fructuum quos recipiunt.* Cujus deciſionis hanc affert rationem: *Cum enim fructus Beneficiorum legati fiant pro Miſſis celebrandis, uti qui Altari ſerviunt, de Altari vivant; ii qui nullos omnino fructus recipiunt, ad nullas Miſſas celebrandas obligantur. Ergo ſi ſolum recipiunt aliquos, tantum obligantur ad aliquas, nimirum pro rata; eadem quippe eſt ratio.* Sic doctus Theologus.

Ut tamen legitima ſit iſta Miſſarum imminutio, neceſſe eſt, ut accedat Epiſcopi conſenſus, qui eam ſolus ex Concilio Tridentino *(ſ)* facere poteſt, cum legitima eſt petentium cauſſa, ut in caſu præſenti. Quod idem advertit Sylvius, qui in eo aliorum plurium Auctorum quos laudat, opinionem ſequitur *(t)*.

(r) Sylvius. reſolut. var. v. *Miſſa*.

(ſ) Conc. Trid. Seſſ. 25. de reform. c. 4.

(t) Aug. Barboſa. allegat. 29. n. 3. & ad cit. cap. 4. Concilii Tridenti.
Zerola. Praxis Epiſc. part. 2. v. *Miſſa*.
Valerius Reginaldus. l. 23. n. 235.

CA-

Digitized by Google

CASUS XIII.

Leontium, S. Amabilis Parochum, cujus annuus Beneficii ſui reditus eſt 2000. Librarum adit Metellus, Parœciæ dives agricola, qui, non perſolutis decimis, ipſum 400. Libris fruſtratus eſt, eumque rogat, ut cuncta quæ ipſi reſtituere tenetur, ſibi condonet, ob denegatam nimirum ſibi abſolutionem, donec ſatisfecerit. Leontius divitiis affluens, & aliunde erga Metellum bene affectus, libenti animo ipſi debitum condonat. Quæritur, utrum coram Deo ab hac reſtitutione ſit immunis hic agricola?

Responsio.

Præſentis difficultatis ſolutio pendet ab alia quæſtione, de qua fuſe dicetur in ſequenti reſponſione, in qua inquiretur, utrum Beneficiarius redituum Beneficii ſui dominium acquirat, an vero ſolam adminiſtrationem; qua de re duplex eſt opinio, quarum tutior affirmat, eum tantum eorum eſſe adminiſtrum; ex qua ſequitur, Metellum non ſolvi ab obligatione reſtituendi ſubreptas decimas, quamvis a Leontio condonatas. Si enim fructuum Beneficii ſui dominium non habeat hic Parochus, ſed ſolam adminiſtrationem, ita ut detracta ex iis parte ad ſuas neceſſitates, reliquum ad Eccleſiam ac pauperes attineat: conſtat, eos homini diviti & aliunde ob injuſtam ſuam boni Eccleſiaſtici detentionem indigno, non poſſe condonari; quocirca Leontius, cum facile, utpote divitiis affluens, a Metelli debito poſſit abſtinere; illud ad pia opera erogare tenetur; quod non præſtat, illud Metello diviti remittens, & qui illud ob eam cauſſam abſque injuſtitia retinere non poteſt. Ita ſentit doctus Theologus (a).

(a) De Ste. Beuve tom. 1. caſ. 115.

CASUS XIV.

Basilius curatum poſſidet Beneficium annui reditus 800. nummorum, de quibus ad pauperum eleemoſynas 800. libras demit. Conſulti ab eo Doctores, reſponderunt reliquam ſummam poſſe ſibi reſervare ad victum & ad cultum: quam impenſam omnino ſibi neceſſariam pro ſtatu ſuo ipſe judicat; attamen duriori mavult vitam tolerare victu, ut amicis ſuis aut parentibus, licet divitibus, parcimonias ſuas reſervet; quæ quidem ob tenuem victum atque cultum ad ſummam 400. librarum adductæ quotannis intra decem annos 4000. librarum peperere. Qua de re quæritur 1. utrum ſit dominus & proprietarius bonorum eccleſiaſticorum quæ poſſidet. 2. Utrum ſaltem parcimoniæ ſuæ per decem annos ita dominium habeat, ut de ea ad arbitrium pro parentibus ſuis aut amicis, licet non indigentibus, poſſit ſtatuere. 3. Utrum ipſi fuiſſet licitum ad lautiorem menſam, 1600. librarum quæ ſuperſunt, impenſam facere; ſi nullam voluiſſet adhibere parcimoniam?

Responsio.

Duæ ſunt de hac difficultate opiniones, quarum digna ſunt argumenta, quæ attente legantur, & abſque præjudicio ponderentur, ut in alterutrius delectu omnis vitetur error.

Prima ſtatuit, ad Beneficiarios non pertinere dominium redituum ſuorum, ſed ſolam adminiſtrationem ſeu œconomiam. En ipſius probationes.

1. Concilium Antiochenum (b), an. 341. in Gratiani Decreto relatum declarat, *quod Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent, cum ſumma reverentia & timore Dei. Participet autem & ipſe quibus indiget (ſi tamen indiget) tam in ſuis, quam in fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis .... Quod ſi .... convertat .... res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos & ejus commoda .... pertractet, aut propinquis, aut fratribus, filiiſque committat, ut per hujuſmodi perſonas occulte res lædantur Eccleſiæ, Synodo provinciæ pœnas iſte perſolvet.* Cum hoc Decreto conſentit quartum Concilium Romanum (c) ſub Symmacho an. 502. habitum, in quo palam confeſſus eſt hic ſummus Pontifex, bonorum Eccleſiæ penes ſe non eſſe dominium, ſed ſolam diſpenſationem, ut inſtitutam contra ſe de eorum abuſu accuſationem exarmaret.

(b) Conc. Antioch. c. 15. in Can. Epiſcopus. 23. 12. q. 1.

(c) Conc. Rom. IV. cap. 3. & 4.

2. Ex antiquo, quem Urbano I. tribuit Gratianus, Canone ſic fertur (d): *Res Eccleſiæ, non quaſi propriæ, ſed ut communes, & Domino oblatæ cum ſummo timore non in alios, quam in præfatos uſus ſunt fideliter diſpenſandæ.*

(d) Can. Res Eccleſiæ. 26. 12. q. 1.

3. In trigeſimo ſeptimo, ex iis qui Apoſtolici dicuntur, Canone ſic legitur: *Omnium rerum eccleſiaſticarum curam Epiſcopus gerito, & eas diſpenſato, quaſi inſpectante Deo. Non licitum autem ei eſto quidpiam ſibi ex iis, tamquam proprium aſſumere, aut cognatis ſuis elargiri, quæ Deo dedicata ſunt. Quod ſi pauperes illi ſint, ut pauperibus ſubminiſtrato.*

(e) Apud. Ph. Labbe Conc. Gener. tom. 2. columna 2169.

4. Idem ſtatuitur ex multis aliis Canonibus antiquorum Conciliorum, qualis eſt quadrageſimus nonus Carthaginienſis Concilii ſub Siricii pontificatu an. 397. En ejus verba (e): *Placuit ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur; & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui, agros vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tamquam rerum Dominicarum invaſionis crimine teneantur obnoxii; niſi admoniti, Eccleſiæ eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel ſucceſſione cognationis obvenerit; faciant inde quod eorum propoſito congruit &c.* Talis eſt quoque trigeſimus primus quarti Concilii Carthaginienſis ſub Anaſtaſio I. an. 398. a 214. Epiſcopis habiti, & cui interfuit S. Auguſtinus; in quo dicitur: *Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur (f).* Hæc ſunt illius Concilii verba, cui omnino congruunt Valentinum in Hiſpania an. 524. & nonum Toletanum (g). Nannetenſe in nono Patris Labbe Conciliorum tomo relatum, cujus incerta eſt epocha (h). Tertium Turonenſe an. 813. (i). Cabilonenſe anno ſequenti (k). Aquiſgranenſe an. 816. (l). Sextum Pariſienſe an. 829. (m), cui conſentiunt Capitularia Carolomanni (n). Turonenſe Rhedonibus an. 1273. habitum (o). Exonienſe an. 1287. (p), & alia plurima, quorum omnia teſtimonia referre longius eſſet; quorum inſuper Decreta a Concilio Tridentino his verbis fuere confirmata (q): *Sancta Synodus .... omnino .... eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res eccleſiaſticas quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, eis ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent eorum cauſſa. Immo, quam maxime poteſt, eos monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquos carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium exſtat, penitus deponant.* Denique multa Galliæ Tridentino recentiora Concilia Provincialia idem pariter decreverunt, atque inter alia Rotomagenſe an. 158 . (r) Burdigalenſia an. 1583. (ſ) & an. 1624. (t) & Aquenſe an. 1585. (u), quæ omnia conſenſu unanimi declarant, Beneficiarios bonorum Eccleſiæ non eſſe dominos, ſed ſolum adminiſtros & diſpenſatores: *quia res Eccleſiæ*, inquit Concilium Aquiſgranenſe .... *vota ſunt fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum.*

(f) Apud. Ph. Labbe. Conc. Gener. tom. 2 columna 1202.

(g) Conc. Valent. c. 3. Et Toletan. IX. c. 7.

(h) Conc. Nannet. Can. 10.

(i) Conc. Turon. III. Can. 20

(k) Conc. Cabilon. Can. 6.

(l) Conc. Aquiſgran. c. 116.

(m) Conc. Pariſ. Can. 15.

(n) Capitul. Caroli Magni l. 7. c. 52.

(o) Conc. provinc. Turon. Can. 1.

(p) Conc. Exonienſ. Can. 28.

(q) Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 1.

(r) Conc. Rotomag. de Monaſteriis Can. 4.

(ſ) Conc. Burdig. tit. Epiſc.

(t) Idem. c. 8. n. 4.

(u) Conc. Aquenſ. tit. de Monaſt.

Idem in hac materia ratiocinium inſtituere S. Patres, & præſertim S. Ambroſius (x). S. Hieronymus in Gratiani Decreto ſic relatus (y): *Quidquid habent Clerici, pauperum eſt.* Et S. Auguſtinus his verbis ab eodem Gratiano laudatus (z): *Non illa noſtra ſunt, ſed pauperum.*

(x) S. Ambroſ. Epiſt. 3. ad Valentinianum.

(y) S. Hieron. Epiſt. ad Damaſum. c. 9. in Can. Quoniam. 12. q. 1.

(z) S. Aug. Epiſt. 185. ad Bonifacium. alias 50. n. 55. in Can. Si privatum. 23. 12. q. 1.

Certum quidem eſt, primis Eccleſiæ temporibus, Eccleſiæ bona in titulos permanentes non fuiſſe erecta: verum hanc rationem nullius momenti exiſtimant contrariæ opinionis Auctores; quia partes eæ ex quibus octavo aut nono ſæculo erecta ſunt Beneficia, eamdem bonorum naturam & rationem retinent, quam antea; atque adeo eodem plane modo, ac ante conſtituta Beneficia debent adminiſtrari. Quod etiam declararunt poſteriora hoc tempore, ut vidimus, Concilia, quibus addendum ſecundum Concilium

ſium œcumenicum an. 787. a Gratiano his verbis relatum: (*a*) *Omnium Eccleſiaſticarum rerum Epiſcopus habeat ſolicitudinem, & diſpenſet eas, tamquam Deo contemplante. Non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei ſunt. Quod ſi pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur.*

(*a*) Conc. Nicæn. II. c. 12. in Can. *Quiſquis*. 29. 12. q. 2.

Sancti Doctores, aliique ſcriptores a diviſione bonorum Eccleſiæ & Beneficiorum conſtitutione ea in re Conciliorum Decreta, Patrumque anteceſſorum ſuorum doctrinam ſecuti ſunt. Idem expreſſis verbis docet Alexander III. (*b*) *Fraternitatem tuam non credimus latere*, inquit hic ſummus Pontifex, *quod cum Epiſcopus, & quilibet Prælatus rerum Eccleſiaſticarum ſit procurator & non dominus, conditionem Eccleſiæ meliorare poteſt, facere vero deteriorem non debet*. Sic loquitue hic Papa in una Decretali ad Epiſcopum Paeiſienſem, cujus Anteceſſor bonis Eccleſiæ amicos donarat; quod hic ſummus Pontifex injuſtum declaeat & invalidum, eo fretus principio, quod aliena, non ſua dederat bona; cum ex Boniſacio VIII. hujuſmodi bona ſint patrimonium Chriſti (*c*).

(*b*) Alex. III. in Cap. *Fraternitatem*. 2. de Donationibus. l. 3. tit. 24.

(*c*) Boniſac. VIII. in Cap. *Cum ex eo*. 34. de elect. & electi poteſt. n. 6. l. 1. tit. 6.

S. Bernardus ex vehementia verborum ea de re mentem ſuam manifeſte declarat: *Timeant Clerici*, inquit S. Doctor (*d*), *timeant Miniſtri Eccleſiæ, qui in terris Sanctorum quas poſſident, tam iniqua gerunt, ut ſtipendiis quæ ſufficere debeant, minime contenti, ſuperflua quibus egeni ſuſtentandi forent, impie ſacrilegeque ſibi retineant, & in uſus ſuæ ſuperbiæ atque luxuriæ, victum pauperum conſumere non vereantur: duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus & turpitudinibus abutantur*. Nec minus ea de re loquitur decretorie Geofridus, hujuſce Sancti diſcipulus, Igniensis Abbas (*e*): *Res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegio crimen eſſe dignoſcitur. Sane patrimonia ſunt pauperum, facultates Eccleſiarum; & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quidquid miniſtri & diſpenſatores, non utique domini vel poſſeſſores, ultra victum accipiunt & veſtitum*. Nec minori vehementia alibi idem S. Bernardus invehit in divites Beneficiarios, qui Beneficiorum ſuorum redituum dominium habere contendunt, iiſque abutuntue (*f*): *Clamant vero nudi*, inquit, *clamant famelici; conqueruntur & dicunt: noſtrum eſt quod effunditis. Nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis .... vita veſtra cedit vobis in ſuperfluas copias: noſtris neceſſitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando perditis, & nos ſpoliando perimitis*. Tanta eſt vis illorum locorum, ut ea ex integro exſcribi neceſſe duxerimus.

(*d*) S. Bern. Serm. 23. in Cant. poſt med.

(*e*) Apud S. Bernard. in declamat. in hæc verba: *Ecce nos reliquimus omnia*. §. 7.

(*f*) S. Bern. l. de moribus & officiis Epiſcop. c. 2. n. 7.

Non minori, quam S. Bernardus, vehementia, de hac moralitate loquitue S. Raimundus: propoſita namque ſibi iſta quæſtione (*g*): *Qui de Prælatis Eccleſiarum, & aliis Clericis, qui bona Eccleſiaſtica pauperibus debita conſumunt in uſus illicitos, videlicet in meretricibus, hiſtrionibus, conſanguineis, potentibus, & divitibus, & ſimilibus; & de his etiam faciunt aliqui teſtamentum, numquid tales ſunt judicandi raptores?* Hoc modo reſpondet: *Videtur, quod ſic. 1. Quia contrectant rem alienam, invito domino: ait enim Hieronymus* (*h*): *quidquid habent Clerici, pauperum eſt .... Item Auguſtinus: ſi privatim quæ nobis ſufficiant poſſidemus, non ſunt illa noſtra ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus ....* Et paullo poſt (*i*): *De meretricibus autem & hiſtrionibus, de quibus quæſitum eſt: dico Prælatos & Clericos, qui res Eccleſiæ talibus vel ſimilibus turpibus perſonis conferunt, vel etiam conſanguineis, non propter naturam ſuſtentandam; ſed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi .... tales, inquam, Prælatos & Clericos, qui talibus conferunt bona Eccleſiaſtica pauperibus debita, dico eſſe raptores, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium.*

(*g*) S. Raimundus in Sum. l. 2. tit. 5. de raptoribus & prædonibus & prædonibus. §. 6.

(*h*) S. Hieron. & S. Aug. locis ſupra citatis.

(*i*) Idem S. Raimund. ib. §. 8.

Nec magis Beneficiariis indulget S. Thomas, quam S. Bernardus, ut patet ex his ejus verbis: (*K*) *Bonorum vero Eccleſiaſticorum Clerici non ſunt vere domini*; inquit, *ſed diſpenſatores ſecundum illud. 1. ad Corinthios. 7. Diſpenſatio autem mihi credita eſt. Pertinet autem ad diſpenſatorem, ut fideliter diſtribuat ea, quæ ejus diſpenſationi committuntur, ſecundum illud 1. ad Corinth. 4.* Heic jam quæritue inter diſpenſatores, at fidelis quis inveniatur. *In his ergo*, ſubjungit, *poteſt dupliciter peccatum contingere. Uno modo, ex conditione ipſius rei, dum ſcilicet uſurpat ſibi quaſi rem propriam, & in uſus ſuos convertit, id quod eſſet aliis erogandum. Alio modo, ex inordinato uſu eorum, quæ in partem ſuam cedunt .... Verum, quia horum diſpenſatio fidei diſpenſatoris committitur .... ſi quis bona fide diſpenſet Eccleſiaſtica bona; inde accipiens, quod ſibi convenit ſecundum conditionem ſtatus & perſonæ, & aliis largitur ſecundum quod ſibi videtur bona fide expedire; non peccat mortaliter, etiamſi aliquid in ſuos uſus aliter convertat, quam oporteat: talia enim, quia in ſingularibus eſt eorum judicium, non poſſunt per omnimodam certitudinem definiri. Unde ſi non ſit multus exceſſus, poteſt compati bonam fidem diſpenſatoris. Si vero multus exceſſus fiat, non poteſt latere, & ita non poteſt cum bona fide diſpenſatoris hoc agi. Si autem non conſervet bonam fidem in diſpenſando, peccat mortaliter.*

(*k*) S. Th. quodlibet. 6. art. 12. in corp.

Conſtanter eamdem opinionem tuetue Angelicus Doctor in variis operum ſuorum locis; ac præcipue in ſuo Commentario in Epiſtolas S. Paulli (*l*); in quo propoſita ſibi objectione iſta: *Videtur quod male fecerint Principes & alii, dando divitias Prælatis*; reſpondet: *Non dederunt Prælatis propter ſe, ſed propter pauperes: & ideo non dederunt eis, ſed propter pauperes: & ideo non dederunt eis, ſed pauperibus .... Prælatis autem dantur, tamquam pauperum diſpenſatoribus*. Ad mortem uſque in eadem ſententia permanſit S. Doctor, ut videre eſt in ultimo ejus ac præcipuo opere, in quo clare & abſque ambiguo eamdem doctrinam propugnat (*m*).

(*l*) Idem in 2. ad Corinth. 12. Lect. 5.

(*m*) Idem. 2. 2. q. 185. art. 7. in corp. & ad 3.

Angelicum Doctorem ſequitur S. Antoninus, fidas ejus diſcipulus. En verba illius (*n*): *De bonis ſeu fructibus Beneficiorum, quæ dant Clerici conſanguineis, vel perſonis turpibus, utrum in dando peccent, & teneantur ad reſtitutionem: Super hoc dicit Raimundus, quod Clerici, qui conſanguineis potentibus .... bona Eccleſiaſtica pauperibus debita tribuunt, raptores ſunt: quia quidquid Clerici habent, pauperum eſt, dicit Hieronymus 16. q. 1. c. finali: nam pauperibus debentur. Unde ad reſtitutionem tenentur pauperibus, vel in utilitatem Eccleſiæ, ... & peccant mortaliter.*

(*n*) S. Anton. 3. part. Summæ Theolog. tit. 15. c. 1. §. 19.

Eamdem opinionem jam ante S. Thomam, ejuſque ſequaces docuerat Gratianus in ſuo Decreto: facta namque ſibi hac quæſtione: *De rebus vero Eccleſiæ quæritur, an liceat eas per præbendas dividi, ut annuos reditus quiſque ſibi ſpecialiter vindicet* (*o*)? His, inquit, *ita reſpondetur: Sicut perfectione caritatis manente ſecundum diſcretionem Eccleſiarum, diſtributio fit Eccleſiaſticarum facultatum, dum aliis poſſeſſiones hujus Eccleſiæ ad diſpenſandum committuntur, ex quibus, licet res Eccleſiæ omnibus debeant eſſe communes, primum tamen ſibi & ſuæ Eccleſiæ deſervientibus neceſſaria* (Epiſcopus) *ſubminiſtret, reliqua quæ ſuperſunt, fidelium uſibus miniſtraturus, ita & præbendæ Eccleſiarum, eadem caritate manente, pie & religioſe poſſunt diſtribui. Nec tunc rebus Eccleſiæ, ut propriis, ſed ut communibus utilitatibus deſervituris, ut ex his quæ ſibi aſſignata ſunt, primum ſibi neceſſaria percipiat. Si qua vero ſuis neceſſitatibus ſuperſunt; in communes uſus Eccleſiæ expendat*. Quod, ex auctoritate S. Auguſtini ſuperius relata, probat inclytus ille Canonum Collector.

(*o*) Gratian. §. Si ergo. 12. q. 1.

Auctor libri de vita contemplativa, qui reperitur inter Opera S. Proſperi, hoc eſt, Julianus Pomerius, eamdem tuetur doctrinam multis in locis (*p*): *Non enim propriæ ſunt, ſed communes Eccleſiæ facultates*, ita antiquus ille Auctor; *& ideo quiſquis, omnibus quæ habuit, dimiſſis aut venditis, fit rei ſuæ contemtor, cum præpoſitus fuerit factus Eccleſiæ, omnium quæ habet Eccleſia, efficitur diſpenſator*. Et alibi (*q*): *Si Dei ſunt ea quæ conſecrantur Eccleſiæ, Dei opus agit, qui res Deo conſecratas, non alicujus cupiditatis, ſed fideliſſimæ diſpenſationis intentione non deſerit. Quapropter poſſeſſiones quas oblatas a populo ſuſcipiunt Sacerdotes, non ſunt inter res mundi deputari credendæ, ſed Dei. Quoniam*

(*p*) Apud S. Proſp. in Can. *Expedit*. 23. 12. q. 1.

(*q*) Ibidem. l. 2. de vita contemplativa. 16.

Digitized by Google

ſi veſtes ac vaſa, & cætera quæ in ſacris uſui miniſtrantibus erant, ſancta vocabantur, nec in uſus humanos jam revocari poterant, divinis ſemel miniſteriis conſecrata; quomodo non ea quæ conferuntur Eccleſiæ, ſacra credenda ſunt, quibus, non ut ſæculi rebus luxurioſe, ſed ſancte ut Deo conſecratis, utuntur ad neceſſaria Sacerdotes?

Hiſce auctoritatibus addi poſſunt celeberrimi tum Canoniſtæ, tum Theologi: ut Halenſis, Albertus Magnus, Joannes Major, Sotus, Medina, Panormitanus, Joannes Andreas, Cardinalis Capiſuccus Alphonſus a Caſtro, Navarra aliique plurimi, a quibus omnibus obligantur Beneficiarii ad reſtitutionem inutiliter impenſorum Beneficii ſui redituum, uti donatarii eorum, qui ob largitiones ex his reditibus provenientes, ditiores facti ſunt (*a*).

(*a*) Alex. Halenſis. part. 3. q. 36. membr. 5. art. 2. & 3. Albertus Magnus in 4 diſt. 25. art. 4. ad 1. Joannes Major in 4. diſt. 24. q. 26. & 27. Petrus Sotus Inſtitut. 1. de vita Sacerd. Lect. 9. Michael Medina l. 7. de recta ad Deum fide. c. 11. Panormit. in Cap. *Cum eſſet.* de teſtam. & in Cap. *Cum ſecundum*. de Præbendis & dignit. n. 2. & in hæc verba: ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti. Joannes Andreas in Can. *Res Eccleſiæ*. 26. 12. q. 1. Card Raimund. Capiſuccus in controverſia ult. de obligat. Eccleſiaſticorum ad eleemoſynam. §. 5. Alphonſus a Caſtro l. 1. contra omnes hæreſes c. 5. Navarrus. Manual. c. 17. n. 64. Innocent. III. in Cap. *Cum in officiis*. De teſtam. &c.

Hactenus dicta, ipſa quoque confirmat ratio. Neque enim fas eſt credere ſanæ mentis homini, Beneficiorum fundatores, eoſve qui largitionibus ſuis aut legatis ad eorum erectionem contulere, aliud intendiſſe, quam ut divinum cultum promoverent, ſubſidioque pauperum conſulerent: quam etiam intentionem aſſerit celebris iſta Capitularium Caroli Magni formula: *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ in hac curtula tenentur inſertæ, pro remiſſione peccatorum meorum, ac parentum ac filiorum, ad ſerviendum ex his Deo in ſacrificiis, Miſſarumque ſolemniis, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus, atque illius Eccleſiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde (quod fieri nullatenus credo) abſtulerit; ſub pœna ſacrilegii ex hoc, Domino Deo cui eas offero atque dedico, diſtrictiſſimas reddat rationes.*

Hinc manifeſtum fit, illaſa ſana mente, non poſſe exiſtimari, aliud intendiſſe pios illos fundatores aut donatores, hoc eſt, voluiſſe, ut in profanos uſus, vanos & injuſtos ſacra illa bona converterentur: quod etiam elapſis ſæculis ad Navarri tempora fuerat inauditum, ut ipſe teſtatur (*b*): Nemo, inquit, *Catholicorum, quos ego legerim uſque ad præfatum N. affirmavit, dominium ſaltem ſtabilium, ſive immobilium Eccleſiæ uſibus deputatorum eſſe penes. Beneficiarios: quæ falſa*, ſubjungit, *& inſolens concluſio eſt: quia immo eſt ſalius Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti; quod irrefragabiliter eſſe tenendum probo.* Hæ ſunt autem ejus probationes præcipuæ, ex ratione deductæ.

(*b*) Navar. tract. de rediti bus Eccleſiæ. q. 1. monit. 42.

Prima: *quia ab opinione communi, in quam præſertim omnium Doctorum Catholicorum conſenſus concurrit, non eſt recedendum*: quam propoſitionem ex antiquo Canone quem Innocentio I. tribuit Gratianus (*c*), confirmat: in quo dicitur, habendam eſſe rationem auctoritatis antiquorum, eorumque ſententiæ eſſe aſſentiendum, ubi ex Conciliorum Canonibus, aut ex Scriptura ſacra non eſt ſoluta quædam quæſtio. Unde ſequitur, quod, licet præſens difficultas non adeo expreſſe a Conciliis, allatiſque ſuperius ſanctorum Patrum teſtimoniis non aſſereretur; ſufficerent tamen allatæ auctoritates ſancti Bernardi, S. Thomæ, S. Raymundi, S. Antonini aliorumque, ut eorum ſententia tamquam certa regula adhiberetur.

(*c*) Can. *De quibus*. 3. diſt. 20.

Altera docti hujuſce Canoniſtæ eſt, quia *in materia morum & fidei, qualis eſt iſta, non poteſt id ſine periculo fieri*, hoc eſt, majorum ſententia prætermitti, *juxta textus irrefragibiles*. Uti confirmat ex ſcriptis S. Baſilii (*d*), & S. Auguſtini (*e*) qui aſſerit, *quod in his rebus de quibus nihil certi ſtatuit divina Scriptura, mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt*. Alia multa prætermittimus Canoniſtæ hujus argumenta, quæ ſupra jam fuere allata. Cardinalis heic tantum Cajetani ſententiam pro eadem re afferemus (*i*). En ejus verba: *Cum poteſtas Papæ quoad res temporales Eccleſiæ, ſit poteſtas non Domini, ſed diſpenſatoris .... conſequens eſt, ut plenitudo poteſtatis Papalis circa bona Eccleſiæ temporalia, non exeat limites poteſtatis diſpenſativæ.... ex eodem quoque fundamento, ſcilicet, quod Papa non eſt dominus, ſed diſpenſator, ſequitur, quod de plenitudine poteſtatis non poſſit ad libitum dare bona Eccleſiæ, cui voluerit; ſed tenetur fideliter diſpenſare, ut recta ratio ſuadet.* Hæ ſunt potiſſimum argumenta prioris ſententiæ.

(*d*) S. Baſilius in Can. *Eccleſiaſticarum*. 5. diſt. 11.

(*e*) S. Aug. Epiſt. 36. alias 86. ad Caſulanum. n. 2. in Can. *In his*. 7. diſt. 11.

(*f*) Card. Cajetan. in 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7.

Secunda opinio aſſerit, Beneficiario plenum acquiri dominium circa reditus ſui Beneficii, quamvis peccet iis abutendo: ipſius tamen peccatum non differre a peccato illius, qui patrimonium ſuum dilapidat; ita ut, ſi caritatis præceptum infringat, juſtitiæ tamen non fiat tranſgreſſor, cum de ſuo tantum diſponat, nec ulli injuriam inferat.

Prima ratio Auctorum qui ita ſentiunt, eſt: quia de uſu bonorum Eccleſiaſticorum omnino ſilet Evangelium; unde ea in re ſtandum Eccleſiæ conſuetudini: atqui, inquiunt, ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, non quidem licebat Epiſcopis vel Clericis bonorum Eccleſiaſticorum heredem quemquam inſtituere, ut conſtat ex hoc Agathenſis Concilii Decreto (*g*): *Epiſcopi de rebus propriis vel acquiſitis, vel quidquid de proprio habent, heredibus ſuis, ſi voluerint, derelinquant: quidquid vero de proviſione ſua Eccleſiæ fuerit, ſive de agris, ſive de fructibus, ſive de oblationibus, omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus*. Verum obſolevit iſta conſuetudo, ut patet ex eo, quod Beneficiariis, non impediente Eccleſia, ab inteſtato ſuccedant eorum parentes, etiam in bonis Eccleſiaſticis, uti in Patrimonialibus: quam etiam conſuetudinem approbat civilis juriſprudentia, non intercedente Eccleſia; quod aliunde magno Doctorum ultimi ſæculi numero eſt approbatum.

(*g*) Conc. Agathenſ. 48. in Can. *Epiſcopi*. 39. 12. q. 1.

Altera ratio deſumitur a Concilio Tridentino, (*h*) quod declarat, Beneficiarium Beneficii fructus non facere ſuos, niſi ejus expleat onera; unde ſequitur a contrario, eos facere ſuos, hoc eſt, ipſos acquirere, cum ſua obit munera.

(*h*) Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform.

Tertia ratio ex eo petitur, quod ex antiquis Canonibus (*i*) videtur, cumulum bonorum Eccleſiæ, ante erectionem Beneficiorum, fuiſſe diviſum in quatuor partes, quarum prima Epiſcopo; ſecunda Clericis, juxta cujuſque ordinem diſtribuenda; tertia & quarta cultui divino & pauperibus deputabatur: atqui non veriſimile eſt, inquiunt hujuſce opinionis aſſertores, duas priores partes Epiſcoporum & Clericorum arbitrio, ad eos quos voluiſſent, uſus non fuiſſe permiſſas; iniquum enim videtur, portionis ſibi attributæ parcimonias ab ipſis eſſe reſtituendas; quocirca dicendum, hujuſmodi parcimonias pro ſuis parentibus, neque Eccleſiæ intentioni, neque juſtitiæ eſſe oppoſitas. Argumentationem hanc ſic inſtituunt Cajetanus (*k*) & Navarra (*l*) de portione juſta & legitima, quam ſibi vindicare poſſunt Beneficiarii.

(*i*) Gelaſius. 1. in Can. *Conceſſo*. 26. & in Can. *Quatuor*. 27. 12. q. 2. Can. *De Reditibus*. 28. ibidem. S. Greg. in Can. *Cognovimus*. 29 & in Can. *Mos eſt*. 30. Ibid. Conc. Tulet. in Can. *Sancimus*. 31. ibid. &c.

(*k*) Cajet. in 2. 2. q. 185. a. 7.

(*l*) Navarr. tract. de reditibus Eccleſiæ q. 1. monit. 43.

Quarta ratio petitur ex Concilio Agathenſi an. 506. (*m*) quod affirmat, portionem bonorum Clericis adſcriptam eſſe ſtipendium ſuorum laborum, quibus uti, eorum ordini debet eſſe conveniens. *Clerici*, inquiunt Patres hujus Concilii, *qui fideliter Eccleſiæ deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſervitii ſui meritum vel ordinationem Canonicam, a Sacerdotibus ſeu Epiſcopis conſequantur*. Unde colligendum, ut videtur, hanc portionem, utpote ſuis laboribus debitam, ipſis eſſe legitime partam, de qua proinde libere poſſunt ſtatuere, uti de re ſua: alioquin fruſtra conſtituiſſent Patres hujuſce Concilii, partem hanc pro rata laborum ſuorum eſſe augendam; cum inutiliter ſic aucta eſſet, ſi ſumtu ex ea victu & veſtitu, ſuperfluum Eccleſiæ aut pauperibus fuiſſet erogandum; quia labores eorum, licet ſancti & præcipui, aliter majore ſtipendio non fuiſſent digni quam vulgare ſervitium.

(*m*) Conc. Agathenſ. Can. 36.

Quintam rationem pro hac opinione ſuppeditat Bulla S. Pii V. incipiens: *Romani Pontificis*, data 30. Auguſti an. 1567. (*n*) in qua declarat, inter Eccleſiæ bona non eſſe cenſenda bona derelicta a Beneficiario aut Penſionario Eccleſiaſtico. *Cujus, vel quorum inſimul, fructus & proventus* (Beneficii, aut penſionis) 30. *ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non exceſſerint, aut qui penſiones annuas ſuper quibuſvis fructibus Eccleſiaſticis uſque ad dictum valorem annuatim perceperint &c.* Ex qua ſummi hujuſce Pontificis conſtitutione concludi poſſe videtur, Beneficiarios illos aut penſionarios ita dominium bonorum illorum habere, ut de iis pro nutu ſuo poſſint ſtatuere.

(*n*) Bulla 41. S. Pii V quæ incipit. *Romani Pont.* §. 6.

Sexta denique probatio ducitur ex auctoritate

San-

Digitized by Google

(a) S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7.

ſancti Thomæ (*a*), qui cum aſſeruit, in uſu bonorum duplici modo poſſe delinquere, vel ratione boni ipſius, vel immoderati ad illud affectus; dicit, Beneficiarium, qui deſtinata fabricæ ſeu cultui divino, vel pauperum ſubſidio male utitur portione, mortaliter peccare, & ad reſtitutionem teneri; ſi gravis ſit abuſus: *De his autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata*, addit Angelicus Doctor, *videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis, ut ſcilicet propter immoderatum affectum & uſum peccet quidem, ſi immoderata retineat & aliis non ſubveniat, ſicut requirit debitum caritatis.* Et alio in loco, in quo de eadem portione loquitur (*b*): *In ſecundis vero bonis non committitur peccatum, niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt. Unde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam peragendam.* Quibus verbis ſatis conſtat hanc eſſe ſancti Doctoris ſententiam, legitimæ partis redituum Beneficii ſui debitæ dominium habere Beneficiarios, cum de ea, uti *de bonis patrimonialibus* ſtatuere poſſint, ad nullam etiam reſtitutionem *per abuſum* obligari.

(b) Idem quodl. 6. art. 12. ad 3.

His denique rationibus novum pondus addit univerſalis Galliæ conſuetudo, quam probat Edictum an. 1385. in quo ſic loquitur Carolus VI. *Licet de jure, uſu & conſuetudine & communi obſervantia, notorie obſervatis, Epiſcopis regni noſtri & in teſtamentis ſuis executores ordinare, & bona mobilia & immobilia ex deceſſu talium Epiſcoporum relicta, etiam illa quæ per ſuam induſtriam quæſierant, quæ amplius ipſorum Epiſcoporum non ſunt, neque cenſentur; ſed ad ſuos heredes, aut eorum executores ſpectant.* Uſum hunc confirmant conſuetudo Pariſienſis (*c*), aliæque plurimæ, nec non multa ſupremarum Curiarum Arreſta.

(c) Conſuetudo Pariſienſis. art. 336.

Hæc ſunt præcipua ſea argumenta poſterioris hujuſce opinionis, & quibus ad eam amplectendam adductus eſt colloquiorum Diœceſis Condomenſis Auctor (*d*): qui tamen tutiorem fatetur priorem ſententiam, & firmiſſimis munitam rationibus; quæ quidem adeo ſunt validæ, ut rite penetratæ nulla poſſint infirmari reſponſione; cum poſterioris opinionis argumenta ſolvi facile poſſint, ut in ſequentibus patebit.

(d) Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 5. ſect. 3.

Ad primum quidem reſpondendum eſt, mirum non eſſe, ſi in Evangelio non reperiatur Clericis ſacta prohibitio, ne bonis Eccleſiæ abutantur, quæ videlicet Apoſtolis erat inutilis, quibus dictum fuerat a Domino: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris* (*e*): at ſucceſſoribus eorum neceſſaria; poſtquam iis reditus ſuos, ſeu ad proprias ſeu ad pauperum neceſſitates ſublevandas, Eccleſia commiſit. Verum hæc immutatio quam invexit exterius diſciplina, interiorem animi affectum immutare non debuit: quocirca ex hac ſacultate hujuſmodi bona poſſidendi ab Eccleſia ſibi conceſſa, non diſpenſantur Clerici ab obligatione naturali & divina, Eccleſiaſticos reditus immoderato affectu non proſequendi, eoſque in pios uſus convertendi. Unde iis diſtricte vetat Concilium Tridentinum, ne bona Eccleſiæ in ſumtus vanos & inutiles inſumant, ac docet quo pacto iis uti debeant.

(e) Matth. 10. 9.

Ad id quod additur, non jam vigere antiquum Eccleſiæ uſum, cum defunctorum Clericorum ab inteſtato, res Eccleſiæ, uti alias, hereditario jure poſſideant eorum conſanguinei, non interveniente Eccleſia: Reſpondetur, verum quidem eſſe hunc ab Eccleſia tolerari abuſum, tamquam malum, cui ſine magnis incommodis obſiſtere nequit: at pro conſenſu aut formali aut tacito, non cenſenda eſt iſta tolerantia, quæ non minus nunc ipſius ſpiritui, quam ſæculis elapſis adverſatur. Et quidem non mutationi obnoxia eſt Eccleſia, uti privati eam componentes; contra vero ſibi invariabiliter conſtat tam in iis quæ ad mores, quam quæ ad fidem pertinent. Variari poteſt & reipſa quandoque variatur ejus diſciplina; verum immutabiles ſunt, quas docet, veritates. Quocirca ſi de præſenti, uti olim, in Concilio œcumenico congregaretur, pravam ſine dubio conſuetudinem damnaret, qua eludere conantur ſuas deciſiones; idemque iterum, quod jam in ſuperioribus Conciliis, circa uſum bonorum Eccleſiæ conſtitueret.

Ultro quidem fatemur, civilem Juriſprudentiam, quæ Beneficiariorum bona ab inteſtato defunctorum addicit eorum parentibus, donationeſque eorum, quæque ſint, confirmat, ea in re antiquos Canones, ut videtur, abrogaſſe: Sed quid eorum ſpiritum eam immutaſſe, ſub quadam veri ſpecie defendi poteſt? Nequaquam, procul dubio; verum lege Civili is tantum probatus eſt uſus, ut majori malo, difficili nimirum & litium plenæ diſquiſitioni ac ſejunctioni bonorum Eccleſiæ a ceteris temporalibus occurreret, quæ plerumque ſunt permixta; ac difficile credi poteſt, opitulante hac lege civili tutam fieri eorum conſcientiam, qui ſacris hiſce bonis præter intentionem ſanctorum Conciliorum ac Patrum Eccleſiæ, & non conformiter ad eorum finem utuntur. Igitur ea lege civili pro parentibus atque amicis teſtamenta condere, atque Eccleſiæ bona, iis tranſmittere poſſunt Beneficiarii; quia, ut ait D. Thomas loquens de legibus quæ uſuram permittunt (*f*): *Leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, ſi omnia peccata prohiberentur diſtricte, pœnis adhibitis.* At penitus eorum animis inſidere neceſſe eſt, ipſis jure naturali & divino, de quorum auctoritate ea legibus humanis nihil decedit, eſſe prohibitum, ne hujuſmodi bonis abutantur; & ſi operam ſibi collatam aliquo legitimo poſſint donare præmio, ut ad quoddam Calabriæ Capitulum ſcribit Alexander III. (*g*); pauperes tamen pro parentibus ſuis aut amicis non egentibus, defraudare ſe non poſſe.

(f) S. Thom. 1. 2. q. 78. art. 1. ad 3.

Tandem, cum ea res præcipuæ ſit difficultatis, quam tamen elucidare neceſſe eſt, ob uſum qui in antiquas Eccleſiæ regulas invaluit, opportunum ducimus ea referre, quæ ſcripſit doctus noſtræ ætatis Theologus (*h*), qui perpenſis heredum alicujus Beneficiarii obligationibus, iſtas affert rationes pro eorum ſententia, qui aſſerunt bona hereditatis in pios uſus eſſe convertenda: 1. Quia bona illa Deo ſemel dicata, ad uſus profanos jam non poſſunt adhiberi. 2. Quia heres non niſi perſolutis defuncti debitis, hereditatem adire poteſt: Atqui defunctus Beneficiarius bonum ſuperfluum dare pauperibus; aut ad alia pia opera conſumere tenebatur. Igitur debitum illud perſolvere tenetur heres, & ideo bona illa nequit poſſidere. 3. Quia in bonis Eccleſiæ a defuncto Beneficiario derelictis non magis jus competit heredi quam heredi in bonis viventis Beneficiarii: Atqui nullum iſti per vitam jus competit: ergo nec illi poſt mortem. 4. Ex Edicto Caroli VI. quod in ſtilo Parlamenti reperitur, neque ex Conſuetudinibus aut Arreſtis in ſuo eſſe nequeunt heredes, niſi in foro exteriori, non vero interiori; quia ideo tantum conceſſa eſt facultas res Beneficiariorum hereditario jure indiſcriminatim poſſidendi, ut occulta maneret defunctorum Beneficiariorum agendi ratio, atque ut eximerentur heredes a neceſſitate ſecernendi bona Eccleſiaſtica ab aliis, ut ſunt bona patrimonialia, vel quæ induſtria aut donatione parta fuere. Hæc paucis hic Theologus de prima opinione; tum alterius refert momenta; ac tandem aſſerit, in Pœnitentiæ tribunali non moleſte excipiendos eſſe nepotes neptesve Parochorum mediocriter divites, quibus dona quædam contulere avunculi eorum, niſi conſtet, ea dona e reditibus Eccleſiaſticis provenire. In dubio namque, utrum ea ex propriis bonis aut induſtria vel dono proficiſcantur, erga ea ſcrupulum eis movere non eſt neceſſe; ſi mediocris ſint valoris; ſed, ſi certo e Beneficiorum reditu procedant & maximi ſint valoris; cogendi ſunt ii qui acceperunt, ea pauperibus locorum in quibus ſita ſunt Beneficia, conferre, aut ad ornatum ac reſtitutionem Eccleſiarum eorumdem locorum adhibere. Hæc ille Profeſſor Sorbonæ celeberrimus qui pro noſtra ſtat ſententia.

(g) Alex. III. in Cap. *Relatum*. 12. de teſtam. & ultim. voluntat. l. 3. tit. 26.

(h) De Ste. Beuve. tom. 1. Caſ. 166. & ſeqq.

Ad ſecundum argumentum, quod e Concilio Tridentino ducitur, dicendum illud Concilium non adverſari prioribus Conciliis neque ſanctis Patribus, qui ſtatuere conſenſu unanimi, redituum ſuorum adminiſtros dumtaxat eſſe Beneficiarios; atque adeo ex verbis illius non intelligi, Beneficiarium fructus facere ſuos per proprietatem, ſed eorum tan-

tum fieri dominum. 1. Quia ex iis neceſſaria ad victum & veſtium honeſtamque ſuſtentationem jure deducere poteſt Beneficio illorum fructuum deſerviendo: quod juri naturali & poſitivo conforme eſt, juxta quod non eſt licitum, illius heri impenſis victitare, cui non præſtatur famulatus. 2. Quia auctoritatem habet iis legitime utendi, ſeu eos pauperibus diſtribuendo, ſeu in alia pia opera convertendo.

Sic etiam Innocentius IV. in ſuo Commentario, Innodentii III. Decretalem quamdam ad Caonicos Bethleemitas interpretatur (a): *Non Prælatus*, inquit, *ſed Chriſtus dominiam & poſſeſſionem rerum Eccleſiæ babet. Unde quæcumque homines offerunt Eccleſiis, dicantur eſſe oblata Deo*, Can. Nulli liceat. 12. q. 2. *Et ſi aliquando inveniantur bæc bona Deo oblata, eſſe Epiſcoporum, vel Prælatorum, vel Capitulorum; die eſſe eorum quoad gubernationem*. Illo igitur tantum ſenſu dici poteſt, quod Beneficiarius Beneficii ſui fructus ſuos faciat, ejus videlicet oneribus ſatisfaciendo; atque eodem pariter ſolo ſenſu intelligi debent Concilii Tridentini verba, aliique ſimiles juris Canonici textus.

(a) Innoc. IV. in Cap. *Cum ſuper*. 4. de cauſa poſſeſſionis & proprietatis. n. 3. l. 2. Decretalium, tit. 12.

Ad tertium dicendum, ratiocinium ibi factum ſola niti conjectura, abſque ullo legitimo fundamento: nam, conſentiente magno celeberrimorum Auctorum numero, vel ipſæ bonorum Eccleſiaſticorum parcimoniæ, ſunt Eccleſiæ, non parcipromi Clerici; quæ ſententia apprime cum iſtis jam laudatis Gratiani verbis conſentit: *Si qua vero ſuis neceſſitatibus ſuperſuat, in communes uſus Eccleſiæ expendat*: quibus verbis, ne ipſæ quidem parcimoniæ Beneficiario reſervantur: quem etiam ſenſum referunt hæc alia Agathenſis Concilii: *Quidquid vero de proviſione ſuæ Eccleſiæ fuerit .... omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus*; nec non iſta Alexandri III. *generaliter bona qualibet*: (b) Et id quidem ſapienter ſanxit Eccleſia, ob immoderatum Miniſtrorum quorumdam affectum ad carnem & ſanguinem, id eſt, ad parentes vel amicos ſuos, qui neceſſatibus ſuis deeſſent ut cupiditatem ſuam explerent, eoſque pauperibus præferrent; quocirca parcimoniæ ſuæ ne quidem dominium ac de ea ſtatuendi facultatem ipſis permittere, oon duxit conveniens; non modo in iis quæ pertinent ad integrum reditum ſui Beneficii, ſed etiam ad portionem legitime conſumendam: quod tamen, uti certum & indubitatum non addimus; quia aliter ſentiunt multi inclyti Doctores, licet eorum opinio minus ſit tuta.

(b) Alex. III in cit. *Cap Relatum*, 12. de teſtamentis &c.

Ad quartum dico, rationem e Concilio Agathenſi ductam, prioribus non magis eſſe decretoriam. Hæc enim verba, *ſtipendia ſanctis laboribus debita*, & iſta quæ in quibuſdam Decretalibus reperiuntur, *faciunt fructus ſuos*, de vero dominio non ſunt intelligenda, ſed de facultate Beneficiariis conceſſa percipiendi atque adminiſtrandi reditus ſuos Eccleſiaſticos; hoc eſt, partem eorum ad ſuos uſus, reliquum vero juxta mentem Eccleſiæ, id eſt, in pia opera adhibendi. Sic verba hujus Concilii explicat Panormitanus (c): *Reſpondeo*, inquit, *quod Clericus recipiendo fructus Beneficii ſui, dicitur illos facere ſuos, quoad hoc ut ſibi provideat primo, de ſuperfluis diſpenſet in uſus pios .... non autem ut de ipſis poſſit teſtari, vel pro libito voluntatis facere .... & ſic debeat intelligi omnia jura, quæ videntur velle, quod Clerici ſint domini fructuum: ſcilicet quoad diſpenſationem. Nam Clerici ſunt diſpenſatores & babent poteſtatem diſpenſandi res Eccleſiæ, ut in Canone* Præcipimus. 12. *q*. 1. Et quidem vaneſceret omnino Clericorum dignitas ac functionum Eccleſiæ meritum, atque mercenariorum more haberentur, ſi alio, quam ipſius beatitudinis pretio, labores eorum ac miniſterium redimerentur.

(c) Panormit. in Cap. *Cum eſſes*. 12. de teſtamentis. &c.

Ad quintum diximus, quod argumentatio ducta ex Bulla S. Pii V. eſt omnino illuſoria. Etenim integra legatur hujuſce ſummi Pontificis conſtitutio; & manifeſtum fiet, ab eo deplorari mentis cæcitatem, atque infortunium Beneficiariorum, qui morientes reliqua bona ſua conſanguineis, aut alienis Eccleſiis derelinquunt, non vero propriis, e quarum ſubſtantia fuere ſaginati, & rem omnem congeſſere. Sed quia tum erant Collectores ſpoliorum Clericorum, qui ſpecioſo Cameræ Apoſtolicæ jura percipiendi obtentu, titularium illorum Eccleſias omnibus ſuis ornamentis, atque ſuppellectili ſpoliabant; ut inſatiabili eorum avaritiæ modum præfigeret, hic Papa ſtatuit, ornamenta atque ſuppellectilia inter Beneficiariorum ſpolia non eſſe numeranda (d); *Ne deinceps contingat inſolentia ſpoliorum Cameræ Apoſtolicæ Collectorum ..... aliquas Eccleſias, nec hominem quemquam damno & injuria affici*. Subjungitque, ad eos Collectores ſpoliorum jus non pertinere, cum defuncti Beneficium vel penſio, 30. *ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non exceſſerint* (e): *dummodo tamen is ſe ab omni illicita negotiatione & a ſacris Canonibus prohibita abſtinuerit*: aliter vult ſummus hic Pontifex, ut ſuum jus perſequantur Collectores: ex quo liquet ipſum non ſenſiſſe, fructuum ad illos Beneficiarios dominium pertinere, ac de illis poſſe ſtatuere.

(d) Bulla S. Pii V. cit. §. 1

(e) Ibidem §. 6.

Ad ſextam denique rationem, quæ ex quibuſdam ſubobſcuris S. Thomæ expreſſionibus ducitur, reſpondemus, quod, cum Beneficiariis affectate ipſis portionis diſpoſitionem tribuit Angelicus Doctor, nihil aliud intelligit, quam eos, ut cum Panormitano diximus, illius plenam adminiſtrationem habere, non vero proprietatem, alioquin ſibi ipſi contradiceret; cum, ut vidimus, in tribus laudatis ſuperius Operum ſuorum textibus contrarium doceat poſt S. Auguſtinum; uti conſtat etiam ex ejus verbis (f): *Sed Eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores, vel procuratores: dicit enim Auguſtinus ad Bonifacium; ſi privatum poſſidemus. quod nobis ſufficiat; non illa bona noſtra ſunt; ſed illorum, quorum procurationem gerimus. non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus*. Inſuper quando aſſerit Sanctus idem, Beneficiarium deſtinata ſibi parte abutentem, non teneri ad reſtitutionem; dici poteſt eum conformiter ad intentionem caritatis Eccleſiæ loqui, quæ non ad ſtrictam adeo ac rigoroſam partis bonorum ſibi deſtinatæ diſpenſationem Beneficiarium obligat, ut eos, qui ſibi famulati ſunt, ſive parentes ſint, ſive non, participes efficere non poſſit, id ipſum a ſe exigente juſtitia, juxta hæc Alexandri III. verba (g): *Licet autem mobilia per Eccleſiam acquiſita, de iure in alios morientis arbitrio transferri non poſſint; conſuetudinis tamen eſt non improbandæ, ut de bis pauperibus & religioſis locis, & illis qui viventi ſervierant, ſive conſanguinei ſint, ſive alii, aliqua, juxta ſervitii meritum, conferantur*. Sed quamvis ad reſtitutionem non debeat obligari Beneficiarius, qui parum exceſſit in uſu partis bonorum ſibi ad victum ac veſtitum ab Eccleſia conceſſæ, & qui mediocre quoddam donum parenti vel amico conceſſit; hinc inferri non debet, ipſum parcimoniæ ſuæ dominium habere, ſed potius illam eſſe Eccleſiæ; quam parentibus ſuis poteſt erogare, ut eorum ſublevet miſeriam, non ut ex ea ditiores fiant.

(f) S. Th. 2. 2. q. 185. art. 7. in corp.

(g) Alex. III. in Can. *Relatum*. ſupra cit. de teſtamentis &c.

Ceterum, licet ad litteram ſumerentur verba ſancti Thomæ, hoc unum, ut multi pariter exiſtimant Auctores, colligi poſſet, Beneficiarium tamquam ſuo uti poſſe, ac ſtatuere de legitima portione bonorum ſui Beneficii, quæ ad ipſum attinet; non vero de eorumdem bonorum ſuperfluo: quod a quæſtione in caſu præſenti propoſita omnino diſcrepat. Sed jam finis ſit huic reſponſioni, de qua fuſe ob præcipuum rei momentum diximus.

Ex hactenus dictis, infertur itaque 1. Baſilium Eccleſiaſticorum bonorum non habere dominium, nec proinde de iis, niſi ea qua diximus ratione poſſe ſtatuere. 2. Eum ſummam 400. librarum ſingulis annis pro parentibus ſuis aut amicis ſeponere non potuiſſe; cum omnis ejus parcimonia ſit pauperum vel Eccleſiæ, ut ex allatis in hac ſolutione auctoritatibus conſtat; unde ait Auctor Gloſſæ (h): *De bonis Eccleſiæ illud ſolum Clericorum eſt, quod probabili ratione conſumunt. Si ergo de rebus Eccleſiæ emiſti equum, illud non eſt tuum*. Quocirca reconditæ a Baſilio 400. libræ quotannis, ad pia opera adhiberi debent; non vero ad ditandos ſuos parentes, niſi forte illarum ope eorum miſeriam ſublevet; & ſi ad parcimoniam tenui victu uſus eſt, non ideo eſt excuſandus, cum ex immoderato procedat affectu erga parentes, quos impenſis pauperum ditare voluit, quorum Eccleſiæ bona ſunt patrimonium.

(h) Gloſſa in Can. *Res Eccleſia*. 26. 12. q. 2.

2. Quoad

2. Quoad ſecundam quæſtionem, qua petitur, utrum ſaltem Baſilius lautiorem menſam adhibens, 1600. libras reliquas ad victum & veſtitum ſuum conſumere non potuerit; id unum reſpondemus eum ſequi debuiſſe præclaram iſtam Concilii Tridentini regulam, de Epiſcopis loquentis (a): *Sancta Synodus .... non ſolum jubet, ut Epiſcopi modeſta ſuppellectile ac menſa ac frugali victu contenti ſint; verum etiam in reliqua genere vitæ, ac tota eorum domo caveant, ut quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum*. Quod ſi ita de Epiſcoporum menſa ſtatuit Concilium; ad quæ obſonia ſimplices Parochos redegiſſet?

(a) Conc. Trid. Seſſ. 25. de reform. c. 1.

CASUS XV.

Virgilius, de Beneficio ad honeſtam ſui ſuſtentationem ſufficiente proviſus, a quatuor aut quinque annis, demtis quas legitime facere potuiſſet, impenſis; Lucio fratri ſuo cui res eſt mediocris, licet tamen non diviti, 500. circiter libras diverſis vicibus dono dedit. Numquid in eo peccavit Virgilius; ac Lucius a Confeſſorio cogendus eſt, ea pauperibus reſtituere quæ a Virgilio accepit?

Respons.

Quamvis Beneficiario non ſit licitum, Eccleſiæ bona parentibus ſuis dare, ut inde fiant ditiores; non ei tamen eſt prohibitum, illis mediocre quid conferre, ne indigeant; quare noſtra fert opinio, Virgilium in caſu propoſito non peccaſſe; ac Lucium ejus dona potuiſſe accipere tuta conſcientia, ac proinde a Confeſſario ſuo ad reſtitutionem non eſſe cogendum. Congruit illa deciſio cum ſententia S. Thomæ; qui facta ſibi objectione iſta (b): *Dicit Gloſſa Hieronymi (c), quod bona Eccleſiaſtica ſunt pauperum, ſed quicumque id quod eſt alterius, ſibi reſervat aut aliis dat, peccat mortaliter & tenetur ad reſtitutionem. Ergo Epiſcopi, ſi bona Eccleſiaſtica quæ iis ſuperfluunt, ſibi retineant, vel conſanguineis, vel amicis largiantur, videtur, quod teneantur ad reſtitutionem.* His terminis reſpondet ſanctus Doctor: *Bona Eccleſiæ non ſunt ſolum expendenda in uſus pauperum; ſed etiam in alios uſus .... & ideo, ſi de eo quod uſui Epiſcopi vel alicujus Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubſtrahere, & conſanguineis vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, id eſt, ut non indigeant, non autem ditiores inde fiant.* Tum ſententiam ſuam probat Angelicus Doctor auctoritate S. Ambroſii, addens: *Unde Ambroſius dicit in lib. de Officiis: (d) Hæc eſt approbanda liberalitas, ut proximos tui ſeminis ne deſpicias, ſi egere cognoſcas: non tamen ut illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus.*

Idem docet Fagnanus, non ſola S. Thomæ auctoritate fultus, (e) ſed etiam Nicolai I. (f) aliorumque plurimorum. *Vide* Caſum ſequentem.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7. ad 2.

(c) S. Hieron. in Iſaie 3.

(d) S. Ambr. l. 1. de offic. c. 30. in Can. *Eſt probanda*. 16. diſt. 86.

(e) Proſp. Fagnanus in Cap. *Si quis ſane*. de peculio Clericorum n. 28.

(f) Nicolaus I. in Can. *Studeat*. 39. in fin. diſt. 50.

CASUS XVI.

Sosthenes, vir nobilis & magiſtratu inſignis, tres habens filios, octo aut decem millia librarum annui reditus poſſidet, quæ impenſæ ſuæ, quantumvis moderatæ, vix ſufficiunt; nec quidquam ad filiorum ſuorum educationem reſervare poteſt; immo quandoque ad reditus ſui ſupplementum, mutuam tenetur accipere pecuniam. Euſebius frater ejus, præter Epiſcopatum 30000. librarum annui reditus, etiam Prioratum 800. librarum, perſolutis ejus oneribus, poſſidet; cujus annuum reditum 800. lib. fratri ſuo a tribus annis contulit, ut unum ex filiis, quem Clericali militiæ deſtinat, in ſtudiis promovere poſſit. Quæ de re quæritur?

1. Utrum donum illud, ex Eccleſiæ bono proveniens tuta conſcientia poſſit accipere Soſthenes a Beneficiario, qui illius non indiget?

2. Utrum ea quæ jam accepit, reſtituere non teneatur? Ad illud dubium ex eo movetur, quod Prioratum hunc contra regulas, & abſque neceſſitate poſſidere Euſebius ampliſſimo aliunde reditu munitus videtur.

Pontas Tom. I.

Respons.

Ut propoſitæ difficultati fiat ſatis, quæ a præcedenti ex una tantum circumſtantia diſcrepat; dicimus 1. Ante omnia teneri Soſthenem ad ſignificandum Euſebio, ſe ipſi occaſionem peccati præbere nolle, ſervato ſimul Prioratu, cum Epiſcopatus reditu plus quam ſufficiente. 2. Si Prioratum ſervare velit Euſebius, nec Soſthenes cum ſolo ſuo reditu, filii ſui ſtudia promovere: ſervata ſui ſtatus decentia, & abſque gravi incommodo; poſſit tunc fructum hujuſce Prioratus, tamquam eleemoſynam filio ſuo datam accipere poſſe. Cum enim reditus ille ſit penes Euſebium Titularem, Soſthenes non tenetur impedire, ne ſui filii ſtudia curet frater, eumque ſic diſponat ad famulandum digne Deo & proximo, in ſtatu generi ſuo conveniente. 3. Id verum eſſe, licet Prioratum hunc illicite teneret Euſebius: cum non ſit illicitum, intercedere, ne Beneficiis, quamvis illicite poſſeſſis, bene utatur Beneficiarius, qui ad id obligatur, quamdiu ea retinet. Unde accepta nedum reſtituere teneatur Soſthenes, immo tuta conſcientia dimiſſos 800. lib. reditus deinceps percipere poteſt, dum res non melius ſe habebit: licet enim egeſtate non prematur, modica tamen ei res eſt familiaris, & abſque tali ſubſidio, gravius poſſet perpeti incommodum: quod ad conſcientiam ſatis eſt; uti in præcedenti reſponſo auctoritate S. Thomæ probavimus.

Sententiam iſtam ſequitur Navarra (g), quam probat 1. auctoritate ſancti Thomæ, (h) & Cardinalis Cajetani. (i) 2. Tribus Canonibus, ex operibus S. Ambroſii deſumtis, quos refert Decretum Gratiani (k).

Idem quoque ſentit Fagnanus (l), ut patet ex his ejus verbis: *Si Clericus diſtribuat ſuperflua in eos, qui, quamvis habeant neceſſaria ad victum, non tamen habent ſic ſufficientia pro qualitate conditionis & decentia ſtatus; bene diſtribuiſſe videtur .... quare Clericus poteſt uſque ad ſtatus decentiam donare etiam conſanguineis, & familiaribus ſuis.* Quod confirmat ex his Nicolai I. verbis (m): *Præcipimus, ut tale Beneficium ſibi Eccleſiæ ſuæ concedatur, quo & ipſe, & ſui ſufficienter poſſint habere ſuæ ſuſtentationis ſolatium*: & ex alio Canone e ſcriptis S. Leonis deſumto. (n) Poſtea Silveſtrum laudat (o) & alios quoſdam, ſubjungens, ſententiam ſuam penitus eſſe conformem opinioni Silveſtri, quem his refert verbis: *Quod tamen, ſecundum eum, limitatur, & intelligitur, ſi indigeant: non autem ad pompam, vel altum ſtatum. Magnopere enim cavendum eſt, ne hujuſmodi decentia ſtatus & conditionis conſanguineorum longius latiuſque protendatur, quam ferat neceſſitas.*

(g) Navarr. tract. de reditibus Beneficiorum Eccleſiaſticis q. 1. monit. 27. n. 3.

(h) S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 6. in corp.

(i) Cajet. in 2. 2. q. 43. a. 8.

(k) S. Ambr. in Can. *Non ſatis*. 14. in Can. *Eſt probanda*. 16. & in Can. *Conſideranda*. 17. diſt. 86.

(l) Proſper Fagnan. loco ſupra citato.

(m) Nicol. I. in Can. *Studeat*. 39. diſt. 50.

CASUS XVII.

Arnaldus, S. Alexii Parochus, quolibet anno e ſua Parœcia 1000. nummos percipiens; illa 12. aut 15. annis poſſeſſa, talibus efficitur incommodis, ut prævideat, fore, ut curiales obire brevi non poſſit functiones: quare a ſexennio 1000. libras, omni alio præſertim bono privatus, quolibet anno recondidit, e quibus cenſualem contractum, quem ſolvit Baſilica Pariſienſis, contraxit non ſuo, ſed cujuſdam agricolæ, conſanguinei ſui qui non indiget, nomine, quem etiam hujus contractus heredem, poſt mortem ſuam deſtinat. Ea de re ſcrupulum ipſi injecit Parochus familiaris ejus aſſerens, cum conſanguineo ſuo contractum hunc non poſſe derelinquere. Numquid legitimus eſt injectus ab eo Parocho ſcrupulus?

Respons.

Cum Beneficiarii non ſint redituum Eccleſiæ domini, ſed tantum adminiſtri & diſpenſatores, ut conſtat ex reſponſione ad decimum quartum Caſum; certum eſt, Arnaldum non poſſe, abſque gravis peccati reatu 6000. librarum reſervare ad conſtituendum cenſum, cujus heredem deſtinat conſanguineum ſuum, qui nec indiget, nec cui res familiaris eſt anguſta. Deciſionem hanc firmat e Concilio antiquo Remenſi (p) depromta Decretalis his verbis: *Inquirendum eſt, ſi quis Presbyterorum de reditibus Eccleſiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium, alieno*

(n) S. Leo in Can. *Omnino*. 31. diſt. 12. & ibi Gloſſa. v. *Ut de mercede*.

(o) Silveſter de Prierio. v. *Clericus*. 4. q. 11.

(p) Conc. Remens. in Cap. *Inquirendum*. 4 de peculio Clericorum. l. 3. tit. 25.

Digitized by Google

nomine rei comparavit. Quin ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine Presbyter fraudem facere de facultatibus eccleſiaſticis debet. Quoniam hoc ſacrilegium eſt, & par crimini Judæ furis, qui ſacras oblationes aſportabat & furabatur.

(a) Conc. Carthag. III. Can. 49.

Cum hac Decretali conſentit Concilium Carthaginienſe (a): *Placuit*, inquit, *ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi vel quicumque Clerici, qui, nihil habentes, ordinantur; & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui agros, vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant; tamquam rerum dominicarum invaſionis crimine teneantur obnoxii, niſi admonati Eccleſiæ eadem ipſa contulerit.* Hæc quoque deciſio conſentanea eſt cum nono Tolerano Concilio Provinciali an. 655. (b) cum Agathenſi an. 506. (c) & Bracarenſi an. 572. (d) quæ refert Gratianus.

(b) Conc. Toler. IX. c. 1. & 11. in Can. *Sacerdotes*, 2. 12. q. 4.

CASUS XVIII.

(c) Conc. Agath. c. 51. in Can. *Si Epiſcopus*. 5 12. q. 3. &c. 54. in Can. *Presbyter*, fin. 15. q. 4.

Numquid legitimum eſt lucrum STEPHANI, qui follis luſoriis quindecim, aut ſexdecim aureos abſtulit ab Eucherio, cui totus eſt in Abbatia quam poſſidet, reditus?

RESPONS.

(d) Conc. Bracarenſ. c. 8. in Can. *Quicumque*. 2. eadem cauſſa & 9.

Dicendum, Beneficiarium, cum non ſit bonorum eccleſiaſticorum dominus, ſed tantum adminiſter, ut in decimo quarto Caſu fuit probatum eſt, aleæ ſine gravi peccato ea committere non poſſe, nec eorum dominium acquirere vincantem; ſed contra teneri ad reſtitutionem, non quidem erga victum qui ea ludo injuſte commiſit; verum erga pauperes, ad quos pertinent. Unde Stephani lucrum eſt injuſtum, & quindecim ſeudecimva aureos pauperibus reſtituere, aut ad utilitatem Eccleſiæ adhibere tenetur.

Deciſionem hanc probat illud Concilii Remenſis an. 1583. ſub Ludovico Cardinale Guiſio Decretum (e): *Ab alea ... & omni ludorum genere Eccleſiaſticis perſonis interdicto & indecoro prorſus abſtineant ... Quod ſi eam injuriam Ordinis Eccleſiaſtici deinceps quiſquam Eccleſiæ bona, quibus pauperes ali oportuit, in hujuſmodi luſus profudiſſe convictus ſit; & qui quæſtum fecit, rem pauperum male partam reſtituere, & qui jacturam paſſus eſt, tamquam ſacri patrimonii dilapidator, graves pœnas exſolvere cogantur.* Unica tantum hujus regulæ exceptio reperitur in Concilio Mexicano ann. 1585. (f) quo *recreandi animi cauſſa extra tempus Adventus & Quadrageſimæ ludi liciti Clericis permittuntur, ſumma duorum pondo tantum intercedente; dummodo id raro, ſine ſcandalo & cum perſonis honeſtis fiat.* Verum, ut obſervat Thomaſſinus, (g) exceptio Beneficiariis non favet, qui pecunia ludunt; quia in ea regione habitum eſt illud Concilium, ubi argentum & aurum adeo ſunt communia, ut ſumma deſignata pro nihilo ſit habenda: cui rei addimus, Concilium illud loqui tantum de Clericis generatim, quorum multi vel non ſunt de Beneficio proviſi, vel ſi Beneficium poſſideant, aliorum bonorum dominium habent, quæ proinde ludo poſſunt alienare.

(e) Conc. Remenſ. tit. 16. de Clericis in genere. n. 6.

(f) Conc. Mexican. l. 3. tit. 5.

(g) Lud. Thomaſſin. Diſciplina Eccleſiæ part. 4. l. 4. c. 13. n. 6.

CASUS XIX.

Numquid mortaliter peccat SIGEBERTUS, Abbas opulentus, qui magnas facit impenſas, laute vivendo, atque cum amicis ſuis voluptuoſe ac magnifice epulando?

RESPONS.

Beneficiarii cujuslibet convictus debet eſſe facilis, nec ſuperfluus: ita enim loquens de Epiſcopis; (h) *ſancta Synodus* (Tridentina) *jubet, ut Epiſcopi modeſta ſuppellectile ac menſa, ac frugali victu contenti ſint.* Cujus quidem rei regulas præſcribere ſola poteſt Chriſtiana prudentia: *Talia enim*, ait ſanctus Thomas, (i) *quia in ſingularibus eſt eorum judicium, non poſſunt per omnem certitudinem definiri.* Et quidem, cum ſuæ conditioni convenientes impenſas facere poſſit quilibet Beneficiarius, ſecundum uſum ſuæ regionis reſpective ad eos quibuſcum veſci neceſſe eſt, lautior debet eſſe Epiſcopi convictus, quam Parochi aut altarius ſimplicis Beneficiati. Certum eſt tamen ex eodem Angelico Doctore, (k) quod, *neque moderatus uſus divitiarum, neque bona fides diſpenſatorum ſalvari videtur in eo, qui ſcienter ſuperfluas expenſas facit in voluptuoſis conviviis, & aliis hujuſmodi ſuperfluitatibus; & ſic non eſt dubium, quod in talibus peccat mortaliter.* Quod probat hic Sanctus ex parabola in Evangelio relata: *Unde dicitur Matthæi* 24. Si dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: moram facit dominus meus venire ... manducet autem & bibat cum ebrioſis, *quod pertinet ad ſuperflua & voluptuoſa convivia*, veniet dominus ſervi illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & dividet eum, *ſcilicet a ſocietate Sanctorum*: partemque ejus ponet cum hypocritis, *ſcilicet in inferno. Unde ibi ſubditur*: ibi erit fletus & ſtridor dentium. *Si autem aliquis in talibus non multum excedat, poteſt bona fide fieri ab aliquo, qui vult ſecundum decentiam ſui ſtatus morem gerere his quibus convivit.*

(h) Conc. Trid. Seſſ. 25. de reformat. c. 1.

(i) S. Thomas quodlibet. 6. art. 12. in corp.

(k) Idem ibid. ad 4.

Uno verbo præclarum illud S. Hieronymi verbum recordari debet Beneficiarius quilibet, quantumvis locuples: (l) *Tibi, o Sacerdos, de Altari vivere*, ut vult S. Paullus, *non luxuriari, permittitur.* Eam quoque regulam ſecutus eſt Auguſtinus, cujus inſtinctu præclaram iſtam conſtitutionem fecere Patres quarti Concilii Carthaginienſis an. 398. habiti, & a Leone III. confirmati (m): *Ut Epiſcopus vilem ſuppellectilem, & menſam ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.* Quam regulam ipſe ſemper religioſe ſecutus eſt S. Auguſtinus, & ante, aut poſt ipſum ſanctiſſimi ac maximi antiquitatis Præſules, & in primis S. Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Gregorius Papa, Martinus Turonenſis, Germanus Altiſſiodorenſis, Anſelmus, Carolus Borromæus & alii innumeri.

(l) S. Hieron. in Cap. 3. Mich.

(m) Conc. Carthag. IV. Can. 15.

Quocirca ex Doctoris Angelici principio a mortali accuſari, aut de eo damnari debet Sigebertus: nam, ſi habita ratione ſui ſtatus, dignitatis & regionis ſuæ, nec non eorum quorum colloquio atque convictu eum uti neceſſe eſt, lautior poſſit eſſe menſa ipſius; non minus tamen certum eſt, eam debere eſſe frugalem, eumque Abbatiæ ſuæ fructus in crebris conviviis aliiſque ſuperfluis ac notabiliter immodicis impenſis abſque reatu peccati mortalis conſumere non poſſe; quippe qui pauperes hac ratione debito eis bono defraudet.

CASUS XX.

MARIUM, ſancti Blaſii Priorem, cujus Beneficium eſt 1200. librarum annui reditus, de omiſſa duodecies aut tredecies Officii ſui recitatione, ea tantum lege abſolvere voluit ipſius Confeſſarius, ut partem fructuum ſui Prioratus, pro rata temporis omiſſi Officii, pauperibus aut Eccleſiæ reſtitueret. Nonne ad talem reſtitutionem tenetur Marius, etiam ante Judicis Eccleſiaſtici ſententiam?

RESPONS.

Certum eſt, ad talem reſtitutionem ſub peccati conſcientia teneri Marium; *Cum propter Officium*, cujus pars eſſentialis eſt recitatio Breviarii, *detur Beneficium*, ut poſt Gregorium IX. loquitur Leo X. in ſeptima ſua Bulla 5. Maii an. 1514. (n) *Statuimus & ordinamus*, inquit hic Papa, *ut quilibet habens Beneficium cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante; Beneficiorum ſuorum fructus, ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis Officii & temporis: ſed eos, tamquam injuſte perceptos, in fabricam hujuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, Beneficio ipſo privetur, cum propter Officium detur Beneficium.*

(n) Leo X. in Bulla *Superna diſpoſitionis*. § 35. Greg. IX. in Cap. *Quia per*. fin. de reſcriptis, in 6.

Idem quoque ſtatuit ſanctus Pius V. in 135. conſtitutione ſua 20. Septemb. an. 1571. (o) *Statuimus*, ait hic S. Pontifex, *ut qui horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii ſeu Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur ..... amittat.* Neque neceſſe eſt, ut ulla interveniat Judicis ſententia, cum ex juſtitia

(o) S. Pius V. in Bulla *Ex proximo*. §. 1.

tia

tia ad id tenetur Beneficiarius, ita patet ex iſta Leonis X. ratione; *cum propter Officium detur Beneficium*; nec non jure naturali: 1. Quia de Beneficio non eſt proviſus, niſi ſub tacita conditione recitationis Officii divini, qua deficiente ſine injuſtitia fructus illius percipere nequit, juxta iſtam quam refert Covarruvias (*a*), juris regulam (*b*): *Datum ob cauſſam retineri non poteſt, cauſſa non ſecuta*. 2. Quia fructus non facit ſuos talis Beneficiarius, ut ait Leo X. ex jure autem naturali alienum rapere, aut non ſuum retinere non licet, ſed reſtituendum eſt. 3. Quia, cum ex juſtitia ad recitationem divini Officii teneatur, illud abſque injuſtitiæ peccato omittere nequit, faciens contra naturalem obligationem, quæ ex contractu in jure *do, ut facias*, nominato oritur, & qua Beneficium accipiendo, ſe obſtrinxit.

(*a*) ff. Lib. 12. toto tit. de condictione cauſſa data, cauſſa non ſecuta, tit. 4.

(*b*) Didacus Covarruvias a Leyva. l. 3. Variar. reſolut. c. 13. n. 10.

Ceterum reſtitutionem hanc vel in fabricam ejuſdem Beneficii, ſi forte indigeat, vel in eleemoſynas pauperum loci in quo ſitum eſt Beneficium, erogare tenetur, ut ſtatuit Leo X. & ſi forte perceptos eo tempore quo Officium non recitavit, fructus conſumſerit, ex patrimonii ſui impenſis, ſi forte habeat, fieri debet. Quod ſi careat, & neceſſarios tantum ad victum & veſtitum e Beneficio ſuo reditus percipiat, ſufficit ut de peccato ſuo pœnitentiam agat. Id quoque addimus, illud in primis eſſe verendum, ne opulenti, ut Marius, Beneficiarii alucinentur, dum ſola Breviarii recitatione contenti, Beneficiorum ſuorum fructus facere ſuos exiſtimant, quod ſibi animarum cura aut Sacramentorum adminiſtratio non incumbat. Ut quid enim a fundatoribus tam large fuiſſent dotata hujuſmodi Beneficia, niſi alio modo, eorum operam in Eccleſia exegiſſent, ſeu per prædicationem, aut inſtructionem, aut ſubſidium & conſolationem, qua ſæpe ſæpius pauperes aut ægroti indigent?

Denique, quantumlibet certæ videantur allatæ auctoritates & rationes, contrariam tamen iis doctrinam promulgare non dubitarunt moderni quidam Caſuiſtæ, quorum audaciam repreſſit Eccleſia, damnatis ab Alexandro VII. duabus ſequentibus propoſitionibus; addita etiam excommunicationis pœna *ipſo facto*, ſi a fidelibus ad praxim reducantur, aut etiam propugnentur: prima, quæ inter viginti octo damnatas a prædicto Papa 24. Septemb. an. 1665 vigeſima reperitur, eſt iſta. *Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis, non recitantibus* horas Canonicas, *non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam judicis, eo quod ſit pœna*. Altera inter 45. damnatas ab eodem Papa 18. Martii anni inſequentis 33. hæc eſt: *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit*. Ex quibus cenſuris ad deciſionem propoſitæ difficultatis nova accedit probatio.

CASUS XXI.

Nonne tenetur Marcus, qui ſemel duntaxat horam primam negligenter omiſit, ad reſtitutionem partis fructuum ſui Beneficii, quæ, ſi eorum quotidie pro qualibet hora fieret diſtributio, pro prima ſibi aſſignaretur?

Responsio.

Cum, juxta Conſtitutionem S. Pii V. in reſponſione præcedenti allatam, ad reſtitutionem teneatur Beneficiarius, qui Canonicas horas non recitat, pro rata ſtipendii, quod reciperet, *ſi quotidie dividerentur* reditus ſui Beneficii: idem dicendum de omiſſione unius horæ, ita ut ſi portio unius diei in tot partes divideretur, quot ſunt horæ Canonicæ; Beneficiarius ille teneretur ad reſtituendum ſtipendium, quod reciperet ad recitationem horæ omiſſæ: ratio eſt, quia licet talis omiſſio minus ſit præcipua, quam horarum notabilium, peccavit tamen contra juſtitiam commutativam; unde ſequitur neceſſaria reſtitutionis obligatio.

Hanc deciſionem confirmat regula juris: *Quæ ratio eſt totius ad totum, eadem eſt partis ad partem*; ab hac lege Digeſtorum expromta: *Quæ de tota re vindicanda ſunt, eadem & de parte intelligenda ſunt, officioque judicis continetur pro modo partis ea quoque reſtitui debere, quæ ſimul cum ipſa parte reſtitui debent* (*c*). Unde ſequitur, quod ſi Beneficiarius ille teneatur ad reſtituendos fructus debitos & aſſignatos integro diei quo Officium non recitavit, tenetur etiam pro rata ad reſtitutionem debiti ſtipendii pro ea parte Officii quam omiſit. Quod etiam clare his verbis definivit ſanctus Pius V. (*d*) *Qui vero matutinum tantum; dimidiam: qui ceteras omnes horas intermiſerit; aliam dimidiam: qui harum ſingulas; ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat*.

(*c*) L. Quæ de tota. 76. ff. de rei vindicat. l. 6. tit.

(*d*) S. Pius V in Bulla. Ex proximo. 131.

Fatendum tamen, hanc regulam adeo rigoroſe non eſſe ſumendam, ut exigatur reſtitutio pro omiſſione leviſſima, qualis eſt omiſſio verſus: quia in eo caſu cum S. Thoma dici poteſt (*e*): *Illud quod modicum eſt, ratio apprehendit quaſi nihil*. Quia non veriſimile eſt, hanc fuiſſe intentionem fundatorum, ut tam ſtricte obligarent; quod etiam confirmat praxis Eccleſiæ, quæ eos in choro vult haberi præſentes, qui ante finitum primum Pſalmum Matutini aut Veſperarum adveniunt, quoad diſtributiones quotidianas.

(*e*) S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 6. ad 5.

CASUS XXII.

Nonne tenetur Julianus ſancti Gelaſii Parochus, hic & nunc 300. libras e Beneficio ſuo ſuperfluas diſtribuere pauperibus; quin eas in futurum recondere poſſit?

Responsio.

Difficultati huic reſpondet D. Thomas (*f*) dicens: *Bona Eccleſiarum uſibus pauperum deſervire debent; & ideo, ſi quis, neceſſitate non imminente providendi pauperibus, de his quæ ſuperfluunt ex proventibus Eccleſiæ poſſeſſiones emat, vel in theſauro reponat in futurum utilitati Eccleſiæ & neceſſitatibus pauperum, laudabiliter facit: ſi vero neceſſitas immineat pauperibus erogandi, ſuperflua cura eſt & inordinata, ut aliquis in futurum conſervet, quod Dominus prohibet Matthæi 6. dicens*: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.

(*f*) Idem. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 5.

Ratio hujus deciſionis eſt, quia, cum Beneficii ſui redituum non dominium, ſed ſolam adminiſtrationem habeat Beneficiatus, ut oſtendimus in reſponſione ad 14. Caſum; ſumtis inde ad ſui ſuſtentationem neceſſariis, ſuperfluum pertinet ad Eccleſiam & pauperes, quibus illud tempore opportuno erogare tenetur, nihil inde ſub peccati conſcientia retinens, quod Beneficii ſui reditum, niſi ſit modicus, augere velit. Non enim quidquam acquirere poteſt Beneficiarius e reditibus ſuis, niſi nomine & ob utilitatem Eccleſiæ ſuæ, aut quid dare niſi pauperibus, aut iis qui, licet non pauperes, modicam tamen rem habent. Quod probat Gratianus ex magno Canonum numero, ac præcipue ex uno tertii Concilii Carthaginienſis (*g*), & ex aliis tribus e Conciliis Agathenſi, Bracarenſi, Toletano, & aliis multis, quos longius eſſet referre, deductis.

Novo jure confirmatur jus illud antiquum in quinque Decretalibus de peculio Clericorum (*h*), quæ ex Conciliis Agathenſi, Remenſi, Toletano & Epiſtola Pio I. attributa, deducuntur; & quas nominis ſui Decretalibus inſeri voluit Gregorius IX.

(*g*) Conc. III. Carthag. in Can. *Placuit*. 1. 12. q. 3. Conc. Agath. c. 14. in Can. *Presbyter*. 1. 12. q. 4. Conc. Bracarens. c. 8. in Can. *Quicumque*. fin. eadem cauſſa. & q. Conc. Tolet. IX. cap 1. in Can. *Sacerdotes*. Ibid.

(*h*) Lib. 3. Decretalium. tit. 25.

CASUS XXIII.

Lucanus, S. Georgii Parochus, e Beneficio ſuo 1000. libras, e patrimonio vero ſuo 2000. libras percipiens, quibus ultimis uti poteſt ad honeſtam ſui ſuſtentationem; teneturne ſub peccato de bonis patrimonii ſui vivere; Beneficii vero ſui reditus Eccleſiæ ac pauperibus erogare, nihil ex iis ſibi aſſumendo?

Responsio.

Duplex eſt ea de re Theologorum & Canoniſtarum ſententia. Alii quidem volunt, talem Beneficiatum ſuſtentari debere propriis bonis, ac teneri ad erogandum pauperibus, aut ad alia pia opera omnes Beneficii ſui reditus. Alii vero contrarium ſentiunt.

Prio-

Priores pro ſua ſententia quoſdam afferant Canones, & præcipue 40. inter eos qui Apoſtolici dicontur, & cujus hæc ſunt verba (a): *Ex his autem, quibus Epiſcopus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſitates & peregrinorum fratrum uſus & ipſe accipiat, ut nihil ei poſſit omnino deeſſe.* Quibus verbis patet, Epiſcopum e bonis nihil ſibi ſumere poſſe, niſi ad vitam neceſſaria, *ſi tamen indigeat*, & ad hoſpitalitatem exercendam: quibus proinde ſi ad vitam non indiget, nihil inde poteſt accipere. Alium etiam addunt Canonem, in quo ad Damaſum Papam ſcribens S. Hieronymus dicit (b): *Clericos autem illos convenit, Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragantur bona. Qui autem bonis parentum & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium judicium ſibi manducant & bibunt.* Idem alibi, & iiſdem ferme terminis docet ſanctus Doctor (c).

(a) Can. Ex his, 22. 12. q. 1.

(b) S. Hieron. in Can. Clericos. 1. q. 2.

(c) Idem in Can. *Quoniam*, 68. 12. q. 1.

Opinionem ſuam confirmant ex iſtis Aquiſgranenſis Concilii verbis an. 816. (d) e libro de vita contemplativa, (e) deductis, quem S. Proſpero idem Concilium, ſed antiqui multi, ut Gennadius & S. Iſidorus Hiſpalenſis (f) Juliano Pomerio adſcribunt: *Nec illi qui ſua poſſidentes, dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, unde pauper victurus eſt, accipiunt.... Illi quoque, qui velut idonei, nihil ſibi quidem dari velut debitum poſcunt; ſed tamen Eccleſiæ ſumtibus vivunt, non eſt meum dicere, quali peccato cibos pauperum præſumendo ſuſcipiunt, qui Eccleſiam quam juvare de propriis facultatibus debuerant, ſuis expenſis inſuper gravant.* Auctoritatem etiam S. Auguſtini adducunt, dicentis (g): *Si autem privatim, quæ nobis ſufficiant, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicemus.*

(d) Conc. Aquiſgran. c. 107.

(e) Julianus Pomerius apud S. Proſperum, de vita contempl. l. 2. c. 10. in Can. *Si quis*. 8. 1. q. 2.

(f) Gennadius c. 98. S. Iſidor. c. 11.

(g) S. Aug. Epiſt. 185. n. 35. alias Epiſt. 50. c. 8.

Addunt denique, idem docere Rickelium, qui vulgo Dionyſius Carthuſianus dicitur, in libro ſuo contra pluralitatem Beneficiorum (h), in quo exponens textum S. Gregorii Magni, quo duplicem deberi Clerico mercedem fertur, alteram in cælo, in terra alteram, ideo terrenæ mercedis jus ipſi adſcribit. *Ne per indigentiam cogatur ab opere ſpirituali ceſſare*, inquit S. Papa; ſic concludit Carthuſianus: *Itaque, ſi Prædicator aut Clericus Eccleſiaſticorum redituum, ſeu eleemoſynarum ſuſtentatione non indiget; non videtur ea in ſuum debere uſum convertere.*

(h) Art. 14.

Tum ad confirmationem ſuæ ſententiæ hæc affert Chriſti verba (i): *Chriſtus antequam dixit:* dignus eſt mercenarius mercede ſua, *ſtatim præmiſit:* Nolite portare ſacculum, neque peram. *Itaque conceſſit tamquam pauperibus*, ſubjungit pius Auctor, *nihil terrenum poſſidentibus, accipere vitæ ſtipendium ab his, quibus ſpiritalia impendebant. Sicque videtur, quod, ſi Clerici aliunde competentiam habeant, non licite poſſunt Eccleſiæ bona in ſuos expendere uſus.* Ac poſtea ſic concludit: *Et horum ſanctorum Patrum ſententiis ſecurius atque ſtabilius ſtatur; quam aliorum quorumdam, in quibus tanta illuminatio non fuit.* Hæc ſunt potiſſimum prioris ſententiæ argumenta.

(i) Matth. 10. 10.

Contrariæ vero opinionis Auctores in hac moralitate adverſarios modum exire contendunt, ac ſententiam ſuam probant 1. ex hac juris regula (k): *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum.* 2. Quia ex Canonibus licet Epiſcopo, bona ante ſuum Epiſcopatum ab illo poſſeſſa, aut poſt obtentum Epiſcopatum hereditario jure, aut aliter acquiſita ſuis dare conſanguineis. Unde colligunt Epiſcopum, & a pari alium quemlibet Beneficiatum, qui præter Eccleſiæ reditus, aliunde bona poſſidet, non teneri e proprio bono vitam ducere, ut omnes Beneficii ſui fructus ad eleemoſynas impendat. 3. Addunt, quod ex Canonibus, ſi obierit Epiſcopus, non condito teſtamento; bona ipſius, ſeu mobilia ſeu immobilia, ad ſuos pertinent heredes; modo conſtet, ea bona ad Eccleſiam non pertinere. Unde inferunt denum, non ea ab Epiſcopo ad vitæ neceſſitates fuiſſe adhibenda, cum ea poſſidere non poſſent ipſius heredes, ſi eorum non haberet dominium.

(k) Reg. 55. de reg. juris in 6.

Ambæ illæ opiniones, gravibus nixæ rationum momentis, ab Auctoribus præcipuæ notæ defenduntur. Id quidem Carthuſiano concedimus, priorem eſſe tutiorem ac perfectiorem poſteriore: at opinio, licet tutior ſit, non ideo veriſimilior eſt; quare alteram veritati magis conſentaneam exiſtimamus. Unde Præſules & virtute & doctrina præſtantes abſque ſcrupulo a proventibus Eccleſiaſticis ad vitam neceſſaria ducunt, aliunde propria bona retinendo: & vulgo in Eccleſia qui potentiores ſunt, ii etiam opulentiſſima poſſident Beneficia; unde, vel ex eorum patrocinio maximos fructus eadem Eccleſia percipit, vel ex bono uſu redituum Eccleſiaſticorum, hoc eſt, quando deductis ad ſuam honeſtam ſuſtentationem e Beneficio ſuo impenſis, ſuperfluum pauperibus fideliter diſtribuunt.

Secundam hanc opinionem adſtruit S. Thomas, qui, cum allatum S. Hieronymi pro priore opinione teſtimonium ſibi objecit, illud explicat dicens illud eſſe intelligendum de eo caſu, in quo pauperes extrema premerentur neceſſitate. En verba Doctoris Angelici (l): *Dicendum, quod non omnia bona Eccleſiarum ſunt pauperibus largienda; niſi forte in articulo neceſſitatis; in quo etiam pro redemtione captivorum & aliis neceſſitatibus pauperum, vaſa cultui divino dicata diſtrahuntur, ut Ambroſius dicit (m): & in tali neceſſitate peccaret Clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere poſſet.* Ex quibus verbis clare patet, ſanctum Doctorem Juliano Pomerio & Carthuſiano non aſſentiri, quorum doctrina eximios & doctrina & virtute Præſules Eccleſiæ condemnat, novamque & in Conciliis inauditam Beneficiariis obligationem imponit.

(l) S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 3.

(m) S. Ambros. l. 2. de officiis. c. 28. in Can. *Aurum*. 70. 12. q. 2.

Iſtam quoque difficultatem conformiter ad ea quæ diximus, ſolvere videtur Gentium Apoſtolus his verbis (n): *Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? (o) Non alligabis os bovi trituranti.* Pergit deinde: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Neſcitis; quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt edunt, & qui Altari deſerviunt, cum Altari participant?* Hæc de ſe ac Barnaba ſocio prædicans Apoſtolus, Corinthiis ſignificat, hæc ſe non commodi ſui cauſſa diceret (p): *Ego autem nullo horum uſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, ut ita fiant in me:* & quamvis labore manuum ſuarum vitæ neceſſaria ambo quærerent, hoc tamen poſtulare naturalem æquitatem, ut quiſque de labore ſuo vivat. Quod & ipſis Chriſti verbis confirmat, qui vult, ut operarius dignus ſit cibo ſuo: *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere (q)*; hoc eſt, ut Eccleſiæ Miniſtri victum & veſtitum ſuum ab Eccleſia recipiant, temporalem laborum ſuorum mercedem accipiendo, non ut actum miſericordiæ ab ea factum; verum ut jus a natura Deoque ipſo conceſſum, ſeu divitiis affluant, ſeu non; de iis indiſcriminatim loquentibus Chriſto & ejus Apoſtolo.

(n) 1. Corinth. 9. 7. 8. 9. 10. 11. 13. & 14.

(o) Deuteron. 25. 4.

(p) 1. Corinth. Cap. cit. 9.

(q) Matth. 10. 10.

Idem ratiocinium in eam rem adhibet Innocentius III. ad Epiſcopum Senticenſem ſcribens (r): *Cum ſecundum Apoſtolum*, inquit hic ſummus Pontifex, *qui Altari ſervit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, non debeat repelli a mercede; patet a ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur.* Satis eſt igitur, ut quis ſit Clericus, ſeu dives, ſive pauper, & Eccleſiæ deſervire, ut ejus impenſis ad vitam neceſſaria accipiat: *Clerici etiam omnes*, ait Concilium Agathenſe (ſ), *ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſervitii ſui meritum, vel ordinationem Canonum a Sacerdotibus* (id eſt, Epiſcopis) *conſequantur.* Neque in hoc inter divites & pauperes Clericos ullum Concilium diſtinguit. Contra vero a primis ſæculis & ante erecta Beneficia, idem in utrique jus agnovit indiſtincte & ex æquo Eccleſia, cum Clericis permiſerit, de bonis ſuis patrimonialibus, aliiſque ab Eccleſia non procedentibus teſtamento ſtatuere: quod conſtat,

(r) Innoc. III. in Cap. *Cum ſecundum*. 16. de præbendis & dignitat. l. 3. tit. 5.

(ſ) Conc. Agathenſ. Cap. 32. in Can. *Clerici*. fin. 2. q. 2.

2. ex

1. ex his trigeſimi tertii Caonis, inter eos qui Apoſtolici nominantur, verbis: *Manifeſtæ ſunto privatæ res Epiſcopi, ſi modo & privatas habet; manifeſtæ item ſunto Dominicæ: ut privatas quidem res Epiſcopus, cum moritur, quibus vult, & quomodo vult, reliquendi facultatem habeat: neque occaſione rerum Eccleſiaſticarum intercidant res Epiſcopi.... juſtum enim eſt apud Deum pariter & homines.... ne Epiſcopus, aut cognati ejus prætextu Eccleſiæ lædantur, aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia*. Conſtitutionem hanc iiſdem ferme terminis in ſuo Decreto refert Gratianus *(a)*. 2. Simile quid decidit Antiochenum Concilium an. 341. ſub Julio I. his verbis: *Eſt enim juſtum & apud Deum & homines acceptum, ut Epiſcopus propria quibus velit derelinquat*. 3. Rem eamdem ſtatuit Agathenſe Concilium an. 506. dicens *(b)*: *Epiſcopi de rebus propriis vel acquiſitis, vel quidquid de proprio habent, heredibus ſuis, ſi voluerint, derelinquant*. Hinc Canonibus illis aliiſque plurimis conſtitutum eſt *(c)*, ne propria Epiſcoporum & Clericorum bona, cum Eccleſiaſticis permiſcerentur, danda videlicet heredibus eorum. Igitur manifeſto liquet, Clericos bona paterna & acquiſita, aut alio quocumque modo ſibi propria, cum portione ſua canonica retinere potuiſſe, atque Eccleſiam, ipſis reditus ſuos conferentem, vigente etiam accuratiſſima diſciplina, non eos obligaſſe, ut illa abdicarent.

(a) Can. *Sint manifeſtæ*. 23. 12. q. 1.

(b) Conc. Agath. in Can. *Epiſcopi*. 39. ibidem.

(c) Can. *Sacerdotes*. 1. §. *Hi vero*. 12. q. 4. Can. *Quicumque*. 2. ibidem.

Addimus tandem, ut hujus deciſionis ſit finis, Gloſſæ ſuffragium *(d)*, quæ vocem iſtam, *accipiunt*, qua utitur S. Hieronymus, ad verbum non eſſe intelligendam ſtatuit, ſed huic alias iſtas voces eſſe apponendas; *& in malos uſus convertunt*, qui verus eſt aliorum ſimilium Canonum ſenſus. *Et ſic intellige ſequentia capitula*, ait Auctor hujus Gloſſæ, *cum ſcilicet male diſpenſant*: ac denique; *quod heic dicitur, exhortatio eſt, non præceptum: vel dic de quarta pauperibus debita, quæ dari prohibetur abundantibus*.

(d) Gloſſa in Can. *Clericos*. ſupra cit.

Ex his itaque rationibus merito concludimus, Parochum de quo in caſu propoſito fit mentio, non teneri ad ſuam ſuſtentationem ex duobus millibus librarum patrimonii ſui deducendam, ſed ex reditibus ſuæ Parœciæ eam abſque peccato poſſe ſumere, niſi forte ad extremam neceſſitatem reducerentur pauperes. Sed nequid juſtum de hac difficultate ſuperſit dubium, juvat heic argumenta ab aſſertoribus primæ opinionis allata elucidare.

1. Statim objicitur Canon *Eu his*, in quo dicitur Epiſcopus poſſe ſibi Eccleſiæ bona retinere, quorum eſt diſpenſator; *ſi tamen indiget*. Unde infertur, eum non poſſe, ſi non indiget, & aliunde bona ſibi propria & ad vitam neceſſaria ſuppetunt. Cui reſpondendum, verba hæc, *ſi tamen indiget*, non ſolum ad ſuperiora iſta referri, *eu his.... quibus Epiſcopus indiget*, ſed ad hæc ſequentia, *ad ſuas neceſſitates & peregrinorum fratrum uſus*; ita ut germanus illius Canonis ſenſus ſit, Epiſcopum Canonicam partem ſibi poſſe retinere ſufficientem ad proprias neceſſitates & hoſpitalitatem exercendam, ſi ſit frequens advenarum quos hoſpitio excipere tenetur, in locum domicilii ſui adventus. Sic profecto intelligendus eſt ille Canon, qui in alium ſenſum pro certo detorqueri non poteſt, cum ex Apoſtolicis Canonibus fuerit depromtus, ex quorum trigeſimo tertio liquido conſtat, Epiſcopum, ut obſervavimus, propria ſibi bona habere, & de illis pro arbitrio poſſe ſtatuere.

2. Cum objicitur auctoritas S. Hieronymi, quam in Canone *Clericos*, & in alio Canone *Quoniam*, laudat Gratianus, una ſufficit S. Thomæ & Gloſſæ in hunc Canonem reſponſio, quam iterare non eſt neceſſe. Id unum animadvertimus, Canonis hujuſce verba a Gratiano huic Sancto adſcripta, in ejus ad Damaſum Epiſtola, aut in alio quolibet Operum loco reperiri, ut obſervant in hunc Canonem Romani emendatores. S. Auguſtinus exponi debet pariter, uti a S. Thoma Hieronymus.

3. Concilium Aquiſgranenſe an. 816. priori opinioni nulla prorſus ratione favet: nam expreſſe vult Clericos qui proprias habent facultates, fructuum Eccleſiæ fieri participes: quo eos a Monachis ſecernit. En verba Concilii *(e)*: *Quamquam enim Canonicis, quia in ſacris Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat...., proprias res, & Eccleſiæ cum humilitate, & juſtitia habere: quod Monachis penitus inhibitum eſt*. Et alibi *(f)*: *Proinde qui & ſuas & Eccleſiæ habent facultates, & utilitatem Eccleſiæ interius & exterius conferunt, accipiant in congregatione cibum & potum, & partes eleemoſynarum: & his contenti ſint, ne plus accipientes, pauperes gravare videantur*. Cui Statuto, ut majorem conciliet auctoritatem, iſta libri de vita contemplativa refert: *Perpendentes ſententiam Proſperi, qua dicitur: Qui ſua poſſident, & dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, unde pauper victurus erat, non accipiunt*. Ex quo conſtat, a Patribus hujus Concilii non eodem ſenſu, atque a defenſoribus prioris opinionis hæc verba fuiſſe intellecta, ſed in eo tantum ſenſu, qui avaritiam condemnat. Unde hæc ſunt ejuſdem Concilii hortatoria verba ad Clericos *(g)*: *Qui vero & ſuis & Eccleſiæ abundant rebus, inſtante ſterilitatis tempore, eis quos pauperes paſcit Eccleſia, ſuis facultatibus cum caritate & humilitate ſuffragari procurent, ut juxta Apoſtolum, frater fratrem adjuvet, & ambo conſolentur*. Quod manifeſte oſtendit, Proſperi, ut putabat, verba, tamquam regulam ſub conſcientia tenendam, Clericis non fuiſſe propoſita ab eo Concilio, ſed ut ſententiam eos a terrenis bonis averterent.

(e) Conc. Aquiſgran. ſub Stephano V. lib. Cap. 115.

(f) Idem Cap. 120.

(g) Ibid. 122.

4. Id unum ſupereſt, ut oſtendamus, quæ fuerit ſententia Auctoris libri de vita contemplativa, hoc eſt, Juliani Pomerii, ut jam diximus. Dicimus itaque 1. quod eos damnare non intendit, qui patrimonialibus bonis ſufficienter muniti, e fructibus Eccleſiæ victum quærerent, ſed eorum avaritiam qui in congregationibus vivere cupiebant, ne peregrinos hoſpitio, aut pauperes eleemoſynis juvare tenerentur, vel etiam ut ſuis parcerent bonis paternis, eave augerent potius, quam Eccleſiæ ſubvenirent; ut explicat Innocentius IV. *(h)*: *Propter hoc fortaſſis in congregatione vivente, ne aliquos pauperes paſcant; ne advenientes excipiant, aut ne ſuum cenſum cupuſis quotidianis imminuant*. Sic ſequentia hujus Auctoris verba exponit hic ſummus Pontifex: *Non eſt meum dicere, quali peccato cibos pauperum præſumendo, ſuſcipiunt, qui Eccleſiam quam juvare de propriis facultatibus debuerant, ſuis expenſis inſuper gravant*. Eumdem ſenſum refert Gloſſa *(i)*: *In prima* (parte) inquit, *reprehendit illos, qui propria retinentes, ideo vivunt in Collegiis, ut ſuis ſumtibus parcant, & ut pauperes & advenientes non ſuſcipiant*. 2. Interpretatio illa etiam ex ipſo Juliano Pomerio probari poteſt, qui alibi ſic loquitur *(k)*: *Sacerdos cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, non ſolum ſine cupiditate, ſed etiam cum laude pietatis accipit a populo diſpenſanda, & fideliter diſpenſat accepta; quia omnia ſua aut parentibus, aut pauperibus diſtribuit, aut Eccleſiæ rebus adjunxit, & ſe in numero pauperum paupertatis amore conſtituit*. Ex dictis enim hujus Auctoris ſequitur, quod ſi, qui parentibus ſuis omnia ſua bona dimiſit, de proventibus Eccleſiæ veſci poſſit Sacerdos; non tenetur itaque propria retinere bona ad victum ſuum, & Eccleſiaſtica pauperibus erogare. Quod de quocumque alio Beneficiato eſt intelligendum.

(h) Innoc. IV. ſuper Cap. *Epiſcopus*. De præbendis & dignitat.

(i) Gloſſa in Can. *Si quis*. 8. 1. q. 2. cit.

(k) Eadem in Can. *Sacerdos*. 9. q. 2. ex eod. libro 2. de vita contempl. c. 11.

5. Denique ex Fagnani reſponſione generali *(l)* omnibus ſatisfit objectionibus, quæ in contrarium afferri poſſunt. Doctor ille, ſolutis auctoritatibus, quibus reſpondimus modo, dicit, magni eſſe momenti, ut quis diverſa, quibus ſcripſere Patres tempora diſtinguat, ac triplex diverſum Eccleſiæ tempus conſideret.

(l) Proſper Fagnan. in Cap. *Si quis* De peculio Clericorum 24. & ſeqq.

Primum eſt illud, quod merito Apoſtolicum tempus dici poteſt, utpote Apoſtolorum temporibus proximum; tumque a Miniſtris ſuis poſtulabat Eccleſias, ut perfectum Apoſtolorum rerum humanarum neglectum imitarentur, ab omni rerum terrenarum affectu immunes, & ſolis fidelium oblationibus contenti in communi viverent.

Secundum tempus eſt illud, quo præter oblationes fundos poſſedit Eccleſia, quos in quatuor partes, Epiſcoporum curæ commiſſas diſtribuit; tumque Clerici bonis ſufficienter ad ſuas neceſſitates

proviſi,

Digitized by Google

proviſi, ob avaritiam & ambitionam, paterna bona quæ negligere deberent, bonorum Eccleſiaſticorum portioni ſibi conceſſæ addere voluerunt; ac conſulto, ut cenſum augerent in Congregationibus vivere Eccleſiæ ſumtibus; ut etiam eleemoſynarum & hoſpitii impenſis parcerent: quæ mutatio ſcandaloſa ſtatim apparuit, & indigna Miniſtris Chriſti. Unde Patres quidem quarti & quinti ſæculi hanc diſciplinæ relaxationem quæ re ipſa pauperibus erat noxia, criminari cœperunt: & S. Auguſtinus Epiſcopatum adeptus, voluit, ut omnes Clerici ſui communem vitam ducerent, nullum quolibet rei alicujus habente dominium, ut Apoſtolici temporis labentem reſtitueret diſciplinam.

Tertium denique tempus alteri ſucceſſit; & Clerici portionis ſuæ Canonicæ adminiſtrationem habere ſeorſim voluerunt; unde a conſuetudine retinendi patrimonialia, ne dum abſuit omne ſcandalum, ſed ea etiam legitima & laude digna viſa eſt. Quocirca tum ſtatuit Eccleſia, ut propria Clericorum bona poſt mortem, ad eorum heredes pertinerent; quæ vero erant Eccleſiæ, ad Eccleſiam redirent.

Ita varios Eccleſiæ ſtatus exhibet Fagnanus; unde colligendum Eccleſiæ Patres & Concilia, non eos arguiſſe de injuſtitia, qui, ſervato patrimonio, fidelium oblationibus aliiſve Eccleſiæ reditibus vitam ducebant; ſed eos jure damnabant, qui vitam ſanctam, integram & ab omni rerum humanarum cura ſolutam. quæ hactenus populis fuerat admirationi, deſerere cœperunt: & præcipue acrius in eos invehebantur ſacri Scriptores, qui ex avaritia, ignavia aut ambitione in Congregationes ſe recipiebant, ut patrimonio ſuo parcerent, ac mollem & deſidioſam vitam impenſis Crucifixi ducerent. Congruenter ad hanc ideam exponenda ſunt vehementiora verba S. Auguſtini, Juliani Pomerii aliorumque, cum Clericorum ſui temporis agendi rationem ſcriptis ſuis condemnant. Neque enim, ut jam diximus, conſuetudinem res paternas retinendi cum bonis Eccleſiæ, uti pernicioſam & injuſtam, quæ videlicet ex ſanctis Canonibus erat licita, ſed velut novam & ſcandaloſam damnare præcipue intenderunt.

CASUS XXIV.

Anatolsus, reformati Monaſterii Religioſus, ab Abbate aut Priore ſuo, Curati Beneficii, cui deſervit ſua Communitas, miniſterio præpoſitus eſt. Numquid ex eo liber eſt ab obligatione, Beneficii hujus ſuperfluos reditus pauperibus erogandi, quæ ſoli ſuæ Cummunitati incumbit, cum ipſe non ſit Titularis, ſed tantum adminiſter?

Respons.

Si Religioſus ille revocari poſſit *ad nutam*, nec de Curæ reditibus poſſit diſponere, certum eſt, quod ad eleemoſynas non teneatur, quas erogare deberet, ſi de ejus titulo eſſet proviſus; ſed in eo caſu debitum illud transferre poteſt in ſuam Communitatem, quæ loci pauperibus, aliis poſthabitis, opem ferre tenetur pro oneribus & fructibus Beneficii, quæque, ſi re ipſa indigeat, ſibi partem, aut fabricæ, ſi non ſit dives, retinere poteſt. Is debet eſſe bonorum uſus, quæ Eccleſiæ dederunt fideles, ubi ad vitam neceſſaria, honeſtamque ſui ſuſtentationem ſibi retinuere Titulares (*a*).

(*a*) De Ste. Beuve tom. 3. Caſ. 74.

CASUS XXV.

Arsenius, Ordinis reformati Religioſus a Communitate Monaſterii ſui de ſimplici S. Donati Prioratu 600. nummorum annui reditus, proviſus, quærit, utrum functus oneribus ex fundatione debitis, aliiſque neceſſariis, abſque peccato ſuperfluum Monaſterio ſuo poſſit derelinquere? Videtur, quod poſſit, 1. quia hinc victum ac veſtitum aliaque ſibi neceſſaria ſumit: 2. Quia ſuis omnibus Religioſis ad vitam neceſſaria ſuppeditare nequit illud Monaſterium præ modicitate redituum, non auxiliante ſibi hoc Beneficio, aliiſque ſimilibus, quæ poſſident ceteri Religioſi. 3. Quia eleemoſynam cuilibet poſtulanti bis terve in hebdomada erogat Monaſterium.

Respons.

Nullum intercedit diſcrimen inter Sæculares, & Regulares Beneficiarios, quoad fidelem bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſationem, onerumque ipſorum exſecutionem: quia nullum ponitur ex ſacris Cannnihus; & ejuſdem ſemper ſunt naturæ bona illa, a quocumque Titulari poſſeſſa. Unde ſequitur 1. teneri Arſenium, e proventibus ſui Beneficii, ejus accurate implere onera ex titulo fundationis debita, aut ipſa deficiente, ex contractibus conductionis, aut alia quacumque ratione certo nota; 2 ex iis fructibus Monaſterio ſuo pactam ob convictum mercedem ſolvere poſſe. 3. Eumdem ſub peccati reatu teneri ad ſtipem erogandam in pauperes loci Beneficii ſui incolas pro eorum neceſſitate, ac reliqui ſui reditus facultate. 4. De reliquo poſtea Monaſterii ſui neceſſitatibus ſubvenire poſſe, illudque ceteris pauperibus, ad extrema non redactis anteponere (*b*). Cum nullam patiatur hæc deciſio ſpecialem difficultatem, quæ videlicet allatis in decimo tertio Caſu & ſequentibus, nitatur auctoritatibus; heic plura non adjiciemus.

(*b*) Idem ibid.

CASUS XXVI.

Lazarus, Clericus tonſura initiatus, viginti duos annos natus, Beneficii ſui ſimplicis 1000. librarum annui proventus adminiſtrationem a patre ſuo, quam ab octo annis is geſſit, ob ſufficientem ætatem repoſcit. Numquid filio ſuo, quem ludo & epulis in primis deditum novit, pater talem poteſt denegare adminiſtrationem, ne forte abutatur; cum ipſi aliunde victum, veſtitum aliaque ad honeſtam vitæ rationem ſuppeditet, & inſuper magnos ad litigandum ſumtus fecerit, ut eum in Beneficii hujus competitorem tueretur?

Respons.

Certum eſt, regulariter loquendo, liberam a patre filio viginti duos annos nato relinquendam eſſe Beneficii ſui adminiſtrationem; cum ex legibus, paterna etiam bona, poſt obtentam ab obitu patris emancipationem, poſſidere valeret. Quia tamen majorem Eccleſiaſtici boni, quam rei paternæ adminiſtratio, prudentiam, ſapientiam ac religionem poſtulat; videtur eam ſibi retinere poſſe rectionem Lazari pater, & quidem debere, cognita ipſius ad libidinem indole, ex ejus tamen conſenſu, & conſulenti ſibi prudente animorum moderatore: 1. Curando, ut accurate impleantur onera Beneficii. 2. Mercedem ad honeſtum Lazari convictum neceſſariam retinendo; quippe qui gratuito ſuſtentari non debeat de Beneficio proviſus. 3. Legitimas pariter impenſas pro obtentione proviſionum factas ſibi aſſumendo, cum alias ſolvere non poſſit Beneficiarius abſque ſimoniæ reatu, uti fert Innocentii III. Decretalis in Concilio Lateranenſi facta (*c*). 4. Retentis pariter ſumtibus ad pacificam filio ſuo Beneficii poſſeſſionem curandam factis. 5. Denique ſuperfluum in pauperes, aut Eccleſiæ utilitatem de conſenſu filii ſui elargiendo; cum nullum inde ſibi lucrum ſperet.

(*c*) Conc. Lateran. IV. c. 63. in Cap. *Sicut*. 19. *De Simonia*. &c. l. 5. tit. 3.

CASUS XXVII.

Numquid Manilius, Collator Prioratus 2000. librarum reditus annui, eum nepoti ſuo Joanni, ſine peccato conferre poteſt, qui jam de Abbatia 6000. libras, de altera 4000. & de Decanatu 7000. annui cenſus, omnibus excluſis oneribus, percipit? Poſſet ne quoque ipſe Joannes iſtud acceptare Beneficium tuta conſcientia? Videtur, quod non poſſit. 1. Quia a pluribus primæ notæ Auctoribus damnatur Beneficiorum pluralitas in caſu Joannis, hoc eſt, cum Beneficiarius de Beneficio ad vitæ neceſſaria ſufficiente proviſus, alia poſſidet, non indigens. 2. Quia eam quoque condemnat Tridentina Synodus.

Videtur contra, quod poſſit. 1. Quia in antiquum uſum ea de re invaluit generalis conſuetudo, & multi etiam Eccleſiaſtici ſcientia & virtute inſignes abſque ſcrupulo plura poſſident Beneficia. 2. Quia Manilius perſuaſam habet nepotis ſui pietatem,

Digitized by Google

tem, qui re ipſa trium Beneficiorum ſuorum redditibus ſapienter utitur. 3. Quia en Beneficia non poſſidet Joannes, niſi ex diſpenſatione Papæ, quam novam ad hunc Prioratum de facili poſſet obtinere in caſu neceſſitatis.

RESPONS.

Exiſtimamus, a Manilio tuta conſcientia non poſſe conferri Prioratum hunc 2000. lib. Joanni nepoti ſuo, qui jam de tribus Beneficiis 13000. lib. cenſus annui proviſus eſt; ipſumque a Joanne abſque peccato non poſſe accipi, qui jam ejuſdem conſcius eſt ob ſuperfluum, quod poſſidet. Cum hæc deciſio ad multos pertneat Beneficiarios, nec dubitemus, eam diſplicere multis, quos aut amor lucri aut error obcæcat; veritatem hanc tam firmis aſſeremus argumentis atque auctoritatibus, ut vix ipſi, invitis eorum diverticulis atque effugiis, poſſint obſiſtere.

Heic tamen celeberrimorum Auctorum teſtimonia non aggeremus, qui contra pluralitatem Beneficiorum omni animorum ſuorum ardore invecti ſunt, ſed præcipue Tridentini Concilii auctoritate nitimur, a quo eorum doctrina hac de re authentice confirmata eſt. En verba Decreti ipſius (a): *Cum Eccleſiaſticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, ſancte ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Verum, quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, ſe ipſos, non Deum, decipientes, ea quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul Beneficia obtinere non erubeſcunt: ſancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti Decreto, quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit ut in poſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur.* Cui tamen Decreto exceptionem hanc addit ſancta Synodus: *Quod quidem* (Beneficium) *ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat; liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri: hæcque non modo ad Cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia Beneficia, tam ſecularia, quam regularia, quæcumque etiam commendata pertineant, cujuſcumque tituli ac qualitatis exſiſtant.*

(a) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 17. de reform.

Hæc ſunt verba incluti hujuſce Decreti, ad quod non parum contulere Galliæ Epiſcopi, inter quos Guillelmus Duprac, tum Epiſcopus Claromontanus in Alvernia præclaram in Concilio ad illud obtinendum an. 1546. orationem habuit; & cujus exſecutionem S. Carolus in quarto ſuo Concilio Mediolanenſi an. 1576. (b) ſub ſtricta ſequentis Decreti conditione demandavit: *Beneficium etiam ſimplex obtinenti, quod ad vitæ ſuſtentationem ſatis eſt*, hæc ſunt verba Concilii: *Si alterum ſimplex, aut Eccleſia etiam Parochialis, aliudve Beneficium cujuſvis generis conferatur, ubi is alterius Beneficii, cujuſcumque generis illud ſit, poſſeſſionem pacificam adeptus eſt .... primum ipſo jure vacare cenſeatur, cui vacanti provideatur; Cum ex Tridentini Concilii ſententia unum & alterum, item ab illo ſimul retinere nullo modo liceat.* Pœnam quoque addens contrarium facienti: *Beneficii quacumque auctoritate deinceps collati, unde ſatis ad victum ſumitur, poſſeſſionem pacificam quis adeptus, ſi nulla ſibi facultate diſpenſationeve legitima conceſſa, Beneficii prioris, quod obtinebat, cenſum exegerit; ea pœna illi ſit, ut quod exegerit illius duplum ad Eccleſiæ uſum reſtituat: tum alia ratione etiam mulctetur, plectaturve Epiſcopi arbitratu.* Suæ conſtitutioni ipſe jam exemplo præiverat ſanctus Archiepiſcopus, duodecim de quibus fuerat proviſus, Abbatias, multaſque penſiones in varias Italiæ aut Belgii Eccleſias, generoſe abdicans, unico Archiepiſcopatus ſui Mediolanenſis Beneficio contentus, ut ad Tridentini Decretum ſe totum fingeret.

(b) Conc. Mediol. IV. tit. de Beneficiorum collat. ac proviſione.

En tum fuit Tridentini Decreti utilitas, quod quidem adeo decretorium eſt, ut ſtupenda prorſus videatur quorumdam Auctorum pro pluralitate Beneficiorum præjudicata opinio, qui ſpecioſam hanc contradictoriæ ſuæ opinionis cauſſam afferre non verentur, quia nimirum pro ea re non admittitur in Gallia Synodi Tridentinæ auctoritas; quaſi vero nova ſint ſacroſancti hujuſce Concilii Decreta, quibus tantum antiquæ Eccleſiæ conſtitutiones, jus naturale continentes, confirmantur, & declaratur, eas abſque peccato non poſſe infringi.

Sacræ illæ Conſtitutiones in multis Conciliis, ſeu ante, ſeu poſt erecta Beneficia reperiuntur. 1. In Concilio Chalcedonenſi ſub ſancto Leone, quo prohibetur, *Ne liceat Clericum*, cui tum videlicet bonorum ſuorum portionem ad vitæ neceſſaria ſuppeditabat Eccleſia, *conſcribi in duabus ſimul Eccleſiis*; (c) quod tum erat idem, atque nunc duo habere ſimul Beneficia. Cujus Decreti religioſus ipſe fuit obſervator S. Gregorius Magnus, ut patet ex ejus verbis a Gratiano relatis (d); *Singula Eccleſiaſtici juris officia, ſingulis quibuſque perſonis committi jubemus.* 2. In ſexto Concilio Pariſienſi (e) an. 829. 3. In Turonenſi an. 1060. cui præfuit Legatus Pontificius (f). 4. In Pictavienſi ſub Pontificatu Gregorii VII. an. 1078. (g). 5. In Claromontano ſub Urbano II. poſt erectionem Beneficiorum, in quo Clerico fuit vetitum, duos habere titulos. 6. In tertio Generali Lateranenſi ſub Alexandro III. an. 1179. 7. In quarto Lateranenſi ſub Innocentio III. an. 1215. 8. In Baſileenſi, quod, uti cetera, pluralitatem Beneficiorum condemnat, de qua Pragmatica Sanctio, ex ejuſdem Concilii Decretis daſumpta dicit: *Fovetur pluralitatis Beneficiorum ambitio exſecrabilis* (h).

(c) Conc. Chalced. part. 2. act. 11. Can. 10.

(d) S. Greg. in Can. Singula. 2. diſt. 46.

(e) Conc. VI. Pariſ. Can. 40.

(f) Conc. Turonenſ. Can. 5.

(g) Conc. Pictav. Can. 2.

(h) Ludovicus Thomaſſinus. O ſcip. Eccleſiæ. part. 4. l. 2. c. 58.

Verum, ut tali excuſationi omnis occludatur effugii locus, addemus heic Concilium Tridentinum a conventu generali Cleri Gallicani, Pariſiis an. 1615. habito (i), ut referunt acta ejuſdem Cleri, fuiſſe acceptum, poſt maturam & longam deliberationem, inquiunt Præſules hujaſce conventus, & de communi & unanimi conſenſu Comitiorum: *Cardinales. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Præſules & alii Eccleſiaſtici infra ſubſcripti, Clerum univerſum Galliæ exhibentes, & de conſenſu Regis coacti in Monaſterio Auguſtinariorum Pariſienſium, poſt maturam deliberationem de publicatione Concilii Tridentini, unanimiter agnoverunt ac declararunt, agnoſcunt & declarant, ex officio & conſcientia ſua ſe teneri ad recipiendum, uti de facto receperunt & recipiunt dictum Concilium, & illud obſervare promittunt, quantum per functiones ſuas & ſpiritualem ac paſtoralem auctoritatem ſuam licebit: atque ut amplius, ſolemnius & magis particulariter admittatur, cenſent omnia Concilia Provincialia omnium Metropolitanarum Provinciarum hujus regni eſſe convocanda & intra ſex menſes ad minus, in qualibet Provincia eſſe congreganda; atque R. R. D. D. Archiepiſcopos & Epiſcopos litteris præſentis conventus una cum exemplari præſentis articuli eſſe rogandos, ut in dictis Conciliis Provincialibus dictum Concilium Tridentinum recipiatur, cum mandato illud poſtea recipiendi in Synodis omnium Diœceſeon privatarum, juxta deliberationem generalem Comitiorum hujus regni, cujus articulus ad calcem præſentis inſtrumenti apponitur: & quod ſi aliquo impedimento differretur cœtus prædictorum Conciliorum Provincialium, Concilium Tridentinum admittetur nihilominus ab omnibus Synodis Diœceſanis proximis, & a dictis Diœceſibus obſervabitur. Quod dicti Prælati aliique Eccleſiaſtici promiſerunt & juraverunt, ut id ſuum ſortiretur effectum. Factum in Comitiis generalibus dicti Cleri, & apud Auguſtinianos Pariſienſes deliberatum 7. Julii an. 1615.*

(i) Memoires du Clergé, imprimez par Vitré en 1673.

Hæc Deliberatio ſubſcripta fuit a Cardinalibus tribus, de Gundy, du Perron & de la Rochefoucaut: ab Archiepiſcopis Remenſi, Viennenſi, Aquenſi, Auſcitano, Bituricenſi, Ebredunenſi & Auguſtopolitano, Viennæ Coadjutore: ab Epiſcopis, Carcaſſonenſi, Mirapincenſi, Agathenſi, Abrincenſi, Andegavenſi, Nannetenſi, Cabillonenſi, Noviodunenſi, Bellovacenſi, Tullienſi, Bajonenſi, Telonenſi, Tardenſi, Meldenſi, Rivenenſi, Aurelianenſi, Trecenſi, Nivernenſi, Alectenſi, Gratianopolitano, Oloronenſi, Lexovienſi, Aginnate, Bajocenſi, Laſcurenſi, Florio-

polen-

polenſi, Uſcetienſi, Sagienſi, Lingonienſi, Pariſienſi, Commengenſi, Laudunenſi, Epheſino Carcaſſonenſi Coadjutore, Gratienſi, Pontiopolitano, Valentino, a P. Cornuſſon Vabrarum Coadjutore, Glandatenſi, Regienſi & Vaſatenſi, a duobus prioribus Cleri procuratoribus, & a viginti octo Eccleſiaſticis ad Comitia deputatis. Poſt unanimem hanc Decretorum Concilii Tridentini acceptionem factam a tot præcipuæ notæ Præſulibus; numquid apud Deum excuſari poteſt Clericus, qui dicti Concilii deciſiones maximas, qualis eſt, ubi agitur de pluralitate Beneficiorum, tam audacter tranſgrediuntur?

Nonnulli quidem Decreti hujuſce juſtitiam approbant & fatentur, quod, licet ſupremæ curiæ, ea Concilii Decreta, quæ ad politiam diſciplinamve pertinent, in iis quæ regiam auctoritatem aut Eccleſiæ Gallicanæ libertates offendunt, non admitti caute curaverint; ea tamen quæ ad bonos mores ſpectant, quale eſt illud, de quo agitur, aut quæ aliquem fidei articulum continent, rejicere nullatenus voluerunt.

Sed heic duas obtendunt ſpecioſas rationes, quarum prima eſt ipſa Concilii exceptio pro iis, qui ſufficiente non ſunt proviſi Beneficio ad honeſtam ſui ſuſtentationem, ad quam pro ſua vel qualitate vel dignitate non unum ſatis eſt, ſed plura ſimul congeſta requiruntur, ut putant, Beneficia. Verum ſi *improbæ cupiditatis affecta ſe ipſos*, *non Deum* tamen decipient, qui de ſe per Pſalmiſtam dicit (*a*): *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*. Altera rationis ſpecies eſt via diſpenſationis: de qua dicimus, diſpenſationem quidem, ex legitima cauſſa obtentam, a peccato excuſare, ut docet S. Thomas (*b*), & liquet ex Decretali Innocentii III. approbante, cui præerat, Concilio quarto œcumenico Lateranenſi, in qua dicitur, quod, (*c*) *circa ſublimes tamen & litteratas perſonas, quæ majoribus beneficiis ſunt honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per ſedem Apoſtolicam poterit diſpenſari*. At ſi non juſta ſubſit diſpenſationis cauſſa, nec ipſa quoque diſpenſatio eſt legitima. Atqui S. Bernardus (*d*) non alias cauſſas legitimas agnoſcit diſpenſationis, quam neceſſitatem vel utilitatem Eccleſiæ. *Quid*, *inquis*, *prohibes diſpenſare? non; ſed diſſipare*: ſic Eugenium Papam alloquitur (*e*): *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt*. Sola eſt neceſſitas aut utilitas Eccleſiæ, quæ legitimam poſſint efficere diſpenſationem, oſtendendo, quod juri divino in his circumſtantiis non eſt adverſa: *Sine quibus circumſtantiis licitum non eſt*, inquit S. Thomas (*f*), *quantumcumque diſpenſatio interveniat; eo quod diſpenſatio humana non aufert ligamen juris naturalis; ſed ſolum ligamen juris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt*. Unde ſequitur juxta doctrinam hanc, quod, *ſi aliquis hac intentione plura Beneficia habeat*, pergit idem S. Doctor, *ut ſit ditior, ut lautius vivat. & ut facilius ad Epiſcopatum perveniat; non tolluntur prædictæ deformitates* (per diſpenſationem,) *ſed augentur*.

Doctrinam S. Bernardi ac Angelici Doctoris ſecuti ſunt, qui, vel inſpectante ſummo Pontifice, Romæ ſcripſere, uti Cardinalis Bellarminus (*g*) qui in inſtructione ad Nepotem ſuum, manifeſte declarat eos decipi, qui ſe tutos fieri ex diſpenſatione Papæ, ad poſſidenda plura Beneficia exiſtimant. *Sciendum*, inquit in ſexta Controverſia ſua, *Pontificiam diſpenſationem, quando non adeſt juſta cauſſa diſpenſandi, valere in foro fori, ſed non in foro poli. Sine urgentiſſima cauſſa, eademque Eccleſiæ neceſſaria, non poteſt citra atrocem culpam ſuper hoc diſpenſari. Sed ait forte ille cum quo diſpenſatum eſt; Papa diſpenſavit: ipſe ſibi videris, ego immunis ſum. Hic tamen cavillus ſecuros multos reddit, tutum vero neminem: quoniam Papa non eſt dominus, ſed diſpenſator: ideoque qui iniquam diſpenſationem obtinuit, iniquitatis cauſſa eſt; & qui ea utitur, eadem ſemper irretitur*.

Idem ſenſere Cardinales Cajetanus, (*h*) & Toletus, (*i*) quorum prior ſic dicit: *Nec excuſatur peccatum mortale, propter diſpenſationem Papæ ſine rationabili cauſſa; quoniam diſpenſatio Papæ cadit ſuper jus poſitivum, & non ſuper jus divinum & morale, quo communis Eccleſiæ bona diſtribui juſte debeat partibus Eccleſiæ*. Toleti vero hæc ſunt verba: *Qui cum Pontificis diſpenſatione plura quæcumque, & quomodocumque Beneficia habet, tutus eſt in conſcientia. Sed adverte ut in foro exteriori poſſit illa habere, ſatis eſt diſpenſatio; tamen ut in conſcientia, & coram Deo tutus ſit, neceſſaria etiam eſt cauſſa diſpenſationis. Hæc autem cauſſa debet eſſe in utilitatem Eccleſiæ, vel ob ipſius Eccleſiæ neceſſitatem. Quando cauſſa non eſt in bonum Eccleſiæ, non eſt bona diſpenſatio, nec eſt homo ſecurus coram Deo*.

(*a*) Pſal. 74. 3.

(*b*) S. Th. quodlibet. 9. art. 15.

(*c*) Innoc. III. in Cap. De multa. 28. de præbendis & dignit.

(*d*) S. Bernard. Epiſt. 271. ad Theobaldum Comitem.

(*e*) Idem. l. 3. de Conſid. c. 4.

(*f*) S. Th. quodlibet. 9. art. 15. cit.

(*g*) Robert. Bellarm. Inſtruct. ad Nepotem.

(*h*) Cajet. in Sum. v. Beneficium.

(*i*) Tolet. Inſtruct. Sacerd.

Prætermittimus heic S. Bonaventuram, Cantorem, Beraldum Lugdunenſem Archiepiſcopum, Gerſonem, & alios prope innumeros Auctores, qui in pluralitatem Beneficiorum vehementiori ſtilo ſcripſere. At omitti non debet deciſio Facultatis Theologicæ Pariſienſis, a Genebrardo his verbis relata: *Anno* 1238. *Theologi Pariſienſes poſt longam diſputationem, definiunt neminem poſſe duo Beneficia, ſi unum ſufficeret ad alendum eum, retinere ſine peccato mortali*. Quæ deciſio facta eſt, poſtulante, inquit Cantipratus, (*k*) qui tum Pariſiis degebat, Guillelmo hujuſce urbis Epiſcopo, qui multis, hiſque præcipue validis rationibus ſententiam hanc propugnabat: (*l*) 1. Quia Beneficiorum pluralitas eſt contra juſtitiam diſtributivam, & collationis æquitatem; cum unus ſæpe Clericus, & etiam quandoque indignus, multa ſimul habeat Beneficia, quibus alerentur multi doctrina & virtute conſpicui; atque adeo Eccleſiæ in primis utiles, qui vix tenui quodam officio vitam ſuſtentant. 2. Fundatores ſua fraudantur intentione, qua Miniſtrorum numerum, ac proinde cultum divinum augeri largitionibus ſuis voluere. Duas iſtas rationes allegat in quadam Conſtitutione ſua Joannes XXII. (*m*), qui exſecrabilem Beneficiorum, etiam incompatibilium, quæ tunc in Eccleſia vigebat, pluralitatem lamentatur. 3. Quia fruſtrantur vivi, & mortui precibus, quas plures Beneficiorum quæ poſſidet unus, Titulares pro iis quotidie perſolverent. 4. Ex cupiditate aut ambitione vulgo plura retineri ſolent Beneficia.

S. Thomas Guillelmo Pariſienſi eodem ſæculo æqualis, iiſdem pariter argumentis multiplicitatem Beneficiorum inſectatur (*n*): *Sequitur etiam*, inquit, *diminutio cultus divini, dum unus loco plurium inſtituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiis contulerunt, ut certus numerus deſervientium ibi eſſet* (de Canonicis loquitur). *Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere poteſt*.

Guillelmus Durandus in hanc pluralitatem zelum ſuum exercuit, informata etiam abuſus hujuſce reformandi ſpecie juſſu Clementis V. quæ Concilio œcumenico Vienneſi erat offerenda (*o*). Hunc ſequitur Cartuſianus in Tract. contra pluralitatem Beneficiorum. Gabriel Biel (*p*), Joannes Major (*q*), Navarrus (*r*), Azorius (*ſ*), Toletus (*t*), Sylvius (*u*), aliique multi apud Cabaſſutium (*x*) docent, eos mortaliter peccare, qui plura, licet non incompatibilia, ſine rationabili cauſſa, poſſident Beneficia, vel qui procurant, aut conferunt.

Concludimus itaque, cum jam prolixior ſit hæc deciſio, Manilium abſque gravi peccato Prioratum 2000. lib. conferre non poſſe Joanni nepoti ſuo, qui non uno ad vitæ neceſſaria ſufficiente Beneficio jam proviſus eſt, ſed tribus e quibus annuos cenſus 13000. lib. percipit: nec Joannem ipſum tuta conſcientia a volente ſibi conferre, non poſſe accipere; non obſtantibus iis, quibus a peccato excuſare eum contendunt, rationibus: nam quoad generalem conſuetudinem pertinet, ea *ex immoderata cupiditatis affecta*, ut ait Concilium Tridentinum, qui infeliciter in totam ſerpſit Eccleſiam, orta, iniquitatis monſtrum illud parturiit. Unde, cum nec ſit legitima, ſed ſpiritui Eccleſiæ, Conciliorum Decretis, Sanctorum doctrinæ, & illuſtriſſimorum Theologorum ſententiis adverſa; nemini poteſt ſuffragari; ſed pro vero habenda eſt abuſu, qui, quo latius

mana-

(*k*) Thomas Cantiprat. L. 1. c. 19. n. 1.

(*l*) Guillelmus Pariſienſ. tract. de Collat. Benef. cap. de Singular. Benefic.

(*m*) Extravag. *Exſecrabilis*. 1. Joan. XXII. de præb. & dignitat. tit. 3.

(*n*) S. Th. quodlibet. 9. art. 15. cit in corp.

(*o*) Guillelmus Durandus de modo celebrandi Concil. general. part. 2. tit. 32.

(*p*) Gabriel. Biel. in 4. diſt. 15. q. I.

(*q*) Joan. Major. in 4. diſt. 24. q. 23.

(*r*) Navar. Miſcel. 22. 60.

(*ſ*) Joan. Azor. Inſtit. Moral. part. 2. l. 6. c. 21.

(*t*) Franc. Tolet. Inſtruct. Sacerd. l. 5. c. 81.

(*u*) Franc. Sylvius. in 2. 2. q. 63. art. 3. Concluſ. 9.

(*x*) Joan. Cabaſſut. juris Can. Theor. & prax. L. 2. c. 28. n. 7.

Digitized by Google

manavit, eo etiam magis eſt luctuoſus; quare ait Gabaſſutius (*a*): *Quantacumque conſuetudo plura Beneficia tenendi non incompatibilia inoleverit, certum eſt huic licentiæ repugnare ſpiritum Eccleſiæ, qui non alius eſt a Spiritu Sponſi* Jesu Christi; *ut conſtat ex innumeris Eccleſiæ Canonibus*. Inſuper conſuetudo vim poſitivæ legis, in eo quod habet poſitivum; non vero legis naturalis infirmare poteſt, ut docet S. Thomas: ex illa igitur conſuetudine, quantumvis univerſa, non tollitur pluralitati Beneficiorum ſua injuſtitia, niſi ex quibuſdam circumſtantiis proprii Eccleſiæ boni excuſetur ejus difformitas: quod raro uſuvenit, nec in caſu propoſitæ quæſtionis reperitur, in qua de ſolius Beneficiarii utilitate & commodis agitur. Ita docet Angelus de Clavaſio, poſt Panormitanum, Hoſtienſem & Joannem Andream (*b*).

(a) Idem.

(b) Angelus v. *Beneficium*. q. 31. & apud eum Panorm. Hoſtienſis & Joan. Andreas.

Neque pluralitatem hanc Beneficiorum pro Joanne a crimine vindicat exemplum tot Clericorum, qui, cum ſapientia & virtute polleant, plura ſine ſcrupulo tenent Beneficia. Nam ultro fatemur, forſan eſſe Beneficiarios, qui juſtis de cauſſis multa retinent Beneficia; quas quidem ſi non habeant, eos neceſſe eſt annumerari illis, qui *ſe ipſos*, ut loquitur Concilium Tridentinum, *non Deum decipiunt*; qui, cum tempus acceperit, apparentem eorum pietatem ad normam Sanctuarii perpendet, eorumque juſtitias judicabit.

Denique Manilius quartum nepoti ſuo deſtinat Beneficium; quia eum ipſius reditibus, ut aliorum quos jam poſſidet, bene uſurum ſperat. Ultimum heic eſt effugium, quo a peccato Beneficiorum multiplicitatem purgare conantur.

At contra dici poteſt 1. Id valde eſſe timendum, ne iis, ut ſperat, utatur nepos, cum raro fiat, ut Clerici, immo vix unus e mille, plura accipiant Beneficia ea intentione, ut ſuperfluos reditus in eleemoſynas aliave pia opera expendant. 2. Manilium, aucto nepotis ſui reditu, eum periculo abutendi illis fructibus, abſque neceſſitate committere. 3. Denique ipſum a culpa coram Deo non liberari ex bono uſu illorum fructuum quem nepos ſuus faceret, niſi directe in bonum Eccleſiæ cederet hic uſus, ut ait S. Bernardus. Quibus addimus, ex illo bono uſu non licitam etiam fieri pluralitatem Beneficiorum, quia multa ex hoc ſequuntur mala, quibus non medetur talis uſus; cujus etiam obligationem, cum non indigeat, præpropere in ſe ſuſcipit: *At vero hoſpitalitatem ſervare*, inquit Carthuſianus (*c*), *& eleemoſynam erogare, non eſt ſufficiens cauſſa habendi hujuſmodi Beneficia plura; cum ex hoc aliunde proveniant multa incommoda graviora.... Deus quoque non exigit ab aliquo hoſpitalitatem & eleemoſynarum largitionem ultra vires ipſius, ſive ultra id, quod ſibi de uno competenti Beneficio ſupereſt.*

(c) Dionyſius Carthuſianus tract. de plural. Benefic. art. 12.

Ultima denique ratio Manilii petitur ex diſpenſatione, de qua jam fuſe diximus.

CASUS XXVIII.

Hilarinus, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, ab Epiſcopo ad confeſſionem electus, recenter inaugurato, qui præter Epiſcopatum maximi reditus, alia quædam tenet Beneficia, poſtulat, utrum tacentem de pluralitate ſuorum Beneficiorum Epiſcopum, in confeſſione prior ipſe alloqui, eumque ad dimiſſionem illorum cogere teneatur?

Respons.

Propoſitæ ſibi olim huic difficultati reſpondet doctus noſtri temporis Theologus (*d*): quod ſi præcipua ſcientiæ ac virtutis laude fulgeat hic Epiſcopus, Confeſſarius juſte præſumere poteſt, Epiſcopum hunc Beneficia ſua vel dimittere, vel juſta de cauſſa retinere velle; atque idcirco pro eo valere Concilii Tridentini (*e*) exceptionem: eo adducetur Hilarinus, quod ſibi perſuadere merito poſſit, tali Epiſcopo notiores eſſe, quam ſibimet ipſi, regulas Eccleſiæ, quas, cum pius ſit, ſequi non dubitat. Inſuper illud certum eſt, quod Hilarinus minus notas habeat Diœceſis neceſſitates, ſolitaque Epiſcopatus onera, quam Præſul ipſe: quare de illa re juſtum ac ſolidum nequit ferre judicium; cum forte poſſit fieri, ut, quamvis præcipui, Epiſcopatus reditus, Epiſcopo ad ſuſtinenda ejus onera non ſufficiant.

(d) De Ste. Beuve tom. 3. Caſ. 87.

(e) Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 17. *De reformat.*

Verum; ſi nec ſcientia, nec ſolido pietatis ſenſu fulgeat ille Præſul: in colloquiis familiaribus odorari prudenter conabitur Hilarinus ante confeſſionem, num tuta ſit conſcientia Epiſcopus, nec ne: Quod, ſi eum in tuto non eſſe coram Deo agnoſcat, alia ſua retinendo Beneficia, ipſum de iis alloqui ante confeſſionem, & ad eorum dimiſſionem cogere tenetur: Si vero ipſum tuta eſſe putet conſcientia, de iis alloqui, aut moleſtiam parere ob eam rem non tenetur: Si vero dubitet, Epiſcopum adiget ad conſulendos pios & ſapientes Doctores, quorum deciſionem ſequetur.

CASUS XXIX.

Freculphus, Eccleſiæ Cathedralis Præpoſitus, ad Epiſcopatum nominatus, Capitulum rogavit, ut conſentiret, ſe retinere cum Epiſcopatu præpoſituram ſuam, ſine quo conſenſu neceſſariam diſpenſationem ſibi concedere nollet ſummus Pontifex. Indicto illo 12. aut 15. Canonicorum Capitulo, aſſenſum præbuit major pars Canonicorum; alii vero aſſentiri noluerunt, & non adhibita juxta regulas ſolitas interceſſione ſua, actis tantummodo Capitularibus ſubſcribere recuſarunt. Qua de re quæritur. 1. Utrum peccaverint, qui Freculphi petitioni conſenſere. 2. Utrum ex eorum conſenſu, & obtenta poſt ipſum diſpenſatione, tutus in conſcientia ſit Frecolphus?

Respons.

Procul dubio peccarunt Canonici, qui Freculphi petitis aſſenſere: quia, ne dum aſſentiri, ut potius, quantum in ſe eſt, impedire tenetur Capitulum, ne Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitus, qui ob eam dignitatem ad actualem, & perſonalem reſidentiam tenetur, Præpoſituram ſuam cum Epiſcopatu retineat, cum nulla ſubſit cauſſa: & ob reſidentiam quam poſtulant, incompatibilia ſint illa duo Beneficia. Unde, qui Freculphi petitioni conſenſerunt majori ſunt damnatione digni; quod nimia ſua indulgentia anſam præbuere ad obtinendam diſpenſationem Eccleſiæ ſuæ bono penitus contrariam, qua tutus coram Deo fieri non poteſt Epiſcopus; cum in foro interiori omnis invalida ſit diſpenſatio, quæ ob cauſſam legitimam non obtinetur. Additur etiam, Canonicos non ſola ſubſcriptionis repulſa contentos, ſecundum juris regulas intercedere debuiſſe ad ſecuritatem ſuæ conſcientiæ. Sic parem difficultatem ſolverunt olim multi Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctores (*f*).

(f) De Ste. Beuve tom. 2. Caſ. 27.

CASUS XXX.

Nonne poteſt Conſtantius, S. Servatii Parochus, qui de Parœcia S. Juſtini non ita pridem proviſus eſt, utrumque, illæſa conſcientia, retinere Beneficium, eorumque fructus percipere ad finem uſque pacificæ poſſeſſionis ultimæ Parœciæ?

Respons.

Non poteſt: iniquum enim eſt, duorum Beneficiorum quæ ſunt incompatibilia, & quorum proinde uni tantum deſervire poteſt, Beneficiarium fructus percipere. Nihilominus in foro exteriori, & juxta Galliæ juriſprudentiam, de jure vacare tantum cenſetur hoc tale Beneficium, poſt adeptam per annum ſecundi pacificam poſſeſſionem, hoc eſt, poſtquam de eo proviſus anno integro fructus ejus collegit. Verum ex eo non fit, ut coram Deo non ſit conſcius, ſi ab alterutrius optione, alterum non dimittat, quia Eccleſiam privat injuſte alterius titularis obſequio. Conſtantius itaque abſque peccato per annum duas illas Parœcias poſſidere non poteſt; ſed ad id tantum tempus, quo optaverit, & quod brevi futurum eſt: multo minus utriuſque reditus percipere poteſt; cum enim uni ſolum per ſe deſervire potuerit, illius ſolius etiam fructus colligere licet, juxta communes haſce juris Canonici regulas (*g*): *Datur Beneficium propter Officium: Officium propter quod Beneficium Eccleſiaſticum datur: Beneficia propter Officia conceduntur.*

(g) Boniſac. VIII in Cap. fin. *De reſcriptis*. in 6. l. 1. tit. 3.
Conc. Conſtantienſ. Seſſ. 43. *Decreto de diſpenſat.*

Id quoque ſumma cum æquitate, & ſapientia conſtitutum eſt a Ludovico Magno data declaratione

Digitized by Google

ne apud S. Germanum 7. Januarii ann. 1681. En ipſius verba : „ Cum ad noſtram pervenerit noti-
„ tiam, multos Regni noſtri Clericos, cum de duo-
„ bus Beneficiis incompatibilibus proviſi fuere, ut de
„ duabus Curis, aut de Canonicatu, vel Dignita-
„ te, & de Parœcia Curata, aut de aliis Benefi-
„ ciis incompatibilibus, dictorum Beneficiorum red-
„ itus percipere, ſub eo prætextu, quod ad alteru-
„ trius optionem annus eis concedatur, quo elapſo
„ ſibi lites colluſorias intentari curabant, at dicto-
„ rum Beneficiorum fructus perciperent ... Cumque
„ nobis nuntiatum ſit eumdem abuſum iterari in
„ multis hujuſce Regni Diœceſibus, cui providere
„ permagni intereſt : OB HAS CAUSSAS ... dixi-
„ mus, declaravimus & conſtituimus, dicimus,
„ declaramus & conſtituimus per has præſentes,
„ manu noſtra ſubſcriptas, volumus, & nobis pla-
„ cet : ut, cum idem proviſus fuerit de duabus Cu-
„ ris, aut de Canonicatu, vel Dignitate, & de
„ Cura; aut de duobus aliis Beneficiis incompati-
„ bilibus; ſive ſit litigioſa, aut pacifica eorum poſ-
„ ſeſſio; proviſus illius ſolum Beneficii fructus per-
„ cepturus ſit, in quo actu reſidebit, & cui per ſe
„ deſerviet : & ut alterius Beneficii, & amborum fru-
„ ctus, ſi in nullo reſideat, aut per ſe deſerviat, ſint
„ conferendi ad mercedem Vicarii, aut Vicariorum,
„ qui deſervierint, ad ornamenta, reparationes, &
„ utilitatem Eccleſiæ dicti Beneficii per conſtitutio-
„ nem Reverendiſſimi Epiſcopi Diœceſani, quæ pro-
„ viſorie ſuum ſortietur effectum; non obſtantibus
„ quibuſcumque appellationibus &c.

CASUS XXXI.

Polycarpus, Beneficiarius & Sacerdos, in Provincia e loco ſui Beneficii longe diſſita, auſu temerario nuptias contraxit cum muliere quadam, quæ, ubi feliciter cognovit, ipſum eſſe & Beneficiatum, & Sacerdotem, in Monaſterium ante conſummationem ſe recepit. Qua de re quæritur, utrum in eo caſu Beneficio ſuo, *ipſo jure*, fiat privatus ille Beneficiarius?

Respons.

Cenſet inclytus Juriſperitus *(a)*, Beneficium in caſu propoſito, *ipſo jure* non vacare: *Ego vero*, inquit, *dico, ſatis eſſe quod uxores dimittere cogantur; nec debent multiplici pœna affici*. Indigna prorſus ratio, quæ a tanto proferatur Juriſperito, qui ignorare non potuit, multos eſſe in Jure caſus ſuæ propoſitioni adverſos; qualis eſt Simoniæ caſus, in quo reus non ſola ſuſpenſionis & excommunicationis pœna, ſed etiam parti hoc modo Beneficii privatione punitur: præterquam quod non pœna tali Beneficiario infligitur, cum prætenſam dimittere uxorem cogitur, quia cum Ordo Sacer ſit impedimentum dirimens matrimonii; *Non nuptiæ*, inquit Alexander III. *(b) ſed contubernia ſunt potius nuncupanda*.

(a) Carol. Molinaeus in cap. 1. De Clericis conjugatis. v. *Privandi ſunt*.

(b) Alex. III. in Cap. *Sane*. 4. de Clericis conjug. l. 3. tit. 3.

Exiſtimamus itaque cum Panormitano *(c)*, quod ubi matrimonium inire non dubitavit Clericus, vacat *ipſo jure* Beneficium illius, licet prætenſa conjux ejus Religionis votum emiſerit: cujus aſſertionis hanc affert rationem, quia ſtatum, illius ſanctitati quem prius ſumſerat, oppoſitum eligit; unde per tale facinus jus amittit fruendi ſuo Beneficio, quod jus abſque legitima diſpenſatione, novoque titulo acquirere non poteſt.

(c) Panorm. conſ. 62. n. 18.

Panormitano aſſentitur Rebuffus, aliamque juridicæ illius privationis Beneficii rationem ſubdit, convicium ſcilicet toti Clericali Ordini illatum, & Eccleſiæ ſcandalum *(d)*. Eodem modo rem iſtam ſolvit Decius *(e)*. Et quidem Beneficii privationem producere nequit talis matrimonii conſummatio; alioquin ex fornicatione Beneficiarius ſuo privaretur quoque Beneficio *ipſo jure*: quod tamen non verum eſt abſolute loquendo, & abſque præviis monitionibus ac juridica ſententia.

(d) Petrus Rebuffus de pacificis poſſeſſor. n. 8.

(e) Philippus Decius. deciſ. 240.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex auctoritate Alexandri III. qui in ſua Decretali ad Epiſcopum Herfodienſem in Anglia prohibet *(f)*, *Ne deinceps Clericus conjugatus ad Eccleſiaſtica Beneficia .... admittatur*; & in altera ad Epiſcopum Verolienſem vult, ut qui jam ad inferiores Ordines ſunt promoti, ſi nuptias contrahant, Beneficiis ſuis priventur *(g)*: quod alibi etiam ſtatuit ſcribens ad Epiſcopum Norvicenſem *(h)*. Unde ſequitur a fortiori, quod is qui majorem ſuſcepit Ordinem, & Beneficium poſſidet, eo ſit privatus, ubi palam ſtatum ſuum deſeruit, atque ſuſceptam profeſſionem tali auſu abdicavit: atque adeo, quod Polycarpus de quo in caſo propoſito fit mentio, cum in eadem verſetur circumſtantia, eamdem quoque ſubire pœnam debeat.

(f) Alex. III. in Cap. *Sane*. 2. de Clericis conjug. cit.

(g) Idem in Cap. *Quod a te*. 3 eod. tit.

(h) Idem in Cap. *Diverſis*. 16. eod. tit.

Vide {
Beneficium.
Collatio.
Parochus.
Proviſio.
Devolutum.
Canonicus.
Miſſa.
Officium Divinum.
Excommunicatio. Caſu *Palamedes*.
Irregularis. Caſu *Galterius*.
}

BENEFICIUM.

Vox illa generatim ſumta, multa ſignificat. 1. Gratiam, aut liberalitatem alicui collatum deſignat. 2 In Juriſprudentia Civili uſurpatur pro Legis privilegio, quod demortui heredi concedit, qui ipſius hereditatem pure ac ſimpliciter non adit, ſed ſub conditione, ut vocant in foro, ſeu beneficio Inventarii; quo fit ut hic heres ad debita defuncti ſolum teneatur ad competentiam valoris derelictæ hereditatis, ut dicemus infra, exponendo titulum, *Heres*.

3. Sumitur etiam quandoque hic terminus pro diſpenſatione, quam vocant, beneficium ætatis, ſeu emancipationem, pro minoribus inductam, quæ a Judice filiis ætate 18. annorum, & puellis 16. annorum conceditur.

4. Nomine Beneficii proprie dicuntur bona, quæ ab initio indiſtincte Deo & Eccleſiæ ad ſuſtentationem Miniſtrorum ſuorum dicata, poſtea diviſa & in titulos erecta, nec non quibuſdam Clericis affectata fuere, ob eorum erga Eccleſiam miniſterium. Atque illo ſenſu terminum hunc de preſenti intelligimus.

Beneficium Eccleſiaſticum definitur *(i)*: *Perpetuum jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis, competens Clerico propter officium ſpirituale*, quod ipſi præſcribitur Canonibus, vel ad quod tenetur ex fundatione, vel uſu.

(i) Polman. par. 2. n. 126. & ſeqq.

Dicitur 1. *jus perpetuum*: ex quo enim bona quædam Eccleſiæ ipſius auctoritate in Titulum fuere erecta; ea percipiendi jure potitur Titularis, quamdiu poſſidet Beneficium; quod in eo differt a ſimplici Vicariatu, qui ad tempus

quod

collatus, *ad nutum* revocari poteſt. Additur: *propter officium ſpirituale*; non quod Beneficium pro pretio ejus habeatur, ſed quia honorarium eſt juſte Beneficiario debitum, qui digne ſuum obit officium.

Obſervandum, vocem hanc, *Beneficium*, hoc ſenſu ſumtam, primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe inauditam; quia aureis illis ſæculis bona Eccleſiæ cujuſcumque forent naturæ, erant communia, ut refert S. Lucas (*a*): *Nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia ..... neque enim quiſquam egens erat inter illos: quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat*. Sed cum paullo poſt advertiſſent Apoſtoli, quod ex temporalium rerum cura, a prædicatione Evangelii a Chriſto Domino ſibi commiſſa averterentur; adminiſtrationem hanc temporalem ſeptem Diaconis a multitudine Eccleſiæ ſibi oblatis ſub auctoritate ſua commiſerunt (*b*).

(*a*) Act. 4. 32. 34. & 34.

(*b*) Act. 6.

Poſt obitum Apoſtolorum, non intermiſſis zelo ac pietate fidelium, Epiſcopi ſucceſſores eorum præcipui fuere illorum ſacrorum bonorum diſtributores, eaque in tres partes dividebant: quarum prima ad Clericos, pro cujuſque neceſſitate ac merito pertinebat: altera, & tertia portio in Eccleſiarum fabricam, egenorumque ſubſidium cedebant.

Poſtea Epiſcopi paullatim, & miniſtrantium ſibi Clericorum portiones fuere conſtitutæ, nec non fabricæ, aut pauperum partes: denique poſt varias mutationes, aucto eleemoſynis & largitionibus Fidelium Eccleſiæ patrimonio, res ad eum pervenit ſtatum, in quo nunc videtur. O utinam omnes Clerici quos Beneficiarios vocamus, eodem eſſent zelo ac ſpiritu inſtincti, atque ii quos modo diximus! quæ ſi eſſent, non tot ſæpe viderentur Sacerdotes, quibus deſunt, vel ad vitam neceſſaria, dum alii bonis Eccleſiæ, quæ in pravos adeo detorquent uſus effocantur Sed fruſtra in hoc tanto abuſu ingemiſcimus: cetera perſequamur.

Beneficiorum alia ſunt primi ordinis, quibus annexa eſt juriſdictio Eccleſiaſtica: ut Abbatiæ, Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, & alia hujuſmodi. Alia ſunt ſecundi ordinis, quæ nulla comitatur juriſdictio; ut ſunt Præbendæ, Capellaniæ, & cetera ejuſdem generis. Quibuſdam annexa eſt animarum cura: ut Epiſcopatus, & Beneficia Curata, quorum Titularibus incumbit cura ſubditorum ſuorum. Quædam vero ſimplicia dicuntur, quod Titularibus eorum nec juriſdictio, neque animarum cura vulgo incumbat (*c*).

(*c*) Greg. IX. in Cap. *Cum olim*. fin. de Præb. & dignit.

Diſtribuuntur etiam Beneficia in *Dignitates*: quibus nimirum annexa eſt præeminentia quædam ſeu Juriſdictio, ut ſunt Præpoſituræ, Archidiaconatus & Prioratus conventuales, & in *Perſonatus*, quibus choæret præeminentia ſine juriſdictione, ut Canonicatus &c.

Quædam Fundatores agnoſcunt; & ſunt Patronatus, vel Eccleſiaſtici, vel Laici: quædam non agnoſcunt ut omnes ferme Curæ & Præbendæ.

Diſtribuuntur denique alia duo Beneficiorum genera: Sæcularia videlicet de quibus hactenus: & Regularia, ad quæ ſolis Clericis regularibus patet acceſſus, ut ad priora ſolis ſæcularibus (*d*).

(*d*) Concordat. tit. de Collat. §. *Volumus*.

Alia ſunt electiva, collativa, vel mixta. Electiva, quæ per Clericorum ſive ſæcularium, ſive regularium ſuffragia: Collativa, quæ per abſolutum Prælati arbitrium: & Mixta, quæ ad Patronorum nominationem, ſeu præſentationem, attribuuntur.

Quædam ſunt Beneficia Titularia, quædam commendata: nonnulla reſidentiam, ut Curæ & Præbendæ, poſtulant; unde nemo duo ſimul tenere poteſt: quædam vero, juxta uſum hodiernum, reſidentiam non requirunt; ut Prioratus & Capellaniæ, quæ ideo Beneficia *Simplicia* nominantur: quorum duo ſimul poſſideri quoque non poſſunt *ſub eodem tecto*, hoc eſt, in eadem Eccleſia.

Beneficium pleno jure vacat. 1. per mortem naturalem, aut violentam Titularis. 2 Per mortem civilem, hoc eſt, perpetuum e finibus Regni exſilium, aut damnationem ad remos perpetuos. 3. Per emiſſam ſolemnem Religionis profeſſionem. 4. Per demiſſionem nudam & ſimplicem Beneficii a Collatore acceptam. 5. Per matrimonium a Beneficiario initum, licet nondum conſummatum (*e*). 6. Pro Jeſuitis per emiſſionem primi Societatis ſuæ voti. 7. Per inaugurationem Epiſcopi, aut in pœnam ipſius negligentiæ ad ſui inaugurationem tempore ex Jure & Conſtitutionibus præſcripto (*f*): circa quod obſervandum, Epiſcopum, juxta quoſdam Auctores, Beneficiis ſuis pleno jure non fieri privatum, donec accedat ſententia damnationis declaratoria. 8. Propter incompatibilitatem Beneficiorum, ut

(*e*) Alex. III. in Cap. *Si qui*, de Clericis conjugatis. Innoc. III. in Cap *Diverſis*, eod. tit.

(*f*) Alex. III. in Cap. *Cum in cunctis*. §. *Cum vero*. de elect. Conſt. Bleſ. art. 8.

ut Curæ, & Præbendæ, cum alterutram non dimittit Titularis intra annum pacificæ poſſeſſionis. 9. Simonia Titularem, aut qui vult fieri, per ſimoniam, obtento privat Beneficio; quod idem de confidentiæ crimine dicendum. 10. Hæreſis quoque manifeſta & publica, ac pertinaciter propugnata eundem producit effectum (*a*).

(*a*) Lucius III. in Can. *Ad abolendam* de Hæret.

Ex multis inſuper aliis cauſſis vacare poteſt Beneficium, ſed poſt latam tantummodo juridicam ſententiam & declaratoriam in Titularem, qui in eo caſu, non ſolum ante latam ſententiam, ſed etiam per interpoſitam appellationem, Beneficium ſuum reſignare poteſt, quia appellatio ſententiæ eſt ſuſpenſiva: ita ut, ſi ante confirmationem ſententiæ ex Arreſto, jam proviſus fuerit ob reſignationem reſignatarius, legitimus manet reſignati Beneficii titularis: etſi in poſterum lata ſententia fuerit confirmata.

Beneficiorum pluralitas adeo ſtricte in tertio Concilio œcumenico Lateranenſi fuit prohibita, ut, qui de ſecundo Beneficio proviſus fuerat, eo ipſo primo poſſeſſo fieret privatus: conceſſit tamen ab eo tempore Concilium Tridentinum, ut ſecundum Beneficium ſimplex haberetur, ſi tamen ad honeſtam Titularis ſuſtentationem primum non ſufficeret.

Superior legitimus duo ſimul poteſt unire Beneficia, ab eodem Titulari poſſidenda, ubi id requirit aut neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas. Advertendum tamen: Beneficia Conciſtorialia, ideo ſic dicta, quod qui regiam eorum obtinet nominationem Romæ proponatur, eorumque nomina palam in Conclavi promulgentur, uniri aut ſeparari non poſſe niſi a ſolo Papa, & de conſenſu Regis.

Non licet Collationis liberæ Beneficium unire alteri, quod laico ſubſit Patrono. Hæc ſunt principia, & regulæ generales ea de re ſcitu neceſſariæ.

CASUS PRIMUS.

NONNE abſque peccato Prælationem ambire poteſt Gratianus, Clericus doctrina ſingulari & virtute inſignis, & ad eam obtinendam omni ſtudio incumbere?

RESPONS.

Non poteſt ex doctrina S Thomæ (*b*): *Qui appetit Prælationem*, inquit Angelicus Doctor, *aut eſt ſuperbus, aut injuſtus. Injuſtitia enim eſt, quod aliquis velit ſibi plus de honore accipere, aut de poteſtate, aut de aliis bonis, niſi ſit majoribus dignus .... quod autem aliquis æſtimet ſe eſſe magis dignum Prælatione omnibus illis, ſuper quos Prælationem accipit, ſuperbiæ & præſumtionis eſt. Unde patet, quod quicumque Prælationem appetit, aut eſt injuſtus, aut ſuperbus. Et ideo nullus ſuo appetitu debet ad Prælationem pervenire; ſed ſolum Dei judicio, ſecandum illud Apoſtoli ad Hæbreos. 5.* Nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.

(*b*) S. Thom. quodlibet. 2. art. 11. in corp.

CASUS II.

Numquid abſque peccato, S. Altini vacantem Parœciam a Collatore requirere potuit BARNABAS, ex eodem loco oriundus?

RESPONS.

Barnabæ non favent multi S. Doctores; nam ſentiunt, quod, licet Clericus Beneficium ſimplex, ſi indigeat, poſtulare valeat, modo non ſit indignus; non tamen Beneficium cui annexa eſt cura animarum, petere poteſt, quia ex præſumtione ſua fit eo indignus. Ita ſentiunt.

1. S. Thomas (*c*): *Si vero aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum; ex ipſa præſumtione redditur indignus: & ſic preces ſunt pro indigno. Licite tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe Beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum.*

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 5 ad 2. Item in 4. diſt 25. q. 3. art. 3. ad 4.

2. S. Raymundus, qui ſic dicit (*d*): *Ego diſtinguo, ſalvo meliori judicio, quod non poteſt pro ſe petere Eccleſiam, vel dignitatem, vel aliud Beneficium habens curam animarum annexam. Et in hoc ſentio cum Hugone. Beneficium vero ſimplex, ſi indiget & ſentit ſe dignum, poteſt petere abſque metu peccati & ſimoniæ (extra de præbendis 2. Extra, de reſcriptis. Cap.* Ad aures, *) & in hoc ſentio cum aliis.*

(*d*) S Raymund. in Sum. l. 1. tit. 1. §. 7.

3. S. Antoninus, cujus hæc ſunt verba (*e*): *Aut enim quis porrigit preces pro ſe, aut pro altero, ſcilicet, ut obtineat Beneficium .... & ſi porrigat preces pro ſe, pro obtinenda dignitate, vel Beneficio, ſeu Eccleſia habente curam animarum; tales preces inducunt ſimoniam, ſecundum Hagonem, Raymundum, Hoſticaſem & Thomam ſecunda ſecundæ, & in directorio juris libro 3. quantumcumque alias eſſet dignus; quia eo ipſo, quo ſe ingerit, præſumtuoſus, & ambitioſus videtur, & per conſequens, indignus: & ratio eſt ſecundum Thomam in quodlibetis: quia nullus poteſt exercere curam animarum extra gratiam, ſeu cum peccato mortali, digne; quia faciendo ea quæ pertinent ad curam, peccabit mortaliter; ſed nemo ſcire poteſt, ſi eſt extra mortale peccatum: & ſic eſt præſumtuoſus & ſimoniacus. Unde & nullus debet ſibi aſſumere honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: & ſic facere videtur contra jus divinum .... Multo magis eſt ſimonia, ſi alias eſt indignus, puta quia illitteeatus .... Si autem porrigat preces pro ſe, pro Beneficio ſimplici, & indigeat, nec indignus eſt eo propter aliquod impedimentum; non eſt ſimoniacus, nec peccat.*

(*e*) S. Anton. part. 2. Sum. Theol. tit. 1. c. 5. §. 4.

Trium illorum quos laudavimus, doctrinam Auctorum confirmant auctoritate ſua antiqui Eccleſiæ Patres, quibus id in primis curæ fuit, ut ſignificarent, a Clerico fugiendum eſſe regimen fidelium, niſi ad illud invitet Superior legitimus. Qua de re ſic S. Chryſoſtomus (*f*): *Cogita*, inquit S. Doctor, *quid acciderit Simoni. Quid enim refert, ſi non das pecuniam; ſed pecuniæ loco adularis, ſubornas, multaque machinaris?* Pecunia tua ſit tecum in perditionem, *ad illum dictum: & his dicetur: Ambitio tua ſit tecum in perditionem, quoniam putaſti ambitu humano parari donum Dei:*

(*f*) S. Chryſ. Hom. 3. in Acta Apoſtol. ſub finem.

Eodem inſtinctus ſpiritu loquitur S. Gregorius Magnus, ad Epiſcopos Auguſtodunenſem, Lugdunenſem, Arelatenſem & Viennenſem ſcribens (*g*): *Sicut autem*, ait, *qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt Altaribus admovendus; ſic qui ultro ambit, vel importune ſe ingerit, procul dubio eſt repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſcat; & aſcendendo exterius, interius ad profunda deſcendat?* Et alibi (*h*): *Sicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus.*

(*g*) S. Greg. l. 7. Epiſtol. CXI.

(*h*) Idem l. 6. Epiſt. 3. in Can. *Scripturæ* 19. 8. q. 1.

Si quis vero jus Graduatorum objiciat, quo in quibuſdam caſibus, Beneficia, etiam Curata, ſi vacent, poſſunt requirere: reſpondebimus, Graduatum, ut tuta ſit conſcientia, nullum debere requirere

rere

eere Beneficium curatum, niſi adhibito virorum Doctorum, ſeu Confeſſarii, ſeu etiam proprii Epiſcopi conſilio.

Colligendum itaque, Barnabam de quo agitur in caſu propoſito, ſine peccato S. Altini Curam a Collatore non poſſe requirere.

CASUS III.

Mathias, acceptata Decanatus reſignatione, poſſeſſionem ejus adivit, ipſi deſervire nullo modo intendens, ſed potius eum pro aliquo ſimplici Beneficio ſibi conveniente permutare conſtituens. 1. An de eo canonice proviſus eſt? 2. An in eo peccavit? 3. An ſuper eo penſionem ſibi reſervare poteſt?

Respons.

Exiſtimamus, Mathiam canonice non eſſe proviſum de Decanatu quem acceptavit, ipſi non deſervire intendens; atque ita eum teneri illum dimittere inter manus Collatoris, quin eum permutare, aut ſuper eo penſionem habere valeat; ac tandem a gravi peccato non poſſe excuſari.

Nititur hæc deciſio tribus ſummorum Pontificum Decretalibus. Prima eſt Innocentii III. in Concilio Lateranenſi, quæ ſic habet (a): *Præcipimus, ut prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant, qui Deo & Eccleſiis velint, & valeant gratum impendere famulatum.* Altera eſt Gregorii IX. ad Epiſcopum Argentineſem his verbis ſcribentis (b): *Cum autem illi ſint idonei reputandi, qui ſervire poſſunt, & volunt &c.* Tertia eſt Bonifacii VIII. (c) qui aſſerit: *Omne Beneficium propter officium concedi.* Ex quo ſequitur, quod ſi quis Beneficium accipiat, nullo modo ipſi miniſtrare intendens, agit tunc contra leges & mentem Eccleſiæ, quæ in Concilio generali Lateranenſi ſub Alexandro III. (d) ſic ſtatuit: *Cum vero Præbendas Eccleſiaſticas, ſeu quælibet officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit...., perſonis quæ digne adminiſtrare valeant, conferantur.*

(a) Innoc. III. in Cap. *Grave.* 29 de Præbendis & dignit. l. 3. tit. 5.

(b) Greg. IX. in Cap. *Super inordinata.* 25. eod. tit.

(c) Bon. VIII. in Cap. fin. De *reſcriptis.* in 6. l. 1. tit. 3.

(d) Conc. III. ſub Alex III. c. in Cap. *Nulla.* 2. de conceſſ. Præbendæ & Eccleſiæ non vacantis. l. 3. tit. 8.

Hæc eſt Eccleſiæ intentio in collatione Beneficii. Unde ſequitur, quod ſi intentio accipientis, huic Eccleſiæ intentioni non reſpondeat; de eo canonice providere nequit, ſitque reus infidelitatis & injuſtitiæ, Eccleſiam decipiens, quæ partem bonorum ſuorum non ad eum finem concedit, quem ſibi proponit ille, indignum ſcilicet hujuſce Beneficii commercium. Addimus etiam, Beneficiorum fundatores id unum intendiſſe in largitionibus ſuis, ut Eccleſiæ miniſtrantibus, non vero rei proprie ſervientibus, adſcriberentur ſua dona; quare Clericus aliquis, cum una ſit fundatorum & Eccleſiæ intentio, tuta numquam eſſe poteſt conſcientia, dum oppoſita utriſque intentione Beneficium accipit (e).

(e) Zeges. Bernard. Van-Eſpen jus Eccleſiaſt. univerſ. p. 2. tit. 8. c. 4. in fin.

Opinantur quidem nonnulli Caſuiſtæ, uti Bonalius (f), poſſe quandoque juſtam ſubeſſe cauſſam cur Beneficium cum intentione illud permutandi, accipiatur. Sed hujuſce rei neque exemplum, neque argumentum ſuppeditat: quocirca exiſtimamus, hanc non eſſe aperiendam viam iis, qui unice temporalibus ſuis rebus ſerviunt, uti Mathiæ in caſu propoſito; cum nulla poſſit cauſſa reputari juſta, niſi forte evidens Eccleſiæ utilitas, cujus aliquam rationem habere hujuſmodi homines, perraro evenit.

(f) Bonal. Theol. Moral. tom. 3. tract. 20. de Beneficiis. Lect. 8.

CASUS IV.

Gentius, a multis annis Diaconus, cui ad vitæ delinimenta brevis eſt cenſus, Beneficii curati 2000. librarum annui reditus acceptata reſignatione, ipſius poſſeſſionem adivit; nullo pacto tamen intra annum Sacerdotio initiari, ſed fructus Beneficii colligere dumtaxat intendens: anno elapſo intra manus ordinarii Collatoris illud dimiſit. Numquid poteſt ſine peccato & injuſtitia perceptos retinere fructus?

Respons.

Cum Beneficium curatum acceptare nequeat Clericus, non intendens ad Sacerdotium promoveri intra annum, a die pacificæ poſſeſſionis, ut alibi probabitur (g): conſtat, Gentium de Cura ſupradicta provideri non potuiſſe canonice, eamque tantum ad percipiendos illius fructus, non vero ad ei deſerviendum accepiſſe, ac proinde ſine injuſtitia fructus perceptos retinere non poſſe, ſed ad eorumdem reſtitutionem omnino teneri. Ita Bonifacius VIII. in quadam Conſtitutione (h). En ipſius verba: *Si promoveri ad Sacerdotium non intendens, Parœcialem receperis Eccleſiam, ut fructus per annum ex ea recipias, ipſam poſtmodum dimiſſurus (niſi, voluntate mutata, promotus fueris) teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem; cum eos receperis fraudulenter.* Idem jam ante ſtatuerat hoc decreto Concilium Auſcitanum an. 1300. (i): *Obſervari præcipimus, quod nullus Parochialem recipiat Eccleſiam, non intendens ad Sacerdotium promoveri, ut & fructus ex ea percipiat per annum; quia in voluntate mutata promotus exſtitit, ad reſtitutionem eorumdem tenebitur.*

(g) V. Proviſio. Caſ. Euphannius 2.

(h) Boniſac. VIII. in Cap. *Commiſſa.* 35. de elect. in 6. l. 1. tit. 6.

(i) Conc. Auſcitan. conſtit. 10 apud Labbe tom. 11. 2. part. col. 147.

Ceterum pro reliquis Beneficiis, ad canonicam proviſionem requiritur, non modo conveniens idoneitas, ſed etiam intentio Eccleſiæ miniſtrandi, quantum exigit natura horum Beneficiorum, ut conſtat ex quatuor Decretalibus in præcedenti reſponſione laudatis; & quidem graviſſimum eſſet delictum, ſi quis ea acciperet, aliis dimiſſurus.

CASUS V.

Sixtus, Prioratum S. Jonæ 800. librarum annui reditus Theogeni reſignavit, nobili adoleſcenti, qui, licet clericalem vitam amplecti non intendat, hoc tamen ſibi retinere Beneficium per triennium quadrienniumve proponit, donec ſtudiorum ac Philoſophiæ curriculum emenſus fuerit, ne egenum patrem per id temporis ſumtibus gravet. Quæritur 1. utrum Beneficii illius reſignationem, cum eo ſit animo, acceptare poſſit? 2. Utrum ad illud uſque tempus retinere, ejuſque fructus percipere valeat; cum aliter ſtudiorum curſum perficere nequeat?

Respons.

Cum Theogenes propoſitum non habeat vitam clericalem amplectendi perpetuum, certum eſt, eum neque acceptare, neque retinere poſſe reſignatum ſibi Prioratum. Multæ ſunt hujus deciſionis probationes, quarum præcipuas heic tantum attingemus.

Primam ſuppeditant multi celeberrimi Theologi, & Canoniſtæ, inter quos Dominicus Sotus his loquitur verbis (k): *Neque arbitror culpa mortali eſſe mundum, qui Beneficium habet, cui annexum eſt Clericale obſequium, niſi propoſitum habeat, ſi non Sacerdotalem, ſaltem illum Ordinem ſuſcipiendi, qui ad tale ſervitium neceſſarius eſt; aut, ſi nullus requiritur Ordo, ſaltem intentio neceſſaria eſt Clericorum more vivendi.*

(k) Dom. Soto. l. 10. de juſt. & jure. q. 5. art. 6.

Nec minus dilucide quæſtioni reſpondet Sylvius (l), qua inquiritur, quæ debeat eſſe intentio acceptantis Beneficium: *Qui vel Canonicatus*, inquit, *vel Capellanias, vel alia Beneficia recipiunt aut poſſident, ut eorum fructibus alantur, donec ſtudia abſolverint, aut donec uxorem ſibi convenientem invenerint, poſtea dimiſſuri; peccant mortaliter, & obligati ſunt vel ea ſtatim relinquere, vel propoſitum habere vivendi more Clericorum.* Qua Auctoris reſponſione conſtat, Reſignatarium, qualis eſt Theogenes, retinere, aut etiam Beneficium acceptare abſque mortali culpa non poſſe, niſi Clericalem perpetuo ducere vitam intendat. Et Toletus exiſtimat, quod is qui Beneficium accepit cum animo manendi in Clericatu, & poſtea ſententiam mutavit, *a tempore quo voluntatem habuit non retinendi Clericatum, mortaliter peccat; nec eſt abſolvendus, donec aut animum mutet, aut Beneficium dimittat* (m).

(l) F. Sylvius in 2. 2. q. 63. a. 2. quæſito 2.

(m) F. Tolet. Inſtruct. Sacerd. l. 4. c. 18. num 5.

Altera probatio ducitur ex Conſtitutione quadam Bonifacii VIII. (n) ad ſuperioris difficultatis ſolutionem allata, qua declarat hic Papa, quod ſi Clericus promoveri ad Sacerdotium non intendens, Parœcialem acceperit Eccleſiam, ut fructus ex ea per annum recipiat, teneatur ad reſtitutionem fructuum eorumdem. Quod idem de reliquis Beneficiis dicendum, utpote inſtitutis ad Clericorum ſuſtentationem, qui ſe Dei atque Eccleſiæ miniſterio dicarunt, juxta illud Adriani VI. (o): *Temporalia dantur Miniſtris Eccleſiæ, ut aliorum miniſteriis ſuſtentati ſoli Deo & ejus verbo vacare poſſint, & efficacius apud Deum populi peccata ſupportent.* Et quidem Eccleſiaſticos reditus non alia conditione habere

(n) Bon. VIII. in Cap. *Commiſſa.* 35. de elect. & elect. poteſt. in 6. l. 1. tit. 6.

(o) Adrian. VI. in 4 de Sacram. Pœnit. de reſtit. fol. 41.

debent Beneficiarii, quam antiquæ Legis decimas percipiebant ipſi Levitæ, hoc eſt, ad miniſtrandum Deo ipſiuſque Eccleſiæ. *Filiis autem Levi*, inquit Deus (a), *dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in Tabernaculo fœderis*. Et alibi: *Præcepit etiam*, (Ezechias) *populo habitantium Jeruſalem, ut darent partes Sacerdotibus, & Levitis; ut poſſent vacare Legi Domini*. Ex quo ait antiquus Theologus (c): *Item .... Hieronymus ... Eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt: ſed ipſi fraudant Eccleſiam: ad hoc enim dantur Beneficia Eccleſiæ, ut ſerviant Eccleſiis. Ergo ſunt ſacrilegi & raptores, quod concedimus*. Unde ſequitur neceſſario reditus Eccleſiaſticos ab iis legitime acquiri non poſſe, qui, magno Eccleſiæ damno, ad nullum ejus Miniſterium utuntur, ſed ut ſæculo ſerviant.

(a) Num. 18. 21.

(b) 2. Paralip. 31. 4.

(c) Alexand. Halenſis in 3. part. q. 36. memb. 5.

CASUS VI.

Simon, cui nuntiatur, Gaſparem ſancti Galli Priorem eſſe in ultimis, & hominem quemdam ſibi cognitum, & Collatori in primis gratioſum, id unum exſpectare, donec obierit ille Beneficiarius, ut Prioratum ab eo poſtulet; Collatorem autem adit, rogaturus, ut ſibi Prioratum conferat, ubi primum extremos Gaſpar, qui vix una aut duobus horis victurus eſt, ſpiritus duxerit; quod promittit Collator, mortuoque Gaſpare ſtat promiſſis. 1. Quæritur, utrum cautionem hanc adhibere potuerit Simon abſque peccato, ut tutius Beneficium obtineret. 2. Utrum Collator Simoni abſque culpa, ſub iſta conditione potuerit illud promittere?

Respons.

A peccato excuſari nequit in hac circumſtantia Simonis aviditas, neque Collatoris indulgentia ac facilitas, qui nondum mortuo Titulari, ei Beneficium promiſit. Etenim ſi damnabilis ſit Simonis aviditas, viventis Beneficium poſtulando; damnabilis eſt quoque Collatoris facilitas illud promittendo; nam jure reprobantur hujuſmodi petitiones ac promiſſiones; ut conſtat ex hac Bonifacii VIII. Conſtitutione (d): *Quia tamen*, inquit, *ſicut experientia docuit, promiſſiones hujuſmodi, quæ per importunitatem nimiam, per quam non concedenda multoties conceduntur, & per ambitionem improbatam, ut plurimum extorquentur, aperitur via ſub tali palliatione verborum ad promittenda damnabiliter contra Lateranenſe Concilium, Beneficia vacatura mortis alienæ votum ingeritur, & Eccleſiis, ac Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis gravamina plurima inferuntur: nos malis hujuſmodi, & animarum periculis occurrere cupientes, promiſſiones eaſdem & alias quaſcumque ſub quovis modo ac forma verborum de cetero faciendas, per quas directe vel indirecte aperiri via valeat ad Beneficia vacatura, auctoritate Apoſtolica penitus reprobamus, & omnino viribus vacuamus, decernentes per eas, vel ipſarum aliquam ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari.*

(d) Bonifac. VIII. in Cap. Deteſtanda. 2. De Conceſſione Præbendæ & Eccleſiæ non vacantis. in 6.

Ob eam quoque rationem ex vigeſima regula Cancellariæ Romanæ; qui vivente Titulari Beneficium requiſivit, quaſi per obitum vacans, de eo provideri non poteſt, etſi re ipſa in poſterum vacet, & pro hac vice ad illud fit inhabilis. Hanc etiam juxta receptam in Gallia vigeſimam octavam Cancellariæ regulam, *de veroſimili notitia*, quæ accurate obſervatur, ut advertit Rebuffus (e) invalidæ ſunt Beneficiorum proviſiones, inter Titularis obitum & proviſionum datam diem, non ſufficiens interfuerit temporis intervallum, ut Collatoribus notificari poſſit Beneficii vacatio.

(e) Petrus Rebuffus in praxi Beneficiorum in 28. reg. Cancell. Rom.

CASUS VII.

Arsacius, cognito Ludovici ſenis conſilio de reſignando Prioratu ſuo Curato, cui ob graves annos miniſtrare nequit, Collatorem rogat, ut ſibi reſignationem hanc procuret: Collator vero Ambroſio mandat, ut rem verbis ſuis Ludovico proponat, qui eo libentius propoſitæ pro Arſacio reſignationi aſſentitur, quod is ſibi per quam familiaris eſſet: at Ambroſius Collatori reſpondens, ipſum orat, ne improbet, ſi Beneficium pro ſe ipſo a Ludovico poſtulet; tum aſſentiente Collatore, Ludovicum denuo adit Ambroſius petitamque pro ſe Beneficii reſignationem obtinet. Qua de re quæritur, utrum Ambroſius nullum peccatum, nullamve in Arſacium injuſtitiam admiſerit?

Respons.

Certum eſt, Ambroſium duo admiſiſſe peccata; alterum infidelitatis, viro probo indignæ, ac ſpeciatim in Sacerdote, potius quam in alio damnabilis, qua ex prava cupiditate Beneficii, reſignationem ad ſe convertit, opera ſua jam Arſacio promiſſi, cui proinde injuriam intulit, ipſum re certa privando ex mala fide, hanc ejus agendi rationem damnat iſta ſola Scripturæ regula generalis, quam in Evangelio Chriſtus etiam confirmavit (f): *Quod ab alio oderis fieri, vide, ne tu aliquando alteri facias*. Ipſe namque in alio haud dubie damnaret facinus, quod in alium admiſit.

(f) Tobiæ 4. 16. Math. 7. 12. Luc. 6. 31.

Alterum, quod commiſit peccatum, eſt ſuperbiæ. Nam ex S. Thoma (g) præſumtionis eſt & ſuperbiæ beneficium poſtulare, cui annexa eſt animarum cura, cum poſtulando præſumit, ſe eſſe dignum, qui tremendo fidelium regimini præficiatur, ac Paſtoris onera digne ſubire poſſit. Exiſtimamus itaque, quod Ambroſius optimum ſactu ducat, Epiſcopum ſuum, expoſita ſincere tota rei ſerie, conſulere, ejuſque conſiliis accurate ſtare.

(g) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3.

CASUS VIII.

Gombeatus, Curati Beneficii præſentator, Petrum ac Paullum ad illud nominavit, data Epiſcopo, quem libuerit, eligendi facultate. Novit Epiſcopus, bonis atque Chriſtianis Petrum eſſe moribus, ſed modica ſcientia: Paullus contra, facto doctrinæ ſuæ periculo, theologicis rebus apprime eruditum ſe præbuit; verum a paucis diebus e diuturna in Italiam, Poloniam & Germaniam peregrinatione, nullo de vita & moribus teſtimonio munitus revertitur. Unde Epiſcopus Petrum elegit; ac prædictum Beneficium ipſi contulit. Numquid ex debito officio ſe geſſit Epiſcopus?

Respons.

Certum eſt ex Fagnano, eum Clericum, qui bonis ſit moribus, licet modica ſcientia inſtructus, eſſe anteponendum illi, qui cum ſit doctior, non adeo bonis moribus prælucet: quare, ſi conſtaret, Paullum eſſe pravis moribus, Petrus eſſet ipſi præferendus: quod etiam, ut videtur, in caſu propoſito fieri debet, cum nullum vitæ ſapienter actæ teſtimonium Paullus Epiſcopo proferat: Ratio eſt, quia illicitum eſt, ubi de fidelium ſalute agitur, omne periculum, cui tamen ſe committeret Epiſcopus, Paullum de Beneficio providens, cujus ignota eſt ſibi probitas; immo potius ſuſpecti pravi mores eſſe debent. His addimus, diuturnis raro ſanctificari quempiam peregrinationibus, quæ mentem diſſipant, curioſitatem atque morum licentiam fovent. Hanc fuiſſe Sacræ Congregationis Concilii deciſionem teſtatur Fagnanus (h): *Sacra Congregatio*, inquit, *cenſuit præferendum eum cujus mores noti probatique ſunt, ei cujus vita ignoratur prorſus, licet doctior ſit*.

(h) Fagnan. in Cap. *Eam te*. de ætate & qualitate, &c. n. 18.

Hanc ſententiam confirmat iſta ejuſdem Fagnani regula (i), potiorem videlicet habendam eſſe rationem ſanctitatis Prædicatorum, quam eruditionis, quia, ut ait S. Gregorius Magnus (k): *Ad amorem Dei & proximi plerumque corda audientium plus exempla, quam verba excitant. Nemo quippe in Eccleſia nocet amplius*, inquit idem S. Gregorius (l), *quam qui perverſe agens, nomen vel ordinem ſanctitatis habet*. Cujus rei hanc rationem affert S. Pontifex: quia (m) *cujus vita deſpicitur, reſtat, ut ejus prædicatio contemnatur*. Hanc etiam Baldus addit rationem, quia doctiſſimi plerumque minori ſunt humilitate, cum tamen ad veros per humilitatem fiat aſcenſus honores (n).

(i) Fagnan. Ibid.

(k) Abbas. in Cap. *Inter cetera*. de officio Ordinarii. n. 2. verſ. *Nota tibi potentes*.

(l) S. Greg. Hom. 39. in Evang. ſub fin. Idem S. Greg. 1. part. paſtoral. c. 2. in Can. *Nemo*. 2. diſt. 8.

(m) Idem. Hom. 12. in Evang.

(n) Baldus in Can. *Cum contingat* 7. de elect. n. 23.

Vide { Beneficiarius. Collatio. Confidentia. Demiſſio. Devolutum Jus. Officium Divinum. Patronus. Permutatio. Reſignatio. Simonia. Tranſlatio. }

BLAS-

B L A S P H E M I A.

BLASPHEMIA generaliter ſumta, eſt *injurioſa in Deum locutio* (*a*): quæ, *ſi conſiſtat in corde*, inquit S. Thomas (*b*), *eſt cordis blaſphemia: ſi jam exterius prodeat per locutionem, eſt oris blaſphemia*. Prima definitur: *Contumelioſa in Deum locutio externa* (*c*); & ſecunda dicitur: *Contumelioſa in Deum locutio interna*: quæ definitio probatur ex his Pſalmis verbis (*d*): *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus*.

Blaſphemia in duas ſpecies dividitur: altera immediata, quæ Deum in ſe ipſo attingit: altera mediata, quæ profertur in Sanctos & in Deum cadit, cujus gloria & ſumma bonitas fulget in Sanctis ſuis (*e*).

Blaſphemia directe reſpicit Divinitatem: ſcilicet Deo tribuendo, quod ei convenire non poteſt, uti injuſtitia: aut crudelitas; vel de ipſo negando, quod ei proprium eſt, qualis eſt providentia. *Contumelioſa de Deo affirmatio, vel negatio*. Nam, ut ait S. Thomas (*f*), *Nomen Blaſphemiæ importare videtur quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, & præcipue divinæ... Quicumque ergo vel negat aliquid de Deo quod ei convenit, vel aſſerit de eo quod ei non convenit, derogat divinæ bonitati*.

Aliquando unam tantum ex perſonis SS. Trinitatis attingit crimen illud. In Patrem blaſphemare cenſetur, qui ex paſſione & iracundia profert blaſphemias: in Filium, cum ex ignorantia, ut S. Paullus (*g*), *Prius blaſphemus fui,... ignorans feci in incredulitate*: in Spiritum ſanctum, cum ex malitia & contra cognitam veritatem, opera nimirum Dei cacodæmoni adſcribendo, ut Judæi, qui de Chriſto dicebant (*h*): *Hinc non ejicit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum*. Quæ ſpecies blaſphemiæ a Theologis *blaſphemia enuntiativa* dicitur.

Alia eſt blaſphemia, quæ imprecativa nominatur, qua malum aliquod Deo deſideratur: cujus blaſphemię ſoli damnati, & deſperati proprie ſunt capaces.

Denique eſt blaſphemiæ quædam, quæ *Blaſphemia deboneſtativa* nuncupatur, qua nimirum dehoneſtantur ſacra Corporis Chriſti membra. Crimen illud vulgo admittunt, qui per mortem, per caput, aut quodvis aliud Chriſti membrum blaſphemant.

Blaſphemia quælibet, deliberate commiſſa, eſt peccatum mortale ex S. Thoma (*i*): qui illud probat ex his Scripturæ verbis (*k*), *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur*. Ex quibus ita colligitur S. Doctor (*l*): *Pœna mortis non infertur niſi pro peccato mortali. Ergo blaſphemia eſt peccatum mortale*.

In Gallia quidem non morte, ſed multis aliis pœnis afficiuntur probroſis, uti multa honoraria, terebratione linguæ cum ferro calido, & remis. Nihilominus Blondelius in Bouchelium, quinque refert Arreſta Capitalia in Blaſphematores lata; primum a Pariſienſi Senatu 21. Octob. anno 1545. Secundum & tertium ab eodem Senatu 21. Junii anno 1600. & 20. Martii anno 1646. Quartum a Parlamento Gratianopolitano 7. Auguſti anno 1663. & quintum a Parlamento Burdigalenſi 7. Septembris an. 1600.

(*a*) Polman. Brev. theol. part. 2. n. 993.
(*b*) S. Th. 2. 2. q. 3. art. 1. 2. in corp.
(*c*) Polman. ibid.
(*d*) Pſal. 13. 1.
(*e*) Polman. ibid. n. 997. & 998.
(*f*) S. Th. 2. 2. ſupra cit.
(*g*) 1. Tim. 1. 13.
(*h*) Matth. 12. 24.
(*i*) S. Th. ibid. art. 2. ad 1.
(*k*) Levit. 24. 16.
(*l*) Idem ibid. in argum. Sed contra.

CASUS PRIMUS.

PROCLUS ſancti Mamerti Parochus, Gilberti Parochiani ſui confeſſionem audiens, ſe accuſantis, quod magno preſſus dolore impatienter dixiſſet, a Deo ſe injuſte haberi, ipſum quaſi de gravi, quam protulerat, blaſphemia acriter objurgavit cui retulit Gilbertus, ſe non exiſtimare, quod blaſphemiam protuliſſet, ſed impatienter ſe geſſiſſet. Numquid pro Parocho ſtat ratio, ac Gilbertum tamquam blaſphemum in pœnitentiæ injunctione habere debet?

RESPONS.

Blaſphemiam vere protulit Gilbertus: blaſphemia enim, ſecundum proprium ſenſum, nihil eſt aliud, quam contumelioſa in Deum locutio, ſeu aliquam ex ipſius perfectionibus negando, aut aliquam ipſi imperfectionem adſcribendo; ſeu, ut loquitur S. Thomas (*m*): *Nomen blaſphemiæ importare videtur quandam derogationem alicujus excellentis bonitatis, & præcipue divinæ: Deus autem... eſt ipſa eſſentia veræ bonitatis: unde quidquid Deo convenit, pertinet ad bonitatem ipſius, & quidquid ad ipſum non pertinet, longe eſt a ratione perfectæ bonitatis, quæ eſt ejus eſſentia: quicumque ergo vel negat aliquid de Deo quod ei convenit, vel aſſerit de Deo quod ei non convenit, derogat divinæ bonitati*. Circa illud obſervandum, quod, ſi qui de Deo ſic loquitur, veram eſſe interius arbitretur locutionem ſuam, quod homini Chriſtiano raro uſu venit; tum ejus blaſphemia eſſet conjuncta cum hæreſi & infidelitate, uti eſſet cum impietate: 1. Si blaſphemiam, deteſtando, aut maledicendo in Deum aut aliquod ex ejus attributis contemnendo proferret: 2. Si exſecrando de ſacris Corporis Chriſti membris loqueretur, quod plerumque blaſphematoribus accidit: *Qui Redemtorem ſuum turpiter inhonorantes*, ut loquitur Trecenſe Concilium an. 1427. *deteſtabilia in ejus blaſphemiam faciunt juramenta, puta per carnem ſuam, per ſanguinem, per mortem, per plagas, per caput, per viſcera, vel aliud concernens ejus humanitatem, jurantes, & ipſum Redemtorem noſtrum, pro nobis omnibus in cruce mortem paſſum, iterum crucifigunt*. De

(*m*) S. Th. 2. 2. q. 3. art. 1.

quo

quo crimine ſic ſtatuunt antiqui Canones: *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit*, inquit unus ex his Canonibus *(a)*, *ſi in Eccleſiaſtico ordine eſt, deponatur; ſi Laicus, anathematizetur*. Eadem a Juſtiniano Imperatore *(b)* ſtatuitur pœna mortis in deteſtandos illos blaſphematores; conformiter ad antiquam Legem, qua lapidibus opprimendus erat, qui nomen Domini ſui blaſphemaviſſet *(c)*, Unde patet, quam terrum crimen ſit blaſphemia, & quanti interſit Confeſſariorum, ſingulas hujuſmodi peccatorum circumſtantias perpendere, eorumque habitum qui ea commiſere, ut facilius ad eorum emendationem, & de injungenda pœnitentia, & proponendis in futurum remediis judicent.

(a) Can. Si quis. 10. 22. q. 1.

(b) Novella 77. authenticorum coll. 6. tit. 6.

(c) Levit. xxiv.

Juvat heic addere, 1. a Paſtoribus atque Confeſſariis eos eſſe monendos quorum conſcientia ipſis commiſſa eſt, quod, licet hujuſmodi peccata non fiant cum intentione contemtus aut contumeliæ in Deum, nec proinde ſint formalis blaſphemia; attamen virtualem, ut loquuntur Theologi, blaſphemiam admittunt, quod audientibus, qui non de eorum ſenſu niſi ex verbis judicant, ſcandalum præbeant.

2. Multos blaſphema verba ſæpe proferre, quæ talia non exiſtimant, ob defectum attentionis; qualia ſunt hæc: 1. Hoc verum eſt, uti Deus eſt, aut in cælo eſt: 2. Hoc non minus verum eſt, quam Chriſtus eſt Deus: 3. Hoc verum eſt, ut Eccleſia. 4. Mi Deus, quid tibi mali feci, ut tam dure me excipias. 5. An Deus eſt? 6. Omnia caſu, aut fato quodam eveniunt; & alia ſimilia, ſeu in Deum, aut B. Virginem, aut Sanctos ipſos.

3. Reges Chriſtianiſſimos ſeveritate plenas in blaſphemos homines pœnas conſtituiſſe. 1. Eos pœna corporea, & multa pecuniaria puniri voluit S. Ludovicus. Quod idem ſtatuunt Conſtitutiones, Molinenſis, Henrici III. 4. Decembris anno 1581. Ludovici XIII. 10. Novembris an. 1617. Philippi Valeſii an. 1347. Caroli VII. 14. Octobris an. 1460. Ludovici XII. 9. Martii anno 1510. & Henrici II. 5. Aprilis 1546. conſtituunt edicta, ut blaſphemi ad ignominioſum cippum devinciantur, & ob repetitam culpam labia diffindantur; quæ ſi pœnæ non ſufficiant, abſcindatur lingua ipſa: quas antiquas Conſtitutiones execútioni demandari a judicibus Regiis volunt Conſtitutiones Aurelianenſis *(d)*, & Bleſenſis *(e)*, indicta etiam officiorum ſuorum privatione. Denique Ludovicus Magnus non minus ſevere, quam anteceſſores ſui, blaſphemos illos duris legibus coercuit, quarum juſtitiam permagni intereſt, ut norint illi homines, quo ab his flagitiis ſaltem pœnarum timore deterreantur. Innumera heic omittimus Parlamentorum Arreſta, quæ apud Arreſtographos legi poſſunt, inter quos D. Brillon 31. numerat, quorum antiquiſſimum eſt an. 1434. & recentiſſimum ann. 1695.

(d) Conſtit. Aureli. art. 23.

(e) Conſtit. Bleſenſis. a. 3.

CASUS II.

Numquid mortaliter toties peccat Hermocrates miles, qui blaſphemias a quatuor aut quinque annis proferre ita eſt aſſuetus; ut eas abſque attentione ſæpe ac ſine deliberatione proferat?

Respons.

Auctoritate ſua, paucis additis, difficultatem hanc ſolvet ſanctus Thomas *(f)*. *Blaſphemia poteſt abſque deliberatione ex ſuperiore procedere*, inquit ſanctus Doctor: *Uno modo, quod aliquis non advertat hoc quod dicit, eſſe blaſphemiam. Quod poteſt contingere, cum aliquis ſubito ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat, & tunc eſt peccatum veniale; & non habet proprie rationem blaſphemiæ. Alio modo, quando advertit hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum: & tunc non excuſatur a peccato mortali; ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta ſe ſedentem.*

(f) S. Th. 2. 2. q. 3. art. 2. ad 3.

Ut in caſu propoſito recte intelligatur doctrina ſancti Doctoris, obſervandum, blaſphemiam indeliberatam a duabus cauſſis procedere poſſe: prima eſt, ſubita paſſio, qua omnis tollitur advertentiæ locus ad verborum ſignificationem quæ proferuntur; & in hoc ſenſu aſſerit Angelicus Doctor verba illa non eſſe peccata, quia *non habent propriæ rationem blaſphemiæ*. Secunda cauſſa blaſphemiæ indeliberatæ eſt pravus contumelioſa in Deum verba proferendi habitus: atque ut de peccato blaſphemi rectum in hoc caſu feratur judicium, duplex eſt ejus ſtatus diſtinguendus: nam ſi actu de præteritis blaſphemiis ſincere pœniteat, ac pravum emendare habitum, ejuſque vitia caſtigare totis viribus contendat; tunc juxta de cauſſa credi poteſt, eum in hoc caſu a peccato, ſaltem mortali, excuſari poſſe; quia blaſphemum verbum etiam ex ore actu pœnitentis inconſiderate exire poteſt. At vero, ſi præteritarum blaſphemiarum eum non pœniteat, aut ſaltem mediocri earum dolore contentus, ad emendationem ſui pravi habitus totis viribus non incumbat; tunc a peccato mortali vindicari non poſſunt blaſphema ejus verba; quia, licet in ſe ſint involuntaria, ſunt tamen voluntaria in ſua cauſſa, hoc eſt, in habitu qui voluntarius eſt; ubi eum eradicare peccans non conatur. Id docet Angelicus Doctor *(g)* his verbis: *Aliquid poteſt eſſe voluntarium, vel ſecundum ſe, ſicut quando voluntas directe in ipſam fertur; vel ſecundum ſuam cauſſam, quando voluntas fertur in cauſſam, & non in effectum*. Quam rem hoc exemplo confirmat S. Doctor: *Ut patet in eo qui inebriatur; ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur: quod per ebrietatem committit.*

(g) Idem 1. 2. q. 77. art. 7. in corp.

Ex dictis itaque colligendum, quod ſi Hermocrates blaſphemias proferre aſſuetus, horrendum hunc habitum eradicare non ſerio contendat, tot admittit mortalia, quod profert blaſphema verba: at ſi pravam hanc conſuetudinem in melius emendare laboret; ex indeliberatis blaſphemiis prolatis; non ſit reus peccati, ſaltem mortalis.

CALIX

CALIX SACER.

DICITUR hoc nomine vas ſacrum in quo Sacerdos in Altaris ſacrificio vinum conſecrat.

Ab initio lignei Calices fuere in uſu, ut notat S. Thomas (*a*), qui, ut id aſſerat, Canonem laudat a Concilio Triburienſi (*b*) depromrum, quem refert Gratianus (*c*): addit S. Doctor: a Zephirino Papa fuiſſe ſtatutum, ut vitrei adhiberentur Calices (*d*); ac tandem ab Urbano argentei: in neceſſitate tamen ſtanneorum licitus eſt uſus (*e*) qui diutiſſime viguit: cum & ipſi in adoleſcentia noſtra hunc uſum ſatis communem in Parœciis viderimus. Nunc vero, cum major eſt argenti copia, prohibitus eſt ſtanneorum Calicum uſus, niſi ob nimiam paupertatem, & concedente Epiſcopo, ſed omnes aurei debent eſſe, vel argentei.

(*a*) S. Th. 3. p. q. 83. a. 2. 3. ad 6.

(*b*) An. 895.

(*c*) Conc. Tribur. in Can. *Vaſa*. 44. de conſecr. diſt. 2.

(*d*) Cit Can.

(*e*) Conc. Rhemenſ. an. 813. in Can. *Ut Calix*. 55. diſt. cit.

Calix conſecrari debet ab Epiſcopo, qui in hac conſecratione uti debet ſacro Chriſmate, ut conſtituit Innocentius III. (*f*) ſancti Silveſtri nixus exemplo: quam conſecrationem peragere poteſt, ſi lubet, feria, ut quolibet alio die.

(*f*) Innoc. III. c. *Cum venis ſet*. unic. de Sacra unct. L. I. tit. 13.

Conſecrationem non amittit Calix, *niſi perdat formam principalem*, ut loquitur Fumus (*g*): hoc eſt, cum adeo fractus, ut eo jam uti non liceat, *qui deſtructa forma, jam non eſt Calix*, inquit Silveſter (*h*), aut mutatur ejus ſuperficies, ut ſi Calix argenteus deauretur, ut vult Paludanus.

(*g*) Bartholom. Fumus. V. *Calix*. n. 2.

(*h*) Silveſt. V. *Calix*. q. 2.

CASUS PRIMUS.

FIRMINUS, a paucis diebus de Parœcia proviſus, poteſt ne uti ad celebrandum ſtanneo Calice, qui ſolus ob Eccleſiæ ſuæ paupertatem ſuppetit?

RESPONS.

Calicem hunc ad ſacrificium adhibere poteſt Parochus ille abſque peccato; modo in Diœceſi ſua non ſit contraria conſtitutio. *Unuſquiſque Sacerdos*, inquit Innocentius IV. in Bulla ſua 26. Mart. an. 1254. (*i*) *in aureo, vel argenteo ſolum, aut ſaltem ſtanneo calice ſacrificet*. Primis quidem Eccleſiæ temporibus vaſa ſacra erant lignea, aut vitrea, ut teſtantur S. Hieronymus, Walafridus Strabo, Gratianus & alii multi (*k*). Sed a multis ſæculis obſolevit eorum uſus ille: & aurei calices, vel argentei, aut ſaltem ſtannei adhiberi ſolent, non ſolum a Bulla Innocentii IV. ad inſtructionem Epiſcoporum ſeu Græcorum, ſeu Latinorum Inſulæ Cypriæ data, ſed etiam a prohibitione Concili Rhemenſis his verbis (*l*): *Ut calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat, ... ſi quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum Calicem habeat. De ære aut ex auricbalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo Calice præſumat Miſſam cantare*.

(*i*) Innoc. IV. in Bulla *Sub catholica*. §. 3 in Bullar. tom. I. p. 126.

(*k*) S. Hieron. Epiſt. IV. Walafr. Strabo de rebus Eccl. c. 24. Gratianus ex Conc. Tribur. an. 895. c. 18. in Can. *Vaſa*. 44. de conſecrat. diſt. 2. diſp. L. I. de Euchar. adorat. c. 8.

(*l*) Concil. Rhem. c. 6. in Can. *Ut Calix*. 45. de conſecrat. diſt. 1.

CASUS II.

ÆMILIUS, Sacerdos, inauratum de novo calicem ſuum a conſecratione non excidiſſe contendit, quod auratura Calicis capedunculæ ſeu cyatho nullum damnum, immo potius ornamentum, mutato tantum ejus colore attulerit. Numquid pro eo ſtat ratio, atque Calix ille nova indiget conſecratione?

RESPONS.

Calix Æmilii ex additione auraturæ conſecrationem ſuam amiſit, qua proinde de novo indiget ad uſum. Deciſionis hujus iſtam ex Joanne de Anania rationem profert S. Antoninus (*m*): *Item ſecundum Archidiaconum*, inquit S. Archiepiſcopus, *ſi calix argenteus conſecratus deauretur poſtea, quia aliam ſuperficiem habet, & conſecratio fit in ſuperficie, indiget conſecratione*.

(*m*) S. Anton. 3. p. ſum. Theolog. tit. 13. c. 6. §. 5.

Sancto Antonino aſſentitur Sylvius: *Si Calix conſecratus deauretur*, inquit hic Theologus (*n*), *indiget nova conſecratione... quia etſi idem Calix ſecundum rem, non eſt tamen idem ſecundum uſum ſacrum*. Quod probat ex allata ſuperius ratione: *Cum enim chriſmatica unctio adhibeatur calici intrinſecus*, ſubjungit, *ejus conſecratio conſiſtit in ſuperficie interiori: nova autem deauratio interior facit novam ſuperficiem, quæ ſpeciem ſanguinis debet immediate continere ..... idemque judicium eſt de patena, ſi poſt conſecrationem deauretur*.

(*n*) Sylvius in 3. p. Sum. S. Th. q. 83. a. 3. quæſito 6. poſt. med.

CASUS III.

POSTULAT Innocentius, Sacerdos, utrum calix quem de novo inauratum ad Sacrificium adhibuit, exiſtimans eum a conſecratione ſua non excidiſſe, nova indigeat conſecratione; an vero ex ipſo uſu conſecratus cenſeri debeat?

RESPONS.

Exiſtimamus, Innocentii Calicem habendum eſſe conſecratum ea immediato Sanguinis Chriſti contactu, ac proinde iterata non indigere conſecratione. Deciſionem hanc adſtruit S. Auguſtinus his verbis (*o*): *Nos pleraque inſtrumenta, & vaſa ex hujuſmodi materia vel metallo habemus in uſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata, Sancta dicuntur in ejus honorem, cui pro ſalute noſtra inde ſervitur* (*p*).

(*o*) S. Aug. Enar. in Pſal. CXIII. ſerm. 2. n. 6.

(*p*) De Sainte Beuve tom. II. caſ. 78.

CASUS IV.

NUMQUID in eo peccavit Diomedes, ubi ſcrupulus ipſi injectus eſt, quod ſacra fecerit cum calice, cujus cyathus a pede in modum cochleæ confícto fuerat ſejunctus, nec tamen calia poſt ſeparationem iterum fuerat conſecratus?

RESPONS.

S. Antoninus (*q*) refert, ſenſiſſe Paludanum, talem calicem amittere ſuam conſecrationem: *Si autem ſcyphus calicis a pede ex toto ſeparatus eſt, licet fractus non ſit, ut puta quia junctura tornatilis, conſecratione indiget*. Hæc Petrus de Palude. Idem ſentiunt Gavantus, Silveſter de Prierio & alii nonnulli.

(*q*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 13. c. 6. §. 5.

Attamen, quia ea uſu, etiam ab Epiſcopis tolerato, hodie adhibentur, non ſolum in externis miſſioni-

ſionibus, ſed in urbibus & provinciis hujuſmodi calices, quorum pes a ſcypho ſeparari poteſt, & re ipſa ſeparatus eſt; dicendum ex hoc uſu non novam requiri conſecrationem. Ita ſentit Auctor Moralis Diœceſis Gratianopolitanæ, *(a)* qui hujuſce rei hanc affert rationem, quod nulla Lege prohibeantur hujuſmodi Calices, aut eorum uſui derogetur, cum a pede cyathus fuit ſeparatus. Hæc eſt etiam Sylvii *(b)* poſt Fumum in Aurea Armilla, Axorium, Suarem, Barboſam alioſque permultos *(c)* ſententia: *Si tamen eſſet calix tornatilis*, inquit ille Theologus, *ita per artem factus, ut pes a cyatho poſſet ſeparari, dicendum eſt, quod per ſeparationem non perderet conſecrationem .... quia per ejuſmodi ſeparationem non diceretur calix frangi, vel ſcindi.* Unde colligimus, Diomedem in caſu propoſito, ad uſum calicem ſuum abſque peccato adhibere potuiſſe, nec per ſeparationem pedis a cyatho, abſque fractione ſcilicet factam, iterata indigere conſecratione.

Vide SIMONIA, Caſu Euſtratius.

(a) De Genet. Theol. Mor. tom. 3. tract. 5. cap. 7. de 8.

(b) Franc. Sylvius in 3. p. S. Th. q. 83. a. 3. quæſt. 6.

(c) Barthol. Fumus in *Armilla*. Et Emman. Sa. v. *Calix*. Joan. Azor. Inſt. Moral. c. 25. Suarez diſp. 81. Aug. Barboſa allegat. 27. n. 40. &c.

CALUMNIA.

CALUMNIA definiri poteſt, *falſa & malitioſa impoſitio criminis (d)*: *quod* (crimen) inquit Cajetanus, *non ſola pœnitentia abſolvitur; ſed oportet ſatisfacere offenſo proximo.* Quod verum eſt, ſubjungit S. Thomas (*e*), licet per errorem crimen illud admiſiſſet calumniator: quia *homo non debet ad accuſationem procedere, niſi de re omnino ſibi certa, in qua ignorantia facti locum non habet.*

(d) Cajetan, in Sum. v. *Calumnia*.

(e) S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2.

CASUS PRIMUS.

AGILIUS, falſo de homicidio ab inimico ſuo Arturo accuſatus, non alia ratione calumniam hanc, quam inſtructa ipſi alia calumnia, obtundere poteſt; numquid eam ſtruere poteſt, ſalva conſcientia, aut ſaltem abſque mortali peccato ob eamdem rationem, qua vi vim repellere licet ex jure naturæ.

RESPONS.

Certum eſt, Agilium a calumnia ſibi ab Arturo impoſita, ipſum calumniando, defendere ſe non poſſe. Cum enim ex ſe malum ſit calumnia, eam alia calumnia obterere non licet. *In cauſſa criminali*, inquit S. Thomas *(f)*, *juramentum de calumnia eſt præſtandum (g)*; *ut habetur, extra de Juramento calumniæ*, C. Inhærentes: *quod non eſſet, ſi calumnioſe ſe defendere liceret. Ergo non eſt licitum accuſata calumnioſe ſe defendere .... neque etiam aliquem dolum vel fraudem adhibere: quia fraus & dolus vim mendacii habent, & hoc eſt ſe calumnioſe defendere.*

(f) S. Th. 2. 2. q. 69. art. 2. in arg. Sed contra, & in corp.

(g) *Evitanda, ſeu non dicendo*, inquit Sylvius ibid.

Ratio qua probari poteſt, non eſſe licitum, calumniam calumnia repellere, deſumitur 1. Ex ipſo mandato Chriſti, quo non ſolum vindictam illatæ ab inimicis injuriæ prohibet, ſed potius ſic jubet *(h)*: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* 2. Ex eo, quod negativum eſt præceptum, quo prohibetur falſum teſtimonium, ac proinde obligans omni tempore atque circumſtantia, abſque ulla exceptione vel reſtrictione: ita ut cum Sapiente *(i)* vere ſemper dici poſſit. *Qui condemnat juſtum, abominabilis eſt apud Deum.* Unde vult Eccleſia, ut *Epiſcopus accuſatorem fratrum excommunicet*, inquit Concilium quartum Carthaginienſe (k) ſub Anaſtaſio papa. *De his qui falſo accuſant fratres ſuos, placuit eos uſque ad exitum non communicare*, inquit Arelatenſe Concilium primum *(l)*. Idem ſtatuit ſecundum ejuſdem nominis, iſto quod refert Gratianus, decreto *(m)*: *Eos, qui fratribus capitula objeciſſe convicti fuerint, placuit uſque ad exitum non communicare ... niſi digna ſatisfactione pœnituerint.* Non alio modo loquitur Matiſconenſe I. ſub Pelagio II. an. 581. *(n) De his vero*, inquit, *qui innocentes coram principe, aut judicibus accuſare convicti fuerint, ſi Clericus honoratior fuerit, ab officii ſui ordine degradetur; ſi vero ſæcularis, communione privetur.*

(h) Matth. V. 44.

(i) Proverb. XVIII. 15.

(k) Concil. Carthag. IV. Can. 55.

(l) Conc. Arel. I. Can. 14.

(m) Conc. Arelat. II. in Can. *Eos qui* 3. q. 10.

(n) Conc. Matiſcon. I. Can. 8.

Uno verbo, adeo certa & conſtans eſt hæc doctrina, ut alias ejus afferre probationes non ſit neceſſe. Verum abs re non erit, quorumdam hanc addere propoſitionem Caſuiſtarum: *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat: & ſi non ſit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologia.* Doctrinam hanc, petentibus Belgii Epiſcopis, cenſura ſequenti anno 1637. notavit inclyta Lovanienſis Univerſitas: *Ne umbram quidem præfert probabilitatis, ſed cumulum complet temeritatis ſpatioſam calumniatoribus portam aperiens* (o). Anno ſequenti propoſitionem eamdem condemnavit Facultas Theologiæ Pariſienſis in libro inſcripto: *Apologia pro Caſuiſtis*, cujus Auctor eam probabilem affirmabat; eamque declaravit *falſam, ſcandaloſam & periculoſam*. 3. Septembris inſequentis eamdem his terminis notavit RR. DD. de Gondrin Senonenſis Archiepiſcopus. *Dicaſtilli doctrina quam hic ſcriptor probabilem aſſerit ſpeculative, apud judices etiam in praxi, ſemper & ubique eſt falſa, ſcandaloſa, erronea, Dei verbo ac Decalogi præceptis certiſſime repugnans.* Denique Cadurcenſis Epiſcopi 20. Decembris eamdem propoſitionem damnantis exemplum ſecuti ſunt alii plerique Galliæ Epiſcopi, quorum cenſuras confirmavit Innocentius XI. 2. Martii an. 1679. damnata hac propoſitione quadrageſima tertia inter ſexaginta quinque, quas cenſura notavit: *Quid non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam, ſibi noxiam falſa crimine elidere?*

(o) Colloq. Lacon. tom. 2. Colloq. 49. q. 2.

CASUS II.

ALDRICUS, vindictam in Parochum ſuum meditans, falſo ipſum crimine inſimulavit, atque ob eam rem apud Notarium, nomine Mariæ, libellum querelarum compoſuit, quo de revelata confeſſione Mariæ accuſabatur Parochus: quæ apud Notarium vocata, querelam hanc negavit: at Notarius cum Aldrico conſentiens, libellum tamen querelarum nomine Mariæ formavit; cui ſubſcripſere duo teſtes falſi, ac pecunia conflati. Aliquanto poſt Aldricus ad fatendam querelam nomine ſuo factam, pro ducentis libris Mariam pellexit; quo facto ad diverſa tribunalia capitaliter delatus eſt Parochus, cui infenſus loci dominus fuit, aperte falſis illis accuſatoribus favendo. Denique Maria ab Officiali 200. libris eleemoſynarum pro vicino Xenodochio damnata eſt, ſimulque Parochum innoxium de accuſatione falſo allegata in libello, coram tribus ejus amicis in Curia Officialitatis confiteri, cujus confeſſionis publicum inſtrumentum, ex altari Miſſæ Parœcialis coram populo legendum Parochus haberet, & omnibus litis impenſis. Denique Judex capitalis, apud quem res pariter delata fuerat, Mariam quoque mulcta honoraria, omnibuſque litis ſumtibus damnavit. Verum Aldrici, atque domini loci favori confidens Maria, ab utraque ſententia appellavit. En factum.

Qua de re quæritur. 1. Utrum Maria tuta conſcientia a duobus ſententiis appellare potuerit; an vero iis aſſentiri debuerit. 2. Utrum defectu Mariæ quæ omnibus fortunæ bonis deſtituta eſt, ad omnes Parochi impenſas & adſcriptos ipſi litis ſumtus teneantur Aldricus, Notarius, teſtes ſubornati & ipſe loci dominus.

RESPONS.

Dicimus 1. Mariam abſque peccato a duabus hiſce ſententiis provocare non potuiſſe, quæ videlicet, ſup-

ſuppoſita Parochi innocentia, ſunt æquiſſimæ. *Cum appellationis remedium*, ut docet Innocentius III. in quadam Conſtitutione in Lateranenſi Concilio œcumenico facta, *non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum* (*a*), ſeu in Civili, ſeu in Canonica Juriſprudentia. Quod idem docet S. Bernardus his verbis (*b*): *Iniqua autem omnis appellatio, ad quam juſtitiæ inopia non cogit*, ait S. Doctor: *appellare, non ut graves; ſed ut non graveris, licet ... qui igitur non gravatus appellat, liquet, quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non eſt autem ſuffugium appellatio, ſed refugium*. Atqui Maria de duabus ſententiis in ſe latis conqueri non poteſt: quippe quæ de Parochi innocentia erat convicta, ipſique iniquitatam ſuo nomine falſam accuſationem, ſola ſpe 200. librarum allecta diffiteri noluit.

(*a*) Innoc. III. in Cap. *Cum ſpeciali*, 67. de appellationibus recuſatis & relationibus l. 2. tit. 28.

(*b*) S. Bern. l. 3. de conſiderat. c. 2.

2. Si Maria omni re familiari ſit deſtituta, ac proinde impenſas ſuas ac damna ſibi illata, ab ea repetere non poſſit Parochus? ad eorum reſtitutionem in ſolidum tenentur notarius, duo falſi teſtes, & ipſe loci dominus, conſcii nimirum, & participes calumniæ ab Aldrico in Parochum innoxium confictæ. Aliter a participatione Sacramentorum arceri debent, cum inſuper debitam coram Deo & Parocho, & populo ſatisfactionem reddere teneantur. Parem difficultatem ob allatas rationes ſic ſolvit Doctor Sorbonicus 16. Martii an. 1670. (*c*).

(*c*) De Sainte Beuve, tom. 2. Caſ. 272.

CASUS III.

Gondolphus, in Occitania oppiduli Judex Regius, ſe ipſum abſque cauſſa diffamavit, grave crimen, non commiſſum a ſe, confitens, cujus tamen erat valde ſuſpectus. Numquid id ipſum præſtare potuit abſque peccato mortali in caritatem & juſtitiam; & tenetur ne coram Deo illatam ſibi injuriam, atque infamiam reparare; præcipue ſi iſta confeſſione, ab avunculo ſuo & benefactore ſuo, vero illius criminis auctore, illud in ſe convertere voluit?

RESPONS.

Id ſtatim pro certo & inconcuſſo habendum principio; quod nimirum, ut Deo conſcientiæ noſtræ, ſic proximo famæ noſtræ integritatem debemus. Unde ſequitur 1. non adeo penes nos eſſe famam noſtram, ut eam ad libitum profundere, & ſine cauſſa legitima amittere valeamus. 2. Amiſſione ſpontanea famæ noſtræ violari caritatem & juſtitiam; ac proinde nos lethalis culpæ fieri reos, ubi de re gravi agitur. 3. Nos neceſſaria conſecutione teneri ad reparandam illatam nobis injuriam; crimen falſo nobis impoſitum diffitendo, omnique ratione quam ſuggerere poteſt chriſtiana prudentia, utendo, ut id ipſum perficiatur. Juxta principium illud ſe gerere debet Gondulphus in caſu propoſito.

Hanc deciſionem firmat S. Auguſtini auctoritas dicentis (*d*): *Quiſquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi bene facit. Quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt: nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra; aliis fama noſtra*. Et alibi (*e*): *Propter nos*, inquit, *conſcientia noſtra ſufficit nobis: propter vos fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque diſtinguite. Duæ res ſunt conſcientia, & fama. Conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt*. Hinc Sapiens (*f*): *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi*. Et Chriſtus ipſe in Evangelio ſuo ita diſcipulis ſuis imperat (*g*): *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*.

(*d*) S. Aug. l. de bono viduit. c. 22. ſeu n. 27. in Can. *Non ſunt*, 56. 11. q. 3.

(*e*) Idem in Can. *Nolo*. 12. 12. q. 1.

(*f*) Eccli. 41. 15.

(*g*) Matth. V. 6.

Objici poteſt, quemlibet bonorum ſuorum legitimum habere dominium, de quibus pro arbitrio poteſt diſponere, ac proinde de fama ſua. Sed vix reſponſionem meretur hæc objectio; nam, præterquam quod falſa eſt paritas, ut modo ex verbis Auguſtini oſtendimus aſſerentis nos famam noſtram proximo debere, quam abſque crudelitatis nota abjicere non poſſumus: nihil ex ea tamen effici poteſt, quod aſſertam a nobis veritatem infirmet: quia, licet privatus rerum ſuarum dominium habeat, iis tamen abuti nequit: ut igitur bona, quantumvis ſua, diſſipare nequit nimia prodigalitate Gondulphus: ſic famam, cujus ultro ipſi tribueretur dominium, voluntarie & abſque cauſſa abjicere non poſſet, ſe ipſum ficto crimine infamando ac pernicioſo mendacio.

Præclaro nobis exemplo oſtendit S. Hieronymus, Chriſtiano potius mortem eſſe ſubeundam, quam tale proferendum mendacium. Nota eſt enim, quam refert, hiſtoria de muliere, quæ a viro ſuo de adulterio falſo inſimulata, crudelem ſubire necem Vercellis Pedemontii urbe maluit, quam turpiter ſe ipſam infamare ficti criminis confeſſione, quæque oculos ad cælum intendens exclamavit (*h*): *Tu teſtis es, Domine Jeſu, cui occultum nihil eſt, qui es ſcrutator renis & cordis, non ideo me negare velle; ne peream: ſed ideo mentiri nolle; ne peccem... cupio mori. Cupio inviſum hoc corpus exuere, ſed non quaſi adultera. Præſto jugulum; Micantem intrepida excipio mucronem: innocentiam tamen mecum feram: non moritur quiſquis victurus occiditur*.

(*h*) S. Hier. Epiſt. 49. ad Innocent.

Colligimus itaque, quod, cum oppidi Judex Regius ſit Gondulphus, & ſit perſona publica, ſe ipſum niſi in juſtitiam & caritatem mortaliter peccando, voluntarie eo conſilio infamare non potuit, ut integram avunculo ſuo famam ſervaret.

Idem a fortiori de homine privato dicendum, qui capitalis culpæ confeſſione, vitæ ſe aut corporis mutilationis periculo committeret; aut qui ſe ipſum infamans, in alterum infamiam ſuam converteret; aut tandem qui apud omnes honore deſtitutus, neceſſariis officii ſui muneribus erga proximum defungi non poſſet: in his enim omnibus caſibus fieret reus culpæ lethalis.

CAMPSOR.

CAMPSOR, ſeu Collybiſta, proprie loquendo, ille eſt, qui præſentem pecuniam cum alia præſenti pecunia, ſed diverſæ ſpeciei permutat cum legitimo lucro: hoc eſt, lucro, quod vi juſti tituli percipit, & *Cambium reale* dicitur, ut ab eo ſecernatur, quod *ſiccum* nominant, & quo injuſtum percipitur lucrum ob defectum legitimi tituli: quod explicatur ſimul, & damnatur ex Bulla inferius laudanda.

Duplex denuo diſtinguitur Cambii genus; ſcilicet Cambium *minutum*, & Cambium *locale*, quod ad nummularios pertinet.

Cambium *minutum* a Theologis definitur (*i*): *De manu ad manum permutatio pecuniarum diverſæ rationis*, ut argenteæ pro aurea, æreæ pro argentea, interdictæ in commercio pecuniæ pro publica, aureæ aut argenteæ pecuniæ externæ pro patria & communi, aut denique argenti levis pro argento legitimi ponderis.

(*i*) Pelman. Brev. Theol. part. 2. 2. n. 350.

Cambium *locale* quod exercent nummularii, definitur: *Permutatio pecu-*

nia

Google

niæ præſentis pro abſente, mediante Campſoris ſyngrapha; ſcilicet, cum nummulario præſens numeratur pecuniæ ſumma alio loco ex ejus ſyngrapha ſolvenda: Vide verbum *Nummularius*.

Cum Campſoris commercium pro conſcientia ſit periculoſum ob fraudes atqne aſtutias quæ in eo contra juſtitiam committi poſſunt, jnvat eas ſcire conditiones, quæ in Cambio debent obſervari, quæ in Bulla S. Pii V. ea de re 18. Januarii an. 1571. data (*a*) continentur.

(a) S. Pius V. in Bulla. *In eam*. 118.

Franciſcus I. ex Conſtitutlone ſua an. 1540 Campſoribus prohibet ſub pœna corporea, ne aurificibus nummos forfice reciſos & adulterinos vendant, neve cum iis ſocietatem poſſint inire. Nemo tandem in Gallia Cambinm exercere poteſt, niſi de titulo ſit proviſus ad illud exercendum.

CASUS PRIMUS.

MAXIMUS, ex officio Campſor, pro monetæ Cambio aliquod ſibi lucrum retinet, V. g. viator ad ipſum 1000. libras pecuniæ argenteæ, sut æreæ defert in auream permutandas, quas re ipſa permutat Maximinus, unum aut alterum aſſem pro quolibet aureo ſibi retinens: vel etiam Architectus pro ſolvenda mercede lapidariorum, aliorumve artificum qualibet hebdomada centum aureos permutat in monetam, quam numerat, dimidium aſſis vel integrum aſſem pro quolibet nummo ſibi ſervans: Nonne in foro conſcientiæ licitum eſt illud commercium?

R a s p o n s.

Cambium illud, quod *minutum* Cambium dicitur, eſt licitum ea triplici ratione: 1. Ob laborem numerandi pecuniam datam, aut acceptam: 2. Ob locationem domus ad Cambium neceſſariæ, famulorumque ſibi miniſtrantium numerum: 3. Denique ob indemnitatem legitimam, quam repetere poſſunt, ratione utilitatis aut commoditatis pecuniæ, quam numerant, V. gr. aureos pro nummis argenteis, aut nummos argenteos pro moneta ærea; ut patet in duobus eaemplis allatis.

Id docet S. Antoninus (*b*): *Illud ergo, quod plus recipit Campſor*, inquit, *non recipit ratione mutui, quia ibi non eſt mutuum: nec quia pecunia vendatur, quia eſt invendibilis, ut dicit Archidiaconus, ſed ratione laboris quem ſubit in numerando pecuniam, & expenſarum quas facit pro penſione & miniſtris. Ratio enim laboris, & expenſarum habenda eſt. extra de voto c.* Magnæ. Unde de ſe tale Cambium eſt licitum.

(b) S. Anton. 3. part. Sum. Theolog. tit. 8. c. 3. init.

At neceſſe eſt, ut Campſoris lucrum ſit modicum: alioqui, ſi excederet, foret injuſtum & uſurarium. Modicum autem eſt hujuſmodi lucrum: cum id tantum ſibi Campſor retinet, quod Principis edicto ſancitur, aut generali conſuetudine, ſi publica deſit auctoritas, comprobatur: *Sed ſit illicitum*, ſubjungit S. Antoninus, *vel quia plus accipiunt communiter, quam conſuetum*. Sic autem Campſorum jura ex Edicto ſuo apud Fontem Bellaqueum 3. Martii an. 1534. ordinavit Henricus II. (*c*): *Si aurum dent pro moneta, poterunt pro quatuor denariis Turonenſibus in nummum quemlibet; pariter ſi pro auro monetam numerent, poterunt retinere quatuor denarios Turonenſes in quemlibet nummum*. Quod conforme eſt conſtitutioni præcedenti Franciſci I. Bleſis latæ 19. Martii an. 1540. (*d*) pro ſtatuenda mercede hujuſmodi Campſorum pro Cambio variarum monetarum. Si ergo ſtatutam modo regulam ſequatur Maximinus; aliquid ſibi lucrum abſque injuſtitia retinere poteſt.

(c) Edictum Henrici II. art. 57. Fontanon. Tom. 2. pag. 252.

(d) Fontanon. Tom. 2. pag. 223.

CASUS II.

VICTORINUS, Mercator, cognoſcens Maximinum ex officio Campſorem ex eo commercio magnos quæſtus percipere, idem ipſe commercium ſuſcepit; pro Cambio tamen pecuniarum, non aliam niſi quam jure non poſſunt Campſores mercedem exigens: Nonne tuta conſcientia id ipſum præſtare poteſt?

R e s p o n s.

Mercator ille licite commercium illud exercere poteſt, modo in ea ſit regione, ubi a Principe non prohibitum, & juſtam tantum ex conſuetudine, & proborum ea de re ſufficienter inſtructorum judicio mercedem eaigat: at ſi in ea ſit regione, ubi ſolis ex officio Campſoribus commercium illud fuerit conceſſum, aliis quibuſcumque excluſis, illud licite exercere non poteſt, licet pro Cambio conceſſam ex conſtitutionibus mercedem ſolum accidiat: tunc enim Principis Edicto contradiceret, quod eo æquius eſt, quod ſi privatus quilibet idem exercere poſſet commercium, grave inde damnum Campſoribus immineret. Si igitur in Gallia maneat Victorinus, illud exercere non poteſt, quod ex Regum Edictis ſit prohibitum. 1. Ex relata ſuperius Franciſci I. conſtitutione (*e*), quæ ſic habet: *Juxta conſtitutiones noſtras antiquas prohibemus Cambium exercere, ac monetas permutare, abſque litteris noſtris ad præfectos rei noſtræ ærariæ adſcriptis, & ab ipſis verificatis ſub pœna multæ arbitrariæ* (*f*). Eamdem privatis defenſionem conſtituit Edicto ſuo Octobris an. 1555. Henricus I. non ſolum ſub pœna multæ arbitrariæ, ſed & pœnæ corporeæ: ut videre eſt apud Fontanon (*g*). Quod tandem multis aliis poſterioribus Edictis pariter conſtitutum fuit.

(e) Conſtit. Franciſci I. art. 6.

(f) Fontanon. Tom. 2. pag. 124.

(g) Fontanon. Tom. 2. pag. 154.

Vide U s u r a.

C A N O N I C Æ.

CANONICÆ dicuntur puellæ quædam, quæ Canonicorum more divinum in Choro Officium peragunt, & ex iis aliæ ſunt Regulares, aliæ Sæculares.

Canonicæ Regulares ſunt vere Religioſæ, quæ ſolemni profeſſione tria Religionis vota emittunt; quales ſunt hodierna die, quæ Regulam S. Auguſtini ſequuntur. De utriſque ſit mentio in Capitularibus Caroli Magni, ut notat Bouchel (*h*) in ſua Bibliotheca Juris Gallici.

(h) Bouchel. pag. 486.

Canonicæ quas Sæculares dicimus, nec vota nec Religionis profeſſionem emittunt; ad clauſuram non tenentur, & poſſunt nubere: cum earum inſtitutum, tamquam Religioſum, a Concilio Viennenſi (*i*) aut a quocumque alio non fuerit approbatum. Sunt nonnullæ apud Romorici montem in Lotharingia, & quædam in Belgio, in Gallia vero nullæ.

(i) Cap. *Indemnitatibus*. §. ſupra de elect. in 6. Element. 1. de Religioſis domibus. Clem. II. de Statu Monach.

CASUS

CASUS PRIMUS.

NOnne fallitur Ernastina, ſæcularis Canonica Abbatiæ S. Anaſtaſiæ ; quæ Abbatiſſæ ſuæ non magis obedientiam præſtare, quam Canonicus ſui capituli Decano ſe teneri contendit, quod ad eam ex voto non obligetur?

RESPONS.

Certum eſt, Erueſtinam Abbatiſſæ ſuæ, æquam non poſſe denegare obedientiam abſque peccato. Id probat Honorii III. (a) Decretalis; qua conſtat, talem inobedientiam non levem eſſe cenſendam: cum enim Abbatiſſa ſimilis de pari Canonicarum ſuarum, nec non Clericorum quorumdam, qui ſuæ ſubjacebant juriſdictioni, inobedientia apud hunc Papam conqueſta eſſet; hoc ab eo mandatum accepit Abbas quidam Diœceſis Halberſtadienſis in Germania: *Mandamus*, inquit hic ſummus Pontifex, *quatenus dictas Canonicas & Clericos, ut Abbatiſſæ præfatæ obedientiam & reverentiam impendentes, ejus ſalubria monita & mandata obſervent, eccleſiaſtica cenſura compellas.*

(a) Honor. III. in C. *Dilecta*. 12. *De majoritate & obedient*. L. 1. tit. 33.

Neque ſatis idonea eſt, quam inobedientiæ ſuæ prætendit hæc Canonica, ratio; quod ad obedientiam ſcilicet ex voto non adſtringatur: alioquin ex ipſius ratiocinio nec filius patri, nec ſervus hero, nec ſubditus principi, nec privatus magiſtratui, aut quilibet alius inferior legitimo ſuo ſuperiori debitam ipſis poſſent non præſtare obedientiam, ad quam ex voto non tenentur; & quam tamen denegare iis non poſſunt, niſi ordinem ſacratiſſimum violando, leges ſanctiſſimas infringendo, atque perturbationibus ſtatus omnes ſubjiciendo contra Apoſtoli præceptum quo ſtatuitur, ut quilibet ſuo ſuperiori fideliter obtemperet; ut ex his adeo manifeſtis Scripturæ ſacræ teſtimoniis conſtat: *Filii obedite parentibus veſtris in domino: hoc enim juſtum eſt* (b). *Filii, obedite parentibus veſtris per omnia* (c). *Servi, obedite dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum* (d). Et iterum: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto ..., cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino* (e). *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi a Deo.... qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et paullo poſt: *Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam* (f). *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis* (g). Ex quibus teſtimoniis clare liquet, non ſolo obedientiæ voto, ſed omni legitimo ſuperioritatis titulo inferiores obligari non ſolum ad reverentiam, ſed juſtam quoque obedientiam præſtandam ſuperioribus, quos ſibi divina præpoſuit providentia.

(b) Epheſ. 6. 1.

(c) Coloſſ. 3. 20.

(d) Coloſſ. 3. 20.

(e) Epheſ. 6. 5. & 7.

(f) Rom. XIII. 1. 2. & 5.

(g) Hebr. XIII. 17.

Manca eſt etiam Erneſtinæ comparatio; dum ait, ſe non magis ad obedientiam Abbatiſſæ ſuæ præſtandam, quam Canonicus Decano ſuo, teneri: neque enim capituli Decanus, cujuſque Canonici eſt ſuperior ut Abbatiſſa cujuslibet Canonicæ: At ſoli capitulo obedientiam præſtare tenetur Canonicus; cum Abbatiſſa ſit ſuperior immediata omnium Communitatis ſuæ puellarum, & cujuſlibet ſpeciatim; cui proinde quælibet privata Canonica ſub peccato tenetur obedire in iis omnibus, quæ juſta ſunt & rationi convenientia.

CASUS II.

Hortensia, S. Petri Romoriet montis Canonica, cum pro nepte ſua Paullinam ſuam amicam ex more ſolito adoptaſſet, ut a capitulo admiſſa primo vacantem canonicatum obtinere poſſet; a patre Paullinæ 30. aureos abſque ullo præcedenti pacto aut inductione, ſed mere gratuito juxta antiquum morem re aliqua adoptantem Canonicam munerandi, accepit. Hortenſia tamen de accepto ex antiqua conſuetudine dono anxia, poſtulat utrum conſuetudo illa ſit licita, & nulli peccato obnoxia; & utrum acceptos 30. aureos legitime retinere poſſit?

RESPONS.

Certum quidem eſt, quod uſus quo ad communitatem admittuntur illæ Canonicæ, & qui ab earum fundatione hactenus obtinuit, in eo conſiſtit, quod Canonica pro nepte puellam, poſtquam neceſſarias nobilitatis ſuæ protulit probationes, adoptat; eamque ad capitulum admitti curat, ubi calanticam ſeu capitis tegumentum accipit; qua formalitate de Præbenda, ſi vacet, provideri poteſt illa puella quæ adoptione ſua nullum in Præbendam Canonicæ adoptantis jus acquirit, aut fructuum ejus partem nullam acquirit.

Uſus ille, vitio carens, non videtur damnandus: at probari non poteſt conſuetudo pecuniæ ſummam aut aliud donum Canonicæ adoptanti conferendi; quia uſus ille eſt ſimoniacus, ſimonia *circa Beneficium*. Quamvis enim pecunia illa, ſive donum pro ingreſſu Religionis non conferatur; cum puellæ illæ non ſint Religioſæ, ſed Canonicæ Seculares, quæ ſolita Religionis vota non emittunt, & quæ pro arbitrio nubere poſſunt, ut patet ex his Colonienſis Concilii ſub Paullo III. an. 1536. habiti (h): *Mores Canoniſſarum, quæ ſæculares ob id appellantur, quod perpetuæ caſtitatis, ac reliqua vota monaſtica non emittunt &c.* Et ex his Auguſtanæ Synodi an. 1548. verbis (i): *Canonicæ continentiæ ſtudium, nulla voti ſolemnitate obſtrictum ſectantes &c.* & denique ex gloſſa in Decretalem Honorii III. quæ de hiſce Canonicis loquens ſic habet (K): *Non dicit, Monachas; loquitur enim ſecundum conſuetudinem Teutonicorum, ubi ſunt Canoniſſæ ſæculares, quæ nullam faciunt profeſſionem, nec renuntiant propriis: immo quandoque contrahunt matrimonium.* Et quidem Canonicarum illarum inſtitutum eſt mere ſæculare, neque ut Religioſum approbatum eſt, uti declarat Clemens V. cum œcumenico Concilio Viennenſi præeſſet (l).

(h) Conc. Colon. part. 10. Can. 19.

(i) Synodus Auguſtana, Can. 12.

(k) Gloſſa in Cap. *Dilecta*. 12. de majoritate & obedientia v. *Canonica*.

(l) Clemens V. in Cap. *Attendentes*. 2. De ſtatu Monachorum §. *Illas*. & Clem. *Cum p.* de religioſis domibus. Lib. 3. tit. 10. & 11. &c.

Attamen uſus de quo agitur, veram ſimoniam aut ſpeciem ſimoniæ *circa Beneficium* continet; quia adoptans Canonica non accipit pecuniam, niſi, ut poſſidendi Beneficii jus transferat, cum veram Beneficii rationem habeant illæ Canonicarum præbendæ; quæ licet non Beneficia, ſed penſiones tantum ad inſtitutionem puellarum forent conſtitutæ; vitioſa nihilominus eſſet illa praxis & ſordidum commercium, fundatorum intentioni omnino contrarium.

Neque etiam a culpa Hortenſiam vindicat, quod additur, donum illud eſſe pure gratuitum, abſque ullo præcedenti pacto conceſſum: nam, cum ipſa fatente ab omni tempore obtineat conſuetudo donum faciendi; omnino præſumi poteſt, ipſius intentionem non eſſe mere gratuitam; & quamvis ex formali pacto nihil exegerit, eam tamen ſpe 30. aureorum fuiſſe adductam: unde ex tali conſuetudine evincitur, hanc adoptionem non eſſe gratuitam (m).

(m) De Ste. Beuve, tom. 2. Caſ 15.

CANONICUS.

EPISCOPI concilium primis Eccleſiæ ſæculis erant Sacerdotes in urbibus Epiſcopalibus, ut videre eſt apud ſanctum Ignatium Martyrem (n), qui eos aſſerit eſſe conſeſſus & inſtitutionem Apoſtolorum. Unde eos *Compreſbyteros* ſuos vocat Cyprianus, & ſanctus Ambroſius (o) aſſerit, Epiſcopum noſſe debere omnes Sacerdotes eſſe collegas ſuos; etſi ſedi Sacerdotum Superior ſit Cathedra Epiſcoporum.

(n) S. Ignat. Epiſt. ad Trallenſ.

(o) S. Ambr. Lib. de officiis.

Summi Pontifices Siricius, Felix, & Hilarius Sacerdotes, & Diaconos in rebus Eccleſiæ præcipuis collegerunt, ut refert Pater Thomaſſinus, loquens de Cathedralium capitulis.

Sanctus Auguſtinus ad communem vitam in domo epiſcopali Sacerdotes, & Diaconos congregavit; cujus exemplum ſecuti ſunt plerique Africæ Epiſcopi. Illi ipſi Sacerdotes & Diaconi pro miniſterio ſuo diſtributiones bonorum Eccleſiæ accipiebant: tumque primum *Canonici* dicti ſunt illi, qui eas recipiebant, eo quod in *Canone*, hoc eſt, in indice Eccleſiæ nomina ipſorum adſcriberentur, vitamque ipſi Canonibus conformem ducerent. Ipſis etiam fundos per vitam ſuam poſſidendos aſſignabat Epiſcopus, ut docet tertium Aurelianenſe Concilium (a). En Canonicorum & Præbendarum origo.

(a) III. Conc. Aurel. 17.

Edicit Concilium Vernonienſe an. 755. habitum, ut qui ſæcularia abdicant, in monaſterium Abbati, aut in epiſcopium ipſi Epiſcopo ſubjecti ſe recipiant. Tertio Turonenſi Concilio anni 813. ſtatuitur, ut commune ſit eorum qui apud Epiſcopum vitam agunt, Refectorium & Dormitorium: quam diſciplinam uno Capitulari ſtatuit cuſtodiri Carolus Magnus. Hinc ortum eſt diſcrimen inter Canonicos Regulares & Sæculares. Poſtea, hoc eſt, ad medium ſæculum decimum Canonici qui monaſticam vitam amplecti noluerunt, privatam vitam domumque tenere, ac proprios reditus ſeparatim, uti etiam nunc fit, percipere voluerunt.

Canonici Regulares ſunt veri Religioſi, qui vitam ſequuntur communem in eodem monaſterio, ut ceteri Monachi: quales ſunt Canonici Ordinis Sancti Auguſtini. In Gallia etiamnum ſeptem ſunt Eccleſiæ Cathedrales, quorum Canonici ſunt Regulares, uti olim erant apud ſanctum Joannem Hieroſolymis, & nunc ſunt Romæ apud ſanctum Joannem Lateranenſem (b).

(b) D. Bellon. v. Canonicus. n. 119.

Canonicus ergo nunc dicitur is, qui Canonicatum obtinet, præbendamque huic affixam percipit.

Canonici Sæculares verſantur, vel in Eccleſiis Cathedralibus, vel in Eccleſiis quæ *Collegiatæ* dicuntur: primæ a Chopino (c) dicuntur *Senatus Epiſcopalis*; quo nomine etiam dicuntur a Concilio Tridentino, quod Epiſcopos invitat, ut nihil, niſi de eorum conſilio agant.

(c) Chopin, Lib. 2. de Sacra Politia tit. 8. n. 18.

Utrique ex æquo tenentur, non ſolum recte in propriis Eccleſiis divinum Officium diſponere, ſed huic intereſſe, dum in Choro cantatur (d). (1)

Duplex ab his Canonicis redituum genus percipitur: alterum, quod Præbendam ſeu groſſos fructus vocant, quæ a reſidentibus percipitur, etſi horis Canonicis non ſemper ob legitimas cauſſas interſint. Alterum conſiſtit in diſtributionibus quibuſdam, quæ ſolis debentur præſentibus, niſi a Choro poſſint abeſſe legitime ex morbo, vel aliter.

(d) Concil. Baſil. c. 19. Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform.

Canonicus a Choro, non niſi tribus cujuſque anni menſibus abeſſe poteſt; & ſi aliqua ſtatuto vel conſuetudine accuratior exigatur reſidentia, ad eam tenentur. Capitula, quæ ex antiquis ſuis ſtatutis tres vacationis menſes excedere poſſe arbitrantur, tamquam abuſiva debent habere illa ſtatuta, licet Bullis Apoſtolicis confirmata: quocirca Canonici omnes qui abſque cauſſa legitima abſunt contra has regulas, præbendæ ſuæ reditibus pro rata temporis ſuæ abſentiæ mulctari debent (e) In ſequentibus deciſionibus afferentur cauſæ legitimæ, ex quibus licita eſt ab Officio Canonico abſentia.

(e) Bonif. VIII. in C. *Conſuetudinem*. de Clericis non reſident. in 6. Conc. Trid. Seſſ. 24. 12. de reform. Arreſtum Senatus Pariſienſ. 20. Maii an. 1669.

(2) Obſervandum, quod, ut divinum officium decenter fiat, nec nimio Beneficiatorum ex privilegio abſentium numero minuatur; ſtatutum eſt, ſex tantum poſſe abeſſe Canonicos in qualibet Eccleſia Cathedrali vel Collegiali, in qua ſunt 40. Canonici, aut plures: 4. in Eccleſiis, quorum Beneficia Rex confert; & 2. tantummodo in Eccleſiis, quarum præbendas Rex non confert. Sic conſtitutum eſt ex Arreſto Conſilii 19. Junii 1585. cujus tenorem refert D Hericurtius (f).

(f) D. de Hericourt. Leges Eccleſiaſt. Galliæ part. 3. cap. 7. n. 37.

Canonici, qui non ſunt in *Sacris conſtituti*, in Choro non occupant niſi inferiores ſedes; nec vocem in Capitulo habent: immo juxta Statuta quarumdam Eccleſiarum, uti Pariſienſis, ſedere nequeunt, niſi ad Subdiaconatum promoti, cum Acolythi ſtare debeant; & ſoli ad altiora ſubſellia ſedere poſſunt Diaconi (g).

(g) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 4. Item Conc. Avenionenſ. Item Conc. Moguntin. an. 1549.

Canonicus in aliis, in Choro aliiſve publicis cærimoniis prior ſedere nequit, niſi a die promotionis ſuæ ad ſacros Ordines; non vero a die obtenti Beneficii. At in Gallia, non cogitur Canonicus ad ſuſcipiendos Ordines ſacros, niſi ex Fundatione ſui Canonicatus, aut Capituli ſtatuto ad id teneatur (b).

(h) Arreſt. Senatus Pariſienſis 24. Jan. 1696. in Diario fori Tom. 4. l. 12. cap.

Ætas requiſita in Gallia ad obtinendum valide Eccleſiæ Cathedralis Canonica-

(1) Vid. *Menda Pentaſ.* Obſervat. I. num. II. ſecundo loco. (2) Vid. *Menda Pentaſ.* Obſervat. III. num. VI.

nonicatum eſt 14. annorum; uti Collegialis Eccleſiæ 10. annorum, in quo non admittitur uſus a Concilio Tridentino præſcriptus, quod ætatem 14. annorum ad quodlibet Beneficium obtinendum requirit: prævaluit nimirum uſus decima ſeptima Cancellariæ regula præſcriptus, excepto tamen ſanctiori conſilio, cui ſatis eſt ætas 10. annorum ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis (*a*).

Quædam ſunt Galliæ Capitula, in quibus Canonici nobili genere debent eſſe orti, ut in Capitulo S. Joannis Lugdunenſis; qui etiam in ſolemnitatibus ac cærimoniis mitram gerunt; ſed horum major eſt numerus in Germania (*b*).

Epiſcopus cum Regaliorum damno Præbendas ſupprimere aut unire nequit, niſi præmiſſa a Regio Procuratore *de commodo & incommodo* inquiſitione, ac ſine Diplomate Regio: nam ex his Tridentini verbis, *vocatis quorum intereſt*, ad hujuſmodi uniones aut ſuppreſſiones faciendas vocari debent ii, quorum intereſt: atqui Regis illud intereſt propter jus Regaliorum, quod commutari, deſtrui aut alterari nequit, ut judicatum eſt a Senatu Pariſienſi 7. Junii ann. 1624. (*c*) Epiſcopus quoque ex uſu noſtro Canonicum qui ſolitum excurrat numerum, creare non poteſt.

Præter Canonicos ſæculares, ſunt etiam Canonici *ad effectum*, ſic dicti, quod ad obtinendam dignitatem aut perſonatum in Eccleſia Cathedrali aut Collegiata, proviſiones de Canonicatu *ad effectum* a ſummo Pontifice obtineant. cum enim non niſi a Canonico poſſideri poſſint hujuſmodi dignitates, nec Papa ex judicio Conventus Bituricenſis (*d*) Canonicum excurrentem non poſſit creare; Papæ ex prædicto Conventu jus creandi Canonicatus illos *ad effectum*, eſt reſervatum, de quibus proviſi, ut alii Canonici, fiunt idonei ad obtinendas dignitates: quod jus ex Concordato ſibi quoque retinuit Papa. Hujuſmodi Canonicis nullus eſt præfixus reditus. Unde Pragmaticæ Gloſſa talem Canonicatum *jus ventoſum* appellat (*e*): & de hoc titulo proviſus ad alterius Beneficii impetrationem, de eo nullam tenetur facere mentionem, inquit Bellamera (*f*): neque hunc in aliud Beneficium permutare poteſt (*g*).

Canonicus *ad effectum* vocem, uti talis, non habet in Capitulo, neque actui capitulari intereſſe poteſt (*h*): uno verbo aliorum Canonicorum privilegiis non potitur (*i*).

(*a*) Vide Caſ. ultim.

(*b*) Definitio juris Canon. pag. 154.

(*c*) Diarium fori L. 1. c. 26.

(*d*) §. *Item conſuit*.

(*e*) Gloſſ. in Pragmat. it. de collat. §. cit. *Item conſuit*. v. *Numerus*.

(*f*) Bellamera conſilio 34.

(*g*) Gloſſ. in Extravag. 2. de Offic. delegati. v. *Jus ad rem*.

(*h*) Imola in Clement. fin. de Præbendis.

(*i*) Baldus in Leg. *Adminiſtrantes*. §. 2. ff. de excuſ. tutor. & Gloſſ. Prag. cit.

CASUS PRIMUS.

POSTULAT Gennadius, Canonicus, num Ludovico nepoti ſuo, decem tantum annos perfectos nato, Præbendam ſuam valido & licite, ſeu tuta conſcientia reſignare poſſit?

RESPONS.

Diſtinctione opus eſt: nam ſi Gennadius ſit Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, Præbendam ſuam nepoti, non niſi 14. annos perfectos nato reſignare poteſt: at ſi Collegiatæ ſit Canonicus, poteſt reſignare decem tantum annos nato: quod ita fuit conſtitutum ex Concordato inter Leonem X. & Franciſcum I. quodque obſervatur in Gallia contra Decretum Concilii Tridentini, ad quodlibet Beneficium ſive ſimplex, ſive curatum obtinendum 14. annorum ætatem requirentis; cum decem annorum ætatem ſeu ad ſimplex Beneficium ſeu ad Collegiatæ Eccleſiæ Canonicatum Papa exigat: ut ex eodem Concordato neceſſariam ad Epiſcopatum obtinendum ætatem 27. annorum tantum determinat; etſi Lateranenſe Concilium œcumenicum tertium (*K*), cui conforme eſt Tridentinum (*l*), 30. annorum ætatem poſtulaſſet (*m*).

Ad ſecundam vero quæſtionem factam de licitate hujuſce reſignationis, reſpondemus, quod cum ex Apoſtolo (*n*) multa liceant, quæ tamen non expediunt: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*: 1. Serio & accurate perpendere debet Gennadius, utrum coram Deo idem atque coram hominibus, præſtare poſſit. 2. Utrum puerulo illi Beneficium ex pravo carnis affectu reſignare uolit, qui nondum ejus onera poteſt explere; dum alium poſſet eligere, qui de eo ſemel proviſus, Eccleſiæ utiliter miniſtrare poſſet. 3. Utrum neceſſaria puer ille diſcretione polleat, ad dignoſcendas ſibi ex tali reſignatione impoſitas obligationes, & certa vocationis ad Eccleſiaſticum ſtatum, morum integritate & ad Clericalem ſtatum propenſione, indicia dederit. His autem coram Deo perpenſis rationibus, ſecluſoque omni conſanguinitatis affectu, eo minus Præbendam ſuam infantulo illi reſignare feſtinabit Gennadius, quod vulgo oſtenſam ſubito ad Eccleſiæ miniſterium præclaram indolem non ſuſtineant ac tueantur pueruli, & reditibus ſui Beneficii, ut facilius ſerviant libidini, plerumque abutantur, non ſine magno, quod ſatis conſtat, Eccleſiæ ſcandalo.

Ea de re igitur conſcientiæ ſuæ intimos receſſus rimetur Gennadius; ne ſimilis evadat illi Epiſcopo, de quo lepidum hoc narrat ſic Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis (*o*): *Pulcre ſiquidem Epiſcopum, pyrum onuſtam fructibus & volentem Archidiaconatum conferre Robinulo, nepotulo ſuo, quidam deluſit, cum interrogaret Epiſcopus, cui pyrum illam committeret cuſtodiendam, & reſponſum eſſet a quodam, ut illa memorato Robinulo committeret; Epiſcopus reſpondit: abſit, quia pyra illa omnia devoraret; dicit Epiſcopo: Domine, qualiter committetis Robinulo tot millia animarum cuſtodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis?* (*p*).

(*K*) Conc. Lateran. III. ſub Alex. III. in Cap. *Cum in cunctis*. De electione & electi poteſtate. L. 1. tit. 6.

(*l*) Conc. Trid. Seſſ. 23. de reform. c. 6.

(*m*) Leo X. in Conc. Later. V. Seſſ. 10.

(*n*) 1. Cor. VI. 12.

(*o*) Guillelmus Arvernus apiſc. Pariſienſ. tract. de collat. Benef. c. 1.

(*p*) De Gonet. Man. Tract. 1. c. 2. poſt. 9. Colloq. Condom. tom. 1. Colloq. 1. Sect. 2.

CASUS II.

ROGERIUS, Tonſura initiatus, 14. ferme annos natus, de dignitate aut Præbenda in Curia Romana proviſus eſt; cujus aditionem ipſi ob teneros annos denegavit Capitulum. Numquid legitima eſt hæc ratio, & Rogerius Capitulo recuſanti litem jure poteſt inferre?

RESPONS.

Ob legitimam cauſſam ab aditione Beneficii Rogerium impedivit Capitulum illud: nam, ſi Beneficium de quo in Curia Romana proviſus eſt, ſit dignitas, ad illud poſſidendum eſt inhabilis ob defectum ætatis: nam huic dignitati vel annexa eſt animarum cura, vel non: ſi annexam habeat animarum curam; etiamſi Collegiatæ ſit dignitas, de ea provideri non potuit ante ætatem Canonibus præſcriptam, nempe 25. annorum; (non quod ſic ſta-

(a) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 12. de reform.

(b) Conc. Lateran. III. ſub Alex. III. ann. 1179. in Can. Cum in cunctis. 7. §. 2.

fuerit Concilium Tridentinum (a), cujus nempe Decreta de ætate Beneficiariorum in Gallia non admittuntur,) ſed propter œcumenicum Lateranenſe Concilium; cujus hæc ſunt verba (b): *Inferiora etiam miniſteria, ut puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat; ſed nec Parœcialis Eccleſiæ regimen: niſi jam vigeſimum quintum annum ætatis attigerit.* Quæ neceſſitas ætatis ex eo oritur, quod de hujuſmodi Beneficiis proviſi ad Sacerdotium debeant eſſe promoti. Si vero Rogerii dignitas annexam non habeat animarum curam; de ea tamen canonice non eſt proviſus, cum juxta uſum in Gallia receptum 22. annorum ſaltem ætas requiratur.

Si vero de Præbenda fuerit proviſus Rogerius, quæ ſit in Cathedrali; de ea canonice non eſt proviſus, cum talis proviſio de Canonicatu 14. annos completos exigat, ut diximus in ſuperiori deciſione (c). At ſi ſit Præbenda Collegiatæ, illegitima eſt Capituli repulſa, cum ad obtinendum talem Canonicatum ſufficiat ætas 10. annorum completorum.

(c) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 6.
Reg. 17. Cancellariæ.
Rebuff. de pacific. poſſeſſ. n. 178.
De Selva 3. part. de Beneſ. q. 5.

Advertendum tamen, ab hac generali regula excipi collationes Regias in regalia Sede Cathedrali vacante factas in gratiam impuberum, quæ ex uſu Galliæ ſunt validæ, dummodo ſeptimum ætatis annum compleverint, ut obſervat Cabaſſutius (d). Sed in aliis regionibus juxta Tridentinum Decretum, nullus ante decimumquartum ætatis annum, citra Pontificis diſpenſationem, Beneficium quodlibet obtinere poteſt.

(d) Joan. Cabaſſ. Juris Can. Theor. & prax. L. 2. c. 9. n. 9.

CASUS III.

Canonici Eccleſiæ Cathedralis Olomutienſis non ſolum ex conſuetudine centenaria, ſed etiam ex antiquo a ſeptuaginta annis facto ſtatuto, præter duos abſentiæ menſes, etiam ante Concilium Tridentinum ab iis ſumi conſuetos, qualibet hebdomada, unum quoque diem ſolent ſibi aſſumere. Quidam ex iis, de hoc ſibi attributo die ſcrupoloſe anxii, poſtulant, utrum ex tam antiqua conſuetudine & Capituli ſtatuto non ſint tuti in conſcientia?

Respons.

Non inanis eſt illorum Canonicorum religio: conſtat nimirum, eos abſentias ſuas ultra duos menſes ante Concilium Tridentinum ab iis ſumi ſolitos prorogare non potuiſſe: ratio eſt, quia Concilium illud, quod per tres menſes Canonicis abſentiam conceſſit, ibidem ſtatuit, ne mutarentur earum Eccleſiarum Conſtitutiones, ex quibus longius ſervitii tempus exigitur. En verba ipſius Decreti (e): *Obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.*

(e) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de reform.

Nec illis Canonicis favet antiqua conſuetudo, qua & diem ſumere qualibet hebdomada, & quotidianas tamen recipere diſtributiones; quippe quæ eſt abuſiva ex Conſtitutione Bonifacii VIII. in ſexto Decretalium (f) qua diſtributiones quotidianæ præſentibus tantum in Choro, non vero contra regulas & conſtitutiones Eccleſiæ abſentibus debentur. Et quidem ſi ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, a fortiori Conciliorum generalium Decretis, ut iſtæ Tridentini, contraria prævalere non debet conſuetudo. Quod idem dici debet de Statuto ab illis Canonicis condito, quod anteriori ejuſdem Concilii adverſatur Decreto, cui a privato quolibet derogari non poteſt.

(f) Boniface. VIII. in Cap. *Conſuetudinem*. 1. de Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel Præbenda. L. 3. tit. 3.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex Decretali Honorii III. ad Epiſcopum & Cantorem Cabilloni (g), qua declarat, a Capitulo Canonicorum numerum non poſſe minui; ut facere præſumebat Auguſtodunenſis Eccleſiæ Capitulum, ne ſcilicet minueretur cultus divinus. *Nolentes igitur divini numinis diminui cultum*, inquit hic Papa, *ſed potius augmentari; mandamus, quatenus antiquum numerum facientes auctoritate noſtra ſervari; præbendas quas a tempore ultimi Statuti inveneritis vacaſſe in Eccleſia memorata (non obſtante aliqua Conſtitutione ſuper hoc a Canonicis ipſis facta, vel confirmatione a nobis ab eiſdem obtenta) perſonis idoneis cum conſilio Epiſcopi conferatis.* Atqui negari non poteſt, quod licet a Capituli Olomutienſis ſtatuto Canonicorum numerus non fuerit imminutus, divinum tamen minuit cultum aſſumendo diem unum qualibet hebdomada contra Tridentinum Concilium. Illicitam igitur rem faciunt, atque facultatem concedunt, quam non poſſunt concedere, & qua proinde intactis Conſtitutionibus Canonicis, nemo Canonicorum poteſt uti.

(g) Honor. III. in Cap. *Ex parte*. 2. de Conſtitutionibus, L. 1. tit. 2.

CASUS IV.

Numquid inter ſe conſentire potuerunt abſque peccato ſancti Ægidii Canonici, ut, quoties quidem ex iis ultra tres a Concilio Tridentino menſes conceſſos, per quoſdam dies abeſſent, ceteri præſentes iis liberaliter diſtributiones quotidianas concederent, ſaltem cum pro ſe aliquem officio Canonico præſentem ſubſtituiſſent?

Respons.

Certum eſt, conventionem illam eſſe illicitam, cum ex Concilio Tridentino præſentes Canonici abſentibus hanc remiſſionem facere nequeant. En verba Concilii (h): *Obtinentibus in eiſdem Cathedralibus aut collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe .... alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem uſus fuerit negligentia; privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit .... diſtributiones vero, qui ſtatutis horis interfuerint, recipiant reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſa; his careant juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit;* Conſuetudinem; *quod ſancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus. Omnes vero divina per ſe & non per ſubſtitutos compellantur obire officia.* Ex hoc tam manifeſto Concilii Decreto liquet Canonicos de quibus agitur in caſu propoſito, abſque peccato quidquam aliis ſuis confratribus ab officio ultra tempus a ſancta Synodo præſtitutum, ab Officio divino abſentibus remittere non potuiſſe; nec per alios ſibi ſubſtitutos, abſentes Canonicos fructus ſuos obtinere; ita ut, ſi diſtributiones receperint illi abſentes, quibus privari debent ob abſentiam ſuam, ad earum reſtitutionem teneantur, ut ait Bonifacius VIII. in hac ſua Decretali a Concilio in uſum revocata (i): *Statuimus*, inquit hic Papa, *ut diſtributiones ipſæ quotidianæ, in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis & aliis Beneficiatis & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem Officiis in eiſdem Eccleſiis aſſuerint, tribuantur, juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, ſeu etiam faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quidquam receperit ...., rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas, ſuas: immo ad omnium reſtitutionem quæ contra hujuſmodi noſtram conſtitutionem receperit, teneatur.*

(h) Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform. c. 12.

(i) Bonifacius VIII. in cit. Cap. *Conſuetudinem*. de Clericis non reſidentibus, &c. in 6.

CASUS V.

Adelphio, Cathedralis Eccleſiæ Elvenſis Canonico, ſcrupulum injecit ipſius Confeſſarius; quod præter dominicos feſtoſque dies Matutino, Miſſæ Canonicæ & Veſperis tantum interſit; brevibus horis prætermiſſis; verum ab ea ſe liberum eſſe abſentia contendit ex amiſſione diſtributionum modicarum, quas accipiunt præſentes, has etiam rationes ſubjungens. 1. Quod hæc ſit ferme generalis Canonicorum conſuetudo, ut tribus majoribus horis accurate interſint. 2. Quod eas prætermittat, ut majori cum attentione ac devotione multis pro defunctis, quæ in Choro præter Miſſam Capitularem celebrari ſolent, Miſſis interſit. 3. Quia vix ipſi tempus ſuppeteret Miſſam celebrandi, aut ſtudio incumbendi ad utile Eccleſiæ ſuæ miniſterium. Rogat Confeſſarius, num ex his rationibus a peccato ſit immunis Adelphius, & quo pacto erga eum ſe gerere debeat?

RESPONS.

Non ſine cauſa Adelphio ſcrupulum movet ipſius Confeſſarius, quod brevibus Horis accurare non interſit. Nam, ut ex Conciliis generalibus Baſileenſi & Tridentino, nec non ex quarto Provinciali Mediolanenſi probat Van-Eſpen (*a*): quilibet Canonicus ex natura Beneficii ſui ſingulis horis Canonicis ſeu majoribus ſeu brevibus intereſſe tenetur, non obſtante quacumque, etiam contraria Capituli ſui conſtitutione.

(*a*) Zeger Bernard. Van-Eſpen. de inſtitut. & Offic. Canonicorum. c. 3. §. 3. Tom. 3.

Conſuetudo quam allegat Adelphius, contraria mere eſt abuſiva; cum eam divini Officii partem non excipiant Canones, quæ quandoque ob modicas tantum ipſi affixas diſtributiones prętermitti ſolet. Licet igitur mos ille inter Canonicos eſſet univerſalis, non ideo fieret legitimus; quippe qui Conciliorum Decretis & ipſi adverſetur rationi: quocirca valeat heic antiqui Auctoris dictum, quod in ſuo Decreto refert Gratianus (*b*): *Uſus* (univerſalis) *auctoritati cedat; pravumque uſum Lex & ratio vincat.*

(*b*) Iſidorus in Can. *Uſus*, 8. diſt. 11.

Nec potior eſt ratio, quam petit hic Canonicus ex animi remiſſione quæ ſit neceſſaria, ut Miſſis pro defunctis ante vel poſt Capitularem celebrandis attentius & religioſius vacet, aut ſtudio incumbat: nam quoad Miſſas pertinet, de iis nullatenus tenetur, ſi amittat annexum ipſis ſtipendium. Unde id unum ei concedi poteſt, ut ipſe Miſſam celebret, aut peccata confiteatur, ſi alio non poſſit tempore, per horas illas Canonicas breviores. Quoad ſtudium ſpectat; tam breve eſt tempus recitationis illarum Horarum, ut levis ſtudii tempus ſuppeditet, quod proinde abſentiæ a Choro tamquam cauſſa prætendi non poteſt. Exſtimamus itaque: 1. Adelphium ad pœnitentiam teneri ob præteritas abſentias: 2. Eum ad eleemoſynam obligari, pro judicio prudentis Directoris (*c*).

(*c*) De Sainte Breve. Tom. 2. Caſ. 199.

CASUS VI.

(1) FALICTANUS, Eccleſiæ Cathedralis Cæſaraugustanæ Canonicus in Choro divinum non decantat Officium; quod Muſicos & Cantores mercenarios habeat illud Capitulum, ad id deſtinatos. Numquid ab ea obligatione liber eſt ob duplicem illam rationem, ita ut Officium ſuum privatim recitare ipſi ſatis ſit?

RESPONS.

Ex ipſa ſola ratione conſtat, Felicianum privatim ac demiſſa voce Officium ſuum recitare non poſſe, nec a cantu ſe abſtinere, abſque gravi peccato, dum in choro perſolvuntur horæ Canonicæ. Quis enim facile crederet, hanc unam fuiſſe mentem Fundatorum, ut Canonicos ad ſolam vellent obligari in choro præſentiam, non vero ad divinæ laudis pſalmodiam? Is profecto Eccleſiæ regulas ignoraret, quibus ad Officium divinum decantandum, ſingularemque prætereundam modeſtiam Canonici obligantur, ut ex multis probari poteſt Conciliis.

Primo ſexageſimum tertium Capitulorum, in quibus Orientis Conciliorum Canones continentur, quæque e Græco in Latinum vertit Martinus Epiſcopus Bracarenſis anno 572. quo tertium hujus nominis Concilium habuit, his verbis refert Gratianus in ſuo Decreto (*d*): *Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus; ſi intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi Officium Matutinis vel Veſpertinis horis ad Eccleſiam non convenerit; deponatur a Clero: ſi tamen caſtigatus veniam ab Epiſcopo per ſatisfactionem noluerit promereri.* Ex quo termino *deponatur* patet, quam ſtricta ſit obligatio Clerico impoſita, ut in Choro pſallat; niſi ab ea ex legitima ratione diſpenſetur.

(*d*) Can. *Si quis*. fin. diſt. 92.

Primum Aquiſgranenſe Concilium ſub Stephano V. habitum (*e*); Baſileenſe an. 1431. Tridentinum; Senonenſe ſub Cancellario du Prat habitum & Colonienſe an. 1536. (*f*) ea de re Decreta condidere, quibus aliquando damnabitur quorumdam Canonicorum ſocordia, qui in choro, uti corpora mortua aut muta torpent, vel ut ſtatuæ inanimes, quin debitum Deo ſacrificium laudis perſolvere cogitent. Horum autem Conciliorum Decreta, ne Lectori tædium afferatur, heic tantum præcipua referre juvat,

(*e*) Conc. Aquiſgran. c. 131.

(*f*) Conc. Baſileen. Seſſ. 21. tit. Quomodo divinum Off. in Eccleſia celebrandum.

Colonienſe ſic loquitur (*g*): *Statutis ergo ac debitis Horis laudes divinæ non curſim ac feſtinanter, ſed tractim: non truncate, ſed integre, diſtincte, devote, reverenterque ab omnibus decantentur, perſolvanturque; & cum pſallendi gratia conveniatur, ibidem muta aut clauſa labia nemo teneat; ſed pariter ſenes cum junioribus laudent nomen Domini; in Pſalmis, Hymnis, & Canticis, Deo alacriter modulantes, ſic tamen ne Beatus confundat recitationem.... quam autem vero aberrant, qui exiſtimant ſeſe, non alicujus Officii in Eccleſia exercendi, ſed quietis & inertiæ tantum cauſſa Canonicatus eſſe adeptos, perinde atque ſatis eſt, paucis quibuſdam Clericis admodum ignaris, tenui pretio conductis, curam divini Officii committi, quod deinde ejuſmodi mercenarii, non ſervatis temporum interſtitiis, ſyncopando tranſcurrunt, interim ipſis Canonicis tota vita torpentibus.* En verba hujuſce Concilii, quæ probe Canonicos & Eccleſiæ eorum perturbationes exprimunt.

(*g*) Conc. Colon. ſub. Paulo III par. 3. c. 3.

Concilium Cameracenſe ſub Pio IV. an. 1565. habitum (*h*) iiſdem ferme verbis loquitur: *In choro*, inquit, *cum pſallitur, Canonici omnes qui in choro fuerint, & Sacellani pſallant; nec ſint in ſedibus otioſi: nec putent ſe functos officio; ſi vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent; modo tamen pſallere per valetudinem queant.* Superioribus Conciliis plane conſentiunt Burdigalenſe & Turonenſe (*i*).

(*h*) Conc. Cameracenſ. tit. de cultu, cæremoniis & Officio divino. c. 7.

(*i*) Conc. Burdigal. tit. 17. de Capitulis & Canonicis, &c.
Conc. Turon. tit. 13. de dignitatibus, Capitulis, & Canonicis.

Denique edicit Tridentina Synodus (*K*), ut Canonici *omnes divina per ſe & non per ſubſtitutos compellantur obire officia..... atque in choro ad pſallendum inſtituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte devoteque laudare.* Conformiter ad ea ſacroſancta Decreta ſentiunt multi Doctores, non ſtipendia ſua eos mereri, qui, ſine cantu ſimpliciter in choro ſunt præſentes: ſcilicet, Paludanus, Joannes Major, Adrianus, Cajetanus & Navarrus qui præmiſſos laudat (*l*), quibus adendi ſunt Comitolus, Petrus Navarra, Covarruvias & alii multi.

(*K*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de reform.

(*l*) Navarr. de orat. & horis Can. c. 13. n. 10.
Et apud eum Paludanus in 4. diſt. 15. q. 3.
Adrian. quodl. 8. lit. a. 1. 5. n.
Cajetan. v. *Horarum.* §. 3.
Joan. Major in 4. diſt. 12.
Covar. var. reſolut. L. 3. c. 13. n. 2. & 1.
Item Joan. Azor. L. 10. c. 3.
Leonard. Leſſius, &c.

Conceditur tamen 1. Canonicos non teneri ad notitiam cantus Muſici; atque adeo ad cantum eorum, quæ concinunt ipſi Muſici: quod idem dici poteſt de iis quæ in Graduali vel Antiphonario decantantur. *Non liceat*, inquit Canon (*m*), *in pulpito pſallere aut legere, niſi qui ab Epiſcopo Lectores ſunt ordinati.* Quocirca in Eccleſiis in quibus eſt inſtituta muſica, omnis eorum obligatio reducitur ad cantum Pſalmorum, Hymnorum & Canticorum, quæ totum olim divinum Officium efficiebant: 2. Ad cantum pro viribus quemlibet tantum obligari; unde Canonicus cujus eſt pectus invalidum aut vox diſſona; aliis demiſſius pſallere poteſt, juxta illud Hieronymi (*n*): *Deo non voce, ſed corde cantandum.*

(*m*) Can. *Non liceat.* 3. diſt. 92.

(*n*) S. Hieron. ad c. 5. Epiſt. ad Epheſios in Can. *Cantantes*, 1. diſt. 12. uit.

Ex dictis hactenus ſequitur, eos vehementer errare, qui per Miſſam Capitularem, aut muſicos in ea concentus, privatim horas Canonicas recitare ſe poſſe contendunt, quod non licet ullo tempore aliave occaſione ei, qui præſens eſt in choro; cum aſſidua debeat eſſe ejus attentio, ſeu ad dictam Miſſam, quæ pars eſt Officii Canonici præcipua, dum cantatur, ſeu ad quamlibet aliam ejuſdem Officii partem. Unde a multis id prohibitum eſt Conciliis: ac 1. a Senonenſi his verbis an. 1528. (*o*) *Cum pſallendi gratia ibidem conveniant, muta aut clauſa labia tenere non debent, ſed omnia...... in Pſalmis, Hymnis & Canticis Deo alacriter modulentur..... nemo ibidem, cum Horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatim Officium. Nam non ſolum Officium quo obnoxius eſt, choro ſubtrahit, ſed & alios pſallentes perturbat.* 2. A Bituricenſi an. 1584. (*p*) *Non confabulentur in choro, nec quidquam alienum a cultu & divino Officio legant; ſed nec turbentur, qui pſallunt.* 3. A. Narbonenſi an. 1609. (*q*) *In choro literas, aut libros non legat; Officium privatim non recitet.....ſed omnia divina Officia & preces devote, attente & graviter in choro ſimul cantet.* 4. A Burdigalenſi an. 1624. (*r*) *Scripturas quaslibet, aut libros minime legere, nec privatim Officium recitare ſtatuimus.* 5. A. Mediolanenſi primo an. 1565. quod poſt finem Concilii Tridentini ſtatim habuit S. Carolus (*ſ*): *Ne in choro, ubi communi officio opera datur, privatim Officium* di-

(*o*) Conc. Senonenſ. c. 8.

(*p*) Conc. Bituricenſ. tit. 21. de celebrat. divini Officii, &c. Can. 3.

(*q*) Conc. Narbon. c. 30. de Capit. & Canonicis, &c.

(*r*) Conc. Burdigal. c. 9. de Capit. & Canonicis, &c.

(*ſ*) Conc. Mediolanenſ. 1. conſtitut. 2. part. tit. Quomodo verſandum in choro.

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. IV. num. VIII.

dicant. Ex quibus omnibus efficitur, Canonicum a divinis laudibus in Choro decantandis poſſe abſtinere, niſi legitima adſit cauſſa, nec aliis cantantibus Officium ſuum recitare privatim.

Ad has ſufficientes jam probationes accedunt etiam ad confirmationem hujus deciſionis conſtitutiones ſummorum Pontificum; ſancti Pii V. in Bulla ſua centeſima trigeſima tertia 20. Septemb.

(a) S. Pius V. in Bulla. *Ex proximo*.

1571. (*a*), in qua, cum aſſerit, Beneficiatos teneri ad reſtitutionem fructuum ſui Beneficii pro rata temporis omiſſi ſui Officii; ita ut qui Matutinum omiſerit, dimidiam fructuum partem amittat; qui totum Officium, omnes fructus; qui vero unam tantum Horam, ſexta fructuum parte privetur; id etiam intelligi debere aſſerit: *Tametſi*, inquit, *aliquis Choro addictus, non recitans, omnibus horis Canonicis cum aliis præſens adſit*: Et Leonis X. (*b*) qui ſeptima ſua Bulla 5. Maii an. 1514. vult ut Canonici illi talium fructuum reſtitutionem *in fabricam* hujuſmodi Beneficiorum, vel in pauperum eleemoſynas erogare teneantur.

(b) Leo X. in Bulla *Superna diſpoſitionis*. §. 31.

Et quidem Eccleſiæ hac de re Decreta auctoritate ſua confirmarunt Imperatores Chriſtiani: *Sancimus*, inquit Juſtinianus in una Codicis ſui Lege (*c*), *ut omnes Clerici per ſingulas Eccleſias conſtituti, per ſeipſos pſallant Nocturna & Matutina & Veſpertina (Officia); ne ex ſola Eccleſiaſticarum rerum conſumtione Clerici appareant; nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei. Turpe enim eſt pro ipſis ſcriptos pſallere, cum ſit ipſis injuncta neceſſitas*.

(c) L. Omnem 41 Cod. de Epiſc. & Clericis §. 10 lib. 1. tit. 3.

CASUS VII.

Numquid voluntariis animi divagationibus peccat Dinamius, Canonicus, qui ſubmiſſa voce lectionibus & reſponſoriis quæ in Choro cantantur, recitatis, de ſuis rebus temporalibus aut etiam indifferentibus cogitat?

Respons.

Procul dubio peccat ille Canonicus voluntariis animi ſui divagationibus: ratio eſt, quia eo ipſo quod adeſſe Choro teneatur, ad Officium concurrere cum aliis qui modulantur, etiam non cantans, debet: quod ſola attentione ac devotione præſtare poteſt, quæ vocalis orationis pro non cantantibus locum habent, & qua aliorum precibus fiunt participes. Ex quo colligitur, quod cum ad aliorum cantum non attendat Dinamius, non ſufficienter ad Chori orationem concurrit, neque huic ſatisfacit conformiter ad mentem Eccleſiæ, quæ alios ab aliis audiri vult, & unanimi attentione divinas laudes celebrari. Dinamius inſuper, licet corpore præſens Choro, mente tamen, dum alio abripitur, ab eo abeſt, juxta iſtam juris regulam (*d*): *Is non dicitur præſens alieni rei, dum ad aliud attendit*.

(d) Coram Titio 209. ff. de verborum ſignificatione l. 5. tit. 16.

CASUS VIII.

Aredius & quinque Confratres ejus, Eccleſiæ Collegiatæ Canonici, ſimul horas Canonicas tam feſtinantes ſolent decantare, ut verſus verſum anticipet; unde ſenſum vix ac ne vix quidem raro poſſint intelligere: nonne in eo peccant mortaliter?

Respons.

Vitium illud quod & Laicos ipſos offendit, procul dubio eſt mortale: eſt enim gravis irreverentia in Deum, quem abſque fide, religione & attentione alloquuntur. *Debet oratio hujuſmodi eſſe integra*, inquit ſanctus Antoninus poſt Paludanum (*e*), *ut nihil de ea furetur, ſyncopando, omittendo, nimis feſtinando*. Et alibi (*f*): *Non eſt hoc abſque gravi peccato...... cum* (Officium) *dicitur curſim & confuſe, ut unus non ſpectet alium in finiendo verſum; vel ita velociter, quod ipſe vel alius audiens, non poteſt percipere ſenſum verborum*. Quocirca qui tam indigne divinum Officium modulatur, peregrino loqui & inaudito ſermone videtur.

(e) S. Anton. 3. part. Sum. Theolog. tit. 13. c. 4. §. 1. Et apud eum Paludanus in 4. 4. diſt. 15.

(f) Idem part. tit. 9. c. 12. §. 3.

Rem propoſitam confirmat hic Sanctus familiari iſta paritate, 2. *Negligentia eſt*, inquit, *quando dicuntur horæ ſyncopando, dimittendo ſcilicet vel verba, vel verſus, vel ſyllabas. Integræ enim perſolvendæ ſunt horæ: nam ipſarum perſolutio dicitur ſervitus: in ſervitiis autem alicui debito debet quilibet eſſe fidelis; ut nec apiculus, nec jota prætereat; ſed integre ſine fraude debitum perſolvat. Si quis deberet quotidie perſolvere alteri 7. marchas; certe ſi aliquos denarios quotidie ſubtraheret, non ſatisfaceret creditori. Sic infideliter agit, qui in Officiis ſyncopat*.

Sed aliam poſſumus addere poſt ſanctum Antoninum paritatem, dicendo, quod, ſi Clerici illi terrenum Principem, uti Deum, tam irreverenter alloquerentur; ſtatim ex ejus conſpectu, vel tanquam effuſe protervi, vel amentes protinus agerentur. Hinc Clemens V. in Concilio Viennenſi oecumenico an. 1311. (*g*) tam acerbo minaceique ſermone in hunc abuſum alioſque ſimiles, in Officio divino admitti ſolitos invehit, ut de gravitate criminis Aredii, ſuorum confratrum, eorumve ſequacium in perſolvendis laudibus divinis nulla jam eſſe poſſit ſuſpicio. En verba ſummi Pontificis: *Gravi nimirum perturbatione movemur, quod ex nonnullorum Rectorum negligentia, quæ dum ſpem impunitatis permittit, multam nutrire peſtilentia conſuevit in ſubditis, plerique Eccleſiarum Miniſtri, modeſtia ordinis abjecta, dum offerre Deo ſacrificium laudis, fructum labiorum ſuorum in puritate conſcientiæ & animi devotione deberent, horas Canonicas dicere, ſeu pſallere tranſcurrendo, ſyncopando, extranea quidem & plerumque vana, profana & inhoneſta intermiſcendo colloquia, tarde ad chorum conveniendo, ſeu Eccleſiam ipſam abſque rationabili cauſſa, ante finem Officii exeundo frequenter .... præſumunt, ... Ne igitur tranſgreſſiones invaleſcant hujuſmodi, & aliis veniant in exemplum, ſacri approbatione Concilii hoc fieri prohibentes ſancimus, ut illi ad quos id pertinet ...., circa reformanda præmiſſa & eorum ſingula corrigenda ...., ſi Dei & Apoſtolicæ Sedis indignationem evitare voluerint, ſolicitam curent diligentiam adhibere, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam (dummodo ad eos illam exercere pertineat) aliis mediis compeſcendo &c.* Videri etiam poteſt ea de re (1) Baſileenſe concilium (*h*).

(g) Clemens V. in Clement. Gravi l. de celeb. Miſſarum L. III. til. 14.

(h) Conc. Baſileenſ. Seſſ. 24.

CASUS IX.

Numquid peccat Matthias, Canonicus, qui in Officio divino aſſiduus, cum aliis cantat, ſed Pſalmorum verſus, aliaſque preces, quæ concinunt in organo, ſubmiſſa voce non repetit?

Respons.

De peccato non videtur Matthias damnandus: quia ex conſuetudine generali privatim recitari non ſolent verſus, qui cum organo decantantur. Attamen laude digni ſunt, qui ſic agunt; & optandum foret, ut qui in quibuſdam Eccleſiis viget mos, ut Clericus organi verſus alta voce recitet, univerſim in Eccleſiam poſſet induci; neque enim ulla ſubeſt ratio, cur media pars Hymnorum & Canticorum, quæ concinunt organa, prætermittatur; quin eam demiſſa voce recitent præſentes in choro, aut eorum nomine alta voce Clericus quidam.

CASUS X.

Nonne ſub peccato tenetur Auguſtus, ad Officium chori obligatus, privatim lectiones matutinas recitare, quas, licet attentus, audire nequit, ob ineptitudinem legentis, & quamvis ibi debito modo divinum fiat Officium?

Respons.

Difficultatem iſtam ita ſolvit ſanctus Antoninus (*i*): *Si quis ergo*, inquit, *lectionem, vel aliud, quod in choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat; dummodo conetur intelligere ſaltem verba. Sed ſi propter mentis evagationem non intelligit quid quod dicit vel audit, non eſt abſque culpa negligentia aliqua*. Idem ergo in hoc caſu de Auguſto dicendum, quod ait Innocentius IV. in ſuo Commentario in Decretales de Clerico non intelligente preces, quas vel ipſe recitat, vel ab aliis audit (*K*): *Clericus*, inquit, *qui eſt in divinis Officiis, non peccat, etiamſi quod dicit non intelligat: ſed cor ſuum debet ad Deum habere & ei pſallere. Immo, ſi aliquem*, ſubjungit, *verſum omittat; non peccat: nec etiam a capite Pſalmi propter* hoc

(i) S. Anton. 2. part. Sum. Theolog. tit. 9. c.

(K) Innocent. IV. ſuper cap. Dolentes. 9. de celebrat. Miſſarum.

(1) Vid. *Mendo Penteſ.* Obſerv. I. num. II. ſecundo loco.

(a) De Geners. Theolog. Mor. Tom. 2. Tract. 1. c. 30. dem. 27.

hoc revertendum eſt: quia, ſi fieret, poſſet aliquibus ſcandalum generari ſine magna cauſſa (a).

CASUS XI.

Simon, Cathedralis Eccleſiæ ſancti Gratiani Canonicus, chorum non ingreditur niſi ad finem primi Pſalmi Matutini aut Veſperarum; quod præſens habeatur, qui chorum ſubit ante finem *Gloria Patri* hujuſce Pſalmi. An tenetur ſub peccato, omiſſa iterare ut privato Officii debito ſatiſfaciat? Tenetur ne pariter id ipſum repetere, quod in choro cantatur; dum ad thurificationem in Sacrario veſtem pluvialem ſumit?

RESPONS.

Reſpondemus ad primum, Simonem teneri ad recitandum privatim, quod ante ingreſſum illius in choram ab aliis fuit decantatum. Licet enim diſtributionem horæ affixam, cujus primo Pſalmo non adfuit, poſſit accipere; ex eo tamen non fit, ut ad recitationem Pſalmi quem in choro non audivit, in foro conſcientiæ non teneatur; cum abſens a choro dictum Pſalmum per attentionem ſupplere nequeat, quæ, etiam ipſo præſente non ſufficeret; quandoquidem ad cantum cum aliis teneatur (b).

(b) Navarr. Tract. de orat. & horis Canon. c. 10. num. 41. & 44.

Ceterum, ſi vel ſerius quam par ſit, chorum ſubeat, aut citius exeat ex negligentia, certum eſt ipſum peccare. Quod conſtat tum ex Bulla Clementis V. in reſponſione ad octavum caſum relata; tum ex iſtis Concilii Andegavenſis an. 1365. verbis (c): *Sacro approbante Concilio*, inquiunt Patres hujuſce Synodi, *ut prædicti Canonici & alii, qui prædictas diſtributiones & anniverſaria in prædictis Eccleſiis recipiunt, in principio horarum intrent chorum. Ipſis horis, anniverſariis & ad Miſſam interſint a primo Pſalmo uſque ad finem illius horæ & anniverſarii; nec non in introitu Miſſæ a prima collecta uſque ad finem totius ipſius Miſſæ continue remanſuri* (d).

(c) Conc. Andegavenſ. c. 28. apud Philip. Labbe. tom. 11. Concil. pag. 1942.

(d) Navarr. Cit. Tract. c. 13. n. 6.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondemus, non teneri Canonicum ea repetere, quæ, ipſo abſente, in choro decantantur, dum paulliſper ad miniſterium ipſius Chori, uti ad ſumendum pluviale abeſt; modo ad ea quæ cantantur, quantum poteſt, per id temporis attendat. Oppoſitæ duplicis illius reſponſionis diſcrimen nititur: 1. Quod in primo caſu abſentia non eſt ad miniſterium chori, uti ſecunda; immo prima choro eſt noxia. 2. Quod longior ſit abſentia, quam in ſecundo caſu. 3. Quod Canonicus ad finem Pſalmi chorum ingrediens non habeatur præſens, niſi *ad duritiam cordis*, atque ut ipſum chorum ſubeat tempora præſtituto, etiam ſub pœna amiſſæ diſtributionis.

CASUS XII.

Eccleſiæ cujuſdam Collegiatæ Galliæ Capitulum Canonicis ſuis, unum dumtaxat quolibet anno, feriarum menſem ex antiquo uſu concedit: quare integras ipſis diſtributiones largitur, modo triginta majoribus Officiis quolibet menſe interſint: ita ut, ſi per primos decem menſis dies, aut alios pro arbitrio Matutino, Miſſæ Capitulari & Veſperis adſint, jam ab aliis viginti dierum Officiis liberi, univerſa totius menſis ſtipendia reportent.

Quæritur, utrum antiquus ille uſus ſit licitus & tolerari poſſit, atque utrum tuta ſint conſcientia, qui eum ſequuntur Canonici, qui ipſum ex his tribus rationibus licitum eſſe exiſtimant 1. Quia multis jam ſæculis hic uſus invaluit. 2. Quia modicæ ſunt Præbendæ, cum, omnibus deductis impenſis, vix cuilibet Canonico ſuperſit trecentarum ſexaginta librarum quolibet anno ſumma, inſufficiens prorſus ad honeſtam Clerici ſuſtentationem, in eo præſertim loco, ubi omnia ad vitam neceſſaria pluris, quam rure veneunt. 3. Quia unum tantum menſem vacationis, dum alia Capitula tres menſes, obtinent.

RESPONS.

Uſus, de quo in caſu propoſito agitur, certiſſime eſt abuſivus; niſi ab Eccleſia fuerit confirmatus, hoc eſt, ex Bulla ſummi Pontificis Capitulo ob legitimas rationes conceſſa & a Diœceſano Epiſcopo promulgata; vel etiam ex reductione Officii divini, ab Epiſcopo ipſiuſve Officiali juxta formalitates in tali caſu præſcriptas facta.

Prima ratio quam afferunt illi Canonici, profecto eſt illuſoria: hic enim uſus, licet multis invaluerit ſæculis, ex diuturnitate auctoritatem non acquiſivit, cum antiquus uſus, ſi canonicis Conſtitutionibus adverſetur, nihil ſit, niſi antiquus abuſus: unde, ut ait Alexander III. in Concilio Turonenſi an. 1163. præſens (e): *Diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget*. Re ipſa, quid eſt legitima conſuetudo (f)? *Eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, cum deficit Lex*. Atqui in caſu propoſito vere dici non poteſt, quod *deficiat* Lex; cum Lex ea qua omnibus chori Officiis adeſſe quotidie tenentur Canonici, in multis Conciliis oecumenicis clare & expreſſe contineatur, ut alibi oſtendimus. Legi itaque quæ ſemper viguit, jus contrarium inducere non potuit talis uſus.

(e) Alex. III. in c. *Non ſatis* 8. de Simonia &c.

(f) S. *Iſidor.* in *Can. Conſuetudo*. 6. diſt. 2.

Nec potior eſt altera illorum Canonicorum ratio. Ubi enim Clericus Beneficium admittit, omnia quoque ejus onera, quæque ſint, in ſe ſuſcipit, quantumvis modici ſint illius reditus; ita ut de eo idem poſſit dici, atque de herede, qui, cum modicam norit eſſe hereditatem & forte gravantem, acceptat. Nam ut heres ille a die aditæ hereditatis ad omnia ejus debita, ſic Canonicus aut quilibet alius Beneficiarius qui Beneficium adit, ad omnia pariter ejus tenetur onera: quod fuſius oſtendimus in hoc Dictionario, in quo probamus, non minus ad Officii recitationem obligari Beneficiarium qui Beneficium centum dumtaxat librarum, quam qui majoris reditus obtinet (g).

(g) V. *Officium Breviarii* caſu. *Lavinus* 17. Vide ſupra Caſ. 3. 4. & 5.

Neque ob tertiam, quam afferunt illi Canonici rationem, tuta ſunt conſcientia. Nam, licet uno tantum menſe, dum alia tribus menſibus, fruatur Capitulum, abſentiæ tempus contra vetitum a Concilio Tridentino augere non potuit. Nulla eſt igitur pro his Canonicis ratio menſtruæ ſolum abſentiæ, quam compenſare nequeunt, inducto uſu inter eos, quo omnibus horis Canonicis intereſſe non tenentur, contra formalem prohibitionem Conciliorum Baſileenſis, Tridentini & Pragmaticæ ſanctionis.

CASUS XIII.

Officium pro defunctis in Eccleſia Collegiata ſancti Amandi ſingulis feriis ſecundis decantari debet, a quo ſæpe abeſt Albertus Canonicus. 1. Peccat ne? 2. Quale eſt ipſius peccatum? 3. Tenetur ne ad illud privatim recitandum, ut affixas huic Officio diſtributiones poſſit accipere?

RESPONS.

Difficultatem hanc ita ſolvit S. Thomas (h): *Eſt igitur conſiderandum*, inquit Angelicus Doctor, *quod Officium Mortuorum quandoque in Eccleſia dicitur ſicut ordinarie pertinens ad Eccleſiæ Officium; ſicut ..... in qualibet Eccleſia eſt aliqua ſuper hoc ſpecialis conſuetudo: puta ut dicatur ordinarie Officium Mortuorum ſemel in ſeptimana, vel qualitercumque aliter ſecundum certum tempus:* tumque Albertus Canonicus abſque gravi peccato non poteſt ab eo abeſſe, nec abſentiæ ſuæ diebus ſtipendia pro toto Officio dari ſolita recipere; licet privatim dictum Mortuorum Officium recitaret; quia nimirum, qui choro ſunt annexi, huic Officio quod diei illius partem efficit, adeſſe tenentur: immo ex eodem ſancto Doctore, *& ad hujuſmodi Officium Mortuorum tenetur Clericus Beneficiatus in aliqua Eccleſia, etiam in ſcholis exiſtens, ut per hoc ſatisfaciat Mortuis, quorum recipit bona.*

(h) S. Thom. quodl. 6. art. 5. in corp.

Verum ſi Officium illud pro Mortuis celebretur ex fundatione, ab eo abeſſe poteſt Albertus abſque peccato, affixas huic Officio diſtributiones præſentibus relinquens. *Aliquando vero dicitur Officium Mortuorum extraordinarie propter aliquam cauſſam ſpecialiter emergentem*, pergit idem ſanctus Doctor, *puta ad preces alicujus perſonæ, vel propter aliquid hujuſmodi; & ad hujuſmodi Officium Mortuorum non tenetur Clericus exiſtens in ſcholis.*

Hæc Deciſio conformis eſt ſententiæ ſancti Antonini (i) dicentis: *Tenentur ad ipſum* (Officium Mortuorum) *Clerici Eccleſiarum Collegiatarum*, *ſecun-*

(i) S. Anton. 3. part. ſum. Theol. tit. 13. c. 4. §. 3.

dum

dum communem conſuetudinem Eccleſiæ, de qua ſunt, ſive præſentes, ſive non. Non autem ad illa, quæ fiunt ex ſpeciali gratia pro aliquo ad preces ejus, vel ea ad quæ aliqui ſe ex ſua voluntate obligaverunt. Et ſic Canonici Collegiati ſpecialis Eccleſiæ tenentur ad Officium Mortuorum & ad alia ſpecialia, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ. Idem docet Silveſter (*a*), uti Paludanus, Joannes Andreas & Navarrus, qui eos laudat (*b*).

(*a*) Silveſter de Præmio v. *Hora.* q. 6.

(*b*) Navar. tract. de orat. & horis Canonon. c. 20. n. 4. & apud eum Paludan. Joannes Andreas Cardinalis S. Xiſti & alii.

CASUS XIV.

Ursinus quindecim annos natus, de Præbenda 400. Librarum in Collegiata proviſus, cujus reditus omnes in diſtributionibus quotidianis conſiſtit, cum eam adiiſſet, ſtudiorum curriculum pergit in diſſito collegio ubi eſt convictor, & nullum proinde ex Præbenda ſua fructum percipit. Numquid ſub peccato, & etiam mortali, ad horas Canonicas tenetur?

Respons.

Ad recitationem divini Officii tenetur Urſinus, licet nullum ex Præbenda ſua fructum percipiat, atque ſtudiis in remoto collegio det operam; quia ex jure communi & more univerſim in Eccleſia recepto, ad Officium obligatur proviſus de tali Beneficio, ubi primum illud adiit.

Nec ſtudiorum neceſſitas Scholarem ab eo diſpenſat. 1. Cum ipſi Doctores & Profeſſores, a fortiori, nec Scholaſtici ab hac obligatione ſunt liberi, quod ex nullo Canone aut Decretali ſtudiorum cauſſa Officii divini recitationem remittat. 2. Quia Scholaſtico ſufficiens ſuppetit tempus, ſi ludo atque jocis, & quandoque inertiæ illud demat, quod requiritur ad perſolvendum hoc debitum. Ac fruſtra dicitur Urſinum nullos ex Præbenda ſua reditus colligere; quod non ex Beneficii natura, ſed ab eo procedit; cum eos utique perciperet, ſi reſidere vellet & choro adeſſet.

Non cenſetur Leſſius rigidior caſuum Conſcientiæ moderator: eam tamen ſententiam tuetur (*c*) his verbis, quæ refert Sylvius ejuſdem aſſertor. *Non excuſantur qui ideo nihil recipiunt, quod non reſideant, cum tamen poſſint qui, ſi reſiderent, eſſent recepturi ſaltem diſtributiones, quia per ipſos ſtat, quod non recipiant.*

(*c*) Leſſius l. 2. 34. dub. 31. apud Sylv. reſol. var. v. Horæ Can. 1.

CASUS XV.

Bonaventura, Canonicus, a Capitulo punctator eorum, qui ſerius ad Officium veniunt, aut citius ex illo exeunt, Ignatium amicum & avunculum ſuum, de ſe bene meritum ob id notare ſæpe omittit. Numquid in eo delinquit, & etiam pro Ignatio ad reſtitutionem tenetur?

Respons.

Difficultatis hujuſce diciſionem clare ſuppeditant hæc Tridentini verba (*d*). „ Cum Beneficia ad „ divinum cultum atque Eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta, ne qua in parte minuatur „ divinus cultus .... ſtatuit ſancta Synodus in Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in „ quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, „ vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum .... ſeparari debere, & in diſtributiones „ quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & ceteros divinis intereſſentes, proportionaliter .... in ipſa prima fructuum deductione facienda dividantur „: Hæc ſunt verba Concilii, ex quibus concludi neceſſe eſt, eos qui toti non interſunt officio, integras etiam non mereri diſtributiones, quas ut præſentes recipiunt, & punctatores a Capitulo commiſſos ad reſtitutionem teneri, ſi huic inſidi ſunt muneri, cui abſque præſentium injuria deeſſe non poſſunt; cum eorum culpa ſtipendia indebita recipiant abſentes. Hinc S. Carolus in quarto ſuo Provinciali Concilio an. 1579. (*e*) ſtatuit, ut is cui committetur diſtributionum ſolutio, ea ſub peccati reatu Eccleſiæ reſtituere tenebitur, quæ de abſentia notatis male ſolverit.

(*d*) Conc. Tr. ſeſſ. 21. c. 1. de reform.

(*e*) Concil. Mediol. IV. conſt. p. 2. de diſtribut.

Hinc ſequitur eidem pœnæ ſubjici punctatorem, quippe qui non minus injuſtitiam parit ſolutoris, quam ſolutor ipſe; abſentes ab officio, vel ſaltem ab una illius parte pro præſentibus notando contra intentionem Eccleſiæ, Fundatorum & ipſius Capituli, a quo mandatum illud accepit. Id ipſum quoque ſic concludit ſacroſancta hæc Synodus: *Punctator .... pro prætermiſſæ omiſſæve cujuslibet notæ aut punctationis ratione, de ſuo tantumdem det, quod ad Eccleſiæ uſum convertatur.* Igitur a peccato excuſari nequit Bonaventura, Ignatium integro Officio, qui parti tantum intereſt, præſentem notando; atque adeo, ipſius defectu, ad reſtitutionem eorum quæ injuſte accepit, teneri; amicitia, cognatione, aut gratitudine injuſtitiæ nequaquam opitulantibus.

CASUS XVI.

Canonici Eccleſiæ Cathedralis in Gallia non ita pridem ſtatutum condidere, quo fertur, ut tricenarii ab aditione Beneficii ſui Canonici eſſent emeriti, & eo titulo ab obligatione Matutini in choro cantandi præter dominicos feſtoſque dies, ac tempus quo Hebdomadarii munere fungerentur eſſent immunes, recepturi tamen diſtributiones ſuas, inſtar præſentium. 1. Numquid tale Statutum condere tuta conſcientia potuerunt illi Canonici? 2. Poſſunt ne tricenarii Canonici abſque peccato iſta immunitate potiri?

Videntur, quod poſſint. 1. Quia uſus ille obtinet, non modo in plerisque Galliæ & Belgii Eccleſiis, ſed & in iis quæ pendent immediate a ſancta Sede in quibuſdam Provinciis, ubi Canonici emeriti, non Matutino dumtaxat, ſed integro etiam officio abeſſe poſſunt, niſi ex pietate velint adeſſe. 2. Quia Canonici illi emeriti, ob illam ſibi conceſſam immunitatem, fabricam munere donarunt, quo facto par non eſt, eos tali jure privari. 3. Quia totum divini Officii in ſe curam ſumere poteſt Capitulum, & eos ſaltem ab eo eximere, qui 30. annis Eccleſiæ miniſtrarunt. 4. Quia cuncta Capituli Statuta obſervare jurejurando adſtricti Canonici, huic conſtitutioni, ipſo intacto refragari non poſſunt.

Respons.

Statutum, de quo agitur, eſt abuſivum: ac proinde cum illud condere non potuerit Capitulum; neque etiam ex eo conceſſa immunitate potiri valent Canonici emeriti. En probationes hujus deciſionis.

1. Quia Capitulare illud ſtatutum Conciliis & ſummorum Pontificum conſtitutionibus eſt contrarium. Nam (1) Baſileenſe, & Tridentinum (*f*) non aliam legitime a choro abſentiæ cauſſam in Canonicis agnoſcunt, quam juſtam & evidentem corporis neceſſitatem, aut Eccleſiæ utilitatem. Quod jam ante Tridentinum definierat Bonifacius VIII. ex conſtitutione quadam ab eodem Concilio in uſum revocata (*g*), in qua declarat hic Papa, diſtributiones non niſi præſentibus in choro eſſe concedendas; *Exceptis illis*, inquit, *quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret.*

(*f*) Conc. Baſil. ſeſſ. 21. Conc. Tr. ſeſſ. 24. c. 12. de refor.

(*g*) Bon. VIII. in Cap. *Conſuetudinem* 1. de Cler. non reſidentibus, &c. in 6.

2. Diſciplinam eamdem ſtatuit Pragmatica ſanctio, uti Rhemenſe Concilium (*h*), & alia multa Galliæ Concilia.

(*h*) Concil. Rhem. c. 21. de Capitulis & Canon.

3. Prima ratio eorum, qui ſtatuti hujuſce validitatem pro emeritis Canonicis ſuſtineri contendunt, nihil probat; quia nimis probat. Neque enim pravo exemplo aliud confirmatur; & mos abuſivus, quantumvis antiquus, ſequaces ſuos coram Deo magis criminoſos reddit, juxta illud Alexandri III. in Concilio Turonenſi an. 1163. (*i*) *Diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget.* Contra vero par eſt, ex antiquo Auctore quem in ſuo Decreto laudat Gratianus: (*K*) ut *pravum uſum lex & ratio vincat.* Denique adimenda eſt conſuetudo, qua franguntur ac eliduntur Eccleſiæ regulæ, qualis eſt iſta de Canonicis emeritis; quia minuitur cultus divinus, uti declarat Innocentius III. ſcribens ad Decanum & Capitulum Eccleſiæ Cenomanenſis (*l*).

(*i*) Alex. III. in Conc. Turonenſi in Can. *Non ſatis* 8. de ſimonia &c. l. 5. t. 3.

(*k*) Iſidor. in Can. *Uſus.* 3. q. 12.

(*l*) Innoc. III. in Can. *Cum inter* 5. de conſuet. l. 1. t. 4.

4. Altera ratio, quæ pro his Canonicis affertur, potiori etiam jure, quam prior rejicitur. Indignum quippe dictu eſt, quod quis velit pecunia aut munere, onus adeo neceſſarium redimere, qualis eſt obligatio Canonicorum, qua quotidie ad Officium chori ſingulis diebus, ſi poſſint, tenentur.

5. Falſa eſt, quam proferunt, tertia ratio. Capitulum

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. 1. num. 11. ſecundo loco.

tulum enim ab Officiis divinis quemquam privatum diſpenſare nequit, quia quilibet privatus ad aſſiſtentiam in Choro, non ſolum ex natura Beneficii ſui, ſed etiam ex Lege Superiori, Conciliorum videlicet & Decretorum ſummorum Pontificum, tenetur: *Atqui Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*, inquit Clemens V. (*a*), Deinde ſi ſuppoſita illa poteſtate uteretur Capitulum, ex hoc cultum divinum minueret, ut ſupra dictum eſt, atque ita Fundatorum intentionem defraudaret, qui ideo Clericis bona ſua dedere, ut Eccleſiæ deſervirent, ac ſingulis diebus debitum Deo honorem, pro ſuo quiſque ſtatu ac poteſtate redderent.

(*a*) Clemens V. in Clementina. *Ne Romani*. 2. de electione. L. 1. Clement. tit. 3.

6. Denique quarta eorum ratio plane eſt inutilis ad præſentem difficultatem. Cum enim Capituli ſtatuta ſe obſervaturos jurant Canonici; illud de legitimis ſtatutis intelligi debet, non vero de iis, quæ, cum ſint Eccleſiæ Conſtitutionibus contraria, ac proinde abuſiva & negligenda, ſtatuti nomine inſigniri non debent (*b*).

(*b*) Navarr. L. III. Conſil. de Clericis non reſidentibus, Conſilio 12.

CASUS XVII.

Nonne ad ſuſcipiendum indeſinenter Subdiaconatum tenetur Navigius Acolythus, annos natus unum & viginti, & in Curia Romana de Præbenda proviſus, quæ in poſſidente prædictum requirit ordinem?

Respons.

Ad id non rigoroſe tenetur; ſufficit enim, ut ad Subdiaconatus ordinem promoveatur intra annum, ſubducta ratione a die aditæ poſſeſſionis præbendæ ſuæ (*c*), ut conſtituit Clemens V. in Concilio œcumenico Viennenſi ſuo Decreto, quod refert corpus juris Canonici. (*d*) En ipſius verba: *Ille vero; qui dignitates, Perſonatus, Officia vel Præbendas, quibus certi ordines ſunt annexi, pacifice nunc obtinent in eiſdem Eccleſiis, vel obtinuerint in futurum, niſi (juſto impedimento ceſſante,) ad hujuſmodi Ordines ſe promoveri fecerint intra annum, ex tunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant .... pœniſque aliis, quæ contra tales, promoveri ad ordines recuſantes, ſtatuuntur in jure, nihilominus in ſuo robore permanſuris.*

(*c*) Barboſa ad Seſſ. 22. Con. Trid. c. 4. Et L. de Canonicis c. 16. n. 7. Et apud eam Sacra Congr. Card.

(*d*) Clemens V. in Clementina. Ut ii. De ætate & qualit. & ordine præficiendorum L. 1. Clement. tit. 6.

Decretum illud a Concilio Tridentino, quoad totum ſuum tenorem fuit confirmatum (*e*), atque ea potiſſimum ratione deciſionem ſuam, nobis aſſentiens Sylvius (*f*) affirmat: *Reſpondeo* inquit, *Canonicum de quo quæritur, excuſari ab ordine ſubdiaconali ſuſcipiendo; modo neque annus fluxerit, neque ſinat eum fluere, quin illum ordinem ſuſcipiat infra annum a capta poſſeſſione ſuæ Præbendæ.*

(*e*) Conc. Trid. Seſſ. 22. C. 4. de Reform.

(*f*) Sylvius reſolut. var. v. *Beneficium*. 6. reſp. ad quæſitum. 1.

CASUS XVIII.

Dissidant inter ſe ſancti Claudii Canonici, ad ſacros ordines promoti, & ſimplices Acolythi; quod priores jure electionis activæ privare velint Canonicos tantum Acolythos, contra ſtatutam in Capitulo conſuetudinem, qua omnes ad ſuffragium vocantur. Ad quos pertinet æquitas?

Respons.

Quæſtionem hanc clare ſolvit Concilium œcumenicum Viennenſe, in quo Clemens V. (*g*) approbante Concilio iſtud condidit Decretum: *Statuimus*, inquit, *ut nullus de cetero in hujuſmodi Eccleſiis* (Cathedralibus vel Collegiatis, vel ſæcularibus, aut regularibus) *vocem in Capitulo habeat; etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur, niſi ſaltem in Subdiaconatus ordine fuerit conſtitutus*. Quam diſciplinam iiſdem ferme iſtis terminis confirmavit Tridentina Synodus (*h*): *Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, ſæculari aut regulari, divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat.*

(*g*) Clemens V. in Clementin. Ut ii. De ætate & qualit. & ord. præficiendorum.

(*h*) Concil. Trid. Seſſ. 22. C. 4. de Reform.

Unde colligitur Canonicos de quibus in propoſita ſpecie fit mentio, qui ad ſacros ordines ſunt promoti, jure ab electione activa excludere poſſe Acolythos, quibus nullatenus ſuffragatur uſus contrarius, ex his ultimi Concilii verbis; *Etiamſi hoc ab aliis libere fuerit conceſſum*, & ex his aliis Concilii Viennenſis: *Etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur*. Quocirca abroganda eſt conſuetudo contraria juxta iſtam Joannis VIII. ad Ludovicum dictum Debonnairium Imperatorem ſcribentis regulam (*i*): *Quod contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur*; & iſtam aliam juris regulam (*k*): *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*. Cum hactenus acta in hoc Capitulo, Canonicis qui ſunt in ſacris, aliunde præjudicare nequeant; ex hac alia Bonifacii VIII. regula (*l*). *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.*

(*i*) Joan. VIII in Can. *Vides*. 10. diſt. 10.

(*k*) Reg. 18. de reg. Juris in 18.

(*l*) Reg. 14. ibid.

CASUS XIX.

Sergius Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, in confeſſione de ſuſcepto, ante requiſitam ex Tridentino ætatem, Subdiaconatu ſe ipſum accuſans ut in Capitulo vocem haberet, a Confeſſario ſuo audivit, hoc ſibi jus ex tali ordinatione, quantum ferebat ejus opinio, non fuiſſe acquiſitum: At retulit contra ſentiens Sergius, in eo quidem ſe peccaſſe, & facti pœnitere; at jus illud ſe acquiſiviſſe, cum Subdiaconatus jus ſuffragii in Capitulo conferret, quem re ipſa, etſi illicite, ſuſceperat. Cui jus?

Respons.

Pro Sergii Confeſſario ſtat ratio: quod ut probetur, duo ſunt certa præſupponenda: primum; quod Clericus ab Ordinibus ſuſpenſus, nullum exercere poſſit: alterum; quod jus ſuffragii in Capitulo nititur ætate ſimul & Canonica promotione, & ſuſcepti Ordinis uſu ſolo acquiritur.

Unde ſequitur 1. Sergium ſuſcepto ante legitimam ætatem Subdiaconatu, incurriſſe ſuſpenſionem latam ex Bulla ſeptima Pii II. 17. Novembris an. 1461. (*m*) nonageſima prima Sixti V. 5. Januarii an. 1589. (*n*) & ex quadrageſima Clementis VIII. 28. Februarii an. 1595. (*o*) & ex Concilio Tridentino. 2. Eumdem Sergium ab exercitio ordinis ſuis arceri, donec eum in hac cenſura, ſi ſit occulta diſpenſaverit Epiſcopus, & proinde Capitulo ad jus ſuffragii non poſſe adeſſe; cum illud non ſit privilegium Canonicatus, quo nimirum carent Acolythi & prima tonſura initiati, licet Canonici, ſed Subdiaconatus legitime ſuſcepti.

(*m*) Pius II. in Bulla, *Cum ex Sacrorum*. 7. in Magno Bullario. Tom. I. pag. 389.

(*n*) Sixtus V. in Bulla *Sanctum*. §. 3. ibid. Tom. II. p. 317.

(*o*) Clemens VIII. in Bulla *Romanum*. 4. 2. ibid Tom. III. pag. 53.

Hanc deciſionem confirmat illud Alexandri III. & Innocentii III. effatum (*p*): *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*. Nam injuſtum plane eſt, ut quis ex facto in legem, emolumentum percipiat; quod tamen in caſu propoſito eveniret, ſi jure illo quod ſperat, frui poſſet; quandoquidem mitius cum eo ageretur, qui Eccleſiæ legem fregiſſet, quam cum aliis Canonicis, qui ob defectum ætatis ipſi ſubmiſſe obediunt; donec Subdiaconatum per ætatem ſint adepti.

(*p*) Alex. III. in Cap. *Animus*. de colluſione detegenda L. V. tit. 22. Innoc. III. in Cap. *Officii*. 14. de teſtam. & ult. voluntatibus L. III. tit. 26. Et in Cap. *Cum dilectus*. 8 de Religioſis domibus ibid. tit. 36.

CASUS XX.

Mallonus, Cathedralis Eccleſiæ Feſulanæ Canonicus, videns ſua in Capitulo ſperni Concilia; & inſuper quinque aut ſex eſſe Canonicos pravo & turbulento ingenio, quorum ſententia ſemper prævalet ob clamores & injurias quibus ſibi adverſarios laceſſunt, ad majorem tranquillitatem a cœtibus Capitularibus ſemper abeſſe conſtituit. Numquid abſque conſcientiæ anxietate in tali conſilio permanere poteſt, præſertim ſi generali Capitulo, quod bis in anno ſolet haberi, interſit?

Respons.

Ad tria tenentur ſub peccato ſinguli Canonici. 1. reſidere in loco, ubi ſita eſt Eccleſia ſui Canonicatus. 2. Canonicis horis intereſſe. 3. Adeſſe cœtibus Capitularibus, qui ſolent haberi quibuſdam diebus deſignatis. In his tribus conſiſtit officium Canonici: ac probat Fagnanus ex deciſione Sacræ Congregationis; unde ſic concludit hic Canoniſta: (*q*) *Item*, inquit, *declaravit, validum eſſe ſtatutum, vel conſuetudinem, qua mulctantur ii, qui Congregationibus Capitularibus non interfuerint.*

(*q*) Fagnan. In C. *Licet*, De Præbendis &c. n. 42. & 43.

Deciſionis hujuſce ratio petitur, ex eo quod neceſſe ſit ut omnes Canonici 1. curent ut om-

pium non ſolum Canonicorum mores, ſed & Clericorum qui Eccleſiæ ſuæ miniſtrant, ſint recti, & proba eorum vita. 2. Ut jura & privilegia Capituli & veteres qui in Eccleſia obſervantur, uſus, intacta remaneant; atque Eccleſiaſtica vigeat diſciplina, mulctatis ipſius infractoribus. 3. Ut fideli & ſapienti temporalis reditus adminiſtrationi invigilent, ita ut nec fruſtra nec male diſſipetur.

Canonicus autem his omnibus fungi non poſſet muneribus: 1. ſi a Capituli cœtibus continuo abeſſet, cum in iis tantum res illæ diverſæ, nec alibi cum requiſita auctoritate agantur. 2. Si ea de cauſſa plerique Canonici ſapientia ac moderatione conſpicui Capitulo intereſſe recuſarent, ut nebulonum quorumdam atque turbulentorum iræ impetus vitarent; atque ita majori otio fruerentur; numquid intempeſtive temporalium atque ſpiritualium rerum Eccleſiæ regimen derelinquerent, ejuſque cauſſam ita proderent?

De Mellono itaque & quolibet alio Canonico, qui ſuſcepto conſilio ſtare vellet, idem ſarendum eſſet judicium, atque de judice integerrimo; qui, cum collegas ſuos ad iniquam ferendam ſententiam paratos videret, ad Tribunal ſedere nollet, ne iniquitatis eorum particeps fieret; nam ut Judex illa jus proderet per abſentiam ſuam, illud non ſuſtinens omni ſtudio atque integritate, atque adeo ſub reatu peccati judicio adeſſe teneretur; pariter Canonicus ille Capitulari tenetur adeſſe Congregationi, quoties poteſt, ut nebulonum prava conſilia atque injuſtitiam reprimat, ſolidiſque rationibus commune Capituli bonum procuret. Uno verbo membrum quodlibet communitatis cujuſcumque, ad officium ſuum in conſcientia tenetur, rem communitatis ſuæ pro viribus tuendo contra eorum conſilia, qui eam aut prodere aut derelinquere contendunt. Mellonus igitur ab omnibus Capituli cœtibus, ut ſtatuit, abeſſe non poteſt, niſi officium omittendo, quo tenetur quilibet Canonicus Capitularis.

CASUS XXI.

An eorum conſilium ſequi debet Elpidius Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Savonenſis, qui ipſi ſuaſerunt, ut tamquam ab abuſu provocaret, de ſtatuto abuſivo, quod pars Canonicorum maxima, ipſo intercedente condidit, & quo tribus menſibus vacationis a Tridentino conceſſis, quartum addidit; illud quoque dictum eſt ei, ad talem appellationem in conſcientia teneri?

Respons.

Certum eſt Elpidio competere jus appellationis a tali ſtatuto, utpote abuſivo; ſed ad appellationem in conſcientia non tenetur, cum ipſe ſolus in Capitulum litem non tantum labore atque ſumtibus plenam ſuſciperet, ſed quæ etiam diviſionem, ſcandalum & alia ſorte mala pareret. Unde ſequitur, quod, ut jure ſuo uti ſemper non licet ex his Apoſtoli verbis (*a*): *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*; ſatis eſt ſi hujus Capitularis ſtatuti exſecutioni intercedat, non provocando ab eo; præſertim, ſi judicet illud fieri non poſſe ſalva Capituli unione ac pace. Sic ſentit doctus Theologus, qui pariter reſpondit ſimili difficultati 16. Martii an. 1675. (*b*). Quibus addimus, ne quid ſibi ipſe exprobret, eos ab Elpidio de tali concluſione eſſe commonendos, ad quos pertinet huic efficaciter mederi; uti ad Procuratorem Generalem Principis.

(*a*) 1. Corinth. c. 6. 12.

(*b*) De Sté. Beuve, Tom. 1. Caſ. 43.

CASUS XXII.

Capitulum cujuſdam Eccleſiæ Cathedralis Galliæ efficiunt viginti Canonici Regulares Ordinis ſancti Auguſtini, qui immediate Epiſcopi juriſdictioni ſubjacent. A centum & amplius annis, hic inter eos uſus invaluit, ut privatim, aut apud parentes, vel amicos degant; ſuos ſeparatim habeant reditus, de quibus pro arbitrio, more ſæcularium Canonicorum, diſponunt, uno excepto, quod Teſtamenta condere non poſſint; & ut diverſo panno, licet unicolore, veſtiantur. Quæritur utrum talem conſuetudinem tuta conſcientia tollere poſſit Epiſcopus; an reformare teneatur?

Respons.

Canonicorum illorum vitæ genus, ſtatuti ſuo adeo contrarium, abſque gravi peccato tolerare nequit Epiſcopus: ratio eſt, quia vere ſunt Religioſi, cum tria Religionis ſolemnia vota emiſerint. Tenetur itaque uti immediatus eorum Superior, eos ad obſervantiam trium quæ emiſere, votorum, caſtitatis, paupertatis & obedientiæ; ad veſtem vitamque communem & uniformem, more ceterorum qui Religioſi ſunt, adigere; cum hæc ſit eorum obligatio penitus neceſſaria, & ex ſanctis Canonibus conſtituta; de qua ſic loquitur tertium Concilium Turonenſe an. 813. Leone III. Pontifice ſummo, & imperante Carolo Magno habitum (*c*): *Canonici & Clerici civitatum, qui in Epiſcopiis converſantur; conſideravimus, ut in Clauſtris habitantes, ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimulque in uno reficiantur refectorio; quo facilius poſſint ad horas Canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & converſatione ſua admoneri & doceri. Victum ac veſtitum juxta facultatem Epiſcopi accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi, per diverſa vagari, ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur, dimiſſoque Officio Eccleſiaſtico incipiant indiſciplinate vivere, & propriis deſervire voluptatibus.* Quod fuit confirmatum ex hoc ultimi œcumenici Concilii ſapiente Decreto (*d*): *Sancta Synodus .... præcipit, ut omnes Regulares tam viri quam mulieres, ad regulæ quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant & componant; atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum & veſtitum conſervanda, pertinentia, fideliter obſervent; omniſque cura & diligentia a ſuperioribus adhibeatur, ... ut ab illis non recedatur; cum compertum ſit ab eis non poſſe ea quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent relaxari.*

(*c*) Conc. Turon. III. Can. 23.

(*d*) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Regularibus & Monialibus. c. 1.

(1) Decretum illud admiſit Bleſenſis Conſtitutio (*e*). En ipſius verba: *In omnibus Monaſteriis tam virorum quam mulierum Religioſi & Religioſæ communem vitam ducent, & ſecundum eam quam profeſſi ſunt, Regulam. Et ob eam rem tenebantur Archiepiſcopi, Epiſcopi & Generales Ordinum, præpoſiti Monaſterio viſitandi, quæ pro officio ſuo juriſdictioni ſuæ ſubjacent, ad reſtituendum ibi monaſticam diſciplinam juxta primam eorumdem Monaſteriorum inſtitutionem.*

(*e*) Conſtit. Bleſenſ. art. 30.

Unde colligendum, quod, ſi Regularium Canonicorum de quibus in caſu propoſito agitur, remiſſioni atque deordinationi aſſentiretur Epiſcopus, vitæ eorum licentiam obfirmaret, & omnium fieret particeps criminum quæ vota ſua violando admittunt, & præcipue paupertatis votum; ex quo non iis, uti Canonicis ſæcularibus, competit temporalis ſui reditus, ac præcipue Præbendæ ſuæ adminiſtratio immediata, ſed mediata tantum, hoc eſt, per œconomum a ſingulis Canonicis nominatum; & nequidem aliorum Beneficiorum, quæ dignitatibus aut Præbendis ſuis ſunt annexa, reditus adminiſtrare valent, niſi rationes eorum legitimo ſuo Superiori referendo ob votum obedientiæ & paupertatis, quo eorum ſibi dominium vindicare non poſſunt, ſed juxta Fundatorum mentem & Eccleſiæ regulas; hoc eſt, in eleemoſynas, piaque opera, deductis inde ad honeſtam vitæ ſuſtentationem impenſis, eos expendere debent.

Inſuper cum reditus ſint communes, vitam quoque, victum ac veſtitum uniformem & communem habere debent, & quantum fas eſt, commune domicilium. Hinc regulares Canonicos quoſdam Ducatus Urbinatis, qui regularem diſciplinam non obſervabant, litteris ſuis acriter increpat S. Petrus Damianus (*f*). En verba ipſius: *Quia nonnulli veſtrum aggrederentur in Canonica regularitate vivere, plerique autem non aquieſcerent, volentes tantum apud ſe in ſuis proprietatibus habitare. Quod quidem non miramur; quia rarum non eſt: ſed dolemus potius, quia inhoneſtum eſt. Satis enim videtur abſurdum, ut Clerici quis prætendat in ordine ſpeciem, & ſæcularium teneat vivendo converſationem*

(*f*) Petrus Damiani Opuſcul. 27. in Argum.

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. III. num. VII.

Digitized by Google

(a) Idem Ibid. c. 2.

nem.... (a) quo pacto quis valeat dico Canonicus, niſi ſit regularis?... Volunt ſiquidem Canonicum, hoc eſt, regulare nomen habere, ſed non regulariter vivere. Ambiunt communia Eccleſiæ bona dividere; aſpernantur autem apud Eccleſiam communiter habere. Hæc ſunt verba illius Sancti de inordinationibus Canonicorum Regularium ſui temporis, hoc eſt, ſæculi XI. quibus abſimiles non ſunt in caſu propoſito. Non minus acriter invehit in talem inordinationem Yvo Carnotenſis (b). Quo pacto igitur Epiſcopus Canonicorum Regularium, de quibus agitur in caſu propoſito, ſuperior immediatus eamdem poſſet approbare, ſeu formali, ſeu tacito conſenſu, hoc eſt, ſilentio ſuo diſſimulans, neque huic curans mederi (c)?

(b) Yvo Carnotenſis, Epiſt. 216.

(c) De Ste. Beuve. tom. 2. Caſ. 69.

CASUS XXIII.

In aliqua Galliæ Diœceſi reperitur Collegiata Eccleſia in fertili regione ſita, in cujus Capitulo octodecim ſunt Canonici, quorum ſex reſident, ceteris abſentibus & Parœciarum miniſterio, aut aliquo alio munere diſtentis ob modicos præbendæ ſuæ reditus, qui ſeu pro præbenda aut Miſſis fundatis aut caſuali proventu, ad quemlibet vix librarum 212. vel 215. ſummam attingunt; ſubductis inde quibuſdam vitium jugeribus, quæ communiter poſſident.

Unus e ſex Canonicis modicum illum ad honeſtam ſui ſuſtentationem non ſufficere exiſtimans proventum, proprio marte, ſimplici libello a Diœceſano Epiſcopo requiſivit, ut ſibi liceret Miſſæ Capitularis ſingulis diebus celebrari ſolitæ, Miſſas ſolemnes ex fundatione Anniverſarias, Miſſas ſolemnes ex fundatione anniverſarias in ſua Eccleſia, aut Miſſas quaſdam ſodalitatum ſubſtituere: quod ſcripto conceſſit Epiſcopus his ferme verbis: *Cum a Canonicis Eccleſiæ S. Acacii, Collegiatæ urbis noſtræ Epiſcopalis expoſitum fuerit, quod ob parvum reſidentium numerum atque rerum omnium inopiam caſualibus Miſſis, ſimul cum intentione Miſſæ Capitularis ſatisfacere non poterant, conceſſimus, prædictas Miſſas caſuales Miſſæ Capitulari ſubſtituere, exceptis tamen Dominicis Feſtiſque diebus. 1. Februarii an. 1715.*

Inſuper, cum iſta Eccleſia ſit Collegiata ſimul & Parochialis, tenentur Canonici ad celebrationem Miſſæ minoris quotidianæ pro Parochianis, quam Canonicus hujus hebdomadarius celebrat, dum ceteri in Choro Matutinum Laudes & Primam decantant, a quo proinde abeſt Officio.

Oldradius, unus e ſex Canonicis de caſu expoſito quaſdam proponit difficultates.

1. Utrum legitima ſit & canonica permiſſio ab Epiſcopo Diœceſano conceſſa Miſſæ Capitularis Intentionem applicandi Miſſis anniverſariis pro defunctis, nec Præbendarum fundatoribus fiat injuria, qui non minus pro ſe Miſſam hanc, quam reliquum Officium Canonicum, cujus tam pars eſt præcipua, erexerunt?

2. Utrum ex hac permiſſione uni tantum Canonico privatim petenti conceſſa, non vero Capituli nomine, quinque reliqui qui eadem potiuntur tuta ſint conſcientia?

3. Utrum ex hac etiam conceſſione Miſſas anniverſarias pro defunctis ſubſtituere poſſint Miſſæ canonicæ Dominicis ac Feſtis diebus: & utrum deficiente anniverſario Miſſæ Canonicæ intentionem poſſint applicare pro privato quodam, qui Miſſas minores pro quiete animæ ſuæ fundavit; quod utrumque fit ex obtenta illa permiſſione?

4. Utrum Canonici ſex qui reſident, anniverſariam Miſſam ante aut poſt Capitularem non cantare deberent; cum non frequens ſit earum concurſus?

5. Utrum ex hujus conceſſionis, ea qua expoſita eſt ratione, ad aliquam reſtitutionem non teneantur Oldradius ac reliqui Canonici; pariter ex abſentia ſua, ab Officio Canonico pro rata temporis, quo Miſſam quotidianam pro Parochianis celebrarunt?

6. Denique, utrum duodecim abſentes Canonici Præbendæ ſuæ titulo frui poſſint ſimul cum Parœciis quas rure obtinent, aut Vicariatu quo funguntur?

Respons.

Exiſtimamus, non obſtante modico 212. aut 215. librarum reditu, quo potiuntur Canonici Collegiatæ S. Acacii, injuſte ab iis Miſſarum ad quas tenentur, numerum fuiſſe imminutum; cum ad honeſtam eorum ſuſtentationem, quantumvis modicus ſufficiat, in fecunda præſertim regione ille reditus, cui etiam adjunguntur quædam vitium jugera etiam fructuoſa. Videtur itaque, eum Canonicum qui tam facile conceſſionem de qua agitur, obtinuit; vel amplificando, vel aliter Diœceſanum feſelliſſe Epiſcopum, qui aliunde ad ſupplicem privati libellum eam concedere non debuit, omiſſis ordinariis formalitatibus; hoc eſt, non exhibitis ſibi Capituli, aliiſque Eccleſiæ fundationum actis, ut apprime illius reditus & onera perſpecta haberet, *re diligenter perſpecta*, inquit Concilium Tridentinum (d); nec juridice vocatis fundatoribus, aut eorum ſucceſſoribus; priuſquam ex ſententia ſupprimeret, aut reduceret Miſſas Canonicas, aliamve publici Officii partem, cujus cauſſa eriguntur cuncta Beneficia, juxta illud Concilii Conſtantienſis (e), nec non Bonifacii VIII. in una ex ſuis Conſtitutionibus (f), atque Concilii Tridentini effatum (g): *Beneficium propter Officium datur.* Hujus autem formulæ ratio hinc petitur, quod juſte poſſint intercedere illi quorum intereſt, modo ipſi Epiſcopo ejuſve Officiali, ignoto; & impedire, ne quid innovetur, aut decipiatur judex ex falſo narrato.

(d) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 4. de reform.

(e) Conc. Conſtantienſ. Seſſ. 43. Decr. Diſpenſ.

(f) Bonif. VIII. in C. *Quia per ambitioſam*. fin. de reſcriptis in 6.

(g) Conc. Trid. Seſſ. 21. c. 3. de reform.

In caſu autem propoſito, Epiſcopus, ut videtur, neque cautiones iſtas ad vitandum dolum, nec requiſitas obſervavit formulas ante datam conceſſionem a privato Canonico, ſuo dumtaxat, non vero Capituli nomine requiſitam. Igitur, uti legitima & canonica haberi non debet; atque adeo non ſufficiens, ut ex ea a culpa ſint immunes Canonici, qui eam executioni demandarunt, & qui eam non ſine injuſtitia extendere præſumpſerunt ultra ſuum tenorem, ſeu diebus Dominicis & Feſtis Canonicam Miſſam anniverſariis contra expreſſam conceſſionis ipſius prohibitionem ſupplendo; ſeu idem de Miſſis pro defunctis in ſua Eccleſia fundatis, de quibus ſilet conceſſio, faciendo.

His additur, quod ex Concilio Tridentino (h), Conſtitutione Bonifacii VIII. ſuperius relata, & Joannis XXII. (i) Epiſcopus abſque legitima cauſſa facultatem concedere nequit, qua aperte minuatur cultus divinus: atqui negari non poteſt, ex conceſſa facultate notabiliter minui cultum divinum, cum pro duabus Miſſis ſolemnibus altera Canonica, aliter anniverſaria pro quibuſdam defunctis; unam tantum celebrare poſſint Canonici, non ſine eorum præjudicio qui Præbendas erexerunt, & pro quibus idcirco, tamquam præcipuis benefactoribus ſuis, eas applicare ſtrictius tenentur.

(h) Conc. Trid. loco citato & Seſſ. 25. c. 4. de reform.

(i) Joan. XXII. in extravag. *Suſcepti.* un. inter commune. Ne Sede vacante aliquid innovetur.

Id quidem ultro concedimus, inſufficientem fore fructum illarum Præbendarum, ſi octodecim reſiderent Canonici: verum tali defectui remedium facile poſſet afferre Epiſcopus 1. dictis Præbendis Beneficia ſimplicia annectendo, ut fert Decretalis Honorii III. ad quemdam Hungariæ Epiſcopum ſcribentis (K): *Si evidens*, ait, *neceſſitas, vel utilitas exigat; Præbendas Eccleſiæ tuæ poteris de Capellis, in perpetuum annectendis eiſdem ſicut direćtione prævia expedire videris augmentare.* Sed in eo caſu ſinguli quorum intereſt vocandi ſunt, ſive Patroni Eccleſiaſtici, vel Laici; Collatores aut Titulares, ut eorum rationes, prout convenit, ponderet Epiſcopus.

(k) Honor. III. in C. *Expoſuiſti*. 33. de Præbendis & dignitat. L. III. tit. 5.

2. Reditus quarumdam Præbendarum & Titularium numerum reducendo ad Menſam Capitularem ex libello ſupplici, quem juxta formam deſcriptam dabit Capitulum, quo omnes ſive Præbendæ ſeu diſtributionum reditus deſcriberentur, & de quo nihil ſtatueret Epiſcopus, niſi obſervatis regulis de jure, aut uſu generatim in hac circumſtantia admiſſo, prærequiſitis. En reſponſio noſtra ad tres primas Oldradii petitiones.

Quod pertinet ad duodecim abſentes Canonicos, ex iis nemo Canonicatus ſui titulum, Parœ-

Digitized by Google

ræciæ deſerviendo, retinere poteſt, quantumvis tenues ſint utriuſque Beneficii fructus: quia ex ſanctis Canonibus. Regumque Galliæ Edictis incompatibilia ſunt illa duo Beneficiorum genera. Idem tamen affirmare non audemus de eo, qui de Præbenda ſua nullum percipiens reditum, cujus inter omnes fit diſtributio, Vicarii munia obeundo, vitæ neceſſaria quærit; aut qui debitam ſibi reditus paucitatem ad egentium Canonicorum levamen dimittit; tum enim obtento Epiſcopi conſenſu, Vicarii munus obira poteſt ad Eccleſiæ miniſterium, ut videtur, & ſuam hoc modo levare paupertatem, retento tamen Beneficii ſui titulo, donec eorum qui Canonicis interſunt horis, honeſtam ſuſtentationem canonice procuraverit Epiſcopus.

Denique ad duo ultima quæſita reſpondemus 1. Canonicos, qui obtenta fraudulenter ab uno privato conceſſione uſi ſunt, teneri ad reſtitutionem *pro rata* accepti fructus ob omiſſum miniſterium; niſi tot Miſſas, quot omiſerunt, malint celebrare. 2. Eadem ratione alios qui quotidianam pro Parochianis Miſſam celebrarunt tempore matutini Officii, ad reſtitutionem pariter obligari pro rata accepti ſtipendii pro horis illis quibus non affuere: ita ut ad eam non minus, quam alii, teneatur Oldradius a tempore, quo non fuit in bona fide; cum juxta D. Thomæ principia, ad eam non teneatur, dum fuit in bona fide.

Vide { BENEFICIARIUS. CAPITULUM. OFFICIUM BREVIARII. }

CAPELLANUS REGIS.

Vide SIMONIA, Caſu Theotimus.

CAPITULUM.

NOMINE Capituli hic intelligitur congregatio Decani, Dignitatum & Canonicorum alicujus Eccleſiæ, ad agendum ſimul de rebus ſive ſpiritualibus ſive temporalibus, quæ ad ſe pertinent, & cujus omnis auctoritas reſidet *in majori & ſaniori parte*, ut loquitur tertium Concilium œcumenicum Lateranenſe (*a*). Hic autem conventus diebus feſtis, neque per Canonicam Miſſam haberi debet.

In jure duplex tantum Dignitatum genus reperitur; nempe Dignitates Archipresbyteri & Archidiaconi; ceteris, uti Decani, Theſaurarii, Præpoſiti & Cantoris ex conſuetudine conſtitutis.

Dignitas definitur, *Præeminentia quædam, rerumque Eccleſiaſticarum adminiſtratio cum juriſdictione*; qua in re a Perſonatu cui non annexa eſt juriſdictio, differt Dignitas (*b*).

Capitulum juriſdictionem habet in ſuos Canonicos, eoſve qui ab eo pendent, in iis omnibus quæ *Correctioni* levi ſunt ſubdita: uti privare Canonicum aut alium Beneficiarium aut Eccleſiæ Officiarium ſuis diſtributionibus, cum in choro deliquit, aut ab eo abſque cauſſa legitima abeſt; cum Clericali habitu aut tonſura non eſt inſignitus, aut pro aliis hujuſmodi caſibus, qui apud Fevretum legi poſſunt: quod fit abſque ulla litigii ſpecie, aut aliqua ſuſpenſione vel excommunicatione a Capitulo lata; uti declarat Innocentii III. ad Epiſcopum Bellovacenſem Decretalis (*c*).

Capitulum ab Epiſcopali juriſdictione exemtum, ab ejus quoque viſitatione eximitur; & ſi Officialem habeat, ad eum pertinet, non vero ad Officialem Epiſcopi, Canonicum alioſve Capituli juriſdictioni ſubditos judicio perſequi.

Capitulum jus habet deputationis ad Concilium Provinciale, in quo ſtatuuntur, quæ in omnibus Provinciæ Eccleſiis ſunt obſervanda. Ipſius quoque deputati jure ferendi ſuffragii potiuntur in iis omnibus, quæ pertinent ad ſuas exemtiones, privilegia, juriſdictionem, aliaque jura temporalia, ut probat Thomaſſinus ex Concilio Rhemenſi an. 1585. Innocentius III. voluit, ut quidem ad quartum Lateranenſe Concilium an. 1215. deputarent Collegiatæ, ut poſtea ad Concilium Budenſe an. 1279.

Capitulum ſtatuere poteſt circa ea, quæ ſpectant ad rectam Eccleſiæ ordinationem: ſed nullum condere poteſt Statutum, quo minuatur cultus divinus, uti 20. Decembris an. 1660. decrevit Senatus Pariſienſis.

Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, Sede vacante, ſuccedit in voluntaria & contentioſa juriſdictione, quæ ex jure communi defuncto Epiſcopo competebat; aliquot tamen in jure Canonico expreſſis caſibus exceptis (*d*). Tunc itaque Beneficia curata, quæ ſunt collationis neceſſariæ conferre poteſt, quales ſunt, quæ a Graduato, Indultario, aut præſentato a Patrono Beneficii requiruntur; ut etiam in caſu ſimplicis permutationis, & etiam vacationis ex obitu; etſi caſus illi pleno jure Epiſcopi collationi per-

mit-

(*a*) Conc. Lateran. III. in C. *Cum in cunctis*. 1. de his quæ fiunt a majori parte Capituli L. III. tit. 10.

(*b*) Bonifac. VIII. in C. *Conſuetudinem*. 3. De conſuet. in 6. & ibi Gloſſa. Gloſſa in C. *Quia*. 3. De Clericis non reſident. v. *Dignitates*.

(*c*) Innoc. III. in Cap. *Cum contingat*, de foro competenti. L. II. tit. 2.

(*d*) Vide ſeptimam Deciſionem.

mittatur, idque, ne Paſtore diutius careat Parœcia. Eadem quoque ratione poteſt 1. admittere Sacerdotes ad Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum, eorumque admiſſiones ad tempus, loca & perſonas reſtringere. 2 Ad abſolvendum a caſibus defuncto Epiſcopo reſervatis confitentes, aut a cenſuris, ne ipſa quidem excommunicatione *a jure* vel *ab homine* excepta; uti declarat Bonifacius VIII. in quadam Conſtitutione (*a*). Qua de re fuſius dicetur in inferioribus reſponſionibus, atque conſuli poſſunt *Joannes Andreas*, Hoſtienſis, Panormitanus aliique Canoniſtæ, qui docte hac de materia ſcripſere, ut Joannes Franciſcus de Panvinis viginti quæſtionibus, quas reſolvit.

(*a*) Boniſac. VIII. in Cap. *Epiſcopali*, de majorit. & obed. in 6.

CASUS PRIMUS.

Capitulum Eccleſiæ cujuſdam Cathedralis, ſede vacante, non niſi quindecim diebus poſt mortem Epiſcopi, ob conteſtationes inter Canonicos ortas, Georgium Theologiæ Baccalaureum, Vicarium generalem nominavit: quo diſſidio noto, Metropolitanus, eos quatuor aut quinque diebus prævertens, Hieronymum in jure Licentiatum, generali diœceſis Vicariatu inſignivit. Quis e duobus eſt legitimus Vicarius?

Respons.

Hieronymus, a Metropolitano nominatus, eſt ſolus legitimus Vicarius generalis, duabus de cauſſis: 1. Quia ex Concilio Tridentino (*b*) *Capitulum ſede vacante ... Officialem ſeu Vicarium infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exſiſtentem confirmare tenetur*. 2. Eum debet conſtituere, *qui ſaltem in jure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus...... ſi ſecus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujuſmodi devolvatur*. Ex Edicto Bleſenſi (*c*) Magnus Vicarius debet eſſe Sacerdos, quamvis illud taceat Concilium.

(*b*) Conc. Tr. Seſſ. 24. C. 16. de reform.

(*c*) Edict. Bleſenſe art. 45.

Obſervandum tamen in Gallia non obſervari illam Decreti partem, qua ſtatuitur, ut a Capitulo infra octo dies poſt mortem Epiſcopi eligatur Vicarius generalis, propoſita ipſum eligendi juris amiſſione; cum pœna illa comminatoria tantum cenſeatur.

CASUS II.

Hæc inter Cathedralis Eccleſiæ Sedunenſis Canonicos agitata eſt quæſtio, utrum videlicet Capitulum, ſede vacante, Epiſcopo poſſet committere ad Ordines in ſua Eccleſia conferendos. Quidam pugnaciter affirmarunt, alii vero negarunt. Numquid pro prioribus ſtat ratio?

Respons.

Pro affirmantibus ſtat ratio, ut poſt Pauvinum & Azorium quos laudat, aſſerit Cabaſſutius (*d*). Etſi, inquit, non ſuccedat Capitulum Epiſcopo in iis quæ ſunt ordinis (ſcilicet Epiſcopalis) ſed in ſola juriſdictione; poteſt tamen Epiſcopo committere intra viduatam Eccleſiam ea quæ ſunt ordinis. Nam committere alteri, eſt ſolius juriſdictionis.

(*d*) Joan. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & Prax. L. 2. c. 34. n. 31. Et apud eum Pauuinus 1. par. q. 3. Et Azor. part. 2. L. 3. c. 37. q. 8.

Obſervat heic Canoniſta (*e*), ob eamdem rationem delinquentes Clericos poſſe punire ſeu privatione a Beneficiis, ſeu cenſuris, aut aliter; ut docent etiam duo citati Auctores, quia tunc Epiſcopi vicem gerit Capitulum in rebus juriſdictionis (*f*).

(*e*) Idem ib. n. 34. & 37.

(*f*) Pauuinus de poteſt. Capitul. ſede vacante. Azor. loc. cit. c. 38. q. 11.

CASUS III.

Capitulum Cathedralis Eccleſiæ diœceſis cujuſdam Galliæ ex antiquo uſu nominare ſolet, ſede vacante; 1. quinque Vicarios generales: decem Officiales: novem Promotores: quinque Secretarios, & octo Cauſſidicos ex Officio, qui omnes ſunt de corpore Capituli. 2. Solet etiam nominare Officialem Primarium & Promotorem, qui in urbe Epiſcopali reſident; & Officialem foraneum cum Promotore & Scriba, qui in alio diœceſis oppido juriſdictionem Eccleſiaſticam contentioſam exercent. 3. ab hoc Officiali foraneo, ipſius Promotore, Scriba & Secretario duos trientes emolumentorum muneris ſui exigit; quæ percipiens exactor in eam rem a Capitulo commiſſus, ea poſthac cuilibet Canonico juxta ordinem nominis in indice, diſtribuit.

Quæritur itaque 1. utrum legitimus ſit, & idcirco prorogari poſſit hic uſus nominandi iſtos Officiarios juxta ordinem præſcriptum in indice. Hanc autem rationem ſui ductus affert Capitulum, quod uſus ille a centum annis & amplius obtinet, & fuerit inductus ut vitetur ambitus eorum, qui ſede vacante ad iſtas dignitates aut munera aſpirant.

2. Utrum legitima ſit ab Officiali foraneo, ejuſque Officiarii exactio duorum trientium emolumentorum, tum quoad Canonicos, tum quoad Sacerdotes extraneos, qui ad Canonicorum recuſationem his muneribus obeundis præficiuntur.

Id ſibi licitum eſſe putant. 1. Quia Romæ venalia ſunt quædam Curiæ munera. 2. Quia Epiſcopi aut Archidiaconi per annum juſtæ Caducariæ in iis provinciis in quibus viget, ad Parœciarum miniſterium, Sacerdotes committunt; ſi tamen pecuniæ ſummam certam numerent, reliqua pro ſtipendiis redituum parte relicta. 3. Quia multæ ſunt Parœciæ communitatibus ſeu ſæcularibus, ſeu regularibus unitæ, ad quarum miniſterium unum de communitate deſtinant, nihil ipſi, niſi ad vitam neceſſaria miniſtrando. 4. Quia multæ ſunt Officiariorum laicorum communitates, quæ collata in commune munerum ſuorum emolumenta, poſtea inter ſe dividunt. Ex quibus exemplis colligunt Canonici, id quoque ſibi licitum eſſe, ut Officiariis ſuis aſſignata emolumentorum parte congrua, reliquum inter ſe dividant.

3. Quæritur, quo ſe pacto gerere debeant Officialis foraneus aliique Officiarii, ſi illegitimus ſit hic uſus, quem tamen retinendum cenſeat pars Capitularium maxima.

4. Utrum a Capitulo ſaltem conſtitui poſſet, ut duo illi emolumentorum trientes in Eccleſiæ Fabrica aliave pia opera cederent?

Respons.

Uſus Cathedralis, Eccleſiæ de quo in caſu propoſito, videtur abuſivus, atque, ut fert noſtra ſententia, debet adimi: idque ſeptem de cauſſis, quoad primum caput.

1. Quia ad bonum diœceſis regimen non conducit, viginti quatuor, Vicarii generalis, Officialis ac Promotoris munera conferre, cum eos tantum ad ea munera promovere, ſede vacante, poſſit Capitulum, qui neceſſarii ſunt ad jus adminiſtrandum, quod ad ſe, ex hac vacatione, devolvitur. Atqui abſurde tantum dici poteſt, ad talem adminiſtrationem, viginti quatuor, ſeu Vicarios generales, ſeu Officiales ac Promotores requiri: omnibus quippe notum eſt, urbis & diœceſis Pariſienſis unum tantum eſſe Officialem ac Promotorem, licet ſeptingenta ſint incolarum millia & plura in hac ſola urbe primaria, reſque intricatiſſimæ, quæ Eccleſiaſticæ juriſdictioni ſubjacent, in eo tribunali agitentur ac ſolvantur. Fit tamen ſæpe ut quibuſdam juridicis diebus vacet forum. Idem de reliquis Galliæ diœceſibus dicendum, in quibus unus eſt tantum Officialis præcipuus, aut ad ſummum alter foraneus in aliquo oppido diœceſis, ob nimiam ejus ab urbe Epiſcopali diſtantiam, niſi forte plurium Parlamentorum juriſdictioni ſubjacet diœceſis; tum enim, in qualibet juriſdictione Officialem nominare tenentur Epiſcopi, ut probat Fevretus ex multis Arreſtis (*g*), ac præcipue ea duobus Parlamenti Burgundiæ, 17. Junii 1563.

(*g*) Fevretus tract. de abuſu l. 4. c. 3. n. 7. & 8.

Digitized by Google

& 10. Maii 1611., tum ex alio Parlamenti Pariſienſis in Epiſcopum Auguſtodunenſem lato; quibus addi poteſt quartum Parlamenti Gratianopolitani 30. Julii anno 1638. quo abuſivus declaratus eſt proceſſus ab Officiali Lugdunenſi in Delphinatu factus, & quo conſtitutum eſt, ut Archiepiſcopus Officialem pro parte ſuæ Diœceſis juriſdictione hujus Parlamenti nominaret, ut ait idem Fevretus: quare Lingonenſis Epiſcopus ex Arreſto Senatus Pariſienſis 24. Aprilis anno 1600. coactus eſt ſupprimere foraneum Officialem duodecim ab urbe ſua Epiſcopali leucis conſtitutum, cum interdicto, ne alibi quam Lingonis deinceps Officialem alium conſtitueret. Cujus rei hanc Baldus affert (a) rationem: *Neque enim debent eſſe plures Epiſcopi, ut nec plures Vicarii, ſeu Officiales.* Unus nimirum a Concilio Tridentino requiritur.

(a) Bald. in Cap. Quoniam. de offic. Ordin.

2. Hinc etiam abuſiva probatur illius Capituli conſuetudo, quod, ſi ex novemdecim illis Officialibus & Promotoribus quiſque ſuum obire vellet officium, ut quiſque, ſi legitime ſit conſtitutus, facere poteſt; quæ inde in Diœceſi orietur confuſio, niſi intercederent ſupremæ Curiæ? At vero ſi aliunde illud prohiberent Parlamenta, ut juſte præſumi poteſt; cui forent utilitati ad Eccleſiæ bonum tot Officiarii citra neceſſitatem multiplicati, quorum poteſtatem ligaret auctoritas ſuprema?

3. Quia a Capitulo Diœceſis ſpirituale regimen non niſi poſt maturam deliberationem, viris & probitate morum & ſcientia conſpicuis, debet committi; non vero fortuito eligi debent illi Officiarii: quod tamen fit ex prædicto Capituli uſu, quo viginti quatuor, primi in catalogo deſcripti, pleno jure fiunt generales Vicarii aut Promotores; ſive ſint idonei, ſive non. Nam, etſi ii qui officia iſta de præſenti obtinent, eorum munia digne poſſe exercere concederetur; negari tamen non poteſt, quin in poſterum forſan ſint futuri, qui non requiſita in his Officiariis erunt probitate aut idoneitate, ac præſertim ſufficienti, non ſolum Teologiæ juriſque Canonici peritia, ſed etiam juriſprudentiæ ordinationum & declarationum regis & Arreſtorum ſupremarum Curiarum, quibus, ut probant Imbertus Chenu & alii (b), ſe conformare tenentur omnes Galliæ Officiales; ne appellationibus tamquam ab abuſu detur occaſio.

(b) Imbert. de enchirid. pag. 500
Chenu qq. notabiles. q. 8. & collect. 2. tit. 41. cap. 1.

4. Fieri poteſt, (1) ut in tanto Canonicorum numero, qui pleno jure Vicarii generales aut Promotores evadunt; quidam ſint tantum Diaconi, ac proinde ad hujuſmodi officia inhabiles. Neceſſe eſt enim ut magnus Vicarius & Officialis ſint Sacerdotes, ut docent Peleus (c), Tournetius & Bouchelius, qui Senatus Pariſienſis Arreſtum 9. Januarii anno 1608. profert, quo litteras Sacerdotii ſui teſtimoniales ab Officiali Antuerpienſi eſſe producendas cenſuit, ut officium ſuum comprobaret. D. Brillon (d) refert etiam Arreſtum Parlamenti Toloſani 15. Maii an. 1608. quo Archiepiſcopis & Epiſcopis prohibetur, ne intra juriſdictionis ejuſdem Parlamenti limites, quemquam, niſi Sacerdotem, Officialem nominent; in quo conſentiunt hæc Arreſta cum Synodo Tridentina (e), cujus Decretum confirmavit Conſtitutio Bleſenſis (f), ut obſervat Fevretus (g).

(c) Peleus Actio forenſ. L. 4. c. 27.
Tournet Litt. O. Arreſt. 17.
Bouchel. Bibliothec. c. tom. 2. pag. 139.

(d) D. Brill. Dict. Arreſt. V. Ocial. n. 174.

(e) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 24. de reform.

5. Fieri etiam poteſt, ut quidam ex decem, juxta catalogi ordinem deſignatis Officialibus, non ſit graduatus, atque ex hoc defectu ad iſtam dignitatem inhabilis; cum ex Conſtitutione 26. Januar. 1680. Officialis debeat eſſe in jure Licentiatus, vel ſecundum declarationem 22. Maii inſequentis, in Teologia Licentiatus.

(f) Edict. Bleſenſ. art. 45.

(g) Fevretus Loco cit. n. 4.

6. Quia fieri etiam poteſt, ut quidam ex novem Canonicis qui Promotoris munus obtinere debent, ſit Pœnitentiarius, atque adeo ad Officium Promotoris non idoneus; quia in uno reperiri non poſſunt hæc duo Officia, utpote incompatibilia; quia, inquit Fevretus (h), Promotor *partes delatoris exſequitur*, criminum ultionem ſolicitat, atque accuſatos ſi poſſit, convictos præſtat; cum crimina diſſimulare aut occultare nequeat, ſi ea eſſe vera probare valeat: contra Pœnitentiarius, uti Pater ſpiritualis, culpas abdit, neque earum recuſat abſolutionem pœnitenti ad eam recipiendam debite diſpoſito, ut loquitur hic juriſconſultus ex iſtis Tertulliani, quem refert, verbis (i): *Malos abſcondi cupit, non eruit: confeſſos abſolvi deſiderat, non damnari.*

(h) Idem ib. num. 30.

(i) Tertul. 5. Apologet.

7. Quia ex hoc uſu aliud ſequitur notabile incommodum, quod ſcilicet minuatur cultus divinus: nam, ubi primum Officialis aut Promotoris munera obtinebunt illi omnes Canonici, jure poſſunt integras diſtributiones, ex privilegio Officialibus aut Promotoribus conceſſo, ut videre eſt in actis Cleri, etiamſi choro non adſint, repetere (k); quod ſi ita ſit, & ſua novemdecim Canonici Officiales aut Promotores, uti velint prærogativa, Eccleſia brevi fiet deſerta, nec erit qui veniat ad ſolemnitatem: licet enim omnes munus ſuum non exſequantur; qui minus erunt ſcrupuloſi, quorum ſemper major eſt numerus, ſub ſpecie privilegii a Capitulo ſibi conceſſi, facile a choro aberunt.

(k) Acta Cleri. tom. 4. part. 5. pag. 104. art. 9. & pag. 106.

Ex his rationibus conſtat evidenter, quam abuſiva ſit conſuetudo Cathedralis Eccleſiæ de qua in caſu propoſito, cum magnus ille Officiariorum numerus, ſede vacante, inſtitutus ſi non ſit noxius, ſaltem inutilis eſt ad bonum Diœceſis regimen, etſi ſinguli omnibus requiſitis eſſent præditi qualitatibus. Quo perſuaſum habemus, hunc uſum ab exſiſtentibus Canonicis hujuſce Cathedralis Eccleſiæ eſſe abrogandum: atque ceterorum regni Capitulorum morem eſſe ad praxim reducendum, unum videlicet in Epiſcopali urbe Officialem præcipuum, & alterum Foraneum conſtituendo, cum uno ad quamlibet Officialitatem Promotore. Hæc ſunt, quæ ad primum propoſiti caſus articulum pertinent. Nunc ad alterum veniamus, qui ſpectat ad duos trientes emolumentorum, qui ex duabus Officialitatibus provenientes a Canonicis inter ſe dividuntur, relicto tertio triente iis, qui Officialium aut Promotorum munere funguntur.

Certum eſt, regulariter loquendo a Capitulo non vendi locarive munera Officialis ac Promotoris, duas tertias partes emolumentorum exigendo: illud tamen fatendum conventionem hanc a vera locatione non longe abeſſe; atque adeo, ſi non ſit vera ſimonia, commercium eſſe ab ea haud abſimile, & quod proinde damnat conſtitutiones canonicæ: cum dignitate & Eccleſiaſtica Officia ſint Dei dona, quæ eodem prorſus modo quo accepta ſunt, ceteris debent communicari, id eſt, gratuito. *Quæ Dei dona ſunt, quoniam a Deo fidelibus, & a fidelibus Deo donantur quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debeat.* Hæc ſunt Urbani ſecundi verba, quæ alio in loco a nobis laudantur (l): in quo videbitur, quo pacto Alexander III. & Turonenſe Concilium anno 1163. rem iſtam explicant, & rigoroſum Concilii Toloſani Decretum addimus, quod caſui propoſito apprime convenit, iſtis verbis factum: *Qui alii, licet Eccleſiaſtico, ſuam aut Eccleſiæ ſuæ juriſdictionem .... vendiderit, commiſerit locaveritve, ipſo facto excommunicatus exſiſtat* (m).

(l) V. Officialis. Caſu Leander.

(m) Conc. Toloſan. part. 4. c. 2. n. 7.

His itaque allatis auctoritatibus, negari non poteſt, uſum Capituli quo duos emolumentorum trientes percipit, Eccleſiæ intentioni eſſe contrarium: ita ut non minus odioſe dici poſſit Canonicorum ille proventus, quam *turpe lucrum*, quod bonis moribus atque canonicis legibus, tamquam illicitum damnatur, ſi non ſimoniacum illud appellemus. Noſtra igitur fert opinio, quod, licet uſus quo tot inutiles admittuntur Officiarii, tamquam legitimus exſiſteret; duarum tamen Officialitatum emolumenta licite quoad duos trientes ſibi arrogare nequirent Canonici, quæ integra illi, qui prædicta Officialis & Promotoris exercet munera, percipere debent tamquam ſua ex jure naturali & divino.

Præcipuæ rationes, quas opponunt Canonici ad confirmationem ſui uſus ſunt 1. quia a centum annis & amplius invaluit uſus ille, eo tantum fine introductus ut in Capitulo vitaretur ambitus & ambitio, ac nimium propriæ utilitatis ſtudium. At vero ſi valeat hæc ratio, cur itidem in alia Galliæ Capitula non inductus eſt mos ille, in quibus facile poſſunt eſſe privati iidem cupiditatibus obnoxii?

de

(1) Vid. Monac. Pontaſ. Obſerv. III. num. VIII.

Digitized by Google

de eo tamen ne prima quidem fuit ſuſpicio, quia videlicet majori malo malum auferre opportunum non viſum eſt. Inſuper Cononici, qui Officiarios Eccleſiaſticos eligentes, Dei ſulummodo gloriam eccleſiæque utilitatem conſiderant, ambitus eorumve ambitionem parvi curant, qui ex vitis illicitis atque odioſis talium officiorum fiunt indigni, ac digniores ſuffragio ſuo proſequuntur, ambitioſis interim pudore ac confuſione ſuffuſis. Sed pergamus. Numquid forſan ambitioni ſuæ atque propriæ utilitati ſervierunt primi conſuetudinis illius auctores, ejuſdemque vitii participes fiunt eorum ſucceſſores? Juſta namque de cauſſa utrumque de illis præſumi poteſt; dum per oſtentationem, honoris ac proventus cupiditatem, inutiles Eccleſiæ, ſibique ſolis honorificos arrogarunt titulos, ſed & eorum adjunxere emolumenta, quibus naturaliter debentur.

At vero de illius conſuetudinis vetuſtate nihil plane dicimus, ejuſque nulla habenda eſt ratio: nam, ut ait S. Iſidorus Hiſpalenſis (a): *Lex erit omne jam quod ratione conſtiterit: dumtaxat quod religioni conveniat, quod diſciplinæ congruat; quod ſaluti proficiat.* Unde cum S. Auguſtino colligendum, quod *Nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit* (b). Quocirca *quælibet conſuetudo, quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata*, inquit S. Gregorius Papa poſt Cyprianum (c), *veritati omnino eſt poſtponenda; & uſus qui eſt veritati contrarius, abolendus*. Et quidem *Conſuetudo ſine veritate*, ut loquitur S. Cyprianus, *vetuſtas erroris eſt* (d). Hæc potiſſimum afferri poſſunt, ut videtur, in primam rationem, qua aſſeritur uſus a nobis improbatus.

(a) S. Iſidorus in Can. *Conſuetudo*. 5. diſt. 1.

(b) S. Aug. in Can. *Veritate*. 4. & in Can. *Fruſtra*. 7. diſt. 8.

(c) S. Greg. in Can. *Si conſuetudinem*. 5. diſt. 8.

(d) S. Cyprian. in Can. *Conſuetudo*. 8. cit. diſt. 8.

2. Canonici illi allegant 1. Exemplum ipſius Papæ, qui aliquando Eccleſiaſtica vendit Officia. 2. Qui ſæpe Sacerdotes per annum juſtæ Caducariæ ad Parœciarum miniſterium committunt cum formali contractu alicujus ſummæ ſolvendæ pro jure deportus. 3. Communitatis ſæcularis aut regularis, quæ uniti ſibi Beneficii fructus percipit privato cuidam ad ejus miniſterium commiſſo, *Victum tantum*, ut ajunt, *& veſtitum* tribuendo. 4. Denique Laicæ Societotis, in qua in commune vulgo conferuntur emolumenta munerum Sociorum.

Facilis eſt iſtis argumentis reſponſio. Nam quod ad Papam ſpectat, etſi in rebus quæ jure divino ſunt ſimoniacæ, diſpenſare non poſſit; poteſt tamen in iis, quæ jure dumtaxat Eccleſiaſtico, hoc eſt ſula Eccleſiæ prohibitione ſunt ſimoniacæ; qualia ſunt Officia Eccleſiaſtica, quæ quandoque vendit Papa, ut productam ex his pecuniam ad urgentes Eccleſiæ neceſſitates expendat; ut cum Chriſtianas provincias infideles, ut ſæpe fit, expugnont. Ex hoc itaque exemplu non quidquam deduci poteſt pro Canonicis; cum vetitum ſibi, licitum efficere nequeant, nec alia ſubſit ipſis ratio, quam utilitas proprio percipiendi fructus alicujus Officii, qui pleno jure ad eum pertinent, qui ejus functiones exercet.

Præpoſtero etiam duo ſequentia adducuntur exempla: cum jus Caducariæ quoad duos trientes, ad Epiſcopum; & quoad alium trientem, ad Archidiaconum pertineat ex uſu obſervato in iis provinciis ubi obtinet, conformiter ad Juriſprudentiam plurium Arreſtorum, quæ tulere multæ ſupremæ Curiæ; & pariter Communitas ſit titularis Beneficii ſibi uniti. Epiſcopus itaque & Archidiaconus jus deportus exigere, & uniti ſibi Beneficii miniſterium privato Communitatis eadem committere poteſt; ſacerdoti commiſſo conveniens ſtipendium largiendo. Sed quid inde pro Canonicis, de quibus conſulitur? Num juxta formam ex Conſtitutionibus præſcriptam Officialis aut Promotoris munera obtinent? Ejuſve functiones ſinguli obeunt? & quidem, ſi vellent, hoc ſibi licitum eſſet ex auctoritate ſuprema? numquid ſolus ille Titularis eſt, qui eo munere ſungitur? & ſi Titularis non eſſet, quo pacto munus illud Officialis aut Promotoris adminiſtrare poſſet? Ubinam igitur in his exemplis invenitur paritas? Nulla prorſus reperitur, ac multo minus in exemplo pecuniæ, quam in commune confert ſocietas: neque enim de rebus Eccleſiaſticis quæ commercio ſubjici nequeunt, atque de rebus pure ſæcularibus idem ferri debet judicium: quæ veritas adeo certa eſt, ut probatione non egeat. Sed omiſſo longiori illorum exemplorum examine, numquid cum S. Auguſtino fateri debent illi Canonici, quod *ſana ratio etiam exemplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla concordant* (e)?

(e) S. Aug. in Can. *Sana*. 11. diſt. 9.

Concludimus ergo ad primum quæſitum reſpondendo; quod Capitulum Cathedralis Eccleſiæ de quo noſtrum exigitur conſilium, Officia atque munera deinceps *ſede vacante* non eo quo in expoſito dictum eſt, modo diſtribuere poteſt; at quod univerſum aliorum Capitulorum uſum ſequi debet.

Ad ſecundum dicimus, omnia emolumenta officii ſui ad Officialem aut Promotorem pertinere ratione functionum ſuarum, de quibus emolumentis in aliorum utilitatem cedere poteſt; & quod dicimus de Officiali, idem de vicem gerente eſſe intelligendum, cum licet nomine, juriſdictione tamen & auctoritate non differant duo illi Officiarii, quando procedunt aut judicant. Denique idem dicendum de emolumentis ſubalternorum officiorum, atque Officialis ac Promotoris. Quod ut fiat evidens, legatur in ſequenti reſponſione Conſtitutio Bonifacii VIII. & præcipue Clementis V. quæ etiam fuſius de eadem re dicit.

Ad tertium: quod, cum Officiarii exercentes, nec judices, nec ſuperiores ſint Capituli, nec uſum introductum poſſint adimere; non exiſtimamus etiam, eos prudenter intercedere poſſe tali uſui, atque interceſſione ſuam litem ſibi a toto Capitulo provocare. Omni tamen ratione Capitulum debent adducere ad reformandum hunc uſum, atque confratribus ſuis perſuadendum eum ex ſola conſuetudine non fieri legitimum.

Quod ſi omnia Galliæ Capitula, aut ſaltem pars maxima in eo eſſent uſu de quo nunc deliberatur, & ex conſuetudine immemorabili, eorum auctoritate niti poſſet Capitulum; at cum illorum uſui ſit iſtius oppoſitus, nulla eſt legitima ratio, cur in eo perſeveret; quia, ut in Canone Decreti Gratiani legitur, *non docet a capite membra diſcedere* (f). Quod ſi ſurdis canant, ut dicitur, auribus iſti Officiarii, expedit, ut eum adeant ſuperiorem, qui poſſit mederi, ſeu Epiſcopum, aut eo deficiente, Metropolitanum: vel denique generalem Provinciæ Parlamenti procuratorem.

(f) Can. *Non docet*. 1. diſt. 12.

Ad quartum & ultimum quæſitum dicimus, illud non eſſe reſpuendum ſtatutum, quo Capitulum duos illos trientes in fabricæ Eccleſiæ commodum, maxime ſi egeat, applicaret; cum ex Concilio Tridentino jus ingreſſus, quod a quolibet Canonico pro additione Canonicatus ad neceſſitates Eccleſiæ aut fabricæ ſolvit, non fuerit damnatum; quod tamen non affirmamus, niſi in quantum alter triens ad juſtam Officiariorum, qui officia exercent mercedem ſufficiat.

CASUS IV.

Defuncto quodam Galliæ Epiſcopo, ſpirituale ſtatim diœceſis regimen ſuſcepit Capitulum, atque Conſtitutionem condidit, quæ ad correctionem morum Parochorum, Beneficiariurum, omniumque Clericorum pertinet. Parochus quidam, ſcientiæ fama conſpicuus, Conſtitutionem iſtam promulgare noluit, quod eam abuſivam putaret. Numquid de inobedientia damnari debet, atque ei litem jure poteſt inferre Capitulum?

Respons.

Sciendum 1. hanc non eſſe regulam generalem ut *ſede vacante*, ad Capitula pertineat ſpirituale Eccleſiarum regimen; quædam enim a vicino Epiſcopo adminiſtrantur, uti Lugdunenſis Eccleſia ab Epiſcopo Auguſtodunenſi, & Auguſtodunenſis ab Archiepiſcopo Lugdunenſi.

2. Capitulum tamen Eccleſias plerumque adminiſtrat vacantes, ut patet ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (g): *Si Epiſcopus a Paganis, aut Schiſmaticis capiatur, non Archiepiſcopus, ſed Capitulum, ac ſi ſedes per mortem vacaret, illius in ſpiritualibus & temporalibus miniſtrare debebit.* Hoc idem jus Capitulo adſcribunt duæ ejuſdem ſummi Pontificis Decretales (h) & ſextum Concilium Mediolanenſe an. 1582. ſub S. Carolu habitum (i).

(g) Bonif. VIII. in Cap. *Si Epiſcopus*. de ſupplenda neglig. Prælat. in 6. L. 1. t. 8.

(h) Idem in Cap. *Eccleſiæ*. ſio. eod. tit. et in Cap. *Epiſcopali*. uu. de majoritate & obedientia. L. 1. tit. 17.

(i) Conc. Mediol. VI. tit. 2. quæ ad Capitula pertinent.

8. Solet Capitulum, unum aut plures Vicarios generales, nominare qui nomine ſuo poteſtatem ſuam exercent, conformiter ad præſens Tridentini Concilii Decretum (a): *Capitulum, ſede vacante, ... Officialem, ſeu Vicarium infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exſiſtentem confirmare omnino teneatur.* Ita ut dici idem poſſit de Capitulo pro Eccleſia, atque de ſeculari domino pro juſtitia, quam ſubditis ſuis reddere debet; nam ut dominus ille non per ſe, ſed ſolum per conſtitutos a ſe Officiarios jus ſubditis dicere poteſt; ita Capitulum non per ſe, ſed ſolum per unum aut plures Vicarios generales poteſtatem ſuam exercere poteſt; quibus Vicariatus litteræ patentes dari curabit, debite promulgatæ & in acta publica relatæ; nec quiſquam earum ignorantiam oſtendat, quæque ſpecialem ipſi attributam poteſtatem contineant, ut obſervat Eveillonius (b) in ſuo tractatu de excommunicationibus & monitoriis. Sicut Epiſcopus etiam in iis quæ pertineut ad forum contentioſum, juriſdictionem ſuam exercere non poteſt, niſi per Officialem; ita pariter Capitulum tenetur unum aut plures committere Vicarios, qui nomine & auctoritate ſua Diœceſis ſpirituale regimen adminiſtrent. Igitur ex dictis hactenus colligendum, Conſtitutionem de qua in caſu propoſito ſit ſermo, non eſſe legitimam, utpote ab univerſo Capitulo factam; atque adeo Parochum, qui eam promulgare recuſavit, inobedientiæ non eſſe damnandum, neque ipſi Capitulum litem poſſe inferre.

(a) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 16. de reform.

(b) Jacobus Eveillon. c. 8. num. 1.

Obſervandum, quod ut a Capitulo Vicarius generalis ad exercendam voluntariam Epiſcopi juriſdictionem, ita Officialis ad exercendam civilem & capitalem debet nominari, ut probat Fevretus (c) auctoritate Toſtati. En ipſius verba: *Toſtatus Epiſcopus Abulenſis* (in Numeros quæſt. 48. n. 15.) agens de iſta quæſtione: *An juriſdictio fuerit in ſolo Moyſe, an in populo Iſraelitico?* ad aliam ex incidenti pergit; quærens videlicet: an Communitas, Collegium, aut Capitulum quod juriſdictionem habet, eam in commune exercere poſſit? qua de re probat, quod exercitium juriſdictionis *factum & miniſterium deſiderat certæ & determinatæ perſonæ; quod ipſa Communitas vel Collegium præſtare non poſſunt; cum non ſint quid unum proprie, ſed per accidens.* Addit poſtea Juriſperitus ille, ſententiam ab univerſo Carnutenſi Capitulo latam, declaratam fuiſſe abuſivam ex Arreſto Parlamenti, quod huic Capitulo injunxit, ut Judicem nominaret, ad quem, ſede vacante, pertineret cognoſcere de cauſſis Eccleſiaſticis. Idem Arreſtum refert Chopin (d): & cum eo Loiſeau (e), qui addit abſurdum eſſe, ut Capitulum aut communitas, quorum privati plerique Judicis officium ignorant, jus dicere præſumat; quod Officiario committi debet, quem nominatim ob eam cauſſam delegat communitas.

(c) Fevretus tr. de abuſu. L. 3. c. 4. n. 2.

(d) Renatus Chopin. polit. L. 2. c. 6. n. 18.

(e) Carolus Loiſeau tract. de Officiis. c. 6. n. 39.

CASUS V.

Eccleſiæ Vilnenſis Canonici poſſunt ne tuta conſcientia Statuto ſe conformare, quo Capitulum decrevit, ut diſtributiones non haberent Canonici, qui Dominicis feſtiſque diebus ſingulis Officii horis non adeſſent: aliis vero diebus haberent, modo duabus majoribus horis intereſſent?

Respons.

Capitulum ſtatuere non potuit, & huic Statuto ſe conformare nequeunt Canonici tuta conſcientia, quod ſit abuſivum: cujus rei rationes iſtas profert nuperus & inclytus Canoniſta (f): *Conſuetudines atque Statuta*, inquit, *quibus integra diei diſtributiones conceduntur illis, qui uni aut duobus tantummodo Officii partibus interfuerunt, canonicorum negligentiam fovent, teporem nutriunt, & divini Officii neglectum inducunt. Quare ejuſmodi conſuetudines & ſtatuta non a zelo promovendi divinum cultum*, ſed quorumdam canonicorum vagandi cupiditate & in divinis Officiis ſocordia ordinem & incrementum acceperunt. Hinc etiam eadem tamquam meros abuſus & corruptelas Eccleſia reſcindere atque eliminare non dubitavit: quod ex multis auctoritatibus probat.

(f) Zeger Bernard. Van-Eſpen. Opuſc. de Inſtit. & Offic. Canonici. c. 4. Tom. III.

Prima ducitur (1) ex Concilio Baſileenſi (g), in quo ſtatuto pro qualibet Officii hora ſtipendio, jubetur uſus ille adimi, quo integras diei diſtributiones ſibi is arrogat injuſte, qui uni dumtaxat horarum parti affuit.

(g) Conc. Baſileenſ. Seſſ. 21. §. 4.

Secunda petitur a Concilio Aquenſi, cujus Decretum eſt iſtud (h): *Tridentini Concilii & Bonifacii VIII. (i) auctoritate uniti decernimus, ut nulla canonicorum aut aliorum pacto, remiſſio, vel colluſio fiat, aut facta vim habeat, nullumve ſtatutum, aut conſuetudo, quæcumque illa ſit, quibus aut abſenti, quavis de cauſſa ejus, vel ſacræ horæ, in qua munere ſuo defuerit, aut omnino cuiquam contra quam jure communi & ejuſdem Concilii Tridentini definitum ſit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint.*

(h) Conc. Aquenſ. tit. de Canonicis.

(i) Bonif. VIII. in Cap. Conſuetudinem. I. de Clericis non reſidentibus, &c. in 6.

Tertia e Concilio Burdigalenſi an. 1624. En verba ipſius (k): *Sed & abuſum illum, quo in una hora aut duabus Officiorum divinorum præſens totius diei diſtributiones uſurpat, tolli prorſus & aboleri præcipimus.* Duobus Conciliis addere potuiſſet hic auctor Burdigalenſe anno 1583. (l), Rotomagenſe (m) Remenſe (n), Turonenſe (o), & Narbonenſe (p).

(k) Conc. Burdigal. ann. 1624. c. 9. §. 4.

Quarta petitur ex variis Parlamentorum Arreſtis ea de re latis. 1. Ex Arreſto Senatus Pariſienſis quod refert Fevretus (q), quo abuſivum declaratum eſt ſtatutum Eccleſiæ Aurelianenſis, Canonico integras diei diſtributiones aſſignans, qui uni horæ affuiſſet; quamvis a Clemente VI. fuiſſe confirmatum allegarent Canonici. 2. Ex alio Toloſani Parlamenti Arreſto; quo ſimile ſtatutum Collegiatæ S. Gaudentii irritum declaratum eſt, ut cetera hujuſmodi deinceps facienda. 3. Ex Arreſto ejuſdem Parlamenti, quod ſtatutum ſimile Eccleſiæ Muapincenſis, licet 300. annis antiquum, invalidum & abuſivum declaravit. 4. Ex Arreſto etiam Senatus Pariſienſis 20. Decemb. ann. 1660. reddito circa duo ſtatuta capituli Laudunenſis, de quibus tamquam ab abuſu appellarat Nicolaus de Francia Canonicus, & Archidiaconus; quia propoſito in caſu iſto ſtatuto erant ſimilia, quæque abuſiva declarata ſunt. Hoc Arreſtum refert Du Frene in ſuo fori Diario (r).

(l) Concil. Burdigal. ann. 1583. c. 27. §. *Diſtributiones.*

(m) Conc. Rotomag. tit. de Epiſcop. & Capitol. c. 30.

(n) Conc. Remenſ. tit. de Capit. n. 8.

(o) Conc. Turon. tit. de Capitul. § *Qui in Matutinis.* &c.

(p) Concil. Narbon. c. 30. §. *Diſtributiones.*

Quintam rationem ſuppeditat auctor Gloſſæ in Pragmaticam ſanctionem (s), qui ex Decreto Baſileenſis Concilii probata horum ſtatutorum nullitate, hæc verba ſubjungit: *Attendant hæc multarum Eccleſiarum Canonici, ne in obſervatione ſtatuti, vel conſuetudine ejuſmodi reperiantur judicium ſibi manducare & bibere. Nec enim video illos in ea perceptione in foro animæ excuſatos eſſe; etiam nec in foro contentioſo eorum querelam defendi poſſe.*

(q) Carolus Fevretus. tr. de Abuſu. L. 3. c. 1. n. 13.

(r) Diarium fori. t. 2. L. 3. c. 39.

Ultima denique ducitur ex auctoritate Navarræ (t), qui his Concilii Tridentini verbis nititur (u): *Diſtributiones vero, qui ſtatutis horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant.*

(s) Gloſſa Pragmat. ſanctio. tit. quo tempore quiſque debeat eſſe in Choro, §. *Tollens.*

(t) Navarr. tract. de orat. & horis Canon. Miſcellaneo. 59.

(u) Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de reform.

CASUS VI.

Nonnulli e Canonicis cujuſdam Capituli in regno Neapolitano contendunt, Capitulum ſede vacante, ex emolumentis juriſdictionis gratioſæ, ſimul & contentioſæ, impenſas ad utriuſque adminiſtrationem neceſſarias v. g. impenſas impreſſionis & miſſionis mandatorum, litium quæ ex officio inferuntur, ſumtus & alios ejuſmodi, jure poſſe deducere. Alii contra defendunt Canonici, ſumtus illos e menſa capitulari eſſe depromendos, quotidianas videlicet diſtributiones imminuendo pro rata ſummæ illarum impenſarum. Qua de re quæritur, quæ ſententia magis cum jure conſentiat?

Respons.

Propoſita difficultas duobus continetur capitibus: primum eſt; ad quem, ſede vacante, pertineant fructus & emolumenta quæ ab exercitio Epiſcopalis juriſdictionis procedunt: alterum, cujus impenſis hanc juriſdictionem exercere debeat Capitulum.

Ad primum reſpondemus, generaliter loquendo, hujuſmodi fructus & emolumenta non ad Capitulum, ſed ad defuncti Epiſcopi ſucceſſorem pertinere. Rem ita declarat Bonifacius VIII. (x) aſſerens non ſolum *bona a Prælatis ipſorum* (Eccleſiarum) *dimiſ-*

(x) Bonifac. VIII. in Cap. *Quia ſæpe.* 40. de elect. in 6.

(1) Vid. *Menda Pintaſ.* Obſerv. I. num. II. ſecundo loco.

dimiſſa, ſed etiam *vel vacationis tempore obvenientia* ab exercitio juriſdictionis Epiſcopalis a Capitulo poſſe occupari; ſed futuro Epiſcopo reſtituenda reſervari, aut ſaltem ad Eccleſiæ utilitatem conferri, non vero inter Canonicos dividi; atque contrarium facientes, *ipſo facto* ſuſpenſione incurrere. Hæc ſunt verba conſtitutionis quæ abſque Regaliorum præjudicio laudamus, cum caſus iſte ad Italiam pertineat. *Quæ in utilitatem dictarum Eccleſiarum expendi, vel futuris deberent ſucceſſoribus fideliter reſervari, occupant, inter ſe dividunt, ſubripiunt, dilapidant, diſſipant, & conſumunt, in earum grave diſpendium & jacturam .... decernimus, ut hi qui præmiſſa de cetero præſumſerit, eo ipſo ſint, & tamdiu maneant ab Officio & Beneficiis quibuſcumque ſuſpenſi; donec plene reſtituerint quidquid de bonis perceperint ſupradictis, non obſtantibus quibuslibet Privilegiis, vel Indulgentiis, aut contrariis conſuetudibus, vel ſtatutis.*

Conſtitutio iſta ſummi Pontificis perfecte conformis eſt 1. Decreto Concilii Calcedonenſis ann. 451. (*a*), quod refert Gratianus in Decreto his verbis: *Reditus .... ejuſdem vidaatæ Eccleſiæ integros, reſervari apud œconomum ejuſdem Eccleſiæ placuit.* 2. Concilio Ilerdenſi (*b*): 3. Alteri Conellio, quod citat idem Gratianus (*c*) in ſuo Decreto. 4. Et primo Concilio œcumenico Lateranenſi, ſub Innocentio II. an. 1139. (*d*).

(*a*) Conc. Calcedon. in Can. *Quoniam* 2. diſt. 75. & in Can. *Non liceat*. 43. 12. q. 2.

(*b*) Conc. Ilerdenſ. c. 16. in Can. *Hac hujus*. 38. q. 2.

(*c*) In Can. *Non liceat*. 48. 12. q. 2.

(*d*) Innoc. II. in Conc. Lateran. 1. in Can. *Illud*. 47. eod. c. & q.

(*e*) Argum. Legis de pretio ff. de publica in rem actione L. 6. t. 2.

(*f*) Panorm. in Cap. *Veſtræ*. 7. de cohabit. Clericorum & mulierum, notab. 3.

(*g*) Clem. V. in Cap. *Statutum*. 7. de elect. in Clementinis.

(*h*) Leg. a Tutoribus. 33. ff. de adminiſtr. & periculo Tutorum & Curatorum. Lib. 26. tit.

Id quidem ultro fatemur, iſta Concilia & ipſum Bonifacium VIII. generatim tantum loqui de bonis ad Epiſcopum pertinentibus, nulla tituli quo ea poſſidet, facta mentione: ſed juxta iſtam juris regulam (*e*), *Ubi jus non diſtingnit, neque nos diſtinguere debemus*. Et hanc aliam: *Qui nihil excipit, omnia comprehendit*, vel, ut loquitur Panormitanus (*f*), *qui totum dicit, nihil excludit*. Qua etiam ratione Clemens V. in ſua Conſtitutione (*g*) Bonifacii VIII. Bullam explicat. *Statutum ſuper bonis a Prælatis Cathedralium .... Eccleſiarum dimiſſis, aut obvenientibus tempore vacationis earum, futuris ſucceſſoribus reſervandis editum, locum declaramus habere in omni emolumento, quod provenit ex juriſdictione & ſigillo Curiæ Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, aut alias undequaque quod ad Prælatos Eccleſiis non vacantibus pertineret, conſuetudine qualibet non obſtante.*

Tum igitur Capitulum conferri poteſt cum Tutore aut Curatore, aut Procuratore, adminiſtrandæ hereditatis cauſſa conſtituto; qui, eam licet uti pater familias ex Lege gerere debeat (*h*), non ejus tamen fructus ſuos facit, ſed pupillo, cujus ſunt, debet conſervare, eique accurate eorum rationem reddere. Idem dicendum de Capitulo vacantis Eccleſiæ Epiſcopalis bona adminiſtrante, quod quidem ex Sedis vacatione fit defenſor & conſervator jurium Epiſcopi, non vero dominus emolumentorum, quæ ex devoluta ſibi juriſdictione aut aliunde proveniunt.

Atque hæc de priore propoſitæ difficultatis parte. Verum obſervari poteſt peropportune, duabus Bonifacii VIII. & Clementis V. Conſtitutionibus relatis, tam aperte confirmari deciſionis præcedentis alterum articulum circa duos trientes emolumentorum, quæ ex exercitio juriſdictionis provenientia, a Canonicis inter ſe diſtribuuntur, ut nihil reponi poſſit.

Quod ad alterum caput pertinet difficultatis præſentis, exiſtimamus hactenus dicta non eſſe intelligenda niſi *deductis expenſis in adminiſtranda juriſdictione neceſſariis*. Quod quidem probat iſta Honorii III. ad Capitulum Conſtantinopolitanum Decretali (*i*). *Statuimus ut expenſæ neceſſariæ & moderatæ*, addit Gloſſa (*k*), *quas Capitulum Conſtantinopolitanum, vel ejus nuntii, vacante Sede pro electionis negotio*, (nempe novi Patriarchæ) *fecerint, de bonis Patriarchatus fiant totaliter*. Cujus rei hanc rationem affert idem Gloſſarius: *Quia illud de ſuo facere non tenebantur, quia nemo cogitur invitus de ſuo facere beneficium*. Quam regulam depromſit hic Auctor a concilio Metis (aut ex Burchardo & Yvone Carnutenſi Bellovaci) habiti, quod refert Gratiani Decretum (*l*). Ex quo *a ſimili* debet inferri, ceteras expenſas ad exercendam Sedis vacantis juriſdictionem neceſſarias, ex ejus emolumentis eſſe deducendas; cum par in utroque caſu ſit neceſſitas, & ex æquitate naturali *ſumtus neceſſarios ad rem perferendam & perducendam præſtare ſolent generaliter hi, quorum negotium agitur*, ut ait doctus, qui Digeſtorum Leges annotavit, Juriſperitus (*m*): non vero e bonis Capituli, quod unice ad bonum & utilitatem Eccleſiæ vacantis attendit. Et quidem rem ita definit Clemens V. dum allati in præcedenti deciſione verbis addit (*n*): Ita tamen quod in iis & ſimilibus rationabiles deducantur expenſæ: alioquin deterior eſſet Capituli conditio, quam tutoris, curatoris ut procuratoris, cui ſumtus ad regendam pupilli rem neceſſarios Judex tenetur aſſignare.

(*i*) Honor. III. in Cap. *Ut præterita*. 45. de electione &c.

(*k*) Gloſſa ibid. v. *Expenſæ*.

(*l*) Concil. Mediomatricia in Can. *Precaria*. 4. 8n. q. 3.

(*m*) Addit. ad Gloſſam Legis *Sed & ſi*. 11. §. 1. ff. ad exhibendam Lib. 10. tit. 4.

(*n*) Clemens V. in Cap. *Statutum*, ſupra cit.

Deciſionem hanc uſui univerſo omnium Capitulorum ducimus eſſe conſormem, uti Capituli Eccleſiæ Pariſienſis, quæ per quadrimeſtrem ſedis Archiepiſcopalis vacationem conſtituto Secretario & Sigillatori, per id tempus ex quingentis novem libris & quinque aſſibus acceptis, centum libras cum tredecim aſſibus aſſignavit *pro modo laboris*, & reliquam ſummam ad ſolutionem Mandatorum, aliorumque actorum adhibuit, quæ ad ſeptingentas libras & amplius excurrit. Hæc quoque deciſio congruit cum ſententia Joannis Andreæ, Archidiaconi, Cardinalis Joannis Monachi, Gloſſæ, & Galliæ Canoniſtarum ac Juriſconſultorum, & inter alios Ruzei & Fevreti, a quo laudatur his verbis (*o*): *Emolumentum Sigilli, & Cameræ, vel Curiæ, Epiſcopo reſervantur, deductis tamen expenſis moderatis, quas Capitulum fecit in Edictis citatoris & aliis expreſſis ad expediendam juriſdictionem.*

(*o*) Ruzeus Tract. de Regali privil. 30. apud Fevretum, Tract. de abuſu. L. 3. cap. 6. n. 12.

CASUS VII.

Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, ſede vacante, duo per id tempus vacantia contulit Beneficia; alterum Parochiale Ægidio, de quo pleno jure providet Epiſcopus; alterum, Præbendam ſcilicet Gentiano, cujus collatio ad Epiſcopum pariter & Capitulum ſpectat. Auguſtus ex nominatione Regia & Bullis e Romana Curia acceptis, vix Epiſcopatum adiit, cum Parœciam Petro & Præbendam Paullo contulit: qui litium cauſſa fuit inter quatuor illos proviſos. At Petrus & Paullus, utpote conſcientia timidi, de juſtitia cauſſæ ſuæ valde dubitant, nec non Ægidio & Gentiano litis illatæ. Quid in eo caſu ad conſcientiæ ſuæ ſecuritatem ipſis conſuli debet?

RESPONS.

Priuſquam huic difficultati fiat ſatis, triplex diſtinguendum genus collationis: ſcilicet coacta, neceſſaria & libera.

Collatio coacta ea eſt, quæ denegari non poteſt, uti ea quæ petitur ad præſentationem Patroni Eccleſiaſtici, aut Laici; aut ad petitionem Graduati, ſeu Indultarii; vel denique in caſu permutationis.

Collatio neceſſaria ea eſt, quæ denegari non debet, ut collatio Parœciæ vacantis, quam confert Epiſcopus: de qua providere neceſſe eſt, ne diu ſine Paſtore ſit Parœcia.

Collatio denique libera eſt collatio Præbendarum & aliorum ſimplicium Beneficiorum.

His ita ſuppoſitis aſſerimus, Ægidium legitime fuiſſe proviſum, ac Petrum adeo litem ipſi illatam perſequi non valere. Ratio eſt quia juxta Galliæ diſciplinam, Capitulum, *ſede vacante*, jure poteſt conferre, non ſolum ubi coacta eſt collatio ſua, ſed etiam, ut in caſu propoſito, ſi ſit neceſſaria; cum fidelium interſit, ne ſine Paſtore remaneant. Id probant hæc verba Conſtitutionis ſancti Ludovici de Poteſtate Capitulorum loquentis: *Sede vacante, Eccleſiæ Cathedrales & aliæ Regni noſtri liberas electiones habeant: promotiones, collationes, proviſiones, & diſpoſitiones Prælaturarum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſecundum diſpoſitionem juris, atque inſtitutorum ſanctorum Patrum fieri volumus.*

2. Ex Arreſto ſcriptis diſceptato, inter Procuratorem Generalem Senatus Pariſienſis & Bituricenſe Capitulum lato 26. Aprilis anno 1580. quo decernitur conformiter ad ſancti Regis conſtitutionem, ut Capitulum pleno jure de Beneficiis in Diœceſi vacaturis, *ſede vacante*, provideat.

3. Jus illud (1) denique omnibus Cathedralium Capitulis Regni commune declaratum eſt, ex declara-

(1) Vid. *Menda Pontaſ.* Obſerv. III. num. IX.

Digitized by Google

tione Regia an. 1688. qua fertur ea proviſura *ſede vacante*, de omnibus Beneficiis, quorum collatio ad Epiſcopum pertinet. Eodem prorſus modo judicavere Parlamenta, & præcipue Senatus Pariſienſis, cujus duo refert Arreſta D. Brillon (*a*), alterum ſupremæ Curiæ 26. Julii 1629. & alterum pro Capitulo Lexovienſi 7. Septembris an. 1532. qui jam ante elapſum ſæculum ſimile protulerat pro Capitulo regulari, Abbatiali ſede vacante, circa Beneficium a Graduato requiſitum. His addimus, hanc Capituli poteſtatem non deſinere niſi ex adita poſſeſſione novi Epiſcopi, qui ne quidem Præbendas aliaque ſimplicia Beneficia Regaliorum juri ſubjecta conferre poteſt, niſi poſt exactum fidelitatis Regi ſacramentum, & obtentum Arreſtum relationis in publicas tabulas, quo tollitur Regaliorum jus, ac Epiſcoparus ſui fructus percipere valeat.

(*a*) D. Brill. Diction. Arreſt. v. *Collatio*. n. 7. & 8.

Obſervandum tamen, quod, cum dicimus: *jus illud omnibus Cathedralium Capitulis Regni commune declaratum fuiſſe*, comprehendi non debeant regiones, quæ *obedientiæ* nominantur, hoc eſt, quæ antiquis exceptionibus fuere ſubjectæ juxta regulas Cancellariæ Romanæ, quales ſunt Britanniæ ducatus, & comitatus Provinciæ, & Ruſcinonenſis tractus. Quocirca, cum Britanniæ Epiſcopi quatuor tantum anni menſibus, nempe Martio, Junio, Septembri, & Decembri Parœcias poſſint conferre, & menſes reliqui ſint collationis Papalis; Capitula quoque Cathedralium quæ in his Provinciis ſitæ ſunt, eaſdem menſibus Apoſtolicis conferre nequeunt; etſi alternativa potitus eſſet defunctus Præſul, quam ob reſidentiam Britanniæ Epiſcopis acceptantibus concedit ſummus Pontifex, qua mediante Beneficia curata menſibus Februario, Aprili, Junio, Auguſto, Octobri & Decembri poſſunt conferre (*b*); modo per menſem integrum aſſidue fuerint commorati, ne uno quidem abſentiæ die excepto, quo jus pro hac vice amitterent; niſi ad Regni vel Eccleſiæ utilitatem abfuiſſent.

(*b*) Reg. Cancellar. Rom. de menſibus & alternativa.

Capitulum autem Epiſcopi alternativæ non ſuccedit, quod ſit perſonalis, & Epiſcopi propria prærogativa illa, quæ proinde ipſius morte extinguitur, nec tranſit ad Capitulum. Atque hæc diximus de jure Capituli ad conferendam Ægidio Parœciam.

Idem dicendum juxta canonicam juriſprudentiam, de Præbenda Gentiano a Capitulo conceſſa; quæ collatio valida eſt & canonica, quod ex æquo Epiſcopo & Capitulo competeret. Idque evidenter probat Bonifacii VIII. deciſio his verbis (*c*): *Si ad Epiſcopum & Capitulum communiter pertineat collatio Præbendarum; mortuo Epiſcopo vel a collatione Beneficiorum ſuſpenſo; poterit Capitulum vacantes conferre Præbendas, etiamſi Epiſcopus intereſſe habeat in collatione, ut Prælatus. Idem poterit Epiſcopus, ſi Capitulum ab ipſa collatione ſuſpendi contingat*. Cujus rei hanc rationem affert Auctor Gloſſæ (*d*): *Sunt enim unum corpus, Capitulum & Epiſcopus, quoad illa quæ eis communiter imminent, facienda*. Idem quoque ſentit Fevretus (*e*): quia, inquit, *Æquale jus partes*, hoc eſt, Epiſcopus & Capitulum, *habere cenſentur, quando ad eas dicitur* aliquid communiter pertinere. Auctorem etiam tractatus inſcripti. *Compendioſa Beneficiorum expoſitia*, quæ reperitur ad finem Pragmaticæ Sanctionis (*f*), laudat hic Juriſperitus, & qui dicit: *Vacante ſuſpenſave Sede*, (Capitulum) *jus conferendi non habet; niſi vel neceſſariæ occurrant collationes*, ut cum provideri debet Graduatus; *vel ei cum Epiſcopo Beneficia ſint communia*. Nam in his ultimis caſibus, inquit Fevretus, Epiſcopus & Capitulum *conſiderantur ut duo corpora. Unde cum ceſſet unum, aliud in locum alterius ſuccedit*: quæ verba a Panormitano mutuatus eſt (*g*).

(*c*) Bonifac. VIII. in cit. Cap. *Si ad Epiſcopum*.

(*d*) Gloſſa in d. Cap. *Si ad Epiſcopum*. v. *Etiamſi*.

(*e*) Fevretus tract. de Abuſu. L. 3. c. 6. num. 7.

(*f*) Idem, Num. 66.

(*g*) Panorm. in Cap. *Cum olim de majorit. & obedient.*

Diximus, *juxta juriſprudentiam canonicam*. Nam ab eo jure diſcrepat uſus noſter ob Regaliæ ad Regem ſcilicet pertinentia: qui, ut difficultatibus quæ ex pactis Epiſcoporum privatis emergebant, occurreret, quibus Capitulis ſuis aut aliis quorumdam Beneficiorum collationem concedebant, Edictum ann. 1681. promulgavit, quo in his caſibus ſua atque Capitulorum jura præſcribuntur. En ejus verba:
„ Nolumus conferre ob jus noſtrum Regaliorum ul-
„ lum ex Beneficiis, quæ ex natura ſua ipſi ſunt
„ ſubjecta, niſi ea quæ Archiepiſcopi & Epiſcopi
„ ex legitima poſſeſſione ſolent conferre, Volumus
„ idcirco, ut in omnibus Cathedralibus, ubi digni-
„ tates omnes & Præbendas ſolent conferre Capitu-
„ la, ab iiſdem deinceps, ſede vacante, conferran-
„ tur; in iis, ubi ſunt Præbendæ aliæ collationi E-
„ piſcopi, aliæ Capituli annexæ: in iis, in quibus,
„ alternatim qualibet hebdomada, aut menſe, aut
„ quovis tempore conferunt; in iis, in quibus unius
„ lateris chori Præbendæ ab Epiſcopi collatione,
„ alterius vero lateris a Canonicorum dependent al-
„ ternativa, vices & dependentia obſerventur, dum
„ jus Regaliorum obtinebit; uti obſervantur, ſede
„ non vacante..... in iis vero Eccleſiis, in quibus
„ ad Epiſcopum & Capitulum ſimul pertinet Præ-
„ bendarum collatio; vel in quibus, jure ingreſſus
„ & ſuffragii in Capitulo, uti Canonicus potitur E-
„ piſcopus ad nominandum, & poſtea uti Epiſco-
„ pus conferendum ad nominationem Capituli; a No-
„ bis delegabitur Procurator, qui nomine noſtro Ca-
„ pituli congregationi aderit, ad conferendas cum
„ Capitulo Præbendas; ſi ad Epiſcopum & Ca-
„ pitulum indiviſim pertineat proviſo; vel ad præ-
„ ſentandum cum Capitulo, ſi Epiſcopus uti Cano-
„ nicus, jure ſuffragii potiatur ad præſentationem;
„ & in hoc caſu Capituli præſentatio ad Nos diri-
„ getur, ut proviſio nomine noſtro, ſub eadem for-
„ ma, qua ab Epiſcopo, expediatur: cum vacantibus
„ Regni noſtri Eccleſiis Metropolitanis aut Cathe-
„ dralibus, earum Prælatorum jura exercere non in-
„ tendamus, niſi eodem modo, atque ſub eadem
„ forma, qua erga Capitulum ſuum ſe gerunt.

Itaque ex hujus Edicti tenore conſtat. 1. nullas a Rege, *ſede vacante*, conferri Præbendas in iis Eccleſiis, ubi Capitulum ſolum de Præbendis, & dignitatibus providere ſolet. 2. In caſu alternativæ vicem Epiſcopi a Rege obtineri. 3. Cum Epiſcopus & Capitulum ſimul conferunt, ut in caſu propoſito; Rex jus habere nominandi Procuratorem ad conferendum cum Capitulo. 4. Denique, ſi Capitulo tantum nominatio, & Epiſcopo collatio competat, tum a Capitulo præſentationem fieri Regi, qui de Beneficio providet. Hoc ſolo principio ſolvi debet difficultas, quæ pertinet ad collationem Præbendæ, de qua in caſu propoſito agitur.

Denique cum eodem Fevreto illud in primis eſt advertendum, quod in hoc ultimo caſu vacantem Præbendam Capitulum nulli privato conferre poteſt, qui jam ejuſdem Capituli ſit Canonicus; alioquin invalida eſſet collatio & abuſiva.

CASUS VIII.

Parœciam ſancti Eleutherii canonice ſuo Capitulo unitam Canonici Cathedralis Eccleſiæ Balbaſtrinæ ad obeundas functiones Curiales Vicario amovibili committunt, Qua de re quæritur; 1. Utrum ex eo tuta ſint conſcientia ejuſdem Capituli Canonici. 2. Utrum quilibet Canonicus Sacerdos non poſſit, & quidem teneatur ad functiones Curiales. 3. Utrum ad eas exercendas Epiſcopi admiſſione indigeant illi Canonici?

RESPONS.

Ex unione Parœciæ ſancti Eleutherii Balbaſtrino Capitulo facta, illud unum poteſt Capitulum, ut Epiſcopo Vicarium ab eo approbandum cum poteſtate Curiales obeundi functiones præſentet; qui Vicarius non ſit de Capitulo, nec ad reſidentiam ob aliud quodvis Beneficium coactus: quia per ſe in cura ſibi ſuiſque curis commiſſa reſidere tenetur.

Inſuper Vicarius ille debet eſſe perpetuus conformiter ad iſtud Tridentinæ Synodi Decretum (*h*); *Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, Beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetua unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur, qui ſolicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, (niſi ipſis Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorum, portione, etiam ſuper certa re aſſignanda ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur*. Quod Decretum in Gallia admittitur ex Regia declaratione

(*h*) Concil. Trid. Seſſ. 7. c. 7. de reform.

Janua-

Google

Januarii an. 1686, confirmata ex Edicto 1695. Art. 24. in iis, quæ pertineot ad conſtituendos Vicarios perpetuos.

Quod ſi Capitulum in eam rem Sacerdotem non præſentet, propria illum conſtituendi auctoritate Epiſcopo jus competit; niſi privilegio quodam legitimo nitatur illud Capitulum, quale dicitur eſſe Capitulum Calvomontii in Agro Baſſiniaco.

Unde ſequitur, in caſu propoſito, curam animarum Parœciæ, Capitulo ſuo noitæ Canonicis Sacerdotibus non incumbere: nec ibi confeſſiones audiendi, aut aliquam functionem Curialem obeundi jus habere, niſi ad confeſſiones eos approbante Epiſcopo, & de conſenſu Vicarii perpetui, canonice ab Ordinario inſtituti.

Ceterum, quod diximus de obligatione Capituli ad præſentandum Epiſcopo Sacerdotem, qui Vicarius perpetuus Beneficii uniti poſſit inſtitui; idem pariter intelligendum de dignitatibus, aut Canonicis privatis, quorum Beneficiis unita eſſet Parœcia. Licet enim Beneficium curatum ex Concilio Tridentino (a) Cathedralis Eccleſiæ dignitati non poſſit uniri: ſi tamen nec ſubreptitie, nec obreptitie facta fuerit hujuſmodi unio; proviſus de tali dignitate, aut Præbenda pleno jure Parœciæ per ſe ipſum non poſſet deſervire: ſed teneretur Epiſcopo Sacerdotem offerre, qui ibi perpetuus Vicarius inſtitueretur, ut patet ex iſtis verbis Decretalis Innocentii III. in quarto Lateranenſi Concilio promulgatæ (b): *Qui vero Parœcialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſe ipſam illi deſerviat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, niſi forte dignitati, vel Præbendæ Parœcialis Eccleſiæ ſit annexa; in quo caſu concedimus, at qui habet Præbendam vel dignitatem, eum oporteat eam in majori Eccleſia deſervire; in ipſa Eccleſia Parœciali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium, canonice inſtitutum, qui..... congruentem habeat de ipſius Eccleſiæ proventibus portionem. Alioqain illa ſe ſciat auctoritate hujus Decreti privatum; libere alii conferenda, qui velit, & poſſit quod dictum eſt adimplere.* Parem huic deciſionem dedit inclytus Theologus 2. Maii 5665. (c).

(a) Idem Seſ. 7. 24. c. 23. de reform.

(b) Innoc. III. in Can. *Exſtirpanda*. 30. de Præbendis & dignit. 3. tit. 5.

(c) De Sainte Beuve Tom. 2. caſ. 105. & 160.

C A S U S IX.

Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Veſuntinæ, multa habens Judicum Officia in dominiis ſuis conſtituenda, ea ſolet vendere in proventum Canonicorum ſuorum, vel ſaltem aliquam exigit pecuniæ ſummam ad Eccleſiæ aut fabricæ utilitatem. Numquid poteſt tuta conſcientia ita ſe gerere?

R a a r o n s.

Hujuſmodi Officiorum venditio eſt illicita: utpote prohibita Regum Galliæ Conſtitutionibus, ac præſertim Caroli VII. an. 1453. (d), & Bleſenſi Edicto an. 1579. (e). Et juxta Conſtitutionum illarum diſpoſitionem, quidquam non poteſt exigere ſub ſpecie refectionum Eccleſiæ, aut fabricæ neceſſitatum.

(d) Conſtitut. Caroli VIII. art. 84.

(e) Edict. Bleſenſ. art. 10. & 11.

Itaque gratuito conferri debent illa Officia, in ſubſidium Clientum, atque Juſtitiæ bonum, ut patet ex Edicto Bleſenſi, quo prohibetur generaliter, & abſque exceptione ulla, ne Judicum Officia ſint venalia; ex quo aſſeritur, venditionem eorum quæ ab ipſa etiam non pendent Eccleſia, non fuiſſe toleratam, niſi ob urgentem Regni neceſſitatem; quæ licet ratio nunc pro Rege, non tamen pro Eccleſiaſticis valet.

Hanc etiam deciſionem confirmat iſta S. Pii V. 140. Bulla 5. Decembris an. 1571. (f) data; in qua ſtatim de venditione munerum, quæ ab Eccleſiaſticis pendent: *Accepimus*, inquit.... *non ſine animi noſtri diſplicentia, nonnullos pro conſequendis Officiis & dignitatibus juriſdictionis exercitium habentibus, pecunias & alias res ſolvere, & promittere aliquibus curialibus, quorum interceſſionibus & favoribus talia Officia, & dignitates obtinent.* Tunc conſuetudinem illam ſevere damnat his verbis: *De Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulas Leges, Conſtitutiones, Statuta & Decreta contra delinquentes hujuſmodi, tam a jure civili (g), quam a ſacris Canonibus facta, ac in illis contentas, punitiones, & pœnas quaſcumque in tales inflictas, harum ſerie innovamus, eiſque idem robur eamdemque vim obtinere volumus atque ſtatuimus, quam & quod habuiſſent & haberent, ſi ad unguem obſervata fuiſſent, vel a nobis per præſentes emanarent:* tum antiquis novas ſubdit pœnas. *Quin immo, illis addendo, decernimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, nemini, cujaſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis fuerit, liceat mediante pecunia, vel ſolutione, & traditione, ac promiſſione aliarum rerum, etiam per interpoſitas perſonas, aut alias quovis modo faciendas, aliquas dignitates, & officia, exercitium, & adminiſtrationem juriſdictionis habentia, procurare, aſſequi vel obtinere. Ac ſi quis his præſentibus contraveniſſe quoquo modo dici, aut cenſeri potuerit; ipſum contravenientem eo ipſo confiſcationis omnium bonorum, degradationis, & amiſſionis, tam privilegii Doctoratus, quam quorumcumque per eum obtentorum officiorum, tam ſæcularium quam Eccleſiaſticorum; ac demum ultimi ſupplicii pœnas irremiſſibiliter incurrere volumus.*

(f) S. Pius V. in Bulla. *Etſi Romani*. §. 1. & 2.

(g) Authentica. *Ut Judices ſint*.

C A S U S X.

Capitulo Brigantiæ in quo 60. ſunt Canonici, congregato ad petitionem Archiepiſcopi, qui ob legitimam cauſſam, & etiam urgentem 300. librarum reditus vendi cupiebat; omnes aſſenſere, uno excepto, qui ob quaſdam cum Prælato ſuo ſimultates interceſſit huic venditioni. At Archiepiſcopus, & Capitulum, nulla illius interceſſionis habita ratione, venditionem fecere. Qua de re quærit Canonicus opponens, num tuta conſcientia litem poſſit inferre, ut illegitima declaretur?

R e s p o n s.

Canonicus ille opponens iſtam venditionem jure perſequi poteſt, ut illegitima declaretur. Ratio eſt; quia neceſſitas conſenſus Capituli in alienationibus bonorum Eccleſiæ ab Epiſcopo faciendis talis eſt jure conſtituta (h), ut unius ſufficiat interceſſio, quo invalida fiat hæc alienatio, aut talis declaretur, uti fert Decretalis Symmachi in Concilio Romano an. 506. præſentis (i): *Sed etiam licet quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis offerre, at & cum fructibus poſſint alienata repoſcere, & Eccleſiaſtica auctoritate fulciri.* Hæc ſunt hujuſce Decretalis verba: in quo obtinet iſta juris regula (K): *In re communi potior eſt conditio prohibentis*, ut obſervat Cabaſſutius (l).

(h) Cap. *Irrita*. 1. & Cap. *Cum nos*. 3. de his quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capitul. L. 3. tit. 10.

(i) Symmachus in Can. *Si quis*. 2. de rebus Eccleſiæ alienandis vel non. Lib. eod. tit. 13.

(k) Reg. 15. de reg. juris in 6.

(l) Joan. Cabaſſ. Juris Can. Theor. & prax. L. 2. c. 24. n. 15.

Si tamen Canonicus ille Prælato, & Capitulo ſuo litem nollet inferre; ad ſuum tamen pertineret officium, generalem Regis procuratorem de injuſtitia hujuſce alienationis commonere, ut pro debito ſui muneris malo huic occurreret.

(m) Alex. III. in Cap. *Novit*. 4. Et in Can. *Quanto*. 5. de his, quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capit.

Obſervandum tamen, data hujus deciſionis occaſione, idem non eſſe dicendum in omnibus aliis negotiis: In iis enim, pro quibus ex jure ab Epiſcopo requiritur tantum Capituli conſilium (m), non tenetur huic ſe conformare; uti conſtat ex Decretali Innocentii III. quam refert Summa juris (n), & cui conſentit Gloſſa in Conſtitutionem Bonifacii VIII. in Sexto relata (o).

(n) Innoc. III. in Cap. *Cum olim*. 7. de arbitris. L. 1. tit. 43.

(o) Gloſſa in Cap. *Si pro te*. 23. v. *Aſſenſu*. de reſcriptis in 6. L. 1. tit. 1. Et in Cap. *Si Epiſcopum*. unic. ne ſede vacante aliquid innovetur. §. 1. in 6. v. *Aſſenſum*. L. 3. tit. 8.

C A S U S XI.

Paullinus ab Evagrio in referto choro verbis injurioſis appetitus, de hoc convicio apud Epiſcopum expoſtulavit, qui in Evagrium inquirere voluit; at ipſum anteverti Capitulum, contendens ad ſe pertinere ſuorum punitionem; Evagriumque diſtributionibus ſuis quotidianis per octo dies mulctavit: Numquid ad Capitulum ſpectat jus illud?

R e s p o n s.

Jure contendit Capitulum, ad ſe pertinere ſuorum punitionem, qui pares admittunt culpas: nam in eos emendationis juriſdictionem, quæ levis appellatur, exercet, ut aſſentitor Fevretus (p), qui id ipſum probat ex duabus Decretalibus Innocentii III. (q), qui in Concilio quarto Lateranenſi declarat, quod Capitula quæ jus illud obtinent, eo frui debent conformiter ad conſuetudinem quam exercent: qua de re ait Gloſſa (r); quod tum rei *quilibet* (Canonicus) *eſt judex, ſicut eſt in pluribus delegatis*. Hoc eſt, ut explicat Joannes Andreas poſt Innocentium IV. (ſ). *Is Canonicus conjudicat, ſicut electio eſt penes Capitulum, & non ſingulos: & tamen ſinguli coeligunt.*

(p) Fevretus L. 4. de Abuſu. c. 4. n. 2.

(q) Innoc. III. in Cap. *Irrefragabili*. 13. §. *Excelſus*. de officio Judicis ordin. L. 1. tit. 31.

(r) Gloſſa. v. *Per Capitulum*.

(ſ) Joan. Andreas poſt Innoc. IV.

Alie-

Digitized by Google

Altera Decretalis eſt ejuſdem Innocentii III. ad Epiſcopum Bellovacenſem (*a*); qua ſummus hic Pontifex Ordinario jus Capitulares reos puniendi adſcribit, cum hac tamen exceptione: *Niſi forte hi quibus delinquentes deſerviunt, ex indulgentia vel conſuetudine ſpeciali juriſdictionem hujuſmodi valeant ſibi vindicare.*

(*a*) Innoc. III. In Cap. *Cum contingat*, 13. de foro Comp. Lib. 2. tit. 2.

(1) Juriſdictio iſta fuit confirmata ex Arreſto Parlamenti Pariſienſis, quod refert Filleau (*b*), & altero ejuſdem Parlamenti 11. Maji an. 1613. Simile etiam refert Bellordeau in ſuis Controverſiis (*c*) Parlamenti Occitaniæ 1. Octob. 1613. Idem ſtatuit Divionenſe Parlamentum ex Arreſto 6. Februarii ann. 1604. Alia præterimus, quæ Capitulis ſimilem in ſuos ſubditos juriſdictionem attribuunt.

(*b*) Filleau, Collect. Arreſt. 2. part. fol. 44.

(*c*) Bellordeau, Controv. L. 3. c. 114.

CASUS XII.

Capitulum Ilerdenſis Eccleſiæ ſuorum Canonicorum judicium obtinet, ejuſque judiciorum appellatio fit, non ad Epiſcopum, ſed ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, qui jus illud in Epiſcopum legitime uſu cepit. Bernardinus unus e Canonicis hujus Capituli, penes ſe inſtrumentum habet juridicum, juri Archiepiſcopi contrarium, & Epiſcopo qui id novit, favens, & qui illud a ſe enixe requirit, ut eo, data occaſione, in Archiepiſcopum uti poſſit, Poteſt ne abſque injuſtitia illud denegare?

Respons:

Inſtrumentum de quo agitur, poteſt abſque injuſtitia, immo & debet petenti Epiſcopo recuſare Bernardinus, ob duplicem rationem. Prima eſt, quia Canonicus iſte, ut ceteri, dum ad Capitulum admiſſus eſt, jurejurando ſe obſtrinxit jura ipſius tueri, atque adeo non cujuſquam partes ſuſcipere, qui ea vellet labefactare, præſertim cum jus immunitatis, ut in caſu propoſito, agitur. Igitur, ſervato illo jurejurando, Epiſcopo inſtrumentum de quo agitur, dare non poteſt; cum ſic periculo litis, in qua præcipuum jus agitur, Capitulum committeret, ac inſuper ſocietatem Capituli proderet, & turpiter jure, cujus non eſt dominus, cederet.

Altera ratio eſt, quia liti injuſtæ occaſionem præbet; quandoquidem Tarraconenſis Archiepiſcopus in Ilerdenſem Epiſcopum jus illud legitime præſcripſit, quod proinde ex regulis juſtitiæ non poteſt repetere hic Epiſcopus (*d*).

(*d*) De Sainte Beuve tom. 3. Caſ. 51.

Vide { Canonicus. Diſtaiautionas. Diſpenſatio Mataimonii. Caſ. 32. & 39. }

CARITAS.

CARITAS generatim ſumta, eſt virtus theologica, qua Deus diligitur propter ſe, hoc eſt, propter bonitatem ſuam eſſentialem, quæ Deus eſt, & quaſi noſtram ſupremam felicitatem; & proximus propter Deum.

Caritas qua Deum diligere tenetur homo, ipſum obligat ad amandum Deum ſuper omnia, hoc eſt, ut explicat doctus Theologus (*e*): *Amicitiam illius præferendo omnibus bonis, & omnia mala poſtponendo offenſæ illius.*

(*e*) Polm. part. 2. n. 183.

Nomine, *Proximus*, intelligitur, addit idem Auctor, *quævis creata perſona intellectualis, æternæ beatitudinis particeps, aut capax. Diligere proximum propter Deum*, pergit idem Theologus (*f*), *eſt proximo velle bonum propter eſſentialem bonitatem divinam ab eo participatam, & in eo relucentem, tamquam beatitudinis participi aut capaci.* Ex quibus principiis infertur, Deum, noſmet ipſos, & proximum eſſe objectum materiale Caritatis; ut bonitas eſſentialis Dei qua ſola poſſumus fieri beati, eſt ipſius objectum formale (*g*).

(*f*) Idem. num. 162.

(*g*) Idem. num. 183.

Ordo Caritatis relate ad ejus objecta materialia eſt 1. ut Deum præ omnibus creatis rebus diligamus, 2. Animam noſtram, hoc eſt, ſalutem. 3 Salutem proximi noſtri (*h*) 4. Vitam noſtram & corpus noſtrum. 5. Vitam & corpus noſtri proximi. 6. Famam noſtram & bona noſtra temporalia; tum bona proximi. Unde ſequitur, me teneri ad juvandum proximum meum, etiam proprio vitæ meæ corporeæ periculo; cum ad extremum ſalutis ſuæ diſcrimen adducitur, uti infans abſque Baptiſmo moriturus, niſi ipſum ego baptizarem; & ad ſubveniendum pauperi ad extremam neceſſitatem redacto, etiam cum diſpendio bonorum meorum temporalium; cum ad vitæ meæ ſalutem abſolute & actu non ſunt mihi neceſſaria. Ex hoc eodem principio alia multa pariter inferri poſſunt, quæ fuſius exponere non eſt neceſſe.

(*h*) Idem. n. 200. & 201.

Ad actum amoris Dei eliciendum tenemur 1. ubi cognoſcitur, eum eſſe ſummum bonum, 2 In articulo mortis, & etiam frequenter per vitam. 3. Cum urget tentatio de odio Dei, & adeſt periculum conſenſus. 4. Et Cum adeſt obligatio eliciendi actum contritionis.

(2) Heic apponuntur undecim Propoſitiones cum cenſura Cleri ann. 1700. quas protulere quidam remiſſiores Caſuiſtæ.

Paopoſitio XVI.

Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ.

Cenſuaa.

Hæc propoſitio eſt hæretica.

Paopoſitio XVII.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Paopoſitio XVIII.

Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.

Pro-

(1) Vid. *Menda Praeſ.* Obſerv. III. num. X.

(2) Vid. *Menda Praeſ.* Obſerv. II. num. II.

Digitized by Google

Propositio XIX.

Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari; & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.

Propositio XX.

Præceptum amoris Dei per ſe tantum obligat in articulo mortis.

Propositio XXI.

Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non eſt ſpeciale, ſed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem ſatisfit.

Censura.

Hæ propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, pernicioſæ & piarum aurium offenſivæ; erroneæ; impiæ, primum & ſummum mandatum irritum faciunt, atque Evangelicæ Legis ſpiritum extinguunt.

Alexander VIII. primam ex illis Propoſitionibus 24 Auguſti 1690. Innocentius XI. tres alias ſequentes 2. Martii 1679. jam damnarant: ultimas denique apud *Amadæum Guimenium* cenſura inuſſerat ſacra Facultas Theologorum Pariſienſis an. 1665.

Propositio XXII.

Non tenemur proximum diligere actu interno & formali..... præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

Propositio XXIII.

Si cum debita moderatione facias, potes abſque mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

Propositio XXIV.

Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum patris, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt pinguis hereditas.

Propositio XXV.

Injuriarum condonatio commendatur nobis, ut quid perfectius, ſicut commendatur virginitas præ conjugio.

Censura.

Harum propoſitionum doctrina ſcandaloſa & pernicioſa eſt; piarum aurium offenſiva; & ſecundo caritatis præcepto contraria; reſpective hæretica; & omnem vel in ipſis parentibus & liberis humanitatis ſenſum extinguens.

Prima quatuor ultimarum Propoſitionum jam proſcripta fuerat ab Innocentio X. & ab Innocentio XI. qui tres alias jam condemnarat: quocirca Clerus Gallicanus in Comitiis an. 1700. id tantum approbavit atque confirmavit, quod jam definierant ſummi illi Pontifices.

CASUS PRIMUS.

BERTHOLDUS, antiquus Pariſienſis Doctor, & magnæ Urbis Lugduni Parœciæ Curatus, Mainfredum alterius Univerſitatis adoleſcentem Baccalaureum, Vicarium ſibi adſciſcere cupiens, periculum ipſius, Catechiſmo coram ſe facto experiri voluit, in quo, cum caritatis iſtam definitionem attuliſſet Baccalaureus; Caritas eſt *amor Dei ſuper omnia*, conſilium mutavit Bertholdus eum tali implendo muneri idoneum non exiſtimans. Numquid jure iſtam caritatis definitionem culpavit Bertholdus, atque in hoc Mainfredum injuria affecit?

RESPONSIO.

Jure merito definitionem caritatis Theologicæ a Mainfredo allatam Parochus reprehendit: quia, licet Caritas ſit amor Dei ſuper omnia, in eo tamen culpandus eſt Baccalaureus, non ſolum, quod nullum huic definitioni ſignum appoſuerit, quo Caritatem, ut habitus eſt, ſecerneret ab ipſius actu, qui eſt amor Dei ſuper omnia; ſed quia nullum ex motivis explicuit, quibus ad talem Dei amorem inducimur.

1. Id a nobis aſſeritur, Mainfredum reprehenſione non eſſe dignum, quod dixerit hanc virtutem, quæ tertia eſt Theologica, conſiſtere in amore Dei ſuper omnia: Sic enim definierunt in Sorbona 25. & 27. Octobris an. 1718. centum trigintaſeptem Doctores ſacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis his verbis: *Amor Dei ſuper omnia, qui caritatis inchoatæ ſaltem actus ſit, neceſſarius eſt, ut ab adultis obtineatur remiſſio peccatorum in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ*. Quod omnino conforme eſt declarationi univerſæ ſacræ Facultatis, quæ 23. Julii ann. 1716. facta, prima die Auguſti ejuſdem anni confirmata eſt occaſione Cenſuræ errorum tractatus de Pœnitentia, quem Doctor ſuis dictarat diſcipulis in Univerſitate Remenſi, in qua docebat.

2. Addimus Mainfredum in eo eſſe culpandum, quod non ſatis explicuerit, quæ ſint motiva, quibus inhærere Deo debemus, & quibus ſpeciem ſuam Caritas ſortitur, ac duabus reliquis Theologicis virtutibus fide & ſpe ſecernitur, ut conſtat ex triplici harum virtutum definitione.

Fides eſt virtus Theologica, qua firmiter aſſentimur Deum eſſe, & omnibus quæ Deus ipſe revelavit, & nobis per Eccleſiam credenda propoſuit.

Spes eſt virtus Theologica, qua certa cum fiducia promiſſu nobis bona a Deo exſpectamus, ſcilicet beatitudinem æternam cum gratiis, aliiſque auxiliis ad eam aſſequendam neceſſariis.

Caritas eſt virtus Theologica, qua Deum diligimus, ut in ſe infinite bonus eſt & perfectus, & ut ſummum bonum noſtrum & finis ultimus noſter eſt, & proximum propter Deum. Quæ definitio conformis eſt ſupra dictorum centum trigintaſeptem Doctorum declarationi (a), cujus hæc ſunt verba: *Hic amor fertur in Deum, tum ut in ſe ſumme bonus eſt, tum ut eſt ſummum bonum noſtrum; quæ duo complectitur Caritas, inter virtutes Theologicas tertia, ſicut ex ſacris litteris liquet, & ſancti Patres docuerunt.*

(a) Num. 44. §. 1.

Hæc doctrina Scripturæ ſacræ perfecte conformis eſt: licet enim Deus poſſit diligi, ut in ſe ſumme bonus eſt & perfectus, præciſa illa bonitate qua nobis bonus eſt, & poſſit etiam diligi, ut ſummum nobis bonum, non conſideratis actu infinitis ſuis perfectionibus; Scriptura tamen ſæpe hæc duo conjungit motiva, ut videre eſt in multis Pſalmis David, quorum tres his verbis Rex iſte auſpicatur (b): *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus*: quo ſenſu in aliis Pſalmis ſeſe Propheta exprimit (c). Eodem modo loquuntur tres illi Heroes Babylonis regis juſſu in candentem fornacem projecti, & ex ea abſque læſione egreſſi ad laudandam ſupremam illius magnitudinem & amorem ſuum teſtandum (d): uno verbo Scriptura ſacra ſimilibus eſt referta terminis, quos ad preces ſuas adoptavit Eccleſia, ut in Hymno eximio, qui ad finem Matutini recitatur, in quo celebratis Dei in tribus perſonis laudibus, decem verſus ultimos ad extollendam ipſius miſericordiam, unicum ſpei ſuæ fundamentum adhibet. Sancti Patres Eccleſiæ menti ſemper conformes hæc duo quoque ſæpe motiva conjungunt, quæ ad amorem Dei nos inducere debent, ut in ſcriptis eorum videre eſt, quæ ad marginem indicamus (e): quæ etiam pariter conjungit S. Thomas ad probandum, orationem Dominicam, omnium eſſe perfectiſſimam his verbis (f): *Manifeſtum eſt autem, quod primo cadit in deſiderio noſtri finis, deinde quæ ſunt ad finem. Finis autem noſter Deus eſt, in quem affectus noſter tendit dupliciter. Uno quidem modo, prout volumus gloriam Dei. Alio modo, ſecundum quod volumus frui gloria ejus; quorum primum pertinet ad dilectionem Dei, qua Deum in ſe ipſo diligimus; ſecundum vero ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur*: Sanctificetur nomen tuum, *per quam petimus gloriam Dei; ſecunda vero ponitur*: Adveniat regnum tuum, *per quam petimus ad gloriam Dei & regni ejus pervenire, &c.*

(b) Pſal. 105. 106. & 117.

(c) Pſal. 63. 71. 85. 88. 98. 99. 112. 114. 135. 137. 144. & 146.

(d) Daniel. 3. 19.

(e) S. Clem. Alex. L. 7. Stromatum. S. Greg. Nazian. orat. 3. & Epiſt. 57. S. Ambroſ. L. 7. de Abraham. c. 8. S. Chryſoſt. hom. 76. in Joan. & homil. 13. in Epiſt. ad Hebr. S. Aug. in Pſal. 55. v. 10. S. Bernard. Epiſt. 431.

(f) S. Th. 2. 2. q. 83. art. 9. in corp.

Denique iſta doctrina conſentit cum Catechiſmo Pari-

Pariſenſi juſſu RR. DD. Franciſci de Harlai editi, in quo ſic habetur: *Quid eſt amare Deum?* R. *Eſt animo inhærere Deo tamquam ſummo noſtro bono & fini ultimo.* Ex quibus verbis conſtat nos, ut diximus, ex caritate non inhærere tantum Deo, ut in ſe infinite bono, ſed ut ſummo bono noſtro: Unde hæc duo motiva entis infinite in ſe boni, & in nos benefici in praxi ſunt indiviſa, & per mentis abſtractionem dumtaxat a ſe invicem dividuntur: ita ut motivis illis ſimul junctis, caritas tamen remaneat pura, integra, non quærens ſua, filialis & perfecta.

Equidem in bonum dumtaxat propendet humana voluntas, & ſine affectu atque complacentia in illud propendere nequit: unde Deum vere diligere nequit homo, niſi invigilantem ſibi providentiam, ſapientiam illuminantem, omnipotentiam tuentem, ſanctitatem omnis juſtitiæ fontem, miſericordiam commiſerantem conſideret, ac tandem ipſius juſtitiam, quæ terret minis, ut ad pœnitentiam vocet, & ad fiduciam, quæ intuitu ipſius bonitatis, ac promiſſi nobis præmii excitatur. Caritas ergo, duo ſemper, de quibus diximus, motiva complectitur.

Quæ cum ita ſint, fatendum, non ſatis apte a Mainfredo definitam fuiſſe caritatem, cujus naturam ut rite fideles Catechiſmo doceret, ipſis fuiſſe inculcandum, ea virtute nos agi, ut Deum ſuper omnia diligamus, non ſolum, quia in ſe infinite bonus, ſed etiam ſumma eſt beatitudo noſtra. Attamen dici nequit, Mainfredo injuriam intuliſſe Bertholdum; quippe qui ipſum ſibi Vicarium admittere non teneretur, eaque res omnes latuerit, ac proinde fuerit abſque ſcandalo activo vel paſſivo ſeu relate ad Mainfredum, aut quemlibet alium.

CASUS II.

Basilius adoleſcens duodecim annos natus, a ſuo Confeſſario interrogatus, an aliquem actum amoris Dei emiſerit, poſtquam rationis uſum attigit; retulit, ſe non talem actum produxiſſe, quod de eo numquam cogitaſſet, & peccata nondum confeſſus eſſet: numquid Confeſſarius ipſius eum debet adigere, ut omiſſionem hanc, tamquam verum peccatum confiteatur?

Respons.

Ad Confeſſiones hujus omiſſionis, tamquam veri peccati a Confeſſario adigi debet hic adoleſcens; quia ad praxim amoris Dei tenentur omnes qui rationis uſum attigerunt, & ubi primum attigerunt, ut docet S. Thomas (a) his verbis: *Ab aliis peccatis mortalibus poteſt puer incipiens habere uſum rationis, per aliquod tempus abſtinere: ſed a peccato omiſſionis prædictæ non liberatur, niſi, quam cito poteſt, ſe convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini diſcretionem habenti eſt, quod de ipſo cogitet, ad quem alia ordinet, ſicut ad finem: finis enim eſt prior in intentione. Et ideo hoc eſt tempus, quo obligatur ex præcepto Dei affirmativo, quo Dominus dicit:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. *Zachariæ* 10.

(a) S. Th. 1.2.q.89.art. ad 3.

Itaque merito ab Alexandro VII. 24. Sept. 1665. ſequens propoſitio cum viginti ſex aliis, ſaltem ut ſcandaloſa damnata eſt: *Homo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quibus tres ſequentes inter 65. alias ab Innocentio XI. 2. Martii an. 1679. damnatas addimus. Prima eſt: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Secunda: *Probabile eſt, ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.* Tertia denique: *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari; & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus:* quas falſas propoſitiones damnavit Apoſtolica ſedes, cum prohibitione, ne quiſquam eas doceat ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*, ſummo Pontifici reſervatæ, excepto mortis articulo, ut ab initio retulimus.

CASUS III.

Ortum eſt diſſidium inter Joannem & Jacobum de hac quæſtione: utrum videlicet Chriſtianus ſub peccato teneretur exercere caritatem erga proximum etiam cum proprii damni periculo: affirmat Joannes: negat Jacobus: cui jus?

Respons.

Ut propoſitæ quæſtioni fiat ſatis, duplex eſt diſtinguendum genus damni, quod homo pati poteſt: alterum temporale ſeu corporeum; & alterum ſpirituale. Chriſtianus tenetur, proprii damni corporalis periculo ſe committere, ut præceptum caritatis erga proximum adimpleat: unde ait Sapiens (b): *Qui negligit damnum propter amicum, juſtus eſt.* At præceptum illud exercere non tenetur cum ſpirituali detrimento, *Detrimenta corporalia debet homo ſuſtinere propter amicum*, inquit S. Thomas (c); *& in hoc ipſo ſe ipſum magis diligit ſecundum ſpiritualem mentem; quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ eſt bonum mentis. Sed in ſpiritualibus non debet homo pati detrimentum peccando, ut proximum liberet a peccato.* Unde ad dirimendum Jacobi & Joannis diſſidium, dicendum pro Joanne ſtare rationem, ſi de damno tantum temporali aut corporeo agatur; contra vero recte ſentire Jacobum, ſi damnum ſit ſpirituale: cum nemo teneatur ad actum caritatis erga proximum cum periculo damni ſpiritualis, hoc eſt, peccati.

(b) Proverb. 12. 26.

(c) S. Th. 1. q. 26. art. 4. ad 2.

CASUS IV.

Dracontius Felicianum ſua penitus fama ſpoliavit injuſte; & infinito, quo eſt in ipſum a multis annis, odio, multas ei lites conſcivit, quibus eum de bonis funditus evertit. Felicianus, quantumvis tot illatis ab eo ſibi incommodis exaſperatus, id ab animo ſuo obtinuit, ut Dracontio ignoſceret, nec ei male eſſe vellet, ſed potius ſincere pro ejus emendatione Deum oraret, atque omnia etiam ſeu corporea ſeu ſpiritualia officia, quantum in ſe erit, data urgente occaſione in eum conferret; at refugit ipſum alloqui apud amicum communem, qui eos ad amicitiam revocandos ad colloquium invitat; & inſuper eumdem obvium non ſalutat, immo conſulto a via digreditur in eam cauſſam; quia virum, inquit, expertus novit adeo metuendum, ut hæc una cum eo ſuperſit via ſecuritatis. Numquid dici poteſt Felicianum ſic diſpoſitum tuta eſſe conſcientia; ac digne Sacramenta, dum in eo ſtatu permanebit, poſſe ſuſcipere?

Respons.

Priuſquam huic difficultati, quæ ſerium poſtulat examen, reſpondeamus; id ſupponendum caritatis præceptum erga inimicos neceſſario obligare, cum ſic juſſerit Chriſtus (d): *Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Heic pluſima S. Auguſtini aliorumque Eccleſiæ Patrum teſtimonia (e) omittimus, ad demonſtrandam hujuſce præcepti neceſſitatem; cum ſit nobis perſuaſum, illud a Chriſtianis ignorari non poſſe; quod & Chriſtus ipſe exemplo ſuo comprobavit: modum itaque illius adimplendi exponere ſufficiet; ex quo judicari poterit, num tuta ſit conſcientia, & Sacramentorum particeps eſſe valeat Felicianus, ea qua diximus ratione affectus.

(d) Matth. 5. 44.

(e) S. Aug. in Epiſt. S. Joan. 4. tract. 8. & L. 3. de Doctr. Chriſt. c. 10. S. Hieron. L. 1. in Matth. c. 5. &c.

Similem propoſitæ difficultati quæſtionem ferme ſibi proponit S. Bernardinus verbis iſtis (f): *Quæritur*, inquit, *an omnes teneantur ad ſigna dilectionis inimicis exhibenda? Et videtur, quod ſic; quia Chriſtus Matthæi 5. ait:* ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum; quid amplius facitis? Nonne & Ethinici hoc faciunt? *Ubi velle videtur, quod hoc non ſufficit ad ſalutem.*

(f) S. Bernard. Senenſis, tom. 3. Serm. 28. in Feria 5. poſt III. Dominic. quadrag. part. 3. c. 1.

Nihilominus, cum exceptionem quamdam pati poſſe videatur regula generalis, quæ ex iſtis Chriſti verbis conſtitui poſſet, ſic mentem ſuam explicat hic Sanctus: *Ad quod dicendum*, inquit, *quod eſt aliquod ſignum, ſine quo non poteſt exterius innoteſcere actus dilectionis, etiam illius, ad quam omnes tenemur: quia in ejus omnimoda negatione prætenditur ſignum iræ, ſeu odii cordialis. Hujuſmodi autem ſignum videtur ſalutatio, aut ad aliqua interrogata aliqualis*

Google

qualis reſponſio. Unde qui omnino inimico ſuo negaret verbum, aut qui in ejus præſentia ſemper avertit faciem, vel ſubito ſugit, ſignum oſtendit odii cordialis atque mortalis. Hanc tamen exceptionem addit hic Sanctus: *Niſi ex cauſſa valde rationabili hoc agat; aut probabiliter timeat ex hoc aliquid pejus accidere: quamquam etiam rationem & intentionem facti ſui debeat intuentibus propter vitationem ſcandali propalare, ſi bono modo hoc facere poteſt.*

Ex dictis itaque S. Bernardini judicium de ſe ferre debet Felicianus. Etenim ſi Diacontii colloquium & conſpectum refugiat, ex aliquo inimicitiæ cordialis, ut loquitur, fermento, Sacramenta tuto percipere nequit, cum ſic affectus abſolutione ſit indignus; quod attente conſiderare debet ipſius Confeſſor, & certo perſpiciet ex hoc S. Gregorii Magni ratiocinio (a): *Sciendum eſt*, inquit hic Papa, *quia inimici dilectio tunc veraciter cuſtoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur. Nam ſæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, ſeque hunc diligere æſtimat, ſi ejus vitæ non contrarius exſiſtat; ſed dilectionis vim occulte & veraciter, aut profectus inimici, aut caſus interrogat. Hac etenim de re ad plenum ſemet ipſam mens hominis neſcit; niſi eum quem ſibi adverſarium credit, in defectu vel profectu mutaſſe modum ſui ſtatus invenerit. Si enim de proſperitate addicitur, & de calamitate ſe odientis lætatur; conſtat, quod non amat, quem non vult eſſe meliorem: cumque etiam ſtante voto perſequitur, quem cecidiſſe gratulatur.* Atque hæc potiſſimum de propoſita difficultate dici poſſunt; eo tamen excepto quod ob legitimam cauſſam Dracontio ſalutationem non exhibere videtur Felicianus: cum ex hoc exteriori caritatis ſigno nullum ei malum aut incommodum poſſit venire; & ſi peculiaribus eum familiaris benevolentiæ notis perſequi, aut beneficia, non urgenti ac juſta neceſſitate requiſita, conferre non teneatur, modo eadem ipſi reddere in ipſius neceſſitate ſit animo paratus, ut docet S. Thomas (b): *Alia vero ſunt beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis: & talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum præparationem animi, ut ſcilicet ſubveniatur eis in articulo neceſſitatis.*

(a) S. Greg. Papa L. 22. Moralium in Job. c. 6.

(b) S. Th. 2. 2. q. 25. art. 9. in corp. Item in 3. ſent. diſt. 30. q. 1. art. 2. q. 2. & q. de virtutibus.

C A S U S V.

Marculphus in Parlamento Divionenſi Cauſidicus tres habet filios Joannem, Petrum & Jacobum. Joannes ingenio & pietate inſignis, omnium jam urbis primorum exſiſtimationem ſibi parat: Petrus ex mediocri ingenio & ſimplici indole; at eum ſæpe tentat morbus comitialis, & aliunde infirma eſt valetudine: Jacobus contra, firmo eſt corporis habitu; at impius, petulans, iracundus, & patri in omnibus inobſequens: an Marculphus ſub peccato omnes pari caritatis affectu diligere tenetur, hoc eſt, Jacobum, uti Joannem, ac Petrum adeo ſincere atque affectuoſe diligendo?

R e ſ p o n ſ.

Caritas erga proximum, quæ eo ſenſu quo intelligenda eſt, nihil aliud eſt, quam amor benevolentiæ quo alicui bonum volumus, & quod omnibus modis poſſibilibus ipſi procurare conamur; ex æquo debetur juſtis & injuſtis, probis & improbis: quare Marchulphus pari amore filios ſuos debet proſequi, ita ut non minus Jacobum, quam Joannem & Petrum diligat.

Attamen caritas in ſe ſumta cum ſuis effectibus non debet confundi; quæ, cum in ſe ipſa ſit ſemper eadem, diverſos tamen poteſt habere effectus. Patrem enim inducit ad majus obſequium & amorem in eum ex filiis ſuis, qui ſapientia præpollet, quam in eos qui mandatis ſuis ſunt inobſequentes, aut ſua contemnunt ſalubria monita. Ex ea caritate huic ob excellens ingenium preclaraſque animi dotes, exiſtimationis ſuæ externa ſigna; iſti vero iracundiæ ob vitia & libidines ſuppeditat; miſerationemque ipſius commovet erga filium, qui gravi quodam corporis morbo laborat; quam, etiam commiſerationem eo magis meretur, quod ſit docilis & ſimplex. Caritas denique patris vitio indignatur, damnatque in libidine filii ſui, quin tamen perſonam filii amare deſinat eo ſcilicet amore benevolentiæ, quo bonum omne procurare ipſi velit.

Hæc ſit igitur Marculphi regula; Joannes inter filios ſuos natu maximus exiſtimationem ſuam & amorem meretur, ac proinde ſignis eum externis teſtari poteſt; dum ſevere tertium habebit, ut ad bonam ſe frugem recipiat, ac de ira ſua in ſua tum corporis, tum animi vitia convincatur. Id enim a patre exigit vera caritas, ut monitis ac minis addat verbera, ne Heli Sacerdotem nimio ſuo in filios obſequio imitetur. Petro vero continue ægrotanti opem præbere debet neceſſariam, comiter eum & commiſerando ac ſolando excipere. Sic tres filios re ipſa pari caritatis affectu proſequetur.

C A S U S VI.

Pharetius capitali odio diſſidet a Pomponio, qui conviciis & quoad perſonam & quoad honorem ab eo affectus, capitaliter eum accuſavit, ac debitam ſibi ſatiſtactionem juridice requiſivit. Pacem inter eos conciliare nixus eſt communis eorum amicus, Pomponium hortans, ut illatam Pharetio litem remitteret, alioquin tuta eſſe nequibat conſcientia, juxta hæc Chriſti verba (c): *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Retulit Pomponius, hæc verba de eo tantum eſſe intelligenda, qui primus proximum ſuum offendit, atque adeo ad Pharetium pertinere, ut ea adimpleret, qui fuerat aggreſſor, & a quo conviciis contra omnes juſtitiæ atque caritatis regulas affectus fuerat; ceterum veniam ſe daturum, ſi pacem petecet; litem vero ſe non remiſſurum, quod æquum eſſet, ut meritam ferret pœnam, cum id etiam ad rempublicam pertineat, ut juxta leges debitas improbis pœna imponatur. Quæritur; utrum in hac ſententia tuto permanere queat Pomponius, ita ut abſolutionem ipſi denegare nequeat Confeſſarius; præſertim ſi Pharetio obvius, faſtidii ſe plenum faciat?

(c) Matth. c. 5. v. 23. & 24.

R e ſ p o n a.

Exiſtimamus Pomponium in ſua poſſe tuto permanere ſententia; nam offenſus ad reconciliationem tantum interiorem tenetur, hoc eſt ad condonandam interius acceptam ab offendente injuriam; ut expreſſis hiſce verbis docet S. Auguſtinus (d): *Si ille non læſit*, inquit S. Doctor, *non opus eſt pergere ad reconciliationem: non enim veniam poſtulabis ab eo qui tibi fecit injuriam; ſed tantum dimittes, ſicut tibi dimitti a Domino cupis quod ipſe commiſeris.*

(d) S. Aug. L. 1. de Serm. Dominica in monte c. 10. ſeu n. 72.

Non igitur legitima eſt Confeſſario cauſſa, Pomponio, aliunde rite diſpoſito, abſolutionem denegandi, quod capitalem Pharetio dictam litem remittere nolit. Cum enim quis injuriam aut grave damnum vel in ſe, vel in bonis ſuis aut honore paſſus eſt, debitam poteſt, ſi aliter nequeat, eorum reſtitutionem judicio perſequi: ratio eſt, quia non tenetur homo proximo ſuo parcere, eumque diligere ultra limites amoris ſui ipſius & juſtitiæ ſibi debitæ: atqui homo quilibet propriæ ſuæ ſalutis, honoris & bonorum ſuorum erga ſe eſt debitor. Igitur damni ſibi illati reſtitutionem a Pharetio repoſcere atque judicio perſequi valet Pomponius, ſi ad eam aliter cogi non poſſit.

Quod pertinet ad ſuum in quibuſdam occaſionibus pro Pharetio faſtidium dici poteſt, illud, abſolute loquendo, Chriſtianæ caritati & reconciliationi non adverſari: ſufficit enim, non obſtante faſtidio illo vultuque ſubfrigido, ſincere velit ipſi omnia debitæ erga proximum caritatis oſtendere teſtimonia. Et quidem id ab homine non exigit caritas, ut erga inimicum ſuum humanius ſe gerat, quam erga advenam incognitum, quem tamen generali illo caritatis affectu diligit, qui requiritur, ut in neceſſitatibus ejus opem ei ferat,

cum-

communiaque inter Chriſtianos officia ei præſtet. Quia tamen ſub illa faſtidii atque indifferentiæ ſpecie lateut odii reliquiæ; accurate perpendere debet Confeſſarius; 1. Utrum ſincere loquatur Pomponius. 2. Utrum Pharetium aliquo modo palam faſtidire non ſuadear Chriſtiana prudentia, ne major, quam par ſit familiaritas, novis quoque in poſterum diſſidiis occaſionem præbeat. 3. Utrum anre ſibi incognitius eſſet Pharetius: an vero cognitus, nulla ipſi conſuetudine aut amicitia eſſet conjunctus (a).

(a) D. Levrai Hom. 2. in 21. Dominic. poſt Pentec. Tom. V,

Vide Ecclesia.

CASUS VII.

Hierotimus ab Alexio verberatus, & contumelioſe acceptus, cum debitam pro accepra injuria ſatisfactionem amice componendo habere non potuerit, ipſum judicio capitaliter eſt proſecutus; quamvis contrarium ſuaderent amici, a quibus adduci non potuit, ut ſuſceptam deſineret actionem. Paſchalem autem cupiens Confeſſionem ſuam facere in ſuſcepta acceptam ab Alexio injuriam ulciſcendi conſilio perſeverare ſe declaravit: qua de re quærit Parochus, utrum Hierotimi pertinacia, Chriſtianæ caritati non ſit contraria, ac proindé abſolutionem prorogare ei non teneatur donec cum Alexio in gratiam redierit?

Respons.

Hierotimi conſilium de ſe, caritatis Chriſtianæ præcepto non eſt contrarium: quare abſolutionem ac etiam Paſchalem Communionem ipſi Impertiri poreſt ejus Parochus, etſi ad legitimam ſatisfactionem ab Aleaio obtinendam, ipſum in judicio perſequatur; modo tamen abſit odium, aut immoderata vindictæ libido; ac tantum juſtam ſibi illatæ aut in ſe boniſve ſuis, aut honore injuriæ ſatisfactionem zelo juſtitiæ intendat. Hanc deciſionem ſufficienter comprobant præcedentes probationes; tum enim dici poreſt, quod offenſus ita diſpoſitus, *non fratri iraſcitur*, inquit Auguſtinus, ſed *peccato fratris iraſcitur* (b).

(b) S. Aug. L. 1. retract. c. 19. n. 4.

At valde pro Hierotimo periculoſum eſt, ne ſub ſpecie vindictæ peccati Aleaii, ipſum etiam vindictæ appetitum in Aleaium detorqueat; ita ut ex ira in ejus perſonam oriatur pertinacia ſua ad non deſiſtendum a ſuſcepta in cum juridice actione. Ut autem certo cognoſcat, unico ſe juſtitiæ zelo moveri; *Neceſſe eſt*, inquit S. Gregorius Magnus (c), *ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium tranſeat, ſed in ultione peccati tempus modumque conſiderans, ſurgentem animi perturbationem ſubtilius retractando reſtringat, animoſitatem reprimat, & motus fervidos ſub æquitate diſponat; ut eo fiat juſtior ultor alienus, quo prius exſtitit victor ſuus; quatenus ſic culpas delinquentium corrigat; ut ante ipſe qui corrigit per patientiam creſcat, & fervorem ſuam tranſſcendendo dijudicet; ne intemperanter excitatus zelo rectitudinis longe a rectitudine aberret.*

(c) S. Greg. Papa L. 5. moral. c. 32. in Cap. 5. Job,

CASUS VIII.

Aurelia, Othonem, mariti ſui in rixa interfectorem capitali judicio proſecuta, in eum ſententiam obtinuit, qua novem annorum dumtaxat exſilio damnatur, quod non ſatis ſit probatum ipſius crimen. Otho vero, qui a ſuperiore tribunali capite damnari timet, Aureliæ debitam omnem pro ſuis ſumtibus damno, & intereſſe ſatisfactionem offere: at illa a ſuſcepta actione deſiſtere non vult, & dicit, quod cum ex legibus capite ſit plectendus a ſententia vult provocare, ac meritam mortis pœnam repoſcere. Numquid ſic ſe gerere poteſt abſque peccato in præceptum Chriſtianæ caritatis?

Respons.

Mulier illa, in caſu propoſito, Othonem jure perſequi non poteſt, intacto caritatis præcepto: ratio eſt, quia jus tantum habet ab eo exigendi debitam ſibi reſtitutionem pro ſuis ſumtibus, damnis & intereſſe. Igitur, cum ea offerat Otho, mulier acceptare tenetur, & a ſuſcepta actione deſiſtere; præſertim cum ad eam non pertineat mortem rei illius judicio perſequi, cui contra injuriam acceptam condonare ex caritate tenetur. Judicis eſt enim, uti Principis legum executoris, crimini cuique ſuam imponere pœnam; ut ſolius eſt Procuratoris regii, qui in criminali cauſſa ſolus eſt in Gallia auctor, a ſententia provocare; ut a Judice ſuperiore pœnam auferat ſeveriorem munere ſuo id ipſum publica cauſſa depoſcat. Nulla igitur Aureliæ ſuppetit honeſta ratio interpellandi Judicem in Othonem, niſi ultionis libido, mandato caritatis prorſus contraria, & quia graviſſimum admittit peccatum. Ita ſentiunt Ludovicus Beia, & Ludovicus Bail.

CASUS IX.

Nonne ex præcepto caritatis Chriſtianæ tenetur Harduinus vitam ſuam corporalem evidenti periculo committere, in ea occaſione, in qua Claudii ſpiritualem vitam conſervare poteſt?

Respons.

Difficultatem hanc liquido ſolvit S. Auguſtinus in libro ſuo de Mendacio (d) his verbis: *Temporalem plane vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere*: quæ ſententia ex iſtis Joannis Apoſtoli verbis ducitur (e): *Quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*; atque ex hoc Chriſti præcepto (f): *Mandatum novum do vobis*, inquit Servator noſter, *ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. Et iterum (g): *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: Hoc eſt, ut Chriſtus Dominus dedit ſemet ipſum pro ſalute noſtra in ea qua eramus, neceſſitate; ſic, ubi agitur de extremo proximi noſtri ſalutis periculo, vitam noſtram profundere tenemur. Ita Doctor Sorbonicus & Theologiæ Profeſſor (h), qui ut eam confirmet veritatem, ſic ratiocinatur: Proximum noſtrum, ut noſmet ipſos diligere tenemur: arqui ſui ipſus dilectio exigit, ut propriam ſalutem temporali vitæ noſtræ anteponamus: ergo exigit queque, ur vitæ noſtræ temporali ſalutem proximi anteponamus; cum aliter, ut in propoſito caſu, in certo & evidenti damnationis periculo ille verſaretur. V. g. Harduinus inter infideles aur hæreticos verſatur, qui Claudium ſeducunt & pervertunt: quod non alia ratione, quam evidenti vitæ ſuæ periculo impedire poteſt: tum, ſi poteſt, etiam cum rali periculo impedire tenetur, ut docet S. Thomas (i).

(d) S. Aug. L. de mend. c. 6. ſeu n. 9.

(e) Joan. 3. 16.

(f) Joan. 13. 14.

(g) Joan. 15. 16.

(h) Nic. Yſamber. tr. de Cant. diſp. 10. art. 9. tom. 2. p. 399.

(i) S. Th. 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3.

Argumento iſto Sylvii confirmari poteſt hæc deciſio (k). Idem dicendum de vita noſtra temporali in ordine ad vitam ſpiritualem & æternam proximi noſtri, ut de bonis noſtris temporalibus in ordine ad vitam ejus corpoream. Atqui Chriſtianus tenetur bona ſua temporalia proximo conferre, cum in extrema neceſſitate verſatur, qua non alio modo liberari poteſt, ur conſtat ex his Scripturæ ſacræ verbis (l): *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?* Ergo in caſu propoſiro, vitam ſuam temporalem profundere tenetur, ad procurandam ſalutem animæ proximi ſui, cum aliter non poteſt.

(k) Franciſc. Sylvius in S. Th. cit. Concluſ. 1.

(l) 1. Joan. 3. 17.

Sed quid dicendum, ubi extrema non imminet, ſed gravis tantum neceſſitas; hoc eſt, cum abſque auxilio poteſt proximus abſolute, licet non ſine magna difficultate, neceſſaria ſibi ad ſalutem providere? V. gr. Peſtis vicum inficit; qui ea laborant Parochiani, & qui Pœnitentiæ Sacramento indigent, ſaluti ſuæ per actum perfectæ contritionis abſolute providere poſſunt; ſed quia difficilis eſt talis actus; ſi non extrema, ſaltem in gravi ſunt neceſſitate. Numquid tum Paſtor proprio vitæ ſuæ periculo eorum ſaluti tenetur providere? Reſpondemus affirmative, ut alibi oſtendetur ex unanimi Patrum & Theologorum conſenſu:

De-

Digitized by Google

Denique præter duas de quibus diximus, neceſſitatis ſpecies, communis etiam ſupponi poteſt, *quam patiuntur illi, qui communes peccandi occaſiones incurrunt*, ut loquitur Sylvius (*a*). Verum de iſta non idem ſit judicium, ac de duabus aliis; cum ab ea, utpote voluntaria, facile ſe expedire poſſint multa adhibendo media, ſi velint, qui in ea verſantur. Unde tunc propriam vitam, quin immo nec bona temporalia pro hujuſmodi hominum ſalute amittere quis tenetur; etſi eam ex præcepto caritatis procurare debeat. Idem ſentit citatus Theologus (*b*).

(a) Sylv. cit. loc. concluſ. 2.

(b) Idem. ib. concluſ. 8.

C A S U S X.

Egbertus, Nauta, Rhenum cum patre & matre ſua trajiciens, ventorum ſubito impulſu fracta navi, una cum parentibus ſuis, fluctibus immergitur, Egbertus, corpore validus, & nandi ſciens, novit quidem, alterutrum ſe poſſe naufragio eripere. Cui e duobus opem præſtare tenetur?

Reſpons.

Ut præciſe loquamur & in ordine ad qualitatem patris & matris, patri arctius, quam matri opem ferre tenetur Egbertus: quia ſecundum ordinem caritatis plus patrem, quam matrem debet diligere: eo quod nobilius ſit originis principium pater, quam mater, ut docet S. Thomas (*c*): *Per ſe loquendo*, inquit, *pater magis eſt amandus, quam mater. Amantur enim pater & mater, ut principia quædam naturalis originis: Pater autem habet excellentiorem rationem principii, quam mater: quia pater eſt principium per modum agentis, mater autem magis per modum patientis & materiæ; & ideo per ſe loquendo pater eſt magis diligendus.*

(c) S. Th. 2. 2. q. 26. art. 10. in corp.

C A S U S XI.

Ennodius, tempore famis, cum patrem, matrem & uxorem ad extrema redactos videret, neque iis omnibus ob modicum laboris quotidiani lucrum poſſit opem ferre, quod ſibi vix ad vitæ neceſſaria ſufficit, poſtulavit, quem potiſſimum e tribus ex ordine Chriſtianæ caritatis juvare debeat?

Reſpons.

Etſi ad ſubtilitatem potius, quam ad praxim videatur pertinere caſus iſte, cum tamen evenire poſſit, omittendum eſſe non duximus. Dicimus ergo, arctius teneri Ennodium in his extremis patri ac matri, quam uxori ſubvenire. Id quidem probari poteſt ex hoc, quod ponit S. Thomas, principio: ſcilicet (*d*), paternum amorem prævalere uxoris amori. 1. Quia parentes uti originis ſuæ principia tenetur homo diligere. *Gradus dilectionis*, inquit ſanctus Doctor, *attendi poteſt & ſecundum rationem boni, & ſecundum conjunctionem ad diligentem. Secundum ergo rationem boni, quod eſt objectum dilectionis, magis ſunt diligendi parentes, quam uxores: quia diliguntur ſub ratione principii, & eminentioris cujuſdam boni*. 2. Quia ſi amorem ſui ſponſi jure exigere poteſt uxor, multo antea jus illud obtinent mariti parentes, cum ad eorum amorem perpetuum ex origine ſua teneatur infans: & ſi ex Scripturæ ſacræ præcepto (*e*), *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, præceptum illud potiſſimum intelligi debet de domicilio, ſocietate & uſu matrimonii; non vero de amore paterno, ut etiam docet S. Thomas: *In amicitia paterna*, inquit, *inveniuntur multæ rationes dilectionis, & quantum ad aliquid præponderant rationi dilectionis, quæ habetur ad uxorem, ſecundum ſcilicet rationem boni; quamvis illæ præponderent ſecundum conjunctionis rationem*. Hanc aliam quoque Angelicus Doctor rationem addit (*f*): *Vir debet diligere uxorem ſuam, ſicut carnem ſuam, ut dicitur ad Epheſios 5. Sed corpus ſuum minus homo debet diligere, quam proximum .... inter proximos autem magis debemus diligere parentes, quam uxorem.* S. Thomæ doctrinam ſequuntur omnes ipſius Commentatores, inter quos Sylvius ſic dicit: (*g*) *Docet parentes eſſe magis, quam uxorem diligendos, tum objective; quia diliguntur ſub ratione principii ac majoris boni: tum appretiative; quia propter beneficium ab eis acceptum, magis eſt in gravi aut extrema neceſſitate illis ſuccurrendum. Ratione tamen conjunctionis, qua vir & mulier ſunt una caro, intentius diligendam eſſe uxorem.* Quod etiam aſſerit S. Thomas.

(d) S. Th. 2. 2. q. 26. art. 11. in corp.

(e) Gen. 2. 24.

(f) Idem Th. c. q. 26. a. 11. in argumen. Sed contra.

(g) Sylvius in cit. art. 11.

C A S U S XII.

Landulphus, virtute præcipuus, Maximinum non ſolum hæreticum, ſed perditis etiam publice moribus hominem odio habet; & toto cupit animo, ut ei male quid præcipuum eveniat. Nonne peccat in eo contra præceptum caritatis?

Reſpons.

Ad elucidandam hanc difficultatem, ſufficit Doctoris Angelici verba iſta referre (*h*). *Odium amori opponitur*: inquit.... *unde tantum habet odium de ratione mali, quantum amor habet de ratione boni. Amor autem debetur proximo, ſecundum quod a Deo habet; id eſt, ſecundum naturam & gratiam: non autem debetur ei amor ſecundum id, quod habet a ſe ipſo & diabolo, ſcilicet ſecundum peccatum & juſtitiæ defectum. Et ideo habere odio peccatum in fratre & omne illud, quod pertinet ad defectum divinæ juſtitiæ; ſed ipſam naturam & gratiam fratris non poteſt aliquis habere odio ſine peccato. Hoc autem ipſum, quod in fratre odimus culpam & defectum boni, pertinet ad fratris amorem: ejuſdem enim rationis eſt, quod velimus bonum alicujus, & quod odiamus malum ipſius. Unde, ſimpliciter accipiendo odium fratris, ſemper eſt cum peccato.*

(h) Idem S. Th. ib. q. 34. art. 3. in corp.

Idem ante Doctorem Angelicum docuerat S. Auguſtinus (*i*), explicans de Davide hæc ejus Pſalmi, *iniquos odio habui*, verba, & oſtendens, regem Prophetam de improborum iniquitate, non de eorum perſona eſſe intelligendum. *Ut demonſtraret* (David) *ſe non in hominibus iniquis odiſſe naturam, qua homines ſunt; ſed iniquitatem, qua legi, quam diligit, inimici ſunt.* Hæc ſunt verba ſancti Doctoris, quæ alibi refert (*k*).

(i) S. Aug. in Pſal. 118. v. 113. Conc. 24. n. 1.

(k) Idem in Pſal. 138. n. 28.

Ex hoc principio judicium ferendum eſt de odio Landulphi in Maximinum: nam ſi ipſius dumtaxat hæreſim, crimina & libidines odio habeat, & malum temporale ipſi optet quaſi medium ipſius emendationis, nullam in eo culpam admittit: at ſi communi perſonam & vitia ejus odio conjungat, a peccato excuſari nequit. Etenim, ut ait S. Leo ſcribens ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem (*l*): *Odio habeantur peccata, non homines.*

(l) S. Leo in Can. Ordo. 1. diſt. 86.

Cavere tamen debet Landulphus, ne Maximini perſonam quod inter vulgares homines valde commune eſt, cum vitiis ejus confundat: *Facile eſt enim atque proclive*, inquit S. Auguſtinus in una ex ſuis Epiſtolis (*m*), *malos odiſſe, quia mali ſunt; rarum autem, & pium eoſdem ipſos diligere, quia homines ſunt; ut in uno ſimul & culpam improbes, & naturam approbes.*

(m) S. Aug. Epiſt. 153. alias num. 3.

Vide { Deſiderium. Odium. }

CASUS RESERVATI.

CASUS reſervati nominantur, gravia quædam peccata & externa, a quibus abſolvendi jus ſibi retinuere Papa, aut Epiſcopus, aut alius Prælatus major; quocirca caſuum reſervatio nihil aliud eſt, quam juriſdictionis ſubtractio quoad abſolutionem quorumdam peccatorum.

Poſtea dicemus, quinam ſint Caſus ſummo Pontifici reſervati. Caſuum autem Epiſcopis reſervatorum, excluſis Parochis aliiſque Confeſſoribus, incertus eſt ex jure numerus: *Et jus habent Epiſcopi graviora & atrociora crimina ſuo judicio reſervandi; quæ reſervatio fieri debet cum diſcretione, & ad utilitatem Eccleſiæ* (*a*).

(a) Conc. Tr. Seſſ. 14. de Sacram. Pœnit. C. 7. & Can. 11.

Diximus *peccata externa*, ut diſtinguantur ab internis, quæ quantumvis enormia, inter caſus reſervatos non annumerantur, cum Eccleſia non judicet, niſi de ſibi cognitis, ut loquitur Concilium Tridentinum.

(b) L. Hujus. 3. ff. de pactis. L. 2. tit. 14.

(c) Concil. Trid. cit.

Sacerdos quilibet ex ordinatione ſua plenam accipit poteſtatem indiſtincte abſolvendi a quolibet peccato; cujus poteſtatis exercitium ad tempus, vel in perpetuum ſuſpendit Eccleſia, uti Principes limitant, reſtringunt, aut ſuſpendunt ex motivo æquitatis, ſubditorum jus ad contrahendum a natura conceſſum, ut ait Ulpianus in quadam Digeſtorum lege (*b*). Sed quia non vult quemquam e ſuis perire, declaravit a quolibet Sacerdote, etiam ſuſpenſo, interdicto, aut excommunicato, peccatorem quemlibet, in articulo mortis valide ac licite poſſe abſolvi; cum alterius Confeſſarii approbati non eſt copia (*c*).

(d) Id. Conc. Seſſ. 24. c. 6. de reform.

(e) Itinerarium Liturgicum Galliæ a D. de Moleon. p. 464.

Epiſcopi poſſunt abſolvere a quovis peccato, cujus abſolutionem ſibi reſervavit Papa, & ab excommunicatione huic annexa, cum crimen illud eſt occultum (*d*). In Orientali Eccleſia nullus eſt caſus reſervatus: nam Sacerdotes omnes acceptam in ordinatione ſua poteſtatem exercere valent; & cuilibet pœnitenti liberum eſt, primo quem elegerit, Sacerdoti peccata confiteri (*e*).

CASUS PRIMUS.

QUÆSTIO hæc in peculiari quodam Sacerdotum colloquio propoſita eſt: utrum videlicet Sacerdos ab Epiſcopo Diœceſano approbatus ad audiendas in urbe confeſſiones, vi admiſſionis ſuæ, ſuos pœnitentes indiſtincte & abſque exceptione poſſet abſolvere?

Quidam affirmarunt, cum neque valide, neque licite eos poſſe abſolvere, qui peccata admiſerant, quorum abſolutionem ſibi retinuerat Eccleſia. Alii vero contra contenderunt, quod quamvis illicite & abſque reatu peccati mortalis non poſſet abſolvere; valida tamen cenſeri debebat data abſolutio; ſeu propter bonam pœnitentium fidem; ſeu quia, cum ejus approbatio non expreſſe exceptionem iſtam contineret, talis abſolutio valida erat præſumenda. Quocirca petitur, utrum veriſimiliter poſſit defendi hæc ultima ſententia?

RESPONSIO.

Ultima hæc ſententia falſa eſt, & ad Epiſcopalis auctoritatis deſtructionem tendit; atque Conciliorum decretis, ſanctorum Patrum & omnium Theologorum doctrinæ eſt contraria.

(f) S. Cypr. Ep. 10. ſecun. edit. Pamel. aut lib. 3. Ep. 14. juxta Eraſmum, aut Epiſt. 12. ſecundum Dodvvel.

Primam hujuſce veritatis probationem ſuppeditat Epiſtola S. Cypriani ad Clerum Carthaginienſem (*f*), in qua mirari ſe ait, quoſdam eſſe Sacerdotes, qui ab idololatria temere abſolviſſent, cujus criminis abſolutionem ſibi reſervarat. *Quod enim non periculum metuere debemus de offenſa Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omnino ſub Anteceſſoribus noſtris factum eſt, cum contumelia & contemtu præpoſiti totum ſibi vindicent? Atque utinam non contra fratrum noſtrorum ſalutem ſibi omnia vindicarent.*

(g) Conc. Meld. Can. 44.

Meldenſe Concilium an. 845. (*g*) ſub Sergio II. habitum, Chorepiſcopo etiam jubet, cujus latior erat quam ſimplicium Sacerdotum poteſtas, ut in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ, *Chorepiſcopus modum ſuum teneat*; ..... hæc ſunt verba Concilii ... *impoſitioni autem pœnitentiæ, aut pœnitentium reconciliationi per Parochiam ſecundum mandatum Epiſcopi ſui inſerviat.*

(h) Conc. Arel. Can. 12.

Arelatenſe Concilium an. 1275. ſub Gregorio X. (*h*) ſtatuit, ut qui graviora quædam crimina in confeſſione accuſaverint apud Sacerdotes; *tranſmittantur abſolvendi per ipſos Epiſcopos, ſi id eis de jure competit; alioquin cum eorum litteris ad Sedem Apoſtolicam tranſmittantur.* Hæc ſunt verba hujuſce Concilii.

(i) Conc. Tr. Seſſ. 14. Can. 11. & Cap. 7.

(k) Conc. Tr. Seſſ. 14. Can. 11. & Cap. 7.

Denique Tridentiuum Concilium clare rem definit hoc Decreto (*i*): *Magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina, non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur* (k). Huic Decreto conformia ſunt Concilia Provincialia, tertium, & quintum; Rothomagenſe an. 1581. Burdigalenſe an. 1583. Bituricenſe an. 1584. & Toloſanum ann. 1590. quæ omnia irritas declarant Sacerdotum abſolutiones erga eos, in quos juriſdictionem non habent; & cum a criminibus Papæ aut Epiſcopo reſervatis peccatores abſolvunt. Quæ diſciplina in alio etiam Burdigalenſi Concilio an. 1624. innovata eſt (*l*). *Eſſe autem in Eccleſia poteſtatem reſervandi quædam peccata*, inquit Sylvios (*m*), *eamque reſervationem non tantum in foro externo, ſed etiam coram Deo vim habere, dogma Catholicum eſt, definitum in Concilio Tridentino*: quod probat hoc argumento ... *Juriſdictio ad abſolutionem valide imponendam neceſſaria, deſcendit a ſuperioribus ad inferiores. Ergo ſi ſuperiores nolint eam dare in talem vel talem peccatorem, ſeu in hoc vel in illud peccatum, inferiores non habent; uſque adeo, ſi tentent abſolvere, inaniter abſolvunt.* Quare ſic concludit: *Unde reſervatio non eſt hic aliud, quam negatio juriſdictionis ad abſolvendum a quibuſdam; licet concedatur circa aliqua.* Cum hæc ſufficiant ad ſtabiliendam hanc veritatem, cetera non addemus. Heic unum obſervare eſt, hanc ab Eccleſia ideo fuiſſe conſtitutam reſervationem, ut fidelium ſaluti inſerviret, ac peccatorum libidini quaſi molem opponeret: quare monet Tridentinum, ne ea poteſtate utantur Epiſcopi, *niſi in ædificationem ... non in deſtructionem.*

(l) Conc. Burdigal. an. 1624. Cap. de Sacrament. n. 7. de Pœnit.

(m) Sylvius in ſupplem. 3. part. S. Thom. q. 20. art. 2.

CASUS II.

POLYDORUS, Epiſcopus Solonienſis, ſtatim a conſecratione ſua: viginti diverſorum peccatorum abſolutionem, lege conſtituta, ſibi reſervavit. Numquid ſubſiſtit talis reſervatio, licet poſt ſex menſes obierit?

RESPONSIO.

Subſiſtit Polydori reſervatio poſt ipſius mortem, donec ab illius ſucceſſore fuerit revocata. Exiſtimat Cabaſſutius (*n*), quod talis reſervatio poſt mortem Epiſcopi non perſeverat, niſi per Synodicum ſtatutum facta fuerit. *Caſuum quoque ab Epiſcopo facta reſervatio inter odioſa cenſetur*, inquit, *ideoque reſervatio Prælati morte, vel amotione ab officio deſinit. Si tamen facta fuerit reſervatio per Synodalem deliberationem, vim habebit ſtatuti: nec extinguetur*

(n) Cabaſſut. Juris Canon. Theor. & Prax. L. 1. c. 14. in fine.

mor-

morte, vel amotione Prælati. Et alibi iterum (*a*): *Quod dixi de odioſis ultra judicis mortem non extendendis, patet in caſuum reſervatione, quæ ceſſat morte aut abdicatione reſervantis: nec reviviſcit, niſi a ſucceſſore renovetur. Excipe tamen hinc reſervationem caſuum, per Synodalem deliberationem roboratam; tunc enim ſtatuti vim habet: ac proinde non exſpirat amoto Prælato*. Idem ante docuerat Zerola (*b*), & Gavantus (*c*).

CASUS III.

Duo Doctores, alter Gallus, alter Italus multum inter ſe concertarunt de caſibus reſervatis Papæ, ea Bulla quæ dicitur *in Cœna Domini*; quod ſingulis annis Feria quinta majoris hebdomadæ coram ſummo Pontifice legatur. Gallus eam ubique in foro conſcientiæ non obligare propugnabat, contra ſentiente Italo. Cui jus?

RESPONS.

Certum eſt, Gallo Doctori jus competere: quia Bulla hæc, multas continens excommunicationes, in multis regionibus pro foro conſcientiæ non obtinet; ut docent Auctores, vel Romæ probatiſſimi; nam Bonacina qui ultimum ibi diem obiit, Filliucius & alii multi, loquendo de Rege Hiſpaniarum & Genuenſi Republica, in ſcriptis ſuis affirmare non dubitarunt, ſupremos Principes, neque Proreges, Gubernatores, aut Officiarios, quos in Sicilia, Sardinia, & Corſica habent, non ligari excommunicatione, quam infligit hæc Bulla, in detentores trium harum inſularum (*d*). Et quidem Romæ commorantes, ut ceteri fideles, Sacramenta recipiunt, ac pari ratione habentur: quo oſtenditur, ipſum Papam nullam Bullæ hujus habere rationem quoad hunc articulum.

Eadem Bulla in Germania quoque nec admiſſa, nec promulgata fuit, ut teſtatur Becanus e Societate Jeſu (*e*), Baſſæus Capucinus, & alii multi teſtantur eam etiam in 17. Provinciis Belgii non fuiſſe receptam. Denique omnes Juriſperiti Galliæ eam pariter in univerſo Regno non fuiſſet acceptam.

Juvat obſervare 1. multas eſſe in corpore juris Canonici reſervationes, in Bullis Pontificum & in Concilio Tridentino, quæ non vigent in Gallia; & quatuor tantum, aut quinque caſus eſſe, quorum reſervatio ad ſummum Pontificem ſit in uſu.

Primus eſt: *Gravis, aut mediocris percuſſio Clerici, aut Monachi publice notoria* (*f*).

Secundus eſt: *Simonia realis, ac confidentia publica* (*g*).

Tertius eſt: *Crimen incendii ex deliberata malitia, poſt denuntiationem tantum* (*h*).

Quartus eſt: *Rapina bonorum Eccleſiæ cum effractione, poſt denuntiationem tantum* (i).

Quintus eſt: *Falſificatio Bullarum, ſeu Litterarum ſummi Pontificis*, & retinere falſas Bullas aut Litteras Apoſtolicas, quæ non fuere rejectæ viginti diebus poſt agnitam earum falſitatem (k).

Quinque alii quoque caſus legi poſſunt apud Du Caſſe (*l*), quos prætərimus, quod raro eveniant.

2. Obſervandum etiam, excommunicationem ex jure antiquo latam ſemper manere annexam criminibus in Bulla *in Cœna Domini* expreſſis, & alibi in regionibus etiam, ubi reſervatio dictorum criminum ex Bulla ad Papam facta non viget: v. g. ex hac Bulla ſoli ſummo Pontifici reſervatur abſolutio ab excommunicatione in eos decreta, qui pro infidelibus arma gerunt, aut qui tempore belli cum Chriſtianis, eo fine victualia, arma & alia ſimilia ſuppeditant: quæ excommunicatio ſubſiſtit in iis etiam regionibus, in quibus Bullæ reſervatio non viget, conformiter ad jus antiquum, a quo fuit conſtituta (*m*). Pariter ex jure antiquo hæretici ſubjacent excommunicationi, ea qua abſolvere ſolus poteſt ſummus Pontifex (*n*). Et tamen ex Concilio Tridentino (*o*): *Liceat Epiſcopis ... gratis abſolvere ...., in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ*.

(*a*) Idem ibid. L. 1. c. 14. n. 4.

(*b*) Thom. Zerola prax. Ep. p. 1. v. *Caſus reſervati*. n. 16.

(*c*) Gavantus. Manual. Epiſc. v. *Caſus reſervati*. n. 10.

(*d*) Bulla. *In Cœna Domini*. art. 72.

(*e*) Becan. de Lege humana. cap. 8.

(*f*) Innoc. III. in Conc. II. Lateran. an. 1139. in Can. *Si quis ſuadente*. 9. 10. q. 4.

(*g*) Sixtus V. in Bulla *Paſtoralis*. 62. ann. 1567.

(*h*) Clem. III. in Cap. *Tuanos*. 19 de ſent. excom. L. 5. tit. 39.

(*i*) Idem in Can. *Conqueſti*. 22. eod. tit. & ib. Gloſſa.

(k) Cap. de crimine falſi.

(*l*) Du Caſſe Praxis juriſdict. Eccleſ. volunt. c. 22. p. 271.

(*m*) Alex. III. in Cap. *Ita*. 6. & Clem. III. in Cap. *Quod olim*. 12. de Judæis, Saracenis & eorum ſervis. L. 5. tit. 6. Innoc. III. *Ad liberandam*. 17. eod. tit.

(*n*) Alex. III. in Cap. *Sicut*. 8. Et Innoc. III. in Cap. *Excommunicamus*. 13. de hæreticis. L. 5. tit. 7. Et Honorius III. in Cap. *Noveris*. 49. de ſentent. excommunicationis.

(*o*) Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 6. de reform.

CASUS IV.

Paternus, Sacerdos pro caſibus reſervatis admiſſus, Calviniſtæ ejurationem ab erroribus ſuis accepit, & ab hæreſi aliiſque criminibus eum abſolvit. Numquid valida eſt iſta abſolutio, cum hæreſis in numero caſuum reſervatorum habeatur?

RESPONS.

Ut iſta ſolvatur difficultas, ſciendum, poteſtatem abſolvendi ab hæreſi, cenſuriſque ipſi annexis, pro certo ad Epiſcopum pertinere, ut invicte probat Auctor Colloquiorum Diœceſis Andegavenſis (*p*), ex teſtimoniis Euſebii, S. Baſilii, & auctoritate primi Concilii Conſtantinopolitani, Epheſini, ſecundi Arelatenſis, ſummorum Pontificum Siricii, Lucii III. & Bonifacii VIII. (*q*), aliiſque ex multis antiquitatis monumentis, uti ſunt ſtatuta Synodica Andegavi an. 1216. & 1493. & ſtatuta Ambiani an. 1411. Quocirca Tridentinum Concilium, quod eam poteſtatem ad ſolos Epiſcopos limitat, expreſſe Vicarios eorum generales excludens (*r*), non eſt regula, quam in hoc diſciplinæ puncto ſequi debeat Gallicana Eccleſia, ut obſervat Bail (*ſ*), cum jus illud novum non fuerit admiſſum, atque Galliæ Epiſcopi jus illud, quo etiam ante Concilium potiebantur, ſibi retinuerint, communicandi videlicet in eam rem ſuam poteſtatem, ſed etiam Pœnitentiariis, aut cuilibet quem voluerint, Sacerdoti.

His ita præſuppoſitis, dicimus; quod ſi ab Epiſcopo, qui committendi uſum retinet, Paternus in eam rem non fuerit admiſſus, abſolutio quam contulit, eſt invalida: quia poteſtas abſolvendi a caſibus reſervatis non includit poteſtatem abſolvendi ab hæreſi & cenſuris annexis. *Epiſcopus concedendo caſus ſuos, ſive ſibi reſervatos*, inquit Navarrus (*t*), *non videtur concedere abſolutionem a cenſuris ſibi reſervatis: quoniam a diverſis non fit illatio ... Cap.* Ad audientiam *de decimis*. At ſi ab Epiſcopo ad recipiendam talem Calviniſtæ ejurationem commiſſus fuerit Paternus, valida eſt quam contulit, abſolutio; neque enim in Gallia admittuntur S. Pii V. Sixti V. & Gregorii XIII. Conſtitutiones, quibus Epiſcoporum jus in eam rem labefactari videtur; neque etiam aliæ nunc ſummorum Pontificum Bullæ accipiuntur, niſi poſt conſenſum Eccleſiæ, & poſtquam litteris regiis patentibus in Parlamenti acta relatis, fuere confirmata, ut multis Arreſtis judicatum eſt, ac ſex præcipue Pariſienſis Senatus, noviſſimis, quorum primum 15. Maii 1647. alterum & tertium 6. Maii & 23. Junii 1665. quartum 11. Septemb. 1670. quintum 9. Maii 1783. & ſextum 15. Januarii 1716. latum eſt.

(*p*) Colloq. Andeg. menſe Maii 1713. q. 4. pag. 110. & ſeq.

(*q*) Euſeb. L. 3. de vita Conſtantini. c. ult. S. Baſil. Ep. 14. Conc. Conſtantin. 1. Can. 7. Conc. Epheſin. Act. 6. Conc. Arelat. 2. an. 452. can. 17. Siricius Epiſt. ad Himeriam Tarracon. Lucius 3. in Cap. *Ad Abolendam*, de hæreticis, &c. Bonif. VIII. in Cap. *Per hoc*. eod. tit. in 6.

(*r*) Conc. Tr. Seſſ. 24. de reform. cap. 6.

(*ſ*) Lud. Bail. de examine pœnit. p. 146.

(*t*) Navarr. Manual. c. 27. num. 261.

CASUS V.

Anselmus, Ordinis Reformati Religioſus, a Diœceſano Epiſcopo ad confeſſiones audiendas approbatus accepto Brevi a ſummo Pontifice, quo a caſibus ſanctæ Sedi reſervatis poteſt abſolvere, cenſetur ne etiam admiſſus ad abſolvendum a caſibus Diœceſano Epiſcopo reſervatis?

RESPONS.

Licet Anſelmus a ſummo Pontifice Breve acceperit, quo ab omnibus ſanctæ Sedi caſibus reſervatis poteſt abſolvere, eamdem tamen non cenſetur habere poteſtatem in iis caſibus, quorum abſolutionem ſibi reſervavit Epiſcopus Diœceſanus.

Hanc deciſionem firmat Tridentini Concilii Decretum iſtud (*u*): *Neque dubitandum eſt*, inquit Concilium, *quando omnia quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus, in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione quis pereat, in eadem*

(*u*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 7.

Digitized by Google

Eccleſiæ Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis. Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant. Conformiter ad hoc Decretum Clemens X. Bulla ſua ſeptima 21. Junii ann. 1670. data declaravit 1. obtenta a Regularibus poſt Concilium privilegia, prioribus Concilio vim non adere, immo vero manere extincta & ſublata (*a*). *Decernimus & declaramus*, inquit Pontifex, *ex facultatibus per mare magnum, aliave privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Jeſu, conceſſis, factam eis non poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reviviſſe privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata atque extincta, ſi quæ habeant, abſolvendi a caſibus ab Epiſcopo reſervatis.* 2. Declarat hic ſummus Pontifex (*b*): *Habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere.*

(*a*) Clem. X. in Bulla *Superna*. §. 1.

(*b*) Idem ibid. §. 7.

Hactenus dictis ſuffragatur auctoritas S. Caroli Borromæi, qui perfecte Tridentini mentem noverat, in tertio Concilio ſuo Mediolanenſi an. 1573. (*c*), in quo Regularibus ſtricte prohibuit, ne a caſibus a ſe, aut a ſuffraganeis ſuis reſervatis abſolverent. En ejus verba: *Ne confeſſarii Regulares eorum peccatorum, quorum abſolutio Epiſcopo reſervata eſt, vinculis irretitos pœnitentes abſolvant, quemadmodum a ſancta Sede Apoſtolica declaratum eſt, id eis non licere quavis privilegiorum ſuorum ſuorum auctoritate.* Et in quinto Mediolanenſi Concilio ſuo excommunicatos *ipſo facto* declarat Confeſſores, qui contrarium ſub prætextu cujuslibet privilegii auſi fuerint præſumere (*d*): *Ab iis vero caſibus proxime promulgatis*, inquit, *ſi quis Confeſſarius cujuſvis Ordinis ſine facultate ſcripta, ab Epiſcopo data, aliquem abſolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat.... ne facultatum privilegiorumve jure, quæ cuicumque etiam Roſarii & Cruce ſignatorum ſcholæ, Confratriæ, Collegiove etiam laicorum; quæve Collegiis, Confratribuſve in eo adſcriptis ante vel poſt Concilii Tridentini confirmationem conceſſa ſunt, Confeſſarius, cujuſvis Ordinis ſit, ab iis caſibus, quos ſibi Epiſcopus in ſua diœceſi reſervaverit, pœnitentes ſine illius facultate abſolvat; ſi contra fecerit, ſuſpenſionem a divinis ipſo facto incurrat.* Atque hæc ſufficiunt ad evidentiam veritatis, quam pari, cum Archiepiſcopo Mediolanenſi, zelo defenderunt Galliæ Epiſcopi in ſuis Conciliis Provincialibus, ac præcipue Decretis Concilii Rothomagenſis ann. 1585. (*e*) Conciliorum Burdigalenſium an. 1583. & 1524. (*f*) Bituricenſis an. 1584. (*g*) & Narbonenſis an. 1609. (*h*).

(*c*) Conc. Mediol. III. tit. de iis, quæ ad Sacr. Pœnit. pertinent.

(*d*) Conc. Mediol. V. part. 1. de iis, quæ ad Sacram. Pœnit. pertinent.

(*e*) Conc. Rothom. tit. de Curatorum Officiis. n. 37.

(*f*) Conc. Burdigal. tit. 22. de Pœnit.

(*g*) Conc. Bituricenſ. tit. de Pœnit. &c. Can. 5.

(*h*) Conc. Narbon. c. 19. de Sacram. Pœnit.

In eamdem diſciplinam conſentiunt Theologi, & Canoniſtæ: ac præſertim Dominicus Soto (*i*), Graſſius (*k*), qui Bullam Gregorii XIII. pro ſe laudat, quam in magno Bullario non invenimus, ſed quam refert Quaranta (*l*); Cabaſſutius (*m*), qui ſuam aſſerit ſententiam, 1. ex Decreto Paulli V. quod refer Filliucius e Societate Jeſu (*n*). 2. Ex Bulla Gregorii XV. 3. Ex Brevi Alexandri VII. 26. Februarii ann. 1659. ad Epiſcopum Andegavenſem & ex Bulla Clementis X. quam ſupra retulimus: qui omnes ſummi Pontifices indiſtincte & abſque ulla exceptione Regularibus prohibent, ne ſub quacumque privilegii, aut exemtionis prætextu a caſibus & cenſuris abſolvant, ſine Epiſcoporum licentia ſcripta, qui caſus illos vel cenſuras ſibi reſervarunt.

(*i*) Dom. Soto in 4. diſt. 18. q. 3. a. 3. §. *Quo ergo*.

(*k*) Jacobus de Graſſiis Deciſ. Aurearum. part. 1. L. 1. c. 13. de poteſt. Confeſſar. n. 36.

(*l*) Greg. XIII. in Bulla *Cum a Sacra*. apud Quarantam.

(*m*) Joan. Cabaſſ. juris Can. Theor. & Prax. L. 2. c. 11. n. 5.

(*n*) Filliucius tract. de cenſuris in partic. c. 10.

CASUS VI.

Numquid poteſt Firmilianus, qui habet poteſtatem abſolvendi a caſibus reſervatis, abſolvere a culpa per ſacramentalem abſolutionem pœnitentes, qui ſe accuſant de quibuſdam delictis, quibus annexa eſt cenſura vel irregularitas, tum eos ad Superiorem a cenſura abſolvendos, aut ab irregularitate liberandos remittere?

Respons.

Diſtinctione opus eſt: nam Firmiliani pœnitentes, ſi excommunicationis vinculo ſint ligati ob aliquod crimen commiſſum cui annexa eſt, a culpa eos nequit abſolvere, quin prius ab excommunicatione ſint liberi; cum excommunicatus, utpote Sacramentorum ſuſceptionis incapax abſolutionem accipere nequeat, illa cenſura ligatus: quare, ſi excommunicationem tollendi non ſit ei ſpecialis poteſtas, neceſſario ad legitimum remittendi ſunt Superiorem, ut ſublata cenſura, a culpa poſſint abſolvi; ſed extra hunc caſum eos abſolvere poteſt Firmilianus a reatu peccati, eoſque ad Superiorem remittere, ut a pœna ſolvantur, ſive illa ſit ſuſpenſio, vel interdictum, aut irregularitas. Ita S. Thomas (*o*): „ Pœnitentia, *inquit*, ab omnibus defectibus culpæ liberat; non autem ab omnibus defectibus pœnæ: quia adhuc poſt peractam pœnitentiam de homicidio aliquis remanet irregularis. Unde Sacerdos poteſt crimine abſolvere, & pro pœna amovenda ad Superiorem remittere, niſi in excommunicatione, quia abſolutio ab ipſa debet præcedere abſolutionem a peccatis: quia quamdiu aliquis eſt excommunicatus, non poteſt recipere aliquod Eccleſiæ Sacramentum „.

(*o*) S. Th. in 4. diſt. 18. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2.

CASUS VII.

Nonne poteſt Auguſtinus, Confeſſor Regularis, pœnitentes ex alia Diœceſi venientes a caſibus in ea reſervatis abſolvere in illa ubi manet Diœceſi, in qua non ſunt reſervati v. gr. cum piæ peregrinationis cauſſa veniunt, ut in ſuo confiteantur Monaſterio, vel etiam cum huc accedunt conſulto, ut abſolutionem obtineant a peccatis, quæ ſuo norunt reſervata Epiſcopo?

Respons.

Difficultatem hanc in ſeptima ſua Bulla ſuperius laudata ſolvit Clemens X. his verbis (*p*): *Decernimus & declaramus*, inquit hic Papa, ... *poſſe .... Regularem Confeſſorem in ea diœceſi, in qua eſt approbatus, confitentes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis pro abſolutione obtinenda migraſſe.* Ex quibus verbis conſtat, Auguſtinum valide poſſe abſolvere diœceſanos advenas, qui bona fide piæ peregrinationis cauſſa confluunt ad confitendum, licet caſus habeant reſervatos in aliena Diœceſi, qui in Auguſtini confitentis Diœceſi non ſunt reſervati: at eos non poſſe abſolvere, ſi conſulto venirent ad confitendum in fraudem reſervationis a proprio Epiſcopo factæ; cum juxta iſtam Innocentii III. regulam (*q*): *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*.

(*p*) Cit. §. 7.

(*q*) Innoc. III. in Cap. Officii. 14. de Teſtamentis, &c.

CASUS VIII.

Gerardus, cum Emando Parocho ſuo in Eccleſia rixatus, ipſi tum alapam infligit, cum ſuperpelliceo & ſtola indutus, feſto die ad veſperas decantandas ſe parabat. Quæritur utrum Epiſcopus proprius eum ab hoc crimine, ipſique annexa excommunicatione poſſit abſolvere, cum nulla fuerit ſanguinis effuſio?

Respons.

Priuſquam huic difficultati fiat ſatis, tamquam certum præſupponendum, Eccleſiaſticæ perſonæ aut religioſæ percuſſionem eſſe peccatum, cujus abſolutio Papæ eſt reſervata, cum percuſſio gravis eſt, aut ſolum mediocris, relato ad eam quæ in jure levis dicitur. Id probat ſecundi Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. an. 1139. habiti, quem refert Gratiani Decretum, Canon iſte (*r*): *Si quis ſuadente diabolo hujus ſacrilegii crimen incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit: anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgentis periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur & ejus mandatum ſuſcipiat.* Idem ſtatuit Rhemenſe Concilium

(*r*) Conc. Lateran. II. in Can. *Si quis ſuadente*. 29. 17. q. 4.

cilium ſub pontificatu Eugenii II. habitum, uti Decretalis Alexandri III. his verbis (*a*): *Non dubium eſt, quod hi qui violentas manus in Clericos..... injiciunt ex conſtitutione Concilii ſententiam excommunicationis incurrunt, nec, niſi in articulo mortis, ſine Romano Pontifice abſolutionis poſſunt beneficium impetrare.*

(*a*) Alex. III. in Cap. *Non dubium eſt*. 5. de ſentent. excommunic.

Hoc ita præſuppoſito, hoc unum ſupereſt inquirendum, an inflicta Sacerdoti abſque effuſione ſanguinis alapa cenſenda ſit percuſſio gravis, aut ſaltem mediocris: nam percuſſionis tantum levis reus ab Epiſcopo poteſt abſolvi (*b*): id autem facile ex quinque ſequentibus regulis agnoſci poteſt. Prima eſt, cum ex vi percuſſionis eſt effuſio ſanguinis. Secunda, cum perſonæ conviciando, mutilata eſt aliqua ſui corporis pars vel minima. Tertia: ſi ex ictu erutus fuerit oculus, aut aliter læſus fuerit, aut fuſte verberatus fuerit. Quarta: ſi inferior erga Prælatum ſuum, aut alium in dignitate conſtitutum, & ſibi Superiorem violentiam adhibuerit. Quinta: cum actio violenta ſcandaloſe facta eſt; ut ſi quis in foro, aut in Eccleſia coram populo, aut cum functionem quamdam Eccleſiaſticam obibat, Sacerdotem percuſſerit; etſi aliunda vis illata, in ſe ſumta, & ab hac circumſtantia ſeparata levis eſſet. In his omnibus caſibus, cum violentia non poſſit haberi levis; certum eſt, peccatum ad Papam reſervari, uti excommunicationem huic annexam. Unde concludendum, Gerardum a ſolo ſummo Pontifice poſſe abſolvi; cum Emundus quem verberavit, erat ipſius Superior, & in loco ſacro ipſum conviciis affecit coram populo, & ideo ſcandaloſe: & eo tempore, quo ſuperpelliceo indutus & ſtola, divino vacabat Officio: quæ factam Parocho ſuo vim graviſſimam efficiunt, & a ſolo Papa abſolvendam, niſi in articulo mortis; aut ſi Romam recurrere nequeat ob aliquod juſtum impedimentum, quale eſt ſenectutis, magnæ paupertatis, aut dependentiæ ut filii a patre.

(*b*) Clem. III. in Cap. *Pervenit*. 17. eod. tit.

(*c*) Innoc. III. in Cap. *Dura*. 4. de crimine falſi L. 5. tit. 20.

Occaſione præſentis difficultatis, non abs re erit peccata referre, quæ ſummo Pontifici reſervantur, ſi ſint publica. 1. Retentio falſarum bullarum ultra viginti dies poſt agnitam earum falſitatem (*c*). 2. Percuſſio gravis, aut mediocris Clerici, aut Monachi (*d*). 3. Admiſſio ſimoniæ aut confidentiæ realis (*e*). 4. Incendii crimen ex malitia facti poſt denuntiationem (*f*). 5. Rapina rerum ſacrarum Eccleſiæ cum effractione portarum, armariorum, aliorumque clauſtrorum poſt criminis denuntiationem (*g*). 6. Adminiſtratio matrimonii, aut Euchariſtiæ, vel extremæ Unctionis a Religioſo facta abſque licentia Epiſcopi (*h*). 7. Vis illata Sacerdoti ad celebrandum in loco interdicto (*i*). 8. Excommunicatione incurſa, denegare exitum ab Eccleſiam, dum celebrantur divina Officia, aut etiam interdicto (*k*). 9. Excommunicatio incurſa ex vexatione Superioris, qui excommunicationem aliquam decrevit, & prolata ultra duos menſes, non requiſita abſolutione (*l*). 10. Frequentatio pertinax alicujus perſonæ, quæ a ſummo Pontifice excommunicata noſcitur (*m*).

(*d*) Cfr. Can. *Si quis ſuadente*.

(*e*) Paul. II. in Cap. *Cum deteſtabile*. 2. L. 5. extravag. com. de Simonia.

(*f*) Clem. III. in Cap. *Tuanos*. 19. de ſentent. excomm.

(*g*) Idem in Cap. *Conqueſti*. eod. tit. 10.

(*h*) Clem. V. in Conc. Viennenſi, in Clementina *Religioſi*. 1. de privilegiis & exceſſibus privilegiatorum. L. 5. tit. 7.

(*i*) Idem in Clement. *Gravis*. 2. de ſentent. excom. L. 5. tit. 10.

(*k*) Cit. Clement. *Gravis*.

CASUS IX.

Nonne ab Epiſcopo ſuo abſolvi poteſt Petrus, qui peccatum commiſit ſummo quidem Pontifici reſervatum, ſed crimen illius eſt occultum?

Respons.

Petrum in propoſito caſu abſolvere poteſt Epiſcopus. Verum quidem eſt, ſummum Pontificem in tota Eccleſia quorumdam criminum abſolutionem, ut Epiſcopi in ſua diœceſi, ſibi poſſe reſervare; ſed ſi peccata illa ſint occulta, licet Papæ reſervata, ab Epiſcopis poſſunt abſolvi non ſolum per ſe, ſed per communicationem ſuæ poteſtatis illi, quem voluerint Sacerdoti, ut declarat Concilium Tridentinum his verbis (*n*): *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum) diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere.* Conſentit illud Decretum cum antiqua Eccleſiæ diſciplina, ut patet ex Epiſtola S. Cypriani ad Clerum ſuum (*o*); ex Concilio Eliberitano an. 305. ſub Marcello primo (*p*), & ex tertio Carthaginienſi an. 397. (*q*).

(*l*) Greg. X. in Conc. generali Lugdunenſi II. in Cap. *Quicumque* 11. de ſent. excom. in 6. L. 5. tit. 11.

(*m*) Clem. III. in Cap. *Significavit*. 5 de ſent. excom.

(*n*) Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 6.

(*o*) Cypr. Ep. 5. ſecund. in edit. Pamelii & Dodvvel.

(*p*) Conc. Elib. Can. 32.

(*q*) Conc. Carthag. III. Can. 32.

CASUS X.

Epimachus, Doctor ſcientia conſpicuus, ex indulto Romæ obtento, ab omnibus ſanctæ Sedi reſervatis caſibus poteſt abſolvere. In ſuam redux diœceſim, & ad audiendas confeſſiones admiſſus, Landericum a crimine falſificatæ Bullæ Apoſtolicæ abſolvit: ſed aliquanto poſt Landericus in primis anxius fuit, dubitans nimirum, an Epimachus ipſum de excommunicatione majore, quam Bullam falſificando incurrerat, poſſet abſolvere. Qua de re quærit, quid acturus ſit, ut tuta ſit conſcientia?

Respons.

Novo ſuo ſcrupolo fruſtra angitur Landericus; quia ut a peccatis, ſic ab excommunicatione ſua valide fuit abſolutus: quia caſus ſanctæ Sedi reſervati non ſunt tales, niſi ob annexam iis cenſuram: unde qui ex Pontificio indulto ab his caſibus poteſt abſolvere Confeſſarius, iis excommunicationem quoque tollere poteſt, cum utrumque ſemper Papa ex indulto ſuo concedat.

Sed obſervandum, idem non eſſe dicendum, de caſibus & cenſuris Epiſcopo reſervatis; quia ob cenſuram præciſe caſus Epiſcopo non ſunt reſervati, cum multi ſint, quibus annexa non eſt cenſura: unde qui poteſt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, nondum poteſt a cenſuris, ut jam diximus in reſponſione ad quartam difficultatem. Ita advertit Sylvius (*r*): *Intereſt autem inter caſus reſervatos Papæ, & reſervatos Epiſcopis: quod omnes illi habeant cenſuram annexam, non omnes iſti; quo fit, ut cui conceditur facultas abſolvendi a caſibus Papalibus, concedatur ſimul poteſtas abſolvendi a cenſuris.* Idem docent Cabaſſutius (*ſ*), & Auctor Colloquiorum Condomenſium (*t*).

(*r*) Franc. Sylvius in Supplem. 3. part. S. Th. q. 20. art. 2.

(*ſ*) Joan. Caballut. jur. can. Theor. & Prax. L. 5. c. 14. n. 2.

(*t*) Colloq. Condom. Tom. I. Colloq. 4. Sect. 4.

CASUS XI.

Numquid poteſt Hortenſius, Barcinonenſis Officialis, reſcripto Papali delegatus ad abſolvendum ab omnibus delictis ſanctæ Sedi reſervatis, alium ſubdelegare ad exercendam hanc functionem?

Respons.

Regula generalis a Gregorio IX. in una ex ſuis Decretalibus conſtituta (*u*), quæque debet obſervari, circa mandata Apoſtolica eſt iſta: nimirum Delegatus, non proprio nomine, ſed tantum dignitate ſua deſignatus, poteſt ſubdelegare, quod idem non eſt dicendum, ſi proprio nomine deſignetur; tum enim perſonam propriam ob induſtriam & probitatem elegiſſe cenſetur ſummus Pontifex, aut eum mandatum Apoſtolicum ad nudum ſpectat ſine juriſdictione miniſterium: *Cum in his omnibus caſibus induſtriam & fidem perſonæ, cui talia committimus*, inquit Gregorius IX. *eligere videamur.*

(*u*) Greg. IX. in Cap. *Quoniam*. fin. §. *Is autem*. & § 3. de Officio & poteſt. Judic's delegati tit. L. 1. tit. 29.

Hoc ita præſuppoſito, facilis eſt ad preſentem quæſtionem reſponſio: nam ſi in indulto Apoſtolico hic Officialis, ſola ſua Officialis Barcinonenſia dignitate appelletur, conſtat, eum poſſe alium ſubdelegare: at ſi proprio nomine appelletur, jure ſubdelegandi excidit; etiamſi dignitas fuerit deſignata, *quia non ſibi juriſdictio; ſed certum miniſterium potius committitur in hac parte*, addit idem Papa. Sic ſentit etiam Cabaſlutius (*x*).

(*x*) Joan. Caball. Juris Can. Theor. & Prax. L. 1. c. 5. n. 10.

Advertendum nihilominus, in rebus quæ ad forum conſcientiæ non pertinet, delegatum a Papa poſſe ſubdelegare: etſi proprio & ſolo nomine appelletur, *dummodo partes conſentiant*, ut loquitur idem ſummus Pontifex; qui etiam regulæ ſuæ generali aliam addit particularem exceptionem, quæ non pertinet ad præſentem difficultatem.

Digitized by Google

CASUS XII.

Rollandus, Sacerdos, ab Epiſcopo Diœceſano, ad confeſſiones Salmurii audiendas approbatus, ibi ſæpe diœceſeon Pariſiorum, Aureliæ, Bleſarum, Carnuti, & aliarum Pœnitentes offendit, qui de quibuſdam ſe accuſant delictis, quæ novit eſſe caſus reſervatos in his diœceſibus. Numquid valide poteſt eos abſolvere ab his caſibus, an eos abſque abſolutione remittere tenetur, licet conſulto piæ peregrinationis cauſſa, alii quinquaginta leucarum aut etiam centum iter fecerint?

Responsa.

Circa propoſitam quæſtionem, ut advertit olim antiquus Sorbonæ Doctor & Profeſſor, tres ſunt opiniones diverſæ.

(a) Petrus Paludan. in 4. diſt. 17. q. 3. Concluſ. 4.

Prima eſt Paludani (a), qui exiſtimat, peregrinum poſſe a caſibus Epiſcopo ſuo reſervatis abſolvi a Sacerdote in loco peregrinationis approbato ad audiendas confeſſiones, modo de licentia ſui Epiſcopi iter tale ſuſceperit & non aliter: quia ex licentia Epiſcopi præſumitur de tacito ejus conſenſu ad confeſſionem, quam in loco peregrinationis ſuæ facturus eſt.

Hæc opinio ſuas patitur difficultates. Nam 1. vix quiſquam ſibi perſuadere poterit, eum qui peregrinationis iter non obtenta Epiſcopi ſui licentia fecerit, ſuſceptione Sacramentorum eſſe privandum, donec in propriam diœceſim redierit. 2. Quia ex uſu Eccleſiæ non requiritur licentia Epiſcopi ad talem peregrinationem: cum tamen ex generali conſuetudine ad ſuſceptionem Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ admittantur omnes peregrini digne ad ea recipienda diſpoſiti: atque conſuetudo illa, non Epiſcoporum tantum tolerantia, ſed etiam totius Eccleſiæ firmatur conſenſu, quæ ob Epiſcopatus unitatem, Sacerdotibus in loco peregrinationis approbatis neceſſariam tribuit juriſdictionem, aut quæ peregrinos vult ſubjacere pœnitentiali foro locorum, in quibus verſantur.

(b) Cajet. v. Abſolutio. 3. Tolet. Inſtruct. Sacerdot. L. 3. c. 13. n. 12.

Secunda opinio eſt Cardinalium Cajetani & Toleti (b), qui exiſtimant, quod ſi peregrinorum delicta Epiſcopo loci peregrinationis non reſervantur, ab iis valide & licite poteſt abſolvere quilibet Sacerdos ad audiendas confeſſiones admiſſus; quia reſervatio non Confeſſarii perſonæ eſt annexa, ſed pœnitentis, qui ſit ſubditus pœnitentiæ foro loci peregrinationis, dum in eo commoratur.

Hæc etiam opinio ſua non caret difficultate. Nam cum perſonæ pœnitentis annexa ſit reſervatio, quo pacto concipi poteſt eam deſinere; ubi primum in aliam migrat diœceſim ea mente, ut brevi in ſuam redeat ille pœnitens?

(c) Domin. Soto in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2.

Denique tertia opinio eſt Soti & Navarri (c), qui cenſent, Sacerdotes ſimpliciter approbatos abſque ullo privilegio, peregrinos ab eorum caſibus reſervatis poſſe abſolvere modo a caſibus abſolvendi poteſtatem acceperint ab Epiſcopo loci peregrinationis.

Hæc quoque opinio novum Confeſſariis negotium faceſſit: quia ex ea ſequeretur, quod Confeſſarii loci peregrinationis, qui non haberent poteſtatem abſolvendi a caſibus ſuo Epiſcopo reſervatis, ſcire tenerentur, qui ſint caſus in aliis diœceſibus reſervati: quod nec praxi nec rationi convenit.

His præſuppoſitis, dici poteſt, quod, ſi peregrini pœnitentes ſubjaceant foro pœnitentiæ loci peregrinationis in quo verſantur; cum peccata de quibus ſe accuſant, Epiſcopo loci illius non ſint reſervata; quilibet Saderdos ſimpliciter & abſque privilegio ad audiendas confeſſiones admiſſus, eos poteſt abſolvere conformiter ad ſententiam Cajetani & Toleti: ſed, ſi peregrini illi pœnitentiæ foro ſibi ſubjaceant tantum ob unitatem Epiſcopatus; peccata eorum in loco peregrinationis habenda ſunt tamquam caſus Epiſcopo diœceſano reſervati, de quibus proinde valide abſolvi nequeunt, niſi a Confeſſariis, qui poſſunt abſolvere a caſibus reſervatis Epiſcopo loci peregrinationis, ut docent Sotus & Navarrus. Unde concludendum, id peropportunum eſſe ad tollendam omnem difficultatem, ut peregrinationis Epiſcopus hanc poteſtatem hujuſmodi Confeſſariis concedat. Sic ratiocinatur Theologus, de quo ſupra (d), neque tamen ſecundam aut tertiam ex his duabus opinionibus eligens; ex quo oſtendit, eas ambas, ut probabiles habere.

(d) Sainte Beuve Tom. I. Caſ. 28.

Nihilominus aliis, nobis anteponenda videtur opinio Cajetani & Toleti: quare putamus, quod quamvis Rollandus non ſit approbatus ab abſolvendum a caſibus Epiſcopo ſuo reſervatis; alios tamen diœceſanos, qui bona fide & non in fraudem juriſdictionis ſuorum Epiſcoporum Salmurium peregrinationis cauſſa venerunt; valide & licite poteſt abſolvere ab omnibus peccatis, quæ Epiſcopo Andegavenſi, in cujus diœceſi ſitum eſt Salmurium, non reſervantur; licet in aliis diœceſibus illorum peregrinorum ſint reſervata, eamque opinionem ob quatuor præcipue cauſſas amplectimur.

1. Quia æquum videtur, ut de pœnitente eadem ratione fiat judicium in foro pœnitentiæ, ac fieri ſoleret in foro exteriori: atqui, ſi Salmurii pœna dignum facinus admiſiſſet; certum eſt, quod a capitali Salmurii Judice, non minus quam homo Salmurio oriundus, aut qui permanenter ibi habitaret, pœna afficeretur. Igitur pœnitens qui Salmurium venit peregrinationis cauſſa, in foro pœnitentiæ judicandus eſt conformiter ad leges diœceſis & Eccleſiæ Andegavenſis, & eodem modo ac ceteri diœceſani; hoc eſt, abſolvendus ab omnibus peccatis Epiſcopo Andegavenſi non reſervatis, etſi aliis Epiſcopis ſint reſervata.

2. Quia, ſi non ita ſe res haberet, ſequeretur, quod pro tribunali pœnitentiæ ſedere Salmurii non poſſet Confeſſarius; niſi notos haberet omnes caſus reſervatos aliarum diœceſeon regni: cum eos eſſe reſervatos plerumque ignorent, qui confitentur, ac proinde illud Confeſſario indicare non poſſit. Atqui iniquum videtur tale incommodum, & ad nimium cogens Confeſſarium, qui moraliter tam vaſtam non poteſt habere cognitionem, quam etiam nullos Epiſcoporum ab iis quos ad confeſſionem admittit, ſolet exigere.

3. Quia, ſi Bleſenſis aut Pariſienſis diœceſanus, Salmurii peregrinus, peccatum admitteret ex eorum numero, quæ in diœceſi Andegavenſi ſunt reſervata; hujus profecto diœceſis legibus ſubjaceret, ita ut abſolvi non poſſet, niſi a Sacerdote ad caſus reſervatos admiſſo; etſi peccatum ſuum in ſua diœceſi non eſſet reſervatum. Igitur, cum in eo caſu legis rigorem ſubeat hic peregrinus, uti diœceſanus Andegavenſis; par eſt etiam, ut in tribunali pœnitentiæ legis quoque favorem, tamquam veri diœceſani, experiatur: eumque de iiſdem criminibus Confeſſarius abſolvat, de quibus alios abſolveret.

4. Denique Confeſſarius Salmurii pœnitentes abſolvens de hujuſmodi peccatis, in eo agit ex jure communi, aut ex generali Eccleſiæ conſuetudine, & vi taciti Epiſcoporum conſenſus. Verum bonæ fidei neceſſitatem in pœnitentibus ratio iſta ſupponit: nam ſi conſulto Epiſcopi ſui juriſdictionem ex ejus diœceſi exeundo declinarent, quo facilius abſolutionem extorquerent, eos ad legitimum ſuum ſuperiorem remittere teneretur Confeſſarius, cui nota eſſet eorum mala fides; neque valide ibi poſſent abſolvi, quia tum ipſis favere non cenſerentur jus commune, generalis conſuetudo Eccleſiæ, nec tacitus Epiſcoporum conſenſus: cum inſuper ex hac juris regula (e), *Fraus & dolus alicui patrocinari non debeant.*

(e) Innoc. III. in Cap. *Officii.* 4. de Teſtamentis, &c. L. 3. tit. 26. Et in Cap. *Cum dilectus.* 8. de Religioſis domibus. tit. 36.

Hanc deciſionem confirmat ſeptima Bulla Clementis X. ſuperius in quinto caſu relata (f): in qua ſummus hic Pontifex de Religioſis loquens Confeſſariis, aſſerit pœnitentes advenas, *poſſe .... regularem Confeſſorem in ea diœceſi in qua eſt approbatus, abſolvere; niſi eoſdem pœnitentes noverit fraudem reſervationis ad alienam diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.* Cur igitur ſæcularibus Confeſſariis idem non liceret, cum miniſterium ſuum in loco peregrinationis exercent?

(f) Clemens X. in Bulla. *Superna.* §. 7. in Magno Bullario. Tom. V. p. 494.

CASUS XIII.

Honoratus, ſimplex Confeſſarius, in S. Urſini Parœcia Manſionarius, obtenta ab Epiſcopo ſemel licentia parochianos illos abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis, ea etiam, ut antea

ſole-

ſolebat, poſt mortem Epiſcopi uſus eſt. Numquid ita ſe gerere potuit abſque peccato; & abſolutiones quas contulit ab his caſibus, ſunt ne validæ?

R e s p o n s.

Confeſſarius ille poſt mortem Epiſcopi, a quo poteſtatem abſolvendi a caſibus reſervatis Parochianos S. Urſini acceperat, ea uti abſque graviſſimo peccato non potuit. Ratio eſt, quia licet gratia a Superiore legitimo conceſſa, ipſius morte non extinguatur, ut communiter docent Canoniſtæ; ea tamen excipienda eſt de qua agitur in caſu propoſito; quia jure ſucceſſoribus ſuis aut contraria aut noxia in perpetuum concedere nequit Epiſcopus, quæ videlicet ipſis addicta permanent, nec a prædeceſſoribus ſuis aut a quoquam tolli poſſunt. Hinc docet inclytus Canoniſta (a), conceſſam ab Epiſcopo ſibi deligendi Confeſſarii licentiam privato cuidam, mortuo Epiſcopo, non permanere; & Gloſſa dicit, diſpenſationem ab obligatione ad reſidentiam ab Epiſcopo (aut etiam a Papa) conceſſam Beneficiario qui ad eam tenetur, ejuſdem Epiſcopi morte deſinere (b).

(a) Abbas in Cap. *Fin.* 42. de Officio & poteſt. Judicis deleg. n. 9. L. I. Decretal. tit. 30.

(b) Gloſſa in Cap. *Cum ſint*. 16. de Clericis non reſid. L. 3. tit. 4.

Idem quoque docet S. Antoninus his verbis: *Qui audit confeſſiones, non jure ſuo, perdit poteſtatem ſuam delegante mortuo vel amoto .... ſicut etiam perdit poteſtatem ſuam, illo revocante*. Cujus rei hoc exemplum adducit ſanctus Archiepiſcopus: *Similiter*, inquit, *ſi dedit* (Epiſcopus) *Confeſſariam Monialibus, exſpirat poteſtas, niſi eſſet Rector earum, cui ex officio quaſi prioratus vel rectoriæ, eſt audientia* (Confeſſionis) *annexa*.

Dictum hactenus confirmari poteſt exemplo hominis, qui negotii alicujus Judex delegatus eſt: nam ut ipſius delegatio morte delegantis, ſi res ſit integra, deſinit, juxta Decretales ad marginem indicatas (c), & iſtam Codicis Legem: *Mandatum, re integra, morte domini finitur* (d); ita pariter privilegium, ſeu poteſtas extraordinaria hujuſce Confeſſarii ex obitu concedentis finitur.

(c) Luc. III. in Can. *Relatum*. 19. de Offic. & poteſt. Judic deleg. I. tit. 29. Urban. III. in Can. *Gratum*. 20. ad de Innoc. III. in Can. *Legit*. 30. eod. tit.

(d) L. Mandatum 15. Cod. Mandati. L. 4. tit. 35.

Idem tamen ferre judicium non intendimus, de iis qui poteſtatem hanc ordinariam & generalem acceperunt, ut Pœnitentiarii: cum enim ad bonum Eccleſiæ ac fidelium ſalutem maximi ſit momenti, omni tempore Confeſſarios exiſtere, qui eos abſque exceptione ulla ab omnibus ſuis peccatis valeant abſolvere; eorum auctoritas Epiſcopi obitu non eſt ſuſpendenda: id quoque fit ex univerſali Eccleſiæ uſu, etiam erga Confeſſarios ordinarios, quorum approbatio, mortuo Epiſcopo, ſubſiſtit, donec a ſucceſſore fuerit revocata; quod ad præſentem caſum extendi nequit, in quo de gratia ac ſpeciali mandato agitur, quod parochianorum ſancti Urſini non intereſt; quandoquidem in neceſſitate ad ſolitos poſſint recurrere ſuperiores.

C A S U S XIV.

In Clericorum conſeſſu propoſita eſt hæc quæſtio, utrum videlicet Archiepiſcopus jure poſſit abſolvere a caſibus reſervatis aut cenſuris aliquem diœceſanum unius Epiſcopi ex ſuis ſuffraganeis: quidam affirmarunt; cum in ipſos ſuffraganeos ſuos juriſdictionem habeant; alii vero negarunt. An pro iſtis ſtat ratio?

R e s p o n s.

Pro ultimis ſtat ratio: certum eſt enim jus illud Metropolitano non competere pro cenſuris; licet jus ipſi quemdam in diœceſanos ſuffraganeorum ſuorum juriſdictionem in duobus caſibus tribuat. Primus caſus eſt in cauſſa appellationis juxta conſtitutionem Innocentii IV. in ſexto Decretalium relatam (e). Secundus eſt in caſu viſitationis generalis ſuæ Provinciæ in his regionibus, ubi viget talis conſuetudo. Tertium caſum addunt Auctores quidam, cum videlicet debitam ſatisfactionem offerenti Epiſcopus abſolutionem illegitime recuſat, ſeu ex malitia, ſeu ex odio: cui juri in primis favere videtur Innocentius III. in Decretali ad Archiepiſcopum Senonenſem (f). Ad tria hæc reducitur tota poteſtas Metropolitani in diœceſanos ſuorum ſuffraganeorum. Unde ſequitur, aliter eum abſolvere non poſſe diœceſanum a cenſuris ab Epiſcopo ſuo decretis, niſi de conſenſu formali Epiſcopi. *Archiepiſcopus*, ait inclytus Canoniſta (g) *non poteſt abſolvere ſubditos ſuorum ſuffraganeorum a cenſuris latis ab Epiſcopis ſuffraganeis, niſi in caſibus duobus, in quibus jus attribuit Metropolitanis juriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum: ſcilicet in caſu appellationis .... & in caſu viſitationis Provinciæ*. Idem dicendum de abſolutione a caſibus reſervatis.

(e) Innoc. IV. in Cap. *Venerabilibus*. 7. de ſent. excom. in 6. L. 5. tit. 11.

(f) Innoc. III. in Cap. *Per tuas*. 40. de ſent. excomm.

(g) Joan. Cabaſſ. jur. Can. theor. & prax. L. 5. c. 15. n. 9.

C A S U S XV.

Hidulphus, Lemovicenſis diœceſanus, duo diverſa delicta commiſit Epiſcopo ſuo reſervata, de quibus ut abſolutionem obtineat, in diœceſim Claromontanam migrat, ubi novit ea non eſſe reſervata. De validitate ſuæ confeſſionis injectus eſt ipſi ſcrupulus, quod eam in reſervationis fraudem, & ad eludendam Epiſcopi ſui conſtitutionem feciſſe videatur. Quæritur utrum non ſit valida, facta videlicet Sacerdoti approbato, & qui in diœceſi Claromontana de variis illis peccatis abſolvere poterat?

R e s p o n s.

Ne quid ſeverius in præſenti difficultate dicatur, ultro concedimus, a caſibus ex jure tantum communi reſervatis abſolvere poſſe quemlibet cujuſcumque diœceſis Confeſſarium approbatum, qui in diœceſi in qua pœnitentiam adminiſtrat, abſolvendi a caſibus reſervatis poteſtatem habet: at ſi caſus illi ab Epiſcopo ſpeciatim, & etiam nominatim fuerint reſervati, diſtinctione opus eſt: nam vel in alia diœceſi eorum ſit caſuum confeſſio bona fide; ut ſi penitens eo ſe contuliſſet ob legitimas rationes, ſtudiorum v. g. commercii, litigii, aut muneris obeundi cauſſa; vel ſi huc pœnitens conſulto iviſſet, ut facta confeſſione, abſolutionem facilius impetraret. In prima hypotheſi valida eſt confeſſio; quia præſumi non debet, Epiſcopum qui legem tulit, intendiſſe, ut ad litteram obſervaretur, ita ut in propriam diœceſim redeat pœnitens ad recipiendam ibi abſolutionem; cum id ſæpe moraliter ſit impoſſibile; & contra juſte exiſtimari poteſt, quod in eo caſu conſentit Epiſcopus, ut in eo loco in quo eſt, confiteatur pœnitens, ne diutius pœnitentiæ Sacramento privetur.

Id quidem probat Cabaſſutius in Sorum, Medinam & Graffium duabus de cauſſis (h): 1. *Quia juſta cauſſæ cognitio non eſt adſtringenda ſub conditionibus impoſſibilibus. Sic enim judicia tollerentur. Sed eſſet conditio impoſſibilis, & proinde iniqua: ſi Confeſſarius quilibet adſtringeretur ad ſciendum omnes & ſingulos caſus reſervatos in diœceſibus eorum, qui ad ſe confeſſionis cauſſa confluunt; cum teneatur Confeſſarius ſcire in quibus poſſit, vel non poſſit abſolvere*. 2. *Quia conſtans uſus ac regula receptiſſima eſt, in omni cauſſa delicti judicandum eſſe reum ſecundum jura ipſius loci, in quo idem judicatur reus*. Quod probat hic Auctor ex Canone Concilii Compendienſis circa medium octavum ſæculum habiti (i), quem refert Gratianus, ex conſtitutione Imperiali Codicis Juſtiniani (k): quod tamen eſt intelligendum de caſibus reſervatis, quibus annexa non eſt excommunicatio major *a jure*, aut ab homine: tum enim ad proprium ſuperiorem reus eſt remittendus. Sed ſi e contrarió in aliam diœceſim migret pœnitens conſulto & in fraudem legis ab Epiſcopo ſuo conſtitutæ, uti in caſu propoſito de Hidulpho dici poſſe videtur; invalida eſt confeſſio, quam proinde in propria diœceſi iterare tenetur apud Confeſſarium pro caſibus reſervatis approbatum, ut declarat Clemens X in Bulla ſua ſeptima in reſponſione ad quintum caſum relata. Igitur ea allata diſtinctione conſtitutiſque regulis judicium eſt de validitate aut invaliditate confeſſionis a Lemovicenſi Hidulpho in Claromontana diœceſi (l).

(h) Cabaſſ. jur. Can. theor. & Prax. L. 5. c. 12. n. 1. Contra Sotum in 4. diſt. 18. q. 2. art. 1. Medinam. L. 1. cap. 10. Et Graffis. l. 4. Deciſ. c. 18. num. 30.

(i) Concil. Compendienſ. in Can. *Placuit*. 4. 3. q. 3.

(k) Authent. *Qua in Provincia*. Cod. ubi de crimine agi oportet.

(l) Colloq. Petricord. T. 1. Colloq. 2. q. 4. & Tom. III. de confeſſione Adventum.

C A S U S XVI.

Chrysostomus, plurium mortalium conſcius, quorum unum Epiſcopo erat reſervatum, ab uno Confeſſario de peccato reſervato fuit abſolutus, & ab eo ad Confeſſarium conſuetum, ut ab illo abſolveretur, remiſſus: vel Chryſoſtomus Parocho ſuo peccata non reſervata confeſſus abſolutus eſt, & pro

Digitized by Google

& pro reſervato ad Superiorem remiſſus ab eodem. Numquid in eo eſt aliquid culpandum?

R e s p o n s.

Fuit quidem olim communis ſatis opinio, abſolutionem, ſic diviſa confeſſione poſſe conferri; & multos ſeu doctrina, ſeu antiquitate præſtantes Theologos & Canoniſtas ita ſenſiſſe. *Superior tamen*, inquit Durandus (*a*), *ſi non vacat* (omnia alia peccata audire) *poteſt tantum reſervata audire, & abſolvere ab his, & remittere ad inferiorem, ut a reliquis abſolvatur*. Addit; quod in hoc pœnitens, qui ordinario ſuo Confeſſario confitetur, debet declarare omnia ſua peccata, & quod omnia remittuntur, ſed quod tamen obligetur ad confitendum reſervata Superiori, ut jubet Eccleſia. Dominicus Sotus ab eodem Durando laudatus, Paludanus, Major, Gabriel Biel, Angelus de Clavaſio, Graffius, S. Antoninus, Navarrus, & alii quidam, quos ſecutus eſt Toletus (*b*), cum Silveſtro de Prierio, eamdem unanimi conſenſu amplexi ſunt opinionem; quam etiam recentiores iis unanimiter rejecerunt; quod non ſine ratione factum ducimus.

(*a*) Durand. in 4. diſt. 17. q. 15.

(*b*) Franc. Tolet. Inſtr. Sacerd. L. 3. c. 9. n. 3.

Exiſtimamus itaque, Superiorem de quo agitur in caſu propoſito, valide Chryſoſtomo Sacramentalem abſolutionem a ſolo peccato reſervato conferre non potuiſſe, ceterorum ipſius peccatorum abſolutione conſueto Confeſſario relicta.

Prima, quam affert Sylvius (*c*) hujuſce rei ratio eſt: *Quia*, inquit, *ut ex Concilio Tridentino patet* (*d*) ... *integritas confeſſionis eſt de jure divino. Ergo non eſt in poteſtate Superioris, ut dimidietur*. Idipſum jam ante docuerat S. Thomas (*e*), his verbis: *Nullum peccatum poteſt remitti ſine gratia. Omne autem peccatum mortale contrariatur gratiæ & excludit eam. Unde impoſſibile eſt, quod unum peccatum ſine alio remittatur*. Ita ſanctus Doctor.

(*c*) Fr. Sylvius in Supplem. 3. part. Sum. S. Th. q. 20. art. 2. quæſito 3.

(*d*) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 5.

(*e*) S. Th. 3. part. q. 86. art. 3. in corp.

Secunda Sylvii ratio eſt iſta: *Quando pœnitens habet plura mortalia, quæ ſingula poteſt confiteri, unius tantum confeſſio non eſt materia legitima Sacramenti. Atqui in propoſito* (Chryſoſtomus) *poteſt confiteri omnia, & ſingula vel Superiori, vel, ſi ipſi non vacat, delegato. Ergo hic deeſt materia abſolutionis Sacramentalis, ſi pœnitens ſolum confiteatur reſervatum, tacitis aliis*. Ita etiam Sylvius.

Tertia ratio ejuſdem Auctoris hæc eſt: *Si Superior, audito tantum uno peccato, Sacramentalem abſolutionem impenderet, quomodo vere diceret: Abſolvo te a peccatis tuis; cum talis pœnitens non foret coram Deo abſolutus?*

Ex iiſdem rationibus alteri difficultatis propoſitæ parti etiam reſponderi poteſt: ſi enim Superior a reſervato ſeparatim non poteſt abſolvere, & ad conſuetum Confeſſarium pœnitentem remittere a quo de ceteris abſolvatur; neque etiam Confeſſarius ille abſolvere poteſt a quibuſdam peccatis, & pro reſervato ad Superiorem remittere. Cujus quidem rei duplicem rationem affert idem Theologus; *Unum peccatum mortale non poteſt remitti ſine alio*, ut etiam ex S. Thoma docuimus. *Inferior autem non poteſt remittere reſervatum. Ergo nec alia*. 2. Quia *Sacramentum*, inquit, *quando eſt, operatur in non ponentibus obicem id, quod ſignificat*. Atqui Sacramentum, cujus ſuſpenditur effectus, non operatur id, quod ſignificat: in Sacramento namque pœnitentiæ verba ſignificant remiſſionem peccatorum, & ideo gratiæ communicationem, quorum neutrum in hac hypotheſi evenit; cum Sacramento ſuus non ſit effectus, donec Superioris accedat abſolutio, licet nullus ſit ex parte pœnitentis obex: *Si autem ſuſpenditur effectus, non operatur quod ſignificat. Nam verba ſignificant abſolutionem fieri, quæ tamen non fit. Nec tamen dici poteſt, quod pœnitens ponat obicem: ponitur enim eſſe contritus & integre confeſſus*. Hæc eſt Sylvii argumentatio, qui multos alios pro ſua ſententia laudat Auctores (*f*). Unde colligimus, ab illo ſimplici Confeſſario nec licite, nec valide abſolvi potuiſſe Chryſoſtomum a ſuis peccatis non reſervatis, ſed ad ſuum Superiorem fuiſſe remittendum, ut accuſatis peccatis omnibus abſolutionem ab eo reciperet, aut a ſimplici Confeſſario poteſtatem fuiſſe obtinendam ab eodem Superiore, qua pœnitentem a peccato reſervato cum omnibus aliis poſſet abſolvere.

(*f*) Sylv. loc. cit. Et apud eum Richardus in 4. diſt. 24. Adrianus q. 4. de confeſſ. Silveſt. v. Confeſſio. q. 19. Melchior. Canus part. 6. prælecti de pœnit. &c.

CASUS XVII.

Bertrandus, Parœciæ ſancti Clari Sacerdos Manſionarius, Juſtinum in confeſſione audiens ſe de peccato reſervato accuſantem, a quo ipſum abſolvere non poterat, Vicarium generalem hanc licentiam rogavit, quam conceſſit, ea tamen conditione, ut Juſtinum de hoc reſervato peccato abſolutum ad ſe remitteret, injuncta ei pœnitentia de caſu illo reſervato ſibi declarando extra pœnitentiæ Tribunal, ut ex hoc majori ad ſalutem pudore ſuffunderetur, & quia neceſſe putabat ſcire ſe, quæ peccata reſervata frequentius in diœceſi admittantur, ut iis poſſet mederi. Numquid conditionem hanc adimplere tenetur Bertrandus: An vero Juſtinum abſolvere poteſt, omiſſa illa conditione?

R e s p o n s.

Simili difficultati reſpondet doctus Theologus (*g*), Bertrandus non ſolum non teneri, ſed ne quidem abſque peccato impoſitam ſibi cum data abſolvendi poteſtate conditionem adimplere poſſe: nam de ſuo reſervato Juſtinus ſemel abſolutus, illud iterum declarare non tenetur: neque ad id a Confeſſario ſuo cogendus eſt invitus, ait; alioquin oneroſa, immo & odioſa pœnitentibus fieret confeſſio, qui vix eo adduci poſſunt, uti uni tantum turpia facta Sacerdoti confiteantur: hoc eſſet igitur, addit, conſcientiis vim inferre, & poteſtate ſua uti ad deſtructionem potius, quam ædificationem, contra Chriſti & Eccleſiæ intentionem, dicente Apoſtolo (*h*): *Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem*.

(*g*) De Sainte Beuve tom. I. Caſ. 5.

(*h*) 2. Corinth. 13. 10.

Hæc eſt hujuſce Doctoris opinio, quam tamen refellimus ob duplicem rationem. Prima eſt, quia Bertrando facta poteſtas a Vicario generali eſt tantum conditionalis; unde fit nulla, ubi conditio non adimpletur. Secunda eſt, quia reſervatio non eſt conſtituta, niſi ut difficilior & oneroſior ſit peccatori reconciliatio, de cujus proinde conditione non poteſt conqueri. Unde, ſi eam recuſet implere conditionem, a Confeſſario non debet abſolvi; aut ſi eam ſincere acceptet, valide abſolvitur: at ſi, mutata deinde voluntate, eam conditionem non exequitur, novum ex hac omiſſione contrahit peccatum grave, quod in prima ſua confeſſione debet accuſare.

CASUS XVIII.

Lælius, tempore Paſchali, ſuorum parochianorum confeſſiones audiens, Dominica *in Albis*, unum invenit ruſticum caſus reſervati conſcium; quem, cum gravis eſſet, & remotus duodecim ferme leucas ab urbe Epiſcopali, quo præ paupertate Epiſcopum adire non poterat, atque ut Communionis Paſchalis præcepto ſatisfacere poſſet, a caſu ſuo, ſaltem juxta conſuetam Sacramenti formam: *In quantum poſſum, & tu indiges*, abſolvit; donec ad Superiorem opportuno poſſet tempore recurrere. Quæritur, utrum hæc abſolutio ſit illicita, & etiam invalida?

R e s p o n s.

Certum eſt, hanc abſolutionem, non ſolum illicitam, ſed etiam invalidam eſſe. Senſerunt quidem multi Caſuiſtæ moderni, quorum nominibus parcimus, & quorum ſcripta fere omnia a ſummis Pontificibus, & Epiſcopis Galliæ fuere damnata; ſenſerunt, inquam, Confeſſarium ſimplicem in caſu propoſito, ut a ceteris peccatis, ita a caſibus reſervatis poſſe abſolvere, non quidem directe, ajunt, ſed indirecte: quam opinionem quatuor, aut quinque fulciunt rationibus, quas referre juvat ſimul & refellere.

Prima eſt, quia uſum hunc tacito conſenſu approbare cenſetur ſummus Pontifex: Quod *gratis* ubique legitima ratione aſſerunt. Nam 1. Quei præſumi poteſt, ſummum Pontificem tacite rei conſentire, oppoſitæ juri, & etiam œcumenico

Con-

Concilium, quod ex omnibus neceſſitatis caſibus, unum excipit mortis articulum, in quo ſimplex Confeſſarius a caſibus reſervatis poſſit abſolvere. 2. Si ad defendendas opiniones quæ benignæ dicuntur, probabilitatem acquirerent, ex conſenſu & tacita approbatione ſummi Pontificis præſumta; brevi Dagon de Arca, mendacium de veritate, ſub ſpecioſo tacito conſenſu Pontificis triumpharet. 3. Supponamus etiam cum novis illis Caſuiſtis, tacite conſentire Papam, ut ſimplex Confeſſarius de caſu reſervato cujus non habet poteſtatem, abſolvat; non idcirco mos ille erga caſus ab Epiſcopo reſervatos eſt admittendus: nam, ut alibi diximus, Sacerdos potens abſolvere a caſibus S. Sedi reſervatis, non idem valide poteſt erga caſus Epiſcopales; cum jure ſibi proprio, & non a ſe accepto Epiſcopos privare nequeat ſummus Pontifex. Sed iterum dicimus: tacitus ille Papæ conſenſus, non alibi, quam in capite ſic opinantium reperitur.

Altera eorumdem Auctorum ratio petitur ex diſtinctione mere chimærica & illuſoria: dicunt enim, Concilium Tridentinum, omnem ſimplici Confeſſario denegans poteſtatem circa reſervatos, intelligendum eſſe de poteſtate directa, non vero indirecta, qua cum poſſint a non reſervatis directe, a reſervatis quoque indirecte poſſunt abſolvere, in caſu neceſſitatis; quia, inquiunt, non reſervata ſine iſtis condonari non poſſunt. Hanc diſtinctionem diximus chimæricam, quippe quæ antiquis Auctoribus fuerit ignota; donec a novis iſtis excogitata eſt. Ex falſo namque ſuppoſito falſum quoque concludunt, cum falſum ſit ſimplicem Confeſſarium de non reſervatis peccatis directe poſſe abſolvere, ſi in eodem pœnitente cum reſervatis ſint conjuncta; niſi in unico mortis articulo: *Extra quem articulum*, inquit Concilium (a), *Sacerdotes eam nihil poſſint in caſibus reſervatis; id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant*. Quibus verbis penitus exploditur illuſoria diſtinctio poteſtatis directæ & indirectæ: cum particula, *nihil*, utramque abſolute excludat extra caſum in Concilio expreſſum. Ut quid enim Concilium Spiritu ſancto afflatum, alios neceſſitatis caſus, ſive ſpeciatim, ſive ad minus generatim non deſignaſſet, ſi indirectam illam ſimplici Confeſſario poteſtatem conferre intendiſſet, quam tamen non contulit? Contra vero ſolum mortis articulum excipiens, ceteros caſus ſufficienter excluſit ex hac communi regula; *Exceptio firmat regulam*. In omni ergo alio caſu nullam omnino abſolvendi a reſervatis directam vel indirectam confert poteſtatem; atque adeo, cum nullus ſit major in Confeſſario defectus, quam defectus juriſdictionis, invalidam confert abſolutionem, & ſuo damno iſtam firmat juris regulam (b): *Non eſt ſine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet*.

(a) Conc. Trid. Seſſ. 15. de Sacram. Pœnit. cap. 7.

(b) Reg. 19. de Reg. juris in 6.

Tertia ratio illorum Caſuiſtarum eſt, quia ea de re non loquitur Tridentinum, niſi quoad caſus reſervatos, non vero quoad pœnitentem, qui eos declarat: quare, inquiunt, poteſtate indirecta quoad pœnitentem, etſi caſus reſervati conſcium, non privari ſimplicem Confeſſarium. At quis tale poſſit animo complecti ratiocinium? Hoc enim ſanus quiſque mente fateri debet, cum ſimplici Confeſſario poteſtatem abſolvendi a reſervatis non conceſſit Concilium, ab eo delictum fuiſſe conſideratum, ut eſt in delinquente; quocirca juriſdictionem auferens quoad peccatum, abſtulit etiam quoad perſonam delinquentis, a quo ſejungi non poteſt peccatum, niſi fuerit remiſſum.

Quarta ratio eſt, quia Epiſcopi in multis caſibus neceſſariis, a peccatis ſummo Pontifici reſervatis poſſunt abſolvere: Unde concludunt recentes illi Caſuiſtæ, idem ſimplici Confeſſario licere in caſu neceſſitatis, quoad reſervatos Epiſcopo. At longe diſpar eſt utriuſque ratio: licet enim a peccatis, immo & cenſuris Papalibus in multis caſibus abſolvere valeant Epiſcopi; idem tamen pro ſimplici Confeſſario nequit colligi quoad caſus Epiſcopales. Ratio diſparitatis eſt, quia caſus omnes in quibus poſſunt Epiſcopi, clare in jure ſunt expreſſi, ut videre eſt in Decretalibus ad marginem indicatis (c): at idem dici nequit de iis caſibus Epiſcopo reſervatis, in quibus ſimplicem Confeſſarium poſſe contendunt moderni illi Caſuiſtæ. 1. Quia, licet jus illud Epiſcopis ad animarum ſalutem ac bonum Eccleſiæ fuerit conceſſum; idem inferri nequit pro ſolitis Confeſſariis juxta iſtam regulam (d): *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa*; & iſtam aliam (e): *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet aliis in exemplum*. 2. Quia jure unicus mortis articuli caſus excipitur, ac proinde unica illa exceptione ceteros caſus excludere cenſetur. Unde, cum ſimplices Confeſſarii juris auctoritate non muniantur, uti Epiſcopi, ac potius contra jus in Tridentino expreſſum agant; nullam habent ab his caſibus abſolvendi poteſtatem; cum ex alia juris Canonici regula (f): *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*.

(c) Alex. III. In Cap. *Mulieres*. 6. de ſent. excomm. Et in Cap. *De cetero*. 8. eod. tit. Clem. III. in Cap. *Ex noſcitur*. 13. Greg. IX. in Cap. *Quamvis*. 58. Et in Cap. *Pueris*. fin. eod. tit. L. 5. tit. 39.

(d) Reg. 78. de reg. juris in 6.

(e) Reg. 74. ibid.

(f) Reg. 64. ibid.

Denique Theologorum quorumdam qui idem ſecum ſentiunt, ab illis Caſuiſtis laudatur auctoritas: at præcepta moralia ex Auctorum numero ponderari non debent, niſi ſuam firmis opinionem probent argumentis; quod non fit in præſenti caſu, uti patet ex reſponſione ad eas quas allegant, ratiunculas. Addi poteſt etiam, quod ſi eorum valeret opinio, ſequeretur, quod in ſimili neceſſitatis caſu, conſcius unius peccati mortalis & multorum venialium poſſet abſolvi a Sacerdote non approbato; ſcilicet de venialibus directe, quia de iis in quibuſdam Diœceſibus quilibet Sacerdos, etiam non approbatus abſolvere poteſt; de mortali vero indirecte: quod tamen abſurdum eſt & falſum.

Ex dictis itaque colligimus 1. graviter peccaſſe Lælium, abſolvendo in caſu propoſito, non modo abſque legitima poteſtate, ſed etiam abſque juſta neceſſitate: cum ad aliud tempus ordinarii Confeſſarii auctoritate poſſit differri Paſchalis Communio. 2. Abſolutionem ab illo Parocho collatam eſſe invalidam, ac proinde ad illud incumbere debet, ut illatam reſtituat injuriam obtenta ab Epiſcopo ſuum Parochianum a caſu reſervato abſolvendi, quod is declaravit, licentia; ut terminis ſaltem generalibus iterata confeſſione ipſum de novo contritum, iterum abſolvat.

CASUS XIX.

Gracilianus, emto pro ſe & quinque aut ſex aliis amicis ſemodio ſalis in horreo ſalario Rothomagenſi a Mathurina, quod alteram ſibi mulierem ſemodio diſtribuens prætuliſſet, indignata ad Judicem eo denuntiatus eſt, ut tamquam Legis Salatiæ tranſgreſſor mulctaretur, qua pro duobus tantum ſal emi jubetur. Gracilianus ad jusjurandum a Judice adactus, falſo juravit, ſe nonniſi pro duobus ſal emiſſe. Qua de re quæritur, utrum falſum illud teſtimonium ſit Rothomagi caſus reſervatus ſub his verbis: *Falſum teſtimonium coram Judice*.

RESPONS.

Peccatum falſi teſtimonii reſervatum præciſe loquendo, de eo non debet intelligi, quod quis in propria, ſed tantum in aliena præſtat cauſſa (g): cum igitur Graciliani perjurium ad ſe ſuamque rem pertineat, neque ex eo damnum proximo ſuo intulerit; dicendum, quod licet peccatum illius ſit mortale, non eſt tamen reſervatum, neque ſub his contentum verbis: *Falſum teſtimonium coram Judice*; cum illud, quod eſt *in cauſſa aliena*, hoc eſt in alium, ſibi reſervare vulgo intendat Epiſcopos.

(g) De Sainte Beuve. Tom. II. Caſ. 168.

Si tamen Præſul qui ſibi perjurii abſolutionem reſervavit, id etiam intelligendum eſſe declararet de perjurio in propria cauſſa præſtito: certum eſt quod tunc eſſet caſus reſervatus *in propria cauſſa* præſtitum jusjurandum, ut *aliena*. Quare Pariſiis eſt caſus reſervatus, ut declarat Mandatum Eminentiſſimi Cardinalis de Noailles, hujuſce diœceſis Archiepiſcopi (h) his verbis: *Falſum teſtimonium, ſeu ſacramentum, falſo præſtitum in propria, aut aliena cauſſa, coram Judice, aut eo qui vices Judicis agit, cujuſmodi eſt, qui vocatur Commiſſarius*. Idem dicendum foret in caſu propoſito, ſi Rothomagi, ut Pariſiis, perjurium *in propria cauſſa* eſſet reſervatum.

(h) Mandatum Eminent. Card. Lud. Anton. de Noailles Archiep. Pariſ. editum 4. nonas Jan. an. 1709. de caſibus reſervat. & cenſuris.

CA-

Digitized by Google

CASUS XX.

Tiburtius, Viennæ in Auſtria Cathedralis Eccleſiæ Archidiaconus, electo ſibi quem voluit ex conceſſione Epiſcopi Confeſſario, peccatum in Diœceſi reſervatum commiſit. Nonne cenſetur hic Confeſſarius habere poteſtatem ipſum abſolvendi ab eo caſu?

Reſpons.

Confeſſarius ille Tiburtium a peccato ſuo reſervato non poteſt abſolvere in tali circumſtantia; quod idem non poſſet, ab ipſo etiam electus Epiſcopo, niſi ſpecialem habens ab eo poteſtatem, aut ad caſus reſervatos approbatus.

(a) Bon. VIII. in Cap. Si Epiſcopus. 2. de pœnit. & remiſſ. in 6. L. 5. tit. 10.

Deciſionem hanc probat Bonifacii VIII. Conſtitutio (a) his verbis: *Si Epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſorem; ille quem is elegerit, in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam penitus habet poteſtatem.* Cujus rei hanc ſuam juris affert regulam pro ratione (b) *cum in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

(b) Reg. 85. de reg. juris in 6.

Confirmari poteſt hæc ſententia ex hoc juris effato (c): *Inter æquitatem juſque interpoſitam interpretationem nobis ſolis & oportet, & licet inſpicere*, inquit Imperator Conſtantinus. Atqui reſervatio quorumdam peccatorum lex eſt, quam ſtatuit & jure ſtatuere poteſt Epiſcopus juxta Tridentini Concilii definitionem (d). Ab ea igitur ſolus diſpenſare poteſt; ad ipſum ſolum, tamquam ad verum Legiſlatorem recurſus eſt habendus, cum poſtulat æquitas, ut in quibuſdam caſibus non obſervetur, qualis eſt in propoſita ſpecie (e).

(c) Leg. Inter. 1. Cod. de Legibus. L. 1. tit. 14.

(d) Concil. Trid. Seſſ. 14. de Sacramento pœnit. c. 7. & Can. 11.

(e) Angelus de Clavaſio in Sum. Angelica. v. Confeſſio. 3. §. 7.

CASUS XXI.

Mathurinus, S. Ovidii Parochus, peccato reſervato obnoxius, & ab urbe Epiſcopi, aut Pœnitentiarii domicilio duodecim leucas diſtans: die Dominica ad celebrationem Miſſæ tenetur, cum Sacerdotis copiam non habeat, qui vicem ejus poſſit ſupplere. Numquid tenetur confiteri ſuo Vicario; an vero celebrare poteſt omiſſa confeſſione, & ſolo contritionis actu elicito?

Reſpons.

Parochus ille conſiderari debet in eo caſu poſitus, de quo loquitur Concilium Tridentinum, cum ſcilicet non ſuppetit copia Confeſſarii; quandoquidem eum non habeat, a quo valide poſſit de ſuo peccato abſolvi. Quare confeſſionem non præmittens celebrare poteſt, modo perfectam eliciat contritionem, firmo Epiſcopum aut alium a quo abſolvi poſſit, adeundi propoſito conjunctam. En verba Decreti Concilii Tridentini (f): *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit. Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit; quamprimum confiteatur.* Atqui in eo caſu verſatur Parochus, qui Miſſæ celebrationem omittere nequit abſque ſcandalo, nec copiam habet Confeſſarii a quo poſſit abſolvi; ut evenit in caſu propoſito. Hanc ſententiam veriorem & tutiorem exiſtimat Sylvius (g): *Juxta poſteriorem vero* (ſententiam) inquit, *quam credimus veriorem, id ageret, ſi foret occulte excommunicatus, nec haberet copiam Confeſſarii, valentis eum abſolvere: id eſt.... celebrabit ſine confeſſione & abſolutione juxta, ea quæ diximus, tertia parte q. 80. q. 4.*

(f) Conc. Trid. Seſſ. 13. c. 7.

(g) Sylv. in Suppl. 3 p. S. Th. q. 10. a. 2. quæſito 3.

CASUS XXII.

Onesimus, Parœciæ S. Aularii incola, reſervati peccati conſcius, tempore Paſchali Vicarium generalem, aut Pœnitentiarium ad confeſſionem adivit. 1. An id ipſum potuit abſque licentia ſui Parochi, qui non habet poteſtatem a reſervatis? 2. An id etiam potuiſſet, ſi nullius fuiſſet conſcius delicti reſervati; quin teneatur ad confitendum iterum ſua peccata Parocho?

Reſpons.

Oneſimus procul dubio abſque licentia Parochi ſui Vicario generali, aut Pœnitentiario, alterive Confeſſario, in Eccleſia Cathedrali, reſervatos caſus, ut ajunt, habenti, potuit confiteri: quia Vicarius generalis, aut Pœnitentiarius, aliuſve ab Epiſcopo ad abſolvendum de reſervatis commiſſus, in eo Epiſcopi ipſius poteſtatem obtinent, ejuſque perſonam repræſentant, atque adeo in hac functione eodem jure, ac Epiſcopus ipſe; poſſunt uti ex hac Bonifacii VIII. regula (h): *Is qui in jus ſuccedit alterius, eo jure quo ille, uti debebit.* Quod etiam cum hac alia juris regula congruit (i): *Cui licet quod eſt plus, licet atique quod eſt minus.*

(h) Reg. 46. de reg. juris in 6.

(i) Reg. 53. ibid.

Idem quoque dici poteſt, licet apud Vicarium, aut Pœnitentiarium, aliumve ordinaria tantum & non reſervata peccata accuſaſſet. Nam Vicarius aut Pœnitentiarius in pœnitentiæ tribunali Epiſcopi vicem obtinent, atque ut ipſe, ſic abſque conſenſu, immo & reluctantibus Parochis ipſis, Diœceſanos omnes legitime poſſunt abſolvere. Unde, qui a Vicario generali aut Pœnitentiario abſolutus eſt, non tenetur iterum delicta ſua Parocho ſuo confiteri. *Nullus tenetur confiteri peccata quæ non habet*, inquit S. Thomas (k); *& ideo ſi aliquis Pœnitentiario Epiſcopi, vel alteri ab Epiſcopo commiſſionem habenti, confeſſus fuerit: cum ſint ſibi dimiſſa peccata, & quoad Deum, & quoad Eccleſiam, non tenetur ea confiteri proprio Sacerdoti, quantumcumque. Bonum quidem eſt*, pergit idem S. Doctor, hoc eſt, laude dignum ob aliorum exemplum, *quod ille qui auctoritate Epiſcopi confeſſionem audit, inducat confitentem, quod confiteatur proprio Sacerdoti: quod ſi noluerit; nihilominus eum abſolvere debet.* Id unum igitur in eo caſu poteſt Parochus ut a Parochiano ſuo atteſtationem de facta confeſſione, ab ipſo Confeſſario ſubſcriptam exigat, qua data Communionem jam ipſi denegara non poteſt Parochus ille.

(k) S. Th. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. quæſti unic. 3. art. 4.

CASUS XXIII.

Cerbonius, Alberti Confeſſarius, ab Epiſcopo ſuo facultatem requiſivit abſolvendi eum a peccato, quod reſervatum putabat, & quod poſtulans facultatem non deſignavit: eam obtinuit: ſed poſtea agnovit peccatum illud inter reſervata non numerari. Qua de re quæritur, utrum Confeſſarius ille, vi obtentæ illius facultatis, Albertum potuerit abſolvere a caſu reſervato, in quem poſtea menſe elapſo incidit?

Reſpons.

Propoſitæ difficultatis ſolutio iſto Phyſices axiomate. *Actus agentium non operantur ultra eorum intentionem*, poſſe niti videtur, ſi ad moralem hanc difficultatem applicetur; ex quo dicendum, Albertum a Cerbonio non poſſe abſolvi de caſu reſervato, cujus poſtea factus eſt conſcius. Ratio eſt, quia Superioris facultatem hanc concedentis neceſſario & ſingulariter ad petentis intentionem refertur. Atqui Confeſſarius ille non intendebat ab Epiſcopo facultatem petere abſolvendi a caſu reſervato, de quo nec cogitare poterat; quippe qui ab Alberto non fuerat commiſſus: ſed de eo tantum de quo cogitabat, licet non reſervato, ut exiſtimabat. Ergo Superior nullo pacto intendit, Cerbonio poteſtatem conferre abſolvendi hunc hominem de peccato poſtea commiſſo, de quo proinde abſolvere nequit ſine nova facultate obtenta. Ita Auctor eruditus (l): *Cum intentio concedentis*, inquit, *non ſe extenderit ad hunc, ſed tantum ad illum* (caſum) *quem mente conceptum habebat Confeſſarius, quando petiit facultatem: ſiquidem conceſſio fit juxta tenorem petitionis; ac proinde cum Petrus intenderit petere facultatem abſolvendi a caſu reſervato quem tunc animo deſignaverat, licet exterius non expreſſerit: hujus facultatem Superior intendit concedere, & non alterius.*

(l) Fr. Pellizarius Manual. regular. tom. 2. part. 1. tract. 5. c. 3. ſect. 2. ſubſectione. 2. q. 25. n. 238. p. 286.

CASUS XXIV.

Postulat Benignus, Sacerdos, qui ex ignorantia aut inadvertentia de caſu reſervato, abſque obtenta facultate abſolvit pœnitentem; quid huic malo remedii poſſit afferre?

Reſ-

RESPONSIO.

Propoſitæ quæſtioni ſic reſpondet S. Antoninus (*a*): *Quicumque abſolvit aliquem ab aliquo peccato, inquit, in caſu in quo non poteſt: ſive quia reſervatus eſt Epiſcopo, ſive quia nullam habet poteſtatem vel auctoritatem, quamvis graviter peccet, præcipue quando abſolvit ſcienter, vel etiam ex ignorantia juris craſſa, non tamen cenſuram aliquam ſeu excommunicationem ex hoc incurrit; ſive ſit Clericus ſæcularis, ſive Religioſus dictus abſolvens .... ſed tenetur illum quem ſic abſolvit, aviſare de errore ſuo, ſi cognoſcit, vel poteſt invenire. Ille tamen, quoad Deum excuſatur. Et id quod dictum eſt, quod Confeſſor debet illum aviſare quem abſolvit, cum non poſſet, intelligitur, quando fieri poteſt ſine ſcandalo notabili.* Tum addit hic ſanctus; *In Concilio Baſilienſi quidam multum periti, habita ſuper hoc collatione dixerunt, quod talis Confeſſor petat auctoritatem a Superiore ſuper hoc caſu, a quo non potuit abſolvere; qua habita vocet illum, quem abſolverat, cum non poſſet, & per aliquem modum coopertum interroget de aliquibus, quæ ſibi confeſſus eſt quaſi melius volens informari, ac ſi non plene intellexiſſet, & ſi quæ alia commiſit crimina poſtea; & ſic abſolvat ab omnibus, & tunc & prius alias auditis.* Sed tandem, cum fieri poſſit, ut pœnitens ille Confeſſario ſit ignotus, eumque reperire nequeat; tum ſatis eſt, ſi de peccato ſuo pœnitentiam agat, & pro ſalute hominis Deum oret. Hæc ſunt, quæ Benigno Sacerdoti quoad propoſitam quæſtionem ſuaderi poſſunt.

(a) S. Anton. 3. part. ſum. Theolog. tit. 17. c. 22.

CASUS XXV.

ROMANA, nobilis Matrona, tempore Jubilæi, ut tuta foret conſcientia, ſuadente Confeſſore ſuo, generalem peccatorum ſuorum confeſſionem, adhibito prius diligenti quantum in ſe fuit examine, confecit; atque abſolutionem recepit. At finito Jubilæi tempore, quorumdam caſuum Epiſcopo, aut etiam Papæ, reſervatorum, quos numquam in confeſſione declararat, recordata eſt. Numquid de iis abſolvi poteſt a Confeſſario, quem tempore Jubilæi elegerat, licet præteritum ſit Jubilæum?

RESPONSIO.

Confeſſarius Romanæ Jubilæi tempore, eo licet elapſo, ab omnibus quos oblita fuerat in confeſſione generali, caſibus reſervatis illam poteſt abſolvere. Ratio eſt, quia juxta Concilium Tridentinum (*b*): *Reliqua peccata quæ diligenter cogitanti non occurrant, in univerſum in eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus* (*c*): Ab occultis meis munda me, Domine. Quocirca, ut ſentiunt doctiſſimi Theologi, clavibus Eccleſiæ, ſi occurrant, ideo tantum ſubjici debent per confeſſionem, ut præcedentis ſuppleatur omiſſio, & æquius de pœnitentia injungenda poſſit judicare Confeſſarius. *In Sacramentali confeſſione*, inquit S. Thomas (*d*), *non ſolum requiritur abſolutio, ſed judicium Sacerdotis ſatisfactionem imponentis exſpectatur: & ideo, quamvis abſolutione ſit functus; tamen tenetur* (pœnitens) *confiteri, ut ſuppleatur quod defuit Sacramentali confeſſioni*. Ita ſentiunt Angelus de Clavaſio, Silveſter, Adrianus, Gabriel, Navarrus & Cabaſſutius (*e*).

(b) Conc. Tr. Seſſ. 14. de Pœnit. c. 5.

(c) Pſ. 18. 13.

(d) S. Th. in 4. diſt. 21. a. 1. a. ad 1.

(e) Angelus v. Confeſſio. 1. q. 20. Silveſt. v. Confeſſio. 1. q. 4. Adrianus. quæſt. 4. de Confeſſione, §. Si petas. Gabriel Biel in 4. diſt. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Navar. Manual. cap. 26. num. 23. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & Prax. L. 3. c. 14. n. 6.

Unde colligendum 1. quod juxta ſententiam S. Thomæ tutiorem & magis communem, Romana tenetur peccata reſervata tempore Jubilæi oblita in prima confeſſione ſequenti confiteri. 2. Quod cum illa peccata fuerint remiſſa, ea iterum confiteri non obligatur, niſi ut Eccleſiæ quæ cuncta Confeſſario jubet declarari, præcepto ſatisfaciat. 3. Quod a quolibet Sacerdote approbato abſque ſpeciali legitimi ſuperioris mandato poſſit abſolvi. Ita Paludanus, aliique permulti (*f*).

(f) Petrus Palud. in 4. diſt. 15. q. 5. art. 2. concluſ. 4.

Ceterum advertendum eſt, quod ſi oblivio eſſet culpabilis, ob examinis defectum, tum confeſſio eſſet invalida; atque ita Jubilæi gratiam non accepiſſet talis homo. Quare in eo caſu ad Superiorem eſſet recurrendum ad recipiendam abſolutionem validam a reſervatis caſibus, aut cenſuris; quia tempore Jubilæi ab iis poſſunt abſolvere ſimplices Confeſſarii pœnitentes, qui hanc gratiam demerentur. Hanc doctrinam defendunt Magiſter ſententiarum, Melchior Canus, Suarez, & alii multi ſeu Theologi, ſeu Canoniſtæ.

CASUS XXVI.

Si Romana extra tempus Jubilæi Pœnitentiario caſum reſervatum declaraſſet, & alium omiſiſſet cui annexa eſſet excommunicatio major; numquid de omiſſo reſervato in prima ſua confeſſione abſolvi poſſet a ſimplici Confeſſario; quin Pœnitentiarium adire cogeretur?

RESPONSIO.

Allatæ in præcedenti difficultate auctoritates & rationes ſufficienter probant, Romanam in caſu propoſito abſolvi poſſe a ſimplici Confeſſario, modo, ut jam ſupra dictum eſt, oblivio ejus non eſſet culpabilis. Ita docent præcipuæ notæ Auctores, qui nullatenus inter tempus Jubilæi, & aliud tempus diſtinguunt, ut ex eorum verbis mox conſtabit.

Dicit Angelus de Clavaſio (*g*): *Nota heic, ſecundum Petrum de Palude in quartum, quod ſi primus Confeſſor habet auctoritatem abſolvendi ab omni excommunicatione & caſibus; & ſic intendebat abſolvere, quando cum eo confeſſus fuit: quia licet peccatum oblitum tali modo* (inculpabili) *eſſet caſus reſervatus, vel excommunicatio; poterit nihilominus ſecundus Confeſſor eum abſolvere: quia non poteſt amplius eſſe caſus reſervatus, nec excommunicatio; ſed ſolum peccatum ſimplex.*

(g) Angelus Loco cit.

Dicit etiam Navarrus (*h*): *Eſt autem valde notandum, quod qui confitetur alicui habenti facultatem abſolvendi ab aliqua excommunicatione vel peccato reſervato quibus ipſe tenetur, & obliviſcatur illa, & abſolvatur ab omni excommunicatione & peccato, ſi & quatenus potuit Confeſſarius .... abſolvitur etiam ab eis: Ita quod, quamvis poſtea factus memor eorum, confiteatur illa, ut tenetur, alteri, qui talem tamen facultatem non habet, ab illis poſſit abſolvi ab eo; quia deſierunt eſſe reſervata, & habere excommunicationem adjunctam, quippe quæ per priorem abſolutionem ſublata fuerunt; & peccata remanſerunt ſolubilia a quovis proprio Sacerdote.* Quam ſententiam confirmat hic Canoniſta auctoritate Paludani, S. Antonini, Angeli, cujus verba retulimus & aliorum multorum.

(h) Navar. cit. n. 13.

Sylvius etiam, inter Theologos ſic loquitur (*i*). *Si quis legitime confiteatur habenti poteſtatem abſolvendi a reſervatis, ſive caſibus, ſive cenſuris; obliviſcatur autem reſervatorum quibus eſt obnoxius; poterit poſtea per quemlibet Confeſſarium ab illis abſolvi, eo quod Sacerdos præcedens intenderit abſolvere, quantum poterat, ac proinde a reſervatis, ſaltem hactenus ut deſinant eſſe reſervata.* Præter Angelum, & Navarram, inclytus hic Profeſſor Duacenſis octo alios laudat auctores pro ſua ſententia, inter quos ſunt Adrianus, Silveſter & Covarruvias. Heic addit Cabaſſutius (*K*) idem ſentiens *Bartholomæum Fumum* in *Aurea Armilla*, & Cardinalem Cajetanum (*l*).

(i) Sylv. in ſuppl. 3. p. S. Th. q. 20. art. 2. quæſito 3.

(k) Joan. Cabaſſ. Juris Can. Theor. & Prax. L. 3. c. 12. p. 3. & L. 3. c. 13. n. 6.

(l) Cajet. in Summula v. Caſus.

CASUS XXVII.

Ex Bulla ſummi Pontificis, plenaria indulgentia iis omnibus conceditur, qui confeſſi & Sacramento Euchariſtiæ muniti diebus feſtis Nativitatis, & Aſſumtionis beatæ Virginis, nec non aliis quibuſdam feſtis diebus in ea deſignatis S. Claudii Xenodochium viſitabunt: qua etiam conceditur, ut qui diebus illis ad lucrandam indulgentiam peccata in confeſſione accuſabunt, ab omnibus caſibus Epiſcopo reſervatis eos poſſit abſolvere quilibet Sacerdos approbatus. Numquid ſimplex Confeſſarius carens facultate abſolvendi de reſervatis, Bullæ hujus privilegio uti poteſt, & diebus illis de his caſibus valide abſolvere?

RESPONSIO.

Juxta Gallicanam diſciplinam executioni mandari nequit Bulla aliqua, niſi acceptata, & in Diœceſi Epiſcopi auctoritate fuerit promulgata; quæ ſi Diœceſani Epiſcopi fuerit auctoritate promulgata, tum procul dubio licet uti poteſtate quam confert, & a Papa conceſſas lucrari gratias. Si igitur Bulla de qua in caſu propoſito, auctoritate Ordinarii fuerit

Digitized by Google

ſit publicata, quilibet Sacerdos ſimpliciter approbatus, diebus illis valide & licite quoſlibet pœnitentes de peccatis eorum abſolvere poteſt, ne reſervatis quidem exceptis: etſi facultatem hanc non ferat approbatio ſua: quia Epiſcopus talem Bullam promulgans, neceſſariam pro ea re poteſtatem confert (a).

(a) De Sainte Beuve Tom. I. Caſ. 19.

CASUS XXVIII.

Nomquid valide & licite de omnibus caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere poteſt Genucius, Religioſus Ordinis Mendicantis, vi quorumdam veterum privilegiorum, quibus hanc poteſtatem Religioſis ſui Ordinis fecere ſummi Pontifices?

Respons.

Id ipſum nec valide, nec licite poteſt Religioſus ille, abſque ſpeciali Epiſcopi licentia: quia omnia illa privilegia in Concilio œcumenico Viennenſi ann. 1311. habito a Clemente V. fuere revocata, uti videre eſt in Conſtitutione hujuſce ſummi Pontificis inter Clementinas his verbis relata (b): *Quibus* (Religioſis) *etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictius inhibemus, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis detrahant... nec etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſervatis quemquam abſolvant.*

(b) Clem. V. in Cap. Religioſi. 1. §. 1. de privilegiis & exceſſibus privilegiat. L. 5. capit. 7.

Dici quidam poteſt, a temporibus hujuſce Concilii, nova a ſequentibus Pontificibus ſummis privilegia Religioſos obtinuiſſe: at facile refelli poſſunt, qui prætextu illo ad infringendas Eccleſiæ leges abutuntur. Nam certum eſt, nova illa omnia privilegia fuiſſe revocata 1. a Clemente VIII. 9. Januarii 1610. 2. a Paullo V. 7. Januar. 1617. 3. ab Urbano VIII. 17. Novembris 1655. 4. ab Alexandro VII. ex Brevi ſuo ad Epiſcopum Andegavenſem ann. 1659. 6. denique a Clemente X. ex Bulla ſua ſeptima 22. Juni ann. 1670. (c), cujus legi poſſunt verba in reſponſione noſtra ad quintum caſum ſuperiorem.

(c) Clemens X. in Bulla. *Superna*. §. 6.

CASUS XXIX.

Beanulphus, Eccleſiæ S. Gaudi Prior, ut prædeceſſores ſui immediati a quinquaginta annis, ea conſuetudine abſolvit a caſibus Epiſcopo juxta multa ſtatuta reſervatis. Numquid in hoc caſu abſque ſpeciali & expreſſa Epiſcopi approbatione de iis poteſt abſolvere;

Respons.

Reſpondemus cum Suarez (d), quod *ex conſuetudine numquam credimus introductum eſſe, ut acquiratur juriſdictio ad abſolvendum a reſervatis: quia talis conſuetudo directe eſſet contraria reſervationi, eamque enervaret*. Idem ſentit Philippus Faber ob eamdem rationem (e).

(d) Suarez de Pœnit. diſt. 30. q. 1.

(e) Philip. Faber. in 4. diſt. 6. diſp. 27. q. un. c. 2.

Cajetanus (f), qui eamdem tuetur ſententiam, dicit, quod *Conſuetudo non concurrit, niſi ut teſtis licentiæ implicitæ*, quam videlicet concedit Epiſcopus non intercedens aut quærens. Statutum autem quo nonnulli caſus reſervantur, continua eſt oppoſitio & non intermiſſa ex parte Epiſcopi; qui publice igitur & continuo tali adverſatur conſuetudini, tanquam manifeſto & injuſto abuſui, cujus ope, quantumvis diuturni, legitima numquam introduci poteſt præſcriptio. Addimus etiam cum Bailio, quod R*eſervatio eſt ſubtractio juriſdictionis, quæ quamdiu manet, eumdem operatur effectum. Quomodo ergo fieri poterit*, concludit legitime hic Auctor, *ut abſolutiones nullæ, irritæ, ac ſacrilegæ primis decem annis*, (quibus videlicet inducta eſt conſuetudo) *aliis decem ſequentibus validæ ſint, cum ſemper duret ſubtractio juriſdictionis, quæ ſemper ejuſdem eſt poteſtatis?*

(f) Cajet. in Sum. v. *Abſolutio*. n. 6.

Neque vacat heic dicere, Eccleſiam ob bonam fidem Confeſſarii, juriſdictionis defectum ſupplere; tali namque juriſdictionis ſupplemento deſtituitur penitus ipſa juriſdictio, quæ iis tunc adſcribitur ad quos non pertinet, magno Epiſcoporum præjudicio, ad quos ſolos jure divino & eccleſiaſtico ſpectat, uti ſæpe declaravit ſacra Congregatio, quemadmodum referunt Garſias (g) & alii multi. Væ ergo iis, qui tales proferunt confeſſiones; quæcumque illis aut Confeſſariis ineſſe bona fides ſupponatur; cum earum Deus rationem non habeat, & in vindictam rejectæ aut ſpretæ gratiæ ſuæ, permittit eos errare, ad eos Confeſſarios recurrendo, a quibus animæ ſuæ nequeunt recipere ſalutem. *Quam ſecretus es*, inquiebat olim S. Auguſtinus (h) Deum ſimili in re alloquens, *habitans in excelſis in ſilentio, Deus ſolus, magnus, lege infatigabili ſpargens pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*. Et alibi (i): *Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque, quo bene uti noluit; cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet: id eſt autem, ut qui ſciens recte non facit, amittat ſcire quid rectum; & qui recte facere, cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit.*

(g) Garſias L. 1. de Benefic. part. 5. c. 8. n. 87. & 132. Joan. Sanch. ſelect. diſput. 44. n. 20.

(h) S. Aug. L. 1. conf. c. 18. ſeu n. 29.

(i) Idem S. Aug. L. 3. de Lib. arbitr. num. 22.

CASUS XXX.

Nonne Canonica & juſta eſt Leontii, Abbatis regularis Monaſterii cujuſdam reformati reſervatio; qui ut primum Abbatiam ſuam adivit, viginti peccatorum genera ſibi reſervavit?

Respons.

Neque canonica, neque legitima eſt Leontii reſervatio, quam nimirum proprio motu & auctoritate facere non potuit; quia Religioſorum Prælati peccata quælibet pro arbitrio ſibi reſervare nequeunt, ſed ea dumtaxat, quæ exprimit Decretum Clementis VIII. 26. Maii an. 1593. (K), quo ſummus hic Pontifex ea delicta enumerat, quæ concedente Romana Sede ſibi reſervare valent, & quorum augere numerum eis prohibet, niſi ex conſilio & de conſenſu Capituli generalis aut Provincialis Ordinis. Decreti autem tenor eſt hujuſmodi: „ Sanctitas ſua decrevit, ut nemo ex Regularium „ ſuperioribus, peccatorum abſolutiones ſibi reſer- „ vet, exceptis iis quæ ſequuntur, aut omnibus, „ aut eorum aliquot. 1. Veneficia, Incantationes, „ Sortilegia. 2. Apoſtaſia a Religione, ſive habi- „ tu dimiſſo, ſive retento.... nocturna ac furti- „ va e Monaſterio ſeu conventu egreſſio, etiam „ non animo apoſtatandi facta. 3. Proprietas con- „ tra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mor- „ tale. Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu „ legitimo. 4. Procuratio, auxilium, ſeu con- „ ſilium ad abortum faciendum poſt animatum „ fetum; etiam effectu non ſecuto. 5. Falſificatio „ manus, aut ſigilli officialium Monaſterii, aut „ conventus. Furtum de rebus Monaſterii, ſeu con- „ ventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mor- „ tale. 6. Lapſus carnis voluntarius, opere conſum- „ matus. 7. Occiſio, aut vulneratio, ſive gravis „ percuſſio cujuſcumquæ perſonæ. 8. Malitioſum „ impedimentum, aut retardatio, aut apertio lit- „ terarum a Superioribus ad inferiores, & ab infe- „ rioribus ad Superiores. Si quod aliud præterea „ peccatum grave pro Religionis conſervatione, „ aut pro conſcientiæ puritate reſervandum vide- „ bitur; id non aliter fiat quam generalis Capituli in „ toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura „ diſcuſſione & conſenſu „. Qua de re obſervandum, a ſummo Pontifice id requiri, ut ceteris Confeſſariis Ordinis facultatem abſolvendi a reſervatis facile concedant Superiores. Ex quo manifeſte liquet, quantum ſit diſcrimen inter Epiſcoporum juriſdictionem; quæ cum ab Epiſcopatu ſeperari nequeat, ſolo jure communi limitatur, neque umquam iis auferri poteſt; cum contra Superiorum regularium juriſdictio, quæ mera eſt delegatio, a Superioribus non modo adſtringi, ſed etiam auferri poteſt; ſi Superiori ita expedire videatur ad bonum Religionis. Caſum hunc ita ſolvit Sylvius, qui exponit, quo pacto debeat intelligi quælibet ſpecies peccati in hoc Decreto expreſſa (l).

(k) In Bullario magno tom. 4. n. 67.

(l) Petr. Sylv. in ſuppl. 3. p. Sum. S. Th. q. 20. art. 2. quæſito 4.

CASUS XXXI.

Mævius poſt emiſſam Religionis profeſſionem ſolemnem, in voluntariam pollutionem lapſus eſt. Poteſt ne ordinarius Monaſterii Confeſſarius eum ſacramentaliter abſolvere?

Ratio dubitandi petitur ex eo, quod juxta Conſtitutionem Clementis VIII. Religioſorum Prælati hoc peccatum inter cetera ſibi reſervata computant. *Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus*. Quæ quidem verba videntur æque poſſe intelligi de pollutione,

ne, aut tactu, ac de ipſa carnali copula. Quæritur ergo 1. An abſolutionis obtinendæ cauſſa ad Superiorem ſuum Mævium recurrere teneatur? 2. An etiam ad idem teneretur ob ſolos tactus impudicos, ſecum, aut cum muliere citra pollutionem habitos?

RESPONSIO.

Peccatum voluntariæ pollutionis, a Mævio commiſſum, vere eſſe Superiori reſervatum exiſtimandum eſt. 1. Enim fruſtra his verbis: *Lapſus carnis*, adderetur *voluntarius*; ſi de ſola carnali copula hujuſmodi *lapſus* foret intelligendus; cum copulam carnalem numquam quis habere valeat, niſi in eam conſentiat. *Deinde*, inquit Sylvius (a), *lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus eſt quiddam generale reſpectu omnium ſpecierum luxuriæ. Quare ergo reſtringeretur ad ſolam copulam?*

(a) Sylvius reſolut. var. v. *Caſus reſervatus*, reſponſ. ad 2. quæſitum.

Hanc ſuam ſententiam idem Doctor confirmat ſuffragio Stephani Quaranta (b), qui magni Bullarii Summam publici juris fecit, quique per lapſum carnis voluntarium omnes luxuriæ ſpecies comprehendit, ne quidem excepta ſimplici pollutione, quoquo modo voluntarie procurata; quæ certe juxta Doctoris Angelici (c) aliorumque Theologorum communem doctrinam, diſtincta eſt hujus peccati ſpecies. Diximus: *quoquo modo voluntarie procurata*, quia licet Religioſus ex aſpectu impudico, aut ex libidinoſis cogitationibus, adjuncta delectatione voluntaria, etiam abſque ullo tactu aliove opere externo, in hujuſmodi crimen prolaberetur; ab alio tamen, quam a Prælato ſeo Superiore aut de ejus licentia, non poſſe abſolvi; cum tale peccatum cenſeatur eſſe *lapſus carnis* voluntarius opere conſummatus: quidquid in contrarium ſentiant Auctores nonnulli a Sylvio laudati.

(b) Stephanus Quaranta in Sum. Bullarii v. *Caſus reſervatus* §. *Circa nonum*.

(c) S. Th. 2. 2. q. 154. art. 11. in corp.

Quod autem attinet ad ſimplicem tactum impudicum, ſecum aut cum muliere voluntarie quidem, ſed citra pollutionem admiſſum, dicendum videtur peccatum iſtud non eſſe Superiori regulari reſervatum; cum proprie loquendo, non cenſeatur opus carnale, ſeu *lapſus carnis opere conſummatus*, neque ſpecialis ſit luxuriæ ſpecies. Ita ſentit Sylvius loco citato, & apud eum Suarez (d).

(d) Suarez tom. 4. de Relig. L. 2. c. 18.

CASUS XXXII.

ATHANASIUS, Monaſterii Prælatus, Religioſis ſuis, ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* reſervata ſibi hujus abſolutione, prohibuit, ne quædam admitterent peccata, quæ inter ea non annumerantur quæ Prælato regulari reſervata declarat Clemens VIII. Ipſius Religioſi huic prohibitioni conſentire nolunt, quod eam uti ſummi hujuſce Pontificis Bullæ adverſam habeant. Contra Athanaſius contendit, in eo ſe jure uti, quod legitime ſibi vindicat ſola ſua Superioris dignitas, neque jus illud Clementis VIII. Conſtitutioni ullatenus derogare, cum in ea de ſola peccatorum quæ determinat, reſervatione, non vero de reſervatione cenſuræ plane diverſa loquatur Pontifex. Nonne pro Athanaſio ſtat jus?

RESPONSIO.

Jus illud, ex opinione quorumdam Auctorum (e), tali Superiori competit; nec ob eam quæ affertur in propoſita ſpecie, rationem Clementis VIII. Conſtitutioni derogat. Probabilius tamen eſt, & hæc ultima ſolummodo tenenda eſt ſententia, jus illud tali Superiori non convenire, eoque ipſum utentem Decreto & intentioni Clementis VIII. contradicere. Licet enim inter cenſuram & peccatum magnum intercedat diſcrimen, & unius reſervatio ab alterius reſervatione diſcrepet; Superior tamen ille, retenta ſibi directe abſolutione a cenſura, indirecte quoque abſolutionem a peccato cui annexa eſt, ſibi reſervavit: cum poſt ſolutam tantum excommunicationem peccatum etiam poſſit remitti. Unde ſequitur Prælatum illum ſuo effectu fruſtrare Decretum Clementis VIII. ſuos omnes cogendo Religioſos ad confitendum ſibi ea, quæ voluerit peccata; ſub prætextu cenſuræ iis annexæ: quod directe ſummi Pontificis intentioni opponitur, qui pauca tantum regulari Superiori voluit eſſe delicta reſervata, ut multorum indulgeret Religioſorum infirmitati, qui non niſi ægre, Prælatis ſuis pravum conſcientiæ ſuæ habitum aperire, poſſunt adduci. Ita Sylvius (f) in una ex ſuis Deciſionibus 25. Julii an. 1639. Unde ſic concludit doctus ille Theologus: *Veriſimilius exiſtimo*, inquit, *Superiorem de quo quæritur, ſi ſola ſua auctoritate, ſine Capituli Provincialis conſenſu prohibeat, ſicut proponitur, agere contra Decretum Clementis VIII. Atque ita ſentit & luculenter explicat* Sanchez (g).

(e) Suarez tom. 4. in 3. part. ſum. d. Th. diſp. 49. ſect. 3.

(f) Sylv. reſolut. var. v. *Caſus reſervatus*. 2. tom. 5.

(g) Sanchez l. 6. in Decalog. c. 1. n. 16.

CASUS XXXIII.

HUMBERTUS, Ordinis Reformati Religioſus poſtulat, utrum poſſit abſolvi de mortali, ab Epiſcopo quidem Diœceſano, ſed non a Superioribus ſuis reſervato, a Religioſo, qui ordinarius eſt Monaſterii Confeſſarius, quamvis facultatem non habeat abſolvendi de peccatis Epiſcopo reſervatis?

RESPONSIO.

Religioſus, qui a Prælato ſuo ordinarius Monaſterii Confeſſarius conſtitutus eſt, valide & licite Humbertum in caſu propoſito abſolvere poteſt; quia in ſua reſervatione perſonas religioſas utriuſque ſexus complecti non intendit Epiſcopus Diœceſanus; cum jus illud Prælatis regularibus concedatur ex Decreto Clementis VIII. 26. Maii ann. 1593. in quo ſpeciatim enumerat hic Papa, quos caſus ſibi poſſint reſervare & non alios, uti diximus in reſponſione ad trigeſimam difficultatem, in qua Decreti verba retulimus.

Advertere neceſſe eſt occaſione præſentis quæſtionis, regularem Monaſterii Pœnitentiarium vi conſtitutionis Clementis VIII. ſæculares perſonas a caſibus Epiſcopo reſervatis non poſſe abſolvere ob defectum juriſdictionis ſuæ, quæ in ſolas regulares perſonas extenditur: idque certum eſt, etſi religioſus ille ex privilegio Papæ de omnibus ſanctæ Sedi reſervatis poſſet abſolvere; ex hoc enim privilegio nondum de peccatis aut cenſuris Epiſcopo reſervatis poſſet abſolvere: *Habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus, Sedi Apoſtolicæ reſervatis, poſſe abſolvere, hac conſtitutione decernimus ac declaramus*. Hæc ſunt verba Clementis X. (h), & quidem, ſi Religioſis omnibus, qui talia habent privilegia, idipſum quoque liceret, inutilis fieret in eam rem Epiſcoporum poteſtas.

(h) Clem. X. in Bulla *Superna*. an. 1670.

CASUS XXXIV.

DOMITIUS cum Blæſilla ſorore uxoris ſuæ, dormiente, copulam habuit. At vero ante ſeminis emiſſionem ab ea ſe retraxit, & extra vas debitum ſemen effudit. Quæritur 1. an peccatum iſtud ſit reſervatum Epiſcopo, in cujus Diœceſi inceſtus intra ſecundum conſanguinitatis gradum eſt reſervatus? 2. An cum propria uxore ex tali copula contraxerit affinitatem; ita ut non poſſit ab illa ſine diſpenſatione conjugale debitum exigere?

RESPONSIO.

1. Dicendum eſt, hujuſmodi peccatum non eſſe reſervatum: quia juxta Bonifacii VII. regulam, *odia reſtringi, & favores convenit ampliari* (i). Omnis autem reſervatio odioſa eſt: unde extendi non debet ultra proprium verborum, quibus fit, ſenſum. Cum igitur Domitius non peccaverit cum conſanguinea, ſed cum affine, illius peccatum cenſeri non debet reſervatum.

(i) Reg. 15. de reg. juris in 6.

2. Nullam etiam cum uxore affinitatem ex tali copula, utpote incompleta, contraxiſſe certum eſt. Ut enim docet Angelicus Doctor (k), numquam oritur affinitas ex concubitu carnali, niſi adfuerit ſeminum commixtio, fueritque copula completa & ad generandum idonea, qualis profecto ea non fuit, quam cum Blæſilla habuit Domitius, cum intra vas debitum ſemen non emiſerit. *Quantumcumque aliquis clauſtra pudoris invadat, vel frangat*, inquit D. Thomas; *niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur ex hoc affinitas*.

(k) S. Th. in 4. diſt. 41. q. 1. art. 1. quæſt. 4. ad 2.

CASUS XXXV.

Cum ECCLESIÆ Cathedralis Spirenſis Capitulum ex communi cum Epiſcopo titulo, Canonicos ſuos jure poſſit ſuſpendere & excommunicare; hoc etiam jam dudum ſibi jus arrogavit, ut a caſibus

Q Epi-

Epiſcopo reſervatis, cenſuriſque jure latis abſolveret, ideoque poteſtatem hanc Pœnitentiario a ſe commiſſo demandaret. Quæritur, utrum uſus ille Capituli perantiquus ſit legitimus; & valide ſint à Pœnitentiario illius collatæ abſolutiones?

RESPONS.

Poteſtas, qua Capitulum ex communi ſibi cum Epiſcopo titulo Canonicos ſuos ſuſpendere & excommunicare poteſt juata conceſſionem priorum Epiſcoporum ab Epiſcopo præſenti approbatam, pro certo eſt legitima; cum Epiſcopus Capitulo ſuo poteſtatem ſuam valeat communicare ex hac Innocentii III. regula (a): *Cum quilibet ad renuntiandum juri ſuo liberam habeat facultatem*: quod etiam legi civili congruit (b): *Cum alia ſit regula juris antiqui*, ait Lea, *omnes licentiam habere his quæ pro ſe introducta ſunt, renuntiare.*

(a) Innoc. III. in Cap. *Ex confecuta*. 9. de crimine falſi L. 5. tit. 21.

Idem vero dici nequit de inducto uſu, quo Capitulum propria auctoritate & abſque conſenſu Epiſcopi Pœnitentiarium inſtituit, qui a caſibus reſervatis & cenſuris jure latis poſſit abſolvere: privatum namque privilegium, quale eſt illud Capituli, cum ſit res odioſa, ultra ſuos terminos eorumque ſenſum nequit extendi, ſed potius limitari debet juata iſtam Bonifacii VIII. regulam (c): *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*; quæ convenit Decretali Alexandri III. ad Epiſcopum Ambianenſem, in qua de Templariis loquens ait (d): *Sic enim eos volumus, privilegiorum ſuorum ſervare tenorem, quod eorum metas tranſgredi minime videantur*. Cui etiam conſentiunt leges Romanæ (e).

(b) L. *Si quis* 29. Cod. de pactis. L. 2. tit. 3.

(c) Reg. 15 de reg. juris in 6.

(d) Alex. III. in Cap. *Porro*. 7. de privileg. & excesſio. privilegiatorum. L. 5. tit. 33.

Ac fruſtra quis objiciet antiquum Capituli uſum; cum ex immemoriali etiam tempore, legitimus non fieret, utpote abſque priorum Epiſcoporum conſenſu inductus. Etenim *Conſuetudo*, ut ait Innocentius III. (f) *quæ canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti*; immo tollenda eſt, uti Eccleſiaſticæ diſciplinæ contraria, ut loquitur idem ſummus Pontifex in Decretali ad Epiſcopum & Capitulum Eccleſiæ Cenomanenſis (g). Ex antiquitate ſua injuſtior ſit ergo uſus ille & magis damnandus, juxta hæc alterius ſummi Pontificis verba (h): *Diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget*. Uno verbo, talis uſus nihil aliud eſt, proprie loquendo, quam vetus abuſus, quippe qui veritate & juſtitia non fulciatur; *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt* (i). Unde colligimus, abſolutiones ab illo ſuppoſito Spirenſis Capituli Pœnitentiario collatas nec validas eſſe, nec licitas.

(e) L. *Quæ ex relationibus*. 2. & Leg. *Leges*. 3. Cod. de Legibus & L. tit. 14.

(f) Innoc. III. in Cap. *Ad noſtram*. 3. de conſuetud. L. 2. tit. 4.

(g) Idem in Cap. *Cum inter*: 5. eod. tit.

(h) Alex. III. in Conc. Turon. an. 1163. in Cap. *Non ſatis*. 8. de ſimonia, &c. L. 5. tit. 3.

(i) S. Cypr. Ep. ad Pompejum 74. ſecundum edit. Pamelii, & Dodwel.

CASUS XXXVI.

Facta olim toti Aſturgenſis Eccleſiæ Capitulo a Raymundo Epiſcopo facultate ex privilegio abſolvendi a caſibus reſervatis; Cyriacus ejus Decanus & Parochus vi tituli ſui & dignitatis eam ſe poſſe exercere poteſtatem contendit, abſque ſpeciali Capituli mandato; at contrarium propugnatur a Capitulo. Numquid merito Jus illud Decano conteſtatur?

RESPONS.

Capitulum juſta de cauſſa de jure illo cum Decano contendit, niſi ex privilegio expreſſe conſtet, Decanum propria ſua auctoritate poteſtatem hanc exercere poſſe: omne namque privilegium rigoroſe caponi debet; neque contra proprium verborum ejus ſenſum, neque ultra eſt interpretandum, ut patet ex dictis in reſponſione ad præcedentem difficultatem. Atqui magnum intercedit diſcrimen inter Capitulum, ejuſque Decanum; cum Capitulo ſtet tota communitas; Decanus vero ſit illius membrum; & quod communitati conceditur, id totum cuilibet ejus ſigillatim membro conceſſum dici nequeat. Unde ſequitur, neque Decanum Aſturgenſem, aut alium quemlibet, poteſtatem hanc exercere poſſe, niſi de mandato totius Capituli. Ita ſentit inclytus ultimi ſæculi Theologus (K).

(k) De Sainte Beuve. Tom. III. Caſ. 5.

CASUS XXXVII.

Eustadius, Sacerdos approbatus, a Benedicto S. Bertini Parocho, Vicarius admittitur; ea tamen conditione, ut Parochianos ſuos non abſolvat, qui pomeridiano dominicorum feſtorumque dierum tempore in popinis manſiſſe ſeſe io confeſſione accuſabunt, ſed eos ad ſe remittat. Num Euſtadius hanc tenetur ſequi reſervationem, eamque Benedictus, uti Parochus, facere poteſt?

RESPONS.

Sylvius (l) Majoris auctoritate (m) nixus iſtam Parochis convenire facultatem probabile eſſe aſſerit. *Major*, inquit, *dicta quæſtione quinta, affirmat, nec improbabiliter*. Cujus rei hanc affert rationem: *Habent enim*, inquit, *juriſdictionem ordinariam in foro interno, eamque delegant ſuis Capellanis; qui non pariter idonei ſunt de quibuſvis caſibus judicare.*

(l) Franciſc. Sylv. in Suppl. S. Th. q. 20. art. 2. quæſito 2.

(m) Joan. Major. in 4. diſt. 17. q. 5.

Certum quidem eſt, regulariter loquendo, caſuum reſervationem ad ſolum Papam, & Epiſcopos aut Prælatos, non vero ad Parochos ſpectare, ut evidenter ex Tridentini Concilii verbis conſtat (n): ſed, ſi Euſtadium ad confeſſionem ſolummodo admiſerit Epiſcopus cum hac clauſula: *de conſenſu Parochorum*; cum ad audiendas confeſſiones in ſua Eccleſia eum, niſi velit, teneatur admittere Benedictus, id quoque ſibi juris vindicare poſſe videtur, ut eum, oiſi ſub certis conditionibus, qualis eſt iſta propoſiti caſus, admittat, quam proinde adimplere tenetur Euſtadius: quia tamen extraordinaria, utpote inuſitata videretur hæc reſervatio; & Parochianorum animos irritare, eoſque in ſuum Paſtorem male poſſet efficere, eam facere non debet ſapiens Parochus, niſi permittente Epiſcopo ſuo, ut ait Bailius (o) & gravibus de cauſſis, eamque penitus omittere majoris eſt prudentiæ. Hoc igitur unum ſibi ſufficiat, ut Vicario ſuo accuratam conſiliorum ſuorum exſecutionem commendet, & recordetur illius Pauli, licet Apoſtoli, moniti (p): *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*. Et quidem ſuæ neceſſe eſt parcat auctoritati ſapiens Paſtor; niſi totam poſtulet gravis & urgens neceſſitas, cum ſibi non fuerit collata, niſi, ut ait idem Apoſtolus, (q): *In ædificationem & non in deſtructionem.*

(n) Conc. Tr. Seſſ. 14. de Sacrament. pœnit. c. 7. & Can. 11.

(o) Bail. de exam. Confeſſar. 1. p. q. 32.

(p) 1. Cor. 9. 12.

(q) 2. Cor. 10. 8.

CASUS XXXVIII.

Quoddam eſt in Galliæ Provincia Monialium Cœnobium, ab Epiſcopi Superiorumque Regularium juriſdictione exemtum, quod immediate a Sede Apoſtolica dependet, cuique non præeſt Epiſcopus quoad regimen ſpirituale, niſi vi pontificiæ delegationis, qua religioſis illis in Confeſſarios ſæculares committi.

Contendunt iſtæ Religioſæ, quod nullis ſubjacent neque ab Epiſcopo, neque a Prælatus ſui ordinis caſibus reſervatis; quippe quæ a ſolo ſummo Pontifice pendeant: Vult contra Diœceſanus Epiſcopus, eis caſibus quibuſdam a ſe reſervatis ſubmitti. Qua de re quæritur, pro quo potiſſimum ſtet jus, an pro Religioſis, an vero pro Epiſcopo?

RESPONS.

Ad ſolutionem hujuſce difficultatis, tamquam regula certa tenendum, quorumdam caſuum reſervationem in eo poſitam eſſe, quod Superior cujus eſt fori interioris juriſdictio, ab iis abſolvendi Confeſſario facultatem non concedit, quam ſibi ſoli retinet (r): quo ſuppoſito dicimus, Moniales de quibus in caſu propoſito agitur, reſervationi caſuum ſubjacere ab Epiſcopo factæ, qui vi Pontificiæ delegationis ſuæ legitimus eſt earum Superior. Quocirca in hoc favere iis non poteſt ipſarum immunitas; cum poteſtas Confeſſariorum ſuorum ab Epiſcopo pendeat, quam ipſos approbando pro arbitrio ſuo reſtringere poteſt. Ita Sylvius in reſponſione ad ſimilem caſum 18. Julii an. 1620. (ſ) Hæc ſunt ejus verba: *Quamvis enim ſint exemtæ, neque ſubjaceant Epiſcopo vel Regularibus: earum tamen Confeſſarii Epiſcopo loci ſubjiciuntur, ſaltem quantum ad hoc, ut approbentur ad confeſſiones audiendas, & ut juriſdictionem ad abſolvendum accipiant*. Unde ſic concludit: *Si ergo Epiſcopus Confeſſarium eis det, ſive ſi Confeſſarius a Monialibus forſitan electus approbationem & juriſdictionem accipiat ab Epiſcopo; ita ut Epiſcopus non det Confeſſario majorem poteſtatem, quam impartitur reliquis Confeſſariis; iſte Confeſſarius non poterit a reſervatis abſolvere.*

(r) Suppl.am. 3. par. S. Th. 3. 20. art. 2.

(ſ) Franciſc. Sylvius. reſolut. var. v. *Caſus reſervatus*.

Vide { Absolutio. Approbatio. Confessarius. Confessio. }

CAU-

CAUPO ET CAUPONA.

CAUPONA eſt locus excipiendis viatoribus & peregrinis, ad cibum potumque, & quandoque ad ſomnum deſtinatus: quique talem locum ſeu domum occupat, dicitur *Caupo*, ſeu *Stabularius*.

Quatuor ſunt diverſi in jure Romano tituli, in quibus agitur de Cauponibus, ſeu Stabulariis, eorum officiis, atque obligationibus, quas erga communitatem contrahunt.

Obligationes illæ quinque numero recenſentur.

Prima eſt ſibi commiſſas res fideliter reſtituere, & domino præſtare.

Secunda: neminem ad menſam durante officio divino admittere (*a*).

Tertia: non diutius una nocte domi ſuæ homines ſine pignore, ſine lare retinere, indicta etiam remorum pœna ex Edicto Aurelianenſi (*b*).

Quarta: nullum poſſe acquiſitionis contractum facere de iis, quæ non numerata pecunia ſuppeditarunt, pane, vino, aliiſve obſoniis; relicto ipſis onere ſolutionem eorum alia via ſibi procurandi (*c*).

Quinta: Icthyocollam ſeu gluten cetoſum, aliave medicamenta vino non poſſe immiſcere (*d*).

Quandoquidem Caupona locus eſt, in quo perditi ſæpe verſantur homines, Clericis omnibus eſt interdicta ſub pœna quidem ſuſpenſionis, in omnibus ferme Diœceſibus, iis tamen exceptis qui iter faciunt.

Caupones, generaliter loquendo, quidquam tuta conſcientia peragere nequeunt in ſua arte, quod bonos mores offendat, reguliſve Eccleſiæ adverſetur.

Denique vinum aut cetera ad vitam neceſſaria cariori pretio viatoribus, quam incolis ſuis vendere nequeunt.

(*a*) Arreſtum ſanctioris Conſilii 3. Dec. an. 1583.

(*b*) Edictum Aurelia, art. 25. & 30.

(*c*) Edictum Molinaeum. art. 2. Edictum Bleſenſe art. 40. Arreſtum 17. Decemb. 1584.

(*d*) Arreſtum ſupremi Conſilii 21. Aug. 1671.

CASUS PRIMUS.

MARIUM Cauponem, ſeu Obſonatorem, qui hoſpites ſuos quos jejunio teneri norat, quadrageſima excepit ad cœnam, Paſchali tempore abſolvere noluit Confeſſarius; niſi promitteret ſe deinceps cœnam eſſa recuſaturum iis omnibus, quos ad jejunium per ætatem corporiſque valetudinem cognoſceret obligari. Cui Marius, ut tale onus deprecaretur, reſpondit: 1. Se non exiſtimare, quod ſub conſcientia teneretur ad requirendum a quolibet hoſpite ſuo, utrum jejunii lege eſſet obſtrictus, & quod domum habens omnibus tranſeuntibus per viam, eorum ſe injuriis aut etiam verberibus objiceret, aut eos ad iram aut perjuria induceret. 2. Se non eſſe alienæ conſcientiæ moderatorem ac rectorem. 3. Fieri poſſe, ut in cœtu quatuor hoſpitum, unus tantum jejunio teneretur; quocirca tres alios ad cœnam excipiens, quartum hunc ab eorum cœtu excludere non poterat. 4. Denique eam agendi rationem adeo rigoroſam & incommodam a ceteris non præſcribi Confeſſariis. Qua de re quæritur, quocum ſtet ratio, an cum Mario, ejuſve Confeſſario?

RESPONS.

Marii Confeſſarius jus bonum dicit: cum enim his nepotibus ac perditis hominibus popina ſit proxima peccati occaſio; eos ad lautam, & apparatam menſam excipere nequit Caupo ille contra Eccleſiæ vetitum, quos jejunii lege tenere cognovit; alioquin ad eorum peccatum re ipſa conferret, ſicque ejus fieret particeps.

Quod pertinet ad rationes a Mario allatas, eas nullius eſſe momenti, & primam in primis, reſpondemus. Licet enim non teneatur a quolibet requirere, num per ætatem vireſque corporis ad jejunium obligetur, cœnam tamen recuſare debet, cum novit, eum qui jam pranſit, ad jejunium obligari; cum aliter ejus fieret particeps peccati, juxta illud S. Pauli (*e*): *Digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Quando vero aut ſua cauſſatur convicia, aut aliorum juramenta; reſpondendum, cum quiſque rei ſuæ ſit dominus, nec eam, ſi nolit, dare aut vendere cogatur; conviciis aut verberibus locum non eſſe futurum, ſi forſan vendere nolit. Quod ſi quis præceps in iram factis rem aggrediatur, eo facilius vim ejus repellere poteſt, quia cum domi ſuæ ſit, paratam habet in eam rem ſuorum opem, nec non politiæ publicæ magiſtratuum auctoritatem. Quod ſi verbis dumtaxat male excipiatur, patienter ea toleranda ſunt convicia propter Chriſtum, cujus hæc ſunt in Evangelico promiſſa (*f*): *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter Juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* De ira vero ac perjuriis quibus repulſa ſua occaſionem præbebit, eorum coram Deo reus non eſt futurus; cum talis repulſa æquitate & debito Eccleſiæ obſequio nitatur.

(*e*) Rom. 1. 32.

(*f*) Matth. 5. 4. & 10.

Altera Marii ratio, generatim conſiderata, non eſt vera: exigit enim caritas in Deum vel proximum, ut quiſque, quantum in ſe eſt, peccatum impediat. Amor in Deum ejuſque gloriam omnes ad id impellit, & ſtudio ſalutis proximi quiſque tenetur evitare, ne ipſi ſit occaſio ſcandali, ſed potius bonum ejus ſpirituale pro viribus procuret; juxta illud Sapientis præceptum (*g*): *Mandavit* (Deus)... *unicuique de proximo ſuo.*

(*g*) Eccli. 1. 17.

Tertia Marii ratio non adeo eſt intricata, ut re ipſa prima fronte videtur. Enimvero, ſi in facta ſuppoſitione quartum convivam ab aliorum cœtu excludere non poſſit Caupo ille, omnibus ſaltem menſam opiparam poteſt denegare; ne occaſione ſui, quartus ille jejunii præceptum frangat.

Denique fallitur Marius, dum ceteris Confeſſariis praxim adeo rigoroſam denegat. Certum eſt enim, quod qui ſuo funguntur officio, non aliter agant: & ſi quis hac in re ſit remiſſior, nullo ſequente, ipſe ſolus ibit, quandoquidem ipſius exemplum ſanæ morali non ſit conſentaneum.

CASUS II.

FLORENTIUS, Caupo, in pago S. Portioni vinum & cibaria dominicis feſtiſque diebus per horas ſervitii divini miniſtrat, non ſolum advenis & viatoribus, ſed etiam loci incolis; qua de re ſcrupulum ipſi injecit Parochus illius. Sed quia illud nec Epiſcopi Diœceſani conſtitutione, nec politiæ Judicis ſtatuto fuit vetitum; non idcirco commercium

ſuum lotermiſit. Unde quærit, utrum deinceps illud, ut antea, abſque peccato coutinuare poſſit?

R a s p o n s.

Certum eſt, Frobertum domi ſuæ vinum & cibaria loci incolis per horas divini ſervitii miniſtrare non poſſe, niſi iofractis Eccleſiæ legibus, quæ ut declarat & ſolide probat Senonenſe Concilium an. 1528. (a) leges condere poteſt, quæ fideles ſub pœna, etiam mortalis peccati obligent. Etenim, licet de novo Diœceſaous Epiſcopus non prohibuerit tabernariis, ne vinum per horas divini ſervitii præberent dominicis feſtiſque diebus; non minus idcireo ſacros illos dies violat, aliiſque occaſionem ſoppeditat tranſgrediendi leges Eccleſiæ, quas a quolibet Epiſcopo renovari non neceſſe eſt.

(a) Conc. Senonen. in præfat. de Decret. de fide.

In celeberrimis Provincialibus Conciliis & Syoodis Eccleſiarum Galliæ, ſtricte vetitum fuit tabernariis illud commercium. Statuit Rothomageoſe Concilium an. 1581. & a Gregorio XIII. adprobatum (b), ut Parochi *in prono pro excommunicatis denuntient, qui poſt admonitionem auſi fuerint dominicis & feſtivis diebus, tempore ſervitii parœcianos in domum ſuam ad potandum, ludendum, aut aliud non neceſſarium agendum recipere.* Sub pœna excommonicationis eamdem rem prohibet Turonenſe Concilium an. 1583. & ab eodem Pontifice coofirmatum his verbis (c): *In hoſpitiis ſeu cauponis*, inqoit, *aliis quam peregrinis, cibaria & vinum miniſtrari.. maxime, dum ſacra conficiuntur laudeſque Deo decantantur.... ſub anathematis pœna prohibet hæc ſancta Synodus.* Qua de re obſervandum, Anathematis pœnam non oiſi pro mortali infligi poſſe; ot declarat Meldenſe Coocilium an. 845. quod in Decreto Gratiani refertur (d). Synodus Senonenſis an. 1524. ſic dicit: *Prohibeant Eccleſiarum Rectores hoſpitolibus & tabernariis, ne recipiant in parochiali loco domicilium habentes in ſuis tabernis, neque eis præbeant vinum, panem aut quidquam aliud diebus dominicis & aliis feſtis Eccleſiæ, tempore divini ſervitii: ac ipſis parochianis prohibeant, ne prædicto tempore tabernas frequentent.* Pariſienſe an. 1557. ſic habet; *Interdicimus nominatim œnopolis, cupediariis & id genus aliis, qui vinum, panem, eſculenta & poculenta in publicum vendere ſolent, ne quanto tempore peraguntur divina in Eccleſiis, ſuas tabernas aperiant, epulas vendituri.* Idem antea prohibuerat Carnutenſe an. 1526. his terminis. *Tabernariis durante Miſſa Parochiali & veſperis dominico die ceſſent a venditionibus, niſi ex cauſſa neceſſaria, & pro viatoribus tranſeuntibus.* Sed omnia ejuſmodi decreta referre foret infinitum.

(b) Conc. Rothomag. tit. de Curatorum & aliorum Presbyterorum ac Parœcianorum officiis, §. 8.

(c) Conc. Turonenſe. tit. de feſtorum cultu. &c.

(d) Concil. Meldenſ. cap. 56. in Can. *Nemo*. 41. 1. q. 3.

Eccleſiaſticas ea de re leges pie amplexi ſunt, & auctoritate ſua munierunt Galliæ Reges, ut in primis patet ex Edicto Aorelianenſi menſe Junio an. 1560. in quo ſic loquitur Carolus IX. (e): „ Prohibemus quoque cauponibus omoibus, tabernariis ac pilorum ludi magiſtris, per dictas horas divinii ſervitii, apud ſe quemquam, qoacomque is ſit qoalitate, recipere, & omnibos incolis urbium, oppidorum & pagorum, iis etiam qui uxorem habent & domicilium, in tabernis ſeu cauponis bibere aut manducare; & dictis tabernariis & cauponibus, eos admittere ſub pœna mulctæ arbitrariæ pro prima vice, & incarcerationis pro ſecunda. Injungimus omnibus Judicibus, ne permittaot ullo modo contra ſupra dicta fieri ſub pœna ſuſpenſionis officiorum ſuorum & privationis eorumdem, ſi diu forte diſſimulent & conniveant. Quæ prohibitio ab Henrico III. jam facta eſt in Edicto Bleſenſi (f) menſe Majo an. 1579. Injongimus, inquit Rex ille, omnibus Jodicibus noſtris, ut curent & faciant ſtricte obſervari prohibitiones factas ex Edictis Bleſenſibus, tam quoad nundinas... diebus feſtis, quam quoad mimos, hiſtriones, caupones &c. ſub pœnis quæ in prædictis Edictis continentur.

(e) Edict. Aurel. art. 24.

(f) Edict. Bleſenſ. art. 38.

Ceterum ab initio reſponſionis noſtræ diximus, *loci ſui incolis*: nam certum eſt, cauponem viatoribus ac tranſeuntibus vinum ac cibaria qualibet hora poſſe miniſtrare; quippe qoi ea oon ſine juſta neceſſitare exigere cenſeantur. Unde Concilia, Synodi & regom Edicta quæ retulimus, taotummodo de incolis & domicilium habentibus loquuntur; cum viatores oominatim in Conciliis Turonenſi & Carnuteoſi excipiantur: *niſi ex cauſſa neceſſaria & pro viatoribus tranſeuntibus*. Si forte tamen loci incola cum viatore, quem iterum iovenire alio tempore vix poſſet, rem haberet: non peccaret incola ille cum viatore conveſcens; & ipſum domo ſua caupo in hoc caſo excludere noo teneretur: quod ſatis indicat iſta Synodi Carnotenſis exceptio: *niſi ex cauſſa neceſſaria*.

CASUS III.

Nonne peccat Fulgentius, caopo, quartam dans vini lagenam duobus hominibus, quos experientia novit inebriari, dum ultra tres lagenas hauſerint?

R e s p o n s.

Certum eſt, Folgentium graviter io caſu propoſito delinquere: cum nimio propriæ rei ſtudio, aot indigoo obſequio ductus, manifeſto confert ad peccatum ebrietatis, quod a duobus illis hominibus committitur, & cujos proinde conſenſu ſuo fit particeps, ut conſtat ex teſtimonio Apoſtoli ad primum caſum allato. Ita etiam S. Antoninus his verbis (g): *Tabernarii etiam, ſi perpendunt aliquos ex nimio vino ſumte inebriari, quod experti ſunt pluries, ut in ebrioſis, & non curant propter avaritiam, graviter peccant.*

(g) S. Anton. ſummo Theol. 2. part. t. 6. c. 3. §. 2.

CASUS IV.

Franciscus, caupo, incolis oppidi vini lagenam, quam pintam vulgo dicunt, ſex aſſibus, & carois libram quinque aſſibus; conſueto videlicet pretio, vendit: at adveois & viatoribus vini lagenam decem aſſibus, & reliquum pro rata vendit. Nonne in eo peccat contra juſtitiam? Videtur quod non. Nam 1. in qualibet Provincia & loco hic uſus apud caupones eſt receptiſſimus. 2. Quia vix ac ne vix quidem ſeque ſuoſque poſſet ſuſtentare ob tributa majora, quæ ſolvere tenetur præter ſolitum vectigal annuum. 3. Quia pari non tenetur habere loco advenas atque loci incolas, quibuſcum pleriſque cognationis aut amicitiæ vinculo conjungitur. Numquid a peccato ob iſtas rationes coram Deo eximitur?

R e s p o n s.

Regula generalis hæc eſt, rem non pluris quam valeat, vendi, aut miooris juſto ſuo pretio emi debere: quæ juſtitia erga quemlibet hominem religioſe ſervanda eſt ex his Scripturæ teſtimonis (h): *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera juſta, & æqua ſint pondera, juſtus modius, æquuſque ſextarius.* Et alibi (i): *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor. Pondus habebis juſtum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & averſatur omnem injuſtitiam.* Quocirca Franciſcus in caſo propoſito manifeſtam admittit injuſtitiam, a qua ob eas quas affert rationes, non eximitur.

(h) Levit. 19. 35. & 36.

(i) Deuter. 25. 13. & ſeqq.

Nam 1. conſuetudo injuſta quam ſola invexit cupiditas, eos oun excuſat, qui eam ſequuntur, quaotumcumque generalis ſit: eam oimirum legitioam ſolum efficiuot juſtitia & ratio: *Pravum uſum lex & ratio vincat*, ioquit Auctor antiquus (k). *Cedat conſuetudo veritati*, inquit S. Auguſtinus ſcribens contra Donatiſtas (l): *nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat: quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.*

(k) Iſidor. in Can. *Uſus*. diſt. 11.

(l) S. Aug. in Can. *Veritate*. 4. diſt. 8.

3. Franciſcus, ot tributa poſſit ſolvere, non ideo æquitatem in qua ſita eſt juſtitia, violare poteſt; eamque ſervare tenetur erga advenas, uti erga coocives, aucto videlicet uno vel altero aſſe pro utriuſque lageoæ vini carniumque libræ pretio, ſi aliter vitam ſuſtentare, & conditioni ſuæ aonexa ferre onera nequeat: cum certum ſit, quod pari advenas, atque loci incolas habere numero teneatur io iis quæ pertinent ad juſtitiam.

Hactenus dictis conſentit doctrina S. Thomæ (m), qui dicit, quod *Emtio & venditio videntur eſſe introducta pro communi utilitate utriuſque*, ſcilicet

(m) S. Th. 2. 2. q. 77. art. 1.

vendi-

venditoris & emtoris: neceſſe eſt igitur, ut inter rem venditam & pretium ejus reperiatur æqualitas, & communis ſit venditoris & emtoris utilitas: atqui deſtruitur æqualitas illa, ubi rei juſtum valorem excedit pretium ejus, aut rei valor ipſius pretium: nulla igitur tunc eſt æquitas in tali venditione & emtione, ut concludit S. Doctor: *Et ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, eſt ſecundum ſe injuſtum & illicitum.* Congruit etiam illa doctrina iſti antiqui Concilii Decreto, quod refert Decretalium ſumma (*a*): *Placuit, ut Presbyteri plebes ſuas admoneant, ut & ipſi hoſpitales ſint, & non carius vendant tranſeuntibus, quam in mercato vendere poſſunt. Alioquin ad Presbyterum* (*b*) *tranſeuntes hoc referant, ut illius juſſu eam humanitate ſibi vendant.*

(*a*) In Cap. *Placuit*. 1. de emtione & vendit. L. 3. tit. 17.

(*b*) Presbyterum, id eſt, *Epiſcopum*. Gloſſa in d. Cap. *Placuit*.

Ad majorem difficultatis hujuſce elucidationem juvat heic obſervare, duplex pretii genus eſſe diſtinguendum: primum eſt illud quod legitimum dicitur, id eſt, quod Principis auctoritate eſt determinatum, aut ab ejus Magiſtratu, quod prætergredi nefas eſt. *Pretium deſcribi poteſt*, inquit Sylvius (*c*), *quod vel a poteſtate publica eſt taxatum: vel communi hominum æſtimatione determinatum. Eſt autem inter hæc pretia diſcrimen. Nam quod per publicam poteſtatem eſt taxatum, conſiſtit in indiviſibili, eſtque ita juſtum, ut nec plus exigere, nec minus dare liceat.* Alterum pretium illud eſt, quod arbitrarium, naturale appellatur, & quod eſt *communi hominum æſtimatione determinatum*: in eoque a priori differt; *quod communi prudentum æſtimatione conſtitutum*, addit idem Doctor Duacenſis, *non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet quamdam latitudinem*: ut de eo loquitur S. Thomas (*d*), dum ait: *Juſtum pretium rerum non eſt punctualiter determinatum; ſed magis in quadam æſtimatione conſiſtit; ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem juſtitiæ. Unde*, inquit Sylvius (*e*), *hujus generis pretium diſtingui ſolet in rigidum, medium, & pium ſeu infimum.* Inter quæ notabile neceſſe eſt intercedere diſcrimen, ſeu diſtantiam: ut v. g. juxta hanc regulam; ſi vini, carniumque pretium in eo quem habitat caupo, de quo in præſenti caſu, loco publica auctoritate determinatum non eſſet; is paullo cariori pretio ea advenis, quam aliis vendere poſſet; modo tamen juſtum non excederet pretium, quod *rigidum* vocatur. Verum pro Franciſco inutilis eſt hæc diſtinctio, cum juſtum, illudque rigidum pretium excedat, cum a viatoribus ac tranſeuntibus, ferme dimidium plus exigat, quam a loci incolis.

(*c*) F. Sylv. in 2. 2. q. 77. a. 1. quæſito 2.

(*d*) S. Th. cit. q. 77. art. 1. ad 1.

(*e*) F. Sylv. cit. quæſito.

CASUS V.

Cajus, Aureliæ caupo & obſonator, ubi capo lepuſve toſti viginti aſſibus, ac lumbus vitellinus libris duabus venire communiter ſolent; caponem jam triginta aſſibus & lumbum vitellinum libris tribus vendit; quod in hanc urbem Rex cum omni ſuo comitatu atque ſolita cuſtodia advenerit. Numquid id ipſum poteſt tuta conſcientia?

Respons.

Exiſtimamus Cajum in hoc caſu de injuſtitia damnari non poſſe. Nam, ut emtorum defectu minuitur pretium mercium, uti ſolet evenire ad finem nundinarum, aut in publica ac juridica venditione; cum paucorum propria venduntur ſupellectilia: ita eorumdem pretium auget magnus emtorum numerus. Certum eſt enim, quod in his adjunctis, communi hominum æſtimatione, qua præſcribitur vulgo pretium rerum, publica auctoritate non determinatum, earum valor augetur, vel minuitur, ſi raro inveniantur. Atqui in caſu propoſito magnus eſt emtorum numerus; cum Rex ſine magno comitatu domeſticorum & aulicorum præter conſuetam cuſtodiam iter ſuſcipiat. Igitur annona tum fit carior; atque adeo caponis aut leporis pretium tertia parte tum augere poteſt Cajus (*f*).

(*f*) De Genet. Theol. Mor. Tract. 3. c. 2. quæſ. 2. Colloq. Condom. tom. 1. colloq. 8. ſect. 6.

CASUS VI.

Leandro, Catholico cauponi qui Genevæ habitat, turpem ea urbe expulſionem minatus eſt Magiſtratus Calviniſta; quod urbis hujus incolis carnes ad menſam parare nollet diebus Eccleſiæ præcepto vetitis; dum ceteri obſonatores, ne Catholicis quidem exceptis, tale quid non recuſarent. Numquid in eo caſu aliorum cauponum exemplum tuta ſequi poteſt conſcientia, in quo omnium rerum ſuarum agitur interitus.

Respons.

Certum eſt, quod Leander alios Genevæ obſonatores imitari non poteſt abſque peccato, edendas præbendo carnes petentibus, etiam Calviniſtis; his quibus ab Eccleſia prohibentur, diebus. Ratio eſt, quia ubicumque habitet Catholicus, ſeu adultus baptizatus, tenetur ſemper Eccleſiæ id prohibentis præcepto obedire, eique numquam licet ad alterius peccatum conferre. Quare ad id faciendum ex minis expulſionis ex urbe, aut ex damno quod pateretur, impelli non debet; eum namque, juxta hæc Principis Apoſtolorum verba (*g*): *Obedire oportet Deo*, nec non Eccleſiæ, *magis quam hominibus*: & hæc alia S. Pauli (*h*): *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Verum quidem eſt, quod Magiſtratui obtemperans, rei ſuæ temporali conſuleret; ſed, ut ait Chriſtus Dominus (*i*): *Quid..... prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Stare ergo firmus in repulſæ propoſito debet, & ire gaudens, ſi quam patiatur ob eam rem contumeliam; cum & vitam propriam abjicere tenentur, ubi de Chriſti ejuſque ſponſæ Eccleſiæ cauſa & gloria agitur.

(*g*) Act. 5. 29.

(*h*) Galat. 1. 10.

(*i*) Matth. 16. 26.

Hanc deciſionem confirmat iſtud etiam S. Thomæ principium (*k*): *Si qua ars eſt*, inquit Angelicus Doctor, *ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non poſſunt abſque peccato, ... artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occaſionem peccandi.* Unde facile concludi poteſt, Leandrum, cum hæreticis carnes ad menſam parare non poſſit, quin directe & efficaciter ad eorum crimen conferat: omnia potius detrimenta pati debere, quam alieni participem fieri delicti. Hinc non nos fugit, quoſdam Doctores qui contra ſenſerant, opinionis ſuæ pœnituiſſe, quam antiquiorem ſe Theologorum, & diuturniori rerum uſu expertorum conſilio publice retractarunt, & in melius emendaverunt.

(*k*) S. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4.

Vide { Stabularius. Clericus, Caſ. Hermannus 5. Suspensio. }

CELEBRARE.

Vide { Consecrare. Missa. Ordinas. }

CENSURÆ.

CUM de cenſuris ſpeciatim ſimus dicturi, de iis heic pauca tantum generatim attingemus.

Cenſura eſt pœna medicinalis, qua Eccleſia, vi poteſtatis ſibi a Chriſto collatæ, Chriſtianum gravis alicujus peccati reum bonis ſpiritualibus privat, quæ ceteris fidelibus communicat.

Dicimus, cenſuras eſſe *pœnas*; in quo differunt 1. ab irregularitate, quæ multis in caſibus in hominem innocentem cadit; cum is ſit cenſuræ finis, ut per eam puniatur delictum. 2. a ſimplici ceſſatione *a divinis*, cui etiam ſubjacent illi, qui a crimine ſunt innoxii, quod huic occaſionem præbuit.

Cenſuræ dicuntur *medicinales* * pœnæ; quia eo ſunt fine ſtatutæ, ut emendentur nocentes, qui ideo poſt ſinceram morum mutationem ab iis ſolvi debent; niſi forte cenſura ſit perpetua ſuſpenſio, aut ad quoddam determinatum tempus præfixa: in quo etiam cenſura differt a depoſitione, degradatione & irregularitate, quæ procedit a delicto.

Diximus etiam; *qua Eccleſia privat Chriſtianum*: ut oſtendatur, cenſura infidelibus ab Eccleſia non poſſe infligi, aut iis qui baptiſmo filii ejus & ſubditi non facti ſunt, quippe quæ nullam in iſtos obtineat juriſdictionem.

Tres ſunt diverſæ cenſurarum Eccleſiaſticarum ſpecies: ſcilicet, *Suſpenſio*, *Excommunicatio & Interdictum*.

Dividuntur cenſuræ in cenſuras jure latas, quæ idcirco *a jure*; & cenſuras a legitimo Superiore prolatas, quæ ideo *ab homine* dicuntur.

Priores Eccleſiaſticis legibus decernuntur contra reos gravium quorumdam delictorum aut ſcandalorum. Cenſuræ vero *ab homine* ſunt eæ, quas infligit legitimus Superior, quædam exprimens adjuncta ſingularia temporis, loci, actionis vel perſonæ; quæque ſuum non habent effectum, niſi in ordine ad factum de quo agitur; ſeu peccatum jam fuerit patratum, aut ſit patrandum contra factam prohibitionem ſub pœna cenſuræ incurrendæ *ipſo facto*. Cenſuræ *a jure* generales ſunt, & ad omnes pertinent qui peccatum cui annexæ ſunt admittant, idque quocumque tempore admittant: in quo diſcrepant a cenſuris *ab homine*, quæ deſinunt morte Superioris.

Cenſuræ *ab homine* dividuntur etiam in cenſuras *latæ ſententiæ*, & cenſuras *ſententiæ ferendæ*, ſeu comminatorias. Cenſuræ *latæ ſententiæ*, ſunt quas quis incurrit ſola admiſſione delicti cui annexæ ſunt: cum cenſuræ *ferendæ ſententiæ*, ſeu comminatoriæ, non incurrantur, niſi poſt declarationem ſeu ſententiam legitimi Superioris qui eas tulit. Explicabimus poſtea, quo pacto aliæ ab aliis poſſint ſecerni.

Sunt etiam cenſuræ juſtæ & injuſtæ; validæ aut invalidæ. Cenſuræ juſtæ & validæ illæ dicuntur, quas fert Superior conformiter ad legem, & in quibus formulas eſſentialiter requiſitas obſervavit.

Dicimus: formulas eſſentialiter requiſitas. Nam 1. formulæ, eſſentialiter requiſitæ jure naturali aut poſitivo, omiſſione, invalida fit & injuſta talis ſententia: quare juxta regulam hanc excommunicationis ſententiam valide ferre nequit Judex Eccleſiaſticus in hominem, qui non fuit citatus (*a*). Qua de re obſervandum obiter, quod ſi reus fraude aut vi impediret, ne ſibi fierent citatio & monitio; tum Judex Eccleſiæ valide ſententiam ferre poſſet, facta tamen prius inquiſitione de vi & fraude, & utraque juridice probata in convictionem contumaciæ (*b*).

(*a*) Innoc. III. in Cap. *Inter quatuor*. 8. de majorit. & obedient. L. 1. tit. 33.

(*b*) Alex. III. in Cap. *Cauſam*. 3. de dolo & contumacia. Lib. 2. tit. 14.

2 Quia ex omiſſione formularum quæ ſunt mere accidentariæ, fieri poteſt injuſta & illicita ſententia; ſed non invalida. Tales ſunt formulæ, quibus Judex adſtringitur 1. Ad ſententiam ſuam ſcripto redigendam. 2. Ad denuntiandam intra menſem ſententiam ſuam damnato. 3. Ad exprimendam latæ cenſuræ cauſam: quarum tamen conditionum omiſſione, invalida non fit, licet ſecundum formulas injuſta ſententia (*c*). Atque idem dicendum de ea, quam Judex ex odio in reum, aut alio quopiam motivo protuliſſet: quod alibi fuſius exponetur.

(*c*) Innoc. IV. in Cap. *Cum medicinalis*. de ſent. excom. in 6.

Superior, *ab ordine tantum* ſuſpenſus, cenſuras etiam ferendi jus obtinet; quia poteſtas illa eſt juriſdictionis, non ordinis (*d*): quod idem dici non poteſt, ſi

(*d*) Alex. II. in Can. *Audivimus*. 4. 24. q. 1.

foret

* Sæpe quidem cenſuræ non proſunt, immo nocent; ſed inde adverſus Eccleſiam clamitandi & deblaterandi occaſionem ſumat nemo: ſiquidem cenſuræ (quod maxime notandum eſt) per ſe, & in intentione Eccleſiæ, medicinales ſunt, quamvis per accidens in exſecutione quandoque noceant.

foret intruſus, & non canonice inſtitutus: tunc enim, uti poteſtate deſtitutus judiciaria cenſeri debet (*a*).

Denique ex cenſuris aliæ ſunt non reſervatæ, de quibus proinde in confeſſione abſolvere poteſt quilibet Confeſſarius (*b*). Aliæ vero ſunt ferenti, aut ejus ſucceſſori reſervatæ, de quibus adeo aut ipſe ſolus, aut ejus in eam rem Mandatarius valide poteſt abſolvere, exceptis caſibus quibuſdam, de quibus ſuo loco fiet ſermo.

Cenſuræ numquam infligi debent, niſi ob mortale delictum: cum enim cenſura ſit pœna gravis & publica, quæque reum maximis ſpiritualibus bonis privat; neceſſe eſt, ut inter delictum & pœnam juſta ſervetur æqualitas; quæ profecto non eſſet, ſi peccatum eſſet tantum veniale.

(*a*) Callixtus II. in Can. *Alienationes*. 17. 12. q. 2.

(*b*) S. Th. in 4 d. ſt. 18. q. 2. art. 5. Innoc. III. in Cap. *Nuper*. 29. de ſent. excommun. L. 5. tit. 39.

Cenſuræ infligi numquam poſſunt, niſi ob peccatum externum, quia ut declarat Tridentina Synodus, Eccleſia de internis non judicat Requiritur inſuper 1. Ut peccatum illud ſit graviſſimum & ſcandaloſum, aut in conſequentiis periculoſum. 2. Ut illud ſequatur, aut comitetur contumacia (*c*). Unde ex Canonibus exiguntur a Superiore monitiones: advertendum tamen, in eo præſumi contumaciam, qui factum aliquod a Superiore ſub pœna cenſuræ *ipſo facto* prohibitum peragit: cum pro monitione ſit iſta defenſio *.

(*c*) Concil. Meldenſ. in Can. *Nemo*. 41. 11. q. 3.

Intereſt etiam obſervare, quod ad excommunicationem peccatum debet eſſe perſonale; at ſuſpenſionem & interdictum ferri poſſe in corpus, aut communitatem integram, cum videlicet noxium eſt ejus aliquod membrum: tum enim in communitatem non fertur cenſura, niſi in odium & exſecrationem criminis a privato quopiam perpetrati.

Cenſuras ferre nequit ullus Superior Eccleſiaſticus, niſi contentioſam juriſdictionem, ſeu ordinariam ſeu delegatam habeat. Ratio eſt, quia cenſuræ non ad ſolam conſcientiam, ſed ad exteriorem Eccleſiæ ſpectant politiam, cujus adminiſtratio ad eos tantum pertinet, qui talem habent juriſdictionem: quales ſunt 1. Concilium œcumenicum & ſummus Pontifex in tota Eccleſia. 2. Epiſcopi in ſua tantum Diœceſi, eorumve Officiales, Vicarii generales, aut alii in eam rem ab ipſis Epiſcopis deputati. 3. Præpoſiti generale ordinum Religioſorum Provinciales; & alii Prælati majores pro Religioſis qui a ſe pendet. Nullus alius Superior ſæcularis aut regularis jure ferendi cenſuras potitur.

Eadem perſona iterum in eamdem poteſt incurrere cenſuram qua jam fuerat ligata, quoties peccata admiſerit quibus annexa eſt cenſura (*d*).

(*d*) S. Th. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 3.

Sententiæ qua fertur ſub conditione cenſura, effectum ſuſpendit interpoſita appellatio (*e*); quod idem dici nequit de ſententia abſoluta ac definitiva: nam modo ſit Judex competens, ob juſtam cauſſam morumque emendationem lata cenſura, tum appellatione, licet tempore quod jus præſcribit, interpoſita non ſuſpenditur ejus effectus.

(*e*) Cæleſtin. III. in Cap. *Præterea*. 40. de appellationibus Lib. 2. tit. 28.

Ignorantia invincibilis, ſive juris ſive facti; aut ignorantia quæ probabilis dicitur, hoc eſt, quæ ut explicat Bonifacius VIII. his terminis (*f*), *craſſa non fuerit aut affectata*, impedit, ne quis privatus cenſuram incurrat: quia ſuppoſita tali ignorantia, neque eſt in actione contemtus præcepti Eccleſiæ, neque pertinacia, cujus cenſura eſt pœna (*g*).

(*f*) Bonifac. VIII. in Cap. *Ut animarum*. 2. de Conſtitut. in 6. L. 1. tit. 2.

Impotentia adimplendi Eccleſiæ præceptum ſub cenſura impoſitum, impedit, ne incurratur; uti metus gravis & juſtus amittendi vitam, libertatem, honorem aut bona; quia tunc præſumi poteſt, Eccleſiam in talibus circumſtantiis ad leges ſuas adimplendas non obligare. Qui majorem poſtulabunt explicationem, tres inquirant titulos, in quibus ſpeciatim agitur de cenſuris, quæ ſunt *Suſpenſio*, *Interdictum* & *Excommunicatio*.

(*g*) Alex. III. in Cap. *Si vero*. 4. de ſent. excommunic.

Vide { Excommunicatio. Suspensio. Interdictum. }

* Notandem heic eſt quod notat CABASS. Lib. V, Cap. X. n. 18. *Quamquam*, inquit, *cenſuræ tam a jure quam ab homine dimanantes circa futurum aliquod delictum nullam exigant juris formam præter promulgationem ad hoc ut ſciri & obſervari poſſint*, & conſequenter prohibitio delicti ſufficienter promulgata locum præviæ monitionis teneat: attamen ut idem aſſerit CABASS. num. 23. ejuſdem capitis, citationis locum non tenet, *quando non agitur de nova infligenda cenſura: ſed de declarando quod aliquis in cenſuram, pridem vel a jure vel ab homine latam inciderit*.... *Non enim juſtum*, addit citatus Auctor, *habetur judicium, præſertim in cauſſa criminis aut pœnæ, niſi parte legitime citata, ut jus, ſi quod habeat, tueatur, ſuaſque proferat exceptiones, ſibique objecta refellat*, &c.

CENSUS

CENSUS.

CENSUS generatim ſumtus, definiente Polmano, eſt *penſio annua, ex re perſonave aliena perceptibilis* (*a*). *Penſionis* vero *annuæ* nomine intelligitur ſumma quædam pecuniæ, aut res quædam pretio æſtimabilis, quæ quolibet anno ſolvenda eſt illi, cui debitus eſt cenſus.

Cenſunm duplex eſt ſpecies. Prior eſt, *Cenſus domanialis* ſeu *prædialis*. Altera eſt, *Cenſus pecuniarius*.

Cenſus domanialis eſt penſio, aut quid aliud, hereditati in perpetuum annexum: adeo ut ſemper ſubſiſtat; quiſquis ejus fiat dominus.

Ratio hujuſmodi domanialem Cenſum conſtituendi uſitatior, eſt cenſualem facere contractum, quo proprietarius fundum aut domum alteri ea conditione transfert, ut ipſius proprietatem acquirendo, transferenti ſibi talem pecuniæ ſummam, talemve fructuum quantitatem quolibet anno ſolvat.

Eſt & alia prædialem cenſum conſtituendi ratio: v. gr. cum in hereditatis diviſione portiones ſunt inæquales; cenſus prædialis pinguiori portioni imponitur in favorem partis debilioris; item in permutatione duarum hereditatum reditus inæqualis.

Cenſus prædialis ſeu domanialis, a ſimplici Cenſu & Emphyteuſi differt. 1. Quod in Cenſu & Emphyteuſi retineatur quoddam dominium, quod *directum* appellatur. 2. Quia jura Cenſus & Emphyteuſis vulgo ſunt modica, ſi valoris hereditatum, & debitoris utilitatum ratio habeatur, eum fructum multo majorem producat cenſus prædialis. 3. Quod poſt determinatum tempus, quantumvis diuturnum, finiatur Emphyteuſis; prædiale vero domininm natura ſua ſit perpetuum.

Advertendum hic, omnem cenſum in prædio, quod transfert dominus, non ſemper eſſe prædialem. Certum eſt enim, quod ſi prædium ſub conditione penſionis annuæ transfert; penſio hæc prædialis eſt, nec ſedimibilis; niſi oblatam a poſſere prædii redemtionem acceptare velit dominus directus; aut ex contſactu pro tali ſumma ſtipulata fuerit ejus redemptio; quo ultimo caſu illud redimere poteſt poſſeſſor per triginta ſolum annos, eoque tempore elapſo in ipſum præſcribit ceſſor hereditatis ſuæ. At ſi prædium, ſeu hereditatem ſuam 10000. librarum vendat cum onere ſolvendi cenſus annui 500. lib. tum penſio illa non eſt prædialis, ſed ſimplex & pecuniaria, quæ adeo quolibet tempore redimi poteſt. Ratio eſt, quia in hoc caſu vera eſt venditio, cujus pretium in cenſum tranſtulere contrahentes; quod in aliis non evenit caſibus, in quibus venditio & emtio præciſe non fuere intenta; ſed ſolum cenſualis contractus, cujus pretium redemtionis ideo ſolum fuit præfixum, ut futuræ vitarentur difficultates ob iteratam datæ pecuniæ ſolutionem, quam dator in favorem accipientis utique acceptare non refugit. Quod ſi pro penſione pro tota hereditate, acceptor v. gr. dimidium ſolvat præſenti pecunia, & pro alia dimidia parte cenſualem conſtituat penſionem; cenſus ille tamen eſt prædialis, licet pars dimidia vendita fuerit.

Sunt & alia quædam hac de re obſervanda; at cum ex contractnnm tenore ſolvi poſſint, quæ inter partes emergunt difficultates, iſta in præſenti omittimus.

Tres jure competunt actiones ob cenſus prædiales. Prima eſt actio hypothecaria, in poſſeſſorem prædii ob debitam cenſus reliquationem.

Secunda eſt actio pure perſonalis in eum, qui jam prædii expers, tempore quo poſſidebat, cenſum non ſolvit.

Tertia eſt actio mixta, qua cogi poteſt detentor prædii ad novum contractum, ac cenſus ſolutionem, dum penes eum erit hereditas ſeu prædium. Has regulas præſcribit D. Argou, Pariſienſis Senatus Cauſſidicus in ſuis inſtructionibus Juris Gallici (*b*).

Contractus cenſuales ſunt ſpecies quædam venditionis, in qua ſoluta ab eo qui jus acquirit, ſumma, pretii locum obtinet, & rei venditæ locum jus exigendi reliquationem. Loco uſurarum ſuppoſiti ſunt, quas abſque fundi alienatione jure Romano ſtipulari licitum erat. Sed tandem a Martino V. ann. 1424. & Callixto III. an. 1455. (*c*) fuere approbati.

Tres ſunt neceſſario requiſitæ conditiones, ut legitimus ſit cenſualis contractus.

Prima: ut creditor cenſus in perpetuum præcipuam ejus ſortem abalienet, ita ut in nullo caſu eam repetere queat in debitorem.

(*a*) Polm. p. 2. t. 1. n. 557.

(*b*) L. 3. c. 25. & 30. pag. 241.

(*c*) Extravagant. *Regimini*. 2. de empt. & vendit.

Secun-

Secunda: ut lucrum cenſus, non illud ſuperet, quod a Principe fuit determinatum ex edicto debite in Parlamenti tabulas relato: alioqui ſumma redundans eſſet uſuraria. Unde ſequitur, ad ſolutionem cenſus certam quamdam exigi non poſſe fructuum quantitatem; quod valor eorum poſſet augere, & præfixum adeo ſuperare lucrum, quo uſuraria fieret ſumma redundans.

Tertia: ut creditori ſortem reddens, cenſus ſeu penſionis redimendæ jus perpetuum obtineat creditor.

Ex Edicto Ludovici XII. an. 1512. (a) Cenſuum reliqua a creditore non poſſunt exigi, niſi quinque annorum; niſi debitorem appellaverit creditor: reliquationes autem in favorem debitoris præſcribuntur, exceptis reliquis cenſus prædialis, quæ ad viginti novem annos prorogantur.

(a) Art. 71.

Cenſus prædialis, ex multis conſuetudinariis, bona immobilia cenſentur, ut in Pariſienſi; ſed mobilia habentur in multis aliis, ut in Burgundia, Bleſis, Remis, Trecis, Vitriaci, &c Mimatenſis autem conſuetudo (b) & Montis fortis (c) inter immobilia eos tantum cenſus recenſent, quorum fundus eſt ſpecialis hereditas. Inter mobilia habentur in omnibus Parlamentis Juris ſcripti, ex Declaratione Toloſani Parlamenti 5. Maii an. 1706. ſed inter immobilia numerantur in iis Provinciis Juris ſcripti, quæ Senatus Pariſienſis juriſdictioni ſubjacent ex Arreſto 16 Julii an. 1668. (d).

(b) Art. 51.

(c) Art. 53.

(d) Diarium fori Tom. V. L. 2. c. 20.

Ut hæc cenſuum dijudicetur ac diſtinguatur varietas; in quibuſdam Parlamentis, ut Normaniæ; debitoris domicilio annectuntur; in aliis vero, ut Pariſienſis, creditoris; etſi cenſus in Normania eſſent debiti, ut probant Arreſta, quæ referunt Brodeau (e), Dufrene (f), Bardetus (g) & Ricardus in conſuetudinem Sylvanectenſem (h).

(e) Brodeau in Louetum de Lit. R. Sum. 31. n. 5.

(f) Dufrene D'ar. fur. L. 1. c. 55.

(g) Bard. Tom. 1. L. 1. c. 92.

(h) Ricard. Conſuetud. Sylvan. art. 198.

CASUS PRIMUS.

(1) Simeon ex antiquo cenſu, olim conſtituto pro pretio unius denarii ad duodecim, cujus fundus eſt mille ducentarum librarum, annuum centum librarum reditum percipit: parem quoque a ſex menſibus collocavit eodem pretio. Qua de re quærit, utrum tuta conſcientia penſiones illas poſſit accipere?

Ratio dubitandi eſt, quia Rex ex declaratione ſua 22. Februarii an. 1665. cenſuum pretium determinavit ad unum pro viginti, majoremque exigi prohibuit denarium. Contendit tamen vir ille, quod antiquo cenſus ſui poteſt ſtare pretio; quia de conſtituendis, non vero jam conſtitutis loqui videtur hæc Declaratio: ſecundum quoque a paucis conſtitutum cenſus pretium exigere ſe poſſe exiſtimat, quia intra Normani Parlamenti juriſdictionis fines cenſum hunc collocavit, in quo nec verificata nec ad publicas tabulas relata eſt iſta Declaratio.

RESPONS.

Certum eſt, primum cenſum, olim conſtitutum pretio unius ad duodecim juxta edictum quod tum vigebat, eadem ratione exigere poſſe Simeonem etiamnum; quod in Delaratione an. 1655. de cenſibus in poſterum conſtituendis, non vero jam ante majori pretio conſtitutis fiat mentio. Quocirca ſi cenſus ille vi edicti, quo pro duodecim unus cenſori tribuebatur denarius, fuerit conſtitutus; hoc eſt, priuſquam ab Henrico IV. ad decimum-ſextum redigerentur; cenſor centum libras quolibet anno pro ſorte 1200. librarum exigere poteſt.

Idem dicimus de novo cenſu, quem a ſemeſtri ſpatio acquiſivit Simeon in Normania; ſi ibi re ipſa non vigeat regia Declaratio an. 1665. ſeu quod ad hujus Provinciæ Parlamentum non miſſa fuerit, aut etiam miſſa, ibi non perlecta & promulgata fuerit, ſeu quod etiam poſt ejus promulgationem ſuum non fuerit effectum ſortita; cum antiquum cenſus collocandi pretio unius pro duodecim morem retinuerint hujuſce juriſdictionis populi, tacente nimirum & id diſſimulante Rege.

Si tamen ultimus ille cenſus intra fines Parlamenti fuiſſet conſtitutus; ubi Declaratio hæc lecta, relata, & promulgata fuiſſet, & etiam de præſenti vigeret; idem de eo non foret dicendum: tum enim cenſus illius pretium dicto denario Simeon abſque uſura exigere non poſſet, cum quiſque, etiam in foro conſcientiæ, Principis legem debite promulgatam, & a tota aut majori parte communitatis admiſſam ſequi teneatur; ut alibi auctoritate S. Thomæ probatur (i).

(i) De Sainte Beuve. Tom. III. Caſ. 252.

CASUS II.

Cæcilius, habitis initæ cum Publio ſocietatis rationibus, 6000. librarum ipſi debitor eſt: quæ, cum præſenti nolit ſolvere pecunia, annua erga eum penſione 300. librarum ſe obſtringere promittit. Quæritur utrum oblatam a Cæcilio conditionem poſſit accipere Publius, non obſtantibus Martini V. & Calliſti III. Bullis, quibus prohibetur, ne aliter quam ſoluto præſenti pecunia ſortis pretio cenſus conſtituatur?

RESPONS.

Si pro habitarum rationum reliquis 6000. libras Publio debeat Cæcilius, modo partem hujus ſummæ lucrum ultra ſortem aut cenſus reliquatio non efficiant, oblatam a Cæcilio debitore ſuo conditionem acceptare poteſt Publius, annuæ videlicet 300. libr. penſionis cenſualis, pro actuali debitæ ſibi pecuniæ ſolutione.

Dicimus: *modo partem hujus ſummæ lucrum ultra ſortem, aut cenſus reliquatio non efficiant*. Cum enim ex Legibus ſit interdicta uſura uſuræ; tuta conſcientia, in exceſſu ſummæ ſibi debitæ, lucrum illud aut cenſus reliquationem non poſſet includere ut ex tali exceſſu & ſumma ſibi debita cenſum conſtituat: quocirca, ſi mille eſſent libræ, quæ aut ex lucro ultra ſortem, aut cenſus reliquationibus provenirent; 5000. tantum librarum contractum cenſualem Publius acceptare poſſet, qui ex qua poſſet ratione, mille librarum quæ ſuperſunt; ſolutionem aliunde a Cæcilio extorqueret.

Quod ad Bullas Martini V. aliorumque ſummorum Pontificum ſpectat (k), dici nequit, eas in foro conſcientiæ huic deciſioni non eſſe adverſas, cum a Cæcilio debita 6000. lib. loco ſint ſummæ æqualis, quam Publius ipſi, quaſi præſenti numeravit pecunia.

(k) Martin. V. in Cap *Regimini*. 2. de emtione & vendit. in extrav. Communibus die 6. Maii 1413. S. Pius V. in Bulla *Cum onus*. 79. de 22. Jan. 1569. Bullar. Magn. Com. 2. p. 275.

Huic deciſioni noſtræ ſuffragatur inclytus Canoniſta (l) qui ſic quæſtionem proponit; *Eſt tamen quæſtio quotidiana, & magni ponderis; an præſuppoſito, quod vendens cenſum debet emtori centum, antea ob aliquas cauſſas recepta, & poſtea recipit illa centum in partem pretii... an emens tuto in foro conſcientiæ poſſit percipere cenſum, ita conſtitutum & ſolitum?* Sic autem difficultatem propoſitam & ſolutam probat: *Et videtur quod ſic: tum quia vere coram Deo totum pretium ſolvit... tum quia lex fundata in præſumtione non habet locum in foro con-*

(l) Navarr. Com. 1. Comment. de uſuris n. 89. fol. 125. verſo Col. 2.

(1) Vid. *Manda Pontaſ.* Obſerv. IV. num. IX. Sed perlege ibid. Animadv. VI. Concin.

conſcientiæ, quando veritas eſt contraria ... At ig rigoe ſolvendi totum pretium in conſtitutione cenſus in pecunia videtur inductus a Pio ad præcludendam viam malis dolis & cautelis, quibus ementes cenſus male ſolvebant pretium in punuis & aliis mercibus, antea, vel tunc traditis, vel in pecunia numerota od ludendum, aut in alios fines vanos vel malos: & ita non videtur includere quoad forum conſcientiæ illos, qui bona fide utilius vel æque utilitee anticipaverunt ſolutionem totius, vel partis cenſus, ac ſi in ipſa conſtitutione ſolverent.

CASUS III.

Sergio, 55. annos nato 6000. librarum ſunt, in quibus ſita eſt omnis ejus fortuna: at ſi ex iis juxta edictum cenſum conſtituat, 300. tantum librarum penſionem annuam accipiet, quæ ad vitæ neceſſaria ſufficere nequit. Nebridio itaque propoſuit, qui eſt præſumtus hæres, ut vitalitiam cenſum ſibi faciat, ſoluto unius pro duodecim pretio. Nebridius acceptat propoſitum, & contrahit: ita ut pro 300. lib. quingentas recipiat Sergius. Numquid poteſt tuta conſcientia cenſum hunc recipere; & cenſus ille contrarius eſt juſtitiæ aut legi?

RESPONS.

Reſpondemus poſt doctum Theologum (*a*) contractum illum eſſe licitam, atque Serginm adeo abſque animi ſcrupulo viaticum poſſe exigere cenſum, quem conſtituit pretio unius pro duodecim. Certum quidem eſt. quod e 6000. libris cenſum accipit majorem, quam ex conſtitutione vulgo eſſet licitum: heic vero Sergius fundum transfert, ejuſque fructus percipit, tamquam cenſum vitalitium, qui ipſo decedente e vivis extinguetur. Quare ex hoc non quidquam in legem aut juſtitiam perpetrabit.

(*a*) De Sainte Beuve Tom. III. Caſ. 18.

Advertendum tamen, quod ut legitimus ſit ille contractus, neceſſe eſt, Nebridium eſſe habilem ad illum acceptandum, hoc eſt, a Principe non fuiſſe prohibitam privati hujuſmodi contractum acceptationem ſub pœna invaliditatis.

CASUS IV.

Yvo, in bonis ſuis cenſum 200. libr. collocavit in favorem Gabrielis pro ſumma 4000 libr. quem Gabriel pro Yvone mutuam accepit ab alio: ex contractu Yvonis ſolutionem 200. libr. anticipare tenetur Gabriel quolibet anno. Numquid vitioſa eſt hæc clauſula?

RESPONS.

Clauſula hæc pro certo vitioſa eſt, & a S. Pio V. in Bulla ſua 19. Januar. an. 1569. prohibita, in qua ſic loquitur (*b*): *Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus*, Ita ſentit Auctor Colloq. Petrocoræ (*c*).

(*b*) S. Pius V. in Bulla *Cum onus*. §. 1. Bullar. Magn. Tom. II. p. 275.

CASUS V.

Antonius Florenti 1000. lib. ſummam dat mutuam ſub iſtis conditionibus: 1. Ut in bonis ſuis annuum 50. lib. cenſum ſibi collocet Florens. 2. Ut cenſum hunc ſortis præcipuæ reſtitutione non poſſit redimere. Numquid illicitus eſt hic contractus?

(*c*) Colloq. Petrocor. Tom V. Colloq. 6. q. 5.

RESPONS.

Illicitus eſt profecto hic contractus, quia cenſus, qui eſt contractus, quo privatus quidam alteri privato quamdam dat pecuniæ ſummam, cum onere accipienti impoſito, ut in bonis ſuis conſtituat ſummum, quam danti quolibet anno ſolvere tenetur, duas neceſſario debet habere conditiones. Prima eſt: ut cenſus a venditore, quandocumque volet, redimi poſſit, acceptum ab emtore reddendo pretium, ut declarat Martinus V. in ſua conſtitutione ad tres Germaniæ Epiſcopos, & quæ in corpore Juris Canonici reperitur, cujus hæc ſunt verba (*d*): *Semper in ipſis contractibus, expreſſe ipſis venditoribus data fuit facultas atque gratia, quod ipſum annuum cenſum in toto vel in parte pro eadem ſumma denariorum, quam ab ipſis emtoribus receperunt, quandocumque vellent, libere abſque alicujus requiſitione, contradictione vel aſſenſu poſſent extinguere & redimere, aut ſe ab ipſius cenſus ſolutione ex tunc penitus liberare*. Secundu eſt, na venditor umquam ab emtore poſſit compelli ad reſtitutionem ſummæ pro cenſu perſolutæ, ut declarat idem Papa addens: *Sed ad hoc hujuſmodi cenſus venditores inviti nequaquam per emtores arctari, vel adſtringi valerent, etiam ipſis poſſeſſionibus & bonis obligatis penitus interemtis, ſeu deſtructis*: tum ſic concludit hic Papa: *Nos igitur ... comperimus contractus hujuſmodi juridicos, & juxta determinationem doctorum licitos fore*. Quod pariter declarat Calliſtus III. in conſtitutione ſua 6. Maii an. 1455. ad Epiſcopos Magdeburgenſem, Norimbergenſem, &c. (*e*) ex quo liquido apparet, quodnam ſit diſcrimen inter cenſum & mutuum: cum in contractu cenſuali re ipſa abalienetur ſumma ab emtore data, per veram emtionem partis bonorum venditoris, ut declaratur in laudato ſuperius Martini V. conſtitutione; at vero mutuans mutuam ſummam non ita alienat, ut illius recuperandæ ac præſtituto tempore repetendæ jus ſibi non retineat.

(*d*) Martin. V. in Cap. Regimini. 1. de empt. & vendit. L. 3. extravag. Com. tit. 5.

(*e*) Calliſtus III. in Cap. *Regimini*. ib. Item S. Pius V. in Bulla *Cum onus*. §. 10.

Atqui ſecunda hæc conditio deeſt in præſenti caſu, cum nequeat Florens venditum Antonio cenſum annuum redimere, acceptas ab eo 1000. libras ipſi reddendo (*f*).

(*f*) Colloq. Lucon. Tom. II. Colloq. 18. q. 1. Colloq. Petrocoren. To. V. Colloq. 6. q. 1.

CASUS VI.

Blandinus, qui domum cœperat ædificare, ad eam perficiendam a Landerico 8000. lib. mutua accepit, ac pro eis 400. lib. cenſum annuum & perpetuum ex contractu promiſit, e reditibus domus ad hanc ſummam deducendum; nulla ei neque ſpeciatim, neque generatim ceterorum bonorum ſuorum facta hypotheca. Triennio poſt ab hoſtilibus copiis quæ Provinciam vaſtarunt, domus incenſa eſt. Numquid ex aliis ſuis bonis cenſus Landerico debiti ſolutionem quam poſtulat, tenetur continuare Blandinus?

RESPONS.

Conſtat ex conſtitutionibus Martini V. & Calliſti III. in ſuperiori deciſione laudatis, Blandinum ſub reatu peccati non teneri ad ſolutionem annui cenſus 400. lib. erga Landericum continuandum in caſu propoſito; ſi in ea habitet regione, ubi vigeant illæ conſtitutiones: una namque ex conditionibus requiſita ex his Bullis eſt, ut ſi fortuito pereat annuæ penſionis fundus, & ipſe quoque cenſus deſinat: *Sed iidem ementes*, inquit Calliſtus III. *etiamſi bona, domus, terræ, agri, poſſeſſiones, & hereditates hujuſmodi proceſſu temporis ad omnimodæ deſtructionis, ſive deſolationis reducerentur opprobrium, pecuniam ipſam, etiam agendo, repetere non valerent*. Idem declarat Bulla S. Pii V. his verbis (*g*): *Cenſus omnes in futurum creandos, non ſolum re in totum, vel pro parte, peremta, aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad eatam perire*. Ita caſum hunc ſolvit Navarra, qui ſententiam ſuam ſic probat (*h*): *Cum res emta poſt traditionem emtori pereat & non venditori* (*i*).

(*g*) S. Pius V. in Bulla *Cum onus*. ſupra cit. §. 10.

(*h*) Navarr. Comment. de uſuris. n. 76. & 77.

Intereſt tamen advertere, quod diximus: *Si in ea habitet regione, ubi vigeant illæ conſtitutiones*; nam ambæ ſuperius laudatæ Bullæ in Gallia numquam fuere receptæ; nec ibi conſequenter vigent: quocirca ſi contractus cenſualis in favorem Landerici a Blandino factus, non ſpecialem tantum in domum ædificatam, ſed generalem in omnia Landerici ferat hypothecam, quamvis generaliter, nec ſpeciatim deſignatis ceteris ejus bonis expreſſam; certum eſt, Landericum ſuam habere hypothecam in reliqua Blandini immobilia, non obſtante incendio aut demolitione domus.

(*i*) Toto tit. ff. & cod. de periculo & commodo rei vendita.

Atqui mos ille de præſenti viget in Gallia, & præſertim intra fines juriſdictionis Senatus Pariſienſis, ut ſpeciali hypothecæ, generalis clauſulam addant Notarii his ferme verbis: *Qui debitor, ad effectum præſentium omnia ſua bona præſentia & futura, nomina, rationes, & actiones generatim oppignoravit & oppignorat; ut præſertim domum ſitam &c. quin ſpeciali hypotheca generali deroget & viciſſim*. Et quidem juſta de cauſa uſum hunc in Galliam invexere Notarii in favorem & pro ſecuritate creditorum, quibus hypotheca ſolum generalis, aut ſpecialis a generali ſejuncta poſſet eſſe noxia, cum certum ſit, 1. quod debitor, qui bona ſua generatim tantum creditori ſuo oppignoravit, eo non obſtante, poſſe illa valide abalienare; licet non teneatur ad declarandam talem hypothecam, aut nova contrahere debita, ea etiam omnino omiſſa; quod

idem

Digitized by Google

idem ſecunda vice non poteſt, ſi ſpecialiter talem domum aut prædium oppigneraverit; ſaltem ſine fraude; niſi poſteriori creditori priorem declarat hypothecam, quam ipſi committit.

2. Si aliunde creditor ſpecialem tantum habeat hypothecam, & clauſulam hanc non addiderint notarii: *Quin generalis hypotheca ſpeciali deroget, aut viciſſim*: tum jure ſuo in univerſa debitoris bona ex generali hypotheca acquiſito uti non poteſt, niſi poſt juridicam ſpecialis ſuæ hypothecæ diſcuſſionem: unde fit, ut ſpecialis illa hypotheca ei fiat magis noxia; cum in multorum creditorum concurſu, ad petitionem crediti ſui non poteſt admitti, niſi ſecundum ordinem ſpecialis ſuæ hypothecæ, habita ratione datæ, ſeu diei contractui ſuo adſcriptæ, & interea teneatur ad diſcuſſionem fundi ſibi ſpecialiter oppignorati: ex quo inferre eſt, quam utilis ſit creditori ea, quam diximus clauſula.

Addimus inſuper: Licet enim a notariis non fuiſſet adjuncta clauſula hypothecæ ſpecialis; generalis tamen & tacita in univerſa debitoris ſui bona hypotheca creditori competeret. Nam regula eſt in Parlamento communiter admiſſa, omnem videlicet contractum coram notariis habitum tacitam ſecum inferre hypothecam intra fines juriſdictionis ſigilli ſui; licet creditori ſpecialis dumtaxat competeret hypotheca, & affectata in rem, cujus cauſſa mutuum ſuiſſet contractum. Si regium ſit ſigillum, qualia ſunt Parlamenti, ſub urbanæ juriſdictionis Pariſienſis & Conſulum; tum obtinet generalis hypotheca in omnibus debitoris facultatibus, & ſi dominicale ſit ſigillum, hypotheca locum habet in omnia bona intra dominii fines contenta. Hæc eſt Galliæ Juriſprudentia, qua dijudicari debet propoſita difficultas de Blandino & Landerico, ſi in Gallia contraxere.

Vide *Hypotheca*. Caſus I.

CASUS VII.

Herennius, qui nullum habet fundum natura ſua fructiferum, ſed præſentem dumtaxat pecuniam & merces, a Natali 500. Lib. cenſum annuum & perſonalem pro ſumma 10000. lib. quam accepit. Numquid legitimus eſt cenſus ille, qui non aliqua re immobili, ſed mobilibus tantum Herennii bonis ejuſque perſona fundatur?

Ratio dubitandi eſt, quia verbis expreſſis cenſus hujuſmodi perſonales damnat S. Pius V. (*a*): Huic tamen contrarius eſt univerſalis Galliæ uſus?

(*a*) S. Pius V. in Bulla *Cum onus*. ſupra cit. §. 1.

Respons.

Manifeſte cenſus hujuſmodi damnaſſe videtur S. Pius V. his verbis, *Statuimus*, inquit, *cenſum, ſeu annuum reditum creari conſtituive nullo modo poſſe, niſi in re immobili aut quæ immobilis habeatur de ſui natura fructifera*. Quocirca, ſi Bulla in Gallia ſuiſſet recepta & promulgata, ſoluta jam maneret quæſtio: at cum ibi non fuerit recepta, vim quoque Legis ibi non obtinet. Ac ne quidem ſolus eſt hic S. Pontifex, qui illicitos reputarit cenſus, qui in re natura ſua fructifera non fuere conſtituti: Cardinalis Hoſtienſis, Innocentius IV. S. Antoninus & Navarra idem ſenſere: Martinus V. & Calliſtus III. Bullis ſuis ſuperius laudatis cenſus eos tantum approbant, qui in agro aut fundo frugifero conſtituuntur: quod pariter in Burdigalenſi Concilio ſtatutum eſt: unde multi perſonalem cenſum penitus eſſe uſurarium,

Uſum tamen contrarium, utpote in Galliæ regno univerſim acceptum, tamquam illegitimum damnare non poſſumus, & quem etiam tuentur multi præcipuæ notæ Doctores, qui propugnant, quod ut homo ex legibus, alteri ſuum poteſt locare laborem & induſtriam (*b*): in tali fundo etiam annuam conſtituere poteſt penſionem; & quod, ut poteſt in ſe ipſo, quamvis omni re immobili & fructifera deſtituto, conſtituere penſionem; alteri pariter cenſum hunc ſeu penſionem pro pecuniæ ſumma vendere poteſt: Denique, ut alicui perſonæ imponi poteſt tributum ab ea Principi ſolvendum, ſic in ſe cenſum accipere poteſt cuidam privato ſolvendum: *Principes ſeculares*, inquit Sylvius (*c*), *juſta de cauſſa poſſunt imponere tributum perſonale quotannis ſolvendum a ſuis ſubditis. Quare non poſſent etiam ipſi ſubditi ſe alii aliis obligare ad ſimilem annuam penſionem? Talis autem obligatio eſt pecunia æſtimabilis. Ergo & vendibilis.*

(*b*) Leg. *Qui operam*. 38. ff. Locati &c. Lib. 19. Tit. 2.

(*c*) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 78. art. 4 quæſi. 10 2. concl. 1.

Ad Bullas autem Martini V. & Calliſti III. dicendum cum Toleto (*d*): *Iſtæ conditiones illic exponuntur*, inquit, *ſed ſcio non eſſe tamquam neceſſarias a Pontificibus probatas, ſed apud illos, qui Sedem Apoſtolicam conſulebant; quia tales tunc fiebant contractus; & ſic narratos Sedes Apoſtolica approbavit; non tamen voluit damnare contractus in quibus aliter fiebat*. Rem eandem obſervat Sylvius his verbis: *Quamvis prænominati Martinus & Calliſtus quibuſdam fortaſſe videri poſſint improbaſſe cenſus perſonales; certum eſt tamen, quod eos non improbaverunt. Approbaverunt enim reales cum certis conditionibus creatos, ſed contra perſonales nihil dixerunt...., Idque propterea, quia non rogabantur de quibuslibet cenſibus, ſed conſulebantur de cenſibus illis expreſſis, an eſſent liciti, & an eorum venditores obligarentur eos ſolvere.*

(*d*) Fr. Toler. inſtruct. Sacerd. l. 5. c. 46.

Quod ſpectat ad Burdigalenſem Concilium, certum eſt, in eo a Provincia non fuiſſe admiſſum: cum cenſuum perſonalium uſus non minus, quam antea invaluit (*e*).

(*e*) Colloq. Petroc. tom. 5. Colloq. 6. q. 3.

CASUS VIII.

Potentianus a Philippo 10000. lib. ſub cenſu annuo ea conditione accepit, ut Potentianus reſtitutionem prædictæ ſortis ante bimeſtre ſpatium denuntiaturus ſit ſibi. Numquid injuſtum eſt pactum illud?

De Salnte Beuve tom. 1. Caſ. 203.

Respons.

Priuſquam difficultati propoſitæ fiat ſatis, advertendum: quod uſus hujuſmodi clauſulam cenſuali contractui apponendi, a pauco tempore fuerit inductus; & quod nulla Regis Declaratione, nullo ſupremæ Curiæ Arreſto fuerit confirmatus: quocirca eſt tantum toleratus, ut obſervat ultimi ſæculi Theologus (*f*).

(*f*) De Sainte Beuve tom. 2. Caſ. 203.

Quo ſuppoſito, exiſtimamus, regulariter loquendo, ad æquitatem naturalem pertinere, ut debitum, quandocumque volet, perſolvere queat debitor; cui rei adverſatur clauſula, contractui appoſita, qua creditori ſuo debiti cenſus ſortem præcipuam ſolvendam ante bimeſtre aut trimeſtre ſpatium denuntiare tenetur.

Attamen non putamus conditionem hanc adeo eſſe injuſtam, ut ex ea fiat contractus vitioſus; ob duplicem rationem. 1. Quia, licet Principis Lege, aut Arreſtorum Juriſprudentia non fuerit confirmata hæc conditio, iiſdem tamen nec fuit improbata. 2. Quia, ut declarat idem Theologus, Bulla S. Pii V. clauſulam hanc his verbis approbat (*g*), *Cum vero traditione pretii reditus extinguendus erit, volumus per bimeſtre ante id denuntiari, cui pretium dandum erit*; & quamvis Bulla hæc in Gallia vim legis non obtineat; non minus tamen quod ex ea præcipitur, æquitati naturali eſt conſonum. Nam, ſi ex æquitate poſſit debitor ab ære alieno ſe eximere, eadem quoque exigit, ut id poſſit abſque alterius incommodo. Atqui ſine iſta clauſula cenſus redimendi facultas creditori ſæpe poſſet eſſe noxia. Ut ſi debitor, v. g. ſolutionem ſortis præcipuæ pararet, pridie quam de nummis ſit deceſſio, eorumve interdicitur uſus. Quod tam crebro per decem & amplius annos evenit in Gallia. Denique ſine hac clauſula pecuniæ ſuæ alibi aut collocandæ, aut in alium uſum convertendæ occaſionem facile amitteret creditor: Unde clauſulam hanc tamquam legitimam admittunt docti Juriſperiti, inter quos * Ferrerius (*h*).

(*g*) S. Pius V. in Bulla: *Cum onus*. 79. §. 11. 10. Jan. 1569.

Exiſtimamus itaque, abſque injuſtitia clauſulam hanc contractui cenſuali Potentiani cum Philippo poſſe apponi.

(*h*) D. Ferrerius de ſcientia Notariorum. art. 22.

* Ex rationibus ſupra allatis nemo non videt ſatius fore, ut expreſſa declaratione ubique prohiberetur cenſus redemtio, niſi *per bimeſtre ante id denuntiatum fuerit, cui pretium dandum erit* redemtionis, præſertim ſi intempeſtive cenſus redimatur.

C A-

C A S U S IX.

Cum Perigenes, omnia mobilia ſuo Joſepho, cognato ſuo legaſſet, in inventario bonorum ipſius duo reperti ſunt contractus cenſuales, quorum quilibet cenſus eſt 300. lib. Eos ad ſe pertinere contendit Joſephus, uti mobilia bona: Perigenis vero heredes eos ad ſe pertinere volunt, uti immobilia, qua de re inter ſe litigant. Pro quo ſtat jus?

R e s p o n s.

Hujuſce quæſtionis enodatio in eo præciſe conſiſtit; ut ſciatur, ſub qua conſuetudine ſic mobilia ſua legavit Perigenes. Jus enim conſuetudinarium in hoc caſu tam in foro externo, quam interno pro Lege habetur; ita eſt, cum de mobilibus immobilibuſve nihil ſtatuerit Princeps quoad contractus cenſuales, locorum ſtandum eſt conſuetudini.

Ea autem in re non conſentiunt inter ſe locorum conſuetudines. Verum quidem eſt, quod Pariſienſis conſuetudo (*a*) declarat, hujuſmodi contractus inter immobilia eſſe cenſendos: *Cenſus pretio conſtituti, inter immobilia ſunt reputandi, donec fuerint perſoluti*; & ubi contraria non eſt, Pariſienſi quamlibet aliam obſequi, ut judicatum eſt in Aurelianenſi conſuetudine ex Arreſto Pariſienſis Senatus 13. Februar. an. 1577. referente D. Champrond, & quod laudat Ferrerius (*b*); depromtum a Brodelio, qui ſimile huic laudat ejuſdem Senatus.

(*a*) Conſ. Pariſ. art. 94.

(*b*) D. Ferrerius in conſuet. Pariſ. art. 94. Gloſſa prima n. 5.

Sed ſunt tamen conſuetudines quædam peculiares ut Trecenſis (*c*), quæ inter mobilia bona contractus omnes cenſuales recenſet. Unde ſequitur quod, ſi Joſephus & Perigenis heredes conſuetudini Pariſienſi aut alicujus Provinciæ, quæ contrarium non ſtatuerit, ſubjaceant, pro heredibus Perigenis ſtat jus; & ſi Rhemenſi, Trecenſi aut Vitriacenſi conſuetudini (*d*) ſint ſubditi, ut cetera mobilia, ſic prædictos cenſuales contractus debet obtinere Joſephus.

(*c*) Conſuet. Trecenſis art. 65.

(*d*) Conſuet. Rhemenſ. art. 18.

Tria autem juvat heic obſervare.

Primum: Quod contractus cenſuales inter immobilia recenſeri debere declaratum eſt in provinciis juris ſcripti, quæ juriſdictioni Senatus Pariſienſis ſubjacent, uti judicatum eſt ex Arreſto ejuſdem Senatus 4. Feb. 1572. quod refert Brodelius, & longo poſt tempore, ex alio Lugdunenſis Curiæ 16. Julii an. 1668. quod laudat Dufrene (*e*) in ſuo fori Diario, quo confirmatur ſententia, a Seneſcallo hujus urbis lata, non obſtante inſtrumento publico a Cauſſidicis, & Procuratoribus Lugduni ſubſcripto, quo declaratur, publice eſſe notum, cenſus inter mobilia intra fines provinciæ recenſeri.

(*e*) Du Frene, Diarium fori. tom. 2.

Secundum: quod cenſus, quamvis ſub privata ſubſcriptione conſtitutus, non minus inter immobilia cenſetur, quam cenſus coram notariis factus; licet ſit abſque hypotheca. Ita ſentiunt Brodelius (*f*) & Auzanetus, quos ſequitur Ferrerius (*g*). Ratio eſt, quia per talem cenſum abalienatur ſors præcipua, quod ſufficit, ut inter immobilia habeatur.

(*f*) Brodelius num. 4.

(*g*) D. Ferrerius cit. n. 7.

Tertium: quod idem dici debeat de ſimplici ſubſcripto, ſeu ſchedula, qua debitor cenſum conſtituere ſe ipſum obligat erga creditorem ob ſummam jam traditam, & cujus uſuram a die ſchedulæ adſcripta ſolvere promittit. Ita etiam Auzanetus ex Arreſto ſupremæ Curiæ Senatus Pariſienſis conformiter lato 27. Maii anno 1638. juxta concluſiones D. Jalon, Generalis Cauſſidici. At ſi debitor uſuram ſolvere non promitteret, inter mobilia cenſeretur illa ſchedula, ut judicavit idem Senatus ex Arreſto 24. Martii 1662. relato in ſecundo tomo Diarii fori.

Denique ex diverſitate conſuetudinum multæ aliæ emergunt quæſtiones, quarum longius eſſet examen, & quæ ad præſentem non pertinent difficultatem. Quare de iis Ferrerium conſulat Lector in ſuo Commentario in titulum 64. Pariſienſis conſuetudinis (*h*), in quo fuſe & dilucide rem iſtam explicat eruditus ille Commentator. *

(*h*) D. Ferrerius tom. 2. pag. 582.

* Nota Pontaſium Gallum, in Gallia, & præcipue pro Gallis ſcribentem de cenſibus juxta Juriſprudentiam Galliæ fuiſſe locutum, non autem juxta duas ſup. cit. Martini V. & Calliſti III. Conſtitutiones juxta quas plures ad cenſum quam juxta Galliæ Juriſprudentiam conditiones requiruntur. Nam Martinus V. & Calliſtus III. ad cenſum requirunt 1. ut determinetur domus, aut fundus, aut aliqua res immobilis in qua conſtituantur cenſus. 2. Ut res illa ſola quæ deſignata fuerit, obligata maneat. 3. Ut detur juſtum pretium pro cenſu. Pretium autem juſtum reputatur quod Principis auctoritate taxatur. 4. Ut ſtatim pretium ſolvatur, cum cenſus emitur. 5. Ut qui vendit cenſum, eum redimere poſſit. 6. Ut tamen non obligetur eum certo tempore redimere. 7. Ut ſi res obligata pereat, pereat quoque cenſus. 8. Ut penſiones non ſuperent æſtimationem rei in qua cenſus conſtituitur; quæ conditiones non omnes requiruntur in Gallia, in qua duæ ſupra appellatæ conſtitutiones numquam fuerunt receptæ. Hinc cum variæ variis in regionibus conſuetudines legeſque vigeant; non reſolvendi eſſent plures ad cenſum pertinentes caſus ſicut reſolvuntur a Pontaſio; non ſic, inquam, omnino decidendum foret in locis in quibus aut recepta fuiſſet utraque Martini V. & Calliſti III. Conſtitutio, aut a principibus ſæcularibus plures pancioreſve quam in Gallia conditiones ad cenſum requirerentur.

C E N T U R I O.

Quod heic de Centurione dicimus, de ceteris pariter intelligendum eſt ductoribus, qui militibus imperandi jure potiuntur: omnes enim perinde tenentur, Principi ſecundum juſtitiam famulari, belli leges ſervare, abjecta omni concuſſione, vexatione, fraude, minis injuſtis, aut inhumanitate; neque permittere debent, ut quid ſimile in Principis ditione aut in ſubditos a militibus fiat: alioqui proprio privatoque nomine ipſi a ſuis illata damna præſtare debent.

Hæc eſt prima ac præcipua regula, quam ſequi tenetur vir bellicoſus, ac præcipue Centurio, & quilibet alius militum ductor.

Secunda hæc eſt: quod talis ductor ſit dominus eorum omnium, quæ in bello juſto hoſtibus abripit, ubicumque reperiantur; excepto caſu tutelæ, quæ ipſis fuiſſet conceſſa; & tributi ipſis impoſiti, quod contuliſſent, aut ſaltem ſolvere utique vellent.

Tertia: quod Eccleſias, aliaque loca ſancta debeat venerari; nec umquam vaſa ſacra, aliaque divino cultui dicata auferre.

CASUS PRIMUS.

Alcibiades, centum peditum Centurio, quatuor aut quinque habet ſamulos, quos recenſionis diebus ſuppoſititios habet pedites: id ipſum ſciente generali, qui pedites recenſet, Inſpectore, ac diſſimulante: Quæritur, utrum ſtipendium eorum e Regia pecunia proveniens ſibi poſſit arrogare; an vero ſub peccati reatu ad illius reſtitutionem teneatur?

Respons.

Miles quilibet, dato ſibi a principe ſtipendio debet eſſe contentus, ut manifeſto conſtat ex reſponſione S. Joannis Baptiſtæ, ad milites, qui eum interrogabant de via ſalutis ſuæ. *Neminem concutiatis*, inquit, *neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris* (a): quod etiam docet ſanctus Ambroſius, a Gratiano relatus ex eodem textu (b). Unde ſequitur, quod, cum ſalaria ſua & ſtipendia ſolita habeat Centurio a Principe abſque ſurti reatu militum ſuppoſititiorum ſtipendia ſibi arrogare nequit, quos militari habitu inductos, tum, cum recenſentur ejus copiæ oſtendit.

(a) Luc. III. 14.

(b) S. Amb. in Luc. III. in Can. *In ſingulis*, 19. diſt. 86.

Hinc colligi neceſſe eſt, teneri Alcibiadem ad reſtituendum Regi ea omnia, quæ hac ratione ſibi comparavit; niſi certo ſciat Rex eum Centurionem hujuſmodi ſubdititios habere milites: quod Rex tolerat; ut fieri poteſt tempore pacis, quo Rex tot non eget militibus, uti dum ſervet bellum. Verum hac præſumptione non facile ſibi blandiatur Centurio: nam ex ſilentio, ut etiam formali Inſpectoris generalis conſenſu, tuta non ſit Centurionis conſcientia: cum is tantum Principis mandata debeat exequi, & impedire ne in copiarum recenſione decipiatur: contra vero ipſius conniventia eſt capitalis; utpote Regiæ voluntati rebuſque contraria (c).

(c) De Sainte Beuve tom. 2. caſ. 93.

CASUS II.

Lysimachus, Centurio Turmæ centum Dymacharum, qui vulgo Dracones dici ſolent, Gratianopolim incedens, quo totus convenire juſſus eſt exercitus, in itinere a ſeptem octove pagis varias pecuniæ ſummas accepit, ut vexationes a copiis fieri ſolitas evitarent. Numquid pecuniam hanc abſque injuſtitia recipere potuit?

Respons.

Datas ab illis pagis ſummas pecuniæ ſine injuſtitia manifeſta recipere non potuit ille Centurio. Turmæ namque ductor ex officio tenetur in conſcientia omnem impedire vexationem, & contentus eſſe debet contubernio, utenſilibus, aliiſque rebus, quas exigere Princeps permittit, quæ ipſi eo conceduntur, ut neque per ſe, neque per milites ullam admittat vexationem aut injuſtitiam; ut ait ſanctus Ambroſius in Canone ſuperius relato (d): *In ſingulis quoque generibus hominum*, inquit, *conveniens tribuit ſanctus Joannes Baptiſta reſponſum unum omnibus ita.... militibus: ne calumniam faciant, ne prædam requirant, docens idcirco ſtipendia conſtituta militiæ, ne dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur*: Unde ſequitur Lyſimachum teneri ad reſtitutionem eorum omnium, quæ ab his pagis hoc modo, aut in eum finem exegit (e).

(d) S. Amb. in cit. Can. *In ſingulis*. 19. diſt. 86.

(e) De Sainte Beuve to. 3. caſ. 93.

CASUS III.

Annibal, Centurio centum militum, qui bellica jaculantur granata; accepto metas eundi mandato, ſuos præmiſit milites, quos quinque aut ſex diebus poſt ſecutus eſt. Cum metas eodem die cum copiis adveniſſet, novit, eas in itinere ſurta & concuſſiones feciſſe, de quibus multorum pagorum incolæ conqueſti, jus ab eo petierunt, quare ipſi promiſit, ſe reos puniturum, & eorum quæ etiam retinentur, reſtitutionem procuraturum? Numquid ex eo munus ſuum perfecit, an vero ſub peccati reatu tenetur illatum ab iis damnum propria reparare pecunia?

Respons.

Cum ad reparationem damni illati ſit inutilis pœna, qua militibus ſuis minatur ille Centurio; nec ſufficiat Pariter in eam rem promiſſum de procuranda reſtitutione eorum omnium quæ ex ſurtis adhuc in manibus haberent milites; abſque culpa nondum eſt coram Deo ille Centurio, ſed tenetur vel per reos, vel per ſe ipſum, ſi iſti non poſſint, ad reſtitutionem totius damni his pagis illati. Ratio eſt, quia Centurio per ſe ipſum milites, qui ſuo ſubjacent imperio, ducere tenetur, ſub pœna non ſolum bellicis contradicendi conſtitutionibus, ſed etiam per ipſum præſtandi exceſſus, ſurta & alia, quæ admittunt; ut fert Edictum Ludovici XIII. ann. 1635. & Edictum Ludovici XIV. an. 1655. compendiſ latum, aliaque plurima. Huic deciſioni aperte favet ſanctus Bernardinus Senenſis his verbis (f): *Si quis Dux multos ſtipendiarios habet*, inquit, *ad reſtitutionem tenetur de omni damno, quod inferunt injuſte ſubditi ſui, ſi obviare poteſt, & non fecit*. Atqui militum ſuorum vexationes impedire poterat Annibal, ſi eos per ſe ipſum ducere voluiſſet; uti ex Edictis erat ipſi imperatum. Igitur ea re omiſſa, ipſe tenetur ad debitam petentibus reparationem.

(f) S. Bern. Serm. 34. in dom. IV. quadrag. c. 4.

CASUS IV.

Maximilianus; Centurio peditum, catervam ſuam triginta novis militibus ſupplere juſſus, & in eam rem neceſſaria egens pecunia, ab Alexandro Provinciæ præfecto ſancti Claudii oppidulum pro ſtatione ſua, ſeu Hybernaculis obtinet: quo facto cum hujus oppidi Conſule aliiſque officialibus convenit, ſe ibi non manſurum cum caterva; modo ſibi præſentem 800. lib. ſummam numerent, qua tradita apocham manu ſua ſubſcriptam accipiunt; eamque pecuniam ad conquirendos milites ſuos adhibet. Nonne Centurio ille ad reſtitutionem tenetur ſummæ illius; & ſi teneatur, cui facienda eſt reſtitutio?

Respons.

Si ad ſummæ ab incolis oppidi ſancti Claudii acceptæ reſtitutionem obligaretur ille Centurio; reſtitutio illa Regi eſſet facienda; quia numeratas ab urbibus, oppidis, atque pagis in his occaſionibus pecunias in Gallia Rex jubet deduci de ſuis annuis tributis, aut cum annona militari ſolvi. At propugnari poteſt, eum ad talem reſtitutionem non obligari. 1. Si pactum illius non fuerit injuſtum & ad plebis vexationem, ſummam majorem, quam par eſt, habita ratione facultatum oppidanorum, exigendo. 2. Si Provinciæ Præfectus Centurionibus ſtationem aſſignandi generatim, aut Maximiliano ſpeciatim cum licentia eam incolis loci vendendi, a Rege poteſtatem obtineat. 3. Si alia ipſi non fuerit aſſignata ſtatio, atque facultatem obtinuerit componendi cum incolis loci; alioqui reus fieret contra Edictum Bleſenſe (g), quo expreſſe ſtatuitur: *Quod Duces omnes & Turmarum membra, ſeu ſint pedites aut equites; qui ceperint, exegerint, vi arripuerint pecuniam ad non ſumenda Contubernia in domibus & pagis, morte punientur, abſque ſpe gratiæ aut condonationis: & ſi forte ob impunitatem aut aliter, a nobis concederentur litteræ hujuſce rei permiſſivæ, prohibemus ſtrictiſſime magno ſigillorum noſtrorum cariſſimo & fideli cuſtodi, ne eas ſigillo muniat, ac Judicibus noſtris, ne earum rationem habeant* (h).

(g) Ed Bleſ. art. 325.

CASUS V.

Astolphus, Centurio Turmæ centum equitum, acceptis mandatis a Miniſtro Regis ad ſumenda Meldis contubernia, mutuo conſenſu cum urbis Officiariis egit, qui ad relegandos illos equites in ſuburbia ac tabernas propriis impenſis victuros, ſummam 250. lib. incolarum nomine dare maluerunt. Accepta re oblata, & ſchedulas ad collocandos in tabernis milites ſuos Aſtolphus accepit; cum autem a quibuſdam urbis incolis fuiſſet animadverſum octoginta tantum, non vero centum eſſe equites; ab illo Centurione poſtularunt urbis Officiarii, ut pro defectu equitum, taxatam quoque ſummam minueret; quod non ſine magno ſtrepitu miniſque negavit; quocirca pactam ſummam metu perculſi ſolverunt: verum cum de diſſidio factæ eſſent quædam ſormulæ juridicæ quæ multum temporis inſumpſere coactus eſt Centurio in

(h) De Sainte Beuve. Tom. III. caſ. 93.

in eadem iterum urbe pernoctare abſque Regis mandato ac propriis impenſis; qua de re quæritur, 1. Utrum ſub peccato teneatur Aſtolphus, ad reſtitutionem ſummæ excedentis numerum ſuorum equitum? 2. Utrum quoque ad eamdem teneantur inferiores Turmæ ductores, qui & pacti & acceptæ pecuniæ fuere participes? 3. Poſito quod ad reſtitutionem obligentur, an teneantur in ſolidum? 4. Utrum tres quatuorve nobiles viri Centurionis amici, quos pro inferioribus ductoribus haberi volebat; quod intra paucos dies, abſentibus veris ductoribus, Turmam recenſere deberet Provinciæ Præfectus, utrum, inquam, viri illi nobiles, qui & pacti cum urbe initi & pecuniæ partem ſuam habuere, at qui nullam a Rege laboris ſui, atque curarum mercedem accipiebant, in ſolidum pariter ad reſtitutionem teneantur; ratione illius, quod nimium acceperant?

RESPONS.

Conſtat 1. Aſtolphum teneri erga urbis incolas ad reſtitutionem eorum, quæ accepit ab iis ultra præſentem militum ſuorum numerum; quia ſic intendit Rex ut ſolum pro ductoribus & militibus præſentibus, non vero abſentibus, ſolvant urbes, oppida, pagi: quocirca injuſte egit ille Centurio, Meldenſes incolas cogens ad ſolvendum pro ſuppoſititiis militibus. Ac dicere ſupervacaneum eſt; Aſtolphum inferioreſque Ductores ad pernoctandum iterum propriis impenſis, fuiſſe compulſos ob denegatam ſibi ſummæ ſolutionem, aliaſque in eam rem juridicas Formulas: nam malæ fidei ſuæ doloque ſumptus illos debent imputare juxta iſtam Bonifacii VIII, (a) Regulam: *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.*

(a) Reg. 86. de reg. juris in 6.

Si quis denuo objiciat, tandem incolas conſenſiſſe de ſolutione 250. librarum, idque libenti animo, ut præſumi poteſt, cum quiſque plus de ſuo quidquam malit conferre, quam domos, ſupellectilia, familiamque ipſam militum periculo exponere: dicendum contra, quod, cum in urbe verſantur milites armati, incoliſque vim minantur; juſta de cauſſa præſumi queat, incolas petita tributa non ſolvere, niſi vi & metu, ne repulſa ſua magnum quodpiam malum in ſe accerſant. Aſtolphus itaque injuſtitiæ factus eſt reus vi ac minis ultra ſibi debitum exigendo, & conſequenter ad reſtitutionem hujuſce ſuperflui tenetur.

2. Ductores inferiores pariter ad reſtitutionem, non quidem in ſolidum, tenentur; niſi forte cum Centurione ad injuſtitiam contulerint, ſed pro rata lucri excedentis, quod juſte erat debitum.

3. Idem dicendum de viris nobilibus Centurionis amicis, qui, licet non ductores titulo, tales attamen habebantur; cum & pacti fraudulenti & lucri, non minus quam alii participes fuerint, Ita doctus Theologus, cujus deciſiones, dum erat in vivis, poſt mortem fuere collectæ (b).

(b) De Sainte Beuve Tom. V. caſ. 207.

CASUS VI.

SYGISMUNDUS, equitum Turmæ Centurio, in hoſtiles agros ad prædam immiſſus, vaſa argentea, aliaque ſuppellectilia in templo recondita ad majorem ſecuritatem, valoris 2000. nummorum abripuit. Numquid ad aliquam tenetur reſtitutionem ob aſyli ſacri violationem, ubi fuerant depoſita?

RESPONSIO.

Certum eſt, quod in hoſtes ablata, cum bellum eſt juſtum, legitime eſſe acquiſita, nec eſſe reſtituenda. *Circa Principes & milites habentes guerras ad invicem*, inquit Sanctus Raymundus (c), *diſtingue; quia, aut ille, de quo quæritur habet juſtam guerram, vel bellum; aut non. In primo caſu, ſcilicet cum habet juſtum bellum & non exercet illud; niſi contra nocentes, & non habet intentionem corruptam; quidquid capit ab hoſtibus ſuum eſt, nec tenetur reſtituere.* Suam ſententiam probat ille Sanctus auctoritate antiqui Canonis, quem refert Gratiani Decretum (d), in quo dicitur, licitum eſſe bellum jure gentium. Quocirca, qui bellum agunt, jure hoſtibus dicere poſſunt, quod olim Sanctus Auguſtinus Donatiſtis (e), *Quia vobis ablata nobis Dominus dedit, non ideo concupiſcimus aliena: quia illius Imperio, cujus ſunt omnia, facta ſunt noſtra, & juſte noſtra ſunt.*

(c) S. Raym. in Sum. Lib. 2. t. 5. de Rapt. P. 17.

(d) Iſid. in c. Jus gentium. 9. diſt. 1.

(e) S. Aug. L. 2. contra Lit. Petiliani cap. 19. Can. Si de rebus. 2. 34. q. 2.

Item tradit Sanctus Thomas his verbis (f); *Si illi, qui deprædantur hoſtes, habeant bellum juſtum: ea, quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; & hoc non habet rationem rapinæ: unde nec ad reſtitutionem tenentur.* Neque dicendum, Eccleſiam eſſe ſacrum aſylum, in quo depoſita bona in tuto debent eſſe & contra vim militis. Non enim propter ſanctitatem loci illa bona minus ſunt hoſtium ac ſine crimine & injuſtitia poſſant auferri. Unde colligimus, Sigiſmundum ad nullam teneri reſtitutionem erga illos, ad quos pertinent 2000. nummorum, aliaque in templo depoſita ſuppellectilia, quæ abſtulit.

(f) S. Th. 2. 2. q. 66. a. 8. ad 1.

Vide BELUM.

CESSIO BONORUM.

CESSIO bonorum eſt Beneficium, a Lege debitori conceſſum, quo derelictis omnibus creditori ſuo bonis, a carcere, ſi ſit detentus, aut etiam metu incarcerationis eximitur. Hoc eis Beneficium prodeſt, ne judicati detrahantur in carcerem (g).

(g) L. Qui bonis 1. cod. qui bonis cedere poſſunt, l. 7. tit. 71.

Solus debitor perſonaliter præſens, ac per ſe ad bonorum ceſſionem admitti poteſt, idque coram Judice, qui pro foro ſedente *, ut fert Edictum ann. 1490. (h) & 1520.

(h) Edictum an. 1490. art. 34. & 1520. art. 70.

Ceſſionis beneficium debitori non conceditur, niſi jurato, ſe nihil de ſuis bonis condidiſſe aut avertiſſe: *Jusjurandum tamen per adoranda præbeat eloquia, quod nullam rerum cauſſa occaſionem, aut aurum reliquum habeat, unde æris alieni ſupplementum faciat* (i).

(i) Nov. Quibus. 175. c. 1. authent. collat. 9. tit. 38.

Multi tamen eo potiri nequeunt ceſſionis Beneficio; ſeu a parte creditoris, cujus creditum eſt privilegiatum, ſeu a parte debitoris, qui eo ſit indignus.

1. Ad ceſſionem nemo admittitur, ubi agitur civile debitum, quod ob crimen in aliquem admiſſum adjudicatur.

2. Ad eam quoque non admittitur Villicus, conductionis ſuæ reliquator. Et alii, de quibus in tertio caſu;

3. Ex Provinciarum conſuetudinibus alii permulti excipiuntur caſus, quales ſunt, ubi agitur de depoſito, de impenſis litium æſtimatis, venditione hære-

* Debitores juxta jus Rom. bonis cedere poterant ſive per ſe, ſive per alium ad hoc deputatum, ſive publice & in foro, ſive privatim & extra forum. *Bonis cedi non tantum in jure, ſed extra jus poteſt, & per nuntium, vel per Epiſtolam id declarari.* Leg. ult. ff. de Ceſſ. bon.

heteditatis, penſiones alimentis, locatione domus, remediis, ſumptibus funebribus, dotali ſumma viduæ ab heredibus ſui ſponſi debita, famulorum mercede, de reliquis ex adminiſtratione bonorum Eccleſiæ, Communitatis, Tutelæ aut Curatelæ provenientibus; idque, quantum fert locorum conſuetudo, aut poſtulat æquitas naturalis, cum in ea quidam ſilentur caſus, in primis Campſores fraudulenti, ne dum ad ceſſionis Beneficium admittantur, ut potius quandoque capitali pœna afficiuntur ex Conſtitutionibus Galliæ (a) ſeu Edictis.

(a) Edict. Aurel. a 145. Edict. Bleſ. art. 205. Edict. an. 1600.

Ceſſor erga creditorem non liberatur a debito, niſi pro rata bonorum ipſi derelictorum; ac ſuperflui manet debitor. *Qui bonis ceſſerint, niſi ſolidum creditor receperit, non ſunt liberati*, inquit Lex prima Codicis ſuperius laudata: ita ut creditor bona a debitore poſtea acquirenda ſibi poſſit retinere, pro ſuperfluo debito; quin tamen incarcerationem ejus poſſit requirere pro ſolutione ſummarum quæ ceſſionem antecedunt; nec etiam debitorem partis de novo bonis ſpoliare, non neceſſaria ad vitam relinquendo. *Si quid poſtea eis pinguius acceſſerit, hoc iterum uſque ad modum debiti poſſe a creditoribus legitimo modo avelli* (b).

(b) L. *Cum & filii familias*. 7. in fin. cod. qui bonis cedere poſſunt.

Ceſſor in generali bonorum ſuorum derelictione, ea etiam cenſetur repudiaſſe, quæ ex acquiſita ſucceſſione, licet nondum actu poſſeſſa, ad ipſum pervenere; atque in hæc ultima bona, uti in poſſeſſa actu jus ſuum exercere poſſunt creditores ipſius:

Denique ceſſoris fidejuſſores ex ipſius ceſſione facta, a cavendo debito non liberantur: ſi poſſeſſio rerum debitoris, inquit Lex; data ſit creditori, æque dicendum eſt, fidejuſſorem manere obligatum (c).

(c) L. *Heres*. 21. §. 3. n. fin. ff. de Fidejuſſ. l. 46. tit. 1.

CASUS PRIMUS.

ODOARDUS, minutarum mercium Mercator, & ſapientia & moribus Chriſtianis præcipuus, facto per quemlibet annum, mercium ac negotiorum ſuorum indice malum rerum ſuarum ſtatum agnovit, quas etiam a duobus tribuſve annis in pejus ruere ob temporis invidiam experitur; ita ut mercium ſuarum valor debitas creditoribus ſuis pecunias non adæquet, qui ſi forte is obierit, aut in poſterum, uti nunc, jacet commercium, vix crediti ſui dimidium reperient. Quocirca, cum ſcrupuloſa ſit conſcientia, & majus ipſis inferre damnum prorogato commercio ſuo reformidet; quærit, utrum ſub reatu peccati in tali circumſtantia teneatur, omnem illis rem ſuam in præſentia deſerere.

Ad hanc ceſſionem videtur obligari ex bona fide & juſtitia ipſis debita.

Videtur contra, quod ad eam in conſcientia non obligetur. 1. Quia in melius verti poſſunt mala, quæ ab aliquot annis perpeſſus eſt, tempora. 2. Quia ſic de bonis ſuis decedendo, & famam quoque ſuam amittet. 3. Denique, quia veriſimile eſt, quod a creditoribus ſuis, aut a quibuſdam ſaltem de jactura ſua iratis, male omnino habebitur, & ad juſtitiæ rigorem. Hæc ſunt ejus præcipua hinc & inde pugnantia argumenta. Quid in tali caſu facturus eſt?

RESPONS.

Cum hactenus, ut ſupponitur, bonis moribus fuerit Odoardus, ac rerum ſuarum atque commercii jacturam paſſus fuerit ob ſolam temporum injuriam; aut damna quæ abſque culpa ſua ipſi contigerunt; non exiſtimamus, quod rigoroſe loquendo ad ceſſionem omnium bonorum ſuorum erga creditores in conſcientia teneatur: idque ob triplicem rationem.

(d) Accurſ. in L. *Cum ſolito* fin. Cod. qui bonis cedere poſſunt. l. 7. tit. 71.

Prima eſt: quia ſibi pœnam adeo humilem ac probroſam infligere non tenetur: dicimus *probroſam*: nam, ut obſervat inclytus Juriſperitus (d); licet bonorum ceſſio de jure non ſit probroſa (e), eſt tamen de facto; ex Lege Codicis, ejuſque ab Accurſio factam explanationem; & ex alia Lege ad marginem indicata (f), quæ idcirco talem ceſſionem vocat *Miſerabile ceſſionis bonorum auxilium*. Et re ipſa, qui ad eam admittuntur, de ſuis bonis tantum decedunt libertatis cauſſa metuque incarcerationis, quo, ea mediante, fiunt immunes; attamen magnum famæ ſuæ patiuntur diſpendium, priſtinaque eos fides deficit *. Cum igitur ceſſio talis ſit pœna, culpamque pœna ſupponat, quam ſibi exprobrare nequeunt ipſius creditores; damnatoriam Judicis ſententiam exſpectare poteſt Odoardus; ne magis minuſve probroſas immerito ſubeat conditiones pro variis locorum moribus, ubi fit talis ceſſio. Quare, cum ſolvendo culpa ſua non ſit idoneus, neque etiam futurum creditoribus ſuis damnum pariter attulerit, niſi rem ſuam reſtituat; exiſtimamus, eum tuta conſcientia commercium ſuum poſſe continuare, curas ſuas, quantum in ſe erit, augendo.

(e) L. *Infamia*. c. 1. Ex quib. cauſ. infam. irrog. L. 2. t. 12. & L. *Debitores*. 11. Ibid.

(f) L. *Cum ſolito*, cod. qui bonis cedere poſſunt.

Secunda: quia non eadem ſemper manet temporum injuria; ac ſubito improviſoque caſu in melius mutatur fortuna Mercatoris. Tum Odoardus res ſuas, ſi forte eveniret illa mutatio, ad meliorem ſtatum revocaſſet. Unde, cum ingenuis Chriſtianiſque ſemper moribus fuerit, non ſine cauſſa divinæ poteſt confidere Providentiæ, atque ab ea neceſſariam ſibi opem ſperare.

Tertia: quia juſte formidare poteſt, ne ſe ad vitam neceſſariis rebus ſpoliet ceſſio ſua: nam quotidiana conſtat experientia, inter ceſſoris creditores quoſdam reperiri, qui damnis ſibi neceſſario illatis irati, cum eo perquam rigoroſe agunt, omneſque Chriſtianæ caritatis atque humanitatis regulas abjiciunt, nullo prius facto examine, num debitor ſit reus, nec ne; ac nullo modo curant, utrum ad extremam ex tali ceſſione paupertatem deveniat; cum aliquam ab his creditoribus humanitatem requirat naturalis æquitas, ac poſtulet, ut ceſſori cui nulla aliunde patet ſubſidii vita, ad vitam ſaltem neceſſaria relinquant.

Advertendum tamen 1. Noſtram nos ſententiam non propugnare, niſi ex hypotheſi, quod nullus creditorum Odoardi, ad pejorem quam ipſe fortunæ ſtatum redigatur; neque ipſe viis illicitis ad mercaturam exercendam pervenerit, ut ex caſu propoſito videtur ſupponi: quæ duo ſi forent, diverſum prorſus ferendum eſſet judicium. 2. Commercium ſuum continuando, ipſum ſobriæ vitæ genus eſſe amplexurum; parce vivendo, in quantum poterit, omnemque ſuam induſtriam curaſque adhibendo, ut melior ſibi fortuna vertat.

* Præcipitur ut ceſſio fiat a debitore perſonaliter & coram Judice, ut pudore aliquo ejuſmodi ceſſionem comitante, frequantiores impediantur ceſſiones. Hinc cum innocens plectendus non videatur, ii viderentur a probroſa, id eſt coram Judice facienda ceſſione eximendi, qui ſine ſua culpa a priſtino lapſi ſunt ſtatu; ſed tamen Lex nunc diſtinguit, & omnes omnino ſive propter negligentiam & malam rerum ſuarum adminiſtrationem, ſive propter inexſpectatam adverſæ fortunæ viciſſitudinem & abſque ulla ſua culpa lapſi ſint, ad ceſſionem coram Judice, & perſonaliter faciendam cogit, ne facilior ad crebras ceſſiones via pateat.

CASUS II.

Flavius, Aromatum Propola, re tota familiari penitus diſturbata, bona ſua omnia derelinquere creditoribus ſuis ſtatuit, qui vel dimidium crediti ſui ex iis non percipient. Verum ad extrema foret ipſe cum uxore ſua duobuſque filiis redactus, niſi proſpiciens ſuis neceſſitatibus, quædam occultaret; quare pecuniam quamdam ac nonnullas merces, cum ſchedulis aliquibus Campſoriis ipſo viſu ſolvendis ſecreto retinet, quibus ſeipſum ſuamque poterit ſuſtentare familiam. Nonne id ipſum poteſt tuta conſcientia, neceſſaria tantum ſibi recondens?

Respons.

Solvi poteſt iſta difficultas ex hac juris regula: (a) *Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ æquitatiſque, quam ſtricti juris rationem.* Quod confirmat iſta juris antiqui regula (b): *In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas ſpectanda.* Atqui ad æquitatem naturalem pertinere videtur, ut Flavius, vel injuria temporum, vel debitorum ſuorum mala fide, aut aliquo alio caſu ad ejurandam bonam copiam adactus, abſque culpa ſecreto ſibi poſſit retinere aliquid, unde ſe, uxoremque ſuam cum liberis ſuſtentet; licet ea ipſi non concederetur gratia in foro exteriori, in quo in debitores pro creditoribus ſemper præſumitur, ob eam præcipue cauſſam, quod ea ſacultate abuterentur plerique debitores, ſi a judicibus concederetur. *

(a) L. Placuit, 8. C. de judic. l. 3. t. 1.

(b) Reg. 90. ff. de diver. reg. jur. antiqui.

Sed, ne injuſtitiæ reus fiat Flavius in hoc, neceſſe eſt, ut ea clam tantum recondat, quæ ad mendicitatem vitandam, modicumque victum ſunt neceſſaria; uſque tandem, ſi rem in poſterum reſtitueret, debitam creditoribus ſuis juſtitiam quantum in ſe erit, accurate reddat. Ita Silveſter, Navarrus, aliique auctores permulti (c), quibus ſuffragatur Covarruvias (d).

(c) Silveſt. de Prierio v. Reſtitutio, 7. q. 6. Navar. Man. c. n. 86. Colloq. Cond. 30. 1. colloq. 37. ſect. 1.

Adverto tamen hactenus dicta locum non habere in debitis ex aliquo crimine contractis: Nam in civilibus dumtaxat locum habet ceſſio bonorum; Unde, cum pro delicto perpetrato multa pecunia quidam damnatur; non admittitur ad beneficium ceſſionis bonorum, ut carcere liberetur: Econtra, cum ſolvendo non eſt idoneus, in quibuſdam locis multa pecuniaria in pœnam corpoream, ſi præſertim grave ſit rei delictum, a Judicibus mutatur juxta illam juris Romani regulam: *Qui non habet in ære, luat in corpore:* quæ deſumitur ex Lege, quæ ſic habet (e): *Placuit .... Præfecti vel Præſides, ut eis, qui pœnam pecuniariam agentes eludunt, coercitionem extraordinariam inducant.*

(d) Covarr. variar. reſol. l. 2. c. 1. n. 6.

(e) L. Quotiens. 1. §. fin. ff. de pen. l. 48. t. 19.

CASUS III.

Philopomanus, dicta utrinque cauſſa, decretorio judicio 3000. librarum damnatus, in favorem Benedicti, juridicam omnium rerum ſuarum, metu carceris, obtulit: At vero Benedictus, oblato Judici libello, graviter huic ceſſioni interceſſit. Numquid abſque injuſtitia ſuam poteſt interceſſionem perſequi?

Respons.

Certum quidem eſt, debitorem, ſolvendo æri alieno non idoneum, omnibus bonis ſuis juridice cedere poſſe, requiſitas obſervando formolas. Beneficium eſt Legi & æquitati naturali conſentaneum. Verum ex Gallicana Juriſprudentia multæ ſunt debitorum ſpecies, quibus illud excluditur ceſſionis beneficium; qualia ſunt debita ex adminiſtratione Xenodochiorum contracta, ut obſervat Menardus (f); iique omnes, in quos cadit fraudis convictio, ad hanc gratiam non admittuntur; & inſuper alii plurimi debitores, quales ſunt 1. Advenæ. 2. Mercatores, qui acervatim emtas merces, aliis particulatim vendunt. 3. Mandatarii. 4. Prædiorum emtores, qui venditori pretium eorum non ſolverunt. 5. Reliquatores tutelæ, aut uxoriæ dotis. 6. Regiæ pecuniæ debitores. 7. Stellionatarii. 8. Qui ex contractibus debitores fiunt in nundinis Lugduni atque Campaniæ. 9. Heri pro mercede, ſeu ſalariis domeſticorum. 10. Tandem, qui contradictorio judicio ac definitivo civilibus intereſſe, aut mulcta fuere damnati, ut obſervat D. Argou, in opere, cujus eſt titulus: *Inſtitutio ad jus Gallicum*; in quo Ricardum pro ſe laudat & Louetum (g).

(f) Menard, L. 4. c. 17.

(g) Inſtit. ad jus Gallicum t. 2. L. 4. c. 4. pa. 398. Edit. an. 1699.

Non ſine cauſſa igitur, Philopomeni ceſſioni intercedit Benedictus; quippe qui in decima exceptione mox allata reperiatur.

Ceterum juvat obſervare, quod in commercio juxta Conſtitutionem an. 1573. (h) Mercatores & Campſores, bonorum ſuorum ceſſores, tenentur ad declarandam per ſe in Tabulario Conſulatis juriſdictionis Urbium, in quibus eſt conſtituta, aut ejus defectu, in primaria Urbis domo, ceſſionem ſuam, una cum nomine, conditione & domicilio ſuo; & quod neceſſe eſt, ut hæc declaratio in publicam tabulam referatur, quo omnibus ſit nota. Si Provinciæ conſuetudine, ut in Occitania (i), & aliis quibuſdam aliæ præſcribantur formulæ, eas ceſſor adamuſſim obſervare tenetur.

(h) Conſt. an. 1673. a. 10.

(i) Conſuet. Occit. a 68.

CASUS IV

Bauduinus gemmarum Mercator, ſilente penitus commercio ſuo, & ferme rem ſuam totam vix ad perſolvenda ceteris mercatoribus debita ſua ſatis eſſe perſpiciens, ab iis debitæ pecuniæ remiſſionem quoad partem exegit; quod ut facilius conſequeretur, tertiam mercium ſuarum ſuorumque mobilium occultavit, duabus reliquis tertiis partibus manifeſtatis; quo facto quartæ partis debiti remiſſionem enixe poſtulavit, quam ipſi majoris damni metu, conceſſere. Quæritur, utrum ex hac remiſſione culpa vacet Bauduinus, nec ad quartæ partis remiſſæ reſtitutionem teneatur?

Respons.

Ex hac condonatione coram Deo non innoxius eſt Bauduinus, nec eum a reſtitutione quartæ partis ſibi dolo remiſſæ vindicat: ratio eſt, quia, ut remiſſio a reſtitutione eum reddat immunem, cui facta eſt; penitus libera eſſe debet, hoc eſt, abſque coactione, errore, metu atque fraude.

Hinc creditor, qui debitori ſuo liberaliter debitum quoad partem, aut quoad totum condonat, de ejus ſolutione deſperans, aut qui partem accipere, quam totum amittere mavult; uno verbo, qui ſuperfluum tantummodo remittit ob fraudem debitoris, qui majori, quam ſit re ipſa, paupertate oppreſſum ſimulat, non cenſetur, debitorem a reſtitutione diſpenſare per talem condonationem. Ita Sanctus Antoninus & Bernardinus Senenſis, (k) quorum prior exemplum in hoc caſu propoſitum affert his verbis: *Ubi certum & clarum eſt debitum,* inquit, *& ratio uſurarum vel alterius uſurpationis: niſi creditor liberaliter remittat illud quod remittit, etiamſi de mille decem tantum remitteret. Si hoc facit quia putat ſe aliter non poſſe reſiduum habere, nil valet illa remiſſio, facta ex publico pacto, quoad animam. Unde cum Mercator, infortunia paſſus, fallit, & occultans multa ex bonis ſuis mobilibus, ut non perveniant ad manus creditorum, quærit compoſitionem cum eis de minori quantitate, quam debeat: puta promittit reſpondere ſingulis creditoribus ad rationem quindecim ſolidorum*

(k) S. Ber. Senen ſerm. 40. in Sabbato poſt IV. Dom. Quadr. a. 3. c. 3.

pro

* Quomodo poſſit ſine peccato ex bonis aliquid ſibi ſecreto ſubducere non video, ſi, ut ſupra dixit Pontaſius, nullus debitor ad beneficium ceſſionis admittitur niſi prius *jusjurandum .... per adoranda præbeat eloquia*, quod nullam *rerum cauſſa occaſionem, aut aurum reliquum habeat, unde æris alieni ſupplementum faciat*. Novell. Quibus. 135. ſupra cit. Pejeraret enim ſi ante juramentum aliquid ſibi reſervaſſet, aut poſt juramentum reſervaret: pejeraret autem omni in caſu peccatum eſt. Nec mihi reſpondeatur tunc non eſſe perjurium, tum quia judices pravum juramentum poſtulantes, illud non poſtulant quoad bona debitori, uxori ſuæ & liberis ad ſuſtentationem neceſſaria, tum quia reſtrictio mentalis perjurium tollit: nam utrumque falſiſſimum eſt; prius quidem falſum eſt ex Pontaſio, qui dicit in ſua hac reſponſione nullam omnino reſervationem in exteriori foro permitti, & conſequenter Judices juramentum exigere quo nihil omnino ſubductum fuiſſe affirmetur. Falſiſſimum eſt & poſterius; nam reſtrictiones mentales, quæ vera ſunt mendacia, auctoritas non minus quam ratio damnat: quidquid in contrarium effutiverint, & nunc effutiant quidam,

Digitized by Google

pro libræ; cum tamen poſſet totum dare, vel cedere bonis, aut compoſitioni aſſentiunt creditores, & ita recipientes liberant eum de reſiduo; certum eſt, quia quoad Deum adhuc tenetur de reſiduo: cum illi non ſponte, ſed coacte fecerint illam remiſſionem, volentes potius illa parte carere, quam toto. Quæ verba adeo ſunt clara & aperta, ut expoſitione non indigeant; atque ex iis ad reſtitutionem quartæ partis a creditoribus ob dolum ſuum remiſſæ, manifeſte damnetur Bauduinus, & quam in ipſius utilitatem cedere foret injuſtum ex hac juris regula: (a) *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.*

(a) Inn. III. in c. Offic. 14. de teſtam. & ult. volunt. L. 3. tit. 20.

CASUS V.

Lampatdius, pannorum Mercator, creditoribus ſuis, qui tertiam crediti ſui partem tantum accipient, omnibus ſuis bonis cedere cogitur; quod priuſquam ipſi declaret ex iis alicui pannos quatuor non numerata pecunia ab eo emtos, & quos etiamnum retinet, utique reddere peroptaret. Quæritur, utrum, abſque aliorum creditorum injuria, id ipſum in hujus favorem præſtare queat?

Respons.

Exiſtimamus, creditorem hunc, a quo pannos quatuor, non numerata pecunia, quique etiam nunc ſubſiſtunt, Lamptidius emit, ceteris creditoribus eſſe anteponendum; quocirca pannos illos reddere poteſt & debet Lampridius, antequam de bonis ſuis decedat. Ratio eſt, quia, licet venditor jure hypothecario non potiatur in rem ſine præſenti pecunia venditam, eamque repetere ab emtore nequeat; in eo tamen caſu præfertur venditor juxta Juriſprudentiam multorum Galliæ Parlamentorum, quæ æquitati naturali conformis eſt (b). Quare venditor, qui merces ſuas agnoſcit integras, & quales eas vendidit inter mobilia emtoris, eas repetere poteſt, cum emtor ceſſor non eas reddidit, ante declaratam creditoribus ſuis ceſſionem, ut ex deciſione ſequenti patebit.

(b) Arret. de la Roche. *Flavien.* L. 2. v. *Achat.* Arret. d'Oliv. L. 4. c. 20.

CASUS VI.

Eliseus, gemmarum mercator, ſeptem aut octo creditoribus, bis ultra quam ſit res ſua, debitor eſt ex ſimplici credito, hoc eſt, abſque privilegio aut hypotheca in bona ſua. Omnes ſolutionem ſuam unanimi conſenſu jure perſequuntur; & facta eis omnium mobilium ſuorum ceſſione, ea inter ſe dividere pro rata crediti ſui contendunt. Verum Alphonſus qui potior eſt aliis in credito, ex indice mercium Eliſei facto agnoſcens unionum monile, ſex Adamantes, & quatuor Carbunculos Orientales, quæ paullo ante ipſius infortunium abſque præſenti pecunia vendiderat, ea repetere contendit, abſque aliorum creditorum participatione. Numquid juſta eſt in his circumſtantis ejus contentio: & ſi forte intercedant alii creditores; nonne ipſis tuta conſcientia litem poteſt inferre ad earum mercium reſtitutionem; etſi nihil aut certe parum ſuperſit ad aliorum ſolutionem?

Respons.

Alphonſi contentio juxſta eſt, & juri conformis, quo ſtatuitur, ut venditor, qui venditæ rei creditor eſt, quæ etiam integra inter mobilia emtoris exſtat, illam ſibi vindicare poſſit abſque tributo cum aliis creditoribus hujuſce emtoris: *Si dedi mercem meam vendendam, & exſtat*, inquit Lex (c), *videamus, ne iniquum ſit in tributum me vocari. Et ſi quidem in creditum ei abii, tributio locum habebit. Enimvero, ſi non abii, quin res venditæ non ultas deſinunt eſſe meæ: quamvis vendidero, niſi ære ſoluto, vel fidejuſſore dato, vel alias ſatisfacto, dicendum erit, vindicare me poſſe.*

(c) L. Procuratoris. 5. P. 18. ff. de tributoria act. L. 14. tit. 4.

Atqui Alphonſus in eo caſu verſatur. Nam mercium in caſu propoſito dictarum, cum ſit creditor; eas invenit inter Eliſei debitoris ſui bona exſiſtentes. Jure igitur eas ſibi vindicare poteſt, abſque participatione aliorum creditorum, quos, ſi forte interceſſerint, abſque injuria perſequi juridice poteſt.

Confirmari poteſt hæc ſolutio, 1. Ex hac alia Lege (d): *Quod vendidi, non aliter ſit accipientis, quod ſi aut pretium nobis ſolutum ſit, aut ſatis eo nomine factum.* Cujus rei hanc alia Lex effert rationem: *Venditor quaſi pignus retinere poteſt eam rem, quam vendidit* (e).

(d) L. Quod vendidi 19. ff. de contr. empt. & l. Ut res 53. ff. eod. tit. l. 18. tit. 1.

(e) L. Julianus. 13. par 8. ff. de action. empt. & vendit. L. 19. t. 1.

Obſervandum, tamen, 1. quod ex quibuſdam conſuetudinibus, talis creditor aliis non anteponeretur, ſi merces ſuas, præfixo ſolutionis ſpatio vendidiſſet; quod confirmari videtur ex his prioris laudatæ Legis verbis. *Si in creditum ei abii .... ſi non abii.* 2. Quod ſi jam de mercibus iſtis, venditione aut aliter ſtatuiſſet emtor, ita ut iſtas penes ſe jam non haberet, tum venditor eas vindicare ſibi non poſſet: cum mobilia, ex uſu Galliæ, ſint abſque conſecutione; hoc eſt, cum venditor ad earum ſolutionem, a tertia perſona pretium, eaſve repetere non poſſit: niſi, juxta quaſdam conſuetudines, abſque præfixa ſolutionis die vendidiſſet venditor, ut promtior fieret ſolutio ſua; cum ex infidelitate emtoris ſui æquum non ſit, eum ſpoliari dominio rei, quod tenere cenſetur ad uſque ſolutionem ejus.

CASUS VII.

Hyparcus, Campſor, cujus negotia in pejus ruunt ex fraudulentis pecuniæ diſſolutionibus ſibi factis, creditoribus ſuis de omnibus bonis cedere conſtituit. Germanus, unus ex iis, re perſpecta, eum ad ſolutionem 500. lib. vehementer ſolicitat, non inſcius, Hyparchi rem omnem ad dimidiam debitorum ipſius ſolutionem vix ſufficere: ſeque ſummæ ſibi debitæ periculum procraſtinando inire. Hyparchus ob priſtina ejus in ſe merita bene in eum effectus, & cui præſens etiam ſupereſt, ſumma pecuniæ, ipſum ſolvit, & quatriduo poſt bonam copiam ejurat. Qua de re quæritur, utrum Germanus, illæſa conſcientia ſua, 500. libras poſſit retinere, an vero inter bona ab Hyparcho derelicta, eas congerere teneatur, ut inter ſe, alioſque Hyparchi creditores diſtribuantur?

Respons.

Ad ſolutionem hujus difficultatis, pluriumque ſimilium, obſervandum 1. ex debitis alia eſſe certa, aut incerta alia. Certa dicuntur ea, quorum creditores ſunt cogniti: incerta vero, quorum ſunt incogniti, nec apparent. 2. Eſſe rerum debita, quæ ſunt alterius, & quarum verum numquam debitor habuit dominum: & aliarum rerum, ex quibus ad reſtitutionem tenetur, licet cum iis ſint permixtæ, quarum eſt dominus. 3. Eſſe debita, quæ bone fide & abſque injuſtitia contraxit debitor: & alia, quæ mala fide & injuſte contraxit. 4. Diverſa pariter eſſe creditorum genera: quidam enim realem habent in bona debitoris actionem, ob privilegium ſeu hypothecam generalem, aut ſpecialem expreſſam, aut tacitam in hæc bona: alii vero perſonalem tantum habent actionem abſque privilegio aut hypotheca.

Præſupponendæ ſunt etiam regulæ quædam, quas ſequi tenentur ſeu creditores, ſeu debitores.

Prima eſt: quod cum debitor certo novit, ad ſolutionem omnium creditorum ſufficientia ſe poſſidere bona: liberum eſt ei, iſtos ante alios ſolvere, iis tamen antepoſitis, quorum ſolutionis dies eſt præfixa. Dicimus: *Cum debitor certo novit:* alioqui, ſi dubium eſſet, in ſolutionibus ſuis ordinem jure præſcriptum ſequi teneretur: ne, qui primus eſt creditor, credito ſuo injuſte privaretur.

Secunda: quod, ſi ad perſolvenda omnia debita, non ſufficiant debitoris bona, juſtitiæ ordinem ſequi debet, ſequendo videlicet 1. jus naturale, 2. jus conſuetudinarium locorum, modo juri naturali non ſit oppoſitum: vel eorum defectu, amplecti tenetur, quod in tali caſu ab æquo Judice conſtitueretur, aut quod ſuaderet vir ſapiens & intelligens.

Tertia: quod debita certa incertis in ſolutione ſunt anteponenda, & quæ idcirco Eccleſiæ vel pauperibus reſtitui debent: ubi deficiunt veri creditores, qui non ſunt noti. Ratio hujus diſcriminis eſt, quia debito ſuo privari non poſſunt veri & noti creditores, intacta juſtitia commutativa & jure naturali: cum reſtitutio, ubi incogniti ſunt creditores, jure tantum poſitivo, quod naturali cedit, Eccleſiæ, aut pauperibus ſit facienda. Unde, ſi fiat reſtitutio Eccleſiæ, non læditur jus pauperum; aut ſi pauperibus, nullam inde Eccleſia patiatur injuſtiam,

Digitized by Google

riam, niſi forte conſtet, rem reſtituendam, cum exſtet, ad Eccleſiam vere pertinere, qualis eſt, v. g. Calix aut vas conſecratum, quod fuiſſet ſubreptum, & cujus proinde dominium numqnam habuiſſet debitor.

Quarta: quod ſi re- reſtituenda etiamnum ſubſiſtit, vero Domino, ſi notus ſit, reddi debet; quandoquidem ejus numquam dominium amiſerit; ſic res commodata, depoſitum aut pignus, Domino ſuo reddi debent: quia abſque injuſtitia res aliena adbiberi non poteſt ad reſtituenda aut ſolvenda debita ſua.

Quinta; quod duplicis 1. diſtinguenda ſint generis debita: alia realia, hoc eſt, quorum ſolutio, fundum, domum, aut aliud quid ſimile habet oppignerata, ſeu ad hypothecam: alia perſonalia, hoc eſt, pro quibus tantum obligatur perſona debitoris. 2. Quod realia perſonalibus ſint anteponenda; quia in realibus obligantur ſimul perſona & bona debitoris; in perſonalibus vero perſona dumtaxat: unde priorum Creditores dicuntur privilegiati, ſeu hypothecarii; alii vero, Chirographarii.

Sexta denique regula hæc eſt: quod ſtandum legibus aut conſuetudinibus, in ſtatu aut Provincia, in quibus ſolutionis Creditorum ordo iis præſcribitur; quæ privatæ leges aut conſuetudines, ſi deficiant, jure naturali debent compenſari.

Præſuppoſitis iſtis animadverſionibus ac regulis, uti certiſſime veris, ad propoſitam præſentis caſus quæſtionem reſpondemus; & dicimus:

1. Qnod, cum ad ſolutionem omnium debitorum ſuorum non ſufficiant Hyparchi bona, nullum poteſt Chirographarium Creditorem, privilegiatis ſeu hypothecariis, ſi qui ſint, abſque injuſtitia anteponere. Ita Sairus, Benedictinus Anglus docet his verbis (*a*): *Qnando concurrunt Creditores habentes hypothecam expreſſam, vel tacitam, vel aliquo modo actionem realem, vel ſaltem privilegium perſonale, cum habentibus perſonales tantum actiones, vel Chirographa: Semper præferendi ſunt Creditores hypothecarii, & ſolvendi ſuat in integrum; etiamſi poſteriores ſint tempore habentibus actiones tantum perſonales: & quidem quando realis eſt hypotheca expreſſa, aut etiam tacita; jus ipſum naturale exigere videtur, ut totaliter ex illa re habenti hypothecam reſtituatur; cum data ſit in aſſecurationem & jus ipſi Creditori. Cum autem eſt privilegium perſonale; idem etiam juris beneficio ob bonum commune factum eſſe videtur*. Poſtea iſtam, quæ contra poſſet objici, juris regulam exponit: *Unde regula juris*: qui prior eſt tempore, potior eſt jure, *intelligenda eſt*, inquit, *de debitis realibus; hoc eſt, de habentibus reales actiones; & ita priori hypothecæ reali expreſſæ, priuſqnam poſteriori; & doti priori, priuſquam poſteriori ſatisfaciendum eſt*. Ita hic Auctor poſt celebrem Juriſperitum Baldum, in legem Codicis, cujus ipſe verba hæc non refert: *Siquidem Debitoris tui ceteri Creditores pignori res acceperunt, potiores eos, quam te, Chirographarium Creditorem, haberi non ambigitur*. Idem qnoque docent Silveſter, Petrus Navarra, Petrus de Aragonia, Bannes & Rodriguez; quibus cum aliis permultis, addendus Cardinalis de Lugo (*b*).

(*a*) Greg. Saitus Clavis Regiæ L. 1. tract. 5. c. 10. dub. 4. n. 20.
Et apud eum Baldus in Leg. *Pro debito*. 6. Cod. de bonis auctorit. Judicis poſſidendis &c. L. 7. tit. 74.
Silveſter de Prierio v. *Reſtitutio*. 6. q. 5.
Petrus Navarra L. 4. de reſtitut. c. 6. dub. 1. n. 1.
Petrus de Aragonia in 2. 2. q. 62. a. 6. in fin. concluſ. 4.
Dominicus Bannes ibid. poſt docum. 5. concluſ. 3.
Emman. Rodriguez part. 2. ſum. c. 40. concluſ. 4.

(*b*) Card. de Lugo de juſt. & jure diſp. 20. ſect. 7. §. 4.

2. Dicimns etiam, quod, cum Germanus Hyparchi ſit tantum Creditor Chirographarius, jure debitas ſibi 500. libras accipere non potuit cum præjudicio reliquorum Creditorum, qui erant privilegiati, ſeu hypothecarii; præſertim, cum eas acceperit de damno inſtructus; & quas proinde cum ceteris bonis Hyparchi permiſcere tenetur, diſtribuendas videlicet iis qnorum intererit: quod tamen non affirmamus, niſi, ut quid probabilius videtur, & ad conſcientiam tutius; etſi aliter ſentiant nonnulli Doctores (*c*); quia, inquiunt, pecunia illa hypothecæ non eſt ſubjecta, ad quam proinde nullum Creditoribus privilegiatis, ſeu hypothecariis jus competit. Verum legitima non eſt iſta ratio. Licet enim præſens debitoris pecunia Creditoribus ſuis non ſit ſpecialiter oppignerata; in eam tamen, ut in reliqua ejus bona generalis quædam iis convenit hypotheca; cum hypothecarii contractus, generalem ſemper in debitoris bona hypothecam includat; qua ex re Chirographariis ſemper anteponendi ſunt Creditores hypothecarii, ſaltem in foro interiori, de quo agitur in caſu propoſito.

(*c*) Lud. Bail. de examine Pœnit. q. 53. p. 380.
De Sainte Beuve tom. 2. Caſ. 136.

3. Exiſtimamus, quod ſi ceteri Creditores eſſent tantum, ut ipſe, Chirographarii; ſolutionem ſuam accipere potuit, etſi ceteris tempore poſterius eſſet ipſius creditum; idque ob adhibitam diligentiam ad procurandam ſolutionem ſuam; quia, ut dicitur in jure, *vigilantibus jura ſubveniunt*; quæ regula ex hac Digeſtorum lege deducitur (*d*): *Vigilavi: meliorem meam conditionem feci. Jus civile vigilantibus ſcriptum eſt: ideoque non revocatur quod præcepi*. Sed extra caſum hunc, ſuam quiſque partem auferre debet: *Quod ſi ſpecialiter, vel generaliter* (res debitoris) *nemini probentur obligatæ; omnibus creditoribus conſuli poteſt*. Hæc ſunt verba primæ Legis a nobis laudatæ. Id quoque docent Silveſter, Navarrus, Joſephus Angles, Petrus de Aragonia, Ludovicus Lopez, Gregorius de Valentia, Philarcus, Petrus Navarra, Rodrignez, & alii, quorum auctoritatem laudat Sairus, qui dicit (*e*): *Creditor poſterior, petendo prius, non peccat; nec accipiendo debitum; etiam quando debitor non eſt ſolvendo omnibus, quibus debet, tenetur ad reſtitutionem accepti. Ratio eſt*, inquit, *quia, petendo, utitur jure ſuo. Ergo non peccat; & qui accipit, quod ſuum eſt ſolum, non alienum, non tenetur ad reſtitutionem*.

(*d*) L. Pupillus. 24. ff. quæ in fraudem Creditorum facta ſunt, &c. L. 42. tit. 8.

(*e*) Silveſter de Prierio. Loco cit q. 8.
Navarr. Man. c. 17. n. 14. & 53.
Joſeph Angles in floribus 4. ſentent. p. 2. q. 3. de reſtitut. art. 3. concluſ. 6.
Petrus Navarra L. 4. de reſtitut. c. 6. dub. 11. n. 52.
Petrus de Aragonia cit. art 8. concluſ. ult.
Lud. Lopez. part. 1. inſtruct. conſcient. CXI.
Greg. de Valentia, tom. 3. diſput. 13. q. 6. puncto 20.

Vide Restitutio. Caſ. Joannes.

CASUS VIII.

Robertus, cujus res eſt perdita, metu carceris, quem ſibi minabantur Creditores, ipſis de omnibus bonis ſuis cedere coactus eſt. Sed cum ea ad ſolvendum non ſufficiant; non ſolum in bona derelicta actionem habere contendunt ipſius Creditores; Sed in alia etiam bona, ad quæ jus haberet jam acquiſitum ex ante diem ceſſionis, & in alia bona, quæ poſtea acquiſivit.

Robertus contra contendit, bona, quæ conſiſtunt in hereditate, quæ ſibi inſcio pridie ceſſionis ſuæ contigerat, & in donatione, quæ ſibi ab eo tempore facta eſt, a Creditoribus ſuis jure non poſſe repeti, 1. quia de iis cedere non intendit, 2. Quia nec dum adivit aut hereditatem hanc acceptavit.

Poſſunt ne Creditores, his non obſtantibus rationibus, hereditatis hujuſce & donationis bona repetere ad concurſum pecuniæ ſibi a Roberto debitæ.

Respons.

Roberti Creditoribus jus competit ad bona, quæ ipſi ex hereditate, aut donatione, de quibus in caſu propoſito ſit mentio, contigerunt. Certum eſt enim 1. quod cum ſufficientibus ad debiti ſolutionem bonis non cedit debitor, ſuperflui manet debitor. *Qui bonis ceſſerint*, inquit Lex (*f*), *niſi ſolidum Creditor receperit: non ſunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium iis prodeſt* ſubjungit Lex eadem, *ne judicati detrahantur in carcerem*. 2. Quod non ſolum bona, quæ ceſſionis tempore poſſidebat debitor, ſed ea etiam, ad quæ jus acquiſitum ceſſor haberet, in ceſſione comprehenduntur. Unde ſequitur cum bona a Roberto derelicta non ſufficiant ad integram Creditorum ſolutionem, ipſum a reliquo ſolvendo non eſſe liberum, atque adeo, cum ceſſionis tempore, jus haberet ad hereditatem, quæ ei contigit, in illius bona ſucceſſionis jus ſuum exercere poſſe Creditores illius, ut conſtat ex hac Lege (*g*): *Si qua ipſi jura Lex vel ex hereditate, vel cognatorum donatione in rebus mobilibus præſtet, in quarum poſſeſſionem nondum conſtitutus ſit, competere tamen ipſi videantur, poſſintque Creditores, vel partem ex iis, vel etiam totum colligere, extra tamen res uxoris*. 3. Idem dicendum de bonis, quæ a ceſſionis tempore ex donatione Roberto contigerunt: cum enim integram ſolutionem ſuam non accepere Creditores ex bonis derelictis, jus ſuum in bona, quæ poſtea acquirit debitor, exercere poſſunt, eo tamen excepto, quod ad ſuperfluum debitum exigendum a debitore, qui ceſſit; incarcerationem ejus nequeunt exigere: quia bonorum ſuorum ceſſione pœnam hanc redemit: *Is qui bonis ceſſit, ſi quid poſtea acquiſierit, in quantum poteſt* con-

(*f*) L. Qui bonis. 1. cod. qui bona cedere poſſunt. L. 7. tit. 71.

(*g*) Novella 135. c. 1.

Digitized by Google

(a) L. *Is qui* 4. ff. de ceſſione bonorum, L. 42. tit. 3.

convenitur, inquit Lex (a). *Si quid poſtea eis pinguius acceſſerit*, ait Lex alia (b), *hos iterum uſque ad modum debiti poſſe a Creditoribus legitimo modo avelli*. Quibus addendum, partis de novo bonis penitus ſpoliari non poſſe ceſſorem, ſed a Creditoribus ſuis neceſſario relinquanda ſunt ad victum neceſſaria. *Si quid miſericordiæ cauſſa ei fuerit relictam*; inquit etiam Lex alia Digeſtorum (c); *puta menſtruum vel annuum alimentorum nomine; non oportet propter hæc bona ejus iterato venundari. Nec enim fraudandus eſt alimentis quotidianis*. Quidquid hactenus dictum eſt, cum Juriſprudentia Galliæ & Canoniſtarum ſententia conſentit (d).

(b) L. *Cum & filiifam*. 7. cod. qui bonis cedere poſſunt L. 7. tit. 71.

(c) L. *Qui bonis* c. ff. de ceſſione bonorum.

(d) Cabaſſut. Juris can. Theor. & Prax. L. 6. c. 22. n. 5. &c.

CASUS IX.

Ariſto, Mercatore famoſo, defuncto, cum multus eſſet in ære alieno; Gilbertus Heres a viginti ipſius Creditoribus tertiæ partis remiſſionem accepit, quod ad integram ſolutionem derelicta bona non ſufficerent: Verum huic conditioni, quinque ex iis refragantur, & ſolidum debitum exigunt. Numquid ad integram illam ſolutionem tenetur Gilbertus?

RESPONS.

Ad ſolutionem præſentis difficultatis juris ſtatuta conſulere hac de re, ut nobis videtur, ſatis eſt. Atqui jus exigit, ut factam heredi a majori parte Creditorum remiſſionem admittant alii numero inferiores quamvis abſentes, modo debite ad aliorum conſultationem fuerint vocati; ita definiunt plures Romanæ leges, & hæc in primis (e): *Si convenerint in unum* (Creditores) *& communi conſenſu declaraverint quota parte debiti contenti ſint; Si vero diſſentiant, tunc Prætoris partes neceſſariæ ſunt, qui Decreto ſuo ſequetur majoris partis voluntatem*. Ratio hujuſce rei hæc afferri poteſt, 1. Cum major pars Creditorum debiti remiſſionem faciat, præſumi neceſſe eſt, & illud aliis utile eſſe, ut quoque aſſentiantur. 2. Quia ea juris diſpoſitione multæ vitantur litium ambages, proceſſus & impenſæ aliter ſecuturæ, quæ damnum maximum tum debitoris heredi, tum Creditoribus inferrent. Si tamen in Urbe aut Provincia vigeret aut privata Lex aut conſuetudo contraria legitime conſtituta; huic ſtandum foret.

(e) L. *Juris gentium*. 7. §. fin. ff. de pactis. L. 2. tit. 24.

Confirmari poteſt hæc reſponſio Legibus aliis, quibus ſancitur, ut, cum Creditores omnes oblatæ ceſſioni; aut ad quinquennium debiti ſolutionis dilationi aſſentiri nolint, tunc majoris partis ſententia obtineat, ſi paria ſint omnium credita; & ſi numero pares ſint Creditores, illi tunc anteponantur, qui debitori magis ſunt propitii, ſive ſint hypothecarii, ſeu Chirographarii. *Pari autem quantitate debiti inventa, diſpari vero creditorum numero; tunc amplior pars creditorum obtineat; ita ut quod pluribus placeat ſtatuatur. Sin vero undique æqualitas emergat, quam debiti, quam numeri creditorum; tunc eos anteponi, qui ad humaniorem declinant ſententiam non ceſſionem exigentes, ſed inducias: nulla quidem differentia inter hypothecarios, & alios Creditores, quantum ad hanc electionem*. Ita Lex quædam Codicis Juſtiniani (f).

(f) L. *Cum ſolito*. fin. Cod. qui bonis cedere poſſunt.

Unde colligi poteſt, cum in caſu propoſito remiſſioni Gilberti aſſentiantur viginti ejus Creditores, quinque tantum eidem conceſſioni refragantibus; viginti Creditorum conſenſum quinque aliorum interceſſioni eſſe anteponendum; Gilberto tamen adhuc reſidui, ſi poſſit, ſolutionem debente.

Duo tamen refert hic obſervare: Primum: quod ſecundum Juriſprudentiam Galliæ non ſatis eſt, ut majori ſint numero viginti Creditores, qui remiſſioni aſſentiuntur; Sed neceſſe eſt inſuper, ut credita ſua majora ſint, quam ea aliorum quinque, qui huic non conſentiunt; alioquin ſequeretur, quod ſi viginti prioribus 600. librar. tantum, aliis vero quinque 20000. librarum eſſent debitæ; Priores poſſint compoſitionem admittere, cum maximo aliorum quinque detrimento: quod manifeſte foret injuſtum. Secundum: quod pervidendum accurate, num quinque remiſſionem denegantes ſint privilegiati ſeu hypothecarii; ceteri vero Creditores viginti tantum Chirographarii; tum enim his ultimis non competeret jus remiſſionis, contra priorum voluntatem, conformiter ad duas illas animadverſiones intelligi debent præſens Deciſio, Legeſque, quarum auctoritate fuit ſtabilita, juxta uſum Galliæ.

CASUS X.

Thomas, Alexius, aliique duo, inita ſecum invicem Commercii ſocietate, ad illius utilitatem promovendam 10000. lib. mutuantur ſummam, ad cujus ſolutionem omnes in ſolidum ex contractu tenentur. Thomæ, ut pote rerum peritiſſimo committitur illius adminiſtratio in Urbe remota, ubi per annum idcirco commoratur; per hanc vero temporis moram, uno e ſociis in libidinem ac vitia profuſo, aliiſque duobus intelligentia carentibus, ſocietatis negotia ſus deque dilabuntur: quo detecto 10000. lib. Creditor Socios jure proſequitur, atque Alexium, ut pote omnium ditiſſimum nominatim appellat. Thomas redux quamvis male geſtarum ſocietatis rerum innoxius, bonorum ſuorum Alexio ceſſionem offert, quæ tamen ad dimidium quotæ ſuæ partis vix perveniunt.

Alexius, accepta ceſſione, omnia Thomæ bona certa occupat, eumque a reliquo debito ſocietatis erga Creditorem liberat. Thomas, in hac bonorum ſuorum ceſſione nullam de 4000. lib. ſibi debitis, quæque ſocietati ſunt anteriores, atque in mobilibus quibuſdam incertis, quibus ſolvendis Debitores non idoneos exiſtimat, mentionem facit. Interea moritur, atque jacens moribundus, uxori ſuæ declarat, ſe neque de ſocietate, neque de ceſſione a ſe facta in aliquo coram Deo anxium eſſe. Eo defuncto, uxor, cujus dos præcipua pars erat bonorum, quibus vir Alexio ceſſerat, quod in ſolidum cum illo ſeſe obſtrinxiſſet, illa dubia debita, tum propria, cum amici intelligentis gratia ſecura reddit, eorumque partem identidem ad propriam ſuſtentationem accipit. Qua de re ipſi ſcrupulum injiciens Confeſſarius ejus monet, eam teneri ad reſtituendum debitam illam pecuniam Alexio, qui in ſolidum electus, pro omnibus ſolvit 10000. lib. a ſocietate mutuata.

Quæritur, utrum Confeſſarius ille juſtum ei ſcrupulum ea de re moverit: & utrum re ipſa teneatur, ad cedendum hic & nunc Alexio bonis reſiduis; an vero iiſdem poſſit uti ad honeſtam ſui ſuſtentationem; ea mente, ut moriens ipſi, quod ſupererit, teſtamento leget?

RESPONS.

Ad reſpondendum huic difficultati diſtinctione opus eſt: nam vel Alexius talia atque talia bona certa ex ceſſione accepit; vel omnia bona ſeu certa ſeu incerta: Si primum: Thomæ uxor 4000. librarum ſibi retinere poteſt, quæ nimirum tempore ceſſionis erant mobilia dubia, difficile recuperanda; cum in hoc caſu inter bona derelicta non adnumeraretur hæc ſumma. Si ſecundum: hoc eſt, ſi ceſſio fuit generalis; 4000. libr. ut cetera bona certa decreſcere tenetur hæc mulier; cum omnia bona generalis ceſſio abſque ulla exceptione complectatur. Quod tamen ſub duabus eſt intelligendum conditionibus: Prima: ut ex hac pecuniæ ſumma factas legitime ad ejus aſſecurationem ac recuperationem impenſas deducat. Altera: poſito quod ad urgentem non redigatur neceſſitatem; nam, ſi hoc eſſet, ex æquitate naturali hæc bona retinere poteſt ad ſui ſuſtentationem; ut jam diximus in reſponſione ad primam difficultatem: *Gravatus ære alieno*, inquit Cabaſſutius (g), *poteſt in foro conſcientiæ, ſive ante, ſive poſt bonorum ceſſionem ea ſervare, quæ ad ſui & liberorum ſuſtentationem, uxoriſque neceſſaria ſunt, tametſi in exteriori foro durius ageretur cum illo*.

(g) Joan. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & Prac. l. 6. c. 22. n. 5.

Nihilominus mulier illa in hoc caſu reſiduum illorum bonorum Alexio legare teſtamento ſuo moriens tenetur; aut etiam actu illa deſerere, ſi melior fuerit fortunæ ſuæ conditio, nec illis bonis ad vitandam egeſtatem indigeat: cum ex Covarruvia, Navarra, aliiſque multis inclytis auctoribus certum ſit, quod, qui ad vitandam extremam aut urgentem neceſſitatem, qua premitur, bonum quodpiam ſibi retinet, is non ejus dominium, ſed uſum dumtaxat acquirit; quocirca proprio Domino tale Dominium, ubi ejus uſu non indiget, reſtituere tenetur (h).

(h) De Sainte Beuve, tom. 2. caſ. 235.

CA-

CASUS XI.

Florentinus, Campſor, inopinetis infortuniis fortuitiſque caſibus omni re ſua everſa; bona fide cum Creditoribus ſuis agens, omnia ſua bona fideliter eis declarat, ac iiſdem juridice cedit in eorum ſavorem. Diviſa ſumma inter ſe venditiouis eorum; quilibet Creditor mille libras de tota ſibi debita pecuniæ ſumma amittit.

Florentinus, rerum peritiſſimus, opitulante ſibi avunculo ſuo, Indias mari petere conſtituit; unde decennio poſt divitiis affluens redit. Qua de re quæritur, utrum cuilibet ex Creditoribus ſuis ſolvere teneatur, quod ex ceſſione ipſius amiſerat quiſque?

Respons.

Certum eſt, Florentinum in foro conſcientiæ teneri erga omnes Creditores ſuos ad ſolutionem reſidui debiti, quod ex ipſius ceſſione amiſerunt; ut docet S. Antoninus (a): *Quin immo*, inquit, *etſi cederet bonis totaliter, nihil ſibi reſervando; & non ſufficiunt bona illa ad ſatisfaciendum; ſi poſtea pervenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur de reſiduo*. Quod probat ille Sanctus ex Decreteli Gregorii IX. qua vult hic Papa, ut Clericus quidam, Odoardi nomine, qui debita ſua perſolvere non poterat, ſufficientem det cautionem, qua ea ſolvere teneatur; *at ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta perſolvat* (b). Idem ſentit Gregorius Sairus, (c) *ex communi*, inquit, *omnium conſenſu*.

(a) S. Anton. 2. ſumma Theolog. tit. 2. c. 4. §. 1.

(b) Greg. IX. in cap. Odoardus. 3. de ſolutionibus. L. 3. tit. 23.

Deciſionis hujus hæc afferri poteſt ratio; quia ob ceſſionem bonorum non extinguitur, ſed ſuſpenditur tantum ſolutionis obligatio: *Ceſſione bonorum*, inquit Cabaſſutius; (d) *non liberatur debitor ab obligatione ſolvendi quod reliquum eſt, tam in interiori, quam in exteriori foro .... adeo ut compelli poſſit ad laborandum juxta conditionis ſuæ ſtatum*: quod confirmat hic Canoniſta ex hac Digeſtorum Lege (e): *Is qui bonis ceſſit, ſi quid poſtea acquiſierit, in quantum facere poteſt, convenitur*.

(c) Greg. Sairus. clavis Regia L. 10. tit. 5. c. 7. n. 4.

(d) Joan. Cabaſſut. juris can. Theor. & Prax. L. 6. c. 12. n. 5.

Quocirca, ut jam obſervatum eſt in reſponſione ad textum caſum; quidquid cedendi ex ceſſione ſua provenit emolumenti in eo poſitum eſt, 1. Ut pro debitis ſuis incarcerationis metu ſit immunis. 2. Ut facta ceſſione, ultra vires ſuas ab eo nequeet exigi ſolutio; uti patet ex his ſuperius citatæ legis verbis, *in quantum facere poteſt*.

(e) L. Is qui. 4. ff. de ceſſione bonorum. L. 42. tit. 3.

CASUS XII.

Ernestus, Sutor juratus, tabernam emptorum frequentie celebrem habens, ob ſenilem ætatem, cum Eaſtachio omnium Opificum ſuorum antiquiſſimo, ee conditione contraxit, ut Euſtachius qualibet hebdomada ſibi quatuor calceorum paria pro libris octo ſuppeditaturus ſit; quæ nimirum emptoribus quibuſdam ſibi amicis vendere cupit, & quorum nomina, ceſſionis inſerta ſunt contractui, quo Taberna ſua cum omni ſupellectili ceteriſque ejus utenſilibus nec non aliis emptoribus ceſſit Euſtachio. Ceſſionarius ſtat promiſſis ſuis fideliter. Verum poſt aliquot menſes novit, ceſſorem ſuum clam ſibi quoſdam reſervaſſe emptores, & novos etiam contra initam pactionem admiſiſſe. Queritur Euſtachius & contendit, Erneſtum tuta conſcientie novos illos admittere emptores, aut veteres etiem ad proprium lucrum retinere non poſſe; cum & Taberna ſua & ſolitis emptoribus omnique negotio ſuo ſibi ceſſerit. Reſpondet Erneſtus, 1. novos emptores ſibi retinere poſſe; quandoquidem in eorum non cenſerentur numero, de quibus ex contractu ſuo ceſſit, quippe qui ab eo tempore eos ſibi compararit. 2. Quod ad veteres pertinet quos ſibi clam retinuit, eos in ceſſionis ſuæ contractu non eſſe annumerandos; cum notos tantum ipſi emptores dimiſerit, quibus fuit contentus; & aliunde ipſum injurioſe querelas movere, cum ſufficiens ei pro die qualibet opus ſuppeteret. Numquid legitimæ ſunt Erneſti rationes; atque ob eas injuſtitia vacat?

Respons.

Si ex ceſſionis ſuæ contractu artis ſuæ exercitium, omneque commerciam pro Euſtachio abdicarit Erneſtus; emptores veteres quos clam ſibi ſervavit inſcio Ceſſionario ſuo, aut novos admittere non poteſt, iis videlicet contentus, quorum nomina in contractu habentur; alioqui reus fieret doli, ac fraudem ſuam in lucrum ſibi, maximo Euſtachii damno, converteret contra illam juris regulam (f): *Fraus & dolus alicui patrocinari non debeat*; & iſtam aliam Bonifacii VIII. (g): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*. Et quidem Euſtachius jam de quatuor calceorum paribus ex pacto ſuppeditandis non teneretur ob interventum ab Erneſto dolum, juxta hanc aliam regulam (h): *Cum dolus dat cauſſam contractui .... non tenet contractus*. Unde ſequitur in hoc caſu Erneſtum injuſte agere, & ad reſtitutionem totius Euſtachio damni illati teneri.

(f) Innoc. III. in Cap. Officii. 24. de teſtamentis &c.

Et in Cap. Cum dilectus. 8. de religioſis domibus. L. 3. tit. 26. & 36.

Aſt contra, ſi artis ſuæ exercitium atque commercium ex contractu ceſſionis non penitus ubjecerit Erneſtus; pro iis quos ſibi retinuit, emptoribus, noviſque vel per ſeipſum calceos facere, aut faciendos curare poteſt; ac præſertim in ea quam refert, caſus circumſtantie, que affirmetur, Euſtachio ſufficiens opus non deeſſe (i).

(g) Reg. 48. de reg. juris in 6.

(h) Gloſs In Cap. Cum dilectis. 3. v. de emptione & vendit. L. 3. tit. 7.

(i) De Sainte Beuve. tom. 2. caſ. 150.

CIRCULATOR.

CIRCULATORES, qui & *Ludii* ſeu *Ludiones*, *Mimi*, *Hiſtriones*, & *Sycophantæ* dicuntur, ii ſunt, qui erecta in loco publico, theatri quadam ſpecie, quo aſcendunt, præſtigiis, anilibuſque fabulis, nec non ventoſa loquacitate plebem morantur, ut ſpectatores alliciant ad emenda ſua medicamina, aliave nullius momenti rara ac ſingularia; quemadmodum ipſi dictitant.

Ars circulatoria, ſeu hiſtrionica eſt contemptibilis & viro honeſto indigna, ac præcipue Chriſtiano homine; unde inter infamiæ nota aſperſos reputantur a ſeptimo Concilio Carthaginienſi an. 419. ii omnes, qui eam exercent (k): *Omnes etiam infamiæ maculis aſperſi, id eſt, hiſtriones &c.* Utrum autem abſque peccato mortali poſſit exerceri, heic examinabimus.

(k) Conc. Carthag. 7. in Can. Definimus. 1. 9. 9. 8.

CASUS PRIMUS.

Eustratus, profeſſione circulator, cum tempore Paſchali apud Parochum ſuum peccata depoſuiſſet, ab eo abſolutionem obtinere non potuit, 1. Quia Parochus ille contendit, profeſſionem hanc eſſe infamem, quæ proinde licite nequit exerceri. 2. Prohibitum eſſe, ne qua circulatoribus merces detur, in præmium ludorum ſuorum: quocirca Euſtrati lucrum inde proveniens eſt injuſtum. Numquid pro Parocho ſtat jus; etque Euſtratus profeſſionem hanc abjicere tenetur ad demerendam abſolutionem?

Respons.

Circularoris profeſſio ex ſe non eſt illicita; nec judicandum, eos omnes qui eam exercent, reos eſſe peccati mortalis: nam, ut ait ſanctus Thomas,

Digitized by Google

mes (a), in ludis quibuſdam conſiſtit, hoc eſt, ſaltationibus, ſaltibus, præſtigiis, verbiſque joculatoriis ad obleɛtandam plebem. Atqui ludus omnis, modo honeſtati non ſit contrarius, & loco ac tempori conveniat, ad obleɛtandum hominem, vitæque præſentis tædia levanda, eſt neceſſarius, & conſequenter non illicitus. En verba Doɛtoris Angelici: *Ludus eſt neceſſarius ad converſationem humanæ vitæ. Ad omnia autem, quæ ſunt utilia converſationi humanæ deputari poſſunt aliqua officia licita: & ideo etiam officium Hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum; nec ſunt in ſtatu peccati, dummodo moderate ludo utantur; id eſt, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis & temporibus indebitis: & quamvis in rebus humanis*, pergit S. Doɛtor, *non utantur alio officio per comparationem ad alios homines; tamen per comparationem ad ſe ipſos & Deum, alias habent ſerioſas & virtuoſas operationes: puta, dum orant & ſuas paſſiones & operationes componunt, & quandoque etiam pauperibus, eleemoſynas largiuntur.* Ita S. Thomas, qui duo inde concludit; primum: *Unde illi, qui moderate eis ſubveniunt, non peccant, ſed juſte faciunt, mercedem miniſterii eorum eis tribuendo.* Alterum, quod e contrario colligit idem S. Doɛtor, eſt illud: *Si qui autem ſuperflua ſua in tales conſumunt, vel etiam ſuſtentant illos Hiſtriones, qui illicitis ludis*, puta verbis aut geſtibus inhoneſtis, *utuntur, peccant, quaſi eos in peccato foventes. Unde Auguſtinus (b) dicit ſuper Joannem*, quod donare res ſuas Hiſtrionibus vitium eſt immane. *Niſi forte aliquis Hiſtrio eſſet in extrema neceſſitate; in qua eſſet ei ſubveniendum: dicit enim Ambroſius (c) in Libro de Officiis*: Paſce fame morientem. Quiſquis enim paſcendo hominem ſervare poteris, ſi non paſceris, occidiſti.

Cum igitur idem S. Doɛtor, alibi probare volens, quod ſacra Communio publicis ſit deneganda peccatoribus (d), hujuſce rei argumentum ducit ex reſponſione S. Cypriani ad Eucratium (e), a quo in eam rem fuerat conſultus de Hiſtrione quopiam, cujus artem vocat infamem, & cui vult ſacram Communionem recuſari; manifeſte oſtendit, quod circulatores tolerando, de illis tantummodo loquitur, qui pudorem neque verbis, neque factis offendunt; non vero de iis, de quibus loquitur ſanctus Cyprianus; qui mores adoleſcentium non inſtruunt, ſed perdunt.

Et quidem Hiſtriones hujuſmodi, ſeu Comœdi, abſolutione ſunt indigni, dum artem ſuam exercent; quare eos a menſa ſacra arcendos eſſe decrevit Concilium Provinciale Arelatenſe: *De agitatoribus qui fideles ſunt, placuit eos, quamdiu agitant, a Communione ſeparari — de theatricis, & ipſos placuit, quamdiu agunt, a Communione ſeparari (f).*

Colligendum itaque ex dictis, quod, Euſtratus inter ſcenicos illos numeretur, qui obſcena verba proferunt, aut geſtis indecoris & inhoneſtis, pudori boniſque moribus contrariis, utuntur; juſte abſolutionem ipſi denegavit Parochus, ſi artem ſuam abjicere noluit: nam hujuſmodi ludi atque obleɛtamenta *de ſe ſunt peccata mortalia*, ut loquitur S. Thoma (g), & lucrum inde partum, eſt illicitum. At vero ſi Euſtratus jocis ſuis quid inhoneſtum, aut bonis moribus ac Religioni contrarium non miſcet, a Parocho ſuo debuit abſolvi; nec lucrum ejus, tamquam res male parta cenſeri.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 168. a. 3. ad 3.

(b) S. Auguſt. tract. 100. in Joan.

(c) S. Ambr. in Can. *Paſce*. diſt. 86.

(d) S. Thom. 3. part. ſum. q. 80. ar. 6.

(e) S. Cypr. Epiſtol. 2. ſec. Dodvvel, & 61. Pamell, & Eraſmo in. l. 1.

(f) Conc. Arelat. 1. Can. 4. & 5.

(g) S. Thom. cit. ar. 6. in corp.

CASUS II.

Numquid de peccato mortali damnari poteſt Euſtadius, tonſura initiatus Clericus, & omnium egens, qui, ut vitam ſuſtentaret, ab aliquot menſibus Hiſtrionicam artem profeſſus eſt, medicamen vendendo, quod, uti remedium adverſus colicos dolores exquiſitum jactitat?

Respons.

Si Clericus ille, non abdicato Clericatu, ſervatoque habitu Clericali profeſſionem hanc exercet; certum eſt, quod mortaliter peccat, non ſolum, quia pro Clericis crimino ſa eſt illa profeſſio, & qui eam exercent Clerici, ab Eccleſia excommunicantur; ſed etiam propter illatam ipſi Eccleſiæ injuriam, & publice datam ſcandali gravis materiem, etſi nec verbis nec factis honeſtatem offenderet: qua in re aliter de Euſtadio dicendum, atque de circulatoribus laicis, qui, ut diximus in caſu ſuperiori, poſſunt tolerari; modo in ſuæ profeſſionis exercitio in bonos mores, & Eccleſiæ regulas non delinquant, & aliunde vitam ducant Chriſtianam: cum Clericus, qui Chriſtum in ſortem ſuam elegit, & Eccleſiæ ſervitio ſe mancipavit, ſit omnino inexcuſabilis, artem profitendo, quæ tantum a ſanctitate ſtatus ſui abeſt, & quam numquam abſque magno fidelium ſcandalo exercere poteſt, ut jam diximus.

CASUS III.

Miaocles, Acolythus, cujus patruus ſcenam frequentabat, ita acetabulorum ludo, aliiſque Hiſtrionum præſtigiis delectatur, ut ſæpe obleɛtamentis illis, quantumvis ſtatu ſuo indignis indulgeat. Numquid poteſt dici, eum etiam privilegio Clericali, ita ſe gerendo, potiri; ita ut Joannes qui eum rixando percuſſit, excommunicationem non incurrerit?

Respons.

Si Acolythus ille publice indignam illam artem exerceat, uti infamis haberi debet, & omni Clericali privilegio, nullo excepto, deſtitutus (h). Ita Gloſſa Archidiaconi & Geminiani (i). *Qui in ſcenam prodierit infamis eſt*, inquit Lex (K), quæ addit: *Scena eſt, ut Labeo definit, quæ ludorum faciendorum cauſſa quolibet loco, ubi quis conſiſtat moveatur ſpectaculum ſui præbiturus, poſita ſit in publico, privatove, vel in vicino: quo tamen loco paſſim, homines ſpectaculi cauſſa admittantur.* Si ita ſeveræ Leges Romanæ, & quid de Eccleſiaſticis cenſendum? Hinc inter infames numerantur hujuſmodi homines a ſeptimo Carthaginienſi Concilio (l) quod refert Gratianus (m): *Omnes etiam infamiæ maculis aſperſi, id eſt, Hiſtriones &c.* eoſque inter excommunicatos recenſet S. Cyprianus ad Eucratium ſcribens (n), atque tales habendos eſſe affirmat. Denique Canon Decreti Gratiani (o) ordinatione illos indignos declarat. Et quidem, ſi ex Laodiceno Concilio (p) omnibus vetitum erat Clericis, ne profanis illis ac inhoneſtis ludis intereſſent, quanto magis, ne eoſdem per ſe exercerent? Hinc Clavaſius; *ſi hoc faciunt*, inquit, *per annum, ipſo jure perdunt omne privilegium Clericale — ſimiliter etiam perdunt, ſi minori tempore poſt trinam monitionem non deſiſtant.* Quæ verba ab eo auctore ex hac Bonifacii VIII. (q) deſumta ſunt conſtitutione, quæ in ſexto Decretalium his verbis reperitur: *Clerici, qui Clericalis Ordinis dignitati non modicum detrahentes, ſe joculatores, ſeu goliardos faciunt, aut buſones; ſi per annum artem illam ignominioſam exercuerint, ipſo jure: ſi autem tempore breviori, & tertio moniti; ſcilicet per ſuum Prælatum vel Judicem (r)*, inquit Gloſſa, *non reſipuerint, careant omni privilegio Clericali.* Ita etiam Joannes Andreas, uti Archidiaconus, Geminianus, aliique Canoniſtæ.

Diximus: *Si Acolythus ille publice indignam illam artem exerceat*; nam de iis idem ferendum eſſe judicium non putamus, qui privatim ludis illis & abſque ſcandalo indulgent, ſeu ad honeſtam obleɛtationem, ſeu ad tædiorum, aut laborum ſuorum levamen; modo tamen in iis quidpiam non reperiatur, quod pudorem bonoſve mores offendat. *In occulto tamen*, ſubjungit Clavaſius, *vel cauſſa infirmitatis: vel honeſtæ rei, cauſſa joci aliquid facere non reprobatur.* Quod idem iiſdemque verbis aſſerit Gloſſa (ſ). Eamdem quoque doctrinam tuentur Silveſter (t), ac Navarrus (u), Reginaldus (x), & alii.

Concludimus itaque, quod, ſi publice artem Hiſtrionicam exerceret Mirocles, nulla fuit excommunicatione ligatus Joannes ipſum verberans; quia recte eum, uti privilegio Clericali deſtitutum, habuit: at vero ſi Acolythus ille ludos illos privatim, & obleɛtationis cauſſa exerceret; ipſum Joannes verberare non potuit non incurſa excommunicatione, ſi ſciret eum eſſe Clericum.

(h) Gloſſ. in c. *Clerici*. infra c.

(i) Archid. & Geminian. in dic. c. *Clerici*.

(k) L. *Quod ait*. 2. § fin. de *his, qui notantur infamia*. ff. tit. 2.

(l) Conc. Carthag. 7 Can. 8. apud Labbe tom. 2. Concil. columna 1603.

(m) Grat. in Can. *Definimus*. 1. 4. q. 1.

(n) S. Cypr. ad Eucrat. l. 1. Ep. 10. in Can. *Pro dilectione*. 95. de conſec. diſt. 2.

(o) Can. *Maritum* 2. diſt. 50.

(p) Concil. Laod. in Can. *Non oportet*. 3. de conſ. d. 1.

(q) Boniſac. VIII. in c. *Clerici*. an. de vita & honeſt. cleric. in 6. l. 3. t. 11

(r) Gloſſa v. *Moniti*.

(ſ) Gloſſ. in dict. c. *Clerici*. de vita, &c. in c. v. *Joculariter*.

(t) Silveſt. v. *Clericus*. 3. n. 5.

(u) Navarr. c. 27. n. 81.

(x) Reginal. in praxi fori Pœnitentialis. l. 1. n. 235.

CASUS VI.

Adrianus, Hiſtrio inclytus, ſaltat & per funem extentum graditur; immo in funem permagnum campanili alto affixum præceps ruit gerens pectorale to-

Digitized by Google

tomento fartum, quod centies & amplius abſque ullo vulnere repetiit. Numquid id ipſum poteſt abſque peccato mortali?

RESPONS.

Exiſtimat Silveſter in caſu propoſitio eſſe peccatum mortale (*a*): licet raro eveniat, ut Hiſtriones illi ex tali exercitio cadant, aut ſe occidant. Ratio eſt, quia huic exercitio operam dare nequeunt abſque evidenti mortis periculo, cui ſe quis committere numquam poteſt ſine peccato mortali. Hinc ob eam rationem prohibita fuere ab Alexandro III. tertio oecumenico Lateranenſi concilio, cui præerat (*b*), publica certamina, *in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ temere congredi: unde mortes hominum, & animarum pericula ſæpe proveniunt; & ſi quis eorum ibi mortuus fuerit..... Eccleſiaſtica careat ſepultura*, inquit Concilium.

(*a*) Silveſt. v. Art. qu. 8.

(*b*) Alex. III. in Conc. Lateran. in c. *Felicis*, 1. de Torneamentis. l. 5. tit. 13.

Vide COMOEDIA.

CIRCUMSTANTIA.

VOCIS hujuſce definitionem iſtam afferunt Theologi: *Circumſtantia eſt actus humani moralis accidens, ipſum moraliter afficiens* (*c*). Ex qua definitione conſtat 1. Circumſtantiam actui non eſſe intrinſecam, neque eſſentialiter ipſi affixam, ſed extrinſecam; ita ut abſque hac vel illa circumſtantia actus poſſit exſiſtere. 2. Ex circumſtantia quæ actum comitatur, ipſum fieri meliorem aut pejorem.

(*c*) Polman. brev. Theol. 1. p. n. 316. & ſeqq.

Septem numerantur circumſtantiæ actuum noſtrorum exteriorum & moralium comites, quæ hoc carmine comprehenduntur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Prima vox deſignat qualitatem agentis, ex quo augetur bonitas vel malitia actionis illius; ut ſi ſit Laicus, aut Sacerdos, Sæcularis, aut Religioſus.

Secunda denotat qualitatem, aut quantitatem accidentalem objecti: ut, ſi res ſubrepta ſit ſacra vel profana, majoris minoriſve pretii.

Tertia, qualitatem loci in quo facta eſt actio; v. gr. an in loco ſacro, aut profano; an in publico, aut privato.

Quarta, media & inſtrumenta deſignat, quæ ad actionem fuere adhibita: ut an res quæpiam ope dæmonis, aut aliquo maleficio facta ſit; an Sacerdos cum Calice ornamentiſve non benedictis celebrarit.

Quinta oſtenditur finis exterior, qui propoſitus eſt; an v. gr. motivo jactantiæ erogata ſit eleemoſyna.

Sexta manifeſtat modum, quo facinus peractum eſt; utrum ſcilicet rem quis fecerit voluntarie an violenter, ſciens an ignorans, palam an ſecreto; cum plena deliberatione, an vero primo motu impulſus.

Septima denique tempus indicat; v. gr. ſi factum fuerit ſervile opus die Feſto aut Dominico.

Inter circumſtantias aliæ ſunt, quæ mutant ſpeciem peccati, addendo ipſi ſubſtantiæ actus ſpecialem quamdam malitiam, ut fit in peccatis inceſtus, adulterii, furti rei ſacræ, verbi tantum otioſi natura ſua, ſed eo fine prolati, ut corrumpatur perſona audientis: & ſic de aliis.

Circumſtantia hujus generis ita definitur: *Circumſtantia mutans ſpeciem, eſt ea quæ addit malitiam mortalem, ſpecie diſtinctam a ſubſtantia actus*: quam definitionem allatam ſic explicat inſignis Theologus; *Mortalem, quia, ſi addat malitiam tantum venialem ſpecie diſtinctam, non erit mutans ſpeciem.... nec erit neceſſario confitenda*. Cujus rei exemplum affert duellum factum ex levi jactantia. Conſentit illa definitio & expoſitio hujuſce Theologi cum doctrina Concilii Tridentini dicentis (*d*): *Colligitur præterea etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ mutant ſpeciem*. Res eadem ſub pœna anathematis a Patribus hujuſce Concilii in Canone 7. ejuſdem Seſſionis definitur.

(*d*) Concil. Tr. ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.

Sunt & aliæ circumſtantiæ, quæ re ipſa peccati ſpeciem non mutant, ſed gravius illud efficiunt; quale eſſet v. g. odium proximi adeo vehemens, ut quis ei damnationem optaret; qualis eſſet etiam delectatio moroſa, per plures horas perſeverans.

Quædam etiam ſunt circumſtantiæ, quæ non modo peccati malitiam augent, ſed & numerum, multiplicando tranſgreſſiones una eademque actione factas: qualis eſt uſus carnium quadrageſimali tempore, cum quis non eget & ad jejunium obligatur.

Denique ex circumſtantiis aliis minuitur malitia peccati, ut cum fit ex inadvertentia aut ignorantia.

Alteram harum circumſtantiarum ſpeciem ita definit idem Auctor (*e*): *Circumſtantia non mutans ſpeciem, eſt ea quæ actui humano non addit malitiam mortalem, ab eo ſpecie diſtinctam*.

(*e*) Polman. 2. a. num. 35.

Dum

Dum de confeſſione fiet ſermo, oſtendetur, quæ debeant in ea declarari, poſſintve omitti circumſtantiæ.

Vide. { Assolutio. Confessio. }

CLANDESTINITAS.

Vide, Impedimentum Clandestinitatis.

CLERI CAPELLÆ REGIÆ.

Vide Simonia, *Caſ.* 43.

CLERICUS.

MULTI ſunt Ordines eorum, qui *Clerici*, dicuntur, ſcilicet Ordines Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotis, & Epiſcopi, quorum quatuor ultimi dicuntur ſacri, quod propius ad Altare, ubi fit Sacroſanctæ Euchariſtiæ conſecratio, miniſterium ſuum obeant, qui iſtis Ordinibus ſunt initiati; quod vaſa ſacra poſſint contingere, & ad perpetuam continentiam ſervandam, atque ad divinum Officium recitandum obligentur. Allatæ horum Ordinum ſpecies ac diviſio in Canone ad marginem indicato legi poſſunt (*a*).

(*a*) Iſid. in Can. *Cleros* 1. d. 21.

Licet in hoc titulo de Clericis ſecundi Ordinis loqui dumtaxat nobis ſit in animo; dubium non eſt; quin ea, quæ iis ex ſanctis Canonibus, quoad mores jubentur, aut vetantur, a fortiori ſtrictius prioris Ordinis Clericis præſcripta ſint, aut interdicta; cum pro illis potiſſimum ſit illud Apoſtoli Mandatum: (*b*) *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate*; & illud Principis Apoſtolorum (*c*): *Forma facti gregis ex animo*.

(*b*) 1. Timoth. 4. 12.

(*c*) 1. Petr. 5. 3.

Paucas tantum hic de Clericis in genere proponimus difficultates; quia eas in multis ſpecialibus titulis, qui ad eos pertinent, fuſe exponimus, quas proinde Lector conſulere poterit circa deciſiones quæſtionum maximarum, quæ fieri poſſunt de Officiis Clericorum, ſeu Sæcularium, ſeu Regularium. Tituli illi ſub his præcipue vocibus continentur: *Abbas*, *Abbatiſſa*, *Abſolutio*, *Accuſator*, *Approbatio*, *Archidiaconus*, *Aſſentio*, *Altare*, *Baptiſmus*, *Beneficium*, *Beneficiarius*; *Caupo & Caupona*, *Calix*, *Caſus reſervati*, *Cenſuræ*, *Cærimoniæ Sacramentales*, *Canonica*, *Capitulum*, *Collator*, *Collatio*, *Confeſſarius*: 1. & 2. *Confidentia*, *Conſecrare*, *Contritio*, *Corporale*; *Demiſſio*, *Devolutum*, *Diſpenſatio* (novem titulis diverſis); *Diſtributiones*, *Decimæ*, *Decanus*, *Electio*, *Epiſcopus*, *Excommunicatio*, *Excommunicare*, *Extrema Unctio*; *Graduatus*, *Inceſtus Spiritualis*, *Indultarius*, *Interdictum*, *Irregularitas*, *Juſta Caducaria*; *Ludus*; *Miſſa*, *Monaſterium*; *Novitius*; *Officicium Breviarii*, *Officialis*, *Ordines*, *Ornamenta Eccleſiæ*; *Parochus*, *Penſio*, *Peſtis*, *Prædicare*, *Profeſſio Religioſa*, *Promotor*, *Proviſiones*, *Regreſſus*, *Religioſus*, *Religioſa*, *Reſidentia*, *Reſignatio*; *Scrupulus*, *Simonia*, *Suſpenſio*; *Theologus*, *Titulus Eccleſiaſticus*, *Tonſura*; *Venatio*, *Veſtis talaris*, *Vicarius*, *Viſa*; & alii multi, in quibus ſpeciatim referuntur varii caſus de Officiis Clericorum omnium Ordinum, non ſolum in foro conſcientiæ ſeu interno, ſed & in foro externo, & etiam juxta Galliæ Juriſprudentiam.

Verum, ut dicenda in hoc titulo eluceſcant, & in octoginta ſex aliis ſupra laudatis, neceſſe eſt omnino, ut qui Clericali militiæ ſunt adſcripti, aut adſcribi cupiunt, norint apprime, quæ diſpoſitiones & animi dotes requirantur, in ſancto illo & eminenti vitæ genere. Eæ autem quindecim numerantur.

I. Vocatio divina: quæ potiſſimum fit nota per vocationem Epiſcopi, aliorumve Superiorum, qui huic præſunt muneri, vel ſaltem conſulendo ſapientem & intelligentem conſcientiæ ſuæ moderatorem neque ex vitioſo humanove fine ſanctum illud vitæ genus amplectendo. 2. Unicum gloriæ divinæ ac proximi ſalutis ſtudium, ſeu zelus. 3. Contemptus mundi, rerumque ſæcu-

ſæcularium, ſine quo Chriſtus fieri nequit ſors noſtra & pars hereditatis noſtræ. 4. Bonorum terreſtrium abdicatio: neque enim in illius animo diviſionem patitur Deus, qui ſe totum miniſterio ejus addicere cupit. 5. Sincera Caritas. 6. Scientia & capacitas ſufficiens. 7. Dotes animi & corporis ad Eccleſiæ Miniſterium. 8. Prudentia, virtutum cardinalium dux, qua dignoſcuntur ea, quæ ad Deum ducunt, aut ab eo avertunt. 9. Fortitudo Chriſtiana, qua quis cuncta vincit & ſuffert potius, quam ſuo deeſſe Officio. 10. Patientia in angoribus animi, vel corporis laboribus, qui poſſunt in vita contingere. 11. Caſtitas. 12. Amor ſtudii & laboris. 13. Amor ſolitudinis. 14. Humilitas. 15. Orationis affectus.

CASUS PRIMUS.

LAMBERTUS, Ordinibus, aut ſaltem Tonſura Clericus Initiatus, qui Clericalem fert habitum, poteſt ne abſque peccato commercium aliquod, negotiumve gerere?

RESPONS.

Lambertus, utpote Clericus, nullum abſque peccato commercium exercere poteſt: nam, ut docet ſanctus Thomas (*a*), *Clerici non ſolum debent abſtinere ab his, quæ ſecundum ſe ſunt mala; ſed etiam ab his, quæ habent ſpeciem mali.* Negotium autem, licet de ſe non ſit malum, ab omni tamen mali ſpecie non eſt immune. *Quod quidem in negotiatione contingit*, ſubjungit idem ſanctus Doctor, *tum propter hoc, quod eſt ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent eſſe contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia, quia difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum. Eſt & alia cauſſa*, pergit idem, *quia negotiatio nimis implicat animum ſæcularibus curis, & per conſequens a ſpiritualibus retrahit. Unde Apoſtolus dicit....* Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus (*b*). Atque ſecundum hunc ſenſum verba iſta S. Hieronymus exponit (*c*): *Negotiatorem Clericum & ex inope divitem .... quaſi quamdam peſtem fuge.*

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 77. a. 4. ad 3. Item q. 40. art. 2. in corp. & q. 187. a. 2. in corp. & 104. d. 14. q. 4. a. 2. quæſtiunc. 3. in corp.

(*b*) 2. Timoth. 2.

(*c*) S. Hier. Ep. ad Nepotianum.

Hanc tamen exceptionem addit Angelicus Doctor; *Licet tamen Clericis uti prima commutationis ſpecie, quæ ordinatur ad neceſſitatem vitæ, emendo vel vendendo.* Conſentit hæc doctrina ſancti Doctoris cum Canonibus, ſenſuque ſanctorum Patrum, ut facile probant indicata ad marginem teſtimonia (*d*).

CASUS II.

LEONTIUM, Sacerdotem, cui filii ſui curam atque inſtitutionem a decem annis commiſerat Dux quidam, domi ſuæ retinuit, ut rerum ſuarum adminiſtrationem haberet, eamque jam a quadraginta annis geſſit Leontius: verum Miſſionis tempore, cum peccata confeſſus eſſet, ipſi de tali adminiſtratione ſcrupulum injecit Confeſſarius, quam etiam deſerere conſulit. Qua de re quærit Leontius, utrum eam exercendo peccet, non motus præſertim propriæ rei nimis ſtudio; ſed grato animo erga Ducem hunc, cujus gratia ſimplicem Prioratum ſatis pioguem obtinuit, & qui de ſe adeo bene meritus eſt, ut domum ejus abſque illius inimicitia, & etiam ingrati animi ſama derelinquere non poterit.

(*d*) Concil. Eliberit. an. 305. c. 18. tom. 1. Conc. gen. Ph. Labbe p. 972. Can. Decrevit. 1. & Can. Negotiatorem, 9. Can. Fornicari 10. d. 88. & C. Dati ſub Ædgaro rege Anglor. an. 977. Can. 14. t. 9. Concil. gen. p. 683.

RESPONS.

Ad minimum nota debet eſſe Sacerdotalis dignitas, Officiorumque Sacerdotis magnitudo, ad judicandum, quod Leontius teneatur adminiſtrationem hanc deſerere, quæcumque inter ſe, & Ducem hunc oriatur inimicitia ob receptum ſuum. Debita autem Duci gratitudo non in tali rerum temporalium geſtione, quæ peccaminoſa eſt, conſiſtit, ſed in oblatione ſuorum ſacrificiorum atque orationum pro ſalute Ducis hujus, aut aliquo alio caritatis officio.

Talem adminiſtrationem non modo Sacerdoti, ſed & omnibus Clericis prohibent Scriptura & Concilia, uti rem ſtatus dignitati contrariam, Officiorumque ejus ſanctitati oppoſitam: unde a primis Eccleſiæ ſæculis ipſis vetita fuit talis ſæcularium rerum cura; ut patet ex hoc Canone, qui inter Apoſtolicos nominatos recenſetur (*e*) *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, ſæculares curas non ſuſcipiat, alioquim deponatur.* Ita etiam ſtatuit Chalcedonenſe Concilium (*f*) an. 451. *Pervenit ad ſanctam Synodum, quod quinam, qui in Clero videntur allecti propter lucra turpia conductores alienarum poſſeſſionum fiant, & ſæcularia negotia ſub cura ſua ſuſcipiat, Dei quidem miniſterium parvi pendentes, ſæcularium vero diſcurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum ſolicitudinem ſumentes. Decrevit itaque ſanctum hoc, magnumque Concilium, nullum deinceps, non Epiſcopum, non Clericum, vel Monachum, aut poſſeſſiones conducere, aut negotiis ſæcularibus ſe immiſcere.*

(*e*) Can. 6. Apoſtol.

(*f*) Concil. Chalc. p. 1. Act. 15. Can. 3.

Idem etiam fuit vetitum. 1. In Concilio, quod ſub Adriano I. in Provincia Aquilejenſi an. 891. habuit S. Paullinus (*g*). 2. In Canone, quem ex iis, qui Apoſtolici nominantur, depromſit Gratianus (*h*). 3. In ſexto ſtatuto Synodico Herardi, Turonenſis Archiepiſcopi an. 858. his verbis: *Nec Clerici, nec Monachi ad ſæcularia negotia tranſeant* (*i*).

(*g*) Concil. Forojul. Can. 5.

(*h*) Can. Epiſcopus 3. d. 88.

(*i*) Apud Sirmondum tom. 3. Conc. Gall. p. CXI.

Imperatores Chriſtiani Eccleſiæ conſtitutiones hac in re & ſecuti ſunt, & auctoritate ſua firmarunt, ut indicat Lex Juſtiniani, qua Pius ille Imperator prohibet, ne Clerici munera, quæ dignitatem ſuam in contemptum adducunt, aut miniſteria ſua impediunt, omnino ſuſcipiant. En verba illius (*K*): *Sed neque fieri ſuſceptorem, aut exactorem fiſcalium functionum, aut conductorem publicarum aut alienarum poſſeſſionum, aut curatorem domus, procuratorem litis, aut fidejuſſorem pro talibus cauſis Epiſcopum.... aut alium Clericum cujuslibet gradus.... ſubire non ſinimus: ut non per hanc occaſionem & ſanctis domibus damnum fiat, & ſacra miniſteria impediantur.* Ob eandem cauſſam Clericis immunitatem a ſervitiis ſæcularibus concedit hic Imperator, ne per ea a ſacris functionibus avocentur. *Generaliter*, inquit (*l*), *ſancimus, omnes.... Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos.... immunitatem ipſo jure omnes habere tutelæ, ſive teſtamentariæ, ſive legitimæ, ſive dativæ: & non ſolum tutelæ eos eſſe expertes, ſed etiam curæ, non ſolum pupillorum, & adultorum, ſed & furioſi, & muti, & ſurdi, & aliarum perſonarum, quibus Tutores vel Curatores a veteribus Legibus dantur.* Quod privilegium tanti ſemper fecit Eccleſia, ut ad ſuam Communionem non admitteret laicum Judicem, qui illud infringere præſumebat, ut conſtat ex quarto Aurelianenſi Concilio an. 541. ſub Vigilio Papa, cujus eſt iſtud Decretum (*m*): *Si quis Judicum Clericos de quolibet corpore venientes, atque altario mancipatos; vel quorum nomina in matricula Eccleſiæ tenentur inſcripta, publicis actionibus applicare præſumpſerit, ſi a Sacerdote admonitus emendare noluerit, cognoſcat ſe pacem Eccleſiæ non habere.* Conſormiter ad illud Decretum jam ſe geſſerat ſanctus Cyprianus, qui preces pro Geminio Victore ad Deum fundi prohibuit, quod Sacerdotem, Fauſtinum nomine, teſtamenti ſui executorem nominaret, eique rerum ſuarum temporalium curam commiſerat. *Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece*, inquit ſanctus Martyr (*n*), *qui ab altari Sacerdotes & Miniſtros voluit avocare.* Si igitur ex ſancto Cypriano executio teſtamenti Clerico non poſſit demandari, quod talis executio temporalibus curis ſit implicita, quamvis opus miſericordiæ eſſe videatur, quo pacto excuſari poſſent, qui prædiorum fiunt conductores, aut qui Procuratoris officio fungentes lites inſtruunt, aut proſequuntur, aut aliter nobilium res temporales adminiſtrant. Numquid enim hujuſce farinæ Clerici dici poſſent apoſtatæ atque *Ordinis ſui deſertores*? Quo nomine eos appellat ſextum Pariſienſe Concilium an. 829. ſub Gregorio IV. habitum (*o*).

(*K*) Novel. 123. c. 6.

(*l*) Leg. generalit. 61. Cod. de Epiſcop. & Cler. &c. item cit. Novel. c. 5.

(*m*) Concil. Aurel. IV. Can. 13.

(*n*) S. Cypr. Ep. 66. ſecun. Pam., ſeu 1. ſec. Nod. Vvel ſeu l. 2. Ep. 5. ſec. Eraſm.

(*o*) Concil. Pariſ. IV. c. 20.

Ex dictis hactenus conſtat, jure merito Tridentinum Concilium (*p*) antiquos renovaſſe Canones, qui-

(*p*) Concil. Tr. ſeſſ. 22. de ref. c. 1.

quibus Clericis rerum temporalium prohibetur adminiſtratio. En ipſius Decretum: *Statuit ſancta Synodus, ut quæ alias a ſummis Pontificibus & a ſacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda .... nec non ſæcularibus negotiis fugiendis copioſe ac ſalubriter ſancita fuerunt; eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur.*

Sanctus Carolus Borromæus, fidus hujuſce ſacroſancti Concilii interpres, æterna dignus eſt laude, quod in primo ſuo Mediolanenſi Concilio ſtatuerit: *Ne alicujus Principis, aut alterius negotiorum Procurator ſit* (Clericus major, aut Beneficiarius) *ſine facultate ab Epiſcopo prius per litteras impetrata, ſingulis annis renovanda.* Cui ſtatuto prohibita ſpeciatim Clericis negotia enumerans illud Concilium ſubjungit: *Ne Clericus ſacris initiatus, aut Eccleſiaſtico Beneficio præditus .... in profanis negotiis tabellionatus munus exerceat .... ac in negotiationibus & mercaturis ſe interpretem & medium interponat. Negotiationem etiam omnis generis prohibemus .... ac aliena prædia lucri cauſſa conducat.* Quam prohibitionem ad minores Clericos, Clericalem habitum gerentes extendit ſanctus ille Cardinalis in quarto ſuo Concilio.

Cardinalis Noaillius, Pariſienſis Archiepiſcopus Borromæi veſtigiis ferme inſiſtens, idem Clericis in Synodo 26. Septembris an. 1697. habita, his terminis prohibuit: *Prohibemus cuilibet Clerico, in ſacris præſertim conſtituto, ne litium inſtruendarum curam ſuſcipiat; neve munera occupet, quibus ad temporalia negotia convertatur* (*a*).

(*a*) Synodus Pariſienſis an. 1697. art. 7.

Conſentiunt hæc omnia cum doctrina Apoſtoli dicentis (*b*): *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit:* quo textu utitur primum Carthaginienſe Concilium an. 348. ſub Leone IV. ad probandum, Clericos ſæcularibus rebus non eſſe occupandos; quippe qui Deo ſimul & mundo ſervire nequeunt: *Qui ſerviunt Deo & annexi ſunt Clero*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, (*c*) *non accedant ad actus, & adminiſtrationem, & procurationem domorum .... Nemo militans Deo ingerat ſe negotiis ſæcularibus. Proinde aut Clerici ſint ſine actionibus domorum, aut actores ſine officio Clericorum. Univerſi dixerunt: Hoc obſervamus.* Et quidem ab hujuſmodi quid exſpectandum Clericis, quorum animus totus eſt in ſæcularibus & profanis negotiis, & quorum cura præcipua eſt aut foro aut nundinis adeſſe, ut litigio victores ſint, aut commercium quaſi mercatores aut domorum actores exerceant. Sapienter itaque & juſta de cauſſa a Parlamento Toloſano illud, quod refert Menardus (*d*), 5. Januarii an. 1550. Arreſtum tulit, ne Laici Clericos haberent eorum ſuorum procuratores, ſeu actores.

(*b*) 2. Timoth. n. 4.

(*c*) Conc. Carth. 1. Can. 6.

(*d*) Menard. tom. 1. l. 1. c. 22.

CASUS III.

Nonne tuta conſcientia Judicis Officio fungi poteſt Heraclius, Tonſura initiatus, de ſimplici Prioratu provius, ſuum retinendo Beneficium?

RESPONSIO.

Prioratum ſuum retinere non poteſt tuta conſcientia Beneficiarius ille, ſæcularis Judicis officium exercendo. Primum hujuſce deciſionis argumentum ſuppeditat tertii Concilii generalis Lateranenſis Decretum, ſub Alexandro III. an. 1179. quo ſic habetur (*e*): *Sed nec procurationes villarum, aut juriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus Principibus & ſæcularibus viris, ut juſtitiarius eorum fiat, Clericorum quiſquam exercere præſumat. Si quis autem adverſus hæc advenire tentaverit .... ab Eccleſiaſtico ſit miniſterio alienus.*

(*e*) Alex. III. in Cap. Sed nec. 4. Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus Negotiis ſe immiſceant. Lib. 3. tit. 50.

Concilii hujuſce Decretum duabus potiſſimum nititur rationibus. Prima, quia Clerico indignum eſt tale officium, ut docet Apoſtolus: *Quia contra doctrinam Apoſtoli dicentis*, nemo militans Deo, implicat ſe ſæcularibus negotiis, *ſæculariter agit*. Altera; quia fieri poteſt, ut talis Judex ſententiam ferre teneatur *in cauſſa ſanguinis*; quod Clericis numquam eſt licitum, nec facere queunt abſque irregularitatis pœna, ut definiit quartum Lateranenſe œcumenicum an. 1205. ſub Innocentio III. (*f*).

(*f*) Innoc. III. in Cap. Sententiam. 9. eod. tit.

Alterum argumentum petitur a Concilio Tridentino (*g*); quo Clericis prohibetur conformiter ad ſtatuta Conciliorum & ſummorum Pontificum, ſub pœna pro arbitrio Ordinarii imponenda, ne ſæcularibus negotiis ſe immiſceant, ut fert Decretum in præcedenti reſponſione citatum: quodque præſertim intelligi debet de iis, qui ſacris ordinibus ſunt initiati, aut Beneficiariis, ſi non ſint in ſacris, ut poſt Panormitanum obſervat Navarra (*h*): quibus ſuffragantur Silveſter, Cajetanus, Tabiena, Sylvius (*i*), & alii multi, qui idem nobiſcum ſentiunt. Ab officio tamen Judicis eos excludere nolumus, qui, cum ſint Clerici, ſtatum hunc ideo amplectuntur, ut rebus & utilitati Eccleſiæ inſerviant, quo pacto in ſequenti caſu oſtendemus.

(*g*) Conc. Trid. ſeſſ. 22. de reformat. c. 1.

(*h*) Navar. Manual. c. 25. n. 110. & apud eum Panormit.

(*i*) Silveſter de Prierio. v. *Clericus*. 3. q. 1. Cajetan. v. *Clerici peccata*. n. 1. Joan. Tegnotius vulgo Tabiena. 1. *Excommunicatio*. n. 6. Franc. Sylvius. Reſolut. var. v. *Clericus Beneficiarius*.

CASUS IV.

Gilbertus, Eccleſiæ Pariſienſis Sacerdos & Beneficiarius, in Parlamento munus Conſiliarii Clerici emit, quo a multis annis fungitur. Theobaldus, ipſius Confeſſarius ea de re magnum ipſi injecit ſcrupulum; quod Judicis profeſſio Clericali ſtatui penitus oppoſita videatur, cum aliorum temporalibus negotiis immiſcere ſe non debeat Clericus; quod tamen ipſe facit præſens controverſiis multorum ac litibus quotidie dirimendis: qua ex re inutiliter multum inſumit temporis, quod ad Eccleſiæ utilitatem poſſet adhibere: Gilbertus antiquum Regni uſum cauſſatur. Numquid ad tutamen conſcientiæ munus ſuum abdicare tenetur?

RESPONSIO.

(1) Non exiſtimamus, Gilbertum teneri ad abdicandum munus ſuum: ratio eſt, quia ex uſu antiquo Regni hujuſmodi Magiſtratus in Parlamentis & Præſidialibus Curiis non obtinent Clerici, niſi ad bonum commune Eccleſiæ procurandum, & conſervandam ipſius juriſdictionem in variis quæ feruntur Judiciis; cum agitur, 1. De cauſſis civilibus Clericorum. 2. De poſſeſſorio rerum ſpiritualium. 3. De cauſſis, quæ cum ſpiritualibus connexionem habent: quod quidem ſtabilitum fuit ex Bulla Martini V. 1. Maii anno Pontificatus ejus duodecimo. 4. Cum agitur de appellationibus tamquam ab abuſu, quæ in Parlamentis ſæpe eveniunt. 5. Et de cauſſis Regaliorum, quæ omnes Pariſienſis Senatus juriſdictioni ſubjacent. His addi poteſt, Conſiliarios Clericos Eccleſiæ in eo eſſe utiles; quod ad ſupremas Curias pertineat invigilare, ne minuantur Gallicanæ Eccleſiæ libertates, & Conciliorum Decreta executioni mandentur: ut etiam, ne limites ſuos prætergrediantur ſeu Eccleſiaſtica ſeu ſæcularis juriſdictio, neve alterius jura hæc uſurpet. Ex quibus patet, ad Eccleſiaſticum, immo & Regni ſtatum intereſſe, ut in ſæcularibus Curiis ſint Conſiliarii Clerici. Unde, requirentibus Galliæ Regibus, uſum hunc approbarunt ſummi Pontifices Beneficiarios a reſidentia diſpenſando, dum muneris ſui functiones obeunt, ſicuti obſervavit inter Galliæ juriſperitus doctiſſimus his verbis (*K*): *Regii Senatores Cleri ſolvuntur continui lege miniſterii in ſuis ſacerdotiis: quia Senatoriis ac Reipublicæ negotiis diutim occupantur.*

(*k*) Renatus Chopin. lib. 3. de ſacra politia. tit. 2. n. 17.

Quod ad Præſidiales Curias pertinet, in unaquaque poteſt eſſe unus Conſiliarius Clericus ex Edicto fundationis Caroli IX. an. 1575. eodem anno in acta Pariſienſis Senatus 24. Septembris, & 14. Octobris ſequentis Regiarum rationum Curiæ relato (*l*); ex quo conſtat, Edictum illud non fuiſſe latum, niſi ut Judex ille Clericus impediat, ut Eccleſiaſticam tueatur juriſdictionem, ſicuti obſervat idem juriſconſultus, cum dicit (*m*): *Eccleſiaſticis certe privilegiis magnopere contulit Regia ſacrorum Magiſtratuum inſtitutio, quæ profanæ ſortis Judicibus admiſcentur in Præſidiali quolibet Galliæ foro, ut ſic accuratius jura Eccleſiaſtica, quaſi ſua tueantur.*

(*l*) Fontanon. tom. 4. pag. 1080.

(*m*) Idem Chopin. Monaſticon. lib. 2. tit. 3. n. 10.

Quæſtionem hanc ita ſolvit noſtri temporis Theologus (*n*) ob iſtas quas attulimus, probationes; quibus accedunt multa Senatus Pariſienſis Arreſta, inter quæ D. Brillon ultimus Dictionarii Arreſtorum auctor, octo numerat (*o*), quibus a reſidentia eximuntur Conſiliarii Clerici, iiſque groſſi, ut aiunt, fructus adſcribuntur; quæque variis temporibus lata fuere. Primum, 1. Feb. 1528. Secundum, 19. Maii 1551. Tertium, 19. Julii an. 1575. Quartum, 5. Septemb. eodem anno. Quintum, 9. Junii,

(*n*) De Sta Beuve, tom. 3. caſ. 40.

(*o*) D. Brillon. Diction. Arreſt. tom. 1. v. Conciliarius. n. 9. & ſequentibus.

(1) Vide *Menda Pantaſ.* Obſerv. III. num. XI.

Digitized by Google

viii. 1600. Sextum, 24. Maii 1604. Septimum, 31. Januarii 1606. & Octavum expreſſe de perceptione groſſorum fructuum latum 13. Decembris an. 1550.

Lovetus multa alia quoque refert hujuſmodi Arreſta, & inter cetera unum pro D. de Saveuſes, Conſiliario Pariſienſis Senatus, & S. Hilarii Pictavienſis Canonico: alterum pro D. Scavant, ejuſdem Senatus Conſiliario & Sueſſionum Canonico in ejuſdem urbis Capitulum: tertium pro D. Gillor, ibidem Conſiliario & Lingonenſi Canonico in Capitulum: quæ omnia Arreſta, antiquiorum auctoritate firmata, Conſiliariorum Clericorum jus certum & inconcuſſum efficiunt.

Hac autem de re quinque ſunt advertenda. Primum, quod omnes Conſiliarii Clerici totius Regni Galliæ eodem privilegio fruuntur, atque Conſiliarii Clerici Senatus Pariſienſis; cum pro omnibus in hanc rem par militet ratio: quod quidem, ut probet Lovetus (a), Arreſtum citat 25. Junii an. 1595. latum pro D. de Mouſſi, Parlamenti Rhotomagenſis Conſiliario Clerico, & Senonenſi Canonico in Capitulum Senonenſe. Secundum: quod Conſiliarii Canonici, ut probat idem Lovetus, per ſe, & non per procuratorem poſſeſſionem adire teneantur, ut illa potiantur prærogativa. Tertium: quod ad annuum ſtagium privatis Capitularibus Eccleſiis conſtitutum obſervare non teneantur Conſiliarii Clerici. Quartum: quod per vacationes Parlamenti de reſidentia teneantur, ſub pœna amiſſionis Præbendæ ſeu groſſorum fructuum, juxta Edictum mox laudatum an. 1595. quod refert Chenu (b). Quintum denique: quod omnes auctores non conſentiunt, quod Conſiliarii Clerici præſidialium Curiarum Præbendæ ſuæ groſſos fructus obtineant. Affirmat Henrys (c): negat Olivarius (d) ex Arreſto Parlamenti Toloſani 20. Julii an. 1627.

(a) Lovet litt. C. n. 24.

(b) Chenu. tom. 2. tit. 1. c. 30.

(c) Henryſ. tom. 1. lib. 1. c. 4. q. 27.

(d) Olivarius. l. 1. c. 81.

CASUS V.

An tenetur Hermannus, ſimplici tonſura initiatus Clericus, Prior S. Salvatoris, qui actu eamdem quam ante ſumtam tonſuram, Cauſſidici functionem exercet: aut Prioratum dimittere, aut Cauſſidici functionem, ut tuta ſit conſcientia?

Respons.

His Apoſtoli verbis manifeſte damnatur Hermannus (e): *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.* Atqui Beneficiarius quilibet *militat Deo*; unde Eccleſiæ ſtipendiis habet ad vitam neceſſaria. Igitur ſæcularibus ſe implicare negotiis non poteſt: quod tamen agunt Cauſſidici.

(e) 2. Timoth. 2. 4.

Eadem qua ſanctus Paullus, Spiritus ſancti inſpiratione afflata ſacroſancta Concilia idem ſtatuere. *Decrevit itaque ſanctum hoc magnumque Concilium*, inquit Chalcedonenſe an. 451. (f), *nullum deinceps, non Epiſcopum, non Clericum, vel Monachum .... negotiis ſæcularibus ſe immiſcere.*

(f) Conc. Chalcedon. part. 2. act. 15. Can. 3.

Septimum œcomenicum Concilium an. 785. (g) eamdem his verbis prohibitionem renovat: *Non licet eis* (Clericis) *curas ſæculares & mundanas ſuſcipere, ut qui ſint a Canonibus prohibiti hoc facere.* Atqui Cauſſidici profeſſio eſt ſuſcipere res quaslibet ſæculares & mundanas, ſeu civiles, ſeu criminales. Non poteſt itaque Cauſſidici perſonam viceſque obire Clericus, qui tonſura, a ſæculi contagio in ſortem Domini atque miniſterium Eccleſiæ vocatus eſt.

(g) Conc. Nicæn. II. gener. act. 7. Can. 10.

Tertium Lateranenſe ſub Alexandro III. an. 1179. expreſſius etiam loquitur de Beneficiariis dicens (h): *Clerici in Subdiaconatu & ſupra, & in minoribus quoque Ordinibus, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtentantur, coram Judice ſæculari Advocati fieri in negotiis non præſumant; niſi propriam, vel Eccleſiæ ſuæ cauſſam fuerint proſecuti, aut pro miſerabilibus forte perſonis, quæ proprias cauſſas adminiſtrare non poſſunt. Si quis adverſus hoc tentaverit, quoniam contra doctrinam Apoſtoli eſt, dicentis*: Nemo militans Deo &c. *ſæculariter agit, ab Eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus, pro eo quod officio Clericali neglecto, fluctibus ſæculi ut potentibus ſæculi placeat, ſe immergit.* Unde patet Concilium illud ſimplices Clericos ſuo velle comprehendi interdicto ex ratione quam ex Apoſtolo deducit; cum ex tonſura certum ſit, quod Clericus fiat *militans Deo*, licet ſacros aut minores nondum acceperit Ordines.

(h) Conc. Lat. III. gener.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex duabus Decretalibus, quarum priorem ſuppeditat Concilium Moguntinum, quod ſic habet (i): *In plateis ſæcularibus diſputare, excepta defenſione orphanorum aut viduarum .... Miniſtris altaris Domini, nec non & Monachis omnino contradicimus: de quibus ait Apoſtolus*: Nemo militans Deo &c. Alteram præbet Eugenius Papa (k) ſcribens ad Epiſcopum Italiæ his verbis: *Sacerdotibus & Clericis tuis denunties publice, ne & Miniſtri laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores exſiſtant.*

(i) Concil. Mog. in Cap. Multa. 1. Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negot. ſe immiſceant. lib. 3. tit. 50.

(k) Eugenius in Cap. Sacerdotibus. 2. eod. tit.

Sunt & quædam Concilia, ut Concilium apud Compiniacum an. 1238. & Avenionenſe an. 1326. (l), quæ nullam admittunt exceptionem in prohibitione Clericis facta generaliter; quos etiam cenſuris Eccleſiaſticis in caſu inobedientiæ vult coerceri Avenionenſe.

(l) Conc. apud Compiniacum c. 12. 13. & 14. Conc. Avenion. Can. 26. Tom. XI. Conc. general. Phil. Labbe. pag. 160. & 739.

Hanc autem Miniſtris ſuis Eccleſia prohibitionem fecit, quod Advocati profeſſio adeo ſit laborioſa; ut ejus omnia munera ſimul cum Eccleſiaſticis functionibus conjungi nequeant.

Auctor, qui adductas hactenus nobis ſuppeditavit rationes (m), exiſtimat Beneficiarium quemlibet teneri ad abdicandam Advocati profeſſionem, etiam ſub peccato mortali. Sed quidquid ſit, graviſſimum eſſe peccatum ſatis indicant iſta ſancti Caroli Borromæi in primo ſuo Mediolanenſi Concilio an. 1565. verba (n), nec non pœnarum acerbitas, quas Clericis inobedientibus vult infligi. *Edicimus*, inquit ſanctus Cardinalis, *ne Clericus ſacris initiatus aut Beneficio Eccleſiaſtico præditus, coram judice ſæculari Advocati aut Procuratoris nomine cauſſas agat, niſi ab aliis in judicium vocatus, ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, propinquorum etiam, ſi neceſſe erit, & miſerabilium perſonarum cauſſas ab Epiſcopo facultate prius ſcripto conceſſa, tueatur .... Qui vero Clericus, cujuſvis etiam gradus, ordinis, dignitatis, in aliqua re iis non obtemperarit, is aut ſalutari pœnitentia, aut pecunia, ſuſpenſione ab ordinum munere, & Beneficiorum adminiſtratione, aut ipſis etiam Beneficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus ſimul ex iis pœnis, aut etiam gravioribus, pro modo culpæ, Epiſcopi arbitratu mulctetur. Qui iterum in eadem re peccarit, duplicata ei pœna pro ratione criminis ab eodem plectetur.*

(m) De Ste Beuve. tom. 3. caſ. 47. & 48.

(n) Conc. Mediolan. 1. part. 2. conſtitut. tit de negotiis ſæcularibus clerico fugiendis.

Quam hactenus doctrinam ſtatuimus, unico iſto complexus eſt teſtimonio Angelicus Doctor (o): *Ab officio Advocatorum prohibentur quidam*, inquit, *.... decentia autem hujus officii exercendi tollitur .... ex hoc, quod aliquis eſt rebus majoribus obligatus. Unde Monachos & Presbyteros non decet in quacumque cauſſa Advocatos eſſe, neque Clericos, in judicio ſæculari: quia hujuſmodi perſonæ ſunt rebus divinis adſtrictæ .... tamen hujuſmodi indecentiæ neceſſitas perfertur .... unde & Clerici pro ſuis Eccleſiis poſſunt eſſe Advocati.*

(o) S. Th. 2. 2. q. 71. art. 2. in corp.

CASUS VI.

Julianus, Sacerdos Mantuanæ Diœceſis, quandoque cum amicis ſuis tabernas adit: qua de re ipſum objurganti Confeſſario, ac monenti, quod extra caſum legitimæ neceſſitatis eas frequentare abſque peccati reatu non poſſet, retulit, nullo Diœceſani Epiſcopi ſtatuto, id Clericis fuiſſe interdictum: quocirca peccare ſe non putat, quod eas frequentet; cum popina, uti res per ſe mala, damnari nequeat, ſed tantum ob ebrietatem, quæ in ea ſæpe ſæpius evenire ſolet, & qua nec ipſe, nec convivæ umquam ſolent obrui. De eo autem quæritur, utrum tamquam legitimæ poſſint admitti, quas affert, rationes?

Respons.

Si cum amicis ſuis abſque juſta neceſſitate, ſed tantum oblectationis cauſſa popinas adit, certum eſt quod peccet. Licet enim ab Epiſcopo ſuo, nec ſtatuto, nec viva voce ſit interdicta Clericis tabernarum frequentatio, id aliunde prohibet Eccleſia; ut facile probare eſt.

1. Ex

Digitized by Google

1. Ex Concilio Laodiceno circa an. 364. habito (*a*), cujus eſt illud Decretum: *Quod non oporter ſacratos, a Presbyteris uſque ad Diaconos, & deincepe quamlibet Eccleſiaſtici Ordinis uſque ad Miniſtros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorciſtas, vel Oſtiarios, vel Exercitatorum Ordinis, in cauponam ingredi.*

2. Ex tertio Carthaginienſi Concilio an. 397. (*b*) quod probavit Leo IV. ad Angliæ Epiſcopos ſcribens an. 850. (*c*) *Ut Clerici, edendi vel bibendi cauſſa tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.* Hæc ſunt hujuſce antiqui Concilii verba.

3. Ex Concilio Trullano an. 692. quod refert Gratianus his verbis (*d*): *Nulli Clerico liceat tabernam .... habere: ſi enim hujuſmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis miniſtrare in ea: ſi quis vero tale quid fecerit, aut ceſſet, aut deponatur.*

4. Ex Concilio Francofordienſi an. 794. ſub Adriano I. quod ſic habet (*e*): *Ut Presbyteri, Diaconi, Monachi & Clerici tabernas ad bibendum non ingrediantur.*

5. Ex Capitulari Caroli Magni Imperatoris (*f*) & ex Concilio II. Aquiſgranenſi an. 816. (*g*) imperante Ludovico Debonnario, & Pontifice ſummo Stephano IV. in quo Laodiceni Concilii Decretum renovatum eſt.

6. Ex quarto Lateranenſi Concilio œcumenico an. 1215. ſub Innocentio III. (*h*), in quo ſic habetur: *Tabernas prorſus evitent, niſi forte in cauſſa neceſſitatis in itinere conſtituti.* Quod Decretum in Herbipolenſi Concilio, an. 1287. cui præfuit legatus Pontificius, hoc modo renovatum eſt (*i*): *Uſus tabernarum, præterquam in itinere conſtitutis, omnibus Clericis, præſertim in Prælaturis & ſacris Ordinibus conſtitutis, omnino prohibemus: & qui contra fecerint in publico vel alibi, Laicis præſentibus, arbitrio Ordinarii puniantur.*

7. Ex Concilio Londinenſi an. 1175. quo depoſitionis pœna his qui contra fecerint, verbis iſtis ſtatuitur: *Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, edendi vel bibendi cauſſa tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi: ſi vero tale quid fecerint, aut ceſſent, aut deponantur.*

8. Ex uno Capitularium Theodulphi, Aurelianenſis Epiſcopi (*k*), & ex Concilio Saliſburgenſi an. 1274. ſub Gregorio X. in quo ſic fuit ſtatutum: *Clericus non viator,* inquiunt hujuſce Concilii Patres, *in Sacris Ordinibus conſtitutus, aut Monachus vel Canonicus regularis, ſi tabernam intraverit ſine cauſſa evidenti, rationabili, ibique bibens & comedens, aut in vicino loco ſervienti tabernæ, vel alias publice, aliquantulum moram traxerit, ab officio ſit ſuſpenſus, donec unum diem in pane & aqua jejunet.* Joannes, Tuſculi Epiſcopus, in Concilio in eadem urbe coacto an. 1281. ſub Martino Papa ſic dicit: *Uſus tabernarum perſonis Eccleſiaſticis, præſertim in Prælaturis & ſacris Ordinibus conſtitutis, omnino prohibemus; & qui contra fecerint in publico, vel Laicis præſentibus, arbitrio Ordinarii puniantur.*

Denique vix integro volumine exſcriberentur omnia ceterorum Conciliorum ſtatuta in Clericos, qui abſque evidenti neceſſitate cauponas adeunt; quibus omiſſis, hoc unum nobis erit ſatis, ſi dicamus in eo omnia conſentire, ac præſertim Concilia Provincialia Galliæ, uti Rhemenſe an. 1583. (*l*): Turonenſe eodem anno (*m*): Aquenſe an. 1585. (*n*): Narbonenſe an. 1609. (*o*); conformiter ad aliud Narbonæ habitum an. 1551. (*p*); & alia multa, quorum quædam ſuſpenſionis pœnam inobedientibus Clericis; alia jejunium; cetera vero, uti Turonenſe an. 1585. incarcerationem bimeſtrem pro prima; ſemeſtrem pro altera, & annuam pro tertia vice indicunt.

Poſt iſtas Eccleſiæ leges; numquid dici poteſt, Clericum popinas abſque juſta neceſſitate adeuntem eſſe ſine peccato; quod illud ab Epiſcopo ſuo formali ſtatuto non fuerit prohibitum? Numquid enim majoris eſſet momenti ſtatutum unius Epiſcopi, quam tot Conciliorum antiquæ & celebres conſtitutiones? Numquid ex ſolo Lateranenſi Concilio œcumenico tenentur Clerici omnibus ejus in hanc rem obedire mandatis? Dicamus ergo cum Tridentinis Patribus (*q*) Sacerdotem ad hunc dignitatis gradum non promoveri, niſi ut ceteris ſit exemplum, vitæ ſuæ ſanctitate, morum integritate, gravitate ac modeſtia, atque adverſa Laicorum moribus agendi ratione; eumque proinde a popinis longe abeſſe debere, quæ diſſolutioni locum præbent, & quas adire non ſolent vel ipſi Laici, qui moderatis ſunt moribus; aut externe ſeſe debent componere, uti Magiſtratus. Id enim Sacerdoti perſuaſum eſſe debet, ordinis ſui ſanctitate, arctius ſe teneri quocumque alio, ad omnes prudentiæ, modeſtiæ ac temperantiæ regulas obſervandas; ac meminiſſe debet illud ſapiens Concilii Narbonenſis (*r*) monitum: *Quod in populo veniale eſt, in Sacerdote judicatur ſacrilegium.*

(*a*) Conc. Laodicen. Can. 24. apud Labbe. tom. 1. col. 1502. & in C. Non oportet. 2. diſt. 44.

(*b*) Conc. Carth. III. apud. Labbe. tom. 2. col. 1172. & in Can. Clerici. 4. diſt. 44.

(*c*) Leo IV. in Can. De Libellis. 2. diſt. 30.

(*d*) Conc. Trull. in Can. Nulli. 3. diſt. cit.

(*e*) Conc. Francford. Can. 19.

(*f*) Lib. 2. Capitular. c. 14.

(*g*) Conc. Aquiſgran. can. 60.

(*h*) Conc. Lateran. IV. can. 16.

(*i*) Conc. Herbipolens. can. 2.

(*k*) Theodulph. epiſt. compresbyteris &c. n. 13.

(*l*) Conc. Rhem. tit. de Clericis in genere.

(*m*) Conc. Turon. tit. de Parœcis, Presbyteris & aliis Clericis. poſt med.

(*n*) Conc. Aquenſe an. 1585. tit. de vita & honeſt. Clericorum.

(*o*) Conc. Narbon. an. 1609. de vita & honeſt. Cleric. Can. 41.

(*p*) Conc. Narbon. an. 1551. Can. 17.

(*q*) Conc. Trid. ſeſſ. 22. de reform. cap. 1.

(*r*) Conc. Narbon. an. 1609. C. 41.

CASUS VII.

Numquid Edmundus, S. Julittæ Parochus, brevia duo ſclopeta in anteriori ephippii ſui arculo, dum iter peragit, ſine peccato gerere poteſt?

Responso.

Parochus iſte brevia ſclopeta gerere non poteſt, niſi obtenta ab Epiſcopo ſuo ob legitimam neceſſitatem facultate. Ratio eſt, quia ex Conciliis prohibetur armorum geſtio Clericis. 1. Ex Concilio primo Matiſconenſi an. 581. ſub Pelagio II. ſummo Pontifice, & regnante Guntrando, a viginti & uno Epiſcopis Galliæ habito (*ſ*): *Si poſt hanc definitionem,* inquit Concilium, *Clericus, aut cum indecenti veſte, aut cum armis inventus fuerit, a ſeniore ita coerceatur, ut triginta dierum incluſione detentus, aqua tantum & modico pane ſuſtentetur.* Concilium Vermerienſe an. 752. ſub Stephano II. idem prohibet, quamvis non ſub eadem pœna (*t*); uti Carolus Magnus in uno ex ſuis Capitularibus an. 803. (*u*). Cui interdicto Concilium aliud Pictavienſe an. 1078. ſub Gregorio VI. cui præfuit Hugo Epiſcopus Dienſis, uti legatus Pontificius, excommunicationis pœnam addidit. *Clerici arma portantes .... excommunicentur.* Sequentia deinde Concilia arma ferre prohibuerunt Clericis, uti Budenſe (*x*) an. 1279. Ravennatenſe an. 1286. (*y*) quæ refert Perrerius. Meldenſis autem Concilii an. 845. ſub Sergio II. hæc ſunt verba (*z*): *Ut quicumque in Clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant, nec armati incedant: ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus & religioſo habitu præbeant. Quod ſi contemſerint, tamquam ſacrorum Canonum contemtores, & Eccleſiaſticæ ſanctitatis profanatores, proprii gradus amiſſione mulctentur, quia non poſſunt Deo ſimul & ſæculo militare.*

Certum quidem eſt, quod ab eo tempore, quo Clemens V. ut obſervat Thomaſſinus (*aa*), Clericos ab irregularitate exemiſſet ex Bulla ſua, cum injuſtum vitæ ſuæ invaſorem occidiſſent; ipſis tum arma ferre, vel ob aggreſſionis periculum, vel etiam indiſtincte, cum iter facerent, conceſſum eſt: quæ conceſſio in quinque Conciliis reperitur, ſcilicet Moguntino an. 1549. his verbis (*bb*): *Nulla arma induant, niſi itinerantes:* Narbonenſi an. 1551. Aquenſi ejuſdem anni (*cc*): *Nec enſem, nec pugionem, nec aliud armorum genus geſtent, niſi propter itineris neceſſitatem:* in Aquileienſi an. 1596. & in altero Narbonenſi an. 1609.

At vero S. Carolus in primo ſuo Concilio Mediolanenſi ſtatuit (*dd*), ut Clerici arma non ferrent niſi ſub duabus iſtis conditionibus: prima, cum præſens ipſis immineret vitæ periculum: altera, cum eam ab Epiſcopo ſuo licentiam ſcripto haberent. *Clericorum arma,* inquit ſanctus Cardinalis, *ſunt orationes & lacrymæ; idcirco edicimus, ut ne Clerici arma cujuſvis generis ad offenſionem, vel etiam ad defenſionem ferant .... quod ſi Epiſcopus probabili juſtaque de cauſſa id eis permittendum judicaverit; tunc ſcripto impetrata venia ipſis uti liceat, non tamen publice, niſi rei aut facti neceſſitas poſtulet.* Aquenſe Concilium an. 1585. (*ee*) hanc etiam Epiſcopi veniam requirit.

(*ſ*) Conc. Matiſcon. 1. can. 5.

(*t*) Conc. Vermeriens. can. 16.

(*u*) Apud Baluzium. tom. 1. col. 409.

(*x*) Conc. Budens. can. 11.

(*y*) D. Perrerius, jur. can. Galliæ. pag. 452.

(*z*) Conc. Meldens. an. 845. can. 37.

(*aa*) L. Thomaſſ. Diſcipl. Eccleſiæ. 2. part. l. 4. cap. 12. & 4. part. l. 4. cap. 13.

(*bb*) Conc. Mogunt. can. 74. de honeſt. & decentia Clericali.

(*cc*) Conc. Aquenſe an. 1551. can. 20.

(*dd*) Conc. Mediolanens. 1. part. 2. tit. de armis, ludis &c.

(*ee*) Conc. Aquens. an. 1585. tit. de vita & honeſt. Clericorum.

CASUS VIII.

Quirino Sacerdoti, qui ob patris ſui obitum lugubres veſtes induit, ſcrupulum injecit Religioſus quidam; quia, ut putat, Clerico non licet

Digitized by Google

eas ob mortem parentum induere, ſicque Laicorum vaoos mores imitari. Poſtulat Quirinus, utrum re ipſa peccet, ita ſe gerendo?

Raspons.

(*a*) Conc. Mediol. V. part. 3. tit. quæ ad Clericorum honeſtatem pertineat.

S. Carolus Borromæus in quinto ſuo Mediolanenſi Concilio (*a*) id ipſum Clericis, data etiam ratione, probibuit his verbis: *Clericus, qui amictu Clericali incedit, ne in propinquorum, ne parentum quidem obitu, veſtes lugubres more Laicorum induat, geſtetque: neque vero veſtis formam, aut panni genus, quo Clerum univerſum uti moris eſt, commutet; ſed pium ergu propinquos mortuos caritatis ſtudium, officiumque præ ſe ferat omni alia ratione, quæ cum Clericalis Ordinis decore dignitateque omnino cauveniat.*

(*b*) Conc. Toletan. an. 1473. c. 5.

Idem ſtatuerat Toletanum Concilium, Arandæ ſub Sixto IV. an. 1473. habitum (*b*), quod declarat, hunc uſum in Clericis omnino eſſe damnaodum; & vult, ut Provinciæ Beneficiarii, *qui lugubres & luctuoſas veſtes induunt, & flebiliores quam ſuæ congruit honeſtati*, per tres menſes beneficii ſui proventibus, quotieſcumque contra fecerint, priventur.

(*c*) De Ste. Beuve. tom. 3. Caſ. 6.

Attamen, ea de re ſcribens ad Epiſcopum inclytus Theologus (*c*), non ſine ratione propugnat, lugubres veſtes Clericos in morte ſuorum ferre poſſe abſque peccato, illo quo fit in Gallia, modo, qui totus conſiſtit, in gerendo pilei cingulo, zonaque e criſpo teouique bombycino; cum veſtis reliqua ab habitu aliorum Clericorum non diſcrepet: aſſeritque, eos qui contrarium ſentiunt, perperam Conciliorum Toletsni & Mediolanenſis auctoritates laudare; cum primum de veſtibus laceris, olim in ſignum doloris acerbi geſtari ſolitis, de quibus etiam loquitur Scriptura, intelligi debeat; quod quidem ſatis oſtendunt Patres hujuſce Concilii verbis iſtis: *Vilibus veſtibus uti non debemus*: & his aliis: *qui lugubres & luctuoſas veſtes induunt & flebiliores &c.* Mediolanenſe quoque non prohibet niſi *veſtes lugubres more Laicorum*, eas nimirum quarum forma mutatur, & quæ ex inſolito Clericis fiunt panno; *neque vero veſtis formam, ut panni genus, quo Clerum univerſum uti moris eſt, commutet* (Clericus). In Gallia auteoi Clerici numquam veſtem commutaot, neque quoad externam formam, neque quoad panni genus, ne ipſo quidem funebris pompæ die; cum veſtes eorum ſint ea panno laneo, aut tenui cilicioo, vel criſpo ac tenui bombycino; quæ pannorum genera & ordini & dignitati ſuæ conveniant; addito tantum illo diſcrimine quod pilei cingulum zonaque ſint e criſpo bombycino. Quid indecori in eo reperitur? Nonne io defunctorum obſequiis atris utitur Eccleſia ornamentis? Nonne mortuorum capita, oſſa, lacrymæ, in iſtis ornameotis acu depinguntur? Nonne per integrum annum circumcinguntur Eccleſiæ vel Capellæ, faſcia gentilitio ſcuto defuncti in iis ſepulti ornata? Quid pilei cingulum zonaque a criſpo bombycino his ornamentis aut tæniis erunt magis indecora? Inſuper numquid damnabitur uſus Epiſcoporum, qui ipſo die funebris pompæ veſtem talarem & humerale coloris atri, non vero violacei gerunt, cum Rochetis Albiſque ſimplicibus & ſine tæniis denticulatis? Numquid & ipſi Cardinales ſunt damnandi, qui diebus illis violaceas tantummodo, non rubras veſtes induunt? Cur igitur Clerico peccatum adſcribetur, qui ſignis illis levibus & innoxiis, moderatam & Chriſtianam animi ſui mæſtitiam ob mortem parentum teſtabitur; cum nihil in eo, officio ſuo contrarium aut ſtatui indecorum reperiatur?

(*d*) Fr. de Gen. Theolog. moral. tom. 3. tract. 5. c. 9. q. 6.

Sæcularia, inquiunt, abdicavere deſideria, uſus mundi & pravos mores Clerici (*d*), dum tonſura initiati ſunt, qua Chriſtum in partem ſuam & ſolam hereditatem elegerunt. Mundi quidem deſideria abdicavere, hoc eſt, pravos ejus mores, & quidquid Evangelio contrarium eſt: at vero oaturali dolori qui ſit mediocris & Chriſtianus, noo nuntium penitus remiſere: *Eſt ergo de mortuis eis qui diliguntur, quædam triſtitia quodammodo naturalis*, inquit Auctor antiquus, cujus opus S. Auguſtino adſcribitur (*e*): *hinc itaque neceſſe eſt, uti triſtes ſimus, quando nos moriendo deſerunt, quos amamus: quia etſi novimus; eos non in æternum relinquere nos manſuros, ſed aliquantulum præcedere ſecuturos; tamen mors ipſa quam natura refugit, cum occupat dilectum, contriſtat in nobis ipſius dilectionis effectum: ideo non admonuit* (Apoſtolus) pergit idem Auctor, *ut non contriſtemur, ſed non ſicut ceteri qui ſpem non habent*: unde colligit Chriſtianam triſtitism non eſſe damoandam: *Permittantur itaque pia corda carorum de ſuorum mortibus contriſtari dolore ſanabili, & conſolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas cita reprimat fidei gaudium, qua credunt, fideles, quando moriuntur, paullulum a nobis abire, & ad meliora tranſire.*

(*e*) Apud. S. Aug. ſerm. 172. alias 32. de verbis Apoſtoli.

Nec parentes ſuos, nec bona parentum dimiſerunt illi Clerici; non humanum conſortium, vitæque civilis urbanitatem. Si quas videntur fundere lacrymas, non vituperantur. Ut quid igitur ipſis vitio tribueretur; quod pilei cingulum zonamve e criſpo bombycino gererent, craſſioremve colli amictum? Quare, ſi qua lege Mediolani cautum ſit, ne Clerici ob mortem parentum *veſtes lugubres more Laicorum* induant; hinc non ſequitur, eamdem in Gallia obtinere legem, ubi eadem quæ ante luctum, ſervatur veſtis Clericalis.

CASUS IX.

Mathurinus, non minus pietate quam doctrina conſpicuus, cum Sacerdotio initiatus eſt, hoc ſibi licitum eſſe duxit, ut neminem in confeſſione ſe auditurum umquam ſtatueret. Numquid propoſitum ſuum, in eo quo nunc eſt, ſtatu permanens, tenere poteſt abſque peccato?

Raspons.

(*f*) S. Th. in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2.

Diſtinguendum cum S. Thoma (*f*): nam vel ex mandato Epiſcopi confeſſiones audire teneretur; vel ex aliquo Beneficio, officiove accepto: tumque ab audiendis Confeſſionibus abſtinere non poſſet abſque inobedientiæ peccato, propriive officii omiſſione. Sed ſi utraque abſit ratio; ab onere confeſſiones audiendi liber eſt ſine delicto. *Alii autem actus Sacerdotii, ut ligare & ſolvere, reſpiciunt corpus myſticum* (Chriſti), inquit Angelicus doctor, ... *& ideo qui non tenetur aliis vel ſubjectione, vel prælatione, poteſt ab illis actibus ſine peccato ceſſare.*

(*g*) Idem. 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3.

Idem Sanctus de eadem alibi quæſtione agens (*g*), aſſerit, Sacerdotem non obligari de cura ſalutis proximi, niſi *principaliter quidem ſecundum arbitrium & diſpenſationem Dei; ſecundario autem ſecundum arbitrium ſuperiorum prælatorum, ex quorum perſona dicitur.* 1. *ad Corinth.* 4. Sic nos eaiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei: unde ſic concludit ſanctus Doctor: *Et idea non intelligitur ille abſcondere frumenta ſpiritualia, cui non competit ex officio, nec ei a Superiore injungitur, ſi ab aliorum correctione aut gubernatione deſiſtat: ſed ſolum tunc intelligitur abſcondere, ſi diſpenſationem negligat, cum ei ex officio incumbit; vel ſi officium, cum ei injungitur, pertinaciter recipere renuat*: quod deinde probat auctoritate S. Auguſtini, ſubjungens: „ *Unde Auguſtinus dicit 16. de Civitate Dei* (*h*): Otium ſanctum quærit caritas veritatis: negotium juſtum „ ſuſcipit neceſſitas caritatis: quam ſarcinam ſi „ nullus imponit, percipiendæ atque iotuendæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter caritatis neceſſitatem.

(*h*) S. Aug. l. 19. de Civit. Dei. c. 19.

Obſervandum tamen, Mathurinum ab audienda confeſſione abſtinere non poſſe ſine peccato, & quidem maximo, in urgeoti neceſſitate; qualis eſſet hominis, qui graviter ægrotans, alium non poſſet invenire Confeſſarium.

COEMETERIUM.

COEMETERIUM dicitur locus ſacer corporibus fidelium ſepellendis deſtinatus, qui ab Epiſcopo benedici, aut ſi polluatur, reconciliari debet. Si Eccleſia fiat polluta; contiguum ipſi cœmeterium, quod ut ejus acceſſorium habetur, pollutum quoque cenſendum eſt; nec in eo quiſquam eſt inhumandus, donec fuerit reconciliatum. Sed ex pollutione çœmeterii non fit polluta Eccleſia.

CASUS PRIMUS.

ALMACHII, ſubito occiſi in Eccleſia ſancti Eutropii, quæ ex hoc homicidio polluta eſt, corpus in cœmeterio ſepelivit Parochus, priuſqnam Eccleſia fuerit reconciliata: qua de re quæritur, utrum ex Eccleſiæ pollutione, non pollutum quoque fuerit cœmeterium juxta iſtam juris regulam (*a*): *Acceſſorium nataram ſeqni congruit principalis*; atque adeo graviter non deliquerit Parochus?

RESPONS.

Certum eſt, quod pollutionem Eccleſiæ ſequitur etiam cœmeterii ipſi contigui pollutio, atque valet in hoc caſu allata Bonifacii VIII. regula: ſed idem non eſt dicendum, cum Eccleſiæ contiguum non eſt cœmeterium; tum enim, acceſſorium Eccleſiæ haberi non debet, ut docent Sylvius & Cabaſſutius. *Polluta autem ex his caſibus Eccleſia*, inquit Sylvius (*b*), *Cœmeterium quoque ipſi conjunctum eſt pollutum: non contra*. Cabaſſutius vero ſic dicit: (*c*) *Polluta Eccleſia polluitur ſimul contiguum ei cœmeterium; ſed non remotum.*

Si igitur Eccleſiæ S. Eutropii contiguum non ſit cœmeterium, ex homicidio in hac Eccleſia commiſſo non fuit pollutum; atque in eo Parochus Almachii corpus ſepelire potuit: ſecus, ſi Eccleſiæ ipſi ſit contiguum, ut Eccleſia ipſa, ſic fuit pollutum; neque in eo ſepelire potuit Curatus abſque gravi peccato.

Deciſionem hanc verbis expreſſis ſuppeditat Bonifacius VIII. in una ex ſuis Conſtitutionibus, dicens (*d*): *Si Eccleſiam pollui ſanguinis effuſione contingat: ipſius cœmeterium, ſi contiguum ſit eidem, cenſetur eſſe pollutum. Unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis ſepeliri; ſecus, ſi remotum fuerit ab eadem:*

(*a*) Reg. 42. de reg. juris in 6.

(*b*) Franc. Sylvius in 3. part. Sum. S. Thom. q. 83. a. 3. quæſito 2.

(*c*) Joan. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & Prax. l. 5. c. 21. n. 15.

(*d*) Boniface. VIII. in Cap. Unico de Conſecrat. Eccleſiæ vel Altaris in 6.

CASUS II.

AGATHONIS in cœmeterio Eccleſiæ contiguo occiſi corpus in Eccleſia ipſa ſepelivit Parochus. Numquid ita ſe gerere potuit abſque peccato; cum ſibi perſuaſum foret, Eccleſiam una cum cœmeterio non fuiſſe pollutam?

RESPONS.

In Eccleſia corpus Agathonis ſepelire abſque peccato potuit Parochus; certum eſt enim, quod ex pollutione cœmeterii, licet Eccleſiæ contigui, Eccleſia ipſa non ſit polluta; ut declarat Bonifacius VIII. in Conſtitutione modo laudata, in qua, poſtquam dixit, polluta Eccleſia, cœmeterium quoque ipſi contiguum cenſendum eſſe pollutum, ita ſubjungit (*e*): *Non ſic quoque in caſu converſo ſentimus, ut videlicet polluto cœmeterio, quamvis Eccleſiæ contiguo, debeat Eccleſia reputari polluta; ne minus dignum, majus aut acceſſorium principale ad ſe trahere videatur.* Ita etiam communiter Theologi & Canoniſtæ (*f*).

(*e*) Idem ibid.

(*f*) Sylv. ſup. cit. q. 83. a. 3. quæſito 1. Cabaſſut. loc. cit.

CASUS III.

IN Parochia ſancti Laurentii duo ſunt contigua cœmeteria, muro ad latus alto ſejuncta, e quorum uno ad alterum per portam intermediam patet aditus. Quæritur, utrum priore polluto ob homicidium in eo perpetratum; alterum quoque pollutum reputari debeat?

RESPONS.

Certum eſt, priore polluto, alterum pariter cœmeterium non eſſe cenſendum pollutum; ut definit Bonifacius VIII. in eadem, quam jam attulimus, Conſtitutione his verbis (*g*): *Non unum, ſed plura cœmeteria eſſe noſcuntur, quæ, quamvis ſibi cohærentia, pariete tamen medio ſejunguntur. Ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur acceſſus) non propter hoc reputabitur violatum (h).*

Vide SEPULTURA, *Caſ. Turibius.* 2.

(*g*) Bonifac. VIII. in cit. Cap. Unico, de Conſecrat. Eccleſiæ vel Altaris in 6.

(*h*) Cabaſſut. loco ſupra cit.

COENULA *vulgo* COLLATIO.

Vide JEJUNIUM. *Caſ.* 17. *& conſequentibus.*

CÆRIMONIÆ SACRAMENTALES.

VOX iſta, *Cærimonia*, eo, quo in hoc titulo intelligitur, ſenſu Moyſi ſuam debet originem, qui illa in triginta duobus diverſis Pentateuci locis utitur, uti Scriptores ſacri qui ipſum ſecuti ſunt, in viginti ſeptem aliis. Primus hic Legislator a Deo edoctus, accepta in monte Sinai Lege, religioſas inſtituit Cærimonias, quæ erant ſigna externa & ſenſibus obvia, quibus inſtructus Iſraeliticus populus ſenſim ad agnitionem ſupremi entis pervenit (*i*).

Eccleſia Chriſtiana, hujus ſequens exemplum, ſacras neceſſe duxit inſtituere Cærimonias, quas omnibus retro ſæculis religioſe obſervavit. 1. Ad excitandam fidem noſtram, ſpem atque amorem in Deum. 2. Ad exhibendam nobis ipſis, quam ſperamus, gloriæ veritatem, cujus viam nobis Chriſtus aperuit; licet eam, uti in ſe eſt, nondum videamus.

Cærimonias igitur vocamus actus omnes Religionis, qui fiunt ad colendum, rogandum, laudandumve Deum, in cujus proinde honorem & gloriam omnes credunt. Unde accurata ſane videtur hæc Cærimoniarum definitio, quam affert doctus Theologus (*k*): *Cærimonia*, inquit, *eſt ritus religioſus, ſive pertinens ad Dei cultum.*

(*i*) Florior. Præfat. Tract. de Miſſa parochiali, 1. part. cap. 5. edit. Paris. an. 1679.

(*k*) Polman. part. 3. n. 196.

Cærimoniæ igitur; quæ in divinis fiunt Officiis non ad pompam tantummodo & ſplendorem fuere inſtitutæ, ſed ad nutriendam & augendam in nobis ſinceram pietatem, atque ex iis divinas veritates: unde S. Auguſtinus dicit, quod Cærimonia, *Eloquentia quædam eſt doctrinæ ſalutaris, movendo affectui diſcentium accommodata, a viſibilibus ad inviſibilia, a corporalibus ad ſpiritualia, a temporalibus ad æterna* (*a*). Quibus verbis utitur ferme Eccleſia in Concilio Tridentino (*b*).

(*a*) S. Aug. Ep. 55. alias 19. c. 7. ſeu n. 13. in fine.

Cærimoniæ Sacramentales nuncupantur ritus quidam, quos Eccleſia inſtituit, 1. Ut Sacramentorum adminiſtrationi ſacroſancti ſacrificii celebrationi, aliiſque divinis Officiis majorem in fidelium animis majeſtatem ac venerationem conciliaret. 2. Ut ex iis facilius eorum excellentiam ac ſanctitatem agnoſcerent. 3. Ut ea majori cum decentia ac devotione acciperent, ac participes inde fierent effectuum, quos iis Deus ex nimia bonitate ſua adjunxit ad propriam ſanctificationem.

(*b*) Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 5.

Cærimoniæ, quæ in Sacramentorum adminiſtratione præſcribuntur, abſque peccato voluntarie omitti nequeunt; quod idem de Miſſæ Cærimoniis eſt dicendum. Unde ſola urgenti neceſſitate excuſatur a peccato, qui eas omittit vel immutat. Qua de re legi poteſt Concilii Tridentini Decretum inferius poſitum.

Denique, cum Sacerdos ob juſtam rationem Sacramentum aliquod adminiſtravit, omiſſis convenientibus Cærimoniis, eas neceſſitate præcepti deinceps ſupplere tenetur; ſeu in Sacramentis Baptiſmi, aut Extremæ Unctiones, & aliis.

CASUS PRIMUS.

NONNE poteſt Guillebaldus S. Geneſii Parochus, Cæeimonias quaſdam in Diœceſano Rituali præſcriptas pro adminiſtratione Baptiſmi & Extremæ Unctionis, abſque peccato mortali, uti facit, omittere?

Responsio.

Certum eſt, quod negligentia & omiſſio Cærimoniarum, quas univerſus Eccleſiæ uſus comprobavit, aut Conciliorum auctoritas ſtatuit in adminiſtratione Sacramentorum, eſt de ſe peccatum mortale in virtutem Religionis; quod quidem fieri nequit veniale, niſi ob levitatem materiæ: cujus deciſionis hæ ſunt potiſſimum rationes.

1. Quia Cærimoniæ in ſacrificio Miſſæ, aliorumve Sacramentorum adminiſtratione obſervari ſolitæ multum conferunt ad fovendum & augendum cultum divinum, dignitatem, ſplendorem, & auctoritatem Catholicæ Religionis, adjuncta etiam Hæreticorum ignominia.

2. Quia negligi aut omitti nequeunt, niſi contemto in re gravi præcepto Eccleſiæ, quæ eas accurate cuſtodiri, nec novas introduci jubet: ut indicant iſta Tridentini Concilii verba (*c*): *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti; aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Et iterum (*d*): *Ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propoſitis caveant* (Epiſcopi) *ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cærimonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint.*

(*c*) Conc. Trid. ſeſſ. 7. de ſacram. Can. 13.

(*d*) Seſſ. 22. Decreto de obſervandis & evitandis in celebrat. Miſſæ.

3. Quia talis negligentia aut omiſſio admitti non poteſt, abſque gravi teſtium ſcandalo; modo tantiſper ſuam religionem, & Eccleſiæ norint regulas.

4. Quia non ſolum fidelium pietatem fovent & augent; verum etiam quia ſanctam veramque firmant doctrinam, quam majori cum ſplendore tuentur, ut patet ex dictis S. Auguſtini in multis operibus ſuis, ac iis præſertim quæ in Pelagianos compoſuit (*e*), quos de neceſſitate atque effectibus Baptiſmi convincit ex exorciſmis, quos in adminiſtratione hujuſce Sacramenti obſervat Eccleſia.

(*e*) S. Aug. l. 1. de peccat. merit. c. 34. ſeu n. 62. Epiſt. 31. & 51. alias 218. & 49. ad Januarium.

Fit igitur procul dubio mortalis peccati reus, Parochus ille de quo in caſu propoſito; dum contemnit omittitve cærimonias, quas in adminiſtratione Baptiſmi & Extremæ Unctionis ſervari jubet Eccleſia; niſi forte tanta ſit ac tam urgens eorum, qui hæc Sacramenta ſuſcipiunt, neceſſitas, ut eas obſervari per tempus non liceat. Cui etiam rei addi poteſt, uti jam diximus, eum a peccato ob levitatem materiæ excuſari poſſe.

CASUS II.

In Decanatu cujuſdam Hiſpanæ Diœceſis inter Parochos alioſque Clericos habitum eſt ex more colloquium, in quo de cærimoniis Baptiſmi, eaſque obſervandi neceſſitate actum eſt: hæc fuit omnium ſententia, eas ſub reatu mortalis eſſe adhibendas, ſi Titum & Tatianum excipias, qui contenderunt, eum non fieri peccati conſcium, qui inſufflationem in puerulum Baptiſmo initiandum fieri ſolitam omitteret; modo præſcriptas in Rituali preces recitaret. 1. Quia talis inſufflatio nullius momenti vel utilitatis pro puerulo baptizando eſſe videretur. 2. Quia eam in deriſum vertunt Hæretici, qui inde reliquas Eccleſiæ cærimonias inſectandi occaſionem arripiunt. Nonne abſque peccato ad praxim reduci poteſt hæc eorum opinio?

Responsio.

Nemo poteſt ſine peccato hanc Titi Tatianique ſequi opinionem, utpote adverſum toti antiquæ Traditioni; ex qua conſtat, inſufflationem ab exorciſmis non poſſe ſejungi, & utramque cærimoniam in dæmonem plurimum valere. *Inſufflationes Sanctorum*, inquit ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus (*f*), *& nominis Dei invocatio, tamquam vehementiſſima quædam flamma, urit dæmones, & in fugam agit.* Hanc cærimoniam ſemper in Eccleſia fuiſſe obſervatam, multis in locis luculenter teſtatur ſanctus Auguſtinus (*g*), præſertimque in ſuis contra Pelagianos operibus, in quibus de efficacia ritus hujuſce loquens, dicit: *Quæ ubique parvulos exorcizando & exſufflando, de poteſtate eruit tenebrarum.* Et alibi (*h*): *Verum tamen eſt, quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Eccleſiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & a principe mortis erueret .... Sed id tu commemorare timuiſti: tamquam ipſe ab orbe toto exſufflandus eſſes; ſi huic exſufflationi, qua princeps mundi a parvulis ejicitur foras, contradicere voluiſſes.* Et etiam alibi (*i*): *Neque enim ex quo eſſe cœpit Manichæi peſtilentioſa doctrina, ex illo cœperunt in Eccleſia Dei parvuli baptizandi exorcizari & exſufflari, ut ipſis myſteriis oſtenderetur non eos in regnum Chriſti niſi erutos a poteſtate tenebrarum transferri .... hos* (S. Cyprianus & S. Ambroſius) *iſte* Pelagius *audeat dicere Manichæos, & antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem iſte nefario crimine adſpergat, ut in regnum*

(*f*) S. Cyrill. Hieroſol. Catech. 2.

(*g*) S. Aug. l. 2. contra Julianum. c. 5. ſeu n. 19.

(*h*) Idem ibid. l. 6. c. 5. ſeu n. 11.

(*i*) Idem. l. 2. de nuptiis & concupiſc. c. 26. ſeu n. 50. & 51. Item. l. 2. de peccat. orig. c. 40.

quam Chriſti a poteſtate tenebrarum, hoc eſt, diaboli & angelorum ejus eruti, transferantur. Ex his terminis, *Antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem*, intelligitur, ſanctum Doctorem ſolito uſum fuiſſe ſermone vetuſtiſſimæ & maxime venerandæ traditionis, quam a Conciliis & a Patribus majoribus ſuis acceperat.

Numquid enim, niſi res ita fuiſſet, Julianus, Pelagianorum defenſor acerrimus, ipſum de falſo hac in re arguiſſet, atque contrarium probaſſet? Antiqua enim illa traditio novos illos Hæreticos letali confodiebat vulnere; atque ex ea manifeſtum fiebat, hanc fuiſſe non intermiſſam Eccleſiæ fidem, pueros videlicet originali culpa naſci inquinatos, ac proinde ſub dæmonis poteſtate, contra quam exſufflationis, exorciſmorum precumque adjunctarum ritus inſtituerat Eccleſia, ut ab ejus poteſtate quam pariebat peccatum, eruerentur parvuli nondum Baptiſmi aquis regenerati.

Ceteras heic in ſolemni Baptiſmi adminiſtratione Cærimonias adhiberi conſuetas omittemus, ut ſunt nominis impoſitio, ſalis immiſſio, unctio ſalivæ, abrenuntiationes ſatanæ & operibus ejus, unctio olei benedicti, profeſſio fidei, unctio ſacri Chriſmatis, veſtis alba, cereus accenſus: de iis enim nulla fit in caſu propoſito mentio. Obiter tamen advertendum, 1. eas omnes inconcuſſo ejuſdem traditionis fundamento niti, ut legere eſt apud Auctores ad marginem indicatos (a). 2. In Orientali Eccleſia contrarium eſſe uſum quoad illud diſciplinæ caput; baptizato namque domi ob neceſſitatem parvulo, non ſupplentur Cærimoniæ (b). Verum in hoc non conſulenda eſt uti regula Græcorum Eccleſia.

(a) S. Cyrill. Hieroſol. Præfat. in Catecheſes, & Cathec. 2. & 3. Tertull. de corona militis. c. 3. Orig. hom. 6. in Ezech. S. Amb. l. de Initiandis c. 1. & 7 & apud eumdem. l. 3. de ſacram. c. 1. & l. de lapſu virginis. c. 5. S. Aug. l. 1. de peccat. meritis c. 26. & l. 1. confeſſ. c. 11. Innocent. I. Epiſt. ad Decentium a. 3. Conc. Carthag. 4. Can. 83. S. Chryſoſt. hom. 2. in Gen. S. Hieron. in 2. ad Timoth. d. in hæc verba. *Confeſſus bonam confeſſionem*, &c. Theodoret. orat. 6. de Curandis Græcorum affect. & in Cantica. S. Chryſolog. ſerm. 52. S. Cyprian. Epiſt. 72. S. Baſil. l. de Spiritu Sancto. c. 27. S. Greg. Niſſen. S. Greg. Nazianz. S. Dionyſ. Alexand. & alii.

CASUS III.

Guillebaldus, S. Celſi Parochus, vocatus ad baptizandum infantem moribundum, ac poſtea Extremam Unctionem ægroto pariter moribundo impertiendam, ambobus conveniens adminiſtravit Sacramentum, omnibus omiſſis cærimoniis præſcriptis; ne forte alteruter obiret, ſi utriuſque Sacramenti priores ritus obſervaret. Numquid tenetur ſub gravi peccato omiſſas ſupplere Cærimonias, ſi per tempus liceat?

Respons.

Certum eſt, quod, ſi accepto Sacramento infans aut æger ſtatim obiret, nullam ex omiſſis cærimoniis ſupplere poſſet Guillebaldus. Verum, ſi infans aut ægrotus ſufficienti ſupervivat tempore, tenetur ille Parochus preces omnes, cærimoniaſque ob temporis anguſtiam omiſſas ſupplere, ut ſtatuunt Ritualia, Romanum & Pariſienſe, miſſis aliis innumeris. *Si ſupervivat*, (infirmus) *dicuntur aliæ orationes, ſuo loco prætermiſſæ*, inquit Rituale Pariſienſe (c): *Si vero, dum inungitur infirmus, decedat*, ait Romanum (d); *Presbyter ultra non procedat, & prædictas unctiones omittat.*

Hinc, dum de Baptiſmo ageretur (e), aſſeruimus, eos a Concilio Tridentino (f) anathemate percelli, qui dicunt, approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus & in adminiſtratione Sacramentorum adhiberi conſuetos contemni aut impune omitti poſſe; excepto ſolo caſu reconciliationis hæreticorum, in quo non ſupplentur Baptiſmi Cærimoniæ ob rationes ibi indicatas.

Hinc etiam de ſacroſancto Altaris ſacrificio loquentes auctoritate ſancti Thomæ probamus (g), Sacerdotem nullam poſſe omittere Miſſæ Cærimoniam; quamvis præſens moribundo opitulandi urgeat neceſſitas. *Si vero aliquid de accidentalibus ſolum* (omittat,) *conficitur; ſed graviter peccat, qui ſcienter omittit, quia facit contra præceptum Eccleſiæ.* 2. Solum caſum evidentis periculi mortis eſſe excipiendum, quæ celebranti Sacerdoti immineret, ſeu ab inimicis Religionis, ſeu proxima Eccleſiæ ruina, aut alia ſimili de cauſſa.

(c) Rit. Pariſ. tit. de Sacram. Extre. anct.

(d) Rit. Rom. tit. eod.

(e) V. *Baptiſmus*. caſ. v. *Nicolaus*.

(f) Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 13.

(g) S. Thom. in 4. ad Hannibal. dist. 23. a. 2. in corp. V. *Miſſa*. caſ. *Martinus*. 26.

COGITATIO.

VOX; *Cogitatio*, aliquando ſumitur pro ſenſu, opinione aut conſilio; quæ quis animo ſibi finxit; aut conſideratione facta. In hoc ſenſu dicitur: hæc mea eſt cogitatio: perſpicis ſane, quæ cogitatione volvebam: mea hæc eſt cogitatio, ut, quod tibi adſcribitur delictum, evolvas & diluas: ſublimia ſancti Auguſtini cogitata: cogitata D. Paſchalis.

Non in ſecundum hunc ſenſum in hoc titulo ſumitur terminus ille; ſed heic ſolum ſignificat actionem mentis cogitantis, ſeu rei ideam, quæ imaginationem ſubit.

Cogitatio quælibet, pro qualitate objecti ſui bona eſt, vel mala. At quantumvis ex objecto ſuo ſit mala, ad peccatum tamen numquam pertingit, niſi quamdam ſibi comitem habeat voluntatem: quia juxta notum ſancti Auguſtini effatum: Nullum ibi peccatum, ubi nulla voluntas. Sed voluntas tacita, quæ etiam moroſitas dicitur, ſufficit, ut fiat peccaminoſa, plus minuſve, pro natura objecti; & conſenſus delectationi datus, magis vel minus eſt perfectus. Atqui major vel minor eſt negligentia obſiſtendi hujuſmodi cogitationibus: quocirca magis vel minus eſt peccaminoſa, ut patebit ex deciſione primi caſus.

CASUS PRIMUS.

Reyneldis voluntarie quandoque & cum delectatione impuris cogitationibus immoratur, cum tamen peccatum de quo cogitat, perficere non intendat; immo vero tali modo ſit diſpoſita, ut vitam amittere, quam illud perficere malit. Quæritur, utrum nihilominus mortale peccatum committat ſola delectatione, qua impuris illis cogitationibus immoratur?

(b) D. de Moleon. Voiages Liturgiq. de France p. 460. & 462.

Respons.

Dubium eſſe non debet, quin Reyneldis peccati mortalis ſit conſcia. Nam Scriptura ſacra ex ſuo loquendi modo manifeſte oſtendit, neminem voluntarie abſque mortali peccato obſcenæ cogitationi cum delectatione poſſe immorari, etſi turpe cogitatum exſequi non intendat, ut patet ex his verbis Sapientis (h): *Perverſæ enim cogitationes ſeparant a Deo: abominatio Domini, cogitationes malæ.* Nihil autem a Deo nos ſeparare valet, nihilque Deus ipſe abominari poteſt, niſi mortale peccatum.

(h) Prov. 15. 26.

S. Auguſtinus, ſimili ſibi propoſita quæſtione (i), expreſſis verbis docet, neminem poſſe hujuſmodi impuræ cogitationi voluntarie, & cum delectatione immorari abſque reatu peccati, quo perſona damnationem æternam meretur; quam etiam evitare nequit, niſi per gratiam Mediatoris peccatum illius remittatur. En ejus verba: *Ita dici poteſt*,

(i) S. Aug. l. 12. de Trinit. c. 12. ſeu n. 18.

Digitized by Google

eſt, in homine uno, ſi delectationibus illicitis, a quibus continuo deberet avertere cogitatio, libenter ſola paſcatur; nec facienda decernantur mala, ſed tantum ſuaviter in recordatione teneantur, quaſi mulierem ſine viro poſſe damnari; abſit hoc credere. Hæc quippe una perſona eſt, unus homo eſt totuſque damnabitur; niſi hæc, quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per mediatoris gratiam remittantur.

(a) S. Greg. Papa in Can, *Hinc etenim* §. 2. diſt. 45.

Idem docet S. Gregorius Magnus (a), iſtam ſubjiciens rationem: *Quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur*. Quare illi prohibet, qui ex officio ſacrificium offerre tenetur, ut non ad altare accedat conſcius hujuſmodi peccatorum: *Ne profecto*, inquit, *diluere aliena peccata valeat is, quem adhuc propria devaſtant (b)*.

(b) Idem Ibid. §. 11.

(c) S. Th. q. diſput. de verit. q. 15, art. 4.

S. Thomas (c), accurate perpenſa eadem quæſtione, ac relatu quorumdam modernorum ſui temporis opinione, qui contendebant, hanc peccati ſpeciem eſſe tantum venialem, docet, eorum ſententiam non modo aliorum multo plurium modernorum, ſed & doctrinæ Auguſtini adverſari, eamque in animarum perniciem vergere: *Quidam enim dixerunt, quod non eſt peccatum mortale, ſed veniale: quæ quidem opinio Auguſtino adverſari videtur; qui ex tali conſenſu damnationem homini comminatur .... Iſti opinioni contradicit communis opinio modernorum; & videtur in periculum animarum vergere, cum ex conſenſu in talem delectationem homo in peccatum promtiſſime incidere poſſit; unde alteri opinioni magis videtur eſſe aſſentiendum, quæ ponit, talem conſenſum eſſe peccatum mortale.* Ita Angelicus Doctor, qui ut ſuam aſſerat ſententiam, iſtud ſubjungit ratiocinium (d): *Delectatio alicujus operationis & ipſa operatio ad idem genus peccati reducuntur, ſicut & operatio virtutis & delectatio in eadem ad eamdem virtutem .... ſed ipſe actus fornicationis eſt in genere peccati mortalis. Ergo & delectatio in cogitatione de fornicatione.* Sic ratiocinatur ſanctus Doctor, qui eamdem tuetur doctrinam reſpondens objectioni, qua videtur poſſe probari, magnum eſſe diſcrimen inter actionem peccaminoſam & ipſam delectationem *in* ejus cogitatione perceptam; aſſeritque utrumque ad idem genus peccati eſſe reducendum. *Sed delectatio*, addit (e), *quæ conſequitur cogitationem ex parte actus cogitati: reducitur in idem genus: quia nullus delectatur in aliquo, niſi afficiatur ad illud, & apprehendat illud, ut conveniens. Unde qui conſentit in delectationem interiorem, approbat exteriorem, & vult ſaltem ea frui cogitando de ea.*

(d) Idem Ibid. in 2. arg. *Sed contra*.

(e) Idem. Ibid art. 4. ad 1. item. 1. 2. q. 74. art. 8. ad 4.

Denique ad perfectam hujuſce materiæ elucidationem, juvat quaſdam heic proponere regulas, quibus dignoſci poſſit, num perfectus hiſce cogitationibus datus fuerit conſenſus. Idcirco triplex eſt diſtinguendus concupiſcentiæ motus. Primus, qui omnino voluntatis conſenſum anteverrit, & qui proinde non eſt liber. Alter, qui omnino liber non eſt, quia huic adverſatur voluntas; ſed quia non ſatis valide obſiſtit, imperfectum illi cenſetur præbere conſenſum. Tertius is eſt, qui perfecte liber eſt, quia in hunc fertur voluntas cum advertentia, abſque neceſſitate; immo etiam cum affectu. Primus horum motuum non eſt peccaminoſus, quia liber non eſt; nec enim in eo poteſt reperiri peccatum *ex* S. Auguſtino, ubi non reperitur liberum. Alter eſt tantum venialis, quia conſenſus non eſt perfectus: ſed tertius profecto eſt mortalis. Conſentiunt hactenus dicta cum doctrina S. Franciſci Saleſii, ut videre eſt in ipſius Introductione ad vitam devotam (*f*), cujus verba non referimus, uti ſancti Bonaventuræ (*g*), Richardi, Gabrielis Biel, Silveſtri, Cajetani, Navarri, aliorumque multorum, quorum ſententiæ congruit præſens deciſio.

(f) S. Franc. Sales. introduct. ad vitam devotam. part. 4. c. 6.

CASUS II.

Magdalena ſæpe obſcenas animo volvit cogitationes, atque inordinatos carnis patitur motus abſque ullo *inſ*urgentes incitamento: in prava non prorumpit deſideria, nec ſenſibili quidem eorum motuum delectatione afficitur; ſed cum eas cogitationes malas eſſe cognoſcat, eas rejicere non curat; nec arcte contenteque animum habeat. Nonne in eo delinquit?

(g) S. Bonav. in 2. ſentent. diſt. 24. q. 2. art. 2. Richard. art. 4. q. 4. Gabriel. In 4. diſt. 15. q. 13. art. 3. dub. 3. Silveſt. de Prierio. v. *Delectatio*. Cajet. Navar. Manual. c. 33. n. 8.

RESPONS.

Exiſtimamus, Magdalenam hac ſola moroſitate, hoc eſt, illa indulgentiæ ſpecie peccare, qua vel ipſius mali cogitationem non repudiat. Id quidem probari poteſt auctoritate S. Thomæ (*h*) aſſerentis, moroſæ delectationis peccatum contingere, non ſolum cum quis ad obſcenam ſe provocat delectationem, ſed etiam, cum quis ea præventus & cognoſcens in eamdem immoratur, illamque non rejicit. En ſancti Doctoris ratiocinium: *Peccatum contingit eſſe in ratione, in quantum eſt directiva humanorum actuum. Manifeſtum eſt autem, quod ratio non ſolum eſt directiva exteriorum actuum, ſed etiam interiorum paſſionum: & ideo quando deficit ratio in directione interiorum paſſionum, dicitur eſſe peccatum in ratione .... Deficit autem ratio in directione interiorum paſſionum dupliciter; uno modo, quando homo ex deliberatione provocat ſibi motum iræ, vel concupiſcentiæ. Alio modo, quando non reprimit illicitum paſſionis motum; ſicut cum aliquis, poſtquam deliberavit, quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus; nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit: & ſecundum hoc dicitur peccatum moroſæ delectationis eſſe in ratione.*

(h) S. Th. 12. q. 74. art. 6. in corp.

Ex hac Doctoris Angelici deciſione manifeſte liquet, Magdalenam in caſu propoſito eſſe conſciam peccati. His addendum, quod quis ad aliquid puritati contrarium mentem applicare non poteſt ſine peccato; niſi adſit legitima neceſſitas, qualis eſt Medici aut Confeſſarii, cui res illa debet eſſe nota; ſed etiam, quod de illa agendo, periculum eſt, ne a cogitatione ad affectum fiat tranſitus, aut ſaltem ne delectationi quam parit, conſenſus præbeatur (*i*).

(i) De Gen. Theol. moral. tom. 1. Tract. 2. cap. dem. 3.

Vide Peccatum.

COGNATIO.

Vide (Impedimentum Cognationis Naturalis.)
(Impedimentum Cognationis Spiritualis.)
(Et Impedimentum Cognationis Legalis.)

COLLATIO.

COLLATIO eſt *gratuita quadam Beneficii vacantis aſſignatio, ab habente poteſtatem idoneo Clerico legitime facta (k)*.

(k) Cons. Paraphras. l. 4. c. 3.

Duplex diſtinguitur Collatio, altera libera & voluntaria, quæ a ſolo pendet Collatore, qui Beneficium pro libito conferre poteſt cuilibet Clerico; modo non ſit incapax, aut inhabilis ad illud poſſidendum. Altera dicitur neceſſaria, atque ea eſt, quam tenetur poſtulanti Beneficium concedere; quales ſunt Indultarius, Graduatus, aut a Patrono Laico præſentatus.

Colla-

Collatio Beneficii valide fieri poteſt exrra territorium Collatoris, quia ad juriſdictionem contentioſam non pertinet, ſed ad voluntariam, ſeu gratioſam.

Epiſcopus, aut quilibet alius Collator a Judice ſæculari cogi non poteſt ad conferendum Beneficium invitus: ſed Clericum qui ejus opem quærit, ad Superiorem Eccleſiaſticum Epiſcopi aut Collatotis remittere debet (*a*).

(*a*) Edict. Bleſ. art. 641.

Vide COLLATOR *inferius*.

CASUS PRIMUS.

PARŒCIAM S. Calliſti ex obitu vacantem & Patruoatus Laici, Vincentio pleno jure contulit Epiſcopus Diœceſanus, non exſpectata Patroni præſentatione. Nonne invalida eſt iſta collatio *ipſo jure*?

RESPONS.

Reſpondendum cum S. Antonino (*b*), ſactam ab Epiſcopo in propoſita ſpecie collationem *ipſo jure* non eſſe invalidam; ſed Vincentii proviſionem Judicis ſententia, intercedente & conteſtaote Patrono lata, poſſe irritari; uti declarat Alexander III. in una ex ſuis Decretalibus (*c*) his verbis: *Si vero.. aliquis, ſine præſentatione fratrum ejuſdem loci faerit in ipſu Eccleſiu inſtitutus; ejus, ſecundum rigorem juris, eſt inſtitutio irritandu*. Quocirca, ſi Patronus de proviſione non conqueratur intru tempus jure ſibi conceſſum, quod eſt ſex menſium pro Patrono Eccleſiaſtico, & quatuor menſium pro Patrono Laico (*d*), a die datæ irrevocabiliter valet hæc proviſio: uode ſequitur, eam fuiſſe validam; quia ſi ab initio ſuiſſet invalida, deioceps etiam ſuiſſet juxta iſtam juris regulam (*e*): *Non firmntur tractu temporis, quod de jure nb initio nou ſubſiſtit*.

Hujus autem rei hanc ratiunem affert Carolus Molinæus (*f*); quia ex jure communi de omnibus ſuæ Diœceſis Beneficiis diſponere poteſt Epiſcopus: quod probat ex Canone Ilerdenſis Concilii an. 524. quem in ſuo Decreto refert Gratiauus (*g*), & ex Decretali Urbani III. (*h*). Sed ſi jure ſuo utatur Patronus intra conceſſum ſibi tempus, irrita fit *ipſo jure* Ordinatii Collatio, licet nulla Judicis ſententia irritetur, ut ſtatuit Canonuoni Toletani Concilii an. 655. (*i*). Quod ſi e contrario ſibi conceſſum tempus prætermiſerit Patronus, de Beneficio providere poteſt Epiſcopus pleno jure, uti facile probari poteſt ex Decretali Innocentii III. ad Cardiualem ſcribentis (*k*), & ex alia ejuſdem ſummi Pontificis ad quemdam Angliæ Epiſcopum (*l*): unde non neceſſe eſt, ut in proviſione ſua dicat Epiſcopus, ſe Beneficium conferre ob negligentiam Patroni ad præſentandum, & jus illud ad ſe fuiſſe devolutum; tum enim illud confert, non ex novo jure quæſito, ſed pleno jure ordinario ac primitivo; ut ratiocinatur idem Molinæus (*m*) his verbis: *Aut vero Epiſeopus euſpectavit Patronum per totum tempus juris; & tanc etiam libere providebit, non proprie eu novo jure quæſito & ud ſe devoluto u Patrouo, ſed jure ſuo primitivo, quod hactenus babebnt neu liberum; ſed nunc liberum babet remoto ſervitutis obſtaculo .... ſequitur quod Ordinarius poſt tempus Patroni lapſum & jus liberum ad ſe devolutum, non tenetur exprimere conferendo, nec dicere, quod confert jure devoluto, ſed poteſt ſimpliciter conferre, & valet Collatio &c.* (*n*).

(*b*) S. Aot. 3. pait. ſum. tit. 25. c. 3. §. 15.

(*c*) Alex. III. in Cap. *Illud*. 8. de jure patronatur lib. 3. tit. 38.

(*d*) Bonif. VIII. in cap. unic. §. 2. de jure patronatus in 6. lib. 3. tit. 22.

(*e*) Reg. 18. de reg. juris in 6.

(*f*) Carol. Molinaua in Reg. Cancell. Rom. *De infirmis reſignantibus*. n. 62.

(*g*) Conc. Ilerdenſe in Can. *Si ex Laicis*. tit. 10. q. 1.

(*h*) Urbanus III. in Cap. *In Eccleſiis*. 1. de Capellis Monachorum. lib. 3. tit. 30.

(*i*) Conc. Tolet. 9. in Can. *Decernimus*. 32. 10. q. 7.

(*k*) Innoc. III. in Cap. *Quia diverſitatem*. 5. de conceſſione Prabendæ.

(*l*) Item. in Cap. *Cum propter*. 27. de jure patronatur.

(*m*) Carol. Molinæus loc. cit. n. 64. & 65.

(*n*) Do Coſſo. Vicarius gen. & Offici. diœc. Condom. Praxis juriſdict. Eccl. voluar. c. 3. c. 2.

CASUS II.

EPISCOPUS pleno jure Renato contulit Curam, cujus nominatio pertinet ad Patronum, qui, re cognita Paullum nominavit; iſque, collationem ſibi denegante Epiſcopo, jus ſuum expertus eſt apud Metropolitanum, a quo obtentis proviſionibus neceſſariis, Curam adivit. Qua de re quæritur, quis e duobus ſit legitimus Titularis?

Inde præcipua oritur difficultas, quod jam bis Epiſcopus ille Curam eamdem pariter contulerit, non intercedente Patrono, aut quemquam nominante. Unde colligit Epiſcopus, jus providendi independenter a Patrooo ad ſe devolutum eſſe, atque adeo Renatum ſolum legitimum eſſe Titularem.

RESPONS.

(1) Paullus ſolus eſt legitimus Titularis; quia de Cura providere jure non potuit Epiſcopus Renatum ante ſex elapſos menſes, ſi Patronus ſit Clericus, aut ante quatuor meuſes, ſi Laicus ſit. Ita docet Cabaſſutius (*o*): qui teſtatur, rem ita ſæpiſſime ab Aquiſextienſi Parlamento multis Arreſtis fuiſſe judicatam, atque in primis ex Arreſto 18. Martii an. 1652. lato in quemdam Sacerdotem, cui Regienſis Epiſcopus Beneficium contulerat abſque Patroni præſentatione; licet bis jam illud, aliis non præſentatis, contuliſſet. Idemque Parlamentum an. 1632. jam alium Sacerdotem ab Epiſcopo Siſtaricenſi proviſum depulit Beneficio, inſtaute Marchione Canilliaco Patrono, illudque alteri Sacerdoti adjudicavie: tametſi hoc ipſum Beoeficium diverſis vicibus Siſtaricenſes Epiſcopi contuliſſent, nullo præſeutante.

Paſtor (*p*) Juriſconſultus Gallus, ſimile refert ejuſdem Parlamenti Arreſtum an. 1637. quo Clericus ab Ordinario proviſus, oullo præſeutante, de Beneficio depulſus eſt, licet a 30. annis & amplius illud diverſis vicibus contuliſſet Epiſcopus; quod Præſul iſle 40. anuorum integrorum præſcriptionem probare non potuiſſet.

Suam ſententiam confirmat Cabaſſutius ex Decreto Tridentini Concilii (*q*), quo ſtatuitur ad præſcribendum jus patronatus, requiri poſſeſſionem nuu interruptam 50. annorum: cui etiam ſuffragantur multæ, hoc eſt, duæ ſaltem, treſve præſentationes certæ, & non conteſtatæ (*r*), aut 40. annorum cam bona fide (*ſ*) & titulo ſaltem colorato.

Fatetur bic Auctor, Louetum (*t*) quem ſequitur Paſtor (*u*), contendere, unam aue alteram collationem bona fide ſactam ſatis eſſe ad præſcribendum jus patronatus juxta haoc regulam: *In Beneficiis ſtatus ultimns debet nttendi. At vero*, inquit, *illud forenſe axioma; in Beneficiis ultimum ſtatum eſſe attendendum nibil juvat Loueti opinionem juribus allegatis*, ſcilicet Decretalium & Concilii, *& æquitati plane repugnnntem*. Cujus rei hanc profert rationem: *Ultimus enim ille Beneficiorum ſtatus ſuppouit jas ambignum. Sed nullnteuus præjudicat, ubicumque titulus evidens oſtenditnr*, (quod fit in caſu propoſito erga Paullum a Patrono præſentatum) *ut conſtnt ex enp.* Conſultationibus, *de jure Patronatus: qaod atique in cauſſa iſtu eſt deciſivum*.

(*o*) Joan. Caballutius Juris Can Theor. & prax. l. 2. c 7. n. 14.

(*p*) Melchior Paſtor l. 1. de Beneficiis. tit. 10. n. 16.

(*q*) Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 9. de reform.

(*r*) Innoc. III. in Cap. *Cum Eccleſia*. 3. de cauſis poſſeſſionis & proprietatis. lib. 2. tit. 12.

(*ſ*) Alex. III. in Cap. *De quarta*. 4. et Innoc. III. in C. *Auditis*. 16. de præſcriptionibus. l. 2. tit. 26.

(*t*) Georgius Louetus lit. P. n. 10.

(*u*) Melchior Paſtor l. 2. cit. tit. 15. n. 17.

CASUS III.

VACANTEM ſancti Macarii Curam, cujus Patroous eſt Abbas ſancti Gordiani, ipſa Abbatiali ſede ex obitu Abbatis vacante, pleno jure contulit Epiſcopus Diœceſanus Ludovico qui eam adivit. Tribus elapſis menſibus ad eam novus Abbas Marcellum nominavit, qui, recuſante Epiſcopo, proviſiones ſuas a Metropolitano obtinuit. Quis e duobus eſt legitimus Titularis?

RESPONS.

Ludovicus, uti ab Epiſcopo canonice proviſus, ſolus eſt verus Titularis, & in eam Curam Marcello nullum jus competit. Ratio eſt, quia, licet Epiſcopus Beneficium patronatus ſine formali Patroni conſenſu, non poſſit conferre, uti oſtendimus in duabus prioribus deciſionibus; nihilominus, ſede Abbatiali vacante, Curiales Eccleſiæ fiunt liberæ, & jure patronatus exemtæ, nec non jus ſuum naturale & primitivum acquiront; ita ut jure ſuo ordinario de iis providere poſſit Epiſcopus; quibus ita proviſis, Abbas defuncti ſucceſſor, pro hac vice jure ſuo excidat. Ita moder-

dernus

(1) Vid. *Munda Pencaſ.* Obſerv. III. num. XIII.

(a) Du Caſſe. Praxis juriſdictionis Eccleſiaſticæ voluntariæ, c. 5. n. 3.

dernus Auctor (a) in ſuo Tractatu de juriſdictione Eccleſiaſtica.

CASUS IV.

Ferrandus, Colocienſis in Hungaria Archiepiſcopus, animadvertens, Epiſcopum quinque Eccleſiarum, ſuffraganeum ſuum, multis jam elapſis menſibus de Cura S. Jobi, cujus Parœcia Diœceſi ſuæ eſt finitima, non providiſſe; eam Stanislao contulit ante partum ſibi jus devoluti; quo deinde ub Epiſcopi negligentiam acquiſito, Stanislaus Curæ pacificus poſſeſſor remanſit, in ea videlicet ab Archiepiſcopo voce confirmatus. Quæritur, utrum collatio quæ ſtatim ex defectu juris Archiepiſcopo acquiſiti fuit invalida, jam poſt devolutum eidem jus valida ſacta fuerit?

Respons.

Nullum Archiepiſcopo jus competit providendi de Beneficio extra Diœceſis ſuæ limites poſito ante partum ex negligentia ſuffraganei ſui jus devoluti; atque in eo caſu, ne quidem valide, Beneficium conſerre poteſt, niſi in proviſionibus de tali Beneficio exprimat, jus illud ad ſe pertinere ex devoluto. Unde ſequitur datam Stanislau proviſionem ante jus devolutum nullam eſſe *ipſo jure*: Cum Archiepiſcopus jure ſuo ordinario Beneficia, quæ de jure conferunt ſuffraganei ſui, ipſe conferre nequeat, aut ullam in ejus Diœceſanos exercere juriſdictionem, niſi in cauſſa appellationis; uti declaravit Innocentius IV. in quadam ex ſuis Decretalibus, quæ in Sexto refertur his verbis (b): *Nec appellationis articulo prætermiſſo, nec alias etiam, cum minime appellatum exſtiterit, Rhemenſis Archiepiſcopus, vel ejus Officialis de cauſſis Clericorum, tamquam Judices, licet in ipſos iidem Clerici de facto conſentiant, atque Diœceſanorum ſuorum voluntate cognoſcant.* Ex quo ſequitur, collationem ſactam ab Archiepiſcopo, ante jus devoluti acquiſitum invalidam, devoluto ſequenti non fieri validam ex hac juris regula (c): *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*; & ex iſta alia (d): *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Ita Molinæus, unus ex peritiſſimis noſtris Juriſconſultis caſum hunc diſſolvit (e). Nihilominus, ſi parto jure devoluti, novam hujus Curæ proviſionem dediſſet hic Archiepiſcopus Stanislao, priuſquam eamdem contuliſſet Epiſcopus quinque Eccleſiarum, canonice Stanislaus foret proviſus.

(b) Innoc. IV. in Cap. *Romana*. 1 de foro competenti in 6. l. 2. tit. 2.

(c) Reg. 18. de regulis juris in 6.

(d) Reg. 64. ibid.

(e) Carol. Molinæus ad regulam. *De infirmis reſignantibus*. n. 64.
Du Caſſe. loco ſupra cit.

CASUS V.

Com Elias, Abbas, ſoluſque Patronus præſentator Parœciæ ſancti Eligii, actu eſſet excommunicatus denuntiatus, Hieronymo Parœciam hanc pleno jure contulit Epiſcopus. Quæritur, utrum hæc collatio ſit canonica?

Respuns.

Excommunicatus denuntiatus omni cum eccleſiaſtico, tum civili commercio privatur, ut conſtat ex duabus Decretalibus Innocentii III. (f) ex duabus Alexandri III. (g); denique ex duabus aliis Clementis III. (h), quæ legi poſſunt in corpore juris Canonici. Quare toto illo notæ excommunicationis tempore ceſſat jus illius patronatus, neque illud per ſe ipſum exercere poteſt. Verum eſt tamen ex Paſtore (i), quod licet Patronus excommunicatus jus illud immediate per ſe ipſum exercere nun poſſit, poteſt tamen per alium, cui poteſtatem hanc ante excommunicationem ſuam demandaſſet. Poteſt etiam in alio caſu, ſcilicet cum abſolutionem ſuam requirit, utpote qui tum negligentiæ non eſt conſcius. Ratio eſt, quia, ut declarat Innocentius III. (k) ſex menſes quos Patronis Eccleſiaſticis concedit Lateranenſe Concilium, non computantur in Epiſcopum ſuſpenſum per totum illud tempus, quo abſolutionem ſuam Romæ requirit, quia Decretum illud non fuit promulgatum, niſi ad puniendam Patronorum & Collatorum negligentiam. *Sic tamen*, inquit hic Papa, *ut tempus ſuſpenſionis in ſex menſibus nullatenus computetur, cum illa Lateranenſis Concilii conſtitutio contra negligentes tantum fuerit promulgata.* Hinc ſequitur, ſactam ab Epiſcopo collationem, de qua in caſu propoſitu, eſſe validam & Canonicam; ſi Elias nemini demandavit expreſſe poteſtatem nominandi ad Curam ſancti Eligii ante incurſam excommunicationem, & ſi actu ſuæ abſolutionis impetrationem non requireret (l).

(f) Innoc. III. in Cap. *Nuper*. 29. & in Cap. *Si aliquando*. 41 de ſent. excommunicat. &c. l. 5. tit. 39.

(g) Alex. III. in Cap. *Nulli*. 8. & in cap. *Parochianos*. 9. eod. tit.

(h) Clem. III. in Cap. *Cum non*. 14. & in cap. *Cum deſideres*. 15. eod. tit.

(i) Melchior Paſtor. l. 1. de Beneficiis. tit. 19.

(k) Innoc. III. in Cap. *Quia diverſitatem*. 5. de conceſſ. Præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis. l. 3. tit. 8.

(l) Du Caſſe. Praxis juriſdictionis Eccleſiaſticæ 2. part. c. 5. n. 5.

CASUS VI.

Mauritius, cognita Parochi morte, de illius Cura Romanæ Curiæ proviſionem obtinuit. Deinde, cum ſe Epiſcopo ſuo præſentem obtuliſſet ad obtinendum litteras ſuas examinis, ſeu *Viſa* ſuum, inepte prorſus omnibus in examine ſuo quæſitis reſpondit, quia vix latine noverat. Eo itaque ob ignorantiam repulſo; ſtatim Curam hanc Stephano contulit Epiſcopus. Numquid valida eſt illa Epiſcopi collatio, licet Romanæ Curiæ proviſionibus præventi & ligati; & Stephanus ipſe numquid tenetur ad obtinendam pontificiam proviſionem, ut canonice ſit proviſus?

Respuns.

Certum eſt, quod Stephanus ab Ordinario ſit legitime proviſus; nec ſub peccato novam a Papa proviſionem requirere teneatur. Ratio eſt, quia ex jure communi Epiſcopus Curas propriæ Diœceſis ac nominationis non ſolum ex obitu, aut in caſu demiſſionis aut permutationis, ſed etiam quacumque alia ratione vacantes poteſt conferre; cum jus conſerendi ad Papam non ſit reſervatum; immo reſervationes illæ in Gallia ſint ſublatæ, ut videre eſt ex Concordato inter Leonem X. & Franciſcum I. inito (m). Atqui in propoſita ſpecie certum eſt, quod Cura vacet ob ignorantiam Mauritii. Igitur canonica eſt collatio illius, quam Stephano conceſſit Ordinarius.

(m) Concord. de reſervat. ſublatis.

Neque dicas, Epiſcopi poteſtatem anteriori Papæ proviſione eſſe ligatam: hæc eſt enim conſtans regula, quod, quoties ſummus Pontifex proviſionem *in forma dignam*, hoc eſt, in forma commiſſoria concedit, toties intendit, talem proviſionem ſuum non ſortiri effectum, niſi poſtquam proviſus Epiſcopi examen ſubierit, atque ab eo idoneus ad habendum Beneficium judicatus fuerit.

Ob eamdem rationem jure poteſt conſerre Curam, quam in Curia Romana obtinuit Clericus, qui ob ætatem intra annum ſacerdotio initiari non poteſt, aut qui requiſitam habens ætatem, tempore præſcripro ad ſacerdotium ſe promoveri non curavit, ut declarat Gregorius X. in una ex ſuis Conſtitutionibus in Concilio œcumenico Lugdunenſi lata (n). Cum igitur ignorantia non minus ſit impedimentum, quam defectus ætatis, in eo qui ad Parœciæ regimen cupit accedere; dicendum in eo caſu Epiſcopum pleno jure poſſe conferre.

(n) Greg. X. in Cap. *Licet*. 14. de electione & electi poteſt. in 6. lib. 1. tit. 6.

Juvat heic obſervare, proviſiones quandoque a ſummo Pontifice *in forma gratioſa* concedi; ſed eas non confert niſi ſub atteſtatione *de vita & moribus* ab Epiſcopo originis, Beneficii, aut domicilii ſubſcripta; quo in caſu proviſus ſub ea forma Beneficium poteſt adire, cum litterarum viſualium, ſeu *Viſa* loco ſit atteſtatio de vita & moribus. Unum tamen excipiendum circa Beneficia curata. Nam (t) juxta Edictum juriſdictionis Eccleſiaſticæ an. 1695. (o) proviſus *in forma gratioſa*, tenetur Diœceſano Epiſcopo ſe offerre (p).

(o) Edict. an. 1695. art. 2. & 3.

(p) D. Perezius jur. can. Galliæ. l. 7. c. 8. n. 1. 2. & 3.

CASUS VII.

Malcho in Germaniam profecto ad inviſendos parentes qui ibi commorantur, Cathedralis ſuæ Præbendam contulit Galliæ Epiſcopus, qui incertus, num eam acceptutus eſſet, duos ei menſes aſſignavit ad acceptandum aut recuſandum oblatum Beneficium. Duobus elapſis menſibus, cum acceptationem ſuam non declaraſſet Malchus, eamdem Præbendam Hieronymo contulit Epiſcopus: quo facto Malchus in Galliam redux declaravit, ſe acceptare dictam Præbendam, cujus etiam poſſeſſionem adire voluit: verum Hieronymus, qui jam eam poſſidebat, interceſſit, eique Beneficium cedere denegavit. Quis e duobus legitimus eſt Titularis?

Re-

(t) Vide *Menda Pontaſ*. Obſerv. III. num. XII.

RESPONS.

Generaliter loquendo, cum Epiſcopus Beneficium contulit, conſilium mutara non poteſt, illud idem alteri conferendo, ſine conſenſu ac renuntiatione proviſi. Id ipſum declarat Bonifacius VIII. (*a*) his verbis: *Ipſe tamen Epiſcopus, vel quicumque alius de ipſo Beneficio, niſi conſentiri recuſes, in perſonam alterius ordinare nequibit; quod ſi fuerit, ejus ordinatio facta de Beneficia non libera, viribus non ſubſiſtet. Sed ſi Epiſcopus notificata tibi collatione*, pergit idem Papa Clericum in ſimili caſu poſitum alloquens, *ad conſentiendum terminum competentem aſſignet; niſi conſenſeris, poterit, eo lapſo, Beneficium libere, cui viderit expedire, conferre*. Cujus quidem rei hanc Gloſſa (*b*) rationem affert; quia Beneficium acceptandi negligentia repulſæ æquivalet. *Quaſi diſſenſiſſe videatur .... & per hanc litteram videtur idem dicendum, ſi diſſenſerit*. Quod etiam probat ex alia hujus ſummi Pontificis conſtitutione (*c*), in qua dicitur, quod qui pœna aliqua mulctatus interjectam appellationem tempore lege præſcripto non proſequitur; is poſt elapſum terminum huic renuntiaſſe, pœnamque acceptaſſe cenſetur. *Alias præſumitur appellationi ſuæ renuntiare appellans .... etiamſi vadat, aut mittat ad appellationem proſequendam*.

(*a*) Bonifac. VIII. in Cap. *Si tibi*. 17. de Præb. & dignit. in 6.

(*b*) Gloſſa v. *Ex lapſo*.

(*c*) Bonifac. VIII. in C. *Ab eo*. 6. de appellat. in 6.

Hinc igitur concludi neceſſe eſt, Hieronymum canonice de Præbenda fuiſſe proviſum, & in eam nullum Malcho jus competere: quocirca ſibi ſoli jacturam Beneficii debet adſcribere conformiter ad iſtam juris regulam (*d*): *Mora ſua cuilibet eſt nociva*: & iſtam aliam (*e*): *Dammum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare*.

(*d*) Reg. 25. de reg. juris, in 6.

(*e*) Reg. 86. ibid.

Advertendum tamen, quod, ſi Beneficium ſecundo nondum contulerit Epiſcopus, Malchus illud etiam acceptare & adire poſſet, etſi præfixus ſibi terminus eſſet elapſus. Quod declarat idem ſummus Pontifex addens (*f*): *Antequam tamen ipſum* (Beneficium) *contulerit, tuum poteris, non obſtante quod lapſus ſit terminus, præſtare conſenſum; & ex tunc de ipſa non poterit aliter ordinari*.

(*f*) In dict. Cap. *Si tibi*.

CASUS VIII.

BERTRANDUS, Ceſenæ Epiſcopus, Eccleſiæ ſuæ Cathedralis Præbendam Ludovico, ſimplici Acolytho, Venetiis ſtudenti contulit: tranſacta proviſione cum præviis ad monendum litteris; Paullus, hujuſce Epiſcopi Eleemoſynarius abſque honorario a decem annis ipſi miniſtrans, hanc ab eo requiſivit Præbendam, quam ei recuſare ſe non poſſe ſine quodam ingrati animi vitio exiſtimavit. Quocirca, ſuppreſſa Luduvici proviſione, aliam in favorem Paulli ſubſtituit. Nonne canonice & juſte eam facere potuit; cum ad illud Beneficium Ludovico jus nullum competere cenſeatur, donec illius collationem admiſerit?

RESPONS.

Dictam Præbendam canonice & abſque peccato in regulas Eccleſiæ Paullo conferre non potuit hic Epiſcopus: quia collator, qui collationis inſtrumentum emiſit eique ſubſcripſit, adeo jure ſuo toto uſus eſt, ut poſtea ſecus facere nequeat. Hanc deciſionem verbis expreſſis ſuppeditat Bonifacius VIII. in Sexto. En ipſius verba (*g*): *Si tibi abſenti per tuum Epiſcopum conferatur Beneficium, licet per collationem hujuſmodi, donec eam ratam habueris, jus in ipſo Beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras: ipſe tamen Epiſcopus, vel quicumque alius, de ipſo Beneficio, (niſi conſentire recuſes) in perſonam alterius ordinare nequibit*. Eodem modo difficultatem hanc ſolvunt Innocentius IV. Joannes Andreas, Joannes Monachus, Archidiaconus, omneſque alii Canoniſtæ celeberrimi.

(*g*) Bonifac. VIII. in Cap. *Si tibi*, 17. de Præb. & dignit. in 6.

CASUS IX.

CUM PARMENIANUS ſancti Frontonis Prior, notorie factus eſſet Hæreticus, Prioratus ipſius collator de eo Bernardum providit. Numquid valida eſt hæc collatio?

RESPONS.

Dicendum ſine cunctatione, collationem hanc eſſe validam. Verum quidem eſt, quod juxta opinionem Caroli Molinæi (*h*) Aurelianenſi Edicto ſtabilitam, Hæretici Beneficium impetrari non poteſt, priuſquam talis fuerit juridica ſententia denuntiatus; ſed immutata eſt illa juriſprudentia ex tempore Bleſenſis Edicti Aurelianenſi poſterioris. Nam ea Edicto Bleſenſi Henricus III. permittit, ut quis ſe provideri curet de Beneficiis vacantibus pleno jure, nulla interveniente judicis ſententia: atqui certum eſt, Beneficiario in hæreſim incidente manifeſte, Beneficium ejus *ipſo jure* vacare, atque adeo proprium illius collatorem auctoritate ſua, ac ſine alia juris formula illud poſſe conferre. Nihilominus proviſus recens illud adire, ac priorem poſſeſſorem ſpoliare nequit, niſi poſtquam ex legitimo judicio crimen illius ſit certum; alioqui Beneficiarius innoxius ſuo poſſet privari Beneficio (*i*).

(*h*) Carol. Molinæus in reg. de inf. reſig. n. 186. & ſeq.

(*i*) D. Pereſius Jur. Can. Gal. l. 2. c. 11. n. 14.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex Decretali Alexandri IV. (*K*) qui declarat, nullum Hæreticum de Beneficio provideri poſſe: *Hæretici*, inquit, *ad nullum Eccleſiaſticum Beneficium, ſeu officium publicum admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum & inane*. Unde colligendum a pari, Beneficiarium jam poſſeſſi Beneficii fieri incapacem, ubi primum in hæreſim incidit, eoque *ipſo jure* fieri privatum.

(*k*) Alex. IV. in Cap. *Quicumque*. 2 §. 2. de Hæreticis in 6. l. 5. tit. 2.

CASUS X.

APOLLODORUS, excommunicatione minori ligatus, quod abſque ratione excommunicati denuntiati conſuetudine uſus fuiſſet, Prioratum acceptavit, qui ſibi collatus eſt, aut ad quem ab Eccleſiæ Cathedralis Capitulo fuit electus. Qua de re quæritur, 1. Utrum hoc ei Beneficium valide conferre potuerit collator, & proviſio ejus ſit canonica? 2. Utrum illud ſine peccato acceptare potuerit?

RESPONS.

Non illegitima ſit proviſio, aut invalida Apollodori electio ad Prioratum de quo agitur, ob excommunicationem minorem qua tum fuit ligatus, cum de eo proviſus aut ad eum electus fuit: quia ex ſola excommunicatione majori fit Clericus inhabilis ad accipiendum Beneficium, ſeu per collationem, ſeu per electionem. Re ipſa Gregorius IX. (*l*) de hujuſmodi electione dicit, eam non irritam eſſe, ſed irritandam: *Si tamen ſcienter electus fuerit, electio eſt irritanda*. Unde ſequitur, quod licet valida ſit electio, eſt tamen illicita; atque adeo Prioratum de quo agitur, quocumque modo ſibi datum acceptare non potuit Apollodorus, aut eum retinere, niſi ab ea cenſura ſe curet abſolvi. Ita Caballutius, qui de laudata modo Decretali ſic loquitur (*m*): *His enim verbis* (ejus electio eſt irritanda) *non negat eſſe validam, ſive electionem, ſive præſentationem, ſive collationem, ſive inſtitutionem: ſed tamen ſatis inſinuat eſſe illicitam, cum decernit illam irritandam eſſe: atque adeo taliter illigatum non poſſe citra gravem offenſam ſuſcipere & retinere Beneficium, niſi ſe abſolvi curet*. Canoniſtæ huic in hac ſententia præivere Felinus (*n*), Ugolinus (*o*), & alii multi.

(*l*) Greg. IX. in Cap. *Si celebrat*. fin. de Clerico excom. depoſito, vel interd. miniſtrante. L. 5. tit. 27.

(*m*) Joan. Caballut. Juris Can. Theor. & prax. l. 5. c. 18. n. fin.

(*n*) Felinus Sandeus ad Cap. *Dilecti*, de exceptionibus.

(*o*) Barthol. Ugolinus tab. 3. c. 6.

CASUS XI.

ALBERTUS, Scodræ Epiſcopus, majori excommunicatione illigatus, Florenti, hujuſce cenſuræ Epiſcopi non inſcio contulit. Beneficium Numquid valida eſt hujuſce Beneficii collatio?

RESPONS.

Diſtinguendum: nam, ſi Alberti non ſit excommunicatio publica, ſitque ipſe toleratus ab Eccleſia in exercitio functionum ſuarum Epiſcopalium, valida eſt ejus collatio Florenti. Verum, ſi publica ſit hujuſce Præſulis excommunicatio; valide Florenti Beneficium illud conferre non potuit. Ita quæſtionem hanc ſolvit inclytus Canoniſta (*p*) Innocentii III. Decretalem in corpore juris Canonici relatam exponens.

(*p*) Philip. Decius ad Cap. *Poſt ceſſionem*, 7. de probationibus. l. 2. tit. 9.

Ratio hujus deciſionis eſt, quia ligatus excommunicatione occulta non privatur jure ſuo, aut juriſdictione: nam ab Eccleſia toleratus, præſumitur eſſe legitimus Superior, ſaltem quoad forum externum; ſed ubi eſt excommunicatus publicus & notorius, actu iis ſpoliatur *ipſo jure*, neque juriſdictionem li-

Digitized by Google

licite aut valide exercere poteſt ; cum ab Eccleſiæ communione atque fidelium cœtu ſit ſeparatus, & talis publice cognitus (a).

(a) D. Peregrino. Jur. Can. Gall. l. 2. c. 2, n. 16.

CASUS XII.

Theodulphi, Oveti Epiſcopi, publice a Papa excommunicati Vicarius generalis vacantem Cathedralis Eccleſiæ Præbendam Alphonſo contulit. Numquid valida eſt, & canonica hæc collatio ?

Respons.

Collatio illa nec canonica eſt, nec valida : cum enim ex jure Epiſcopus & Vicarius ejus generalis una cenſeantur eſſe perſona, ut pote qui eamdem habeant juriſdictionem ; ubi Epiſcopus, publice videlicet excommunicatus juriſdictione ſua ſpoliatur, ſuam quoque amittit Vicarius generalis, nec eam ullatenus exercere poteſt. Id probat Innocentii IV. conſtitutio in Sexto relata (b), in qua declarat hic ſummus Pontifex, quod, publice excommunicato Officiali, is qui vicem ejus gerit, ſeu ſubdelegatus qui ab eo juriſdictionem habet, eam nullatenus exercere poteſt. *Ea tamen, quæ ipſi gerendo hujuſmodi vices agunt ; totaliter, excommunicate manente, ſi juriſdictionem tantum recipiunt ab eodem ; non poſſunt obtinere vigorem.* Conſtat autem, regulam hanc caſui propoſito poſſe applicari. Cum enim juriſdictionem ſuam ab Epiſcopo recipiat Vicarius generalis ; non manente Epiſcopi juriſdictione, ſua quoque cadit Vicarius generalis. Alioquin per alium jus poſſet exercere Epiſcopus, quo ipſum privat Eccleſia, contra iſtam juris regulam (c): *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.*

(b) Innoc. IV. in Cap. *Romana*. 1. de Officio Vicarii in 6. l. 1, tit. 16.

(c) Reg. 67. de reg. juris in 6.

Huic deciſioni conſentit Rebuffus (d): *Ex perſona Collatoris, ſeu ejus Vicarii,* inquit hic auctor, *requiritur ; quod Collator ſit habilis, non excommunicatus ; Cap.* Paſtoralis. *De Clerico excommunicato miniſtrante, abi abunde ſcripſi, quod qui non poteſt conferre per ſe, nec per alium facit.* Ita etiam Cabaſſutius (e) poſt Rebuffum & Deſpeiſſeum ; quos laudat.

(d) Petrus Rebuff. in praxi Benefic. 1. part. tit. *Requiſita ad Collationem*. n. 1.

(e) Cabaſſut. Juris Can. Theor. & prax. l. 2. c. 3. n. 6. Et apud eum Rebuffus cit. & Deſpeiſſeus, tract. de Benef. tit. 1. num. 3.

CASUS XIII.

Ælius, Nolæ Vicarius generalis, Titio curam ſancti Nicolai contulit, quæ pleno jure pendet ab Epiſcopo. Quæritur 1. num legitima ſit hæc collatio ? 2. Utrum pariter eſſet legitima, ſi Cura hæc eſſet nominationis Patroni Eccleſiaſtici, aut Laici ?

Respons.

Antequam propoſitæ quæſtioni fiat ſatis, ſciendum 1. non tam late patere Vicarii generalis poteſtatem atque Epiſcopi, ut conſtat ex Concilio Tridentino (f), & docent Barboſa & Azorius (g), ac poſt ipſos Sylvius his verbis (h): *Conſtat multa non poſſe Vicarium ſine ſpeciali mandato facere, quæ ipſe Epiſcopus facere poteſt .... cujuſmodi ſunt conferre Beneficia, Beneficiorum reſignationes admittere, Beneficia unire & eorum uniones revocare, & alia plura quæ apud ipſos* (Barboſam & Azorium) *videri poterunt,* Ita etiam Auctor modernus (i) & Cabaſſutius (k).

(f) Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 6. de reform.

(g) Aug. Barboſa part. 2. allegat. 54. Joan. Azor. Inſtit. mor. part. 2. l. 3. c. 44. & 45.

(h) Fr. Sylvius Reſol. var. v. *Vicarius*. 1.

(i) Du Caſſe Prax. juriſdict. Eccleſ. 1. part. c. 2. n. 2.

Advertendum 2. duplex eſſe collationis genus : aliæ ſunt liberæ ; aliæ neceſſariæ. Libera collatio dicitur, cum pleno jure ab Epiſcopo pendet Beneficium : neceſſaria vero appellatur, cum Epiſcopus Beneficium conferre non poteſt, niſi iis, qui cum digni ſint, illud requirunt, & de quo proinde ad arbitrium diſponere nequit. Talia ſunt 1. Beneficia Patronatus extranei. 2. Ea, de quibus provitus Bullam aut ſignaturam Romæ obtinuit. 3. Ea ad quæ ab Univerſitate quadam nominati ſunt poſtulantes, uti Graduati ; 4. Denique ea, quæ requiruntur vi indulti Regii, ſeu ob præſtitum fidelitatis juſjurandum, aut lætum ad coronam adventum.

(k) Cabaſſut. Juris Can. Theor. & prax. l. 1. c. 13. n. 6.

Præſuppoſitis iſtis regulis ; ad primam quæſtionem reſpondemus, Titio factam ab Ælio collationem nec licitam eſſe, nec validam : quia circa collationes liberas nihil poteſt Vicarius generalis (l), ut obſervat Rebuffus (m), niſi ſpeciale habeat ab Epiſcopo mandatum ; uti declarat hac ſua Conſtitutione Bonifacius VIII. (n) : *Cum in generali conceſſione nequaquam illa veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus* (o) ; *nec regulariter donare valeatis, cui bonorum adminiſtratio, etiam libera, eſt conceſſa ; officialis aut Vicarius generalis Epiſcopi Beneficia conferre non poſſunt, niſi Beneficiorum collatio ipſis ſpecialiter ſit commiſſa.* Id in Gallia obtinet uſus, ut teſtantur Guido Papa (p), Faber, Ranchinus & alii multi.

(l) Bonifac. VIII. in Cap. *Si ad Epiſcopum*. 1. §. 2. Ne ſede vacante aliquid innovetur. in 6. lib. 3. tit. 8.

(m) Petrus Rebuff. Prax. Benef. 2. part. tit. de devolutionibus, n. 94.

(n) Bonif. VIII. in Cap. *Cum in generali*. fin. de officio Vicarii in 6. lib. 1. tit. 13.

(o) Reg. 81. de reg. juris in 6.

(p) Guido Papa. decif. 374. n. 5. Ant. Faber. in ſuo cod. l. 1. tit. 3. definit. 1. Et Ranchinus. decif. 1. part. concluſ. 494.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondemus, legitimam fore a Vicario generali collationem Beneficii, ad quod præſentaret Patronus : omnes namque collationes neceſſarias dare poteſt Vicarius abſque ſpeciali Epiſcopi mandato.

Communem hunc uſum adſtruunt 1. celeberrimi noſtri Canoniſtæ & Juriſperiti, quales ſunt (q) Guimierus Boerius, de Selva, Bellamera, Zerula, Paſtor & Cabaſſutius. 2. Nititur uſus ille Conſtitutione Bonifacii VIII. in Sexto relata (r), cujus hæc ſunt verba : *Etſi Capitulum, ſede vacante, Beneficia quæ ad collationem Epiſcopi pertinent, conferre non poſſit ; præſentatos tamen a Patronis poteſt admittere, ſi ſint idonei, & eos inſtituere in Beneficiis ad quæ fuerint præſentati.* Quam juriſprudentiam ſequitur Gallia, ut teſtatur Rebuffus his verbis (ſ): *Capitulum non poteſt recipere reſignationem liberam & ſimplicem ; ſed reſignationem, quæ fit ex cauſſa permutationis ; quæ neceſſaria eſt & cum cauſſa.* Unde colligendum, quod ſi hæc Capituli Vicariis competat poteſtas ; a fortiori & magno Epiſcopi Vicario.

(q) G. Boerius decif. 30. n. 4. Joan. de Selva ... de Benef. p. 14. Ægid. Bellamera, decif. 10. §. *Licet Vicarius*. Zerola p. 1. v. *Capitulum*. q. 7. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & prax. l. 1. c. 8. n. 8. & c. 13. n. 5. & l. 2. c. 3. n. 7. & c. 23. n. 1. 30. 32. & 36. Et ibi Abbas in Cap. *Ex frequentibus*. de inſt.

(r) Bonifac. VIII. in Cap. *Etſi*. 1. de inſtit. in 6. l. 3. tit. 6.

CASUS XIV.

Radulphi, Galliæ Epiſcopi, Vicarius generalis poſt dimiſſum ab eo Præſule Epiſcopatum inter manus Regis, qui ei jam ſucceſſorem nominavit, curatum tamen Beneficium ei contulit, qui illud, uti graduatus, poſtulaverat. Numquid illa collatio eſt canonica & valida, non obſtante Epiſcopi renuntiatione ?

Respons.

Certum eſt, collationem illam eſſe canonicam : quia cum una ſit & eadem Vicarii generalis & Epiſcopi juriſdictio, & una eademque cum eo habeatur perſona, uti jam diximus in reſponſione ad ſuperiorem difficultatem, & probat Paſqualigi (t) ex Gloſſa, & viginti quos laudat, auctoribus ; deſinere non poteſt niſi deſinente pariter Epiſcopi juriſdictione. Atqui non deſinit Epiſcopi juriſdictio ob renuntiationem Epiſcopatus ſui apud Regem qui eam acceptavit : neceſſe eſt enim, ut a ſummo fuerit admiſſa Pontifice ; cujus eſt ſolius diſſolvere vinculum ſpiritualis matrimonii ; quod inter Epiſcopum & ejus Eccleſiam intercedit, quemadmodum declarat Innocentius III. ad Capitulum Decanumque Andegavi ſcribens (u). Igitur manet etiam Vicarii generalis juriſdictio, non obſtante Epiſcopi demiſſione : atque idcirco valida eſt & canonica, quam Renato fecit, collatio (x).

(ſ) Petrus Rebuffus. Prax. Benef. 1. part. de devolut. n. 95.

(t) Zacharias Paſqualigi Var. qq. moral. Canon. centuria 2. q. 97. art. 4.

(u) Innoc. III. in Cap. *Inter*. 2. de tranſlat. Epiſcopi. l. 1. tit. 7.

(x) Du Caſſe Prax. juriſdict. Eccleſiaſ. volunt. 1. part. c. 2. n. 4.

CASUS XV.

Severus, Titularis Capellaniæ ſancti Paulli, Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis, eam cum Gregorio pro Cura S. Proſperi permutavit : ac permutationis inſtrumentum ambo Romam miſerunt. Proviſiones ſuas Roma accepit Severus, obtentiſque ab Epiſcopo litteris ſuis viſualibus ſeu *viſa*, Curam adivit. Gregorio vero ſatis fuit, ut permutationis ſuæ inſtrumentum in acta Romanæ Curiæ referretur, Proviſiones non requirendo, ut impenſis parceret ; ejuſque rogatu cum Severus dictam Capellaniam Capitulo ejuſdem Collatori commiſiſſet, ipſam contulit Capitulum Gregorio, qui in ejus poſſeſſionem immiſſus eſt. Qua de re quæritur, utrum Capituli collatio ſit legitima ?

Respons.

Legitima eſt a Capitulo Tornacenſi Gregorio facta collatio ; quia Capitulum, cum ſit ordinarius hujuſce Capellaniæ Collator, eam pleno jure, uti fecit, poteſt conferre, nulla eorum habita ratione, quæ Romæ geſta fuere : cum enim in hoc caſu Papa & Capitulum Capellaniam valeant conferre, nullum

Digitized by Google

lum eſt incommodum, ſi permutantes Beneficia permutata ab alterutro accipiant.

Objici poteſt, Capitulum Gregorio Capellaniam contuliſſe ex nuda ac ſimplici demiſſione Severi, qui eam tamen non abdicavit, niſi ex permutatione, cujus ſimonia quæ eſt de jure Eccleſiaſtico, a ſolo Superiore legitimo, Papa videlicet, neceſſario tolli debet. Verum reſponderi debet, quod, cum permutationis inſtrumentum Romam fuerit ad Acta relatum, quod proinde a Pontifice ſummo cognitum, ab eodem admiſſum fuit, ſimoniam ejus remiſit Papa; & ideo Capitulo poteſtatem fecit, valide Capellaniam Gregorio conſerendi.

CASUS XVI.

Eudoxio & Leontio, Advocatis, cauſſam agentibus, in qua id requirebatur, utrum ſcilicet a Laico quandoque conferri poſſet Beneficium; partem affirmantem defendit Eudoxius pro cliente ſuo, Domino & Patrono præſentatore Parœciæ, in qua erat Eccleſia Collegialis ſex Præbendarum, quas ſe conferre poſſe contendebat. Contrarium aſſerens Leontius propugnavit, invalidam eſſe *ipſo jure*, mox ab eo datam Canonico collationem; quia hactenus ex ipſo eſt inauditum, Clericum a Laico ad Beneficium inſtitui. Cui jus?

RESPONSIO.

Regula generalis, communi jure fulta hæc eſt, a Laico videlicet Clericum in Beneficio non poſſe inſtitui; ut ſtatuit tertium Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. his verbis (*a*): *Clericus autem, qui Eccleſiam per Laicos ſine Epiſcopi auctoritate recepit, communione privetur; & ſi perſtiterit, a miniſterio Eccleſiaſtico & ordine deponatur.* Rem eamdem prohibet Alexander III. (*b*) ad Archiepiſcopum Eboracenſem ſcribens, irritaſque declarat hujuſmodi collationes: *Non enim licet Laicis Clericos in Eccleſiis præſumtione propria ordinare*, inquit hic Papa (*c*): qui pariter in alia Decretali ad omnes Abbates, Priores & Clericos ejuſdem Eboracenſis Archiepiſcopatus ſcribens, collationes hujuſmodi invalidas declarat. Quod adeo verum eſt, ut Patrono, licet Eccleſiaſtico, jus collationis non competat ex Gregorio IX. ad eumdem Archiepiſcopum ſcribente (*d*).

(*a*) Conc. Lateran. tit. c. 14. in Cap. *Præterea*. 4. de jure patronatus.

(*b*) Alex. III. in C. *Cum Laici*. eod. tit.

(*c*) Idem in C. *Cura*. 11. ibid. Idem. in C. *Nullus*. 17. ibid. & in C. *Relatum*. 21.

(*d*) Greg. IX. in C. *Transmiſſa*. fin. ibid.

Certum eſt tamen, quoſdam eſſe Laicos Patronos licet numero paucos, qui Præbendas quarum ſunt Patroni, conferre poſſunt ob privilegium a ſancta Sede gravibus de cauſſis ſibi conceſſum. Tales ſunt 1. in Burgundia, ut teſtatur Blondelius (*e*), ſucceſſores Cancellarii Rolini, & Domini de Chagniaco, qui Præbendas beatæ Virginis Auguſtodunenſis & ſancti Georgii Cabillonenſis quas fundarunt, poſſunt conferre. 2. Apud Andegavos, Barones de Blaiſon & de la Guierche pari gaudent privilegio. 3. In Britannia, Marchiones d'Epernai, & Comites de Quintin, qui Capellanias & Præbendas conferunt, quarum ſunt Patroni. 4. Dominus de Luſarche SS. Coſmæ & Damiani Collegiatæ Eccleſiæ Præbendas pleno jure conferunt, ut teſtatur Molinæus (*f*) in regulam *de infirm. reſignant.*; qui addit, eum quoque poſſe admittere reſignationes, ſeu ſimplices, ſeu in favorem, & etiam factas *permutationis cauſſa*. 5. Aſſerit etiam hic Auctor, a quibuſdam Laicis Dominis in Normania pleno jure conferri Parœcias. 6. Denique Domini de la Tremouille Præbendas & dignitates Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Theugalis Lavalli pariter conferunt.

(*e*) Blondelius. in Bouchel. v. *Collatio*. n. 94. & ſeqq.

(*f*) Molinæus de infirm. reſignant. n. 415.

Ad ſolutionem itaque propoſiti caſus, hoc unum ſcire intereſt, utrum Eudoxii cliens jure collationis ex privilegio ſibi conceſſo potiatur; an non: ſi primum, Eudoxio favet jus; ſi ſecundum, pro Leontio ſtat æquitas.

Vide { BENEFICIARIUS. PROVISSO. VICARIUS. } Caſ. 4. 5. 6. 7. 8.

COLLATOR.

COLLATOR, dicitur ille, cui jus competit canonicam Beneficii inſtitutionem concedere alicui idoneo & digno illius poſſidendi.

Quando Collator indigno Beneficium contulit pro hac vice jure ſuo excidit, quod ex eo ad immediatum Superiorem devolvitur (*g*).

Jus conferendi Beneficium pertinet ad juriſdictionem, non ad ordinem. Hinc valida eſt ex ſe (*h*) ab Epiſcopo facta collatio ante aditum Epiſcopatum.

(*g*) Cap. *Cum in cunctis*. de elect.

(*h*) Franc. Marc. tom. 1. q. 1242.

Olim Diœceſanus Epiſcopus Ordinarius erat omnium Diœceſis ſuæ Beneficiorum Collator; verum poſtea jus illud adeo fuit reſtrictum, ut pauca jam conferat; quia poteſtas illius fuit limitata jure nominationis, quo potiuntur innumeri Patroni, nec non Capitula, quæ tale jus ſibi vindicarunt, aut in Epiſcopum præſcripſerunt quoad Præbendas & alia Beneficia ſuarum Eccleſiarum, ſeu ex tacito Epiſcoporum conſenſu, aut ex Concordatis quæ cum iis tranſegerunt.

Multo pauciora etiam contulere Epiſcopi, cum Pontifices ſummi, Beneficiorum pro arbitrio ſuo collationem ſibi reſervarunt, ne exceptis quidem totius Orbis Chriſtiani Cathedralibus, ut fecit Bonifacius VIII. juxta primam Romanæ Cancellariæ regulam: ſuſceptum eatenus inauditum, quod ſuppreſſere Concilia, Piſanum, Conſtantienſe, Baſileenſe, & Tridentinum, quæ reſervationes omnes ſeu generales, ſeu ſpeciales, penitus ſuſtulerunt. Ita ut Mandata Apoſtolica & expectativæ quæ ad Concilium Tridentinum uſque aliquando viguere, nullo modo jam ſint in uſu, atque ita ab eo Concilio Concordati ea de re articuli ſuum amplius non ſortiuntur effectum.

Sed tamen ſcire neceſſe eſt, ex uſu introducto jus præventionis in Epiſcopum ſibi ſervaſſe ſummum Pontificem, cujus proinde Proviſiones, ſi data ſint anteriores, Epiſcopi proviſionibus prævalent; & in eo etiam caſu, licet proviſionibus Epiſcopi poſteriores, ſunt potiores, cum ſcilicet Beneficium contulit Collator perſonæ Eccleſiaſticæ abſenti, non miſſis ejus, nec notificatis proviſionibus, multis cautum eſt Arreſtis (*i*).

(*i*) Du Freſne l. 2. c. 2. Arodelius in Louetum Litteræ P. tom. 20.

Legatus *a Latere* & Vice Legatus Avenionenſis eodem præventionis jure, ac Papa,

Digitized by Google

Papa intra Legationis ſuæ fines potiuntur: at cum Clerici duo eodem tempore, alter ab Ordinario, alter a Legato aut Vice Legato ſuere proviſi; qui prior Beneficium adivit, alteri præſertur, juxta iſtam juris regulam (a): *In pari ... cauſſa potior eſt conditio poſſidentis.*

(a) Bonif. VIII. in reg. 65. de reg. juris in 6.

Collator numquam propriæ ſibi collationis Beneficium conferre nequit, aut ipſi ab ejus Vicario Generali conferri poteſt; cum uterque *fictione juris* una eademque cenſeatur eſſe perſona.

Diſpenſatio Pontificia Collatori ad poſſidendum collationis ſuæ Beneficium, tamquam abuſiva haberi debet; neque enim decorum rationive congruum eſt, ut idem ſit ſuperior & inferior, caput & membrum ejuſdem corporis.

Collator in proviſionibus ſuis, eum cui Beneficium confert, adigere poteſt ad dimittendum Beneficium antea ab eo poſſeſſum; licet ſuæ eſſet collationis; modo tamen illud ad aliquem e ſuis propinquis transferre non intendat.

Nullus Collator Eccleſiaſticus variare ſententiam poteſt; hoc eſt, quando ſemel perſonæ ineptæ aut indignæ Beneficium contulit, illud idem alteri, quantumvis idoneo aut capaci nequit conferre; & jus ſuum ad Superiorem pro hac vice ſolum devolvitur (b).

(b) Alex. III. in Cap. *Cum in cunctis*. de electione &c.

Ab hac etiam regula non eximitur Rex ipſe, ſi ſit Collator. Nihilominus, cum Epiſcopus intra graduatorum menſem, alicui non graduato Beneficium conceſſit; altera vice illud idem graduato requirenti poteſt conferre (c).

(c) Paſtor. de Benefic. l. 2. tit. 24.

Jus conferendi Beneficium tribus iteratis ſequentibus, nec litigio interturbatis collationibus acquiritur.

Jus illud in alium, niſi gratuito transmitti poteſt (d).

(d) Soefve tom. 2. cent. 4. c. 18.

Cum a duobus obtentæ ſunt a ſummo Pontifice proviſiones, quibus eadem inſcripta eſt dies, ambæ ſunt invalidæ. Hæc regula certa eſt, & multis Arreſtis confirmata (e).

(e) Papo. l. 2. tit. 9. n. 22.

Epiſcopus Beneficium Laici patronatus *jure ordinario* confert, poſt elapſum tempus Patrono ad præſentandum jure conceſſum.

Archiepiſcopus *jure devoluto* Beneficium confert, quod intra ſex menſes conferre neglexit Epiſcopus, ſuffraganeus ſuus; non quidem inito temporis calculo a die vacationis, ſed cognitionis quam habere potuit Collator ordinarius (f): & collatio valida eſt, modo intra ſex menſes ſequentes fiat, a die qua jus devoluti ſibi acquiſitum eſt; niſi præveniat Papa. Nam ſi intra ſex menſes ſequentes conferre negligeret, jus illius gradatim ad Superiorem immediatum devolveretur, ſeu ad Metropolitanum, aut Primatem, ſi quem agnoſcat; aut ad Papam. Qua de re obſervandum devoluto locum eſſe in Beneficiis vere ac proprie electivis poſt tres menſes.

(f) Innoc. III. in Cap. *Licet*. 3. de ſuppl. neglig. Prælati. l. 2. tit. 10.

Vicarius Generalis nullum valide conferre poteſt Beneficium, niſi Epiſcopus aut alius Collator ei poteſtatem hanc, ſpecialiter in ſuis Vicariatus litteris declaratum fuerit, ut ſtatuit Bonifacius VIII. (g): quæ poteſtas eſſe poteſt abſoluta aut conditionata, generalis aut limitata, ſeu quoad tempus, ſeu quoad locum Beneficiorumve qualitatem.

(g) Bonif. VIII. in C. *Cum in generali*. De offic. Vicarii. in 6.

In Gallia nullus Collator advenæ Beneficium, ſed tantum Regis ſubdito poteſt conferre.

Invalida eſt collatio facta Clerico, in quem injectio manuum, aut vadimonii per ſe obeundi denuntiatio decreta eſt; niſi prius judicis ſententia fuerit abſolutus.

Solus etiam Papa de iis providere poteſt Beneficiis quæ vacant *in Curia*, hoc eſt, eorum Beneficiis, qui ultimum diem obeunt in loco ubi commorantur, aut in locis vicinis ad duas itineris diætas.

Cum eo ipſo die de Beneficio providit Papa, quo illud contulit Epiſcopus; Papalis proviſio Epiſcopali prævalet, modo Regulæ viginti dierum derogarit Pontifex, & non aliter.

Quando Clericus de Beneficio proviſus, poſtea Beneficium obtinet, vi cujus a Collatore prius Beneficium jure accipere potuit; utrumque ſervare nequit, ſed alterutri renuntiare tenetur. Ita Innocentius III. (h).

(h) Innoc. III. in Cap. *Cum ad noſtram*. De inſtitutionibus.

Cum Provincia & Britannia tempore Pragmaticæ Bituricenſis, Coronæ nondum eſſent adjunctæ; pro iis provinciis non valuit concordatum: verum in Provincia obſervatur, quoad Beneficia quæ confert Papa, ad Vicelegatum Avenionenſem ſcribens: & quod ad Britanniam pertinet quæ Coronæ dominio iterum an. 1532. addita eſt, Papa retinuit poſſeſſionem reſervationum, quas fert prima Cancellariæ Romanæ regula juxta Edictum Henrici II. 14. Junii 1549. in acta Parlamenti Britanni Venetiæ ſedentis 13. Septemb. ejuſdem

anni

Digitized by Google

anni relatum, & declarationem 18. Aprilis an. 1553. in eodem Parlamento; tum Nannetibus ſedente verificatam, ac tandem alteram declarationem 29. Octobris ejuſdem anni datam, non obſtante Comitiorum interceſſione; ſecundum quas declarationes Papa cum Epiſcopo Beneficiorum collationem dividit.

Menſes Papales ſunt Januarius, Februarius, Aprilis, Maius, Julius, Auguſtus, October & November; & alii quatuor menſes ad Epiſcopos pertinent. Nihilominus cum actu & accurate in ſua Diœceſi reſident, Papa iis concedit facultatem conferendi Beneficia, menſibus Februario, Aprili, Junio, Auguſto, Octobri & Decembri (a) vacantia, ut eos efficacius ad reſidentiam invitet, nec etiam contra eos jure præventionis uti poteſt, uti contra alios Patronos Eccleſiaſticos. Ex hac tamen generali regula juxta Britanniæ uſum excipiuntur Epiſcoporum abſentiæ in duobus caſibus: 1. Cum ad Regis miniſterium ſpectant. 2. Cum ad bonum Eccleſiæ ſuæ pertinent: ſed extra duos illos caſus, vel ex uno abſentiæ die intra menſem, Collationis jus ſuum amittunt. Alii Collatores ordinarii alternatim tantum jure ſuo potiuntur, per quatuor tantum menſes.

(a) Reg. Cancel. 9.

Cum Epiſcopi in partibus obedientiæ poſiti, hoc eſt, Epiſcopi earum regionum, in quibus obſervantur regulæ Cancellariæ Romanæ circa reſervationem menſium, alternæ collationis privilegio frui cupiunt: neceſſe eſt, ut illud ante requirant per epiſtolam manu ſua ſubſcriptam, appoſito etiam ſigillo ad Cardinalem Datarium, & ab eo inſtrumentum in Acta Datariæ relatum acceperint, quo declaratur, eorum acceptationem alternæ collationis admiſſam, & in Acta fuiſſe relatam (b).

(b) Reg. Cancel. cit.

Advertendum quoad hanc rem, 1. ex obitu Papæ regulas omnes Cancellariæ locum non habere, donec ab ejus ſucceſſore fuerint renovatæ; atque menſium reſervationem alternamque ceſſare Collationem: quocirca ordinarii Collatores in partibus obedientiæ poſiti, toto illo intermedio tempore, vacantia libere conferre poſſunt Beneficia.

2. Obſervandum, quod, cum in Britannia vacat Beneficium, cujus Collator in partibus concordati Beneficium poſſidet, vi cujus Beneficium vacans jure conferre poteſt; tunc Papali menſi, neque alternæ collationi ſubiacet, ſed libere confert Beneficium vacans. *Vide* COLLATIO.

CASUS PRIMUS.

CHRYSOGONUS, ad quem pertinet collatio Beneficii curati, teneturne inter multos qui ſibi offeruntur, aut quos ipſe per ſe cognoſcit, illud ei conferre, quem novit digniorem?

RESPONSIO.

Difficultatem hanc, cujus ſolutio maximi eſt momenti, cum ad commune Eccleſiæ bonum ſalutemque fidelium pertineat, perfecte elucidat S. Thomas (c): *Dignitas alicujus perſonæ poteſt attendi dupliciter*, inquit ſanctus Doctor: *uno modo ſimpliciter & ſecundum ſe: & ſic majoris dignitatis eſt, qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque, quod ille qui eſt minus ſanctus & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel induſtriam ſæcularem, vel propter aliquid hujuſmodi.* Poſito iſto priori principio, alterum non minus certum ante quæſtionis ſolutionem ſubjungit Angelicus Doctor: ſcilicet quod *diſpenſationes ſpiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem ſecundum 1. ad Corinthios. 12.* Unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Quibus poſitis ita concludit: *Ideo quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium, illi qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus præferuntur*: quod confirmat divinæ providentiæ diſpenſatione: *Sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.*

(c) S. Thom. 2. 2. 63. art. 2. in corp.

Idem alibi docet ſanctus Doctor his verbis (d): *Contingit autem quandoque aliquem eſſe meliorem ſimpliciter, qui tamen non eſt melior, quantum ad hoc quod Beneficium percipiat, quia alius forte poteſt Eccleſiam magis juvare, vel per conſilium ſapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia ſervivit in Eccleſia.* Unde ſic concludit: *Non ergo Epiſcopus tenetur ſemper dare meliori ſimpliciter, ſed tenetur dare meliori quoad hoc. Non enim poteſt eſſe, quod unum præferat alteri: niſi propter aliquam cauſſam; quæ ſi quidem pertineat ad honorem Dei & utilitatem Eccleſiæ, jam quantum ad hoc iſte eſt melior. Si autem illa cauſſa ad hoc non pertineat; erit acceptio perſonarum, quæ tanto eſt gravior, quanto in rebus divinis committitur.*

(d) Idem quodl. 6. art. 9.

S. Thomæ hac in re aſſentiuntur Auctores celeberrimi (e), ac præcipue S. Antoninus, Sotus, de Lyra, Covarruvias, Major, Rebuffus, Navarra, Cajetanus, aliique permulti, ſive Theologi, ſeu Canoniſtæ; inter quos Toletus aſſerit probabile eſſe, non ſine mortali peccato dignum anteponi digniori: quod verum eſt, præſertim cum agitur de Prælationibus, aliiſque Beneficiis cum onere animarum connexis.

(e) S. Anton. 2. part. ſum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 1. Dominic. Sotus. Nicol. de Lyra. Joan. Major. Thom. de Vio. Card. Cajetan. Didacus Covarruvias. Navarr. in Cap. *Siquando*. de reſcript. except. 16. n. 20. Petrus Rebuf. fus in concordat. Proſper Fagnan. in 1. part. lib. Decretal. ad Cap. Dilectus. de conſuet. n. 98. & in 2. part. ad C. Eam te. de ætate, qualitate &c. n. 24. & ſeqq. Tolet. &c.

Denique, *hortatur & monet* (ſanctum Tridentinum Concilium (f) de iis loquens, quibus competit jus electionis) *ut in primis meminerint, nihil ad Dei gloriam & populorum ſalutem utilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant; eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Sic loquitur ſancta illa Synodus de delectu Præſulum & Parochorum; vult nimirum (g) ut Epiſcopus digniorem, quem ceteris etiam dignis anteponendum judicabit, eligat. En ipſius Decretum: *Peracto deinde examine renuntientur quotquot ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis: ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit. Atque illi & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre.* Addens etiam, Patronos teneri ad præſentandum Epiſcopo, quem digniorem judicabunt. *Si vero jus Patronatus Eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad Epiſcopum & non alium pertineat; is quem Patronus digniorem*

(f) Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reformat. c. 1.

(g) Idem ibid. n. 18.

inter probatos ab examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentari teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cum vero inſtitutio ab alio quam ab Epiſcopo erit facienda; tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat.

S. Pius V. in Conſtitutione ſua 18. Martii an. 1567. (*a*) jus appellationis ad Metropolitanum Sedemve Apoſtolicam concedit illi, qui ſe Epiſcopi judicio & electione læſum exiſtimabit, ut manifeſtata injuſtitia electio minus digni annulletur in favorem dignioris. *Ut autem non ſolum dignis, ſed magis idoneis repertis, juxta ejuſdem Concilii* (Tridentini) *Decretum ... Parochiales Eccleſiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod, ſi Epiſcopus minus habilem, poſtpoſitis magis idoneis elegerit; poſſint ii qui rejecti fuerint, a mala electione hujuſmodi ad Metropolitanum appellare .... & conſtito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eamdem judicem appellationis auctoritate noſtra conferatur.* Nec vacat heic dicere, concurſum de quo loquitur S. Pontifex, in Gallia non eſſe in uſu; cum heic tantummodo inquiratur, quæ ſit in diviſione Beneficiorum Eccleſiæ intentio, quæ ex allatis Concilii & Conſtitutionis hujuſce terminis liquido apparet.

(*a*) S. Pius V. in Bulla *In conferendis*. 31. §. 7.

Conformiter ad hanc doctrinam Innocentius XI. inter ſexaginta quinque propoſitiones 2. Martii an. 1679. proſcriptas, iſtam quæ quadrageſima ſeptima legitur, damnavit (*b*): *Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent: Concilium, vel primo videtur per hoc,* digniores, *nihil aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumto comparativo pro poſitivo. Vel 2. Locutione minus propria poni* digniores, *ut excludat indignos: non vero dignos. Vel tandem loquitur 3. Quando fit concurſus.* Quam propoſitionem, uti alias, docere ſive publice ſive privatim vetuit Papa ſub pœna excommunicationis ſanctæ Sedi reſervatæ, excepto mortis articulo. Quæ cum ita ſint, quis jam doctrinam iſta propoſitione contentam audebit defendere, quæ adeo juſte damnata eſt, uti contraria Concilio Tridentino & tamquam *falſa, temeraria ac perniciosa*?

(*b*) Decretum Innoc. XI. contra 65. propoſit. datum 2. Martii 1679.

Equidem ſimonia eſt ſimulata & damnabilis, ſi quis Beneficia conferat ad captandum favorem, amicitiam, humanamve approbationem. Id tamen præſtant, qui in collatione Beneficiorum dignis indignos, aut dignioribus minus dignos anteponunt; cum ob eumdem finem, hoc eſt, ad aucupandas laudes, indigna obſequia, aliaque id genus quæ pluris faciunt quam ipſam pecuniam, vulgo ita ſe gerant. Quocirca non minus rei ſunt, quam ſi ea pretio venderent: hinc a ſanctis Patribus id ipſum ſemper fuit damnatum, ac præſertim a S. Auguſtino, (*c*) qui hæc Apoſtoli Jacobi verba exponens (*d*): *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini Jeſu Chriſti gloriæ*, dicit: *Nec ſane, quantum arbitror, putandum eſt leve eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti: ſi illam diſtantiam ſedendi ac ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ, contemto paupere inſtructiore atque ſanctiore?*

(*c*) S. Aug. Ep. 167. alias 29. n. 18.

(*d*) Jacob. 2. 1.

His dictis, ut omnis tollatur ambigui occaſio, hoc unum in memoriam revocare neceſſe eſt, quod dicit in primo, quod attulimus, teſtimonio S. Thomas; digniorem nimirum eum ſemper non eſſe putandum, qui ceteris ſcientia ac virtute præpollet; at vero eum, qui omnibus rite perpenſis, aptior eſt ad procurandam in Beneficio Dei gloriam, animarumque ſalutem. Cum itaque ſæpe eveniat ut Sacerdos, qui majori ingenio, prudentia atque auctoritate prædictus eſt, plus etiam proficiat in Parœciæ regimine, quam is qui dotibus iſtis deſtitutus, pietate magis eminet; dignior quoque cenſendus eſt relate ad bonum commune Eccleſiæ, ac fidelium utilitatem. Ex hac etiam regula ſtatuit S. Gregorius Papa, ut in examine Epiſcoporum, is qui Eccleſiæ utilior futurus cenſeretur, aliis eſſet anteponendus; uti mentem ſuam explicat quoad electionem duplicem ad Epiſcopatum alicubi factam (*e*): *Qui a clero & plebe*, inquit, *Eccleſiæ Syracuſanæ Agatho ab aliquibus, aut alter eligitur; hunc qui a clero & plebe electus eſt, ad nos interim venire neceſſe eſt, ut utriuſque cominus conſtitutis, ille qui Deo placuerit, & utilior viſus fuerit, ordinetur*. Et alibi (*f*): *Si autem in uno conſentire noluerint, ſed in duorum electione ſe diviſeriat; ſimiliter decretis ad nos de more factis, adveniant, ut requirentes de vita, actu & moribus eorum, is qui utilior viſus fuerit, ordinetur.*

(*e*) S. Greg. l. 4. Epiſt. 47.

(*f*) Idem. L. 9. Epiſt. 74.

Ob eam cauſſam Collator aut Præſentator, Sacerdotem in quo nullum eſt impedimentum canonicum neque quoad ſcientiam, neque quoad mores, cujus etiam nota eſt virtus, alteri ſanctiori, ſed minus docto, debet præferre, cum Parœciam urbanam aut hæreticis refertam conferre debet. Sic minus doctus, ſed ditior, doctiori quidem, ſed in pauperes minus liberali in pauperi loco debet prævalere: quod idem dicendum de Sacerdote bonis prædito moribus atque auctoritate rerumque experto atque intelligente, erga eum qui minus rerum intelligens eſt, ubi de Parœcia ubi lites & jurgia abundant, providendum.

Juxta hanc regulam S. Bernardus ad Innocentium II. ſcribens (*g*), qui a Religioſo quodam volebat Epiſcopatum in Longobardia acceptari, ipſi exponit, Religioſum hunc, licet Epiſcopatu ob bonos mores dignum, tamen ob juventutem ſuam rerumque inſcitiam, nec non populorum quibus præeſſe debebat, violentos ac ſeditioſos mores, ad aliud tempus eſſe ſervandum.

(*g*) S. Bernard. Epiſt. 135.

Sic ſanctus Abbas ad eumdem Papam ſcribens de electione Lugdunenſis Archiepiſcopi, cujus confirmatio requirebatur, aſſerit, præter electi viri dotes eximias, habendam quoque eſſe rationem ſummi illius generis atque nobilitatis, eamque cum aliis ejus ornamentis animi ponderandam, qua nimirum opitulante Eccleſiam poterat juraque illius defendere. Quibus omnibus conſentit doctrina S. Thomæ his verbis ſuperius relatis contenta (*h*): *Non ergo Epiſcopus tenetur ſemper dare meliori ſimpliciter; ſed tenetur dare quoad hoc*. Ceterum, quod diximus de Collatoribus atque Patronis, idem intelligendum de reſignantibus Beneficia ſua *in favorem*; cum jus ferme idem cum ceteris exerceant; neque enim alios, quam eorum reſignatarios de Beneficiis reſignatis providere vix poteſt ſummus Pontifex.

(*h*) S. Thom. quodl. 6. art. 9. in corp.

Hæc ſunt potiſſimum argumenta, quibus ſententiam noſtram fulcimus; quæ ſi cuiquam rigidior eſſe videatur, is meminiſſe debet, ita ſentire Concilia, ſummos Pontifices, Sanctos, Theologos & Canoniſtas celeberrimos. Hoc unum igitur heic ſupereſt, ut concludamus, teneri Chryſogonum, Patronatus ſeu collationis ſuæ Beneficium ei conferre, quem digniorem judicat, eo ſenſu quo explicat S. Thomas.

CASUS II.

ANDRONICUM, ſimplicis Capellaniæ Collatorem rogat patruus ejus, ut eam Maximo; frater vero ejus, ut eam Iſidoro conferat. Ambo digni ſunt, ſed dignior profecto Iſidorus. Numquid tamen Maximum anteponere poteſt Andronicus, in quem magis, quam in Iſidorum propendet; cum de ſimplici tantum agatur Beneficio?

RESPONS.

Ubi S. Thomas (*i*) hanc ſtatuit regulam, Beneficia videlicet dignioribus eſſe conferenda, generatim loquitur, nulla adhibita diſtinctione inter Beneficia ſimplicia & Beneficia cum onere animarum conjuncta: quare de utriſque ejus dicta debent intelligi. Nam præcipua ratio qua nititur hæc ejus ſententia, eſt; quia contra agendo, committitur peccatum acceptionis perſonarum: quæ ratio pariter valet in collatione, præſentatione, electione, aut reſignatione Beneficii ſimplicis, atque Beneficii curati.

(*i*) S. Thom. 2. 2. cit. q. 63. art. 2. in corp. & quodl. 6. a. 9.

Fatendum tamen, majus eſſe delictum illius, qui minus dignum digniori anteponit, ubi agitur de Beneficio curato, quam cum de ſimplici Beneficio eſt quæſtio; quia tum majus Eccleſiæ bono ſalutique fidelium infertur præjudicium. Unde ait Cabaſſutius (*k*): *Præferre digniori minus dignum ſaltem in prælaturis & curatis Beneficiis, eſt mortale peccatum ... In reliquis Beneficiis quibus animarum cura non incumbit, non videtur abſoluto peccare mortaliter, ſi dignus, poſthabito digniori, promoveatur; niſi hoc fieret in concurſu & examine. Non enim in hoc videtur grave*

(*k*) Joan. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & Prax. l. 6. c. 14. n. 7. & 8.

damnum

damnum Eccleſiæ irrogari. Addit tamen, quoſdam eſſe Auctores, uti Cajetanum, Covarruviam & Salonium, qui exiſtimant in utroque caſu eſſe peccatum mortale.

Ex hac tamen opinionum diſcrepantia non fit, ut pro Beneficiis ſimplicibus, non minus quam pro curatis valeant allatæ ſancti Thomæ rationes; cum vitari nequeat in bonorum communium, qualia ſunt Beneficia, diſtributione, peccatum acceptionis perſonarum, niſi digniores anteponendo, eaque procurando his qui ad Eccleſiæ miniſterium videntur utiliores. Eadem quippe Eccleſia hanc Prælatis aliiſque Superioribus poteſtatem hujuſmodi bona conferendi ea ſpe adducta fecit, ut illa uterentur ad majorem Dei gloriam ac fidelium utilitatem. Unde ſequitur, quod, qui in diſtributione Beneficiorum, qualiſcumque ſint naturæ, minus dignum digniori præfert; is ſimile in Eccleſiam infidelitatis delictum admittit, atque vir in amicum, qui ab eo rogatus, ut fidelem ſibi rei ſuæ familiaris adminiſtrum curaret, ex iis qui ſuam offerrent operam, minus idoneum ad tale munus eligeret.

Ex his & aliis ſimilibus quæ afferri poſſent, & facile ab intelligentibus deprehenduntur rationibus ad eam quam ſuſtinemus ſententiam, tam valide adductus eſt S. Antoninus, ut affirmet, ſimplicis Beneficii collationem minus digno factam, poſthabito digniore, juri divino ac diſtributivæ juſtitiæ eſſe contrariam: cujus aſſertionis exemplum affert collationem puero factam, quam vult eſſe illicitam, licet de jure non ſit invalida; excepto caſu, in quo non eſſet dignior. *Nota*, inquit hic ſanctus Archiepiſcopus (*a*), *ſecundum Petrum de Palude in 4. diſt. 25. quod ad hoc, ut quis valeat habere ſimplex Beneficium vel Præbendam, ſufficit, quod major ſit ſeptennio .... tamen quamvis jure humano non irritetur talis collatio; jure tamen divino illicitum eſt dare talia Beneficia talibus; niſi quando alii non inveniuntur: quia contra juſtitiam diſtributivam eſt, ſi detur minus digno. Quamvis autem iſte puer non ſit indignus poſitive propter defectum, quia eſt innocens; reſpectu tamen illius eſt indignus, quia alius eſt dignior. Unde contemto meliore, ſanctiore, juſtiore; dare alteri eſt grave peccatum, ut dicit Auguſtinus ſuper Epiſtolam Iacobi.*

(*a*) S. Antonin. 2. part. Sum. Theolog. tit. 15. c. 2. §. 3.

Sancto Antonino ſuffragatur Innocentius III. (*b*), in duabus Decretalibus: prima, qua ad Archiepiſcopum Mediolanenſem ſcribens ipſum criminatur, quod nimium naturali affectu ductus Beneficium non magis idoneo contulerit: *Te in tribus*, inquit, *comperimus fuiſſe culpabilem .... Circa carnalitatem animi; quia non ex affectu carnali, ſed diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum Officium & Beneficium in perſona magis idonea diſpenſare.* Altera ejuſdem ſummi Pontificis Decretalis eſt ad Cancellarium Metenſis Eccleſiæ; cujus expoſiti hæc ſunt verba (*c*): *Metenſis intimavit Epiſcopus, quod ſancti Salvatoris præpoſitura vacante, die electioni præfixo, per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, in virtute obedientiæ, ac ſub animæ periculo Canonicos adjuravit, ut ſecundum Deum & juxta conſcientiam ſuam unum eligerent de duobus, in quos partes videbantur oculos extendiſſe, quem Eccleſiæ magis utilem & idoneum reputarent.*

(*b*) Innoc. III. in Cap. *Innic.* Ut Eccleſiaſtica Beneſ. ſine diminutione conferantur. lib. 3. tit. 12.

(*c*) Idem, in Cap. *Conſtitutus.* 46. de appellat. recuſationibus & relat. l. 2. tit. 28.

Ex his duabus Decretalibus evidenter conſtat, aliiſque ſupra laudatis auctoritatibus, in collatione cujuslibet Beneficii, ſeu ſimplicis ſeu curati habendam eſſe rationem dignioris, poſthabito minus digno; idcoque Capellaniam de qua in caſu propoſito, Andronicum teneri conferre Iſidoro, qui ea magis, quam Maximus, eſt dignus; alioqui, aliter ſe gerendo proprium citius affectum conſuleret, quam Dei gloriam bonumque commune Eccleſiæ ſuæ, quibus potiſſimum in collatione Beneficiorum ſui juris duci debet Collator.

CASUS III.

Ascanius poſtulat, utrum tuta conſcientia in collatione Parœciæ ſui juris nepotem ſuum cui favere cuperet, aliis duobus valeat præferre, cum eorum non minus, quam nepotis paria judicet eſſe merita ad tale Beneficium?

Respons.

Collator ille procul dubio nepotem ſuum in hoc caſu poteſt anteponere. Ita S. Thomas his verbis: (*d*) *Quandoque vero*, ait, *conſanguinei Prælati Eccleſiaſtici ſunt æque digni ut alii, & ſic licite poteſt abſque perſonarum acceptione conſanguineos præferre: quia ſaltem in hoc magis præeminent, quod de ipſis magis confidere poteſt, ut unanimiter ſecum negotia Eccleſiæ tractent.* S. Antoninus Angelico Doctori aſſentiens hanc etiam affert rationem (*e*): *Quia in hoc quod dat conſanguineo æque digno, nihil deperit utilitatis Eccleſiæ. Unde in hoc licet ſatisfacere amori naturali; quia caritati contrarius non eſt, ſed magis caritate informatur.*

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 2.

(*e*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 2. c. 20. §. 2.

Unde ex illorum ſententia ſequitur, Beneficium conſanguineo non eſſe conferendum, niſi cum alius non ſuppetit, qui ſit dignior. *Si vero ſit minus idoneus conſanguineus Prælati*, inquit S. Antoninus (*f*), *non debet eum præficere ad curam Eccleſiæ poſtpoſito meliori. 1. Quia infideliter agit diſpenſator, qui negotium domini ſui gerens, rem ejus non meliorat, cum poſſit. 2. Quia hoc videtur pertinere ad acceptionem perſonarum: quia conditio conſanguinitatis non eſt conditio pertinens ad curam Eccleſiæ, quæ non obtinetur jure ſanguinis, ſed divino munere.* Sed cum æqualis eſt aliorum concurrentium merito conſanguinei dignitas, & de ejus aptitudine ad tale Beneficium Collatori perſuaſum eſt; tunc poteſt præferri; modo a tali judicio tum abſit omnis carnalis affectus: verum ubinam reperientur puræ hujuſmodi intentiones? Res eſt admodum difficilis ac inſolens hoc ſæculo: nam facile in praxi de rectitudine ſuæ intentionis præſumitur, cum terrena eſt, mundana & carnalis. Hinc merito Petrus Cantor (*g*): *Sed quid, ſi æque honeſtus eſt & dignus, ut extraneus; Sed & hoc*, inquit, *periculoſum eſt, niſi probitas ejus exigat, & excludat omnem infamiam, ſcandalum & malum exemplum: quod de facili non fit. Non enim exemplum a bene geſtis noſtris ſumitur, ſed a cortice, ſpecie & ſuperficie illorum, non a veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii utentur meo exemplo ſuis, magis propter naturam, quam propter gratiam.*

(*f*) Idem ibid.

(*g*) Petrus Cantor. c. 43.

Satius eſt igitur, Moyſis ſequi exemplum, de quo S. Hieronymus (*h*): *Moyſes*, inquit S. Doctor, *amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus eſt, potuit utique ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem: ſed extraneus de alia Tribu eligitur Jeſus* (*i*), *ut ſciremus principatum in populo non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ.* Ita cum Eccleſia ſentiunt Sancti.

(*h*) S. Hieron. in Epiſt. ad Titum. c. 1. in Can. *Moyſes.* 6. 8. q. 1.

(*i*) Jeſus, id eſt *Joſue.*

CASUS IV.

Acharius ſui juris Beneficium nepoti ſuo, aliis quidem petentibus minus digno, ſed tamen cum ſcientia, tum virtute ſufficienti prædito vellet conferre. Numquid illum ob eam ſolam rationem aliis poteſt anteponere, quod, cum docili ingenuaque ſit indole, ei potius, quam aliis confidere poteſt?

Respons.

Certum eſt, ex ſuperioribus reſponſionibus, quod ſi nepos ille minus dignus ſit, quam extraneus; non ſolum propriam illius conſiderando virtutem ſimpliciter & quoad ſe, ſed etiam in ordine ad commune Eccleſiæ bonum; non ex ſola confidentiæ ratione, ob quam illum ceteris præfert Acharius, excuſatur a peccato acceptionis perſonarum. *Circa conſanguineos Prælatorum diſtinguendum eſt*, inquit S. Thomas (*k*); *quia quandoque ſunt minus digni, & ſimpliciter & per reſpectum ad bonum commune; & ſic, ſi dignioribus præferantur, eſt peccatum perſonarum acceptionis in diſpenſatione Spiritualium, quorum Prælatus Eccleſiaſticus non eſt dominus; ut poſſit ea dare pro libito; ſed diſpenſator; ſecundum illud 1. ad Corinth.* 4. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.

(*k*) S. Th. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1.

Ideo Prælatum in eo caſu peccare ex D. Thoma affirmamus, quod nepotem aut conſanguineum ſuum alteri digniori anteponendo, tunc Beneficium confert ratione conſanguinitatis; quod ex eodem Angelico Doctore facere nequit abſque gravi peccato (*l*): *Ille qui dat ratione conſanguinitatis præbendam principaliter*, inquit, *ut intendit bonum temporale illius cui*

(*l*) Idem in 4. diſt. 25. q. 3. art. 5. ad 7.

datur, & non alterius, & ſic peccat gravitor. Quod etiam verum eſt, licet conſanguineus ille ceteris dignior eſſet. Ex hoc autem efficitur, eum præcipue ad conſanguinitatem attendere, quod Beneficium non conferret, niſi ſuus eſſet conſanguineus; unde magis ob conſanguinitatem, quam ob hominis dignitatem agit in hac circumſtantia. Sed ſi tali modo eſſet diſpoſitus, ut ei, licet non conſanguineo ſuo, Beneficium conferret; tunc rationem conſanguinitatis minus præcipue intenderet. Hoc ratiocinium ex dictis ſancti Antonini (*a*) infertur, qui diſcrimen intentionis præcipuæ & minus præcipuæ alibi ſic ſtatuit.

(*a*) S. Anton. 2. part. Sum. Theolog. tit. 2. c. 7. §. 1.

Neceſſe eſt igitur, ut Acharius tuta conſcientia Beneficium illud nepoti ſuo poſſit conferre; eum paris ſaltem, eum ceteris concurrentibus eſſe dignitatis; præter eam quam in ipſo habet, fidentiam. Hæc deciſio multis procul dubio minus apta videbitur, quibus mirandum accidit, improbari conſuetam Beneficiorem diſtributionem, & quibus rationes ſancti Thomæ, aliorumque qui ea de re egerunt, diligentiſſime introſpicere grave eſt; ne ſuam in eo fateri culpam teneantur.

CASUS V.

Joannes Baptista, Theodericum ſancti Trophimi Parochum, ad extrema ſerme redactum conſpiciens, Hieronymum, Parœciæ hujus Patronum rogavit, ut eam ſibi conſerret, ſi è vivis excederet Theodericus. Promiſit Patronus; ac poſtridie, percepta Parochi morte, promiſſo ſtetit. Quæritur itaque num præſentatio hujuſce Patroni, indeque obtenta a Joanne proviſio, ſint canonicæ?

Responsa.

Præſentatio illa, indeque obtenta proviſio non ſunt canonicæ. Nam, qui ſciens Titularis obitum antevertit in petitione illius Beneficii, is de eo etiam vacante provideri nequit.

Proviſionem hujuſmodi invalidam, uti avaritiæ ambitioniſque deteſtandæ effectum declarat vigeſima ſecunda Concellariæ regula, quæ ex hac Gelaſii Papæ (*b*) Decretali ducitur; *Qui in vivorum Sacerdotum loco ponantur*, inquit Papa, *hoc ipſo ſunt ab Eccleſiaſtica Communione pellendi, quo ſe paſſi ſunt ſucceſſores vivis Sacerdotibus adhiberi*: nec non ex hac alia Lateranenſis Concilii an. 1179. ſub Alexandro III. (*c*); *Nulla Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu etiam Beneficia, vel Eccleſiæ tribuantur alicui, ſeu promittantur, antequam vacent.* Cujus ſapientis Decreti hæc ſubjungitur ratio: *Ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Cum enim*, pergit Concilium, *in ipſis etiam Legibus gentilium inveniatur inhibitum: turpe eſt, & divini plenum animadverſione judicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis exſpectatio habeat, quam etiam ipſi gentiles condemnare curaverunt.* His addi poteſt, non vacans Beneficium non requiri poſſe abſque aviditate Clerico indigna; quod proinde ipſi promitti nequit, niſi cupiditati ejus faveatur.

(*b*) Gelaſius in Can. *Si virorum*. 2. de Conceſſione Præbendæ & Eccleſiæ vacantis. lib. 3. tit. 8.

(*c*) Conc. Lateran. II. ſub Alex. III. in Cap. *Nulla*, 2. eod. 21.

Eſt & alia Bonifacii VIII. (*d*) Conſtitutio, in qua ſummus ille Pontifex ſtilo vehementiori, iiſdemque Lateranenſis Concilii rationibus condemnat: *Quia tamen experientia docuit*, inquit hic Papa, *per promiſſiones hujuſmodi, quæ per importunitatem nimiam, per quam non concedenda multoties conceduntur, & per ambitionem improbatam ut plurimum extorquentur, aperitur via .... ad promittenda damnabiliter contra Lateranenſe Concilium Beneficia vacatura, mortis alienæ votum ingeritur .... Nos malis hujuſmodi, & animarum periculis occurrere cupientes, promiſſiones eaſdem & alias quaſcumque, ſub quovis modo aut forma verborum de cetero faciendas, per quas directe vel indirecte aperiri via valeat ad Beneficia vacatura, auctoritate Apoſtolica penitus reprobamus, & omnino viribus vacuamus.*

(*d*) Bonif. VIII. in Cap. *Deteſtanda*. 2. eod. tit. in 6.

(1) Hactenus dicta luculenter tandem confirmavit Tridentinum Concilium (*e*); dum gratias exſpectativas nec non Beneficiorum reſervationes abrogavit, uti poſtea eas ſuſtulit penitus Ludovicus XIII. ex Edicto ſuo an. 1610. (*f*); quo edicti Bleſenſis ſeptimus renovatur articulus. Quocirca cum Molinæo (*g*) recte concludi poteſt: *Igitur præcurrens*, inquit hic Juriſconſultus, *eo ipſo indignum ſe reddit: atque ita non ſolum impetratio ſua a Papa vel Legato, nulla eſt vitio ſubreptionis ob tacitum curſum ambitioſe & illicite anticipatum; ſed etiam hujuſmodi, tam Papæ vel Legati, quam Ordinarii nulla eſt cenſura & prohibitione juris communis: quia iſte ambitioſe præcurrens indignus & inhabilis efficitur; adeo ut, nec per Papam quidem in hac impetratione diſpenſari, vel derogari poſſit cenſuræ juris, quia eſſet invitare ad delicta: quod nec Papa facere poteſt.*

(*e*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. 19. de reform.

(*f*) Edict. an. 1610. art. 17.

(*g*) Carol. Molinæus in regulam. 28. Cancellar. Rom. de veriſimili notitia obitus. n. 61. tom. 3.

Vide { Benaficiarius. Banaficium. Patronus. Caſ. 5. 7. & 8. Patronatus. Proviſio. }

COMMERCIUM.

Vide { Emtio. Claricus, Caſ. 5. Socíatas. Venditio. }

COMMODATUM.

COMMODATUM, ſic dictum, quod præciſe in ejus cui fit, commodum cedat, juxta definitionem Juſtiniani (*h*), eſt contractus, quo res gratis alteri utenda datur ad certum finem ac per tempus determinatum ea lege, ut ejus non acquirat dominium, eamque ipſam in individuo reſtituat.

(*h*) §. *Item is, cui*, 2. Inſtitut. quibus modis re contrahitur obligatio. lib. 3. tit. 15.

Dicitur, *quo res gratis alteri utenda datur*: ut contractus iſte diſtinguatur a contractu locationis, quo res utenda quidem datur, verum certa mercede conſtituta.

Additur, *ad certum finem, ac per determinatum tempus*: 1. Quia commodans non rei dominium, ut in mutuo, ſed uſum tantum transfert.

2. Ut a precario ſecernatur, neque tempus, neque locus, aut uſus determinantur, ſed revocari poteſt ad nutum concedentis.

3. Ut intelligatur, commodatarium re uti non poſſe niſi ad pactum cum com-

(1) Via. *Menda Pastaſ.* Obſerv. III. num. XIV.

commodante initum niſi de ejus conſenſu, ſaltem præſumto, ut colligi debet ex his Juſtiniani verbis: (a) *Placuit tamen, eos qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utenda acceperint, ita furtum committere; ſi ſe intelligant id invito domino facere; eumque ſi intellexiſſet, non permiſſurum; at ſi permiſſurum credant, extra crimen videri.* Quod ex ea Regula ſtatuit hic Imperator: *Furtum ſine affectu furandi non committitur.*

(a) L. 4. Inſtit. tit. 1. §. Placuit. 7.

4. Ad oſtendendum, commodatarium teneri ad rem reſtituendam conſtituto tempore.

5. Denique, ut intelligatur eum qui rem ad tempus, v. gr. menſem, commodavit, eam non poſſe repetere ante pactum tempus; in quo commodatum differt a precario, in quo dominus ad arbitrium rem poteſt repoſcere.

Cum ad ſolam commodatarii utilitatem factum eſt commodatum, is præſtat culpam vel leviſſimam; quæ in eo conſiſtit, quod eam non adhibuerit diligentiam, quam vir prudentiſſimus in propriis rebus ſolet afferre. Rem ſic definiunt Gregorius IX. (b) & Ulpianus in Legem ad marginem indicata (c): Sed non tenetur de caſu fortuito, niſi 1. adſit ejus negligentia. 2. Niſi præſtituto tempore commodatum reſtituerit, ac de eo requiſitus eſt. 3. Denique, niſi pactum intervenerit de reſarciendo tali caſu, ſi accideret. Tres illas exceptiones affert Papa in ſua Decretali: *Licet caſus fortuitus, niſi acciderit culpa ſua, vel intervenerit pactum, ſeu in mora fuiſſet, ſibi non debeat imputari.*

(b) In Cap. *Cum gratia.* 1. De commodato. lib. 3. tit. 15.

(c) Leg. *Si ut certo.* 5. ff. commodati. 3. *Nunc videndum.* 2. l. 13. tit. 6.

CASUS PRIMUS.

JULTUS, gratis equum ſuum ad duo triave itinera oon longioqua peragenda commodavit Victoriano ad quindecim dies, quorum octo elapſis eqoum ſuum ſine neceſſitate aut juſta de Victoriano querela repetiit. Qua de re quæritur, otrum ſub reatu peccati equum Victorianus illico remittere teneretur Julio, ita ot eo non remiſſo peccaverit?

RESPONS.

Aote elapſos dies quindecim, tempus videlicet conſtitutum, equum remittere non tenebatur Victorianus juxta iſtam juris regulam (d); *Contractus .... legem ex conventione accipiunt.*

(d) Leg. *Depoſitum.* 1. §. 6. ff, depoſiti vel contra. lib. 16. tit. 3.

Id quidem probari poteſt ex iſta definitione commodati, quam affert Gloſſa in Decretalem Gregorii IX. (e): *Eſt autem commodatum alicujus rei in aliquem ſpecialem uſum facta conceſſio. Commodata autem res*, inquit Juſtinianus (f), *tunc propriè intelligitur, ſi, nulla mercede accepta vel conſtituta, res utenda data eſt.* Unde ſequitur a Victoriano Julii equum abſque injuſtitia retineri potuiſſe ad conſtitutum quindecim dierum tempus, quo eum otendum pro itineribos conficiendis commodaverat; præſertim, cum ipſo non egeret Julius, ot fatetur, neque mora ullum pateretur damnum. 2. Deciſionem hanc probat textus ipſe Decretalis Gregorii IX. (g): *Contra eum quoque recte commodati non agitur*, inquit hic Papa, *niſi poſt uſum completum, cujus gratia res fuerit commodata, cum non decipi beneficio nos oporteat, ſed adjuvari.*

(e) Gloſſa In Cap. *Cum gratia.* unic. de commodato. v. *Commodatum.* Lib. 3. tit. 15.

(f) Lib. 3. Inſtitut. tit. 15. quibus modis re contrahitur obligatio. §. 2.

(g) Greg. IX. In cit. Cap. *Cum gratia.*

Juri Canonico in hoc conſentiunt Leges Civiles, quarum una ſic habet (h): *Sicut autem voluntatis & officii, magis quam neceſſitatis eſt; ita modum commodati finemque præſcribere, ejus eſt qui beneficium tribuit. Cum autem id fecerit; id eſt, poſtquam commodavit, tunc finem præſcribere & retro agere, atque intempeſtive uſum commodatæ rei auferre, non officium tantum impedit; ſed & ſuſcepta eſt obligatio inter dandum accipiendumque. Geritur enim negotium invicem: & ideo invicem propoſitæ ſunt actiones, ut appareat, quod principio beneficii ac nudæ voluntatis fuerat, converti in mutuas præſtationes actioneſque civiles ... adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet.*

(h) Leg. *In commodato.* 17. §. 3. ff. commodati, vel contra. Lib. 13. tit. 7.

CASUS II.

HILARIUS, Bartholomæo Pariſiis Compendium ituro equum ſuum commodavit: ſed io itinere hunc equo omniqoe peconia ſua ſpoliaverunt media luce lattones. Cui imputanda eſt equi jactura?

RESPONS.

Equi jactura Bartholomæo non eſt impotanda: quia commodatarius non tenetur de caſibus fortuitis, qui abſque ſua eveniunt negligentia, quales ſunt iſti quos Lex recenſet (i): *Rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo præſtantur.* Quod ita intelligendum in hoc caſu, ot de præſtando commodato non conſenſerit commodatarius, aot in mora fuerit reqoiſitus de reſtitutione conſtituto tempore, aut ante caſum fortuitum aliqua ſui culpa damno occaſionem dederit; tunc enim de damno tenetur licet fortoito. Hanc deciſionem affert Gregorius IX. in ſoa Decretali de commodato (k): *Licet*, inquit, *caſus fortuitus, niſi acciderit culpa ſua, vel intervenerit pactum, ſeu in mora fuiſſet, ſibi non debeat imputari.* Quod coofentit cum iſtis verbis Legis (l): *Quod vero ſenectute contigit, vel morbo, vel vi latronum ereptum eſt, aut quid ſimile accidit; dicendum eſt, nihil eorum imputandum eſſe ei, qui commodatum accepit, niſi aliqua culpa interveniat* (m).

(i) Leg. *Contractus.* 23. ff. de diverſis juris antiqui regulis lib. 50. tit. 17.

(k) Greg. IX. in Cap. *Cum gratia.* ſupra cit.

(l) Leg. *Si ut certo.* 5. §. 4. ff. commodati vel contra. Idem Leg. 18. & 19. Leg. 1. cod. eod. tit. &c.

(m) Fr. de Genet. Theol. mor. tom. 1. tract. 5. c. 9. q. 5. Colloq. Condom. tom. 1. Colloq. 10. ſect. 3.

CASUS III.

MARTIALIS Cæſarem rogavit, ut ſibi equum commodaret ad eundum Pariſiis Verſalias, ubi qoatuor aut quinque diebus ſe commoraturum dicebat, exſpectando, dum dijudicaretur lis in ſanctiore Ærarii Regii Conſilio inſtructa; atque equum octavo die ſequenti ſe rediturum promittebat; quem eum Cæſar commodaſſet, eo inſcio, Pariſiis Aureliam perrexit; ita ut pro octo leucis ſexaginta continuo ferme curſu emenſus fuerit Cæſaris equus. Qua de re quæritur, utrum abſque peccato ita ſe gerere potuerit Martialis?

RESPONS.

Prima commodatarii obligatio eſt, ut non commodata re utatur, oiſi ad eum quem cum commodante pactus eſt, uſum; atque obligationis illius infractio furti nomine a jure dicitur. *Quia immo*, inquit Lex (n), *& qui alias re commodata utitur, non ſolum commodati; verum furti quoque tenetur .... quemadmodum qui equo ...: vel veſtimento, aliter quam commodatum eſt, utitur, furti tenetur.* Quod cum iſtis S. Raymundi dictis coofentit (o): *Qui accepit equum .... uſque ad certum locum, & ipſe ultra locum procedit .... committit furtum.* Quod tamen cum iſta quam affert Juſtinianus, diſtinctione eſt intelligendum (p): *Si quis rem utendam accepit, in aliam uſum eam transferat, quam cujus gratia ei data eſt, furtum committit, veluti .... ſi quis equum geſtandi cauſſa commodatum ſibi, longius aliquo duxerit .... Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere, ſi ſe intelligant, id invito domino facere: eumque, ſi intellexiſſet non permiſſurum. At ſi permiſſurum credant, extra crimen videri: optima ſane diſtinctione; quia furtum ſine affectu furandi non committitur.*

(n) Leg. *Si ut certo.* ſupra cit. §. 8.

(o) S. Raymund. in ſum. l. 2. tit. 8. de furtis. §. 5.

(p) Lib. 4. Inſtit. 1. §. 6. & 7.

Hinc itaque concludendum, principia hæc univerſa propoſitæ quæſtioni applicando, graviter peccaſſe Martialem ob fraudem a ſe commiſſam io Cæ-

ſarem,

Digitized by Google

ſarem, cui uſum a ſe intentum de equo non occultavit, niſi quia eum non commodaturum intellexit ad tam longinquum iter, tamque pauco tempore conficiendum; & inſuper eum teneri ad reſarciendum damnum Cæſari illatum ſeu ex jactura aut diminutione equi. Hanc deciſionem ſulcit ipſa naturalis æquitas. *Habet ſummam æquitatem*, inquit Lex (*a*), *ut eatenus quiſque noſtro utatur, quatenus ei tribuere volimus*.

(*a*) Leg. *Et habet*. 12. ff. de precario, l. 43. tit. 26.

CASUS IV.

Cajus, ſuſcepto Argentinam itinere, commodatum ſibi a Brixio equum amiſit, ob negligentiam ſuam, quæ tamen leviſſima fuit. Numquid ſub peccato tamen illius jacturam reſarcire tenetur?

Respons.

Certum eſt, Cajum teneri de equo quem ſibi commodavit Brixius, & quem ob negligentiam ſuam amiſit, etſi leviſſima ſit culpa ſua, terminum hunc eo quo in jure uſurpatur, ſenſu intelligendo, & infra exponemus, dum de reſtitutione. Ratio eſt, quia eamdem tenebatur afferre diligentiam ad equi conſervationem, qua in propriis negotiis uti ſolet vir ſapientiſſimus: cum gratia ſui tantum quis commodatum accepit, inquit Gregorius IX. (*b*), de leviſſima etiam culpa tenetur.

Rem eamdem cum jure Canonico ſtatuit Romana Juriſprudentia: *In rebus commodatis talis diligentia præſtanda eſt, qualem quiſque diligentiſſimus paterfamilias ſuis rebus adhibet*, inquit Lex Digeſtorum (*c*). *Is vero qui utendum accepit, exactiſſimam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare compellitur*, inquit Lex alia: *Nec ſufficit ei eamdem diligentiam adhibere, quam ſuis rebus adhibet; ſi alius diligentior cuſtodire poterit* (*d*). Nec ab antiquo jure novum diſcrepat (*e*).

Non idem tamen dicendum foret, ſi ad communem ſuam utilitatem Cajus Brixii equum utendum accepiſſet: tum enim de illius jactura non teneretur Cajus, ſi culpa ſua eſſet tantum leviſſima, ſed ſolum ſi *lata* aut *levis* (*f*).

(*b*) Greg. IX. in Cap. *Cum gratia*. on. de commodato.

(*c*) Leg. *In rebus*. 18. ff. commodati, vel contra.

(*d*) Leg. *Obligationes*. 1. §. 4. ff. de obligationibus. lib. 4. tit. 7.

(*e*) Lib. 3. Inſtitut. tit. 15. quibus modis re contrahitur obligatio. §. 2.

(*f*) Fr. de Gen Theol. mor. tom. 1. tract. 5. c. 9. q. 4.
Conf. Condom. tom. 1. Conf. 10. ſect. 3.

CASUS V.

Constantinus, vir nobilis, Gervaſium rogavit, ut ſe Pariſiis Rothomogum conferret, ad litem ſuam inſtruendam, ſolicitandoſque ibi Judices, eique ob eam rem equum ſuum commodavit; qui in taberna a latronibus Gervaſii culpa clam ſubductus eſt. Pretium ejus ab eo requiſit Conſtantinus, is contra de eo ſe non teneri contendit. Numquid legitima eſt Conſtantini contentio, cum ſine Gervaſii negligentia non fuiſſet equus abductus?

Respons.

Totus hujuſce difficultatis nodus in eo conſiſtit, ut dignoſcatur, quæ ſit culpa Gervaſii. Cum enim non ad propriam ſuam utilitatem, ſed Conſtantini, equus fuerit commodatus, non de eadem cura tenebatur ac ſi ad proprium uſum accepiſſet. Ratio eſt, quia, cum ad ſolam commodantis utilitatem res utenda accepta eſt; de damno tantum, quod ex mala ſua fide, aut ex culpa tanta, ut dolo poſſit comparari, (*g*) tenetur commodatarius; æquum quippe non eſt, ut ad commodantis utilitatem, tam accuratam debeat adhibere diligentiam, ut vel minimam culpam aut negligentiam præſtare debeat. *Interdum plane dolum ſolum in re commodata, qui rogavit præſtabit*, inquit Lex (*h*); *ut puta, ſi quis ita convenit, vel ſi ſua dumtaxat cauſſa commodavit*. Cui congruit hæc alia Lex (*i*): *Siquidem mea cauſſa dedi* (rem) *dum volo pretium exquirere, dolum mihi tantum præſtabit*. Quocirca, ſi leviſſima fuerit Gervaſii culpa, aut negligentia dumtaxat levis, Conſtantino unice imputanda eſt equi jactura.

(*g*) Lata culpa plane dolo comparabitur. Leg. *Adverſus*. 1. §. ff. ſi Menſor falſum modum dixerit l. 11. tit. 6.
Diſſoluta enim negligentia prope dolum eſt.
Leg. *Si fidejuſſor*. 29. ff. mandati, vel contra, lib. 17. tit. 1.

(*h*) Leg. *Si ut certo*. 5. §. 10. ff. commodati vel contra. lib. 13. tit. 6.

(*i*) Leg. *Eum qui*. 10. §. 2. ff. eod. tit.

CASUS VI.

Matthæus & Clemens, commercii ſocietate conjuncti, inter ſe conſenſerunt, Matthæum in oppidum ab urbe triginta diſtans leucas eſſe iturum ad exigendam 2000. librarum ſolutionem in communi ſibi debitam, cujus itineris cauſſa Clemens ei ſuum commodaret equum. Summam illam accepit Matthæus, ſed redeundo equum culpa ſua amiſit. Numquid illi ſoli jactura imputari debet?

Respons.

Matthæo ſoli imputari debet equi jactura. Cum enim in utriuſque utilitatem tum commodantis, tum commodatarii cedit res commodata; commodatarius tenetur non ſolum de damno quod dolo ſuo contigit, ſed & culpa ſua ac negligentia; cum propriæ utilitatis cauſſa commodatum accipiat; uti definitum eſt Lege ſequenti (*K*): *Si utriuſque gratia* (commodata ſit res) .... *ſcriptum quidem apud quoſdam invenio, quaſi dolum tantum præſtare debeas. Sed videndum eſt, ne & culpa præſtanda ſit, ut ita culpæ fiat æſtimatio, ſicut in rebus pignori datis & dotalibus æſtimari ſolet. Ubi utriuſque utilitas vertitur*, inquit Lex alia (*l*), *ut in emto, ut in locato, ut in dote, ut in pignore, ut in ſocietate; & dolus & culpa præſtatur*.

(*k*) Leg. *In rebus*. 18. ff. commodati vel contra.

(*l*) Leg. *Si ut certo*. 4. 2. §. ff. eod. tit.

CASUS VII.

Anastasii equum ſibi commodatum ad iter faciendum Pariſiis Burdigalam, dimidio ſui pretio diminutum, peracto itinere reddidit Ludovicus. Cui damnum?

Respons.

Si conſuetum diætæ iter ab equo Anaſtaſii tantum exegerit Ludovicus, abunde ei ad vitam neceſſaria ſuppeditans, ita ut ex uſu ipſo dumtaxat in quem accepit, deterior factus ſit, nullum Anaſtaſio damnum in eam rem præſtare tenetur: *Eum qui rem commodatam accepit*, inquit Lex (*m*), *ſi in eum rem uſus eſt in quam accepit, nihil præſtare, ſi eam in nulla parte, culpa ſua deteriorem fecit, verum eſt. Nam ſi culpa ejus fecit deteriorem, tenebitur*. Hanc etiam difficultatem expreſſe ſolvit Lex iſta (*n*): *Si commodavero tibi equum quo utereris uſque ad certum locum* (en caſus propoſitus), *ſi nulla culpa tua interveniente, in ipſo itinere deterior equus factus ſit, non teneberis commodati. Nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter equum commodavi, qui laborem ſuſtinere non potuit*. Anaſtaſius itaque ſibi ſoli adſcribere debet, quod equus ſuus deterior ſit factus; atque huic conſenſiſſe videtur, equo ſuo ad tam longum operoſumque iter commodato: at ſi culpa Luduvici equus ſit factus deterior; tunc de eo teneretur, quia, ut ait lex alia, (*o*) *Non videbitur reddita* (res commodata) *quæ deterior facta redditur, niſi quod intereſt præſtetur: proprie enim dicitur res non reddita, quæ deterior redditur*.

(*m*) Leg. *Eum qui*. 10. ff. commodati, vel contra.

(*n*) Leg. *Si commodavero*. fin. ff. eod. tit.

(*o*) Leg. *Sed mihi*. 3. §. 1. ff. eod. tit.

CASUS VIII.

Almachius, Aurelia Gratianopolim profecturus, Publium rogavit, ut ſibi equum commodaret; quem ei conceſſit, prius tamen facta equi æſtimatione 200. librarum. Caſu pure fortuito in itinere periit equus. Quis jacturam equi ſuſtinere tenetur?

Respons.

Almachius commodatarius equi jacturam ſolus præſtare tenetur: ratio eſt, quia commodati non fit æſtimatio, niſi ut de illius pretio teneatur commodatarius, ſi forte non reſtituat: neque talem æſtimationem exigit commodans, niſi ut de ea fiat ſecurus in quoslibet futuros caſus; aut de illius valore, ſi forte pereat: atque commodatarius, accepta æſtimatione, eoſdem etiam caſus fortuitos ſibi præſtandos ſuſcipit; ut jure definitum eſt. *Si forte res æſtimata data ſit*, inquit Lex Digeſtorum (*p*), *omne periculum præſtandum eſt ab eo, qui æſtimationem ſe præſtiturum recipit*. Et Lex alia (*q*): *Æſtimatio periculum facit ejus, qui ſuſcepit. Aut igitur ipſam debebit incorruptam reddere, aut æſtimationem de qua convenit*, Quia *æſtimatio venditio eſt* (*r*).

(*p*) Leg. *Si ut certo*. ſupra cit., §. 3. ff. commodati vel contra.

(*q*) Leg. *Actio*. 1. §. 1. ff. de æſtimatoria actione. l. 19. tit. 3.

(*r*) Leg. *Plerumque*. 10. §. 5. ff. de jure dotium. Lib. 23. tit. 3.

CASUS IX.

Ferdinandus, Paullo lectum centum nummos æſtimatum, utendum commodavit, qui pure fortuita domus illius conflagratione periit; quia Paullus, qui eum flammis eripere poterat, res ſuas potius ſalvas facere, quam Ferdinandi lectum prætulit. Numquid tenetur de jactura lecti?

Respons.

Paullus erga Ferdinandum de lecti jactura tenetur.

Licet

Digitized by Google

Licet enim ex legibus, res quæ abſque commodatarii culpa perit, non ſibi, ſed domino pereat; non minus tamen verum eſt, quod, cum rei commodatæ jacturam, etiam propriæ rei jactura, vitare poteſt commodatarius; damnum quod fortuito caſu contigit, commodanti præſtare tenetur; ut definitum eſt lege ad marginem ſuperius indicata: *Proinde etſi incendio, vel ruina aliquid contigit, vel aliquod fatale damnum, non tenebitur; niſi forte cum res commodatas ſalvas facere, ſuas prætulit*. Quo in caſu hanc tamen Gloſſa affert exceptionem (a): *Sed quid, ſi res commodata erat vilis pretii, ſua vero pretioſa res erat? Reſpond. Non tenetur: quia diligens quilibet hoc feciſſet; non autem tenetur facere, niſi quod diligentiſſimus faceret*.

(a) Gloſſa in cit. Leg. *Sicut certo. V. Salvas facere.*

Eamdem quoque exceptionem ponit Silveſter (b): qui, cum rem paullo fuſius exponat, juvat heic ejus dicta referre. 1. *Si res ſuæ ſunt utiles; præferre eas poteſt, ſolum ſi commodatum fuit cauſſa commodantis .... Aliter non. 2. Sed ſi erant ejuſdem pretioſitatis, ſi commodatum factum eſt cauſſa ſui* (commodatarii), *non poteſt præferre ſuas. Si vero ſunt digniores, poteſt eas præponere; etiamſi commodatum factum eſſet cauſſa recipientis: tum quia quilibet diligens hoc faceret, & non tenetur facere, niſi quod diligentiſſimus feciſſet. 3. Si vero gratia utriuſque; ſimiliter poteſt præponere ſuas: quia, ceteris paribus, debet plus ſe & ſua diligere, quam alium & aliena.* Quæ omnia ex multis Legibus probat Silveſter, & multis aliis difficultatibus explicandis inſerviunt.

(b) Silveſter de Prierio. v. *Commodatum.* q. 12.

Advertendum tamen, quod ſi commodatarius ex pacto expreſſo de fortuitis caſibus ſpoponderit; rem, quantumvis levem, reſtituere tenetur, cum eam conditionem non renuerit (c).

(c) Leg. *Ea quidem*, cit.

C O M M U N I O.

MULTIS nominibus dicitur ſacroſanctum Altaris Sacramentum, pro variis quos producit, effectibus, variiſque quas habet, ſignificationibus.

1. Dicitur *Sacrificium*, *in quantum ſcilicet*, inquit ſanctus Thomas (d), *eſt commemorativum* (hoc Sacramentum) *Dominicæ paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium .... & ſecundum hoc nominatur Sacrificium*.

(d) S. Thom. 3. part. q. 73. art. 4. in corp.

2. Dicitur etiam, *ſacroſanctum Altaris Sacramentum*: quod in Altari conficiatur ſacrum illud Myſterium, ſitque ſymbolum ſignumque fruitionis Dei, quem nos in patria cæleſti poſſeſſuros ſperamus.

3. VIATICI nomine donatur, a voce *Via*, & ſumta annominatione a cibariis; quæ a viatoribus ad iter aggrediendum parantur: *In quantum ſcilicet hoc Sacramentum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria: & ſecundum hoc dicitur Viaticum; quia heic præbet nobis viam illuc perveniendi: & ſecundum hoc dicitur Viaticum*.

4. Divinum illud Sacramentum dicitur *Eucbariſtia, id eſt, bona gratia, quia gratia Dei, vita æterna, ut dicitur Romanorum 5. vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia*, (e) ut loquitur idem ſanctus Thomas.

(e) Idem S. Thom. loco cit.

5. Denique *Communio* nuncupatur, quod Sacramentum illud ſit Symbolum unitatis Eccleſiæ, & per illud fideles inter ſe ſunt incorporati, atque illud digne recipiendo, Chriſto communicant, ejuſque fiunt participes; *& ſecundum hoc nominatur Communio*, addit idem Angelicus Doctor poſt S. Damaſcenum (f); *quia communicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus ejus carni & deitati; & quia communicamus, & unimur ad invicem per ipſam*: quod idem his verbis exprimit Apoſtolus (g); *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*.

(f) S. Damaſcen. lib. 4. de fide Orthod. c. 14.

(g) 1. Cor. 10. 17.

Communio eſt ſumtio Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti, quæ vere & realiter in ſacroſancto Altaris Sacramento ſub ſpeciebus panis & vini continentur: quam quidem, ut digne quis perficiat, tria ſunt omnino neceſſaria tam quoad animam, quam quoad Corpus.

Primum eſt: ut communicans ſit in ſtatu gratiæ, & nullius conſcius peccati mortalis: alioquin ſacrilegium admitteret, ſuumque ſibi manducaret judicium, ut loquitur Apoſtolus. *Probet autem ſe ipſum homo, ... qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini* (h). Igitur Communioni ſacramentalem præmittere tenetur confeſſionem; cum quis conſcius eſt peccati mortalis, & poteſt: ſi vero non poſſit, quia deeſt copia Confeſſarii, & tamen Euchariſtiam ſumere obligatur, ut aliquando Sacerdotibus contingere poteſt, quibus *ex officio* celebrare incumbit (i), aut etiam aliis, qui a ſacra Menſa abſque gravi ſcandalo, ſuique infamia recedere non poſſent; in his caſibus perfectum, quantum in ſe eſt, de peccatis ſuis contritionis actum elicere ante Communionem tenetur: alioqui ex hac neceſſitate, quantumlibet urgente, a ſacrilegio non foret immunis.

(h) 1. Cor. C. XI. 27. & 28.

(i) Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.

Advertere etiam neceſſe eſt, contritioni hujuſce Sacerdotis, ut ſit vera & ſufficiens, firmum neceſſario ac verum adjungendum eſſe propoſitum, quam primum Pœnitentiæ Sacramentum recipiendi ad conſequendam peccati ſui abſolutionem. Ad id obligat Tridentinum Concilium hocce ſuo Decreto (k): *Communicare volenti revocandum eſt ejus præceptum: Probet autem ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, tam probationem neceſſariam eſſe; ut nullas ſibi*

(k) Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. 1. Cor. X. 17.

conſcius

Digitized by Google

conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus eſſe videatur; abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit: modo non deſit illis copia Confeſſoris; quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur. Certum quidem eſt, quoſdam relaxativæ morum diſciplinæ Anctores contendere, ultimis iſtis vocibus, *quam primum confiteatur*, conſilium, non præceptum contineri; ut patet ex hac eorum propoſitione: *Mandatum Concilii Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, eſt conſilium, non præceptum.... illa particula, quam primum, intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.* At vero falſam hanc interpretationem, vix emiſſam, condemnavit Alexander VIII. & poſt ipſum generalia Cleri Gallicani Comitia an. 1700. habita, his verbis: *Hæc propoſitio eſt falſa, pernicioſa: apertum Concilii Tridentini Decretum intervertit.*

Secundnm ad dignam Communionem neceſſarium eſt, ut communicans ſit jejunus; hoc eſt, nihil a media nocte *per modum cibi* aut *per modum medicinæ* ſumſerit (*a*): qua de re notandum, antiquum Canonem, quo licitum erar contrarium die in Cœna Domini, penitus eſſe abrogatum (*b*): in ſolo mortis periculo licitam eſſe per modum Viatici Communionem non jejuno; atque in iis caſibus, in quibus imperfectum non deber dimitti Sacrificium; aut ab hoſtium Eccleſiæ profanatione præſervari, ut infra, dum de Miſſa, exponetur.

Tertium: ur ad ſacram Communionem Paſchali tempore accedat fidelis; niſi ex judicio Confeſſarii ad aliud rempus prorogetur; alioqui infringeretur præceptum Eccleſiæ ipſam imperantis, indicta etiam pœna, ut illius infractor ab ingreſſu Eccleſiæ per vitam prohibeatur, & Eccleſiaſtica poſt mortem careat ſepultura.

Cum majorem ægrotus communicandi neceſſitatem habeat, ubi adeſt periculum vitæ; quam communicandi jejunus; huic prior debet prævalere neceſſitas: quare ægrotus, licet non jejunus, non modo communicare poteſt, ſed & tenetur, uti jam diximus; aliter enim ſæpe fieret, ut ægri non ſumto Viatico, e vivis excederent. Attamen, licet ægroto immineat certiſſimum mortis diſcrimen, Sacerdoti, niſi jejuno, celebrare non eſt licitum, ut infirmus per modum Viatici communicetur: tum enim pro ægroto deſinit ex ejus imporentia communicandi obligatio, ut probat manifeſte Canoniſta peritiſſimus (*c*).

Solus Sacerdos eſt ordinarius ſacræ Communionis Miniſter. Eam autem pueris adminiſtrare non debet ante annos diſcretionis; neque furioſis aut amentibns, neque peccatoribus pnblicis, neque generaliter iis omnibus, quos ab ejus uſu arcet Eccleſia: quales ſunt hæretici & excommunicati, a quibus pariter ſine crimine accipi non poteſt.

Præcipuæ ad ſacram Communionem cum fructu percipiendam requiſitæ diſpoſitiones ſunt fides, amor, fiducia, humilitas & intimum ſe ipſum cum Chriſto uniendi deſiderinm; quocirca ante Communionem harum virtutum actus debent elici.

Fides docet, 1. fideles per Communionem non ſolum gratias Chriſti uberrimas, ſed inſuper proprium ejus Corpus & proprium Sanguinem recipere ſub ſpeciebus panis & vini, quorum ſubſtantia per conſecrarionem in utriuſque ſubſtantiam mutatur. Unde non ſine ratione *Tranſſubſtantiatio* dicta eſt mirabilis illa mutatio ab Eccleſia; quæ Chriſto in hoc ineffabili myſterio cultum ipſi ab hominibus debitum, tamquam Deo Redemrori ſuo ac Salvatori reddit: quare dicit ſanctus Auguſtinus in Canone apud Gratianum relarus (*d*): *Nemo .... illam carnem* (*Chriſti*) *manducat, niſi prius adoraverit.*

2. Quamlibet ex duabus panis & vini ſpeciebus Chriſtum totum continere; at vero quemlibet fidelem neque neceſſitate ſalutis, neque Chriſti præcepto teneri ad duplicem ſumendam ſpeciem; etſi uſum ſuum qualibet Eccleſia ſervare debeat. Quod dicimus de Communione ſub una ſpecie jam inde ab Apoſtolorum ævo obtinuiſſe, illumque uſum in primitiva Eccleſia ſolitum fuiſſe, ſatis veriſimile eſt; quandoquidem ſanctus Lucas de uſu Euchariſtiæ loquens ab inſtitutione illius (*e*), de ſolo pane menrionem facit: quare nobis perſuaſum eſt, ab illius Evangeliſtæ temporibus fideles ſub ſola panis ſpecie communicaſſe ſæpe ſæpius: quo enim veroſimili argumento fretus, quis cogitare poſſet, ab eodem vini ſpeciem fuiſſe omiſſam, eumque uſum fidelium naſcentis Eccleſiæ quoad partem dumtaxar eſſe relatum; ſi ordinaria inter eos fuiſſet ſub utraque ſpecie Communio?

Ad ſanctam Communionem numquam admitti debent, niſi qui rationis uſum attige-

(*a*) Conc. Carthag. 3. can. 3. & Conc. Afric. c. 3.

(*b*) Can. *Sacramenta*. 49. de conſecrat. diſt. 1.

(*c*) Cabaſſ. Juris Can. Theor & prax. l. 3. c. 5. n. 11.

(*d*) S. Aug. in Can. *Acceſſerunt*. 92. de conſecrat. diſt. 2.

(*e*) Act. 2. 42. Act. 20. &c.

attigerunt, quique ea omnia perfecte norunt, quæ ſcire tenentur ad participarionem tam ineffabilis Myſterii, quique ante ſe ipſos probavere, Sacramentali præmiſſa confeſſione praxique Chriſtianarum virtutum.

Prima omnium ad dignam Communionem diſpoſitio neceſſaria eſt fides, (1) quæ ad hunc effectum prorſus ſit inutilis, niſi ſit caritate animata. Reipſa quid neceſſarium magis & æquius, quam amore illius in nos amorem rependere, qui nimia ſua dilectione in hoc ineffabili Myſterio ſe ipſum nobis manducandum præbuit, in quo etiam donorum ſuorum divitias, gratiarumque theſauros omnes nobis aperit atque communicat? Ubi autem habentur præmiſſæ illæ diſpoſitiones, facile eſt ſuam in Chriſto totam reponere fiduciam, quæ tertia eſt ad ſacram Communionem requiſita diſpoſitio: ſed quia illa fiducia omnem excludere debet præſumtionem; (2) hunc nobis ſenſum ingerere debet humilitas, quod ſine gratia ejuſdem Chriſti Salvatoris non poſſimus eſſe, niſi peccatum, neque ex nobis ipſis cæleſte quod fidelibus ſuis promittit, præmium mereri valeamus, quia ſine ejuſdem gratiæ auxilio ipſi fideles eſſe non poſſumus.

Communio frequens merentibus eam ſibi concedi, ſaluberrima eſt; quales ſunt, qui omni prorſus ad peccatum etiam veniale, affectu vacui, ſinceræ pietatis intimo ſenſu amoreque divino imbuuntur. Sed contra, qui criminoſe ac gentiliter vivunt, inutiliter Confeſſionem atque Communionem frequentant; dum enim in hoc miſerrimo ſtatu vitam degunt, abſque errore atque etiam impietate quadam talis uſus haberi nequit, uti nota prædeſtinationis; quemadmodum declararunt Comitia generalia Cleri Gallicani an. 1700. habita, iſtam quorumdam Auctorum propoſitionem damnando: *Frequens Confeſſio & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis*. Cenſura hujus propoſitionis eſt iſta: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, erronea, impia & ſacris Litteris contraria*.

Licet Communionis beneficio digniores ſint, qui vitam duxere innocuam; iis tamen etiam concedi debet eadem gratia, qui præteritæ vitæ gravia peccata ſincera pœnitentia luere conati ſunt, & aliquamdiu in ſua converſione perſeverarunt.

Caveant antem qui ad ſacram frequenter accedunt Euchariſtiam, ne eos poſthabeant, qui minus frequenter ad majorem animi ſui præparationem Sacro Corporis Domini paſci nutrimento non præſumunt; cum ambo æqualiter debitum Chriſto cultum, licet diverſimode reddant; ut docet ſanctus Auguſtinus adducto Zacchæi & Centurionis exemplo: *Faciat autem unuſquiſque*, inquit ſanctus Doctor (a), *quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, ſed ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam ſe alteri præpoſuit Zacchæus & Centurio; cum alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum; alter dixerit: Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: ambo Salvatorem honorificantes diverſo, & quaſi contrario modo.*

(a) S. Aug. Ep. 26. n. 4. Matth. 8. 8.

Ex præcepto Eccleſiæ ter in anno ad ſacram Communionem tenebantur Fideles: at refrigeſcente eorum pietate; ne ex infractione ſui præcepti aut ex Communionibus indignis fierent deteriores, infirmitati eorum obſequens annuam tantum iis præcipit Communionem, quam abſque mortalis peccati reatu omittere nequeunt. Qua de re lacrymabili errore duas etiam pariter falſas & erroneas remiſſioris morum diſciplinæ auctores protulere propoſitiones: quarum prior quæ pertinet ad obligationem de audiendo Dominicis feſtiſque diebus Sacro ex vi præcepti Eccleſiaſtici, initio tituli, *Miſſa*, refertur. Altera quæ ad Communionem annuam ſpectat, in iiſdem Cleri Gallicani an. 1700 Comitiis generalibus damnata, eſt iſta: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem*: quas duas propoſitiones damnavit celeberrimus ille Galliæ Præſulum conventus his verbis: *Doctrina, his duabus propoſitionibus contenta, temeraria eſt, ſcandaloſa, erronea; impietati favet, & præceptis Eccleſiæ illudit*.

CASUS PRIMUS.

NUMQUID Flodoardus, ſancti Arnaldi Parochus, pueros e ſua Parœcia, qui decimum ætatis ſuæ annum non attigerunt, ad Communionem admittere poteſt tempore Paſchali a ſuis oblatos parentibus, qui & de eorum ſapientia ſufficientique præcipuorum fidei myſteriorum cognitione ferunt teſtimonium?

RESPONS.

Pueros illos ad Communionem admittere poteſt Flodoardus, eorum Parochus, ſi eo ſint præditi diſcretionis uſu, ut norint, quid in Communione ſint accepturi, & aliunde de aliis præcipuis fidei dogmatibus inſtructi ſingularis præbeant ſigna ſapientiæ & devotionis. Ita S. Thomas (b): *Pueris*, inquit, *carentibus uſu rationis, quia non poſſunt diſtinguere inter cibum ſpiritualem & corporalem, non debet Euchariſtia dari .... pueris autem jam incipienti-*

(b) S. Th. In 4. diſt. 9. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 4. in corp.

(1) Vid. *Menda Pentaſ.* Obſerv. V. num. V. (2) Vid. ibid. num. VI.

pientibus habere diſcretionem etiam ante perfectam ætatem, puta cum ſint decem aut undecim annorum aut circa hoc, poteſt dari; ſi eis ſigna diſcretionis appareant & devotionis. Igitur accurate perpendat Parochus, num vera ſint, quæ referunt parentes de pueris ſuis, priuſquam eos ad Communionem admittat, & ad diſcretionem accedat ad eam demerendam ſingularis pietas.

Cum S. Thoma perfecte conſentit S. Carolus Borromæus (*a*); *Cum autem pueros ad decem annorum ætatem veniſſe, Parochus noverit, ita ut capaces ſint, qui intra aliquod tempus Communionem excipiant; curet Parochus, ne parentum negligentia priventur amplius hujus ſpiritualis theſauri participatione.*

(*a*) S. Carol. Borrom. Act. Eccleſ. Mediol. part. 4. Inſtruct. de Sacram. Com. tom. I. p. 601.

Auctor Colloquiorum Andegavi (*b*) longius procedit; ſic enim loquitur: *In hac Diœceſi, abſque difficultate communicari poſſunt pueri ſeptem aut octo annos nati, qui ſunt in articulo mortis; ſi aperto parumper ſint ingenio, ac Myſterium pro mediocri ſua capacitate norint.* Quod confirmat ex iſtis ſex Carminibus depromptis ab antiquo Poemate cujus Manuſcriptum in Theſauro Eccleſiæ ſancti Martini Turonenſis aſſervatur.

(*b*) Colloq. Andeg. Menſ. Julii an. 1704. q. 4. (pag. 300.)

Non pueris infra bis quinque manentibus annos
Des Corpus Domini, quamvis ſint corpore puri
Quid ſumant cum ignorent: ergo probibentur.
Excipe, quos urget fera mors, annis licet bis ſint
Octo, ſive novem, vel ſeptem, dum tibi conſtet
Scire, Pater noſter, & eorum vita probata.

CASUS II.

Lucas, accuſatis die Sabbati in confeſſione peccatis, ut poſtridie ſacrum Chriſti Corpus ſumeret, nocte ſequenti dormiens in pollutionem incidit, quam etiam, diſcuſſo ſomno impedire non potuit? Num abſque peccato Dominica die ad ſacram potuit Communionem accedere?

Respons.

Species illa immunditiæ non eſt abſolutus diei ſequentis Communioni obex, cum in eo caſu nec in ſe, nec in ſua cauſſa ſit mortale peccatum. Id quidem ex hoc S. Thomæ ratiocinio probari poteſt (*c*): *Omne peccatum ſecundum Auguſtinum, eſt in voluntate: Motus autem voluntatis præſupponit judicium rationis, eo quod eſt apparentis boni vel veri, vel falſi. Unde ubi non eſt judicium rationis, non poteſt eſſe voluntarius motus. In ſomnis autem judicium rationis impeditur. Judicium enim perfectum haberi non poteſt de aliqua cognitione niſi per reſolutionem ad principium, unde cognitio ortum habet, ſicut patet quod cognitio concluſionem ortum habet a principiis: unde rectum judicium de concluſione haberi non poteſt, niſi reſolvendo ad principia indemonſtrabilia. Cum ergo omnis cognitio intellectus noſtri a ſenſu oriatur, non poteſt eſſe judicium rectum, niſi reducatur ad ſenſum .... In ſomno autem ſenſus ligati ſunt: & ideo nullum judicium animæ eſt liberum, neque rationis, neque ſenſus communis: & ideo neque motus appetitivæ partis eſt liber: & propter hoc non poteſt aliquis peccare in ſomno, neque mereri.* Ex hoc Doctoris Angelici principio & concluſionibus quas ex eo deducit, Lucas a Communione ſeſe abſtinere non tenetur, cum in caſu propoſito nullius ſit conſcius peccati ob defectum conſenſus in ſomno.

(*c*) S. Th. In 4. diſt. 9. q. un. art. 4. quæſt. 1. in corp.

Advertendum etiam cum eodem Doctore, quod, *poteſt tamen contingere*, inquit (*d*), *quod in ipſa evigilatione peccatum oriatur, ſi quidem pollutio propter delectationem placeat: quod quidem erit peccatum veniale, ſi ſit ex ſubreptione talis placentia; mortale autem, ſi ſit cum deliberante conſenſu & præcipue cum appetitu futuri. Iſta autem placentia non facit præteritam pollutionem, peccatum, quia ipſius cauſſa non eſt; ſed ipſa in ſe peccatum eſt.* Quo in caſu Communioni obicem afferret.

(*d*) Idem ibid. ad 1.

Idem dicendum, cum mortalis eſt cauſſa pollutionis. *Quamvis nocturna ipſa pollutio, ſecundum ſe conſiderata, peccatum mortale eſſe non poſſit*, ait etiam alibi idem ſanctus Doctor (*e*); *nihilominus tamen ratione ſuæ cauſſæ quandoque habet peccatum mortale annexum .... Etſi quidem ſit ſine peccato veniali, non ex neceſſitate impedit ſumtionem Euchariſtiæ; ita ſcilicet, quod homo, ſumendo, ſit reus Corporis & Sanguinis Domini. Si vero ſit cum peccato mortali, impedit ex neceſſitate.*

(*e*) Idem. 3. part. Sum. q. 8. art. 7. in corp.

CASUS III.

Cæsarius a duobus tribuſve annis hominis Confeſſionem audit, qui involuntarium ſeminis fluxum cum aliqua carnali delectatione patitur; cui tamen ſingulis diebus feſtis ſolemnibus Communionem permittit. Numquid in eo reprehenſione dignus eſt?

Respons.

Ex Doctrina S. Thomæ, Confeſſarius ille hominem hunc a Communione arcere non debet, præſertim ſi infirmitas ejus ſit perpetua, aut diuturna. Ratio eſt, quia *cum iſte cibus non ſit corporis, ſed mentis*, inquit Doctor Angelicus (*f*), *magis in ejus ſumtione conſideranda eſt diſpoſitio mentis, quam corporis. Et ideo diſtinguendum eſt in immunditia corporali tantum, quia aut eſt perpetua, ſicut lepra, aut diuturna; vel eſt temporalis & cito purgabilis. Si quidem ſit perpetua, vel diuturna; tunc nullo modo propter hoc quis abſtinere debet, ne propter immunditiam corporis perdatur fructus mentis; ſicut accidit in leproſis patientibus fluxum ſanguinis, vel ſeminis. Si autem ſit temporalis & facile expurgabilis; tunc, ſi quis in mente bene diſpoſitus, ſumere non prohibetur.* Idem docet ſanctus Antoninus (*g*).

(*f*) S. Th. in 4. diſt. 9. q. 2. art. 4. quæſt. 3. in corp.

Ceterum carnalis delectatio quæ talem neceſſario ſequitur infirmitatem, legitimus Communioni nun poteſt eſſe obex; cum certum ſit, eam ex ſe ipſa non eſſe, ſed ex conſenſu tantum fieri peccatum: quare hominem hunc Euchariſtiæ ſumtione indignum non efficit; modo huic fideliter non aſſentiatur, ſed potius quoad voluntatem obſiſtat.

(*g*) S. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. art. 10.

CASUS IV.

Leucadiæ, matronæ nubili, ad ſacram Menſam pectore nudo, vultuque fuco ac ſericis maculis obtecto, accedenti Alexander Parochus ejus, Communionem publice recuſavit; At vero illa acceptæ, ut putabat, injuriæ impotens, etiam apud Epiſcopum conqueſta eſt. Numquid Alexander coram Deo conſcius eſt ſcandali ex hac repulſa orti?

Respons.

Scandali hujuſce conſcius non eſt Alexander, qui tum ſuo functus eſt officio: ſed illius cauſſam in ſe convertere debet Leocadia; ut docet S. Carolus Borromæus (*h*), quæ mulieres aut puellas ad Communionem nudo pectore, aut vultu pigmentis aliiſve mundanis notis diſtincto admitti prohibet; ſed ab iis ſinceræ pietatis ſenſus, totumque corporis habitum ad Chriſtianam humilitatem compoſitum exigit, ut Chriſti Domini humilitatem ſequantur, qua ſe ipſam ſub vilibus ſpeciebus abſcondere dignatus eſt. En verba ſancti Cardinalis. *Hæc Parochus præmonebit, & curabit, ut ſumma reverentia fideles accedant & ſumant .... mulieres .... non fuco aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, ſed ita veſtitæ, ut ne præter faciem quidquam cernatur, &c.* Et alibi (*i*): *Mulieres quælibet cujuſcumque ſtatus aut conditionis ſint, ad ſanctam Communionem non accedant cum fuco, pigmentis, &c.*

(*h*) S. Carol. Act. Eccl. Mediolan. part. 4. Inſtruct. de Sacram. Euchariſt. de præpar. corporis. tom. 1. p. 421. & ſeq.

(*i*) Idem ibid. Inſtruct. de Sacram. commun. p. 612.

CASUS V.

Vigilius, poſt accuratum conſcientiæ ſuæ examen, in confeſſione de peccato mortali ex oblivione non ſe ipſum accuſavit; cujus paullo ante Communionem tantum recordatus eſt. Num licite potuit non iterata confeſſione ad ſacram Communionem accedere?

Ratio dubitandi eſt, quia ex Concilio œcumenico Lateranenſi an. 1215. ſub Innocentio III. omnia, ſaltem mortalia quæ ſunt cognita, in confeſſione ſunt declaranda; & nihilominus certum eſt ex Concilio Tridentino, omnia peccata quorum quis cognitionem non habet, vere remitti per abſolutionem Sacerdotis.

Respons.

Regulariter, ſeu per ſe loquendo, Vigilius licite in hoc ſtatu communicare non potuit, non præmiſſa con-

confeſſione peccati, cujus oblitus eſt. Ita Sylvius 18. Maii an. 1641. ad ſimilem reſpondit difficultatem (*a*): *Pœnitens*, inquit, *qui poſt confeſſionem legitime factam, receptamque abſolutionem Sacramentalem, recordatur peccati alicujus mortalis, quod oblitus, etiam inculpabiliter, confiteri tenetur; vel non communicare, vel Communioni præmittere iſtius peccati mortalis obliti confeſſionem.*

(*a*) Fr. Sylv. reſol. var. v. Confeſſio. 6.

Diximus *regulariter loquendo*; (ut loquitur etiam idem Auctor) *Si alterutrum iſtorum facere poſſit, hoc eſt, vel non communicare, vel confeſſionem iſtius peccati præmittere abſque ſui infamia, vel aliorum ſcandalo aut offenſione.*

Huic deciſioni apprime conſentit Tridentinum Concilium (*b*). Manifeſte namque definit, Communioni præmittendam eſſe, cum fieri poteſt, omnium mortalium confeſſionem. Si igitur ſacræ nondum menſæ adeſſet Vigilius, cum peccati ſui mortalis recordatus eſt, aut ſe a Communione ſine aliorum ſcandalo abſtinere potuerit; abſque crimine eam recipere non potuit in eo, quo erat ſtatu.

(*b*) Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. Can. 11.

Nec refert, ſi quis objiciat, peccatum illius jam ipſi indirecte ex aliorum peccatorum ſuorum abſolutione ei collata fuiſſe remiſſum. Licet enim quidam Auctores exiſtiment, quod non peccaret communicans bona fide in pari caſu, non præmiſſa confeſſione peccati, cujus oblitus fuerat; ac verum ſit omiſſa in confeſſione peccata ex ignorantia invincibili aut oblivione non culpabili vere eſſe remiſſa; id tamen non ſufficit, ut quis licite poſſit communicare, quando obliti peccati mortalis recordatur: quandoquidem tunc ceſſat bona fides, & ex hoc eodem Concilio omnia mortalia Sacerdoti confiteri quis teneatur, quocumque tempore in memoriam redeant ante ſumtionem Sacramenti Euchariſtiæ. *Quando tamen recordatur alicujus peccati mortalis: quod nec dum fuerit confeſſus*, inquit idem Sylvius (*c*), *non eſt ſatis, ut habita copia confeſſoris, poſſit ſine illius confeſſione communicare. Idque propterea, quia oportet confiteri omnia peccata mortalia, quorum quis habet memoriam, quod non ſit ea confeſſus, priuſquam communicet; tum tum bona fides, tum invincibilis oblivio ceſſat in eo, qui jam recordatur, & habet copiam confeſſoris.* Suam poſtea ſententiam confirmat hic Auctor ex aliis ſeptem Auctoribus, qui ſecum ſentiunt.

(*c*) Fr. Sylv. cit. v. Confeſſio, 6.

C A S U S VI.

B a u n o, ſancti Theodati Prior, poſt factam reſignationem ſimoniacam ab ultima ſua confeſſione, ad ſanctam tamen Communionem non prius peccatum illud confeſſus acceſſit; putans ex animo eſſe tantum veniale, licet re ipſa mortale eſſet. Numquid ex eo novum admiſit peccatum; atque ex ignorantia ſua ab eo excuſatur?

R e s p o n s.

Ad ſolutionem hujuſce difficultatis duplex eſt cum Angelico Doctore (*d*) diſtinguenda ignorantia. Prior eſt ignorantia juris, qua quis ignorat aliquid eſſe peccatum, quod re ipſa eſt peccatum: *Hoc quod non habet aliquis conſcientiam ſui peccati*, inquit, *poteſt contingere dupliciter: uno modo per culpam ſuam; vel quia per ignorantiam juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum, quod eſt peccatum; puta ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale; vel quia negligens eſt in examine ſui ipſius contra id, quod Apoſtolus dicit, 1. ad Cor. XI.* Probet autem ſe ipſum homo; & ſic de pane illo edat & de Calice bibat. *Et ſic nihilominus peccat peccator ſumens Corpus Chriſti: licet non habeat conſcientiam peccati, quia ignorantia eſt ipſi peccatum.*

(*d*) S. Th. 3. p. q. 80. art. 4. ad 5.

Altera eſt ignorantia facti, puta ſi maritus exiſtimaret ſe eſſe cum propria muliere; cum tamen ſit cum aliena; atque hæc ignorantia excuſat a peccato. *Alio modo*, addit S. Thomas, *poteſt contingere ſine culpa ipſius, puta cum doleat de peccato, ſed non eſt ſufficienter contritus: & in tali caſu non peccat, ſumendo Corpus Chriſti, quia homo per certitudinem ſcire non poteſt, utrum ſit vere contritus. Sufficit enim ſi in ſe ſigna contritionis inveniat; puta ſi doleat de præteritis & proponat cavere de futuris. Si vero ignorat hoc, quod fecit, eſſe actum peccati propter ignorantiam facti, quæ excuſat: puta ſi acceſſit ad non ſuam, quam credebat eſſe ſuam, non eſt ex hoc dicendus peccator.*

Præſuppoſita illa diſtinctione, colligendum, quod cum Bruno ſimoniam putarit peccatum eſſe veniale, non ex ignorantia facti, ſed ex ignorantia vincibili juris, qua proinde coram Deo fiebat reus; certum eſt, illum novum admiſiſſe peccatum Corpus Chriſti ſumendo, non iterum præmiſſa illius ſimoniæ confeſſione.

C A S U S VII.

J o s s e l i n u s, facta diligenti conſcientiæ ſuæ diſcuſſione, peccati a ſe commiſſi in confeſſione oblitus eſt, atque ita Euchariſtiam ſumſit. Numquid ei per Communionem tale peccatum remiſſum eſt: an vero Chriſti Corpus ſumendo novum admiſit peccatum?

R e s p o n s.

Huic difficultati reſpondet S. Thomas, duo ſupponens principia. Primum: quod quæcumque fiat conſcientiæ ſuæ diſquiſitio, quin tamen in memoriam redeat commiſſum peccatum; non tamen ex eo quis ſit certus, quod ſit in gratia, juxta hæc Apoſtoli verba: (*e*) *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Alterum, quod de eo tamen aliqua poteſt haberi conjectura. 1. Cum verbum divinum devote auditur, juxta hæc verba Chriſti Domini apud Joannem (*f*): *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* 2. Cum ad bonorum operum praxim ſe quis impulſum ſentit; quia, ut ait S. Gregorius Magnus: (*g*) *Probatio .... dilectionis, exhibitio eſt operis.* 3. cum de peccatis ſuis eſt vere contritus. 4. Cum ea non deinceps ſe commiſſurum firmiter proponit: quia ex eodem Sancto in duabus iſtis ultimis diſpoſitionibus ſita eſt vera pœnitentia.

(*e*) 1. Cor. 4. 4.

(*f*) Jo. 8. 47.

(*g*) S. Greg. Papa. Hom. 30. in Evang.

His præſuppoſitis principiis ita concludit Doctor Angelicus (*h*): *Unde ſi aliquis per hujuſmodi ſigna, facta diligenti diſcuſſione ſuæ conſcientiæ, quamvis forte non ſufficienti, ad Corpus Chriſti devote accedat, aliquo peccato mortali in ſe manente, quod ejus cognitionem præterfugiat, non peccat, immo magis ex vi Sacramenti remiſſionem conſequitur. Unde Auguſtinus dicit in quodam ſermone, quod, quando Corpus Chriſti manducatur, vivificat mortuos.* Hincque facile concludi poteſt, quod ſi quatuor prædictas diſpoſitiones ante Communionem habuerit Joſſelinus, non ſolum peccavit Chriſti Corpus ſumendo: ſed contra oblitum peccatum vi hujus Sacramenti ipſi remiſſum eſt.

(*h*) S. Th. in 4. diſt. 9. q. 1. art. 3. qu. 2. in corp.

C A S U S VII.

E u p h e m i a, puella inſigni pietate conſpicua, jam dudum prorſus inſolita infirmitate laborat: ſingulis ferme diebus animi defectionibus ſic oppugnata, ut in ultimis eſſe videatur, quas quidem devitare nequit, niſi paullulum aquæ, ubi incipiunt, ſorbendo. Quocirca, cum hæc ei poſt mediam noctem infirmitas adveniat, hoc ipſi neceſſarium eſt remedium, quo ſumto divinis poteſt per diem intereſſe officiis. Qua de re quæritur, utrum ob hanc neceſſariam aquæ ſorbitionem a Communione arceri debeat; quandoquidem, ſi rigoroſe pro ea Eccleſiaſticum ſervetur præceptum de jejuno ante Communionem, annos etiam integros ſine Communione eam tranſigere eſſet neceſſe: quod ejuſdem Eccleſiæ alteri præcepto oppoſitum, quo videlicet annua Communio ſingulis fidelibus jubetur: cum aliunde aqua non ſit nutritiva.

R e s p o n s.

Inclytus Theologus, cui exeunte ſæculo elapſo propoſita eſt hæc difficultas de mandato Galliæ Archiepiſcopi; factum prius, quod omnino inſolitum videtur, ac vix fide dignum perpendit. Etenim: 1. Si paullulum aquæ poſt mediam noctem ſorptum, puellam hanc ab his defectionibus eximit: cur ante mediam noctem aqua illa ſumta non pariter eximeret? quod ſi eam poſſint illæ aquæ guttulæ ſervare ante mediam noctem: cur non aſſumit? 2. Hæ defectiones animæ procul dubio ejuſdem ſunt naturæ, atque aliæ, quæ mulieribus ſolent evenire: atque iis aliud poteſt adhiberi remedium, quam aliquid deglutiendo; nec veriſimile eſt, aquæ guttulas quaſdam unicam eſſe huic malo medicinam, cum aliæ ſimplices, ut experientia conſtat, in ſimi-

Digitized by Google

ſimili caſu adhibeantur cum fructu, 3. Denique poſito, quod ex peritiſſimorum Medicorum ſententia, unico illo remedio a mortis periculo, ſingulis diebus ex hac infirmitate imminentis, poſſit liberari: poſito etiam quod caſus ille ſingulis vitæ ſuæ diebus eveniat: juxta mentem hujuſce Theologi, Paſchali tempore ad Communionem poſſet admitti: quia tum communicaret per modum Viatici.

His obſervatis, addit ille Theologus præceptum Eccleſiæ de Communione ante ſumtionem cibi aut potus eſſe legem Apoſtolicam, ipſi Eccleſiæ coævam, & a Spiritu ſancto inſtitutam ad cultum adorandi Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti. *Liquido apparet*, inquit S. Auguſtinus ſcribens ad Januarium (a), *quando primum acceperunt Diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* Tum ſubjungit S. Doctor: *Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam, ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper ſumeretur; credo, quod eum morem nemo variaſſet.* Atqui Paſtor ſpecialis non debet diſpenſare a lege univerſim in Eccleſia recepta. 1. Cum ſemper viguit. 2. Cum Apoſtolos habet inſtitutores, 3. Cum eo ſtatuta eſt, ut major Chriſto redderetur honor. Unde ab hac lege numquam diſpenſavit Eccleſia, eamque uti inviolabilem ſemper habuit.

(a) S. Aug. Epiſt. 54. alias 118. n. 7. & 8. in Can. Liquido 54. de conſecrat. diſt. 2.

Equidem in quatuor caſibus licet communicare non jejunos, ſed non ex diſpenſatione eccleſiaſtica, verum ex præcepto divino. 1. Enim Sacerdos in ſubita hoſtium incurſione conſecratas hoſtias ad vitandam profanationem ſumere poteſt, non jejunus: idque ex præcepto divino facere tenetur. 2. Si Sacerdos, vinum conſecrare exiſtimans, aquam ſolam conſecraſſet, eamque ſumſiſſet, tum licet non jejunus, de novo conſecrare teneretur poſt agnitum errorem: quia ad jus divinum etiam pertinet, ut non imperfectum maneat Sacrificium, 3. Si ægro immineat mortis periculum, debet communicare non jejunus: quia ex præcepto divino, quod cuilibet alteri prævalere debet, Viaticum ſumere obligatur, 4. Denique ſi anima deficeret Sacerdos celebrans, aut ſubito moreretur poſt conſecrationem, alter Sacerdos, deficiente jejuno, ſacrum perficere poteſt & communicare non jejunus: quia etiam ex præcepto divino imperfectum remanere non debet ſacrificium, Extra quatuor illos caſus, de quibus dicetur, dum de Miſſa fiet ſermo, & ad quos non extenditur Apoſtolicum præceptum de Communione ante ſumtionem cujuslibet cibi aut potus; nullus reperitur, in quo Lex illa poſſit infringi.

Unde colligendum, Euphemiam ad ſacram Communionem non eſſe admittendam, etiam Paſchali tempore, niſi de vita periclitaretur, cum ceſſet eſſe jejuna poſt hauſtas aquæ guttulas, ſeu *per modum cibi*, ſeu *per modum medicinæ*; neque iis ſumtis ad ſacram Communionem accedere queat, niſi univerſalis Eccleſiæ præceptum infringendo, cum ad eam ex præcepto divino non tenetur, ut tempore morbi. Suam ergo infirmitatem conſideret Euphemia, quaſi probationem divinam, humilitatiſque propriæ exercitium, cum, ita volente Deo, divini non poſſit eſſe particeps per aliquod tempus Corporis Chriſti; ac ſperare debet, pietati ac fervori ſuum fore præmium a ſuprema bonitate Chriſti, qui eumdem gratiis ſuis in ſe producet effectum, ac ſi præſens ipſe adeſſet (b).

(b) De Ste. Beuve. tom. 2. caſ. 87.

Hæc deciſio perfecte conformis eſt doctrinæ ſancti Thomæ (c), qui hactenus dicta probat ex allato S. Auguſtini teſtimonio, aliiſque rationibus plurimis, quæ legi poſſunt in reſponſionibus ad ſex objectiones, quas ipſe ſibi propoſuerat ad elucidandam rem iſtam, firmiuſque diſciplinam hanc ſtabiliendam. S. Thomam ſequitur S. Antoninus, fultus Canone ſeptimi Concilii Toletani (d), atque auctoritate multorum antiquorum Theologorum & Caniſtarum, quales ſunt Paludanus, Hoſtienſis, & ut omnem tollat ambigendi locum ſanctus hic Archiepiſcopus addit: *Et intelligitur hoc, quod ſit jejunus jejunio naturæ, quo dicitur jejunus, qui poſt mediam noctem nihil ſumſit adhuc cibi & potus .... & non ſufficit, quod ſit jejunus jejunio Eccleſiæ.* Doctrinam S. Thomæ ad verbum ſequitur Sylvius ejus Commentator.

(c) S. Thom. 3. part. Sum. q. 8. art. 6. in corp. & reſp. ad ſec. argum. & id. Sylvius.

(d) S. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 8. & apud eum Conc. Tolet. 7. in Can. Nihil. ib. 7. q. Paludan. in 4. diſt. 9. q. 2. Hoſtienſis &c.

CASUS IX.

Salaberga, mulier devota, ut tuſſis acrimoniam leniret, die ſabbati ad horam undecimam ſero ori ſaccarum impoſuit, quo nondum liquefacto ſomnus eam corripuit. Num poſtridie communicare potuit?

Videtur, quod potuit; uti poſſet, etſi mane *per modum ſalivæ* reliquias cibi heſterni dentibus hærentes deglutiſſet. Ex alia parte videtur, quod non poſſit; cum veriſimile non ſit, eam ante mediam noctem ſumtum ſaccarum deglutiiſſe, atque adeo non eſſe jejunam?

Respons.

Mulier illa in caſu propoſito communicare non potuit. Ita Cabaſſutius (e); qui poſtquam aſſeruit, reliquias cibi heſterni in ore remanente, ſi caſu & per modum ſalivæ deglutiantur, non impedire communionem, ſubdit: *Secus exiſtimandum eſt de iis, qui, ut faucium raucedinem, aut pectoris tuſſim, aut deſluentium ex cerebro humorum acrimoniam leniant, ori imponant ſaccarum, aliamve materiam, quam paullatim deglutiunt. His enim non licet poſtridie communicare; niſi certum habeant, omnem illam electuarii ſubſtantiam fuiſſe in ſtomachum trajectam ante mediam noctem.*

(e) Joan. Cabaſſut. Theor. & Prax. Juris Can. l. 3. c. 5. n. 8.

Similitudo, quæ affertur ad probandum Salabergam ad communionem poſſe accedere, non valet. *In hoc enim differunt*, inquit idem Auctor, *quod illæ reliquiæ cibi non intendantur, tamquam nova refectio, ſed fortuito hæſerunt, & poſt completam quæ receſſit, refectionem trajectæ ſunt. At vero electuarium ſponte ſumitur, tamquam refectio, vel tamquam medicina, cujus in ſtomachum trajectio ex intentione ſumentis vel perduravit, vel perduraſſe dubitatur ultra mediam noctem.*

CASUS X.

Julianus, in ampliſſima familia coquus, obſonia mane, cum vult communicare, uti Edmundus architriclinus vina, iiſdem diebus deguſtare aliquando tenetur. Num cenſentur eſſe jejuni, ita ut ad communionem poſſint accedere?

Respons.

Simili difficultati, quam ſibi proponit S. Antoninus (f) poſt Paludanum, reſpondet dicens: *De his etiam, quæ ſumantur per modum guſtationis, ſicut tabernarii & coqui faciunt, qui cibum & potum ſupra linguam ponunt ſolum ad probandum, & ſtatim projiciunt, videtur quod non impediat* (communionem:) *ſicut ſi quis velit probare, utrum ſit aqua, vel vinum album, quod ſibi miniſtratur.* Cujus rei hanc profert rationem, *quia non eſt cibus, nec potus, ex quo non deglutitur; nec per ſe, nec per accidens poteſt nutrire. Ex decentia tamen*, ſubjungit, *debet quis a talibus abſtinere, qui vult communicare.*

(f) S. Ant. 3. part. Sum. Theol. tit. 13. c. 6. §. 8.

Idem docet Sylvius (g); *Idem judicium eſto*, inquit, *de vino vel condimento, quod ad percipiendum ſaporem guſtatur, & ſtatim exſpuitur: quamvis enim contingat, aliquid ejus permixtum ſalivæ cum ea deglutiri, non ſolvit jejunium.*

(g) Fr. Sylvius. in 3. part. Sum. S. Thom. q. 80. art. 8.

CASUS XI.

Ignatius, vir pietate inſignis, qui ſanus ſingulis Dominicis feſtiſque diebus communicare ſolebat; a duobus menſibus ægrotans, accepto jam a prima valetudinis ſuæ hebdomada Viatico, enixe Parochum ſuum rogavit, ut communionem ſingulis ad minimum Dominicis ſibi concederet: quod non opportunum ducens Parochus, ipſum de Dominica in Dominicam remiſit; verum timens, ne hæc procraſtinatio Communionis ſit mala, quærit, utrum eam ſingulis Dominicis deinceps concedere poſſit per totum valetudinis ejus tempus, quæ diuturna eſſe futura videtur.

Respons.

Parochus ille Ignatio a duobus menſibus ægrotanti

Digitized by Google

tanti communionem iterum debet adminiſtrare, eamque reliquo ægritudinis ejus, licet non periculoſæ, tempore ſingulis Dominicis poteſt concedere; modo tamen Ignatius ſit jejunus: quam conditionem, uti neceſſariam addimus ex his Ritualis Romani verbis: *Poteſt quidem Viaticum, brevi morituris dari non jejunis: ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in ægritudine communicant, danda eſt Euchariſtia ante omnem cibum & potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid ſumere licet.*

Hæc deciſio conformis eſt ſtatutis multarum Diœceſeon, ex quibus licet alternis octo aut decem diebus ægrum communicare, qui ſanctum jam accepit Viaticum. Quod etiam probavit S. Carolus in quarto ſuo Mediolanenſi Concilio an. 1576. cujus hæc ſunt verba (*a*): *Ægrotantibus, etiam ſine mortis periculo, ſacræ Euchariſtiæ frequentius ſumendæ flagrantibus, præſertim, qui dum integra valetudine ſunt, frequenti Sacramentorum uſu ſe religioſe ſalubriterque paſcunt, ne Parochus, quantum per alias neceſſarias Parochiali muneri occupationes ſibi licet, ſpiritualem illam conſolationem, ſalutareque adjumentum, religioſa præparatione adhibita deneget.*

(*a*) Concil. Mediolanenſ. 4. part. 2. tit. Quæ ad ſanctiſ. Euchariſtiæ Sacramentum pertinent.

Si periculoſe ægrotet Ignatius, nec jejunus communicare poſſit, in eo quoque caſu ſpirituali eum conſolatione ac potenti adjumento privare non debet, ſervato tamen temporis intervallo, quod ex Rituali ſtatutove Epiſcopi præſcribitur. Ita Toletus his verbis (*b*): *Infirmis per modum Viatici poteſt conferri etiam non jejunis: & in eadem infirmitate poteſt ſæpe conferri non jejunis: ſi per aliquot dies pericula mortis evadant, ſaltem per octo poſt præcedens Viaticum.* Eamdem opinionem tuetur Nugno (*c*), in eo etiam caſu, in quo ægrotans in eodem ſtatu permanet, & abſque novo mortis periculo, his nitens rationibus: *quia tunc inſurgunt vehementes tentationes*, inquit hic Auctor, *& eſt extrema neceſſitas perſeverandi in gratia Dei. Cum igitur hoc Sacramentum detur ad perſeverandum, non debet denegari in illo tempore, etiamſi infirmus propter neceſſitatem non poſſit accedere jejunus.* Ita etiam Graffius (*d*).

(*b*) Fr. Tolet. Inſtruct. Sacerd. l. 6. c. 3.

(*c*) Didacus Nugno in 3. part. Sum. S. Thomæ. q. 80. art. 8.

(*d*) Jacobus Graffius decif. aur. l. 2. c. 10. n. 32.

Toleto aſſentitur Sylvius (*e*), & dicit, quod ſi durat morbus abſque ullo mortis periculo, tum ægrotans communicari non poteſt, niſi jejunus; *cum autem*, ſubjungit, *iſtud periculum durat: vel poſtquam ceſſavit, denuo redit, debet aliquot dierum, ſeptem vel octo ſcilicet, eſſe intervallum, ut pluries communicare poſſit poſt ſolutionem jejunii.* Idem quoque docet Ylambertus pro ægroto de vita periclitante (*f*): *Immo & poteſt*, inquit, *ſæpius id fieri, ſi hoc periculum perſeveret:* iſtam addens rationem, *quia ejus præſidio indiget; quatenus eadem perſeverat neceſſitas, eadem exſtat tentatio & periculum peccatorum, immo & ipſius mortis.* Octo quoque dierum, ut ceteri auctores, intervallum inter communiones requirit, *quolibet octavo aut ſimili die.*

(*e*) Fr. Sylvius, in eamdem q. 80. art. 2.

(*f*) Ylambert. in eamdem q. 80. cit. art. 8. diſp. 4. art. 2.

Ad confirmationem hujuſce deciſionis hæc addi poſſunt verba Pariſienſis Ritualis an. 1647. (*g*): *Pro Viatico autem & non jejuno miniſtrabit* (Parochus) *cum in mortis periculo gravi ægrotus erit. Quod ſi per aliquod tempus in eodem periculo remaneat, vel poſtquam periculum mortis evaſerit, denuo in illud incidat, & ſacrum Viaticum devote petat; annuet & ipſi Parochus, dummodo ſaltem dies decem, ab altera Viatici ſumtione interceſſerint.* Idem ſtatuit novum Pariſienſe Rituale an. 1697. Eminentiſs. Cardinalis de Noailles juſſu editum; Rituale Catalaunenſe pag. 148. (*h*) & Andegavenſe (*i*).

(*g*) Ritual. Pariſienſ. an. 1647. pag. 214. tit. de Com. infirmorum.

(*h*) De Sto-Beave tom. 1. caſ. 60. & tom. 2. caſ. 4.

(*i*) Ritual. Andegavenſ. tit. de Commun. infirmorum. §. *Sed ſi judicetur.*

CASUS XII.

Numquid, ſaltem venialiter peccavit Gorgonius, qui, cum in Miſſa ad ſacram Communionem acceſſiſſet, data benedictione, ad jentaculum ſtatim perrexit?

Respons.

Nullo præcepto vetatur ciborum uſus ſtatim poſt Communionem: unde dici nequit, in tali uſu eſſe peccatum, præſertim, ſi quædam adſit neceſſitas, ut reſpectu infirmi, vel viatoris ad iter expediti, aut illius qui negotio urgenti vacare tenetur. Quoddam tamen temporis intervallum ad gratiarum actionem debita poſtulat Chriſto reverentia. Hac de re ſic loquitur S. Thoma (*K*): *Oportet eſſe aliquod intervallum inter ſumtionem Euchariſtiæ & aliorum ciborum; ſed quia non requiritur magnum intervallum, & quod parum deeſt, nihil deeſſe videtur: ut dicitur in 2. Phyſicorum, ideo poſſumus in hoc ſenſu concedere, quod ſtatim poteſt quis cibos alios ſumere poſt Euchariſtiæ ſumtionem.* Hinc ſequitur, Gorgonium in caſu propoſito de peccato non eſſe damnandum.

(*k*) S. Th. in 4. diſt. 8. q. 1. art. 4. quæſt. 3. Et 3. p. q. 80. art. 8. ad 6.

Intereſt heic obſervare poſt Panormitanum, Paludanum & Silveſtrum qui eos laudat (*l*), antiquum Canonem in Decreto Gratiani relatum (*m*), quo prohibetur, ne qui ſacrum Chriſti corpus accepere, non niſi poſt multas horas manducent, ex contraria conſuetudine tamquam abrogatum eſſe cenſendum: quod etiam obſervat Sylvius (*n*). Confirmari poteſt hæc deciſio ex eo quod legitimus in Regula S. Benedicti (*o*), qui lectori in Refectorio ante lectionem ſtatim a Communione potum permittit. En Regulæ verba: *Frater autem* (Lector) *hebdomadarius accipiat mixtum, priuſquam incipiat legere, propter Communionem ſanctam, & ne forte grave ſit ei jejunium.* Denique D. Thomæ aſſentitur S. Antoninus duas iſtas addens rationes (*p*): *tum quia & ſpecies Sacramenti cito alterantur: tum quia magis requiritur præparatio & actualis devotio ante ſumtionem, quam poſt.* Et advertit Canonem *Tribus*, quem Gratianus S. Clementi (*q*) adſcribit, uſu contrario obſoleviſſe.

(*l*) Silveſt. de Prierio. v. *Euchariſtia.* 3. q. 7.

(*m*) Can. *Tribus*, 23. de conſecrat. diſt. 2.

(*n*) Sylv. in 3. part. art. 8.

(*o*) Reg. ſancti Benedicti. c. 38.

(*p*) S. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 9.

CASUS XIII.

Gildardus, S. Andreæ Parochus, poſt auditam Antonii Confeſſionem, cui abſolutionem denegavit, quod proximam peccati occaſionem nollet deſerere; Communionem ei temere paullo poſt requirenti ſimiliter recuſavit; qua de re quæritur, utrum in hoc ſuo functus fuerit officio; an vero tali Communionis repulſa peccaverit, qua nimirum Confeſſionis ſigillum, indirecte ſaltem violaſſe videtur?

(*q*) Canon. *Tribus*, 23. §. de Conſecrat. diſt. 2.

Respons.

Ut huic difficultati ſatisfiat, diſtinctione opus eſt: Nam Antonii peccatum vel eſt manifeſtum, vel occultum: ſi ſit manifeſtum, ſeu evidentia facti omnibus cogniti; ſeu ex publica Antonii confeſſione, ex qua etiam infamiam contraxit, ſeu denique ex ſententia juridica qua reus declaratus eſt; Parochus ei Communionem petenti ſive publice, ſive occulte denegare debet, ut docet S. Thomas (*r*) his verbis: *Si vero peccatum eſt manifeſtum, debet ei denegari* (Euchariſtia) *ſive in occulto, ſive in manifeſto petat.*

(*r*) S. Th. in 4. diſt. 9. q. un. art. 5. quæſt. 1. in corp.

Si Antonii peccatum ſit occultum, denuo diſtinguendum: Nam Communionem, vel ſecreto vel publice rogavit: ſi publice, eam recuſare tuta conſcientia non potuit Curatus ex eodem Doctore Angelico: *Si autem in manifeſto petit, debet ei dare:* quod probat ex quatuor iſtis rationibus. *Primo, quia pro peccato occulto pœnam inferret publicam, revelator eſt Confeſſionis, aut proditor criminis. 2. Quia quilibet Chriſtianus habet jus in perceptione Euchariſtiæ, niſi illud per peccatum mortalem amittat. Unde cum in facie Eccleſiæ non conſtet iſtum amiſiſſe jus ſuum,* (peccato nimirum publice cognito) *non oportet ei in facie Eccleſiæ denegari.* Tum ſubdit ſanctus Doctor: *Alias daretur facultas malis Sacerdotibus pro ſuo libito punire maxima pœna quos vellent. 3. Propter incertitudinem ſtatus ſumentis: quia ſpiritus ubi vult ſpirat, Joan. III. unde ſubito poteſt eſſe compunctus, & divinitus a peccato purgatus, & divina inſpiratione ad Sacramentum accedere. 4. Quia eſſet ſcandalum, ſi denegaretur.* De hujuſmodi peccatoribus loquitur Canon, quem ex S. Auguſtini (*ſ*) operibus depromſit Gratianus, ut obſervat Gloſſa.

(*ſ*) S. Aug. in Pſalm. 48. ſerm. 1. n. 3. & tract. 6. & 12. in Joan. in Can. *Non prohibeat*. 67. de Conſecrat. diſt. 2.

Denique ſi Antonius, cujus peccatum eſt occultum, ſecreto a Gildardo ſanctam Communionem requirat, eam poteſt ei denegare juxta opinionem S. Thomæ loco citato. *Si Sacerdos ſciat peccatum alicujus, qui Euchariſtiam petit, per confeſſionem vel quolibet alio modo; diſtinguendum eſt; quia aut peccatum eſt occultum, aut manifeſtum. Si eſt occultum, aut exigit in occulto, aut in manifeſto. Si in occulto; debet ei denegare, & monere, ne in publico petat.* Verum hanc Doctoris Angelici opinionem impugnant alii Theologi, qui contendunt

Communionem ei non eſſe denegandam, licet ſecreto petenti, cui peccati occulti abſolutio modo denegata eſt. Et quidem de eadem re ſcribens poſtea ſanctus Doctor (*a*), non in eadem perſeveravit opinione quam in Commentario ſuo in Magiſtrum Sententiarum amplexus fuerat; ut ex eo conjici poteſt, quod data occaſione eam non aſſeruit, ſed prætermiſit, ut obſervat Dominicus Soto (*b*), in ſua Summa Theologica, quæ ultimum eſt & accuratiſſimum omnium opus illius. Quare ſentit doctus ille Theologus Communionem ei qui modo de peccato occulto non fuit abſolutus, licet ſecreto petenti non poſſe denegari: quia neque verbo, neque facto, directe aut indirecte umquam Confeſſionis ſigillum licet infringere: quod tamen in hoc caſu præſtaret ille Confeſſarius, indignitatem illius peccatori huic exprobrando, denegata ei Communione.

(*a*) S. Th. 3. part. Sum. Theol. q. 80. art. 6.

(*b*) Dom. Soto in 4. diſt. 12. q. 1. art. 6.

Sententiam hanc ſequuntur Gabriel Biel (*c*), S. Antoninus, Paludanus (*d*) & Navarra (*e*); quibuſcum pariter ſentit Cabaſſutius his verbis (*f*): *Sacerdos enim negando Communionem, directe commemoraret atque exprobraret auditum in confeſſione illius peccatum; quod eſt penitus divino jure, eoque duplici, nimirum naturali & poſitivo, illicitum.* Hanc igitur Parochus de quo in caſu fit mentio, in praxi ſequatur ſententiam; quæ nobis adeo videtur eſſe vera, ut, licet gravius ſit peccatum indigne communicantis, quam Confeſſarii communionem, etiam publice, denegantis; eam tamen denegare non poteſt ille Confeſſarius; quia, ut docet S. Thomas (*g*): *Nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato*: quod probat Angelicus Doctor ea reſponſione ad hanc quam ſibi proponit, quæſtionem S. Auguſtinus (*h*): *Utrum admittenda ſit compenſatio flagitiorum, vel quorumcumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat, quæritur*; tumque reſpondet: *Periculoſiſſime admittitur hæc compenſatio, ut faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat.*

(*c*) Gabriel Biel. in 4. diſt. 9. q. 2. art. 3. dub. 1.

(*d*) S. Antonin. 3. part. Sum. tit. 14. c. 12. §. 1. & apud eum S. Aug. in Can. *Non prohibeat*. 67. de conſecrat. diſt. 2. Petrus Paludanus. ibid. q. 2. concluſ. 3.

(*e*) Navar. Manual. c. 21. n. 55.

(*f*) Joan. Cabaſſ. Juris Can. Theor. & Prax. l. 2. c. 7. n. 4. & 5.

(*g*) S. Th. 3. part. Sum. q. 80. art. 6. ad 2.

(*h*) S. Aug. q. 42. in Geneſim.

Advertendum tamen, ex communi omnium Theologorum ſententia, quod ſi Confeſſarius ille aliunde, quam ea Confeſſione pœnitentis delictum certo cognoſceret; in eo caſu tantum ipſi Communionem denegare poſſet, quam privatim poſceret; ipſi viam eaternam detegendo, qua peccatum illius ſibi fuiſſet cognitum.

CASUS XIV.

Humbertum, hominem viduum & prædivitem Parœciæ S. Lupi mercatorem, cujus famula ex concubitu ſuo domi ſuæ prolem parturiit; Leufridus Parochus ejus vehementioribus verbis hortatus eſt, ut a domo ſua famulam hanc ejiceret, ut ea ratione publicum libidinis ſuæ ſcandalum redimeret; atque hominis illius promiſſis ſæpe ſæpius iteratis confidens Leufridus ipſum famulamque illius ad Communionem Paſchalem duobus annis conſequentibus nimia facilitate admiſit. Verum advertens hic Parochus augeri ſcandalum, eos uno ante Paſchalia feſta menſe admonuit, ut niſi a ſe invicem diſcederent, Paſchalem illis Communionem, ſi forte temere peterent etiam publice denegaret: atque præmiſſis a ſe tribus canonicis monitionibus, Humbertum jure perſequeretur, ut cenſuris Eccleſiaſticis puniretur, ac ſcandali ſui, etiam de præſenti ea libidine perſeverantis pœnam lueret. Cui retulit Humbertus, quod cum eo acceptæ hujuſce injuriæ coram Judice ſæculari ageret; quia ipſum jam nec non Lucillam ab ejus partu multoties ad Communionem Paſchalem admiſerit; nec probare poterat, priſtinæ cum ea libidinis ſuæ curſum non fuiſſe interruptum. Qua de re duo quæruntur. 1. Utrum Parochus ille tres has monitiones canonicas Humberto & Lucillæ facere queat, ut poſtea contra eos coram Officiali litem inſtruat. 2. Utrum publice Paſchalem Communionem denegare poſſit, ſi re ipſa exſiſtat ſcandalum?

Respons.

Leufridus ante obtentam juridicam ſententiam qua de crimine concubitus convictus declaretur Humbertus, eum tribus urgere jure non poteſt canonicis monitionibus. Ratio eſt, quia juxta Gallıæ juriſprudentiam, nulla admittitur publica notorietas, niſi quæ ex publico in reum judicio procedit; atque adeo, ſi Parochus ille propria auctoritate tres illas monitiones canonicas præmitteret; ab his coram hominibus appellationem tamquam ab abuſu interjicere poſſet Humbertus; ex qua lite caderet Leufridus, ſi monitiones ante ſententiam declaratoriam egiſſet. Omiſſis itaque monitionibus illis Epiſcopum ſuum conſulere debet ille Parochus; factoque ſincere expoſito mandata ejus exſpectare & exſequi. Unde colligendum, quod juxta externi fori regulas, Leufridus etiam duobus iſtis Communionem Paſchalem publice denegare non poteſt, ante latam a judice ſententiam ſecundum formam, hoc eſt, poſt factas inquiſitiones, qua concubitus conſcii declarentur. At ſi certum ſit & abſolute publicum ſcandalum, ita ut nullatenus excuſari poſſit illorum libido; exiſtimamus, Parochum in foro conſcientiæ poſſe & debere Communionem Paſchalem ipſi denegare; præſertim poſt accepta Epiſcopi ſui mandata.

Ceterum obſervandum, licet Leufridus Humberto emendationem ſuam extra Confeſſionem aſſeveranti credere non teneatur, eum tamen teneri in foro pœnitentiæ; quia, ut ait D. Thomas (*i*): *In foro judiciali creditur homini contra ſe, ſed non pro ſe: in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro ſe & contra ſe.* Et quamvis ei credere non teneretur, ſi eſſet impedimentum pertinens ad forum externum, qualis eſt excommunicatio; extra hunc caſum tamen teneretur; nec niſi injuſte agendo, Communionem ipſi poſſet denegare, ut docet idem ſanctus Doctor his verbis: *Si enim ſit impedimentum ad forum judiciale pertinens, puta excommunicatio; non tenetur Sacerdos ſuo ſubdito credere, quem excommunicatum novit, niſi ſibi de abſolutione conſtet. Si autem ſit impedimentum quod ad forum pœnitentiæ pertineat, ſcilicet peccatum; tenetur ei credere, & injuſte agit, ſi denegat Eucharistiam ei, qui perhibet ſe confeſſum & abſolutum ab eo, qui abſolvere potuit* (*K*). Attamen, quamvis hic Parochus Humberto credere in foro pœnitentiæ teneatur; hinc non fit, ut ei abſolutionem non debeat denegare; cum etiamnum, ut ſupponitur, exſiſtat ſcandalum. Et quidem male egit, ipſi ſtatim abſolutionem concedendo, eumque & famulam ad Communionem Paſchalem admittendo, ſeu propter ortum ea eorum libidine ſcandalum, ſeu ob proximam in qua actu verſabantur, peccati occaſionem.

(*i*) S. Th. quodlib. 1. q. 6. art. 12.

(*k*) De Ste. Beuve tom. 3. caſ. 30.

CASUS XV.

Eualus, S. Carilephi Parochus, certus de actuali concubinatu Franciſci, ex hypocriſi tantum Communionem requirentis, poſtulat, utrum ad vitandam corporis & ſanguinis Chriſti profanationem, homini huic Hoſtiam non conſecratam pro conſecrata porrigere nequeat?

Respons.

Certum eſt, Parochum hunc abſque crimine Hoſtiam non ſacratam pro ſacrata huic homini non poſſe ſubminiſtrare; ut docet ſanctus Thomas (*l*): *Hoſtia tamen non ſacrata*, inquit, *nullo modo debet dari loco conſecratæ*. Cujus rei hanc affert rationem: *quia Sacerdos hoc faciens, quantum in ſe eſt, facit idololatrare illos, qui credunt eſſe Hoſtiem conſecratam, ſive alios præſentes; ſive etiam ipſum ſumentem, quia Auguſtinus dicit* (*m*): Nemo carnem Chriſti manducat, niſi prius adoret.

(*l*) S. Th. 3. part. q. 80. art. 6. ad 2.

(*m*) *Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit.* S. Aug. in Pſalm. 98. n. 9.

Aſſerit etiam alibi Angelicus Doctor (*n*), numquam licitam eſſe hujuſmodi fictionem in adminiſtratione Sacramentorum, ac præſertim in propoſito caſu. *In Sacramentis Eccleſiæ, nihil per fictionem agendum*, inquit, *& præcipue in Sacramento altaris; in quo totus Chriſtus continetur. Eſſet autem quædam fictio, ſi Hoſtia non conſecrata loco conſecratæ daretur. Et tum etiam Sacerdos, quantum in ſe eſt, populo fieret idololatrandi occaſio: quia quamvis peccatum idololatriæ non incurreret, æſtimans probabiliter hoſtiam eſſe conſecratam: tamen Sacerdos in hoc ipſo, quod hoſtiam non conſecratam populo exhiberet adorandam, idololatriæ crimen incurreret. Unde hoc in nullo caſu eſt faciendum, ut hoſtia conſecrata exhibeatur uni, vel pluribus tamquam conſecrata.* Tum illud pro Sacerdote qui

(*n*) S. Th. quodlib. 5. art. 6.

in

in caſu propoſito reperitur, conſilium addit: *Debet ergo Sacerdos peccatorem occultum primo quidem monere, ut pœnitentiam agat; & ſic ad Sacramentum accedat. Quod ſi pœnitere noluerit; debet ei occulte inhibere, ne aliis communicantibus in publico ſe immiſceat. Quod ſi ſe immiſcuerit, debet ei dare Hoſtiam conſecratam.*

Doctoris Angelici ſententiam confirmat Innocentius III. qui de re haud abſimili, hoc eſt, de Sacerdote loquens, qui mortali peccato adſtrictus ſimularet ſe conſecrare; aſſerit remedium mali; malo pejus fore, & eum gravius, quam ante, eſſe peccaturum (*a*): *Cum ergo falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt graviora periculis* (hæc ſunt ejus verba) „ licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe „ ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumſerit ſimulare: cum ille in ſolius miſericordis Dei „ manum incidat; iſte vero non ſolum Deo cui „ non veretur illudere, ſed populo quem decipit, „ ſe adſtringat (*b*).

(*a*) Innoc. III. in Cap. *De homine*. 7. de celebrat. Miſſarum & lib. 3. tit. 41.

(*b*) S. Anton. 3. part. tit. 14. c. 12. §. 3. Silveſter de Prierio v. *Euchariſtia*. 3. q. 5. § *Undecimum*. Angelus de Clavaſio, v. ead. n. 20.

CASUS XVI.

Amphilochius, cum feſto die ex devotione communicaſſet, eo ipſo die ad horas veſpertinas cum vitæ periculo ægrotans, Viaticum poſtulavit; ſed ob matutinam Communionem recuſavit Parochus. Numquid pro Parocho ſtat jus?

Respons.

Pro Parocho ſtat jus. Nam homo non debet pluries in una die communicare, inquit S. Thomas, (*c*), qui hujuſce rei duplicem affert rationem: *Ut ſaltem quantum ad unam diem, repræſentetur unitas divinæ paſſionis, & ut quantum ad aliquid, reverentia Sacramento adhibeatur, ſemel ſumendo.* Eodem modo cum S. Thoma ſentit S. Antoninus (*d*). Ob eas etiam rationes uſum plures in dies Miſſas celebrandi Eccleſia ademit, ut alibi diximus. Fatendum tamen, multos eſſe Theologos, qui contrarium ſentiunt, ut Ylambertus, quique opinionis ſuæ non contemnendas afferunt rationes; ſed præcipuam ducimus Doctoris Angelici ſententiam; cum terminis univerſalibus & abſolutis loquatur, ne quidem excepto periculoſi morbi caſu, qui evenit poſt factam eadem die Communionem.

(*c*) S. Thom. in 4. diſt. 12. q. 3. art. 1. quæſt. 4. in corp.

(*d*) S. Antonin. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 4.

CASUS XVII.

Lævius periculoſe laborans, peccatis in confeſſione accuſatis, ſanctum petiit Viaticum; ſed prius in phreneſim incidit, quam illud recipere potuerit. Numquid tamen illud ipſi in mortis periculo conſtituto ſubminiſtrare debet illius Parochus? Quid in ſimili caſu acturus eſt Parochus erga hominem, qui jam ante morbum amens factus fuerat?

Respons.

Exiſtimat ſanctus Thomas, eos ſacra Communione eſſe muniendos, qui in eo ſunt ſtatu, quo ſupponitur eſſe Lævius, modo nullum ab eis timeatur irreverentiæ periculum (*e*): *Quidam vero*, ait, *ſunt omnino carentes judicio rationis: & iſti, vel fuerunt tales a nativitate: & tunc eis non debet dari; quia non poſſunt ad devotionem induci, quæ requiritur ad hoc Sacramentum .... vel inciderunt in amentiam poſt fidem, & devotionem Sacramenti; & tunc debet eis dari*, (Euchariſtia) *niſi timeatur periculum, vel de vomitu, vel de expuitione, aut aliquo hujuſmodi.*

(*e*) S. Thom. in 4. diſt. 9. art. 5. quæſt. 3. in corp. Item 3. part. Sum. q. 80. art. 9. in corp.

Idem jam ſtatuerat Concilium quartum Carthaginienſe an. 398. (*f*) ſub Anaſtaſio habitum, & a Leone III. approbatum, in quo ſic habetur: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit; ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit; dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem; & infundatur ori ejus Euchariſtia: ſi ſupervixerit, admoneatur a ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum: & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos qui pœnitentiam dedit, probaverit.*

(*f*) Concil. Carth. 4. c. 76. in Can. *Is qui*. 8. 26. q. 6.

Tandem Parochis idem jubet S. Carolus Borromæus, eodem, quod retulimus, Decreto nixus (*g*): *Amentibus præterea hoc Sacramentum non miniſtrabit* (Parochus), inquit hic S. Archiepiſcopus; *quamvis, ſi antequam in inſaniam inciderint, piam & religioſam animi voluntatem præ ſe tulerint, licebit in ſine vitæ, ex Decreto Concilii Carthaginienſis, modo vomitionis, aut alterius indignitatis & incommodi periculum non ſit.*

(*g*) S. Carolus Bort. Act. Eccl. Mediolanens. part. 4. Inſtruct. de Sacram. Euchar. iit. *Qui ad communionem admittendi.*

CASUS XVIII.

Gregorius, S. Savini Parochus, Parochianis ſuis peſte affectis Viaticum deferens, Hoſtiam ſacram Corporali involutam præ foribus ægri peſte contacti deponit, ubi eam æger accipit. Quæritur, utrum Parochus ille ſic Euchariſtiam ægrotis illis poſſit adminiſtrare; ut ipſe nimirum contagio immunis, omnibus ſuis poſſit opitulari Parochianis?

Responsa.

Statuit quidem ſanctus Carolus Borromæus in quinto ſuo Mediolaneaſi Concilio an. 1579. (*h*), „ ut Sacerdotes propriis manibus ſacramenta Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis adminiſtrarent, omnem inſolitam viam omittendo. *In omni Sacramento*, inquit, *multoque magis in ſacratiſſima Euchariſtia miniſtranda, cavebit* (Parochus) *ut evitandi periculi vel ſuſpicionis cauſſa, ne quid vel minimum, quod novum ſit ad adminiſtrationis ritum introducat, neve inſtrumentum aliudve ſimile ad adminiſtrationem pro digitis, vel adeo in iis ipſis adhibeat.* Sed cum ex ſancto Cypriano (*i*) Hoſtiam ſacram apud ſe linteo, quod *Dominicale* dicebatur, involutam aſportabant Laici perſecutionis tempore, ut ſe ipſos communicarent; nullum videtur eſſe incommodum, ſi graſſante peſte, eam, qua uſus eſt Gregorius, cautionem adhibeat Parochus: unde in eo non eſt damnandus.

(*h*) Concil. Mediol. 5. part. 2. tit. *Cautio II. Sacerdote miniſtrante.*

(*i*) S. Cypr. ſerm. de Lapſis.

Hanc deciſionem confirmat aliud exemplum quod ab Euſebio narratur (*k*), qui referente ſancto Dionyſio Alexandrino aſſerit, ad Serapionem per puerum miſſam fuiſſe Hoſtiæ particulam. Exiguam Euchariſtiæ partem puero tradidit, ut in aqua intinctam Seni in os inſtillaret. Atqui certum eſt, minoris eſſe indecentiæ atque incommodi, hominem peſte affectum ea, quam adhibuit Gregorius, ratione communicare, quam ad eum Viaticum ſacrum ope pueri mittere. Non ergo damnandus eſt uſus ille, modo ab Ordinario ſit approbatus.

(*k*) Euſebius Cæſar. l. 6. hiſtor. eccleſiaſt. c. 44.

Quod ad Extremam Unctionem pertinet, in ea quoque adminiſtranda cautio adhibere poſſe videtur; v. gr. longiuſculum adhibendo bacillum, ad cujus extremum alligata fuerit ſtupa, aut goſſipium oleo infirmorum imbutum; & Corpus infirmi ungendo in juſta diſtantia, & extra peſtiferos flatus poſita. Ita ſimili difficultati reſpondit Doctor Sorbonicus 22. Novembris an. 1668. (*l*).

(*l*) De Ste. Beuve tom. 3. caſ. 20.

CASUS XIX.

Cosmas pro certo exiſtimans, uberiorem ſe gratiam accepturum, ſi a Sacerdote notæ probitatis communionem accipiat, quam ab alio minus virtuoſo; Parochum ſuum devitat, cum ad ſacram vult accedere Synaxim; Sacerdotemque ſemper quærit, quem præ ceteris virtute eminere putat. Numquid pro eo ſtat jus?

Respons.

Fallitur homo ille, neque enim uberiorem gratiam in Sacramento accipit, miniſterio dignioris, quam minus digni. Ratio eſt, quia, cum ſacramenta gratiam producant ſeu effectum ſuum *ex opere operato*, ut loquitur Schola, hoc eſt, non ex merito conferentis, ſed ex propria ipſis a Chriſto inſtituente indita virtute; æqualem in iis qui æquales afferunt diſpoſitiones, gratiam producunt, hoc eſt, effectum limitatum. Ita S. Thomas (*m*); qui in eo S. Cyprianum & S. Chryſoſtomum ſequitur (*n*), Re ipſa unus homo alteri homini gratiam juſtificantem non poteſt mereri; cum Deus ſolus homines ſanctos efficere, iiſque ſanctificationis gratiam poſſit demereri. *Nec bonorum meritis diſpenſatorum amplificatur* (Sacramentum), *nec malorum attenuatur: quia neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Hoc de Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti: hoc etiam de Baptiſmate & Chriſmate ſentiendum eſt & tenendum; quia virtus divina ſecretius operatur in eis, & divina ſolummodo hæc eſt virtus, ſive poteſtas; non*

(*m*) S. Th. in 4. diſt. 4. q. 2. art. 3. quæſt. 2. Et 3. parte. Sum. q. 62. art. 5. in corp. Et q. 63. art. 3. in corp. & ad 2. Et q. 69. art. in corp.

(*n*) S. Cyprian. l. 4. Epiſt. 7. S. Chryſoſt. Hom. 14. in Acta Apoſt.

humanæ efficacia. Sic loquuntur ſancti Doctores in Canone, quem depromſit Gratianus e ſcriptis & ſenſibus ſanctorum Hieronymi, Gregorii Magni & Iſidori (*a*).

(*a*) S. Greg. &c. in Can. Multi. 24. 1. q. 2. §. 4.

Igitur vera eſt tentatio; cum quis putat, ſe majorem e Sacramento gratiam eſſe percepturum, quod ſanctior adminiſtrat Sacerdos, cum omnis ejus gratia a virtute Spiritus ſancti dimanet. *Heu! in quem magnum laqueum incidunt*, inquit idem Canon (*b*), *ut divina & occulta myſteria plus ab aliis ſanctificata poſſe fieri credant, cum unus idemque Spiritus ſanctus in Eccleſia diffuſa per totum orbem terrarum, incomprehenſibiliter & occulte atque inviſibiliter, & operando ſanctificet, & benedicendo benedicat.*

(*b*) Cit. Can. §. 1.

CASUS XX.

Nonne Laurentius, a Columbario S. Macarii Parocho ſuo, qui publice in Parochia ſua ſimoniacus & concubinus habetur, ſacram Euchariſtiam accipere poteſt?

Respons.

Difficultatem hanc ſolvit S. Antoninus his verbis (*c*): *Euchariſtia .... non debet ſummi .... ab excommunicatis & ſimoniacis ſecundum Petrum de Palude*, ait hic Sanctus, *ſi eſt occulta excommunicatio vel ſimonia eorum: in occulto vitandi ſunt, quo ſcilicet ad ſuſceptionem Euchariſtiæ ab eis; cum ſcilicet ſine proditione occulti poſſunt talia omitti. Sed cum eſt manifeſta eorum excommunicatio vel ſimonia, in publico etiam vitandi ſunt .... a notorio fornicatore non ſunt ſuſcipienda Sacramenta etiam in publico*.

(*c*) S. Antonin. 3. par. Sum. tit. 24. c. 12. §. 4.

Excipitur tamen caſus neceſſitatis; *Excipiuntur tamen*, inquit hic S. Archiepiſcopus, *Baptiſmus & Euchariſtia, quæ duo in extrema neceſſitate poſſunt ſumi etiam a ſimoniacis & fornicatoribus notoriis*.

Legi poteſt Gratianus (*d*) qui poſt longam hac de re diſputationem ſic concludit; *Probibentur ergo de manibus talium Sacerdotum Sacramenta ſuſcipi: non quia ſint vera, quoniam ad formam & effectum: ſed quia, dum hujuſmodi Sacerdotes ſe a populo contemtos viderint, rubore verecundiæ facilius ad pœnitentiam provocentur*.

(*d*) Gratian. §. *Verum*. & ibid. Gloſſa. diſt. 32.

CASUS XVI.

Numquid Parochiano ſuo Energumeno, hoc eſt, obſeſſo a dæmonibus (*e*) ſacrum Viaticum in ægritudine petenti adminiſtrare poteſt Balthaſſar ſancti Lupicini Parochus?

(*e*) *Obſeſſi a dæmonibus*. Gl. in Can. *Exorciſta*. 17. diſt. 3. & in Can. *Omnis*. 31. de conſecrat. diſt. 3.

Respons.

Idem dicendum ex S. Thoma de Energumenis ac de iis, qui carent uſu rationis (*f*): hoc eſt, ſi lucida habeant intervalla, ac ſuam erga Euchariſtiam teſtati fuerint devotionem; tum eis Communio adminiſtrari debet; quod probat ex his Caſſiani verbis: *Eis qui ab immundis vexantur ſpiritibus, Communionem ſacroſanctam a ſenioribus noſtris numquam meminimus interdictam*. Eos tamen excipit ſanctus Doctor, qui a dæmone ob admiſſum aliquod ſcelus torquerentur, *Dæmoniacis non eſt deneganda Communio; niſi forte certum ſit, quod pro aliquo crimine a diabolo torqueantur*. Hæc ſunt ejus verba (*g*), quæ de iis tantum debent intelligi, qui ſincera pœnitentia crimen ſuum non expiaſſent.

(*f*) S. Thom. in 4. diſt. 9. q. 1. art. 5. quæſt. 3. in argum. *Sed contra*.

(*g*) Idem ibid. tit. quæſt. 2. ad 2.

Confirmari poteſt S. Thomæ deciſio auctoritate Concilii Arauſicani an. 441. ſub S. Leone (*h*), quo ſtatuitur, ut ad Communionem admittantur Energumeni, qui eam requirunt & ad Sacerdotes confugiunt, ut efficacia ſacroſancti Sacramenti ſubleventur, novaſque in violentiam dæmonis vires acquirant; quod quidem eo æquius eſt, quod *ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio eſt plenius conſulendum*; ut ait Gregorius X. in Concilio œcumenico ſecundo Lugdunenſi (*i*). Unde colligimus, quod Balthaſſar Communionem ſupradicto Energumeno denegare non debet, & quod ſententiam S. Thomæ exceptionemque ab eo factam ſequi tenetur.

(*h*) Conc. Arauſican. art. 2. c. 14.

(*i*) Greg. X. in Cap. *Ubi*. 3. de elect. & electi poteſt. in 6. lib. 1. tit. 6.

CASUS XXII.

Melania, vidua, ſingulari pietate inſignis, cum fortuito grave ſcelus admiſiſſet Paſchatis tempore; ex quo lapſu magnum contraxit teporem, motivo humilitatis a Communione Paſchali, ſe indignam reputans, abſtinuit; quam etiam ad feſta Pentecoſtes prorogare conſtituit, ut piis operibus pœnitentiæ ad eam melius ſe diſponeret. Numquid id ipſum proprio motu ſine peccato conſtituere potuit in hac circumſtantia?

Respons.

Proprio motu vidua illa Communionem Paſchalem omittere non potuit. Exigit enim vera humilitas, ut Chriſto & Eccleſiæ præſtetur obedientia: atqui Eccleſia, Chriſti mandato nixa præcipit, ut fidelis quiſque ſaltem ſemel in anno tempore Paſchatis ad Communionem accedat: Unde ſequitur inordinatam eſſe illam humilitatem, quæ ſub humilitatis ſpecie a Communione propria auctoritate ſe ſe vult abſtinere. Melania itaque huic tenebatur ſatisfacere præcepto, cum prius ſincera pœnitentia ſe diſpoſuiſſet; ut docet S. Thomas his verbis (*k*): *Dicendum, quod ſicut Gregorius dicit in Paſtorali, illa vera eſt humilitas, cum ad reſpuendum quod utiliter præcipitur, pertinax non eſt. Et ideo non poteſt eſſe laudabilis humilitas; ſi contra præceptum Chriſti & Eccleſiæ aliquis omnino a Communione abſtineat*. Ex quibus verbis conſtat, Angelicum Doctorem loqui de Communione Paſchali; cum de ea loquatur Communione, quam præcipit Eccleſia.

(*k*) S. Thom. 3. part. Sum. q. 80. art. 11. ad 1.

CASUS XXIII.

Postulat Salvius, qui ab anno ad ſacram Communionem non acceſſit; utrum poſt elapſos quindecim dies ad Communionem Paſchalem conceſſos, quibus huic præcepto non ſatisfecit, etiam ſub peccato communicare teneatur?

Respons.

Duplex eſt ea de re opinio. Prima eſt Silveſtri, S. Antonini, Dominici Soti, Joannis Tagnatii, qui vulgo Tabiena dicitur, Bartholomæi Fumi & Cardinalis Toleti, qui his auctoribus addit Medinam (*l*): qui omnes exiſtimant, quod, licet mortaliter peccet omittens Communionem Paſchalem abſque legitima cauſſa, attamen non tenetur ſub reatu peccati mortalis communicare poſt finitum Communionis Paſchalis tempus: hanc autem quæſtionem ſic proponit ſanctus Antoninus: *Quæri poteſt*, inquit, *utrum qui omiſit Communionem in Paſchate ex negligentia; cum peccaverit mortaliter, teneatur infra annum ſequentem ante aliam Communionem ſupplere defectum commiſſum, id eſt, communicare; ita quod non faciens peccet mortaliter*: cui quæſtioni ita reſpondet: *Ad quod dicendum, quod dato, quod facere deberet ex congruitate .... non tamen videtur teneri ex neceſſitate, ita quod non faciens peccet mortaliter*. Hanc etiam deciſionis ſuæ rationem ſubjungit: *Hoc enim ſi verum eſſet, quod teneretur de neceſſitate; cum quotidie obligetur ad illud, quoadusque ſuppleat: multa peccata mortalia committeret contra unum præceptum; & ſic Eccleſia laqueos injiceret animabus*.

(*l*) Silveſter. v. *Euchariſtia*. 3. q. 15. S. Ant. 3. part. Sum. Theol. tit. 6. c. 2. §. 3. Dom. Sotus in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4. Tabiena v. *Communicare*. §. 7. Fumus in Aurea Armilla. v. Communio. §. 6. Medina. q. de Confeſſione. Fr. Tolet. Inſtruct. Sacerd. l. 6. c. 18.

Altera opinio, quam priori anteponendam ducimus, eſt Navarræ (*m*), Sylvii (*n*) in ſuo Commentario in Summam S. Thomæ & aliorum multorum, qui contendunt, etiam finito Paſchatis tempore permanere communicandi obligationem, pro iis qui eo tempore hujus præcepti adimpletionem neglexerunt; atque tribus his præcipuis rationibus nituntur illi auctores.

(*m*) Navarr. Manual. c. 21. n. 41.

(*n*) Fr. Sylvius in 3. part. Sum. S. Thom. q. 80. art. 16. q. 44.

Prima eſt; quia Paſchale tempus non præſcribitur, uti finis obligationis qua adſtringit Eccleſiæ præceptum, ſed ut prorogatio quam concedit. *Primo, quia non conceditur terminus annuus, ut tunc ceſſet obligatio*, inquit Sylvius, *ſed ut adimpletio non poſſit ulterius differri; ſicut in contractibus. quando ſtatuitur tempus ultra quod non poteſt differri ſolutio, ſi tunc non fiat; obligatio non extinguitur, ſed perſeverat*. Eamdem Navarra affert rationem, quam Lege Digeſtorum confirmat (*o*).

(*o*) Leg. Celſus. ff. de receptis. arbitrii.

Secunda eſt: quia in præcepto Communionis annuæ duo ſunt conſideranda: principale videlicet, & acceſſorium. Principale eſt obligatio communicandi *ſemel in anno*, inquit Concilium œcumenicum Lateranenſe (*p*); *ſingulis annis*, ait Triden-

(*p*) Concil. Lateranenſ. IV. ſub Innoc. III. Cap. 21. in Cap. Omnis. 12. de pœnit. & remiſſionibus. l. tit. 38.

Digitized by Google

dentinum (a). Acceſſorium eſt, communicare tempore Paſchali; atqui ſubſiſtit ſemper principale, etſi ceſſet acceſſorium. Permanet igitur ſemper obligatin ſatisfaciendi præcepto. Sic etiam argumentatur idem Theologus: *Secundo, quia principale quod Eccleſia intendit præcipere, eſt Communio: temporis autem determinatio, ſolum eſt aliquid ſecundarium. Cum ergo poſſit adhuc impleri præceptum Eccleſiæ ſecundum ſubſtantiam, & quantum ad id quod eſt principale, durat obligatio.*

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 9. de Euchar. Sacram.

Tertia eſt: quia qui toto anno non confeſſus eſt, prima data occaſione confiteri tenetur; ergo, qui Paſchali tempore non communicavit, ad Communionem reliquo tempore manet obligatus. *Tertio*, addit Sylvius, *quia is qui toto anno eſt confeſſus, manet obligatus, ut prima opportunitate confiteatur; quod etiam nonnulli (b) alterius ſententiæ afferant. Ergo & is, qui non communicavit.* Eaſdem rationes afferunt Joannes Major, Paludanus & Navarra (c).

(b) Joan. Medina.

(c) Joan. Major. in 4. diſt. 17. q. 2. Petrus Paludanus. ibid. diſt. 12. q. 1. art. 5. Navarr. Leit.

Confirmari poteſt hæc deciſio exemplo pœnitentiæ injunctæ. Nam ſi jejunium, v. g. imperaverit Confeſſarius pro die prima Veneris poſt confeſſionem, illudque pœnitens non adimpleat; procul dubio ad jejunium tenebitur altera die; nec ab eo diſpenſabit ſapiens Confeſſarius. Pariter idem dicendum de eo qui in Paſchate Communionem neglexit, quia huic ſatisfacere tenetur.

Objici poteſt in ſecundam hanc opinionem, quod, cum præcepto aliquo præfigitur tempus; eo elapſo, ceſſat præcepti obligatio: v. g. qui ſacro die Dominica non adfuit, poſtridie intereſſe non tenetur; aut qui jejunium quatuor temporum omiſit alio jejunio omiſſionem hanc ſupplere non tenetur. Igitur a pari qui Paſchalem omiſit Communionem, non tenetur ad eam alio tempore. Huic objectioni reſpondet Sylvius dicens: *Ejuſmodi*, inquit, *præcipiuntur, tamquam onus diei, & ratio obligationis eſt talis dies. Confeſſio autem & Communio non præcipiuntur, ut onera diei: nec ratio obligationis earum eſt tale tempus; ſed jus divinum, ob quod Eccleſia principaliter intendit ipſas præcipere ſecundum ſubſtantiam.*

Poſtrema hæc opinio regulis Eccleſiæ magis conſentanea nobis videtur. Quare Salvius, ut noſtra fert ſententia, tenetur quamprimum ad ſacram Communionem accedere.

CASUS XXIV.

Samuel, dies aliquot ante Dominicam in Palmis navem in Sueciam conſcenſurus, ubi quatuor aut quinque menſibus commercii ſui cauſſa morabitur; proſpicit, ibi ſe non poſſe Communionis Paſchalis præcepto ſatisfacere; quod nullum in hac regione Sacerdotem noverit. Numquid ante diſceſſum Communionem ſuſcipere tenetur; qua ſic anticipata, nonne Communionis Paſchalis præcepto ſatisfacit?

Respons.

Sylvius (d) exiſtimat, teneri hunc hominem ad anticipandum tempus Paſchalis Communionis; cum ſibi perſuaſum eſt, fore ut, non niſi poſt multos a Paſchate menſes, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere poſſit. Fatetur tamen contra ſentire multos auctores, quorum rationes his verbis refert: *Quia nemo tenetur anticipare, vel tempus cui opus eſt neceſſario connexum, ut patet de feſtis & jejuniis; vel actum per quem non ſatisfit obligationi præcepti, Communio autem ſic annexa eſt tempori Paſchali, ut per antecedentem non ſatisfiat præcepto Eccleſiæ. Unde qui anticipaſſet, teneretur nihilominus communicare in Paſchate, ſi poſſet.*

(d) Sylvius in 3. part. Sum. S. Th. q. 80. art. 10. quæſt. 3.

Ad ſolutionem hujuſce difficultatis, diſtinctione opus eſt. Nam vel Samuel anno currenti communicavit, vel non: Si ab ultimo Paſchate, & præcipue a quibuſdam hebdomadis communicaverit, videtur non teneri ad antevertendam Paſchalem Communionem; licet prævideat, fore ut, intra quindecim Paſchatis dies Eccleſiæ præcepto ſatisfacere non poſſit; quia præceptum Eccleſiæ, non niſi de illius formali mandato tenetur anticipare; alioqui ſequeretur, quod, ceſſante Communionis ſuæ Paſchalis impedimento, ad eam, licet jam anticipatam, iterum teneretur. At ſi ab ultima Paſchali Communione, ac præcipue ab aliquot hebdomadibus non communicaverit; Communionem ſuam anticipare tenetur, cum præcepto Eccleſiæ ſuo tempore ſatisfacere ſe non poſſe prævideat; nec tempus anticipando, abſque Communione annum tranſigeret, atque adeo Eccleſiæ præceptum infringeret, quo tenetur *ad minus in Paſcha*, ut loquitur Concilium Lateranenſe (e), vel ut dicit Tridentinum (f) *ſingulis annis, ſaltem in Paſchate.*

(e) Concil. Later. IV. ſub Innoc. III. in Cap. *Omnis*. II. de pœnitentiis & remiſſ. l. 5. tit. 35.

Ad confirmationem hujus deciſionis duo ſunt videlicet in Communionis præcepto diſtinguenda, ut diximus in ſuperiori reſponſione. Primum eſt obligatio ſemel communicandi ſingulis annis: alterum eſt determinatio temporis Paſchalis, uti magis congrui, ut tam auguſti fideles myſterii fiant participes. Antevertendo itaque tempus Paſchale, non ſatisfit Eccleſiæ præcepto quoad acceſſorium & minus præcipuum; ſed tantum quoad ſubſtantiam & magis præcipuum: quod ſufficit in propoſito caſu. Ceterum conſtat, quod licet jam per annum communicaſſet Samuel; multo ſatius ei eſſet & pro conſcientia tutius, Communionem ſuam in caſu propoſito antevertere.

(f) Conc. Trid. ſeſſ. 13. C. 9. de Euchariſtiæ Sacramento.

CASUS XXV.

Chrysantus vulgo rure per æſtatem, Pariſiis vero per hiemem habitat. Nonne penes eum eſt, Communionem Paſchalem in Parœcia domicilii ſui Pariſienſis, vel domicilii ſui ruralis ſuſcipere?

Respons.

Ut huic difficultati fiat ſatis, hæc præſupponenda eſt conſtans regula; ſcilicet, eumdem hominem duo ſimul habere poſſe domicilia, ut iſta Lege ſtatuitur (g): *Viris prudentibus placuit duobus locis poſſe aliquem habere domicilium.* Quod ita intelligi debet, ut idem homo æquali temporis ſpatio in utroque domicilio commoretur, uti conſtat 1. ex hac alia lege (h): *Si quis inſtructus ſit duobus locis æqualiter, neque heic, quam illic minus frequenter commoretur, ubi domicilium habeat, ex deſtinatione animi eſſe accipiendam.* 2. Ex Bonifacii VIII. (i) Conſtitutione, in qua ſic dicitur: *Cum ab eo, qui duo habet domicilia, ſe collocans æqualiter in utroque &c.* 3. Ex his Gloſſæ verbis (k): *Bene poteſt quis habere domicilium in pluribus locis; dummodo in utroque ſe collocaſſe videatur.*

(g) Leg. *Adſumptio*. 6. §. 2. ff. ad municipalem & de incolis. l. 5. tit. 1.

(h) L. *Ejus qui*. 27. §. *Celſus*. ff. eod. tit.

(i) Bonif. VIII. in Cap. *Is qui*. 3. de Sepulturis. in 6. l. 3. tit. 12.

(k) Gloſſa in Cap. *Dilectus*. 29. de reſcriptis. v. *Domicilium*. l. 2. tit. 3.

Hoc præſuppoſito exiſtimamus, Chryſantum ad Communionem Paſchalem teneri, in ea in qua Paſchali tempore commorabitur, Parœcia. Unde ſi Pariſiis habitet, neceſſe eſt, ut in Parochiali Eccleſia domicilii ſui communicet: quod etiam verum eſt, licet rure diutius quam in urbe moraretur; cum duorum domiciliorum æqualitas non ſtricte & rigoroſe, ſed moraliter debeat conſiderari.

Hanc deciſionem afferunt S. Antoninus, Paludanus (l) Gabriel Biel, Silveſter & alii permulti ſeu Canoniſtæ, ſeu Theologi. *Si in utraque Parochia haberet domum*, inquit Paludanus, *in una mancrium hiemale: in alia æſtivale .... utriuſque ſortitur, non ſimul, ſed ſucceſſive ſecundum quod habitat heic & ibi; ut tunc heic recipiat Sacramenta, quando heic habitat; alias alibi.*

(l) S. Anton. 1. part. Sum. Theol. tit. 17. c. 9. P. Paludanus. in 4. diſt. 17. q. 3. &c.

Attamen, ſi Chryſantus, Pariſiis tempore Paſchali commorans, Communionem Paſchalem in Eccleſia domicilii ſui ruralis ſuſciperet; exiſtimamus, quod rigoroſe loquendo Eccleſiæ præcepto ſatisfaceret, eo quod locus uterque ſit ejus domicilium, & in utroque loco proprius ſit ejus Parochus; ut ſentit peritiſſimus Canoniſta (m).

(m) Navar. in Can. *Placuit*. Sn. de pœnit. diſt. 6. n. 78.

CASUS XXVI.

Episcopus de Confeſſione annua & Paſchali Communione ſtatutum promulgavit; quo Parochis ſuæ Diœceſis jubet, ut die Dominica *in Albis* publice ac generaliter eos moneant, qui in his diebus Eccleſiæ præceptum non adimpleverunt, ut quam primum ſatisfaciant; alioquin eos proprio nomine publice appellabunt, ac eorum nomina ad Promotorem deferent; ut, ipſo requirente, juridica Officialis ſententia denuntientur pœnas Canonicas incurriſſe, nempe prohibitionem ingreſſus in Eccleſiam & privationem eccleſiaſticæ ſepulturæ

poſt

Digitized by Google

poſt mortem, quas infractoribus præcepti ſui de Paſchali Communione Eccleſia minatur, & ſint pertinaces.

Raymundus, unus ex illis Parochis, Petrum, Joannem & Jacobum hujuſce criminis conſcios publice, generatim tamen, & omiſſis eorum nominibus monuit: quam monitionem cum negligerent, Petrum nominavit, ei denuntiationem ad promotorem minatus. Petrus vero ita & pudore concitus eo ipſo die in morbum incidit; ac poſtridie, non petita confeſſione obiit. Qua de re quæritur, utrum Raymundus ipſius mortui corpori eccleſiaſticam ſepulturam recuſare non debuerit, ut Epiſcopi ſui mandatum impleret, ac Joannem & Jacobum ceteroſve ejuſdem criminis conſcios timore percelleret; aut ſaltem, num conſulto abeſſe poſſet, ut alter Sacerdos defuncti corpus ſepeliendum curaret?

R e s p o n s.

Raymundus eccleſiaſticam ſepulturam Petri, ea, qua dictum eſt, ratione defuncti corpori denegare tuta conſcientia non potuit; aut conſulto a ſua abeſſe Parœcia, ut alter vicem ſuam obiret Sacerdos. Ratio eſt, quia Parochus ille defectu auctoritatis ſic ſe gerere non potuit, ante latam ab Officiali ſententiam, qua Petrus reus fuiſſet declaratus; ideoque pœnas Canonicas a Concilio Lateranenſi illatas, & in ſupradicto caſu memoratas incurriſſe (*a*). Igitur defuncti corpus ſepelire debuit, adhibitis etiam exſequiarum ritibus ab Eccleſia inſtitutis; cum privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ ſit pœna, publice denuntiatis excommunicatis infligenda. Hæc diſciplina univerſim & irrefragabiliter in Gallia obſervatur, ubi nulla admittitur, ut alibi dictum eſt, publicitas, ſeu notorietas publica, niſi ea quam præceſſit ſententia declaratoria (*b*). Addimus etiam, quod ſi Raymundo Epiſcopum ſuum conſulere per tempus liceat, ſapienter ſe geret, ejus exſpectando mandata ac perficiendo.

(*a*) Conc. Lateranenſ. IV. ſub Innocent. III. in Cap. *Omnis* 12. de pœnitentiis & remiſſ.

(*b*) De Ste. Beuve. tom. 3. caſ. 26.

C A S U S XXVII.

Hyppolitus, habitu peccati mortalis affectus, quo ſe abſtinere non propoſuit, ſacrilegam in Paſchate Communionem fecit, ne huic defuiſſe Paſchali officio videretur. Numquid per illam ſacrilegam Communionem præcepto Eccleſiæ ſatisfecit, quæ fidelibus omnibus adultis Communionem, ſaltem ſemel in anno præcipit? An vero dici poteſt, quod ſacrilegio a ſe commiſſo novum addidit peccatum, Communionis Paſchalis præceptum infringendo?

R e s p o n s.

Certum eſt, quod Hyppolitus Communionis indignæ ſacrilegio novum adjunxit peccatum infractionis præcepti Eccleſiaſtici. Ratio eſt, quia Eccleſia hoc ſuo præcepto Communionis Paſchalis fidelibus actum religionis imperat. Atqui indigna Communio non eſt actus religionis, ſed potius impietatis & irreligionis: Igitur is Eccleſiæ præceptum non implevit, ſed novi factus eſt conſcius peccati mortalis.

Objici poteſt, Eccleſiam actus interiores fidelibus imperare non poſſe, de quibus videlicet judicare nequit; nam, ut ait Tridentinum, *de occultis non judicat* (Eccleſia) (*c*). Sed reſpondendum, falſum eſſe, quod Eccleſia actus internos non poſſit imperare, præſertim quando cum externis ſunt conjuncti, qualis eſt Communio, ut docet Sylvius (*d*) in ſuo Commentario in Summam S. Thomæ. *Primo, quia* Eccleſia, inquit, *non ſolum præcipit actus externos, ſed etiam interiores; ſaltem illos, qui conjuncti ſunt exterioribus*. Quod probat 1. exemplo præcepti de audiendo ſacro feſtis, dominiciſque diebus. *Unde præcepto ejus de audienda Miſſa non ſatisfaceret is, qui indevote & ad alia voluntarie diſtractus illam audiret*. 2. Ex motivo, quo impulſa Eccleſia præceptum illud ſtatuit, ut videlicet ipſum Dominicum mandatum explicaret, quo juſſit Dominus noſter fidelibus omnibus, ut Corporis ſui & Sanguinis in hoc Sacramento fierent participes: Atqui certum eſt, Chriſtum dignam, non vero indignam ſui Corporis Communionem imperaſſe, dicente Apoſtolo (*e*): *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini .... Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit. Secundo*, pergit idem Theologus, *quia, cum præceptum Eccleſiæ ſit quædam explicatio & determinatio præcepti divini; non dubium eſt, quod intendat præcipere Communionem talem, qualem Chriſtus præcipit: id eſt, piam & religioſam*. 3. Tertiam rationem addit hic auctor deſumtam ex fine quem Chriſtus ſibi propoſuit, inſtituendo Sacramentum Euchariſtiæ, ut nimirum ſit fidelis animæ cibus. Tertio, ſubdit Sylvius, Sacramentum hoc eſt cibus animæ: non ſatisfaceret autem præcepto, quod eſt de ſuſtentanda vita corporali, is qui cibum corporis ſumeret eo modo, quo non poteſt prodeſſe, ſed ſolum obeſſe. Ergo nec is qui ſponte ſumit Euchariſtiam indigne, ſatisfacit præcepto quod habet de illa ſumenda.

(*c*) Conc. Trid. ſeſſ. 4. de reform. c. 2.

(*d*) Sylvius in 3. part. Sum. S. Thom. q. 80. art. 12. quæſt. 1.

(*e*) 1. Corinth. 11. 27. 29.

Merito itaque ab Innocentio XI. inter proſcriptas ab eo 65. propoſitiones 2. Martii an. 1679. hæc 55. reperitur: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem*, damnata ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* ſanctæ Sedi reſervatæ pro quolibet eam docente (*f*), & cum prohibitione ne quis fidelis eam ad praxim reducat, ſub pœna incurſionis iræ divinæ, & obteſtatione tremendi judicii.

(*f*) Colloq. Lucio Tom. 3. Colloq. 16. q. 2.

C A S U S XXVIII.

Siricius, cum Parocho ſuo Paſchali tempore in tribunali Pœnitentiæ ſe ſe obtuliſſet, & ſe ab omnibus ſuis peccatis fuiſſe abſolutum affirmaſſet a Confeſſario poteſtatem habente, ab eo Communionem requiſivit. Numquid verbo illius tenebatur fidem adhibere Parochus, eumque ad ſacram menſam admittere?

R e s p o n s.

In foro judiciali, inquit Angelicus Doctor, (*g*) *creditur homini contra ſe, ſed non pro ſe; in foro autem Pœnitentiæ creditur homini pro ſe & contra ſe*. Præſuppoſita illa regula, ut propoſitæ difficultati reſpondeatur, dicendum, quod ſi aliquo impedimento teneatur Siricius, quod ad forum judiciale pertineat, uti excommunicatione, dictis ejus credere non tenetur Parochus, ſed atteſtationem de ſublato impedimento exigere poteſt: at ſi nullum ſit tale impedimentum quod ad forum judiciale pertineat, ſed ſimplex mortale peccatum; tunc Parochiano ſuo confitenti adhibere fidem Parochus debet, eique Communionem adminiſtrare; licet verbis ejus credere non teneretur extra confeſſionem. *Si enim ſit impedimentum ad forum judiciale pertinens, puta excommunicatio*, ait idem Sanctus, *non tenetur Sacerdos ſuo ſubdito credere, quem excommunicatum novit, niſi de abſolutione conſtet. Si autem ſit impedimentum quod ad forum Pœnitentiæ pertineat, ſcilicet peccatum, tenetur ei credere: & injuſte agit, ſi deneget Euchariſtiam ei, qui perhibet ſe confeſſum & abſolutum ab eo, qui abſolvere potuit, vel auctoritate Apoſtolica, vel auctoritate Epiſcopi*. Sic caſum hunc ſolvit ſanctus Thomas, qui addit, Parochum hunc non poſſe exigere a ſubdito ſuo, confeſſionem alteri jam legitime factam apud ſe iterari (*h*).

(*g*) S. Thom. quodlib. 1. art. 12. in corp.

(*h*) Idem ibid. ad 1.

C A S U S XXIX.

Numquid mortaliter peccavit, & etiam 15. aut 20. peccata mortalia commiſit Mauritius S. Severini Vicarius, qui conſcius mortalis culpæ, nullo prius contritionis actu elicito, 15. aut 20. Parochianis Euchariſtiam adminiſtravit?

R e s p o n s.

Certum eſt 1. Mauritium peccaſſe mortaliter, ut probavimus in reſponſione ad ſimilem huic difficultatem (*i*), uti etiam probari poteſt ex hac S. Thomæ doctrina (*k*): *In peccato mortali exſiſtens .... Sacerdos, baptizans cum ſolemnitate, Miniſtrum Eccleſiæ ſe exhibens, peccat mortaliter*. Unde a fortiori idem dicendum de eo, qui in hoc miſero ſtatu exſiſtens Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrat. Ita enim ſentiunt Theologi omnes; quia Sacerdos in peccato mortali communicans, notabilem irreverentiam committit in Chriſtum in altaris Sacramento præſentem, cujus vi ordinationis ſuæ eſt miniſter & diſpenſator ordinarius.

(*i*) Caſ. Niceph. v. Baptiſmus.

(*k*) S. Thom. in 4. diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſt. 4. in corp.

Con-

Confirmari poteſt hæc deciſio auctoritate S. Auguſtini dicentis (a): *Omnia Sacramenta, cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus.* Hæc eſt etiam S. Caroli Borromæi doctrina his verbis loquendo de Sacramentis in genere: *Etſi Sacramenta divinam quidem virtutem quæ illis ineſt, numquam amittant: tamen impure ea miniſtrantibus mortem afferunt.*

(a) S. Aug. in Can. Omnia. 78. & in Can. Per Eſaiam. 98. §. 1. q. 1.

2. Quod ad ſecundam quæſtionem pertinet, qua petitur, num unum dumtaxat mortale, an vero 15. aut 20. Mauritius admiſerit; exiſtimamus, quod, ſi quindecies aut vigeſies Communionem præbuerit, tot commiſit mortalia. Sed ſi 15. aut 20. illos homines una vice communicaverit; unum tantum admiſit peccatum; continuata enim ejus actio, unam tantum etiam efficit actionem, & conſequenter unum & idem peccatum. Ita Navarra (b) hanc ſtatuens regulam: *Plures actus exteriores*, inquit, *intendentes in unum peccatum principale, qui ſunt diverſi in genere entis, cenſentur conſtituere unum peccatum in genere moris, ſaltem quoad effectum confitendi numerum peccatorum, non ſolum quando una eſt ad aliud via; ſed etiam quando quis uno impetu fertur ad illos omnes.* Quod fuſe & ſolide probat hic Canoniſta.

(b) Navar. l. 5. Conſiliorum de pœnit. & remiſ. Conſ. 14. & Manual. c. 6. n. 10. & 17.

CASUS XXX.

Landulphus, S. Boni Parochus, morbo detentus, Parochiano ſuo pariter ægrotanti & ſacrum Viaticum poſtulanti, deficiente Sacerdote, a Benedicto Diacono illud jubet deferri. Numquid ita ſe gerere potuit abſque peccato, cum Sacerdos ſolus ſit ordinarius Euchariſtiæ Miniſter; nec aliunde Sacramentum illud neceſſarium ſit neceſſitate medii ad ſalutem, ut loquitur Schola?

Rasponsio.

Juxta traditionem Eccleſiæ, ſanctorumque Patrum doctrinam ac omnium Theologorum, conſtat 1. ſolos Sacerdotes eſſe ordinarios Sacramenti Euchariſtiæ Miniſtros, ut indicant iſta S. Paulli verba (c): *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* 2. Poteſtatem hanc ipſis jure divino competere, ut ex laudatis Apoſtoli verbis patet: cujus rei hanc S. Thomas rationem affert: (d) *Diſpenſatio hujus Sacramenti*, inquit ſanctus Doctor, *proprie ad Sacerdotem pertinet, eo quod ipſe repræſentat Chriſtum, qui fuit mediator Dei & hominum: cum autem hoc Sacramentum ſit ad nos reconciliandum Deo, oportet per Sacerdotem qui eſt mediator inter Deum & populum, diſpenſari.* Quod confirmat Tridentinum Concilium his verbis (e): *In Sacramentali autem ſumtione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent.... qui mos tamquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, jure ac merito retineri debet.*

(c) 1. Corinth. 4. 1.

(d) S. Th. in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. quæſt. 2. in corp.

(e) Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 8.

Fatendum tamen, Apoſtolicis temporibus, ob neceſſitatem adhibitum fuiſſe Diaconorum miniſterium ad Euchariſtiæ diſpenſationem, ut liquido conſtat ex ſecunda Apologia, quam S. Juſtinus Martyr ad Imperatorem Antoninum pro Chriſtiana Religione ſcripſit; in qua ſic legitur (f): *Qui apud nos vocantur Diaconi atque Miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt &c.* Luculentum etiam vetuſtæ hujuſce conſuetudinis teſtimonium profert S. Cyprianus hac narratione (g): *Ubi vero ſolemnibus adimpletis*, ait antiquus hic Eccleſiæ Pater, *Calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus ejus advenit, faciem ſuam parvula* (cujus nimirum os vino diis libato ac pane nutrix polluerat) *inſtinctu divinæ Majeſtatis avertere, os labiis obturantibus premere, Calicem recuſare; perſiſtit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento Calicis infundit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus: in corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit.*

(f) S. Juſtin. Apolog. 2. ad Anton. Imperat. poſt medium.

(g) S. Cyprian. Serm. de Lapſis.

Hunc etiam uſum probat Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum (h); ubi dicit, Diaconum, divinum illud Sacramentum, non ut Miniſtrum ordinarium, ſed ſolum ut Sacrificantis Miniſtrum diſpenſare. Sub ipſo re ipſa nomine quartum Carthaginienſe Concilium an. 398. (i) habitum, Diaconis facultatem concedit, auguſtum illud Myſterium diſpenſandi; cum nimirum ob neceſſitatem jubet Sacerdos. *Ut Diaconus præſente Presbytero, Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.*

(h) Conſtitut. Apoſtol. l. 8.

(i) Conc. Carthag. 4. Can. 38.

Verum Eccleſia Diaconis tandem miniſterium illud ademtum in ſolos tranſtulit Sacerdotes. Exiſtimamus tamen, quod in urgenti & adeo gravi neceſſitate de qua in caſu propoſito agitur, Landulphus, ob ægritudinem ſacram Viaticum ſubdito ſuo de vita periclitanti deferre non valens, cum Sacerdotis copiam non haberet, abſque peccato Benedicto Diacono miniſterium illud committere potuit; ne ſubſidium illud ita neceſſarium ac maximi momenti ægro illi ſubtraheret: non enim in tali occaſione functionem hanc Diacono adimere præſumitur Eccleſia.

Conſentit hæc deciſio cum doctrina S. Thomæ (K) his verbis contenta: Diaconus *Non debet Corpus* (Chriſti) *diſpenſare, niſi de mandato Presbyteri, vel Epiſcopi, vel Presbytero longe poſito, in caſu neceſſitatis.* Idem conceditur ex Rituali Bituricenſi (l): idemque poſt S. Antoninum (m) docet Auctor eruditorum Colloquiorum Lucionenſium (n).

(k) S. Th. citato loco ad 1.

(l) Ritual. Bituricenſ. tit. de Miniſtro Sacram. Euchariſtiæ.

CASUS XXXI.

Placidus, mortalis peccati conſcius; cum Jubilæi tempore præ multitudine, licet adhibita omni quam potuit, diligentia, confiteri non potuiſſet; non ſufficiente, qui ſolus erat, ad confeſſiones excipiendas Parocho; poſt elicitum, etiam non ſine lacrymis, de peccato ſuo contritionis actum, ad ſacram menſam ultima Jubilæi die acceſſit, ac cæleſti Corporis Chriſti epulo refectus eſt. Num ſine peccato ita ſe gerere potuit?

(m) S. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 7. in fine. S. Anton. 3. part. Sum. tit. 14. c. 2. §. 4.

(n) Colloq. Lucion. tom. 3. Colloq. 6. q. 3.

Respons.

Ad ſolutionem hujus difficultatis præſupponendum, ei qui ſibi peccati mortalis conſcius eſt, numquam Communionem eſſe licitam, ante præmiſſam delicti ſui confeſſionem, quacumque ſit contritione percitus, niſi ad id cogat urgens & legitima neceſſitas. *Peccator contritus ante confeſſionem qui vult communicare*, ait S. Thomas, *aut habet copiam Confeſſoris; & tunc peccat ſine confeſſione communicando: aut non habet. Aut ergo imminet aliqua neceſſitas celebrandi, vel communicandi, vel quia timet ſcandalum proprium, vel jam incepit Miniſterium Sacramenti, vel amiſit loquelam: & tunc non peccat, cum propoſito confitendi, quando poterit: ſed ſi non habet hoc propoſitum, peccat.*

Poſt conſtitutam illam generalem regulam, ad difficultatem propoſitam reſpondemus, quod, cum ad ſacram Communionem abſque peccato quis non poſſit accedere, juxta Concilium Tridentinum & S. Thomam (o), ubi realis non eſt & urgens neceſſitas; Placidus ultima Jubilæi die, omiſſa confeſſione, communicare non debuit. Ratio eſt, quia abſque legitima neceſſitate ad ſacram menſam acceſſit, 1. Quia Jubilæum non eſt opus de præcepto, ſed de conſilio. 2. Quia in caſu propoſito Jubilæi gratiam ad aliud tempus transferre poterat Parochus, cum ea non ſit concedentis Pontificis intentio, ut ii priventur hoc beneficio, qui illud ſibi tempore ex Bulla conſtituto procurare nequeunt, ut patet ex exceptione ægrorum, captivorum & viatorum, & aliorum qui aliquo in ea deſignato impedimento detinentur: & quamvis propoſitus caſus ibi non deſignetur, par eſt, eum tamquam exceptum habere, juxta iſtam juris regulam (p): *Beneficium Imperatoris, quod a divina ſcilicet ejus indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſime interpretari debemus.* Quocirca, licet exceptus in Bulla non fuerit caſus propoſitus, ut exceptus tamen haberi debet, quia fuiſſet exceptus ſi eum Papa prævidiſſet, juxta hanc aliam juris regulam (q): *Non poſſunt omnes articuli ſingillatim, aut Legibus, aut Senatus Conſultis comprehendi. Sed, cum in aliqua cauſſa ſententia eorum manifeſta eſt; is qui Juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet.*

(o) S. Th. lib. 4. ad Hannibaldum Cardinalem. diſt. 9. art. 5. in corp.

(p) L. Beneficium. 3. ff. de conſtitutionibus Principum. lib. 1. tit. 4.

(q) L. Non poſſunt. 12. ff. de legibus Senatuſque conſultis. L. 1. tit. 4.

Vide { Dauitum Conjugale. Missa. Surdus & Mutus. }

COM-

Digitized by Google

COMMUNITAS BONORUM.

COMMUNITAS Bonorum inter virum & mulierem, prout ex Galliæ conſuetudinibus ſtatuitur, eſt ſpecies quædam ſocietatis inter utrumque.

1. Conſiſtit in omnibus eorum mobilibus, ſeu numerata pecunia, ſupellectilibus, cenſuum reliquationibus, Argento facto, promiſſis obligationibus, & actionibus mobilibus quæ ad eos pertinent, tum cum Matrimonium contraxere, aut etiam adveniunt ex hereditate, vel directa, vel collaterali; niſi forte alio modo ſtatuat contractus ex appoſita clauſula, quæ huic diſpoſitioni obſtet, & quæ ferat, partem horum mobilium non fore communem, ſed propriam ejus ad quem jam pertinent.

2. In partis ſeu acquiſitis rebus immobilibus, a die initi Matrimonii ad ejus uſque ſolutionem: ſeu cum onere factæ ſint acquiſitiones, ut venditio; vel gratuito, ut ſunt Legata ac Donationes, niſi aliter Teſtator aut Donator rem teſtamento legatam aut donatione translatam ex teſtamento aut donatione velint eſſe Legatarii, aut Donatarii. Sed obſervandum, fieri poſſe, ut nubens mulier omnibus mobilibus in ſocietatem transferendis deſtituatur; tumque ex contractu de ipſius mobilibus pro re immobili paciſcuntur, nubentes ſeu in toto, ſeu in parte, ut mobilium naturam ipſa etiam immobilia ſortiantur, quo de iis diſponere valeat maritus, uti de mobili, aliove communitatis bono, de quo poteſt diſponere abſque conſenſu mulieris ſuæ, ut loquitur Ferrerius (*a*); qui advertit poſtea (*b*), quod vir uxoris ſuæ hereditatem abſque ejus conſenſu non poſſit abalienare; cum mobilium aſſignatio ad certam ſummam perducta eſt, aut ſtipulati ſunt ejus venditionem, ex cujus pretio determinata ad communitatem ſumma diſtraheretur: quia in his duobus caſibus hereditatis ſuæ dominium mulier ſemper retinet.

Conſuetudines in hoc a ſe invicem diſſentiunt. Quædam enim omnino de communitate bonorum, uti jus Romanum, juriſque Romani regiones penitus ſilent. Aliæ eam pleno jure admittunt, licet de hac nulla in contractu fiat mentio. Nonnullæ, uti Normana (*c*), Rhemenſis & Alverna eam rejiciunt: cumque partes intra conſuetudinis fines contrahunt, tum ei derogare nequeunt; ſed ſi uterque, aut ſaltem alteruter contrahentium domicilium ſuum intra fines conſuetudinis, ubi obtineat bonorum ſocietas, habeat, tum contrahere poſſunt, renuntiando hac in re conſuetudinis ſuæ diſpoſitioni. Aliæ, uti Pariſienſis (*d*), bonorum ſocietatem ab ipſo nuptiarum die inducunt: aliæ vero, uti Cenomana (*e*), non niſi poſt annum & diem: qua in re Pariſienſis conſuetudo, ejuſque ſequaces multo magis favent: ſi enim poſtero die a celebratis nuptiis obiret mulier, dimidiam bonorum ejus mobilium vir haberet; qua utilitate careret ex conſuetudine Cenomana, aliiſque ſimilibus.

In hac tanta conſuetudinum varietate, quiſque ſuæ Provinciæ conſuetudinem ſequi tenetur; cum vim Legis pro ipſo obtineat, quam etiam in conſcientia obſervare obligatur.

In Provinciis conſuetudinariis ubi viget bonorum communitas, ex nuptiali contractu eam abdicare poſſunt contrahentes; tumque, ſi præter excluſam communitatem, ex contractu a communione bonorum ſit ſejugata mulier, & in eam rem confirmata, ſua libere poteſt, etiam diſſentiente marito, bona adminiſtrare, ea locare, fructuſque eorum percipere; licet immobilia abſque viri ſui auctoritate nequeat abalienare, niſi forte ex contractu contrarium ei ſit licitum: & in hoc caſu annuam marito ſuo penſionem ſolvere debet mulier, cum par non ſit, ut eam gratuito nutriat. Sed ſi inter conjunctos omnem contractus excludat communitatem, nulla in ſavorem mulieris appoſita clauſula: vir omnes bonorum ſuæ mulieris fructus ac cenſus percipit, qui tum, ut bonum e dote proveniens habentur, cujus ex jure communi, quoad uſum dominus eſt maritus, quo Matrimonii onera poſſit ſuſtinere.

Vir ex contractu cum muliere ſua bonorum communionem paciſci poteſt, ſub certis conditionibus, v. gr. ſi naſcantur infantes e ſuo Matrimonio, vel eam excludere ſub contrariis conditionibus. Dici etiam poteſt in contractu, quod certam habebit ſocietatis portionem ſummamve determinatam; aut quod reditus quoſdam ſub titulo uſuſfructus percipiet: quæ clauſulæ & aliæ hujuſmodi adeo ſtabiles ſunt, ut iis jam derogari non poſſit; cum aliter deroganti fructus indirecte eveniret; quod tamen reciproce pro conjunctis eſt prohibitum (*f*).

(*a*) D. Ferrerius in Conſuetud. Pariſ. art. 220. Gloſſ. 1. n. 14.

(*b*) Idem art. 223. Gloſſ. 3. n. 4.

(*c*) Conſuetud. Normaniæ. art. 30.

(*d*) Conſuetudo. Pariſien. art. 220.

(*e*) Conſuet. Cenoman. art. 508.

(*f*) Louet. Litt. m. Sum. 4.

Quam-

Quamvis nulla fiat mentio de communitate bonorum in regionibus juris ſcripti, ex uſu tamen in contractu repromittitur pro voto contrahentium (*a*).

Contracta ſemel bonorum ſocietate, in his etiam regionibus ubi non admittitur, bonorum quæ parit maritus, fit particeps mulier: quod quidem eo æquius eſt, quod, ſi aliter res ſe haberet, mariti quorum eſt bonorum dominium, in conſuetudinibus prohibitivis omnia bona ſua in fraudem mulierum poſſent locare, ut eas jure ex contractu earum matrimoniali acquiſito privarent; quo proinde in hoc caſu contra maritos ſuos, eorumve heredes actionem habent.

(*a*) Louet. & Brodel. c. 15. 16.

Cum mobilia, ut dictum eſt, uti reditus immobilium qui percipiuntur, nec non dotis reliquationes communionis bonorum ſunt partes (*b*); æquum eſt, ut debita mobilia, ab alterutro ex conjunctis ante Matrimonium contracta, fiant communia. Unde creditor a marito, uti ab eo qui ſuus factus ex nuptiis debitor, debiti mulieris ſolutionem poteſt exigere, uti fert Conſuetudo Pariſienſis (*c*). Sed cum emtum ante nuptias immobile ſolvit maritus ex pecunia ſocietati, immobile illud non fit commune; ſed mulieri ſummam e communitate deductam ad ſolutionem venditoris aliunde compenſare tenetur.

(*b*) Conſuet. Pariſ. art. 223.

(*c*) Ibid. art. 221.

Quamquam bonorum communitatis dominium ita vir habeat, ut de iis pro arbitrio ſuo poſſit ſtatuere, per contractum inter vivos abſque conſenſu mulieris ſuæ (*d*); attamen mulieris bona vendere, oppignerare aut abalienare nequit ſine ejus conſenſu (*e*): pariter nullo inſtrumento publico mulierem ſuam abſque ejus conſenſu obligare poteſt, neque proinde heredes ejus niſi ad concurſum eorum, quæ vel mulier vel ejus heredes ex communitate poſſunt recipere: Ex hoc itaque principio fit, ut mulier, quæ defuncto marito communitatem ſibi oneroſam acceptavit, ab ejus obligatione eximitur, ſi mariti ſui creditoribus omnia communitatis bona derelinquat, modo fidelem eorum indicem, ſervatis formulis requiſitis, fecerit (*f*): Qui tamen bonorum Index nullus eſt ei uſus in Regem, erga quem in ſolidum obligatur, ubi communitatem, quantumvis ſibi oneroſam accepit; ſalvo tamen ejus recurſu in heredes mariti ſui. Communio bonorum deſinit 1. per mortem naturalem aut civilem mariti vel uxoris; ſi nulla proles e ſuo matrimonio fuerit procreata: ſed ſi pueri ſint minores, ſubſiſtit, (etiamſi eſſent majores) donec qui ſupervivit, omnia fideliter communitatis bona recenſuerit: quod in ſavorem pupillorum qui rebus ſuis invigilare non poſſunt, ſtatutum eſt, ut accurato inventario & juxta formam ſcripto, bonis eorum conſulere teneatur ſuperſtes. Si tamen pupillis oneroſa ſibi videatur communitas, huic renuntiare poſſunt, uti eorum heredes ex obitu.

(*d*) Ibid. art. 225.

(*e*) Ibid. art. 226.

(*f*) Conſuet. Pariſ. art. 224.

Mulier communitatem defuncto ſuo marito abjicere poteſt *rebus adhuc integris*, & modo nihil ante vel poſt renuntiationem e bonis communibus diverterit ac fideliter ea recenſuerit; alioqui ad eam non admittitur, ac dimidium crediti ſolvere tenetur (*g*). Hæc renunciatio, tempore & ſervatis conſuetudinis formulis eſt peragenda; excepto tamen caſu, in quo vir illius pecuniam regiam adminiſtraſſet: tum enim renuntiatio juridice coram Procuratore Regio fieri debet: & ſi nullum ex conſuetudine tempus præſcribatur; ad renuntiationem ſemper admittitur, modo bonis communitatis, nondum eorum facto indice, ſeſe immiſcuerit, aut (ſi nulla a marito ſuo bona fuerint derelicta) poſt actum perſcriptum, quod dicitur, *de carentia bonorum*

(*g*) Ibid. art. 237.

2. Deſinit communitas, confecto inventario, eo quo conſuetudo præſcribit, tempore, & cum formulis requiſitis. Quod enucleatius in ſequentibus deciſionibus explicabitur. Quod ſi nullum conſuetudine exigatur inventarium, una actione derogante ſocietas diſſolvitur, licet actio illa ſolemnibus non veſtiatur formulis, quas exigunt aliæ conſuetudines.

3. Deſinit communitas, cum ejus diviſionem a ſuperſtite parente requirunt filii: quod eo æquius eſt, quia denegata diviſione res communitatis aut diſſipare aut notabiliter minuere poſſet.

Ceterum, cum ſocietatem mulier diſſolvit, libere & ſine ulla reſtitutionis obligatione, ut loquuntur Notarii, jure poteſt repetere, 1. Quidquid attulit conformiter ad tenorem ſui contractus nuptialis, hoc eſt, quod ſtatim attulit; & etiam a die nuptiarum, ſeu per ſucceſſionem mobilem quæ ipſi eſt legatis, donatione aut aliter contigit.

Termini tamen iſti, *libere & ſine ulla reſtitutionis obligatione*, non intelliguntur de debitis, quæ in ſolidum una cum marito ſuo contraxiſſet: de iis enim tenetur, ſalva tamen appellatione heredum mariti ſui: verum, cum his contenta verbis clauſula juri communi deroget, numquam ſuppletur, ſi in contracta

Google

tracta fuerit omiſſa. 2. Prærogativam ſuam, bonorumque ſibi a marito ſuo derelictam partem in hac caſu repetere poteſt.

Multa in hanc rem addi poſſent; ſed ex dictis ſufficienter cognoſcitur. Qui pleniorem hujus notitiam requirunt, Juriſperitos Galliæ ſeu antiquos, ſeu recentiores adeant, ac præcipue D. Argou in Opere inſcripto: *Inſtitutio ad jus Gallicum*, in quo totum hoc argumentum clare explicat hic Auctor.

CASUS PRIMUS.

POTEST ne Diogenes, Adelaidæ maritus, qui juxta Conſuetudinem Pariſienſem *(a)* communitatis eſt dominus, erga mobilia, & etiam immobilia conſtante matrimonio parta; de his pro arbitrio diſponere, diſſentiente aut inſcia uxore ſua ad ditandos parentes ſuos aut amicos? An etiam uxori idem jus competit?

(a) Conſuet. Pariſ. art. 225. & 233.

RESPONS.

Licet conjugibus juridica non concedatur in ſe invicem actio furti in hac re; certum eſt tamen, eum graviter peccare, qui bona communitatis ita avertit, eaque in hujuſmodi uſum adhibet: viro quippe non potius quam mulieri jus in eam rem competit: licet enim parentibus ſuis egentibus aliquatenus opitulari poſſit, quia *Fructus dotis*, ut ait Gloſſa *(b)*, *cedunt lucro marito propter onera matrimonii*, *pro oneribus*, inquit Lex *(c)*: eos tamen in pravos uſus detorquere nequit cum detrimento mulieris ſuæ aut legitimorum ejus heredum. *Propter hanc eamdem ſocietatem*, inquit peritus Canoniſta *(d)*, *quia commixta familia eſt una domus; proinde non datur actio furti contra uxorem, quæ res mariti ſubtraxit, pendente & conſtante matrimonio; nec contra virum, ſi uxoris res ſuratus fuerit; quamquam enim delinquant, furtum committentes, tamen ob bonum conjugii toleratur hoc.*

(b) Gloſſa in Cap. *Salubriter*, 26. de uſuris. v. *Onera*. l. 5. tit. 19.

(c) L. *Pro oneribus*. Cod. de jure dotium. lib. 5. tit. 12.

(d) Greg. Toloſ. Syntagm. juris. l. 11. c. 3. & 4.

Hinc inferendum, quod ſi grave ſit damnum, quod alter alteri infert, ob ſuam injuſtitiam mortaliter peccat. Ob eam cauſam Honorius III. *(e)* ad politicum Præfectum civeſque Rupellæ ſcribens de conſuetudine, qua viro poſt dilapidatam rem propriam, aut emiſſam; mobilia quoque & immobilia ad mulierem pertinentia alienare licebat, talem conſuetudinem, uti abuſivam damnat; quæ proinde ob injuſtitiam ſuam in praxi erat rejicienda. Eo verba ſummi Pontificis: *Cum in patria veſtra ſervatæ ſint hactenus duæ conſuetudines abuſivæ; una: quod indigenu, vel extraneus prodigalitatis vitio, vel incuria, vel quocumque caſu alio diſſipaverit, vel amiſerit bona ſua, bona uxoris ſuæ tam mobilia, quam immobilia, pro ſuæ voluntatis arbitrio alienat. Quare (f) fit interdum, ut, viro defuncto, mulier remaneat indotata, vel ſuperſtites filii extremæ ſubjaceant paupertatis incommodis. Et quod ſi vir ducat uxorem, &c. Tenore præſentium declaramus vos non teneri ad hujuſmodi conſuetudines obſervandas: tamquam juri contrarias*; ſubjungit Pithœus.

(e) Honorius III in Cap. *Ex parte*, 10. de Conſuetud. l. 1. tit. 4.

(f) Addicio Pithœi.

Quod ſi vir, eo minus uxor, ſic ſe gerere debet: cum ex conſuetudine Pariſina, quæ in hoc Legi Codicis conſentit, ſocietatis vir habeat dominium *(g)*: *Bonum erat, mulierem quæ ſe ipſam marito committit, res etiam ejuſdem pati arbitrio gubernari*. Idem quoque luculenter probat Epiſtola S. Auguſtini ad Ecdiciam matronam nobilem, quæ communia cum marito ſuo bona, duobus Monachis, uti pauperibus, ipſo inſcio erogarat: *Omnia, vel pæne omnia quæ habebas, neſcio quibus duobus tranſeuntibus Monachis, tamquam pauperibus eroganda donaveris*. Poſtea reſpondet S. Doctor *(h)*: *Nihil ergo de tua veſte, nihil de tuo auro, argento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis ſine arbitrio ejus facere debuiſti (i).... Porro, ſi de faciendis eleemoſynis & in pauperes impendendis de rebus tuis .... cum viro tuo fideli .... conſilium communicare deberes, ejuſdem non ſpernere voluntatem*. Unde ſic ei ſuadet ſanctus Eccleſiæ Doctor *(k)*. *Scribe ad eam ſatisfactionem, petens veniam, quia in eam peccaſti, quod præter ejus conſilium & voluntatem de rebus tuis feciſti, quod faciendum putaſti.*

(g) L. *Hac lege*. 8. Cod. de pactis conventis. lib. 5. tit. 14.

(h) S. Aug. Epiſt. 272. alias 99. n. 4. & 5.

(i) Idem. ibid. n. 9.

(k) Ibid. n. 11.

Ex hactenus dictis ſequitur a fortiori, quod maritus mulieris bona paraphernà ſibi vindicare non poteſt, id eſt, ut explicat Lex *(l)*, ea quæ dotis partem non faciunt, & quorum proprietatem & uſum ſibi retinuit, ut obſervat Navarra his verbis *(m)*: *Peccat mortaliter maritus, qui ſibi aut alteri accipit aliquid notabile ex donis, quæ propter dotem uxor habet; quæ Græco vocabulo parapherna appellat Lex ultima de pactis conventis. Nam alienam contra jus uſurpat*. Quod intelligimus pro iis regionibus, in quibus parapherna locum habent, ut in regionibus juris ſcripti.

(l) Leg. *Si ergo*. 9. ff. de jure dotium. l. 23. tit. 3.

(m) Navarra. Man. cap. n. 153.

CASUS II.

VERONICÆ, Nicolai viduæ, quatuor librarum millibus dotatæ, nupſit Numenius; ſed illa ſeu ex mutuo, ſeu empto mille nummos debebat; quod Numenio celavit. Bonorum ſocietatem conſtituit eorum contractus nuptialis, cum appoſita clauſula, quod quiſque ſua ante matrimonium contracta debita ſit ſoluturus. Poſt trimeſtre a matrimonio ſpatium Veronicæ creditores Numenium de ſolutione mille nummorum ab ejus muliere debitorum convenere: Numenius contractum ſuum matrimonialem apud Judices produxit, vi cujus ad ſolutionem debitorum ſuæ mulieris ſe non teneri contendit; niſi quod ejus mobilium juridicam detentionem obtineant creditores. Cui litem adjudicabit Judex?

RESPONS.

Certum eſt, quod conjunctorum debita perſonalia ex inita bonorum inter ſe ſocietate, fiunt quoque communia; ita ut maritus ſolutione dumtaxat fiat liber; quia ſocietati renuntiare non poteſt: quæ facultas ſoli mulieri conceditur: unde Creditores in maritum, uti communitatis dominum, quamdiu ſubſiſtit, de totali debitorum ſolutione agere poſſunt; ac ſi forte diſſolvatur communitas, dimidiam ab eo ſolutionem, aut ab ejus heredibus poſſunt exigere.

Clauſula quidem nuptiali pactioni inter Numenium & Veronicam appoſita, jus actionis in Numenium poteſt auferre Veronicæ creditoribus: ſed illa clauſula a Conſuetudine Pariſienſi *(n)* & nonnullis aliis inducta, nullius eſt momenti contra creditores; niſi factum fuerit ex utraque parte conjunctorum ante nuptias inventarium: quo in caſu res inventario contentas, earumve pretium legitimum exhibere tenetur maritus: ſed nulla tum creditoribus in maritum competit actio perſonalis, ſed tantum bonorum uxoris, ſi quæ ſint, juridica detentio ad debitorum ſolutionem. Ex regulis igitur pro Numenio, ejuſve uxoris creditoribus Judex ſententiam dicet.

(n) Conſuet. Pariſ. art. 222.

Advertendum heic. 1. Creditoribus mariti in ipſum poſſe agere, & in communitatis bona, quamdiu ſubſiſtit, manus regias injicere; ſed ab uxore quidquam requirere nequeunt, neque dimidiam bonorum communitatis partem ipſi debitam juridice detinere poſſunt, modo dimidiam rerum inventario contentarum partem, aut juſtum pretium exhibeat.

2. Obſervandum, quod clauſula, qua cuique ex conjunctis aſſignatur ſeparatim ſolutio debitorum, quæ ante nuptias fuere contracta, ſuum ſemper reciproce ſortitur integrum effectum, licet nullum ante ab ipſi fuerit præmiſſum inventarium: unde, ſi deficiente inventario, unus ex conjugatis ad ſolutionem debitorum alterius fuiſſet coactus, eam debitor præſtare ipſi tenetur *(o)*; ut obſervat Richard. *(p)*.

(o) Inſtitut. ad jus Gallicum. l. 3. cap. 7.

CASUS III.

CHRISTINA, uxor Barnabæ, qui Joannæ prius nupſerat, initæ inter ſe bonorum ſocietati damnum afferre virum ſuum, magnis quæ natis ex priori conjugio confert, donis, vehementer ſuſpicatur: qua de re tria quæruntur. 1. Utrum Barnabas cum ſocietatis ſit dominus, de bonis illius pro natis e priori ſuo conjugio poſſit ſtatuere, 2. Si ſorte hoc ipſi non liceat, utrum Chriſtina ab eo rationem bonorum communitatis præſentium queat exigere. 3. Si rationem hanc deneget, utrum clam aliquid poſſit avertere per modum compenſationis damni, quod a viro ſuo inferri ſibi exiſtimat?

(p) Richard. in art. 22. Conſuet. Pariſienſ.

RE-

R e s p o n s.

Ad primam quæſtionem reſpondemus, eatenus maritum communitatis dominium habere, ut eam tamquam bonus paterfamilias adminiſtret, ejuſque bona, poſt ſolutionem, propriis dominis reſtituat; non vero ut dilapidet, eorumve partem in eorum commodum quorum non ſunt, avertat. Id quidem ſolide in reſponſione ad primum Caſum probavimus.

Ad ſecundam quæſtionem dicimus, Chriſtinam jure a viro ſuo rationem bonorum præſentium communitatis exigere non poſſe; ut nimirum ſibi pateat veritas aut falſitas ſuſpicionis ſuæ; hanc enim cum ea habere rationem non tenetur magis, quam quiſquam de bono proprio. Nec ipſi juridice rationem petenti actio concederetur.

Ad tertiam denique reſpondemus, mulierem hanc de bonis communitatis quidquam ſubducere clam non poſſe obtentu damni, quod ſibi a marito inferri ſuſpicatur. 1. Quia nec ipſa, nec proles ejus nullum actus in bona communitatis, quamdiu ſubſiſtit, jus babent acquiſitum. 2. Quia falſis nititur forſan rationum momentis ejus ſuſpicio; quæ cum vera eſſet, inſcia eſt tamen, quo pertingat damnum, quod ſibi poteſt inferre maritus. Ita Theologus ingnis pari reſpondens difficultati (a).

(a) De Ste. Beuve. tom. 3. cas. 195.

CASUS IV.

Jovta, uxor Alexandri, pecuniam quandoque marito ſuo ad luſum aut innoxias voluptates, & etiam quandoque ad eleemoſynas clam ſubripit. Num id poteſt, viro inſcio, tuta conſcientia?

R e s p o n s.

Regula generalis hæc eſt, quidquam nimirum a muliere de bonis communitatis inter ſe virumque initæ clam detrahi poſſe abſque reatu peccati. Id quidem expreſſo ſancti Auguſtini teſtimonio in deciſione prima ſuperius probatum eſt. Duo tamen caſus ſunt excipiendi: prior; cum de ſublevanda agitur miſeria pauperis ad extremam neceſſitatem adacti; tum enim ad id obligat jus naturæ, ut indicat illud ſancti Ambroſii (b): *Paſce fame morientem. Quiſquis enim paſcendo hominem ſervare poteras; ſi non paviſti, occidiſti*. Alter; ſi hanc ſibi facultatem ſumeret mulier, ut a viro ſuo majus averteret malum; ut probari poteſt exemplo Abigail, (c) quæ cum Nabali viro ſuo iratum Davidem noviſſet, quod cibaria recuſaſſet; regem hunc donis maximis, quæ non indicavit viro ſuo, placavit: *Feſtinavit igitur Abigail*, inquit Scriptura, *& tulit ducentos panes & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas uvæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum .... viro autem ſuo Nabal non indicavit.*

(b) S. Ambr. l. 2. de Officiis. in Can. *Paſce*. 21. diſt. 86.

(c) 1. Reg. 25. & 29.

Inſuper 1. *Videtur dicendum*, inquit Merbeſius (d), *quod uxor poſſit ex bonis communibus ſubtrahere, ut patri vel matri, vel utrique gravi neceſſitate laboranti, impertiat, ſi maritus illis operam afferre renuat*. Cujus rei hanc affert rationem: *Cenſentur enim ea lege contrahi matrimonia, ut onera debitaque realia quæ uni conjugi incidunt, alterius etiam debita evadant.*

(d) Marbeſ. Sum. Chriſt. tom. 2. part. 2. q. 161. pag. 396. col. 2.

Unde ſic concludit: *Cum ergo uxor parentibus ſuis ad gravem neceſſitatem adactis, neceſſaria vitæ præſidia, ſic tamquam ex debito juſtitiæ ſuppeditare teneatur; vir quoque propter initum matrimonium eamdem obligationem contraxiſſe cenſetur*. Exiſtimat hic doctor, idem eſſe dicendum de fratre, ſorore natiſque e priori conjugio, ſi ad parem adigantur neceſſitatem, eiſque ſuccurrere inhumane renuat vir illius uxoris.

2. Dici poteſt etiam, mulierem hanc cum tacito viri ſui, præſertim abſentis, conſenſu eleemoſynas erogare poſſe, cum nimirum bona communitatis adminiſtrat; tum enim tantum erogare poteſt, quantum præſens ſolebat maritus, niſi aliter ante diſceſſum ſtatuerit (e).

(e) Petrus Paludan. in 4. diſt. 23. q. 3. art. 6. Concl. 2. Navar. Man. c. 17. n. 155.

Denique addi poteſt, quod, ſi ſufficientem marito ſuo dotem attulerit uxor, nec egeat familia ſtatuere; poteſt de quibuſdam lucris aliquo partis labore, ad quem vir eam non adigit, quique ad familiæ ſuæ ſuſtentationem non eſt neceſſarius; ut docet Navarra (f).

(f) Idem. cit. c. 17. n. 154.

Ex quibus infertur ad reſponſionem propoſiti caſus, Joviam marito ſuo pecuniam ad luſum aut ad alias ſuas innoxias, ut ait, voluptates clam non poſſe ſubtrahere, ne quidem etiam eleemoſynarum prætextus niſi in caſibus, & eo quo explicuimus, modo.

Vide *Furtum*, Caſ. III.

CASUS V.

Leonardus & Ludovica uxor ejus, tres habent filias, quarum duæ religionem amplecti cupiunt: Leonardus, id ægre ferens, duo millia & quingentas libras cuilibet dumtaxat pro dote vult conſtituere, cum abſque ullo ſui incommodo ſummam illam poſſit duplicare, quippe qui jam tertiam filiam matrimonio collocarit 10000. libris dotatam. Cum autem in Monaſterium, quo ſubire cupiunt, nonniſi cum 60000. libris pro duabus ob ejus paupertatem admitti nequeant; Ludovica, earum mater, quæ omnem domus ſuæ pecuniam adminiſtrat, 1000. libras alias dare, inſcio marito ſuo, obtulit; ne contra intentionem ſuam filiæ ad vitam cælibem vocatæ, ab ea avocentur. Qua de re quæritur 1. utrum tuta conſcientia ſic ſe gerere queat, licet maritus ſit communitatis bonorum dominus, cum injuſte multo minorem his duabus dotem deneget, quam tertiæ conceſſit? 2. Utrum Monaſterii illius Religioſæ 1000. Libras a Ludovica recipere poſſint, ſi forte eas numeret?

R e s p o n s.

Cum Maritus communitatis dominium habeat ex conſuetudine Pariſienſi (g), tum erga mobilia, qualis eſt præſens pecunia, tum immobilia conſtante matrimonio parta; Ludovica Leonardi uxor mille libras ad procurandum ingreſſum in religionem duabus filiabus ſuis ab ea nequit avertere abſque injuſtitia, cum rem non ſuam daret. Quare, licet durius cum filiabus ſuis agat Leonardus, & injuſte ipſi ſufficientem dotem recuſet, cum abſque ullo ſui incommodo eam dare queat, ac triplo majorem filiæ nuptæ dederit: hanc tamen injuſtitiæ ſpeciem reſarcire non poteſt uxor ejus, cum via tantum illicita poſſit. Quod ut certius fiat; legantur, quæ ea de re in reſponſione ad primam difficultatem attulimus. Hinc inferri neceſſe eſt, quod, ſi Monaſterii Religioſis notum ſit, Ludovicam 1000. libras, inſcio dare nec conſentiente marito, eas abſque peccato recipere nequeunt; tum enim ob conſenſum ſuum illius peccati fierent conſciæ, juxta illud Apoſtoli (h): *Digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

(g) Conſuetu. Pariſienſ. art. 225. & 231.

(h) Rom. 1. 32.

CASUS VI.

Æmiliana Vidua, poſt mortem viri ſui, qui multus erat in ære alieno ob res proprias atque uxoris ac familiæ ſuæ ſuſtentationem, & huic ſolvendo ex bonis per obitum derelictis impar; communitati bonorum initæ ex matrimonio renuntiavit, dotemque ſuam ceteraſque nuptiales pactiones dumtaxat repetiit. Num ita ſe gerere potuit abſque injuſtitia erga creditores defuncti mariti?

R e s p o n s.

Quidam auctores exiſtimant indiſtincte, mulierem, rejecta communitate, dotem ſuam ceteraque dotalia pacta abſque peccato recuperare poſſe; nec eam teneri ad ſolvenda debita, licet pro ſe ac familiæ ſuſtentatione contracta. Alii putant, quod, ſi aliunde viduæ ſuppeterent ad vitam neceſſaria; ac ipſa prævidiſſet, fore ut contracta a marito ſuo debita ſolvi non poſſent, ad ſolutionem teneretur: uti etiam, ſi ob aliquam rationem particularem eam nutrire non teneretur, aut etiam gratuito ſe nolle declaraſſet, aut ſi debita illa nomine uxoris conſentientis contraxiſſet: quo in caſu aſſerunt iſti auctores cum prioribus, eam ad ſolutionem obligari. Denique mediam quamdam inter duas illas opiniones viam ineunt alii, dicendo, eam tantum a ſolutionis obligatione eſſe liberam; cum pro ſua dumtaxat utilitate ea contraxit maritus.

Attamen cum vim legis obtineant conſuetudines, univerſim in regione obſervatæ; non ſine cauſſa affirmari poſſe videtur, mulierem hanc tuta conſcientia libere & ſine ulla reſtitutionis obligatione dotem ſuam ceteraſque nuptiales pactiones repetere poſſe, ab omnibus mariti ſui debitis ſolutam, licet

ea ad communem is contraxerit utilitatem. Ratio eſt quia 1. Uxor, ut ſupponimus, jure victum ſuum, veſtitum, cetera que ad vitam neceſſaria a viro ſuo poterat exigere propriis illius impenſis, cum ad hujuſmodi onera ſuſtinenda dotis ejus fructus percipiebat maritus, uti ſtatuunt Leges (*a*). 2. Quia debiti ſui jacturam ſibi debent adſcribere creditores: iis nimirum nota erat, aut eſſe debebat contrariæ ſibi, ac viduis propitiæ conſuetudinis diſpoſitio.

(*a*) Leg. *Dotis*. 7. ff. de jure dotium l. 23. tit. 3. Leg. *Promeribus*. 20 eod. eod. tit. lib. 5. tit. 12.

Certum eſt tamen, quod vidua tenetur de debitis, quæ per ſe ipſa contraxit, aut ob ſolam ejus utilitatem maritus. *Ad novum quæſitum*, inquit Navarra (*b*), *reſpondemus affirmative, quod etiam in foro conſcientiæ poteſt uxor totam dotem repetere, mortuo marito; eſto, quod ille multa ſuperflua impendiſſet, in eam alendo & ornando: quia jura cum onere conſervandi eam uxori, faciunt eum dominum ejus*. Quod pluribus conſentaneum eſt, quas laudat hic auctor, legibus; & huic in primis (*c*): *In rebus dotalibus, ſive mobilibus, ſive immobilibus, ſeu ſe moventibus (ſi tamen exſtant) ſive æſtimatæ, ſive inæſtimatæ ſint, mulierem in his vindicandis omnem habere poſt diſſolutionem matrimonii prærogativam jubemus: & neminem creditorum mariti qui anteriores ſunt, poſſe ſibi potiorem cauſſam in his per hypothecam vindicare: cum eædem res & ab initio uxoris fuerint & naturaliter in ejus permanſerint dominio .... Volumus itaque tam in rem actionem in hujuſmodi rebus, quaſi propriis habere, hypothecariam omnibus anteriorem poſſidere*.

(*b*) Navarr. Manual. c. 17. n. 155.

(*c*) Leg. *In rebus*. 30. cod. de jure dotium.

Jus Canonicum hac in re cum legibus Romanis conſentit, uti conſtat ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiſcopum & Archidiaconum Genuenſes, quæ refertur in ſecundo titulo libri quarti Decretalium (*d*).

(*d*) Innoc. III. in Cap. *Per veſtras*. 7. de donat. inter virum & uxorem &c.

Concludimus ergo, quod, ſi Æmiliana proprio nomine mariti ſui debitis non ſit obſtricta, nec debita illa ob ſolam ejus utilitatem a marito fuerint contracta, uti ex propoſita ſpecie videtur; ab eorum ſolutione ſe ipſam eximere poteſt, & in reliquis defuncti bonis dotem ſuam ceteraſque nuptiales pactiones, omnibus poſtpoſitis creditoribus, repetere.

Vide SILVA, Caſ. *Bartholomæus*.

COMOEDIA.

COMOEDIA, inquit Hoſmanus (*e*), *drama eſt, civiles & privatas actiones exitu læto repræſentans*. Quod ſcilicet ingenioſe mores hominum emendat, variiſque eorum narrationibus audientium animos oblectat; quales ſunt Comœdiæ Ariſtophanis, Plauti & Terentii. Vox illa, *drama*, generatim ſumta, quodlibet poema dramaticum ſignificat, ſeu Comœdiam, vel fabulam paſtoritiam, aut Tragœdiam. Quocirca Comœdus ſeu ſcenicus is dicitur, qui prodit in ſcenam, quique mandatam ſibi perſonam ſeu partes ſuas agens, aliis eſt adjumento ad exhibendum poema quoddam dramaticum, ut populum oblectet, indeque neceſſaria vitæ quærat, Unde non immerito Comicos hujuſmodi Concilium Saliſburgenſe an. 1310. (*f*) habitum vocat, *Buſones & Gailbardos*.

(*e*) *Hoſman*. v. Comœdia.

(*f*) Concil. Saliburg. Can. 3.

Certum eſt, Comœdiam, ut initium ſic progreſſum ſuum ab Ethnicis habere, ut fuſe probat Hoſmanus.

Fertur, Comœdiam Gallicanam ſucceſſiſſe Sodalitati Paſſionis circa an. 1400. in templo ſanctæ Trinitatis Pariſienſis erectæ, & an. 1402. regio diplomate confirmatæ, cujus confratres quibuſdam diebus & in certis locis privatis aliquod Religionis myſterium repræſentabant, qualia ſunt myſteria Paſſionis & Reſurrectionis Domini noſtri, & myſteria quorumdam Sanctorum, & ubi adeſſe quandoque non dedignatus eſt Rex Carolus VI. mutato in Xenodochium Auditorio, ubi ſpectacula illa repræſentabant ex Arreſto Parlamenti an. 1545. tum locum & reliquias antiqui Burgundorum Palatii collapſi emere, ubi erecto theatro, ſpectacula ſua edidere, quæ brevi profana facta ſunt: quocirca ex Arreſto Senatus an. 1548. iis prohibitum eſt, ne myſterium Paſſionis aliaque ſacra myſteria repræſentarent. Igitur a ſpectaculi hujuſmodi abſtinuere; ſed cum ultra progredi non deberent, theatrum ſuum Gallicis & Italis Comœdis conduxere; excepto uno dumtaxat, quod ſibi ſervarunt, ſcenæ receptaculo. denique an. 1676. ſodalitii hujus reditus annuus generali Xenodochio annexus eſt.

Cum multi variique ad Paludem & alio conveniſſent Comœdi; hos omnes in unum gregem an. 1680. ſimplici Brevi coegit Ludovicus XIV. atque illud unum eſt Comœdiæ ſtabilimen quod non ſecutæ ſunt Litteræ, ut aiunt, patentes; quia Communitatis corpus non efficiunt Comœdi in regno, ex quo poſſunt expelli, uti ſancti Ludovici temporibus, qui eos omnes ejecit e Gallia, ubi etiam nunc ob politicas tantummodo rationes tolerantur, quemadmodum & alia mala, non minus quam Romæ & alibi.

Ceterum in ſequentibus deciſionibus patebit, quam noxia ſit Comœdia, nec non damnanda, vel ex ipſo antiquorum judicio Romanorum, qui juxta leges ſuas Comœdos infamibus annumerabant. *Prætoris verba dicunt*, inquit Lex Digeſtorum (*g*) *infamia notatur, qui artis ludicræ pronuntiandive cauſſa in ſcenam prodierit*. Quæ verba in ſequenti lege fuſius exponuntur (*h*) non ſine magno eorum pudore, qui pecuniæ cauſſa in ſcenam prodeunt. Jam ab an. 314 Arelatenſe Concilium hujuſmodi farinæ homines anathemate percnlit: *De Thea-*

(*g*) Leg *Prætoris*. 1. ff. de his qui notantur infamia. l. 3. tit. 2.

(*h*) L. quod att. 2. ibid. §. *Ait Prætor*.

Theatricis, inquiunt Patres hujuſce Concilii (*a*), *& ipſos placuit, quamdiu agunt, a Communione ſeparari*. Concilium pariter Eliberitanum (*b*) an. 305. eos ſacra Communione privavit, qui veſtes ſuas ad ſpectaculorum pompam commodabant: *Matronæ, vel earum mariti, veſtimenta ſua ad ornandum ſaculariter pompam, non dent: & ſi fecerint, triennio abſtineant*. Hæc ſunt hujuſce Concilii verba: nec eſt, quod quis hanc antiquam Eccleſiæ ſeveram diſciplinam in Comœdos, eorumve comites aut ſpectatores demiretur; quandoquidem vel ipſi Ethnici, uti Seneca, Comœdiam, tamquam rem vel maxime bonis moribus noxiam habuere; *Nihil tam moribus alienum*, inquit hic Philoſophus, *quam in ſpectaculo detineri*. Et nonnulli fuerunt Imperatores; inter quos Domitianus, qui Roma Comœdos, tamquam genus hominum bono Imperii regimini infenſum expulere: qua in re non allucinabantur. Sanctus Chryſoſtomus in Homilia ſexageſima nona in Evangelium ſancti Matthæi, in qua Comœdiam inſectatur, ſic de ea aſſerit; *Quidquid ibi geritur, non eſt oblectatio, ſed pernicies*. Quæ cum ita ſint, tamquam certum jure affirmare poſſumus Comœdos alioſque hujus generis homines, quorum ars tota eſt in excitandis aut fovendis mundanis ac inſanis amoribus poſita, ſacrorum participatione privari; nec minus certum eſt, abſque peccato eorum non poſſe frequentari ſpectacula.

(*a*) Conc. Arelaten. Can. 5.

(*b*) Concil. Eliberitan. Can. 57.

CASUS PRIMUS,

ARISTOBULUS, vir nobilis, & Mariana uxor ejus Comœdiis fabuliſque quæ muſicis decantantur modis, ſolent adeſſe. Hos monuit Confeſſarius, quod, niſi ab hujuſmodi ſpectaculis ſe receſſuros promittant, abſolutionis beneficium eis non impendet: Ariſtobulus generalem hanc eſſe inter nobiles conſuetudinem receptam cauſſatur, adeo ut in iis ludis amicorum ſocietatem abſque eorum riſu aut contemtu denegare nequeat: ad hanc rationem Mariana debitam viro ſuo obedientiam obtendit, qui ab ea exigit, ut ſibi comes aliiſve Matronis nobilibus ſit in hujuſmodi ludis. Ambo etiam addunt, huc ſe innoxiæ oblectationis cauſſa conferre, præſertim cum hodierna Comœdia multo ſit emendatior & caſtior ludieris præteritorum ſæculorum fabulis: hanc denique conſuetudinem in regionibus vel præcipue moratis eſſe acceptam; ne Roma quidem excepta, ubi prima eſt religionis ſedes. Numquid Confeſſarius iſtis debet aſſentiri rationibus, illiſque abſolutionem impendere pœnitentibus; licet ab hujuſmodi ſpectaeulis ſe deinceps abſtinere recuſent?

RESPONS.

Ariſtobulus & Mariana vanis quas afferunt rationibus non excuſantur coram Deo. Omnibus namque ſæculis ſcenicos ludos damnavit Eccleſia; ut conſtat ex ſcriptis ſanctorum Patrum, qui inutiles illas pernicioſaſque oblectationes inſectati ſunt.

Tertullianus quidem aſſerit (*c*) quod Theatrum *Eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur*. Addit etiam ſubtiles, quibus defenditur Comœdiæ inſpectio, rationes uno ſæcularium voluptatum appetitu niti: *Quam ſapiens argumentatrix*, inquit, *ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cum aliquid ejuſmodi de gaudiis & de fructibus ſæculi metuit amittere?*

(*c*) Tertull. l. de ſpectaculis c. 17.

Sanctus Clemens Alexandrinus (*d*) non minus acriter hæc ſpectacula impugnat, quia *Magna confuſione* ait, *& iniquitate hi cœtus pleni ſunt. Prohibeantur ergo*, ſubjungit, *ſpectacula & acromata, quæ nequitia verbiſque obſcenis & vanis temere profuſis plena ſunt*.

(*d*) S. Clem. Alex. l. 3. Pædagogi. c. 11. ſub fin.

Sanctus Chryſoſtomus apoſtolico, quo erat accenſus, zelo Theatrales ludos inſequitur, & multa in eam rem affert ratiocinia quæ longius eſſet referre (*e*). Hoc unum ex ipſo ſufficit aſſerere, quod Comœdiarum ſpectatores gravius aliqua ratione peccant, quam earum actores. *Non enim*, inquit ſanctus ille Doctor, *tam ille delinquit, qui illa ſimulat, quam tu præ illo, qui hoc fieri jubes: non ſolum jubes; ſed etiam exſultatione, riſu, plauſu adjuvas, quæ gerunt, omnibus prorſus modis hanc diabolicam confovens officinam*.

(*e*) S. Joan. Chryſoſt. Hom. 6. in Matth.

Sanctus Auguſtinus (*f*) urbis Carthaginis infelicitatem delamentatur; Quod pulſos Roma ab Alarico rege Comœdos intra mœnia ſua admiſerit, Comœdiamque his pingit verbis: *Ludi Scenici, ſpectacula turpitudinum, & licentia vanitatum .... Aſtutia ſpirituum nefandorum, prævidens illam peſtilentiam* (idololatriæ) *jam ſine debito ceſſaturam .... aliam longe graviorem .... non corporibus, ſed moribus curavit immittere*.

(*f*) S. Aug. l. 1. de Civit. Dei c. 32.

Salvianus de Spectaeulis ſic loquitur (*g*): *Quomodo, o Chriſtiane ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris; quæ opus eſſe diaboli conſiteris? in ſpectaculis enim quædam apoſtaſia fidei eſt, & a ſymbolis ipſius & cæleſtibus ſacramentis lethalis prævaricatio*. Cujus dicti hanc rationem affert: *Diabulus autem* (eſt) *in ſpectaculis & pompis ſuis. Ac per hoc: cum redimus ad ſpectaculum, relinquimus fidem Chriſti*. Unde iterum ſic concludit: *Si cui itaque leve ſpectaculorum crimen videtur, reſpiciat cuncta quæ diximus, & videat in ſpectaculis non voluptatem eſſe, ſed mortem*.

(*g*) Salvianus l. 6. de gubernatione. tom. 5. Bibliothec. SS. Patrum.

Merito itaque e Gallia a regibus Philippo, dicto Pulchro, & ſancto Ludovico expulſi fuere omnes Comœdi; & contra eos multa a Pariſienſi Senatu lata fuere Arreſta, qualia fuere Arreſta, 6. Octob. an. 1584. contra Comœdos, qui in Cluniacenſi Palatio Theatrum conſtituerant, & 6. Decembris an. 1588. in alium ſcenicorum gregem.

Equidem non diffitemur ſanctos Patres, ita loquendo, in quoſdam aciem ſermonis ſui intendiſſe Ludos, qui *Majuma* dicebantur, e quibus Imperatorum juſſu quidquid obſcenius & turpius erat, ademtum eſt; ſed tamen eos, quantumvis reformatos, adulteriorum & diſſolutionis ſcholam appellat ſanctus Chryſoſtomus: non quod obſcenæ in theatro exhiberentur actiones; quam rem prohibuiſſet Imperatorum pietas; ſed quia verba geſtuſque affectatos adhiberent Comœdi, quibus ſpectantium animi ad impuras cogitationes affectuſque malos abducebantur. Quod etiamnum fit in Comœdiis. Quocirca cum ſanctis Patribus affirmari poteſt, Comœdiam, præcipuum pro adoleſcentibus eſſe *privatum conſiſtorium impudicitiæ*. Enimveru ſi vel ſolo aſpectu ſexus diverſi, in ipſa etiam Eccleſia oriantur motus impudici; & quid de iis cogitandum, qui libere fiunt in iis locis, ubi impune dominantur immodeſtia atque impudentia?

Præterea jubet Scriptura, accurate vitentur pravi ſermones, quia (*h*) *corrumpunt mores bonos colloquia mala*. Quæ ſunt autem Comœdorum atque hiſtrionum colloquia? Publicæ ſunt ſermocinationes, quæ ad ruinam tantum animarum procurandam tendunt, quæ a præſentibus riſu excipiuntur, plauſu comprobantur & auctoritatem habent. Numquid enim in eorum ore vigebit innocentia & modeſtia, quos leges omnes Eccleſiaſticæ & Civiles infamia inurunt (*i*)? *Qui in ſcenam prodierit, infamis eſt*, inquit Lex (*K*). *Scena autem eſt, quæ ludorum faciendorum*

(*h*) 1. Corinth. 15. 33.

(*i*) Ulpianus. In leg. *Quod ait*. 2. ff. de his, qui notantur infamia §. 5. lib. 3. tit. 2.

(*K*) Cit. §. 5.

cauſſa, quolibet loco ubi quis conſiſtat, moveaturque, ſpectaculum ſui præbiturus, poſita ſit in publico privatove, vel in vico; quo tamen loco paſſim homines ſpectaculi cauſſa admittantur.

Numquid honeſta proferent illi verba, quibus ad corrumpendam pudicitiam ſub ſpecioſo oblectamenti prætextu utitur dœmonis aſtutia, & ad evertendas Evangelii regulas ahis propoſitis huic penitus contrariis, ad quas etiam ex mimicis actionibus accedit venuſtas quædam & facilitas, ut a mundanis jam male affectis animo imbibantur?

Sed ad propoſitum caſum redeamus, & ex dictis hactenus concludamus, Ariſtobulo & Marianæ nullatenus deinceps comœdiarum frequentiam eſſe licitam, & eos ſub peccato hac in re teneri Confeſſario ſuo morem gerere. *Reſpiciant*, ut jam ex Salviano retulimus, *cuncta quæ diximus, & videant in ſpectaculis non voluptatem eſſe, ſed mortem.* Nimirum fruſtra comœdiam comœdoſque vel in regionibus quam maxime moratis tolerari obtendunt, eamque conſuetudinem Principum & Magiſtratuum auctoritate firmari: Ex eo enim a culpa non fiunt immunes, cum eos damnet ſemperque damnaverit Eccleſia, neque Comœdos ad Communionem aut ad Eccleſiaſticam ſepulturam ut pote excommunicatos, admitti patiatur; nam neminem fugit, eos ut tales, ſingulis Dominicis in Miſſa ſolemni juxta antiqua Conciliorum Statuta denuntiari (*a*): *De Theatricis & ipſos placuit, quamdiu agunt, a communione ſeparari*, inquit Arelatenſe 1. Ceterum in Chriſtiano imperio tolerantur, ut minus malum ad majus evitandum. Addamus inſuper quod *Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt*, ut ait Cyprianus (*b*). *Hoc exigit veritatem*, ut ratiocinatur Tertullianus, *cui nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium nationum .... Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit* (*c*). Denique *Conſuetudo*, inquit Innocentius III. ad Epiſcopum Pictavienſem ſcribens (*d*), *quæ canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti.*

(*a*) Conc. Arelatenſ. 1. c. 1.

(*b*) S. Cyprian. Epiſt. 74. ad Pompeium. ſecundum Edit. Pamelii & Dodwvel.

(*c*) Tertull. lib. de Velandis Virgin.

(*d*) Innoc. III. in Cap. *Ad noſtram*. de conſuetud. l. 1. 11. 4.

Sed quia ſanctum Thomam ad ſuas partes adducere conantur Comœdiæ fautores ob iſta ejus verba: (*e*) *Officium Hiſtrionum*, inquit, *quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati; dummodo moderate ludo utantur, id eſt, non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum &c.* Sciendum, quod ibi ſanctus Doctor non loquitur de comœdiis iiſdem de quibus ſancti Patres, & quales etiam hodie exhibentur, in quibus, uti jam diximus, clandeſtini matrimonii inſanorumve amorum nodis ſcena obſtrepit, vocibuſque æquivocis, quæ fovendis cupiditatibus immoderatiſſimis ac turpiſſimis inſerviunt. Nam abſque atroci injuria poteſtne Sancto huic adſcribi doctrina Conciliorum deciſionibus, ſanctorumque Patrum cujuslibet ſæculi ſententiis diſſona? Num veriſimile eſt, Doctorem Angelicum artem approbaſſe, ex qua artifex ejus fit infamis & excommunicatus? Pro certo itaque affirmari poteſt eum loqui dumtaxat de ludis illis ſcenicis; qui, ut ipſe ait, aliquatenus utiles ſunt aut neceſſarii ad ſublevandas vitæ miſerias, & inter quos Venationis ſpectacula reponit, quorum actoribus quidquam dari non recuſat, & quos juxta vulgatis ſermonis uſum *Hiſtriones* appellat. En ejus verba in priori illo quod laudatur, opere; in quo rem non obiter, ſed *ex profeſſo* agitat (*f*), *ad ſecundam quæſtionem dicendum, quod hujuſmodi ſpectacula, ſi ſunt rerum turpium, & ad peccatum provocantium, ſtudioſa eorum inſpectio peccatum eſt, & quandoque in eis tanta poteſt libido adhiberi, ut ſit etiam mortale. Unde a tali inſpectione omnes ſe arcere debent.* Hæc eſt hujuſce ſancti Doctoris ſententia de comœdiis, quales hodie exhibentur. Poſtea addit: *Quædam vero ſpectacula ſunt de rebus utilibus & ad vitam neceſſariis, ſicut ſunt venationes & cetera hujuſmodi: & talia ſpectacula diſtrahunt animam. Unde quamvis poſſit ſine peccato eis intendi, ſervata diſcretione debita, quantum ad diſcretiones perſonæ & aliarum circumſtantiarum: tamen pœnitenti ſunt vitanda, propter hoc, quod debet cor ad Deum collectum habere; niſi quantum neceſſitas expoſcit*, Tantum abeſt, ut doceat Angelicus Doctor, licitam eſſe frequentiam earum, de quibus, loquimur Comœdiarum, aut earum actoribus, quidquam dari poſſe; cum eas condemnet cum S. Auguſtino paullo poſt verba, quæ laudant Comœdiæ defenſores: *Si qui autem ſuperflua in tales conſumunt*, ſubjungit, *vel etiam ſuſtentant illos Hiſtriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quaſi eos in peccato foventes. Unde Auguſtinus* (*g*) *dicit ſuper Joannem, quod donare res ſua Hiſtrionibus, vitium eſt immane.*

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 168. art. 3. ad 3.

(*f*) Idem in 4. diſt. 16. q. 4. art. 2. quæſt. 2. in corp.

(*g*) S. Aug. tract. 100. in Joan. ante med.

CASUS II.

Numquid licite potuit Ignatius Parochus ſacram communionem tempore Paſchali denegare Licinio Hiſtrioni & Comœdo, eam aperte coram omnibus, qui divinis aderant officiis, petenti, non obſtante ipſius Licinii ceterorumque præſentium quod futurum prævidebat ſcandalo?

Respons.

Quandoquidem Comœdus ille publice talis habeatur, potuit, immo & debuit Ignatius ſacram ei communionem recuſare; cum tamen prius interrogaſſet publice, num confeſſus eſſet, & in perpetuum artem ſuam deſeruiſſet. *Puto*; inquit ſanctus Cyprianus in ſua ad Eucratium Epiſtola (*h*) *nec majeſtati divinæ, nec Evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione* (Comœdorum ſcilicet) *fœdetur.* Igitur ad reconciliationis & communionis gratiam admitti non debent hujuſmodi homines niſi poſt exhibita veræ converſionis ſigna; ut declarat tertium Carthaginienſe concilium an. 397. cujus eſt iſtud Decretum (*i*): *Scenicis atque Hiſtrionibus, ceteriſque hujuſmodi perſonis, vel Apoſtaticis converſis, vel reverſis ad Dominum, gratia vel reconciliatio non negetur* (*k*).

(*h*) S. Cyprian. in Can. *Pro dilectione*. 95. de conſecrat. diſt. 2.

(*i*) Conc. Carthag. III. c. 35. in Can. *Scenicis*. 96. ead. diſt.

(*k*) De Gen. Theol. moral. tom. 2. tract. 4. c. 8. 9.

CASUS III.

Philomator, profeſſione Comœdus, ad mortem ægrotans, cum artem ſuam ſe abdicaturum noluiſſet promittere, quantumvis inſtaret Parochus ejus, obiit nullis Eccleſiæ Sacramentis ob pertinaciam acceptis. Qua de re petitur, 1. Utrum Sacramenta ipſi in mortis periculo conſtituto Parochus denegare potuerit. 2. Utrum ei ita defuncto eccleſiaſticam ſepulturam abſque peccato denegare etiam queat Parochus idem, præcipue, ſi aliunde pœnitentiæ de peccatis ſuis ſigna dederit hic defunctus?

Respons.

Ut duabus illis difficultatibus fiat ſatis, ſupponendum, uti jam in reſponſione ad primum caſum diximus, Comœdos eſſe excommunicatos. Quod conſtat 1. Ex quinto Canone primi Concilii Arelatenſis ſupra laudato. 2. Ex Epiſtola ſancti Cypriani ad Eucratium, qui, cum ſanctum Martyrem interrogaſſet qua ſe ratione gereret erga Comœdum quemdam, qui artem ſuam quam ipſe dereliquerat, alios docebat, his verbis ab eo reſponſum accepit. (*l*): *Conſulendum me exiſtimaſti, frater cariſſime, quid mihi videatur de Hiſtrione quodam, qui apud vos conſtitutus, in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat, & magiſter & doctor, non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id, quod male didicit, ceteris quoque inſinuat, an talis debeat communicare nobiſcum; puto majeſtati divinæ, nec Evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & tam infami contagione fœdetur .... Nec excuſet ſe quiſquam, ſi a theatro ipſe ceſſaverit, cum tamen hoc ceteros doceat.* 3. Ex Concilio, quod *Quiniſextum* ſeu *in Trullo* (*m*) exeunte ſæculo ſeptimo habitum, quo laicis, propoſita excommunicationis pœna vetatur, Comœdias agant, ac ſpectacula repræſentent. *Omnino prohibet hæc ſancta & univerſalis ſynodus*; inquiunt Patres hujuſce Concilii, *eos, qui dicuntur primi & eorum ſpectacula .... atque in Scena ſaltationes fieri. Si quis autem præſentem Canonem contemſerit, & ſe alicui eorum, quæ ſunt vetita, dederit; ſi ſit quidem Clericus, deponatur: ſi vero Laicus, ſegregetur.*

(*l*) S. Cyprian. in Can. *Pro dilectione*. 95. cit. diſt. 2. de conſecrat.

(*m*) Conc. in trullo. Can. 51.

Addere poſſumus Leges Civiles Eccleſiæ Canonibus conſentire, ut videre eſt ex Legibus Imperatorum Valentiniani, Valentis & Gratiani, inter quas hanc præcipuam omittere nefas eſt. En ejus verba

Digitized by Google

(a) Lib. 15. Cod. Theodoſ. tit. 7. de Scenicis. tom. 5.

ba (a): *Scenici & Scenicæ, qui ultimo vitæ, neceſſitate cogente interitus imminentis, ad Dei ſummi Sacramenta properarunt, ſi fortaſſis evaſerint, nulla poſthac in theatralis ſpectaculi conventione revocentur. Ante omnia tamen diligenti obſervari ac teneri ſanctione jubemus, ut vero & in extremo periculo conſtituti, id pro ſalute poſcentes, ſi tamen Antiſtites probant, beneficia conſequantur. Quod ut fideliter fiat, ſtatim eorum ad judices, ſi in præſenti ſunt, Curatores urbium ſingularum, deſiderium perferatur: quod ut, inſpectoribus miſſis, ſedula exploratione quæratur, an indulgeri his neceſſitas poſcat extrema ſuffragia.* Ex hac autem Lege palam fit, ab illis Imperatoribus, non minus quam ab Epiſcopis fuiſſe prohibitum, ne ad Sacramenta admitterentur Comœdi in extremo vitæ periculo conſtituti, niſi authentice intra manus Magiſtratuum promitterent, ſe numquam artem ſcenicam eſſe profeſſuros; nec etiam ipſis adminiſtrarentur Sacramenta, niſi de conſenſu Epiſcoporum, hoc eſt, licet ad confeſſionem admitterentur, ſi vera præberent pœnitentiæ ſigna, ne ipſis ſacra concederetur Communio, niſi approbante Epiſcopo.

Quæ cum ita ſint, certum eſt, *Philometoris* Parochum ſuo functum eſſe officio, dum ipſi Sacramenta denegavit, ob pertinaciam qua in profeſſione ſua perſeverare volebat; atque adeo non ſine cauſſa eccleſiaſticam ei recuſaſſe ſepulturam, utpote quæ ſolis qui in Eccleſiæ communione extremum diem obeunt, ſit debita. Nec juvat dicere Comœdum hunc de ſuis doluiſſe peccatis, niſi & profeſſionem ſuam pro tempore futuro abjiciendam deteſtatus ſit; cum cetera ejus peccata, retento ad ſuam qua reus erat, profeſſionem affectu, non ei potuerint remitti. Inſuper Eccleſiæ ſepultura publicis non debet concedi peccatoribus, ut ex Rituali Romano aliiſque permultis conſtituitur. Ex quo ſequitur, & Comœdos eadem eſſe privandos, qui ſine ſinceræ pœnitentiæ notis obeunt, cum letalem publice artem profiteantur.

CASUS IV.

Eſt quoddam Mediolani Monaſteriorum Ordinis, non quidem reformati, ſed tamen vitæ integritate & exemplari conſpicui, cujus Religioſi ter quaterve anno quolibet, oblectationis cauſſa, per ſe ipſos & inter ſe ſolos in ſecreto auditorio Comœdias quaſdam de pio argumento exhibent: ideoque Comœdorum publicorum veſtes data pecunia a cuſtode conducunt. Hic Regis; ille feminæ principis; unus Aulici; alius Accuſatoris, iſte verò Judicis aut alterius perſonæ pro ſuis quiſque ſibi demandatis partibus, veſtem induit. Qua de re quæritur, num Religioſi illi quoddam admittant peccatum, & quale ſit?

RESPONS.

Ad ſolutionem hujuſce difficultatis, quæ nobis 18. Novembris anno 1716. ab homine incognito propoſita eſt, ſupponimus cum S. Thoma, de veſte ſexui cuilibet & ſtatui propria loquente (b), quod *de ſe vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili; & e converſo*. Niſi forte agatur de occaſione neceſſaria & præcipui momenti; v. gr. ſi ageretur de ſalute vitæ propriæ, honoris aut libertatis. *Poteſt tamen hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliud hujuſmodi*. Ita excipit a poſita generali regula ſanctus Doctor: qui quidem in citato teſtimonio & alibi (c), loquitur tantum de diſcrimine veſtium, quæ cuique ſexui debent eſſe propriæ, uti nos non fugit; non vero de earumdem mutatione in fabulis aliiſve theatri argumentis: ſed ex regula qua aſſerit, quod *de ſe vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, & e converſo*, ſufficienter dignoſcitur praxim hanc eſſe damnandam, excepto juſtæ neceſſitatis caſu, in quo Lex non obligat. Quo ſuppoſito tamquam certo, exiſtimamus, a peccato & quidem graviſſimo non poſſe excuſari Religioſos, de quibus agitur in ſpecie propoſita: idque ob multas rationes.

(b) S. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3.

(c) Idem 2. 2. q. 10. a. 9. ad 6.

Primo: quia oblectationis illa ſpecies, ut pote mundana, & ex ſe ſuiſque circumſtantiis mundanorum propria, nullatenus Religioſis convenire poteſt, qui & vitæ ſuæ ratione, & ſtatus ſui ſanctitate a mundanorum quibus ſolemni votorum emiſſione renuntiarunt, uſibus & oblectamentis longe debent abeſſe.

Secundo: quia Religioſis Ordinis ſui veſtes exuere numquam licet, vel ad paullulum tempus, & ad majorem commoditatem, etiam in licita oblectatione, qualis eſt ſpeciatim miſſilium globulorum ludus: a fortiori eaſdem exuere numquam illis eſt licitum, ut ſcenicas induant, eaſve ſuis ſuperimponant; cum ſcenicæ veſtes eorum ſint hominum propriæ, quos uti excommunicatos habet Eccleſia.

Tertio: quia moraliter fieri non poteſt, ut ea qua fruuntur illi Religioſi, oblectatio non ſit vel novitiis quibuſdam, vel famulis ſæcularibus cognita, quibus proinde ſcandalum præbent, non minus quam amicis eorum quibus rem manifeſtant. Neque dicatur, hæc tam ſecretò peragi fabulas, ut vix ac ne vix quidem ad externorum notitiam poſſint pervenire: contrarium namque nobis innoteſcit; cum ſacerdos qui in famoſo Ordine Religioſus fuerat, rem hanc ſuo tempore fieri, nobis affirmavit; neque ita pridem retulit nobis Doctor Sorbonicus, ſe ab Archimimo didiciſſe, quod menſe Januario an. 1717. hujuſmodi veſtes Religioſæ Communitati, Ordinis etiam reformati ad exhibendum ſcenicum luſum ſuppeditaverat.

Quarto: quia fieri vix poteſt, ut Religioſi illi veſtes hujuſmodi mutuari aut locare poſſint ab earum cuſtodibus; quin curioſitatem eorum excitent, ac ſuſpicionem de earum uſu: quod ipſis peſſimo eſt exemplo, proximamque præbet obtrectationis anſam cum aliis ſæcularibus, qui aliunde, ut omnibus notum eſt, ad contemtum Sacerdotum ac Religioſorum eo præciſe ſunt proclives, quod ſtatui Religioſo addicta morum integritas, profanas ſæculi regulas uſuſque condemnet.

Quinto: quia indignum prorſus eſt Religioſi ſtatus ſanctitate ac turpe, (quæ ratio æqui cujuſque animum debet percellere) Religioſum veſtem mulieris, Regis, Aulici induere, atque in eo *Baſonis*, ut cum Saliburgenſi Concilio loquar; atque *Gailhardi* partes agere. Ut nihil dicam, de mollitie & immodeſtia in quam præcipites ruunt, qui eo immoderationis prorumpunt: id unum ſufficiat, nos exiſtimare, ab his Religioſis graviſſimum admitti peccatum, dum luſibus illis ac fabulis oblectationis animo indulgent.

Ad has rationes accedit auctoritas Concilii Colonienſis an. 1549. quo Religioſis puellis vetatur, ne in Cœnobiis ſuis, etiam de rebus ſacris & piis ſpectacula exhibeantur (d). *Quæ ſpectacula, etiamſi de rebus ſacris & piis exhiberentur, parum tamen boni, mali vero plurimum relinquere in Sanctimonialium mentibus poſſunt, geſtus exteros ſpectantibus & mirantibus .... Ideo vetamus & prohibemus poſthac, vel Comœdos admitti in virginum Monaſteria, vel Virgines Comœdias ſpectare*. Quæ verba Concilii non minus ad Religioſos quam Religioſas ſpectant, & quibus in primis damnantur illi, de quibus in caſu propoſito agitur; cum ipſi Comœdiarum ſint artifices.

(d) Concil. Colon. 2. Decr. 17.

Attamen dicta hactenus ad Tragœdias non pertinent, quæ in pluribus Gymnaſiis peraguntur. 1. Quia Religioſi non varias illius dramatis perſonas ſuſtinent, ſed Scholaſtici ſæculares. 2. Quia adoleſcentibus in primis prodeſt iſta exercitatio, ſeu ad eorum juvandam memoriam, ſeu ad perorandum audacius vel in Eccleſiæ pulpito vel foro. 3. Quia propoſitis præmiis ad ſtudium inducuntur. 4. Tandem, quia non muliebres veſtes induunt Scholaſtici; atque omnia in iis Tragœdiis modeſte ac ſine cujuſquam ſcandalo peraguntur.

Digitized by Google

COMPENSATIO.

TERMINI hujuſce, *Compenſatio*, definitionem afferimus in prima deciſione, qualis in Lege reperitur: Sed juvat heic præmittere eam, quam hujuſce vocis definitionem affert inſignis Theologus (*a*): *Compenſatio*, inquit, ... *eſt rei unius per alteram adæquatio & tantidem refuſio*.

Ex hac definitione conſtat, Compenſationem, mutuam eſſe acquiſitionem a duobus factam, qui in ſe invicem debitores ſunt alicujus pecuniæ aut rei pretio æſtimabilis, æqualis valoris; ita ut certum ſit debitum ex utraque parte, ut in jure deſignatur, (*b*) & ſolutio actu ſit debita & elapſa,

Compenſatio in ſe ipſa & ſecundum naturam ſuam conſiderata, æquitate plena eſt; ſed ſecundum modum faciendi fit vitioſa; ut enim quis Compenſatione utatur, non ſufficit, ut mutuum ſit debitum & æquale: ratio, quam affert ſanctus Thomas in reſponſione ad tertium caſum, *Marius*, hujus tituli laudatus, eſt quia, qui furtim accipit rem ſuam apud alium detentam, peccat in eo, quod agat, prætermiſſo ordine juris, quo ipſi non licet privata auctoritate rei ſuæ judicium ſibi uſurpare, ante conſtitutam a Judice debiti ſolutionem; aut parem retinere valorem Compenſationis titulo, ut docent ſanctus Antoninus (*c*) & Richardus (*d*), quem laudat & ſequitur Silveſter (*e*). Quocirca, licet ad reſtitutionem non teneatur, cum nullum ei damnum intulerit, a quo rem ſuam abſtulit; tenetur tamen Deo per pœnitentiam ſatisfacere. Idem a fortiori dicendum de eo, qui furtim a proximo rem paris valoris, ei quæ ſibi injuſte detinetur, aufert: nam, regulariter loquendo, ad Judicem recurrere debet, ut eam recuperet.

Dicimus, *regulariter loquendo*: Neque enim negari poteſt, quoſdam eſſe caſus, in quibus licita eſt Compenſatio privata auctoritate facta.

Primus eſt: Si debitum ſit certum ac minime dubium, neque alia ſit rem injuſte detentam recuperandi via, quam ſecretæ Compenſationis, ſeu ob repudiationem jus ſuum perſequentis, ſeu ob defectum probationum, vel aliter; & fieri poſſit Compenſatio abſque proximi ſcandalo, cui lapſus occaſionem voluntarie numquam fas eſt præbere.

Secundus: modo abſit periculum, ne injuſtus detentor in poſterum rem eamdem aut ejus valorem domino reſtituat.

Tertius: Si nulla cuipiam inferatur injuria: quod poſſet evenire, ſi poſſeſſor ſeu injuſtus detentor, quempiam de furto accuſare aut ſuſpicari poſſet.

Quartus: Si res aut ſumma retenta Compenſationis titulo debito poſſit ſubſtitui; quales ſunt plerumque res, quæ in numero, pondere & menſura conſiſtunt.

Quintus denique: modo res retenta, uti depoſitum non ſervetur: nam in depoſito Compenſationi non eſt locus.

(*a*) Polman. Breviar. Theol. part. 2. a. n. 413.

(*b*) Greg. in Cap. *Bona fides*. a. de depoſito. l. 3. tit. 16.

(*c*) S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 15. §. 1.

(*d*) Richardus in 4. diſt. 15.

(*e*) Silveſt. v. *Furtum*, q. 13.

CASUS PRIMUS.

GUSTAVIUS, qui Blaſio 100. libras debet, a quo ſummam illam alias mutuatus eſt, cujus tamen debiti non recordatur Blaſius, ipſi domum cum viginti agrorum jugeribus vendit; ea tamen conditione, ut Blaſius, præter ſolutum heic & nunc pretium, centum libras annui cenſus a Guſtavio in hac domo debiti, Paſchali ſit ſoluturus. Verum Paſchalis Blaſium a multis jam annis prædicti cenſus reliquatorem juridice proſequens, decretorio judicio domum agroſque illos pro ſorte ſibi debita cenſuumque reliquiis obtinet: Et quia Blaſius omnium inops bonorum centum libras pro adjudicatis Paſchali litis impenſis ſolvere nequit, is Guſtavium venditorem de tali 100. librarum ſumma evincit. Qua de re quæritur, utrum Guſtavius in Blaſium compenſatione uti nequeat; centum quas ei libras debebat ante venditionem domus ſuæ agrorumque, retinendo?

RESPONS.

Exiſtimamus, Guſtavium licite uti poſſe compenſatione in propoſita ſpecie. Cum enim ex contractu quo domum agroſque vendidit Guſtavius, 100. libras cenſus Paſchali ſolvere teneretur Blaſius, quas neglexit, de omnibus juſtis impenſis tenetur quas confecit Paſchalis ad obtinendam ſolutionem ſuam; eaſque Guſtavio reſarcire, qui eas Paſchali pro eo ſolvere coactus eſt. Quare ſummam 100. librarum, aliunde a ſe Blaſio debitam abſque injuſtitia retinere poteſt Guſtavius.

Hanc deciſionem confirmat iſta lex Digeſtorum (*f*) qua dicitur, quod *Compenſatio eſt debiti & crediti inter ſe contributio*; ita ut locum habeat, cum is qui utitur compenſatione, & is in quem utitur, mutuo ſibi ſunt debitores. Atqui Guſtavius & Blaſius in ſe invicem 100. librarum ſunt debitores; Guſtavius quidem, qui eas a Blaſio mutuas accepit; Blaſius vero, cum parem ſummam pro eo ſolvere fuerit coactus Guſtavius, Igitur compenſatione legitime uti poteſt Guſtavius, centum libras quas Blaſio debet, retinendo; cum alia ſibi via non ſuppetat, parem ſummam pro eo perſolutam recuperandi. *Placuit inter omnes*, inquit Lex alia (*g*), *id quod invicem debetur, ipſo jure compenſari*. Quod cum iſta etiam Lege (*h*) conſentiens eſt, qua dicitur; quod *Compenſatio neceſſaria eſt; quia intereſt noſtra potius non ſolvere, quam ſolutum repetere*. Ita Silveſter de Prierio (*i*).

(*f*) L. Compenſatio. 2. ff. de compenſationibus. lib. 16. tit. 2.

(*g*) L. *Poſtquam*. 21. ff. eod. tit.

(*h*) L. *Ideo*. 3. ff. eod. tit.

(*i*) Silveſter de Prierio. v. *Compenſatio*. q. 2. & apud eum Panormit. in Cap. *Bona fides*. de depoſito, & v. *Furtum*, q. 13.

C A-

Digitized by Google

CASUS II.

Guibertus, Sutor, jam a biennio centum calceorum paria prædiviti Domino tam ad ejus quam ad famulorum uſum ſubminiſtravit; poſcentique ſolutionem 80. tantum fuere perſoluta; cum centum paria ſubminiſtraſſe eum vix credi poſſet. Qua de re quæritur; utrum Sutor ille clam uti compenſatione nequeat, ſubinde quibuſdam quæ non præbuerit, paribus rationes ſuas augendo, & tot ſe præbuiſſe affirmando, ut amiſſa prius 20. paria recuperare valeat?

Respons.

Certum eſt, quod Guibertus abſque reatu mendacii ea, qua in caſu propoſito dicitur, ratione, compenſatione uti nequit: quia novas ſuas rationes majori quam præbuiſſet, calceorum numero augendo; ſcripto primum, tum viva voce, eum mentiri neceſſe eſſet. Amiſſorum quidem 20. parium calceorum ſolutionem legitime repetere poteſt; ſed via dumtaxat licita: mendacium autem, cum natura ſua ſit peccatum, in nullo umquam caſu poteſt eſſe licitum, juxta illud S. Auguſtini præclare dictum (a): *Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſe ipſum turpiter; cum honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum.* Et ne eum quidem caſum excipit ſanctus Doctor, in quo de vita proximi ageretur (b).

(a) S. Aug. l. de mendacio. C. 14. in Can. *Primum*. 22. 2. q. 1.

(b) Idem contra Mendacium. C. 17. in Can. *Faciat*, 25. & l. de mend. C. 6. in Can. *Si quid*. 17. ead. cauſſa & quæſt.

CASUS III.

Nonne poteſt Marius, qui certo novit, Joſephum decem ſibi nummos ab eo debitos non eſſe ſoluturum, clam ei parem ſummam per modum compenſationis ſubripere?

Respons.

Non licet, regulariter loquendo, ſic privata auctoritate uti compenſatione; quod quidem fieri non poſſe abſque reatu peccati contendit ſanctus Thomas (c) his verbis: *Qui vero furtim accipit rem ſuam*, inquit, *apud alium injuſte detentam, peccat quidem, non quia gravat eum qui detinet: & ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad compenſandum; ſed peccat contra communem juſtitiam, cum ipſe ſibi uſurpat rei ſuæ judicium, juris ordine prætermiſſo; & ideo tenetur Deo ſatisfacere, & dare operam, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur.* Id etiam confirmari poteſt auctoritate S. Auguſtini, qui aſſerit, Iſraelitas propria auctoritate Ægyptiorum vaſa aurea & argentea per modum compenſationis auferre non potuiſſe (d).

(c) S. Th. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3.

(d) S. Aug. l. 22. contra Fauſtum. c. 72.

Ut igitur licita ſit hujuſmodi ſecreta compenſatio; requiritur, ut nulla ſubſit alia via rem injuſte detentam, aut ejus valorem recuperandi, quam eam furtim accipiendo; nam ſi recuperari poſſit, eam per ſe ipſum efflagitando, aut per interpoſitam perſonam; vel etiam ejus reſtitutio juridica petitione obtineri; clam abſque peccato accipi non poteſt propria auctoritate: at ſi petita ob malam injuſti detentoris fidem, aut aliter obtineri nequeat, nec ejus reſtitutio jure poſſit auferri ob defectum probationum; tum licita eſt compenſatio; modo debitum ſit certum; eaque ſine cujuſquam ſcandalo fieri poſſit. Quæ duplex conditio iterum neceſſaria eſt, ut licita fiat compenſatio. Sic enim in allatum modo S. Thomæ teſtimonium ratiocinatur Cajetanus his verbis (e): *Ad hoc dicitur, quod aliud eſt loqui regulariter, & aliud in caſu*, inquit hic doctus Cardinalis: *conſtat namque quod regulariter non licet occulte accipere proprium, apud furem aut raptorem detentum .... quia ſcilicet agit contra juris ordinem. In caſu autem in quo aliquis, vel propter detinentis vel judicis injuſtitiam, aut defectum probationum, aut propter majus damnum amicitiæ, pacis vel rerum, aut hujuſmodi, non poteſt via judicis ſuum, aut ſibi debitum, recuperare, & abſque ſcandalo, periculo & offenſa cujuſcumque, poteſt occulte accipere a debitore unde ſibi ſatisfaciat. Multi dicunt, quod licite hoc poteſt; & ratio eſt, quia tunc non agitur contra juris ordinem: quoniam juris ordo ad reddendum unicuique ſuum & pacem communem ordinatur. Hic autem non violatur, ut ſupponitur, & obſervatio ordinis juris, aut impediret dominum ab habendo ſuum, niſi forte cum majore damno domini .... Eſt ergo caſus in quo licet a Lege diſcedere, ſaltem ſic, quod non ſit contra juſtitiam, quamvis fieri videatur præter juſtitiam, diſcedendo a directo illius modo.* Quo facto ratiocinio ſic concludit: *& propterea abſque mortali peccato poteſt in hujuſmodi caſibus occulte quiſque recuperare, tam ſuum quam ſibi debitum, adhibendo cautelam ſuperius dictam, ut ſcilicet ille qui occupabat, ſciat ſe non teneri amplius ad reſtitutionem; ne tali ignorantia, ex hoc facto conſurgente, gravetur, ſi pœnitens fuerit in futura coactus ad reſtitutionem, quod non tenetur reſtituere.* Quod hac ratione confirmat: *Nec in iis caſibus accipiens dicit ſibi ipſi jus; ſed potius exſequitur jus ſuum, cum non auctoritate aliqua utatur, ſed ſola occulta acceptione.*

(e) Cajet. in 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3.

Eodem ſenſu Angelicum Doctorem intellexerat multo ante Cajetanum S. Antoninus (f); ſic enim loquitur: *Tenetur etiam reſtituere rem furatam ... niſi ille a quo abſtulit, tantumdem habuiſſet de ſuo, & nolebat reddere: in tali caſu, non tenetur ad reſtitutionem ſecundum Hoſtienſem .... peccavit tamen graviter ſic auferendo, ſi poterat in judicio rem ſuam recuperare, quia non debebat ſibi facere juſtitiam, ſed Judex. Si autem in judicio non poterat rem habere ſuam, vel propter defectum probationis, vel propter tyrannidem vel potentiam ipſius; tunc etiam nec accipiendo peccavit, niſi inde aliis ſcandalum pararetur:* Quibus addit cum Cajetano, rei ſuæ acceptionem detentori qui ea ſpoliatur, eſſe manifeſtandam ne eamdem in poſterum non obligatus reſtituat.

(f) S. Anton. 2. part. ſummæ Theol. tit. 1. c. 15. §. 1.

Ex his colligimus, Marium de quo in caſu propoſito, compenſationem ſecreto facere non poſſe abſque peccato, decem ſibi a Joſepho debitos nummos accipiendo, niſi aliam eoſdem recuperandi viam habeat; idque abſque cujuſquam ſcandalo facere poſſit; & inſuper cavere debet, ne tertiæ noceat perſonæ, ſuſpicionis occaſionem de furto Joſepho præbendo; & denique operam dare tenetur, ut cognoſcat Joſephus, ſe apud eum omni debito eſſe liberum, declarando, v. gr. eos ſe condonare, ne, ſi forte Joſephum injuſtitiæ ſuæ deinceps pœniteat, jam non debitos ipſi decem nummos reſtitueret.

CASUS IV.

Manveus, 15. aut 20. annos natus, pauper, & laboris viam non reperiens, diviti quem adit, agricolæ operam ſuam duobus locat duplionibus; ſed poſtea cum attendat, quod magno fieri ſui commodo die toto, continuo, ad quod ſufficit brachiorum firmitas, operi inſtet, & ſimilium ſibi famulorum ſolita merces, ad 50. lib. pertingat; hero ſuo clam 30. libras anno quolibet per modum compenſationis ſubripit, quæ 50. libras, non minus ſibi, ut putat, quam ceteris debitas impleat; cum nullam aliunde hero ſuo inferat injuriam, cui adeo vili tantum pretio operam ſuam locavit, quod egeſtate premeretur, quam in proprium lucrum ſuum ab hero converti non æquum erat. Qua de re quæritur, utrum illa compenſationis ſpecies ſit legitima, & utrum *Manveus* furti reus non ſit, & ad reſtitutionem non teneatur?

Respons.

Certum eſt, Manveum furti eſſe reum; eumque proinde teneri ad reſtitutionem omnium, quæ clam hero ſuo ſubripuit: pacta namque cum eo ſemel mercede, ipſum jam de injuſtitia accuſare nequit; etſi minor ſit merces ſua, quam aliorum domeſticorum.

Id ipſum evincit Evangelii parabola, in qua paterfamilias conductos noluit audire operarios, qui murmurabant, quod parem ſibi mercedem daret aliis, qui noviſſimi venerant (g). *Et accipientes murmurabant adverſus patremfamilias, dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus. At ille* (Paterfamilias) *reſpondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade. Volo autem & huic noviſſimo dare, ſicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo facere?*

(g) Matth. 20. 7. & ſeqq.

Ex

Ex hoc patriſfamilias reſponſo aperte conſtat, quod ex ampliori opere majorem ſibi jure non poteſt mercedem repoſcere operarius aut famulus, quam eam, de qua cum condncente ſe pactus eſt. Enimvero, ſi vel umquam cauſſa illa poterat eſſe legitima; tum maxime, propter magnum diſcrimen, quod inter opus diei integræ, & horæ unius intercedit; attamen declarat paterſamilias, hoc eſt, Chriſtus Dominus, nullam eſſe hujuſce operarii & omni prorſus ratione deſtitutam querelam, quam contemnit. Quo pacto igitur operario aut famulo licitum eſſet, pecuniam aut aliud quid magiſtro ſuo ſurari ſub ſpecie debitæ ſibi juſtitiæ; cum petenti etiam rationabili de cauſſa uti exiſtimat, denegetur; ne dum ſecreta utatur compenſatione.

Hactenus dicta conſentiunt, 1. cum doctrina Facultatis Theologicæ Pariſienſis, quæ in conventu Sorbonico 1. Aprilis an. 1641. contrariam damnavit doctrinam quam aſſeruerat Caſuiſta modernus, quæſtionem his verbis proponendo (a). *Nonne poſſunt domeſtici; qui de ſuis conqueruntur ſalariis, ea augere, tantum de bonis ſuorum dominorum retinendo, quantum exiſtimant neceſſarium, ut merces laborem ſuum adæquet?* Cui quæſtioni reſpondet hic Auctor; *Poſſunt in quibuſdam caſibus, v. gr. cum adeo gravi premuntur egeſtate, operam ſuam locando, ut fuerint coacti oblatum acceptare ſalarium, & cum ejuſdem ſecum generis famuli majorem alibi reportant mercedem.* Cenſura celeberrimæ hujus. Facultatis eſt iſta: *Hæc propoſitio falſa eſt & periculoſa, etiam additis reſtrictionibus, & domeſticis furtis viam aperit.*

(a) Summa Peccatorum, quæ in omni ſtatu committi ſolent. pag. 317. & 324. 6. edit. Item Apologia pro Caſuiſtis, &c. pag. 81.

2. Cum doctrina Lovanienſis Univerſitatis, quæ inſtante Epiſcopo Gandavenſi, eamdem propoſitionem 4. Maii an. 1657. damnavit, cum aliis vigintiquinque, inter quas iſta nona numerabatur: *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſurripere ad compenſandam ſuam operam, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt.* Cenſura fuit hujuſmodi. *Hæc aſſertio falſa eſt, naturam hominis de ſe pronam ad malum, præcipitans in furta, ac domeſticam pacem perturbans, eo vel potiſſimum, quod ipſa compenſatio ipſorummet famulorum & famularum judicio relinquitur.*

3. Cum Cenſura libri inſcripti, *Apologia pro Caſuiſtis' in, &c.* in quo etiam reperitur pernicioſa illa propoſitio (b), quæ Cenſura prolata eſt a Vicariis generalibus Pariſiorum 23. Aug. an. 1658. ab Archiepiſcopo Senonenſi 3. Septemb. ejuſdem anni; ab Epiſcopo Nivernenſi 8. Novemb. inſequentis; ab Epiſcopo Andegavenſi 11. ejuſdem menſis: ab Epiſcopis Bellovacenſi 12. ejuſdem menſis: Cadurcenſi 24. Decemb. ejuſdem anni: ab Archiepiſcopo Rothomagenſi 4. Januarii an. 1659. ab Epiſcopo Ebroicenſi 15. ejuſdem menſis: ab Archiepiſcopo Bituricenſi 6. Februarii ejuſdem anni, & a multis aliis Prælatis, qui ſuum in doctrinam adeo exitioſam, odium palam profeſſi ſunt: Has autem omnes Cenſuras authentice confirmarunt Cenſuræ Alexandri VII. 21. Aug. an. 1659. & poſtea Innoc. XI. 2. Martii an. 1679. qui inter ſexaginta quinque morales quas damnavit, propoſitiones, trigeſimam ſeptimam, quæ a Lovanienſi Univerſitate fuerat jam damnata, annumeravit pœna excommunicationis *ipſo facto* propoſita, ut patet ex his ſummi Pontificis verbis: *Quicumque autem, cujuſvis conditionis*, inquit, *ſtatus & dignitatis illas* (propoſitiones) *vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit .... ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, a qua non poſſit præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgeat, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.*

(b) pag. 80.

Adductis tandem hactenus argumentis addi poteſt auctoritas S. Auguſtini, jam in tertio caſu relata. Cum enim aſſeruit ſanctus Doctor (c), Iſraelitas non peccaſſe Ægyptiorum, a quibus male excepti nullam laborum ſuorum mercedem retulerant vaſa aurea & argentea auferendo, addit: *Quod tamen ſi Moyſes ſua ſponte juſſiſſet, aut hoc Hæbræi ſua ſponte feciſſent, profecto peccaſſent;* non obſtantibus juſtis eorum de Ægyptiaco populo querelis. Quid, quæſo, oppoſitum magis illorum Caſuiſtarum opinioni poteſt proferri? Et quidem, a Deo ipſo hanc poteſtatem habuere Iſraelitæ, ut notat Scriptura (d): *Feceruntque filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi: & petierunt ab Ægyptiis &c.* & addit Sapiens (e), quod iſta ratione Deus *reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum.* Quocirca æquiſſimum ſuit jus compenſationis, qua in populum hunc infidelem uſi ſunt Hebræi, quod nimirum auctoritate divina fulciebatur. *Hoc enim juſſit*, inquit etiam alibi S. Auguſtinus (f), *qui noverat, quid quemque pati oporteret; nec Iſraelitæ furtum fecerunt, ſed Deo jubenti miniſterium præbuerunt.* Sed abſque illo Dei mandato verum admiſiſſent furtum, ſub nomine ac ſpecie compenſationis; quale pro certo admittunt domeſtici aut famulæ, de quibus hactenus.

(c) S. Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 72.

(d) Exod. 12.

(e) Sapient. 10. 17.

(f) S. Aug. q. 39. in Exodum. in Cau. Dixit. 14. q. 5.

CASUS V.

APPELLES, Pictor inclytus, & viduus, duos habet filios, Alexium ſcilicet qui clericali militiæ nomen dedit, & Antonium qui patris artem ſecutus, apud eum ſemper manſit, & abſque lucro quopiam, aut pacta mercede laboravit, quam ne ipſum offenderet, ab eo repetere non auſus eſt; quamvis eam tamen animo intenderit pro rata eximiorum operum ſuorum. Mortuo Patre *ab inteſtato*, numeratæ pecuniæ ſummam, inſcio fratre ſuo Alexio, ſurripuit, quam pro laboribus ac fatigationibus ſuis per decem annos exhauſtis ſibi debitam in conſcientia exiſtimat. Quæritur jam, utrum illam pecuniæ ſummam in hereditatis fundum refundere teneatur; an vero eam per modum compenſationis retinere licite poſſit?

RESPONS.

Ante ſolutionem hujus difficultatis, advertendum 1. filiumfamilias, quatuor habere poſſe bonorum genera, quæ in jure nominantur, *Peculium*. Primum dicitur, *Caſtrenſe peculium*, & ſunt bona in bello parta, ad quæ pertinent militaria ſtipendia, dona Principis, de hoſtibus ſumtæ manubiæ, militaris apparatus ac ſuppellex, equi, arma &c. a Patre, aut parentibus, vel amicis ad militiam proficiſcenti data. Secundum, quod *quaſi Caſtrenſe* appellatur, illud eſt, quod filiusfamilias ex publico munere aut ex honorifica profeſſione v. gr. Judicis, Advocati, Procuratoris, Notarii, Scribæ, Medici &c. acquirere ſolet. Tertium, quod *Adventitium* appellant, verſatur in bonis, quæ non a patre, nec patris intuitu, ſed ex propria induſtria, labore, aut ex amicorum liberalitate, aut ex matris, vel avi materni rebus, filius familias adipiſcitur. Quartum denique, quod *Profectitiam* dicunt, illud eſt, quod ex patris, aut Avi paterni facultatibus directe aut indirecte filio familias obtigit.

2. Obſervandum, quod *Caſtrenſi & quaſi Caſtrenſis* peculii dominium integrum & adminiſtrationem habeat ex legibus (g) filiusfamilias: & quod *Adventitii*, quoque proprietas ad eum ſpectat; uſuſfructus vero ad patrem pertinet (h): ac tandem *Profectitii peculii* dominium & uſusfructus ad ſolum patrem ſpectat (i): quare Adventitia ac Profectitia bona filiusfamilias diſtrahere ſeu alienare non poteſt (K): Sed quod emancipatus poteſt tamen de *Adventitiis* tam inter vivos, quam mortis cauſſa, ad arbitrium diſponere, etiam ſine conſenſu patris; quod emancipatione hujuſmodi bonorum adventitiorum dominium acquirat cum medietate uſusfructus, altera medietate quoad uſumfructum apud patrem remanente ex legibus Romanis (l).

3. Denique obſervandum, inter bona *Adventitia* ea eſſe recenſenda, quæ in domo paterna filiusfamilias ſeu labore, ſeu induſtria acquirit.

Præſuppoſitis illis regulis; ad propoſitam difficultatem reſpondemus, lucrum Antonii in domo paterna laborantis, ipſi ab obitu patris legitime eſſe acquiſitum; cum filius; utpote non pejoris, quam extraneus, conditionis, operam ſuam, non minus quam alter, pro certo locare poſſit: & quamvis gratuito pro patre laboraſſe præſumatur in foro exteriori, quando nullam aut expreſſam aut tacitam eum eo de mercede pactionem fecit; atque in hoc caſu nullam juxta quoſdam Auctores, mercedem exigere queat; hæc tamen præſumtio ceſſat in foro conſcientiæ, ſi filius in contraria fuerit voluntate, ut ſupponitur Antonius. Ita multi Canoniſtæ & Juriſperiti inter quos numerantur Bartolus (m) & Decius (n) cum aliis multis, quos laudat Decius; Ange-

(g) Lib. 49. ff. tit. 17. & lib. 12. codicis. tit. 22. de Caſtrenſi peculio.

(h) L. *Cum oportet*. 6. Cod. de bonis quæ liberis, &c. lib. 6. tit. 61.

(i) §. *Sancimus*. inſtitutionibus per quas perſonas nobis acquir.

(k) Leg. fin. §. *Filiis*. Cod. de bonis quæ liberis, &c.

(l) Cit. Leg. *Cum oportet*, & L. *Si vivus* 3. Cod. de bonis maternis lib. 6. tit. 60.

(m) Bartol. ad Leg. *Hic titulus*. 1. §. *Nec caſtrenſe*. 15. ff. de collatione bonorum. lib. 37. tit. 6.

(n) Philippus Decius ad Leg. *Illud*. 20. Cod. de collat. 10. lib. 6. tit. 20.

Digitized by Google

(a) Angelus de Clavaſio in ſumma v. *Peculium*. n. 1.

(b) Navarr. Manual. c. 17. n. 144.

(c) Lud. Lopez part. 2. c. 4.

Angelus de Clavaſio (*a*), Navarra (*b*), Lopez (*c*) & Leſſius, qui aſſerunt filiofamilias deberi ad minus tantum mercedis, quantum extraneo deberetur, qui pari cum utilitate operam collocaſſet.

Hinc ſequitur, quod Antonius acceptam pecuniam legitime retinere poteſt, ſi debitam labori ſuo mercedem non excedat, nec eam in hereditatem ſibi cum fratre Alcaio communem refundere tenetur; cum ad æquitatem naturalem non pertineat, ut ex proprio ipſius labore commodum percipiat frater ſuus; niſi aliter ex jure conſuetudinario ſtatuatur.

(d) Joan. Cabaſſut. Juris Can. theor. & prax. l. 6. c. 4. n. 3. & ſeqq.

(e) Idem. ibid. n. 7.

Hanc tamen deciſionem non aſſerimus, niſi appoſitis duabus conditionibus, quas poſt quatuor aut quinque Auctores a ſe laudatos affert Cabaſſutius his verbis (*d*): *Cum hac præcautione neceſſaria*, ait hic Canonum interpres, (*e*) *ut filius ille, patris negotia gerens deducat in primis ea, quæ pater expendit in ipſo alendo, cum .... non teneatur pater filium alere, qui aliunde poſſit ſibi ad victum neceſſaria comparare. Deinde ut filius uſumfructum hujus lucri non ſibi vindicet ante ſui emancipationem, aut patris mortem; cum certum ſit bonorum adventitiorum uſumfructum ad patrem pertinere.* Leg. cum oportet, Cod. de bonis quæ liberis: *Et ſane, deductis alimentis & uſufructu, vivente patre, filius non debet eſſe deterioris conditionis quam extraneus, cui ejuſmodi merces deberetur: neque tenetur jure pro patre non egente laborare.*

CASUS VI.

Cleonicas, civis Pariſienſis, inſtante morte uxorem ſuam de ſe per multiplices diuturnoſque morbos bene meritam remunerari cupiens; 2000. lib. *brevi manu* ei dono dedit: quod cum Maria Confeſſario ſuo aperuiſſet, is eam ad reſtitutionem prædictæ ſummæ cogere voluit; ſi aliunde dotem ſuam nuptialeſque pactiones accepiſſet: ſed Maria ſeipſam excuſans contendit, 1. Hanc pecuniam ſe legitime ſuam facere, quæ ſibi a viro rerum ſuarum domino collata ſit. 2. Cum ad reſtitutionem, regulariter loquendo, teneretur, ſe licite uti poſſe compenſatione. 1. Quia penes ſe 2000. lib. habens bonorum communitati cum viro ſuo initæ renuntiavit; quod aliter forſan non egiſſet. 2. Quia a 3000. lib. quæ ſibi dos fuerat, quarum 1500. communitati fuere addictæ; mille in creditorum ſolutionem, quæ ipſe ante nuptias ſuas contraxerat, fuere inſumtæ, & præcipue in ſolutionem domus viginti que jugerum agrorum, quæ emerat; ut fert contractus nuptialis: quæ cauſſa fuit, cur dilapſa, non vero aucta fuerit communitas; quod tamen contigiſſet, ſi utiliter 1500. lib. fuiſſent adhibitæ; quo facto poſt viri obitum communitati renuntiare non fuiſſet coacta. 3. Quia abdicando communitatem, dotem tantum ceteraſque pactiones nuptiales recuperare potuit, ſcilicet 1500. lib. pro dotalibus, 500. pro prærogativa, cum 150. libris pro veſte funebri: cumque præſens inter viri defuncti bona non eſſet pecunia; pro 3000. librarum ex dote provenientium, ab heredibus ejus poſt juridicam ſententiam, tranſactionemque cum iis factam, quindecim jugera agrorum pretio 200. librarum pro quolibet jugere accipere coacta eſt; quæ, cum diu locare non potuiſſet, ea tandem 2300. lib. vendidit; quocirca e dote 700. libras amiſit.

Quærit itaque 1. Utrum 2000. lib. a viro ſuo dono data, non ſibi legitime ſint acquiſita? 2. Utrum ea ſaltem ob allatas rationes per modum compenſationis retinere non poſſit?

Respons.

(f) Conſuetud. Pariſienſ. art. 282.

(g) v. *Donatio* Caſu. *Magdalena*.

Non ſine cauſſa Mariam admonuit ejus Confeſſarius, eam ad reſtitutionem erga mariti ſui heredes teneri; ſi omnia ſua dotalia acceperit: nam, excepto dono mutuo, defectu prolis; quælibet donatio inter virum & uxorem eſt prohibita juxta Conſuetudinem Pariſienſem (*f*), qua omnes illius ſubditi ſub peccati reatu ligantur, uti alibi probamus (*g*) auctoritatibus S. Hieronymi, S. Thomæ, S. Antonini, Canonum, legumque Romanarum, ut legere eſt in loco ad marginem indicato.

Id unum igitur ſupereſt examinandum, an legitime ſint, quas affert Maria, compenſationis cauſſæ, & ex iis ab obligatione reſtitutionis fiat libera; quas tales non putamus ob multas rationes.

Prima: quia, ipſa fatente, ab initio matrimonio non aucta fuerat bonorum communitas; ac recuperatis dote ſua 3000. librarum, dotali ſuo 1500. prærogativa 500. lib. & 150. lib. pro veſte luctus; nullum ex hereditate bonum ſupererat, niſi domus & agri, de quibus in caſu propoſito; exigua ſane portio, ex qua etiam deſumtæ ſunt impenſæ funebres ac juridicæ. Unde juſte præſumi poteſt, viduam illam communitate, quæ ſibi non foret utilis, ceſſiſſe: hinc etiam 2000. lib., non ut compenſationem, ſed ut purum a marito ſuo defuncto collatum ſibi donum acceptavit; cum defuncti heredes ad reſtitutionem dotis ſuæ aliarumque pactionum nuptialium in integrum coegerit.

Verum quidem eſt, quod pro dotis numeratione 15. jugera agrorum acceperit; aſt ea non acceptavit, niſi poſt latam contra defuncti heredes ſententiam, & voluntariam cum iis tranſactionem, quam proinde elevare nequit, ac præterea ſupererant domus & 5. jugera, quæ læſa repetere potuiſſet: addendum inſuper, 3000. lib. non integram, ſed dimidiam eorum partem communitati fuiſſe addictam. Quod ſi agrorum jugera ſtatim locare non potuerit, non ad heredes, ſed ad ipſam pertinet illud damnum, juxta illam juris regulam: *res perit domino* (*h*). Idem dicendum de venditione eorum æquali pretio: hæc enim jactura ad communem temporum iniquitatem referri debet, cum agrorum pretium tempore pacis augeatur, tempore belli retro abeat. Inſuper venditor aut debitor, ſolvens de domo aut agro, aut alio ſimili, ceſſionario damnum futurum præſtare non tenetur, uti pretium conductionis eorum quibus ea locat emtor.

(h) Argum. legis Pignus. 9. de Cod. de pigneratitia actione lib. 4. tit. 24.

Denique perperam conqueritur Maria, quod vir ſuus dotis ſuæ trientes duos ad ſolutionem debitorum, quæ ante nuptias contraxerat, adhibuerit, cum id egerit de expreſſo ejus conſenſu, ut indicat contractus nuptialis, in quo fit mentio de uſu hujus pecuniæ; & quo creditorum, quibus hæc ſumma perſoluta eſt, jus acquirit Maria.

CASUS VII.

Laurentia, Paulini vidua, cum certo noverit præcipuam dotis ſuæ partem a viro ſuo in libidines, munera parentibus ſuis collata, nec non in ludum fuiſſe inſumtam; clam, ipſo mortuo, & ante factum derelicti communitatis boni indicem, 100. dupliones ſubripuit; factoque indice, ſolaque ſua jura repetens poſt abdicatam communitatem, de bonis ſuis minorem, quam centum dupliones, obtinere ſummam potuit: Numquid dotis juriumque ſuorum defectum, retentis illis 100. duplionibus compenſare poteſt; an vero eoſdem in defuncti mariti hereditatem refundere tenetur?

Respons.

Certum eſt, Paullinum uxoris ſuæ bona dilapidare abſque injuſtitia non potuiſſe, ejuſque heredes in foro conſcientiæ ad reſtitutionem erga eam teneri; quamvis ea forſan in foro externo liberentur, in quo ſecundum legis rigorem ex ſimplici præſumtione fertur plerumque ſententia. Illa tamen excipienda videntur, quæ ludo amiſiſſet Paullinus; quia ludus ſpecies eſt contractus fortunæ & induſtriæ; eoque ditari, ut nudari poterat. Ita ſentit Bail (*i*) Eccleſiæ Pariſienſis Propœnitentiarius, qui Covarruviam & Valerum pro ſua opinione laudat. Unde ſequitur, quod in caſu propoſito compenſationi ſit locus, & Laurentia ſurreptus 100. dupliones ad hereditatem referre non teneatur; ſi vir ejus, quod deeſt doti aut dotalibus ejus, in libidines conſumſerit. Attamen dubium non eſt, furtim compenſatione utendo eam peccaſſe, cum eam juridice repetere poſſet. Ceterum exiſtimamus, quod Laurentia ad majorem ſecuritatem conſcientiæ ſe ipſam perpendat coram Deo, Confeſſariumque ſuum conſulat, quicum compenſationem, quam ſibi debitam putat, ordinare poterit.

(i) Lud. Bail. Tripl. Exam. part. 3. q. 9. & apud eum Covarruvias lib. 1. var. reſolut. c. 19. & Valerus de differentiis utriuſque fori v. *Uxor. Maritus* different. 3.

CASUS VIII.

Nantildis, Matrona vidua, cum Jordaniæ cubiculariæ ſuæ 600. libras annui reditus ob præſtita ſibi obſequia teſtamento ſuo ſcripſiſſet in contractum

ctum cenſualem 1000. librarum annuæ penſionis, quas ab obitu mariti ſui acquiſiverat; paucos poſt menſes e vita ſeceſſit: verum poſt ejus obitum heredes ejus, collaterales videlicet, legatum illud, eo quod immoderatius videretur, Jordaniæ tradere noluerunt, ita ut juridica ejus petitione ad iram paratiores, nec non litigia & contomelias in eam fecerint. Jordania, litium neſcia, in viros præſertim auctoritate pollentes, cum iis pro quadringentis libris anndæ penſionis tranſigere coacta eſt. Eo autem angitur Jordania, quod Nantildis pridie obitus de legato Jordaniæ ſcripto recogitans ipſi dixit, id gratum ſibi fore, ſi ad heredes reverteretur pars dimidia cenſus, quem ipſi legaverat; quod ſe facturam promiſit Jordania. Qua de re quæritur, utrum in his circumſtantiis promiſſa ſua perficere teneatur Jordania?

Videtur eam non teneri. Quia 1. ſi injuſtam ſuorum heredum vexationem prævidiſſet Nantildis, a Jordania non petiiſſet, ut dimidium cenſus ad heredes ſuos reverteretur poſt obitum ſuum. 2. Quia promiſſio verbalis Jordaniæ jam dudum ſcripto teſtamento facta, non videtur ab ea perficienda ob heredum illorum injuſtitiam & vexationem. Aliunde rem ſimpliciter & abſque reſtrictione promiſit; unde jure naturali ad ſtandum dato promiſſo compelli videtur. Quid juris?

RESPONS.

Promiſſor qailibet tenetur adimplere promiſſum libere, ſine vi ac dulo factum; ſi ab eo cui promittitur, fuerit acceptatum, ejuſque exſecutio ſit poſſibilis. Unde ſeqaitur, Jordaniam teneri ad præſtandam promiſſionem Nantildi, abſque vi, ſed ſponte factam. Sed quia legati ſui reductionem ob injuſtam tantum Nantildis heredum vexationem, ſuamque ad litem producendam impotentiam, paſſa eſt; exiſtimamos, quod viam compenſationis ſimul & ſatisfactionis factæ Nantildi heræ ſuæ promiſſioni poſſet aſſumere; hanc nimirum Nantildis heredibus conditionem proponendo, qua ipſis legati ſui ſortem cederet; & ipſa interea in poſſeſſionem totius legati 600. lib. cenſus annai ab illis mitteretar: Nam ſi cunditionem hanc acceptarent heredes; propriam in eu orilitâtem Jordania inveniret, ſimulque promiſſo ſao ſatisfaceret; ac heredes pariter magnum inde lucrum perciperent.

CASUS IX.

Beniamin, jacens in lecto brevi moriturus, Suſannæ uxori ſuæ indicavit ſe velle, ut Jollaino, Marthæ famulæ ſuæ patri decem darentur nummi, & etiam aute obitum ſuum. Retulit Suſanna, id ſe heredibus ejus eſſe dicturam, qui, cum eſſent opulenti, haud dubie mandata ejus hac in re perficerent: cui rei ipſe nihil retulit. Viri ſui defuncti voluntatem heredibus indicavit Suſanna; cui illi teſponderunt, quod, cum res ſcripta non fuiſſet; dictum ejus, tamquam conſilium habebant, ad quod proinde perficiendum ſe reneri non patabant.

Martha famula, cui ſuperſunt 30. libræ è pecunia, qoam a Benjamin ad quotidianas impenſas acceperat, quærit, otrum abſque peccato compenſationem facere nequeat, patri ſuo ſummam illam dando conformiter ad voluntatem defuncti?

RESPONS.

Martha abſque peccato injuſtitiæ 30. libras, quas habet, patri ſuo Jollaino dare neqait ob triplicem rationem.

(a) Bartolus argum. legis In quod, 23. ff. de compenſationib. lib. 16. tit. 2.

Prima eſt: quia *nomine alterius*, inquir Bartolus (a), *non poteſt objici compenſatio de eo, quod ipſe debet*: quod etiam affirmat alia Lex Digeſtorum: *Creditor non compenſare cogitur, quod alti, quam debitori ſuo, debet* (b). Quod etiam iſta Codicis Lege continetur: *Ejus quod non ei debetur qui convenitur, ſed alii, compenſatio fieri non poteſt* (c). Id etiam patet ex hac, quam affert Lex, compenſationis definitione (d): *Compenſatio eſt debiti & crediti contributio*; hoc eſt, ut exponit Cujacius, *eam quis quod alteri debet, confert cum eo quod ſibi debetur*. Martha autem 30. lib. Benjamin heredibus debet, qui ipſi nihil debent. Ei igitur non licita eſt compenſationis via, ſub ſpecie favendi Jollaino patri ſuo, quamvis re ipſa decem nummos, quos ipſi dare ante obitum conſtituerat Benjamin, ejus heredes deberent.

(b) Leg. In rem. 18. §. 1. ff. eod. tit.

(c) Leg. Ejus. 9. cod. eod. tit. 8. lib. 4. tit. 31.

(d) Leg. Compenſatio. 1. ff. eod. tit.

Secunda: quia compenſatio nun eſt licita, niſi cum debitum eſt minime dubiam, certum & non controverſum *ab utraque parte*, ut loquitur Accurſius in eadem Gloſſa, & Imperator Juſtinianus in Lege (e): Arqui non poteſt deſendi, decem nummos eſſe debitum minime dubium, certum, & non controverſum, quod contraaerit Benjamin erga Jollainum, eo quod ipſi donum hoc facere conſtituiſſet: cum igitur certum ſit & reale Marthæ debitum erga heredes; ipſi non eſt licita compenſatio pro patre ſuo: qui ſi decem nammos in jure per modum compenſationis repeteret, aut aliter, pro certo apud æquum Judicem petitione ſaa caderet.

(e) Leg. *Compenſationes*. fin. cod. eod. tit.

Tertia denique: qaia æquitate niti debet jus omne compenſationis, parique fundamento omne debitum ſeu creditum; ita ut compenſationem exclodat, id omne qaod non jure deberur: Atqui decem nummi Jollaino promiſſi non ſunt debitum juſtitiæ, ſed ſolius caritatis; cum nullo fuerit ſtabilita publico inſtrumento Benjamin voluntas, decem nummos Jollaino conferendi per modum gratuiti doni aut eleemoſynæ: ea igitur ut ſimplex debet haberi conſilium, quod mortis ejus interventu exſecutioni non ſoit demandatum; & qua ſtatim eveniente, domini derelictæ ſucceſſionis facti ſunt heredes. Unde ſeqaitur, quod ab ipſis pendeat rigoroſe loquendu, ſtatatu a defuncto conſilium exſequi, & cajus exſecurionem eorum arbitrio permiſiſſe cenſetur; cum ad reſponſum uxoris ſuæ nihil ipſe retulerit, ſed ſilaerit. Non Jollaino igitur, ſed defuncti heredibus decem nummos ex impenſis aut domus aut morbi Benjamin reliquos Martha reddere tenetur: atque id unum poteſt efficere, ut eos roget, heri ſui defuncti voluntatem non floccifacere, & confidere, quod, cum divitiis affluant, modicam illam ſummam precibus ſuis recuſare nimis inhumanitus audebunt.

CASUS X.

Androgenes, apud Matronam nobliem primum per undecim annos ſine mercede, ſine ſalario pediſequus, depoſita deinde famulari veſte, cubicularius eidem factus 100. librarum pretio conductus eſt. Quinqaennio poſt ea ſubito moritur non perſoluto ejus ſalario, ſi 550. libras excipias; quocirca 350. libras ei famulo deberet, præter legitimam undecim priorum annorum mercedem: quocirca de ſolutione ſuæ mercedis ab heredibus obtinenda deſperans; clam maſurpium 1600. librarum, quod erat defunctæ, ſurripuit.

Cum Jacobus, Petrus & Maria, Matronæ proles, matris ſuæ hereditatem adiiſſent, Androgenem ſibi cubicularium ſumſit Maria, eique, conſentiente viro ſuo Titio, 150, libras, annuam ſcilicet mercedem promiſit.

Maria, ludo addicta, apud quam quotidie conveniebant colluſores, Androgeni eas partes demandavit, ut candelarum foliorumque luſoriorum pretium a vincentibus ludo exigeret, quod pretium ipſa ſibi retinens, quoſdam ſolum dupliones Androgeni identidem dabat. Is autem ab hera ſua injuſte agi erga ſe exiſtimans, totius accepti fidam ei rationem non reddebat; ita ut ab initiu famulatus ſui ad hodiernum diem clam mille libras ex hoc lucro ſibi retinuit. Inſuper diverſis vicibus Mariæ & Titio conjugi 600. lib. ſuratus eſt. Quocirca debitor eſt 1600. lib. erga heredes prioris Matronæ defunctæ & 1600. lib. erga Titium & Mariam ſpeciatim; niſi quod inde deduci neceſſe eſt id ipſum, quod ſibi legitime eſt debitum. Quæritur autem, utrum non teneatur Jacobo, Petro & Mariæ heredibus Matronæ defunctæ reſtituere, & parem ſummam Titio & Mariæ. Contendit ad illud ſe non reneri, quia ſibi competit jus compenſationis ob iſtas rationes.

1. Quoad 1600. lib. Matronæ defunctæ ſubreptas, quæ ad Jacobum, Petrum & Mariam pertingere deberent uti matris ſuæ heredes; præſtitum huic Matronæ per undecim annos pediſequi famulatum abſque ſalario ac mercede, quæ tamen pediſequis ſuis conferre ſolent nobiles, obtendit: unde, qoamvis de ſalario non expreſſe conveniſſet cum illa domina; æqaum tamen non foret, ut juveniles annos ſuos in

in famulato illius abſque lucro amiſiſſet. Addit, cum ipſi ſe pediſequum addixit, hunc fuiſſe uſum ſolitum, at poſt 4. aut 5. annos famulatus, 4. aut 500. libras in premium pediſequo darentur ad artem ediſcendam; atque omnia eis neceſſaria, durante tirocinio ſubminiſtrarentur. Quocirca 1100. libras pro undecim annis ad minus recuperare poteſt.

2. Cum ad aliquam teneretur reſtitutionem e dicta ſumma 1600. lib. 350. libræ eſſent deducendæ, quæ ſibi ab hera ſua deberentur obitus tempore; ſibique jus reddendum eſſet pro undecim annis, de quibus modo. Quare modicæ omnino ſommæ debitor eſſet erga Jacobum, Petrum & Mariam.

Quod ad Jacobum pertinet, apud eum liber eſt, quod ei 200. libras quas numquam recuperabit, quippe qui ſine bonis mortuus ſit, mutuas dederit, Petro vero, etiamnum viventi, ſi quid teneatur, reſtituet.

Denique Mariæ quoque, cui 1600. libras ſubripuit, ea qua dictum eſt ratione, nihil ſe prorſus debere contendit. 1. Quia inauditum eſt hactenus, Nobiles, apud quos ludi cauſſa convenitur, colluſorum vincentium dona percipere; hanc Mariæ agendi rationem indignam pariter & injuſtam eſſe; cum dantes hoc unum intendant, ut famulis ac præſertim cubiculariis gratificentur, non vero dominis, qui famulos ſuos in rigore ad ſolutionem æquam foliorum & candelarum dumtaxat poſſunt adigere; atque adeo ſe non teneri ad reſtituendam 1000. libras a ſe retentas Mariæ dominæ ſuæ, quæ e donis luſorum 4000. lib. & amplius percepit. 2. Aſſerit, quod, cum ad reſtitutionem erga Mariam cogeretur, licita ſibi foret compenſatio. 1. Quia pro ſalario 1200. ſibi libras debet; quia omnem in ludo, inſcio marito Titio, pecuniam amiſit famulorum ſolarioni deſtinatam. 2. Quia 200. ei libras dedit mutuas, quas nondum ſolvit; propriiſque impenſis villam ipſius ac Titii refecit, quæ ad 300. etiam libras perveniunt.

Hoc caſu ſic expoſito, quæritur 1. utrum Androgenes ad reſtitutionem alicujus partis 1600. lib. teneatur, quæ ad priorem heram ſuam, ejuſve heredes pertinebant. Quanta poſſet eſſe pars illa, & cui ejus reſtitutio eſſet facienda? 2. Utrum ad aliquam etiam teneatur reſtitutionem pro 1600. libris, quas retinuit tam de lucro luſoriorum foliorum, quam aliter? 3. Quid acturus ſit ad ſecuritatem conſcientiæ ſuæ, ſupponendo, quod etiam de præſenti Mariæ famuletur, diuque procul dubio famulabitur, non perſolutis ſalariis ſuis, licet eorum poſceret ſolutionem? 4. Denique utrum, ſi aliqua erga Titium & Mariam reſtitutione teneretur, huic ſatisfacere non poſſet, *gratis* eis famulando toto eo, quod requireretur tempore, ut debitum ſuum eis perſolveret, non numerata præſenti pecunia, cum incerta ſit ſalariorum ſuorum ſolutio?

R E S P O N S.

Exiſtimamus, Androgenem ſub peccati reatu teneri 1. ad reſtitutionem totius pecuniæ a luſoribus acceptæ ad folia luſoria, candelaſque ceratas. Ratio eſt, quia ad ipſum non pertinent hæc lucra, niſi volente domina ſua, quæ aliis famulis ea dividere, aut etiam integra dare poterat ei quem magis libuerit, Androgene ſine jure reclamante: tumque ipſa feciſſet, quod apud mercatores fieri ſolitum eſt & artifices, qui lucra quæ in tabernis ſuis dantur pro miniſtrantibus famulis, cuicumque voluerint, pro arbitrio deſtinant.

Fatemur quidem lucrum illud turpiter a dominis retineri; at vero de ea re ad Androgenem non pertinet judicium pro hera ſua, quæ ipſo inſcio, lucra illa pauperibus erogare, aut in alium uſum legitimum convertere poterat, aut etiam ſibi retinere, injuſte conquerente Androgene, qui ei tri famulus ſuus miniſtrare tenebatur: Quocirca hoc eis unum concedi poteſt, ut a 1000. libris, quas de lucro ludi retinuit, ſumtus ad luſoria folia candelaſque ceratas impenſos deducat, ſi eos forſan ſuppeditaverit, ut fieri ſolet apud nobiles quoſdam qui ludos fovent.

2. Androgenes ſimiliter reſtituere tenetur ceteras ſummas furtim acceptas, ſcilicet 1600. libras, quæ prioris ſuæ erant dominæ, & 600. libras, quas Titio & Mariæ furatus eſt, debita tamen ſibi ſalaria demendo, tam ab heredibus ob famulatum matris eorum (ſi tamen Titius & Maria ipſius acceptarint hereditatem) quam ab ipſo Titio & Maria ob octo annorum miniſterium ipſis præſtitam; nec non ſummam, quam ad refectionem eorum villæ impendit; uti etiam 300. libras, quas Mariæ mutuas dedit.

Quod pertinet ad 200. libras Jacobo commodatas, certum eſt eas a Petro & Maria non eſſe ſolvendas; cum ex ejus obitu nullum ad eos bonum pervenerit. Eam igitur ſummam ex aliorum debito compenſare non poteſt Androgenes.

3. Androgenes de præſenti ad reſtitutionem ſuperflui coram Deo tenetur; cum eam facere poſſit, neque eam differre poteſt faciendam ex futuro ſuo famulatu erga Titium aut Mariam; quia eam actu non faciendo, bonum non ſuum retineret, veroſque eo dominos privaret.

4. Tandem exiſtimamus, hoc a Petro ac Maria jus poſtulare, ut rationem habeant famulatus undecim annorum quem matri ſuæ præſtitit, pro quo nullam ille mercedem accepit: licet enim cum ea de ſalario ſuo non pactus fuerit expreſſe, cum ei pediſequus eſt addictus, convenienti tamen dignus eſt ſalario, quod exigit æquitas ob diuturnitatem ſervitii; at ſolutionem ſuam aut juridice poſtulare debet, aut judicio viri prudentis permittere; ſi Petrus & Maria de eo amice convenire noluerint. Huic difficultati ſic reſpondimus menſe Aprili an. *1697*.

C A S U S XI.

Laertius, centum libras Joanni ſubreptas debet: Joannes vero intra ſeptem aut octo menſes parem Laertio, ob locatam ſibi ab eo domum, ſummam debebat. Numquid poteſt Laertius 100. librarum, quas Joanni debet, ſolutionem differre; donec elapſum fuerit locationis pretii tempus, ut cum eo tum compenſatione utatur, parem ei quam furatus eſt, ſummam reſtituendo?

R E S P O N S.

Compenſatio legitima eſſe nequit, niſi cum debita ex utraque parte ſunt æqualia, non ſolum ſecundum valorem, ſed debita reciproce & actu. *Dicitur autem legitima compenſatio*, inquit Merbeſius (a), *cum ea quæ debentur utrobique, ſunt ejuſdem rationis; id eſt omnino paria, ſi ſint videlicet utraque certa & præſentia. Si enim unum eſſet ... præſens & alterum futurum, eſſet injuſta compenſatio; nec ab obligatione reſtitutionis eximeret.* Atqui locationis pretia actu a Joanne non ſunt debita; quandoquidem ſeptem aut octo menſes, ut ſupponitur, elabi neceſſe eſt; e contra Laertius actu centum libras debet: eas igitur actu reſtituere tenetur: non vero earum reſtitutionem ad ſeptem octove menſes differre, ob ſummam parem a Joanne tunc temporis ſibi debitam: alioqui vere dici poſſet, eum rem alienam retinere invito domino: quod legibus canonicis & civilibus, immo etiam jure naturæ eſt vetitum.

(a) Merbeſius. tom 1. p. 3. q. 190. Concluſ. 4. p. 034. col. 2.

C A S U S XII.

Calliſthenes, ad ſocietatem Clericorum, regio diplomate conſtitutam, cum prius egeſtatem ſuam, qua ſolvendæ penſioni annuæ, aut veſtibus ſibi conficiendis erat impar, profeſſus eſſet, gratuito admiſſus eſt a Superiore de conſenſu totius Communitatis promittentis, quod quæcumque ſibi ſive ægro, ſive ſano ad victum veſtitumque eſſent neceſſaria, ſuppeditarentur, ea tamen conditione, 1. ut 300. libras pro anno priore traderet; cui rei ſatisfecit: 2. Ut in omnibus officiis ac muneribus, quæ ipſi deſtinarent Superiores, fideliter miniſtraret. Per duodecim annos pacto accurate ſtetit Communitas; ſed, cum ipſi hereditatem quamdam contigiſſe ob patris obitum didiciſſet, conventionem hanc revocare voluit, eumque ad veſtitum ſibi proprio ære parandum cogere. De quo fruſtra apud Superiorem conque-

queſtus Calliſtenes, cum in eam ſe Communitatem divino notu vocatum putaret; na ab aa eaire cogeretor, omnem ſibi ad veſtitum neceſſariam pecuniam per decem annos & amplius ab amicis mutuatus eſt; quod fratres ſororemque natu ſe majorem, parta ſua hereditatis patriæ omnino modica, ob eorum inopiam fruſtrari nollet; & aliunde ea cui per 40. annos inculpatiſſime miniſtraverat Commuoitatis familia, omnia ſibi neceſſaria abſque ullo incommodo ipſi juxta initam conventiooem præbere poſſet.

Elapſis decem illis annis, alteri ejuſdem Congregationis domui præpoſitus eſt, ubi parcimonia ſua duo millia cum quadringentis libris congeſſit; & in eam, quo primom fuerat admiſſus, domum regreſſus, mutuo acceptas quadringentas libras ſolvit, & reliqua duo librarum millia ſe ex reditibus paterois congeſſiſſe declaravit, quæ etiam io Commuoitatis ſuæ bona conſerre ea conditiona obtulit, ut quolibet anno 70. ſibi ad veſtitom ceteraqae neceſſaria ſibi darentur: qua de re convicta familia petitam ei ſummam quotannis tribuit.

Calliſtenes, qui duo illa librarum millia cum quadriogentis ſe poſſe congregare per modum juſtæ tunc compenſationis, idemtidem tamen ob eam pecuoiam ſcrupuloſe angitur. Qua de re quæritur, utrum Confeſſarius ejus ad reſtitutionem illius ſummæ, de bonis paternis quæ ad tria quatuorve librarum millia pertinguot, eum adigere debeat, & quibus jam fratribus ac ſorori ſuæ ad ſublevandam eorum inopiam ceſſit?

R e s p o n s a.

Omnis in eo propoſitæ quæſtionis difficultas poſita eſt, ut dignoſcatur, num illius domus quo gratuito admiſſus eſt Calliſtenes, & illius, cujus regiminis præfectus eſt, reditus ſiot communes; an vero bona ſint a ſe invicem ſejuncta; ita ot prior domus de ſuis tantummodo, & alia de ſuis pariter queat diſponere. Si cujuſque domus res ipſi ita ſit propria, ut domus prior de alterius bonis non poſſit ſtatuere; Calliſtenes duo millia cum quadringentis libris per modum compenſationis de poſteriori domo abſque injuſtitia non potuit ſubtrahere: neque enim licitam eſſe de bonis alienis compenſationem defendi poteſt; moduſque ille reſarciendi damni in reos iojuſtitiæ, qui eam reparare denegant, eſt tantum licitus: eaque etiam compenſatio fieri nequit, niſi cum relatis ſupra cautionibus.

Aſt e contra ſi poſterioris domus cujus regimini præpoſitus eſt Calliſtenes, fructuum dominium pertineat ad priorem, ad quam gratuito admiſſus eſt; eaiſtimamus, quod, quamvis iu modo compenſationis peccaverit, re ipſa tamen in juſtitiam non deliquit: quandoquidem ex pacto convento prior domus de conſenſu totius Communitatis omnia ei non ſolum ad victum ſed etiam vaſtitum neceſſaria ſubminiſtrare deberet, dum pro domo illa fideliter, ut re ipſa integerrime per 40. annos confecit, operam ſuam collocaret.

Neque obſtat prætextus ex modica, quæ ipſi contigit hereditatis patriæ portione & fratribus ac ſorori derelicta ſumtus; immo vanus eſt & contra bonam fidem: Numquid enim, ſi quæ verbo facta eſt cum ea domo conveotio, ſcripto fuiſſet demandata; hæc pactas res denegare potuiſſet, quas ipſe jure coram omni judice obtinuiſſet? Quid vero proſunt contractus, ubi utrobique pacta non ſervatur fides? Pro certo eo tantum conducunt, ut omnis malæ fidei tollatur occaſio pro iis, quibuſcum libere, ſine vi & dolo facta eſt conveotio: Igitur Coogregatio ad quam gratuito admiſſus eſt Calliſtenes, ipſi datam fidem ſervare debuit, ot is omnes accurate admiſſionis ſuæ conditiones adimplevie, juxta iſtam juris canonici regulam (a): *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum*, quam ex hac alia juris Romaoi deſumſit Bonifacius VIII. (b): *Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam*. Inſuper cum ipſi victum & veſtitum ei promiſit hæc Congregatio, dum ſanus aot æger eſſet; hanc ei cenſetur donationem feciſſe ex hac alia juris civilis regula (c): *Donare videtur, quod nulla jure cogente conceditur*. Præterquam quod *bona fides*, inquit alia Lex (d), *quæ in contractibus exigitur, ſummam æquitatem deſiderat*.

Communitas quæ cum Calliſtene de ſuo victu ac veſtito convenit, ipſum dolo inſimulare nequit, cum pars ſummæ quam ſecreto retinuit, ipſius erat, pro rata mutui a ſe facti ad neceſſarios uſus, ob denegationem iojuſtam promiſſæ pecuniæ; partem vero alteram Communitati reſtituit, adhibita tameo in futurum cautione ob elapſi temporis experientiam. Quocirca juſte in communitatem 1. cadit hæc Bonifacii VIII. regula: *Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare*. Quod ex his aliis juris civilis verbis deſumpſit hic ſummus Pontifex (e): *Quod quis ex cauſſa ſua damnum ſentit; non intelligitur damnum ſentire*. Vel potius dicendum eam a Calliſtene nullum damnum accepiſſe ex detentione duorum millium & quadringentarum librarum: cum pro ſua utilitate id tantum retinuerit, quod ſibi legitime erat debitum: *Generaliter cum de fraude diſputatur, non quid habeat actor; ſed quid per adverſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt* (f). Unde de jure ſibi parto utens damnari non poteſt ex hac juris regula: *Nullus videtur dolo facere, qui jure ſuo utitur* (g). Unde ſequitur, quod, ſi Calliſtenes accuratam bonorum domus (quæ ſemper ſupponimus eſſe Communitatis, quæ huic regimini ipſum præfecit,) cui præfectus eſt, rationem noo reddiderit; furti tamen oon eſt reus, & ea taotum uſus eſt induſtria; quod ſibi non ſervaretur data fides; & ipſe ea, quæ aliunde fuiſſet ſibi injuncta, fidelitate aliquo modo fieret immuois ex hoc alio Bonifacii VIII. (h) effato: *Non ſervanti fidem fides ſervanda non eſt*.

Itaque in caſu propoſito idem de Calliſtene ferri debet judicium ac de filiofamilias, qui, cum furtim patri ſuo neceſſaria ad veſtitum, quæ aliunde habere non poteſt, ob avaritiam neganti ſexaginta libras ſubripuit, inſumtas ad ſibi emendam veſtem 30. libris, alias 30. reliquas, quaſi peculium ipſi reſtituit. Nam, ut dici nequit, filium hunc tum injuſte egiſſe; cum pater quilibet, ubi ſuppetunt bona, filio qui aliunde non habet, jure naturæ victum ac veſtitum ſubminiſtrare debeat; ita etiam affirmari poteſt, Calliſtenem nullam Communitati de qua agitur, injuriam intuliſſe: ut pote quæ ei præter victum, alia quoque neceſſaria præbere non ex conditionata, ſed ex ſimplici & abſoluta conventione debebat.

(a) Bonifac. VIII. in reg. 33. de reg. juris in 6.

(b) Reg. 75. ff. de regulis juris.

(c) Reg. 82. ibid.

(d) Bona fides, 31. ff. depositi vel contra.

(e) Reg. 203. ff. de reg. juris.

(f) Reg. 78. ff. de reg. juris.

(g) Reg. 55. ibidem.

(h) Bonifac. VIII. reg. 6. de reg. juris in 6.

Vide { D o n a t i o. Caſ. *Antsaine*. / R e u s. / I m p e d i m e n t u m Conditionis ſervilis. }

CONDUCTIO ET CONDUCTOR.

Vide { L o c a t i o. / D o m i n u s P a r o c i æ. }

CONFESSARIUS. I.

MINISTERIUM clavium ad Epiſcopos & ſolos Sacerdotes, excluſis ceteris omnibus pertinet, ut definit Concilium Tridentinum: & Confeſſarius dicitur ille, qui miniſterium illud exercet.

Cum ex ſancto Gregorio, *ars eſt artium regimen animarum* (a); neceſſe eſt omnino, ut Confeſſarius; præter poteſtatem ordinis & juriſdictionis, omnibus aliis ſit præditus requiſitis qualitatibus, quæ ad quatuor redigi poſſunt.

(a) S. Greg. Paſtoral. part. 2. c. 6.

Prima eſt ſcientia, ſeu eminens, aut ſaltem conveniens, ſeu idonea. Scientiæ in Confeſſario neceſſitas ducitur ex officiis Judicis & Medici ſpiritualis, quæ ipſi ex ſacris Canonibus adſcribuntur (b): nam ut Judici nota eſſe debent Leges & Statuta, ut æquum poſſit ferre judicium; nec poteſt Medicus ſanare morbos, ſi artem, præcepta ac regulas medicinæ ignoret. Ita pariter Confeſſarius tam ſancto munere prorſus indignus eſt, qui Evangelii effata ac regulas Eccleſiæ non intime habet perſpecta, ac propriæ ſalutis, ob ignorantiam coram Deo culpabilem, tam tremendo perperam ſungens miniſterio, non modo periculum adit; ſed & pœnitentium ſalutem maximo ac tremendo ipſe diſcrimini ſimul objicit. Ceterum triplex Confeſſario neceſſaria eſt ſcientiæ ſpecies (c): prima eſt ſcientia Scripturæ Sacræ, quam ſcientiam Sanctorum appellat Sapiens: quæ non ſolum lectione, ſed etiam oratione comparatur, nec non accurata attentione ad ſequendum Spiritus Sancti motus omnes, quibus ad curam ac regimen animarum continuo indiget Confeſſarius. Secunda in eo conſiſtit, ut Confeſſario apprime nota ſint quæcumque ad Sacramentum pœnitentiæ ſpectant, hoc eſt, ejus materia, forma, partes & effectus, & ut inter peccata veniale a mortali ſecernere cognoſcat. Tertia poſita eſt in hoc quod Conciliorum, Canonum, Patrum & Auctorum qui ſunt probati, doctrinam norit: denique ut in morali nihil auſterius, nihil quoque remiſſius judicet.

(b) Can. *Qui vult.* de pœnit. diſt. 6. & Cap. *Omnis*. 12. de pœnit. & remiſſ. l. 5. tit 38

(c) S. Carol. Borrom. actor. Eccleſ. Mediolan. part. 4. inſtruct. Confeſ. p. 771. Can. *Ignorantia*. diſt. 38. Can. *Nulli*. ibid.

Secunda in Confeſſario requiſita dos, eſt prudentia (d): Nam, ſi quatenus Judex ſpiritualis eam debeat habere ſcientiam, qua naturam peccatorum quæ declarat pœnitens, eorumque gravitatem aut levitatem pro variis eorum circumſtantiis poſſit dijudicare; uti Medicus ſpiritualis juſte ſecernere debet remedia pœnitentium malis magis convenientia, ut morbos animæ tutius ſanet, eoſque monitis ſalubribus a relapſu in peccata defendat: quod eum perficere neceſſe eſt, pœnitentiæ vigorem, claviumque vigorem Eccleſiæ commiſſarum tuendo, hoc eſt, merentibus tantum abſolutionis gratiam impertiendo eiſque ſalutares pœnitentias imponendo.

(d) S. Franc. Sales. monit. ad Confeſſ Cap. 1. S. Carol. Borrom. inſtruct. Confeſſ. p. 175. Cap *Omnis*. de pœnit. & remiſſ.

Tertia eſt vitæ integritas (e), hoc eſt, vita pietate plena, moduſque agendi, in quo eluceant virtutum exempla; ſine quibus ceteræ Confeſſarii dotes & ſibi & pœnitentibus fiunt inutiles, qui ei non confidunt, niſi quia perſuaſam habent ejus probitatem; ac ipſe tali modo eſt diſpoſitus, ut in exſecutione præire velit earum rerum, quas aut ſuadet aut imperat.

(e) Concil. Mediolan. 1. tit. quæ pertinent ad ſacram pœnit. adminiſtrat.

Quarta denique eſt Caritas erga pœnitentes, cui comes eſt patientia, qua poſſit æquo tolerare animo imperfectiones, infirmitates, ignorantiam alioſque defectus ſuorum pœnitentium, ceteraſque miniſterio huic laborioſo ac difficili annexas ærumnas (f): ſed præſertim in Confeſſario Caritas illa propriæ rei oblita eſſe debet, qui ad unam Dei gloriam ac pœnitentium ſuorum ſalutem debet intendere. Cum certum ſit, eum qui propriæ rei ſtudio ducitur, brevi in odium & contemptum incurrere; nedum pœnitentium ſuorum confidentiam ſibi habeat.

(f) S. Franc. Sales. monit. ad Confeſſ. c. 1.

Quæ hactenus de Confeſſorum dotibus diximus, paucis iſtis S. Caroli ad Epiſcopos ſuæ Provinciæ verbis in primo Concilio Mediolanenſi (g) continentur. *In probandis Confeſſoribus hanc rationem habeant Epiſcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, de animarum ſalute ſoliciti & fideles cuſtodes ſint eorum quæ in Confeſſione dicuntur.*

(g) Concil. Mediol. 1. cit.

CASUS PRIMUS.

IRENÆUS Epiſcopus ſimplicem Sacerdotem, etiam non approbatum, ſibi Confeſſarium eligit. Numquid validæ ſunt ejus apud ipſum Confeſſiones?

RESPONS.

Nullus eſt dubitandi locus de validitate Confeſſionum hujuſce Epiſcopi: nam, ut obſervat S. Thomas (h); *Quia Prælatis incumbit Sacramenta diſpenſare, quæ non niſi mundi tractare debent; ideo conceſſum eſt eis a jure, quod poſſunt ſibi eligere proprios Confeſſores qui, quantum ad hoc ſunt eis ſuperiores: ſicut etiam unus Medicus ab alio curatur; non in quantum eſt Medicus; ſed in quantum eſt infirmus.* Idem docet S. Antoninus (i).

(h) S. Thom. in diſt. 17. q. 3. art. quæſtiunc. 4. ad 4.

(i) S. Anton. part. Sum. Theol. tit. 17. c. 3. §. 1.

Jus de quo loquitur ſanctus Thomas, in Decretali Gregorii IX. continetur (a). En ejus verba: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis & aliis ſuperioribus nec non minoribus Prælatis exemtis, ut etiam præter ſui Superioris licentiam, providum & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem.*

(a) Greg. IX. in Cap. *Ne pro dilatione*, fin. de pœnit. & remiſs. lib. 5. tit. 38.

CASUS II.

Nicostratus, apud Parochum ſuum confitens qui in Confeſſione ipſi dixit, non licitam eſſe & uſurariam venditionem quamdam quam fecit, retulit, multos eoſque graves Auctores cum eo non ſentire, & quidem duos treſve nominavit, qui probabant & ab uſura vindicabant hujuſmodi venditionem. Numquid in eo caſu Parochus contrarium ſentiens potuit, aut etiam debuit Nicoſtrati ſententiam amplecti; quod pro ſe opinionem haberet probabilem?

Respons.

Parochus ille Nicoſtrati opinionem non magis ſequi tenetur, quam Judex rei ſententiam, aut Medicus ægri voluntatem; & qui propoſitionem hanc tueri contendit, is vult, ut dux viæ a cæco ſe duci permittat; cum e contra pœnitentis ſit, ſe totum Confeſſoris ſui regimini permittere, ut ait Auctor operis, quod Gratianus S. Auguſtino adſcribit, his verbis (b): *Ponat ſe omnino in poteſtate Judicis, in judicio Sacerdotis, nihil ſibi reſervans ſui, ut omnia, eo jubente, paratus ſit facere, pro reparanda animæ vita, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte.* Quibus verbis utitur Magiſter Sententiarum, ad probandum, quod dubia ſua Confeſſori proponere debeas pœnitens, & ab eo illorum ſolutionem exſpectare (c). Igitur pœnitentis ſui opinionem, tamquam regulam ſibi proponere non debet Confeſſarius, ſed Scripturam Sacram, Concilia Patreſque; alioquin damnationis illius periculum ſubiret, & pro eo in tremendo Dei judicio ſponderet; cum pœnitentis ruina & Confeſſarii perniciem ſecum trahat, juxta illud Chriſti Domini (d): *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Sed nullum ſibi imminet diſcrimen oppoſitam ſequendo regulam, ut ex hoc alio Scripturæ Sacræ teſtimonio conſtat (e): *Si, dicente me ad impium; morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via ſua impia & vivat; ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua, & a via ſua impia: ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Ex quibus utique verbis facile intelligere poteſt Confeſſarius, quanto ſe committit periculo, dum contra propriam ſuam conſcientiam erga pœnitentem agit, ipſique ſuadet aut etiam approbat quod potius falſum, quam verum; illicitum quam licitum exiſtimat; quod ejus propenſioni lenocinari aut ejus indulgere malit cupiditati, quam ipſum cogere ad vim ſibi quampiam faciendam.

(b) Apud S. Aug. lib. 1. de vera & falſa Pœnit. in Can. *Conſideret*. 1. de Pœnit. diſt. 5. §. 6.

(c) Mag. Sent. l. 4. diſt. 30.

(d) Matth. 15. 14.

(e) Ezech. c. 3. 18. & 19.

Perniciofam tamen hanc regulam inducere temere conati ſunt ultimi ſæculi Auctores quidam parum intelligentes; in quos vere cadit id ipſum, quod de Confeſſariis adulatoribus aſſerit S. Cyprianus (f), qui ſub ſpecie miſericordiæ, jucundam credulitatem in Eccleſiam introducere nituntur, & a quibus ſic abſolventibus datur. *Irrita & falſa pax*, inquit S. Martyr, *periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura .... operiuntur morientium vulnera, & plaga letalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur. Imperitus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum ſinus, dum ſervat, exaggerat; aperiendum vulnus eſt, & ſecandum .... Vociferetur & clamet licet & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias agit poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem.* Quo redit iſtud S. Auguſtini præclare dictum (g): *Non audit Medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem.*

(f) S. Cypr. ſerm. de Lapſis, ant. med.

(g) S. Aug. in Pſalm. 85. enarrat. 2. n. 4.

Fatendum tamen, quod, ſi vere Confeſſario foret perſuaſum, opinionem ſui pœnitentis defendi poſſe, hoc eſt, eſſe probabilem; tunc ei abſolutionem poſſet impertiri; quandoquidem tunc contra proprium lumen, hoc eſt, contra conſcientiam ſuam non ageret. *At ſi Confeſſarius*, inquit Navarrus (h), *non adeo forti ratione nititur, vel pœnitens utitur pari, vel fere pari, & habet pro ſe doctorem aliquem clarum, poterit eum abſolvere, ut poſt Adrianum, in 4. de confeſſione q. 5. dubio 7. tenuimus de Pœnit. diſt. 6. n. 66.* His addimus; 1. Confeſſarium poſſe abſolvere pœnitentem, qui cum aliqua ſit ſcientia prælitus, probabilius exiſtimat, quod Confeſſario ſuo minus probabile videtur. 2. Confeſſarium ſimiliter poſſe abſolvere pœnitentem, qui de probabilitate apprime inſtructus, bona fide exiſtimat, probabilius eſſe, quod ſine peccato liceat ſequi opinionem minus probabilem; modo vere ſit probabilis eo ſenſu, quo a Theologis intelligentibus affirmatur: quod accipiendum eſt, cum de reſtitutione agitur.

(h) Navarr. Man. c. 26. n. 4.

CASUS III.

Victor, peccata mortalia confeſſus, indictam ſibi per ſex menſes qualibet Feria ſexta jejunii pœnitentiam, licet æquam & ſibi poſſibilem acceptare noluit, peccata ſua in Purgatorio expiare malens; eo quod jejunare non poſſet, niſi res familiæ atque amicis ſuis nota eſſet; qua re eorum in ſe cavillationem converteret, eiſque incontinentiæ ſe reum eſſe, ſuſpicionem injiceret. Numquid Confeſſarius ejus infirmitati, abſolute loquendo, indulgere poteſt, eumque ita diſpoſitum abſolvere?

Respons.

Victorem in caſu propoſito, illæſa conſcientia ſua abſolvere nequit Confeſſarius: eſt enim illa regula certa, quam religioſe obſervare tenetur quilibet Confeſſor, pœnitentem videlicet, qui peccata confeſſus ſatisfactionem convenientem, ac peccatorum ſuorum gravitati numeroque, nec non propriis viribus ſuis accommodatam recuſat, abſolutione prorſus eſſe indignum, quia abſque mortali pœnitentiam talem recuſare non poteſt; quocirca pœnitentem hunc non abſolutum remittere tenetur Confeſſor, ſi in ſua repulſa perſeveret; nedum infirmitati ejus obſequi poſſit.

Ratio hujus deciſionis eſt, quia Chriſtus non ſolum peccatores ſolvendi poteſtatem Sacerdotibus contulit, ſed etiam eoſdem ligandi, aut abſolutionem denegando, aut non eam, niſi poſt injunctam ſatisfactionem concedendo: eo nimirum ſenſu intelligi debent hæc verba Chriſti (h): *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Sic enim verba illa explicant Patres Tridentini (k): *Nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat*, inquiunt, *ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent*: nolente Deo peccatores a pœnis peccato ſuo debitis eximere, niſi eas pœnitentia redimant. Juſta igitur de cauſſa antiquus Auctor operis, quod Gratianus ſancto Auguſtino tribuit, in præcedenti reſponſione laudati (l), vult ut vere pœnitens ex nutu & judicio Sacerdotis omnino pendeat, & omnia ſua confeſſus peccata, cuncta quæ imperabit, facere ſit diſpoſitus, quo amiſſam peccato animæ vitam recuperet: *Et hoc cum gaudio*, inquit, *quia vitam recuperat infinitam, ut Deus. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus.*

(h) Matth. 16. 19.

(k) Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

(l) Cit. Can. *Conſideret*. 1. de Pœnit. diſt. 5. §. 6.

Addi etiam poteſt, ad Sacramenti Pœnitentiæ integritatem, neceſſariam eſſe a Sacerdote impoſitam ſatisfactionem, clare definiente Concilio Tridentino (m), quod *Contritio, Confeſſio, & Satisfactio, quæ quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur.* Unde ſequitur, quod is qui injunctam ſibi a Confeſſario ſatisfactionem adimplere non vult, peccatorum ſuorum remiſſionem obtinere nequit; quamvis eam obtinere valeat ante ſatisfactionem actualem, modo ſincerum eam adimplendi propoſitum habeat.

(m) Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 38.

Confirmari poteſt etiam hæc deciſio tamquam certum ſupponendo, quod Chriſtus ligandi atque ſolvendi poteſtatem conferens Sacerdotibus, peccato-

Digitized by Google

-catores ipſis; ut reos Judicibus, ſubjecit; hoc eſt, eis obedientiam imperavit, ſatisfactionem, quam pro gravitate criminum imponendam judicant, accurate perficiendo: quare primis Eccleſiæ temporibus ad Sacram Communionem nemo pœniteas admittebatur, niſi poſt adimpletam, quæ ſibi impoſita fuerat, ſatisfactionem. Unde Tertullianus (a): *Quam porro ineptum*, inquit, *quam iniquum pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere. Hoc eſt pretium non exhibere, & ad mercem manum emittere.* Indignum itaque abſolutione, quam proinde illi recuſare debet, peccatorem judicabit Confeſſarius, niſi idonea quæ jubet, & ad vires ejus accommodata opera ſatisfactoria velit adimplere. Omnis namque peccator de ſuo delicto pœnitentiam agere tenetur; niſi in ſuo peccato emori cupiat, juxta illud Evangelii (b): *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis*; quod intelligendum eſt de laborioſis ac ſatisfactoriis pœnitentiæ operibus ex hoc alio ejuſdem Evangelii teſtimonio (c): *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Per hæc enim opera fructuſque pœnitentiæ Juſtitiæ Divinæ ſatisfacimus per virtutem, quam habent ex infinitis Chriſti ſatisfactionibus, ut ait Concilium Tridentinum (d): *In quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri & per illum acceptantur a Patre.* Et quidem, ſi valde dubia ſit ex S. Auguſtino pœnitentia, quæ ad mortem uſque differtur; quæ eſt iſta hominis ſtultitia, ad ignem purgatorium pœnitentiam ſuam differre; in quo jam nec liberæ ſunt nec proinde meritoriæ ſatisfactiones? Et aliunde, ut definivit Synodus Tridentina (e), per ſolam ceſſationem a peccatis non vera fit a Chriſtiano pœnitentia; niſi huic adjungantur confeſſio & ſatisfactio per jejunia & alia hujus vitæ pia opera. Reipſa veram ſuam converſionem in ſola ceſſatione a peccato reponere non debet peccator: Manus a ſcriptione ceſſans, jam ſcripta non delet, nec ſilentio ſuo prætentas obtrectationes lingua reparat; neque ab ære alieno fit liber debitor, qui nova non contrahit debita: Uno verbo, pœnitens, ſi vere ſit converſus, quantum in ſe eſt, Dei quem peccato ſuo offendit, juſtitiæ debet ſatisfacere. *Quid enim prodeſt*, ait Auctor antiquus (f), *confiteri flagitia, ſi confeſſionis vocem non ſequitur afflictio pœnitentiæ? ... ſignum ergo veræ confeſſionis non eſt in oris confeſſione; ſed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque bene converſum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Ita etiam S. Auguſtinus his verbis (g): *Non enim ſufficit mores in melius commutare & a factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfaciat Deo.*

(a) Tertull. lib. de Pœnit. c. 4. n. 6.

(b) Luc. 13. 5.

(c) Luc. 3. 8.

(d) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.

(e) Idem. cit. ſeſſ. 14. c. 4.

(f) Apud S. Greg. l. 6. in 1. Reg. 15. c. 2. In hæc verba: *Sed nunc honora me coram ſenioribus populi.*

(g) S. Aug. ſerm. 351 c. 32. In can. *Non ſufficit.* 23. de Pœnit. diſt. 1.

Denique Sanctus Cæſarius in ſermone, antea S. Auguſtini operibus inſerto (h), de iis loquens, qui, cum gravia admiſerint peccata, de iis ſatisfacere in altera vita præſumunt, ſic dicit: *Illi autem*, inquit hic Sanctus, *qui capitalia crimina committunt, ſi quamdiu vivunt, ea redimere pœnitentiæ medicamentis noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apoſtolus*: Ille autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem (i) ... *venire non poterunt; ſed magis illam divinam & irrevocabilem ſententiam audituri ſunt* (k): Diſcedite a me maledicti in ignem æternum. *Et ideo qui ab iſta perpetua pœna, & ab illo purgatorio igne deſiderant liberari, crimina capitalia non admittant, aut ſi jam commiſerint, fructuoſam agant pœnitentiam. Nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcumque etſi longe minorem, quam debeat, ſolverit pœnam. Ita enim impertitur a Deo largitas miſericordiæ, ut non relinquatur etiam juſtitia diſciplinæ.* Ita ille Sanctus (l).

(h) Apud S. Aug. ſerm. 104. n. 3. in append.

(i) 1. Corin. 3. 15.

(k) Matth. 25.

(l) Can. *Nullus*. 4. de Pœnit. diſt. 6.

Ceterum hactenus dicta intelligi debent de ſatisfactionibus prudenter injunctis, ex quibus neque ſcandalum neque infamia oriantur.

CASUS IV.

Nomquid Lucilius Publii Confeſſor, qui pro comperto habet, Publium ignorare rem, quæ natura ſua eſt mortale peccatum, & quam in confeſſione numquam declarat; tenetur ſub reatu peccati, ei ſtatum ſuum manifeſtare?

Respons.

Dicimus 1. Confeſſarium teneri ad manifeſtandam ſuo pœnitenti ignorantiam ejus vincibilem, atque adeo culpabilem. Ratio eſt, quia Confeſſarius quilibet proprii Paſtoris vice, obit in pœnitentem; unde uti talis tenetur eum veritatem edocere, atque ignorantiam ejus tollere. Tunc enim, ut ad Sacramentum pœnitentiæ male diſpoſitum eum habere debet Confeſſarius: & aliunde prudenter judicare poteſt, pœnitentem hunc, conſcientiæ ſuæ ſtimulis agitatum, ad meliorem frugem eſſe rediturum. Ita Sotus (m), Arragonius (n) & alii multi, quos laudat Bonacina (o).

(m) Soto. in 4. diſt. 20. q. 1. art. 4.

(n) Arragonius, in 2. 2. q. 33. a. 6.

(o) Bonacina. tract. de matrim. q. 3. puncto ultimo, n. 2.

2. Ad idem etiam tenetur Confeſſarius in caſu ignorantiæ invincibilis; cum moniti ſui felicem eſſe futurum exitum prævidet.

3. Idem dicendum; quando Confeſſarium interrogat pœnitens. Tunc enim a veritate patefacienda abſtinere omnino non poteſt; eique omnis prohibetur diſſimulatio.

4. Confeſſarius non tenetur pœnitentem ſuum monere, qui ignorantia juris aut facti, vere invincibili laborat, cum ex monito ſuo nullum felicem proſpicit futurum eſſe exitum; aut cum moraliter ei certum eſt, felicem hunc exitum non fore abſque gravi ſcandalo aut notabili infamia, aut aliquo alio damno graviſſimo; exceptis iis caſibus, in quibus publicum damnum ageretur. Quod quidem probat Decretalis Innocentii III. (p), in qua ſummus hic Pontifex, loquens de matrimonio duorum invalido propter cognationem eorum in quinto gradu, tunc prohibito, de quo invalide fuerant diſpenſati, ſic dicit: *Diſſimulare poteris ut remaneat* (vir nobilis N.) *in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.* Sed cum ex monito ſuo felicem jure præſumit exitum fore Confeſſarius; tunc ſilere non poteſt, ut docet Bonacina poſt undecim, quos laudat Auctores (q); cum ſilens, & pœnitentem in ea, qua laborat ignorantia, relinquens, contra propriam ageret conſcientiam ſuam, qua bonum ejus ſpirituale ſe monito ſuo curaturum cognoſceret.

(p) Innoc. III. in cap. *Quia circa*. 6. de conſang. & affinit. l. 4. tit. 14.

(q) Bonacina citato loco.

Diximus: *exceptis iis caſibus, in quibus damnum publicum ageretur.* Tunc enim veritatem pœnitenti ſuo manifeſtare tenetur Confeſſarius; eumque ignorantia ejus, licet invincibili, liberare: quia publicum privato bono eſt anteponendum, ut docent omnes Theologi.

5. Ignorantiæ juris nomine, intelligimus ignorantiam juris humani. Nam, quod pertinet ad ignorantiam juris naturalis & divini, certum eſt, quod veritatem diſſimulare non poteſt Confeſſarius ignoranti; licet irritum fore monitum ſuum prævideat. Quod probari poteſt, 1. quia, licet Confeſſarius pœnitentis ſui, quantum in ſe eſt, ſalutem curare debeat, non poteſt tamen cum præjudicio juris naturalis & divini; cui ſemper eum conformem eſſe neceſſe eſt, etiam cum periculo pœnitentis ſui, qui juri huic obtemperare recuſans, Dei, ejus auctoris, ſe inimicum declarat.

2. Quia Confeſſarius rem de ſe malam nomquam approbare poteſt; neque veritatem quæ cognoſci debet, opprimere. Atqui id ipſum præſtaret, veritatem in hoc caſu tegendo ac diſſimulando. Nam *error, cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas, cum minime defenſatur, opprimitur*, ut ait Innocentius I. (r); qui addit: *Negligere quippe, cum poſſis* (ſcilicet ex officio, inquit Gloſſa) (ſ) *deturbare perverſos; nihil aliud eſt quam fovere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.*

(r) Innoc. I. in can. *Error.* 3. diſt. 83.

(ſ) Gloſſa hic, v. *cum poſſis*.

3. Quia contrariom defendendo falſum ſupponitur 1. in eo quod ſupponitur, cognoſci poſſe, ignorantiam in pœnitente eſſe invincibilem, licet eum non interroget Confeſſarius; nec conſequenter de qualitate ipſius ignorantiæ certus eſſe poſſit: conſtat quippe ignorantiam invincibilem a vincibili vix ſecerni poſſe; quantumvis accurate interrogetur is, qui ea laborat. 2. Quia ſupponitur, Confeſſorem tunc poſſe abſolvere ſuum pœnitentem, de ignorantia ejus non præmonitum; atque ita eum judicare ſufficienter diſpoſitum ad recipiendam gratiam Sacramenti. Atqui falſum ſupponitur, neque enim ad Sacramentum Pœnitentiæ rite diſpoſitus

aſſe poteſt pœnitens, niſi vere Deum ſuper omnia diligat; quo pacto autem ſupponet Confeſſarius ſuum pœnitentem diligere Deum ſuper omnia; cum ſibi perſuaſum habeat, fore ut ab eo ſpernantur monita ſua; & e contra rectam veritatis ſemitam ſequi recuſaturus ſit! Neque enim ſuper omnia Deus poteſt diligi, abſque ſincero omnia peccata vitandi propoſito, & cuncta potius perferendi mala, quam ſi vel unum admittatur. Igitur, cum pœnitens ille non ita ſit diſpoſitus, ut ſupponit Confeſſor, nec etiam ſufficienter eſt diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem. Igitur falſum, iterum dico, ſupponit Confeſſarius, cum pœnitentem ſufficienter diſpoſitum ſupponit. Denique falſa etiam ponitur ſuppoſitio, cum affirmatur, pœnitentem Confeſſoris ſui monita eſſe contempturum: Quis enim audeat aſſerere, ipſum potenti divinæ gratiæ auxilio adjutum, ignorantiam ſuam aut pertinaciam non eſſe ſuperaturum? Ambiguo itaque Confeſſarius nititur tantum dubio, quod ex regulis Caritatis pro futura ſui pœnitentis emendatione debet interpretari. Hæc igitur ſequens principia Lucilius Publii Confeſſarius, erga pœnitentem ſuum gerere ſe debet in ſpecie propoſita. Vide ſis caſum ſequentem.

CASUS V.

Gregorius, Toloſæ Parochus, Eduardum in confeſſione audiendo, agnoſcit, ipſum a decennio cum Maria habitare tamquam cum uxore ſua, quæ re ipſa non eſt; quod invalidum ſit eorum matrimonium ob defectum præſentiæ proprii eorum Parochi. Numquid poteſt, aut etiam debet ipſum abſolvere a peccatis ejus, non prius ipſi manifeſtata matrimonii ejus invaliditate?

Respons.

Si Gregorium de validitate matrimonii ſui conſuluerit Eduardus, eive dubium aliquod aut aliquam ea de re animi anxietatem ſignificarit; certum eſt, quod a manifeſtanda ipſi veritate abſtinere non poteſt ille Parochus, eique copulam cum Maria prohibere debet; donec legitimi Superioris auctoritate matrimonium eorum in integrum fuerit reſtitutum.

Ratio eſt, quia Confeſſor quilibet eſt Paſtor, Pater, Judex, & Medicus ſpiritualis pœnitentis ſui, ut ait Concilium Senonenſe an. 1528. (a); ideoque dubia ejus diſſolvere, & convenientia animæ malis adhibere debet remedia. *Confeſſarius enim*, inquit Sylvius (b), *eſt Doctor, Conſultor, Medicus & Judex pœnitentis. Ideoque debet ipſum docere, et bene conſulere, diligenter curare & ad peccatorum ſingulorum confeſſionem & deteſtationem inducere, ut ſententiam ferat quam oportet.* Idem docet Bail (c) atque in hanc veritatem conſentiunt omnes Theologi.

(a) Conc. Senon. an. 1528. Decreto 10 de Confeſſione.

(b) Fr. Sylvius in ſupplem. 3. part. S. Thom. q. 8. art. 5. quæſito. 7.

(c) Lud. Bail. de exam. Confeſſar. q. 45. pag. 230.

Sed ſi Eduardus in bona fide & ignorantia inculpabili verſetur; Gregorius ipſum de ſtatu ſuo monere non tenetur, ſi juſte præſumat, nullum fore monitionis ſuæ fructum; & etiam minus tenetur, ſi grave inde futurum prævideat ſcandalum, uti facile ſalo divortio fieri poſſet.

Iſtam difficultatem ſic ſolvit Dominicus Sotus (d); & mulieris affert exemplum, quæ ante Concilii Tridentini tempus, quo ſcribebat Auctor ille, clandeſtinum iniiſſet, ſed non conſummatum matrimonium cum uno homine, & quæ alteri poſtea publice nupſiſſet his verbis: „ Exempli gratia, *inquit* „ *Doctor ille*, eſt mulier, quæ clandeſtine nupſit uni, „ cum quo copulam non conſummavit, & poſtea in „ publico alteri matrimonio conjungitur, ex quo filios ſuſcepit, putat ſecundum illud matrimonium „ eſſe validum, cum tamen omni procul dubio non „ ſit niſi primum; utrum teneatur Confeſſarius illam admonere. Nam quod non teneatur ex hoc „ maximum argumentum, id quod non prodeſſe, „ ſed obeſſe poteſt, ſub præcepto caritatis non cadit: ſed admonitio illa eſt ejuſmodi; nam quamvis mulier illa in judicio juret illum non eſſe „ ſuum, ſed alienum, nulla ei adhibebitur fides; ſed „ cogetur manere cum ſecundo, cui in facie Eccleſiæ conjuncta eſt. Immo ſi ſepararentur, manerent „ filii patrimonio deſtituti, quia haberentur illegitimi. Nullus ergo erit talis admonitionis fructus „. Cui propoſitæ quæſtioni hanc reſponſionem, ſolutioni noſtræ omnino conformem ſubjicit hic Theologus: „ Si autem ignorantia, *inquit*, ſit eorum quæ „ non omnes tenentur ſcire, ſive ſit juris divini, ſive „ humani; tunc diſtinguendum eſt. Si Sacerdos viderit quod poſſit prodeſſe, idque ſine gravi ſcandalo, tunc tenetur rem detegere: ſi vero videt, „ quod nullatenus prodeſſe poteſt, aut ſine gravi „ ſcandalo, tunc tenetur tacere & diſſimulare, ſi „ non interrogatur, aut ſi alter non confitetur de „ illo, tamquam de re ſcrupuloſa. Verbi gratia in „ exemplo præſenti, ignorantia eſt divini juris, neſcire quod matrimonium primum ſit validum, & „ ſecundum irritum; ſed tamen non omnes tenentur „ ſcire: immo inter Sacerdotes plurimi id ignorant. „ Videt tamen Sacerdos quod maritus non credet „ uxori dicenti, quod primo fuerat alii nupta: immo „ a judice compelletur manere cum illo. Quare „ tunc nihil aliud Sacerdos, ſi diceret, ageret, quam „ cogere miſeram mulierem, ut numquam poſſit „ debitum petere, immo neque reddere. Nam cum „ ſciat illum non eſſe ſuum; ſit ſubinde quod ad illum quomodocumque accedere eſt fornicari: quod „ priuſquam faciat, mori debet. In hoc ergo caſu „ tacendum eſt „. En deciſio docti hujuſce Theologi Hiſpani, qui eam ex hoc Sancti Auguſtini (e) præclare dicto confirmat; *Si ſcirem tibi non prodeſſe, non te terrerem*: Cui ſtatim naſciturum ex diremptione matrimonii ſcandalum ſubjungit.

(d) Dom. Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4.

(e) S. Aug. in can. Si quis. de pœnit. diſt. 7.

Ex hac doctrina, quam ſequuntur Navarrus, Corradus, Bail, Sylvius, Auctor Colloquiorum Diœceſis Agathenſis (f), aliique complures, manifeſte liquet, ignorantiam inculpabilem a fortiori ad jus tantum humanum pertinere: ut in caſu quem proponimus, vel cum de facto ſimpliciter agitur, Confeſſarium, quem nec conſulit, nec interrogat ſuus pœnitens, quique nec dubio, nec ſcrupulo ea de re angitur, tunc diſſimulare debere id ipſum, quod cognoſcit, tacendo. *Et idem eſt de ignorantia juris humani*, inquit Sotus, *ut ſi ignorans putet matrimonium in quarto gradu eſſe licitum; aut ignorantia facti, ut ſi ignoret maritum ſuum eſſe ſibi conſanguineum, cum tamen ſit.*

(f) Colloqu. Agath. Colloq. 11. q. 8.

Confirmari poteſt hæc deciſio auctoritate Innocentii III. (g) qui de obreptitia Matrimonii diſpenſatione conſultus a quopiam ſic reſpondet: *Diſſimulare poteris*, inquit hic Papa, *ut remaneant in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.* Eodem nixus fundamento exiſtimat Navarra (h), Confeſſarium non poſſe detegere invaliditatem talis diſpenſationis illi, qui eam bona fide ignoret; quando adeſt periculum, ne quid deterius eveniat. *Cui conſequens eſt etiam Confeſſarium poſſe abſolvere confitentem, quem videt ignorantia juris humani probabili a peccato excuſari; præſertim ſi ſuſpicaretur, eum veritatem monitum, illam non amplexurum.* Ob eamdam denique rationem aſſerit Corradus (i) cum Soto, non eſſe monendam uxorem de impedimento ante ſuum matrimonium contracto ex commiſſa fornicatione cum fratre mariti ſui, ſi ſit bona fide, & in ignorantia inculpabili verſetur.

(g) Innoc. III. in cap. Quia circa. 6. de Conſang. & affinit. lib. 4. tit. 14.

(h) Navarr. in c. Si quis autem. de pœnit. diſt. 7. tom. 1.

(i) Corradus. 1. part. quæſito 141. & Lud. Bail. de exam. pœnit. 3. part. q. 4. pag. 497.

Juvat heic advertere cum Ludovico Bail (K), a Confeſſario monendum eſſe pœnitentem ſuum, qui ignorantia inculpabili laborat, cum eum brevi ab alio eſſe monendum prævidet, qui neceſſariam in monitione ſua non adhibebit prudentiam. *Quod idem faciet Confeſſarius, quando prævidet brevi monendos eſſe de impedimento ab iis, qui non ita prudenter monerent, ſicut ipſe poterit.*

(k) Lud. Bail. de exam. Confeſſar. q. 45.

CASUS VI.

Claudius in confeſſione declarat, ſe mortale peccatum impudicitiæ cum Cœcilia patruele ſua, quacum habitat, admiſiſſe: eodem die Cœcilia & immediate poſt Claudium alio ſuo pœnitenta, hoc prætermiſſo, eidem declarat Confeſſori licet eam generatim hac de re interroget. Numquid eam abſque peccato abſolvere poteſt Confeſſarius, qui certo novit, illam ab admiſſo illo impudicitiæ delicto non eſſe confeſſam?

Respons.

Intereſt ſtatim advertere, quod Confeſſarius, cui via tantum confeſſionis notum eſt Cœciliæ delictum, eam interrogando, in primis cavere debeat,

ne

Digitized by Google

ne ipſa ſuſpicetur ſibi notum eſſe ejus delictum ex Claudii confeſſione: quia ſigillum Confeſſionis neque directe, neque indirecte quacumque de cauſſa, umquam frangere licet, ut conſtat ex his Innocentiii III. in Concilio Lateranenſi verbis (*a*): *Caveat autem Sacerdos, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem &c.* Ideoque Cæciliam ita generatim interrogare debeat, ut ex petitionibus ſuis ſuſpicari non poſſit, Claudium ſibi jam in confeſſione declaraſſe peccatum, cujus ipſa eſt conſcia.

(*a*) S. Greg. in Can. *Sacerdos*. 2. de pœnit. diſt. 6. & Conc. Later. ſub Innoc. III. in Cap. *Omnis*. 12. de pœnit. & remiſ. lib. 5. tit. 38.

Hoc præſuppoſito, exiſtimamus, quod ſi delictum ſuum negare perſeveret Cæcilia, eam Confeſſarius debet abſolvere; modo nulla aliunde ſubſit cauſſa ipſi prorogandæ abſolutionis; cum in hoc caſu eam ipſi denegare non poſſet, niſi fracto, ſaltem indirecte, confeſſionis Claudii ſigillo. Deinde pœnitentis ſui verbis ſeu pro ſe, ſeu contra ſe loquentis, fidem adhibere tenetur Confeſſarius: *In foro autem pœnitentiæ*, inquit S. Thomas (*b*), *creditur homini pro ſe & contra ſe*. Addi poteſt etiam, a Claudio delictum illud quod confeſſus eſt, falſo ſupponi potuiſſe ob ſpecialem quemdam finem Confeſſario ignotum; quem etiam detegere non poteſt. Ita nobiſcum in hoc ſentiunt Angelus de Clavaſio, Silveſter, Navarra, & qui eos laudat Sylvius, (*c*) duas Confeſſario ſic impedito cautiones ſuadens. *Ut autem nullam det cauſſam ſuſpicandi de confeſſione alterius*, ait inclytus hic Theologus, *debet his cautelis uti: prima: ne de illo peccato roget ſtatim a principio; ſed inter alia. Secunda: ſi interrogatus negaverit; nihil replicet ſuper iſto, ſed quando poteſt citra ſuſpicionem, generaliter hortetur ad integritatem confeſſionis*. Subjungit etiam hic auctor: *Et eum, etiamſi perſiſtat negare, abſolvat*. Cujus quidem rei mox allatas affert rationes.

(*b*) S. Th. quodlibet. 1. q. 6. art. 12.

(*c*) Sylvius in ſupplem. 3. part. Sum. S. Thom. q. 40. art. 2. quæſit. 7. concluſ. 5. & apud eum Angelus de Clavaſio. v. *Confeſſio*. ultimo q. 6. Silveſter v. *Confeſſio*. q. 15. & Navar. Manual. c. 8. n. 17.

Sed ſi Confeſſario illi notum eſſet Cæciliæ peccatum, aliunde quam ex Confeſſione certo cognitum, & inſuper pro comperto ſimiliter haberet, illam non eſſe confeſſam alteri Sacerdoti ab illo peccato admiſſo; tum eam abſolvere non poſſet, niſi ſacrilegii ipſius particeps fieret, ob triplicem rationem.

Prima eſt: quia Confeſſor eſt pater ſpiritualis ſui pœnitentis: atque ut pater numquam ſine crimine ad necem filii ſui voluntarie conferre poteſt; ita Confeſſarius in nullo caſu ad exitium ſui pœnitentis, qui Sacramentum mortalis peccati conſcius poſtulans, venenum animæ, non ſalutare petit remedium, & exitium ac mortem ſuam gratiæ atque ſaluti anteponit. *Hoc non eſt curare; ſed ſi dicere verum volumus, occidere*, ait S. Cyprianus (*d*), loquens de abſolutionibus præpoſtere conceſſis.

(*d*) S. Cyprian. Epiſt. 30. juxta Pamelium & 31. juxta Dodvvel.

Secunda: quia Confeſſor eſt etiam medicus animæ ſui pœnitentis, ut ait S. Carolus Borromæus (*e*) poſt Guillelmum Pariſienſem (*f*): ut igitur corporalis medicus perniciosam & letalem medicinam ægro ſuo, quantumvis petenti, numquam porrigere debet: ita, & etiam a fortiori Confeſſarius abſolutionem ſine crimine ei conferre nequit, qui peccatum mortale negat, cujus pro certo illum eſſe reum novit alia ratione, quam ex confeſſione ſocii peccati; cum ex tali abſolutione coram Deo magis quam ante, eſſet damnabilis.

(*e*) S. Carol. Act. Eccleſ. Mediol. part. 4. tit. *Quod Parochus generatim doceat &c.*

(*f*) Guillel. Paris tract. de ſacram. pœnit. c. fin.

Tertia denique: quia Confeſſarius eſt diſpenſator Sacramentorum, juxta illud Apoſtoli (*g*): *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Atqui fidelis diſpenſator Sacramentum ei concedere nequit, quem eo indignum eſſe certo novit; cum contra illius eſſet profanator & diſſipator. Unde in Confeſſario, tamquam dos maxime neceſſaria, requiritur prudentia, quæ in eo poſita eſt, ut pœnitentis ſui habitum intime cognoſcat, eique convenientia præſcribat remedia, quibus ab habitu mortalis peccati poſſit revocari; ne inter ignavos illos & imprudentes numeretur Confeſſarios, de quibus ſic loquitur S. Cyprianus (*h*): *Irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura .... Operiuntur morientium vulnera, & plaga letalis, altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur*. Quare ex S. Auguſtino (*i*) non miniſterii ſui dumtaxat excellentiam & ſanctitatem, ſed & finem, animarum videlicet juſtificationem, perpendere accurate debent Confeſſarii. *Officium quippe eorum*, inquit ſanctus hic Doctor, *non officio, ſed fide penſandum eſt; ut ſcilicet, non tantum ſi bonum eſt quod facimus, ſed præcipue ſi bonum eſt propter quod facimus, cogitemus*. Quocirca talem de quo in caſu præſenti agitur, pœnitentem abſolvens Confeſſarius, non minus eſſet reus quam medicus, qui pro ſalubri remedio, letale venenum ægroto porrigeret, indigno obſequio ipſum interea ſanie & putredine confectum deferens, uti jam diximus. *Medicus crudelis eſt*, inquit etiam idem Gratiæ Doctor (*k*), *qui exaudit hominem, & parcit vulneri & corruptioni*.

(*g*) 1. Corinth. 4. 1.

(*h*) S. Cyprian. ſerm. de Lapſis ante med.

(*i*) S. Aug. in Pſalm. 118. ſerm. 11. n. 2.

(*k*) Idem in Pſ. 31. ſerm. 2 n. 10.

CASUS VII.

Juvenalis, Parœciæ Confeſſarius, Benedictum, qui ſe Deum præ iræ impetu impie ejuraſſe ſæpe ſæpius in confeſſione declarabat, poſtulavit, num olim peccatum illud jam eſſet confeſſus. Quod declarare renuit Benedictus exiſtimans, ſe non teneri ad confeſſionem peccatorum, quæ jam clavibus fuerant ſubjecta. Qua de re quæritur, utrum ab eo talem confeſſionem exigere jure poſſit Juvenalis; & ipſi eam facere renuenti abſolutionem denegare?

Respons.

Nonnulli morales theologi, qui propugnarunt, Confeſſarium a ſuo pœnitente jure non poſſe exigere talem declarationem in hoc S. Thomæ doctrinam non amplexi ſunt: nam clare docet Angelicus Doctor (*l*), Confeſſario jus illud competere. Quia ipſi ſæpiſſime neceſſaria eſt hujuſmodi confeſſio; ut accuratius noſcat, tum quam ei ſatisfactionem ſit injuncturus, & qua eam a pravo habitu revocet; tum ut eum ad ſinceram pœnitentiam inducat. Sed juvat heic integrum S. Doctoris proferre teſtimonium: *Videtur*, inquit, *diſtinguendum eſſe, quod in confeſſione eſt aliquid exponendum dupliciter. Uno modo, directe: & ſic exponi dicitur, cujus abolitio per confeſſionem quæritur: & ſic peccata dimiſſa recidivans nullo modo confiteri tenetur, nec in generali, nec in ſpeciali cuicumque confiteatur. Alio modo indirecte, ſicut illud, ſine quo ſciri non poteſt debitus ſatisfaciendi modus. Cum enim contritio, ſecundum quod eſt de neceſſitate ſalutis, votum confeſſionis & ſatisfactionis debita includat, tenetur ille qui confitetur Sacerdoti, exponere ea quibus Sacerdos poſſit ſcire, quæ ſatisfactio ſit congrua injungenda ..... Et per hunc modum tenetur recidivans notificare peccata dimiſſa, quantum ſufficit ad hoc quod ſciatur, quæ ſatisfactio eſt ei injungenda. Ut ſi ipſe frequenter lapſum carnis paſſus eſt ex aliqua occaſione, illa occaſio præſcindatur per ſatisfactionem; & ſic de aliis peccatis: & ad hoc videtur ſufficere confeſſio dimiſſorum peccatorum in generali*. Tum ſubjungit S. Doctor: *Tamen quantum ad aliqua ſpecialia oportet deſcendere, ſecundum quod confitens viderit opportunum. Non enim poteſt in his aliqua certa menſura præfigi*. Quod cum ita ſit, dicendum, Juvenalem a ſuo pœnitente jure poſſe exigere, ut ſibi generatim ſaltem declaret, num jam olim peccatum blaſphemiæ confeſſus fuerit; quo facilius intelligat, qua eum ratione habere debeat, hoc eſt, utrum eum abſolvere debeat, & quam ei ſatisfactionem debeat injungere. Quam rem ſi facere pertinaciter deneget Benedictus, ipſum abſque abſolutione remittere debet.

(*l*) S. Th. in 4. diſt. 22. q. 1 art. 4. in corp.

CASUS VIII.

Fulbertus, S. Flori Parochus, qui paſchali tempore Germanum parochianum ſuum, e domo ſua famulam quacum a multis annis male egit, ejicere nolentem abſolvere noluit; ab eo per ſervientem cum duobus teſtibus interpellatus eſt ad declarandum, num ſibi vere abſolutionem denegaverit, & ad ſe abſolvendum, aut repulſæ ſuæ rationem afferendum; cum in eam rem omnem det ei facultatem promulgandi quidquid voluerit. Qua de re quærit Fulbertus, 1. utrum confeſſionem ejus abſque peccato manifeſtare nequeat, cum ipſe aſſentiatur. 2. Si ex interpellatione illa in eumdem finem ad jus coram Officiali vocetur, utrum ſe præſentem ſiſtere debeat & reſpondere?

Respons.

Id primum Fulberto facere incumbit, ut nimirum de interpellatione Germani omnino ſileat: cum enim talis actio ſit temeraria, ſcandaloſa, impia,

Digitized by Google

& Eccleſiæ generatim & Sacramento ſpeciatim injurioſe, ejus rationem habere nequit; utens facultate ſibi ab eo homine conceſſa declarandi, cur ipſi abſolutionem recuſarit; quandoquidem ea uti non poſſet abſque injuria Sacramenti Pœnitentiæ, cujus eſt ſolus Miniſter, & in cujus tribunali ſolus eſt ſuorum Judex pœnitentium, qui judicio ſuo obedientiam non poſſunt denegare, quando æquum eſt, quale eſt pro certo illud, quod de pravo parochiani ſui habitu tulit.

2. Quod pertinet ad indictum ſibi a Germano vadimonium coram Officiali; huic quidem Judici præſentem ſe debet ſiſtere propter reverentiam tribunali Eccleſiæ debitam; ſed non ſolum rationem ſuæ repulſæ reddere non tenetur, verum etiam faciens graviter peccaret, aut etiam, ſi fateretur, ſe recuſaſſe abſolutionem. Id unum ergo Officiali reſpondebit, quod in tribunali pœnitentiæ officio ſuo, quantum poteſt & debet, fungitur; neque ab ullo terreno judice exigi poteſt ratio, quoad abſolutionem quam pœnitentibus ſuis vel concedit vel denegat; quippe qui ea in re Deum ſolum judicem habeat: quo facto indicti ſibi vadimonii liberationem poſtulabit, omniſque litigii abſolutionem.

Et quidem, ſi tenerentur Confeſſarii reddere rationem ductus ſui in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ; hinc fieret, ut præter injuriam Sacramento illatam, indeque certo futurum ſcandalum; jam officio ſuo fungi libere non poſſent; litiumque formidine perculſi forſan clavium poteſtate abuterentur nimia in ſuos pœnitentes indulgentia; dum timerent, ne hominum judicio improbaretur æqua ſeveritas, qua peccatores ſæpe excipere tenentur.

Intereſt advertere, quod ſi Fulbertus a Germano in judicium fuiſſet vocatus coram judice laico, neceſſe eſſet, ut ante omnia Epiſcopum ſuum conſuleret, ejuſque mandatis obtemperaret, ut ſtatuit Concilium provinciale Agathenſe an. 506. a 35. Epiſcopis habitum, cui præfuit S. Cæſarius Arelatenſis, ſub Alarico Gothorum rege (a) his verbis: *Clericus nec quemquam præſumat apud ſæcularem judicem, Epiſcopo non permittente, pulſare; ſed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat.*

(a) Concil. Agathenſe Can. 32.

CASUS IX.

Gasto Sacerdos & Parochus, timens, ne, ſi Anna quacum libidinoſe egit, alteri quam ſibi admiſſam impudicitiam confiteretur, hinc ipſe fieret infamatus, eam induxit ut ſibi confiteretur; eamque poſt auditam confeſſionem ejus, abſolvit. Qua de re quæritur, utrum hæc abſolutio ſit valida?

Respons.

Quamvis Sacerdos mulierem quacum peccavit, confiteri, aut eam de admiſſo ſecum crimine abſolvere non debeat, ſed eam ad alium remittere Confeſſarium, juxta ſtatutum Eminentiſſimi Cardinalis Grimaldi Archiepiſcopi Aquiſextienſis (b): fatendum tamen, regulariter loquendo, hujuſmodi abſolutionem eſſe validam; modo ad eam ſit rite diſpoſita perſona recipiens, ut docet S. Thomas his verbis (c): *In tali caſu nec Sacerdos deberet audire confeſſionem mulieris cum qua peccavit, de illo peccato; ſed deberet ad alium remittere; nec illa deberet ei confiteri, ſed deberet licentiam petere ad alium eundi; vel ad ſuperiorem recurrere; ſi ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia minor eſt verecundia. Si tamen abſolveret, abſoluta eſſet.* Idem docet Sylvius (d) poſt Richardum (e), Sotum (f), Adrianum (g) & Nugnum.

(b) Statutum Card. Grimaldi. n. 9.

(c) S. Th. in 4. diſt. 12. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 2. ad 1.

(d) Fr. Sylvius var. reſolut. v. Confeſſio. 3. & 5.

(e) Richard. de Mediavilla in 4. diſt. 17. q. 5.

Advertendum tamen abſolutionem iſtam eſſe quidem validam cum hac Angeli de Clavaſio (h) reſtrictione: *Intellige*, inquit, *niſi ſit iſte caſus reſervatus per ſuperiorem. Nam ſi alicubi ſerio prohiberetur talis abſolutio; etiam ſic ut Parocho auferretur juriſdictio in talem pœnitentem*, ut advertit Sylvius, *reſpectu peccati in quo ipſe eſt complex, invalida foret abſolutio.* Quocirca, ſi Confeſſarius facultatem haberet abſolvendi a caſibus reſervatis, ea uti non poſſet in caſu propoſito, ſi eam ob id revocaſſet Epiſcopus, aut caſum hunc aliquo mandato ſpeciatim reſervaſſet; uti illum re ipſa excepit Eminentiſſimus Cardinalis de Noailles archiepiſcopus Pariſienſis (i) Mandato ſuo 2. Januarii an. 1709. cujus hæc ſunt verba: *Sacerdotis autem quocum hoc crimen, aut aliud quodlibet tactu aliquo impudico admiſſum eſt, ne abſolvere illum aut illam poſſit cum quo aut cum qua crimen admiſit; ita revocatur ipſo facto facultas omnis, ut erga criminis ſui participem plane irrita ac nulla declaretur, quamcumque antea obtinuerit, aut obtinere poſtea poſſit ſeu generalis, ſeu ſpecialis facultas abſolvendi a caſibus reſervatis: nec ipſe hanc ejus confeſſionem audire poſſit umquam ſub prætentu cujuſcumque facultatis, etiam tempore jubilæi.*

(f) Dominicus Sotus in 4. diſt. 18. q. 4.

(g) Adrian. in 4. de Sacram. Confeſſ. §. Tertium dubium.

(h) Ang. de Clavaſio v. Confeſſio. 5. q. 7.

(i) Mandat. Eminentiſſ. D. Card. de Noailles archi. Pariſ. tit. Caſus reſervati. Dom. Archiepiſc. n. 3.

Hinc ſequitur, quod ſi Gaſto ſit e Diœceſi Pariſienſi, alterave in quo ſimile viget ſtatutum; invalida eſſet quam Annæ conferret, abſolutio; licet ei facta eſſet poteſtas abſolvendi ab omnibus reſervatis; quæ in eam rem tum omnino ceſſaret; ſed ſi in ea verſetur Diœceſi, ubi quid ſimile non ſtatuerit Epiſcopus; tunc abſolutio non eſſet invalida, etſi complicem ſuam confiteri non deberet, niſi in caſu graviſſimæ neceſſitatis, hoc eſt, in articulo mortis, in quo ceſſat omnis reſervatio.

CASUS X.

Ladislaos, ſancti Uldorici Parochus, cum in confeſſione Caſimirum vehementi ob gravia, quæ admiſerat, peccata, contritione perculſum vidiſſet; minorem quam exigere videbantur ejus delicta, ſatisfactionem ei injunxit: Numquid id ipſum potuit abſque peccato?

Respons.

Fieri poteſt, abſolute loquendo, ut Ladislaus in eo nullum admiſerit peccatum; neque enim dici poteſt, delinquere Confeſſorem, quod leviorem pro delictis pœnitentis ſui ſatisfactionem imponit; ſed ad majorem difficultatis hujuſce dilucidationem juvat heic ea de re Divi Thomæ ſententiam referre (k): *Videtur autem ſatis conveniens*, inquit Angelicus Doctor, *quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis, quia ſicut parvus ignis a multis lignis ſuperpoſitis de facili extinguitur; ita poſſet contingere, quod parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus propter grave onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Unde melius eſt*, pergit, *quod Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda; & injungat ſibi, nihilominus quod pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſueſcat, ut majora etiam impleat, quam etiam Sacerdos ſibi injungere non attentaſſet.*

(k) S. Th. quodlib. 3. q. 10. art. 18.

Eamdem etiam alibi doctrinam confirmat idem ſanctus Doctor (l); dicens, quod *Sacerdos minorem condigno pœnitentiam injungens non ſemper peccat; 1. tum quia non poteſt determinate quantitatem pœnæ debitæ cognoſcere. 2. Tum quia aliquando etiam ex induſtria minorem pœnam imponens plus prodeſt pœnitenti, quam noceat, qui forte magnitudine pœnæ poſſet a pœnitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatæ: & ideo negligit minus damnum ut majus evitet; & iterum paullatim confortatus, in eo divinus amor ad plura pœnitentiæ opera peragenda ipſum invitabit propria ſponte, quam Sacerdos ſibi ſecundum quantitatem peccatorum injungere potuiſſet.*

(l) Idem in 4. diſt. 20. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 3.

Hactenus dictis addi poteſt auctoritas Concilii Tridentini (m), quod ſtatuit neceſſe eſſe, ut imponantur *ſalutares & convenientes ſatisfactiones*, quarum convenientia ſpectat, non ſolum ad vindictam præteritorum peccatorum & caſtigationem, ſed ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum: ut jam multo ante Concilium docuerat S. Thomas (n): *Juſtitia non ad hoc tantum tendit, ut inæqualitatem præcedentem auferat, puniendo culpam præteritam, ſed ut in futurum æqualitatem cuſtodiat ...., unde & ſatisfactio quæ eſt juſtitiæ actus, pœnam inferentis & medicina curans peccata præterita, & præſervans a futuris.*

(m) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 8.

(n) S. Th. in 4. diſt. 15. q. 1. art. 14. quæſtiunc. 3. in corpore.

Attamen ea ſemper injungi debet ſatisfactio quæ numero & qualitati criminum, habita ratione ſtatus viriumque pœnitentis, ſit congrua; ut declarat S. Gregorius his verbis (o): *Falſas pœnitentias dici-*

(o) S Greg. in Can. Falſas. 6. de Pœnit. diſt. 5.

dicimus, quæ non ſecundum auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum non imponantur: docentque Tridentini Patres loco ſupra citato: *Debent ergo*, inquiunt, *Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultates ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, ac forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.*

Ex dictis liquido conſtat, Spiritum ſanctum prudentiamque Chriſtianam ſolas eſſe regulas, quibus dirigitur ſapiens Confeſſarius in impoſitione ſatisfactionum, ut vel nimiam ſeveritatem, vel nimiam devitet indulgentiam; quæ duo extrema pariter ſunt damnanda. Legi poſſunt hac de re ſanctus Ambroſius & ſanctus Carolus Borromæus (*a*) in locis ad marginem indicatis.

(*a*) S. Amb. in pſalm. 118. & S. Carol. oratio habita in Concilio Mediolanenſi. 6.

CASUS XI.

Rainerius, in Parochiali Eccleſia Confeſſarius, auditum quater in confeſſione Eligium cui abſolutionem ob pravum ejus mortalem habitum per tres menſes & amplius recuſavit, tandem abſolvit, licet pleraque illius peccata fuiſſet oblitus. Numquid male ſe geſſit; & nonne eorum quæ oblitus fuerat, peccatorum iteratam debebat ab eo exigere confeſſionem, antequam ipſum abſolveret?

Respons.

Reprehenſionem non meretur Rainerius, quod in caſu propoſito Eligium abſolverit: ad hoc enim ſufficit, ut eum rite diſpoſitum invenerit; neque neceſſe erat, ut eum cogeret ad declaranda hic & nunc ea peccata, quæ in ſuis quatuor ſuperioribus confeſſionibus accuſarat; quamvis confuſe tantum eorum recordaretur Confeſſarius. Ratio eſt, quia Confeſſarius non tenetur præſentem actu memoriam habere peccatorum, quæ in confeſſione declaravit pœnitens: aliter dicendum foret, Sacerdotem qui diverſis vicibus ac temporibus longam & generalem audit confeſſionem; teneri die ultima iteratam omnium quæ prioribus diebus pœnitens declaravit, peccatorum confeſſionem exigere; cum moraliter fieri non poſſit, ut pœnitentem poſt multos dies abſolvens, omnium illius, nullo excepto, delictorum reminiſcatur: quod non niſi abſurde dici poteſt, neque etiam ad praxim redigi, niſi aggravato magis & abſque neceſſitate confeſſionis jugo, jam infirmis adeo gravi.

Neceſſe eſt tamen, ut in hoc caſu pœnitentis ſui ſtatum ſufficienter noſcat Confeſſarius; generalemque peccatorum ejus pro eorum qualitate & numero ideam habeat: aliter ſimilis eſſet judici qui cauſſa incognita ſententiam proferret, & medico qui ægro ſuo remedium porrigeret de ejus exitu incertus; & patri, qui pro pane liberis ſuis lapides forſan miniſtraret. Uno verbo, quandoquidem Confeſſarius debeat eſſe ſapiens, æquus & fidelis Sacramenti pœnitentiæ diſpenſator, abſolutionis beneficium conferre non poteſt, ſervatis præclaris hiſce dotibus; niſi ſufficientem, id eſt generalem habeat notitiam præſentis ſtatus ſui pœnitentis, quem abſolvit: quam notitiam facile poteſt habere non iterata minutim peccatorum quæ jam declaravit confeſſione.

Solutionem iſtam in ſuo in S. Thomam commentario affert Sylvius (*b*), qui, cum quæſtionem hanc ſibi propoſuit: *An debeat* (Confeſſor) *habere diſtinctam ſingulorum memoriam, quando vel injungit ſatisfactionem, vel profert abſolutionem?* ita reſpondet: *Satis eſt ſic audire & intelligere omnia, quando dicuntur ut in ſatisfactione injungenda ſufficienter meminerit ſtatus pœnitentis ad eam competenter injungendam.*

(*b*) Fr. Sylvius in ſupplem. 3. part. S. Thom. q. 8. art. 5. quæſito 7.

CASUS XII.

Nonne validæ ſunt Anaſtaſii abſolutiones, quas bona fide contulit, qui, ſe baptizatum exiſtimans, cum re ipſa non eſſet, omnes ab Epiſcopo ſuo ſuſcepit Ordines, & ab eo ad confeſſiones audiendas admiſſus, Confeſſarii munere per quinque ſexve menſes functus eſt?

Respons.

Certum eſt, omnes ab Anaſtaſio collatas abſolutiones eſſe invalidas; cum valide ipſe non fuiſſet ordinatus, & proinde clavium non haberet poteſtatem, quam per ſolam ordinationem legitimam communicare poteſt Eccleſia, ut docet S. Thomas (*c*) his verbis: *Talis* (non baptizatus) *ſi ad ſacerdotium promoveatur, non eſt Sacerdos, nec Euchariſtiam conficere poteſt, nec abſolvere in foro pœnitentiali. Unde ſecundum Canones debet baptizari iterato, & ordinari: Et ſi etiam in epiſcopum promoveatur, illi quos ordinat, non habent Ordinem.* Cujus quidem rei hanc paullo poſt rationem ſubjicit (*d*): *De neceſſitate Sacramenti præexigitur, quod ille qui accedit ad Ordines ſit Ordinis ſuſceptivus, quod competit ei per Baptiſmum: & ideo character baptiſmalis præſupponitur de neceſſitate Sacramenti.* Addit tamen ſanctus Doctor ad eorum ſolatium, qui bona fide eſſent confeſſi: *Sed tamen pie credi poteſt, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum ſummus Sacerdos ſuppleret defectum.*

(*c*) Idem lib. in 4. diſt. 24. q. 2. art. 2. quæſt. 3. ad 2.

(*d*) S. Th. quæſtiunc. 4. in Corp.

Ex hac igitur ſancti Thomæ reſponſione conſtat, deciſionis hujuſce rationem in eo poſitam eſſe, quia, cum baptiſmus ſit ceterorum veluti baſis Sacramentorum; nullum valide huic præmitti poteſt: ac proinde Anaſtaſius, non baptizatus, Ordinis Sacramento initiari valide non potuit, ut expreſſe definit Innocentius III. in ſua ad epiſcopum Ferrarienſem Decretali (*e*): quod idem jam multo ante ſummum hunc Pontificem ſtatuerant Canones permulti, & unus in primis, quem e Concilio Compendienſi an. 757. (*f*) depromſit Gratianus his verbis: *Si Preſbyter ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur & ordinetur iterum.*

(*e*) Innoc. III. in Cap. *Veniens*. 3. de Preſbytero non baptizato lib. 3. tit. 41.

(*f*) Concil. Compend. in Can. *Si Preſbyter*. 60. 2. q. 2.

CASUS XIII.

Martialis, Confeſſarius in Eccleſia Parochiali ſancti Alexii, ab aliquot jam menſibus ſcandaloſam publice & diſſolutam vitam agens, quoſdam abſolvit, inſcios vitiorum ſuorum, qui caſu ac fortuito ipſum ad confeſſionem adieruot. Numquid eos valide potuit abſolvere?

Respons.

Abſolutiones quae contulit Martialis, quamvis criminoſam publice & diſſolutam vitam agens, procul dubio ſunt validæ. Ratio eſt, quia abſolutionis effectus non a merito abſolventis pendet, ſed a virtute Spiritus ſancti, ut fuſe probat Gratianus in ſuo Decreto (*g*) teſtimoniis ſanctorum Ambroſii, Auguſtini, Gregorii magni, aliorumque multorum, quæ heic referre longius eſſet.

(*g*) Can. *Ita ſit*. 81. & octo ſeqq. 2. q. 1.

Sanctus Thomas Canonicis deciſionibus ſanctorumque Patrum doctrinæ ſemper inhærens eamdem tuetur ſententiam his verbis (*h*): *Miniſtri Eccleſiæ inſtrumentaliter operantur in Sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio eſt Miniſtri & inſtrumenti: ſicut autem ſupra dictum eſt, inſtrumentum non agit ſecundum propriam formam aut virtutem, ſed ſecundum virtutem ejus a quo movetur: & ideo accidit inſtrumento, in quantum eſt inſtrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat præter id quod exigitur ad rationem inſtrumenti: ſicut quod corpus medici, quod eſt inſtrumentum animæ habentis artem, ſit ſanum, vel infirmum: & ſicut quod fiſtula per quam tranſit aqua ſit argentea vel plumbea.*

(*h*) S. Th. 3. part. Sum. q. 64. art. 5. in corp.

CASUS XIV.

Galdomeaos, Subdiaconus, Dominica Reſurrectionis die, apud Joannem confeſſus, ſe voluntarie die in Cœna Domini veſperarum & completorii recitationem omiſiſſe; cum horarum illarum recitationem ipſo confeſſionis die ei Joannes injunxiſſet, duobus amicis ſuis injunctam ſibi a Joanne pœnitentiam declaravit. Numquid in eo peccavit?

Respons.

Id pro principio certo habendum, ea videlicet quæ in confeſſione geruntur, ſemper occultiſſima eſſe debere, ſive a parte Confeſſoris, ſeu a parte pœnitentis. *Infertur*, inquit Navarrus (*i*), *etiam*

(*i*) Navar. in Can. *Sacerdos*, de pœnit. diſt. 6. n. 115. tom. 2.

pæ-

pœnitentes teneri ad celanda quæ ipſe Confeſſarius dixerit, quoniam & illud ſpectat ad forum Dei. Unde merito ſic concludit Doctor ille: *Proinde confitens ille peccare videtur, qui detegit conſilium vel pœnitentiam, vel alia ſibi a Confeſſario injuncta, quæ talia ſunt, quibus jure ridiculus efficiatur qui ea injunxit, aut conſuluit.* Ex quo colligimus, & præcipue ex ultimis verbis iſtis, quod Galdomerus impoſitam ſibi a Juanne ſatisfactionem duobus amicis ſuis abſque peccatu detegere non potuit; non ſolum, quia quidquid fit in confeſſione, intemerato debet obtegi ſecreto; ſed quia talem ſatisfactionem declarans, peccat in caritatem & reverentiam ei debitam, qui vices Dei pro ipſo tenuit; aum deſpectui habendo, uti virum imprudentem, qui pœnitentiam ſibi impoſuit parum tempori congruam, quo eam adimpleri juſſit; quod nimirum ei officium & preces, quæ ad Paſſionem Chriſti ſpectant, ipſo Reſurrectionis ejus die, contra mentem Eccleſiæ recitanda impoſuerit.

Vide { ABSOLUTIO. *Caſ.* 26. / APPROBATIO. / CONFESSARIUS 2. / CONFESSIO. }

CONFESSARIUS. II.

OMNES hujuſce tituli deciſiones ſunt de ſecreto, quod intemerate ſervare tenetur Confeſſarius erga ea quæ declaravit pœnitens in tribunali pœnitentiæ. Hæc eſt generalis regula, quæ nullam patitur exceptionem quamcumque ob cauſſam, vel in quocumque caſu, ut docet S. Thomas cujus auctoritatem poſtea referemus. Quod quidem adeo verum eſt, ut, etiamſi pœnitens ſua declararet peccata, nullam habens voluntatem eorum abſolutionem obtinendi, aut ea emendandi; eadem ſecreti obligatione tenetur Confeſſarius *; *quia eſt ſacrilegium*; inquit ſanctus Thomas, qui idem in multis aliis operibus ſuis eamdem adſtruit veritatem (*a*); ut in ſequentibus patebit deciſionibus, in quibus præcipuam hanc veritatem fulcimus auctoritatibus quarti Concilii generalis Lateranenſis, & unanimi SS. Leonis, Gregorii Papæ, multorumque celeberrimorum theologorum doctrina.

(*a*) S. Th. quodlib. 12. art. 6.

Verum quidem eſt, quod pœnitente dante facultatem declarandi alicui caput aliquod confeſſionis ſuæ; tum ea facultate abſque peccato uti poteſt Confeſſarius; ſed tamen prudenter & ob cauſſam gravem & neceſſariam; atque omnino tum cavere debet ne cuipiam det occaſionem ſuſpicandi, quod tum Confeſſionis ſigillum frangat. Quare tutius eſt ea omnino facultate non uti, niſi in aliquo forſan caſu, in quo de pœnitentis ſalute agatur, ſi forte poſſit evenire talis caſus.

Ceterum juvat obſervare revelationem confeſſionis eſſe crimen, cujus punitio ad forum Superioris ſeu judicis eccleſiaſtici ſolum pertinet; unde reus hujus facinoris ad ſorum externum & ſæculare numquam traduci poteſt, ut conſentiunt omnes Galliæ Juriſconſulti: qua de re conſuli poteſt Catelanus, qui ad confirmationem hujuſce veritatis Toloſani Parlamenti refert Arreſtum (*b*).

(*b*) Catelan. tom. 2. cap. 6.

* Hoc intellige, ſi ejuſmodi confeſſio fiat ſacramentaliter; alioqui quod heic dicitur, non conſonaret cum ſequenti ad primam Caſum reſponſione, in qua ſupponitur Confeſſarium poſſe loqui de peccatis etiam in tribunali Pœnitentiæ declaratis, quando ſacramentaliter, & *in ordine ad abſolutionem conſequendam* non fuerunt declarata, niſi aliunde forſan ſcelere teneatur: quod contingeret, v. gr. ſi ex revelatione naſciturum foret ſcandalum, vel ſi pœnitens peccata ad petendum conſilium declaraſſet. Quid autem ſufficiat ad confeſſionem Sacramentalem, & ad inducendam ſervandi ſecreti obligationem repetendum eſt ex verbis S. Thomæ & Sylvii in Reſponſione ad IV. Caſum citatis.

CASUS PRIMUS.

CYRILLUS, qui in Audeberti confeſſione audivit, ipſum homicidii reum eſſe, poſtea addiscit non ſolum, ſecundum omnes juris formulas promulgatam eſſe excommunicationis ſententiam in eos, qui cognitum crimen illud non revelabunt; ſed ipſe in jus vocatus eſt ad declarandum verum quod novit; & ipſi Judex nominatim excommunicationem minatus eſt, ſi forte deneget: Nonne in tali neceſſitate teſtificari poteſt Audebertum eſſe homicidam?

RESPONS.

Certiſſimum eſt, quod, cum Audeberti crimen Cyrillo per confeſſionem notum ſit; in propoſito caſu, aut in quolibet alio illud declarare non poteſt, abſque reatu nefandi ſacrilegii. Ratio eſt quia tenetur Confeſſarius commiſſa ſibi in confeſſione ſacroſancto obſigillare ſecreto ex antiquo jure, gravibus etiam pœnis propoſitis; ut patet 1. ex his verbis Canonis e ſcriptis S. Gregorii depromti (*c*) *Sacerdos ante omnia caveat, ut de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet: non propinquis, non extraneis, neque quod abſit, pro aliquo ſcandalo; nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ignominioſus peregrinando pergat.* 2. Ex Decreto Concilii Lateranenſis oecumenici quarti ſub Innocentio III. an. 1215. habiti (*d*), quo ſtatuitur, ut talis homo perpetuæ ſubjiciatur in monaſterio pœnitentiæ. En verba Concilii: *Caveat autem omnino, ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem .... Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monaſterium detrudendum.* 3. Ex Concilio apud Pennam fidelem ab Epiſcopis Provinciæ Toletanæ an. 1302. habito, quo ſic decernitur (*e*): *Ne exceſſus tanti criminis tranſeat impunitus, ſtatuimus & mandamus, quod ſi qui tam nefandi criminis rei inventi fuerint, tamquam deportati & in metallum damnati, perpetuo carceri mancipentur, pane & aqua pro vita ſuſtentatione ſolummodo reſervatis.*

(*c*) S. Greg. in Can. *Sacerdos.* 2. de pœnit. diſt. 6.

(*d*) Conc. Lateranenſ. 4. in Cap. *Omnis.* 12. de pœnit. & remiſ. l. 5. diſt. 32.

(*e*) Conc. apud Pennam fidelem c. 5.

San-

Sanctus Thomas eamdem doctrinam aſſerit his verbis (a): *Sicut præceptum de ſacramentali confeſſione facienda eſt de jure divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel juſſione humana homo abſolvi ab eo; ita nullus ad revelationem confeſſionis poteſt ab homine cogi vel licentiari.* Ex quo ſic concludit Sanctus Doctor quoad caſum propoſitum; *Unde ſi præcipiatur ſub pœna excommunicationis jam latæ ſententiæ, quod dicat, ſi aliquid ſcit de tali peccato, non debet dicere, quia debet æſtimare, quod intentio præcipientis eſt, ſi ſciat ut homo: hoc autem non ſcit ut homo: & ſi etiam exprimeret de confeſſione interrogans, non deberet dicere, nec excommunicationem incurreret, quia non eſt ſubjectus ſuperiori ſuo, niſi ut homo: hoc autem non ſcit ut homo, ſed ut Deus.* Ita Doctor Angelicus.

(a) S. Th. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 2. Item quodlib. 5. art. 13. & quodlib. 12. art. 16.

Juxta illud principium inclytus Theologus (b) propugnat, Confeſſarium poſſe etiam aſſerere cum juramento ſe neſcire, quod tantum per confeſſionem novit. *Sacerdos*, inquit, *a Judice interrogatus ſuper crimine alicujus, quod ex ſola confeſſione didicit, num ſciat eum hoc commiſiſſe, ſimpliciter & libere reſpondere poteſt, ſe neſcire. Immo hoc ipſum jurare poteſt.* Cujusquidem hanc rationem profert Auctor ille: *Nam ſicut interrogatio Judicis de iis ſolis accipienda eſt peccatis, de quibus interrogare & inquirere ex officio competit; ita & Sacerdotis & cujuſcumque teſtis reſponſio ad hæc eadem peccata ſeu crimina referri debet. Itaque ſenſus reſponſionis erit: Neſcio eo cognitionis modo, ſecundum quem teneor tibi interroganti reſpondere.* Idem etiam in Supplemento Sancti Thomæ legi poteſt, cujus hæc ſunt verba (c): *Homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo: & ideo ſine læſione conſcientiæ poteſt jurare ſe neſcire: quod ſcit tantum ut Deus. Illud autem quod ſub confeſſione ſcitur, eſt quaſi neſcitum, cum illud non non ſciat aliquis ut homo, ſed ut Deus.*

(b) Guillel. Eſtius, in 4. diſt. 67. §. 14.

(c) Supplem. 3. part. S. Th. q. 11. a. 1. ad 3. & idem S. Thom. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3.

Eſtius quoad præſentem difficultatem ob ſervat, quod ſi quis Judex adeo foret impius, ut a Sacerdote peteret, num accuſatus apud ſe de tali crimine non fuerit confeſſus; tum Sacerdos: *Dicet*, inquit, *quæſtionem eam impiam & ſacrilegam eſſe, ad quam ſibi non ſit fas reſpondere.* Additque Sacerdotem imperterritum eſſe debere; *Etiamſi propter negatam abſolutam reſponſionem certum vitæ diſcrimen ſit adituras: cum oporteat Deo magis obedire, quam hominibus.* Idem jam docuerat Dominicus Sotus (d): „ In tali caſu, *inquit*, ſi tyrannus eſt infidelis, reſpon„ dendum eſt illi, tamquam Sacramentum vitupetan„ ti, Religionem Chriſtianam præcipere, de Sacra„ mentali confeſſione in neutram partem quidquam „ eſſe loquendum; & multo efficacius reſpondendum „ eſſet reprobatiſſimo Chriſtiano, tamquam ſacrile„ go; non eſt fas ut tibi ad iſtam tuam ſacrile„ gam interrogationem quidquam reſpondeatur: & „ in utroque caſu, ſi mortem illi tyrannus Sacer„ doti comminaretur, illa eſſet potius oppetenda, „ quam verbum ullum proferendum, quod in re„ velationem Sacramenti confeſſionis vergeret.

(d) Dom. Sotus, in 4. diſt. 18. q. 4. art. 4.

C A S U S II.

Si Audebertus, poſtquam ad ſacrum pœnitentiæ tribunal acceſſit, crimen ſuum declaraſſet Cyrillo, qui prius erat Confeſſarius ſuus, non quidem animo confitendi, ſed tantum ob peculiarem quamdam rationem, confeſſioni penitus extraneam; Num eadem ſecreti lege teneretur Cyrillus, ob circumſtantiam loci, in quo ſuum crimen ipſi manifeſtaſſet Audebertus?

R E S P O N S.

Eadem ſecreti lege non teneretur in hoc caſu Cyrillus; neque enim infringitur confeſſionis ſigillum, cum quis peccatum ſuum manifeſtat, non animo illud accuſandi, ſeque clavibus Eccleſiæ, ut abſolvatur, ſubjiciendi. *Requiritur*, inquit Sylvius (e), *quod fiat animo ſe accuſandi, & clavibus Eccleſiæ ſe ſubjiciendi ut vel a Vicario Chriſti abſolvatur, vel eo modo juvetur, quo is noverit expedire: alioquin enim non eſt confeſſio.* Oportet igitur ad inducendam ſecreti confeſſionis obligationem, ut ipſa ſit ſacramentalis, hoc eſt, 1. ut fiat Sacerdoti, aut ei ſaltem quem Sacerdotem & ad confeſſiones audiendas poteſtate munitum exiſtimat pœnitens. 2. Ut fiat animo obtinendæ abſolutionis de peccato confeſſo, ſeu eodem tempore, ſeu alio, prout opportunum Confeſſario videtur; Tum confeſſarius ſecreti lege tenetur, quam abſque Sacramenti injuria violare nequit, etſi nullum de peccatis ſuis dolorem teſtatus eſſet pœnitens, ideoque ei abſolutionem denegaſſet aut prorogaſſet Confeſſor; cum a pœnitente tum ſacramentalis ſit confeſſio. *Secreto confeſſionis in iis quoque peccatis locus eſſe debet*, inquit Eſtius (f), *de quibus pœnitens nulla oſtendit ſignum pœnitentiæ; dummodo ea ſacramentaliter & in ordine ad abſolutionem conſequendam confiteatur.* Quod idem docet etiam manifeſte Sylvius. Atqui declaratio, quam feciſſet Cyrillo Audebertus de peccato ſuo, nullo modo eſſet *in ordine ad abſolutionem conſequendam*, licet facta in loco ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem deſtinato, ſed tamen in quo etiam irrideri poteſt Confeſſor, aut injuria affici ab aliquo, ne dum peccata ſua confiteatur: & ideo declarationem Audeberti, tamquam ſacramentalem confeſſionem habere non tenetur Cyrillus, quæ ad ſecretum obliget. *Ratio eſt*, ſubjungit Eſtius, *quia in omni & ſola ſacramentali confeſſione, ſive ſit, ut loquuntur, formata, vel informis, ſive integra, ſive non integra, ſive abſolutio ſubſequatur, ſive non, ſacrum hoc ſigillum locum habet.*

(e) Fr. Sylvius in ſupplem. 3. part. Sum. S. Th. q. 13. art. 1. quæſito 1. v. Secundo.

(f) Guilliel. Eſtius in 4. diſt. 17. §. 14.

Obſervandum tamen, aliunde ad ſecretum naturale forſan teneri poſſe Audebertum; ſi verbi gratia, peccatum ſuum ei manifeſtaſſet Audebertus, conſultationis gratia; ſed obligatio illa longe diverſa eſt ab ea, quæ a ſacramentali confeſſione oritur, quæque in nullo umquam caſu violari poteſt, cum e contra obligatio ſecreti naturalis in quibuſdam poſſit infringi caſibus; ut alibi dicetur, dum de ſecreto.

C A S U S III.

Julus, Confeſſarius, poſtulat, utrum confeſſionis ſecretum abſque peccato, ſaltem tacite & indirecte proferre nequeat: cum aliter ſalva eſſe non poſſunt bona ſua, honor & vita?

R E S P O N S.

Id ab Julo nullo in caſu fieri poteſt, neque directe, neque indirecte, neque expreſſe vel tacite abſque reatu gravis delicti. Nam ad ſecretum obligatur 1. jure naturali, quo quiſque tenetur de ſama proximi ſui: & ſi quæ ſit exceptio in rebus civilibus aut criminalibus, ut cum tota tertiæ perſonæ res periclitatur, aut bonum publicum; nulla umquam admittitur in ordine ad ſigillum confeſſionis; quod ejus infractio in perniciem religionis vergit, quia ex ea ſit confeſſio penitus odioſa, & maximum, ut ait Sanctus Thomas (g), ſcandalum parit, quo infallibiliter ab uſu pœnitentiæ avocantur fideles, ejuſque Miniſtri odio & deſpectui habentur.

(g) S. Thom. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 2. in corp.

2. Ad ſecretum pariter jure divino tenetur Julus, quia, ut docet S. Thomas (h), & poſt ipſum definivit Concilium Tridentinum (i): *Præceptum de confeſſione facienda conſequitur ipſum Sacramentum*, inquit ſanctus Doctor, *& ideo ſicut præceptum de confeſſione ſacramentali facienda, eſt de jure divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione vel juſſione humana homo ab eo abſolvi; ita nullus ad revelationem confeſſionis poteſt ab homine cogi vel licentiari.* Huic rationi aliam quoque addit Angelicus Doctor in reſponſione ad quæſtionem iſtam ſibi propoſitam (K): *Utrum liceat in aliquo caſu revelare confeſſionem?* Reſponſio hæc eſt: *Dicendum*, inquit, *quod non, nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo ſigno licet facere, quia eſt ſacrilegium. Nam ita eſt in Sacramentis novæ Legis, quod efficiunt, quod figurant. Effectus autem Pœnitentiæ eſt occultatio peccatorum ab oculis Dei viventis: & hæc occultatio ſignificatur per ſecretum confeſſionis; & ideo ſicut profanaret Sacramentum, qui conficeret Corpus & Sanguinem Chriſti de alio, quam de pane & vino: ita eſſet revelans ſacrilegus.*

(h) S. Thom. cit. diſt. 21 q. 1. a. 1. quæſtiunc. 3. ad 2.

(i) Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 6. de ſanctiſſ. pœnit. ſacramento.

(K) S. Thom. quodlib. 12. art. 16. Idem quodlib. 5. art. 13 & 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.

3. Ad idem confeſſionis ſecretum obligat jus eccleſiaſticum, quod ſtricte Sacerdotibus confeſſionis revelationem prohibet; ut in reſponſione ad primam difficultatem oſtendimus auctoritate S. Gregorii Magni, quarti Concilii Lateranenſis, quibus addi poſſunt multi SS. Patres & in primis S. Leo & S. Petrus (l), a nomine fratris Damiani cognominatus.

(l) S. Leo. Epiſt. 80. S. Petrus Damiani, ſeu Auctor ſerm. de S. Andræa.

Colligendum itaque, a Confeſſario ſub quocumque

Digitized by Google

que prætextu infringi non poſſe ſtrictum adeo præceptum abſque reatu quatuor gravium ſimul peccatorum. 1. Enim peccat in eo contra præceptum caritatis; quo prohibetur, ne proximum quiſquam probro afficiat. 2. In re graviſſima infidelitatem admittit, detegens ea, quæ occultiſſima ſure confidit peccator. 3. Is præceptum infringit Eccleſiæ prohibentis ſub acerbiſſimis pœnis, ne verbo aut facto, aut alio quovis modo cuipiam manifeſtet, quod ſola confeſſione novit. 4. Denique impie Sacramentum profanat, atque adeo horrendo ſe obſtringit ſacrilegio; id hominibus patefaciendo, quod Deus ipſe magno miſericordiæ ſuæ effectu propriis, ut ſic dicam, oculis ſuis condere & quaſi oblivisci ob delinquentis pœnitentiam voluit. Unde aſſerit Innocentius III. qui quarto Lateranenſi concilio ipſe præſuit (a) quod *Gravius .... peccat Sacerdos, qui peccatum revelat, quam homo, qui peccatum committit.*

(a) Innoc. III. ſerm. 1. de Conſecr. Pontificis.

CASUS IV.

DIDYMUS, excepta Pauli confeſſione, ipſum abſolvere noluit, quod a domo ſua famulam, quacum a biennio peccabat, ejicere denegarit; qua repulſa adeo iratus eſt Paulus, ut Didymum, etiam in ſacro Tribunali, contumeliis affecerit. Poſt menſes aliquos inſtituta de pravis moribus Pauli juridica inquiſitione; Didymus etiam in jus vocatus eſt, ad dicendum teſtimonium in eum, & quidem de facto de quo dictum eſt. Qua de re quæritur, utrum ad ſecretum teneatur Didymus; licet propria ejus culpa inutilis fuerit Pauli confeſſio, neque eam propter ejus indignitatem fuerit ſubſecuta abſolutio?

RESPONS.

Ex allatis ſuperius teſtimoniis manifeſte conſtat, Didymum ſecreti lege obligari in caſu propoſito; cum pro peccatis quæ clavibus ſubjecta fuere, maneat neceſſario iſta obligatio, ſeu abſolutionem conceſſerit Confeſſarius, ſeu ob quamcumque rationem denegarit; hoc eſt, ſive ob defectum poteſtatis, ſeu ob pravum pœnitentis habitum. Contrarium quidem temere affirmarunt quidam Auctores; ſed opinionem eorum erroneam eſſe aſſerit Angelicus Doctor (b); en verba illius: „ Quidam dicunt, „ quod Sacerdos non tenetur ſervare ſub ſigillo „ confeſſionis niſi peccata, de quibus pœnitens emen„ dare promittit: Alias poteſt ea dicere ei, cui „ poteſt prodeſſe, non obeſſe: ſed hæc opinio vi„ detur erronea, cum ſit contra virtutem Sacra„ menti: ſicut enim Baptiſmus eſt Sacramentum, „ quamvis quis fictus accedit .... ita confeſſio non „ deſinit eſſe ſacramentalis, quamvis ille qui con„ fitetur, non proponat emendationem: & ideo „ nihilominus ſub occulto tenendum eſt. „ Idem docet S. Bonaventura (c). Uno verbo omnes Theologi; inter quos hæc Sylvii verba referre ſat erit (d): „ Si quis autem bona fide accedit ad Confeſſa„ rium, ſine propoſito quidem emendandi, ſine con„ tritione, ſine voluntate recipiendi abſolutionem; „ ſed tamen cum intentione ſe illi, tanquam Dei „ Miniſtro, accuſandi & ſubjiciendi, vel ut aliquo „ modo ſatisfaciat Eccleſiæ, vel ut a Sacerdote, „ prout poterit, adjuvetur; talis confeſſio ad effe„ ctum inducendi ſigillum, eſt ſacramentalis „. Atque hæc dicta probat Sylvius ex Decretali Alexandri III. ad Epiſcopum Bellovacenſem (e), quæ ſuæ videtur omnino conformis ſententiæ, & quam confirmat hoc ratiocinio: „ Judicium Sacerdotis eſt „ cum poteſtate abſolvendi, vel abſolutionem ne„ gandi; ſed notitia cauſæ debet præcedere ſenten„ tiam Judicii: ergo ſub eodem ſecreto ponitur „ accuſatio pœnitentis, ſive ad eum ſequatur ab„ ſolutio, ſive non: alioquin non poſſent pecca„ tores ſecure confiteri „. Si igitur Judici reſpondere cogatur Didymus, hoc unum referet, ſe nihil ſcire. „ Quod ſi Judex inquireret ab aliquo, *inquit S. Antoninus* (f). An ſciat aliquid .... Si non po„ teſt alio modo declinare iniquum judicium, poteſt „ reſpondere; nihil inde ſcio; quod ſubintelligitur, „ ut homo: vel etiam; nihil ſcio per confeſſionem, „ quia ſubintelligitur, tibi revelandum .... Et ideo „ abſque læſione conſcientiæ poteſt jurare ſe neſci„ re id quod ſcit tantum ut Deus.

(b) S. Tho. in 4. diſt. 21. q. 3. art 3. quæſtiunc, 3. ad 2.

(c) S. Bonav. in 4. diſt. 21. art. 2.

(d) Sylvius in ſupplem. 3. part. Sum. S. Thom. q. 11. art. 1. quæſtio 1.

(e) Alexand. III. in cap. *Quod quidam*. 5. de pœnit. & remiſſionibus.

(f) S. Anton. in ſumma tract. de bonit. Confeſſoris. part. 3. c. 23. pag. 318.

CASUS V.

LEUFRIDUS, Diaconus, cupiens cujuſdam perſonæ cognoſcere peccata, ſedit in tribunali pœnitentiæ, uti Confeſſor ordinarius ſedere ſolebat, ibique quaſdam audivit confeſſiones; non tamen data abſolutione ſacramentali. Quod cum ita ſit, quæritur, utrum ſecreti lege teneatur de peccatis auditis, uti verus Confeſſor?

RESPONS.

Certum eſt, Diaconum illum non minus lege ſecreti teneri, quam verus Confeſſor, ut docet S. Antoninus (g), & poſt ipſum Sylvius his verbis (h): *Si quis bona fide confiteatur alicui, quem falſo putat eſſe Sacerdotem; ex tali confeſſione oritur ſigillum .... quia talis confeſſio ex intentione pœnitentis fit Sacerdoti legitimam poteſtatem habenti, eſtque ſacramentalis, licet per accidens contingat defectus: & conſequenter eam revelando fieret injuria, tum pœnitenti, tum Sacramento, quod bona fide exiſtimatur ſubſiſtere.*

Sylvii dicta confirmat S. Thomas his verbis (i): *Tamen ſicut aliquis qui non eſt Sacerdos, in aliquo caſu participat aliquid de actu clavis, dum confeſſionem audit propter neceſſitatem; ita etiam participat aliquid de actu ſigilli confeſſionis, & tenetur celare, quamvis improprie loquendo ſigillum confeſſionis non habeat.* Unde concludendum, eum, qui, uti Leufridus, alium fraude & in loco adminiſtrationi pœnitentiæ deſtinato confitentem audit, pro certo etiam ſtrictius ſigillo ſecreti teneri, quam ſit is, de quo loquitur S. Thomas; cum par ſit ut eidem ſubmittatur obligationi ejus, cujus locum temere ac miniſterium uſurpavit.

(g) S. Anton. in ſummula Confeſſionali, 3. part. tract. 1. de bonitat. Confeſſaris. c. 28.

(h) Fr. Sylv. in ſupplem. 3. part. S. Tho. q. 11. art. 1. quæſito 1.

(i) Supplem. S. Thom. cit. q. 11. art. 8. in corp.

CASUS VI.

ANSELMUS, audita Yolandæ confeſſione, quæ ſe quibuſdam cum adoleſcente commiſſis ſpurcitiis accuſavit, oblitus eam interrogare, num in eadem domo cum ea habitaret hic adoleſcens; e tribunali ſurrexit, cum ipſa poſt acceptam abſolutionem egrederetur ex eodem, ut nimirum rem ab ea exquireret, juberetque, ſi forte eſſet, ut domum illam deſereret. Numquid id ipſum facere potuit Anſelmus, intacto penitus confeſſionis ſigillo?

RESPONS.

Anſelmus ſic ſe gerere non potuit, intacto confeſſionis ſigillo: neque enim pœnitentes ſuos de peccatis ſibi in confeſſione declaratis alloqui poteſt Confeſſarius extra tempus confeſſionis; niſi petita prius ab iis licentia; quod non niſi ob juſtam cauſam, quæ ad eorum ſpectet ſalutem, præſtare debet: *Quia alioquin*, ait Sylvius, (K) *confeſſio valde oneroſa redderetur; cum non poſſet ordinarie fieri tale colloquium ſine magno pœnitentis rubore.* Quare addit doctus hic Theologus, ad prudentiam munuſque Confeſſarii pertinere, ut pœnitentem ſuum numquam extra tribunal alloquatur abſque ejus licentia de peccatis ſibi confeſſis, tuncque eum ad ſecretum obligari, ut ad confeſſionem ipſam; quod probat ex his S. Caroli verbis in inſtructione ad Confeſſores ſuæ Diœceſis: (l) *Quod ſi loqui cum pœnitente neceſſum ſit,* (Confeſſarius) *petita ab ipſo licentia, tum eadem ſecreti religione ac in confeſſione ſe teneri noverit.* Ex quo poſtea concludit Sylvius, quod, ſi quam culpam aut errorem commiſerit Confeſſarius abſolvendo; nihil omnino de eo proferre poteſt pœnitenti extra tempus confeſſionis, niſi poſt obtentam ab eo licentiam. *Non poteſt ergo extra confeſſionem corripere de peccato in ea cognito, neque ſpeciatim exprimere illud, in quo remittendo Sacerdos ipſe forte commiſit errorem, niſi de prævio ipſius conſenſu. Sed vel inducat ut rurſus ſibi confiteatur, vel declaret in genere ſe habere aliquid ei neceſſarium in confeſſione dicendum.* Ita Sotus, Toletus, Suarez, Victoria, Angles, Henriquez & multi alii (m).

Addendum tamen, quod in caſu propoſito, Anſelmus Yolandam invitare debuiſſet ſecreto, ut in tribunali confeſſionis ſe vellet alloqui, eamque interrogare de circumſtantia, cujus fuerat oblitus, ipſius momentum quoad ſalutem ejus oſtendendo.

(K) Fr. Sylvius in ſupplem. S. Tho. q. 11. art. 4. quæſito 1.

(l) S. Carol. inſtruct. part. 2. c. 20.

(m) Dominicus Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 6.
Fr. Toletus Inſtruct. Sacerd. l. 3. n. 16.
Fr. de Victoria in Sum. q. 183.
Suarez diſp. 33. ſect. 5. tom. 4.
Joſeph. Angles in *Florib. Theolog.*
Henriquez l. 3. de pœnit. c. 20. &c.

CASUS VII.

JODOCUS, oppidi Parochus, ſola Benedicti con-

Digitized by Google

confeſſione novit, eum eſſe hæreticum, multos jam hæreſi ſua ipſum infeciſſe, ac denique ad meliorem frugem nolle redire, aut ab aliorum perverſione deſiſtere. Quid huic tanto malo remedii afferre poteſt hic Parochus? Nonne Epiſcopum monere poteſt? Et quo pacto, ne confeſſioni ſigillum infringat?

R e s p o n s.

Inconcuſſis jam oſtendimus argumentis, Sacroſanctum eſſe Confeſſionis ſecretum, illudque abſque graviſſimi criminis reatu aliquatenus non poſſe violari: quare eam Jodocus Epiſcopo declarare non poteſt perſonam, de qua agitur. Id igitur tantum ipſi incumbit facere. 1. ut Præſulem ſuum moneat, ipſius magni referre, ut commiſſo ſibi gregi accurate invigilet, ne abducatur; ſed cavere in primis debet, ne pœnitentem verbo, aut aliqua alia ratione prodat. 2. Aliorum etiam fidem confeſſiones audiendo conſiliis ſuis vim addere poterit, ne ſeducantur. Huic periculoſo malo hoc unum præſens exiſtimat remedium ſanctus Thomas afferre poſſe a Confeſſore (a): *Thomas aliquod remedium*, inquit, *adhibere debet in prædictis caſibus, quantum poteſt ſine confeſſionis revelatione; ſicut monendo; ne corrumpantur per hæreſim. Poteſt etiam dicere Prælato, quod diligentius invigilet ſuper gregem ſuum; ita tamen quod non dicat aliquid, per quod verbo, vel nutu confitentem prodat.* Idem docet Sylvius in Supplemento (b).

(a) S. Th. in 4. diſt. 21. q. 33. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 2.

(b) Fr. Sylvius in ſupplem. q. 11. art. 1. quæſit. 2.

C A S U S VIII.

Damasus, audita publici blaſphematoris confeſſione, cujus fama in cœtu violabatur, cui ipſe præſens aderat; exiſtimavit, ſe teneri ad favendum ejus partibus; & affirmavit hominem hunc ad meliorem frugem ſincere rediiſſe, a quo tempore ipſum de blaſphemiis ejus abſolverat. Numquid ſigillum Confeſſionis fregit hic Confeſſor ita loquendo?

R e s p o n s.

Contra confeſſionis ſecretum pro certo peccavit hic Confeſſor, ea, qua dictum eſt ratione loquens; neque enim ullo in caſu Confeſſario licet, ſe a Pœnitente tale, vel tale peccatum audiiſſe, ut docet S. Thomas his verbis (c): *Non obligatur audiens confeſſionem ad hoc quod non revelet peccatum ſimpliciter; ſed prout eſt in Confeſſione auditum: nullo enim caſu dicere debet ſe audiviſſe in confeſſione .... non enim poteſt dicere. Ego hoc audivi in Confeſſione.* Unde colligendum quod quamvis generatim, intacto confeſſionis ſigillo, & ſine Pœnitentis injuria, aut ipſius etiam confeſſionis odio dici queat, talem fuiſſe abſolutum, quia dari poteſt abſolutio de ſolis venialibus peccatis, etiam confeſſis; numquam tamen dici poteſt, tale peccatum in confeſſione fuiſſe auditum aut abſolutum: *Tamen*, inquit adhuc S. Thomas, (d) *propter ſcandalum vitandum debet abſtinere* (Confeſſarius) *ne de hoc loquatur, niſi immineat neceſſitas.*

(c) Supplem. 3. part. S. Th. q. 11. art. 1. ad 2.

(d) Idem. ci. art. 1. in Concluſ.

C A S U S IX.

Joannus & Chryſologus, Sacerdotes & Religioſarum Monaſterii cujuſdam Confeſſarii, cum ambo multoties Chriſtinæ Religioſæ confeſſionem audierint, quandoque de ipſius vitiis inter ſe eo fine colloquuntur, & præcipue de gravamine ipſius ad obedientiam Superiori præſtandam; ut ſibi invicem conſulentes uniformiter emendationi ejus dent operam. Numquid ita ſe gerere poſſunt, intacto Confeſſionis ſigillo, præſertim ſi in eo bona fide agant, nec ſe male agere exiſtiment? Nonne ſaltem poſſent inter ſe colloqui de peccatis, quæ ipſam committentem vidiſſent, prius aut poſtquam ea fuiſſet confeſſa?

R e s p o n s.

Regula generalis & inconcuſſa, quæque nullam admittit exceptionem, hæc eſt, Confeſſarium videlicet, numquam, ſub quocumque prætextu, de iis loqui poſſe, quæ ſibi per ſolam confeſſionem innoteſcunt; adeo ſecretum ejus intemeratum eſſe debet. Quare de Chriſtinæ defectibus inter ſe colloqui non poſſunt ejus Confeſſarii abſque peccato contra ſigillum confeſſionis; neque a peccato ob bonam eorum intentionem vel ignorantiam in totum, licet in tantum excuſari non poſſint. Nec vacat heic Conciliorum Patrumque denuo referre teſtimonia in ſuperioribus reſponſionibus allata.

Certum quidem eſt, quod, ſi alia, quam confeſſionis via, ipſis nota eſſent hujuſce Religioſæ peccata, de iis loqui eo fine poſſent, ut iis mederentur; at ſobrie tamen ne quid ſibi confeſſionis tantum via notum effutirent. Conſentit iſta exceptio cum doctrina S. Thomæ, (e) qui allatis duabus opinionibus quas rigidiores exiſtimat, tertiam his verbis amplectitur: *Alia opinio*, inquit Angelicus Doctor, *eſt verior, quia illud quod homo alias ſcit, ſive ante Confeſſionem, ſive poſt, non tenetur celare, quantum ad id quod ſcit ut homo. Poteſt enim dicere: ſcio illud, quia vidi; tenetur tamen celare illud in quantum ſcit ut Deus. Non poteſt enim dicere: ego audivi hoc in confeſſione.* Cui deciſioni addit poſt ea ſanctus Doctor: *Tamen propter ſcandalum vitandum debet abſtinere, ne de hoc loquatur, niſi neceſſitas immineat.* Ex quibus ultimis verbis indicatur quoſdam caſus eſſe poſſe, in quibus Confeſſarius poteſt & etiam debet id ipſum quod aliter, quam per confeſſionem novit, revelare; etſi inde quoddam immineret ſcandalum; cum aliter v. gr. juſtitiam & veritatem defendere non poſſet. *Non debet ita vitari peccatum ex una parte*, ait idem Angelicus Doctor (f), *quod ex alia juſtitia relinquatur: veritas enim non eſt propter ſcandalum dimittenda: & ideo quando imminet periculum juſtitiæ & veritatis, non debet dimitti revelatio ejus, quod quis in confeſſione audivit, ſi alias ſcit, propter ſcandalum, dum tamen ſcandalum, quantum in ſe eſt, evitare nitatur.*

(e) S. Thom. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 3. in corp.

(f) Idem. ibid. ad 4.

C A S U S X.

Catharina, quæ decus innuptarum habebatur, graviter ægrotans, Confeſſario ſuo accerſito declaravit, ſe jam ab octo menſibus cum dimidio gravidam eſſe, fetumque ſuum eſſe animatum. Hanc hortatus eſt Confeſſarius ejus ut ſtatum ſuum amicæ cuipiam patefaceret, quæ ipſi opem ferre, & prolis ejus vitæ ac ſaluti valeret proſpicere: ſimulque aſſeruit, ſe eam, omiſſa iſta cautione, abſolvere non poſſe; quod voluntarie ſe ipſam mortis periculo & prolem ſuam morti pariter ſine baptiſmo objiceret: quam rem cum facere denegaſſet puella, receſſit Confeſſarius. Poſtera die aucto morbo eumdem petit Confeſſarium, qui eam extremos vitæ ſpiritus efflantem, amiſſo & vocis & rationis uſu, invenit, eamque nihilominus abſolvit: qua de re duo quæruntur: primum, utrum in hac circumſtantia officio ſuo functus ſit ille Confeſſarius, ſeu abſolutionem huic filiæ ob rationem in propoſito caſu relatam ſtatim denegans, ſeu eam poſtridie concedens. Secundum; utrum ad procurandam prolis ejus ſalutem, non potuerit aut etiam manifeſtare debuerit, eam ad puerperium eſſe paratam, ut articulo mortis infans extractus ſacris baptiſmi aquis ablui poſſet?

R e s p o n s.

Par olim Sylvio, Theologiam Duaci profitenti, difficultas propoſita eſt; cui, 1. Decemb. an. 1641. ita reſpondit (g): 1. *Si contumaciter* (filia) *perſiſtat, nolitque alli extra confeſſionem aperire, deneget ipſi abſolutionem, tamquam ea indigna prorſus & indiſpoſita, cum nolit hoc facere ad quod ſub reatu peccati mortalis obligatur. 2. Si Confeſſarium revocaverit* (ægra) *ſeu revocari fecerit, præſumere poteſt ipſam habuiſſe animum obediendi Confeſſario, atque ita eſſe pœnitentem: & propterea poteſt eam abſolvere ad depoſitionem ejus qui novit, ac depoſuit petiiſſe Confeſſarium.* Ex quo colligendum, Catharinæ Confeſſarium debita in eam rem prudentia ſe geſſiſſe.

(g) Sylvius Reſolut. var. v. Sigillum Confeſſionis. 1.

Ad ſecundum vero quæſitum, dicendum, quod, licet abſque Baptiſmo moritura eſſet Catharinæ proles, ejus tamen graviditas, neque directe neque indirecte a Confeſſario eſſet detegenda, cum id non poſſet, niſi fracto Confeſſionis ſigillo; atque adeo admiſſo mortali peccato: *Non poteſt autem confeſſarius*, ſubjungit idem Auctor, *quidquam de fetu, vel ejus animatione loqui, etiamſi fetus ſit ſine Baptiſmo moriturus; quia ſigillum Confeſſionis tam*

eſt

eſt ſanctum, ut nec indirecte quidem liceat ullo caſu illud citra pœnitentis conſenſum frangere. Qua in re conſentit Sylvii deciſio cum doctrina Apoſtoli dicentis (*a*): *Non faciamus mala, ut veniant bona*. Quocirca, cum fractio ſigilli Confeſſionis ſit eſſentialiter peccaminoſa, numquam admitti poteſt, quodcumque ex ea oriatur bonum.

(*a*) Rom. 3. 8.

C A S U S XI.

(1) Adrianus Epiſcopus, & Placidus Abbas regularis, per ſolam confeſſionem norunt, duos ex inferioribus ſuis, quibus incumbit aut animarum cura, aut officium aliquod, criminoſe vivere propter Beneficium, aut officium ſuum: Nonne eos in tali Beneficio, an Officio privare poſſunt, intacto Confeſſionis ſigillo?

R e s p o n s.

Cum in nullo caſu directe vel indirecte revelari poſſit peccatum ſola confeſſione cognitum; dicendum, neutrum ex his Superioribus inferiorem ſuum a Beneficio aut Officio amovere poſſe, ſi hinc orietur aliqua probabilis ſuſpicio de peccato in confeſſione audito; tum enim graviter peccaret. Id unum ergo præſtare poteſt Superior, ut reum ad dimiſſionem, vel Beneficii vel Officii in Tribunali Pœnitentiæ inducat: qui ſi obedire recuſet, tunc Superior aliam poterit ſupponere cauſſam, quæ confeſſionis nullam det ſuſpicionem, cur ipſum amoveat tum ad rei, tum ad proximi ſalutem procurandam. Difficultatem iſtam ſic decidit ſanctus Thomas (*b*), addens tamen, in hoc caſu ſatius eſſe, ut Superior inferiorem hortetur graviter, ut Beneficium ſuum vel Officium voluntarie dimittat: quod quidem magis expedit & tutius eſt. *Id quod per confeſſionem auditur*, inquit ſanctus Doctor, *nullo modo eſt manifeſtandum nec verbo, nec ſigno, nec nutu; nec etiam aliquid eſt faciendum, unde in ſuſpicionem peccati aliquid poſſit devenire*. Poſitoque illo principio, difficultatem de qua agitur, minutias expendit addens: *Si ergo amotio ſubditi ab adminiſtratione poſſit inducere ad manifeſtandum peccatum in confeſſione auditum, vel ad aliquam probabilem ſuſpicionem habendam; de ipſo nullo modo Prælatus deberet ſubditum ab adminiſtratione removere: puta ſi in aliquo Monaſterio eſſet conſuetum, quod Priores non amoverentur de ſuis Prioratibus, niſi propter culpam; manifeſtaretur peccatum confitentis per remotionem ab adminiſtratione. Unde ſi Abbas hoc faceret, graviter peccaret, tamquam confeſſionem revelans: poſſet tamen eum ſecreto caritative admonere, ut cum inſtantia peteret ceſſionem, ſi hoc videret ſaluti ejus expedire: ſi vero per amotionem ab adminiſtratione peccatum nullatenus manifeſtaretur; puta ſi in aliquo Monaſterio eſſet conſuetum, quod Abbas pro ſuo libito de facili aliquos ab adminiſtratione removeret; tunc alia occaſione accepta, poſſet ſubditum ſibi confeſſum ab adminiſtratione removere; & deberet hoc facere, cum debita tamen cautela, ſi talis adminiſtratio eſſet ſubdito periculoſa in poſterum; quamvis etiam & in hoc caſu melius eſſet quod eum induceret ad ceſſionem petendam. Si vero periculum in poſterum non timeretur, non oporteret quod pro peccato præterito per pœnitentiam deleto, eum ab adminiſtratione removeret .... Quandoque enim pœnitentes innocentibus meliores ſunt*. Conformiter ad eam Doctoris Angelici doctrinam, in ſuo Decreto 26. Maii an. 1593. dicit Urbanus VIII. (*c*). *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii qui ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*.

(*b*) S. Th. quodlib. 5. art. 13. in corp.

(*c*) Urban. VIII. in Decreto. *Sanctiſſimus*. §. 4. in Bullar. mag. tom. 4. pag. 67.

Ita etiam cum Divo Thoma ſentiunt ſanctus Antoninus & Paludanus, quorum ultimi hæc ſunt verba (*d*): *Si ergo per confeſſionem Prioris, vel alterius ſcit Abbas, quod non expedit Priori tenere Monaſterium; & ſi talis qui ad libitum alias poteſt amoveri, exſpectet quouſque ſine nota revelationis poſſit amovere: cum enim ex audientia confeſſionis ad nihil obligetur niſi ad celandum; & ſi obligaretur ad aliquid, hoc eſſet ad medendum animæ pœnitentis .... in propoſito quam cito poteſt amovere, amoveat, quem ſine hoc amovere poterat: ſi autem talis erat, quod non ſine juſta cauſſa amovere poterat: cum confeſſionis audientia nulli jus præbeat in alio foro, in quo non conſtat ſibi, ut judici, ipſum amovere non poteſt*.

(*d*) Petrus Palud. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 2. Concluſ. 3. fol. 115. verſo colum. 2.

Eodem nixus principio ſic dicit ſanctus Antoninus (*e*): *Quia Prælatus licentiam intrandi civitatem ſive villam ſubdito poteſt dare ad libitum vel negare, licet non alias eſſet negaturus propter periculum quod ex ſola confeſſione novit, negare poteſt; dummodo ex hoc ſuſpicio non oriatur .... Similiter quia homo habet liberam electionem .... licet per ſolam confeſſionem ſciat aliquem indignum ad Prælationem ad quam eligitur, quem alias putabat dignum, non debet eligere ex conſcientia ſic dictante, quia eligendo ſcienter dignum vel indignum, negotium gerit inter ipſum & Deum. Unde poteſt etiam ex iis quæ ſcit ut Deus judicare: ita & in propoſito*. Eadem quoque Paludanus aſfert exempla.

(*e*) S. Anton. in ſummula. tract. de bono Confeſſoris c. 27.

Diximus ſuperius, quod *magis expedit & tutius eſt ut Superior inferiorem hortetur graviter ſuum Pœnitentem ad dimittendum Beneficium vel Officium ſuum*. Multi namque ſunt, iique graves Auctores, qui exiſtimant, numquam in hujuſmodi occaſionibus ea utendum eſſe notitia, quæ per confeſſionem habetur, præſertim ob periculum, ne probroſa fiat ſuſpicio de ea perſona de qua agitur, aut ex hoc odioſa ipſi confeſſio evadat; quod numquam fieri poteſt licitum. Ita cum aliis quibuſdam ſentit Yſambertus (*f*), qui ſic concludit: *Æſtimamus uſum ejuſmodi notitiæ eſſe non ſolum humana conſtitutione illicitum, ſed etiam ſacramentali ſigillo confeſſionis contrarium; & prohibitionem illius ſequi connaturaliter ad divinum præceptum de ſervando Sacramentali ſigillo confeſſionis*.

(*f*) Yſambert. tract. de pœnit. diſput. 23. art. 8. & apud eum Banne. in 2. 2. q. 33. art. 8. 2. & 3. part. diſputationis de correct. fraterna & Rodericus tom. 1. qq. Canonicarum & Regular. q. 54. art. 4.

C A S U S XII.

Ferdinandus, Epiſcopus Almerienſis, ſancti Gilberti Parœciam Medardo, quem ſingulari virtute præditum Sacerdotem exiſtimabat, conferre omnino ſtatuerat: ſed eum ſortuito confeſſus ob apoplexiæ caſum; novit, eum inſignem eſſe hypocritam, & Diaconatu ſolummodo eſſe initiatum, licet Sacerdos publice haberetur, Sacerdotiſque omnes ſæpe functiones obiret. Quid acturus eſt Epiſcopus ille? Nonne ſub peccati conſcientia Medardum de Parœcia, quam ſtatuerat, providere tenetur, ſaltem poſtquam eum Sacerdotio inauguraſſet ſecreto; ne, Beneficium illud ipſi non conferendo, peccet, utens notitia quam per ſolam confeſſionem acquiſivit?

R e s p o n s.

Epiſcopus ille ſub peccati conſcientia, Medardum, uti ſtatuerat, de Parœcia providere non tenetur, licet per confeſſionem tantum ſit nota ſibi hominis indignitas: ſed potius ſub reatu mortalis tenetur mutare voluntatem, & alteri digniori prædictam Parœciam conferre. Ratio eſt 1. quia conſilium ſuum perficere non poſſet, niſi rem faciendo per ſe malam & omnino damnabilem, uti contrariam divinæ gloriæ ſalutique illorum Parochianorum. 2. Quia Epiſcopus mutans voluntatem, nullatenus auditam lædit confeſſionem, cum ut ſupponitur, ſoli Deo nota eſſet ſua voluntas, & ei quidem homini eſset ignota; unde neque directe neque indirecte peccatum ſola confeſſionis via cognitum manifeſtat.

Hæc Deciſio conformis eſt doctrinæ ſancti Thomæ (*g*), qui in allato teſtimonio ad præcedentem reſponſionem manifeſte docet, notitiam ſola confeſſione partam ſine peccato adhiberi poſse ad medendum alicui malo, indignus, tales per ſolam confeſſionem cognitos ab officio amovendo; modo id fieri poſset abſque ulla cujuſquam ſuſpicione quod hujuſmodi notitiæ ſic amoventur. Unde ſequitur, quod in caſo propoſito a fortiori poteſt Ferdinandus Beneficium indigno non conferre, licet nota ſit per ſolam confeſſionem ejus indignitas, cum re ipſa poſſit non conferre abſque cujuſquam ſuſpicione, quod ita ſe gerat ob auditam ejus confeſſionem. Eamdem doctrinam unanimi tuentur conſenſu

(*g*) S. Thom. ſupra cit. quodlib. 5. art. 13.

(1) Vide Mendo Pentaſ. Obſerv. V. num. XII.

ſenſu S. Bonaventura, Gabriel Biel, Henricus Gandavenſis Archidiaconus, Halenſis, Paludanus, Adrianus, aliique celeberrimi & quamplurimi Theologi (*a*). Vide Deciſionem ſuperiorem & præcipue articulum ultimum.

(*a*) S. Bonav. in 4. diſt. 21. q. 1. art. 2. Gabriel Biel ibid. q. un. Henricus Gandavenſ. qq. quodlibet. quodl. 8. q. 10. Alex. Halenſis. part. 4. q. 74. art. 1. ad 6. Petrus Palud. in 4. diſt. 21. art. 3. Hadrian. in 4. de Sacram. Confeſſ.

CASUS XIII.

Lectneos generalis conſtitutus Monaſteriorum cujuſdam Ordinis Viſitator, Mævium unius Monaſterii ſuperiorem, juxta ſtatutum Ordinis ad finem ſuperioritatis ſuæ perveniſſe comperit: ipſum, omnibus inſciis, confitentem audit, atque ex peccatorum ipſius confeſſione omni ſuperioritatis gradu eum prorſus novit indignum. Paucis poſt diebus nova inſtituitur electio; diviſiſque inter Mævium & alium ſuffragiis, e ſola Licinii voce pendet electio. Qua de re quæritur, utrum Licinius abſque confeſſionis revelatione, ſuffragium ſuum Mævio quem ſola confeſſione novit indignum, poſſit denegare, eique alterum præferre?

Respons.

Hæc difficultas a ſuperiori non multum diſcrepat; unde parem etiam poſſumus ei reſponſionem adhibere, dicendo, quod, cum omnibus ignota ſit facta a Mævio Viſitatori huic confeſſio, non eſt quod ſuſpicari quiſpiam poſſit, eum confeſſionis notitia uti, ut illum a ſuperioritate amoveat, quam illi prorogare volunt plerique Capitulares. Inſuper, cum ſuperioritatis tempus ex conſtitutionibus Ordinis præſcriptum pro Mævio ſit finitum, nullaque ſubſit vel ſpecioſa cauſſa, cur ipſi prorogetur; Licinius ei legitime ſuffragium ſuum in favorem alterius ſuperioris denegare poteſt. Quod evidenter probari poteſt ex allato in undecima difficultate ſancti Thomæ teſtimonio.

Similem ferme quæſtionem agitans Paludanus (*b*) eamdem quoque propugnat ſententiam his verbis: *Quidquid ergo videtur Confeſſori faciendum, vel omittendum pro bono confitentis; vel communi; poteſt facere vel omittere, dum tamen per hoc non reveletur confeſſio, ad quod ſolum obligatur, licet alias non eſſet illud facturus. Si igitur confeſſione Prioris vel alterius, ſcit Abbas, quod non expedit Priori tenere Monaſterium, & ſit talis, qui ad libitum alias poteſt amoveri; exſpectet quo uſque ſine nota revelationis poſſet amovere, & tunc ſtatim amoveat. Cum enim ex audientia confeſſionis ad nihil obligetur, niſi ad celandum, & ſi obligaretur ad aliquid, hoc eſſet ad medendam animæ pœnitentis, ſicut Medicus, ex quo in cura aliquem ſuſcipit, tenetur ſibi dare remedium contra recidivum; ſic in propoſito quam cito poteſt amovere, amoveat, quem ſine hoc amovere poterat ..... cum confeſſionis audientia nulli jus præbeat in alio foro, in quo non conſtat ſibi ut Judici, ipſum amovere non poteſt.*

(*b*) Petrus Palud. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 3.

Eodem tendunt hæc Navarri verba (*c*): *Infertur ..., non eſſe revelatorem confeſſionis, qui electione Prælati occurrente, ideo alicui ſuum denegaret ſuffragium, quod ſola ipſius confeſſione illum crimino ſum eſſe noſſet; neque item Abbatem, qui Monacho denegaret copiam adeundi oppidum, in quo ſola ipſius confeſſione novit, eum ſolitum labi .... ut magni nominis viri docuerunt: modo hæc omnia tanta cautione fiant, ut nullatenus per ea juſta ſuſpicandi ratio præbeatur*. Exemplum quod proponit hic Auctor, etiam majoris eſt momenti & vehementius urget, quam illud de quo in caſu propoſito: ſi enim Abbas, qui Prioris indignitatem ex confeſſione novit, ipſum amovere poſſit, cum illud ſit abſque periculo ſuſpicionis de revelata confeſſione; a fortiori dici poteſt, quod, cum de nova tantum agitur electione, ſuperiorem quem finito ſuperioritatis tempore novit indignum, ſuffragio ſuo privare poteſt: quandoquidem id ipſum ut ſupponitur facere poſſit abſque ulla ſuſpicione revelatæ confeſſionis, quæ facta ſibi a quopiam non cognoſcitur. * Vide undecimam deciſionem, præcipue articulum ultimum.

(*c*) Navar. in C. Sacerdos, de pœnit. diſt. 6. n. 74.

* Quamvis propter S. Thomæ & ſancti Antonini, & Paludani, variorumque magni nominis Doctorum præcedentes ad Caſ. XI. & XIII. Reſponſiones tute conſcientia ſequi quiſque poſſit; attamen non levem aliorum Doctorum nec numero, nec nomine minorum auctoritas faceſſit difficultatem: Præſertim Decretum Clementis VIII. datum an. 1594. die 16. Maii, in quo hæc leguntur verba: *Tam ſuperiores pro tempore exſiſtentes quam Confeſſarii qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*; Cum dubiæ ad ſupradictos Caſus reſponſionibus conſonare non videtur; quia animadvertit Suarezius Tom. IV. in 3. part. diſp. 33. ſect. VII. *Cum indiſtincte loquatur* Decretum Clementis VIII) *non eſt quod a nobis limitetur, ſed ſimpliciter obſervetur*. Quod hic animadverto, animadverterat jam & ipſe Natalis Alexander doctiſſimus Dominicanæ familiæ Theologus, in Tom. I. Theologiæ Dogmat. & Moral. Lib. II Reg. 16. *Quantumvis*, inquit, *ut abſolute ſpectato, licitum videatur prælato ſubditum ab officio removere propter crimen quod ex ſola confeſſione novit, ubi revelandæ confeſſionis periculum abeſt, Eccleſiaſtica tamen lege id omnino prohibetur*.

Quidquid ſit, propter momentoſas rationes quæ tantiſper attendenti ſatis patebunt, in Seminariis cavendum eſt ne licitum eſſe aliquando uti ad exteriorem gubernationem notitia per confeſſionem parta doceatur: cum enim Clerici illic trepidare ſoleant, ubi non eſt timor, non multum aut potius nullum niſi ſal diſcretionis haberent Seminariorum directores qui ſententiam contrariam palam defenderent.

CASUS XIV.

Matthæus, ſenerator publicus, cum Paſchali tempore apud Parochum ſuum peccata depoſuiſſet, nec abſolutionem obtinuiſſet ab eo facultatem petiit, ut ſibi apud Theophilum proximæ Parœciæ Curatum confiteri liceret, ea tamen conditione, ut ſcriptum de facta confeſſione ſua teſtimonium afferret. Matthæus apud Theophilum denuo confeſſus, & feneratorium ſuum commercium abdicare nolens, abſolutionem quoque obtinere non potuit. Poſtea tamen Theophilum adiens teſtimoniales factæ confeſſionis litteras ab eo requiſivit; quas nec ei dare ob falſam ipſius confeſſionem ſe non poſſe exiſtimavit, nec etiam recuſare ob indirectam ſaltem ejuſdem confeſſionis revelationem; quod, cum Parocho ſuo ſe offerret abſque tali teſtimonio Matthæus, is pro certo judicaret, Matthæum a Theophilo non fuiſſe abſolutum. Quocirca petitur, qua ratione in hac negotioſa occaſione ſe gerere debuerit Theophilus?

Respons.

Ut huic difficultati fiat ſatis, diſtinctione opus eſt; nam vel uſus eſt in Diœceſi ſtabilitus teſtimoniales confeſſionis litteras ei dare, qui alteri quam Parocho ſuo confitetur; vel non: ſi non ſit ſtabilitus, videtur, quod hujuſmodi teſtimonium Matthæo dare non potuerit Theophilus, ſi illud non exigat ejus Parochus: ſed ſi talis ſit uſus Diœceſis, & Parochus illud omnino a Matthæo exigeret; certum eſt, a Theophilo illud denegari non potuiſſe, intacto confeſſionis ſigillo; cum illud denegans, impœnitentiam non ſolum exprobraret, ſed etiam ipſius Parocho manifeſtaret, qui certo, ut in caſu enuntiatur, judicaret, eum non fuiſſe abſolutum; quod quidem numquam eſt licitum. Teſtimonium ergo Matthæo dare Theophilus debuit, quo affirmaret, ſe, non quidem abſolviſſe; quod ſine mendacio aſſerere non potuiſſet, ſed in tribunali pœnitentiæ Matthæum confitentem, quod re ipſa verum eſt, audiviſſe. Quod ſi eo impietatis prorumpat falſus hic pœnitens, ut ex hypocriſi ſimulataque converſionis ſpecie, ad ſacram audeat menſam accedere; ipſius Parochus tum ei tale teſtimonium proferenti communionem denegare non poteſt abſque reatu ſcandali inde futuri: quod etiam verum eſt, licet ſolus & occulte Communionem poſtularet Matthæus. Ita difficultatem hanc 20. Martii an. 1674. ſolvit inſignis Profeſſor Sorbonicus (*d*).

(*d*) De Ste. Beuve tom. 1. caſ. 1.

Poſito hoc principio, dicendum 1. Parochum qui ex confeſſione novit, Vicarium ſuum aliumve manſionarium ſacerdotem ſuum diſſolute vivere, ipſi teſtimoniales litteras de vita & moribus requirenti coram iis, qui noverunt eum apud ſe eſſe confeſſum, abſque peccato non poſſe denegare. 2. Superiorem Seminarii partam hac via occultæ alumni ſui libidinis notitiam adhibere non poſſe, ut eum e Se-

e Seminario pellat, aut faveat ei de vita & moribus det teſtimonium. 3. Epiſcopum, cui ex confeſſione noti ſunt pravi mores Clerici, non ei ſacrum, quem poſtulat, ordinem poſſe recuſare, niſi fracto confeſſionis ſigillo; cum nullum aliunde in eo reperiatur legitimum incapacitatis, aut alterius rei impedimentum, quo ordinatione fiat indignus; & quo plauſibilis ſuppeditetur cauſſa repulſæ. 4. Parochum qui ex confeſſione pœnitentis ſui novit impedimentum dirimens ipſius matrimonii, quod non vult differre, debere ipſum celebrare (*a*): Ratio eſt, quia in his & ſimilibus aliis caſibus quamplurimis aliter agi non poteſt, niſi moveatur ſuſpicio, notitiam in confeſſione acquiſitam adhiberi; cujus proinde ſecretum ſaltem indirecte frangitur: quod numquam ſine crimine fieri poteſt (*b*), uti ſuperius probatum eſt.

(*a*) Fr. Sylvius in Suppl. 3. part. S. Th. q. 11. art. 1. §. *Secundo*. Silveſter de Prierio. v. *Confeſſio*. 3. q. 12.

(*b*) Colloq. Agathenſ. Colloq. 14. de Confeſſ. dem. 5.

CASUS XV.

Philemon, ſe ipſum in confeſſione de furto accuſans imprudenter & abſque neceſſitate Confeſſori ſuo Silveſtrum ejuſdem ſecum criminis conſcium eſſe indicavit. Num Confeſſarius ille eadem ſecreti lege tenetur pro complice atque pro Philemone? Peccaret ne quoque mortaliter, ſi complicem hunc declaret; præſertim ſi id neceſſarium duceret bono vel proximi vel communitatis, idque poſſet facere non revelato poſtea directe Philemonis delicto, aut injecta in eum de illo ſuſpicione?

Respons.

Confeſſarius ſub eodem confeſſionis ſecreto tenere debet, non ſolum Philemonis, quod ipſe confeſſus eſt, peccatum, ſed etiam complicis ſui; licet eum imprudenter aut ex ignorantia indicaverit. Ita ſentiunt celeberrimi Theologi, & in primis Eſtius his verbis (*c*): *Non ſolum pœnitentis perſona, ſed & alia quæcumque in confeſſione nominata, ſeu quomodolibet indicata, tamquam conſors peccati, vel peccato notata ſub eodem ſecreto teneri debent.* Idem docet Sylvius (*d*): *Peccata complicis*, inquit, *cadunt ſub ſigillum confeſſionis, ſive pœnitens potuerit* (peccatum) *ſuum confiteri ſine expreſſione illius, ſive non.* Cujus rei multas affert rationes, quarum præcipua hæc eſt: *Quia ex revelatione peccati complicis ſæpe numero poteſt agnoſci peccatum pœnitentis; unum enim eſt alterius manifeſtativum .... alioquin confeſſio redderetur onerosa & odioſa.* Equidem fieri poſſet, ut conſors furti detectus in judicium adduceretur, & ab ipſo cogeretur Judice ad declarandos furti cujus accuſatur, participes; unde & Pœnitens ipſe judicii pœnis ſubjiceretur. Sed quamvis eo res non adduceretur, pœnitens cui notum eſſet, conſortem ſuum a Confeſſario tantum ſuo fuiſſe manifeſtatum, procul dubio confeſſionem, uti parum tutam haberet, ac juſte timere poſſet, ne ab eodem Confeſſario pro ſe proderetur confeſſionis ſecretum, qui complicem in confeſſione nominatum detexiſſet.

(*c*) Guill. Eſtius. in 4. diſt. 17.

(*d*) Sylvius in Supplem. S. Th. q. 11. art. 1. concluſ. 2.

Intereſt ergo plurimi, ut Confeſſarius quilibet ſecreti ſit intemerate tenax, in iis quæ in Confeſſione detexit: neque ſatis condemnari poſſunt ii, qui de rebus iſtis, licet aliquoties indifferentes videantur, libere agunt; niſi id Confeſſario permittat expreſſe pœnitens quo in caſu de peccatis ipſius poſſet loqui, ut docet D. Thomas (*e*), non vero de conſorte peccati. *Poteſt autem confitens*, inquit Doctor Angelicus, *ut illud quod Sacerdos ſciebat tantum ut Deus, ſciet etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum: & ideo ſi dicat, non frangit ſigillum confeſſionis: tamen debet cavere ſcandalum dicendo, ne fractor ſigilli prædicti reputetur.*

(*e*) Suppl. S. Th q. 11. art. in corp.

Ceterum in hac ſua deciſione Eſtius ac Sylvius, Scotum ſequuntur (*f*), Richardum, Sotum, Silveſtrum, Angelum, & alios anteceſſores ſuos, quorum teſtimonia congerere non eſt neceſſe.

(*f*) Scotus in 4. diſt. 21. q. 2.

CASUS XVI.

Isacius, S. Gerardi Parochus ex confeſſione Cordulæ Parochianæ ſuæ addiſcit, non eam ſolum impudicitiæ furtique eſſe conſciam, ſed inſuper multos e Parochianis ſuis, eorumdem quæ declaravit, criminum eſſe participes. Id ſibi perſuaſum habet, fore ut his malis mederetur, ſi complices illos cognoſceret. 1. Numquid eorum nomina a Cordula exquirere poteſt? 2. An Cordula eos declarare poteſt, illæſa proximi caritate? 3. Si eos declaret Cordula, atque huic malo ipſum occurrere conſentiat, nonne per ſe ipſum, an vero per alios tuta conſcientia conſcios illos monere poteſt, ut eos ad morum emendationem inducat?

Respons.

Certum eſt, generaliter loquendo, cogi poſſe a Parocho pœnitentem ſuum, ut ad emendationem horum malorum conferat; modo prudentem ea in re operam collocet, nec auditum in confeſſione peccatum aliquatenus manifeſtet; ſeu pœnitentem inducendo, ut ſibi complices declaret, ſi perſuaſum ei ſit, fore ut his poſſit mederi malis, aut iis declaret, qui crimina refrenare valent. Quod cum ita ſit, exiſtimamus, Iſacium Cordulam poſſe audire, ſi ipſa libens complices ſuos declarare libere conſentiat; notitiaque quam ipſa dat libenter, uti; modo criminibus de quibus agitur, mederi poſſit, nullo modo Cordulæ peccatum revelando.

CASUS XVII.

Hector, a Judith confitente addiſcit, ipſam, in tribunali etiam Pœnitentiæ, ab Ildefonſo priori ſuo Confeſſore ad peccatum fuiſſe ſollicitatam, ſibique notum eſſe, eumdem in hac libidine erga quaſdam alias mulieres etiamnum perſeverare. Numquid Hector, intacto confeſſionis ſigillo Judith inducere poteſt, ut Ildefonſum Epiſcopo ipſa denuntiet, aut ſinat, ſe denuntiare: & ſi forte propoſito aſſentiri nolit, num ei abſolutionem denegare tenetur?

Respons.

Certum eſt, Hectorem, non fracto confeſſionis ſigillo, de conſenſu & formali Judith licentia Ildefonſum Epiſcopo denuntiare poſſe: conſtat enim, pœnitentem Confeſſori ſuo permittere poſſe, ut peccatum in confeſſione accuſatum manifeſtet. *Poteſt autem pœnitens facere*, inquit S. Thomas, (*g*) *ut illud quod Sacerdos ſciebat ut Deus, ſciat etiam ut homo, quod facit dum eum licentiat ad dicendum; & tunc ſi dicat, non frangit ſigillum Confeſſionis.* Hector igitur non ſolum Judith inducere poteſt ad denuntiandum priorem illum Confeſſorem; ſed ipſemet denuntiare, ſi ea forte ob pudorem & confuſionem non audeat; & id ipſum Hectori mandet aut permittat, qui in hoc caſu non ſolum poteſt, ſed & tenetur ex Bulla Gregorii XV. 20. Auguſti an. 1622. (*h*) Quæ ſic habet: *Statuimus, decernimus & declaramus*, inquit hic Papa, *quod omnes & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemtorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum & Congregationum regulares .... Qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis confeſſionis, ſive antea, vel poſt immediate, ſive occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi ſacramentales confeſſiones audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint .... (i) mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ut ſupra ſollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſollicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus ſeu locorum Ordinariis prædictis. Quod ſi hoc Officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra: iidem locorum Ordinarii & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

(*g*) S. Th. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 2. in corp.

(*h*) Greg XV. Bulla. *Univerſi*. 18. §. 4. confirmans & ampliaus Bullam 31. Pii V. quæ incipit. *Cum ſicut*. 16. Aprilis an. 1516.

(*i*) Idem ibid. §. 7.

Omnes illius Bullæ articuli confirmati fuere ex Decreto Alexandri VII. 24. Septembris 1665. dato contra opiniones mitiores quorumdum Caſuiſtarum, qui varias hujuſce executionem eludendi artes docuerant, quo Decreto duæ propoſitiones, ſexta videlicet & ſeptima inter 28. quas cenſura notavit, hac de re prolatæ ſequentes propoſitiones fuere damnatæ. Prior hæc eſt: *Confeſſarius, qui in ſacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſolici-*

lici-

Digitized by Google

lecitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denuntiandus. Poſterior vero ſic habet: *Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſolicitationis eſt, ſi ſolicitatus confiteatur eum ſolicitante: hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.* Quas propoſitiones damnat ſaltem ut ſcandaloſas, ac prohibet eas docere aut ad praxim redigere ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*, Apoſtolicæ Sedi reſervata, excepto mortis articulo.

Advertendum tamen 1. Bullam Gregorii XV. in Gallia non recipi, quia ibi promulgata non fuit; unde non obligat in conſcientia; cum nulla lex humana obliget, niſi ſufficienter promulgata, aut affixione, aut præconis publicatione, aut inſinuatione, ut patet ex iſta Codicis Lege (*a*): *Leges ſacratiſſimæ quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut univerſi præſcripto earum manifeſtius cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur.* Quare, licet ſit ſæpe utile, & quidem aliquando neceſſarium Bullam hanc ſequi; exiſtimamus tamen Confeſſarium regni Galliæ ad denuntiationem non debere obligare, abſolutionem recuſando; ſed ſufficere, ut pœnitentem perſonam, quæ declarat ſe fuiſſe ab alio Confeſſore ſolicitatam, moneat, maximi referre, ut abominandam Epiſcopus noverit tam nefandi hominis agendi rationem; qui cum animarum ſaluti incumbere deberet, eas contra pervertere, ac magno fidelium quibus id notum eſt, ſcandalo, e via ſalutis avocare conatur; & ut eam verbis humanis inducat ad denuntiationem, aut ipſe denuntiandi veniam poſtulet, præſertim quando certo novit, Confeſſorem hunc in ſuo perſeverare vitio.

(*a*) L. Leges cod. de Legibus & Conſtitut. Principum lib. 1. tit. 14.

2. Permagni etiam intereſt, ut denuntiationis curam in ſe non ſuſcipiat Confeſſarius, niſi, cum ſufficienter ipſi nota eſt probitas & animi ſinceritas perſonæ, quæ ſe ſolicitatam fuiſſe confitetur; ne forte ſit calumnia malitioſe efficta & animo vindictæ in virum innocuum, uti res exemplo omnibus nota eſt exeunte ſæculo proxima elapſo.

Denique ad denuntiationem induci perſona non debet, cum cognoſcitur, quod pœnitentem ſuam ad peccatum caſu humanæ fragilitatis & tranſitoriæ ſollicitans adduxit, quam etiam ſincera reparare nixus eſt pœnitentia, quia, ut ait ſanctus Thomas (*b*): *Quandoque.... pœnitentes innocentibus ſunt meliores.* Iſtis modis, ut videtur, mitigari poteſt in primis Bulla Gregorii XV. propoſitaſque regulas iſtas in ſpecie allata Hector ſequi debet.

(*b*) S. Th. quodlib. 5. art. in corp.

CASUS XVIII.

Franciscus qui Galterii fuit famulus, pecuniam hero ſuo cum duobus aliis famulis furti ſui conſortibus ſe ſubripuiſſe clam confeſſus; id Galterio declarandi Confeſſario ſuo licentiam fecit, tum ut furtum a ſe factum ſibi condonaret, tum ut aliorum furta abrumperet; quod quidem perfecit ille Confeſſarius. Qua de re quæritur, utrum Galterius non minus ſecreti lege quoad peccatum Franciſci teneatur, quam Confeſſarius?

RESPONS.

Galterius pro certo tenetur ad celandum peccatum Franciſci, niſi his habeat intentionem contrariam, quam expreſſe declaret. Ita S. Thomas (*c*), cujus hæc ſunt verba: *Ille ad quem notitia peccati devenit, mediante Sacerdote & voluntate confitentis, participat in aliquo actum Sacerdotis: & ideo ſimile eſt de eo & de interprete, niſi forte peccator velit, quod ille abſolute ſciat & libere.* S. Thomæ aſſentitur S. Antoninus hac in re (*d*): *Ad celandam confeſſionem tenetur is, ad quem confeſſio pervenit illicite, mediate, vel immediate.... Item* (ille) *cui de licentia pœnitentis revelat.* Ita etiam Paludanus & Sylvius (*e*).

(*c*) S. Th. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 2. ad 4.

(*d*) S. Anton. in Sum. Confeſſ. 3. part. tract. 1. de bonit. Confeſſoris. c. 28.

(*e*) Sylvius in Supplem. 3. part. Sum. S. Thom. q. 11. art. 3.

CASUS XIX.

Liebertus, Lubecenſis mercator, qui nec Gallice nec Latine novit, adhibito interprete apud Sacerdotem confeſſus eſt, qui Germanicam non intelligit linguam. Numquid eadem ſecreti lege tenetur hic interpres, non minus quam ipſe Confeſſor?

RESPONS.

Cum interpres ille ſit particeps miniſterii quo fungitur hic Confeſſarius, ſigillo confeſſionis eum obligari conſtat erga Liebertum. *Sigillum confeſſionis*, inquit S. Thomas (*f*), *competit Sacerdoti, in quantum eſt miniſter hujus Sacramenti; quod nihil aliud eſt, quam debitum confeſſionem celandi, ſicut clavis eſt poteſtas abſolvendi: tamen ſicut aliquis qui non eſt Sacerdos, in aliquo caſu participat aliquid de actu clavis, dum confeſſionem audit propter neceſſitatem; ita etiam participat aliquid de actu ſigilli confeſſionis, & tenetur celare; quamvis, proprie loquendo, ſigillum confeſſionis non habeat.* Idem poſt S. Thomam docet S. Antoninus & poſt Paludanum (*g*). Ita etiam Sylvius hanc afferens rationem (*h*): *Neque enim ille* (interpres) *miniſterium præbet ſoli pœnitenti, ſed etiam Sacerdoti, qui ſic per interpretem cognoſcit omnia peccata confitentis, ſicut is per eum loquitur.*

(*f*) Suppl. S. Thom. q. 11. art. 3. in corp.

(*g*) S. Anton. in Summula Confeſſionali 3. part. tract. 1. de bonit. Confeſſ. c. 28. & apud eum S. Thom. in 4. diſt. 21. q. 1. art. 1. & Petrus Paludanus.

(*h*) Sylvius, in cit. art. 3.

CASUS XX.

Limineus Confeſſor, peccata apud ſe in confeſſione depoſita intemerato quidem premit ſilentio; ſed quandoque veniale de facili manifeſtat, non aſſerens tamen, id ſibi in confeſſione fuiſſe dictum. Numquid in eo mortaliter peccat cum venialis illius auctorem declarat?

Videtur, quod non peccet mortaliter, quia ex declaratione leviſſimi peccati non multum infamatur pœnitens. Videtur contra, peccatum ejus eſſe mortale ob injuriam Sacramento illatam.

RESPONS.

Teſtatur quidem inſignis Theologus (*i*) quod *putant quidem aliqui revelationem peccati venialis non futuram mortalem, niſi Sacerdos dicat ſe audiviſſe in confeſſione.* Sed opinionem illam, tamquam falſam refellit dicens: *Verum cum gravitas hic non naſcatur ex ſcandalo, ſed natura Sacramenti; contrarium eſt tenendum.* Hæc ſunt hujuſce verba Auctoris, qui aſſerit, quod revelatio venialis culpæ cum manifeſtatione perſonæ ſit grave peccatum mortale. *Revelatio hujus ſecreti grave admodum eſt peccatum*, inquit, *non modo infidelitatis aut injuſtitiæ, qua vetamur ſecreta detegere & proximum infamare; ſed etiam ſacrilegii contra ſignificationem & reverentiam Sacramenti: adeo ut, ſi etiam peccatum veniale auditum in confeſſione reveletur cum manifeſtatione perſonæ, mortaliter peccetur: quamvis enim illud ſecundum ſe ſpectatum ſit materia levis, & in ordine ad pœnitentem non ſequatur infamia gravis; magna tamen ſit injuria Sacramento, cum peccatur contra veritatem & ſanctitatem ipſius, reddaturque odioſum, ut a confeſſione homines abſtrahantur.*

(*i*) Sylvius in Supplem. 3. part. Sum. S. Th. cit. q. 1. art. 3. §. *Quartum*.

Fatetur tamen hic Theologus, hujuſmodi revelationem in hoc caſu fieri poſſe tantum venialem: *Niſi forte ex indeliberatione & inadvertentia revelet aliquis id, quod in confeſſione audivit:* eamque aſſerit eſſe opinionem Joſephi Angles. *Talem enim venialiter tantum peccare, ſi nulla ſequatur infamia, docetur in Floribus theologicis.*

CASUS XXI.

Amedæus, Bertrandi Confeſſor, nullum quidem ejus peccatum mortale aut veniale in confeſſione auditum revelat; ſed cetera, quæ in confeſſione ſibi declaravit, ſine ſcrupulo manifeſtat: Num ita ſe gerere poteſt abſque ſigilli infractione?

RESPONS.

Obligatio ſigilli confeſſionis non tantum ad peccata audita ſe directe extendit, ſed etiam indirecte ad ea, ex quibus notum quacumque ratione fieri poteſt pœnitentis delictum: quare maximi refert, ea celare quæ quomodocumque ad illud referuntur. *Sigillum confeſſionis*, inquit S. Thomas (*K*), *non directe ſe extendit, niſi ad illa quæ cadunt ſub Sacramentali confeſſione; ſed indirecte id, quod non cadit ſub Sacramentali confeſſione, etiam ad confeſſionis ſigillum pertinet: ſicut perquæ poſſet peccator, vel peccatum deprehendi.* Unde ſequitur, quod procul dubio confeſſionis ſigillum frangit Amedæus, ſi ex auditis in confeſſione Bertrandi quæ narrat, aliquatenus peccatum ejus manifeſtat.

(*K*) S. Th. in 4. diſt. 21. qu. 3. ar. 1. quæſtiunc. 10. in corp.

Digitized by Google

Cæterum neceſſe eſt, æterno ea premi ſilentio quæ in confeſſione audiuntur, ne exceptis quidem naturalibus qui ex ſola confeſſione innoteſcunt, defectibus: licet enim certum eſſet, ex revelatis non manifeſtari ullatenus culpam pœnitentis; periculoſum tamen eſt, huic indulgere licentiæ ob eas rationes quas affert ſanctus Thomas: hoc eſt, 1. propter ſcandalum infirmorum, qui judicant talem narrationem ſigillo confeſſionis eſſe contrariam, aut Confeſſorem qui iſta narrat, alia etiam quæ vera eſſent peccata, manifeſtare poſſe, 2. Ob ipſius Confeſſoris proclivitatem, qui, cum res in confeſſione auditas, licet indifferentes facilius effutiat; ad ipſam quoque directam aut indirectam peccatorum manifeſtationem propendere poteſt. *Nihilominus etiam*, addit Angelicus Doctor, *illa ſummo ſtudio ſunt celanda, tam propter ſcandalum, tum propter pronitatem, quæ ex conſuetudine accidere poſſet*. Cujus quidem rei luculentum affert Sylvius (*a*) exemplum, ab alio deſumtum Auctore, de Confeſſario qui in familiari colloquio dixerat, primam quam confeſſus erat, mulierem eſſe adulteram; & multo poſt hanc eſſe primam, quam in confeſſione audierat: ex quo *cognovit* (maritus) *uxorem ſuam eſſe illam*, inquit Sylvius, *de qua locutus erat Confeſſarius, quod prima ſua pœnitens erat adultera, & cum Confeſſarius diſceſſit, pugione illam occidit*. Adeo verum eſt, res quas profert Confeſſarius, quæque ſeorſim ſumta & in ſe ipſis indifferentes videntur, & nullatenus ſigillum confeſſionis attingere; effectum tamen penitus oppoſitum producere, cum ita ad ſe invicem referuntur, ut perſona confitens, ejuſque in Confeſſione auditum peccatum queat cognoſci.

(*a*) Sylv. in Supplem. S. Thom. q. 11. art. 1 quæſito 2. S. *Quintus*. poſt. Medios l. 2. c. 4.

CASUS XXII.

Ennius, Jodoco pœnitenti ſuo qui publica ſibi & ſcandaloſa confeſſus eſt peccata, publicam quoque ex conſilio Epiſcopi ſui pœnitentiam a ſe eſſe injungendam pro tutamine conſcientiæ ſuæ exiſtimat; ſed veretur, ne ſic gerendo pœnitentis ſui peccata, ſaltem indirecte, manifeſtet. Num legitimus eſt timor illius?

RESPONSIO.

Non legitimus eſt Ennii metus; neque enim ipſi adſcribi poteſt fractio ſigilli, cum pro publicis peccatis publicam injungit ſatisfactionem: cujus quidem rei has rationes profert S. Thomas (*b*): Quia 1. non Confeſſarius, ſed pœnitens, proprie loquendo, confeſſionem ſuam manifeſtat injunctam ſibi pœnitentiam adimplendo. 2. Quia peccatum ejus jam eſt publicum & manifeſtum. 3. Quia, licet occultum foret & remanere poſſet illius delictum occultum tamen adhuc eſſe poſſet, non obſtante tali ſatisfactione; quia, quamvis poſſet oriri ſuſpicio, eum grave aliquod peccatum commiſiſſe, hac via tamen certo dignoſci non poſſet. 4. Quia fieri poteſt, ut homo ſincere contritus publicam ſibi proprio marte pœnitentiam injungat. 5. Denique quia hanc ſibi pro alieno peccato ſatisfactionem injungere poteſt, ut hujuſmodi exempla nobis ſuppeditat Hiſtoria ſanctorum Anachoretarum. *Sacerdos*, inquit Angelicus Doctor, *non revelat confeſſionem, talem pœnitentiam injungendo, quamvis ſuſpicio oriatur illum aliquod peccatum enorme commiſiſſe; non enim culpa pro certo ſcitur ex pœna, quia quandoque aliquis pœnitentiam pro alio facit, ſicut legitur in vitis Patrum de quodam, qui ut ſuum ſocium ad pœnitentiam provocaret, ipſe cum eo pœnitentiam egit. Si autem peccatum ſit publicum, ipſe pœnitens, exſequendo pœnitentiam, confeſſionem a ſe factam manifeſtat.*

(*b*) S. Th. in 4. diſt. 21 q. 3. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2.

Addi poteſt, hanc ſemper fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ut pro quibuſdam peccatis publicas injungeret ſatisfactiones; licet hæc eadem Eccleſia ſub gravibus pœnis a Confeſſariis ſecretum confeſſionis exegerit: quo fit manifeſtum, eam publicæ pœnitentiæ injunctione numquam judicaſſe frangi confeſſionis ſigillum; cum alıter numquam eas publicas imponi ſatisfactiones permiſiſſet?

CASUS XXIII.

Hilarius, ſancti Amandi Parochus, unius e ſuis parochianis confeſſionem ex advertentia & deliberatione manifeſtavit. Numquid ſuſpenſionem *ipſo facto* aut irregularitatem ita incurrit, ut ſuas deinceps non poſſit obire functiones?

RESPONSIO.

Nullus eſt Canon, quo tali Sacerdoti *ipſo jure* infligatur ſuſpenſio, ut obſervant Angelus de Clavaſio, Silveſter, Fumus in *Aurea Armilla*, Diana, aliique quam plurimi (*c*).

Depoſitionem igitur aut interdictum tantum meretur Hilarius ex juridica Epiſcopi ſui ſententia, ut conſtat ex his ſancti Gregorii magni verbis (*d*): *Si hoc fecerit, deponatur*; & ex illis quarti Lateranenſis Concilii jam in reſponſione ad primam difficultatem allatis (*e*): *A ſacerdotali officio deponendum decernimus*. Quibus verbis nullo pacto indicatur, Sacerdoti tali infligi irregularitatem aut ſuſpenſionem, quæ dicitur *latæ ſententiæ*, ſed ipſum ſolum talem a ſuo Superiore legitimo pœnam mereri ex legitimo judicio. Unde colligitur, quod, cum Hilarium ſuſpenſum aut irregularem non declaraverit Judex Eccleſiaſticus; functiones ſuas, poſt factam de peccato ſuo pœnitentiam, deinceps obire poteſt, ut ante. Summam huic difficultatem pari modo 28. Martii, an. 1643. ſolvit Sylvius (*f*).

(*c*) Angelus de Clavaſio in Summa Angelica. v. *Confeſſio* ult. n. 9. Silveſter. v. *Confeſſio*. 3 q. 4. Bartholom. Fumus in Armilla. v. *Confeſſor*. n. 33. Antonin. Diana part. 5. tr. 11. reſolut. 51. & 53. & alii.

(*d*) S. Greg. in Can *Sacerdos*. 2. de pœnit. diſt. 6.

(*e*) Concil. Lateran IV. ſub Innoc. III. in Cap *Omnis*. de pœnit. & remiſs.

(*f*) Sylvius Reſolut. Var. V. *Sigillum confeſſionis*. 2.

CASUS XXIV.

Maceus, Venetiis in Parochia Confeſſarius incertus qua ratione ſe deberet gerere erga Sacerdotem ejuſdem Parœciæ manſionarium, ſolitum ſuum pœnitentem, ſub proprio ejus nomine Parochum Doctorem inclytum conſuluit; ſed pœnitentem ſuum declaravit, licet imperfecte, expoſitis videlicet ob ſcrupulum & anxietatem animi quibuſdam circumſtantiis. 1. Peccavit ne mortaliter? 2. An ex hoc depoſitionem meritus eſt, quam iis minatur Lateranenſe quartum, qui pœnitentium ſuorum Confeſſionem manifeſtant?

RESPONSIO.

Confeſſarius ille egit imprudentiſſime. 1. Quod proprium ſuum conſuluerit Parochum: poterat enim judicare, quod, cum magis ei, quam cuiquam, noti eſſent Eccleſiæ ſuæ manſionarii Sacerdotes, ipſum ſub proprio pœnitentis nomine conſulendo, in eum ſuſpicionem movere poterat, cujus cauſſa ipſum conſulebat. 2. Male etiam egit ipſum ſub proprio illius manſionarii nomine conſulens: nam Confeſſor qui alienum tenetur adhibere conſilium ad enodandas miniſterii ſui difficultates, alterius quam proprii pœnitentis, nomen ſupponere debet, ut occultius maneat confeſſionis ſecretum; quod quidem in quarto Lateranenſi conſtitutum eſt: *Caveat autem*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *omnino, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo, prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat.*

Videtur tamen quod in circumſtantiis propoſiti caſus, Confeſſor ille mortaliter non peccaverit; cum pœnitentem ſuum imperfecte tantum & confuſe, nec non ob ſcrupulum & anxietatem animi prodiderit, nulloque pacto id ipſum intendens; & ob eamdem rationem depoſitionis pœnam non meretur in eos qui confeſſionem manifeſtant: quandoquidem eam ſolummodo decreverit Concilium in ipſum *qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumſerit revelare*. Quibus Concilii verbis conſtat eam pœnam fuiſſe tantum in eos decretam, qui expreſſe & deliberate pœnitentium ſuorum culpas revelant, quibus annumerari non poteſt Maceus, cum poſitive Sacerdotis pœnitentis ſui peccatum revelare non intenderit, ſimpliciterque tantum, parum caute ſuam mentem aperiens, ſuſpicionem moverit.

CASUS XXV.

Nicomedes, Advocatus, Parocho ſuo ſecretum aliquod maximi momenti, a ſe cognoſcere impenſe cupienti, ſe revelaturum ea conditione promiſit, ut illud, quaſi ſub Confeſſionis ſigillo haberet; quamvis extra confeſſionem promiſſum hoc exegerit, eumque numquam Confeſſorem habuerit: Acceptata hujuſmodi conditione, rem tamen uni ex amicis ſuis detexit Parochus: qua de re quæritur,

1. utrum

1. Utrum contra ſigillum confeſſionis peccaverit. 2. Utrum abſque crimine ſecretum illud amico ſuo, aut cuilibet alteri communicare potuerit?

R e s p o n s.

Aſſerit S. Thomas (*a*) acceptum quaſi ſub ſigillo confeſſionis ſecretum, eſſe celandum quaſi ex confeſſione innoteſceret, quamvis revelans in ſigillum non peccet. *Si tamen recipiat, ex promiſſione tenetur celare, ac ſi in Confeſſione haberet; quamvis ſub ſigillo Confeſſionis non habeat.* Ita etiam Sylvius (*b*): *Qui revelat ſecretum ſub ſigillo Confeſſionis datum & acceptum ſine ſacramentali peccatorum confeſſione, non violat ſigillum Confeſſionis, etiamſi genu flexo & prævio ſigno crucis eſſet datum. Immo*, ſubjungit, *nec peccat quidem, ſi ex juſta cauſſa revelet: ut ſi teſtis a Judice interrogatur; ſi ſuper eo denuntiando feratur excommunicatio; ſi eſt rei publicæ aut alicui proximo perniciosum.* Sic etiam ſentiunt Cajetanus & Navarra (*c*).

(*a*) S. Th. in 4. diſt. 21. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 2.

(*b*) Fr. Sylvius in ſupplem. 3. part. Sum. S. Th. q. 11. art. quæſito 1. §. *Decimus*.

(*c*) Cajetan. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 3. Navar. Manual. c. 8. n. 21. & c. 18. n. 55.

Dicendum itaque, Parochum cui Nicomedes ſecretum ſuum ea, qua fert caſus, ratione detexit, ſigillum quidem Confeſſionis non violaſſe; ſed eum tamen in promiſſam fidelitatem peccaſſe, naturalemque obligationem, qua detectum ſibi ſecretum habere debebat; niſi illud juſta de cauſſa revelaverit.

Adverte quoad præſentem difficultatem, cum S. Thoma (*d*), quod homo non de facili debet recipere aliquid hoc modo: cujus rei hanc poſt Paludanum rationem affert Sylvius (*e*): *Sic aliquid tradere vel recipere ſub ſigillo Confeſſionis, cum nullum arcanum poſſit Secreto Confeſſionis æquiparari, non caret irreverentia Sacramenti.*

(*d*) S. Th. loco cit.

(*e*) Sylvius loco cit. & apud eum Paludanus in 4. diſt. 21. q. 3. art. 2. concl. 3.

C A S U S XXVI.

Damianus, homo laicus, propius ad Confeſſionarium accedens, confitentis peccata audivit, eaque paucis poſt diebus manifeſtavit Demophilo, cui notus erat confitens. Qua de re petitur 1. utrum Damianus in Confeſſionis ſigillum peccaverit, audita confitentis peccata Demophilo declarans. 2. Utrum ſecreti lege teneatur ipſe Demophilus?

R e s p o n s.

Certum eſt, Damianum & Demophilum, & generatim eos omnes quibus ſola Confeſſionis via nota ſunt alicujus peccata, ſtrictiſſime ſecreti lege teneri; ſeu licito modo, quaſi interpretes, ſeu illicito; per curioſitatem ea audiverint; ſeu caſu & contra propriam voluntatem, ſeu etiam conſulto; vel ab aliis ipſi didicerint. Ita ſanctus Thomas, (*f*) qui hanc affert rationem: *Sicut aliquis qui non eſt Sacerdos, participat aliquid de actu clavis, dum Confeſſionem audit propter neceſſitatem; ita etiam participat aliquid de actu ſigilli Confeſſionis, & tenetur celare: quamvis, proprie loquendo, ſigillum Confeſſionis non habeat.* Unde ſequitur a fortiori, quod is ſecreti lege tenetur; qui alienum novit ex Confeſſione peccatum, ſi nullam illud audiendi aut cognoſcendi neceſſitatem haberet; juxta illam juris Canonici regulam. (*g*) *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo.* Ita etiam ſentiunt Scotus, Navarrus, aliique permulti Auctores celeberrimi.

(*f*) In ſupplem. 3 part. Sum. S. Thom. q. 11.

(*g*) Reg. 39. de regulis juris in 6.

Vide Casum XIV. *Caſu* Galdomarus.

C O N F E S S I O.

CONFESSIO a Theologis ſic definitur (*h*): *Confeſſio ſacramentalis eſt pœnitentis accuſatio propriorum peccatorum, facta Sacerdoti ad obtinendam illorum abſolutionem.* Multas alias Confeſſionis definitiones affert S. Thomas, (*i*) quarum præcipua eſt iſta: *Confeſſio eſt ſacramentalis delinquentis accuſatio ex erubeſcentia, & per claves Eccleſiæ collatas ſatisfactoria, obligans ad peragendam pœnitentiam injunctam*

(*h*) Polman. Breviar. Theolog. part. 3. n. 311.

(*i*) S. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. a. 2. q. 2. in corp.

1. Dicitur *accuſatio propriorum peccatorum*: quia non hiſtorice, ut fabulam, peccata ſua enarrare, ſed ſe reum agnoſcens explicare debet peccator. 2. Quia proximi ſui peccata manifeſtare non debent: in quo ſæpiſſime peccant rudes, qui temere aliorum peccata, & ſæpe in ſuorum excuſationem declarant. Hæc autem accuſatio fieri debet animo obtinendæ abſolutionis, quæ finis eſt Sacramenti.

2. Dicitur, *per claves Eccleſiæ collatas*, hoc eſt Sacerdotibus, qui ejus ſunt Miniſtri, & quibus ſolis competit poteſtas iis utendi ad aperiendas cælorum januas, iis qui illius ingreſſum peccato mortali ſibi occluſerunt, juxta hæc Chriſti verba: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo* (*k*)

(*k*) Matth. 18. verſ. 18.

Additur denique: *accuſatio obligans ad peragendam injunctam pœnitentiam*: quia ex Concilio Tridentino (*l*) ſatisfactio eſt pars Pœnitentiæ ad integritatem Sacramenti neceſſaria, & ad obtinendam plenam & perfectam peccatorum remiſſionem.

(*l*) Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 3.

Confeſſio eſt de præcepto divino pro eo qui de vita periclitatur, & ſolum de præcepto eccleſiaſtico, ſemel ſaltem in anno quolibet.

Neceſſe eſt, ut peccator *ſigillatim* omnia mortalia quorum ſe reum novit, qualiacumque ſint, confiteatur, ut in eodem Concilio definivit Eccleſia (*m*): aliter enim Sacerdos æquum non poſſet exercere judicium, ſi in genere dumtaxat, & non in ſpecie potius & ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſet peccator, neque conveniens malo ſibi incognito adhibere remedium; nam *quod ignorat, medicina non curat*, inquit idem Concilium (*n*). Ratio eſt, quia Deus ſolus multitudinem peccatorum noſtrorum operit, animarumque vulnera ſanat: quæ ſi pudore tegere velimus, vel aliter; quod ſine incredibili ſtultitia fieri nequit, ait S. Auguſtinus (*o*), ipſe non ſanabit. *Deus tegat vulnera tua: noli tu*, inquit ſanctus Doctor (*p*): *nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, Medicus non curabit .... Cui celas? qui novit omnia.*

(*m*) Concil. Trid. cit. Seſſ. 14. c. 5.

(*n*) Idem ibid.

(*o*) S. Aug. in Pſalm. 50. n. 8.

(*p*) Idem Enarr. 2. in Pſalm. 31. n. 12.

Nihil heic de peccatorum circumſtantiis dicemus, quæ fuſe explicatæ ſunt in verbo, *Circumſtantia.*

Digitized by Google

Non neceſſe eſt abſolute confiteri peccata venialia; quia divina non nos privant gratia: ſed valde laudabile & utile eſt eadem confiteri, cum intimo tamen doloris affectu.

Quinque conditiones ad Confeſſionis bonitatem requiruntur. 1 Ut ſit ſimplex, hoc eſt, nihil inutile, nihilque ſuperfluum dicat pœnitens; ſed præciſe neceſſaria declaret, ut Confeſſario peccatorum ſuorum numerus & gravitas innoteſcat (a).

(a) S. Anton. 3 part. tit. 14 c. 9. §. 12.

Secunda; ut ſit humilis, conformiter ad illud Sapientis dictum: *Presbytero humilia animam tuam* (b.) Unde peccata ſua verus pœnitens malæ ſuæ tantum voluntati debet adſcribere; numquam vero defectui gratiæ, aut dæmonis malitiæ, aut alicujus ſuggeſtioni: *Non eſt quod cuiquam noſtram adſcribamus ærumnam*, hoc eſt, *culpam*, (ut fert textus archetypus) *niſi noſtræ voluntati*, inquit S. Ambroſius: (c), *Nemo tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit.*

(b) Eccli. 14. 17.

(c) S. Ambroſ. in Can. Non eſt. 10. 85. q. 1.

Tertia: ut ſit integra; hoc eſt, ut eidem Confeſſario omnia & ſingula quorum conſcientiam habet, peccata accuſet; cum aliquod celare non liceat, aut unam partem uni Confeſſario manifeſtare, alteram vero alteri. Qua de re obſervandum, 1. quod ſi pœnitens fuerit mutus, aut vi morbi loquelæ uſum amiſerit, ſufficit ut ſignis quibuſdam externis, quantum poterit, peccata ſua Confeſſario manifeſtet, aut ſaltem, ut intelligat ſe peccaſſe, ac peccatorum ſuorum abſolutionem poſtulare. 2. Quod ſi peregrino utatur idiomate & Confeſſori ignoto, peccata ſua, interveniente interpete confiteri poteſt, ſi quis reperiatur; ſi vero quis non ſuppetat, tamquam mutus haberi debet

Quarta: ut adjunctum habeat confeſſio ſincerum de peccato dolorem, cum vero propoſito non peccandi de cætero: omnis namque confeſſio ſolo timore facta & abſque inchoato ſaltem caritatis amore eſt invalida.

Quinta denique: ut præſcripta ſibi a Confeſſario perficere ſincere velit pœnitens.

Undecim alias conditiones a S. Carolo (d), & ab aliis relatas prætermittimus; quippe quæ omnes ad quinque præcipuas quas explicuimus, facile reduci poſſunt. *

(d) S. Carol. Act. part. 4. de inſtruct. Confeſſ. pag. 764.

Quando confeſſio valida non fuit, ſeu quia aliquod occultum fuit mortale peccatum aut circumſtantia quædam quæ declarari debebat; aut quia peccatum aliquod mortale non fuit accuſatum, eo quod diligens conſcientiæ ac ſufficiens examen non fuerit præmiſſum; vel quia abſque contritione facta eſt confeſſio, aut facta eſt Sacerdoti non admiſſo, aut neceſſariam in pœnitentem juriſdictionem non habenti; aut quæ ob alium quemlibet defectum invalida fuit; abſolute iteranda eſt. & ipſum quidem peccatum quod in profanatione Sacramenti admiſſum fuit, accuſandum. Quod pertinet ad peccata oblita, quamvis diligens præmiſſa fuerit conſcientiæ ſuæ diſcuſſio, ſufficit, ut in ſequenti confeſſione accuſentur, non iterata eorum accuſatione, quæ jam clavibus poſt ſufficiens conſcientiæ ſuæ examen fuere ſubjecta.

* Iſtas omnes conditiones cum a S. Carolo Borromeo, tum a cæteris relatas continent hi ſequentes ab Heberto relati Verſus tom. VI. de Pœnit. Paragrap. 4. de Confeſſionis proprietatibus ſeu conditionibus.
Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis, — *Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata,*
Nec non nuda, frequens, diſcreta, libens, verecunda, — *Fortis, & accuſans, & ſit parere parata...*

CASUS PRIMUS.

Sulpicius, turpiſſimi quod numquam confiteri auſus eſt, conſcius criminis, a latronibus oppugnatus, ex motivo perfectæ caritatis actum contritionis elicuit, conjunctum cum ſincero nullum mortale peccatum committendi propoſito; nec tamen illud quam primum confiteri non conſtituit, ſi præſens effugeret vitæ periculum. Qua de re quæritur, 1. Utrum peccatum illud vi contritionis perfectæ ei non fuerit remiſſum, quin ad illius confeſſionem abſolute teneatur, ſi præſens evadat periculum. 2. Utrum a latronibus illis occiſus ſalutis propitiæ non dederit ex hac contritione indicia?

RESPONS.

Certum eſt, hominem, qualis eſſe Sulpicius supponitur, ad Confeſſionem abſolute teneri, ſi ad eam poſſit recurrere. Quod quidem tribus rationibus probat S. Thomas (e): Prima, *quia aliquis non poteſt eſſe certus*, inquit ſanctus Doctor, *quod contritio ſua ſit ſufficiens ad deletionem pœnæ & culpæ: & ideo tenetur confiteri & ſatisfacere*. Secundo: quia *maxime cum contritio vera non fuerit, niſi propoſitum confitendi habuiſſet annexum*. Tertia denique; *Quod debet ad effectum deduci, etiam propter præceptum, quod eſt de confeſſione donatam*. Quod præceptum ex eodem Angelico Doctore (f) magis urget; *cum præcipue in periculo mortis exſiſtit.*

(e) S. Th. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 5. quæſtiunc. 2. ad 7.

(f) Idem ibid. q. 3. art 1.

Prima & tertia ratio adeo ſunt evidentes ex ſe ipſis, ut probatione non egeant. Secunda vero ipſius contritionis definitione innititur, quæ, ut ait S. Raymundus (g), *eſt dolor pro peccatis aſſumtus cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi*: cui conſentiunt omnes ceteri Theologi, uti Magiſter Sententiarum (h), qui cum neceſſitatem Confeſſionis auctoritatibus SS. Ambroſii, Auguſtini & Leonis afferunt, pro iis qui eam valent perficere, ita concludit: *Ex his aliiſque pluribus indubitanter oſtenditur oportere Deo primum, & deinde Sacerdoti offerri Confeſſionem, nec aliter poſſe pervenire ad ingreſſum Paradiſi, ſi adſit facultas*. Qua de re S. Thomas ſuæ ſemper tenax ſententiæ dicit (i): *Etſi propoſitum confitendi ſit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propoſitum, quando ad contritionem tenetur.* Et iterum alibi (K): *Nullus enim reparatur contritus, niſi habeat propoſitum ſubjiciendi ſe Eccleſiæ clavibus; quod eſt habere Sacramentum in voto.*

(g) S. Raymundus, lib. 3. Summæ tit. 34. cap. de pœnit. & remiſſ. §. 8.

(h) Petrus Lombardus, Magiſter Sent. lib 4. diſt. 17.

(i) S. Thom. in cit. diſt. 17. q. 3. art. 1.

(K) Idem opuſculo 22. c. 2.

Hanc doctrinam confirmat S. Doctor ex collatione Baptiſmi dicens (l): *Ad culpæ remiſſionem & actualis & originalis requiritur Sacramentum Eccleſiæ, vel actu ſuſceptum, vel ſaltem voto, quando articulus neceſſitatis, non contemtus Sacramentum excludit*. Ita pariter mortale poſt Baptiſmum commiſ-

(l) Idem cit. art. 1. quæſt. 3. in corp.

ſum

Digitized by Google

ſum non poteſt deleri niſi per confeſſionem actualem, vel in voto contritioni adjunctam.

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.

Iſtam Doctoris Angelici ſententiam adſtruit Concilium Tridentinum (a) hac ſua deciſione: *Docet præterea* (ſancta Synodus) inquiunt Patres hujuſce Concilii, *etſi contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

Ex his adeo claris ac manifeſtis argumentis facile colligi poteſt, quod, ſi obierit Sulpicius abſque voto, ſaltem implicito confeſſionis, perfecta non fuit ejus contritio, nec Sacramenti Pœnitentiæ defectum ſupplere potuit, & juxta iſtam S. Thomæ regulam (b): *Quamvis effectus principalis alicujus Sacramenti poſſit haberi ſine actuali perceptione illius Sacramenti, vel ſine Sacramento, vel per aliud Sacramentum ex conſequenti, numquam tamen poteſt haberi ſine propoſito illius Sacramenti.*

(b) S. Th. in 4. diſt. 23. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 12.

Diximus: *ſi obierit Sulpicius abſque voto. ſaltem implicito confeſſionis*; advertendum namque, ſuſcipiendi Sacramenti votum poſſe non ſolum eſſe explicitum, ut cum quis actu & expreſſe illud ſuſcipere deſiderat; ſed implicitum, cum nimirum elicitur contritio, quæ in ſe Sacramenti ſuſcipiendi votum includit: ut cum homo, qui non ſatis perfecte hujus Sacramenti neceſſitatem cognoſcit, veræ contritionis aut perfecti divini amoris actum elicit: tunc enim homo tali modo diſpoſitus, ſincerum habet votum ea adimplendi, quæ Deus a ſe exigit, & conſequenter ſuſcipiendi Sacramentum, ſi ejus perfecte neceſſitatem nec non de ea divinum præceptum cognoſceret; tum dici debet, ipſum habere implicitum Sacramenti votum: quod ad ejus ſalutem ſufficit *

* Juxta ſententiam eorum qui ad contritionem virtuale & implicitum mores emendandi & non peccandi propoſitum non ſufficere, ſed inſuper certum, expreſſum, formale & a deteſtatione peccati diſtinctum propoſitum requiri aſſerunt; dicendum videretur ad contritionem etiam non ſufficere implicitum peccata confitendi propoſitum. Iſta porro ſententia non tam paucorum Theologorum eſt, inter quos citari poteſt CAROLUS VVITASSIUS, olim in ſacra Facultate Pariſienſi Regius Theologiæ Profeſſor, *tom. I. Tractatus de Pœnit. Sacramento, quæſt. 3. aſſert. 12.*

CASUS II.

NONNE actum contritionis ſupplet actus amoris divini, quem elicuit Euſtachius, tria aut quatuor mortalia confeſſus, qui de iis abſolutus eſt, nullo prius elicito contritionis actu?

RESPONS.

Simplex ille divini amoris actus contritionis neceſſariæ ad Sacramentum pœnitentiæ defectum non ſupplet; nam de Sacramento illo loquens Concilium Tridentinum (c) aſſerit, actus pœnitentis eſſe quaſi illius materiam: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur.* Hæc ſunt verba Concilii, quod poſtea ſubjungit (d): *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero.* Ex quibus verbis manifeſte conſtat, actualem contritionem eſſe partem eſſentialem Sacramenti, cujus proinde vicem non ſupplere poteſt ſimplex actus amoris divini: licet enim verum ſit, Deum vere diligi non poſſe, nec peccatum odio haberi, atque adeo elici implicitum ſaltem contritionis actum; certum eſt tamen 1. ſimplicem illum amoris actum, & actualem peccati deteſtationem duas eſſe res omnino diſſimiles, ut facile probari poteſt exemplo Beatorum, qui ſemper habent divinum amorem, & *qua ad actum, & quo ad habitum*; quia, ut ait Paullus (e), *Caritas numquam excidit*, & qui tamen nullam habent de peccato ſuo præterito contritionem; nam *Animæ .... poſt hanc vitam, quæ in patria ſunt, contritionem habere non poſſunt propter gaudii plenitudinem*, ut loquitur Angelicus Doctor (f). 2. Certum eſt etiam, neceſſe eſſe, ut contritio, tamquam pars Sacramenti pœnitentiæ ſit vera, actualis, explicita & exterior, ſeu per ſe ipſam, aut ſaltem per confeſſionem peccatorum, Sacerdoti factam ad obtinendam abſolutionem: alioqui eſſet inſufficiens; cum, ut ait Concilium, ſit *quaſi materia hujus Sacramenti*. Hinc docent multi Theologi, quod, ſi homo, omnium ſuorum oblitus peccatorum, ex perfecto divini amoris actu juſtitiam acquireret, teneretur, ſi eorum forte poſtea recordaretur, nec confiteri poſſet, ad eliciendum formalem actum contritionis; aut quod, ſi confiteri poſſet, teneretur ſaltem ad eliciendum actum attritionis, ex inchoato amore Dei conceptum; quia attritio juncta Sacramento ſufficienter diſponit ad recipiendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ, quando Deus incipit diligi, tamquam fons omnis juſtitiæ. Rationem hujuſce rei hanc afferunt illi Doctores: quia videlicet, peccatorem Deus non juſtificat, niſi *in ordine ad pœnitentiam, ſeu contritionem*. Noſtram ſuſe in Suatem ſententiam Bail (g) comprobat.

(c) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3.

(d) Idem ibid. c. 4.

(e) 1. Corinth. 13. 8.

(f) Supplem. S. Thom. q. 4. art. 3.

(g) Bail de exam. pœnit. part. 1. q. 23. pag. 90.

CASUS III.

HERCULAS, in exercitu militum ductor, famoſus repos, qui a ſeptem octove annis paſchalem omiſit confeſſionem, periculoſe ægrotans, & ab amicis ad confitenda peccata ſolicitatus, æternæ tandem metu damnationis, eorum propoſito aſſentiens, confitetur. Numquid ſolus hic timor, ſufficientis ipſi locum tenere poteſt attritionis, ad recipiendum cum fructu pœnitentiæ Sacramentum: an vero exiſtimandum eſt, eum delictorum ſuorum veniam ex hac confeſſione non obtinuiſſe, ſi timor ille ſufficiens non ſit diſpoſitio?

RESPONS.

Ut propoſitæ difficultati fiat ſatis, dicendum 1. damnationis æternæ metum peccatoribus eſſe utiliſſimum; quia, ut ait Scriptura (h) *Initium ſapientiæ timor Domini. Timor Dei initium dilectionis ejus*: quatenus a peccato avertit, peccatoremque diſponit ad ſe convertendum ad Deum, pœnitentiæque labores ſuſcipiendos. Unde Tertullianus (i): *Si de exomologeſi retractas*, inquit, *gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet; & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites*. Cui conſentit S. Auguſtinus his verbis (k): *Ille autem timor nondum caſtus præſentiam Chriſti ſponſi, & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore ammittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam. Bonus eſt & iſte timor, utilis eſt: non quidem permanebit in ſæculum ſæculi; ſed nondum eſt ille caſtus, permanens in ſæculum ſæculi*. Alibi etiam timoris illius utilitatem oſtendit ſanctus ille Doctor (l): eamdemque veritatem docet Tridentinum Concilium (m).

(h) Eccli. 1. 16. Ibid. 25 16.

(i) Tertull. lib. de pœnit. in fine.

(k) S. Aug. in Pſal. 127. n. 8.

2. Dicendum etiam, quod gehennæ metus attritionis locum in Sacramento pœnitentiæ habere poteſt; cum ei adjungitur peccati deteſtatio, cum propoſito non peccandi de cetero, veniæ ſpes, & amor Dei, ſaltem inchoatus: tunc enim haberi debet, ut verum Dei donum, motuſque in animo a Spiritu ſancto productus; ut docet Concilium Tridentinum (n), cujus verba referemus, dum de contritione (o).

(l) Idem tr. 9. in c. 4. 1. Epiſt. Joan.

(m) Conc. Trid. ſeſſ 6. de Juſtificat. c. 6. & Can. 8.

(n) Idem ſeſſ. 14. c. 4. & Can. 5.

Hinc Scriptura, (p) peccatores ad gehennæ ignique æterni conſiderationem ſæpe revocat, & ait Auguſtinus de illis (q): *Timent quidem; ſed non amant juſtitiam: cum autem per timorem continent ſe a peccato; fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari ... & jam incipit homo propterea juſte vivere*. Atque illud eſt amoris initium, quod peccatori neceſſarium eſſe aſſerit Tridentina Synodus (r) ad obtinendam ſuorum peccatorum veniam in Sacramento pœnitentiæ.

(o) Caſ. Hilarin. 3.

(p) Iſai. 17. 14. Matth. 18. 27. & 28. 15. & 25. 41. & 46. Marc. 9. 41. &c.

(q) S. Aug. in Pſalm. 127. n. 7.

3. Denique (1) aſſerendum quod, quamvis peccatoribus utilis eſſe poſſit ille timor, eoſque aliquando, ut jam diximus, ad converſionem in Deum adducat; certum eſt tamen, eam non eſſe ſufficientem

(r) Conc. Trid. cit. ſeſſ. 6. c. 6.

diſpo-

(1) Vid. *Mend. Pontaſ.* Obſerv. V. Num. IX.

diſpoſitionem ad recipiendam in Sacramento peccatorum veniam, quod effectum ſuum numquam ſortitur, niſi in eo qui jam caritatis amorem, ſaltem inchoatum habet, uti jam diximus, & veram contritionem, ſaltem imperfectam, qualem modo deſcripſimus: *Ubi non eſt dilectio*, inquit Auguſtinus, *(a) nullum bonum imputatur; nec recte bonum opus vocatur: quia omne quod non ex fide eſt, peccatum eſt; & fides per dilectionem operatur*. Ratio eſt, quia is qui ſolo timoris hujuſce motivo confitetur peccata ſua, non quaſi Deo ingrata, ſed quaſi damnationem ſibi inducentia deteſtatur, nec ab iis committendis deſiſteret, ſi impune poſſet. Unde S. Auguſtinus, in ſua ad Anaſtaſium Epiſtola (*b*): *Inaniter autem*, inquit, *putat victorem ſe eſſe peccati, qui timere non peccat; quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur*, ſubjungit ſanctus Doctor, *qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahat quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere, quod non licet fieri; ſed ideo non facit, quia alibi non poteſt fieri*. Rem eamdem vehementius etiam urget ſanctus hic Doctor Eccleſiæ dicens (*c*): *Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem atque punientem: & utique ſi mallet non eſſe juſtitiam; quis dubitaverit, quod eam, ſi poſſet, auferret? Ac quomodo juſtus eſt juſtitiæ talis inimicus, ut eam, ſi poteſtas daretur, auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat ... Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere*. Idem ſanctus Doctor talem hominem cum latrone comparat in uno ex ſuis Sermonibus (*d*), qui timore ſupplicii a furto abſtinet; ejuſque affectum retinet: *Nam & latro*, inquit, *timet malum; & ubi non poteſt, non facit: & tamen latro eſt*.

(*a*) S. Aug. lib. de gratia Chriſti, cap. 26. n. 27.

(*b*) S. Aug. Epiſt. 145. alias 144. n. 4.

(*c*) Idem ibid.

(*d*) Idem ibid. Serm. 178. alias 19. n. 10.

Recte igitur ac ſapienter ſequentes duas Propoſitiones, quas protulerant quidam Moralis diſciplinæ corruptores, damnavit Clerus Gallicanus in Comitiis ſuis generalibus an. 1700.

Propoſitio LXXXVI.

Attritio ex gehennæ metu ſufficit ſine ulla Dei dilectione, ſine ulla ad Deum offenſum reſpectu: quia talis honeſta & ſupernaturalis eſt.

CENSURA.

Hæc propoſitio, quæ a diſpoſitionibus neceſſariis ad abſolutionem excluditur quilibet ad Deum offenſum reſpectus; temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, & in hæreſim inducit.

Propoſitio LXXXVII.

Concilium Tridentinum adeo expreſſe definivit, attritionem quæ non vivificet animam, quæque ſupponatur ſine amore Dei eſſe, ſufficere ad abſolutionem, ut anathema pronuntiet adverſus negantes.

CENSURA.

Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.

In celeberrimo illo cœtu non ſolum proſcriptæ fuere duæ illæ propoſitiones; ſed contraria etiam diſciplina ſtabilita eſt, cujus declarationem promulgavit ſuis additam Cenſuris, ut videre eſt in mandato promulgationis Eminentiſſimi Cardinalis de Noailles, Pariſienſis Archiepiſcopi, qui Comitiis præfuit (*e*).

(*e*) Pag. 45.

His additur, timorem hunc gehennæ qui ſervilis dicitur, non aliam habere cauſſam vel finem, quam ſui ipſius amorem ſeu cupiditatem, eumque quem peccati ſui ob ſolum gehennæ metum pœnitet, propriam tantum quietem atque delectationem ſibi proponere; ita ut, ſi abſque timore pœnæ in peccato vitam prorogare valeret, ex eo nullatenus commoveretur, atque in peccato tranquille maneret. Unde ſequitur, conceptam ex illo metu pœnitentiam eſſe falſam: *Tria quippe*, inquit antiquus Auctor apud S. Gregorium Magnum (*f*), *in unoquoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente: videlicet converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati. Quid enim prodeſt confiteri flagitia, qui corde non convertitur? Peccatum quod diligitur, confitendo minime deletur.*

(*f*) Apud S. Greg. in 1. Reg. 15. ad hæc verba: *Sed nunc honora me*, &c.

Conſtat igitur ex his auctoritatibus, hanc timoris ſpeciem omnino ſtare non poſſe cum propoſito neceſſario non peccandi de cetero, ſine quo nulla poteſt eſſe ſpes veniæ. Quid eſt enim bonum propoſitum, niſi bona voluntas? Et quid eſt bona voluntas, niſi caritas? *Quaſi vero aliud ſit bona voluntas, quam caritas*; inquit ſanctus Auguſtinus (*g*). Et etiam alibi (*h*): *Quid eſt enim boni cupiditas, niſi caritas?* Atqui bona illa voluntas, ſeu bonum propoſitum ab eo non poteſt oriri timore; quod unicum ejus objectum ſit malum pœnæ, non amor juſtitiæ. Quocirca de tali pœnitente idem ſit dicendum ac de homine, qui, cum tres habeat domos contiguas, mediam diruit, ut a primæ incendio tertiam eximat. Domum quidem hanc diruit, quia vult; ſed tamen eam conſervandi verum in animo retinet affectum, ſi alio modo eam ab incendio poſſet eximere. En germana peccatoris effigies; qui ſola damnationis æternæ formidine a peccato abſtinet & cum repugnantia & quaſi involuntarie. *Timor ergo ille ſervilis eſt, non .... juſtitia diligitur: ſed damnatio timetur*; inquit etiam ſanctus Auguſtinus (*i*). Prolixior forſan videbitur tractatio hujuſce rei, ſed eam invehit neceſſitatem temeraria quorumdam Caſuiſtarum doctrina, qui contrarium auſi ſunt aſſerere.

(*g*) S. Aug. L. 2. de grat. Chriſti & de peccat. orig. contra Pelagium & Celeſtium n. 22.

(*h*) Idem L. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum c. 9. ſeu n. 21.

(*i*) Idem l. de Spiritu & Littera. n. 59.

Denique cum Catechiſmo Concilii Tridentini (*K*) aſſerimus, dolorem ab aliquo de peccato cum delectatione admiſſo conceptum, non ob amorem Dei, ſed ſui ipſius, non veram eſſe pœnitentiam; ſed ſolum *quamdam commotionem & perturbati animi affectionem*; qui proinde dolor, cum naturalis ſit, non eſt ſufficiens ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento Pœnitentiæ, uti declaravit Innocentius XI. Decreto ſuo 2. Maii an. 1679. quo 65. propoſitiones Morales condemnavit, quarum quinquageſima ſeptima huic doctrinæ eſt contraria.

(*k*) Catech. Conc. Trid. part. 2. de Pœnit. Sacram. art. 2.

Igitur ad quæſtionem propoſitam præciſe reſpondentes concludimus, quod, ſi ſolo timore ſervili, hoc eſt, damnationis æternæ ad confeſſionem inductus eſt Hercules, invalida fuit ejus confeſſio; quandoquidem attritionis vicem gerere nequeat hujuſmodi timor. At ſi cum eo timore connexa fuerint odium peccati, propoſitum illius deinceps non admittendi, ſpes veniæ, & amor Dei ſaltem inchoatus; tunc exiſtimandum eum fuiſſe ſufficientem, ipſiuſque contritionem, licet imperfectam, virtute Sacramenti Pœnitentiæ fuiſſe perfectam.

CASUS IV.

Numquid valida eſt Gelaſii confeſſio, qui ſincero animi dolore, firmoque nullum deinceps mortale peccatum committendi, delicta confeſſus, de iis abſolutus eſt, quamvis nullam haberet voluntatem, impoſitam ſibi a Confeſſario pœnitentiam, licet æquam & poſſibilem, adimplendi?

RESPONSIO.

Invalida eſt Gelaſii confeſſio: nam, quamvis ſatisfactio actualis, hoc eſt, adimpletio pœnitentiæ non ſit requiſita ad eſſentiam, ſed tantum ad integritatem Sacramenti; quia illud jam perfectum ſatisfactio ſupponit per abſolutionem Sacerdotalem, quæ peccatorum remiſſionem & gratiam in pœnitente rite diſpoſito operatur; quod præcipuus eſt Sacramenti effectus: tamen deſiderium ſatisfaciendi Deo, illatamque ipſi per peccatum injuriam reſarciendi ad ejus eſſentiam ſpectat, quia ſincera & vera nequit eſſe contritio abſque hujuſmodi deſiderio.

Ratio eſt, quia peccator delictum ſuum habere ſolummodo non debet, uti injuriam Deo a ſe illatam, ſed uti offenſam, quæ convenienti dumtaxat ſatisfactione reparari debet, & quam eum per inflictionem pœnæ aliquatenus compenſare neceſſe eſt. Unde S. Auguſtinus (*l*): *Quid eſt enim*, inquit, *pœnitentia, niſi ſua in ſe ipſum iracundia?* Et alibi (*m*): *Omnis homo quem pœnitet, ſibi iraſcitur: pœnitentia iram exercet in ſe.*

(*l*) S. Aug. ſerm. 19. alias 4. ex Sirmund. n. 2.

(*m*) Idem ſerm. 396. alias 306. de diverſis. n. 10.

CASUS V.

Duo quidam adoleſcentes Theologi, dum inter ſe de hac quæſtione diſceptarent, num videli-

cet

cat neceſſe ſit, ut contritio interior, quæ eſſentialis eſt Sacramento Pœnitentiæ, exterius a pœnitente manifeſtetur; in oppoſitas abiere ſententias; altero affirmante, altero negante: cui jus?

R E S P O N S.

Certum eſt, ad validitatem Sacramenti non ſufficere interiorem contritionem, etiam perfectam, ſed exteriorem etiam requiri, hoc eſt, quæ ad extra ſigno aliquo ſenſibili manifeſtetur, ut duabus iſtis evinci poteſt rationibus: prima eſt; quia per modum judicii adminiſtratur Sacramentum Pœnitentiæ: *Abſolutio Sacerdotis*, inquit Concilium Tridentinum (a), *non eſt ſolum nudum miniſterium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut a Judice, ſententia pronuntiatur*. Atqui a Judice non profertur ſententia vel abſolutoria, vel damnatoria; niſi cauſſa cognita. Neceſſe eſt igitur, ut Sacerdos, pœnitentis Judex conſtitutus, cognoſcat, num is quem vult abſolvere, contritionem habeat: quæ, cum ſit animi gratia adjutus motus interior, Sacerdoti nota eſſe non poteſt abſque aliquo externo & ſenſibili pœnitentis ſigno. Secunda eſt: quia, cum Sacramenta ſint, *invifibilis gratiæ viſibilis forma* (b), ut loquitur Magiſter ſententiarum; valida eſſe nequeunt, niſi materia eorum & forma ſenſu percipi queant, quia ut ait ſanctus Thomas (c): *Signum importat aliquod notum quoad nos, quo manu ducimur in alterius cognitionem*. Atqui ex Concilio Tridentino in reſponſione ſecundi caſus ſuperius laudato (d), contritio in Sacramento Pœnitentiæ locum habet materiæ proximæ, uti peccata accuſata in confeſſione materiæ remotæ: omnino neceſſe eſt igitur, ut eam pœnitens aliquibus ſignis externis manifeſtet, quorum utiliſſimum eſt exercitium operum pœnitentiæ, quæ jam amplexus eſt, & quæ ſe deinceps amplexurum promittit; quantam videlicet Confeſſario id neceſſarium videbitur, ut debitam peccatis ſuis pœnam luat.

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 6. & can. 9.

(b) Magiſt. Sentent. l. 4. diſt. 1.

(c) S. Th. in 4. cit. diſt. 1. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 2.

(d) Calixtus 2. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ in Can. *Nullus*. 7. 9. q. 3. ſup. cit.

C A S U S VI.

(1) N U M Q U I D valida eſt Franciſci Pariſienſis Diœceſani confeſſio, qui apud Vicarium Diœceſis Bellovacenſis peccata depoſuit, quamvis Sacerdos iſte ab Epiſcopo ſuo Bellovacenſi ſit tantum approbatus?

R E S P O N S.

Invalida eſt illa confeſſio. Ratio eſt, quia Sacerdoti collata ab Epiſcopo per approbationem poteſtas, ad ſolos ejus Diœceſanos extendi poteſt, cum Epiſcopus ipſe nullam in alterius Epiſcopi juriſdictionem habeat; cum ne ipſe quidem Metropolitanus in Suffraganeorum ſuorum Diœceſanos talem habeat juriſdictionem (e) extra caſum appellationis, quæ in hac materia locum non habet, ut in ſequenti caſu patebit. Quando igitur *nemo poteſt*, ex hac juris regula (f), *plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur*: Vicarius ille ab Epiſcopo Bellovacenſi approbatus neque accepit, neque accipere potuit juriſdictionem, quæ ſe ad Diœceſanos Pariſienſes extendat. Quocirca dicendum, abſolutionem quam nec approbante nec permittente Archiepiſcopo Pariſienſi, Franciſco contulit, invalidam eſſe, conformiter ad hanc aliam Bonifacii VIII. regulam: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*.

(e) Bonifac. VIII. in Reg. 79. de regulis juris in 6.

(f) Idem in Reg. 64. ibid.

Confirmatur hæc deciſio ex Decreto Concilii Tridentini, quod invalidas declarat abſolutiones a Sacerdotibus collatas, qui cum Parochiale Beneficium non habeant, ab Epiſcopo Diœceſano eorum qui abſolvuntur, non fuere admiſſi: *Decernit ſacroſancta Synodus*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *nullum, etiam regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen ..... idoneus judicetur, & approbationem ..... obtineat*. Quod confirmavit Gregorius XV. ex Bulla ſua 18. 5. Februar. an. 1522. (g).

(g) Greg. XV. in Bulla *Inſcrutabili*. 2. & 4.

C A S U S VII.

F L O R E N T I U S, Sacerdos admiſſus ad confeſſiones audiendas in Diœceſi Pariſienſi, a Parocho ſancti Severini tamquam Confeſſor manſionarius ſuſcipitur. Cum autem in Confeſſionario adeſſet, non minus Parochianos ſancti Stephani & ſancti Andreæ, quam ſancti Severini audit & abſolvit. Numquid validæ ſunt hujuſmodi abſolutiones?

Ratio dubitandi eſt, quia admiſſioni ab Epiſcopo ſuo ipſi conceſſæ appoſita eſt clauſula *de conſenſu Parochorum*, quæ intelligi poteſt de Parochis pœnitentium; quo in caſu dici poteſt, quod cum Florentius Parochorum ſancti Stephani & ſancti Andreæ conſenſum non obtinuerit, eorum Parochianos valide nequit abſolvere. Dici poteſt contra, quod clauſula illa ſolum intelligenda eſt de Parochis, in quorum Parœciis Sacerdos confeſſiones audit: unde cum Florentius, non niſi de conſenſu Parochi ſancti Severini confeſſiones excipiat, abſolutiones collatæ alienis Parochianis ſunt validæ.

R E S P O N S.

Certum eſt clauſulam, *de conſenſu Parochorum* quam vulgo admiſſionibus opponunt Epiſcopi, intelligendam eſſe, non ſolum de Parochis in quorum Eccleſiis Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrat Sacerdos; ſed etiam de Parochis pœnitentium quibus adminiſtratur: quocirca ſi Florentius Parochorum ſancti Stephani & ſancti Andreæ conſenſum non habeat, valide abſolvere nequit eorum Parochianos, qui aliunde ipſi non obtinuere veniam confitendi in Parochia ſancti Severini.

Ratio eſt, quia Florentius nullam poteſt conferre abſolutionem validam, niſi juriſdictionem habeat in eos quibus eam confert, ut docet Concilium Tridentinum (h): *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit; & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinarium aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*. Atqui nullam habet juriſdictionem in Parochianos ſancti Stephani & ſancti Andreæ; nam juriſdictio ipſi a Parocho ſancti Severini collata, ad ſolos ſuos Parochianos extenditur, quippe qui ipſe nullam habeat in Parochianos aliorum: Inſuper eam quoque juriſdictionem ei non contulit Epiſcopus, cum eum ad confeſſiones audiendas de conſenſu dumtaxat Parochorum admiſerit: igitur abſolutiones ab iſto Confeſſario in alienos Parochianos prolatæ ſunt invalidæ, ob defectum juriſdictionis, qui hac in re omnium eſt in Confeſſario maximus.

(h) Idem cit. ſeſſ. 14. c. 7.

Confirmari poteſt iterum hæc Deciſio ex Concilio œcumenico Lateranenſi an. 1215. ſub Innocentio III. habitum, cujus Decretum eſt hujuſmodi (i): *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſſa ſua confiteri peccata; licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit abſolvere*. Ex quo conſtat, Florentium valide non potuiſſe quemquam abſolvere ex Parochianis ſancti Stephani & ſancti Andreæ, in quos a propriis eorum Parochis nullam ipſe juriſdictionem accepit. Illud conſentit cum iſtis novi Ritualis Pariſienſis verbis (K): *Qui in loco quocumque, ſive exempto, ſive non exempto conatur non ſubditos abſolvere, eos decipiunt*; & paullo poſt: *Confeſſarius inquirat, an ſit Parochianus ſuus ..... eum non poſſit abſolvere, nec audire in confeſſione alios a ſuis Parochianis, niſi ex conſenſu Parochi pœnitentium*.

(i) Concil. Lateranenſ. 4. ſub Innoc. III. in Cap. *Omnis*. 12. de pœnit. & remiſſ. l. 5. t. t. 38.

(K) Ritual. Pariſ. nov. de Sacram. pœn.

Advertendum hac de re 1. nos non loqui de confeſſionibus quæ fiunt in aliorum Parœciis *peregrinationis cauſſa*; tum enim cenſentur Parochi conſenſum ſuum reciproce Parochianis ſuis præbere, ut in loco peregrinationis ſuæ peccata confiteantur: quod confirmat univerſalis Eccleſiæ uſus. 2. Si deciſioni noſtræ contrarius eſſet alicujus Diœceſis uſus, cui cognito non intercederet Epiſcopus tum aliorum Parochianorum confeſſiones hujuſmodi Sacerdoti factas fore validas ob tacitum Epiſcopi conſenſum, qui cenſeretur ſufficientem in hujuſmodi Pœnitentes juriſdictione huic Confeſſario conferre.

C A S U S VIII.

H E L E N A, certo ſciens Parochum ſuum eſſe hæreticum, eumque confeſſione abuti, ut ad peccatum quaſdam ſibi confitentes perſonas inducat, quærit, utrum proprio Parocho non valens peccata confiteri abſque

(1) Vid. *Mend. Pontaſ.* Obſerv. IV. Num. XI.

abſque periculo ſeductionis, Paſchali tempore alium ad confeſſionem poſſit adire Parochum quamvis hanc ſibi proprius Parochus facultatem concedere noluerit.

R E S P O N S.

Quæſtionem hanc ſolvit S. Thomas dicens (a): *In caſibus illis in quibus probabiliter timet pœnitens periculum ſibi, vel Sacerdoti ex confeſſione eſſe facta, debet recurrere ad Superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi: quod ſi licentiam habere non poſſit, idem eſt judicium, quod de illo, qui non habet copiam Sacerdotis .... Nec in hoc tranſgreditur aliquis præceptum Eccleſiæ, quia præcepta juris poſitivi non ſe extendunt ultra intentionem præcipientis, quæ eſt finis præcepti: hæc autem eſt caritas ſecundum Apoſtolum. Nec iterum fit aliqua injuria Sacerdoti; quia privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate.* Ita ſanctus Doctor, ex cujus doctrina Helena abſque ullo peccato confeſſionem ſuam Paſchalem ad aliud tempus poteſt remittere, ſi a proprio Parocho aut a Superiore veniam obtinere non poſſit confitendi alteri Sacerdoti; quod quidem propria auctoritate non poteſt. Exiſtimat tamen Paludanus, quod ſi talis Parochus facultatem concedere noluerit, nec facilis ſit ad Superiorem recurſus; *ex hoc ipſo*, inquit (b), *ad extraneum ire licet*. Sed præterquam quod ab eo diſſentit Angelicus Doctor, Franciſcus a Victoria, Cajetanus, Suarez, Medina, Melchior Canus, Navarrus, Reginaldus (c) & alii Theologi ejus opinionem rejiciunt, ac ſententiam ſancti Thomæ quæ Eccleſiæ doctrinæ hac in re congruit, amplectuntur; ut conſtat ex his decreti concilii Lateranenſis terminis (d): *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſſa ſua confiteri peccata: licentiam poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote: cum aliter ipſe illum non poſſit abſolvere, vel ligare.*

(a) S. Th. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 3.

(b) Petrus Palud. in 4. diſt. 17. q. 1. §. Quantum ad tertium art. Primum.

(c) Franc. a Victoria de Sacr. n. 145. Cajetan. v. Abſolutio ex parte abſolventis. Medin. in cod. de Confeſſ. q. 30. Suarez tom. 4. diſput. 27. ſect. 4. n. 20. & 23. Canus in releſt. de pœnit. p. 6. Dom. Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 3. Navarr. in Can. *Placuit*. de pœnit. diſt. 6. n. 141. Reginald. Praxis fori pœnit. l. 1. n. 15.

(d) Innoc. III. Conc. Lateran. Can. 21. relato in Cap. *Utriuſque ſexus*. 12. de pœnit. & remiſſ. lib. 5. tit. 38.

C A S U S IX.

MARCELLINUS, ſancti Celſi Parochus, tres quos e viema Parœcia noverat eſſe pœnitentes confeſſus eſt. Numquid eos, ſaltem valide, confiteri potuit abſque conſenſu proprii eorum Parochi propter ordinariam quæ cuilibet Parocho competit, juriſdictionem?

R E S P O N S.

Ex allatis in præcedenti reſponſione auctoritatibus ſatis ſuperque conſtat, Marcellinum tres perſonas de quibus agitur in propoſito caſu, valide abſolvere non potuiſſe (e): nam ex curato ſancti Celſi Beneficio quod poſſidet, in ſolos ſuos Parochianos juriſdictionem habet, cum aliarum Parœciarum incolæ non ſint ipſius ſubditi; quod tamen ad juriſdictionem requiritur. Hic eſt ab Urbano II. ordo conſtitutus, qui perverti nequit abſque ſcandalo, periculoque animarum.

Deciſionem hanc adſtruit Navarrus (f), atque iſto D. Thomæ fulcitur principio (g): *De neceſſitate hujus Sacramenti eſt*, inquit Angelicus Doctor, *non ſolum, ut Miniſter habeat ordinem ... ſed etiam quod habeat juriſdictionem: & ideo, ſicut ille qui non eſt Sacerdos, non poteſt hoc Sacramentum conferre; ita nec ille qui non habet juriſdictionem: & propter hoc oportet, ſicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti, confeſſionem fieri*. Quod probat hic Sanctus ex hac ratione e Magiſtro Sententiarum deſumta (h): *Ligant quoque Sacerdotes, dum ſatisfactionem pœnitentibus confitentibus imponunt*. Quæ quidem ratio apud ſanctum Doctorem ſic vertitur: *Cum enim Sacerdos non abſolvat, niſi ligando ad aliquid faciendum; ille ſolus poteſt abſolvere, qui poteſt per imperium ad aliquid faciendum ligare*. Si qua tamen eſſet in aliqua Diœceſi conſuetudo contraria ab Epiſcopo cognita & tolerata, dici non poſſet hujuſmodi confeſſiones eſſe invalidas. Vide præcedentem ſolutionem.

(e) Lud. Bail. de ſumm. Confeſſ. part. 3. præfat. pag. 313.

(f) Navarr. in C. *Placuit*. de pœnit. diſt. 6. n. 27.

(g) S. Th. in 4. diſt. 17. qu. 3. art. 3. quæſtiunc. 2. in corp. & diſt. 19. q. 1. art. 3. q. 1. ad 1.

(h) Mag. Sent. lib. 4. diſt. 18.

C A S U S X.

ADEMERUS, ſancti Florentii in Andegavenſi Diœceſi Parochus, cum peregrinationis cauſſa ad fanum ſanctæ Clotildis in Rotomagenſi Diœceſi ſitum una cum Gaſtone & Julio Parochianis ſuis ſe contuliſſet, eorum confeſſiones in hoc ultimo loco excepit. Numquid id ipſum valide potuit?

R E S P O N S.

Videtur hujuſmodi confeſſiones ab Ademero, licet extra Diœceſim Andevagenſem exceptas, haberi poſſe tamquam legitimas & validas. Ratio eſt, quia cum Parocho cuilibet competat ordinaria in Parochianos ſuos juriſdictio, eam jure ubicumque ſit, exercere poteſt; uti videlicet juriſdictionem ſuam voluntariam exercere poteſt Epiſcopus, etiam extra Diœceſim; cum territorium tantum contentioſa exigat. Addimus etiam, nullo Canone, nulla lege eccleſiaſtica cogi Parochos ad exercendam in loco determinato juriſdictionem quæ ipſis in foro Pœnitentiæ competit. Fatendum tamen, diſciplinæ magis convenire, & ad conſcientiam tutius eſſe, ut Parochus extra propriam Diœceſim ab audiendis Parochianorum ſuorum confeſſionibus abſtineat; niſi de licentia Epiſcopi fiat, in cujus Diœceſi verſatur (i); quod ex tali uſu aliquod poſſet oriri ſcandalum.

(i) Theolog. moral. Gratianop. tom. 4. tract. 6. cap. 8. Idem 30. De Ste. Beuve &c.

C A S U S XI.

AMABILIS, Sacerdos regularis, generatim approbatus ad audiendas confeſſiones in tota Pariſienſi Diœceſi, Noviodunum peregrinationis cauſſa ſe contulit cum Antonio, ſolito ſuo pœnitenti, ac Diœceſano Pariſino, ibique vi ſuæ in eum juriſdictionis confeſſionem excepit. Numquid valida eſt hæc confeſſio?

R E S P O N S.

Conſtat, Amabilem in caſu propoſito Antonii confeſſionem non valide excepiſſe: quod facile probari poteſt 1. ex Conſtitutione Clementis V. in Viennenſi Delphinatus Concilio an. 1311. lata, quæ ſic habet (k): *Magiſtri, Priores, Provinciales & Miniſtri Ordinum Prædicatorum eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, modeſtas atque peritas ad tam ſalubre miniſterium & officium exſequendum; quas ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant repræſentari Prælatis; & de eorum licentia, gratia & beneplacito in civitatibus & Diœceſibus eorumdem hujuſmodi perſonæ ſic electæ, confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant, imponant pœnitentias ſalutares, & beneficium abſolutionis in poſterum impendant .... extra civitates & Diœceſes in quibus fuerint deputatæ, ... confeſſiones nullatenus audituræ*. Hæc ſunt hujuſce Conſtitutionis propria verba. Idem docet ſanctus Antoninus (l), uti Silveſter (m).

(k) Clement. *Dudum*. 2. de Sepulturis. lib. 3. tit. 7.

2. Probari poteſt hæc eadem veritas ex formali Clementis X. deciſione in Bulla ſua ſeptima 22. Junii an. 1670. (n) in qua ſic loquitur hic ſummus Pontifex. *Hac generali & perpetuo valitura Conſtitutione decernimus & declaramus .... Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis Pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, a qua ipſi Religioſi jam fuerant approbati*. Ex quo manifeſte ſequitur Amabilem nec licite nec valide Antonii confeſſionem excipere potuiſſe Novioduni, abſque expreſſa illius urbis Epiſcopi licentia.

(l) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 10. cap. 10.

(m) Silveſter de Prelatio. v *Confeſſor*. 1. q. 14.

(n) Clem. X. in Bulla ſeptima. §. 2. & 4.

C A S U S XII.

AMÆDEUS, Sacerdos ab Epiſcopo approbatus ad confeſſiones audiendas, & in Parœcia Silvanectenſi, ubi jam a decennio confitetur, manſionarius; cum ad beatam Virginem Carnutenſem cum duobus civibus Silvanecti pœnitentibus ſuis, piæ peregrinationis gratia ſe contuliſſet; eo ipſo quo Carnutum pervenere, die confeſſiones eorum excepit, etſi ab Epiſcopo Carnutenſi ad confeſſiones non eſſet admiſſus: nonne id ipſum valida potuit?

R E S P O N S.

Exiſtimamus, Amædeum duos pœnitentes ſuos in caſu propoſito valide abſolvere potuiſſe. Nititur hæc deciſio 1. auctoritate ſancti Antonini (a), qui aſſerit, Sacerdotem qui ordinariam habet, ut Parochi,

(a) S. Anton. in Sum. Confeſſionali. 1. part. de auctor. Confeſs. c. 1.

rochi, vel delegatam juriſdictionem, hujuſmodi pœnitentes valide abſolvere poſſe; nulla habita alieni, in quo verſatur, territorii ratione. *Abſolutio*, inquit, *non recipit territorium, ſicut alia ratione rei, vel delicti*. 2. Auctoritate Paludani, qui ante S. Archiepiſcopum ejus ſequacem ſcripſit, & ait (*a*): *Si Epiſcopus det poteſtatem alicui in omnes ſuæ Diœceſis, & iſte inveniat extra Diœceſim aliquem volentem confiteri, poteſt eum abſolvere*: cujus quidem rei hanc profert rationem: *Omnem enim abſolutionem*, inquit hic Theologus, *quam aliquis per ſe ipſum poteſt impendere in foro conſcientiæ jure ordinario, poteſt alteri committere; cum unde ibi poſſet per ſe confeſſionem audire* (committens videlicet Epiſcopus) .... *per conſequens & per alium*, (nimirum per Sacerdotem admiſſum): quod probat hic Auctor ex Decretali Innocentii III. (*b*) quæ nullatenus locum exprimit, in quo fieri debeat confeſſio: *Unde dicit Canſtatatia*: Si quis alieno ſacerdoti voluerit confiteri, licentiam petat a proprio &c. *Nec dicit in propria Parochia. Unde non requiritur, quod confeſſio quæ fit alicui Sacerdoti, fiat in propria Parochia.*

Poſtea ſibi objicit hic Auctor, non videri, quod talis Confeſſarius conceſſam ſibi ab Epiſcopo ſuo poteſtatem jure poſſit exercere in territorio alterius Epiſcopi: cui objectioni reſpondet, talem Confeſſarium tum miniſterio ſuo non fungi ratione territorii, ſeu proprii, ſeu alieni; ſed ratione poteſtatis ab Epiſcopo ſuo ſibi conceſſæ in ſubditam perſonam: *Sed dico idem*, inquit, *quia ſi Prætor litis, qui alienam juriſdictionem exſequitur, non tamen pro ſuo imperio agit. Unde non ratione ſubjectionis loci hoc facit, ſed ſolum ratione ſubjectionis perſonæ; ſicut committens jure ſuo ibi poſſet audire, ubi tamen nihil poteſt in locum, ſed in perſonam ſolum.*

Attamen ad prudentiam ſpectat bonumque ordinem, ut Confeſſor, qualis eſt Amædeus, ea poteſtate non utatur in loco profano & ſecreto, neque etiam in loco ſacro & publico, ante obtentum conſenſum Superioris legitimi Eccleſiæ illius, ubi Confeſſiones audire vellet; cum ex ejus ſuſcepto ſcandalum poſſet oriri, jure videlicet contradicente illo Superiore, ne in ſua confeſſione exciperet Eccleſia; licet aliunde nota eſſent capacitas ejus & probi mores; præſertim donec conceſſam a Silvanectenſi Epiſcopo admiſſionem ejus noverit.

CASUS XIII.

Gabriel, Pariſienſis Diœceſanus, cum Aureliæ per decem duodecimve dies apud Parochum amicum ſuum commorari feſtis diebus Pentecoſtes ſtatuiſſet; ibidem pie confiteri peccata voluit. Numquid valida eſt ejus confeſſio?

Respons.

Valida eſt, ac licita Gabrielis confeſſio. *Vagabundi, viatores, mercatores, peregrini*, inquit Sylvius (*c*) *poſſunt confiteri Parocho, ſeu coadjutoribus illius Parochi, ubi ſe inveniunt tempore confeſſionis*: laudatiſque novem pro opinione ſua Auctoribus hanc ejus rei ſubjungit rationem: *Cum enim rationabile ſit*, inquit, *ut ejuſmodi propter occaſiones & pericula poſſint fieri participes Sacramentorum, Confeſſariis apud quos ſe inveniunt, ſortiuntur poteſtatem in eos delegatam, partim ex conceſſione Eugenii IV. de qua meminit Cajetanus, partim ex conſuetudine per Superiores Eccleſiaſticos ſcita & permiſſa.*

Quod pertinet ad ſpecialem, quam in his caſibus fecit Eugenius IV. conceſſionem, etiam pro tempore Paſchali, de ea ſic loquitur Cajetanus (*d*): *Memini alias me legiſſe, Eugenium IV. conceſſiſſe, ſeu declaraſſe vivæ vocis oraculo, viatores, ubi ſe invenerint in Paſchate, cenſendos tamquam adeptos incolatum, quoad Sacramentu Pœnitentiæ & Euchariſtiæ*. Unde colligi poteſt, a fortiori viatorem extra Paſchale tempus eo in loco confiteri poſſe, ubi commoratur; cum requiſita ad audiendas confeſſiones Paſchali tempore juriſdictio majoris ſit neceſſitatis, quam quocumque alio tempore.

CASUS XIV.

Chrysostomus, Religioſus Mendicans, infracto paupertatis voto, admiſſam, quod non audet apud Confeſſores Monaſterii, apud ſæcularem Confeſſarium ab Epiſcopo Diœceſano approbatum, peccatum confitetur, non requiſita prius Superioris ſui licentia. Numquid valida eſt ejus confeſſio.

(*a*) Petrus Palud. in 4. diſt. 19. qu. 2. art. 3. concl. 3.

(*b*) Innoc. III in Cap. Omnis. 12. de Pœnit. & remiſſ. lib. 5. tit. 38.

(*c*) Sylvius in Supplem. 3. part. Sum. S. Thom. q. 8. art. 5. quæſit. 4. concluſ. 5.

(*d*) Thom. de Vio. Card. Cajet. in Sum. v. Abſolutio.

Respons.

Invalida eſt Chryſoſtomi Confeſſio facta Sacerdoti ſæculari in fraudem juriſdictionis Superioris ſui regularis. Ratio eſt, quia non poteſt Religioſus privatus privilegio ſuo renuntiare, quo a Religioſis ſui dumtaxat Ordinis, a Superiore nominatis abſolvi poteſt. 1. Quia Diœceſanus Epiſcopus in eam rem non eſt ipſius Superior, cum agatur de regulari diſciplina; ſed Superiores ipſi ſunt loco Ordinarii. 2. Quia privilegium illud non ad unum ſolum Religioſum pertinet ſingulariter, ſed ad totum Ordinem, cujus juribus privata nequit auctoritate derogare; quod quidem Clericorum ſæcularium exemplo probari poteſt: nam privatus Clericus Beneficio fori eccleſiaſtici in re pure Eccleſiaſtica renuntiare non poteſt; cum non hujus ſpeciatim Clerici ſit hujuſmodi privilegium, ſed omnium generatim Clericorum; uti declarat Innocentius III. in Decretali ad Epiſcopum Piſanum, quam ex multis ab ipſo laudatis firmat Conciliis (*e*): quod etiam probat Gloſſa (*f*): eaque Juriſprudentia in Galliæ Regno obſervatur, ut docet Cabaſſutius (*g*) ex teſtimonio Moroacii (*h*) qui eamdem probat regulam non ſolum ex dicta modo Decretali, ſed inſuper ex duobus antiquis Conciliis: En ipſius verba: *Concilio Toletano 3. Can. 13. Concilio pariter Carthaginenſi 2. Can. 9. Item Cap.* Si diligenti, *de foro comp. ſancitur Clericum non poſſe Beneficio fori eccleſiaſtici renuntiare .... Cum non ſit Beneficium perſonale cui renuntiari valeat, ſed toti Clericali Collegio ſit indultum, cui privatorum pactione, derogari non poſſit; & iſtud ſervari in Gallia teſtatur Mornacius*. Hinc facile concluditur, Religioſum pariter Privilegia Ordinis ſui non poſſe renunriare, quo Religioſus quilibet peccata confiteri non poſſet Sacerdoti ſæculari, ſed ſolum Confeſſoribus Regularibus Monaſterii aut conventus, in quo habitat. Id quoque verbis expreſſis docet idem Canoniſta (*i*).

CASUS XV.

Ex Bulla Jubilæi, quæ Pariſiis promulgata eſt, expreſſe conſtitutum, ut, qui illum optaverint lucrari, peccata ſua in confeſſione neceſſario debeant accuſare apud Sacerdotem ſæcularem, aut regularem, e numero eorum quos approbaverit Ordinarius. Paullus ſuburbanus incola Parocho ſuo confeſſus eſt, & aliunde injuncta ex eadem Bulla pia opera adimplevit. Nonne Jubilæi indulgentiam lucratus eſt; licet non confeſſus fuerit Sacerdoti ex eorum numero, quos ad audiendas confeſſiones approbavit Epiſcopus?

Respons.

Paullus in caſu propoſito haud dubie Jubilæum lucratus eſt; quia conſtituens ſummus Pontifex, ut approbatis tantum ab Ordinario loci Confeſſoribus fiant confeſſiones, ſimplices dumtaxat ab iis audiendis Sacerdotes non approbatos excludit, non vero Parochos. Quandoquidem vi ſui tituli magis approbati cenſeantur, quam qui ex licentia tantum & ſine titulo fuerint admiſſi; cum his delegata tantum, Parochis vero ordinaria competat juriſdictio in omnes ſuos Parochianos, quibus omnia jure ac titulo Paſtoris Sacramenta poſſunt adminiſtrare, abſque licentia vel Papæ, vel Epiſcopi, ut conſtat ex Concilio Tridentino (*k*). Ita difficultatem hanc ſibi propoſitam occaſione Jubilæi ab Alexandro VII. 11. Julii an. 1656. conceſſi ſolvit inſignis Theologus, cujus deciſiones promulgatæ fuerunt (*l*).

CASUS XVI.

Cum ſibi invicem omnino finitimæ ſint Eccleſiæ S. Leufridi & S. Martini; unam tantum Jubilæi ſtationem pro duabus in Eccleſia S. Leufridi deſignare opportunum duxit Epiſcopus. Cum vero ex uſu in tota Diœceſi recepto, quoslibet Diœceſanos quilibet poſſit abſolvere Parochus; propria auctoritate S. Martini Curatus multos ſuos Parochianos, nec non etiam S. Leufridi Parochianos non

(*e*) Innoc. III. in Cap. Si diligenti. 12. de foro competenti. l. 2. tit. 2.

(*f*) Gloſſa in cit. Cap. Si diligenti. v. Pacto. & in Cap. Dilecti. 17. eodem tit. v. Qu, ccrto loco.

(*g*) Joan. Caball. juris Can. Theor. prax. l. 4. c. 2. n. 10.

(*h*) Mornacius in lege Si judex ff. de capite minutis.

(*i*) Caball. l. 3. c. 8. n. 10.

(*k*) Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.

(*l*) De Ste. Beuve.

Digitized by Google

non requiſita prius ab eorum Parocho venia, in hac ultima Eccleſia confitentes audivit. Qua de re quæritur, utrum confeſſiones incolarum ſancti Leufſridi quas audivit Parochus ſancti Martini, ſint validæ, licitæ & ſufficientes ad effectum Jubilæi?

R e s p o n s.

Jam in reſponſione ad proximum caſum diximus, Parochum quemlibet ad confeſſiones audiendas vi ſuæ inſtitutionis eſſe admiſſum. Unde ſequitur, quod, quamvis in Eccleſia ſancti Leuffridi abſque conſenſu Parochi illius Eccleſiæ aut Epiſcopi, confeſſiones audierit Parochus ſancti Martini; validæ ſunt tamen, quas audivit, confeſſiones, & Parochianis ſancti Leuffridi ad effectum Jubilæi ſufficientes; modo cetera quæ Bulla præſcribit, religioſe adimpleant: verum eſt tamen confeſſiones illas non eſſe licitas ex parte Parochi; quia in aliena Eccleſia abſque tacito ſaltem conſenſu Titularis illius Eccleſiæ confiteri non potuit ſine peccato; cum in propria dumtaxat Parœcia & non alibi ſacramenta adminiſtrare valeat prætermiſſo Superioris loci illius conſenſu, aut abſque Epiſcopi licentia.

Advertere juvat heic tantum agi de Parocho, qui actu ſuum retinet Beneficium; neque enim ſi ejus eſſet Titularis legitimus, jam approbatus, etiam tempore Jubilæi non cenſeretur, ut docet Sylvius (*a*), poſt ſex alios quos laudat, Auctores, qui rem iſtam adſtruunt ex his Tridentini Concilii verbis (*b*): *Niſi aut Parochiale Beneficium obtineat &c.* loquentis tempore præſenti, non vero præterito, *obtinuerit*.

(*a*) Sylvius Reſol. var. v. *Religioſus*. & apud eum Barboſa ad ſeſſ. 23. Conc. Trid. c. 15. n. 27. & 21. & de officio Parochi. c. 10. n. 6. Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 4. n. 20. & alii.

(*b*) Conc. Trid. cit. ſeſſ. 23. c. 15.

C A S U S XVII.

G e r a s i m u s, Sacerdos ad audiendas in tota Diœceſi confeſſiones approbatus cum ſolita clauſula *de Parochorum conſenſu*, tempore Jubilæi multas in confeſſione Religioſas audivit abſque ſpeciali Epiſcopi mandato. Num id ipſum potuit valide & licite?

R e s p o n s.

Licet Geraſimo nulla competeret poteſtas illas Religioſas abſolvendi extra tempus Jubilæi præciſe vi ſuæ approbationis, ac ſpeciali in eam rem egerat mandato, ut alibi dicemus; certum eſt tamen, quod eas valide & licite tempore Jubilæi confiteri nec non abſolvere potuerit; ſeu Epiſcopi juriſdictioni ſubjaceant, ſeu ſint exemtæ. Ratio eſt, quia Papa Religioſas a communi, quam omnibus tum utriuſque ſexus fidelibus facit, poteſtate ſibi quem voluerint, confeſſarii eligendi non ſolet excludere; modo Confeſſarius ille ab Epiſcopo Diœceſano ſit approbatus. Difficultatem hanc 1. Junii an. 1641. ita ſolvit Sylvius (*c*): *Reſpondetur*, inquit, *Sacerdotem approbatum per totam Diœceſim, ut de conſenſu Paſtorum poſſit fidelium confeſſiones audire; poſſe Monialium ſive Epiſcopo ſubjectarum, ſive aliarum confeſſiones excipere tempore Jubilæi; extra vero illud tempus non poteſt, niſi aliter de Epiſcopi conſenſu illi conſtet*. Ejuſque rei hanc affert rationem: *Dum enim Epiſcopus requirit conſenſum Parochi fidelium, nequaquam putandus eſt loqui de Monialibus: cum Parochus ordinarie non ſit illarum Parochus, ſed potius a Parochi poteſtate ſint exemtæ*. Quod heic poſt Sylvium aſſerimus, intelligi debet de Confeſſariis, quos generatim & ſine exceptione approbavit Epiſcopus: nam ſi ad ſæcularium dumtaxat Confeſſiones audiendas ſit quis admiſſus, excluſis Monialibus, ut vulgo ſit Pariſiis; ne Jubilæi quidem tempore audiri poſſunt Monialium confeſſiones, niſi ſpeciali obtenta poteſtate.

(*c*) Fr. Sylvius reſolut. var. v. *Jubilæum*. 3. tom. 5. p. 520.

C A S U S XVIII.

C y p r i a n u s, quædam mortalia peccata confeſſus, præ verecundia quamdam non declaravit circumſtantiam, quæ novam peccati ſpeciem infert. V. gr. ſe ipſum accuſavit de commiſſa fornicatione cum Margarita, ſed ſuam eſſe patruelem noluit declarare. Numquid valida eſt ejus confeſſio?

R e s p o n s.

Priuſquam huic ſpeciatim difficultati reſpondeatur, illud tamquam certum præſupponendum eſt principium, ſeptem haſce circumſtantias (*d*), *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*; aut octo iſtas juxta ſanctum Raymundum (*e*) *quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando*; non ſolum gravius quandoque peccatum efficere poſſe, ſed novam etiam peccati ſpeciem includere, V. g. furari vas argenteum, eſt peccatum mortale, ſed ſi ſit Calix, aut vas aliud ſacrum, tum ſit ſacrilegium.

(*d*) Petr. Palud. in 4. diſt. 16.

(*e*) S. Raym. de Pennafort. in ſum. Theolog.

Iſto præſuppoſito, dicimus, Cypriani confeſſionem eſſe invalidam; cum pro duobus quæ admiſit, peccatis, fornicationis videlicet & inceſtus, unum tantum aperuerit, atque gravius, inceſtum nimirum celaverit: vel ut accuratius loquamur, non vere peccatum ſuum confitetur, quod dimidiatum accuſat, eam nimirum celando circumſtantiam, qua dignoſci poſſunt ſpecies ejus ac gravitas.

Facile probari poteſt hæc deciſio auctoritate S. Thomæ (*f*), qui a Gerardo Dominicano ita interrogatus, *An circumſtantias peccati trahentes in alterum genus non notabiliter aggravantes, teneatur homo confiteri, etiam innoteſcendo perſonam, cum qua peccaverit?* his verbis reſpondet: *Reſpondendum videtur, quod omnino debet has homo confiteri*: ſuamque reſponſionem ita confirmat: *Non enim homo confitetur peccatum ſuum; niſi ſpeciem confiteatur peccati, quæ cognoſci non poteſt, niſi per circumſtantias trahentes in aliud genus, ex quibus peccatum ſpecificatur .... Circumſtantiæ autem dicuntur in aliud genus trahere, quæ ſpecialem repugnantiam important ad aliquod præceptorum divinæ legis: ſicut furtum ſimplex repugnat huic præcepto*: Non furtum facies. *Si autem furtum in loco ſacro committatur, habet jam repugnantiam ad aliud præceptum, quod eſt de veneratione Sacrorum; & hic additur nova ſpecies peccati. Unde neceſſe eſt, quod addat aliam repugnantiam ad legem Dei, & ideo & novam deformitatem peccati mortalis habebit, quod ex neceſſitate confiteri tenebitur*. Idem docet Angelicus Doctor in multis aliis operibus ſuis (*g*).

(*f*) S. Th. opuſc. 62. q. 6.

Idem quoque expreſſe declarat Synodus Tridentina (*h*) his verbis: *Colligitur præterea*, inquiunt Patres Concilii, *etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant. Quod ſine illis peccata ipſa neque a Pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere*. Unde ob has rationes anathema profert illud Concilium (*i*) in eos, qui hujuſmodi circumſtantias confitendi neceſſitatem in dubium revocant.

(*g*) Idem in 4. diſt. 16. qu. 3. art. 2. quæſt. 5. in corp. & diſt. 41. q. 1. art. 4. quæſt. 5. in corp.

(*h*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

(*i*) Ibidem Can. 7.

Certum eſt igitur, quod ſi conſulto omittatur hujuſmodi circumſtantia; Confeſſio tum eſt invalida & ſacrilega; ut docet Catechiſmus Concilii Tridentini his verbis (*k*): *Neque ejuſmodi peccatorum enumeratio, confeſſionis nomine in qua Sacramenti ratio inſit, appellanda eſt; quia potius pœnitenti confeſſionem repetere eſt neceſſe, ſeque ipſum illius peccati reum facere, quod Sacramenti ſanctitatem ſimulatione confeſſionis violaverit*.

(*k*) Catech. Concil. Trid. de Pœnitent. Sacram. part. 2. §. 24.

C A S U S XIX.

Si C y p r i a n u s cum propria ſorore concubuiſſet, & ambo Confeſſori eſſent noti: numquid in Confeſſione ſua conſanguinitatis circumſtantiam illam patefacere teneretur ſub reatu peccati mortalis, nullitateque ſuæ Confeſſionis; cum id præſtare nequeat niſi propriam ſororem apud Confeſſarium infamando, ipſique etiam aliunde gravem injuriam inferendo; uti eveniret, ſi v. g. puella illa fratri Confeſſoris brevi nuptura eſſet?

R e s p o n s.

Pœnitens peccati ſui perſonam conſortem numquam proprio appellare debet nomine, cum ab eo declinare poteſt; quia præcepto caritatis prohibetur, ne quis alterius famam lædat: quare ſtricte obligatur, ſpeciem peccati ſui confiteri, non detegendo perſonam criminis ſui participem, ſi poſſit: ſi vero non poſſit; eam debet adire Confeſſorem,

cui

cui ea ſit incognita, ſi quem invenire poſſit. *De expreſſione autem perſonæ cum qua aliquis peccavit*, inquit S. Thomas, pari ſibi propoſitæ reſpondens difficultati (*a*), *videtur mihi, quod non ſit in confeſſione facienda, quando poteſt vitari: primo quidem, quia prodere crimen alterius & lædere famam, eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in confeſſione, per quam quis quærit peccata præterita delere. 2. Quia a Domino Matthæi 18. eſt forma denuntiandi peccatum proximi deſcripta, contra quam agere non licet .... & ideo ſi poteſt ſpeciem peccati confiteri, non innoteſcendo perſonam cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, niſi forte ſalvato correctionis ordine, quem Dominus ſtatuit .... Sed ſi fieri poteſt, debet quærere talem Confeſſorem, qui perſonam ſororis pœnitens non cognoſcat.* Sed ſi pœnitens ille alium tandem nequeat invenire Confeſſorem, qui ſororem ſuam non cognoſcat, neque ad aliud tempus confeſſionem ſuam differre, ſive quia de vita periclitatur, ſive ob aliam quamlibet rationem gravem; poteſt, immo & tenetur Confeſſori eam manifeſtare circumſtantiam, qua ipſi innoteſcit conſors criminis ſui; cum illa circumſtantia novam peccati ſpeciem includit, ut fit in ſpecie propoſita. *Si vero*, addit S. Thomas, *ſpeciem peccati exprimere non poſſit, niſi exprimendo perſonam cum qua peccavit, puta, ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt, ut exprimendo peccati ſpeciem, exprimat perſonam.* Hæc eſt Angelici Doctoris ſententia, quam ſequi tenetur Cyprianus. Hæc quoque addi poſſunt S. Bernardi verba (*b*): *De nullo prorſus ſiniſtre loquaris, quantumcumque ſit verum, vel manifeſtum: niſi in confeſſione; & hoc ubi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum.* Unde liquido conſtat, quod, cum declarari poſſit alienum peccatum in confeſſione quando aliter integra fieri nequit: ea etiam declaratio omitti non poſſit abſque ſacrilegii reatu, ea eo quod quis complicis perſonæ famam integram ſervare velit. Ita docet quoque S. Antoninus (*c*).

(*a*) S. Th. opuſc. 12. q. 6.

(*b*) S. Bernard. opuſc. de formula honeſtæ vitæ.

(*c*) S. Anton. 3. p. ſum. tit. 14. c. 19. §. 11.

CASUS XX.

Philologus Ludovicam ad fornicandum ſecum vi adegit: & aliquando poſt facta confeſſione fornicationem quidem ſuam accuſavit, ſed vis a ſe illatæ circumſtantiam reticuit. Numquid valida eſt ejus confeſſio?

Respons.

Antequam difficultati huic reſpondeatur, diverſæque peccatorum elucidentur circumſtantiæ: præſupponendum triplex eſſe circumſtantiarum genus, quæ peccatum augent ſeu aggravant.

Primum genus eſt earum, quæ peccati ſpeciem mutant, ut ſi quis peccaverit cum puella moniali, aut conſanguinea ſua, aut cum muliere conjugata: tum enim peccatum illud non eſt ſimplex fornicatio, ſed ſacrilegium in primo caſu: inceſtus in ſecundo: & adulterium in tertio; quæ peccata ſpecie differunt a ſimplici fornicatione. *Peccatum notum eſt aggravari per circumſtantiam*, inquit S. Thomas (*d*): *ſed hoc quidem contingit tripliciter. Uno quidem modo, in quantum circumſtantia transfert in aliud genus peccati, ſicut peccatum fornicationis conſiſtit in hoc, quod homo accedit ad non ſuam; ſi autem addatur hæc circumſtantia, ut illa ad quam accedit, ſit alterius uxor; transfertur jam in aliud genus peccati, ſcilicet in injuſtitiam, in quantum homo uſurpat alterius rem: & ſecundum hoc, adulterium eſt gravius peccatum, quam fornicatio.*

(*d*) S. Th. 1. 2. q. 73. art. 7. in corp.

Alterum genus eſt earum, quæ, quamvis peccati ſpeciem non immutent, ejus tamen numerum augent, tranſgreſſiones multiplicando, ut quando prodigus dat, non ſolum quando non debet, ſed etiam cui non debet. *Aliquando vero circumſtantia non aggravat peccatum*, addit S. Thomas, *quaſi trahens in aliud genus peccati: ſed ſolum quia multiplicat rationem peccati, ſicut ſi prodigus det, quando non debet, & cui non debet, multiplicius peccat eodem genere peccati, quam ſi ſolum det, cui non debet, & ex hoc ipſo peccatum fit gravius.*

Tertium denique earum eſt circumſtantiarum, quæ peccatum in eo aggravant, quod notabiliter ejus augeant difformitatem. V. g. rem alienam ſubripere eſt furtum, quod, nec ſpeciem mutando, nec tranſgreſſiones multiplicando fit gravius, cum major ſumma ſubripitur. *Tertio modo circumſtantia aggravat peccatum*, addit etiam idem S. Doctor, *ex eo quod auget deformitatem, provenientem ex alia circumſtantia, ut ſi multum accipiat de alieno, erit peccatum gravius: quamvis accipere multum vel parum, de ſe non dicat rationem boni vel mali.*

Sic expoſito triplici illo circumſtantiarum genere, ad propoſitam difficultatem reſpondetur, integram non fuiſſe Philologi confeſſionem omiſſa declaratione vis, quam Ludovicæ intulit; cum ipſius crimen longe gravius evaſerit ex tali vi, quam conſentiente puella illud admiſiſſet; omnis namque pœnitens, triplex circumſtantiarum genus hactenus relatum declarare tenetur in confeſſione, quam ſi aliter, uti invalidam iterare deberet. (*) Ratio eſt, quia Confeſſor in pœnitentiæ tribunali adſtat ſimul ut Judex & Medicus: ut Judex, quia ibi divinam obit juſtitiam: ut Medicus, quod peccatoris animæ morbis teneatur mederi. Ut autem Judicis ſimul & Medici functiones peragat, neceſſe eſt, ut perſpectam omnino habeat peccati, quanta ſit, malitiam; cum aliter æquum ferre judicium aut malis pœnitentis ſui mederi non poſſet. *Si enim erubeſcat ægrotus*, inquiunt Patres Tridentini (*e*), *vulnus Medico detegere, quod ignorat, Medicina non curat.* Hinc ad Epiſcopum quemdam ſcribens Innocentius III. (*f*) ipſum his verbis compellat: *Conſideratis circumſtantiis omnibus*, inquit ..... *competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire.* Hinc denique iſtud eſt Concilii Lateranenſis ſub eodem Papa habiti ſalutare monitum (*g*): *Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti Medici ſuperfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat illi præbere conſilium & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum* (*h*).

(*) Vide Caſ. 22.

(*e*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3.

(*f*) Innoc. III. in C. *Deus* 8. de pœnit. & remiſſ. lib. 5. tit. 38.

(*g*) Conc. Lateran. 4. in C. *Omnis*. 12. de pœnit. & remiſſ.

(*h*) De Genet. Theolog. Mor. tom. 4. tr. 6. c. 6. n. 2. Colloq. Condom. tom. 2. coll. 24. ſec. 3.

CASUS XXI.

Godefridus, Canonicus una cum aliis in choro pſallens, mulierem olim a ſe criminoſe cognitam intuitus, eam ad libidinem, ubi primum officii divini finis aderit, ſolicitare conſtituit. Numquid ex circumſtantia publicæ orationis mutatur ſpecies illius peccati, ita ut non modo contra caſtitatem, ſed etiam contra religionem peccet; eamque circumſtantiam, uti ſpeciale peccatum a pravo ſuo conſilio diverſum in confeſſione aperire teneatur?

Respons.

Neceſſario tenetur Godefridus ſpecialem illam Confeſſori aperire circumſtantiam; quia ea peccatum a pravo ſuo conſilio diverſum includit, quæque eſt contra virtutem religionis, qua Deo pie & ſincere reddere debitum honorem tenetur; quod non agit; cum contra, maximam irreverentiam aut deteſtabilem admittat hypocriſim, Deum labiis tantum orans, ſimulque ipſum criminoſe offendi conſilium animo formans. *Cum enim aliquis Deum vocabiliter orans*, inquit Sylvius (*i*), *ipſum offendit mortaliter, alicui pravæ voluntati aut odii, aut alterius peccati conſentiendo; in tali ejus peccato invenitur aliqua circumſtantia, mutans ſpeciem peccati. Atqui Eccleſiæ doctrina recepta eſt*, ſubjungit idem Auctor (*ut ex Concilio Tridentino* (*k*) *& aliunde conſtat*) *eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant. Ergo iſte ſic orans, & mortaliter peccans, tenetur eam circumſtantiam in confeſſione aperire.*

(*i*) Sylv. reſol. v. Oratio.

(*k*) Conc. Trid. cit. ſeſſ. 14. c. 5.

Sententiam ſuam probat hic Theologus auctoritate S. Thomæ (*l*), eamque confirmat ex ſancto Ambroſio & S. Chryſoſtomo, ex quorum doctrina homo, qualis eſſe ſupponitur Godefridus, præter mortale, cujus ex pravo ſuo deſiderio fit reus, ſpeciale etiam in Religionem admittit delictum, eique fit ſimilis ſubdito, qui a Rege gratiam petens, eidem inſultaret. En verba Sylvii: *Quis non judicet magnam fore irreverentiam, ſi quis principi ſuo loquatur, ob eoque petat aliquid; ac interim hoſtiliter ab eo avertatur & dorſum ei vertat? Ita vero ſe ad*

(*l*) S. Th. in 4. diſt. 16. qu. 3. art. 1. & 1. 2. qu. 18. art. 10. Scot. ibid. qu. 17. c. 4. n. 13.

Deum habet ille qui vocaliter ipſam orat, & iterum eum mortaliter offendat. Per peccatum enim mortale avertitur a Deo tamquam a fine ultimo; ipſique inimicus efficitur. Per talem ergo, ſic concludit, orationem valde ſe habet irreverenter ad Deum: ac per conſequens peccat notabiliter contra virtutem religionis.

CASUS XXII.

Christophorus, hactenus ebrietati, præſertim diebus dominicis, feſtiſque etiam ſolemnibus, in popina deditus, ubi cum ſuis æqualibus pleramque vino ſe ingurgitabat; ad meliorem denique frugem reverſus, Sacerdoti omnia vitæ ſuæ peccata confiteri decrevit. Numquid requiritur ad validitatem ſuæ confeſſionis, ut ſacrorum horum dierum circumſtantiam declaret?

Reſpons.

Cum præcipue Deo ejuſque cultui addicti ſint dominici feſtique dies, quos dæmoni ob ſuam intemperantiam conſecravit Chriſtophorus, dici poteſt aliquo ſenſu, ipſum quaſi ſacrilegii cujuſdam eſſe reum, dæmoni tempus ſoli Deo debitum attribuendo, veramque opprobrio adeo turpi religionem afficiendo, quæ cognitionem ejus, honorem amoremque ipſi debitum homines docet. Unde Auguſtinus ad Aurelium Epiſcopum Carthaginienſem ſcribens (a) ſic dicit: *Quæ fœditas,* (hoc eſt intemperantia diebus feſtis) *ſi tantum flagitioſa, & non etiam ſacrilega eſſet, quibuſcumque tolerantiæ viribus ſuſtentandam putaremus.* Conſtat ſaltem, quod ſi, abſolute loquendo, ſpeciem peccati de quo agitur, non mutet circumſtantia ſacri illius temporis, ejus gravitatem notabiliter auget. Atqui circumſtantiæ, quas *aggravantes* Theologi appellant, in confeſſione debent aperiri, quamvis peccati difformitatem tantum augeant, non aucto ejus motivo vel numero; ut cum quis rem alienam furatur cum ea circumſtantia, quod nimirum magna ſit ſumma furti, ut obſervat S. Thomas (b): aliter ſi omittantur, dici poteſt, non integram omnino eſſe confeſſionem, præſertim, cum ſpeciem peccati mutant, ut oſtendimus in ſuperioribus deciſionibus; & ex multis etiam Auctoribus ſuam quoque non habet integritatem, cum omittuntur circumſtantiæ, quæ notabiliter ſunt *aggravantes*: ut docet S. Carolus, qui eas ob hanc rationem in confeſſione declarandas eſſe cenſet. *Per queſta cauſa,* inquit (c), *il Confeſſore deve eſſere inſtrutto, quali ſono le circoſtanze che mutano la ſpezie del peccato, che grandemente l'aggravano; perochè queſte due ſorte di circoſtanze neceſſariamente ſi devono ſpiegare nella confeſſione.*

Verum tamen eſt, aliter ſentire ſanctos Bonaventuram & Thomam (d), quos ſequuntur Durandus, Navarra, Toletus, Cabaſſutius, Medina & Reginaldus (e): qui exiſtimant, ad integritatem & validitatem confeſſionis non abſolute requiri, ut hujuſmodi circumſtantiæ declarentur. *Circumſtantias aggravantes, quæ non trahunt ad aliud genus peccati, non credo, quod aliquis teneatur confiteri,* ait ſanctus Thomas (f), qui hanc opinionem ut probabiliorem credit; *& hoc* inquit (g) *probabilius eſt.* Sed cum illud, uti inconcuſſam veritatem non tueatur Angelicus Doctor, ſed tantum ut opinionem; contraria defendi poteſt cum ſancto Carolo ſententia: ſaltem vere dici poteſt, illud eſſe valde laudabile, & in praxi tutiſſimum; quoniam Sacerdos, ut ait Concilium Tridentinum (h), qui Medicus eſt ſpiritualis & Judex pœnitentis, eum a peccato ſuo ſanare ſive pœnam delictis ejus convenientem injungere non poteſt, niſi totam eorum malitiam cognoſcat: Atqui eam non poteſt cognoſcere, niſi ex manifeſtatione circumſtantiarum notabiliter aggravantium; nam v. g. ſi quis declaret, ſe proximo ſuo duplionem ſubripuiſſe, non declarando, quod proximus ille pauper erat: ſi ſervus inflictam a ſe fuiſſe homini alapam confiteatur, non declarando hominem hunc fuiſſe dominum ſuum; ſi alius denique confiteatur, ſe injuriis affeciſſe aliquem, non declarando, eum fuiſſe ſuperiorem ſuum, aut in publico: quo pacto Confeſſor, qui hujuſmodi circumſtantias aggravantes ignorat, judicare poterit, num dignus indignuſve abſolutionis ſit ille pœnitens, & ſub quibus eam conditionibus debeat impertiri? cum ex hoc ſancti Thomæ principio (i), *malitia actus non ſolum penſatur ex ſpecie actus, ſed etiam ex circumſtantia;* ea quam in confeſſione reticet, circumſtantia, peccatum illius efficiat gravius, & majori proinde dignum ſatisfactione.

Merito itaque exigit ſanctus Antoninus (k), quod *Confeſſor non ſolum debet interrogare de mortalibus, ſed etiam de circumſtantiis, quæ aggravant, vel alleviant.* Quod probat 1. ex his verbis Decreti Concilii œcumenici Lateranenſis ſub Innocentio III. (l): *Diligenter inquirens & peccata & circumſtantias peccatorum.* 2. Ex Canone, quem in ſuo Decreto refert Gratianus ex antiquo opere, quod reperitur inter opera ſancti Auguſtini (m) deſumtum; in quo inter circumſtantias quæ Confeſſori debent eſſe cognitæ, præcipue annotatur circumſtantia temporis feſtorum. *Si ..... in feſtivitate Sanctorum &c.* Dominicus Sotus aliique multi Theologi, eamdem amplectantur ſententiam (n), quæ potioribus nobis videtur niza rationibus, & ad conſcientiam tutior. Unde colligimus, Chriſtophorum, eam de qua agitur in propoſito caſu circumſtantiam voluntarie omittere non poſſe abſque invaliditate confeſſionis ſuæ, niſi eum forſan ignorantia excuſet. Addi poteſt, hominem hunc eo ſtrictius obligari ad declarandam talem circumſtantiam, quod neceſſario grave in ſe includat ſcandalum, de quo ſeipſum accuſare debet; cum ſcandalum caritati adverſetur, quæ ſpecialis eſt virtus, atque adeo peccati ſpeciem mutet.

CASUS XXIII.

Columbanus, cum ſumma muliere vidua in fornicationem incidit. Numquid tenetur declarare peccati ſui conſortem eſſe viduam?

Reſpons.

Non tenetur; quia ſpeciem peccati non mutat illa circumſtantia; neque illud notabiliter aggravat.

Dicimus 1. eam non mutare ſpeciem peccati; quia, ut ait D. Thomas (o): *Peccata ſpecie diſtinguuntur ex parte actuum voluntariorum magis quam ex parte inordinationis in peccato exſiſtentis. Actus autem voluntarii diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta..... Unde ſequitur quod peccata proprie diſtinguantur ſpecie ſecundum objecta.* Hoc eſt, peccatum ſpecie diverſum ſolummodo committitur, quando fit præcepti ſpecie diverſi tranſgreſſio; quocirca ex circumſtantiis ad diverſas peccatorum ſpecies pertinentibus oriri tantum poteſt peccati diverſa quoque ſpecies; quale eſt adulterium, ut alibi innuit idem ſanctus Doctor (p): *Adulterium eſt determinata ſpecies luxuriæ, ut pote ſpecialem deformitatem habens circa actus venereos.* Quod dici nequit de peccato cum vidua commiſſo, quæ videlicet non minus ſui eſt juris tum quoad ſe, tum quoad corpus, quam quæ numquam fuit conjugata. 2. Dicimus ex circumſtantia viduitatis non aggravari notabiliter illud peccatum. 1. Quia ejus tranſgreſſiones, nec proinde numerum adauget. 2. Quia deformitatem ejus non etiam auget (q).

CASUS XXIV.

Blæsilla, cum Melchiore deſponſata, cum ductore militari in fornicationem incidit, ex qua infamata eſt; utpote quæ multis; & ipſi etiam Melchiori cognita ſit. Qua de re quæritur, utrum Blæſilla ſub peccato confiteri teneatur, ſe cum Melchiore tum fuiſſe deſponſatam, cum illud crimen commiſit?

Reſpons.

Doctores ea de re in diverſas abeunt ſententias; quibuſdam affirmantibus, non neceſſe eſſe, ut in Confeſſione hujuſmodi circumſtantia exprimatur. Ita Covarruvias & Vivaldus (r), quorum præcipua ratio hæc eſt, quia videlicet ſpeciem non mutat; cum certum ſit, talem fornicationem non eſſe adulterium. Sed contrarium docent alii bene multi

(u),

(a) S. Aug. Ep. 10. alias 64. n. 3.

(b) S. Th. 1. 2. q. 73. art. 7. in corp.

(c) S. Carolus Act. Eccleſ. Mediolanenſ. part. 4. de Inſtruct. Confeſſ.

(d) S. Bonavent. & S. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt.

(e) Durandus ibid. q. 4. Navar. Man. c. 6. n. 6. Toles. Inſtruct. Sacerd. l. 3. c. 7. n. 7. Cabaſſut. juris can. Theor. & prax. l. 3. c. 10. n. 14. Medina de Pœnitent. tract. 2. q. 7. Reginaldus. l. 6. n. 135.

(f) S. Th. Opuſcol. l. 2. q. 6.

(g) Idem in 4. diſt. 13. q. 3. art. 2. quæſt. 5. in corp.

(h) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de Pœnit. Sacram.

(i) S. Th. 1. 2. q. 73. art. 7. ad 1.

(k) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 17. c. 17. §. 4.

(l) Conc. Lateran. 4. c. 21. in Cap. *Omnis*, 12. de pœnit. & remiſſ. l. 5. tit. 38.

(m) Apud S. Aug. L. de vera & falſa pœnit. in Cap. *Conſiderat*, 1. de pœnit. diſt. 5.

(n) Dom. Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. concluſ. 7. Suarez diſp. 22. ſect. 3. n. 5. & alii.

(o) S. Th. 1. 2. q. 72. art. 1. in corp.

(p) Idem 2. 2. q. 154. art. 8. in corp.

(q) Idem 1. 2. cit. q. 71. art. 7. in corp.

(r) Covarruv. in 4. decret. 1. part. c. 1. n. 14. Vivaldus in Candelabro 1. part. de ſponſal. n. 10.

Digitized by Google

(a) Abbas. in C. *Diſcretionem* De eo, qui cognovit conſanguineam &c. n. 4. Alexand. de Nevo ibid. n. 24. Palud. in 4. diſt. 27. q. 2. art. 3. n. 17. Oldradus, Albericus, Greg. Lopez & alii.

(b) Innoc. III. in Cap. *Quemadmodum*, de jurejurando. l. I. tit. 24.

(c) Gloſſa in Cap. *Quemadmodum* v. *Non admittere ſponſum*.

(d) L. ſi uxor. 15. ff. ad leg. Juliam de adulteriis.

(*a*), quorum opinionem & veriſimiliorem & tutiorem exiſtimamus: nam quamvis illa circumſtantia ſpeciem non mutet; certum eſt tamen, quod valde ſit aggravans, eo quod tantam in ſe, tamque atrocem includat injuriam ſponſo factam, ut ob eam juſte ſponſalia, etiam jurejurando firmata poſſit diſſolvere juxta definitionem Innocentii III. in una Decretali in ſumma Juris relata (*b*): & in eam Gloſſa ſic dicit (*c*): Nam & ſponſus poteſt ſponſam accuſare de adulterio quaſi matrimonio jam initiato ...... quia nec matrimonium nec ſpem matrimonii violare permiſſum eſt: Quæ verba ex lege iſta Digeſtorum depromſit (*d*): *Divus Verus & Antoninus reſcripſerunt, etiam in ſponſam hoc idem vindicandam; quia nec matrimonium qualecumque nec ſpem matrimonii violare permittitur*: atque adeo ſponſa conſcia talem circumſtantiam in confeſſione patefacere tenetur ſub peccato.

Colligimus ergo, teneri Blæſillam, non ſolum ſtuprum commiſſum confiteri, ſed etiam declarare, ſe eſſe Melchioris ſponſam, quando illud commiſit.

CASUS XXV.

Atticus, cum Parochum ſuum debitis ipſi decimis fraudaſſet, hoc ei peccatum confiteri non auſus eſt; ſed alia tantum peccata ſua declaravit, de quibus abſolutus eſt; intendens, quamprimum alteri fraudem ſuam confiteri Sacerdoti: quo facto paucis poſt diebus Paſchali communione refectus eſt.

Quæritur ea de re, utrum Atticus, declaratis omnibus peccatis ſuis, de quibus tum a Parocho ſuo, tum ab alio Confeſſore abſolutus eſt, ſacram in eo ſtatu communionem abſque ſacrilegii reatu ſuſcipere potuerit?

Respons.

(e) Guillel. Pariſ. tract. de Sacram. Pœn. c. 19.

(f) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

(g) S. Th. 3. part. Sum. q. 86. art. 3. in corp.

(h) Idem in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. in 2. arg. *Sed contra*.

(i) Ibid. cit. art. q. quæſtiunc. 2. in corp.

In hanc quæſtionem pro parte affirmante ſtetit Guillelmus Pariſienſis (*e*): *Uterque enim Sacerdotum abſolvit ab omnibus*, inquit, *& ita cum uterque audivit, uterque pronuntiat de his, de quibus non cognovit, dubitandum nullatenus eſt, quia per utramque Sacerdotem plenam gratiam ſanctificationis & abſolutionis recipis, niſi per ipſum ſteterit*. Hæc tamen ſententia nullatenus defendi poſſe videtur; prima namque ad bonam confeſſionem neceſſaria conditio eſt illius integritas, alioqui abſolute nulla eſt. *Qui vero ...... ſcienter aliquid retinent*, inquit Concilium Tridentinum (*f*), *nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum reponunt*. Hujuſce rei iſtam ſanctus Thomas affert rationem: *Nullum peccatum*, ait Angelicus Doctor (*g*), *poteſt remitti ſine gratia, & excludit eam. Unde impoſſibile eſt, quod unum peccatum ſine alio remittatur*. Alibi etiam ſic dicit ſanctus Doctor (*h*): *Hypocriſis eſt impedimentum pœnitentiæ, ſed dividere Confeſſionem ad hypocriſim pertinet, ut dicit Auguſtinus: ergo confeſſio debet eſſe integra*. Denique, cum ſibi objecit ſanctus Doctor, majorem eſſe, quæ fertur, confuſionem peccata confitendo, & conſequenter magis meritoriam, quando dividitur confeſſio, & pars una peccatorum uni Confeſſori, & pars altera alteri manifeſtatur: Reſpondet, idem ferri debere judicium de morbo ſpirituali, atque de corporeo. Sed juvat heic Angelici Doctoris verba proferre (*i*): *In medicina corporali*, inquit, *oportet quod medicus non ſolum unum morbum contra quem medicinam dare debet, cognoſcat; ſed etiam univerſaliter totam habitudinem ipſius infirmi; eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur; & medicina quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præſtaret: & ſimiliter eſt in peccatis, quia unum aggravatur ex adjunctione alterius; & illud quod uni peccato eſſet conveniens medicina, alteri incentivum præſtaret; cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus ſit .... & ideo de neceſſitate confeſſionis eſt, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet: quod ſi non facit, non eſt confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio*. Quæ omnia conſentiunt cum iſtis verbis in canone contentis, quæ ſancto Auguſtino tribuit Gratianus (*K*): *Quomodo ergo qui crimen reſervat, de alio recipiet veniam? Sine amore Dei conſequeretur gratiam, ſine quo nemo umquam invenit gratiam*.

(k) Apud S. Aug. l. de vera & falſa pœnit. in Can. *Sunt plures* 49. de Pœnit. diſt.

Colligendum ex dictis, Atticum, qui eo quo dictum eſt modo, diviſa confeſſione, communionem accepit, triplicis ſacrilegii reum ſic eſſe factum; quandoquidem ex advertentia & plena deliberatione his invalide confeſſus eſt, & indigne communicavit.

CASUS XXVI.

Cajus, qui quater per annum apud Parochum ſuum confiteri ſolet, admiſſum a ſe furtum, quod Parocho non audet, alteri cui incognitus eſt, Sacerdoti confitetur; & quatriduo poſt, Parochum, ut ſolet, adit ad confeſſionem, occultoque furto ſuo venialia ipſi tantum declarat. Peccat ne contra confeſſionis integritatem, & quale eſt peccatum illius?

Respons.

(l) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

Integritas confeſſionis intelligitur tantum de mortalibus peccatis, non vero de venialibus, quæ accuſare non eſt neceſſe, licet ſit utile: unde omitti poſſunt, integra remanente confeſſione, modo omnia declarentur mortalia. Hujuſce rei hanc rationem affert Concilium Tridentinum (*l*): *Venialia*, inquiunt Patres, *quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præſumtionem in confeſſione dicantur ...., taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt*. Igitur in caſu propoſito Cajus non peccavit, rem in ſe præciſe conſiderando; ſed aliunde peccare forſan potuit duplicem hanc peragendo confeſſionem; quaſi poſteriorem egerit ex oſtentatione vel hypocriſi, cupiens haberi vir probus a Parocho ſuo, aut eam ex alio pravo motivo efficiens: cumque raro Confeſſionem ſuam ob æquas rationes ita dividere queat pœnitens, praxis ea nec conſuli, nec ad praxim redigi debet, quod vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, ut in eo non ſit vel hypocriſis, vel occulta quædam ſuperbia.

CASUS XXVII.

Ursula certo novit, ſe ab ultima confeſſione ſex venialia admiſiſſe; quinque ex iis Confeſſori ſuo accuſat, ſextum vero retinet, ut objurgationes quas jam experta eſt ob tale peccatum, declinet. Numquid ejus confeſſio eſt invalida & ſacrilega?

Respons.

Diximus jam in ſuperiori reſponſione, nullam eſſe juxta Tridentinum venialia confitendi obligationem, quia a gratia Dei non excludunt: unde omitti poſſunt omnia, aut partim occultari abſque confeſſionis invaliditate: quocirca, ſi qua, etiam voluntarie omittantur, valida eſt tamen aliorum abſolutio; modo adſit contritio ſaltem imperfecta de iis quæ declarantur.

Attamen fatendum, confeſſionem hujuſmodi valde imperfectam eſſe; quare ſatius eſt, ut a ſacra Communione recedat Urſula in propoſito caſo, quam ut ad eam accedat, ſi forte alterius cujuſdam peccati, quod ſit mortale, non ſit conſcia; cum ex hac diſpoſitione non omnem debitam Sacramento venerationem oſtendat, nec etiam humilitatem. His adde, quod Confeſſorio anſam præbere poteſt, ut ei frequentioris, quam tali ducta meretur, Communionis licentiam faciat.

CASUS XXVIII.

Harduinus, ſæpe in imperfectiones incidit ob impetum duarum paſſionum diverſarum, ad quas naturaliter propendet: quærit utrum, ſi forte iis formaliter & expreſſe non aſſentiatur, venialiter peccet; an non; & utrum ad melius eſſe eas in confeſſione declarare teneatur?

RESPONSIO.

Animæ imperfectiones ex eo procedunt, quod appetitus ſenſitivus ſuperiori animæ parti non ſubjiciatur, hoc eſt, intellectui & voluntati; & ipſa invita aut ſine ipſa oriantur motus quidam paſſionum, uti odii, iræ, aut amoris carnalis, ſeu rationis judicium anteverrendo, aut voluntatis imperium. Atqui imperfectiones hujuſmodi non ſunt materia confeſſionis, quod ſint tantum ſubiti quidam & inopinati motus, qui non ſunt peccata, & quidem venialia, uti primæ cogitationes eorum comites; cum certum ſit nullum eſſe peccatum, niſi intercedat aliquis voluntatis conſenſus, juxta præclaram iſtam ſancti Auguſtini regulam (a): *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.*

(a) S. Aug. l. de vera Relig. c. 14. ſeu num. 27.

Confirmari poteſt hæc veritas auctoritate Concilii Tridentini (b) quod ſic declarat: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem hæc ſancta Synodus fatetur ac ſentit; quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Jeſu Chriſti gratiam repugnantibus, non valet; quin immo qui legitime certaverit, coronabitur*; ut loquuntur Patres hujuſce Concilii. Unde colligendum, quod, cum ad coronas colligendas nobis relicta ſit illa concupiſcentia; ipſius motus involuntarii non ſunt peccata quidem venialia, neque adeo confeſſioni ſubjicienda; de quibus proinde confiteri nullo modo tenetur Harduinus, de quo in caſu propoſito.

(b) Conc. Trid. ſeſſ. 5. C. Decret. de peccato orig.

Obſervandum hei: perperam a quibuſdam ſancti Thomæ fuiſſe adſcriptam doctrinam contrariam (c). Verum quidem eſt, quod ſic loquitur: *Sunt aliqui motus, qui ſunt peccata venialia propter eorum imperfectionem.* Sed heic tantum loquitur ſanctus Doctor de iis motibus, qui cum anteverti poſſent, ne ipſa non præveniuntur, quod eorum occaſiones non modo non vitentur, ſed potius requirantur: quo in caſu dici poteſt, quod, quamvis expreſſus iis naturæ corruptæ motibus conſenſus non tribuatur; partus tamen reatus venialis peccati; quia voluntarie eos experiendi periculum non fuit reformidatum non vitando occaſionem, uti par erat: & idem etiam dici poteſt de iis, quibus re ipſa quidem nullus præbetur conſenſus, ſed quos reprimere quis negligit, ipſis aſſentiendi periculum ſubeundo. Hic eſt germanus S. Thomæ ſenſus, qui proinde deciſioni noſtræ non eſt contrarius.

(c) S. Th. 2. 2. qu. 167. art. 5 in corp. & in 4. diſt. 31. qu. 2. art. 3. queſtiunc. 2. ad 3.

CASUS XXIX.

NICOLAUS, Romanus Sacerdos, apud inſulam Coum Miſſionarius poſtulat, utrum, cum ad pœnitentiæ tribunal ſe ſiſtunt Græci, qui in ſchiſmate vel hæreſi vixere (quod ſæpius accidit) ipſos abſolvere poſſit ob ſimplex promiſſum, quod fit ab iis, credendi quidquid credit & profitetur Eccleſia Catholica?

RESPONSIO.

Si Græci illi ſint formaliter ſchiſmatici & hæretici, eos abſolvere non poteſt Nicolaus, Eccleſiæ Latinæ Sacerdos, ob ſolum promiſſum, quo in tribunali pœnitentiæ ſe adſtringuntur, credendi quidquid credere profitetur Eccleſia Romana: nam, ut ſint capaces recipiendi Pœnitentiæ Sacramentum, neceſſe eſt omnino, ut ſchiſma ſuum abdicent, hæreſimque ſuam ejurent. Dicimus: *Si Græci illi ſint formaliter ſchiſmatici & hæretici*: quia ſi rudes ſint & agreſtes homines, qui ignorant, quid ſit ſchiſma, quique indiſcriminatim cum Græcis Latiniſque Sacerdotibus vivunt, qui etiam defectu inſtructionis, non omnes catholicæ fidei articulos credunt, ad ſalutem neceſſarios; vel qui etiam ex ignorantia invincibili & abſque pertinacia contrarios credunt; tunc ex ſimplici promiſſo credendo quidquid credit & credere profitetur Eccleſia Latina, ſacramentaliter poſſunt abſolvi, modo fidem habeant explicitam veritatum, quæ actu neceſſitate medii ſunt credendæ, & aliunde ad Sacramentum recipiendum digne ſint diſpoſiti.

Hæc Græcorum diſtinctio ex opere depromitur, quod inclytus a Græcia Auctor compoſuit de Pœnitentia, in quo ſic loquitur (d): *Illud hæc loca lectores monendi videntur, inter alios Græcæ eſſe quoddam genus hominum, qui ignorantes vim ſchiſmatis indifferenter ſe gerunt cum Græcis & Latinis, ac modo ritu Græco, modo vero Latino, prout locus, tempus & occaſio (dantur) Sacramenta ſuſcipiunt; quaſi vero nobis interſit, hoc, vel illo modo quis faciat.* En diſtinctio, quam admittit hic Auctor inter Græcos ſimplices ac rudes, & Græcos qui vim norunt ſchiſmatis, & quædam fidei puncta credunt contraria fidei Eccleſiæ Catholicæ: poſitoque illo principio, de præſenti difficultate ſic ratiocinatur: *Vel tandem Parochus eſt orthodoxus; pœnitens ſchiſmaticus: & tunc de pœnitente rurſus ſubdiviſio adhibenda; vel enim eſt talis, quod ajunt, materialiter tantum: hoc eſt, qui invincibiliter erret; & tunc, ſicut non peccat errando, ita eſt capax abſolutionis, quam poteſt obtinere tam a Parocho orthodoxo, quam a ſchiſmatico, ab Eccleſia tolerato; plurimos autem eſſe in Græcia nunc qui invincibiliter errent, affirmant earum regionum periti: vel eſt formaliter ſchiſmaticus; & tunc ex defectu tam ipſius Confeſſarii, quamvis recte ſcientis, quam pœnitentis, nulla ſit abſolutio .... Pœnitentis vero; quia impoſſibile eſt, etiam in articulo mortis, abſolvi eos, qui ab hæreſi & ſchiſmate non recedant; ſed in ea exſecrandis erroribus firmato & pertinaci animo perſeverant.* Ita huic difficultati ſibi propoſitæ 12. Julii anno 1661. reſpondit doctus Theologus (e).

(d) Arcudius. l. 4. de Pœnit. c. 5.

(e) De Sainte Beuve tom. 3. caſ. 24.

CASUS XXX.

HYPARCHUS, qui ab anno non confeſſus eſt, a Communione Paſchali exemit ipſius Parochus, ob frequentem, quo a menſe laborat, vomitum: Poteſt ne etiam abſque peccato mortali annuam omittere confeſſionem?

RESPONSIO.

Omiſſio Communionis Paſchalis, quam a Parocho ſuo obtinuit Hyparchus, ad annuam non poteſt extendi confeſſionem, quam omittere non poteſt niſi infracto Eccleſiæ præcepto in Concilio oecumenico Lateranenſi ſub Innocentio III. cujus Decretum eſt hujuſmodi (f): *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti.* Ea autem lege non conſilium modo, ſed & formale continetur præceptum, quo ſub mortalis peccati reatu tenentur omnes fideles, ut probat Sylvius (g), & conſtat ex graviſſimis pœnis; quas infractoribus hujuſce præcepti Concilium imponit his verbis: *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.* Salutarem illam Conſtitutionem confirmavit Tridentinum (h) hoc Canone ſuo: *Si quis dixerit*, inquiunt Patres Tridentini, *confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem & traditionem humanam, a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem ſemel in anno .... anathema ſit.* Unde colligi debet, omitti non poſſe abſque peccato tale præceptum; eoſque etiam, qui, uti Hyparchus a Paſchali communione ob aliquid impedimentum legitimum ſunt immunes, ad annuam tamen confeſſionem indiſpenſabiliter teneri; quocirca ſine mortali non magis omitti poteſt, quam Communio Paſchalis. *Si quis ergo*, inquit Sylvius, (i) *ob cauſſam rationabilem excuſatur a communione Paſchali, ut pueri, vel ii, qui timent vomitum* (ea caſus, de quo agitur in propoſita ſpecie) *non propterea excuſaretur a confeſſione annua: & qui ſine cauſſa utrumque omitteret, hoc eſt & Communionem in Paſchate, & confeſſionem in toto anno, duo diſtincta peccata committeret.*

(f) Concil. Lateranenſis 4. c. 21. in Cap. Omnis 12. de pœnit. & remiſſ. l. 5. tit. 38.

(g) Fr. Sylv. in ſupplem. 3. p. S. Thom. q. 6. art. quæſit. 10.

(h) Concil. Trid. ſeſſ. 14. Can. 8 de Sacr. Pœnit.

(i) Sylv. loc. cit.

CASUS XXXI.

THEODOSIUS in peccatum mortale labitur; an tenetur ſtatim poſt lapſum illud confiteri ſub reatu novi peccati mortalis, ſi forte adſit illud confitendi occaſio?

RESPONSIO.

Duplex eſt ea de re opinio; prima Guillelmi Pariſienſis (K), qui exiſtimat, eum qui in mortale lapſus eſt, teneri ſtatim a lapſu ſub pœna

(k) Guillelmi Pariſienſis tract. De Pœnitentia. Cap. 19.

novi

novi moralis, illud confiteri, ubi primum ipſi commodum eſſe poteſt; ſuæque aſſertionis ſeptem aut octo profert rationes.

1. *Ne per negligentiam faciendi confeſſionem, dum quis poteſt, dum non vult, juſto Dei judicio inſtigatur ei non poſſe, cum velit.* 2. *Propter periculum oblivionis peccatorum: quæ enim ipſa ſua recentia memoriter tenentur, ipſa vetuſtate interdum abeunt in oblivionem.* 3. *Propter ipſum periculum moræ, quæ non mediocriter aggravet peccatum.* 4. *Propter periculum ruendi in aliud.* 5. Quia peccatum eſt debitum, quo quis erga Deum adſtringitur; & injuria ipſi illata, cujus proinde aut ſolutio aut ſatisfactio differri non poteſt abſque conſenſu creditoris vel offenſi. 6. Quia, ſi homo cujus veſtis eſt lacera aut ſordida, ipſius ſtatim defectus reſarciat, & ſi cujuſpiam equus vel aſinus ægrotet, equarium medicum advocet ſubito, ne gravior fiat morbus: *Quanto fortius accelerandum eſt nobis, ne morbi aut læſiones animarum noſtrarum creſcant, & medicamentum confeſſionis adhibere atque apponere?* Denique, inquit idem Auctor, ſi ab ortu ſuo acutate extinguitur incendium; quanto pluris intereſt ad remedium confeſſionis recurrere, ubi quis eſt reus peccati mortalis? *Non licet ergo differre confeſſionem auctoritate ſua, ſeu pro beneplacito ſuo, niſi quatenus viſum fuerit ei qui præeſt.* Ita ex allatis modo rationibus concludit doctus ille Epiſcopus. Ita ſentiunt etiam ſanctus Bonaventura, & Hugo a ſancto Victore ſancti Bernardi tempore æqualis, ut obſervat ſanctus Antoninus in ſua Summa (*a*).

(*a*) S. Anton. 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10.

Altera opinio, quam veram exiſtimamus, aſſerit, quod, licet certum ſit, ob allatas a Guillielmo Pariſienſi rationes, ad ſalutem tutius eſſe ſtatim confiteri, ubi adeſt opportunitas, ſi quis in mortale lapſus fuerit; non tamen dicendum eſt, eum, qui in hoc ſtatu peccati verſatus, ſuam differt confeſſionem, novum admittere peccatum. Ratio eſt, quia præceptum de confeſſione facienda non eſt negativum, ſed ſolum affirmativum, & proinde non obligat *ad ſemper*, licet obliget *ſemper*, ut loquitur Schola: hoc eſt, quod obligat tantum aliquo tempore & in quibuſdam circumſtantiis, quales ſunt periculum mortis & aliæ ſimiles. Ita docet ſanctus Thomas (*b*): *Quidam dixerunt*, inquit Angelicus Doctor, *quod tenetur confiteri quam cito opportunitas confitendi ſe obtulerit; ita quod, ſi differat, peccat. Sed hoc eſt contra rationem præcepti affirmativi, quod licet obliget ſemper, non tamen obligat ad ſemper; ſed pro loco & tempore: tempus autem implendi præceptum de confeſſione, videtur, quando imminet aliquis caſus, in quo neceſſe eſt homini, quod ſit confeſſus: puta ſi immineat ei mortis articulus, vel neceſſitas accipiendi Euchariſtiam, aut ſacrum Ordinem, vel aliquid hujuſmodi, ad quod oportet hominem per confeſſionem purgatum præparari. Unde ſi aliquid horum immineat, & aliquis confiteri prætermittat, peccat, dummodo debita opportunitas adſit; & quia ex præcepto Eccleſiæ omnes fideles tenentur, ſaltem ſemel in anno, in feſto Paſchæ præcipue, Sacramenti communionem accipere. Ideo Eccleſia ordinavit, ut ſemel in anno quando immineret tempus accipiendi Euchariſtiam, omnes fideles confiteantur. Dico ergo, quod differre confeſſionem uſque ad hoc tempus, per ſe loquendo, licitum eſt: ſed per accidens poteſt fieri illicitum; puta, ſi immineat aliquis articulus, in quo confeſſio requiratur.* Idem docet Angelicus Doctor in Magiſtrum Sententiarum (*c*): & cum eo ſentiunt non ſolum Paludanus & ſanctus Antoninus (*d*), ſed & alii communiter Theologi. Hanc autem ſententiam iſta paritate confirmat Sylvius (*e*): *Confirmatur*, inquit, *quod catechumeni non tenentur ad ſtatim ſuſcipiendum Baptiſmum: immo juxta veteres Canones, qui certa tempora, videlicet Paſchæ & Pentecoſtes, præſcribebant, etiamſi vellent, non admittebantur ante illa.* Addens etiam: *Sed & cum Eccleſia determinaverit tempus annuæ confeſſionis; ſatis inſinuat, non eſſe de Jure divino ſtatim confiteri.*

(*b*) S. Th. quodlib. 1. a. 11. in corp.

(*c*) Idem in 4. diſt. 17. q. 3. art. q. 4. in corp.

(*d*) Palud. in 4. diſt. 17. qu. 2. art. 4. concluſ. 3. S. Anton. 3. p. Sum. Theol. tit. 14. cap. 4. 18. & 19. §. 1.

(*e*) Sylv. in Suppl. 3. p. S Tham q. 6. cit. art. 5.

Yſambertus (*f*) eamdem tuetur doctrinam, ut patet ex hac ejus reſponſione ad objectionem, quam ipſe ſibi fecerat: *Reſpondeo*, inquit, *negando conſequentiam .... qui enim eſt conſtitutus in peccato mortali, poteſt ſervare quodcumque præceptum Legis naturæ, ſeorſim & diviſe ſumtum... unde tunc non tenetur ſub pœna peccati mortalis elicere actum contritionis, aut ſaltem confiteri ſacramentaliter illud ſuum peccatum mortale ex vi ſolummodo illius ſui ſtatus: an autem aliunde poſſit obligari, v. gr. ratione ſpecialis alicujus periculi probabiliſſime imminentis, non eſt hujus loci explicare.*

(*f*) Nicol. Yſambert. de grat. in 1. 2. q 109. diſp 7. art. 10.

Obſervandum tamen cum S. Thoma, S. Antonino & aliis, eos male agere, qui cum peccato mortali ſint obnoxii, in aliud tempus confiteri differunt: quando confitendi adeſt opportunitas. Ratio eſt 1. quia licet ſolo contritionis perfectæ actu adjuncta voluntate confitendi tempore præcepti, divina poſſit recuperari gratia; facilius eſt tamen eam obtinere reconciliationem per confeſſionem, quam ſine ea. 2. Quia juſtificatio, quæ in Sacramento Pœnitentiæ obtinetur, ſpeciale illud beneficium in ſe includit, quod gratias actuales & ſpeciales procuret ad finem, ob quem Sacramentum a Chriſto inſtitutum eſt. 3. Quia homo in ſtatu peccati mortalis voluntarie perſeverans diu permanere nequit, moraliter loquendo, quin in alia decidat peccata, ut communiter docent Theologi. Atqui non poteſt quis abſque reatu peccati mortalis objicere ſe periculo peccandi mortaliter, ſi ſit certum moraliter ſaltem tale periculum. Ergo permagni intereſt, ut qui mortale peccatum admiſit, cito illud emendet ope confeſſionis, vel ſaltem perfectæ contritionis. Pari itaque cura animæ ſuæ ſanitatem requirere debent, atque ægri valetudinem corporis, qui ad medicum ſtatim confugiunt ad mortem vitandam ſanitatemque recuperandam. Concludimus ergo, quod quamvis regulariter loquendo, Theodoſius novum mortale peccatum non admittat, confeſſionem ſuam differendo; juſta tamen reprehenſione dignus eſt, ſi ad diuturnum eam tempus procraſtinet. *

* Notandum aſt aliud de neceſſitate contritionis, aliud de neceſſitate confeſſionis fieri poſſe ratiocinium: cum enim contritio longe majoris ſit neceſſitatis, quam confeſſio; poteſt dici longe majorem eſſe actum contritionis eliciendi, quam peccata confitendi obligationem; præſertim ſi peccator nondum de peccato contritionis actum elicuit. *Quantum ad peccata mortalia*, inquit S. ANTONINUS, Part. Sum. Theolog. Tit. XIV. Cap. 18. § 2. *de quibus nondum quis habuit contritionem, videtur quod ſemper teneatur, quando peccatum mentis occurrit, ad actu odiendum & deteſtandum peccatum .... dicit enim ſanctus* THOMAS, PETRUS PALUDANUS, BONAVENTURA, & DURANDUS, *quod poſt mortale peccatum, & ſi non tenetur quis ad ſtatim confitendum, tenetur tamen ex neceſſitate ad ſtatim conterendum; nec enim per momentum licet ſtare in peccato mortali.* Vide CONTRITIO *Caſ.* 1. & *Annotationem*, quæ in reſponſione facta eſt.

CASUS XXXII.

THEOBALDUS qui multa præterito tempore mortalia peccata commiſit, quorum in confeſſionibus præteritis ut advertit, oblitus eſt, quod infirma ſit memoria, tenetur ne in conſcientiæ foro & ſub reatu mortalis peccati ad confitendum, quam primum poteſt; cum prævideat, quod ſi aliquando confeſſionem ſuam differat, multorum ſuorum peccatorum obliviſcetur?

RESPONS.

Sentiunt multi Auctores, inter quos Navarra (*g*), ne quidem in caſu propoſito urgere præceptum confeſſionis. 1. Quia ſequeretur, quod ii qui, ut Theobaldus debili ſunt memoria, tenerentur ad confitendum multoties intra annum; quod tamen pro una tantum vice fidelibus imperat Eccleſia, ut fert Lateranenſe Concilium quartum œcumenicum, cujus Decretum confirmavit Tridentina Synodus (*b*). 2. Aliam rationem addit Navarra, nimirum, quod per annum toties peccant fere omnes

(*g*) Navar. Man. cap. 2. n. 95.

(*b*) Conc. Lateran. 4. ſub. Innoc. III. can. 4. c. 25. in Cap. *Omnis*. 12. de Pœnit. & remiſs. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

Digitized by Google

omnes tamque frequenter; ut quamvis firma ſiot memoria, vix quidem moraliter fieri poſſit, ut omnia ſua præciſe & quoad numerum reminiſcantur peccata, cum in Paſchate aut Quadrageſimæ tempore confitentur. Unde concludit hic Auctor, quod, ſi ob defectum memoriæ ſtatim a peccato commiſſo ad ejus confeſſionem quis teneretur, omnes ad eam pluries in anno tenerentur; quod tamen non imperat præceptum confeſſionis, ut modo diximus: quocirca ſi indoceretur confeſſionis obligatio in propoſito caſu, innumeris irretirentur conſcientiæ ſcrupulorum laqueis, & ſæpe ſine fructu. 3. Hic idem Canoniſta tuetur, nullam eſſe confeſſionis obligationem in caſu propoſito; *quia nulla lege ad id obligamur, & ſine lege non eſt aſſerenda obligatio*, ut loquitur.

(*a*) Sylvius in Suppl. S. Th. q. 6. art. 5. quæſito 1. concl. 3. & apud eum Victoria, Petrus &c.

Navarræ conſentit Sylvius (*a*): *Etſi quidam exiſtiment*, inquit, *confeſſionem tunc eſſe in præcepto, quando probabile eſt periculum oblivionis alicujus peccati vel peccatorum; contraria tamen ſententia eſt ſecura, nobiſque videtur probabilior.* Eaſdem ferme quas Navarra, affert rationes.

(*b*) S. Th. in 4. diſt. 1. q. 3. art. 73. quæſtione. 4. in corp.

Contrarium tamen cenſent quidam Theologi, & quamvis eorum propoſitum a S. Thoma dicatur *nimis durum* (*b*); fatendum tamen, illud in praxi tutius eſſe, iſto præſertim tempore, quo in pejus ſemper ruunt mores fidelium, & pœnitentiæ Sacramentum ab iis potiſſimum abjicitur, qui eo egent in primis; tum quia hujuſmodi homines vix perfectam habere poſſunt contritionem; ſine qua tamen illi qui Sacramentum illud negligunt, periculo damnationis æternæ ſubjacent, ſi in peccato mortali forſan moriantur. Dicimus itaque, quod licet non novi peccati ſit damnandus Theobaldus, ad aliquod tempus confeſſionem ſuam prorogans; inde tamen magnam ſalutis ſuæ deſpicientiam manifeſtat, periculumque ſubit vitam in pravis ſuis habitibus prorogandi, nec non frequentibus in eadem ſua vitia prolabendi; quocirca exinde fit reus, uti in ſuperiori deciſione obſervatum eſt.

CASUS XXXIII.

Leonardus, die Dominica Palmarum 4. die Aprilis an. 1706. peccata confeſſus, non niſi die Dominica in Albis 24. Aprilis anni 1707. ſequentis & conſequenter poſt annum vigintiquinque dies a præcedenti confeſſione, denuo confeſſus eſt. Peccavit ne mortaliter hac dilatione contra præceptum Eccleſiæ, quo imperatur annua confeſſio?

RESPONS.

Leonardus in caſu propoſito de mortali non eſt damnandus: licet enim Eccleſia ſingulis fidelibus injunxerit, ut peccata confiteantur, *ſaltem ſemel in anno*, ut loquitur quartum Lateranenſe, ipſum tamen non definivit tempus, quo incipere vel deſinere debet annus ille; Conciliumque Tridentinum (*c*) eam approbat & laudat conſuetudinem, qua quis quadrageſimali tempore peccata confitetur; quo fit ut ad Communionem Paſchalem diligentius ſe præparet; & ſi pro eo tempore non urgeat præceptum, & qui per annum confeſſus eſt, ad ſacram communionem Paſchalem poſſit accedere non denuo confeſſus, modo acceptam Sacramento gratiam ſedulo conſervarit; fert tamen Eccleſiæ conſuetudo, ut ab uno Paſchate ad aliud computetur annus ille. Quocirca, ut ad propoſitum caſum redeamus, Leonardus, qui primo Paſchalis temporis die anni 1706. & ultimo tantum anni 1707. confeſſus eſt, non ſit cenſendus præceptum Eccleſiæ infregiſſe; licet viginti redundent dies plures, quam in anno periodico. Hinc etiam Paſtores omnes ea ratione adimpletionem præcepti Eccleſiæ de annua confeſſione univerſim exigunt.

(*c*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

CASUS XXXIV.

Marculphus, ruris incola apud Religioſum tempore Paſchali confeſſus eſt. An ejus confeſſio cenſeri debet facta proprio Parocho?

RESPONS.

S. Thomas (*d*) poſt probatam in Confeſſore juriſdictionis neceſſitatem, huic difficultati reſpondet dicens duplicem eſſe juriſdictionem: aliam ordinariam, qualis eſt Papæ, Epiſcopi, Parochorum; alteram vero delegatam; & alterutram ſatis eſſe, ut quis valide, etiam Paſchali tempore queat confiteri, & proprius cenſeatur Sacerdos ſeu Parochus. *Unde oportet confiteri Sacerdoti, & nominis proprio: ſed proprius Sacerdos duplex eſt, vel ex juriſdictione ordinaria, ſicut Parochialis Sacerdos, vel Epiſcopus, vel Papa; vel ex juriſdictione delegata, ſicut ille cui committit poteſtatem audiendi aliquis horum trium.* Et iterum alibi: (*e*) *Unde qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo vel alicui habenti vicem ejus, confeſſus eſt proprio Sacerdoti.* Quocirca non ſufficit, Confeſſarium eſſe Religioſum, ut ſæcularium confeſſiones valide poſſit audire; quamcumque ei poteſtatem fecerit ſuus Superior: nam inſuper requiritur, ut eum approbarit Epiſcopus, neceſſariamque juriſdictionem habeat; alioqui eæ quas conferret abſolutiones, eſſent invalidæ, ut conſtat ex hoc Tridentini Decreto (*f*). *Veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.* Et ex hoc alio: (*g*) *Decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut, ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem .... obtineat, privilegiis & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.* Unde conſtat Regularem ab Epiſcopo ad audiendas in ſua Diœceſi confeſſiones approbatum, cenſendum eſſe proprium Sacerdotem, ut loquitur S. Thomas; cum delegatam habeat juriſdictionem, ab eorum Epiſcopo ſibi conceſſam, quorum confeſſiones excipit: quod quidem verbis expreſſis decrevit Bulla ſeptima Clementis X. 21. Julii ann. 1670. his verbis (*h*): *Et eos qui dictis Religioſis, ſimpliciter approbatis, Paſchali tempore confeſſi fuerint, conſtitutioni quæ incipit; Omnis utriuſque ſexus, quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos.* Quod tamen intelligendum, ſi approbatio illa terminis generalibus fuerit conceſſa, nec ab Epiſcopo fuerit revocata, nec effluxerit tempus ad quod fuerit limitata; cum certum ſit Epiſcopum revocare poſſe approbationes Regularium, nemine conſulto, aut eas, prout libuerit reſtringere, ut declaravit idem Papa in Bulla modo laudata (*i*).

(*d*) S. Th. lib. 4. ad Hannibaldum. diſt. 17. q. 1. art. 1. in corp.

(*e*) Idem opuſc. 19. Contra impugnantes Dei cultum & Religionem, c. 4. ſub. fin.

(*f*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 15.

(*g*) Idem ſeſſ. 23. c. 15.

(*h*) Clem. X. Bulla ſuperna. §. 5.

(*i*) Idem ibid. §. 4.

Quod cum ita ſit, dicendum, Religioſum Marculphi Confeſſarium in Paſchate, licet non concedente Parocho, cenſendum eſſe proprium Sacerdotem ad mentem Concilii Lateranenſis; modo nullam ejus approbatio reſtrictionem contineat & actu ſubſiſtat; hoc eſt ab Epiſcopo non fuerit revocata, nec finitum ſit tempus pro quo conceſſa eſt. Unde a Marculpho id unum exigere poteſt ejus Parochus, ut confeſſionis ſuæ teſtimoniales litteras ipſi ſuppeditaret, ſi forte de ea juſte dubitaret.

Ceterum circa præſentem difficultatem advertere opportunum ducimus, fruſtra quoſdam Religioſos contendiſſe, quod, cum in Gallia non promulgatum fuerit Concilium Tridentinum, etiamnum antiqua ſua ſubſiſtere privilegia in hoc regno, uti ante Concilium: nam 1. Alexander VII. Brevi ſuo ad Epiſcopum Andegavenſem. 26. Februarii ann. 1659. propoſitionem hanc declaravit falſam, temerariam, ſcandaloſam, & ad ſchiſma inducentem & etiam ad hæreſim; quod conſentit cum Decreto ejuſdem ſummi Pontificis 24. Septembris an. 1665. in quo propoſitionem hanc ſaltem ut ſcandaloſam, quæ decima tertia eſt inter damnataa ab illo Pontifice, cenſura inuſſit; *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato; & ab eo injuſte reprobato:* prohibuitque, ne defenderetur, palam traderetur, aut ad praxim rediceretur, indicta etiam pœna excommunicationis, *ipſo facto*, ſanctæ Sedi reſervatæ, excepto ſolo mortis articulo. 2. Quia diſciplina illa a Concilio Tridentino ſtatuta, ab omnibus Epiſcopis Galliæ, Conciliis Provincialibus, aut conſtitutionibus eorum Synodicis admiſſa eſt. 3. Quia ſanctioris Concilii Regii juriſprudentia articulum hunc auctoritate ſua defendit, ut patet ex Arreſto 4. Martii an. 1669. lato pro Epiſcopo Aginnenſi, quo fertur, hunc

Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopum Regulares, etſi olim approbatos, ad novum examen poſſe revocare.

CASUS XXXV.

Josephus, adoleſcens decem circiter aut undecim annos natos, qui mandata Dei & Eccleſiæ nec non Cathechiſmum ſuum apprime novit, miſſus a matre ad confeſſionem Paſchali tempore, ire ſe ſimulavit, uti jam anno elapſo fecerat. Numquid mortalis peccati conſcius cenſendus eſt, quod Eccleſiæ præceptum de annua confeſſione non impleverit?

Respons.

Quandoquidem ſupponitur, eo rationis uſu præditum eſſe hunc adoleſcentem, ut vim hujus præcepti agnoſcat; non dubium eſt, quin mortaliter peccaverit, tale præceptum Eccleſiæ infringendo; ut manifeſte liquet ex verbis Concilii Tridentini, qui omnes continet pueros, qui ad uſum diſcretionis pervenerint: *Omnis utriuſque ſexus fidelis*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnia ſua ſolus peccata confiteantur fideliter, ſaltem ſemel in anno*. Et quamvis non determinaverit Concilium, quæ ſit illa ætas quam diſcretionis appellat, quæ re ipſa eadem eſſe nequit in omnibus pueris, dici poteſt cum Gloſſa hujus Canonis, puerum ad hanc ætatem perveniſſe (*a*), *id eſt, cum eſt doli capax, quia tunc poteſt peccare*: vel ut ait Burdigalenſe Concilium anni 1583. (*b*), cum diſcernere poteſt inter id quod eſt peccatum, & id quod non eſt peccatum: *Moneant Parochi omnes myſteriis Chriſtianæ Religionis initiatos, cum primum juxta Iſujum ſcierint improbare malum, & eligere bonum, ſimul, ut minimum quotannis & maxime acceptabili Quadrageſimæ tempore, omnia peccata ſua proprio Sacerdoti confiteri obligatos eſſe*. Ita illud Concilium. Atqui cum Joſeph de quo præſens difficultas proponitur, decem aut duodecim annos natus ſit, & non ſolum Religionis myſteria quæ Cathechiſmo continentur, ſed etiam Dei & Eccleſiæ mandata ad amuſſim ſit edoctus; procul dubio capax eſt doli ad mentem Gloſſæ, hoc eſt, eo intellectu præditus eſt, ut a malo bonum queat ſecernere. Unde colligendum, quod in caſu propoſito mortaliter peccavit; cum ii omnes, qui, in quo conſiſtat mortale, poſſunt dignoſcere, ad annuam confeſſionem teneantur; ſi quid commiſerint, ut docet Catechiſmus Concilii Tridentini his verbis (*c*): *Cum ad id vitæ tempus quiſque pervenerit, in quo de ſalute æterna deliberandum eſt; tum primum Sacerdoti peccata confiteri debet: cum aliter ſalutem ſperare nemini liceat, qui ſcelerum conſcientia premitur*.

(*a*) Gl. in C. *Omnis*, 12. de pœn. & remiſ. v. *Diſcretionis*.

(*b*) Conc. Burdigal. ſeſſ. 12. de Pœnit.

(*c*) Cathec. Concil. Trid. p. 2. de pœnit.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex Decretali, quæ reperitur in corpore juris, quæque falſam oſtendit eſſe eorum opinionem, qui contendunt, pueros peccati eſſe incapaces ante ætatem quatuordecim annorum. Hæc ſunt ejus verba (*d*): *Pueris grandiuſculis peccatum nolunt attribuere quidam, niſi ab annis quatuordecim, cum pubeſcere cœperint: quod merito crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare furta, mendacia & perjuria non eſſe peccata! At his plena eſt puerilis ætas*.

(*d*) Greg. Papa in Cap. *Pueris*. t. de delictis puecor. l. 5. tit. 3.

Sylvius (*e*) etiam longius procedit; aſſerit enim *quod exiſtimare .... quod non peccent mortaliter ante decimum* (annum) *error eſt: cum conſtet, eos multo ante doli eſſe capaces & habere diſcretionem boni & mali*. Quod probat exemplo, quod refert S. Gregorius (*f*) de puerulo quinque annos nato, qui propter blaſphemias ſuas morte a Deo percuſſus eſt & damnatus. Gerſonem (*g*) quoque laudat hic Theologus, qui affirmat, ſe vidiſſe puerulos non majori ætate provectos, quam eum de quo S. Gregorius, qui jam impudicitia ſe coinquinaverant. Id ipſum quoque & nos in quibuſdam agnovimus, qui in ſimili ætate eo jam libidinis proruperant malo docti parentum exemplo.

(*e*) Sylvius in Suppl. S. Th. q. 6. art. 3. quæſit. 3.

(*f*) S. Greg. l. 4. Dial. c. 8.

(*g*) Joan. Gerſon. tr. de arte audiendi confeſſiones. Conſiderat. 19.

CASUS XXXVI.

Bernardinus, ab initio Quadrageſimæ jam confeſſus, tenetur ne iterum ad confitendum Paſchali tempore, ut annuæ confeſſionis præcepto ſatisfaciat?

Respons.

Exiſtimant quidam Auctores, non ſatisfieri præcepto Eccleſiæ, niſi per confeſſionem Paſchali tempore factam, (*h*) nituntorque conſtitutione Sixti IV. quæ in primo Extravagantium Libro refertur, (*i*) qua videtur hic ſummus Pontifex eorum favere ſententiæ; ſed opinio ſingularis eſt quam amplecti non poſſumus, & contra exiſtimamus, huic præcepto ſatisfieri poſſe per confeſſionem quolibet alio anni tempore factam; eoque indirecte & ex accidenti in Paſchate teneri conſcios peccati mortalis, hoc eſt, ob Communionem Paſchalem, quam tum imperat Eccleſia, & quam digne ſuſcipere nequeunt, niſi poſt obtentam Sacramento Pœnitentiæ peccatorum ſuorum remiſſionem. Equidem non eodem modo loquitur Lateranenſe IV. de Confeſſione & de Communione (*k*): nam loquens de Confeſſione aſſerit, ad eam quemlibet teneri *ſaltem ſemel in anno*, nullam præſcribens temporis circumſtantiam; ſed de Communione loquens, ex profeſſo Paſchale tempus determinat. *Suſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Eucbariſtiæ Sacramentum*. Quod a Tridentino Concilio (*l*) confirmatur, quodque ea de re nihil novi conſtituit, approbans tantum piam tempore quadrageſimali conſuetudinem confitendi. *Unde jam in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maxime probat & amplectitur, tamquam pium & merito retinendum*. Ita ultimum illud Concilium (*m*). Unde ſequitur, Bernardinum jam Quadrageſimæ tempore confeſſum in caſu propoſito non teneri ad iterandam confeſſionem in Paſchate, niſi ab eo tempore in aliquod peccatum mortale inciderit; quo in caſu ad confeſſionem teneretur ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, ne indigne communicaret. In eo aſſentimur Sylvio, aliiſque multis quos laudat: (*n*) *Reſponſio communior*, inquit inclytus ille Theologus, *præceptum confeſſionis ſecundum ſe non obligare pro certa parte anni: ac proinde, qui ſic confitetur, ut inter primam & ſecundam confeſſionem non plus temporis quam annus intercurrat, ſatisfacit præcepto*.

(*h*) Petr. Soto lect. 1.

(*i*) Sixt. IV. in extrav. com. ſin. de treuga & pace l. 1. tit. 9.

(*k*) Conc. Lateran. 4. c. 21. in c. *Omnis*. de pœn. & remiſ.

(*l*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. Can. 9.

(*m*) Idem ibid. c. 9.

(*n*) Sylvius in Suppl. S. Th. qu. 6. art. 5. quæſito 3. & apud eum Melchior Canus, Valdus, Victoria & Nugnus.

Quod pertinet ad Sixtum IV. hæc ſunt ejus verba: *Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parœciani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti; quia de jure tenetur Parœcianus, ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti*. Sed loquitur tantum hic Papa de iis qui ab anno non confeſſi ſunt, ut obſervat idem Sylvius (*o*) poſt S. Thomam (*p*). In quo ſententiæ noſtræ non adverſatur: cum certum ſit, perſonas hujuſmodi in eo caſu teneri ad confeſſionem in Paſchate, ſeu ad implendum annuæ confeſſionis præceptum, ſeu ad digne faciendam Paſchalem Communionem.

(*o*) Idem ibid. ad 3. 2. 3.

(*p*) S. Th. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. qu. unic. ad 3.

Advertendum, quod juxta ſententiam S. Thomæ, licet talis homo non teneatur vi præcepti annuæ confeſſionis ad confitenda venialia; ſe tamen Sacerdoti præſentem ſiſtere debet, ut Eccleſiæ debitum teſtetur obſequium. *Sed ſufficit ad præceptum Eccleſiæ implendum, ut ſe Sacerdoti repræſentet, & ſe oſtendat abſque conſcientia mortalis eſſe: & hoc ei pro confeſſione reputatur* (*q*). Idem ſentit ſanctus Antoninus (*r*), poſt Paludanum.

(*q*) Idem ibidem.

(*r*) S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 14. & apud eum Paludanus.

CASUS XXXVII.

Gerbertus habitui pravo quem non vult dimittere, ab anno & amplius addictus, jamque ad finem ſuum properare tempus Paſchale conſpiciens, invalidam metu ſcandali confeſſionem fecit. Num Eccleſiæ præcepto de annua confeſſione rigoroſe loquendo ſatisfecit?

Respons.

Certum eſt, quod huic præcepto non ſatisfecit, niſi ab anno confeſſus fuerit; hæc eſt enim Eccleſiæ intentio, ut quemlibet fidelem compellat ad ſuſcipiendum digne Pœnitentiæ Sacramentum, *ſaltem ſemel in anno*; quo ſeſe ad Communionem Paſchalem diſponat, quam fructuoſe ac utiliter recipere nequit, niſi poſt obtentam in Pœnitentiæ Sacramento peccatorum ſuorum remiſſionem. Ita communi-

Digitized by Google

muniter Theologi, inter quos Sylvius ſic potiſſimum ſcribit (a): *Reſpondetur præceptum Eccleſiaſticum tunc ſolum impleri, quando confeſſio talis eſt, ut abſolutione ad eam accedente, Sacramentum Pœnitentiæ ſubſiſtat: quia non aliam confeſſionem præcipit Eccleſia, quam Deus: præcepto autem divino non ſatisfit, niſi per ſuſceptionem Sacramenti: ergo nec Eccleſiaſtico. Hinc per confeſſionem voluntarie non integram, aut ſine dolore ..., non impletur præceptum Eccleſiæ*. Ita etiam Navarra (b).

(a) Fr. Sylv. in Supplem. S. Thom. q. 6. a. 5. quæſitu 4.

(b) Navar. in C. *Placuit*. de Pœn. d. 5. n. 183.

Confirmata eſt omnino hæc veritas ab Alexandro VII. qui Decreto ſuo 24. Septemb. an. 1665. (c) iſtam quorumdam Caſuiſtarum temere ſentientium propoſitionem inter damnatas decimam quartam condemnavit: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Quam etiam docere & ad praxim redigere prohibet, propoſita excommunicationis pœna *ipſo facto*, ſanctæ Sedi reſervata, excepto mortis articulo.

(c) Alexand. VII. in Decr. cit. in Bullar. magno tom. V. pag. 403.

Eamdem propoſitionem in Palatio S. Germani damnarunt Gallicani Præſules 4. Septemb. an. 1700. quorum hæc eſt Cenſura: *Hæc propoſitio temeraria eſt, erronea, ſacrilegio favet, & præceptis Eccleſiæ illudit*. Sententiam hanc Eccleſiæ Gallicanæ in aliquo ſuo ſtatuto ſynodico renovavit Eminentiſſimus Cardinalis de Noailles Archiepiſcopus Pariſienſis, & Comitiorum præſes his verbis: *Si confeſſione voluntarie nulla non ſatisfit præcepto confeſſionis ab Eccleſia lato, ut nec ſacrilega Corporis Domini manducatione præcepto Communionis annuæ; minus æquum eſt putari, aliquem confeſſione pariter invalida gratiam indulgentiamque Eccleſiæ promeruiſſe. Quare, qui, &c.* (d).

(d) Mandat. Eminentiſs. Dom. Card. de Noailles Archiepiſc. Pariſienſ. de Caſibus reſ. t. de Abſol. a Caſibus reſ. n. 3.

CASUS XXXVIII.

Gertrudis, mundana mulier, quæ ab anno non confeſſa eſt, tempore Paſchali, Lucianum Parochum ſuum rogat, ut Confeſſionem & Communionem ſuam Paſchalem ad feſta ſequentis Pentecoſtes differat. 1. Poteſt ne Lucianus eam duplici Eccleſiæ præcepto Confeſſionis annuæ & Communionis Paſchalis diſpenſare? 2. Si id ipſum concedat Parochus, an tuta erit conſcientia Gertrudis?

RESPONS.

Exiſtimamus, quod abſolute loquendo, legitimus Superior, qualis eſt proprius Parochus, aliquando Parœcianum ſuum diſpenſare poteſt a confeſſione pro tempore ab Eccleſia præſcripto facienda, permittendo, ut eam ac proinde Communionem ſuam ad aliud tempus remittat. Ratio eſt, quia juſtæ ſubſunt ſæpe ſæpius Parocho aut aliter Confeſſario hujuſce dilationis cauſſæ, ad bonum ſpirituale ſalutemque ſui pœnitentis.

Ita ſentit Sylvius in Supplemento S. Thomæ (e); in quo, poſtquam affirmavit, quod, regulariter loquendo, ad ſolum ſpectat Papam diſpenſare in præcepto Eccleſiæ, ſubjungit: *Quamvis ex conſilio Confeſſarii poſſit quis confeſſionem differre ultra tempus ab Eccleſia conſtitutum*. Unde colligitur, quod in caſu propoſito Gertrudis confeſſionem ad feſta Pentecoſtes differre poteſt Lucianus; modo perſuaſum habeat, hanc dilationem neceſſariam eſſe ad bonum ſpirituale hujuſce mulieris, quæ jam dodum, v. g. pravo affecta habitu, actu de converſione ſua cogitat, & aliquo eget tempore, ut ſe per pia opera pœnitentiæ ad receptionem Sacramenti præparet: quo in caſu Gertrudi licet abſque peccato in præceptum Eccleſiæ, conceſſa ſibi a Parocho ſuo uti facultate; ſed ſi diſpenſationem hanc contra Gertrudis rogaret ad vitandum confeſſionis laborem, & ex defectu ſinceræ converſionis; eam a mortali non excuſaret conceſſa a Luciano dilatio; & ipſe quidem Lucianus peccaret, ſi eam concedens dilationem, pravum hunc in illa agnoſceret affectum (f). Conſentit hæc deciſio cum doctrina S. Thomæ (g), his verbis contenta: *Licet in peccatis permanentes non excuſentur propter hoc a tranſgreſſione præcepti: pœnitentes tamen, qui, ut Innocentius dicit (h), ſecundum conſilium Sacerdotis abſtinent, excuſantur*.

(e) Sylv. in Supplem. S. Th. q. 6. c. 6.

(f) Colloq. Lucionenſ. t. 6. col. 8. qu. 1.

(g) S. Th. 3. p. Sum. q. 80. art. 11. ad. 3.

(h) Innoc. III. in Conc. Lateran. c. 21. in C. *Omnis*. 12. de pœnit. & remiſ. l. 5. tit. 38.

CASUS XXXIX.

Cœlestinus, Epiſcopus Lubiaci in Carinthia ſynodicum promulgavit ſtatutum, quo omnibus ſuæ Diœceſis Clericis jubet, ut ſemel quolibet menſe peccata confiteantur, licet venialia tantum commiſerint. Nonne legitimum eſt illud ſtatutum; & Clerici hujuſce Diœceſis tenentur ne eidem obtemperare?

RESPONS.

Statutum illud a majori Clericorum parte admiſſum eſt legitimum, & eos ſub peccato obligat ad quos pertinet: nam, licet exiſtiment quidam Auctores, ab Eccleſia legem fieri non poſſe, quæ ad venialium ſolum confeſſionem obligat; quia, ut ait Concilium Tridentinum (i): *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur .... multis .... aliis remediis expiari poſſunt*. Nobis tamen opinio contraria, quæ a multis præcipuæ notæ Auctoribus propugnatur, & veriſimilior & ratione potior videtur. Eam tuetur S. Bonaventura his verbis (k): *In caſu tamen contingit*, inquit hic Cardinalis, *quod homo teneatur ea* (ſc. peccata venialia) *confiteri .... propter Eccleſiaſticum inſtitutum .... propter Eccleſiaſticam ſtatutam tenetur, quia omnis fidelis ſemel in anno tenetur confiteri: & ideo ſi non habet, niſi venialia, ſaltem in anno tenetur confiteri; ſed hoc non propter peccati venialis morbum, ſed propter præceptum*. Licet autem Divo Bonaventuræ non omnino aſſentiatur S. Thomas, quoad obligationem confitendi venialia, licet nulla fuerint admiſſa mortalia; exigit tamen, ut ad obediendum Eccleſiæ præſentem ſe Confeſſario ſiſtat, ut obſervavimus in reſponſione ad trigeſimam ſextam difficultatem.

(i) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

(k) S. Bonav. in 4. diſt. 17. p. 3. art. 2. q. 2. in concl.

Navarrus eamdem tuetur cum aliis multis opinionem (l); quæ probari poteſt ſimilis exemplo legis Benedictinis impoſitæ ab Eccleſia, qui nimirum juxta Conſtitutionem Clementis V. in Concilio œcumenico, Viennæ in Delphinatu an. 1311. habito tenentur ſingulis menſibus ad Confeſſionem. En verba (m): *Sane ſingulis menſibus, tam in Monaſteriis, quam extra .... ad confeſſionem ſemel accedant omnes & ſinguli Monachi*. Quod procul dubio intelligi non poteſt de ſola mortalium Confeſſione: quandoquidem nefas ſit credere, tot pios ſanctoſque Religioſos quibus elucet hic Ordo, adeo frequenter in mortale incidere. Cur igitur eamdem in Clericos ſuæ Diœceſis poteſtatem non haberet Epiſcopus, præcipue ſynodicum promulgando ea de re ſtatutum; cum negari non poſſit, privato cuilibet licere, ut ad menſtruam vel etiam hebdomadariam voto ſe adſtringat confeſſionem, & quidem vel de ſolis venialibus? Re ipſa id fit in Diœceſi Friſingana in Bavaria, ut teſtatur Auctor e Soc. Jeſu (n), ubi tali modo Clericis impoſita fuit & ſervatur lex menſtruæ confeſſionis, ut Eccleſiarum Superiores ad Epiſcopum mittere teneantur litteras teſtimoniales, a Confeſſariis ſubſcriptas, in quibus eorum nomina referuntur, qui præcepto ſatisfecere.

(l) Nav. in C. *Placuit*. de Pœnit. d. 5. n. 122.

(m) Clem. V in Cl. *Ne in agro*, §. *Sane* de ſtatu Monach. vel Canonic. reg. lib. 3. tit. 10.

(n) Layman.

Sylvius eamdem quoque ſententiam amplectitur, quam tribus probat rationibus (o): *Primo*, inquit, *quia illius præcepti poteſt eſſe cauſſa rationabilis, nec deeſt in præcipiente legitima poteſtas. Secundo confeſſio venialium eſt actus non minus utilis, quam jejunium & oratio*, quæ ſcilicet imperare poteſt Epiſcopus. *Tertio, quia poteſt percipere Confirmationem & Euchariſtiam, etiam illo tempore, quo jus divinum ad ea non obligat*.

(o) Sylv. in Suppl. S. Thom. q. 6. art. 3. quæſito 2.

CASUS XL.

Hervæus, quatuor peccata mortalia confeſſus, de iis vere doluit, nullatenus cogitans de aliis duobus, quæ confitens oblitus eſt. Nonne duo illa ei fuere remiſſa, uti quatuor prima?

RESPONS.

Diſtinctione opus eſt: *Nam aliquod peccatum poteſt eſſe oblitum dupliciter*, inquit S. Thomas (p): *aut ita quod in generali in memoria maneat, ſed non in ſpeciali; & tunc debet homo recogitare ad inveniendum peccatum, quia de quolibet mortali peccato tenetur ſpecialiter conteri. Si autem invenire non poſſit ſufficit de eo conteri ſecundum quod in notitia tenetur; & debet homo non ſolum de peccato, ſed de oblivione ejus dolere, quæ ex negligentia contingit. 2. Si autem peccatum omnino a memoria excidit*, addit hic Sanctus, *tunc ex impotentia faciendi excuſatur a debito, & ſufficit generalis contritio de omni eo in quo Deum offendit*.

(p) S. Th. in 4. diſt. 17. q. 2. art. 3. quæſt. 3. ad 2.

Præſuppoſita illa diſtinctione, dicimus, quod,

ſi Her-

Digitized by Google

ſi Herveus noverit, ſe alia quædam mortalia peccata commiſiſſe, præter quatuor declarata, non recordans tamen de iis ſpeciatim, ea generatim Confeſſori ſuo declarare tenetur, ac vere de iis conteri, uti de negligentia, qua ea oblitus eſt, ſed ſi e memoria ſua penitus exciderint illa peccata; atque elicito actu generali contritionis abſolutus fuerit, duo ei peccata quæ oblitus erat, cum reliquis declaratis remiſſa ſunt.

Fatendum tamen cum S. Thoma, quod ſi in poſterum forſan recordetur, ea ſpeciatim deteſtari tenetur: *Sed quando impotentia tollitur ſicut cum ad memoriam peccatum revocatur: tunc tenetur homo ſpecialiter conteri:* quod probat Angelicus Doctor iſta paritate: *Sicut etiam de paupere qui non poteſt ſolvere quod debet, excuſatur: & tamen tenetur, cum primo potuerit.*

C A S U S XLI.

Philibertus, multa confeſſus peccata mortalia, de quibus, cum vere eſſet contritus, abſolutus eſt; poſt dies aliquot recordatus eſt alterius peccati mortalis, quod declarare omiſerat, Numquid illud in prima quam facturus eſt, confeſſione accuſare teneatur; & ſi forte teneatur; nonne neceſſe eſt, ut de eo a Confeſſore abſolvatur, ut ejus veniam impetret?

Ratio dubitandi eſt, quia ex Concilio Tridentino peccata oblita vere remittuntur per abſolutionem Sacerdotis, modo ſit pœnitens ad eam recipiendam rite diſpoſitus. Unde ſequitur, jam non eſſe neceſſe, ut illud de novo confiteatur, novamque recipiat abſolutionem.

R e s p o n s.

Cum pœnitens, ſacto prius conſcientiæ ſuæ diligenti examine, ceteriſque ad recipiendum digne pœnitentiæ Sacramentum allatis diſpoſitionibus, omnia quæ recordari potuit, peccata confeſſus eſt, ac de iis abſolutus fuit; certum eſt, omnia eſſe remiſſa, ne iis quidem exceptis quæ e memoria exciderunt, ut docet Concilium Tridentinum his verbis (*a*): *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſam eamdem confeſſionem incluſa eſſe intelliguntur.* Attamen clavibus Eccleſiæ oblita ſubjicere tenetur, ea, ubi primum recordatus fuerit, Confeſſori declarando, ut in proxima Confeſſione de iis abſolutionem accipiat.

(*a*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

Ratio eſt, quia Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. habitum (*b*) declarat, fideles teneri ad confitendum omnia ſua peccata. *Omnis utriuſque ſexus fidelis .... omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter.* Quod etiam a Tridentino confirmatur; eumque obligationem ſemper manere, etſi remiſſa fuerint oblita peccata. Sic ſentit Dominicus Sotus. En ejus verba (*c*): *Illa vero* (peccata) *quorum poſt diligentem indaginem meminiſſe nequit, ſimpliciter quidem confiteri tenetur: ſed tamen pro tunc excuſatur ignorantia invincibili, & propterea dictum eſt in Concilio Florentino:* Quorum memoriam habeat. *Quod autem obligatio ſemper ea confitendi maneat, inde conſtat, quod poſtquam in memoria recurrerint, ſunt neceſſario confitenda: idque non propter obligationem tunc conſurgentem, ſed propter antiquam quæ ſemper manet.*

(*b*) Conc. Later. 4. in C. Omnis. 12. de Pœn. & remiſ.

(*c*) Dom. Sotus in 4. diſt. 18. qu. 2. art. 3.

Sylvius eamdem tuetur opinionem (*d*): nam ſacta ſibi objectione iſta: *Confeſſio non eſt neceſſaria, niſi propter remiſſionem: ergo dum habetur remiſſio, tollitur neceſſitas confeſſionis:* negat antecedens, ejuſque rei hanc affert rationem: *Quia confiteri eſt neceſſarium etiam neceſſitate præcepti: & quamvis a confeſſione oblitorum, excuſetur quis per ignorantiam invincibilem: obligatio tamen ea confitendi ſemper maneat. Ad hoc enim tenetur eodem jure divino, quo lapſi a Baptiſmo tenentur ad integram mortalium confeſſionem juxta ſententiam B. Thomæ ... & communem aliorum.* Unde ſic concludit hic Auctor: *Confeſſio ergo peccatorum oblitorum eſt neceſſaria, tum ad exſequendum Chriſti præceptum de neceſſitate confeſſionis, tum ad ſatisfaciendum voto, ſeu propoſito confitendi omnia & ſingula: quod votum in priori confeſſione includebatur; ac præterea, ut a Sacerdote, tamquam Judice cognoſcantur, & pro illis injungatur ſatisfactio.*

(*d*) Sylvius in ſuppl. 3. p. ſum. S Thom. qu. 9. art. 2. quæſt. 4.

Theologi illi, aliique plurimi qui eamdem rem docent, doctrinam S. Thomæ in hoc amplexi ſunt, ut conſtat ex his verbis (*e*): *Quia ſi in ſacramentali confeſſione non ſolum requiritur abſolutio, ſed judicium Sacerdotis ſatisfactionem imponentis exſpectatur; & ideo, quamvis iſte abſolutione ſit functus, tamen tenetur confiteri, ut ſuppleatur quod defuit ſacramentali Confeſſioni.* Ex his teſtimoniis evidenter conſtat, quoſdam Auctores perperam defendiſſe, obligationem confitendi omnia peccata, ad ea tantum pertinere, quorum quis recordatur confitendo, eoque ſolo ſenſu intelligenda eſſe verba Conciliorum Lateranenſis, Florentini & Tridentini (*f*). Doctrina ſancti Thomæ nec non celeberrimorum Theologorum, eorum procul dubio anteponenda eſt opinioni, quæ ex Decreto Alexandri VII. 24. Septembris proſcripta eſt, quod iſtam quorumdam Caſuiſtarum laxioris diſciplinæ fautorum damnat uti falſam, temerariam & ſcandaloſam: *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ vel ob aliam cauſſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.* Quas propoſitiones doctrinam docere vel ad praxim redigere vetat, propoſita excommunicationis pœna Apoſtolicæ ſedi reſervata, excepto mortis articulo.

(*e*) S. Th. 4. diſt. 22. q. 2. art. 2. ad 1.

(*f*) Conc. Later. 4 & Conc. Trid. locis cit.
Conc. Flor. ſub Eug. IV. in inſtr. Armen.

Ad caſum itaque propoſitum dicendum teneri Philibertum ad declarandum in proxima confeſſione ſua peccatum mortale, quod in præcedenti oblitus eſt; licet, rigoroſe loquendo, non ſit neceſſe, ut de eo iterum abſolvatur, cum ejus oblivio, ut ſupponitur, non ſit culpabilis. Nihilominus ex uſu communiori & tutiore denuo abſolvitur hujuſmodi pœnitens; quando peccatum declarat omiſſum ex puro memoriæ defectu, & poſt præmiſſum conſcientiæ ſuæ diligens examen: quocirca ſapienter ſe geret Philiberti Confeſſarius, ſi eum de tali peccato in proxima ſua confeſſione ſe accuſantem abſolvat.

C A S U S XLII.

Theobaldus miles, certo pugnaturus eſt in certamine quod poſtridie cum hoſtibus committi debet. Tenetur ne ſub mortali peccato, ad confitendum omnia ſua peccata, ſi commode poſſit?

R e s p o n s.

In caſu propoſito tenetur miles ille ad confitendum, ſi poſſit; ita ut, ſi negligat, ſit reus peccati mortalis: quandoquidem voluntario damnationis periculo ſe committit, in eo quo ſupponitur eſſe ſtatu peccati moriens in pugna, & ex quo nonniſi per Sacramentum pœnitentiæ poteſt exire, ut docet S. Thomas his verbis (*g*): *Neceſſarium eſt ad ſalutem peccatoris, quod peccatum removeatur ab eo: quod quidem non poteſt fieri ſine Sacramento pœnitentiæ, in quo operatur virtus Paſſionis Chriſti per abſolutionem Sacerdotis, ſimul cum opere pœnitentis, qui cooperatur gratiæ ad deſtructionem peccati .... Unde patet, quod Sacramentum pœnitentiæ eſt neceſſarium ad ſalutem poſt peccatum.* Ac præcipue in tali periculo urget abſoluta hujuſce Sacramenti neceſſitas, ut docet Sylvius (*h*) fidus Doctoris Angelici interpres: *Per ſe & vi ſua,* inquit hic Auctor, *præceptum hoc divinum obligat in periculo, & multo magis in articulo mortis:* cujus rei hanc rationem ſubjungit: *Commune eſt enim omnibus præceptis affirmativis, ut obligent tempore neceſſitatis, cujuſmodi eſt probabile mortis periculum:* quod quidem reperitur, *quando* inquit, *judicio viri prudentis, mors eſt veriſimiliter metuenda, ut in quo homines frequenter moriuntur.* In qua autem occaſione manifeſtius eſt tale periculum, quam occurrente pugna inter duos hoſtiles exercitus in qua perſæpe plura cæduntur hominum millia? Unde iſtam concluſionem elicit hic Theologus, qua propoſitam de Theobaldo difficultatem aperte diſſolvit. *Hinc qui ingrediuntur prælium, aut periculoſam navigationem .... & ſimiles, qui aggrediuntur aliquid, unde mors ſolet evenire, tenentur confiteri, ſi peccati mortalis conſcii ſint.* Et paullo poſt: *Ex his ſequitur, eum, qui habet copiam Confeſſarii, & eſt in eo ſtatu, in quo, ſi nunc non confiteatur, probabiliter timet futurum, ut ante mortem non poſſit confiteri .... teneri ad tunc confitendum, quia alioquin exponit ſe periculo moriendi ſine confeſſione.*

(*g*) S. Th. 3. p. Sum. q. 84. art. 5. in corp.

(*h*) Sylvius in ſuppl. S. Th. q. 6. art. 5. quæſito 1. concluſ. 2.

CA-

Digitized by Google

CASUS XLIII.

Rufinus, propria cum uxore concumbens, ſeſe ſodomitico peccato fœdavit; ſed quia ejuſmodi ſcelus mortale eſſe ignorabat; immo vero carnalia omnia opera, cum propria conjuge admiſſa, licita eſſe, aut ſaltem citra mortiferam culpam exerceri poſſe exiſtimabat, illud in confeſſione non aperuit. Tenetur ne hancce confeſſionem ac ſimiles, tamquam nullas ac ſacrilegas iterare?

Respons.

Rufinum ad iterandas confeſſiones, poſt tale crimen ab eo cum uxore perpetratum ſactas, teneri certum eſt: nec enim illum ignorantia excuſare poteſt. Ratio eſt, quia nefandum hoc crimen ipſo jure naturali vetitum eſt: at ignorantia circa ea quæ ſunt juris naturalis, tam facilis cognitu, neminem excuſat; at etiam ait Gratianus (*a*): *Ignorantia juris .... naturalis omnibus adultis damnabilis eſt*. Unde neceſſe eſt, ut omnia peccata, poſt illud admiſſa, iterum cum eodem crimine apud Confeſſarium deponat Rufinus, & ab eis abſolvatur. Conſule, quæ de tali ignorantia infra dicturi ſumus.

(*a*) Gratian. §. 2. ad Can. *Turbat.* 22. 3. qu. 4.

CASUS XLIV.

Casimirus, adoleſcens quatuordecim quindecimve annos natus, pollutionis ſeſe peccato quam ſæpiſſime fœdavit, neque illud in confeſſione declaravit, exiſtimans, eam voluptatem, utpote naturalem, non eſſe peccaminoſam. Octodecim jam annorum ætate provectus, Caſuiſtæ cujuſdam lectione agnovit peccatum illud eſſe mortale. Tenetur ne omnes ſuas iterare confeſſiones, eo tempore factas, quo tali laborabat ignorantia?

Ratio dubitandi eſt, quia *Ignorantia facti, non juris excuſat*, ut ait Bonifacius VIII. (*b*): & tamen ignorantia invincibilis, qualis eſſe videtur Caſimiri, excuſat.

(*b*) Boniſ. VIII. in reg. 13. de reg. juris in 6.

Respons.

Licet ignorantia Caſimiri eum a peccato non excuſaverit, cum illud admiſit; eo quod veriſimile non ſit eam fuiſſe invincibilem; nihilominus, ex multis modo laudandis Auctoribus, excuſatur a ſacrilegio, quod commiſiſſet omiſſo illo in confeſſione ſua peccato, ſi mortiferum eſſe cognoviſſet. Unde colligunt omnes ejus priores confeſſiones non eſſe ab eo iterandas, tamquam nullas ac ſacrilegas; ſed ſufficere tantum ut mollitiei peccata confiteatur, ob ignorantiam ſuam omiſſa: nam idem, inquiunt, de eo ferri debet judicium, uti de quibuſdam peccati circumſtantiis, quas declarare debuiſſet, & quas ex ignorantia omiſiſſet; vel uti de numero quorumdam mortalium, quem in confeſſione non declaraſſet: cum in utroque caſu ſit certum, eum non teneri ad iterandas confeſſiones ſuas, ſed ſufficere, ut illas circumſtantias, aut numerum in prima ſua confeſſione accuſaret. Ita Angelus de Clavaſio, (*c*) Silveſter (*d*), Navarrus (*e*), ſeptemque alii Auctores, quos laudat Sylvius (*f*) iis aſſentiens.

Addi poteſt etiam, quod cum ob ignorantiam peccatum illud in confeſſione tacuerit Caſimirus, & conſtet ipſum fuiſſe confeſſum, ſi ſe mortaliter peccare exiſtimaſſet, tale facinus admittendo; de eo idem ferri debet judicium, ac de homine, qui poſt diligentem conſcientiæ ſuæ inquiſitionem, quædam mortalia peccata confiteri oblitus fuiſſet: at certum eſt, peccata ſic omiſſa cum aliis confeſſis remitti per abſolutionem quæ recipitur, ut conſtat ex his Tridentini verbis (*g*): *Conſtat enim nihil aliud a pœnitentibus exigi, quam ut poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur*. Quocirca ea ſufficit, ubi occurrent, Eccleſiæ clavibus ſubjicere in confeſſione; illa vero quæ jam fuere ſubjecta, non iterandu.

(*c*) Angelus de Clavaſio. v. *Confeſſio*. 1. qu. 27.

(*d*) Silveſter de Prierio v. *Confeſſor*. 1.

(*e*) Navarrus Manual. c. 9. num. 11.

(*f*) Sylvius Reſolut. var. v. *Confeſſ*. 2. Reſp. ad 1. quæſitum & in ſupplem. S. Thom. qu. 9. art. 2. quæſito 6.

(*g*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

Hinc concludi poteſt, quod ſi pollutionem fuiſſe peccaminoſam ignoraverit Caſimirus, & contra exiſtimaverit eam eſſe innoxiam; ſufficit, ut non repetitis aliis ſuis confeſſionibus præcedentibus, hoc unum peccatum ex pura ignorantia omiſſum confiteatur, ipſius numerum, aliaſque neceſſarias circumſtantias exprimendo: at ſi ignorantia ejus craſſa fuerit ac ſupina, & dubitaverit, num peccaret, actionem illam committendo; in hoc caſu præteritas confeſſiones ſuas iterare tenetur. *Cum enim non eſt integra* (confeſſio,) inquit Toletus (*h*), *.... iteranda eſt, ſive proveniat, quia ſcienter occultaverit aliquod peccatum mortale, ſive quia ignorabat eſſe mortale, tamen ignorantia nimis craſſa: nam ſi ignoraſſet ex alia ignorantia excuſabili, reiterare non teneretur, ſed ſolum illud peccatum confiteri, ſive etiam &c.*

(*h*) Franciſc. Toletus inſt. Sacerdot. l. 3. c. 10. §. 5.

Quod poſt Toletum affirmamus, ignorantiam videlicet craſſam vel affectatam non excuſare, nititur doctrina S. Thomæ, (*i*) qui aſſerit Communiones factas in tali ignorantia a ſacrilegio non poſſe excuſari. *Peccat peccator ſumens Corpus Chriſti; licet non habeat conſcientiam peccati: quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum*. Hæc ſunt verba Angelici Doctoris, ex quibus colligendum confeſſiones in eo ſtatu factas non minus eſſe ſacrilegas, quam Communiones, quarum proinde confeſſionum defectus nova omnium quæ jam declarata fuerant, aut ob ejuſmodi ignorantiam omiſſa, peccatorum confeſſionem reſarciri debent; cum ea ignorantia, nedum excuſet peccatorem, *eſt ei in peccatum*.

(*i*) S. Th. 3. p. Sum. qu. 80. art. 4. ad 5.

Fatendum, allatas hactenus auctoritates, prima fronte, Caſimiro videri favere: ſed ſi verum ſit, quod mortalem peccati ſui malitiam invincibiliter ignorare non potuerit; veriſimile eſt omnino, eum peccati ſui malitiam in prioribus ſuis confeſſionibus non fuiſſe deteſtatam, cum firmo eas non admittendi deinceps propoſito; ac proinde ſufficientem ac neceſſariam Sacramenti contritionem neceſſaria non habuiſſe: unde colligi neceſſe eſt, ipſum teneri ad interandas confeſſiones in hoc ſtatu factas.

CASUS XLV.

Hippolytus, S. Carenci Parochus, ad celebrandum coactus, cum mortale peccatum admiſerit, quod neque Vicario ſuo, neque vicinis Parochis confiteri poteſt, niſi alterius peccatum detegendo, quem ipſe in confeſſione audivit, exiſtimavit ſe peccatum illud in confeſſione ſua occultare poſſe, ne pœnitentis ſui confeſſionem revelaret. Tenetur ne confeſſionem ſuam, tamquam nullam & invalidam iterare?

Responſa.

Exiſtimamus confeſſionem Hippolyti non eſſe ſacrilegam, ac proinde non iterandam. Ratio eſt, quia tale peccatum in hac circumſtantia occultare potuit; & ne quidem ad confeſſionem tenetur, ſed ſufficit, ut ſincerum contritionis actum de peccatis ſuis eliciat cum propoſito quam primum confitendi, ubi poterit, auditæ confeſſionis ſigillum non infringendo; uti docent Aſteſanus, Scotus, Richardus, quos laudat Silveſter ipſis aſſentiens (*k*): *Dicit Aſtenſis poſt Richardum & Scotum, quod non debet confiteri eo caſu durante, ſed ſufficit confiteri cum intentione confitendi; quando ſine præjudicio poterit dicti ſigilli, quia fortius eſt vinculum ſigilli, quam confeſſionis*. Hæc ſunt verba Silveſtri.

(*k*) Silveſt. v. *Confeſſ*. 3. qu. 13.

Sylvius eamdem opinionem amplectitur, & poſitive affirmat in caſu propoſito occultari poſſe ejuſmodi peccatum his verbis (*l*): *Confeſſarius*, ait doctus ille Theologus, *quia aliquod peccatum mortale habet, quod non poteſt confiteri abſque revelatione confeſſionis ſibi factæ, confiteri debet reliqua, illo (quamdiu eſt ejuſmodi periculum) tacito .... quia ſigilli præceptum magis obligat, quam materialis integritas confeſſionis*. Ita etiam Navarrus, qui aſſerit hanc eſſe ſententiam omnium Theologorum, qui in Magiſtrum ſcripſere (*m*): *Tenetur illud tacere, & reliqua confiteri, cum propoſito etiam illud confitendi, quando abſque præjudicio prædicti ſigilli facere poterit, ſecundum omnes in 4. Sent. diſt. 21.*

(*l*) Sylv. in ſuppl. S. Th. qu. 21. art. 1.

(*m*) Navarr. Manual. c. 8. num. 6.

CASUS XLVI.

Bernardina certo novit, Hippolytum Parochum ſuum jam ab anno & amplius clam criminoſe cum quadam ſe gerere. Poteſt ne, illæſa conſcientia ſua, apud eum peccata ſua Paſchali tempore deponere, præſertim ſi alterius Confeſſoris copiam non commode queat habere?

RESPONS.

Reſpondemus ex doctrina S. Thomæ, Bernardinam abſque peccato apud Hippolytum peccata ſua deponere poſſe in Paſchate, etſi eum noverit privata libidine fœdam ducere vitam: licet enim Parochus ille coram Deo ſit ligatus, nec miniſterio ſuo fungi queat abſque crimine, in hoc pravo habitu perſeverans; non talis tamen cenſetur quoad fideles, donec in eum intervenerit Eccleſiæ judicium: *Sed non omnes* (Sacerdotes) *peccatores ſunt per ſententiam Eccleſiæ exſecatione hujus poteſtatis privati*; inquit Angelicus Doctor (*a*): *& ſic: quamvis ſint ſuſpenſi, quantum ad ſe ex ſententia divina; non tamen quantum ad alios ex ſententia Eccleſiæ, licet ab eis communionem accipere & eorum Miſſam audire*. Idem affirmat Nicolaus Papa in ſua ad Bulgaros reſponſione de pari difficultate (*b*): *Qualiſcumque Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt. Idcirco ab eo uſquequo judicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt: quoniam mali, bona adminiſtrando, ſe tantummodo lædunt*. Ex quo manifeſte conſtat, quod ſi a tali Sacerdote poſſit accipi ipſa communio, a fortiori poteſt & abſolutio; ac præcipue cum alteri Sacerdoti commode fieri nequit confeſſio, & urget obligatio vel neceſſitas Sacramenti ſuſcipiendi.

(*a*) S. Th. 2. p. ſum. qu. 28. art. 9. in corp.

(*b*) Nicol. in Can. *Sciſcitantibus*. fin. 25. q. 5.

CASUS XLVII.

GAVINIUS ET SAMPSO, Sacerdotes, inter ſe litigant de Parœcia S. Naburis, quam ambo juxta præſcriptas formulas adivere vi proviſionum ſuarum, quas in Romana Curia obtinuere. Quæritur, utrum Parœciani alterutri, prout magis libuerit, valide peccata ſua confiteri non poſſint?

RESPONS.

Diſtinctione opus eſt: duplex namque genus eſt poſſeſſionis: altera ſcilicet canonica, & altera civilis. Poſſeſſio canonica obtinetur conſequenter ad litteras teſtimoniales, quas vocant *viſa*, Epiſcopi diœceſani aut Vicarii ejus generalis, aut, ipſo recuſante, Metropolitani; ei datas qui proviſus eſt de Beneficio: quæ licet ad Proviſionis naturam non pertineat, ipſius tamen exſecutionis partem conſtituit, ut ait Perrerius (*c*): Poſſeſſio civilis obtinetur vi permiſſionis a Judice ſæculari conceſſæ ſolum *ad conſervationem juris*: quæ ita parum efficax eſt, ut jus Regaliorum non impediat, uti ex Arreſto Senatus Pariſienſis an. 1351. dijudicatum eſt.

(*c*) Perrerius Tract. de ſtatu & capacitate Cl. l. 7. c. 8. n. 35. pag. 643.

(1) Prima jus confert omnes obeundi functiones, quas exigit Beneficium: at ſecunda non confert ex Edicto Juriſdictionis Eccleſiaſticæ menſis Aprilis anno 1695. (*d*) & confirmato 14. Maii ſequentis; quo ſic habetur: *Quando curiæ noſtræ, aut alii Judices conceſſerint proviſis de Beneficiis, quibus* viſa *ſuum recuſaverint Archiepiſcopi, aut Epiſcopi ea adire ad conſervationem ſui juris, nullam in iis obire functionem ſpiritualem vel eccleſiaſticam poterunt ex dictis Arreſtis*. Et quidem Beneficium obtineri nequit vi ſolius ſignaturæ curiæ Romanæ, neque fructus percipere abſque *viſa*: alioquin intruſus declaratur qui ſic agit, ut ait Bouchel (*e*) in ſua Bibliotheca canonica.

(*d*) Edict. an. 1695. art. 7.

(*e*) Vid. Additio ad Benefic. tom. 2. pag. 254. col. 1.

Quod cum ita ſit, reſpondemus, quod ſi Epiſcopus, aut, ipſo recuſante, Metropolitanus Gavinio & Sampſoni, *viſa* ſuum cuique conceſſerit; apud alterutrum prout voluerint, Parœciani ſua poſſunt deponere peccata; donec acceſſerit inter eos decretoria ſententia: at vero, ſi alteruter ab Epiſcopo *viſa* ſuum non impetrarit, ſolamque poſſeſſionem civilem obtinuerit; apud ipſum valide confiteri nequeunt Parœciani.

CASUS XLVIII.

LEO, omnia ſua peccata mortalia confeſſus de quibus abſolutus eſt, ſine ullo tamen emendationis propoſito, tenetur ne ad reparandum illud ſacrilegium, illa denuo eidem declarare Confeſſario, cum ipſum adit iterum ad accuſandum ſacrilegium a ſe perpetratum; & Confeſſarius omnium quæ declaravit, peccatorum recordatur?

RESPONS.

Sufficit in caſu propoſito, ut Leo ſacrilegium a ſe commiſſum aperiat, nec tenetur eadem quæ jam accuſavit, peccata iterum eidem Confeſſario declarare, modo ea deteſtetur. Ratio eſt, quia peccator ideo ad declarationem peccatorum ſuorum tenetur, ut ea Confeſſario ſuo innoteſcant. At heic ſupponitur, jam notam eſſe confeſſario Leonis conſcientiam; cum ei jam ſua declaraverit peccata, & prior ejus confeſſio virtualiter iteratur, & cum aliis ad Sacramentum requiſitis diſpoſitionibus conjungitur. Ita docet S. Thomas (*f*) his verbis: *Confeſſio eſt actus virtutis & pars Sacramenti*, inquit hic Sanctus: *ſecundum autem quod eſt actus virtutis, eſt actus meritorius proprie; & ſic confeſſio non valet ſine caritate, quæ eſt principium merendi: ſed ſecundum quod eſt pars Sacramenti, ſic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Eccleſiæ, qui per confeſſionem conſcientiam confitentis cognoſcit: & ſecundum hoc confeſſio etiam poteſt eſſe in eo, qui non eſt contritus, quia poteſt peccata ſua Sacerdoti innoteſcere & clavibus Eccleſiæ ſe ſubjicere: & quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet: ſicut etiam eſt & in aliis Sacramentis. Unde non tenetur iterare confeſſionem, qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodum fictionem ſuam confiteri*. Ita etiam Navarra, (*g*) poſt S. Antoninum, Silveſtrum, & alios (*h*).

(*f*) S. Th. d. 24. p. 3. art. 3. in corp.

(*g*) Nav. Manual. c. 2. in fin.

CASUS XLIX.

SIGISMUNDUS, plura mortalia habitualia confeſſus cum ſincero animi dolore firmoque ea non deinceps admittendi propoſito, timet, ne ob infidelitatem ea de novo admittat, cum illa tamen omni ratione vitare conſtituat. Num ejus confeſſio deficiens eſt ob defectum firmi propoſiti?

(*h*) S. Anton. p. Sum. t. 24. art. 19. §. 4. & Silveſter. v. *Confeſſio* §. *Si tamen*. & alii apud eos.

RESPONS.

Exiſtimamus, abſolute loquendo, ex ejuſmodi timore non deficiens fieri firmum Sigiſmundi propoſitum, nec invalidam proinde confeſſionem ejus: nimirum ſæpe evenit, ut, qui vere ad meliorem frugem redierunt, non amplius peccare firmiter conſtituerint, licet eo exagitentur metu, & etiam vereantur, ne firmo ſuo ſtent propoſito; cum timor ille ſæpe ex ſincero emendationis ſuæ propoſito, ex propriæ fragilitatis notitia & ex levitate præteritorum ſuorum propoſitoram oriatur.

Ratio eſt, quia ad ſufficiens propoſitum ſatis eſt, ſi voluntas non amplius peccandi ſit ſincera & vera, licet eam comitetur ille timor; cujus impetum in pœnitente ſuo frangere debet ſapiens & caritate plenus Confeſſor, ipſum videlicet admonendo futurum, ut Deus opitulante gratia ſua bono ejus propitius ſit propoſito, ipſum hortando, ut ſupremæ illius clementiæ confidat, rationeſque ſuggerendo idoneas ad vitandum peccatum.

CASUS L.

POSTULAT Saviani Confeſſor, qui ipſum a quinque ſexve annis in habitu crimino ſo vivere ſine emendatione novit, licet quindecies aut vigeſies de eo jam prius ſit confeſſus, utrum omnes ejus confeſſiones invalidas ob defectum veræ contritionis habere non teneatur, & ab eo proinde generalem exigere confeſſionem, qua priores reſarciantur?

RESPONS.

Priuſquam ſolvatur hæc difficultas; quatuor ſupponenda ſunt principia, ex æquo certa & inconcuſſa.

Primum: quod contritio, ſaltem imperfecta, ſit neceſſaria ad validam confeſſionem.

Secundum: quod non vera eſt contritio, quam non comitatur firmum deinceps non peccandi propoſitum. *De neceſſitate pœnitentiæ eſt*, inquit ſanctus Thomas, (*i*) *ut pœnitens habeat propoſitum peccata iterum non committendi*.

(*i*) S. Th. in 4. ad Hannibaldum art. 4. ad 3.

Tertium: quod propoſitum illud certum eſſe debeat & ſincerum, non vero incertum & imperfectum; quale eſt videlicet propoſitum quorumdam peccatorum, qui ex eo invalidas efficiunt confeſſiones ſuas, & de quibus loquitur Auctor libri de vera & falſa pœnitentia dicens (*k*): *Sunt plures, quos pœnitet peccaſſe, ſed non omnino*.

(*k*) Apud S. Aug. l. de vera & falſ. Pœnit. in Can. *Sunt plures*. 41. de Pœnit. diſt. 3.

Quar-

(*a*) Vid. *Mend. Pontaſ.* Obſerv. III. Num. XV.

Quartum: quod, quamvis ſemper ſuſpecta ſit & ſæpe falſa pœnitentium converſio, qui de peccatis ſuis abſoluti, in eadem paullo poſt relabuntur; peccator tamen perfecte converſus, non ideo fit impeccabilis, ſed in priſtina redire poteſt delicta; quod poſt converſionem ſuam ad bonum malumve liber remaneat, nec naturalem ejus ad malum propenſionem omnino deſtruxerit accepta Sacramenti gratia: nam qui contrarium auderet aſſerere, is Calvini adhæreret hæreſi, quam in hoc Canone anathemate perculit Concilium Tridentinum (a): *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit, amplius peccare non poſſe nec gratiam amittere, anathema ſit.* Unde S. Thomas (b): *Poteſt tamen hoc ejus propoſitum immutari*, inquit, *nec tamen ſequitur, quod prima pœnitentia non fuerit vera; nec eſt inconveniens, quod voluntas, quia præterita deflet, iterum in peccata conſentiat propter libertatem ejus.* Et alibi iterum: *Quod autem aliquis poſtea peccet, vel actu vel propoſito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit: numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem: ſicut enim vere cucurrit qui poſtea ſedet, ita vere pœnituit, qui poſtea peccat.*

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 23.

(b) S. Th. l. c. & 3. p. qu. 84. art. 10. ad 4.

Præſuppoſitis illis principiis, dicimus, quod, quamvis priorum confeſſionum invaliditatem certo non arguat relapſus in peccatum, ex eo tamen oritur vehemens conjectura, quod vere non eſt converſus peccator; cum ſæpe, & paullo poſt confeſſionem ad ſolita redit peccata: non enim minus rarum, quam difficile eſt, ut quis vere de crimine doleat, in quo multis jam annis perſeverat. Unde Tertullianus (c): *Ubi emendatio nulla*, inquit, *pœnitentia nulla.*

(c) Tertull. de pœn. c. 6.

Equidem quo pacto credi poteſt, ſincere cum Deo reconciliatum eſſe peccatorem, qui novis eum ſemper delictis offendit? Quis ſanus exiſtimet, quempiam cum inimico ſuo in gratiam rediiſſe, quamcumque ei in futurum promittat amicitiam; cum paullo poſt data fictæ amicitiæ promiſſa ei de novo inſultat, & repetitis illis promiſſis novæ ſemper ſuccedunt injuriæ? Numquid vana potius cenſeri debent data illa fides, falſaque reconciliatio? Hinc merito de falſo illo pœnitente loquens Antiquus dicit (d): *Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet; nec videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus.* Hinc Sancti crediderunt cum vera pœnitentia non ſolum in deflendis præteritis, ſed etiam evitandis peccatis eſſet poſita; eam ſemper falſam eſſe ducendam, cui non comes eſſet morum emendatio. *Lavatur & non eſt mundus*, addit idem Auctor, *qui plangit quæ geſſit, nec tamen deſerit, ſed poſt lacrymas ea quæ fleverat, repetit.* Idem jam ante dixerat Gregorius Magnus his verbis: (e) *Lavantur ergo & nequaquam mundi ſunt: commiſſa flere non deſinunt, ſed rurſum flenda committunt.*

(d) Iſidor. in Can. Irriſor. 11. de pœnit. diſt. 3.

(e) Greg. Pap. in Can. Lavamini. 13. cit. diſt. 3.

Non aliam quoque veram pœnitentiam agnoſcit S. Ambroſius: nam *Pœnitentia*, inquit S. Doctor, *eſt & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Uno verbo hæc eſt communis ſanctorum Patrum locutio, ex qua conſtat, quod prudens Confeſſarius incumbere debet, 1. Ut hujuſmodi pœnitentibus eam veritatem penitus inculcet, 2. Ut iis proponat, abſolutionem levius datam iis, qui tam frequenter divinam ſprevere miſericordiam, qua etiam iteratis ſuis delictis indigni ſunt, magis noxiam quam utilem fore; & æquum eſſe, ut ſuſpectas habeant non ſolum promiſſiones ſuas, ſed & promiſſionum executiones, donec accedat morum ſuorum emendatio. 3. Ut iis præceptiones ſalubriaque impertiat monita, ut ſaluti ſuæ accuratius proſpiciant. 4. Ut intelligant, quam neceſſe ſit, ut priores ſuas confeſſiones reparent, quas, ſi non ut falſas & ſacrilegas, ſaltem ut valde ſuſpectas eis exhibere debet; & interim abſolutionis gratiam eis prorogabit, donec eos magis ad eam digne recipiendam diſpoſitos judicet (f).

(f) S. Th. 3. p. ſum. qu. 82. art. 9. in corp.

Speciatim itaque ad propoſitam difficultatem reſpondentes, concludimus, quod, quamvis ex iterato in eadem peccata relapſu certo non conſtet de invaliditate priorum Saviani confeſſionum; ſapienter tamen is ſe geret ad ſecuritatem ſalutis ſuæ ac propriæ conſcientiæ quietem, generalem peccatorum ſuorum ex eo quo pravum ſuum contraxit habitum tempore, emittendo; nihilque ei ſalubrius exhibere poteſt ejus Confeſſarius, oſtenſo prius ſuarum confeſſionum invaliditatis periculo.

CASUS LI.

Agripinus multorum conſcius peccatorum in ſextum Decalogi præceptum, quæ certo novit eſſe tantum venialia, perſuaſum habet, quod ea deinceps committendo, ſenſim ad mortale duceretur, niſi confeſſionis remedium adhiberet ad vitandum illud diſcrimen. Quæritur, utrum in hac hypotheſi, ejuſmodi peccata in Paſchate confiteri teneatur, licet ea jam pluries ab anno confeſſus fuerit?

Respons.

Priuſquam difficultatis propoſitæ reſpondeatur, intereſt heic advertere, temere ab Agripino ſupponi, quod certo ſibi conſtet, omnia peccata in ſextum præceptum a ſe commiſſa eſſe tantum venialia, cum contra raro fiat, ut ea peccata ſint dumtaxat venialia, & ex D. Thoma ſemper ferme ſint mortalia.

Sed poſito tamquam certo, quod Agripini peccata ſint tantum venialia; dicimus, 1. Certum eſſe quod, ſi ab anno non fuiſſet confeſſus, vi præcepti Eccleſiaſtici ad confeſſionem teneretur in Paſchate, licet peccata ejus eſſent tantum venialia, *Propter Eccleſiaſticum ſtatutum*, inquit S. Bonaventura (g): *& ideo, ſi non habet niſi venialia, ſaltem illa ſemel in anno tenetur confiteri: ſed hoc non propter venialis peccati morbum, ſed propter præceptum .... quia ligatur a conſtitutione Eccleſiaſtica.* Fagnan. idem ſentit (h): quod explicat Silveſter dicens (i): quod *non tenemur confiteri* (venialia) *ſcilicet omnia & ſpecialiter & numeraliter*, ſed quod *ratione ſtatuti tenemur ea confiteri in generali.* *

(g) S. Bonav. in 4. diſt. 17. art. 2. q. 2. in reſp. ad argum.

(h) Fagn. in Cap. Omnis. de pœn. & remiſſ.

(i) Silveſter V. Conf. 1.

* Poteſt ad confirmandam priorem ad Caſum præcedentem reſponſionis partem addi auctoritas S. Thomæ, qui HABERTO Doctore & Socio Sorbonico teſte, ſic ſentit. Sic enim loquitur Angelicus Doctor, *Diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 3 ad 3. Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri* (quia ſcilicet, cum ſit in gratia, non indiget Sacramento) *ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, quando non habet alia* (ſcilicet mortalia) *quæ confiteatur.* Cui ſententiæ plures e recentioribus adſtipulari dicit Habertus. *Et ratio eſt*, pergit idem Habertus, *quia ſi lex Eccleſiaſtica, non niſi reos peccati mortalis ligaret, fideles cogi non poſſent ad Confeſſionem Sacramentalem, non ſolum tempore Paſchali, ſed etiam in toto vitæ decurſu; quivis enim, exceptis, qui in judicio convicti ſunt, opponere poſſet nullius criminis ſe eſſe conſcium, ac proinde fruſtra mina interdicti, & excommunicationis contra eos, qui tempore Paſchali præcepto Eccleſiæ non obtemperaverint; ergo ut præceptum divinum Confeſſionis religioſe ſervetur, & illius contemptores Communione Eccleſiaſtica privari poſſint, neceſſum fuit, ut Eccleſia omnes & ſingulos etiam ſolius venialis culpæ conſcios lege ſua conſtringeret; & ita corruit fundamentum negantis ſententiæ.* Ita HABERTUS.

2. Dicimus, quod; ſi perſuaſum habeat, aut ſolum dubitet Agripinus, quod ex reatu venialium ad mortale poſtea ducetur, niſi ea confiteatur; dici nequit, eum abſque peccato confeſſionem negligere poſſe, cum aliter voluntario mortalis delicti ſe periculo committeret, in iis volens perſeverare culpis, quæ ad mortale ipſum de facili ducerent: quod nemini licet umquam. Hinc Fagnanus (k), ubi ex Concilio Tridentino (l) probavit, venialium confeſſionem, regulariter loquendo non eſſe neceſſariam, hanc addit exceptionem; *niſi forte dubitetur, an aliquod veniale ſit mortale, ...aut tanto affectu quis eſſet in illa, ut timeret fore, ut per illa ad aliquod mortale induceretur, niſi frenum confeſſionis adhiberet.*

(k) Fagnanus in Can. Omnis de pœnit. & remiſſ. num. 13.

(l) Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacr. pœn.

CASUS LII.

Otho, pravæ cogitationi aliquo modo aſſenſus, dubitat, an perfecto conſenſu mortaliter, an vero conſenſu imperfecto venialiter tantum peccaverit. Tenetur ne ſub mortali ad illius confeſſionem?

Respons.

Certum eſt, quod, ſi dubium ſuum Otho non deponat, ſed in eo perſeveret, tenetur ad confeſſionem declarando dubium ſuum: quod omittens mortaliter peccaret. Ita ſanctus Thomas (m), qui hanc etiam affert ejus rei rationem his verbis: Quando

(m) S. Th. diſt. 24. qu. 2. art. 3. ad 3.

Google

do aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente: quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat eſſe mortale peccatum, peccat mortaliter, diſcrimini ſe committens: & ſimiliter periculo ſe committit, qui de hoc quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri: non tamen debet aſſerere illud eſſe mortale, ſed cum dubitatione loqui, & judicium Sacerdotis exſpectare, cujus eſt diſcernere inter lepram & lepram.

CASUS LIII.

Laurentius bona fide procedens, confeſſionem invalidam fecit, & ab eo tempore tres vel quatuor alias cum omnibus requiſitis diſpoſitionibus fecit. An tenetur eas omnes iterare, cum primæ invaliditatem agnoſcit?

RESPONSIO.

(a) Sylvius Suppl. S. Th. q. 6. a. 2. quæſito 3.

Sufficit, ut Laurentius eam iteret confeſſionem, quæ invalida fuit. Ita Sylvius his verbis (a): *Is qui fecit confeſſionem aliquam invalidam, debet quidem illam, & omnes ſubſequentes iterare, ſi eas fecit cum conſcientia confeſſionis invalidæ; quia in omnibus illis defectum eſſentialem habuit. Sed ſi poſt unam confeſſionem invalidam poſtea fecit alias, bona fide procedens, & præcedentis defectus nullam habet memoriam, non tenetur has repetere; ſed ſolum illam, vel illas quas fecit cum conſcientia defectus.* Cujus quidem deciſionis hanc rationem ſubjicit hic Theologus: *Quia aliæ habuerunt omnia neceſſaria ad bonam confeſſionem; ac per conſequens fuerunt validæ; ideoque non neceſſario iterandæ (b).*

(b) Colloq. Lucon. tom. 6. Colloq. 9. qu. 1.

CASUS LIV.

Hyacinthus adeo turpia commiſit peccata, ut, cum ea viva voce præ verecundia confiteri non audeat, ſcripta confeſſario ſuo exhibeat; quo iis perlectis, ſicque declaratis ab eo abſolvatur, cum de iis ſit contritus. Poteſt ne Confeſſarius talem admittere confeſſionem, Hyacinthum non cogens, ut peccata ſua ore confiteatur?

RESPONSIO.

Talem vulgo admittere non poteſt declarationem Hyacinthi Confeſſor innoxius; tenetur enim pœnitens delicta ſua, ſi poteſt, ore confiteri: at Hyacinthus, ut ſupponitur, peccata ſua ore confiteri poteſt, modo ſilentii ſui cauſſam, ſuperbiam nimirum vincat: non poteſt igitur abſque gravi peccato a vocali peccatorum ſuorum confeſſione abſtinere, quandoquidem *Alii .... modi*, at ait S. Thomas (c), *ſunt inducti in ſupplementum iſtius modi*. Unde ſic concludit Sylvius (d): *Qui cum voce poſſit confiteri, non vult confiteri niſi nutibus, aut ſcripto Sacerdoti exhibito, ordinarie peccat mortaliter; nec conſequitur remiſſionem peccatorum; etiamſi Sacerdos eum abſolvat; quia non vult ſervare communem Eccleſiæ uſum.* Tum ſubjungit: *Dixi*, ordinarie, *quia ſi prudens Confeſſarius ex rationabili cauſſa id concedat pœnitenti; quidam exiſtimant, eum licite ſcripto exhibito confeſſurum; modo, cum a Sacerdote legitur, ſignificet illa eſſe ſua peccata, & ſe de illis abſolutionem petere; quod tamen haud facile admitterimus, cum non ſit cujuslibet Confeſſarii diſpenſare in re tam communiter per Eccleſiam recepta; neque verecundia poſſit excuſare, ne os loquatur Deo ad veniam, quod locutum eſt diabolo ad culpam.*

(c) Suppl. S.Thom. qu. 9. art. 3. in corp.

(d) Sylvius cit. art 3. concluſ. 4.

Deciſioni huic penitus conformis eſt S. Thomas; cum aſſerit Pœnitentiæ Sacramento conferri gratiam, quam tamen nemo peccans actu accipit, uti facit, qui contra communem & receptum Eccleſiæ uſum peccata ſua ore confiteri nollet: quod probat ex paritate, quam inter Baptiſmum & Pœnitentiam inſtituit dicens, myſtica quædam eſſe in utroque Sacramento, quæ obſervari debent: qualis eſt ablutio exterior in Baptiſmo, quæ ablutionem ſignificat interiorem quam operatur: & quod, ut ablutio illa, aqua, omnium videlicet liquorum maxime communi fieri debet; ita in Sacramento Pœnitentiæ peccatorum declaratio per verbum, tamquam ſignum inter homines uſitatum, facienda eſt: quocirca dici poteſt, quod, ſicut is qui Baptiſmi ablutionem reciperet, omiſſis aliis quæ obſervat Eccleſia in ejus adminiſtratione, re ipſa quidem Baptiſmi charactere foret inſignitus, non vero gratiam juſtificantem ſuſciperet: ita pariter pœnitentia, nullum producens characterem, nullam quoque in eo produceret gratiam, qui Eccleſiæ regulas nollet obſervare, propter inobedientiam. Sed juvat heic Doctoris Angelici ipſa proferre verba (e): *Sicut in Baptiſmo ad ſignificandam interiorem ablutionem aſſumitur illud elementum, cujus eſt maximus uſus in abluendo; ita in habitu ſacramentali ad manifeſtandum ordinato aſſumitur ille actus, quo maxime conſuevimus manifeſtare, ſcilicet per proprium verbum:* & paullo poſt (f): *Sicut in Baptiſmo non ſufficit qualitercumque abluere, ſed per elementum determinatum; ita nec in Pœnitentia ſufficit qualitercumque peccata manifeſtare; ſed oportet, quod per actum determinatum manifeſtentur.* Denique ſubdit (g): *Homo ita tenetur ad confeſſionem peccatorum, ſicut ad confeſſionem fidei; ſed confeſſio fidei ore eſt facienda, ut patet Rom. 10. Ergo & confeſſio peccatorum.*

(e) S. Th. in 4. diſt. 25. qu. 3. artic. 4. quæſtiunc. 3. in corp.

(f) Idem ib. ad 1.

(g) Idem in arg. ſed contra.

CASUS LV.

Michael, Sacerdos a biennio in turre Londinenſi aſſervatus ob defenſionem catholicæ religionis, ad cujus profeſſionem matronas duas nobiles adduxerat, cum neminem communionis ſuæ poſſet alloqui, viam adinvenit mittendi epiſtolam ad Juvenalem in Anglia, ubi latet, Epiſcopum & Vicarium Apoſtolicum, qua ipſi peccata ſua omnia manifeſtat, eumque rogat, ut abſolutionem ſuam reſponſione ſcriptam ad ſe mittat: cui annuens Juvenalis reſcripſit, quod eum abſolvebat ab omnibus peccatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, eique ſatisfactionem impoſuit, ut quotidie Deo carceris ſui ærumnas offerret in piaculum pœnarum, quas pro peccatis ſuis meretur. Poteſt ne dici, Michaelem vere fuiſſe abſolutum?

RESPONSIO.

Antequam ſolvatur hæc difficultas, obſervandum, ſatis veriſimile eſſe, modum illum abſolvendi olim in uſu fuiſſe in caſu urgentis neceſſitatis. Equidem Adrianus VI. (h) in ſuo Commentario in Magiſtrum Sententiarum loquitur de Theologo, qui hanc defendebat opinionem, quam etiam ipſe affirmat dicendo, quod in caſu ejuſmodi neceſſitatis confeſſio facta per litteras, & data pariter abſolutio, ſunt validæ, & verum Sacramentum. En illius verba: *Generalius autem reſpondendum videtur, ubi juſta cauſſa occurrit, talis quod confitentem relevat a confeſſione, ore facienda, confeſſio facta per ſcripturam, vel nuntium valida eſt: & poteſt abſentes Sacerdos ſacramentaliter abſolvere. Secus dum ex ſegnitie, vel verecundia non vult ore proprio confiteri Sacerdoti; quia ſic poneret obicem ſacramentali abſolutioni.* Non conſtat, hunc Auctorem, ortu Ultrajectenſem, opinionem ſuam revocaſſe, cum ſæculo decimo ſexto ad ſummum pontificatus apicem pervenit.

(h) Adrian. VI. in 4. diſt. 17. De Sacramento Confeſſionis pag. 71.

Alii permulti Auctores Adriano ipſo vel tempore priores, vel poſteriores eamdem ſecuti ſunt opinionem, & inter ceteros, Paludanus, Petrus a Tarentaſia, qui ſub nomine Innocentii V. ſummus Pontifex evaſit, S. Antoninus in caſu privato, de quo ſic loquitur (i): *Abſolvit abſentem, ſi ab ultima confeſſione adhuc creditur perſeverare in gratia*; etſi poſtea in diverſam tranſierint ſententiam: Cardinalis de Turrecremata, nec non alii multi ipſo recentiores, ut Silveſter, Bartholomæus Fumus, Joannes Tabienſis, Petrus Sotus, omnes Dominicani.

(i) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 17. c. 12.

Addi poteſt inſuper, rem iſtam eſſe manifeſtam ex epiſtola, quam Robertus Cenomanorum Epiſcopus an. 892. ſcripſit ad Epiſcopos prope Andegavum coactos in aula Caroli Calvi; qui tum cum Normanis bellum gerebat. Nam talis eſt hujus Epiſtolæ in collectione Conciliorum Galliæ P. Sirmundi laudatæ. Inſcriptio (k): *Roberti Epiſcopi Cenomanicæ urbis, Epiſtola confeſſionis, quam in ægritudine valida poſitus direxit Epiſcopis circa muros Andegavis cum Carolo Principe in obſidionem Normanorum reſidentibus, petens ab eis abſolvi.* Ex hac epiſtola liquet, eum de pec-

(k) Concil. Galliæ tom. 3 ann. 872. pag. 405.

peccatis ſuis ſe ipſum accuſare, non quidem ſpecium. *Comprebendi nullius hominis valet ſollertia*, inquit hic Epiſcopus, *quibus a diebus adoleſcentiæ meæ vicibus exſecrabilia contraxi opera: excedunt enim pluralitate ſui numerorum fines, qui ad comparationem meorum peccaminum, nullus invenitur iniquus. Nullum quippe genus peccati inveniri poteſt; cui me non ſubdiderim: cujuſque facibus & loris ueu ſim circumdatus*. Ad ſingula deinde non deſcendit, ſed ab Epiſcopis ad quos ſcribit, abſolutionem poſtulat .... *Ideirco*, ſubjungit, *feſſis artubus, diſſolutiſque corporis baſibus, omni viſcerum meorum valentia amiſſa; pietatis veſtræ miſericordiam ſingultu interpoſita implorare non ceſſo, quatenus poteſtate cælitus vobis collata vincula meorum piaculorum enodetis ... ut cum reprobis non ducar ad tartara, quin potius veſtro interventu, cæleſtia merear ſublimari ad gaudia*. Denique ex reſponſione Epiſcnporum ad Robertum conſtat, eos ſcriptam ab illo confeſſionem admiſiſſe, ſuaque ad eum Epiſtola abſolutionem miſiſſe. En eorum Epiſtolæ titulus: *Epiſtola abſolutionis, quam ei remiſerunt iidem venerabiles Conſacerdotes de loco obſidionis*. Quæ abſolutio ſecundum iſtam deprecatoriam formulam, ut olim fiebat, & in Pœnitentiali Romano notatam enuntiatur: *Quapropter, Frater & Conſacerdos noſter, tibi peccata tua confitenti per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit Diſcipulis & Apoſtolis ſuis, dicens*:
(a) Joan. 20. 22.
(*a*) Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; *& per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vice, licet indigni, tenemus: & ſi non merito, tamen in nomine, atque officii ſui ſuſceptione eamdem poteſtatem donavit, &*
(b) Matth. 13. 28.
in ſe fideliter credenti dixit (*b*): Fiat tibi ſecundum fidem tuam, *gratia & potentia ſua, virtute Spiritus ſancti, quæ eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet in omni bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad ſanctorum ſacerdotum conſortium. Amen.*

Sirmondus in ſuis annotationibus in Concilium Duzyacenſe advertit, in eodem manuſcripto ex quo excerpta eſt præcedens abſolutionis formula, aliud etiam abſolutionis exemplum reperiri, quam Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis ſcripſit ad Gildebaldum Epiſcopum Sueſſionum ægrotantem.

Galliæ ſolius non erat proprius ille uſus; nam multæ reperiuntur Gregorii VII. Litteræ, quibus ſummus hic Pontifex multos, uti petierant, Epiſcopos ſcripto abſolviſſe videtur. Hujuſce rei exemplum ſuppeditat Remedius Epiſcopus Lincolnenſis in Anglia, (*c*) ad quem ſub hac formula abſolutionem ſcripſit
(c) Gregor. VII. lib. 1. Epiſt 34. ap. Baron. ad an. 1073. tom. 11. edit Antuer. p. 431. & tom. 10. pag. 33.
ſummus hic Pontifex: *Abſolutionem præterea peccatorum tuorum, ſicut rogaſti, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri & Paulli fulti, quorum vice, quamvis indigni, fungimur, tibi mittere dignum duximus. Si tamen bonis operibus inhærendo, commiſſos exceſſus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris*. Cum hæc formula non minus ad peccatorum abſolutionem, quæ Pœnitentiæ Sacramento confertur, pertinere videtur, quam ea, quam ad Cenomanorum Epiſcopum miſere Epiſcopi Andegavi coacti; non videtur eſſe intelligenda de ſimplici indulgentia, quam ad hunc Præſulem Anglum mittit Papa; quidquid in contrarium ſentiat Baronius.

(d) Idem l. 2. Ep. 61. apud Labbe tom. 10. Conc. pag. 114.
Ex alia ejuſdem ſummi Pontificis Epiſtola (*d*) apparet, ipſum abſolutionem ſcribere ad Dictvvinum Epiſcopum Leodicenſem ann. 1075. qui ad cetera ſua crimina ſimoniæ peccatum adjunxerat: *Quia in extremo videris poſitus, fraterna compaſſione ducti*, hæc ſunt verba hujus Epiſtolæ, *auctoritate beati Petri Apoſtoli Apoſtolorum Principis, abſolvimus te a peccatis tuis, & Dominum pro te exoramus, ut interventu beatorum Apoſtolorum inter electos æternum merearis conſortium*.

(e) Conc. Cloveshov., ſeu Claveshoenſe, Can. 27.
Concilium Cloveſhovienſe in Anglia ann. 747. habitum (*e*) ſimile nobis præbet exemplum, cui
(f) Matth. Paris in Chron. ad an. 1154
addi poteſt teſtimonium Matthæi Paris, Monachi Angli, qui an. 1245. ſcribebat (*f*), & Scoti (*g*),
(g) Scotus in 4. diſt. 17.
qui dum Hiſtoriam referunt S. Thomæ Cantuarienſis mollius ab initio juriſdictionem Eccleſiaſticam tuentis in Henricum II. qui ea Clerum ſpoliare præſumebat, aſſerunt, Sanctum hunc de peccato ſuo, cui tamen nulla erat annexa cenſura, ſe ipſum per ſcripturam accuſaſſe apud Alexandrum III., ab eoque abſolutionem rogaſſe; quam ad eum his verbis miſit hic Papa: *Nos de beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum meritis confidentes, te ab eo quod eſt commiſſum, abſolvimus*: additque Alexander, quod, ſi alterius peccati ſe conſcium noverit hic Archiepiſcopus, ſapientem eligat & prudentem Confeſſorem, cui poterit confiteri, ac poſtea functiones priſtinas reſumere.

Eorum temporum uſum confirmabat praxis, etiam omnibus ſuperioribus antiquior, quam deſumtam ex Epiſtola ſancti Dionyſii Alexandrini ad Fabianum Papam refert Euſebius Cæſarienſis, (*b*) de ſene
(b) Euſebius l. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 44.
quodam, Serapionis nomine, qui, cum diu ſancte vixiſſet, perſecutioni tandem Decii ceſſit, idolis immolando; cujus apoſtaſiæ veniam ſæpe rogavit, a nemine auditus: tum æger factus, viſum ſenſumque amiſit; ſed tandem recuperatis ſenſibus, poſt tranſactum in hoc ſtatu triduum, reſtituto vocis uſu, nepotem ſuum his verbis compellat: *Quouſque tandem .... me detinetis? Fili, properate, quæſo, & me quamtocius abſolvite, accerſe mihi unum ex Presbyteris .... Verum jam non erat: Presbyter autem ægrotabat*, Sed cum ſtatuiſſet ſanctus Dionyſius, ut reconciliationis gratia moribundis, qui eam præſertim ante morbum requiſiverant, uti Serapio, concederetur; ſacerdos puerulo huic Euchariſtiæ portionem dedit, ſeni porrigendam; qua accepta ſtatim obiit. Qua de re dicit Dionyſius; *An non igitur perſpicue apparet eum .... in vita permanſiſſe, quoad reconciliaretur*, (en abſolutio a Serapione abſente recepta) *ac deleto jam crimine .... a Chriſto agnoſci poſſet*.

Ex his omnibus exemplis, de quibus fuſius forſitan diximus, ſed quæ ob eorum auctoritatem non eſſe omittenda duximus, liquido conſtat, uſum abſolutionis abſentibus impertiendæ ſatis communem fuiſſe. Et quidem inquiunt hujuſce opinionis aſſertores, ad validitatem judicii vel abſolutorii vel damnatorii nihil confert præſentia, vel abſentia partium. Atqui abſolutio, ajunt, eſt forma ſententiæ, quæ in favorem rei profertur, qui requiſitas habere ſupponitur diſpoſitiones ad fructum ex ea percipiendum. Poteſt ergo valida eſſe, ſic concludunt, pro abſentibus, non minus, quam pro parentibus; cum remiſſionis peccatorum gratia non eſt annexa præſentiæ accipientium; ut dijudicari poteſt ex modo, quo Chriſtus Regulum allocutus eſt, qui ab eo filii ſui ſanitatem requirebat (*i*), & ex effectu quem produxit, totam Reguli
(i) Joan. 4. 46. & ſeqq.
familiam ad fidem Chriſti, licet abſentis adducendo.

Verum non obſtantibus hactenus dictis, credendum, Eccleſiam ob juſtas validaſque cauſſas, uſum hanc, & etiam ob incommoda ex eo futura abrogaſſe & prohibuiſſe. Dicendum itaque, neceſſe eſſe, ut qui in Sacramento Pœnitentiæ cupit abſolvi, ſit præſens Sacerdoti, neque eum poſſe abſolvi, ad abſentem Sacerdotem ſcriptam mittendo confeſſionem ſuam. Id quidem probari poteſt ex Canone, quem affert Magiſter Sententiarum (*K*), & quem re-
(k) Magiſtr. Sent. Lib. 4. diſt. 17.
fert Gratianus, (*l*) qui ad illius probationem utitur paritate leproſorum, quibus juſſit Dominus, ut ſe
(l) Canone Quem pœnitet. 88. de pœnit. diſt. 1.
oſtenderent Sacerdoti; indeque colligit, peccata eſſe manifeſtanda a pœnitente per ſe ipſum, non vero per epiſtolam aut per nuntium. En verba Canonis depromti e libro, cui titulus *de vera & falſa pœnitentia*, quem multi Theologi, ut Petrus Lombardus, S. Thomas, Vincentius Bellovacenſis, Petrus Bleſenſis, uti Gratianus S. Auguſtino adſcribunt, & qui tamen ad alium antiquum Auctorem ex judicio doctiſſimorum Criticorum pertinet: *Præcepit enim Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus: docens corporali pœnitentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcripturam manifeſtanda. Dixit enim ora monſtrare, & omnes, non unus pro omnibus: non alium ſtatuatis nuntium qui pro vobis offerat munus a Moyſe ſtatutum: ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis: erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis: ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto: in hoc enim quod per ſe ipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincis, timore offenſi fit venia criminis*.

Quam-

Quamvis exiſtimárit ſanctus Antoninus, a Confeſſore abſolvi poſſe abſentem; cum audita ejus confeſſione ipſum ex ignorantia aut imprudentia de peccato reſervato abſolvit; tamen improbat opinionem Paludani aliorumque, qui exiſtimant, Confeſſionem fieri poſſe per ſcripturam, eodemque modo conferri abſolutionem; & contrarium tuetur (*a*): *In abſentia autem proprii Sacerdotis*, inquit, *non oportet quod per ſcripturam fiat confeſſio, miſſa Sacerdoti*. Idem docet S. Thomas (*b*), uti Scotus, Angelus de Clavaſio, Dominicus Sotus, Cardinalis Toletus aliique quam plurimi (*c*). Sylvius eamdem his verbis propugnat ſententiam (*d*): *Verba abſolutionis*, inquit, *non minus ſunt demonſtrativa perſonæ abſolvendæ, quam verba conſecrationis, materiæ conſecrandæ: ergo ſicut non poteſt conſecrari materia abſens: ita nec abſolvi perſona abſens, ſive verba ſcribantur, ſive proferantur*. Ejuſque rei hanc rationem profert: *Non habent enim tunc rationem formæ, cum demonſtrent ut præſens id, quod eſt abſens, ac proinde ſit falſa*.

Confirmari poteſt hæc deciſio auctoritate Concilii Tridentini (*e*), quod loquens de diſcrimine quod intercedit inter Baptiſmum & Pœnitentiam dicit, quod baptizans non fungitur officio Judicis, *ſed ante hoc tribunal* (Pœnitentiæ) *tamquam reos*, (peccatores) *ſiſti voluit* (Chriſtus) *ut per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari*. Hincque concludi poteſt nullam aliam agnoſci a Concilio rationem obtinendæ veniæ peccatorum in Sacramento pœnitentiæ, quam ſe ipſum Sacerdoti præſentem ſiſtendo, ac peccata ore proprio confitendo.

Denique Clemens VIII. Bulla ſua octogeſima ſeptima 20. Julii an. 1602. (*f*), *Hanc propoſitionem*, (iſta ſunt Conſtitutionis verba), *ſcilicet licere per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam & ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit; præcepitque, ne deinceps iſta propoſitio publicis privatiſve lectionibus, concionibus & congreſſibus doceatur; neve unquam, tamquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod ſi quis illam docuerit, imprimi fecerit, aut de ea etiam diſputative tractaverit (niſi forſan impugnando) vel ad praxim directe, ſeu indirecte deduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, & a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Majori Pœnitentiario, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis, ſubjaceat*.

Ex his plus quam ſufficientibus argumentis recte concludi poteſt, Michaelem non vere in caſu propoſito a Juvenale fuiſſe abſolutum, & ipſum Juvenalem Eccleſiæ regulas violaſſe. Cum jam fuſior ſit hæc deciſio, omittimus heic rationes quas affert Sylvius ad elucidandam quæſtionem iſtam, ac Bullam Clementis VIII. ab æquivoca quorumdam interpretatione vindicandam.

(*a*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 14. c. 10. §. 9. & in ſummulis, pag. 118.

(*b*) S. Th. in 4. diſt. 17. q. 13. art. 4. quæſt. 3. ad 3.

(*c*) Scotus in 4. diſt. 17. Dom. Soto ibid. diſt. 18. q. 2. art 4. Angelus. v. Confeſſio. 1. q. 31. Tolet. inſtruct. ſacerd. l. 3. c. 6. Catechiſ. Rom. 2. part. n. 45.

(*d*) Sylvius in Supplem. S. Th. q. 9. art. 3. quæſito. *An liceat per litteras*, &c.

(*e*) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 2.

(*f*) Clemens VIII. in Bulla edita die 20. Julii an. 1602. §. 1. & 2. tom. 1. Bullar. magni.

Vide { ABSOLUTIO. Caſ. 8. 9. & 10. CONFESSOR. CONTRITIO. }

CONFIDENTIA.

CONFIDENTIA, ſumta eo ſenſu quo heic intelligitur, eſt pactum ſeu expreſſum, ſeu tacitum inter duos Clericos initum, quorum unus Beneficii titulum recipit, ut alteri de quo pacti ſunt, conferat, vel reditus ejus illi, vel etiam ſibi in totum, vel in partem conſecrat. *Sciendum*, inquit Cabaſſutius (*g*), *Confidentiam eſſe conventionem, ſive tacitam, ſive apertis verbis expreſſam, ut qui Beneficium recipit, illud ipſum poſthac, in aliam certam perſonam transferat, aut Beneficii fructus ab alio percipi ſinat*. Sancti Pii V. Bulla ſua, quæ incipit, *Intolerabilis* an. 1569. edita talem conventionem damnavit, uti ſimoniacam, quam jam proſcripſerant Pius IV. & Sixtus V. aliis duabus Bullis, quas admittit Gallia.

Qui confidentiarie accipit Beneficium *ipſo facto* eſt excommunicatus, & collatio ei facta nulla eſt *ipſo jure*. Unde ſequitur, quod ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneatur, quando confidentia fuit *ex utraque parte* completa, ut ait idem Canoniſta (*h*): & quamvis non ſit completa *ex utraque parte*, invalida eſt illius proviſio, & Beneficii collatio ad Papam ſpectat, excepto Galliæ regno, in quo Confidentiarii Beneficio poſſunt renuntiare in manus Ordinarii, qui illud poſtmodum confert, cui libuerit, ut obſervat idem Cabaſſutius, modo eo non privetur per ſententiam Judicis.

Confidentiarius qui Beneficium accepit, iis etiam privatur Beneficiis, quæ ante Confidentiam poſſidebat, in iis regionibus, in quibus admittitur Bulla ſancti Pii V.

Confidentiæ mediatores excommunicationi quoque ſubjacent juxta Extrav. *Cum deteſtabile*.

Poſſeſſione triennali non præſcribitur in admiſſam confidentiam (*i*). Sed ſi ab alio fuerit commiſſa inſcio Titulari, is poteſt, ex celeberrimorum Auctorum ſententia, poſt triennium pacificæ poſſeſſionis retinere Beneficium, quando elapſis tribus annis ipſi tantum nota fuit Confidentia.

Heic de Confidentia fuſe non agemus, de ea videlicet dicturi, dum de Simonia.

(*g*) Cabaſſut. juris Can. Theor. & Prax. l. 5. c. 8. n. 10.

(*h*) Idem ibid. n. 11.

(*i*) Tit. de Simonia.

CASUS PRIMUS.

EBrulfaus, vir nobilis, Præbendam cathedralis Eccleſiæ pro Titio filio ſuo ambiens, eam ab Epiſcopo requiſivit pro Manlio, cui eam ſibi gratum facturum indicavit, ſi eam Titio intra ſex menſes reſignaret, quo tempora competentem ex Canonibus ad proviſiones ætatem haberet, aut ſaltem ſi ipſi 150. libras annuæ penſionis alimentariæ ad perficiendum ſtudiorum ſuorum curriculum quotannis daret. Beneficium accepit Manlius, factaque ei promiſſione ſupra dicta, poſt ſex menſes illud re ipſa Titio reſignavit. Numquid in hoc reperitur ſpecies quædam ſimoniæ?

Respons.

Certum eſt, in ea conventione ſimoniam reperiri, quæ dicitur confidentialis, quæ juxta S. Pium V. in ſua Bulla octogeſima quinta 1. Junii an. 1569. (*a*) in eo conſiſtit, quod obtentum reſignatione, ceſſione aut collatione Beneficium quis accepit ſub conditione expreſſa aut ſolum tacita, ut illud danti redderet, aut alteri indicato a dante, aut fructuum partem daret. Ebrulphus igitur & Manlius in hanc ſimoniæ ſpeciem incurrere, & Manlius ipſe ex hoc jacturæ omnium Beneficiorum & officiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, & inhabilitati ad nova poſſidenda in perpetuum ſubjicitur, niſi pœnitentiam agat, ac legitimam obtineat diſpenſationem, ut clare conſtat ex Bulla S. Pii V. modo citata, cujus hæc ſunt verba: *Præſentium auctoritate ſtatuimus, ut ſi quis, quacumque auctoritate Eccleſiam vel Monaſterium, vel aliud Beneficium Eccleſiaſticum, qualecumque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque perſonæ, ſimpliciter aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illa vel illud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus eidem dimittantur, vel alteri poſtea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur ex eiſdem; hæc confidentia cenſeatur.* Eique Conſtitutioni Cardinales ipſos expreſſo Decreto ſubmittit, uti jam ante quinque ſexve annos Pius IV. (*b*): duoque illi ſummi Pontifices confidentiarios declarant privatos *ipſo jure* Beneficiis ſuis hoc modo obtentis, & excommunicatos *ipſo facto*: eorumque Bullas confirmat duplex Sixti V. Conſtitutio in Gallia admiſſa (*c*).

(*a*) S. Pius V. in Bulla. *Intolerabilis*. 45. §. 1. Bullar. tom. 2.

(*b*) Pius IV. in Bulla *Romanum*. 81. edita 17. Octob. 1561.

(*c*) Sixtus V. in Bulla *Divina*. 47. an. 1586. die 5. Oct. & in Bulla. *Paſtoralis*. 51. an. 1587. die 15. Aug.

Concilium Rothomagenſe (*d*) ſub Cardinali Borbonio an. 1601. habitum & a Gregorio XIII. approbatum de hujuſmodi Simoniacis ſic loquitur: *Non levius malum temporibus aut exortum, aut longius propagatum, Eccleſiam affligit, ac perdit per aliorum Beneficiorum clitellarios aſinos & cuſtodes, qui confidentiarii vocantur, quorum nomine ac miniſterio viri laici ac mulieres hereditate poſſident Sanctuarium Dei, ac profanant. Tam illos cuſtodes, quam eos quorum cupiditati deſerviunt, denuntiari quoque in Prono & concionibus pro excommunicatis, & teneri ad reſtitutionem fructuum, atque eorumdem heredes, ex Bulla ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Pii V. per omnes dies dominicos jubemus.* Addit etiam, eos non eſſe abſolvendos, *excepto mortis articulo*, donec integram fecerint Eccleſiæ aut pauperibus reſtitutionem omnium fructuum, quos ex dictis beneficiis tali modo obtentis perceperunt.

(*d*) Conc. Rothomag. tit. de Ep. ſrop. ... m offic. §. ...

Diximus, Manlium ex hoc *jacturæ Beneficiorum* quæ ante confidentiam legitime poſſidebat, ſubjici: licet enim ex hoc crimine iis non fiat *ipſo jure* privatus: verum eſt tamen, eum poſſe in pœnam ſimoniæ ſuæ confidentiariæ per ſententiam judicis ſpoliari, quod facile probat hæc juris regula, quam affert Navarrus (*e*): *Non eſt dicendum aliquam pœnam ipſo jure incurri, niſi cum exprimitur in jure, juxta gloſſam ſolemnem, & receptam in cap. finali de jure patronatus.* Cum enim ex Bullis quæ canonicas ſimoniacorum pœnas conſtituerunt, non feratur privatio *ipſo jure* Beneficiorum, de quibus ante commiſſam ſimoniam canonice fuere proviſi, ſed eorum tantum quæ via illa nefanda obtinuerunt; dici non poteſt, Manlium ex confidentia commiſſa fieri actu privatum Beneficiis quæ antea legitime habebat, ſed de iis ex ſententia Judicis poſſe privari. Id docent Suarez, Avila, Bonacina, Bailius & Cabaſſutius poſt multos Auctores (*f*): *Quoad beneficia legitime antea obtenta, dicendum eſt non vacare per ſimoniam ſupervenientem*: inquit Cabaſſutius, hanc ſubjungens rationem, *Nulla enim*, inquit, *pœna talis in jure hac in parte exprimitur; neque fieri in pœnalibus permittitur extenſio ab una delicti ſpecie in alteram.* Quod quidem re ipſa dilucide probatur ex regulis Juris Canonici & Civilis (*g*).

(*e*) Navar. Miſcellan. 56. orat. n. 131.

(*f*) Suarez de Relig. tom. 1. l. 4. c. 52. n. 19. Avila de cenſuris. part. 5. diſput. 1. Bonacina de ſimonia diſp. 1. q. 7. puncto 1. difficult. 1. n. 1. & 2. Cabaſſut. Juris Can. theor. & prax. l. 5. c. 8.

(*g*) Can. *Pœna* de pœnit. diſt. 1. reg. 15. de regulis juris in 6. Leg. *Aut facta*. §. fin. ff. de pœnis.

Ceterum obſervandum, confidentiam committi poſſe, non ſolum in præſentatione & collatione, ſed etiam in reſignatione & electione; cum ſit talis conventio cum Patronis ſeu Præſentatoribus, aut Collatoribus, Reſignantibus, vel Electoribus.

CASUS II.

Tribonianus, cupiens filium ſuum Joſepham provideri de ſimplici Capella, ſibi a Paullo Patrono Eccleſiaſtico oblata, eam Petro amico ſuo Sacerdoti ea conditione procurat atque promiſſo, ut, poſtquam tonſura initiatus fuerit Joſephus, eam ipſi reſignaturus ſit. Promittit id ipſum Petrus, ac de ea proviſus ſtat datæ fidei, illam Joſepho ſemel tonſura initiato in Curia Romana reſignans: eam autem ab aliquot annis poſſedit Joſephus, penitus ignorans ad hodiernum diem, qua eam ratione obtinuit, quo id ipſum reſcivit. Qua de re quæritur 1. utrum vera ſit in eo agendi modo confidentia: 2. Si forte ſit, quid agere debeat Joſephus, ut ſua in tuto ſit poſita conſcientia?

Respons.

1. Vera in caſu propoſito reperitur confidentia; ut evidenter conſtat ex reſponſione noſtra ad præcedentem difficultatem.

2. Joſephus canonice non eſt proviſus; nam proviſiones ejus ſunt ſimoniacæ ſimonia confidentiaria; licet vitioſam Triboniani patris ſui cum Petro conventionem non reſciverit: quare in conſcientia tenetur Capellaniæ ſuæ renuntiare; & ſi confidentiæ fuiſſet conſcius, eam apud Papam in foro interno demittere teneretur; quia ex Bullis Pii IV. & Pii V. ſuperius relatis, quæque apud Gallos ſunt in uſu, ad ſanctam Sedem pertinet diſpoſitio Beneficii, licet ſimplicis, quod ex confidentia obtentum eſt.

3. Si Paullus Capellæ præſentator ſit confidentiæ reus, non ſolum excommunicationem *ipſo facto* incurrit, ut Tribonianus & Petrus; ſed etiam decidit *ipſo jure* facultate præſentandi ad hanc Capellaniam prima vice vacaturam, atque adeo conſulto nominationis ſuæ tempus prætermittere ſub peccato tenetur, & interea alicui idoneo clam notificare, ut ejus proviſionem a Papa aut ab Ordinario requirat, *jure devoluto*.

4. Cum Joſephi proviſio ſit invalida, fructus illius Beneficii ſuos facere non potuit; unde tenetur ad reſtitutionem non ſolum fructuum a cognita confidentia, ſed etiam ante eam cognitam licet bona fide perceptorum, ſi ex iis ditior factus ſit, aut ſi adhuc exſtent; ſed non tenetur ad eorum reſtitutionem, quos perceptos conſumſit durante bona ſua fide. Ita S. Thomas his verbis (*b*): *Quod ad hoc, quod aliquis privetur eo quod accepit; non ſolum eſt pœna peccati, ſed etiam quandoque eſt effectus injuſtæ acquiſitionis: puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non poteſt. Si vero eo neſciente, nec volente per alios alicujus promotio ſimoniace procuratur .... tenetur reſignare Beneficium quod eſt conſecutus, cum fructibus exſtantibus: non autem tenetur reſtituere fructus conſumtos, qui bona fide poſſedit.*

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.

5. Joſephus novam a Papa requirere poteſt proviſionem, qua percepti condonentur fructus: quo in caſu, ſi obtineat, & Capellam retinere poterit, & fructus quos percepit, reſtituere non tenebitur, ſi eorum remiſſionem juſtam ob cauſſam poſſit erogare

6. Si tamen dictam Capellam confidentiarie, ipſo inſcio, a patre obtentam per triennium poſſederit, nec, niſi tribus annis elapſis, ad ipſius notitiam pervenerit ſimonia paterna, eam retinere poteſt vi triennalis poſſeſſionis; licet enim realis ſimoniæ conſciis non faveat illa triennalis poſſeſſio, ut fert regula trigeſima tertia Cancellariæ Romanæ ab Innocentio VIII. conſtituta & apud Gallos admiſſa;

neque

Digitized by Google

neque etiam confidentiariis ea Conſtitutione Pii II. pariter in Gallia ea Edicto Aurelianenſis recepta; juſtum tamen iis præbet titulum, qui non ſunt participes, & per tres annos fuere inſcii, ſimoniæ vel confidentiæ, ab aliis pro ſe admiſſæ, ut docent Gomes, Bonacina, Bail, aliique tres quos laudat Auctores, Garcia, Cabaſſutius & Rebuffus (a). Si quis bona fide Beneficium obtinuit alieno interventu, ignorans ſimoniam, pro hac re ab altero commiſſam, juvabitur beneficio triennalis poſſeſſionis pacificæ, ſi integro triennio hujus ſimoniæ notitiam non habuerit. Ita Cabaſſutius, in eo inclyti Gloſſatoris *Guillelmi de Monteſerrato* ſententiam amplectens, quem laudat Navarrus (b), a quo eamdem propugnatur opinio contra Guymier & Covarruviam (c). *Sed ſi nondum dilapſo triennio ea quo proviſus ſimoniace, iſtam ſimoniam ſe inſcio factam, reſciverit, tenebitur pure reſignare*, ſubjungit idem Cabaſſutius, qui duos tantum caſus excipit, de quibus alibi.

CASUS III.

Ennodius Collator Parœciæ S. Gordiani, quæ menſe Aprili graduatis affectato vacavit, eam Fabio ob gradus ſuos requirenti contulit, ea tamen conditione, ut eamdem ſibi pro Parœcia S. Eucherii reſignaret, quam, ſe ei collaturum promittebat; quod ex utraque parte fideliter confectum eſt. 1. Ennodius & Fabius commiſerunt ne in hoc aliquam confidentiam ſimoniacam? 2. Si eam forte admiſerint, numquid in ſimoniacorum pœnas incurrerunt?

Responsio.

Ennodius & Fabius duplicem ſimoniam realem commiſerunt. Prior eſt ſimonia confidentiæ, hinc & inde perfecta; cum Ennodius Collator cum Fabio pactus fuerit, ei Parœciam S. Gordiani conferre, ea conditione ut eamdem ſibi remitteret, quam re ipſa ex pacto remiſit Fabius. Ratio propter quam ambo ſunt ſimoniaci, eſt 1. quia pactum quodlibet circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem continet ſemper ſimoniæ, ut loquitur Urbanus III. in una Decretali (d). 2. Quia ſic decretum fuit ex 85. Conſtitutione Pii V. (e) ſuperius relata, qua ſummus hic Pontifex latam ante quinque annos, id eſt, an. 1564. a Pio IV. anteceſſore ſuo Conſtitutionem renovat. Hæc ſunt autem prioris Papæ verba; *Itidem ſi Ordinarius, vel illius Collator contulerit antehac, aut conferat in futurum Beneficium Eccleſiaſticum, quovis modo vacans, ea conditione tacita vel expreſſa, ut poſtea in alteram arbitrio Collatoris, ſeu alterius cujuſcumque, contra juris communis ordinationem diſponatur*. En caſus in hac Bulla expreſſus, in quo reperitur confidentia ſimoniaca.

Altera ſimoniæ realis ſpecies cujus rei ſunt Fabius & Ennodius, in eo conſiſtit, quod Fabius vi factæ conventionis, Ennodio fictum jus ſuum ad Parœciam S. Gordiani remiſit ceſſione facta, & in præmium proviſiones Parœciæ S. Eucherii accepit. En itaque pactum ex utraque parte perfectum, & in cujus executione prioris Parœciæ ceſſio ſeu demiſſio facta Collatori, debet habere tamquam res ipſi utilis, atque adeo temporalis, quæ tamen in nullo caſu pro Beneficio dari poteſt abſque ſimonia: ideo namque in re beneficiaria omnis conventio ut ſimoniaca jure Canonico prohibetur, quia in ea quid temporale aut temporali æquivalens reperitur: Unde permutationes & reſignationes cum annua penſione fieri nequeunt canonice, niſi de conſenſu & auctoritate legitimi Superioris. Hinc etiam Collatores nulla poſſunt conferre Beneficia cum reſervatione partis fructuum (f). Unde neceſſario colligendum; 1. Ennodium & Fabium ſimoniacorum pœnas canonicas incurriſſe. 2. Ex S. Antonino (g) Epiſcopum, ſi ſit collator & caſus ejus occultus, de eo poſſe abſolvi ab ordinario ſuo Confeſſore, in eam rem commiſſo ab eo juxta definitionem Gregorii IX. his verbis contentam (h): *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis & aliis Superioribus, ut etiam præter ſui Superioris licentiam providum & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem*. Juſque illud Galliæ Epiſcopis non poteſt denegari, non obſtante Bulla Sixti V. *Sanctum*, quam refert Bonacina (i) & quæ in hoc regno non admittitur. 3. Fabium ab Epiſcopo ſuo poſſe abſolvi & rehabilitare, cum ejus crimen ſit occultum, conformiter ad Decretum Concilii Tridentini (k). Ad ſimilem difficultatem ſic ferme reſpondit inſignis Theologus (l).

Juvat heic obſervare cum eodem ſancto Antonino quod licet in Decretali modo relata de abſolutione peccatorum loquatur tantum Gregorii IX. privilegium ab hoc Papa Epiſcopis conceſſum, quo eum quem voluerint, Confeſſorem eligere ſibi poſſunt ad abſolutionem peccatorum, pariter eſſe intelligendum de abſolutione cenſurarum; quod probat S. Archiepiſcopus ex iſtis Paludani verbis (m): *Iſti* (Epiſcopi) inquit, *poſſunt ſibi eligere Confeſſorem, qui poteſt eos abſolvere non ſolum de occultis, ſed etiam de manifeſtis & notoriis* (peccatis) *etiam Archiepiſcopo invito; & etiam a vinculo excommunicationis majoris & minoris, mutare vota & relaxare jura, & alia omnia propter quæ non eſt Sedes Apoſtolica conſulenda .... nec obſtat, quod in illa Decretali non ſit mentio niſi de abſolutione a peccatis*. Cujus rei hanc profert paritatem. *Quia cum intentio Papæ ſit ipſis Epiſcopis, quibus eſt grave ad Archiepiſcopum recurrere & gravius ad Papam, ita providere eis per Confeſſorem ab eis electum, ſicut proviſum eſt inferioribus Epiſcoporum per ipſos Epiſcopos; ideo de omni peccata & vinculo, de quo poteſt Epiſcopus abſolvere inferiorem, & electus ab eo poteſt ipſum abſolvere: & in caſu in quo Epiſcopus poteſt diſpenſare cum inferiori, & iſte cum Epiſcopo; quia ubi eſt eadem ratio, & idem jus .... Hæc Petrus de Palude*. Addit S. Antoninus, hanc jure addens exceptionem (n): *Excepto*, inquit, *in ſententia lata a Superiori contra eum; puta ab Archiepiſcopo contra ſuffraganeum ſuum .... ab hujuſmodi enim non poteſt abſolvere talis Confeſſor electus*.

CASUS IV.

Guinalis, Parochus S. Odomari, Parœciam ſuam cum Luciano S. Criſpini Parocho ea conditione permutavit, ut Lucianus Franciſco acceptam S. Odomari Parœciam ſit reſignaturus; quod perfecit Lucianus, dans procurationem ſuam *ad reſignandam* Franciſco, qui eam Romam miſit: ſed recogitans, hanc ſuam reſignationem factam eſſe a ſe, conſequenter ad pactum ſimoniacum & conventionale, jam a Guinale perfectum, qui ſuam jam S. Criſpini Parœciam adierat; procurationem ſuam, nondum a Papa admiſſam revocavit, & ſibi coram S. Odomari ſervare conſtituit. Numquid ex ejus revocatione emendatur confidentia, cujus erat particeps; & tuta conſcientia Beneficium illud retinere poteſt?

Responsio.

Cum pactum inter Guinalem & Lucianum initum ſit ſimoniacum ſimonia reali ex una parte, & ſolum confidentiaria ex alia, exiſtimamus, Lucianum, revocando procurationem ſuam *ad reſignandam* Franciſco factam, pactum illud illicitum non emendare, nec impedire, quominus ſimoniacorum pœnis ſubjaceat.

Ita caſum hunc ſolvit Sylvius (o); qui, cum aſſeruit, non incurri pœnas jure conſtitutas in confidentiarios, cum eſt incompleta; *Quando res ſpiritualis eſt tradita, & non temporalis*: ab ea regula ſimoniam confidentiariam excipit: qualis reperitur in caſu propoſito; exceptionemque ſuam ex duabus Pii IV. & S. Pii V. Bullis comprobat. *Ab hoc poſteriori notabili*, inquit doctus hic Theologus, *communiter excipitur ſimonia confidentiæ, ... Per hanc enim ſimoniam confidentiæ, tametſi non completam ab utraque parte, ipſo jure titulum annullari, & excommunicationem aliaſque pœnas incurri bene tradit Navarrus .... faciléque poteſt intelligi ex Bulla Pii IV.* Romanum Pontificem, *data ann. 1564. 16. Kal. Nov.* (p), *ex Bulla Pii V.* Intolerabilis *lata ann. 1569. Kal. Junii*. Navarrus quidem a Sylvio laudatus eumdem caſum excipit (q): *excepta ſimonia confidentiali*, inquit hic Canoniſta, *per quam ipſo jure annullari titulum & incurri excommunicationem, & alias*

(a) Lud. Gomes ad reg. de *triennali* poſſeſſ. q. 12. Bonacina de ſim. diſp. 1. q. 7. §. 5. n. 14. Lud. Bail. de exam. pœn. part. 3. q. 17. Joan. Cabaſſut. Juris Can. theor. & prax. l. 5. c. 2. n. 5. Petrus Rebuffus. tract. de pacifica poſſeſſ. n. 241. &c.

(b) Navar. l. 3. de Præbend. conſilio 30. & apud eum Guillel. de Monteſerrato in reg. Cancellariæ pag. 33. n. 5.

(c) Coſmas Guymier in Gloſſa Prag. Sanctionis tit. de pacific. poſſeſſ. v. *Moleſtari*. Covarruvias reg. poſſeſſ. 2. part. de reg. juris in 6.

(d) Urban. III. in Cap. *Quæſitum*. 5. de rerum permut. l. 3. tit. 19.

(e) S. Pius V. in cõſt. Bulla, *Intolerabilis*. §. 3.

(f) Cit. Bulla. *Intolerabilis*. cit. Bull. *Romanum*. Innoc. II. in Can. *Si quis*. 1. q. 3. Alex. III. in Conc. Turon. in Cap. *Majoribus*. 8. & Greg. IX. in cap. *Cum cauſſam*. 16. de Præbend. & dignit. l. 3. tit. 5. Innoc. III. in Cap. *Ut noſtrum*. 1. cit. ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur. l. 3. tit. 12.

(g) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 17. c. 3. §. 2.

(h) Greg. IX. in Cap. *Ne pro dilatione*. 16. de pœnit. & remiſſ. l. 5. tit. 38.

(i) Bonacina tom. 1. tract. de ſim. diſp. 1. q. 7. puncto 1. §. 7.

(k) Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.

(l) De Ste. Beuve tom. 1. caſ. 33.

(m) Petr. Palud. in 4. diſt. 7. q. 3. apud S. Anton. cit.

(n) S. Anton. 3. part. tit. 17. c. 2. §. 2.

(o) Fr. Sylvius. in c. 2. q. 100. art. ult. quæſito 3. in fine.

(p) §. 4. & 5.

(q) Navarr. Man. c. 23. n. 104.

Google

alias pœnas præbeat duæ novæ Extravagantes Pii IV. & Pii V. Ex quo ſequitur, *ex revocatione* Luciani, non emendari nullitatem proviſionum ejus, ipſumque excommunicationem *ipſo facto*, aliaſque pœnas in ſimoniacos conſtitutas incurriſſe: quia ad id ſufficit, ut ab una parte perfecta fuerit confidentialis ſimonia, ut a Guinale in caſu propoſito.

CASUS V.

Rutilius, Protogeni nepoti ſuo Capellaniam procurare volens, ſuam Marcello reſignare Præbendam ea lege proponit, ut Protogeni Capellaniam ſuam 200. lib. annui reditus ſit reſignaturus. Conditionem accipit Marcellus, acceptaque a Rutilio Præbenda, Capellaniam ſuam, uti convenerat, Protogeni reſignat. An vitioſa eſt illa conventio?

Responsio.

Ante ſolutionem ſpecialis hujuſce difficultatis, tamquam certum præſupponendum eſt, reſignationes *in favorem*, quæ non fiunt permutationis cauſſa, in manibus Papæ tantum fieri poſſe, quod ſiot ſimoniacæ ſimonia Eccleſiaſtica, cujus labem ipſe ſolus ad bonum Eccleſiæ poteſt auferre. Sed illud etiam certo conſtat innumeras eſſe hujuſmodi reſignationes, quæ ſimoniam juris divini includunt, de qua proinde diſpenſare non poteſt ſummus Pontifex. Ratio eſt, quia ex S. Thoma (a): *Si .... aliquis dat Beneficium Eccleſiaſticum alicui hoc pacto vel intentione, ut exinde ſuis conſanguineis provideat, eſt manifeſta ſimonia.* At id ipſum prorſus in caſu propoſito evenit, in quo Rutilius ſuam Marcello non reſignat Præbendam, niſi quia pro comperto habet, Marcellum Capellaniam ſuam Protogeni eſſe reſignaturum; ex quo nepotis ſui neceſſitatibus Præbendam ſuam reſignans, providere intendit. Unde colligendum, talem reſignationem eſſe illegitimam, etſi in manibus Papæ factam, utpote quæ ſimoniam juris divini includit, de qua diſpenſare nequit ſummus Pontifex.

(a) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2.

Nititur hæc deciſio multis ſummorum Pontificum Conſtitutionibus (b), qui uti ſimoniacas damnant omnes conventiones; quæ in Beneficiorum pactis intercedunt, licet juris divini ſimoniam non includerent; uti declararunt Bonifacius I. Lucius III. Cæleſtinus III. Urbanus III. Alexander III. Innocentius III. & Gregorius IX. hincque colligitur, conventionem Rutilii & Marcelli fore illicitam, utpote ſimonia Eccleſiaſtica infectam, licet jure divino non eſſet prohibita.

(b) Bonif. I. in Can. *Quam Pio*. 1. 1. q. 1. Lucius III. in Cap. *Præterea*. 9. de ſtantact. l. 1. tit. 36.

CASUS VI.

Manilius, ſancti Jobi Parochus, cupiens, nepotem ſuum provideri de Capellania Antonii Vicarii ſui; ipſi Curam ſuam reſignat, declarans ſe ea tantum conditione reſignare, ut nepoti ſuo Capellaniam conferat. Antonius reſignationem admittit, nullatenus directe vel indirecte propoſitam acceptans conditionem, ſub qua reſignat Manilius: immo vero, nedum acceptet, ut potius firmiter proponit, ſuam ſervare Capellaniam, quam re ipſa ſervat poſt aditam Curam. Numquid in ſimoniacorum pœnas incurrit?

Ratio dubitandi eſt, quia ſanctus Pius V. ex Bulla ſua primo Junii an. 1569. lata, (c) declarat, eos qui datum ſub conditione confidentiali Beneficium accipiunt, dictas pœnas incurrere; licet reſignans ſolus confidentiæ ſit reus: *Statuimus*, inquit hic ſummus Pontifex, *ut, ſi quis quacumcumque auctoritate .... Beneficium Eccleſiaſticum qualecumque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque perſonæ etiam ſola dimittentis intentione receperit .... hæc, confidentia cenſeatur: & paullo poſt (d): licet ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia ſit admiſſum.*

(c) S. Pius V. In Bulla *Intolerabilis*. 25. § 1. ſupra cit.

(d) Idem ibid. §. 4.

Responsio.

Doctus Canoniſta modernus ad hanc quæſtionem reſpondet, quod in eo caſu, qui nec tacite neque expreſſis verbis propoſitæ ſibi confidentiæ non acquievit, immo vero diſſentire ſtatuit, pœnas ſimoniacis aut confidentiariis propoſitas non incurrit, licet propoſitum ſibi Beneficium receperit, nulla facta mentione de confidentia, quæ ſibi a reſignante propoſita eſt. Navarrus aliique ejus rei rationem hanc a Cabaſſutio allatam reddunt. *Rationem dant*, inquit Cabaſſutius (e), *quia mens legiſlatorum in hac parte non fuit reddere illicita, & hic pœnis ſubjicere illa quæ antea fuerant licita: ſed antea licitum erat tale recipere Beneficium ſine conſenſu & ſine ulla ſignificatione conſenſus ad illam confidentiam, ne ſcilicet reſignans, aperta in contrarium declaratione repulſas, alium quæreret & inveniret, qui pravæ ejus voluntati conſentiret, atque utraque ex parte contra jus divinum graviter peccaretur, & transferretur id Beneficium ad indigniorem perſonam.* Quocirca juxta iſtum Auctorem non intelligendus eſt S. Pius V. niſi ut loquens de præſumtione aut ſimplici conjectura, quæ indicat, propoſitam a reſignante ſimoniacam conventionem plerumque ſequi conſenſum ſaltem tacitum Reſignatarii; licet contrarium quoque certo poſſit evenire, ut in caſu propoſito. Equidem ſanctus Pontifex quatuor alias addit præſumtiones, ad quas ſuam ſententiam vult judicem componere, (f) licet re ipſa poſſint eſſe falſæ. *Ideoque*, ut poſt Navarrum obſervat Canoniſta noſter (g), *non dicit* (ſanctus Pius V.) *per hoc fieri mutuam confidentiam, ſed cenſendam eſſe talem, hoc eſt, ita præſumi velle in externo & contentioſo foro*, inquit Cabaſſutius; *Nam in foro pœnitentiæ interiori non præſumtio, ſed rei veritas a pœnitente ſecundum propriam conſcientiam prolata prævalet.*

(e) Joan. Cabaſſut. Juris can. theor. & prax. l. 5. c. 8. n. 15.

(f) Idem S. Pius V. in cit. Bulla §. 4. & 5.

(g) Navar. Manual. c. 23. n. 210. §. 4.

Hæc eſt Auctorum quos laudavimus, ſententia; ſed qualiſcumque ſit interpretatio quam Bullæ S. Pii V. afferunt; ſubtilis potius quam ſolida nobis videtur eorum deciſio; & in praxi contrarium ſuademus cum Bonacina (h); quia talis Reſignatarius ſilentio ſuo cenſetur ſufficientem dare conſenſum juxta iſtam juris regulam: *Qui tacet, conſentire videtur*: taleque propoſitum adeo perniciosum ac menti Eccleſiæ ſanctiſque Canonibus adeo contrarium debet rejicere. *

(h) Bonacina de Simon. diſp. 2. q. 7. puncto 2. §. 3. propoſit. 2. n. 4. & 5.

* Si attente legatur quod in numero 13. Capitis ſupra ad marginem citati dicit CABASSUTIUS, & præſertim rationes quas immediate poſt in numero ſcilicet 14. affert, æqua lance ponderentur, non minus fortaſſe ſolidum quam ſubtile videbitur *Cabaſſutii* ratiocinium, altem in ſenſu in quo ſuam proponit probatque ſententiam. Nam notandum eſt eum *Bonacinæ* aſſentiri, ſi qui recepit Beneficium, verbo aut intentione, aut facto annuiſſet malæ voluntati dimittentis, quamvis non intendiſſet opera id exſequi quod pollicitus fuiſſet, hoc in ipſo peccaſſet, ut fatetur *Cabaſſutius*, mortaliter, eſſetque nefariæ confidentiæ ſocius. CABASS. *loc. cit.*

CASUS VII.

Crispinianus, Titularis Præbendæ modici omnino proventus, aliam a Capitulo vacantem requirit, cujus multo major eſt reditus. Eam Capitulum concedit ſub illa conditione, ut cum eam adiverit, pure ac ſimpliciter priorem ipſi remittat; quod promittit Criſpinianus, & re ipſa exſequitur ſtatim ab aditione poſterioris. Numquid confidentialis eſt illa conventio?

Responsio.

Nulla eſt in hac conventione confidentia, ut ſentit inclytus Theologus (i): quia, inquit, nihil a Criſpiniano exigit Capitulum, nihilque is promittit, niſi quod ſub peccato tenetur perficere, cum duas Canonico non liceat habere Præbendas ſimul & eodem tempore; & convenienter ad Eccleſiæ regulas, ut in manibus Collatoris, videlicet Capituli, eam abdicet quam nec vult nec poteſt retinere. Nulla eſt igitur, ſubdit ille Doctor, confidentia in pacto de quo agitur, non magis quam in eo, quo Capitulum ipſi Præbendam illam non conferret, niſi ea lege, ut cum ceteris choro adeſſet, ceteraque Beneficii ſui obiret munera.

(i) De Ste. Beuve tom. 3. caſ. 90.

Objicit ſibi Theologus, ex conventione Capituli Criſpinianum jam in Curia Romana cui voluerit, non poſſe reſignare; ad quod liber eſſet, illo pacto non interveniente. Verum reſpondet:

1. nihil

1. nihil ab eo exigere Capitulum, niſi quod ſuum eſt ratione Patronatus ſui. 2. Satius eſſe ad propriæ conſcientiæ tutamen bonumque Eccleſiæ, ut priori ſuæ Præbendæ intra manus Capituli renuntiet, quam ſi eam io Curia Romana aut amico aut parenti reſignaret, cujus meritum coram Deo præſtare teneretur, Huie deciſioni libenter aſſentimur.

CASUS VIII.

Blandinus Ægidio nepoti ſuo vacantem in Cathedrali dignitatem procurare volens, eam ab Epiſcopo ejus Collatore poſtulat, cui notum erat, Blandinum eamdem poſtea nepoti ſuo eſſe reſignaturum. Præbendam ipſi concedit Epiſcupus, eamque poſt ejus aditionem paucis poſt diebus Ægidio reſignat Blandinus. 1. Reperiturne in eo confidentia? 2. Poſito quod ſit, num Blandinus & Ægidius excommunicationi aliiſque pœnis in confidentiarios & ſimooiacos latis ſubjacent?

Respons.

Pœnis Canonicis in confidentiarios decretis non quiſquam ſubjacet, niſi quando realis eſt confidentia. At talis eſſe oon videtur in caſu propoſiro: quamvis enim Epiſcopo nota eſſe potuerit Blandioi intentio hanc dignitatem nepoti ſuo reſignandi; per ipſum tamen libere potuit facere, vel oon: cum ea de re nullum inter illos initum fuerit pactum, quod parlrer non reperitur inter Blandinum & ipſius nepotem: licet eoim ſuſpicari poſſet nepos ille, avunculum ſuum hoc ſibi deſtinare Beneficium, oullam tamen cum Ægidio ſocietarem inivit Blandinus; cui ſemper liberum fuit collatam ſibi dignitatem ſervare, aut cui voluerit reſignare. Uude io eo oulla fuit realis coofidentia, cum nulla intervenerit conventio vel expreſſa vel tacita, neque a Collatore neque ab avunculo & nepote; ideoque nemo ex iis incurrit pœnas in confideotiarios latas ex Bullis Pii IV. & ſancti Pii V. io præcedentibus deciſionibus citatis. Ita ſeotit Theologus ille (a), qui tamen fatetur, aliquod in eo reperiri poſſe dubium; quo in caſu ad Epiſcooum eſſet recurrendum. Addendum hactenus dictis, quod licet pœoas Canonicas non incurrerit Blandinus; graviter tamen deliquit, accipiendo Beneficium, quod pro ſe habere & cui deſervire non intendebat.

(a) De Ste. Beuve, tom. 3. caſ. 95.

CASUS IX.

Yvo, Parochus Curæ ſancti Albini, cujus ad ad laicum Patronum nominatio ſpectat, proviſus ab Epiſcopo de alia Cura, priorem hanc Patrono renuntiare conſtituit, ſimulque eum rogare, ut de ea fratri ſuo velit gratificari: conſilium ſuum perficit, ſimulque poſtulatum aſſequitur, Nonne condentia in eo reperitur?

Rasrona.

Nulla eſt in caſu propoſito confidentia, modo pure ac ſimpliciter Beneficium ſuum Yvo bona fide renuntiaverit, quin ullum cum Patrono intervenerit pactum ſeu expreſſum, ſeu tacitum; ita ut Curam hanc ſincere renuntiaſſet, licet eam pro fratre ſuo obtinere uon potuiſſet. Sed ſi inter ſe & Patronum aliqua intervenerit conveotio, confidentiæ reus factus eſt; cum in re beneficiaria omne pactum ſit illicitum & ſimoniacum ex allatis ſuperius Conſtitutionibus Bonifaſii I. Lucii III. Cæleſtini III. Urbani III. Alexandri III. Innocentii III. & Gregorii IX. (b).

(b) De Ste. Beuse, tom. 2. caſ. 63.

CASUS X.

Petrus, Paullus et Joannes, Canooici, ſimul uniti ut officium Cantoris Titio procurarent in Capitulo, cum eo pacti ſunt de ſuis ſuffragiis, ſimulque confratrum quos in eam rem ſolicitarent; ea tamen conditione, ut ſemel electus dignitatem ſuam Cantoris cum Petro permutaret pro ſimplici Prioratu: Quo promiſſo Titius a Capitulo Cantor electus eſt factæ conventioni prupitio. Interea Epiſcopus, qui hujuſce Beneficii collationem ſibi arrogabat, de eo Mævium providit: Quo facto tres Canonici, qui factam cum Titio conventionem, uti ſimoniacam agnuverunt, ab ea deſtitere, ex profeſſo ipſi denuotiantes, ut partam retineret Caotoris digoitatem quam jam Petrus noo ambiebat. Qua de re poſtulat Titius, utrum tuta conſcientia Mævio ſibi litem inferenti reſiſtere queat hujuſque dignitatis poſſeſſionem ſibi, quantum poterit, aſſerere?

Rasrons.

Conſtar evidenter, factam inter Canonicos tres & Titium conventionem eſſe ſimoniam confidentialem, & omnes pariter conſclos ſimoniacorum pœnas incurriſſe, quarum una eſt iovaliditas tituli Beneficii iſto modo obtenti, ut probat Sylvius ex Bullis Pii IV. & ſancti Pii V. in quarta deciſiona laodatus. Quare Cantoris dignitate non legitime proviſus Titius tuta conſcientia electionem ſuam adhibere non poteſt ut Mævium ab Epiſcopo proviſum interturbet: licet enim jus proviſioois ad Epiſcopum oon pertineret; ipſum *jure devoluto* plene acquiſiviſſet ob defectum canonicæ electionis, quali modo deficit electio Titii, quæ ex confideotia tantum formali & expreſſa facta eſt, nec *a majori & saniori parte Capitali*, qualis fieri debet, ut ſit legitima; quemadmodum conſtituunt multæ ſummorum Pontificum Decretales, & in primis ea, quam ad Epiſcopum Præneſtinum, Legatum ſuum in Germania ann. 1202. (c) ſcripſit Innocentius III. aliæque duæ Gregorii IX. ſcribentis ad Epiſcopum Silvanectenſem & ad Capitulum Catalaunenſe (d).

Ac fruſtra objicitur, tres illos Canonicos mutaſſe ſententiam, & conventioni ſuæ, ut Titio declararunt, renuntiaſſe: ex hac enim voluntatis mutatione oon fit, ut electio non ſit confidentialis, nec emendatur ejus defectus; cum electio ſemel in regulas facta numquam fieri poſſit legitima, aut vim habere aliquam, ex hac Bonifacii VIII. regula (e): *Non firmatur tracta temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*. Ex quo ſequitur, ſuppoſitum jus Titii abſolute invalidum eſſe, neque ipſum eo uti poſſe tuta conſcientia, vel de eo amice paciſci, ut inde Beneficium aliquod per modum præmii aut permutationis accipiat.

(c) Innocentii. in Cap. *Dudum*. 12. de elect. & elect. poteſt. l. 1. tit. 6

(d) Greg. IX. in Cap. *Congregato*. 11. & in Cap. *Eccleſia*. 37. eod. tit.

(e) Reg. 18. de regol. juris in 6.

Vide { Collator. Collatio. Permutatio. Provisio. Patronus. Rasignatio. Simonia. }

CONFIRMATIO.

CONFIRMATIO, ut obſervat doctus Theologus (f) a ſanctis Patribus dicta eſt *Impoſitio manuum*, aliquando *Sacramentum ſacri Chriſmatis, ſigillum Domini, & unctio Domini*: a nobis autem Sacramentum illud vulgo, *Confirmatio*, dicitur, quia ex hoc termino notior fit virtus ejus & præcipuus effectus in eo poſitus, quod acceptam Baptiſmo gratiam in hoc Sacramento per-

(f) Eſtius in 4. diſt. 7. §. 2.

perficiat Spiritus ſanctus, nova donorum ſuorum communicatione, ac præſertim fortitudinis dono, quo digne ſuſcipientes vim animumque acquirunt palam confitendi veritates Chriſtianæ religionis, fidemque in Baptiſmo acceptam & vehementiſſimis reſiſtendi tentationibus, quibus ab ejus confeſſione poſſet amoveri; ob eamque cauſſam Epiſcopus in collatione hujus Sacramenti confirmandum in fronte ſacri Chriſmatis unctione illinit, qua baptizatus in ſummitate tantum capitis fuerat unctus. *Signatur enim baptizatus cum Chriſmate per ſacerdotem in capitis ſummitate*, inquit antiquus Moguntiæ Archiepiſcopus (*a*); *per Pontificem vero in fronte: ut in priore unctione ſignificetur Spiritus ſancti ſuper eum deſcenſio ad habitationem Deo conſecrandam; in ſecunda quoque, ut ejuſdem ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis, & ſcientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur*. Quo redeunt hæc præclara antiqui Canonis apud Gratianum verba (*b*); *Quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inviſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt; in Baptiſmo regeneramur ad vitam; poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam: in Baptiſmo abluimur; poſt Baptiſmum roboramur*. Jam inutile eſſet heic afferre definitionem hujus Sacramenti: ex dictis quippe conſtat in quo poſita ſit ejus natura.

(*a*) Raban. Can. Noviſſime. 4. de conſecrat. diſt. 5.

(*b*) Can. Omnes, 1. ead. diſt.

Ut ceterorum novæ legis, ſic iſtius Sacramenti verus eſt inſtitutor Chriſtus Dominus: cum hoc tamen diſcrimine, quod, ut ait ſanctus Thomas, illud tantum promittendo inſtituit, non dando (*c*): etenim neceſſe erat, ut moreretur, e mortuis reſurgeret, cæloſque ipſos penetraret, prius quam Spiritus ſancti plenitudinem conferret, in qua conſiſtit effectus proprius hujuſce Sacramenti. *Expedit vobis, ut ego vadam*, inquit Diſcipulis ſuis: *ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos* (*d*). Sic ſuam ſententiam confirmat Doctor Angelicus.

(*c*) S. Th. 3. part. q. 72.

(*d*) Joan. 16. 7.

Ex Eccleſiæ conſuetudine confirmando aſſignatur Patrinus, ut ab eo diſcat, quo pacto, data occaſione in militia Chriſti ſit pugnaturus; uti datur in Baptiſmo ad edocendum, ſi forte opus ſit, novum baptizatum ea omnia quæ ad fidem ac religionem ſpectant. Inter Patrinum & Confirmatum oritur affinitas ſpiritualis, de qua verba faciemus in titulo de affinitate ſpirituali, dum de impedimentis Matrimonii.

Materia Confirmationis eſt ſanctum Chriſma, quod ex oleo expreſſo ex olivis & balſamo conficitur, ab Epiſcopo benedictum.

In prima tituli hujuſce deciſione fuſe agitabitur celebris iſta quæſtio, num ſcilicet Chriſma adhibuerint Apoſtoli; an vero impoſitio manuum, ſola eſſet hujus Sacramenti materia: & utrum, in hoc ultimo caſu ex diſpenſatione Chriſti agerent.

Ex Decreto Eugenii IV. quod Concilio Florentino adjungitur, forma hujuſce Sacramenti in his verbis conſiſtit: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ea de re quoque inter Scholaſticos agitatur controverſia, quam ut inutilem fidelibus ad moderamen conſcientiæ morumque prætterimus.

Epiſcopus eſt Miniſter Confirmationis. Deinceps expendemus, utrum ſancti Thomæ opinio, qui exiſtimat, ſimplicem Sacerdotem a Papa poſſe delegari in caſu neceſſitatis ad illud miniſterium, prævalere debeat Eſtii ceterorumque Theologorum, qui contrarium defendunt, opinioni.

Sicut eo tendit natura, ut omne quod naſcitur ſuam obtineat perfectionem; dicendum pariter, Deum, auctorem naturæ intendere, ut ii omnes qui ſpiritualiter per Baptiſmum ſunt geniti, augmentum gratiæ vimque ad eam conſervandam per Confirmationem accipiant. Ita ſanctus Thomas argumentatur.

Primis Eccleſiæ ſæculis collatum eſt illud Sacramentum novis baptizatis, & quidem immediate poſt Baptiſmum, cum aderat Epiſcopus. Verum nunc immutata eſt ea diſciplina, neque ante uſum rationis ipſis confertur; cum nimirum norunt effectus quos producit in iis, qui illud adhibitis neceſſariis diſpoſitionibus ſancte ſuſcipiunt.

Jam ab initio ſatis diximus de præcipuo hujuſce Sacramenti effectu, gratia videlicet habituali, quam in rite diſpoſitis certo producit: ſed alter eſt ejus præcipuus effectus, character nempe indelebilis, quo fit, ut, non minus quam Sacramentum Baptiſmi & Ordinis iterari nequeat.

CASUS PRIMUS.

ARCHELAUS, Epiſcopus & Vicarius Apoſtolicus in Cocincinenſi regno ſola manuum impoſitione complures neophytos confirmavit, non adhibito Chriſmate, cujus copiam non habebat, nec utens proinde ſolita iſta forma ab Eugenio IV. in Concilio œcumenico Florentino determinata:

minata: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, &c.* Quo percepto Pamphilus. Vicarius quoque Apoſtolicus, ipſi demonſtravit, ab eo valide non fuiſſe adminiſtratum illud Sacramentum. Numquid pro Pamphilo ſtat jus?

RESPONS.

Abſolute tamquam invalidum improbari non poteſt quod egit Archelaus, neque tamquam certum defendi, ipſum non valide confirmationem neophytis de quibus in caſu agitur, contuliſſe: multi namque, iique graves Theologi putant, unctionem Chriſmatis verbaque quæ adhibet Eccleſia tamquam formam, Sacramento Confirmationis eſſe accidentaria; & materiam formamque eſſentialem in ſola manuum impoſitione ab Epiſcopo facta, adjunctaque ab ipſo oratione eſſe poſitam; ac pro ſententia ſua Scripturam & Traditionem allegant.

Eorum opinioni favere Scriptura videtur in eo quod nihil aliud, inquiunt, quam manuum impoſitionem, precemque ab Apoſtolis, qui primos Samariæ fideles confirmarunt, additam deſignet. *Oraverunt pro ipſis*, inquit textus ſacer (*a*), *ut acciperent Spiritum ſanctum.... Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.*

Traditio pariter eorum opinioni contentanea eſt, uti probari poteſt ex Conciliis & Patribus. Et 1. ex Concilio Eliberitano an. 305. ſub Marcello I. (*b*), quod loquitur de ſola impoſitione manuum Epiſcopi: *Ad Epiſcopum* (fidelem) *perducat, ut per manus impoſitionem perfici poſſit.* 2. Primum Arelatenſe ſub S. Silveſtro an. 314. habitum (*c*) unicam refert manuum impoſitionem his verbis: *Si perviderint eos in Patre, & Filio & Spiritu ſancto eſſe baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum ſanctum.* 3. Primum Concilium Arauſicanum ſub S. Leone an. 441. coactum confirmantis Epiſcopi unctionem non exigit, niſi cum a Sacerdote baptizante omiſſa eſt. En ejus verba (*d*): *Nullus Miniſtrorum qui baptizandi recepit officium, ſine Chriſmate uſquam debet progredi; quia inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari: de eo autem qui in baptiſmate non chriſmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur.* 4. Sextum Pariſienſe Concilium ſub Gregorio IV. an. 829. habitum (*e*), poſtquam Epiſcopos commonuit, ut ſe jejunio & oratione ad dignam hujus Sacramenti adminiſtrationem pararent, de ſola quoque manuum impoſitione & oratione loquitur: *Dignum quippe eſt*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *ut Pontifices Chriſti.... orando in cordibus ſuis domum præparent Spiritui ſancto, & ſic per impoſitionem manuum cæteris fidelibus eum tradant orando.* 5. Videtur etiam, multa Concilia Provincialia duobus ultimis ſæculis elapſis habita, eodem modo loqui Moguntinum an. 1549. habitum. Sic dicit (*f*): *Ea vero, ut erant a Chriſto promiſſa, ipſis Apoſtolis in die Pentecoſtes exhibita, & ab eiſdem per manuum impoſitionem in alios transfundi cœpta, Actus ipſorum ſatis teſtantur. Unde Eccleſia Catholica Spiritum ſanctum per manus Epiſcoporum fidelibus tradendi normam accepit.* Rhemenſe Concilium ſub Cardinale Guiſio (*g*) an. 1583. coactum de ſola quoque manuum impoſitione loquitur, uti Narbonenſe an. 1609. ab Archiepiſcopo Ludovico de Vervins habitum (*h*) his verbis: *Sanctorum Patrum inſtitutionibus conſtat, nos in Baptiſmo regenerari, & poſt Baptiſmum in hoc Sacramento, quo per impoſitionem manuum Epiſcopi Spiritus ſanctus diffunditur in corda fidelium, robur atque fortitudinem dari.*

Eccleſiæ Patres, qui Theologorum iſtorum ſententiæ favent, ſunt 1. Tertullianus (*i*), qui loquens de adminiſtratione hujus Sacramenti, dicit ſimpliciter: *Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum ſanctum.* 2. S. Auguſtinus, qui aſſerit, ſuo tempore Apoſtolorum morem ſervari in Eccleſia, dum illud conficeretur Sacramentum (*K*): *Orabant quippe* (Diſcipuli) *ut veniret* (Spiritus ſanctus) *in eos, quibus manum imponebant.... quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* 3. Rem eamdem ante S. Auguſtinum dixerat S. Cyprianus: *Quod nunc quoque apud nos geritur*, inquit ſanctus ille Martyr (*l*), *ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* 4. Eodem modo loquuntur ſanctus Hieronymus & ſanctus Chryſoſtomus (*m*), uti Innocentius I. in ſua ad Decentium Epiſtola. 5. Nullam de Chriſmate mentionem facit Ordo Romanus (*n*) licet formam his verbis deſignet: *Confirmo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Hæc ſunt præcipua teſtimonia quæ proferunt ii, quibus placet, ſacri Chriſmatis unctionem ad eſſentiam ſacramenti Confirmationis non pertinere.

Attamen, qui contrarium ſentiunt, quibuſdam alicujus momenti probationibus nituntur. 1. Quia allata ab Adverſariis argumenta ſunt negativa, in eo, quod verbis expreſſis Chriſmatis unctionem non excludant. Immo vero de ea quidam quos pro ſe laudant, Patres in aliquibus operum ſuorum locis loquuntur, teſte Tertulliano, qui ſic dicit (*o*): *Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* Theodoretus, inter Græcos doctrinæ fama præcipuus Epiſcopus, hæc Apoſtoli verba explicans (*p*): *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & unxit nos Deus, qui & ſignavit nos &c.* dicit etiam (*q*): *Ipſe enim nobis firmam in Chriſtum fidem donavit, ipſe nos unxit, ſanctiſſimi Spiritus ſignaculo dignos duxit, veluti quamdam futurorum bonorum arrham hanc nobis gratiam largiens.* S. Auguſtinus de ea etiam loquitur in ſuo commentario in Evangelium ſancti Joannis (*r*).

2. Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus in ſuis Catecheſibus (*ſ*). Sanctus Optatus (*t*), & Euſebius (*u*) Cæſarienſis de ea pariter mentionem faciunt. *Non fuit ſignaculo Chriſmatis conſummatus*, inquit Euſebius de Novato loquens, *unde nec Spiritum ſanctum potuit promereri.* Sanctus Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, de Chriſmate loquitur (*x*), uti ſanctus Gregorius Papa (*y*), qui dicit: *Pontifex tincto pollice in Chriſmate, facit crucem in fronte unius, ſimiliter per omnes ſigillatim.* Hæc ſunt etiam alibi ejuſdem ſancti Doctoris verba (*z*): *In Engaddi balſamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione Chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur.* Sanctus Gregorius Turonenſis (*aa*), ſanctus Leo (*bb*). Gelaſius Papa (*cc*) aliique permulti univerſam & perpetuam Eccleſiæ praxim pro hac re conſtanter aſſerunt; eorumque doctrina innumeris eſt conſentanea Conciliis ſeu generalibus ſeu Provincialibus, quæ ad marginem indicare brevitatis cauſſa ſatis erit (*dd*).

3. Cum antiquis conſentiunt hac in re Auctores moderni (*ee*), quales ſunt Rabanus (*ff*), Venerabilis Beda (*gg*). Herardus (*hh*), ſanctus Thomas (*ii*), ſanctus Antoninus, ſanctus Carolus Borromæus (*kk*), Albertus Magnus (*ll*), & innumeri, iique celeberrimi Theologi; unde ſic loquitur Cornelius a Lapide (*mm*): *Eſt longe probabilius*, inquit doctus ille Jeſuita, *immo quaſi certum, numquam Apoſtolos hoc Sacramentum ſine Chriſmate exhibuiſſe, ut docet Hugo de ſancto Victore lib. 2. de Sacramentis, p. 7. ſ. 2. &c.*

Hæ ſunt præcipuæ, quæ afferri poſſunt pro hac opinione, auctoritates: Unde colligimus, quod, quamvis inconcuſſa non ſit veritas, Apoſtolos eorumque primis ſæculis ſucceſſores, Confirmationis Sacramentum abſque Chriſmatis unctione contuliſſe; atque adeo invalidum cenſeri non poſſe, abſolute loquendo, quod egit Archelaus in caſu propoſito; probabile tamen eſt, Chriſma ſemper fuiſſe in uſu, eamque praxim eſſe tutiorem: quocirca Sacramentum illud ſola manuum impoſitione, & ſine unctione numquam debet adminiſtrare Epiſcopus; alioquin Eccleſiæ regulæ firmiter ſtabilitæ, uſuique quem ſervat intemerate, contradicet. Quare Archelaus, eos iterum, ſi poteſt, Chriſma adhibendo ſub conditione confirmare debet, quos jam pars ſolam manuum impoſitionem confirmavit: quia, ubi de Sacramentis agitur, tutior pars eſt eligenda.

(*a*) Act. 8. 15. & 17.
(*b*) Concil. Eliberit. Can. 38.
(*c*) Conc. Arelat. can. 8. in Can. De Arrianis, 109. de conſecr. diſt. 4.
(*d*) Conc. Arauſic. I. can. 1. & 2.
(*e*) Conc. Pariſ. 6. can. 33.
(*f*) Concil. Mogunt. c. 27.
(*g*) Conc. Rhemenſ. tit. de Confir.
(*h*) Conc. Narbon. c. 13. de Confir.
(*i*) Tertull. lib. 1. de Bapt. c. 8.
(*k*) S. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 26 ſeu n. 46. & lib. 3. de Bapt. c. 16. ſeu n. 18.
(*l*) S. Cyprian. Epiſt. 73. ad Jubajanum.
(*m*) S. Hier. Dial. contra Luciferianos &c. S. Chryſ. in Cap. 8. Act. Apoſt. & in c. 6. ad Heb.
(*n*) Ordo Roman. tit. *Ordo in nocte & die Sabbati ſancti.*
(*o*) Tert. lib. de reſurrect. carnis, c. 8.
(*p*) 2. Cor. 1.
(*q*) Theodor. in eic locum Apoſtoli.
(*r*) S. Aug. tract. 118. in Joannem ſin.
(*ſ*) S. Cyrillus Hieroſol. Catech. Myſtagogica 3.
(*t*) S. Optat lib. 7. contra Donatiſt. n. 4.
(*u*) Euſeb. lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. c. 33.
(*x*) S. Pacian. Epiſt. ad Serap. l. 1. tom. 4. Biblioth. PP p. 316 veter ed 1.
(*y*) S. Greg. lib. Sacram. ad Feriam 6. in paraſceve.
(*z*) Idem in Cant. 1. 15.
(*aa*) S. Greg. Tur. l. de gloria Mart. c. 8.
(*bb*) S. Leo in Can. *Quamvis.* 4. diſt. 68.
(*cc*) Gelaſius in Can. *Preſbyteros* 2. diſt. 23.
(*dd*) Conc. Nicæn. Can. 69. ſecund. Turrianum Conc. Lodic. can. 48.
Conc. Carth. II. an. 390. Can. 3 in Can. *Si jubet.* 2. 26. q. 6.
Conc. Carth. III. an. 397. Can. 36. in Can. *Preſbyter.*
Conc. Carth. IV. an. 398. in Can. *Preſbyteri.* 4. diſt. 95.
Conc. Tolet. I. an. 400.
Conc. Flor. in Decr. Eug. IV. 9. *Secundum Sacramentum.* 7.
Conc. Trid. Seſſ. 7. c. 2. de Confirm.
(*ee*) S. Anton. 3. p. Sum. tit. 14. c. 14. §. 1.
(*ff*) Rabanus lib. 1. de inſtit. Cler. in Can. *Noviſſime.* 5. de conſecrat. diſt. 5.
(*gg*) Beda in Pſal. 10.
(*hh*) Herard. in Can. *Ut jejunes.* c. ibid.
(*ii*) S. Th. 3. p. q. 72. art. 2. & ad 1. & 5.
(*kk*) S. Car. Act. Eccl. Mediol. p. 4. de Sacr. Confirm.
(*ll*) Albert. Magnus in 4. art. 2.
(*mm*) Corn. a Lapide Act. 8.

Digitized by Google

CASUS II.

Nonne valide ante rationis uſum Confirmationis Sacramento imbutus eſt unus e Faronis pueris; illudque ei abſque peccato conferre potuit Epiſcopus?

Respons.

Certum eſt, quod, ut Baptiſmus puero, ubi natus eſt, ita Sacramentum Confirmationis ab Epiſcopo conferri poteſt; cum præcipuus ejus effectus ſit acceptæ per Baptiſmum gratiæ perfectio. *Confirmatio poteſt puero tradi, & convenienter traditur*, inquit ſanctus Thomas (*a*), cujus hæc eſt ratio, *quia infantilis ætas non patitur fictionem, qua effectus Sacramenti in traditione impediatur: & ideo, quamvis ei tunc non competit confiteri, vel pugnare; certum tamen eſt, quod effectum Sacramenti plene recipit, per quem erit idoneus ad pugnam, & confeſſionem ad perfectam ætatem veniens, niſi gratiam acceptam per peccatum admittat*. Alibi quoque aſſerit ſanctus Doctor (*b*), quod *Etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam conſequuntur, ſicut & heic majorem obtinent gratiam*. Hic quoque mos erat primitivæ Eccleſiæ, ob frequentes quibus ſæpe vexabantur primi Chriſtiani, perſecutiones, ut conſtat ex teſtimoniis quæ a nobis heic & alibi afferuntur.

(*a*) S. Th. in 4. Sent. diſt. 7. q. 3. art 2. quæſt. 2. in corp.

(*b*) Idem 3. part. Sum. q. 72. art. 8. ad 4.

Attamen ex Catechiſmo Concilii Tridentini (*c*) Sacramentum illud pueris ante uſum rationis adminiſtrare non convenit, ſeu ante adeptum ad minus ſeptennium. *Illud obſervandum eſt, omnibus quidem poſt Baptiſmum confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari: ſed tamen minus expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare, ſi duodecimus annus non exſpectandus videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit*. Et ipſe quidem ſanctus Carolus Borromæus in primo ſuo Mediolanenſi Concilio, an. 1565. (*d*) vult expreſſe, ut *minori ſeptennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur*. Cui conſentiunt Synodi Audomaropolitana & Yprenſis, & ſecundum Provinciale Concilium Cameracenſe. Hanc tamen exceptionem in quinto ſuo Concilio an. 1579. ſubjungit ſanctus Carolus (*e*): *Si tamen*, inquit Concilium, *Epiſcopus ob aliquam cauſſam juſtam, atque adeo neceſſariam parvulo, & infanti, qui non modo eam ætatem expleat, ſed ne attingat quidem, miniſtrandum aliquando cenſuerit; ne ſit vetitum: iis vero minoribus natu, atque adeo parvulis, ſi quando miniſtrabitur; eorum parentes vel qui curam gerunt, Parochus moneat, ut ætate procedente, illos ea de re certiores faciant, ne parentibus curatoribusve poſtea mortuis, ipſi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas eſt, ſuſceperint*. Huic conſentiens eſt Pontificale Romanum, ut conſtat ex his ejus verbis: *Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris*. Addendum inſuper multo magis conferre ad bonum ſpirituale infantium, ut quamprimum Sacramentum illud ſuſcipiant, ut videlicet augmentum gratiæ quod operatur, accipiant: idque primis Eccleſiæ ſæculis omnino quibus immediate poſt Baptiſmum ſemper conferebatur Confirmatio; ut legere eſt in antiquo Canone, quem ſub nomine Melchiadis Papæ refert Gratianus (*f*), qui ſic habet: *Ita conjuncta ſunt hæc duo Sacramenta, ut ab invicem, niſi morte præveniente, nullatenus poſſint ſegregari, & unum ſine altero rite perfici non poteſt*.

(*c*) Catechiſm. Trid. part. 2. de Sacram. Confirm. §. 15.

(*d*) Conc. Mediol. 1. Conſtitut. part. 2. tit. *De his quæ pertinent ad Sacram. Confirm.*

(*e*) Conc. Mediolan. 5. tit. *Quæ ad Sacram Confirmationis pertinent*.

(*f*) Can. *De his*. 3. de conſecrat. diſt. 5.

Sequitur itaque ex dictis, non ſolum Faroni licitum fuiſſe, ut ante rationis uſum puerum ſuum ad Confirmationem offerret, eumque valide fuiſſe confirmatum; ſed ipſum etiam Epiſcopum abſque peccato Sacramentum illud ei conferre potuiſſe; jubendo Faroni, ut puerulo ſuo, jam ætate provecto notificet, ipſum jam fuiſſe confirmatum, nec iterum poſſe confirmari (*g*).

(*g*) Fr. Sylvius. in 3. part. Sum. S. Th. q. 72. art. 8.

CASUS III.

Sedulius, ab Epiſcopo ſuo confirmatus ita dubitavit, ſe baptizatum fuiſſe, ut factis omnibus neceſſariis inquiſitionibus, de baptiſmo illius, nec ſcripto nec teſtibus conſtare potuerit; ita ut ipſum denuo ſub conditione baptizare juxta uſum ſæculo nono in Eccleſiam invectum, conſtitutum fuerit. Nonne iterum etiam ſub conditione confirmari debet?

Respons.

Licet ad ſalutem non adeo neceſſarium ſit Sacramentum Confirmationis, uti Baptiſmi; plurimi tamen intereſt, ut ſuſcipiatur propter uberes quas producit gratias, & quia acceptam in Baptiſmo gratiam perficit: quare ut in dubio legitimo iterum ſub conditione baptizari poteſt homo, cujus Baptiſmus eſt incertus, ut fert Concilium Carthaginienſe (*h*), multique Canones a Gratiano relati (*i*), Sacramentum Confirmationis iterum conferri poteſt: ſed conveniens eſt, ut in caſibus illis inſolitis id ſecreto fiat ob puſillorum ſcandalum. Sedulius itaque in caſu propoſito iterum confirmari poteſt, adhibita ea, quam modo diximus, cautione.

(*h*) Concil. Carthag. v. in Can. *Placuit*. CXI. de conſecrat. diſt. 4.

(*i*) Greg. II. Epiſt. 4. ad Bonifac. in Can. *Placuit* 110. & S Leo in Can. *Cum itaque*. 112. ibid.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex Bulla Clementis VIII. 31. Aug. an. 1595. (*k*) lata, qua verbis expreſſis confirmatur uſus ſub conditione confirmandi. En ipſius verba: *Epiſcopi Latini infantes, ſeu alios baptizatos a Presbyteris Græcis de facto Chriſmate in fronte conſignatos confirment: & tutius videtur, ut cum cautela, & ſub conditione id faciant: videlicet*, N. ſi non es confirmatus, ego conſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris &c. *præſertim vero, cum veriſimiliter dubitari poteſt, quod ab Epiſcopis Græcis fuerint baptizati*.

(*k*) Clemens VIII. in Bulla *Sanctiſſimus*. 34. §. 2. in Bullar. magn. tom. 3. pag. 41. col. 2.

CASUS IV.

Odo, Americanus, natione Illinenſis, a ſimplici confirmatus eſt ſacerdote Miſſionario, qui ex ſpeciali Papæ diſpenſatione Confirmationis Sacramentum poterat conferre, ſi forte in regione Canadenſi nullus eſſet Epiſcopus. Nonne valide confirmatus eſt hic homo?

Respons.

Dicendum ex opinione probabiliori, hunc Americanum valide fuiſſe confirmatum. Certum quidem eſt, Epiſcopum ſolum eſſe ordinarium Confirmationis Miniſtrum, ut clare docet Innocentius I. in ſua ad Decentium Epiſtola, cujus partem in uno Canone ſui Decreti refert Gratianus (*l*): *De conſignandis vero infantibus*, inquit hic ſanctus Pontifex, *manifeſtum eſt non ab alio, quam Epiſcopo fieri licere: nam presbyteri, licet ſint ſacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem ſolis pontificibus deberi, ut vel conſignent, Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat; verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit, Petrum & Joannem eſſe directos, qui baptizatis traderent Spiritum ſanctum, non presbyteris*. Idem docet S. Thomas (*m*), qui idipſum probat ex eamdem Scripturæ auctoritate, quam adhibet Innocentius I. *Collatio hujus Sacramenti Epiſcopis reſervatur, qui obtinent ſummam poteſtatem. In primitiva Eccleſia per impoſitionem manus Apoſtolorum, quorum vicem gerunt Epiſcopi, plenitudo Spiritus ſancti dabatur. Act. 8.* Huicque Scripturæ teſtimonio antiquum addit ſanctus Doctor Canonem, qui eamdem adſtruit veritatem: *Unde Urbanus papa dixit* (*n*): *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur*. Ita quoque definivit Concilium Tridentinum (*o*): *Si quis dixerit Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*.

(*l*) Innoc. I. in Can. *Presbyteris*. 116. de conſecrat. diſt. 4.

(*m*) S. Th. 3. part. Sum. q. 72. art. 11. in corp. & in 4. diſt. 7. q. 3. art. 1. quæſt. 3.

(*n*) Urbanus. in Can. *Omnes*. 1. de conſecrat. diſt. 5.

(*o*) Concil. Trid Seſſ. 7. Can. 3. de Confirm.

Attamen ex ſancto Thoma (*p*) Papa ſimplici ſacerdoti privilegium adminiſtrandæ Confirmationis poteſt concedere. En verba Doctoris Angelici: *Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quædam, quæ ſunt ſuperiorum Ordinum committere quibuſdam inferioribus, ſicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad Epiſcopalem poteſtatem, & ex hac plenitudine poteſtatis conceſſit beatus Gregorius Papa, quod ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu*

(*p*) S. Th. cit. art. 11. ad 1. & in 4 cit. loco.

Jean-

Google

ſcandalum tolleretur. Reperitur ea conceſſio de qua loquitur Doctor Angelicus, in una S. Gregorii ad Januarium Caralitanum Epiſcopum in Sardinia, Epiſtola cujus hæc ſunt verba (*a*): *Pervenit quoque ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros Chriſmate tangere in fronte eos qui baptizati ſunt, prohibuimus: & nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus. Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus*. Hoc unum quidem nobis antiquitas ſuppeditat exemplum. *Iſtud Gregorii pro ſcandalo ſedando ſemel conceſſum legitur*, inquit Gratianus (*b*); ſed ſufficit: Idque probat Eugenius IV. in ſuo Decreto (*c*): modo in caſu urgentis neceſſitatis qualis enuntiatur in propoſita ſpecie, talis concedatur diſpenſatio. Sed cum Cabaſſutio diligenter advertendum (*d*), quod in hoc caſu ſimplex Sacerdos non niſi chriſma ab Epiſcopo benedictum ad confirmationem adhibere poteſt, & quod Papa ei non poſſet facere poteſtatem illud benedicendi: cum hæc conſecratio facta ab Epiſcopo ſit de eſſentia Sacramenti, ut docent S. Thomas (*e*) & Sylvius, qui fuſe rem iſtam probat. Deciſioni huic communiter aſſentiuntur Theologi & Canoniſtæ (*f*), & ipſum quidem Senonenſe Concilium an. 1528. quod Confirmationis adminiſtrationem tantum Abbatibus prohibet, cum Epiſcopo ſpeciale non obtulerint privilegium, quod in eam rem a Sede Apoſtolica obtinuerint. En verba Concilii (*g*): *Quod ſi qui ſint, qui contendant ſibi competere hanc facultatem ex privilegio, volumus, quod eum ordinem fuerint requiſiti a Suffraganeis noſtris, de privilegio fidem facere teneantur*. Qua in re hoc animadvertit Sylvius (*h*): *ubi manifeſtum eſt ſupponi, quod hujuſmodi privilegium dari potuerit*. Omittimus auctoritates ſanctorum Ambroſii, Hieronymi & Antonini, a Fagnano relatas (*i*), qui inſuper Hoſtienſem, Innocentium IV. Cajetanum, Dominicum Sotum, Vivaldum, Navarrum & alios quoſdam laudat, qui conſenſu unanimi noſtram tuentur opinionem, tamquam certam.

CASUS V.

EBRULPHUS, ſexagenarius apprime novit, ſe numquam fuiſſe confirmatum; nec oblata recipiendæ Confirmationis occaſione utitur. Peccat ne, & quale eſt ejus peccatum?

RESPONS.

Aſſerit ſanctus Thomas (*k*), nullo divino præcepto juberi Confirmationem; unde qui eam recipere omitteret, *non damnaretur, niſi forte propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur*. Nullum quoque eſt de præſenti Eccleſiaſticum præceptum ad id obligans, ut docet Panormitanus (*l*), qui in eo communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam ſequitur. Nihilominus contendit, quod qui recipere nollet, ex tali contemptu fieret reus peccati mortalis, ut indicant allata modo ſancti Thomæ verba.

Dicimus nullum eſſe nunc præceptum Eccleſiaſticum obligans ad Confirmationem recipiendam; nam veriſimillimum eſt univerſam Eccleſiæ conſuetudinem recentes e Baptiſmo confirmandi, eum obligare ad recipiendam Confirmationem, ut probari poteſt 1. ex Concilio Laodiceno ſub pontificatu S. Silveſtri habito (*m*), quod ſic habet: *Quod oportet eos, qui illuminantur, poſt Baptiſma inungi ſuper cœleſti Chriſmate, & eſſe regni participes*. 2. Ex Concilio Elibertano (*n*), & ex veſtius etiam ex antiquo Canone, in reſponſione ad ſecundam difficultatem relato, quem Melchiadi Papæ tribuit Gratianus. Tertullianus quoque (*o*) de hoc uſu mentionem facit cum aliis plurimis Auctoribus. Sed finita hujuſmodi conſuetudine cum Eccleſiæ perſecutionibus, ceſſat quoque eorum temporum obligatio. Quocirca ut propoſitæ difficultati fiat ſatis, dicendum, Ebrulphum peccato mortali non ſubjacere, quod Confirmationis Sacramentum ſuſcipere omiſerit, modo a negligentia ſua abſuerit contemptus, neque ex omiſſione ſua ortum fuerit grave ſcandalum.

Hanc deciſionem ſuppeditat Sylvius (*p*) his verbis: *Neque videtur aliquod generale & abſolutum*

(*a*) S. Greg. Papa lib. 3. Epiſt. 26. ad Joan. Calarit. Epiſc. an. 593. in Can. Pervenit. diſt. 95.

(*b*) Gratian. S. Sed iſtud. cit. diſt. 95.

(*c*) Eugen. IV. in Decreto unionis Armen.

(*d*) Joan. Cabaſſ. Juris Can. theor. & prax. l. 3. c. 3. n. 6.

(*e*) S. Th. cit. q. 72. art. 3. & ibid. Sylvius.

(*f*) Palud. in 4. Richardus, Sylveſter. v. Confirmatio. Angelus de Clavaſio. v. Gratia. 2. q. 3. & apud eum Piſanella, Dom. Soto, Capreolus, Cajetanus, Sylvius, & alii.

(*g*) Conc. Senon. ann. 1528. c. 58.

(*h*) Sylvius in tit. q. 72. art. 11.

(*i*) Fagnan. in Cap. Cum veniſſet. t. de ſacra Unctione. n. 6. & ſeqq.

(*k*) S. Th. 3 part. Sum. q. 72. art. 8. ad 4.

(*l*) Panorm. in Cap. Quanto 4. de conſuetud. n. 4.

(*m*) Conc. Laod. Can. 48. ſecundum verſ. Dionyſ. Exigui.

(*n*) Conc. Eliber. Can. 77.

(*o*) Tertull. de Bapt. c. 7.

(*p*) Fr. Sylvius. in 3. part. Sum. S. Thom. q. 72. art. 8. quæſito uoic. & apud eum Scotus & Richard. in 4. diſt 7. Adrian. art. 3. de Confir. Catechiſ. Rom. & Synodus Yprenſis.

præceptum, ſive divinum, ſive eccleſiaſticum, obligans fideles ſub peccato mortali: quia tale præceptum non eſt aſſerendum ſine magno fundamento. In Scriptura autem, & traditione nullum invenitur ejuſmodi fundamentum: Nam Patres ejus quidem efficaciam, & utilitatem explicant; idcoque moneant ut ſuſcipiatur, ſtrictæ tamen neceſſitatis non meminerunt. Et paullo poſt: *Hinc beatus Thomas* (*q*)... *dicit Confirmationem ſolum eſſe neceſſariam ad melius eſſe, & hujus quæſtionis articulo 1. ad 3. affirmat poſſe eſſe ſalutem ſine Confirmatione; dummodo tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti*. Denique non ſine ratione addit hic Auctor: *Si autem ſciens & volens quis confirmari negligeret, tempore & loco perſecutionis, ubi periculum ſit ne fidem abneget, vel eam, ubi opus fuerit, confiteri erubeſcat, non excuſabitur a mortali*. Ejuſque rei hanc ſubjicit rationem: *Tum quia tacitus videbitur eſſe contemtus: tum quia tali homini eſt magna de ſe præſumtio, & rei ſalutaris ad ipſius opem inſtitutæ negligentia*.

Inclytus Theologus, regius olim in Sorbona Profeſſor (*r*), in erudito ſuo qui poſt mortem ejus an. 1686. emiſſus eſt, Tractatu de Confirmatione, vult, hoc Sacramentum eſſe neceſſarium ex præcepto divino, *vel in re, vel in voto*, non ſolum tempore perſecutionis, ſed cum quis contra fidem graviter tentatur; & ad illud etiam ex præcepto eccleſiaſtico teneri omnes adultos, qui illud commode poſſunt accipere; & ita ſentit ſanctus Antoninus (*ſ*) dicens: *Etſi numquam occurrat conſeſſio perſecutionis tenetur homo ſemel in vita confirmari: & ſi poſſit & negligat, licet Sacramentum aliter non contemnat, peccat mortaliter, & damnatur moriens, niſi confirmetur tunc ſimpliciter, vel niſi pœnitens & confiteatur de hoc, quod in ſanitate potuit & neglexit*. Ex hac itaque deciſione noſtra non intendimus Fideles a ſpeciali ſuſcipiendæ Confirmationis cura averti, cum in ea major recipiatur gratiæ copia, quæ baptiſmalem gratiam auget & perficit: unde omitti non poteſt ab aliquo, niſi utiliſſimo ad ſalutem ſe ipſum privet ſubſidio. *Et equidem Hugo de ſancto Victore* (*t*), inquit Abely, *dicit omnino periculoſum eſſe, ſi quem ab hac vita migrare contingat, Sacramento Confirmationis minime ſuſcepto, quod culpabiliter ſuſcipere neglexit*.

CASUS VI.

ASCLEPIUS, viginti annos natus, necdum confirmatus, degens in vico quodam, ubi Epiſcopum modo Confirmationem eſſe adminiſtraturum addiſcit, hujus Sacramenti ſuſcipiendi conſilium init; cum ſe ſe offerat occaſio; ſed quamvis peccati mortalis conſcius ſit, non confitetur, ſed actum tantum contritionis, quantum poteſt, perfectum elicit cum propoſito non peccandi de cetero, & quam primum confitendi: quo facto confirmationem ſuſcipit. Potuit ne abſque ſacrilegio, Confeſſionem omittens?

RESPONS.

Verum quidem eſt, Concilium Aurelianenſe an. 858. (*u*) aut potius Herardum Turonenſem Archiepiſcopum, in ſeptuageſimo quinto e ſuis Capitulatibus, quos refert Gratianus in Decreto, conſtituiſſe, *ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confeſſionem facere prius, ut mundi donum ſancti Spiritus valeant accipere*. Sed abſolutum verbis illis non continetur præceptum: quare, ut abſque peccato Confirmationem poteſt quis recipere, quod etiam nunc vulgo fit, licet non jejunus; ſic poteſt abſque ſacrilegio, licet conſcius peccati mortalis, modo contritionis perfectæ actum eliciat, adjuncto propoſito non peccandi de cetero, & quam primum, ubi commode poterit, confitendi. Ita Cabaſſutius (*x*): *Ille ſufficienter eſt diſpoſitus*, inquit, *qui nullius eſt ſibi conſcius mortalis culpæ: atque ubi conſcius eſſet mortalis culpæ, ſufficere poteſt, ſi conteratur*; cujus quidem rei hanc ſubjicit rationem: *Quia de ſola perceptione venerabilis Euchariſtiæ præcipitur* ex Concilio Tridentino (*y*), *confeſſionem præmitti*.

Sylvius (*z*) eodem modo ſentit, qui poſtquam aſſeruit, conveniens eſſe, ut qui conſcius eſt mortalis peccati ad Confirmationem ſuſcipiendam præmiſſa

(*q*) S. Th. 3. parte q. 65. art. 4.

(*r*) Jacob de Sta. Beuva, tract. de Sacram. Confir. diſp. 8. art. 2. pag. 331.

(*ſ*) S. Anton. 3. part. ſum. tit. 14. c. 14 §. 2.

(*t*) Hugo Victorinus. lib. 2. de Sacram. part. 7. c. 5. apud Abely in Confirmat. Cap. 3 ſect. 4.

(*u*) Conc. Aurelianenſe, aut potius Herardus Turon. in Can. Ut jejunii. 6. de conſecrat. diſt. 5.

(*x*) Cabaſſ. Juris Can. theor. & prax. l. 3. c. 3. n. 2.

(*y*) Concil. Trid. Seſſ. 13. c. 7.

(*z*) Sylvius in 3. part. Sum. S. Thom. q. 72. art. 7.

miſſa confeſſione ſe præparet, ut ſuadent ſecundum Concilium Provinciale Cameracenſe, & Synodi Atrebatenſis, Audomaropolitana & Yprenſis; ſubdit poſtea: *Quia tamen*, inquit, *non eſt generale aliquod hujus rei præceptum: quin potius de ſola Eucbariſtia dixit Apoſtolus*; Probet ſe ipſum homo; *ideo reum mortalis culpæ non exiſtima illum, qui non confeſſus de mortali, confirmatur, modo per veram pœnitentiam convertatur ad Deum, & de peccatis doleat, cum propoſito non amplius peccandi*. Tum opinionem ſuam ex Pontificali Romano confirmat juxta hæc ejus verba: *Adulti deberent prius peccata confiteri, & poſtea confirmari, vel ſaltem peccata quæ admiſerunt, doleant*. Fatemur tamen uſum contrarium nunc in Eccleſia accarate obtinere, a quo diſpenſare laudabiliter tantum poteſt urgens neceſſitas.

CASUS VII.

Julianus, in peccato mortali exſiſtens, ejuſque inſcius, Confirmationis Sacramentum recepit, non elicito prius contritionis perfectæ actu. Numquid Sacramenti effectum, peccatique ſui remiſſionem accepit?

Respons.

Difficultati huic reſpondet ſanctus Thomas dicens, quod, quamvis accipi non poſſit donum Spiritus ſancti, quod eſt effectus Confirmationis, cum quis eſt in peccato mortali, nec de eo perfectæ ſaltem contritionis actum elicit; tamen exſtimandum, quod cum Sacramentum illud quis ſuſcipit in bona fide, nec cogitans de peccato ſuo mortali, in quo re ipſa exſiſtit; ejus effectus recipitur cum remiſſione hujuſce peccati, licet imperfectam tantum contritionem habeat. En verba Doctoris Angelici (*a*): *Si aliquis adultus in peccato exſiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequitur remiſſionem peccatorum*.

(*a*) S. Th. 3. part. ſum. q. 72. art. 7. ad 2.

CONJURATIO.

CONJURATIONIS terminus ſecundum duplicem ſumitur ſenſum, de quo in hoc titulo verba facimus.

1. Sumitur pro multorum conſpiratione, qui ſimul conſilium inierunt, aliquod malum perpetrandi, aut publicæ auctoritati reſiſtendi. *Conjuratio*, inquit Cajetanus (*b*), *quæ & conſpiratio dicitur, quæ plures, fide ſibi invicem præſtita, conveniunt ad malum aliquod patrandum, vel ad ſe tuendum, contra publicam poteſtatem, &c.* Eamdem definitionem affert Bartholomæus Fumus (*c*).

(*b*) Cajet. in ſum. v. Conjuratio.

(*c*) Bartholom. Fumus v. Conjuratio.

2. Conjurationis nomine heic intelligitur adjuratio dæmonis, qua auctoritate divini numinis, aut reverentia ſacris Reliquiis, aut alicui rei ſacræ debita, quidquam facere aut declarare jubetur.

Peccatum eſt graviſſimum, ſi quis per modum precum & inductionis ejuſmodi conjuratione utatur, ut vanitati ſuæ atque curioſitati ſatisfaciat, aut aliquid per eum obtineat: quia Conjuratio quandam ſemper cum eo ſocietatem neceſſario includit, quæ ſemper eſt nefanda; quam rationem affert ſanctus Thomas his verbis (*d*): *Quia ille modus adjurandi videtur ad quamdam benevolentiam vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones uti*.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 90. art. 2. in corp.

Quod pertinet ad Conjurationem, quæ adhibetur ad expellendum malignum ſpiritum, tamquam Dei hominumque inimicum, vel ut non nobis, vel ut proximo noſtro non noceat; ea non eſt peccatum, juxta hæc Domini verba (*e*): *In nomine meo dæmonia ejicient*: neque etiam cum adhibetur, imperando ipſi, ut quædam declaret, quorum utilis eſt notitia, & eo tantum confert, ut clarius dignoſcatur, num ipſe energumenorum ore loquatur. Vide *Exorcizare*.

(*e*) Marc. 16. 17.

CASUS PRIMUS.

Amphianus, dæmonem adjuravit, ut addiſceret aliquid, quod ſua permagni referebat cognoſcere. Num in eo mortaliter peccavit?

Respons.

Dubium non eſt, Amphianum peccaſſe mortaliter in caſu propoſito: quod hoc modo probat S. Thomas (*f*): *Poſſumus ergo*, inquit Angelicus Doctor, *dæmones adjurando per virtutem divini nominis, tamquam inimicos repellere, ne nobis noceant ſpiritualiter, vel corporaliter ..., non tamen licitum eſt eos adjurare ad aliquid ab eis addiſcendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertineret ad aliquam ſocietatem cum ipſis habendam, niſi forte ex ſpeciali inſtinctu, vel revelatione divina aliqui SS. ad aliquos effectus dæmonum operatione utantur, ſicut legitur de beato Jacobo, qui per dæmonem fecit Hermogenem ad ſe adduci*.

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 90. art. 2. in corp.

CASUS II.

Boso, Aslardus, aliique permulti militiæ ductores aut in urbe præſidiarii milites, quibus notum fuit Gubernatorem conſtituiſſe, quoſdam inter ſe carceri mandare velle ob rixam in urbe exortam, in qua civis occiſus fuerat, alter vero graviter læſus; in eum unanimi conſenſu conſpirarunt, ſeque mutuo defendere conſtituerunt, ſi in ſe manus conjici juberet. Num dici poteſt, eos mortaliter peccaſſe, ſi conſilium illud ad mortem aut carcerem devitandum ſuſceperint?

Respons.

Certum eſt principium inferiori reo numquam licere, ut vi aperta in legitimum ſuperiorem ſuum aperte rebellet, cum deſtinatam ſibi a ſuperiore illo pœnam reus ipſe meretur; ut patet ex his Apoſtoli verbis (*g*): *Non eſt poteſtas niſi a Deo. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Ex quibus ultimis verbis conſtat peccatum eſſe mortale. Hinc ſequitur, Boſonem, Aslardum, ceteroſque conjuratos peccaſſe mortaliter, eorumque crimen gravius eſſe futurum, ſi illud perficere ſuſcipiant; cum illud exſequi nequeant abſque rebellione capitali.

(*g*) Rom. XIII. 1. & 2.

Congruit hæc deciſio cum doctrina Cajetani his verbis contenta (*h*): *Conjuratio, quæ & conſpiratio dicitur, qua plures, fide ſibi invicem præſtita, conveniunt ad malum aliquod patrandum, vel ad ſe tuendum contra publicam poteſtatem, vel ad non parendum in aliquo, communiter eſt peccatum mortale & ſcandaloſum: quia communiter eſt contra bonum publicum, vel alicujus privati*.

(*h*) Cajetan. in Sum. v. Conjuratio.

Con-

Concilio Chalcedonenſi congruit hæc ſententia, cujus hæc ſunt verba (*a*): *Conjurationum & conſpirationum crimen .... publicis etiam Legibus certum eſt penitus inhiberi*: Et verbis iſtis Canonis Calixto I. attributi (*b*) qui ad Epiſcopos Galliæ de conjuratione quadam ſcribens, affirmat omnem conjurationem eſſe crimen: *Cujus ... aſtutia non ſolum inter Chriſtianos abominabilis eſt; ſed etiam inter Ethnicos, & ab exteris Legibus prohibita: & idcirco hujus criminis reos non ſolum Eccleſiaſticæ, ſed etiam ſæculi damnant Leges; & non ſolum conſpirantes, ſed etiam conſentientes eis*. Hinc in judiciis tamquam accuſatores aut teſtes non admittuntur hujuſmodi homines, velut infames (*c*).

(*a*) Concil. Chalced. c. 18. in Can. *Conjurationum*. 22. 11. q. 2.

(*b*) Calixt. I. in Can. *Conſpirationum*. 22. 11. q. 9. Idem Calixtus I. in Can. *Conſpiratores*. 6. 5. q. 4.

(*c*) Innoc. III. in Can. *Licet*, 32. de Simonia.

CONSANGUINITAS.

Vide IMPEDIMENTUM *Cognationis naturalis.*

CONSCIENTIA.

CONSCIENTIAM ſic definiunt Theologi (*d*): *Conſcientia eſt intellectus actuale judicium, dictans particulare agibile eſſe faciendum, quia bonum; vel fugiendum, quia malum* Eſt lumen quoddam internum rei faciendæ bonitatem aut fugiendæ malitiam oſtendens; ſeu lumen illud rationi ac Legi ſit conforme, ſeu nos decipiat, hoc eſt, judicium illud ſit verum vel falſum.

Duplex ſtatim diſtinguenda eſt Conſcientia ſcilicet: bona, hoc eſt, vera, qua inducimur ad faciendum id quod eſt conforme præcepto; & falſa, ſeu erronea, quæ nos inducit ad faciendum id quod præcepto prohibetur, ſuadendo nobis, illud non eſſe vetitum.

Conſcientia erronea, qua fit aliquid quod exiſtimatur malum, licet in ſe ipſo bonum ſit, non excuſat a peccato; quia error quo quis judicat, aliquid mortale eſſe, quod re vera non eſt, ab ea re abſtinendi ſub reatu mortalis peccati obligationem inducit: quocirca numquam excuſat Conſcientia erronea, ſi ſit ſufficienter, hoc eſt, directe vel indirecte voluntaria, uti fuſius poſtea dicemus: *Regulæ morum ſunt Lex & Conſcientia; adeo ut quæ contra Legem, vel Conſcientiam fiunt, peccata ſint*. Sed cum ex errore penitus involuntario agimus, tum nullum eſt peccatum: ita ut ex ignorantia invincibili qualem exponemus, is qui contrariam peragit actionem, non ſit reus peccati.

Tertia eſt Conſcientiæ ſpecies, quam *probabilem* Theologi appellant, & quæ eſt interior convictio, quam parit moralis certitudo de bonitate actionis, quæ nititur rationibus probabilibus, quæ nos inducunt ad hanc actionem potius quam ad contrariam, & quæ nobis ſuadent, Conſcientiam noſtram non eſſe erroneam. *Probabilia autem dicuntur*, inquit ſanctus Thomas, *quæ videntur omnibus vel ſapientibus, aut omnibus, vel præcipuis & maxime notis* (*e*).

Duplex alia etiam diſtingui poteſt Conſcientia, ſcilicet dubia, & ſcrupuloſa.

Conſcientia dubia probabili in eo opponitur, quod probabilis ſufficientes habeat rationes ad judicandum interius de bonitate actionis, & quod quis non erret; cum dubia Conſcientia non clare judicet, & paribus utrimque inducatur rationum momentis contrariis: unde eligere non poteſt nec judicare, quæ aliæ aliis prævaleant.

Conſcientia itaque proprie dubia eſt, cum ob æqualitatem motivorum non magis inclinatur intellectus in unam partem contradictionis, quam in aliam: *Intellectus noſter*, inquit ſanctus Thomas (*f*), *reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode: quandoque enim non magis inclinatur ad unum, quam ad aliud propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem: & iſta eſt dubitantis diſpoſitio*.

Quando talis eſt conſcientia, tutior ad ſalutem pars eſt eligenda juxta iſtam Gloſſæ regulam (*g*): *Tutius in dubio declarant jura ſequendum*, quam adſtruunt multæ Decretales ad marginem indicatæ, & quæ doctrinæ ſancti Auguſtini conſentanea eſt (*h*): & ſi pars tutior forſan dignoſci nequeat, id ſequendum quod regulis Eccleſiæ magis conforme videtur, inconſultis propriis rebus vel propoſitionibus: ſi denique non ceſſet dubium, conſulendi ſunt viri prudentes & præſertim ſuperiores.

Conſcientia denique ſcrupuloſa ea eſt, qua quis ob validas ſatis rationes & evidentes ſibi perſuadet, ſe poſſe agere ſine peccato, ſed timet ob debiles rationes, ne peccet agendo: *Scrupulus*, inquit ſanctus Antoninus (*i*), *eſt vacillatio quædam conſurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus & in-*

(*d*) Polman. part. 1. n. n. 351.

(*e*) S. Thom. Opuſc. 39. de *Fallaciis*. c. 8. art. 17 fol. 221.

(*f*) Idem S. Thomas q. 14. de *Veritate*. a. 1. in corp.

(*g*) Clem. III. in Can. *Ad audientiam*, 12. de homicidio. lib. 5. tit. 12. l. 5. tit. 12. Innocent III. in Can. *Illud*. § *Licet*, de Clerico excommunicato &c. l. 5. tit. 27.

(*h*) S. Aug lib. 1. de Bapt. contra Donatiſtas. c. 3. ſeu n. 4.

(*i*) S. Anton. 1. part. tit. 3. c. 10. § 9.

& incertis, Ut autem plena habeatur hac de re notitia, conſule titulum *Scrupulus* & ſequentes deciſiones. *

* Gravibus & difficilibus de Conſcientia probabili & dubia quæſtionibus theologaſtri complures abuſi ſunt; nec mirum; ſuas enim laxitates colore aliquo oblinire volebant. Nec mirum eſt, inquam, de Conſcientia probabili & dubia ſanctorum Patrum & antiquorum Doctorum ſententiæ non aſtipulatos fuiſſe Doctores recentiores, juxta quos *tota Theologia Moralis nova eſt*, qui ea feliciorem jactitant Eccleſiam, quod ſuis commentis viam quam Chriſtus arctam fecerat, latiorem reddiderint, magnamque hominum catervam ad cœlum ſecuro & recto tramite perducant; qui alioqui viæ aſperitate deterriti ne pedem quidem in ea figere auſi miſere periiſſent. Novos Dogmatiſtas ſanam doctrinam non ſuſtinentes audire refugiamus, & Magiſtrorum prurientium auribus, peccatoriſque cupiditatibus veluti lenocinantium placita averſemur: averſemur & hanc propoſitionem quam Academia Pariſienſis ann. 1665. & Clerus Gallicanus ann. 1700. ut falſam, ſcandaloſam, ſanctis Patribus & antiquis Doctoribus contumelioſam, & in praxi perniciosam damnarunt: *Doctrina Morum magis a Junioribus petenda eſt.* Non interrogemus novos Caſuiſtas, ſed interrogemus Patres noſtros, & annunciabunt nobis, majores noſtros, & dicent nobis quid ipſi annuntiare, & dicere debeamus. *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati*, innuit Sixtus III. *Id teneamus*, ut ait VINCENTIUS LIRINENSIS, *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.* Depoſitum cuſtodiamus; *depoſitum cuſtodi*, clamat S. PAULUS, *id eſt*, ut idem explicat VINC. LIR. *quod tibi creditum eſt, non quod a te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem .... in qua non author debes eſſe, ſed cuſtos, non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens .... Intelligatur, te exponente illuſtrius quod antea obſcurius credebatur, per te poſteritas intellectum gratuletur quod ante vetuſtas venerabatur; eadem tamen quæ didiciſti doce, ut cum dicas nove non dicas nova. Devita profanas vocum novitates: non dixit antiquitates, non dixit vetuſtates: imo plane quid e contrario ſequeretur oſtendit; nam ſi vitanda eſt novitas, tenenda eſt antiquitas: & ſi profana eſt novitas, ſacrata eſt vetuſtas.* Equidem fas eſt, inquit idem VINC. LIR. *ut priſca illa cœleſtis philoſophiæ dogmata proceſſu temporis ... limentur, poliantur; ſed nefas eſt, ut commutentur, nefas eſt ut detruncentur & mutilentur. Accipiant, licet, evidentiam, lucem, diſtinctionem ſed retineant, neceſſe eſt, plenitudinem, integritatem, proprietatem.* Nemo igitur ad putidas probabiliſmi ciſternas nos admoveat, ex quibus peſtiferum venenum ac fortaſſe incautius quam ſuavius obbiberet. Abſit equidem ut per ſtrictiorem & duriorem doctrinam jugum Chriſti quod ſuave eſt, grave faciamus; ſed etiam abſit, ut per laxiores aſſertiones conſuamus pulvillos ſub omni cubito manus, & faciamus cervicalia ſub capite ad capiendas animas; abſit, ut dum humanæ infirmitati conſulimus, aliquid legis divinæ rectitudini detrahamus. Si ſacra morum dogmata ex Theologorum opinandi libidine penderent, ſi certiſſimas Chriſtianæ Ethicæ regulas ad ſuam ingenii ſui incudem revocare, eaſque inſtar ceræ in omnem gyrare partem quiſque poſſet, heu calamitates in univerſa Eccleſia graſſarentur! quot aberrationes, quot opinionum portenta, quot monſtra novitatum cerneremus! Peſtiferi præſumptionis temeritatiſque ſcena in totidem veriſſimas morum regulas erigerentur: ſanctorum Patrum auctoritas huc uſque tanta veneratione aſſerta flocci fieret, & fruſtulatim conciſa rueret antiquitas. *Si novitia veteribus*, inquit VINC. LIR. *extranea domeſticis, & profana ſacratis admiſceri cœperint ...., neceſſe eſt ut nihil poſthac apud Eccleſiam intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, ſed ſit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat ante caſtæ & incorruptæ ſacrarium veritatis.* Caveamus igitur ne antiquata venerabili antiquitate, ſpretis ſanctorum Patrum, veterumque Doctorum ſententiis novas & hoc ipſo falſitatis notam pro ſe ferentes quas crudeliter miſericordes quidam tradidere morum regulas ſequamur; e contra quando agitur *de ſalutis negotio*, ut monet CLERUS GALLICANUS, *ubi æqualia utrinque animo ſeſe offerunt rationum momenta, ſequamur id quod tutius, ſive quod eſt eo in caſu unice tutum, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit.* Hanc nobis præſcribamus regulam quam idem Clerus Gallicanus ſolam veram, & tutam eſſe Herculeis probat argumentis, ſcilicet, *ut in rebus Theologicis ad fidei & morum dogmata ſpectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas SS. Patribus tradant ſententias; deinde ut ſi ab eis recedant, harum opinionum minuatur cura, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas.*

CASUS PRIMUS.

PROTOGENES, ex conſcientia erronea convictus, non urgere ſub reatu mortalis peccati præceptum de audiendo ſacro feſtis diebus, etiam ſi quis commode poſſit, huic ſæpe deeſt officio. Num poteſt excuſari a peccato mortali ob conſcientiam ſuam erroneam?

RESPONS.

Certum eſt, a peccato mortali excuſari non poſſe Protogenem in caſu propoſito, ſi conſcientiæ ſuæ error ſit quacumque ratione voluntarius, hoc eſt, ſi directe, vel indirecte ſit voluntarius, ut infra dicetur. Certum quippe eſt poſſe peccari per ignorantiam non ſolum aliquid faciendo contra propriam conſcientiam, ſed etiam faciendo contra præceptum imperans vel prohibens. Id ipſum ineluctabiliter probat ſanctus Bernardus contra Doctorem quemdam qui contrarium ſentiebat; *Veritatis teſtimoniis paucis & manifeſtis*, inquit mellifluus Doctor (a), *manifeſtum mendacium confutetur. Is forſitan, qui aſſerit non poſſe peccari per ignorantiam, numquam pro ſuis ignorantiis deprecatur, ſed potius Prophetam irridet deprecantem & dicentem:* Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris (b). 2. *Forſitan & reprehendet Deum, exigentem pro peccato ignorantiæ ſatisfactionem* (c). 3. *Si ignorantia nunquam peccatum eſt*, ſubjungit idem Sanctus, *cur dictum eſt in Epiſtola ad Hebræos: quia in ſecundo Tabernaculo ſemel Pontifex in anno ſolus intraret, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſui & populi ignorantia? Si peccatum ignorantiæ nullum eſt; non ergo peccavit Saulus, quod perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate: bene ergo faciebat, quod erat blaſphemus & perſecutor & contumelioſus, quod erat ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini, in hoc ipſo quippe abundantius æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergo debuit dicere:* Miſericordiam conſecutus ſum; *ſed mercedem recepi, quippe quem ignorantia a peccato reddebat immunem. Inſuper & æmulatio remunerabilem indicabat.* 4. *Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur; quid ergo cauſſamur adverſus occiſores Apoſtolorum; quoniam quidem non ſolum malum eſſe neſcierunt, interficere illos: ſed inſuper quoque, id faciendo, arbitrati ſunt, obſequium ſe præſtare Deo?* 5. *Sed & fruſtra in cruce Salvator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippe neſcientibus, ipſo teſte, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus? Numquid non ex his apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccare poſſe interdum per ignorantiam?*

(a) S. Bernard. tract. ad Hugonem Victorinum de Bapt. n. 10. ſeu c. 4. de qq. propoſit.

(b) Pſalm. 24. 7.

(c) Levit. 42. & ſeqq.

Integrum teſtimonium, licet fuſe productum attulimus, 1. Quia in eo argumenta includit ſanctus Doctor validiſſima, ad probandum peccari poſſe ex ignorantia, quando ſufficienter eſt voluntaria in eo qui illicitum facit. 2. Quia ex eodem teſtimonio ſolvi poſſunt plures aliæ difficultates, huic quam propoſuimus, haud abſimiles.

Dicimus: *Quando ignorantia ſufficienter eſt voluntaria in eo, qui illicitum facit:* in eo namque ſolo ſæpe reperitur peccatum erroneam ſequendo conſcientiam: Atqui error ſufficienter voluntarius cenſetur ex ſancto Thoma duplici modo (d): *Conſequenter autem*, inquit Angelicus Doctor, *ſe habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipſa ignorantia eſt voluntaria: & hoc contingit dupliciter. Uno modo, quia actus voluntatis fertur in ignorantiam, ſicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando ... & hæc dicitur ignorantia affectata: alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus quod quis poteſt ſcire & debet; ſic enim, non agere & non velle, voluntarium dicitur.*

(d) S. Th. 1. 2. q. 6. art. 8. in corp.

Sed quando ignorantia eſt omnino involuntaria, tum excuſat a peccato; quod fit 1. cum quis omnino ſcire non potuit, actionem adverſari legi. 2.

Cum

Cum id quis ſcire non tenetur. *Si vero ſit talis ignorantia*, addit ſanctus Thomas (*a*), *quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur: talis ignorantia omnino excuſat a peccato.* Ut autem dignoſcatur, quandonam ignorantia eſt invincibilis, nec ne; duplex ejus eſt diſtinguenda ſpecies: altera juris, altera facti. Ignorantia juris ea eſt, qua lex ignoratur: V. g. quando quis ignorat, ſe ex præcepto Eccleſiæ teneri ad audiendum ſacrum feſtis diebus; de qua ignorantiæ ſpecie in caſu propoſito agitur. Ignorantia facti ea eſt, qua cognito quidem præcepto, neſcitur, an talis actio ſit ipſi contraria: V. g. cum quis omittit adeſſe Sacro, ignorans diem feſtum agi eo in loco, in quo pro hac die commoratur. Peior ignorantia plerumque a peccato non excuſat, quia legem ſcire tenemur: contra vero ignorantia facti ſæpe invincibilis eſſe poteſt; unde cum factum ignoratur abſque culpa noſtra, iſta ignorantia excuſat a peccato; atque in hoc ſenſu a Bonifacio VIII. dicitur (*b*): *Ignorantia facti, non juris excuſat.*

(*a*) Idem 1.2.q.76 art. 3. in corp.

(*b*) Bonif. VIII. in reg. 13. de regulis juris in 6.

Ut autem omnino elucidetur præſens argumentum, ſciendum, duplex eſſe genus juris. Primum eſt jus naturale, alterum eſt jus poſitivum; quod eſt vel divinum, vel humanum. Jus naturale, ſecundum Divum Thomam (*c*) eſt, *Lumen rationis naturalis, quo diſcernimus quid ſit bonum, & quid ſit malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud ſit quam impreſſio divini luminis in nobis. Unde patet quod lex naturalis nihil aliud eſt, quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* Hæc ſunt verba Divi Thomæ.

(*c*) S. Th. 1. 2. q.91. art. 2. in corp.

Ignorantia autem juris illius poteſt quidem minuere peccatum, ut docet ſanctus Auguſtinus, ſed cum ſit vincibilis, neminem excuſat, qui ratione utatur. Talis eſt ignorantia præceptorum Decalogi, quandoquidem omnia ad jus naturale pertineant. Unde ſpecies illa ignorantiæ numquam eſt invincibilis, ſed ſemper eſt culpabilis. *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis eſt* (*d*): hoc eſt, perniciosa & damnum afferens; quia in ſe ipſo eam ſemper homo luminis copiam habet, qua generalia legis naturalis principia, Decalogi præcepta, & concluſiones quæ ab iis immediate ſaltem eliciuntur, dignoſcere valeat; & ſi forte non noverit, id ex eo procedit, quod non requiſitam ad ea cognoſcenda curam adhibeat, ut docet Doctor Angelicus (*e*). In his itaque rebus, non ſufficit, ut ſit quis conſcientiæ dictamen ſequatur, ut a peccato immunis; quoties enim in legem naturalem agitur, toties peccatur, niſi forte de remotiſſimis hujuſce legis concluſionibus agatur, de quibus nimirum haberi poteſt ignorantia invincibilis.

(*d*) Grat. Notandum. ad Can. Turbatur, &c. 1. q. 4.

(*e*) S. Th. 1.2. q. 19. art. 6. in corp.

Quod pertinet ad jus poſitivum divinum vel humanum; hanc ſequi neceſſe eſt regulam, quam his verbis adſtruit ſanctus Thomas (*f*): *Si igitur ratio vel conſcientia erret errore voluntario, vel directe, vel propter negligentiam, quia eſt error circa id quod quis ſcire tenetur; tunc talis error rationis vel conſcientiæ non excuſat, quin voluntas concordans rationi vel conſcientiæ ſic erranti ſit mala. Si autem ſit error qui cauſet involuntarium proveniens ex ignorantia alicujus circumſtantiæ abſque omni negligentia; tunc talis error rationis vel conſcientiæ excuſat, ut voluntas concordans rationi erranti non ſit mala.*

(*f*) Idem 1.2. q.19. art. 6. in corp.

Hæc ſunt, quæ certiſſima afferri poſſunt hac de re, quam fuſe exponere opportunum duximus; ut ſancti Thomæ principiis inhærendo, ceteræ quæ de ea fieri poſſunt, difficultates, ſolvi queant, & in caſu propoſita reſolvi: nam ſi Protogenis ignorantia circa præceptum quo ad audiendum ſacrum dominicis feſtiſque diebus tenentur fideles, ſit voluntaria directe, aut ſolum indirecte; certum eſt, quod, ut ab initio diximus, ipſius conſcientia erronea non eum excuſat a peccato; ſed cum præceptum illud ad jus poſitivum humanum pertineat, a peccato ſit immunis illud non adimplendo, ſi ipſius ignorantia ſit penitus involuntaria (*g*): quod non veriſimile eſt.

(*g*) De Genet. Theol. mor. t.1.tract. 1. c. 2. Idem 6. &c.

CASUS II.

Ildefonsus; cognoſcens, Jacobum familiarem ſuum excommunicatum publice fuiſſe denuntiatum, invito conſcientiæ ſuæ dictamine, quo exiſtimat, ſibi non licere, ut cum eo ſine mortali peccato communicet, & etiam in excommunicationem incurrat, ipſum tamen hoſpitio excipiens, domi ſuæ abditum retinet ut ipſum a mortis periculo liberet, quod ipſi minatur inimicus. Peccat ne in hac hypotheſi, caritatis Chriſtianæ præceptum adimplendo?

Respons.

Certum eſt, in caſu propoſito Ildefonſum peccare, quandoquidem contra propriam agit conſcientiam. Ratio, eſt, quia, ut ait Apoſtolus (*h*), *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: hoc eſt, *Omne quod contra conſcientiam fit, ædificat ad gehennam*, ut loquitur Gratianus (*i*), hæc Apoſtoli verba exponens, quæ ex Innocentio III. in una ex ſuis Decretalibus ad eumdem ſenſum redeunt (*K*). Idem quoque aſſerit antiquus Auctor, qui S. Pauli Epiſtolas commentariis illuſtravit, & cujus opus S. Ambroſii libris inſeritur, dicens (*l*): *Omne quod fit, etſi in ſe & de ſe ſit bonum; ſi tamen non ſit ex fide, id eſt, & contra conſcientiam, ut ſcilicet credamus eſſe malum, peccatum eſt.*

(*h*) Rom. 14. 21.

(*i*) Gratian. § Ex his. ad Can. Omnes. 14. 28. q. 1.

(*k*) Innoc. III. in Cap. Per tuas. 35. de Simoni &c. L.1. tit.3.

Ad cujus rei confirmationem ſatis erit, ſi quid conſcientiæ nomine intelligatur, accurate perpendamus. *Hugo*, inquit S. Antoninus (*m*), *libro 2. de anima* definiens eam, ſic ait: *Conſcientia eſt cordis ſcientia.* Hoc eſt, eſt lumen interius, quo quiſque dijudicat, quid ſibi faciendum ſit, vel omittendum, ut vitetur peccatum: *Dicitur enim conſcientia teſtificari* .... inquit ſanctus Thomas (*n*) .... *Secundum quod per noſtram conſcientiam judicamus aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum. Si ergo aliquid*, inquit etiam alibi Angelicus Doctor (*o*), *quod ſecundum ſe non eſt contra Legem Dei, ut levare feſtucam de terra, vel jurare, apprehendatur, errante conſcientia, ut contra Legem Dei exiſtens, & ſic voluntas in ipſum feratur: manifeſtum eſt quod voluntas fertur per ſe loquendo & formaliter in id, quod eſt contra Legem Dei: materialiter autem in id, quod non eſt contra Legem Dei: & ideo neceſſe eſt, quod ſit ibi peccatum. Et ideo dicendum eſt, quod omnis conſcientia, ſive recta, ſive erronea, ſive in per ſe malis, ſive in indifferentibus, eſt obligatoria, ita quod qui contra conſcientiam facit, peccat.* Idem quoque alio in loco docet ſanctus Doctor, luculentum hujus rei afferens poſtea exemplum dum ſic dicit (*p*): *Ex quo aliquid proponitur a ratione ut malum, voluntas dum in illud fertur, accipit rationem mali. Hoc autem contingit non ſolum in indifferentibus, ſed etiam in per ſe bonis, vel malis: non ſolum enim id quod eſt indifferens, poteſt accipere rationem boni vel mali per accidens; ſed etiam id quod eſt bonum, poteſt accipere rationem mali; vel illud quod eſt malum, rationem boni: propter apprehenſionem rationis. Puta .... credere in Chriſtum eſt per ſe bonum & eſt neceſſarium ad ſalutem: ſed voluntas non fertur in hoc, niſi ſecundum quod a ratione proponitur. Unde ſi a ratione proponatur ut malum, voluntas feretur in hoc ut malum: non quia illud ſit malum ſecundum ſe, ſed quia eſt malum per accidens ex apprehenſione rationis.*

(*l*) Ambroſiaſter in hæc verba: Omne quod non eſt ex fide &c.

(*m*) S. Anton. 1. part. Sum. Theol. tit. 3. c. 10. §. 1.

(*n*) S. Th. 1. part. q. 79. art. 13. in corp.

(*o*) Idem quodlib. 4. art. 22. in corp.

(*p*) Idem 1. 2. q.19. art. 5. in corp.

Vide { Confessio. Ignorantia. Dubium. Opinio Probabilis. Scrupulus. }

Digitized by Google

CONSECRARE.

CONSECRARE terminus eſt univerſalis, qui multos habet ſenſus, quique ſignificat, rem ex profana ſacram efficere, aut eam benedicere ſimpliciter: Latine etiam alio modo dicitur, *dicare*, *dedicare*, *ſacrare*, *inaugurare*, *conſecrare*: v, g. dicitur: conſecrare Eccleſiam, ſanctum Chriſma, Calicem aut Altare.

Tropice etiam dicitur, conſecrare aliquid immortalitati, aut alicujus memoriæ, ut fiat immortalis.

Juxta illas acceptiones heic non uſurpatur vox illa, ſed ſumitur ſolum ad ſignificandam actionem qua Sacerdos in Sacrificio Miſſæ, vi verborum Chriſti quæ profert in ejus nomine, panem & vinum in Corpus & Sanguinem ejuſdem Salvatoris immutat.

Soli Sacerdoti conceſſa eſt hæc poteſtas. Panis autem in quo fieri debet conſecratio, juxta uſum Eccleſiæ Latinæ debet eſſe azymus, hoc eſt, abſque fermento confectus: alioquin mortaliter peccaret Sacerdos; licet conſecratio in pane fermentato foret valida.

Panis ex farina triticea & aqua naturali ſimul permixtis neceſſario fingi debet, ut vinum debet eſſe naturale; aliter invalida foret conſecratio.

Verba quæ Sacerdos ad conſecrationem panis & vini debet uſurpare, in Canone Miſſæ notantur: ſed non omnia ſunt eſſentialia, ut oſtendemus in reſponſione ad caſum *Sophronius XII* hujuſce tituli.

Græci tamen contendunt verſionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti non produci vi verborum, quæ proferunt Latini Sacerdotes, ſed oratione quæ ſequitur, & qua Spiritus ſanctus invocatur; eorumque opinionem in nullo Concilio ea de re damnavit Eccleſia.

Sacerdos abſque gravi peccato ſpeciem unam ſeorſim ab alia conſecrare nequit.

Quilibet Sacerdos, ſeu ſuſpenſus, interdictus, aut excommunicatus etiam denuntiatus, valide conſecrare poteſt, licet non ſine graviſſimo ſacrilegio.

Hæ ſunt potiſſimum regulæ, quas in hac materia ſequi neceſſe eſt, & quas ſolutione ſequentium difficultatum elucidabimus.

CASUS PRIMUS.

CAROLUS, ruſticæ Parœciæ Curatus, cum veſpere in vigilia Paſchatis panes triticeos ad conſecrationem omnino habere non poſſet, ſibique tantom ſuppeteret farina ex ſecali & hordeo confecta ad parandos panes, ut craſtina die celebraret, ſuoſque Parœcianos communicaret, poteſt ne uti ea farina in neceſſitate adeo urgente, & ſi ea uteretur an conſecratio hujuſmodi panis foret valida?

RESPONS.

Non illicite ſolum mortaliter peccaodo, ſed invalide etiam conſecraret ille Parochos cum alio pane, quam triticeo. Id ipſum evincit auctoritas S. Thomæ, qui propoſitam ſibi ſimilem difficultatem his verbis reſolvit (*a*): *Generans generat ſibi ſimile in ſpecie*, inquit, *ſit tamen aliqua diſſimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidenteia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ: & ideo ſi quæ frumeata ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt (ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo) de tali frumento panis confectus poteſt eſſe materia hujus Sacramensi: quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in ſpelta, neque etiam in farre, quod inter omnia eſt grano tritici ſimilius .... Unde ex talibus frumentis quæ nullo modo poſſunt ex ſemine tritici generari, non poteſt confici panis qui ſit debita materia hujus Sacramenti.*

Hæc nimirum deciſioois iſtius afferri poteſt ratio; quia valide fieri nequit conſecratio, niſi eamdem qua Chriſtus ipſe uſus eſt, adhibendo materiam, panem videlicet triticeum, ut omnes fatentur. Huc accedit univerſalis Eccleſiæ totius Græcæ & Latinæ conſuetudo, cujus inclytum ſuppeditat exemplum, ipſom Concilium œcumenicum Chalcedoneoſe an. 451. habitum, in quo Iſchytion, Alexandrinæ eccleſiæ diaconus S. Leoni & Concilio in Dioſcorum Epiſcopum ſuum libellum ſupplicem dedit, his refertum querelis (*b*): *Tanta autem contra omnes .... perpetrare auſus eſt* (Dioſcorus) inquit hic diaconus, *ut etiam & frumentum, quod a piiſſimis noſtris Imperatoribus Eccleſiæ Lybiæ propter ariditatem illius Provinciæ; & quia ibi omnino triticum non naſcitur, præſtitum eſt, in primis quidem ut incruenta ex ipſo hoſtia offeratur; deinde, ut & peregrini, nec non etiam & provinciales pauperes aliquod mereantur ſolatium, non permitteret ſuſcipere ſanctiſſimos Epiſcopos illius Provinciæ, ſed adæraret* (hoc eſt, pretium ipſe imponeret) *& coemeret memoratum frumentum largiſſimis pecuniis, ipſum vero in tempore famis graviſſimis æſtimationibus venundaret, & ex hoc neque terribile & incruentum ſacrificium celebratum eſt, neque, ut dixi, peregrini, aut provinciales hoc ſolatio fruiti ſunt.* Quid hoc exemplo firmius aut efficacius ad probandum horum temporum Epiſcopis fuiſſe perſuaſum, panem triticeum unicam eſſe conſecrationis Euchariſticæ eſſentialem materiam, cum aliter aliam panis ſpeciem ad ſacrificium offerendum adhibuiſſent? Hinc Florentinum Concilium an. 1438. aut potius Decretum unionis Eugenii IV. verbis expreſſis deſignat, panem ex farina triticea conficiendum eſſe (*c*): *Tertium eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cujus materia eſt panis triticeus.* Quod jam multo ante decreverat Concilium Carthaginienſe anno 397. (*d*), cui addi poſſunt multa Scripturæ teſtimonia, quæ ad mentem Patrum ac præcipue ſancti Hieronymi de hac materia ſunt intelligenda (*e*), qualia ſunt hæc (*f*): *Erit frumentum in terra*: ut fert Hæbraica lectio פסה *Piſſah*, *frumentum*, & non *firmamentum*, ut in Vulgata legitur. (*g*) *Cibavit eos ex adipe frumenti* (*h*). *A fructu frumenti, vini & olei multiplicati ſunt.*

(*a*) S. Th. 4. part. Sum. q. 74. art. 3. ad 2.

(*b*) Conc. Chalced. part. 2. actione 3. Libellus Iſchyrionis diaconi. Apud Labbe tom. 4. Concil. general. col. 400.

(*c*) Eugen. IV. Decret. unionis in Conc. Flor.

(*d*) Conc. Carthag III. in Can. *In Sacramento.* 3. de conſecrat. diſt. 2.

(*e*) S. Hieron. in Zachar. 9.

(*f*) Pſalm. 71. 16.

(*g*) Pſalm. 80. 17.

(*h*) Pſalm. 4. 8.

(a) Osee 14. 8.
(b) Zachar. 9. 17.

ſunt (a). Vivent tritico & germinabunt quaſi vinea (b) : Quid enim bonum ejus eſt .... niſi frumentum electorum? Sapienter itaque & juſta de cauſſa ex operibus Cajetani, tum cum Romæ edita ſunt, locum illum deleri juſſit ſanctus Pius V. in quo propugnabat ille Cardinalis, panem ex alio grano, quam frumento confectum ſufficientem eſſe Euchariſtiæ materiam.

(c) Sylvius in cit. q. 74. art. 3.

Advertendum heic cum Sylvio (c), quod ſiliginis nomine non intelligendum granum illud, de quo multi loquuntur antiqui, quodque apud eos puriſſimum erat triticum, ſed illud quod vulgo ſecale vocant, granum frumento inferius & alterius ſpeciei. *De ſiligine quidem*, ait hic Theologus, *ſecundum eam ſignificationem, quam habet apud Plinium l. 18. c. 8. Iſidorum l. 17. etymol. c 3. Senecam & alios Latinos, non poteſt eſſe dubium: ſignificat enim candidiſſimum tritici genus, dictum ab eligendo .... prout autem vulgo accipitur, & ut eſt tritico inferior, quam alii ſecale vocant, non eſt idonea, ex qua conficiatur panis, qui ſit legitima hujus Sacramenti materia.* Additque Auctor ille, quod, cum aſſerit ſanctus Thomas conſecrationem fieri poſſe ex pane confecto de granis quæ aliqua in re a tritico puro degenerant, non intelligendus eſt de ſecali communi & uſitato, ſed de grano quod, quamvis degener, ſpeciem adhuc frumenti retinet.

CASUS II.

Jovinianus, Parochus, ad conſecrationem panes ex farina triticea & hordeacea ſimul permixta, quam unam habebat, confectos in urgenti neceſſitate adhibuit. Potuitne abſque peccato mixtione illa uti, aut ſaltem valide conſecravit?

Respons.

(d) S. Th. 3. part. Sum. q. 74. art. 3. ad 3. Item in 4. diſt. 11. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. in corp.

Difficultatem iſtam ſolvit ſanctus Thomas dicens (d): *Modica permixtio non ſolvit ſpeciem, quia id quod eſt modicum, quodammodo aſſumitur a plurimo: ideo ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici; poterit exinde confici panis, qui eſt materia hujus Sacramenti. Si vero ſit magna permixtio; puta ex æquo, vel quaſi, talis permixtio ſpeciem mutat. Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti.*

(e) Idem 2. 2. q. 56. art. 6. ad 3.

Unde concludi poteſt, quod, ſi in caſu propoſito modica ſit hordei permixtio, ita ut ſpeciem frumenti non immutet, ea uti potuit Parochus ille ob urgentem in qua ſupponitur fuiſſe, neceſſitatem iſtam, juxta ſancti Thomæ regulam (e): *Quod eſt modicum, ratio apprehendit quaſi nihil:* & hanc aliam: *Quod eſt modicum, quodammodo aſſumitur a plurimo.* Sed ſi parum notabilis eſſet illa mixtio, abſque gravi peccato ea uti non potuit: ac denique ſi talis eſſet, ut tritici ſpeciem mutaſet; non modo peccavit mortaliter, ſed ne valide quidem conſecravit.

Cæterum obſervandum, raro evenire, ut talem mixtionem, quantumvis levem, ſine peccato adhibere queat Parochus; ac proinde ea numquam uti debet, niſi in extrema & urgenti neceſſitate.

CASUS III.

Albertus, pagi in media ſilva poſiti Curatus, feſtinanter hoſtiam moribundo porrigendam conſecraturus, nec aquæ copiam habens, triticeam farinam vino albo, aut aqua in alembico ſtillatitia diluit, & ex ea permixtione panem coxit ad celebrationem Sacri. Numquid valide conſecravit?

Respons.

(f) S. Cypr. in Can. Sic in ſanctificando. 2. de conſecr. diſt. 2.
(g) Gloſſa in cit. Can. v Niſi utrumque.
(h) S. Thom. 3 part. Sum. q. 74. art. 7. ad 3. & in 4. diſt. 11. q. 2. art. 4. quæſt. 3. ad 2.

Non valide conſecravit hic Parochus; nam, ut ait ſanctus Cyprianus in ſua ad Cæcilium Epiſtula (f): *Nec Corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit, & panis unius compage ſolidatum.* De quo ſic dicit Gloſſa (g): *Quid ſi ex melle, vel alio liquore fuerit farina aſperſa? numquid tranſſubſtantiatur ille panis in Corpus Chriſti? Non.* Hæc ſunt hujuſce Gloſſatoris verba. Idem quoque docet ſanctus Thomas (h): *Quia vero admixtio aquæ ad farinam eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, utpote conſtituens ſubſtantiam panis, ſi farinæ admiſceatur aqua roſacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua; non poſſet ex eo confici Sacramentum, quia non eſſet verus panis.*

(i) Sylv. in cit. q. 74. art. 3.

Certum quidem eſt, ut advertit Sylvius (i), quoſdam Auctores, ut Aſtenſem, Cajetanum contra ſenſiſſe, & ex Miſſali Romano conſecrationem panis ex aqua diſtillata confecti dubiam tantum declarari: ſed præter S. Cyprianum & S. Thomam nobiſcum ſentiunt communiter Theologi & Canoniſtæ, ſcilicet Scotus, Richardus, Angelus, Silveſter, Toletus, aliique permulti de quibus non ſit mentio.

CASUS IV.

Saatanus, Parochus, qui monitus, Paullinum Parochianum ſuum de vita intra paucas horas periclitari, nec hoſtiam habet conſecratam, nec panem azymum quem poſſit conſecrare, poſtulat, utrum cum pane fermentato nequeat conſecrare abſque mortali peccato, ut Paullino ſacrum poſſit viaticum adminiſtrare, an vero eum abſque viatico moriturum dimiſſurus ſit?

Respons.

(k) Honorius III. in Cap. Litteras. de celebrat. Miſſarum.

Parochus ille, neque in hoc caſu, neque in alio quolibet poteſt conſecrare cum pane fermentato, quin reus fiat peccati mortalis; cum acceptam univerſim in Eccleſia Latina conſuetudinem impune & criminoſe violaret: id ipſum probat Decretalis Honorii III. (k) qui ab Epiſcopo Longobardu conſultus, quo pacto ſe ſe gereret, qui in caſu neceſſitatis cum pane fermentato conſecrarat: *Confeſſus eſt*, inquit Papa, *quod cum quadam die Hoſtiam & Calicem non haberet, ita pane fermentato & ſcypho ligneo Miſſarum ſolemnia celebrare præſumſit.* En factum ad quod ſic reſpondet Papa: *Cum igitur, vel ex aperta malitia, vel nimia deſipientia peccaſſe probetur; mandamus, quatenus Officio & Beneficio perpetuo ipſum prives.*

(l) Sylvius in 3. part Sum. S. Thom. q. 74. art. 4. in fine.

Sylvius, qui eamdem tuetur doctrinam (l): *Nec obſtat*, inquit, *præceptum, & quidem, ut probabile eſt, divinum de communicando ante mortem: illud enim ſolum obligat moriturum, pro eo tempore, quo commode fieri poteſt; non autem Sacerdotem, ut agat contra univerſalem Eccleſiæ Latinæ conſuetudinem.*

(m) Matth. 26. Luc. 22. 7. Marc. 14. 1.
(n) Levit. 23. 5. & 6.
(o) Exod. 12. 15.
(p) Matth. 5. 17.
(q) 1. Corinth. 5. 8.

Eo etiam nititur hæc deciſio, quod Chriſtus prima die Azymorum (m) Sacramentum hoc inſtituerit: at vero prima illa dies cadebat in decimam quartam diem menſis illius, quem Hebræi *Niſan* vocabant, & qui partim menſi noſtro Martio correſpondebat, ad cujus veſperam diei incipiebat Azymorum ſolemnitas, ut legitur in Levitico (n), quo tempore & per integram octavam, ſtricte Judæis vetitum erat, ne in domo ſua fermentatum panem haberent (o). Unde ſequitur, Chriſtum, qui poſt cœnam, id eſt, poſt eſum Agni Paſchalis cum azymo pane, Sacramentum illud inſtituit, procul dubio cum eodem pane conſecraſſe: alioquin Legem violaſſet, quam non venerat ſolvere (p), ſed adimplere; cumque tantæ infractionis, ſi aliter feciſſet, Judæi inſimulaſſent. Ob eam igitur cauſſam Eccleſia Latina ſecuta eſt, & ſequi ſemper tenetur illud Chriſti exemplum, idque eo magis, quod, cum Azymi ſint ſymbolum ſinceritatis & puritatis, convenit hujuſmodi panis ſacro huic Myſterio, quod continet principium, originem & Auctorem totius ſanctitatis, cum ex Apoſtolo panis fermentatus ſit ſymbolum corruptionis ex his ejus verbis (q): *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*

CASUS V.

Gervasius, Eccleſiæ Latinæ Sacerdos, in Peloponeſo degens, ubi Eccleſia Græca pane fermentato utitur, eodem pane, dum ibi habitavit, ad conſecrationem uſus eſt. Numquid illud potuit valide & licite; an vero, dum ſibi non ſuppeteret panis azymus, a celebratione erat ceſſaturus?

RESPONS.

Certum eſt, Gervaſiam in caſu propoſito valide conſecraſſe: nam Eugenius IV. in ſuo unionis Decreto (*a*) declarat, *In Azyma, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in altero ipſum Domini Corpus conficere debere: unumquemque ſcilicet, juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.*

(*a*) Eugen. IV. in Decr. unionis in Conc. Florent. ſeſſ. 25. in fine.

Sed quia fieri poteſt, ſicut in caſu propoſito, ut in Orientali Eccleſia Latinus Sacerdos adſit; diſtinctione opus eſt; nam vel ibi adeſt ſolum tranſeunter; tumque ſi non ſpecialis ſit Eccleſia quæ Latinum ſequatur ritum, in eo loco ubi commoratur, & in Eccleſia tantum Græca celebrare poſſit, tum in Azymo Sacrum conficiet, præſertim de conſenſu Epiſcopi; & idem dicendum de Græco Sacerdote, qui in Occidentali Eccleſia verſatur; quod non facere debet uterque, niſi poſt obtentam Epiſcopi licentiam, ut ſic tollatur omnis occaſio ſcandali; *Ceterum*, (*b*) inquit Gamachæus, *mortaliter videtur ſemper eſſe occaſio ſcandali, niſi prius Sacerdos Epiſcopum loci & Curatum adierit. Itaque in praxi concludimus aliter id non licere.* Sed ſi in Eccleſia Græca Sacerdos ille Latinus fixum habuerit domicilium, nec ſit in loco domicilii particularis quædam Eccleſia Latina; tum pane fermentato utetur; ſed ſi adſit Eccleſia Latina, azymum adhibebit panem, ſi fieri poteſt abſque ſcandalo. *Quod ſi Græcus Lutetiam veniret animo habitandi in his partibus per totam vitam*, addit idem Theologus, *tunc omnino teneretur priſtinam conſuetudinem relinquere & conſecrare de Azymis, niſi licentiam a ſummo Pontifice obtineret, quia non eſſet amplius de Eccleſia Græca, ſed de Latina ob rationes contrarias. Idemque judicium de Latino Sacerdote in Græcia, aut partibus Orientalibus commorante.*

(*b*) Gamachæus, in 3. part. Som. S. Th. q. 74. c. 3.

Hactenus dictis conſentit S. Thomas, licet ſingula quæque, uti Gamachæus, non enumeret, *Non eſt autem de neceſſitate Sacramenti, quod panis ſit azymus, vel fermentatus*, hæc ſunt verba Angelici Doctoris (*c*), *quia in unoquoque confici poteſt. Conveniens autem eſt, ut unuſquiſque ſervet ritum ſuæ Eccleſiæ in Sacramenti celebratione. Super hoc autem ſunt diverſæ Eccleſiarum conſuetudines .... Unde ſicut peccat Presbyter in Eccleſia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi pervertens Eccleſiæ ſuæ ritum.* Quod intelligi debet ſecundum Gamachæi ſenſum, hoc eſt, de Sacerdote, qui perpetuum non intendit in Eccleſia ritus alterius habere domicilium; nam ſi intendat, illius Eccleſiæ ritum ſequi tenetur ex hac S. Ambroſii regula, quam refert S. Auguſtinus (*d*): *In quamcumque forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.*

(*c*) S. Th. 3. part. Sum. q. 74. art. 4. in corp.

(*d*) S. Aug. Ep. 54. alias 118. n. 2.

Ex dictis itaque conſtat, quod, ſi Gervaſius in Peloponneſo, uti peregrinus aut viator adfuerit, panem azymum in aliqua particulari Eccleſia ad Sacrificium adhibere debuit, ſi qua forte eſſet; vel etiam in Eccleſia Græca, de conſenſu legitimi Superioris, modo abfuerit ſcandali occaſio, uti fermentato pane in noſtris Eccleſiis Græci utuntur: ſed ſi domicilium in hac regione perpetuo habere intenderit, ſub peccato Græcum ſequi ritum fermentato utens pane debuit; cum in hoc caſu Eccleſiæ Græcæ membrum eſſe, ejuſque legibus ſubditus cenſeatur.

CASUS VI.

HILDEBRATUS, ſancti Framburgi Parochus, die dominica ad Sacrum faciendum coactus, loco vini quo carebat, muſtum adhibuit, maturam in Calicem uvam exprimendo. Potuit ne illud valide & licite?

RESPONS.

Parochus ille valide conſecravit, & ne quidem peccavit, ob urgentem Sacri faciendi die illa neceſſitatem. Id ipſum docet ſanctus Thomas (*e*) dicens, conſecrationem quidem fieri non poſſe in racemo, quantumvis maturo, ut ex multis conſtat Canonibus; (*f*) quia communiter vinum non dicitur, nec quid eſt potabile, ſed e contra, ut ceteri fructus, manducatur; fieri tamen poſſe Sacramentum cum muſto; ſeu recens e laca vinario emittatur, ſeu a racemo qui ſufficienter ſit maturus, exprimatur, cum non aliud vinum ſuppetit, & urget conſecrandi neceſſitas; *Muſtum autem jam habet ſpeciem vini*, ait hic Sanctus; *nam ejus dulcedo atteſtatur digeſtioni, quæ eſt completio a calore naturali, ut dicitur in 4. Meteor. Et ideo de muſto poteſt confici hoc Sacramentum .... prohibetur etiam ne muſtum, ſtatim expreſſum de uva in Calice offeratur; quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti. Poteſt tamen in neceſſitate fieri: dicitur enim ab eodem Julio Papa*: Si neceſſe fuerit, botrus in Calicem exprimatur.

(*e*) S. Th. 3. part. Sum. q. 74. art. 5. ad 3.

(*f*) Julius in Can. Cum omne. 7. & 6. Synodus in Can. Didicimus. 6. de conſecrat. diſt. 2.

Ex his ſancti Thomæ verbis intelligitur: *Quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti*; & ex Canone Julii Papæ quem laudat Angelicus Doctor, extra caſum juſtæ neceſſitatis non licere, ut ad conſecrationem hujuſmodi vinum adhibeatur propter indecentiam; *Sed id extra neceſſitatem non eſt faciendum*, inquit Eſtius, (*g*) *eo quod ob commiſtionem craſſiorum particularum pariter expreſſarum adhuc impurum ſit muſtum & feculentum, a quibus ſenſim repurgari & defæcari debet.*

(*g*) Guillel. Eſtius in 4. diſt. 8. §. 9.

CASUS VII.

OCTAVIUS, ſacrum conficiens 20. Januarii anni 1708. vinum penitus congelatum in Calice invenit, ubi ad conſecrationem pervenit. Poterat ne illud valide conſecrare, quin prius calore fuiſſet ſolutum?

RESPONS.

Octavius ex opinione multorum Auctorum inclytorum vinum, licet congelatum, valide conſecrare poterat. *Si recens eſt congelatio, utpote facta in Calice paullo ante conſecrationem; cum vini virtutem ac ſpeciem retineat; conſecrationi aptum judicant Silveſter, Angelus, Dominicus*, inquit Sylvius, hanc difficultatem perpendens (*h*). His autem potiſſimum rationibus ſuam probant ſententiam. 1. Quia vinum illud, quamvis non potabile actu, qualitates tamen, proprietates & naturam vini, etiam congelatum retinet, uti conſtat experientia, ubi calore ſolutum eſt. 2. Quia ad validitatem conſecrationis & ſacrificii, non requiritur neceſſario, ut vinum actu ſit potabile, cum Euchariſtiæ Sacramentum non in ſolo uſu materiæ conſiſtat, uti Baptiſmus & alia Sacramenta, quæ in actione tranſitoria poſita ſunt; unde ſanguis Chriſti poſt conſecrationem ſubſiſtit, licet congeletur ſpecies, uti obſervant Miſſalis Romani Rubricæ (*i*).

(*h*) Sylvius in 3 part Sum. S. Thom. q. 74. art. 5.

Contrarium tamen cenſent alii Auctores. *Quibus tamen Molanus & alii contradicunt*, addit Sylvius, qui ea potiſſimum nituntur ratione, quod vinum congelatum non ſit aptum ad ſignificandam Chriſti ſanguinis in cruce effuſionem. Cum igitur ſuam res habeat difficultatem, exiſtimamus, a Sacerdote numquam conſecrandum eſſe vinum congelatum, niſi prius calore ſolutum fuerit; & id ipſum ab Octavio in caſu propoſito fieri neceſſe fuit. *Verumtamen expeditius eſt dicere*, concludit Sylvius, *quod vinum congelatum ſit materia dubia, a cujus conſecratione propterea eſt abſtinendum, & opera danda, ut gelu ſolvatur, antequam conſecretur.*

(*i*) Rubric. Miſſ. Rom. §. 10. n. 31.

CASUS VIII.

GEOFRIDUS, Miſſam celebrans, tempore Communionis advertit, vinum a ſe ad conſecrationem adhibitum, notabiliter aceſcere, etſi nondum penitus acidum eſſet. An illud ſic valide conſecravit, ut aliud iterum conſecrare non debuerit?

RESPONS.

Huic difficultati reſpondet ſanctus Thomas (*k*), Sacerdotem non poſſe conſecrare panem omnino corruptum, nec vinum penitus acidum; quia ad priſtinam ſuam naturam redire neutrum poteſt; ſed validam eſſe eorum conſecrationem, ſi panis aut vini corruptio non ſit integra, ſed tantum inchoa-

(*k*) S. Th. 3. part. Sum. q. 74. art. 5. ad 2. & in 4. diſt. 11. q. 2. art. 3. q. 2. in corp.

choata, quia ab utroque in hoc caſu panis & vini ſervatur natura: licet Sacerdos utramque materiam abſque gravis peccati reatu conficere nequeat, ſi ſciens ſecerit, En verba Doctoris Angelici; *Vinum fit acidum per corruptionem. Unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur 8. Metaphyſicorum: & ideo ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacramentum, ita nec de aceto: poteſt tamen confici de vino aceſcenti: ſicut & de pane qui eſt in via ad corruptionem; licet peccet conficiens.* In eo cum ſancto Thoma conſentiunt Theologi omnes & Canoniſtæ: quare omiſſis aliis auctoritatibus ad confirmationem tam apertæ veritatis, dicimus, Genſeidum de quo in caſu propoſito, valide conſecraſſe, cum vinum, ut ſupponitur, ab ipſo ad conſecrationem adhibitum, nondum penitus erat acidum, ſed tantum aceſcebat.

Ceterum advertendum circa præſentem difficultatem, idem eſſe dicendum de defruto, ſeu vino cocto, nec non de vappa, uti de eo, quod omnino eſt acidum; hujuſmodi namque vina, amiſſa vini penitus natura, unum illius nomen retinent.

CASUS IX.

Antigonus, ſacra facturus, rogatur, ut quinque hoſtias ad quinque hominum communionem conſecrare velit: ſex ſuper corporale deferuntur hoſtiæ, quarum unam novit eſſe ſuperfluam: ſed hoc ſibi tantum ſatis eſt, ut quinque tantum intendat conſecrare, non eas determinando, aut ſextam auferendo, Quid judicandum de hujuſmodi conſecratione?

RESPONS.

Nullatenus in hoc caſu ſex illæ hoſtiæ fuere conſecratæ; quia ad validitatem conſecrationis neceſſario requiritur, ut per intentionem Sacerdotis determinetur materia conſecranda; quod, ut ait Sylvius (a), *Actiones verſantur circa aliquid ſingulare & determinatum, non circa aliquid confuſum: ſpecialiter autem id in propoſito*, ſubjungit hic Theologus, *poſtulat pronomen demonſtrativum*, ſcilicet *hoc*. Addi etiam poteſt, verba Sacramenti id unum operari, quod ſignificant: atqui verba Eucharistiæ non unam potius, quam aliam materiam ſignificant, niſi ex determinatione illius per intentionem Sacerdotis facta: ſi igitur vagam tantum & indeterminatam Sacerdos habeat intentionem quinque hoſtias ſibi præſentes indeterminate conſecrandi; certum eſt, quod, cum illæ quinque non ſint ſufficienter determinatæ, nullam conſecrat. *Sacerdos .... nihil conſecrabit*, ſic pergit Sylvius, *ſi habeat coram ſe decem hoſtias, & intendat conſecrare ſolum novem: Quia non eſt ratio, cur una ſit potius conſecrata quam altera: & tamen eſt neceſſe excludi aliquam.*

(a) Sylv. in 3. part. Sum. S. Thom. q. 74. art. 2.

Sylvio jam præiverat Angelus de Clavaſio his verbis: (b) *Solvitur alia quæſtio de Sacerdote, qui habet viginti hoſtias, & ex illis non intendit conſecrare, niſi octodecim: quia nullam conſecrat; niſi intentio ſua ſe determinet determinate ad quas vult octodecim*. Ita etiam Silveſter (c), cum aliis quos laudat, Auctoribus.

(b) Angelus v. Euchariſtia. 1. n. 26.

(c) Silveſter de Prierio. v. Euchariſtia. 2. q. 6. & apud eum. Joan. Neapol. & Richardus.

Non idem foret dicendum, ſi quinque hoſtias eſſe exiſtimaſſet Antigonus, dum ſex eſſent; ſex enim tunc conſecraſſet, modo præſentes omnes hoſtias conſecrare intendiſſet ſibi oblatas, quia tunc error ſpeculativus tantum eſſet, nec intentionem practicam deſtruere potuiſſet conſecrandi omnes hoſtias ſibi præſentes. Ita docet ſanctus Antoninus (d), qui Durandi ſuffragio & auctoritate ſancti Thomæ illud comprobat: Unde ſequitur, in primis intereſſe, ut Sacerdos præſentes ſuper corporali hoſtias conſecrare intendat.

(d) S. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 2. & apud eum Durandus & S. Thom. 3. part. q. 64. art. 8. ad 1.

Perfecte conſentit hæc deciſio cum Miſſalis Rubricis, (e) quæ pro regulis in his caſibus haberi debent. En ipſius verba: *Si quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans quas decem intendit, in his caſibus non conſecrat; quia requiritur intentio; ſecus, ſi putans quidem eſſe decem; tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat: nam tunc omnes erunt conſecratæ; atque ideo quilibet Sacerdos talem intentionem habere deberet, ſcilicet conſecrandi eas omnes quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.*

(e) Rubric. Miſſal. tit. de defect. in celebrat. Miſſarum occurrentibus. c. 3. de defect. miniſtrat. art. 1. de defect. intent.

CASUS X.

Leonidas, Miſſam celebrans poſitam ſuper Altari pixidem ſacram Hoſtiis conſecrandis plenam omiſit diſcooperire ante conſecrationem. Numquid tamen valida eſt conſecratio; an vero poſtridie eas conſecrare tenetur, ſaltem ſub conditione?

RESPONS.

Sacerdos pixidem ſacram diſcooperire ſemper tenetur, in qua ſunt Hoſtiæ conſecrandæ. *Si adſit vas cum aliis hoſtiis conſecrandis*, inquit Rubrica Miſſalis (f), *antequam accipiat Hoſtiam diſcooperit manu dextra Calicem, ſeu vas aliarum Hoſtiarum*. Attamen, ſi omittat negligatve pixidem diſcooperire, Hoſtias tamen in ea contentas valide conſecrat, cum non ſit neceſſe, ut eas videat, ſufficiatque, ut ei moraliter tantum ſint præſentes. Ita Sylvius his verbis (g): *Valida autem eſſet conſecratio vini in Calice cooperto, & panis in pixide clauſa: quia talia cenſentur eſſe præſentia. Deſignantes enim plenum vino doliun, dicimus: hoc eſt vinum.*

(f) Rubric. Miſſ. ſupra cit.

(g) Sylvius in 3. part. Sum. S. Thom. q. 74. art. 2.

Leonides igitur omnes in pixide contentas hoſtias valide conſecravit, licet eam ante conſecrationem non diſcooperuerit: atque eas ideo poſtridie ſub conditione conſecrare non debet. Ita communiter Theologi (h).

Vide Intentio Caſ. 4.

(h) De Ste. Beuve tom. 2. caſ. 165. De Genet. Theol. Mor. tom. 2. tract. 4. c. 3. n. 3. & 5.

CASUS XI.

Sampso, Sacerdos, poſitis in corporali pluribus Hoſtiis a ſe conſecrandis, rem ſacram fecit, & eam quam ipſe ſumpturus erat, conſecravit, non advertens ad alias a ſe pro aliorum Communione paratas, cognita tantum omiſſione ſua tum cum ipſe eſſet communicaturus. Numquid conſecratæ cenſeri debent illæ Hoſtiæ, ita ut eas ad aliorum Communionem poſſit adhibere?

RESPONS.

Difficultatem iſtam ſibi proponit Angelus de Clavaſio (i), his verbis: *Quod ſi Sacerdos, acceptis pluribus Hoſtiis conſecrandis, quando venit ad actum conſecrationis, non advertit, niſi eam, quam habet in manu.* Cui difficultati reſpondet: *Dico cum Scoto quod omnes ſunt conſecratæ*. Ejuſque rei hanc ſubjicit rationem: *Quia non requiritur de neceſſitate intentio actualis, ſed virtualis, quæ fuit, quando præfatas Hoſtias accepit, ut eas conſecraret.* Silveſter eodem modo ſentiens, (k) eamdem quoque affert rationem, quæ locum habet pro reliquis Sacramentis, ad quorum validitatem (*ceteris poſitis*) ſufficit intentio virtualis, hoc eſt, quæ ex præcedenti non interrupta per actum contrarium ordinat & dirigit actionem, ut ait Sylvius (l); aut ea qua quis ex virtute primæ intentionis perficit Sacramentum, ut loquitur ſanctus Thomas (m).

(i) Angelus v. Euchariſtia. 2. n. 27.

(k) Silveſter de Prierio. v. Euchariſtia. 2. q. 8.

(l) Sylvius in 3. part. S. Th. q. 64. art. 8. concluſ. 6.

(m) S. Th. cit. q. 64. art. 8. ad 1.

Sed heic dilucidius exponere juvat, quid nomine intentionis intelligatur, quæ a Theologis dicitur virtualis. Dicimus itaque ſpeciem hanc intentionis nihil aliud eſſe, quam virtutem intentionis actualis, ſeu relationem dependentiæ effectus alicujus ab actu intentionis præcedentis, quæ jam non per ſe ipſam, ſed per ſuos effectus ſubſiſtit. At in caſu propoſito Hoſtiæ illæ cum intentione virtuali fuere conſecratæ, cum eas ad Altare non attulerit, reliqueritque in eo Sacerdos, niſi cum actuali intentione eas conſecrandi una cum ea, quam ipſe ſumpturus erat, nec conſecrationis verba protulerit, niſi vi actus intentionis, ſeu actualis intentionis, quam prius habuerat, quæque ad omnes Hoſtias paratas & in Corporali ante Miſſæ initium repoſitas ſeſe extendebat. Dubium itaque eſſe nequit, quin eas vere conſecrarit, & de iis communicare poſſit adſtantes.

CASUS XII.

Sophronius, celeriter Miſſam celebrans, ut ægro brevi ſuccurreret, poſt conſecrationem Calicis

Digitized by Google

licis recordatus eſt, ſe omiſiſſe hæc verba: *Novi & æterni Teſtamenti*, & ſequentia. Numquid tamen valide conſecravit, aut formam integram iterare tenetur?

R E S P O N S I O.

(a) S. Th. in 4. diſt. 8. q. 2. art. 2. q. 2. ad 5.

En ſpectare videtur ſententia ſancti Thomæ (a), ut exiſtimet hæc verba: *Novi & æterni Teſtamenti Myſterium fidei, qui &c.* omnia ad eſſentialem formam conſecrationis Calicis pertinere. En ejus verba ſimulque ea de re argumenta: *Quamvis illa quæ ſequuntur*, inquit, *ſint ut proprietates conſequentes Chriſti ſanguinem, in quantum hujuſmodi; ſunt tamen eſſentiales ſanguini Chriſti, in quantum eſt per paſſionem effuſus: non autem ſeorſum a corpore conſecratur ſanguis Chriſti, ſicut nec aliæ partes ejus, niſi pro eo quod eſt in paſſione effuſus; & ideo illa quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia Sanguini prout in hoc Sacramento conſecratur. Et ideo oportet, quod ſint de ſubſtantia formæ.* Et alibi (b) objectioni reſpondens, quo dicitur, quod ut verba iſta: *Quod pro vobis tradetur*, non pertinet ad eſſentiam conſecrationis Corporis Chriſti; ita hæc alia: *Novi & æterni Teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* non ſunt eſſentialia ad conſecrationem ipſius Sanguinis; dicit: *Nec obſtat ratio, quam inducunt: quia in conſecratione Corporis ſufficit, quod dicitur:* Hoc eſt Corpus meum: *quia Sanguis ſeorſim conſecratus, ſpecialiter repræſentat paſſionem Chriſti, per quam ejus Sanguis ſeparatus eſt a Corpore. Et ideo in conſecratione Sanguinis oportuit exprimere Chriſti paſſionis virtutem, quæ attenditur.* Denique rem eamdem docet hic Sanctus in tertia parte ſummæ ſuæ Theologicæ (c). Hanc ejus ſententiam ſequuntur ſanctus Antoninus (d) & quidam alii Theologi (e).

(b) Idem Leſt. 5. in 1. ad Cor. c. 11.

(c) Idem 3. part. ſum. q. 78. art. 3. in corp.

Attamen permulti, iique inclyti Auctores, qui ea de re ſcripſere, communi conſenſu docent, hæc ſola verba: *Hic eſt Calix Sanguinis mei:* ad conſecrationem Calicis eſſe eſſentialia; ut hæc: *Hoc eſt Corpus meum*, ad conſecrationem Panis neceſſario requiruntur. Id quidem fuſe probat Sylvius (f) 1. ex Liturgiis S. Jacobi, S. Baſilii, S. Chryſoſtomi & aliorum, quæ hæc ſola verba continent: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ad conſecrationem Calicis: quæ verba ex judicio Eccleſiæ ſufficiunt; cum Græci, qui his utuntur Liturgiis, valide conſecrent, ut in Concilio œcumenico Florentino decretum eſt. 2. Ex auctoritate auctoris antiqui, cujus opus S. Cypriani Libris inſeritur, & S. Ambroſii, S. Joannis Damaſceni, & Innocenti III. (g). Hiſque teſtimoniis plures addit rationes hic Theologus, qui etiam contendit, S. Thomam rite expoſitum idem ſentire, etſi ex ejus verbis prima fronte contrarium videatur. *Quamvis beatus Thomas* .... inquit .... *videatur eſſe alterius ſententiæ, nobis tamen videtur quod non diſſentiat*; quod ut probet, hæc ſtatim Doctoris Angelici verba profert: *Omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ; ſed per prima verba, cum dicitur:* Hic eſt Calix Sanguinis mei, *ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem; eo modo quo dictum eſt in forma conſecrationis panis.* Qua de re iſtud inſtituit ratiocinium: *Atqui verba formæ efficiunt quod ſignificant: ergo illa verba, cum ſola ſignificent converſionem, ſola illam efficiunt, præſertim cum in forma conſecrationis panis cui hæc aſſimilat* (beatus Thomas,) *non plura requirantur ad efficiendam converſionem panis.* Addit tandem hæc verba, *de ſubſtantia formæ*, nihil aliud ſignificare niſi *de integritate formæ*, in germano ſancti Thomæ ſenſu, *Dici autem omnia quæ ſequuntur uſque ad illud:* Hæc quotieſcumque feceritis *eſſe de ſubſtantia, quia videntur eſſe de integritate ejuſdem locutionis: atque ita ſubſtantiam accipit, non pro eſſentiali ratione; ſed pro integritate.*

(d) S. Anton. 3. part. ſum. Theol. tit. 13. c. 5. §. 4.

(e) Petrus Soto lib. 2. de Euchariſt.

(f) Fr. Sylvius in 3. part. Sum. S. Thom. q. 78. art. 3.

(g) Auctor. Serm. de Cœna Domini apud S. Cyprian. S. Ambroſ. lib. 4. de Sacram. c. 4. S. Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. c. 14. Innoc. III. lib. 4. de Miſſa c. 6.

Addi poteſt ad confirmandam Sylvii interpretationem, quod ſi alio ſenſu intelligeretur Angelicus Doctor, ratio quam affert, nullatenus eſſet efficax & decretoria, cum ex ea pariter colligi poſſet abſoluta verborum illorum, *Quod pro vobis tradetur:* non minus quam aliorum: *Qui pro vobis effundetur &c.* neceſſitas; cum non magis neceſſe ſit, ut in forma exprimatur virtus ſanguinis Chriſti, quam ipſius corporis. Deinde verba hæc: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; non minus ſenſum habent perfectum, ac tranſſubſtantiationem æque clare deſignant, atque iſta: *Hoc eſt Corpus meum.* Denique verba hæc: *Novi & æterni Teſtamenti &c.* non integra in Evangelio reperiuntur, & quædam etiam, ut iſta *Myſterium fidei*, ab Eccleſia fuere addita: quo evidens eſt verba illa ad eſſentiam conſecrationis calicis non pertinere. Colligendum itaque, hæc ſola Chriſti verba: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ad formam eſſentialiter pertinere, cum vi tantum verborum Chriſti panem & vinum conſecrare poſſit Sacerdos ex illo S. Ambroſii (h). *Ubi autem venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti.* Unde Sophronius, de quo in caſu propoſito fit mentio, valide conſecravit; nec proinde omiſſa ex præcipitatione vocis aut mentis evagatione verba iterum pronuntiare tenetur. *

(h) S. Ambroſ. cit. in Can. Panis. 55. de conſecrat. diſt. 2.

* Jamdudum fere ſopitam controverſiam his noſtris temporibus de novo excitavit Pater LE BRUN, Oratorianus eruditus Theologus, in Opere cui titulus eſt Gallicè: *Explication Litterale, Hiſtorique & Dogmatique des Prieres & des Ceremonies de la Meſſe.* Latine: *Explicatio Litteralis, Hiſtorica & Dogmatica Precum & Cærimoniarum Miſſæ.* In tomo ſcilicet *tertio*, pag. 212. & ſeqq. Pater *Le Brun* plurima ex Liturgiis Orientalibus & ex SS. Patribus congerit teſtimonia quibus probare conatur non tantum ad eſſentiam formæ Euchariſtiæ Chriſti verba requiri, ſed etiam preces quæ apud Latinos præcedunt, & apud Græcos ſubſequuntur ſolemnia hæc Chriſti verba. *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus:* Ita ut ex duabus illis partialibus formis, verbis nempe & precibus moraliter conjunctis, forma totalis & eſſentialis exſurgat. Nihil pro ſua exquiſita eruditione omiſit, ut verſimilis ſpeciem appingeret iſti ſententiæ, quam tamen unus e Societate Jeſu doctus Theologus ſcripto publico aggreſſus eſt.

C A S U S XIII.

Dometrio, Græco Sacerdote, aliquando in Eccleſia Cathedrali Toletana Miſſam celebrante, Iſidorus hujuſce Eccleſiæ Canonicus qui præſens aderat, nullum externum adorationis ſignum præbuit pro iis rebus, quas juxta ritum ſuum conſecraverat hic Sacerdos: Unde a comite ſibi Canonico de illo agendi modo interrogatus ſincere confeſſus eſt, ſe invalidam exiſtimare conſecrationem ab eo Sacerdote confectam; ſimulque opinionis ſuæ iſtam ſubjecit rationem, quia Græci vim ſupernaturalem qua fit conſecratio, unice orationi attribuunt, quæ ob ipſis ad Spiritum ſanctum dirigitur; non vero ſolis iſtis Chriſti verbis: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Calix Sanguinis mei:* uti videre eſt apud Cabaſilam in eo libro, cujus eſt titulus; *Accuſatio in Latinos*, in quo ea de re doctrinam S. Thomæ oppugnat (i). De eodem quoque argumento tractatum ex profeſſo ſcripſit Marcus Eugenicus. Quæritur itaque, utrum in eo ſit Iſidorus damnandus?

(i) Nicolaus Cabaſilas in additione ad Bibliothecam Patrum. edit. Venet. an. 1545. edit. Antuerp. an. 1560. & Parif. an. 1625.

R E S P O N S I O.

Fallitur Iſidorus in ſuo ratiocinio: licet enim Scripturæ, Conciliorum Patrumque auctoritate fulta Eccleſia Latina velit conſecrationem Corporis & Sanguinis Chriſti vi ſola verborum horum confici: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Calix Sanguinis mei:* Quin ullatenus ad converſionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti conferat conſecrationi præmiſſa aut poſtpoſita oratio; nullo tamen in Concilio Orientales contra ſentientes damnavit, & ipſum Tridentinum Concilium ad prudentiam ſpectare cenſuit ne diverſa illa Latinorum a Græcis fides dijudicaretur, ut adverſus Salmeron his verbis (k): *Non diſſimulabo, quod in Concilio Tridentino, cum quidam Theologi id peterent, ut explicaretur forma, qua Chriſtus confecit hoc Sacramentum; auditis hinc inde rationibus, nihil eſſe definiendum Patres cenſue-*

(k) Salmeron tom. 9. tract. 13. ante fin.

Digitized by Google

fuerunt. Non igitur temere damnanda eſt Græcorum opinio; cum certum ſit eos, uti Latinos verba conſecrationis proferre: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt calix Sanguinis mei*; & ambos orationes verbis illis & ante & poſt addere; & omnes pariter intendere conſecrationem Euchariſtiæ juxta Chriſti inſtitutionem, atque adeo pro corpore & ſanguine Chriſti id eſſe habendum, quod Græcus, uti Latinus Sacerdos conficit. Ita peritus Theologus (*a*).

(*a*) De Ste. Beuve tom. 3. caſ. 10.

Hactenus dicta confirmari poſſunt ex Græcorum reſponſo in Florentino Concilio an. 1438. Cum enim quæſitum eſſet quæ eſſet eorum intentio, dum poſt conſecrationis verba iſtam recitarent orationem quæ reperitur in eorum Liturgiis, & in illis ſanctorum Jacobi, Baſilii & Chryſoſtomi: *Fac panem quidem hunc honorabile Corpus Chriſti tui: quod autem in Calice iſto eſt, honorabilem Sanguinem Chriſti tui*, *Reſponderunt*, inquit Sylvius (*b*), *ſe firmiter credere verbis dominicis Sacramentum fieri: atque adeo nihil aliud ſe petere per ſequentem orationem, quam ut fiat nobis Corpus Domini, id eſt, ut panis conſecratus, qui re vera eſt Corpus Chriſti, fiat nobis per effectum nutritionis ſpiritualis Corpus Chriſti; ſive ut ſalutario ſit illis, pro quibus offertur*. Quem ſenſum confirmat hic Theologus ex libro Conſtitutionum Apoſtolicarum qui ſancto Clementi adſcribitur (*c*), & ex Liturgia ſancti Baſilii, in quibus pro his verbis, *Fac panem hunc*, legitur oratio his verbis concepta, quibus oratur divina Majeſtas, ut oſtendat panem hunc eſſe Corpus Chriſti, hoc eſt, ſalutarem effectum producat.

(*b*) Fr. Sylvius in 3. part. Sum. S. Th. q. 78. art. 1. quæſito 3.

(*c*) L. 8. Conſtitut. Apoſtolicarum c. 17.

CASUS XIV.

Simeon, Sacerdos, denuntiatus, ſuſpenſus, interdictus & excommunicatus, & denique ab ordinibus ſuis degradatus, in regione tamen quadam incognitus, ibi celebravit. Nonne valide conſecravit, & verum Sacrificium obtulit?

Respons.

Certum eſt, hunc Sacerdotem valide conſecraſſe, & verum obtuliſſe Sacrificium. Ita ſanctus Thomas (*d*), ejuſque rei iſtam profert rationem, quod per cenſuras & degradationem numquam tolli poſſit character ſacerdotalis, ſed tantum illius uſus; cum indelebilis ſit hujuſmodi character & accipientem pro ſemper Deo addicens. *Poteſtas conſecrandi Euchariſtiam pertinet ad characterem ſacerdotalis Ordinis*, inquit hic Sanctus; *character autem quilibet .... quia cum quadam conſecratione datur, indelebilis eſt .... ſicut & quarumcumque rerum conſecrationes perpetuæ ſunt, nec amitti nec reiterari poſſunt. Unde manifeſtum eſt, quod poteſtas conſecrandi adimitur per degradationem .... & ſic patet quod Sacerdos degradatus poteſt conficere hoc Sacramentum*. Doctrinam ſancti Thomæ in eo ſequuntur Theologi omnes. Heic plura non addimus hac de re, de qua Sylvius multis in locis agit in ſuis Commentariis in Summam Thelogicam Angelici Doctoris (*e*).

(*d*) S. Th. 3. part. Sum. q. 82. art. 8. in corp.

(*e*) Sylvius in 3. part. Sum. S. Thomæ q. 64. art. 9. ad 6. 12. & 14. & q. 82. cit. art. 8.

CASUS XV.

Darius, Sacerdos, inita amicitia cum quodam homine qui ope conjurationum quarumdam theſauros quærere & detegere profitebatur, eo impietatis pervenit, ut ad tam nefarium uſum hoſtiam conſecrarit, eique homini dederit. Potuit ne eam valide conſecrare cum tam nefanda intentione?

Respons.

Duplicem in Sacramentorum Miniſtro intentionem diſtinguit ſanctus Thomas his verbis (*f*): *Sacramenta ad aliquid ordinantur*, inquit: *unde in Sacramentis eſt duplex intentio; una quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti, & hæc eſt eſſentialis Sacramento: unde ea prætermiſſa, non eſt Sacramentum. Alia quæ ordinatur ad finem Sacramenti, & hæc conſequitur Sacramentum; & ea poſita vel remota, nihilominus perficitur Sacramentum*. Ejuſque rei hoc profert exemplum Angelicus Doctor: *Sicut ſi aliquis Sacerdos intenderet conſecrare, non ad ſumendum, ſed ut veneficiis uteretur, verum Corpus Chriſti eſſet*. Idem etiam repetit in tertia parte ſuæ Summæ Theologicæ (*g*) his verbis, quæ eumdem cum prioribus ſenſum referunt. *Poteſtas Miniſtrorum Eccleſiæ ad duo ordinatur. Primo quidem, ad effectum proprium; ſecundo, ad finem effectus: ſecundum autem non tollit primum*. Quo poſito ſic concludit: *Unde ſi Sacerdos intendat conſecrare Corpus Chriſti propter aliquem malum finem, puta ut irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat; nihilominus tamen propter poteſtatem ſibi traditam perficit Sacramentum*.

(*f*) S. Th. in 4. diſt. 31. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 1.

(*g*) Idem 3. part. q. 74. art. 2. ad 6.

Hinc facile concluditur, quod, cum in caſu propoſito veram conſecrandi intentionem habuerit Darius, valida eſt hoſtiæ conſecratio ab ipſo facta; licet ob nefandum quem ſibi proponebat finem, graviſſimum admiſerit crimen.

CASUS XVI.

Eustasius, ſancti Yonæ Parochus, Miſſam celebrans, poſt ſumtam Communionem monitus, unum e ſuis Parœcianis ſacrum enixe poſtulare Viaticum, cum hoſtiam conſecratam non haberet, unam ante finem Miſſæ conſecravit, huic ægro deferendam. Potuit ne ita ſe gerere ſine peccatu?

Respons.

Conſtat, Euſtaſium in caſu propoſito hoſtiam hanc abſque reatu peccati mortalis conſecrare non potuiſſe. Ratio eſt, quia, licet Sacerdos panem ſine vino, aut vinum ſine pane poſſit conficere valide; unum tamen ſine altero, quacumque de cauſſa non licet conſecrare: ſic enim ſe gerens non modo præceptum divinum, his Domini verbis contentum: *Hoc facite in meam commemorationem* (*h*); ſed univerſalem etiam Eccleſiæ conſuetudinem temere infringeret. Hæc eſt Doctoris Angelici doctrina hoc textu contenta (*i*): *Quamvis conſecratio panis non dependeat a conſecratione Calicis .... tamen potius debet deſiſtere, qui non haberet utrumque, quam conficere præter morem Eccleſiæ in una tantum ſpecie, quamvis etiamſi in una tantum conſecraret, conſecratum eſſet. Peccaret autem graviter, niſi poſt conſecrationem Corporis, ante conſecrationem Sanguinis occideretur, vel alias præter culpam ſuam impediretur*. Id etiam ex profeſſo jubent Miſſalis Rubricæ (*k*). Unde S. Thomas, cui conſentit hæc Rubrica: *Si vero percipiat*, inquit; (Sacerdos) *poſt verba Conſecrationis, quod vinum non fuerit poſitum in Calicem: ſi .... hoc perceperit poſt ſumtionem Corporis, aliam hoſtiam apponere debet, iterum conſecrandam cum Sanguine* (*l*). Cujus rei poſtea iſtam ſubjicit rationem: *Quia ſi diceret ſola verba conſecrationis Sanguinis, non ſervatur debitus ordo conſecrandi: & ſicut dicitur in prædicto C. Concilii Toletani* (*m*): Perfecta videri non poſſunt Sacrificia, niſi perfecto ordine compleantur: additque Sanctus Doctor: *Debet in fine iterum ſumere hoſtiam conſecratam non obſtante etiam, ſi prius ſumſerit aquam, quæ erat in Calice: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quam præceptum, quod hoc Sacramentum a jejunis ſumatur*.

(*h*) Matth. 26.

(*i*) S. Th. in 4. ſent. diſt. 11. q. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 3.

(*k*) Rubric. Miſſal. Rom. Cap. de defect. circa Miſſ.

(*l*) S. Th. 3. part. Sum. q. 83. art 6. ad 4.

(*m*) Conc. Tolet. 7 cap. 2 in Can. Nihil. 7. q. 1.

Opportunum heic videtur iſtam, quæ occaſione præſentis difficultatis fieri ſolet, quæſtionem paucis exponere, utrum videlicet ſummus Pontifex eam poſſit concedere diſpenſationem, qua ſolam panis ſpeciem conſecrare permittat. Angelus de Clavaſio affirmat ex eo, quod Gabriel Biel, Major & alii nonnulli (*n*) doceant, non eſſe de præcepto divino, ut ſimul utraque ſpecies conſecretur. Contrarium vero ſentit Silveſter (*o*), opinionemque Angeli his verbis condemnat: *Summa Angelica ſuo more in determinando audax, dicit Papam in hoc poſſe diſpenſare. Sed hoc eſt falſum, quia ea quæ ſunt de ſubſtantia ſeu integritate Sacramentorum, Papa mutare non poteſt ſecundum Thomam 3.* (parte) *qu. 74. & alios Theologos communiter. Hujuſmodi autem eſt, conſecratio Sanguinis*. Sylvius, qui & fuſe & docte quæſtionem iſtam agitat (*p*), Silveſtro conſentit, & quatuor adverſariorum ſolvit objectiones.

(*n*) Gabriel Biel, Lect. 19. in Can. *Miſſæ* & Joan.

(*o*) Silveſter, v. *Euchariſtia*. 1. q. 5.

(*p*) Sylvius in 3. part. Sum. S. Thomæ q. 74. art. 1. Concl. 6.

CA-

Google

C A S U S XVII.

Octavia, cum Parocho ſuo pluribus abhinc annis carnaliter peccans, ipſo Paſchatis die, ad amovendam improbæ vitæ ſuſpicionem cum pluribus aliis ab eodem Parocho ſacram Euchariſtiam accepit: At tanti ſceleris magnitudine territa, ſacratiſſimam hoſtiam ex ore extrahens, ſudario eam involvit; ac paucis poſt diebus ad Sacramentum Pœnitentiæ accedens, illam Confeſſario ſuo tradidit adhuc integram.

Quæritur, an Confeſſarius ille hujuſmodi hoſtiam poſſit comburere, ut illius cineres poſtea in piſcinam mittat: aut quonam alio modo in hoc caſu tam inſolito ſe ſe gerere debeat?

R e s p o n s.

Sanctam illam hoſtiam comburere Confeſſario non licere certum videtur. In ſacrario igitur reponenda eſt, donec ſpecies ſacramentales fuerint omnino corruptæ. Ita ſentit Franciſcus Sylvius in Academia Duacena Doctor, Regiuſque Profeſſor olim celeberrimus (a). Is enim conſultus, an ſpecies Euchariſticæ, poſtquam totaliter corruptæ ſunt, igni ſint tradendæ, earumque cineres in piſcinam mittendæ: reſpondit die 26. Januarii an. 1621. ſatius eſſe, ut non concrementur, ſed poſt omnimodam corruptionem in piſcinam injiciantur: quia vero quidam hujuſmodi hoſtias conſecratas in ſimili caſu comburi poſſe exiſtimant, addit ante totalem corruptionem id numquam licitum eſſe. *Nam antea*, inquit, *quia ſub illis manet Corpus Christi; grande ſacrilegium eſſet eas comburere*. Porro longe conſultius acturum eſſe Confeſſarium illum exiſtimamus, ſi hoſtiam illam in Sacrario reponat, eamque reſervet a ſe conſumendam prima vice, qua Miſſam eſt celebraturus.

(a) Sylv. reſol. var. v. *Euchariſtia*.

Vide { Communio. Ecclesia. Missa. }

C O N S I L I A R I U S.

Vide { Clericus. *Caſ. IV.* Judex. }

C O N S U E T U D O.

CONSUETUDO, inquit Polmanus (b), *eſt jus non ſcriptum, moribus* (*populi*) *introductum, habens vim Legis ex longo & continuo uſu.*

Duplici modo intelligi poteſt vox illa: 1. Pro uſu particulari, quem ſequitur Eccleſia quædam, Capitulum, Paroecia, Collegium, Communitas, aut quidam locus particularis. 2 Secundum latiorem ſignificationem, pro uſu generali Regionis, Provinciæ aut Regni.

In hoc autem præcipue differunt Conſuetudo & Lex: quod Lex rem nondum obſervatam ex profeſſo conſtituat; at Conſuetudo rem jam dudum uſitatam præſcribit.

Diximus: *moribus* (populi) *introductum*: non enim obligatur privatus ex Conſuetudine rem aliquam libere faciendi. Sic, qui quolibet anno a decennio capones duos dono dare amico ſuo conſuevit, uſum hunc pro arbitrio poteſt abrumpere: quod exemplum adducit Silveſter (c): Sed non idem dicendum de Conſuetudine, eo quo in hoc titulo, intelligitur ſenſu, in quo agitur de Conſuetudine Principis, expreſſo vel etiam tacito conſenſu firmata.

Conſuetudo quælibet, generaliter loquendo, ut ſit legitima, debet eſſe rationi conſentiens, juſta, honeſta, utilis, & loco, tempori ac perſonis congrua: aliter verus tantum eſſet abuſus & corruptio, non vero legitima Conſuetudo.

Nulla Conſuetudo, inquit ſanctus Thomas, *vim Legis obtinere poteſt contra Legem divinam, vel Legem naturalem*, licet eam aliquoties explicare, aut fines ejus reſtringere valeat. Hanc autem hujus aſſertionis rationem affert S. Thomas, *quia omnis Lex proficiſcitur a ratione & voluntate Legiſlatoris: Lex quidem divina & naturalis a rationabili Dei voluntate; Lex autem humana, a voluntate hominis, ratione regulata*. Sic Lex prohibens homicidium deſtrui non poteſt per Conſuetudinem, quæ illud permittat; ſed illam explicare & reſtringere poteſt ad homicidium auctoritate ſolum privata commiſſum.

Cum ſpatio temporis ſufficienti & non interrupto legitime præſcripta eſt Conſuetudo, uti fieri debet neceſſario (d), & præſcriptionis rem capacem attingit; tum Legem humanam abrogare poteſt (e).

Sufficit uſus, qui per decennium obtinuit, juxta Leges Romanas (f). Quadraginta anni requiruntur ex jure Canonico, ut legitime præſcripta ſit Conſuetudo, cum juri in aliquo derogat (g). In Gallia, ut vim Legis Conſuetudo obtineat, neceſſe eſt, ut ſit immemorialis, & ſit ſcripto mandata auctoritate regia, & ex ejus præſcripto multæ ſint latæ ſententiæ.

Ut Conſuetudo legitima per non uſum Legem abrogare poteſt ex ſancto Thoma

(b) Polm. Brev. Theol. part 2. 2. n. 586.

(c) Silveſter. v. *Conſuetudo*. p. 14.

(d) Cap. *Cum nna*. 10. de electioa. l. 1. tit. 6.

(e) 1 Th. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 2.

(f) Panormit. in Cap. fin. de Conſuetud. Bartolus in Leg. *De quibus*. ff. de Legibus.

(g) Cap. *Cum tanto*. final de conſuetud & *Nondum tamen*. de Conſuetud. in 6.

Thoma (*a*), ſic Conſuetudo ſolvitur ex immemoriali temporis diuturnitate, qua non obſervatur.

(*a*) S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 3. ad 2.

Conſuetudini derogare poſſunt Edicta Principis ſeu expreſſe per clauſulam derogatoriam, vel tacite quando in toto Regno ſuere promulgata.

Huic etiam derogari poteſt ex conventionibus privatis in contrarium initis, modo ad communitatem aut bonos mores non pertineant, ut ſæpe fit in contractibus Nuptiarum juxta Molinæum.

Gallis antiquis ſuæ erant Conſuetudines, quas intemerate ſemper obſervavere, etiam a Romanis devicti, quorum Leges numquam accipere voluerunt, exceptis Provinciis Italiæ finitimis: & Conſuetudines ſuas Galli hodierni ſcriptis mandare curaverunt, quas obſervare tamquam Leges ſtabiles populi tenentur.

Carolus VII. ex Molinæo, aut potius Philippus, dictus Pulcher, ex Brodelio (*b*), in ſuo Edicto *pro Reformatione Regni*, primus conſtituit, ut ſcripto mandarentur conſuetudines: ſed ſuum effectum Conſtitutiones eorum Regum, uti Ludovici XI. & Caroli VIII. non ſortitæ ſunt, niſi ſub Ludovico XII. ut addit idem Brodelius, ab Henrico IV. fuere renovatæ menſe Januario an. 1598. *Declaramus*, inquit Rex ille, *ut conſuetudines, uſus & ſtili Regni noſtri, ſcripto mandentur ..... Volumus ea cuſtodiri & obſervari in judicio & extra*.

(*b*) Brodeau Præf. in conſuet. Pariſ.

Jus ergo Gallicum partim conſtat ex conſuetudinibus quæ in Regno Galliæ obſervantur, ubi Regiis diplomatibus ſeu litteris patentibus fuere confirmatæ tamquam publicæ conventiones, conceſſæ de conſenſu trium Ordinum qui ſtatum efficiunt, ſcilicet Cleri, Nobilium & Populi: atque hinc vim Legis obtinent, ubi auctoritate Regis ſuere promulgatæ.

Sunt ſtricti juris, ut ait Molinæus in ſuo Commentario in Conſuetudinem Pariſienſem (*c*): *Hoc*, inquit, *maxime peculiare eſt in conſuetudinibus & conſtitutis, quod eorum verbis tenaciter eſt inhærendum; nec illis licet addere, nec detrahere, nec alias interpretari, quam loquuntur*. Ratio eſt 1. Quia antiquiſſimæ ſunt. 2. Quia ex conſenſu generali totius communitatis fuere conſtitutæ. 3. Quia Regia auctoritate fuere comprobatæ.

(*c*) Carol. Molin. in Conſuetud. Pariſ. §. 1. gloſſ. 4. n. 1.

Cum ex aliqua conſuetudine non ordinantur res quædam quæ ad privatos pertinent, tunc ad vicinarum conſuetudinum deciſiones recurrendum, juriſve quod commune vocatur, hoc eſt, ad jus Romanum, ſecundum aliquos Auctores, vel potius ad jus ſtatutum ex conſuetudinibus aliarum Provinciarum, ex Conſtitutionibus & Arreſtis ſupremarum Curiarum.

Dicimus, *ſecundum aliquos Auctores*: nam certum eſt, jus Romanum non eſſe regulam quam ſequi teneantur regiones conſuetudinariæ; ſed ad illud tenentur ſolum, quatenus conſorme eſt rationi & juſtitiæ, ut ait Brodelius in Louetum (*d*). Quocirca, ſi deficiat propriæ regionis conſuetudo; Principum Edicta, & ſupremarum Curiarum Juriſprudentia tamquam regulæ haberi debeant; ſi vero de re controverſa nihil conſtituerint Edicta & Arreſta, ad vicinas conſuetudines recurrendum, iiſque ſtandum eſt; cum id congruum magis rationi videatur, ad utilitatem vicinæ regionis.

(*d*) Brodel. Litt. l. c. 1.

Qui vel curioſitate impulſi, vel aliqua neceſſitate coacti ſcire cupiunt, qui ſint variarum conſuetudinum interpretes, adeant Dictionarium Arreſtorum Domini Brillon in verbo, *Conſuetudo*, a numero 72. ad num. 211.

CASUS PRIMUS.

ROMANUS aliquid egit Lege Principis expreſſe vetitum, ſed tamen conſuetudine contraria firmatum. Nonne immunis eſt a peccato?

RESPONS.

Ad accuratam hujuſce difficultatis ſolutionem, id ſtatim tamquam principium habendum, ſcilicet Legem omnem, ſeu divinam, ſeu humanam, a juſta & rationabili voluntate Legiſlatoris proficiſci. At cum hominis voluntas non verbis tantum, ſed etiam factis aperiri queat in iis quæ ſunt facienda vel fugienda; etiam mutari & revocari poteſt, non ſolum verbis, ſed & actibus, qui multiplicati & perſeverantes, id ipſum inducunt quod conſuetudo dicitur: ita ut mutatio illa vim Legis obtineat, cum nihil in ſe vitioſum includit; ut docet Angelicus Doctor his verbis (*e*): *Omnis Lex proficiſcitur a ratione & voluntate Legiſlatoris: Lex quidem divina & naturalis, a rationabili Dei voluntate; Lex autem humana a voluntate hominis, ratione regulata: ſicut autem ratio & voluntas hominis manifeſtantur verbo in rebus agendis, ita etiam manifeſtantur facto. Hoc enim unuſquiſque eligere videtur ut bonum, quod opere implet. Manifeſtum eſt autem, quod verbo humano poteſt & mutari Lex & etiam exponi, in quantum manifeſtat interiorem motum & conceptum rationis humanæ. Unde etiam & per actus maxime multiplicatos qui conſuetudinem efficiunt, mutari poteſt Lex & exponi, & etiam aliquid cauſari quod Legis virtutem obtineat, in quantum ſcilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus & rationis conceptus efficaciſſime declaratur. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis judicio provenire; & ſecundum hoc conſuetudo & habet vim Legis, & Legem abolet, & eſt Legum interpretatrix.*

(*e*) S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. in corp.

Con-

Confirmari poteſt illud ſancti Thomæ ratiocinium ex eo quod dicit ſanctus Auguſtinus ſcribens ad Caſulanum, de conſuetudine jejunandi die Sabbati. *In his enim rebus*, inquit hic ſanctus Doctor (*a*), *de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro Lege ſunt tenenda*. Qua auctoritate utitur ſanctus Thomas (*b*) ad probandum, quod *conſuetudo etiam honeſta habet vim præcepti*. Ob eam pariter cauſſam in antiquo Canone (*c*) definitur conſuetudo: *Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, cum deficit Lex*. Hoc eſt, ſive re ipſa non ſit Lex, aut, ſi fuerit, ſit obſoleta, quod invaluerit conſuetudo.

(*a*) S. Aug. Ep. 36. alias 86. n. 2.

(*b*) S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 2.

(*c*) Iſidor. l. 5. Etymol. c. 3. in Can. *Conſuetudo*. 5. diſt. 1.

Advertendum etiam 1. quamlibet conſuetudinem vim Legis non obtinere, niſi privati quibus conſtituitur, actus non modo communitati ſint cogniti & probati; ſed etiam poſiti ad indocendam obligationem, & ideo conſuetudinem, ut docet Gloſſa his verbis (*d*): *Scias ergo, quod ad hoc quod conſuetudo præjudicet juri, requiritur quod ſit præſcripta .... quod obtinuerit in contradictorio judicio populi .... quod eo animo fiat, ut credatur ſe jus habere, & in poſterum illud intendat facere: alioquin talis uſus non dicitur uſus*. Hinc ſequitur conſuetudinem ſe ipſum in Eccleſiæ ingreſſo aqua ſacra intingendi, aut cineres prima quadrageſimæ die recipiendi, ceteroſque hujuſmodi quamplurimos ritus, quos Catholica obſervat Eccleſia, vim Legis non obtinere, neminemque obligare; quod ii qui cærimonias illas aut invexere, aut etiamnum obſervant, eas tamquam Legem ſibi imponere, alioſve exemplo ſuo obligare non intendant.

(*d*) Gloſſa in Can. *Fruſtra*. 7. diſt. 8. v. *Conſuetudinem*.

2. Obſervandum mutationem, quæ conſuetudine inducitur, non eſſe intelligendam, neque locum habere poſſe, niſi quoad Legem humanam, non vero, quoad Legem naturalem aut divinam; quæ, cum vim ſuam a divina voluntate depromat, voluntatis humanæ arbitrio mutari non poteſt. *Lex naturalis & divina procedit a voluntate divina*, inquit ſanctus Thomas (*a*): *unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem a voluntate hominis; ſed ſolum per auctoritatem divinam mutari poſſet; & inde eſt quod nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra Legem divinam, vel Legem naturalem*. Hæc autem hujus rei afferri poteſt ratio, quod divinæ Leges ſint immutabiles. *Fidelia omnia mandata ejus*, inquit Pſaltes regius (*f*), *confirmata in ſæculum ſæculi*; utpote, *facta in veritate & æquitate*.

(*a*) S. Thom. p. 2. q. 97. art. 3. ad 1.

(*f*) Pſalm. 110.

3. Obſervandum, conſuetudinem non poſſe contra Legem introduci, niſi cum a majori parte communitatis obſervatur, ut ait Gloſſa mox citata (*g*): *Ad hoc quod conſuetudo præjudicet juri, requiritur ... quod major pars populi conſueverit illa uti conſuetudine*. *Quia*, inquit hic Gloſſator, *ſicut minor pars populi non poſſet inducere Legem, ſic nec conſuetudinem*. In hoc igitur dumtaxat caſu legitime introducitur, & actos ex ea facti permanent validi, ut docent Juriſperiti (*h*), dicendo: *Quod major pars Curiæ effecit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint*.

(*g*) Gloſſa in cit. Can. *Fruſtra*. 7. diſt. 8. v. *Conſuetudo*.

(*h*) DD. ad Leg. *Quod major*. 19. ff. ad municipalem, l. 50. tit. 1.

Ex dictis hactenus facile colligitur, Romanum eſſe conſcium; ſi quod egit, Legi naturali & divinæ ſit contrarium; cum ex contraria hominum conſuetudine huic Legi nequeat derogari; ſed ipſum non peccaſſe, ſi Lex illa eſſet tantum humana, quæ uſu contrario, nec vitioſo ſit præſcripta; cum lex prohibens ipſius actionem conſuetudine contraria, ut ſupponitur, fuerit abrogata; & conſuetudo illa, eo quo diximus modo intellecta, vim Legis obtineat.

CASUS II.

Numquid reus eſſet Romanus, ſi re ipſa actio ejus eſſet contra Legem, ſed ſi Lex illa non eſſet in uſu?

Respons.

Licet naturalis aut divina Lex abrogari nequeat per non uſum, ut jam diximus; is tamen ſufficit ad tollendam Legem humanam. *Ea quæ ſunt de jure poſitivo per diſſuetudinem abolentur*, inquit ſanctus Thomas (*i*): *ea vero quæ ſunt a jure naturali, vel de jure divino, nulla diſſuetudine aboleri poſſunt*. Idem etiam docet ſanctus Antoninus (*k*), & probat exemplo dierum Rogationum, qui olim erant feſti dies ſimul & jejunii (*l*), & exemplo trium dierum, qui quadrageſimam præcedunt, quibus jejunare ſolebant Clerici: quod uſu contrario fuit ademtum. Unde ſequitur, Romanum non peccaſſe, ſi Lex contra quam egit, ſit tantum Lex humana; quia per non uſum jam eos non obligat, pro quibus fuerit condita.

(*i*) S. Thom. quodlib. 2. art. 8. in corp.

(*k*) S. Anton. 2. part. ſum. Theol. tit. 4. c. un. §. 4.

(*l*) Can. *Pronuntiandum*. 1. & Can. *Rogationes*. 3. de conſecr. diſt. 3.

Vide Jejunium, Caſ. Gildaſius.

CONTRACTUS.

CONTRACTUS nihil aliud eſt, quam *ultro citroque obligatio*, inquit Polmanus (*m*); quæ obligatio eſt ſtricti juris & ad æquitatem pertinet. Accuratius etiam definiri poteſt: *Pactum, cauſſans ultro citroque obligationem*: ita ut contrahentes in ſe invicem fiant debitores, tam quoad res, ut in Emtione & venditione & aliis ſimilibus, quam quoad perſonas, ut in contractu Matrimonii. *Non ſolum res in ſtipulatum deduci poſſunt, ſed etiam facta*, inquit Imperator Juſtinianus (*n*). Prior definitio non omnem pactorum ſpeciem continet: ſunt enim pacta ſeu conventiones, quæ *ſemi-contractus* appellati poſſunt; ea videlicet, quæ unum ex contrahentibus tantum afficiunt, qualis eſt donatio, aut gratuita promiſſio, ab eo acceptata, cui facta eſt.

(*m*) Polman. part. 2. c. 8. 422. & 423.

(*n*) §. fin. Inſtit. de verborum obligat. l. 3. tit. 26.

Multæ vulgo diſtinguuntur contractuum ſpecies. Alii ſunt expliciti, in quibus videlicet pactum reciprocum exprimitur: alii impliciti, in quibus ſubintelligitur. Quidam ſunt abſoluti: quidam vero conditionati, e quorum conditionis eventu pendet contractus effectum. Nonnulli ſunt gratuiti ſeu lucrativi, in quibus contrahentium alter commodum aliquod percipit, nihil alteri rependens, qualia ſunt donatio (*o*), commodatum & precarium. Alii vero ſunt oneroſi, quia recipiens danti aliquid ſe daturum promittit, ut in emtione, in mutuo, & locatione.

(*o*) Leg. *Donationes*. 1. ff. de Donat. l. 39. tit. 5.

Sunt etiam contractus, qui *nominati* dicuntur, eo quod proprium habeant nomen, quo ab aliis contractibus diſtinguuntur, quales ſunt contractus Emtionis & venditionis, mutui, locationis, depoſiti, commodati & precarii.

Alii

Digitized by Google

Alii *Contractus innominati* * appellantur, quod proprio non donentur nomine quo a præcedentibus diſtinguantur. *Natura enim rerum inductum eſt, ut plura ſint negotia, quam vocabula*, inquit Lex (*a*).

Quadruplicis ſunt generis, ſcilicet, *do ut des* (*b*); 2. *facio ut facias* (*c*); 3. *do ut facias* (*d*); 4. *facio ut des* (*e*).

Inter diverſas contractuum ſpecies, alii dominium rei de qua contrahitur, transferunt, ut venditio, permutatio & mutuum. Alii uſum tantum transferunt, ut commodatum & precarium: aliis denique nec dominium nec uſus transfertur, ſed cuſtodia dumtaxat committitur, quale eſt depoſitum. Denique ex iis quidam ad ſolam recipientis utilitatem pertinent, qualia ſunt mutuum, commodatum, & donatio: alii ad ſolam dantis utilitatem, quale eſt depoſitum; alii denique ad dantis & accipientis utilitatem ſpectant, qualis eſt locatio.

Contractus omnes & conventiones contrahentes obligant 1 modo perſonæ non ſint inhabiles ad contrahendum, ut furioſi ex Juſtiniano: *furioſus nullum negotium gerere poteſt: quia non intelligit, quod agit* (*f*): aut iis, qui tales lege ſunt declarati, ut prodigus, pupillus, mulier ſub poteſtate viri conſtituta, & ii qui jure ſunt interdicti, quando cum damno ſuo contrahunt

2 Modo pactum non ſit contrarium legibus, aut bonis moribus; *pacta quæ contra leges, conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt*, inquit Lex (*g*), *nullam vim habere indubitati juris eſt*

3 Si contrahatur cum cognitione & libere, hoc eſt, nullus in pacto intercedat error, neque coactio neque dolus; alioquin non vera eſſet libertas. *Non videntur qui errant conſentire*. inquit eadem regula (*h*): *Nihil conſenſui tam contrarium eſt .... quam vis atque metus*, inquit etiam eadem regula.

4. Dummodo res ſubjecta conventioni commercium pati queat. Nam ſi res eſſet, v. g. ſacra aut publica; conventio erit inutilis. *Idem juris eſt* (hoc eſt, *ſtipulatio erit inutilis*) *ſi rem ſacram aut religioſam, quam humani juris eſſe credebat, vel rem publicam .... vel cujus commercium non habuerit*, inquit Imperator Juſtinianus (*i*).

Denique heic non omittendæ actiones quædam, quæ quidem contractus dici nequeunt, quod nullum intercedat pactum expreſſum vel tacitum, in quo conſiſtit natura contractus; ſed quæ tamen obligationem pariunt, quæque ideo a Juriſconſultis *quaſi contractus* nominantur.

Talis eſt 1 tutela. quæ tutorem erga pupillum ſuum obſtringit, uti eum qui Tutoris munere fungitur abſque ejus titulo, Curator erga pupillum ſuum & quilibet tandem publicus adminiſtrator.

2. *Geſtio rerum*; id eſt, adminiſtratio bonorum viri abſentis abſque procuratione, quorum curam parens aut amicus libenter ſuſcipit, ne diſpereant. Iſte *quaſi contractus* tam æquus videtur, ut ex eo oriatur actio in favorem gerentis utiliter in abſentem ad recuperandas impenſas ſactas; modo probet, ſe nihil niſi vel neceſſarium vel abſenti utile geſſiſſe, eique cujus rem adminiſtravit, recepti aut recipiendi nec non expenſi rationes edat.

3. *Aditio hereditatis* pura ſimplexque, qua tenetur heres de omnibus defuncti oneribus, nec non etiam de ſolutione legatorum Teſtamenti ejus: in quo differt ab eo qui hereditatem non adivit, niſi ſub conditione Recognitionis bonorum defuncti: qui heres non tenetur niſi pro rata bonorum quæ ex hereditate percepit; mobilibus tamen & immobilium fructibus ad rationes computatis. Sunt & alii quidam *quaſi contractus*, de quibus non eſt heic ſermo.

Contractus quilibet fieri poteſt, vel coram publicis notariis, vel ſub privato chirographo, vel viva tantum voce; licet juxta ſolitum loquendi modum, contractus ſolummodo dicatur is, qui fit coram & ſub chirographo duorum notariorum aut unius notarii duorumque teſtium, & ſub contrahentium ſubſcriptione **.

Id unum intercedit diſcrimen inter contractum privatum & publicum, quod ex publico contractu, hoc eſt, coram notariis confecto. actionem hypothecariam acquirat creditor in bona debitoris, ſimulque prælationem in alios chirographarios debitores, & etiam in omnes hypothecarios, quibus prioris temporis prærogativa valet; cum ex contractu privato non oriatur hujuſmodi actio.

(*a*) Leg. *Natura*. 4. ff. de præſcript. verbis. L. 19. tit. 5.

(*b*) Leg. *Naturalis*. 5. ff. eod. tit.

(*c*) Cit. Leg. *Naturalis*.

(*d*) Ibid. & Leg. 2. ff. de verborum oblig. & L. 5. ff de oblig. & act.

(*e*) Cit Leg. 5. de præſcript. verbis & 2. alii citatis.

(*f*) §. 8. Inſtitut. de inut. ſtipulat & Leg. *Obligationes*. 12. §. 12. ff de oblígat. & act. Leg. 44. tit. 7.

(*g*) Leg. *Pacta*. 6. cod. de Pactis. L. 1. tit. 4. Leg. *Juris Gentium*. 7. §. 7. ff. de Pactis. L. 2 tit. 14. & Leg. *Si unus* 27. §. 4. eod tit. §. 24. inſtit. de inut. ſtipul. L. 5. tit. 20.

(*h*) Reg. 116. §. 2. ff. de reg. jur.

(*i*) §. 2. Inſtit. de inut. ſtipul.

* Diſcrimen aliquod in Jure Romano apponebatur, contractus inter nominatos & innominatos; ſed hujus diſcriminis explicationem ſubtilem potius quam utilem PONTASIUS, cæterique merito omittunt.

** Ad validitatem contractuum juxta Jus Romanum ſcriptura non requirebatur; *omnia pacta*, inquit DOMATIUS, *ſine ſcripto valebant*,

Contractus qui cenſuales dicuntur, unum lucri, ut ajunt, ſolidum pro vigeſimo parit in iis regionibus, ubi obtinet ordinatio an. 1665. aut lucrum minus vel etiam majus in juriſdictione Parlamentorum; in qua conſtitutio illa non eſt in uſu.

Contractus cenſualis uſurarius eſt, cum cenſum determinato quodam tempore redimere obligatur debitor.

CASUS PRIMUS.

Sigonius duo millia nummorum ab Hieronymo mutuatus eſt, de quibus Syngrapha ea vit, his verbis expreſſa: *Agnoſco Hieronymum mihi duo millia nummorum mutua dediſſe, de quibus ei ex contractu cenſuali coram Notariis, quotieſcumque ipſi libuerit, me obligaturum, & interim ei annuam penſionem ſoluturum juxta lucrum ſecundum ordinationem conſtitutum promitto.* Quærit Hieronymus, utrum tuta conſcientia ſummæ illius lucrum poſſit exigere; priuſquam in ſui favorem coram Notariis contraxerit Sigonius?

RESPONS.

Certum eſt Hieronymum tuta conſcientia recipere & quidem exigere poſſe lucrum e ſex millibus librarum Sigonio mutuo datis, proveniens ob Syngrapham, ea qua proponitur, ratione deſcriptam. Ratio eſt, quia ex illa Syngrapha vere abalienatur hæc pecuniæ ſumma, ad cujus proinde reſtitutionem nullo pacto cogi poteſt Sigonius, ſed ſolum ad cenſualem contractum coram Notariis peragendum, ut fert Syngrapha. Id igitur ſolum diſcrimen intercedit inter Syngrapham & contractum publicum, quod ex illa Syngraphe jus hypothecæ non obtineat Creditor in bona debitoris; cum contra ex publico contractu & jus illud & prælationem in ceteros Creditores, ſe poſteriores, aut ſolum Chirographarios acquirat (a) Creditor.

(a) De Ste. Beuve, tom. 3. caſ. 147.

CASUS II.

Rex Edicto ſuo menſis Decembris an. 1665. conſtituit, ut deinceps ultra vigeſimam ſortis partem non poſſent fieri legitime cenſuales contractus. Attamen Sulpicius, Parlamenti juriſdictioni ſubjectus, quod hujus Edicti executioni non invigilat; & ubi tolerantur contractus cenſuales quibus uſuræ ad decimam ſextam ſortis partem ſtipulantur, juxta antiquam hujuſce Parlamenti juriſdictionis conſuetudinem multos ſic conſtituit cenſus, quorum uſuras accipit.

Inſuper Sulpicius multos habet ſibi debitores, quibus pecuniæ ſummas ad tempus dat mutuas; quas cum ab iis exigere nequeat, ipſas ad ſolutionem uſurarum judicio adegit, eaſque ex antiquo Edicto hujus Provinciæ pro decima ſexta ſortis parte conſtituit. Poteſt ne in utroque caſu uſuras illas exigere & accipere?

RESPONS.

Sulpicius abſque injuſtitia uſuras contractuum, quos pro ratione decimæ ſextæ partis ſortis acquiſivit, exigere & recipere poteſt, ſicuti in hac Parlamenti juriſdictione aut Provincia verſetur, ubi ſemper fuere liciti, & etiamnum obtinent hujuſmodi contractus, & ubi nondum receptum fuit Edictum an. 1665. & etiam uſuras pecuniarum, quas ad tempus dedit mutuas poteſt exigere, de quarum ſolutione in moræ pœnam damnati fuere ipſius debitores, pro ratione Edicti quod ibi viget, & ubi in eam rem obtinet Aurelianenſe Edictum, præcipue, ſi ſit lucrum ceſſans aut damnum emergens, uti a viris timoratis fieri ſolet. Ratio hujus deciſionis eſt, quia lex humana non obligat in conſcientia, donec promulgata fuerit & admiſſa. Cum igitur Edictum an. 1665. nondum promulgatum & admiſſum fuerit intra fines Parlamenti de quo in caſu propoſito, ſubditos ejus non obligat; qui proinde Edictum Henrici IV. menſis Julii an. 1601. aut aliud quodlibet antiquum quod ibi in eam rem obtinet, ſequi poſſunt (b).

(b) Idem, tom. 2. caſ. 231.

CASUS III.

Fabius libras 100. annuæ penſionis in domo ſua Theodulo promittit, qui 2000. lib. ipſi ſolvit conformiter ad Edictum an. 1665. & intra ſexennium cenſum illum redimere ex contractu ſe ſe obligat, parem Theodulo 2000. lib. ſummam reddendo. Nonne peccat ille contractus in conſcientiæ regulas?

RESPONS.

Contractus ille eſt illegitimus, & a Martino V. in quadam Conſtitutione ſua (c) ad tres Germaniæ Epiſcopos ad an. 1420. ſcripta, & a Calixto III. in alia Conſtitutione 6. Maii an. 1455. prohibitus; a quibus is tantum probatur cenſualis contractus, in quo ad extinctionem cenſus, hoc eſt, ad reddendum illius pretium, ab emtore cogi non poterit venditor.

(c) Martin. V. in Cap. *Regimini*. 1. de Emt. & Vend. lib. 3. Extravag. comm. tit. 5.

Conſentiunt nimirum omnes Theologi, talem Contractum ea quo admittitur talis conventio, uſuram emtionis nomine palliatam ſeu occultam evidenter includere. *Requiritur*, inquit Sylvius (d), *ut venditor cenſus non obligetur eum redimere, ſeu nummos capitales refundere, non computatis ſingulis penſionibus in ſortem. Adjecto enim iſto pacto, non eſſet contractus emtionis, ſed mutui; & quia is qui diceretur emtor, certus foret de recipienda ſorte, ac inſuper annuis penſionibus; in effectu daret mutuum ſub lucro, atque ita committeret uſuram.* Ita doctus hic Theologus poſt alios multos, tum Theologos, tum Canoniſtas quos laudat, in primis Covarruviam, Sotum, Bannes, Salonium, Toletum, Binsfeldium & Navarram (e).

(d) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 78. art. 4. quæſito 2. concl. 2. in fine.

(e) Didacus Covarruvias l. 3. Var. reſol. c. 9. n. 4.
Dom. Soto lib. 6. q. 5. art. 3.
Bannes dub. 2. de cenſibus.
Salonius controv. 19.
Toletus. Inſtruct. Sacerd. l. 5. c. 47.
Binsfeldius in Cap. *In Civitate de Uſuris*.
Navar. ad Can. *Si feneraveris*. 2. 14. q. 3. n. 97.

CASUS IV.

Andromachus, ſumma 4000. lib. indigens prædium 600. lib. annui reditus, omnibus deductis impenſis, tamquam pignus Juliano tradit; atque in ſuo ſtipulatur contractu, ſibi fore liberum, prædium illud intra ſexennium recuperare, parem 4000. lib. ſummam Juliano reddendo, & Julianum interim hujus prædii fructus eſſe percepturum, donec ſors ei præcipua reſtituatur. Num vitioſus eſt ille contractus?

RESPONS.

Contractus ille qui verum pignus, non vero venditio conditionalis videtur, uti apparet ex inæqualitate rei oppigneratæ & collati pretii, quæque id pro certo manifeſtat ex Innocentio III. (f), procul dubio eſt uſurarius; neque enim oppignerator, in pignore licito & juſto, rei oppigneratæ dominium acquirit, quod ſemper eſt penes oppignerantem. Quare rei oppigneratæ fructuum juſtum valorem computare debet oppigneranti ad ſolutionem debitæ ſibi ſortis (deductis prius factis impenſis). Unde in caſu propoſito Julianus uſuræ fit reus, niſi perceptos ex ejus prædio fructus deducat e 4000. librarum, quas Andromacho mutuas dedit.

(f) Innoc. III. in Cap. *Ad noſtram*. de Emt. l. 3. tit. 17.

Hanc deciſionem ſuppeditat Aleaander III. in Decretali (g) ſcripta ad Archiepiſcopum Cantuarienſem & Epiſcopos ipſius ſuffraganeos, in qua factam Clericis in Concilio Turonenſi (h) cui ipſe præfuerat, prohibitionem extendit. En ejus verba: *Quoniam non ſolum viris Eccleſiaſticis, ſed etiam quibuslibet aliis periculoſum eſt, uſurarum lucris intendere; auctoritate præſentium duximus injungendum, ut eos qui de poſſeſſionibus ... quas tenent in pignus noſcuntur, ſortem deductis expenſis receperunt, ad eadem pignora reſtituenda ſine uſurarum exactione Eccleſiaſtica diſtrictione compellas.*

(g) Alex. III. in Cap. *Quoniam*. 2. de uſuris l. 5. tit. 19.

(h) Idem in Conc. Turon. in Cap. *Plures*. 2. ibid.

Eadem fuit hujuſce ſummi Pontificis deciſio, pro Clerico conquerente de Abbate Religioſiſque Mona-

ſterii

Digitized by Google

ſterii ſancti Laurentii, qui fructus e prædio, ab eo in ſecuritatem ſummæ oppignerato, perceptos nolebant deducere (*a*). *Diſcretioni veſtræ mandamus*, inquit, *quatenus ſi terram ipſam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus ſortem recepiſtis, prædictam terram Clerico memorato reddatis.*

(*a*) Idem in Cap. *Conquestus*. 8. eod. tit.

In hoc juri Canonico conſentiunt Leges civiles: *Ex pignore percepti fructus computantur in debitum*, ait una ex his Legibus (*b*); *& ſi ſint ſufficientes ad totum debitum; ſolvitur actio & redditur pignus. Si vero ſuperent debitum, ipſi fructus redduntur qui ſuperſunt, nimirum mota pigneratitia actione.*

(*b*) Leg. *Ex pignore*. 1. eod. de pign. actione.
Item Leg. *Creditor*. 3. eod. lib. 4. tit. 24.

C A S U S V.

Genebaldus, filio ſuo ex contractu ipſius nuptiali ei dominium 3000. lib. annui cenſus contulit; ſed filius qui major eſt, ex contraſcripto 500. libras quolibet anno ſe patri redditurum promittit, agnoſcens, ſe totum ex contractu non accepiſſe dominium, niſi ſub iſta conditione. Obiit ille filius biennio poſt, uno ei tantum ex matrimonio ſuo ſuperſtite puero; cujus tutelam cum ſuſceperit Genebaldus, nonne poteſt ex bonis a defuncto derelictis prædictam 500. lib. ſummam repetere ex contraſcripto debitam?

R e s p o n s.

Contraſcripta ſuum debent ſortiri effectum conformiter ad contrahentium pacta, modo ea tertiæ non noceant perſonæ; ſed executione ſua fruſtrantur, cum noxiam proximo conditionem habent ex hac juris Romani regula (*c*): *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*, & ex iſtis legis terminis (*d*): *Non debet ei nocere quod inter alios actum eſt*. Certum eſt autem, filii Genebaldi conſcriptum & uxori ſuæ & puero ſuo nocere: debet ergo pro utroque aboleri, & etiam pro aliis quibus noxium eſſe poſſet; quales ſunt filii creditores (*e*): *Si quis geſtum a ſe aliam egiſſe ſcribi fecerit, plus actum quam ſcriptum valet*. Et quidem ex tali pacto deſtruitur bona fides, idque bonis contrarium eſt moribus; cum manifeſta ſit infidelitas, qua Genebaldus & filii ſui uxorem & uxoris illius parentes decepit, qui talis conſcripti gnari hujuſmodi forſan matrimonio non conſenſiſſent. Par igitur non eſt, ut in lucrum vertatur dolus ejus. *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*, inquit Innocentius III. in una ex Decretalibus ſuis (*f*): Inſuper reipublicæ intereſt, ne tales tolerentur colluſiones, quæ in proximi fraudem a privato quolibet facile ſupponi poſſunt; unde eas etiam jura condemnant (*g*). *Si quidem clandeſtinis ac domeſticis fraudibus facile quidvis pro negotii opportunitate confingi poteſt: vel id quod vere geſtum eſt, aboleri*. Hinc colligi neceſſe eſt, a Genebaldo exigi non poſſe libras quingentas, quas ex filii ſui conſcripto ſibi reſervarat.

(*c*) L. *Non debet*. 74. ff. de diverſis regulis juris antiqui.

(*d*) L. *Qui in*. ff. de jurejurando. &c. l. 12. tit. 2.

(*e*) L. *Si quis*. 4. Cod. plus valere quod agitur, quam quod ſimulate concipitur. L. 4. tit. 22.

(*f*) Innoc. III. in Cap. *Ad noſtram*. 5. de emt. & vend. l. 3. tit. 17.

(*g*) L. *Data*. 27. Cod. de donat. l. 8. tit. 54.

C A S U S VI.

Prosper et Paulus ſimul pactionem fecere emtionis & venditionis, & ex eo contractu Proſper 100. libras intra menſem Paullo ſe perſoluturum promittit ob merces. Elapſis octo diebus, in eo contractu dolum interveniſſe advertit Proſper. Nonne tamen contractum illum exſequi tenetur?

R e s p o n s.

Ante ſolutionem hujus difficultatis, præſupponendum 1. quod, ut ait S. Auguſtinus (*h*), *Errare, id eſt, unam pro alia putare*. 2. Quod error quandoque ad rei ſubſtantiam, alias vero ad ejus qualitatem pertinet. Poſitis hiſce duobus principiis, ad propoſitam difficultatem reſpondendum, quod, ſi Proſper qui cum Paullo contraxit, circa rei ſubſtantiam erravit, ut ſi exiſtimans ſe emere, Paullumque triticeam farinam vendere, avenaceam tantum ille emiſſet; tum pacto ſtare Proſper non teneretur: nam ad ipſam farinæ ſubſtantiam error ille pertineret, cum inter hujuſmodi farinas eſſentiale diſcrimen intercedat.

(*h*) S. Aug. in Can. *In quibus*. 6. 22. q. 2.

Hactenus dicta ex hac ratione confirmari poſſunt, quod, cum nihil aliud ſit contractus, quam actus externus duorum aut plurium, quo ex proprio ſuo conſenſu in idem reciproce pactum conveniunt; certum eſt, quod abſque legitimo conſenſu ſubſiſtere nequeat: atqui in caſu propoſito non eſt legitimus conſenſus; nam ut ait Lex (*i*). *Eſt pactio duorum, pluriumve in idem placitum conſenſus*; vel ut loquitur Gratianus (*k*): *Conſenſus eſt duorum, vel plurium ſenſus in idem*: cum autem ſubeſt talis error, non poteſt eſſe ſenſus uniformis: *qui autem errat*, addit hic Canoniſta, *non ſentit: ergo non conſentit*. Quod ad iſtam Legis regulam reddit (*l*): *Quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quam error?* Et ad iſtam juris (*m*): *Non videntur qui errant conſentire*. Unde colligendum, quod qui v. g. triticeam conſenſit emere farinam, neque ullo modo avenaceam, nullum quoque legitimum præbuit conſenſum: & ideo ad executionem contractus cum Paullo Proſper non tenetur.

(*i*) L. *Hujus* 1. §. 2. ff. de pactis. l. 2. tit. 14.

(*k*) Gratian. §. *His autem*. 1. 29. q. 1.

(*l*) Leg. *Si per errorem*. 15. ff. de juriſdictione omnium judicum.

(*m*) Reg. 116. §. 2. ff. de diverſis reg. juris antiq.

Sed ſi error ſit tantum de qualitate rei, validus eſt contractus; quia ad ejus validitatem ſufficiens eſt contrahentium conſenſus. Unde ſi farina quam a Proſpero emtam ſupponimus, eſſet confecta e tritico biennali, non vero, ut putabat, ultimæ meſſis; contractum tunc perficere tenetur, ſi aliunde notabiliter non deficeret.

Addendum hactenus dictis, irritum abſolute non fieri contractum, cum duo contrahentes ſunt in bona fide: nam tunc non intervenit dolus, ut Lex declarat (*n*): ſed a læſo tamen poſſe exigi indemnitatem damno ſuo accommodatam, & quam alter præſtare tenetur (*o*).

(*n*) L. *Julianus*. 13. ff. de actionibus emt. & vendit. lib. 19. tit. 1.

(*o*) Colloq. Cond. tom. 1. Colloq. 6. ſect. 1. & 3.

C A S U S VII.

Arturus et Alphonsus Societatis contractum inter ſe fecere, in quo fraudem ſubeſſe ab Alphonſo cognovit Arturus. Tenetur ne ad executionem hujuſce contractus?

R e s p o n s.

Diſtinguendum: nam vel fraus anſam præbuit contractui, vel non: ſi vera contractus cauſa fuit fraus Alphonſi, ita ut, ea cognita, a contractu abſtinuiſſet Arturus; certum eſt, quod in conſcientia contractum exſequi non tenetur: ratio eſt, quia in tali caſu invalidus eſt ille contractus ob defectum conſenſus Arturi, uti Gloſſa decidit his verbis (*p*): *cum dolus dat cauſſam contractui, non tenet contractus*. Cui congruit jus Romanum (*q*). Unde ſequitur, quod ſi ante cognitum dolum, talem contractum impleſſet Arturus; damnum ejus præſtare in foro conſcientiæ teneretur Alphonſus: nam ex hac juris Canonici regula (*r*): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura*: & ex hac altera juris Civilis (*ſ*): *Jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.*

Sed ſi dolus contractui anſam non præbuerit, ita ut, eo detecto, contraxiſſet etiam Arturus; tenetur tum contractum exſequi, cum validus ſit tum contractus, ut ait Gloſſæ Auctor, quem modo laudavimus, quia ſufficientem ei conſenſum ad ejus validitatem præbuit. *

(*p*) Gloſſa in Cap. *Cum dilecti*. 3. de emt. & vendit. l. 3. tit. 17.

(*q*) L. *Et eleganter*. 7. ff. de dolo malo. l. 4. tit. 3.

(*r*) Reg. 48. de reg. juris in 6.

(*ſ*) Reg. 206. ff. de diverſis reg. jur. antiq. l. 50. tit. 17.

* Dolus, cum ſit delictum, non præſumitur, niſi probetur. *Dolum ex indiciis perſpicuis probari convenit*. Lib. VI. C, *De Dolo*.

Quamvis dari poſſint regulæ juxta quas quandonam Contractus ex aſtutia initus ſit in ſe invalidus dignoſci poteſt; attamen cum infiniti ſint decipiendi modi, ſatis non poteſt regulis declarari, inquit DOMATIUS, qualis debeat eſſe dolus qui ad irritandum Contractum, vel ad dandum damnis & intereſſe locum ſufficit; nec ſatis quænam a legibus diſſimulantur fraudes poteſt indicari. Quædam enim non puniuntur, nec nocent penitus; quædam puniuntur, & nocent. In verbis, exempli gratia, quibus venditor vagam rem ſuam jactat, non cenſetur eſſe fraus quæ ad irritandam venditio-

nem feciſſe, quamvis verboſus iſte venditor ſæpe contra veritatem & conſequenter contra juſtitiam loquatur, ſi a venditoris aſtutiis ſe tueri emtor poſſit; ſed ſi venditor falſo declaret quamdam rei qualitatem, ut alliciat emtorem, puta ſi dicat ſe vendere domum variis picturis periſtromatibuſque pretioſis ornatam, quæ tamen nullis eſt ornata; tunc erit dolus ad venditionis reſciſſionem ſufficiens. De dolo itaque potius ſecundum prudentiam, delicti qualitatem, & circumſtantias, quam ſecundum regulas judicatur; & quemadmodum Contractus, licet non juxta perfectæ ſinceritatis amuſſim fuerint initi, de facili non debent irritari; ita fraus nemini debet patrocinari.

CASUS VIII.

Clotarius & Callixtus contractum ſimul confecere, cui non conſentit Callixtus, niſi juſto impulſus metu; ne, ſi forte conſentire recuſaret, ſe ipſum aut familiam ſuam ulciſceretur Clotarius. Numquid eum exſequi in foro conſcientiæ tenetur?

Respons.

Ad manifeſtam præſentis difficultatis ſolutionem, 1. duplex eſt diſtinguenda metus ſpecies. Alter gravis, & qui cadat in conſtantem etiam & fortem virum; qualis eſt metus mortis, carceris aut alterius mali graviſſimi; alter levis, hoc eſt, quo quis minimum reformidat malum, aut etiam malum grave, ſed abſque juſta cauſſa. 2. Præſupponendum, metum eſſe vel juſtum, hoc eſt, juſte injectum, ut cum tormentis reum cogit Judex ad ea quæ facere tenetur; aut eſſe injuſtum, hoc eſt, injuſte injectum; ut cum alter alteri vim minatur, niſi poſtulata compleat.

Hoc ita ſuppoſito dicimus, Callixtum non teneri ſub conſcientia peccati confecto contractu; ſi ad eum gravi & injuſto metu coactus fuerit, qui voluntatem ejus ita prævenerit, ut jam libere conſentire non potuerit; atque eo ſenſu intelligenda eſt juris Romani regula iſta (a): *Nihil conſenſui tam contrarium eſt .... quam vis atque metus.* At ſi eum tali modo non prævenerit metus, eo non obſtante tenet contractus; quia aliter contractus ex metu, quamvis gravi & injuſto confectus, non abſolute voluntarius eſt, & metus ille ſufficientem relinquit libertatem ad conficiendos contractus validos exceptis contractibus Matrimonii, donationis, reſignationis Beneficiorum, electionis Præſulum, & alios quoſdam, pro quorum validitate plena & perfecta requiritur libertas.

(a) Reg. 116. ff. de diverſis reg. juris antiq.

Obſervandum tamen, quod, quamvis invalidi non ſint *ipſo jure* contractus hujuſmodi; is qui talem paſſus eſt timorem, eorum tamen juridicam revocationem poteſt non ſolum requirere juxta iſtam juris regulam, quam profert Alexander III. ad Epiſcopum Vigornienſem ſcribens (b): *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari:* ſed etiam damni ſibi illati reſtitutionem poteſt repetere.

(b) Alexand. III. in Cap. *Abbas*. 2. de his quæ vi metuſve cauſſa fiunt, L. 1. tit. 40.

Hinc concludi neceſſe eſt, invalidum numquam fieri contractum, ex metu juſto, quantumvis gravi; atque adeo Callixtum teneri ad implendas conventiones cum Clotario factas, ſi ex tali metu contraxerit: & idem dicendum, ſi metus ejus tantum levis fuerit; nam ob talem metum non excuſatur contrahens ab implendis ſibi impoſitis oneribus, ex hac juris Romani regula (c): *Vani timoris juſta excuſatio non eſt.* Re ipſa ſi ex metu levi & vano invalidus fieret contractus aliunde legitimus, multi inde ſequerentur conſcientiæ ſcrupuli; præſertim cum de perfectis jam contractibus ageretur.

(c) Reg. 184. ff. de diverſis reg. juris antiqui.

Vide { Emtio & Venditio. Mutuum & Commodatum. Depoſitum, Locatio. Precarium. Societas. Uſura. }

CONTRITIO.

CONTRITIO, quæ prima pars eſt Sacramenti Pœnitentiæ, definitur a Concilio Tridentino (d) .... *Animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero.*

(d) Conc. Trid. Seſſ. 14. C. 4.

Contritio, ut ſit vera, quatuor debet eſſe prædita conditionibus, quas fuſe in caſu *Satyrus*, ſexto hujus tituli exponimus.

Prima eſt, ut ſit interior: quia non ſufficit, ut ſit ſenſibilis & in appetitu inferiori, & etiam cum gemitu & lacrymis; animum namque & voluntatem debet afficere; *Contritio duplex eſt dolor*, inquit S Thomas (e): *unus eſt in voluntate, quæ eſt eſſentialiter ipſa contritio, & nihil aliud eſt, quam diſplicentia præteriti peccati.*

(e) S. Th. Suppl. p. 3. art. 1. in corp.

Secunda, ut ſit ſuprema, ita ut dolor de præterito peccato ſimilem non habeat comitem: *Dolor in contritione*, ſubdit Angelicus Doctor (f), *excedit omnes alios dolores, quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus diſplicet. Finis autem ultimus ſuper omnia placet, cum omnia propter ipſum deſiderentur: & ideo peccatum quod a fine ultimo avertit, ſuper omnia diſplicere debet.*

(f) Idem ibid.

Tertia, ut ſit univerſalis; hoc eſt, ut dolor de offenſa divina, ad omnia quorum quis conſcientiam habet, mortalia ſe extendat: quocirca in eo falſa eſſet contritio, qui vel unius mortalis affectum retineret: *Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat*, inquit Innocentius II (g), *cum ſpretis pluribus, de uno ſolo pœnitentia agitur, aut cum ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio.* Quod probant hæc Scripturæ ſacræ verba ab eodem ſummo Pontifice laudata: *Quicumque autem totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus* (h), *ſcilicet quantum ad vitam æternam*, addit hic ſummus Pontifex.

(g) Innoc. II. in Can. *Fratres*. de pœnit. diſt. 5.

(h) Jacob. 2. 10.

Quarta, ut ſit ſupernaturalis: cum enim gratia habitualis per contritionem Sacramento adjunctam producatur, & gratia illa ſit ſupernaturalis; neceſſario ſequitur, contritionem eumdem cum ipſa obtinere ordinem. Quare falſa omnino eſſet ea contritio, quam pareret pudor, aut pœna quædam naturalis, aut aliud naturale motivum (i).

(i) Catechiſm. Conc. Trid. de pœnit. Sacram. n. 1.

Du-

Digitized by Google

Duplex eſt contritionis ſpecies: perfecta una, altera imperfecta.

Prior eſt, dolor de offenſa Dei, quem producit infinita ejus bonitas.

Poſterior, quæ attritio communiter appellatur, ex cognitione turpitudinis peccati, aut metu pœnarum gehennæ ſuam plerumque originem ducit: qui metus eſt donum Dei, ſi ſit a Spiritu ſancto; & ad juſtitiam peccatorem diſponit, modo peccandi voluntatem excludat, adjunctamque ſibi ſpem veniæ habeat.

Attritio ſufficiens eſt ad recipiendum cum fructu Pœnitentiæ ſacramentum, modo in ſe amorem caritatis, ſaltem inchoatum, includat: hoc eſt, modo peccator Deum diligere incipiat, tamquam omnis juſtitiæ fontem; uti poſtea probabimus. Hinc, ut ait S. Thomas (a), peccatorum ſuorum remiſſionem non obtinuit Antiochus, quod nullo in Deum amore flagrabat, a quo videlicet mero juſtitiæ ejus timore ſervili perculſus, aut ob nimia quæ invitus patiebatur mala, veniam petebat.

(a) S. Th. In 4. diſt. 20. q. 1. art. ad 2.

Contritionis actum elicere quis tenetur, 1. ubi primum mortalis peccati factus eſt conſcius. 2. Cum in præſenti mortis periculo verſatur. 3. Cum Sacramentum aliquod quis eſt aut adminiſtraturus aut ſuſcepturus, ſi ſe mortalis conſcium exiſtimet, nec adeſt copia confeſſarii.

Quando contritio eſt diſpoſitio abſolute neceſſaria ad recipiendum digne ſacramentum Pœnitentiæ, opportune ea legi poterunt, quæ diximus in titulo *Abſolutio*, & præſertim Declaratio Cleri Gallicani in Comitiis ejus generalibus ann. 1700. facta, cujus verba retulimus in titulo *Confeſſio*, *Caſ.* 3.

CASUS PRIMUS.

GRATIANUS, in peccatum mortale lapſus, per tres quatuorve menſes non ſolum non contritus eſt, ſed ne illud quidem actu contritionis deteſtatus eſt, licet de eo ſæpe cogitaverit. Contendit ipſius Confeſſarius, eum teneri ad accuſandam talem negligentiam tamquam grave peccatum omiſſionis, quod commiſit, quoties de eo cogitavit nullum eliciens contritionis actum. Numquid pro Confeſſario ſtat jus?

RESPONS.

Duæ ſunt ea de re opiniones: prima eſt S. Antonini (b), qui ſic aſſerit: *Quantum ad peccata mortalia, de quibus nondum quis habuit contritionem*, inquit hic Sanctus, *videtur quod ſemper teneatur quando peccatum menti occurrit, ad actu odiendum & deteſtandum peccatum; alias peccat mortaliter peccato omiſſionis, quouſque conteratur. Dicit enim Thomas, Petrus* (Paludanus), *Bonaventura & Durandus, quod poſt mortale peccatum, etſi non tenetur quis ad ſtatim confitendum, tenetur tamen ex neceſſitate ad ſtatim conterendum; nec enim per momentum licet ſtare in peccato. Unde Eccli. 21. dicitur*: Quaſi a facie colubri fuge peccatum. *Imminet enim tali maximum periculum: cum enim nulla neceſſitas excuſet a contritione, ſi moriatur ante contritionem, etiamſi non potuit conteri, quia ſubito moritur, nihilominus damnatur: quod non ſic eſt de confeſſione.* Illud etiam addi poteſt Scripturæ teſtimonium ei quod a S. Antonino affertur (c): *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: Subito enim veniet ira illius, & in tempore iracundiæ diſperdet te.* Ex his enim verbis recte infertur neceſſitas deteſtandi peccatum, ubi primum commiſſum eſt. Enimvero, ut ait S. Gregorius Magnus (d): *Qui pœnitenti veniam ſpopondit*, inquit hic Papa, *peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem numquam poſſumus prævidere. Ecce, hanc ipſam diem ad inducias converſionis accepimus; & tamen mala quæ fecimus, flere recuſamus. Non ſolum commiſſa non plangimus; ſed etiam quæ defleantur augemus.*

(b) S. Anton. 3. part. ſum. Theol. tit. 14. c. 18. §. 2.

(c) Eccli. 5. 8. & 9.

(d) S. Greg. Hom. 12. in Evangelia.

Eamdem jam opinionem defenderat Guillelmus Pariſienſis eaſdem quoque rationes afferens (e). Dicendum igitur ex hac opinione, Gratianum non modo teneri ad aperiendum in confeſſione peccatum a ſe commiſſum, ſed inſuper tempus ipſum, quo in peccato ſuo ſine pœnitentia permanſit, & ipſa etiam omiſſionis peccata quæ commiſit, omittens illud deteſtari, quando memoriæ occurrit.

(e) Guillelm. Pariſ. Tract. de Sacramen. Pœnit. c. 19.

Altera opinio quam ſequitur maxima pars Theologorum, aſſerit, quoſdam quidem eſſe caſus, in quibus urget præceptum contritionis de peccato mortali, ſub reatu novi peccati mortalis: V. g. 1. Cum quis in evidenti mortis periculo verſatur; quod poſt mortem, nulla jam adſit peccatori via ad pœnitentiam, gratiamque divinam promerendam: quocirca libens in propriam damnationem rueret peccator, niſi eo in caſu divinam imploraret miſericordiam, peccatum ſuum deteſtando. 2. Cum quis mortalis peccati conſcius, quodpiam aut ſuſcepturus aut confecturus eſt Sacramentum; non quidem vi præcepti contritionis, ſed vi illius quo Sancta ſancte ſunt habenda, juxta illud Scripturæ (f): *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* 3. Cum publica quis circumvenitur calamitate, ut peſte aut alia ſimili, qua Deum populum ſuum caſtigare velle conſtat: tum enim ex præcepto amoris & publicæ & propriæ ſalutis privatus quilibet per acerba pœnitentiæ opera divinam placare iram tenetur.

(f) Levit. XI. 45.

Idem tamen non eſt dicendum extra caſus illos, de iis omnibus qui in mortale lapſi ſunt: licet enim ad contritionem ac pœnitentiam recurrere teneantur ad obtinendam peccatorum ſuorum veniam, quam aliter promereri non poſſunt, ut ſtatuit Concilium Tridentinum, (g) & docet S. Thomas (h), & ea obligatio ſit etiam de jure naturali & divino, ex doctrina ejuſdem Angelici Doctoris, ceterorumque Theologorum: (i) certum eſt tamen, ex eorum principiis, qui hanc ultimam tuentur opinionem, quod, licet permagni interſit peccatoris, actum contritionis elicere, ubi peccatum admiſit, uti probant allata Scripturæ ſacræ, aliorumque teſtimonia; non tenetur tamen ſub pœna mortalis vi præcepti quod ad contritionem obligat, ejus actum elicere ſtatim poſt admiſſum peccatum. Ita doctus S. Thomæ interpres Sylvius (k), qui ſuam ſententiam cum S. Thoma, Bonaventura & Paludano conſentire oſtendit, alioſque multos pro ſe laudat inclytos auctores, ut Durandum, Melchiorem Canum, Angelum de Clavaſio, Medinam, Navarrum & Cajetanum. En verba hujuſce Theologi: *Reſponſio verior eſt, præceptum contritionis non obligare ad ſtatim: quamvis enim peccator teneatur ſtatim poſt peccatum conteri, ſub conditione ſi nimirum velit eſſe in via ſalutis; abſolute tamen non tenetur ex præcepto ſtatim conteri*: ejuſque rei has profert rationes: *Primo quia præceptum de contritione eſt affirmativum, ergo ſolum obligat pro loco & tempore, ſicut alia præcepta affirmativa.* Deinde ſuam probat ſententiam exemplo fidei & caritatis, quæ non ad ſtatim actus eliciendos obligat: indeque concludit, contritionem, quæ vera eſſe non poteſt niſi divinum includat amorem, non obligare ad ejus actum ſtatim ab admiſſo peccato, *quia*, inquit, *ſequeretur etiam, quod, quandocumque uno peccato commiſſo, committeret aliud, ſemper faceret duo peccata, unum omiſſionis pœnitentiæ, aliud alterius generis.* *Quæ*

(g) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. & 4.

(h) S. Th. 3. part. ſum. q. 84. art. 5. ad 2. & art. 7. ad 2.

(i) Guillel. Altiſſ. in 4. diſt. 16. §. 3. Fr. Sylvius in Suppl. S. Th. q. 4. art. 2. quæſito 2. Bellarm. lib. 2. de pœnit. c. 8. &c.

(k) Sylvius in ſuppl. S. Th. q. 4. art. 2. quæſito 1. & apud eum S. Th. S. Bonav. Palud. in 4. diſt. 17. q. 1. Durandus ibid. q. 10. Angelus. V. Contritio. Joan. Medina de Pœnit. q. 6. Melchior Canus part. 4. relectionis de Pœnit. Navar. Man. c. 1. v. 27. & an. Cajetanus &c.

Quæ .... non ſolent a Confeſſariis, etiam doctis & piis rogari, nec a pœnitentibus dici.

Talis eſt Sylvii aſſertio, qui procul dubio hac in re a S. Thoma non diſſentit; expreſſe namque docet Angelicus Doctor (*a*), quod, licet ex impœnitentia peccatoris gravius fiat ejus peccatum, non novum tamen per eam admittit delictum. *Contra hoc ponitur impœnitentia, non quidem eo modo, quo dicit permanentiam in peccato uſque ad mortem, ſicut ſupra impœnitentia accipiebatur; ſic enim non eſſet ſpeciale peccatum, ſed quædam circumſtantia: ſed accipitur heic impœnitentia ſecundum quod importat propoſitum non peccandi.* Aſſerit quidem S. Thomas alibi, inſtare præceptum de contritione (*b*), *quando peccata memoriæ occurrunt:* ſed ſtatim ſubdit, id intelligendum eſſe, *cum præcipue in periculo mortis exſiſtit, aut in aliquo articulo, in quo ſine peccati remiſſione peccatum oporteat eum incurrere; ſicut, cum tenetur ad celebrandum, ſi deſit copia Sacerdotis, ſaltem conteri tenetur.* Quibus in caſibus de neceſſitate contritionis conſentiunt omnes Theologi; ſed inde concludi nequit eam generaliter ſub peccato obligare, ubi aliquod commiſſum fuit. *Homo*, inquit Adrianus VI. (*c*), *poſt lapſum in mortalem culpam non tenetur conteri ad ſtatim; ita videlicet quod manens in peccato, ex hoc ſentiatur de novo mortaliter excedere, donec conteratur.*

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 14. art. 2. in corp.

(*b*) Idem in diſt. 17. q. 3. art. 1. quæſt. 4. in corp.

(*c*) Adrian. VI q. 5. de conf.

Hæc itaque ſecunda opinio probabilior nobis videtur & in praxi admittenda; ne animabus inutiles & incerti injiciantur ſcrupuli: unde Gratiani Confeſſarius de quo in caſu propoſito, ipſi non debet ea de re moleſtiam afferre *.

* Crederem equidem ſtatim poſt peccatum peccatorem non teneri ad actum contritionis, ſi vox, *ſtatim*, ſtricte ſumatur. Fateor etiam & libenter, peccatorem qui actum contritionis non elicit ſtatim atque admiſſum ſcelus in memoriam redit, non peccare novo peccato mortali; ſed eum peccare novo peccato omiſſionis, ſaltem veniali, negare non auderem. Nam ſi, ut ait VUITASSIUS, Tom. I. Tract. de *Pœnit. Sacram.* quæſt. 3. Aſſert. 3. *peccat graviter qui poſt admiſſa flagitia contritionem in multum tempus ſponte, aut negligenter differt*, (quæ propoſitio a nemine fortaſſe negabitur, & quam cit. Doctor cum Patre JUENINO, & aliis pluribus non contemnendo ex Scripturis, Patribus & ratione deductarum probationum robore firmat) *peccare etiam videtur quem ſceleris admiſſi non pœnitet ſtatim atque* in memoriam redit, ut aſſerit VUITASSIUS, Aſſert. 4. ibidem; *quia illud eſt ſuperioris aſſertionis conſectarium. Si enim graviter delinquit*, & quidem delicto gravi novo & diſtincto (nam aſſertionem ſuam in eo ſenſu proponit probatque VUITASSIUS) *qui per multum tempus differt converſionem ſuam ad Deum, non poteſt etiam aliquod peccatum*, ſaltem veniale, *non admittere, qui*, in memoriam redeunte peccato, nihilominus *per aliquod tempus eam procraſtinat*. Hoc ſaltem probare videntur innumeri Scripturæ textus, ratio, & præſertim S. THOMAS, qui in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. ſic loquitur. *Reſpondeo dicendum quod cum propoſitum confitendi ſit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propoſitum*, quando ad contritionem tenetur, ſcilicet quando peccata memoriæ occurrunt: & 2. 2. quæſt. 62. art. 8. in corpore dicit, *manifeſtum eſt, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere*. Alium, ut puto, non habeo ſenſum quæ dicit in ſuo ad Caſum primum Reſponſione PONTASIUS.

CASUS II.

Gellius, in ſtatu mortalis peccati exſiſtens, periculoſum incidit in morbum in loco, ubi copiam non habet Confeſſoris: Tenetur ne ſub reatu novi mortalis actum contritionis elicere?

RESPONS.

Conſtat evidenter ex auctoritate S. Thomæ ſuperius allata, quemlibet hominem de vita periclitantem & mortalis peccati conſcium teneri ſub pœna mortalis, ſe ipſum vehementer ad perfectam excitare contritionem, non ſolum propriæ ſalutis cauſſa, ſed ea etiam obligatione, quæ peccatori cuilibet incumbit factam Deo per peccatum mortale injuriam, quantum poteſt, per pœnitentiam compenſandi; aliter enim impœnitentiæ criminis reus evaderet; quod quidem delictum ab aliis ſpecie differt, & ceteris omnibus eſt maxime exitioſum. *Si prætermittat* (Contritionem) *cum poſſit, eſt ſpeciale peccatum impœnitentiæ*, inquit Sylvius (*d*), *quia talis omiſſio eſt ut minimum indirecte voluntaria, & includit propoſitum virtuale non pœnitendi: tunc ergo is qui peccati mortalis ſibi conſcius eſt, concipere debet contritionem, vel caritate formatam, ut, ſi non ſit copia Sacramenti ſuſcipiendi; vel imperfectam, quæ cum Sacramento ipſi adminiſtrando ſufficiat.*

(*d*) Fr. Sylvius in ſuppl. S. Thom. q. 4. art. 2. quæſito 3.

CASUS III.

Hilario, multa confeſſus mortalia, de iis tantum imperfectam contritionem, ſeu, ut vulgo loquuntur, attritionem habuit, quæ ex ſola turpitudine peccati pœnæque æternæ metu oriebatur, quæ tamen veniæ ſpem comitem habebat. An ſpecies illa contritionis ſufficiens fuit, ut cum Sacramento peccatorum ſuorum remiſſionem obtineret, licet amorem, ſaltem inchoatum, caritatis non habuerit?

RESPONS.

Concilium Tridentinum de contritione generatim ſic locutum (*e*): *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus, hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.* Addit poſtea: *Illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verum etiam Dei donum eſſe & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat: & quamvis ſine ſacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.*

(*e*) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. de Sacram. pœnit.

Ex his verbis conſtat, illud a ſancto Concilio nihil aliud heic definiri, niſi attritionem (*f*) eſſe donum Dei, nec eam facere hominem hypocritam & magis peccatorem. Addit quidem, per eam hominem diſponi ad Dei gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam: ſed nedum declaret idem Concilium eam eſſe in peccatore ſufficientem diſpoſitionem ad ipſius juſtificationem; declarat contra, in peccatore qui ſe ad gratiam juſtificationis diſponit, præter fidem, timorem & ſpem, ineſſe debere amorem Dei inchoatum, tamquam omnis juſtitiæ fontis & originis. At illo amoris divini initio, initium caritati, exigi videtur a Concilio in peccatore; quandoquidem relata ſpe inter diſpoſitiones ad juſtificationem neceſſarias, exigit etiam, ut Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere peccator incipiat (*g*). *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes, vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus; per redemtionem, quæ eſt a Chriſto Jeſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore quo utiliter concutiuntur ad conſiderandam Dei miſericordiam, ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; illumque, tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem.* Idcirco Facultas Theologica Pariſienſis, erroneas damnans propoſitiones, e codicibus depromtas, quos ejuſdem Facultatis Doctor, Profeſſor Theologiæ Facultatis Rhemenſis in ſuo Tractatu de Pœnitentia auditori-

(*f*) Exeunte tantum decimo ſecundo ſæculo, & ineunte decimo tertio Alexander Halenſis, Guillelmus Pariſienſis, Albertus magnus, & ſanctus Bonaventura attritionis nomine contritionem imperfectam appellarunt. D. Du Pin.

(*g*) Seſſ. 6. c. 6. de juſtificat.

Digitized by Google

ditoribus ſuis ſcholaribus dictaverat; ita declaravit: 1. Quod quamvis ex Tridentina Synodo (Seſſione 14. Cap. IV. de Sacramento Pœnitentiæ) gehennæ metus, etiam ſupernaturalis, ſit bonus & utilis, affectum tamen peccati non excludit, nec in adultis ſufficit ad obtinendam in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ juſtificationem: ſed quod præter illum timorem & actus fidei & ſpei, requiritur etiam amor Dei, quo ipſum tamquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiamus, ut docet idem Concilium (*Seſſ. 6. de Juſtificatione Cap. VI.*) 2. Quod neceſſe eſt, ut amor ille in Deum feratur, conſideratum, non modo ut in ſe bonum, ſed etiam tamquam ſummum noſtrum bonum; cum hæc duo motiva complectatur caritas, tertia virtus theologica, uti docent Scriptura, ſanctique Patres. 3. Quod amor Dei ſuper omnia, qui ſit ſaltem actus caritatis inchoatus, in adultis eſt neceſſarius ad obtinendam peccatorum remiſſionem in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ. 4. Denique, quod ſolo caritatis amore voluntas ad Deum convertitur & a creatura avertitur.

Concludimus itaque tam orthodoxæ atque apertæ inſiſtendo doctrinæ, Hilarionem, qui contritionem dumtaxat habuit ex turpitudinis peccati conſideratione pœnarumque ac gehennæ metu conceptam, peccatorum ſuorum in ſacramento Pœnitentiæ, quod ſic diſpoſitus ſuſcepit, non obtinuiſſe, licet eorum veniam obtinendi ſpem habuerit; cum hæc ſpecies contritionis non ſufficiat, utpote amore divino deſtituta, qui ad juſtificationem peccatoris requiritur.

C A S U S IV.

Salomon octo decemve peccata mortalia confeſſus eſt, ac de iis, quam perfecte potuit, contritus eſt; ſed de propoſito non peccandi de cetero ne quidem cogitavit. Numquid ei remittuntur peccata, licet nullum boni illius propoſiti actum elicuerit?

R e s p o n s.

Certum quidem eſt, ad veram contritionem neceſſario requiri firmum non peccandi de cetero propoſitum, juxta iſtam quam affert Concilium Tridentinum, contritionis definitionem (*a*): *Contritio .... animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero.* Sed ad eſſentiam contritionis non requiritur, ut propoſitum illud ſit expreſſum & explicitum. *Non eſt de eſſentia contritionis*, inquit Sylvius (*b*), *ut propoſitum non peccandi de cetero ſit formale & expreſſum: ac proinde poteſt eſſe vera, immo & perfecta contritio, quamvis illud propoſitum ſolum ſit implicitum. Tota quippe definitio contritionis reperitur in eo, qui peccatum ex animo deteſtatur, doletque ſe illud admiſiſſe, virtualiter proponens non amplius peccare.* Quod probat hic Theologus exemplis e Scriptura depromtis: *Hoc fecit*, ſubjungit, *quod David 2. Reg. 12. ubi dixit*: Peccavi Domino, *& in Pſalmo 50. ubi pœnitentiam egit, non legitur formaſſe expreſſum propoſitum de non peccando ulterius, uti nec Filius prodigus ad Patrem redire cupiens, Lucæ 15. nec Publicanus, Luc. 18. nec latro, Lucæ 23.* Satis eſt igitur, ut propoſitum illud ſit implicitum & virtuale, quale profecto reperitur in eo, qui peccata ſua ex animo deteſtatur, cum ea ſincere deteſtari nequeat, ſine propoſito ea non amplius admittendi; alioquin non ex animo ea deteſtaretur, ſed affectum ad illa etiam retineret: Ex quo concludendum, Salomonem, ex motivo caritatis, quantum potuit contritum, non minus veniam peccatorum obtinuiſſe, quam ſi expreſſum ac formale habuiſſet propoſitum non amplius peccandi; *Quia .... in deteſtatione, veniæque a Deo petitione ſufficienter includitur propoſitum non peccandi de cetero*; ut loquitur idem noſter Theologus (*c*).

(*a*) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 4.

(*b*) Fr. Sylvius in ſuppl. S. Thom. q. 1. art. 1. quæſito 1. concluſ. 2.

(*c*) Idem Sylvius ibid. concluſ. 3. & apud eum Navarr. Man. c. 1. n. 6.

C A S U S V.

Philologus, declaratis in confeſſione ſeptem octove blaſphemiis, vigintique aliis & etiam pluribus peccatis mortalibus ſpecie diverſis, poſt acceptam abſolutionem, meminit, ſe generalem tantum de illis peccatis habuiſſe contritionem, nullatenus diverſas illas peccatorum ſpecies ſigillatim deteſtando. Numquid de iis, eo non obſtante, remiſſionem obtinuit?

Ratio dubitandi eſt, quia S. Thomas (*d*) docet, *quod in tempore præcedente juſtificationem, oportet, quod homo ſingula peccata quæ commiſit, deteſtetur.*

R e s p o n s.

Certum eſt, ex unico generalis contritionis actu de omnibus peccatis in confeſſione declaratis, eorum obtineri veniam in ſacramento Pœnitentiæ; quocirca ſuorum Philologus in confeſſione remiſſionem impetravit; quod quidem manifeſte patet ex his S. Bonaventuræ verbis (*e*): (Contritio) *prout eſt deletiva culpæ, ſic operatur in juſtificatione impii, in inſtanti; & ſic actu non poteſt habere ordinem reſpectu ſpecialium peccatorum.* Idem tenet Navarrus (*f*) cum aliis multis tum Theologis, tum Canoniſtis, quorum nonnullos appellat. En verba illius de præſenti difficultate: *Licet aliqui ſentire videri poſſint .... de ſingulis peccatis mortalibus ſingulas pœnitudines eſſe habendas; contrarium tamen eſt tenendum cum Joanne Major .... & Cardinale ſancti Sixti eruditiſſimo .... (g) ſcilicet ſufficere, quod peccatorum pœnitudo adeo ſit extenſa, ut ſaltem virtualiter protendatur ad univerſa mortifera, tam ea quæ meminit, quam ea quæ non meminit: non enim neceſſe eſt, ut pœnitens recogitans, confitenſve ſua peccata, de unoquoque mortifero ſpecialem & ſingularem ejus pœnitudinem concipiat; ſed ſatis eſt, ut concipiat generalem ejuſmodi pœnitudinem, quæ virtute ſe extendat ad omnia mortifera.*

(*d*) 2. Th. 3. part. Sum. q. 72. art. 5 in corp. & 1 2. q. 113. art. 5. ad 3.

(*e*) S. Bonav. in 4. diſt. 16. 1. part. art. 4. q. 1.

(*f*) Navar. Man. c. 1. n. 25.

(*g*) Joan. Major. in 4. diſt. 17. q. 2. Card. S. Sixti, Opuſculorum tom. opuſc. 4. q 1. & in 2. Th. q. 87. art. 1.

Canonum ille Interpres ſuam hac ratione ſententiam probat: *Nam ſi de ſingulis peccatis ſingulæ pœnitudines concipiendæ eſſent*, ſic loquitur hic Auctor, *contingerent caſus, in quibus adhuc vivens privaretur potentia conſequendi ſalutem æternam contra expreſſa Canonum teſtimonia* (*h*) .... & *contra prædictum Ezechielis locum* (*i*) .... *Nam qui mille peccata lethalia commiſiſſet, & ſolum quartam partem horæ victurus ægrotaret, aut ad ſuſpendium duceretur, non poſſet vivens concipere de illis mille pœnitudines ad id neceſſarias.*

(*h*) Can 3. de pœnit. diſt. 7. & Can. Pondere. diſt. 50.

(*i*) Ezech. c. 33.

Fatendum tamen, quod, ut Deo acceptior & utilior ſit contritio pœnitentis, peccata ſua ſpeciatim, quantum poteſt, flere debet; atque eo ſenſu intelligi poſſunt verba S. Thomæ in caſu propoſito relata: licet vera eorum ſignificatio, accipiendo *ſingula*, pro *omnia*, ſit peccatorem numquam ex contritione ſua juſtificari poſſe, ſi quem retineat affectum ad aliquod particulare peccatum, nec omnia quorum reus eſt, deteſtetur peccata.

C A S U S VI.

Satyrus, S. Aviæ Parochus, audita Euſebii confeſſione qui plurima declaravit mortalia peccata, ab eo petiit, utrum ſuprema eſſet ipſius contritio, hoc eſt, utrum eo pungeretur dolore, qui parem non haberet; is vero reſpondit, ſe talem nullo pacto experiri dolorem. Num hominem hunc tali modo diſpoſitum abſolvere debuit hic Parochus?

R e s p o n s.

Ad veram contritionem requiritur 1. ut ſit interior, hoc eſt, ut ex animo procedat. 2. Ut ſit univerſalis, ſcilicet, ut ad omnia mortalia quæ fuere commiſſa, ſe extendat. 3. Ut ſit ſupernaturalis, id eſt, Spiritus ſancti impulſu excitata. 4. Denique ut ſit ſuprema, hoc eſt, ſecundum explicationem S. Thomæ (*K*) ut eum includat dolorem, qui alios omnes ſuperet. *Dolor in contritione excedit omnes alios dolores, quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus diſplicet. Finis autem ultimus ſuper omnia placet; cum omnia propter ipſum deſiderentur; & ideo peccatum quod a fine ultimo avertit, ſuper omnia diſplicere debet.* Quocirca neceſſe eſt, ut qui veram habet contritionem paratus ſit ad omnia potius toleranda mala, aut omittenda bona, quam ſi Deum mortaliter offenderet.

(*k*) S. Th. ſuppl. q. 3. art. 1. in corp.

Neque tamen neceſſe eſt ad veram contritionem, ut vividior & auctior ſit illius ſenſus, quam omnium aliorum quæ quis pati poſſet, malorum. Duplex enim in Contritione diſtinguendus eſt dolor; ſcilicet, dolor interior, hoc eſt, diſplicentia animi ob offenſum Dei: alter eſt exterior, videlicet, motus ſenſibilis, qui ex hac diſplicentia oritur in parte inferiori animi. Si igitur Euſebius in ſua reſpon-

Digitized by Google

reſponſione loquatur de illo exteriori & ſenſibili dolore, & nihilominus Deum offendiſſe vere doleat, ipſum abſolvere debet Confeſſarius, quia abſque tali motu vera poteſt eſſe contritio, qui non eſt in poteſtate noſtra, nec conſequitur neceſſario ad amorem rei alicujus, ſed qui oritur ex affectu ſenſibili, quem producit experimentalis cognitio bonitatis illius rei; unde cum omnes caritatis divinæ dulcedinem non fuerint experti, omnes etiam pari doloris ſentu non afficiuntur propter offenſam Dei: quare licet optandus ſit ille dolor, non ſequitur tamen ad veram contritionem, ut ſit major ac vividior, quam dolor de quocumque alio malo perceptus. Ita ſanctus Bonaventura his verbis (a): *Cum quæritur de quantitate doloris*, inquit, *dolor poteſt dici diſplicentia rationis, vel paſſio ex hac reſultans in ſenſualitate. Si hoc ſecundo modo accipiatur, dico, quod non eſt neceſſe, magis dolere de peccato, quam de re temporali; nec etiam neceſſe eſt dolere, quia non eſt in poteſtate cujuslibet: talis enim dolor non conſequitur amorem, ſed conſequitur ipſam affectionem, & affectio experimentalem cognitionem: & quia non omnes habent experientiam divinæ dilectionis; ita non omnes ita ſenſibiliter dolent de peccatis: tamen quod magis etiam ſenſibiliter doleat aliquis de peccato, quam de aliquo damno, hoc eſt, perfectionis, & congruum, non neceſſarium.*

(a) S. Bonav. in 4. diſt. 17. art. 2. q. 1.

Sed ſi Euſebii reſponſum verum eſſet in primo ſenſu, ſecundum quem a S. Bonaventura Contritio dicitur *diſplicentia rationis*; hoc eſt, dolor interior de offenſa Dei: certum eſt, quod ſi talem is non habeat interiorem dolorem, abſolutionem ei Satyrus denegare debet, tamquam inſufficienter diſpoſito ad obtinendam peccatorum ſuorum remiſſionem ob defectum ſupremi doloris, uti hic eſt intelligendus (b).

(b) Colloq. Luco. tom. 6. Colloq. 5. q. 2. De Genet. Theol. moral. tom IV. tit. 6. Cap. 5. dem. 5.

CASUS VII.

Julitta, quædam peccata tantum venialia in confeſſione declaravit ſine contritionis dolore, nec emendationis propoſito. Num eorum venialium remiſſionem Sacramenti Pœnitentiæ virtute obtinuit?

Respons.

Certum eſt, Julittam peccatorum ſuorum veniam Sacramenti Pœnitentiæ virtute non impetraſſe, ſi nullam de iis implicitam explicitamve contritionem habuerit, & eam e contra ſacrilegium ob pravum Sacramenti uſum perpetraſſe. Ratio eſt, quia, nullum peccatum, quodcumque illud ſit, in Sacramento Pœnitentiæ ſine contritione remitti poteſt. *Peccatum veniale*, inquit S. Thomas (c) *non dimittitur, ... quamdiu voluntas manet in illo; ipſam autem recedere voluntatem ab eo quod quis prius volebat, eſt diſplicere ei quod voluit: talis autem diſplicentia, dolor contritionis dicitur, quando eſt gratia informata; & ideo peccatum veniale ſine contritione non dimittitur.* Et Angelicus Doctor explicato triplici ſenſu, ſecundum quem accipi poteſt verbum *Contritio*, ſubjungit: *Et ideo dicendum, quod requiritur Contritio medio modo, qua ſcilicet, etſi actu peccatum non diſpliceat explicite, diſplicet tamen implicite; quia ex virtute actus quem agit, ſequeretur diſplicentia explicita peccati venialis, ſi cogitatio in illud ferretur.*

(c) S. Th. in 4. diſt 16. q. 2 art. 2. quæſt. 1. in corp. & 3. part. ſum. q. 87. art. 2. in corp.

CASUS VIII.

Martina quæ venialia tantum in confeſſione aperuit, de iis quidem contrita eſt; ſed nullum deinceps veniale peccatum admittere non propoſuit; Numquid ſufficiens fuit ejus contritio?

Respons.

Martinæ contritio ſufficiens fuit, ſi venialia quæ ſpeciatim confeſſa eſt, in poſterum evitare pro viribus propoſuerit; licet ad omnia generatim venialia non extendatur ejus propoſitum. Ratio eſt, quia a ſe invicem differunt contritio de mortalibus, & contritio de venialibus: nam contritio de mortalibus omnia vitandi propoſitum complecti debet, quia eſt in poteſtate noſtra, opitulante divina gratia, ut omnia vitentur; ac ſine tali propoſito accipi non poſſet juſtificationis gratia; cujus infuſioni obeſt pro certo vel unum mortale. Unde contritionem ſic definit Concilium Tridentinum (d): Contritio *animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Declaratque ſancta Synodus hanc contritionem non ſolam ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere*. Quod confirmari poteſt ex his Chriſti ad mulierem adulteram verbis (e): *Vade, & jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

(d) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.

(e) Joan. 8. 11.

Sed non idem dicendum de venialibus: ſufficit enim dolor de commiſſis conjunctus cum propoſito ea deinceps non admittendi, quin adſit propoſitum, nullum veniale prorſus committendi in futurum, cum omnia ſimul vitari nequeant. Ita ſanctus Thomas (f): *Peccata mortalia ſunt in poteſtate noſtra*, inquit, *ut vitentur; non ſolum ſingula, ſed etiam omnia. Venialia autem, etſi ſingula vitare poſſint, non tamen omnia; quod ex infirmitate naturæ contingit: & ideo in contritione de venialibus non exigitur propoſitum non peccandi venialiter, ſicut in contritione de mortali exigebatur: ſed quod diſpliceat ei & peccatum præteritum, & infirmitas qua ad peccatum veniale inclinatur, quamvis ab eo omnino immunis eſſe non poſſit.*

(f) S. Th. in 4. diſt. 16. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2.

Vide { Absolutio, *Caſib.* 6. & 7. Confessio, *Caſib.* 1. 2. 3. 5. 7. 20. 42. 50. & 51. }

CONVICTUS *ſeu* BURSÆ COLLEGII.

CONVICTUS beneficiarii, ſeu Burſæ Collegii dicuntur, nudi quidam reditus a privatis attributi ad ſuſtendandos pauperes quoſdam ſcholaſticos alicujus provinciæ per determinatum annorum numerum: quare convictor de aſſignata ſibi annua penſione, ſeu Burſa ſtatuere nequit ad arbitrium in alterius ſcholaſtici favorem, uti ex Edicto Bleſenſi conſtitutum eſt his verbis (g): *Dicti Superiores, Seniores, Principales & convictores, prædictos ſtatus ſuos & officia reſignare non poterunt, ſive intra tempus præſcriptum ex ſtatutis & fundationibus ad ea tenenda, ſeu poſt illud tempus elapſum; ſed de iis perſonas idoneas & requiſitæ capacitatis providebunt Patroni & Collatores .... quo tempore elapſo dictas Burſas declaravimus, & declaramus vacantes & impetrabiles, quin eas poſſint reſignare.* Quod confirmatum eſt ex Arreſto Senatus Pariſienſis 20. Septembris an. 1577. lato, quod in ſecundo Actorum Gallicani Cleri tomo refertur (h).

(g) Edictum Bleſenſe art. 78.

(h) Acta Cleri Gallicani tom. 2 part. 2. c. 20. pag. 165. n. 7.

Dicimus, *ad ſuſtentandos pauperes ſcholaſticos*, uti ex eodem Arreſto expreſſe

(a) Ibid. pag. 162. n. 3. preſſe conſtituitur (a): ad excludendos eos omnes, qui aliunde ſeu ex proprio Patrimonio, ſeu ex Beneficiis ſe ſuſtentare poſſunt.

Juriſdictio quoad Burſas ad Univerſitatis Cancellarium pertinet, uti dijudicavit Senatus Pariſienſis ex Arreſto 20. Januarii an. 1632. lato, quod refert Bardet (b).

(b) Bardet, tom. 2. l. 1. c. 3.

CASUS PRIMUS.

Ferdinandus vacantem in Collegio Univerſitatis Burdigalenſis Burſam ſe daturum, aut ſaltem procuraturum ea conditione Jacobo pauperi ſcholaſtico requirenti promiſit, ſi viginti dupliones ſibi polliceretur; cui ob pecuniæ defectum promittere renuenti retulit Ferdinandus, ſe nihil, niſi antiquo Collegii uſui conforme exigere, quo non alia ratione admiſſi fuerant omnes convictores; attamen ſe Burſam hanc daturum: quo facto Jacobus, ea qua poſſet, aut etiam vellet, ratione, erga ſuum ſe gereret Benefactorem. Burſam hanc re ipſa obtinuit Jacobus; inventamque viginti duplionum ſummam Ferdinando contulit. Quæritur, utrum Ferdinando legitime ſit acquiſita ſumma illa duplionum; an vero eam Jacobo reſtituere teneatur; licet Burſa illa non ſit Beneficium, aut res ſpiritualis.

Respons.

Turpe eſt & iniquum pecuniam pro collatione Burſarum Collegii exigere; & ne ullum quidem donum accipi poteſt, cum eo quem caſus exponit, modo fuit quæſitum. Ratio eſt 1. quia Burſæ illæ, ſcholaſticis egenis conferendæ gratuito, a fundatoribus fuere conſtitutæ: quare ut injuſtum foret & non ferendum, pecunia aut muneribus pauperes ad xenodochium admitti erectum ad ſubveniendum egenis; nihil quoque poteſt exigi ad collationem Burſarum, quæ in collegiis pro pauperibus ſcholaſticis fuere conſtitutæ. 2. Quia hujuſmodi Burſæ ejuſdem ſunt rationis, atque ea quæ *res religioſæ* jure dicuntur. Legibus autem cautum eſt, ne res illæ commercio ſubjiciantur; *Sacram vel religioſam rem*, inquit Lex, (c) *vel uſibus publicis relictam, ut forum, aut baſilicam, aut hominem liberum inutiliter ſtipulor .... nam & cum quis rem profanam .... dare promiſit, liberatur, ſi ſine facto ejus res ſacra eſſe cœperit*. Certum eſt igitur, quod cum bona a fundatoribus illarum Burſarum Deo in perſona pauperum fuerint dicata, de iis jam commercium exerceri nequit. Ex quo ſequitur, teneri ſub peccati conſcientia Ferdinandum ad reſtitutionem viginti duplionum, quos exegit a Jacobo, cum is paupertate laboret.

(c) Leg. Inter. 83. §. 5. ff. de verborum obligat. L. 45. tit. 1.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex ſententia Facultatis Theologicæ Pariſienſis, quæ, ut refert unus ex ipſius Doctoribus, (d) olim declaravit, commercium illud turpe eſſe & illicitum, quæque ad palinodiam coegit Baccalaureum quemdam, qui publicis Theſibus temere propugnarat, licitum eſſe, Burſam emere aut vendere. 2. Ex Edicto Bleſenſi, (e) quo Rectoribus Collegiorum prohibetur, indicta Rectoratus ſui privationis pœna, ne pecuniam ab iis accipiant, quos uti Profeſſores admittunt: *Non poterunt prædicti Rectores .... pecuniam accipere a Profeſſoribus, ad Claſſes ipſis committendas*, inquit Henricus III. Galliæ Rex; *ipſis e contrario injungimus, ut dictos Profeſſores de prædictis Claſſibus gratuito provideant, ...ſub pœna privationis muneris ſui, privilegiorumque Univerſitatis*. 3. Ex celebri Arreſto Senatus Pariſienſis 20. Septemb. an. 1577. quod referunt Acta Cleri Gallicani, (f) & quo, iiſdem pœnis indictis, idem quoque vetatur. Qua ratione igitur, his ita poſitis, ſordida hominis avarities, qui bona pauperibus ſcholaſticis ſuſtentandis deſtinata mercatur; cum id prohibeat Lex Principis ſub acerbitate pœnarum; pro moderatorum Officiis, quæ non ejuſdem tamen ſunt rationis?

(d) De Ste. Beuve tom. 3. caſ. 90.

(e) Edictum Bleſ. art. 73.

(f) Acta Cleri tom. 2. part. cap. 60. art. 19.

CASUS II.

Candidus, humanioribus litteris in Collegio Univerſitatis Rhemenſis dans operam, favore Burſam licet non pauper obtinuit. Peccavit ne, eam accipiens; & numquid eam per aliquot annos retinere poteſt?

Respons.

Certiſſimum eſt, cum Collegiorum Burſæ ad ſuſtentandos pauperes ſcholaſticos fuerint erectæ, de iis quemquam niſi egenum provideri poſſe abſque injuſtitia. Candidus ergo peccavit, accipiens Burſam de qua agitur, eamque tuta conſcientia retinere non poteſt; ſed e contra eam non modo repudiare, ſed etiam quæ percepit, reſtituere tenetur in favorem pauperis cujuſdam ſcholaſtici, qui iis, quæ ex fundationis titulo, conditionibus ſit præditus. Patet hujuſce deciſionis ratio; Collegiorum nimirum reditus ſeu Burſæ eo fine fuere attributi, ut ſcholaſticorum quibus deeſt cenſus ad emetiendum ſtudiorum curſum, egeſtati eſſent ſubſidio.

Hæc deciſio fit etiam evidentior exemplo hominis, qui cum divitiis afflueret, parcimoniæ cauſſa puerorum ſuorum, propriave ſuſtentatione obrueret: nam ut manifeſtam homo ille committit injuſtitiam, collata xenodochio bona ad pauperum nutritionem, in proprios uſus convertendo, ad quorum proinde reſtitutionem obligatur. Non minor eſt procul dubio Candidi injuſtitia, nec minus ad reſtitutionem eorum quæ ex Burſa ſua accepit, tenetur in favorem pauperis ſcholaſtici (g).

(g) De Ste. Beuve, tom. 3. caſ. 90.

CASUS III.

Duodecim ſunt in Collegio ſancti Paulli Burſæ conſtitutæ pro pauperibus ſcholaſticis, e Picardia oriundis: Antonius, Collatoris earum vicem ſupplens, unam ex iis villici ſui filio in Campania nato contulit. Nonne valida eſt ejus collatio?

Respons.

Conſtat collationem illam eſſe invalidam. Ratio eſt, quia fundatorum intentioni contraria eſt hujuſmodi collatio, qui pauperibus e Picardia, non vero e Campania oriundis ſcholaſticis bona ſua tamquam eleemoſynam deſtinarunt. Quocirca de tali collatione idem ferri debet judicium, uti de diſtributione ſummæ, pauperibus advenis aut incognitis facta, quem teſtator ſolis parœciæ ſuæ egenis legaſſet: nam, ut viri illius parentes, aut ipſius teſtamenti curatores tuta conſcientia, & abſque injuſtitiæ reatu, legatam illam pecuniam aliis peregrinis pauperibus erogare non poſſent; pariter in caſu propoſito, qui Burſarum illarum fundatoris vices ſupplet, de iis in alterius favorem, quam pauperis Picardi ſtatuere nequit; quia religioſe tenenda eſt defunctorum voluntas, & conſicienda, tamquam res, quæ ſacra & intemerata dici poteſt.

Deciſionem iſtam clare confirmat Senatus Pariſienſis Arreſtum an. 1577. quo fertur; ut nulla conferatur Burſa, niſi conformiter ad ſtatuta aut fundationes. Arreſtum illud referunt Acta Cleri (h).

(h) Acta Cleri tom. 2. part. 1. pag. 161.

CASUS IV.

Nearchus, qui ad Burſam ſexcentarum librarum annui cenſus, in uno Pariſienſi Collegio a majoribus ſuis conſtitutam nominat, eam Balduino recuſavit, a quo multoties fuit requiſita, quique omnibus ex fundatione requiſitis dotibus ad eam poſſidendam eſt præditus: neque ad eam a duodecim annis ob ſordidum, ut ajunt, lucrum, vult nominare Nearchus. Quod cum ita eſſet, Balduino perſuaſum eſt, ut in Curia Romana de ea a Papa ſe provideri curaret: quod exſecutioni mandavit. Quo cognito Nearchus Martialem ad Burſam nominavit, qui locum ejus aliquot ante dies adivit, quam proviſiones ſuas Balduinus reciperet. Balduinus coram Judice Martiali diem dixit, ut ſe ceſſionis hujuſce Burſæ damnandum in judicio audiret, quippe qui multo poſt adſcriptam Balduini proviſionibus diem, ad eam nominatus fuerit.

Num-

Numquid Martialem jure perſequitur Balduinus, ut Burſam ab eo evincat?

R E S P O N S.

Nullum Balduino in Burſam de qua agitur, jus competit, atque adeo illatam Martiali litem perſequi non poteſt. Hujus quidem rei manifeſta eſt ratio: quod enim Collegii Burſa dicitur, nihil aliud eſt, quam nudæ fundationes, ſeu reditus a perſonis pietate conſpicuis attributi ad nutriendum atque ſuſtentandum gratuito numerum quemdam pauperum ſcholaſticorum per aliquot annos in ſtudiis: quæ fundationes cum nec ab Epiſcopo decretæ, nec in titulum beneficiorum eccleſiaſticorum erectæ fuerint, proviſionem earum in Romana Curia requirere non potuit Balduinus, cum jus eas conferendi Papæ non competat; & Burſæ illæ, tamquam piæ legata, quoad petitorium & poſſeſſorium Regiæ ſubjaceant juriſdictioni. Quare conſtitutio Ludovici XII. qua mandatur execution judiciorum vindiciarum, ſeu recredentiæ in re beneficiaria, non obſtante appellatione, nullatenus ad Burſas aut Collegiorum Rectoratus pertinet. Ita judicatum fuiſſe refert Rebuffus (*a*) in ſuo commentario in Conſtitutiones, ex duobus Arreſtis Senatus Pariſienſis 5. Julii an. 1521. & 30. ejuſdem menſis an. 1527. pro convictoribus Collegiorum Navarræi & Bajocenſis, Univerſitatis Pariſienſis. En propria verba illius Juriſperiti, qui locutus de ſententiis recredentiæ quæ feruntur in re beneficiaria, hanc addit exceptionem: *Fallit in locis Collegialibus, ſeu Burſis Collegiorum. Arreſto ita cenſuit Senatus an. 1521. die 5. Julii pro Burſa Collegii Bajocenſis, & pro Joanne Mariot ſcholaſtico. Fuit etiam litigatum, & cauſſa in conſilio poſita pro Burſa Collegii Navarræ an. 1527. die penultima Julii, ubi recredentia data ſuper loco collegiali non mandatur executioni non obſtante appellatione*. Arreſtum aliud a D. Brillon (*b*) poſt Pinſſon (*c*) refertur, latum 21. Januarii an. 1562. quod huic juriſprudentiæ conſentit.

Hactenus dicta confirmari poſſunt ex Arreſto ejuſdem Senatus in Actis Cleri relato (*d*), quo declaratur, quod, ubi Burſas ſuas obtinuerint convictores per tempus ex fundatione conſtitutum, prædictæ Burſæ fient vacantes & impetrabiles, quin eas aliis poſſint reſignare.

(*a*) Rebuffus, tit. de ſentent. execut. &c. art. 1. Gloſſ. 9. ſ. n.

(*b*) D. Brill. v. *Beneficium*. n. 32. & 33.

(*c*) Pinſſon. tit. Perpetua debere eſſe beneficia. n. 37.

(*d*) Acta Cleri, tom. 2. part. 1. cap. 30 art. 13. pag. 191.

C O R P O R A L E.

CORPORALE eſt linteum, in quo Sacerdos ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebraturus, Panem & Calicem conſecrandum reponit, & quod proinde immediate tangunt ſacra Hoſtia & Calix conſecratus.

Corporale debet eſſe contextum ex lino byſſino, & benedictum ab Epiſcopo, aut a Sacerdote, ab eo in hanc rem deputato, aut ab aliquo alio ſuperiore, cui competat hæc poteſtas ſeu ex privilegio, ſeu ex jure legitimæ præſcriptionis (*e*).

In nullo umquam caſu Miſſam celebrare licet ſine corporali.

Non licet etiam cuiquam laico Corporale tangere: & cum ablui debet, Sacerdos ipſe, vel Diaconus, ipſo deficiente in pelvi ad hunc ſolum uſum deſtinata illud eluere, & aquam poſtea lotionis projicere debet in locum, qui *Sacrarium* dicitur, hoc eſt, ſacris rebus cuſtodiendis deſtinatum, vel in Eccleſiam, aut in cœmeterium; terra namque illa ſancta eſt (*f*): quod Canonibus cautum eſt, ex quibus conſtituitur, ut ſacra non niſi a ſacratis perſonis tangantur. *In ſancta hac Apoſtolica Sede ſtatutum eſt, ut ſacra vaſa non ab aliis, quam a ſacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde eſt, ut ſacra Domini vaſa, quæcumque ſint .... ab aliis, quam Domino famulantibus, eique dicatis, tractentur*. Hæc ſunt verba antiqui Canonis in Decreto Gratiani (*g*). *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur*, inquit alter Canon, (*h*) *ſacrata debent eſſe .... nec ab aliis debent contingi aut ferri, niſi a ſacratis hominibus*. Tertio denique Canone idem conſtituitur, addita etiam iſta ratione non contemnenda, ne videlicet particulæ inſenſibiles Hoſtiæ ſacræ in iis forſan reliquæ, ſeu laicorum contactu, ſeu aliter profanentur. En verba Canonis illius (*i*): *Pallas vero & vela Sanctuarii ſi ſordidata fuerint, miniſterio Diaconi cum humilibus Miniſtris intra Sanctuarium laventur, non ejicientes foras a Sacrario: & velamina Dominicæ menſæ abluant; ne forte pulvis Dominici corporis male decidat a Syndone foris abluta; Syndonem vero non foris abluant: & erit hæc operanti peccatum .... ſane pelvis nova comparetur, & præter hoc nil aliud tangat. Sed nec ipſa pelvis velis apponatur lavandis, niſi quæ ad Dominici Altaris cultum pertinent*. Ita Canones illi, qui, licet a Gratiano quibuſdam ſummis Pontificibus falſo adſcripti, præcipua tamen ob antiquitatem ſuam veneratione digni ſunt.

Ceterum corporale, quamvis lotum & purgatum, priſtinam non amittit formam, nec proinde nova benedictione indiget, ut obſervat Silveſter (*k*), & uti mos eſt in Eccleſia Latina, a qua in hoc diſſentit Orientalis Eccleſia, in qua cremantur corporalia, ubi ſordida ſunt (*l*).

(*e*) Silveſter. v. *Benedictio*. q. 3.

(*f*) Silveſter. loco cit. q. 7. & apud eum S. Raymundus.

(*g*) Can. In *Sancta*. 4. de conſecrat. diſt. 1.

(*h*) Can. *Veſtimenta*. 42. ibid.

(*i*) Can. *Nemo*. 40. §. 1. ibid.

(*k*) Silveſter. v. *Corporalia*, q. 2.

(*l*) D. de Moleon, *Itinerar. Liturgi*. pag. 441.

CASUS PRIMUS.

RIGOBERTUS, Sacerdos, cum in loco verſaretur, ubi corporale e linea tela habere non poterat, cum unum ſibi eſſet e tela bombycina confectum cum aliis duobus tribuſve e tela cannabina, quibus benedictionem conferri curaverat, die feſto in corporali bombycino celebravit; ſine quo nec ipſe Miſſam celebrare, nec eam pagi illius incolæ audire potuiſſent. Numquid ita ſe gerere potuit in hoc caſu abſque peccato?

R E S P O N S.

Sacerdos ille procul dubio peccavit, quod regulas ab Eccleſiis conſtitutas infregerit, quibus conſtituitur,

tur, ut in Sacrorum celebratione linea corporalia adhibeantor, non vero bombycina, quorum uſus prohibetur. In hoc igitur facinus admiſit Rigobertúrin conſtitutiones Eccleſiæ, generalemque quam obſervat, conſuetudinem.

Probatur hæc deciſio ex antiqoo Canone, qoem refert Gratiânus in ſoo Decreto his verbis (*a*): *Conſalto omnium ſtatuimus, ut Sacrificium Altaris non in ſerico panno aut tincto quiſpiam celebrare præſumat; ſed in puro linteo, ab Epiſcopo coaſecrato, terreno ſcilicet ſine procreato atque contexto*: Ejuſque rei iſtam congruitatis ratiooem affert; *ſicut Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti in ſyadone linea munda ſepultum fuit.*

(*a*) Can. Conſulto. 44. de conſecrat. diſt. 1.

Deciſionem hanc ex eodem Canooe probat S. Thomas, duaſque convenientiæ uddit rutiones: *Competit etiam pannus lineus*, inquit ſanctus Doctor (*b*): *1. propter ſui munditiam ad ſignificandam conſcientiæ puritatem: 2. & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad ſignificandam Chriſti paſſionem.* Eaſdem rutiones affert Gloſſa his terminis (*c*): *Ut innocens & ſine macala intelligatur*: Et paullo poſt; *quod tanſionibus multis ad candorem deducitur; & ſic Chriſtus preſſuris multis pervenit ad gloriam, ita & boni propter preſſuras ad gloriam Domini veniunt.* Cum S. Thomæ conſentit S. Antoninus (*d*). His uddimus, quod cum æqua magis & uniformis ſit tela linea, quam pannus ſericus ſeu bombycinus; huic non adeo facile adherere poſſunt Hoſtiæ particulæ, quas idcirco cum patena facilius, quam in corporali ſerico colligere poteſt Sacerdos.

(*b*) S. Th. 3. part. Sum. q. 83. art. 3. 7.

(*c*) Gloſſa in cit. Can. Conſulto, v. Puro. & v. Lino.

(*d*) S. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 1.

CASUS II.

Vᴠᴀʟᴘᴜʀɢᴀ, inſignis pietate puella, domi ſuæ caſulam cuſtodiens, ceteraque Altaris ornamenta quibus ad Sacra conficienda utitur Confeſſor ſuus, diebus ſingulis Communionis ſuæ corporale accipiens illud ſingulari pietate pro gratiarum actione, redux ab Eccleſia deoſculatur. Num in eo ſit peccati conſcia?

Rᴇsᴘᴏɴsɪᴏ.

Vvalpurga a peccato immunis eſſe nequit: enimvero nemini Laico, & ne quidem Religioſis feminis corporale tangere licet, ut ait S. Antoninus (*e*): *Corporale .... nec inferioribus* (Sacerdote) *tangere licet: & nota .... quod mulieres etiam Moniales ... nec vaſa ſacra, nec corporalia debent contingere.* Quod ex antiquo, qoem ſub Soteris Papæ nomine refert Gratianos, Canone probat hic Sanctus (*f*): *Sacratas Deo feminas, vel Monachas ſacra vaſa vel ſacratas pallas*, (*ſcilicet corporalia*) addit Gloſſa (*g*), *penes vos contingere & incenſum circa Altaria deferre perlatum eſt ad Apoſtolicam Sedem: quæ omnia reprehenſione digna eſſe & vituperatione, nulli recte ſapientium dubium eſt. Quamobrem hujus ſanctæ ſedis auctoritate hæc omnia vobis reſecare funditus, quanto citius poteritis, cenſemus. Et ne peſtis hæc latius divulgetur per omnes provincias, abſtergi citiſſime mandamus.*

(*e*) S. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 1.

(*f*) Can. Sacratas. 23. diſt. 10.

(*g*) Gloſſa ibid.

Nec ideo minus reprehenſione digna eſt illa puella, quod ex mera devotione hanc ſibi ſumat facultatem: nam ut poſt Paludanum addit S. Antoninus (*h*), *etſi ex devotione hoc faciant, dicit Petrus de Palude; quod præſumtuoſa & indiſcreta eſt devotio.* Quod probat Ozæ exemplo; *ſicut Oza, qui tetigit Arcam*, quamquam: *Tenuit eam*, inqoit Scriptura (*i*), *quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam.*

(*h*) S. Anton. cit. loco.

(*i*) 2. Reg. 6. 6. & 1. Paralip. 13. 9.

CORRECTIO FRATERNA.

CORRECTIO fraterna, eo ſenſu quo heic ſumitur (*k*), *Eſt externus actus miſericordiæ, quo monitione ſalutari peccator ad emendationem inducitur*; quamvis eam ſæpe non ſequatur talis emendatio.

(*k*) Polman. Brev. Theol. part. 2. a. c. 2. 24.

Correctio cadit ſub præcepto ubi neceſſaria eſt, quod ſub reatu peccati, quandoque etiam mortalis obligat. *Correctionis fraternæ .... omiſſio poteſt eſſe peccatum mortale, & veniale. Eſt enim præceptum hujus correctionis de præceptis caritatis & eleemoſynæ ſpiritalis*, inquit Cajetanus (*l*).

(*l*) Cajet. in Sum. v. Correctio. n. 3.

Ut ad eam adhibendam ex juſtitia & officio ſpecialiter tenentur ſuperiores, ita ad eam quoque privatos obligat caritas proximi, & aliquando Religio ex doctrina ſancti Thomæ (*m*).

(*m*) S. Th. 2. 2. q. 33.

Præceptum Correctionis Fraternæ eſt affirmativum, quod proinde non obligat, niſi in quibuſdam circumſtantiis perſonarum, loci & temporis: quod ſæpiſſime non facile dignoſcitur; unde exquiſitam prudentiam exigit Correctio Fraterna, ab iis qui eam facere ſuſcipiunt.

Quatuor debet eſſe prædita conditionibus, ut ſit utilis. Prima omnium eſt Prudentia; altera, Zelus; tertia, Juſtitia; & quarta, ſufficiens Auctoritas.

Exigit 1. Prudentia, ut ſolus & clam reus compelletur, præſertim ſi occultum ſit crimen ejus; *corripe inter te & ipſum ſolum*, eoque tendant monita danda, ut eum facti pœniteat, non vero pudore & confuſione ſuffundatur: *Intendens correctioni, parcens pudori*, inquit S. Auguſtinus (*n*).

(*n*) S. Aug. ſerm. 82. c. 4. ſeu. n. 7.

2. Exigit etiam, ut omnis omittatur verborum inſolentia, amaritudo, ſuperbia & iracundia: *Correctio mendax in ira contumelioſi*, inquit Sapiens (*o*).

(*o*) Eccli. 19. 28.

3. Ut reus exiſtimetur ita diſpoſitus, ut patienter reprehendatur, & in ejus emendationem vertatur correctio facienda; a qua, ſi proſpiciatur ei inutilis, abſtinendum eſt, juxta illud Sapientis (*p*): *Ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem.* Hæc eſt etiam S. Thomæ doctrina (*q*).

(*p*) Eccli. 32. 6.

(*q*) S. Th. 2. 2. q. 33. a. 6. ad 2. & 3.

Zelus, quem dirigere debent ſapientia & prudentia, & caritas ipſa ingerere, 1. debet eſſe immunis ab indignatione & ira, quæ ipſum propius ſæpe conſequitur, eumque in amaritudinem convertit, ita ut præter ſpem alio cedat.

2. Ipſum moderari debent conditio, ordo, ætas & ſexus eorum qui emendantur.

3. Zelus ille, ſi verus ſit, ad eum ſolum non pertinere debet, in quo vitium corripitur, ſed & corripientem debet impellere ad toleranda patienter & leniter convicia, aut contradictiones ab eo qui corripitur, & cujus ſalutem unice intueri debet corripiens.

Juſtitia Correctionem Fraternam indivulſe comitari debet: hoc eſt, neceſſe eſt, ut

(a) Eccli. 11. 7.

ut qui alium corripit, de ipſius crimine ſit certus, a quo ipſi evidens imminet perditionis diſcrimen. *Corripe juſte*, inquit Sapiens (*a*).

Auctoritas ſeu ſpiritualis, ſeu temporalis, quarta eſt conditio, in corripiente alium vulgo requiſita: neque enim umquam indocili noſtræ nos tradit Deus naturæ: in infantia parentibus noſtris nos ſubjecit, aut moderatoribus aliiſve perſonis, quæ moribus noſtris invigilant ex eorum mandato. Poſtea ſimus ſubditi Superioribus eccleſiaſticis & ſæcularibus: & inſuper in omni loco & tempore, etiam inviti, conſcientiæ noſtræ ſynderesi & remorſibus, non minus dure quam ſecreto admonemur.

Diximus, *vulgo requiſita*: occurrunt enim caſus, in quibus privatus, licet auctoritate non valens, quandoque correctionis fraternæ miniſterio fungi poteſt, immo & debet. Certum eſt tamen, quod probitas, boni mores, ætas conveniens, vitæque integritas, ſufficientem ei debeant conciliare auctoritatem, ut ipſius correctio proximo fiat utilis; ita ut a correpto nihil poſſit audire, quod ſibi jure exprobret, aut etiam correptus interius de ipſo male judicare nequeat.

(b) Eccli. 17. 12.

Ceterum quandoquidem *mandavit illis unicuique* (Deus) *de proximo ſuo* (*b*), ii qui ab officio correctionis fraternæ ob defectum auctoritatis, aut aliter ſunt liberi, meminiſſe debent, ad eam adhibendam ſtricte eos teneri, ſaltem tacite ſilentio ſuo & habitu corporis externo, quæ quandoque magis iis proſunt, in quos non competit jus correctionis, quam verba ipſa, juxta illud Scripturæ (*c*); *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.*

(c) Proverb. 25. 23.

CASUS PRIMUS.

FORTUNATUS, Thomam æqualem ſuum novit criminis occulti eſſe reum. An teneatur ſub reatu peccati ad fraternam erga eum correctionem, & quo pacto, quibuſve in circumſtantiis eum emendaturus eſt?

RESPONSIO.

Id ſupponendum, tamquam certum, fraternam videlicet correctionem eſſe de præcepto, pro iis præſertim qui aliqua valent auctoritate. *Correctio fraterna cadit ſub præcepto*, inquit S. Thomas (*d*). Id quidem probari poteſt ex multis Scripturæ teſtimoniis: 1. quidem ex Apoſtolo in Epiſtola ad Galatas (*e*), in qua ſic loquitur: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. Hoc eſt*, addit Sylvius (*f*), *cum manſuetudine ipſum admonentes inſtaurate, ac lapſum erigite*. Hæc autem verba verum continere præceptum hic Theologus probat ex iſtis aliis ſequentibus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. 2. Ex eodem S. Paullo ad Theſſalonicenſes: (*g*) *Corripite*, inquit, *inquietos*. 3. Ex eodem Apoſtolo, qui vult peccatorem corripi ut fratrem & ex caritate: *Corripite ut fratrem*. 4. Ex ipſo Chriſti teſtimonio; in quo fraternam imperat correctionem his verbis (*h*): *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.*

(d) S. Th. 2. 2. q. 33. art. 2 in corp.

(e) Epiſt. ad Galat. 6. 1.

(f) Sylvius in 2. 2. q. 33. art. 2.

(g) 1. Theſſal. 5. 14.

(h) Matth. 18. 15.

Præcepti hujuſce neceſſitatem ex iiſdem Chriſti verbis probat S. Baſilius: propoſitæ namque ſibi quæſtioni huic (*i*): *Numquid adverſus peccantes diſſimulatione uti conveniat?* his verbis reſpondet; *Sane quod hoc fieri non debeat, perſpicuum eſt ex præceptis Domini, qui in veteri quidem Teſtamento dixerit*: Correptione corripies fratrem tuum; & non ſumes propter illum peccatum. *In Evangelio autem*: Si peccaverit in te, vade, corripe eum &c. Sancti Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus & Hieronymus (*k*) idem docent, uti Joannes VIII. a Gratiano in canone Decreti his verbis relatus (*l*): *Facientis culpam procul dubio habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare*. Quod conſentit multo antiquiori canoni; quem Anacleto Papæ tribuit Gratianus (*m*), & cujus hæc ſunt verba; *Tam Sacerdotes, quam reliqui fideles omnes, ſummam curam habere debent de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur a peccatis, aut ſi incorrigibiles apparuerint, ab Eccleſia ſeparentur*. Hæc Sanctorum doctrina non modo Chriſti & Apoſtoli verbis eſt conſentanea, ſed etiam Sapientis, dicentis (*n*): *Mandavit* (Deus) *illis unicuique de proximo ſuo*. Ea denique confirmari poteſt ex duabus Innocentii III. Decretalibus, una ad Epiſcopos Galliæ, & altera ad fideles urbis diœceſiſque Metenſis, quas in ſumma juris canonici videre eſt in locis ad marginem indicatis (*o*).

(i) S. Baſilius in reg. brevioribus reg. 47.

(k) S. Ambr. l. 8. in Luc. S. Aug. Serm. 82. de verbis Domini, *alias*. 16. S. Chryſoſt. & S. Hieron. in Matth.

(l) Joan. VIII. in Can. *Facientis*. diſt. 86.

(m) Can. *Tam Sacerdotes*.

(n) Eccli. 17. 12.

(o) Innoc. III. in Cap. *Novit*. 13. de judic. in lib. 2. tit. 1. & in Cap. *Cum ex injuncto*. 12. de hæreticis. l. 5. tit. 7.

Attamen conſtat iſto correctionis fraternæ præcepto non omnes indiſcriminatim obligari fideles, neque etiam in qualibet occaſione, ſed eos tantum qui eam utiliter adhibere poſſunt: verum, ut res iſta elucidetur, duplex genus præcepti eſt diſtinguendum cum divo Thoma; unum negativum, aliud vero affirmativum: *Conſiderandum eſt*, inquit Angelicus Doctor (*p*), *quod ſicut præcepta negativa legis prohibent actus peccatorum; ita præcepta affirmativa inducunt ad actus virtutum: actus autem peccatorum ſecundum ſe ſunt mali, & nullo modo bene fieri poſſunt, nec aliquo tempore aut loco, quia ſecundum ſe ſunt conjuncti malo fini, ut dicitur in 2. Ethic. & ideo præcepta negativa obligant ſemper & ad ſemper; ſed actus virtutum non quolibet modo fieri debent; ſed obſervatis debitis circumſtantiis, quæ requiruntur ad hoc, quod ſint actus virtuoſi; ſcilicet ut fiant ubi debet, & quando debet, & ſecundum quod debet: & quia diſpoſitio eorum quæ ſunt ad finem, attenditur ſecundum rationem finis, in iſtis circumſtantiis virtuoſi actus præcipue attendenda eſt ratio finis, quæ eſt bonum virtutis. Si ergo ſit talis aliqua omiſſio alicujus circumſtantiæ circa virtuoſum actum, quæ totaliter tollat bonum virtutis, hic actus contrariatur præcepto. Si autem ſit defectus alicujus circumſtantiæ quæ non totaliter tollat virtutem, licet non perfecte attingat ad bonum virtutis, non eſt contra præceptum.*

(p) S. Th. 2. 2. q. 33. art. 2. in corp.

Eo nititur principio ſanctus Doctor, ut probet correctionem fraternam, ut pote præcepto tantum affirmativo imperatam, non obligare, niſi in quibuſdam circumſtantiis temporis, loci ac perſonæ cui debet fieri, & modi quo ea pariter fieri debet, ad quod ordinare tantum poſſunt caritas & prudentia. *Correctio autem fraterna*, ſubjungit, *ordinatur ad fratris emendationem; & ideo hoc modo cadit ſub præcepto, ſecundum quod eſt neceſſaria ad iſtum finem, non autem ita quod quolibet loco, vel tempore frater delinquens corrigatur.*

Deinde minutius rem exſequens ſanctus Doctor (*q*) exponit, quandonam fraterna correctio non niſi cum peccato; quandonam vero abſque peccato omitti poſſit. *Correctio fraterna*, inquit, *tripliciter omitti poteſt. Uno quidem modo, meritorie, quando ex caritate aliquis correctionem omittit*: dicit enim Auguſtinus lib. 1. de civitate Dei (*r*): *Si propterea quiſquis objurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant aliquos infirmos, & premant atque avertant a fide; non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium caritatis.*

(q) Idem cit. q. 33. art. 2. ad 3.

(r) S. Aug. l. 1. de civit. Dei. c. 9.

Alio modo, pergit idem Sanctus, *prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali: quando ſcilicet*

formi-

formidatur, ut, ubi dicitur, judicium vulgi & carnis excruciatio vel peremtio; dum tamen hæc ita dominentur in animo, quod fraternæ caritati præponantur. Et hoc videtur contingere, quando aliquis præſumit de aliquo delinquente, quod probabiliter poſſet eum a peccato retrahere, & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittit.

Tertio modo, addit tandem ſanctus Thomas, *hujuſmodi omiſſio eſt peccatum veniale, quando timor vel cupiditas tardiorem facit hominem ad corripiendum delicta fratris; non tamen ita, quod ſi ei conſtaret, quod fratrem poſſet a peccato retrahere, propter timorem vel cupiditatem omitteret, quibus in animo ſuo præponit caritatem fraternam.*

Ex his, quas proponit Angelicus Doctor, regulis evidenter conſtat, Fortunatum correctionem fraternam erga Thomam omittere poſſe, ſi ex motivo veræ caritatis, & eo fine quem deſignat hic Sanctus explicando primam, qua debeat fieri, rationem, eam omittat; ſed eum ab illa facienda abſtinere non poſſe abſque reatu mortalis peccati in ſecundo caſu, aut ſaltem venialis in tertio.

CASUS II.

Fusoulus, qui novit Balduinum in occulto carnalis libidinis commercio vitam degere, poſtulat, utrum ad obſervandas caritatis regulas neceſſe ſit, ut eum per ſe fraterne corrigat; an vero illum Præſuli ſuo aut alii Superiori Eccleſiaſtico emendaturum denuntiet?

Respons.

(a) 2. Th. quodlib. 1. art. 13. in corp.

Difficultati huic occurrit S. Thomas dicens (a): *Si ego ſcio*, inquit, *quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hunc denuntiare Prælato. Si autem videtur quod melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus ſit pius, diſcretus & ſpiritualis, non habens rancorem ſeu odium adverſus illum ſubditum; tunc licite poteſt hoc denuntiare ſibi.* Additque ſanctus Doctor, quod licet univerſalis ea in re ſtatui non poſſit regula; una tamen eſt ſemper tenenda, ſcilicet, ſincera in proximum caritas. *Tenendum eſt hoc pro regula, quod in omnibus iſtis ſemper ſervanda eſt caritas, & quod melius & magis expedire videtur; & ſi hoc intendat, ſcilicet, emendam proximi, & ſervet, quantum poteſt, bonum caritatis; tunc denuntiando non peccat.* Indeque poſtea ſic concludit: *Si vero denuntiet cuicumque perſonæ hoc ex malitia, & ut proximus confundatur vel deprimatur, tunc denuntians ſeu accuſans peccat mortaliter.*

Neque eſt, quod quis objiciat, peccatum directe Prælato denuntiando fieri contra Evangelium, quo exigitur, ut non Eccleſiæ, hoc eſt, legitimi Superioris niſi in extrema neceſſitate requiratur judicium: in hac enim occaſione Prælatus haberi debet, tamquam *extra judicium exſiſtens*, & veluti perſona privata, quæ tutius peccatoris emendationem, ipſum corrigendo, procurare poteſt: *Et tunc non dicit Eccleſiæ*, ita ſemper S. Thomas; *quia non dicit ei ſicut Prælato, ſed ſicut perſonæ proficienti ad correctionem proximi & emendam.* Jam idem docuerat S. Doctor in ſuo Commentario in Magiſtrum (b): *Et ſic dicere Prælato, non eſt dicere Eccleſiæ, ſed perſonæ, quæ poteſt prodeſſe & non obeſſe; quia nullus magis poteſt prodeſſe, quam Prælatus.*

(b) S. Th. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 4.

(c) Joan. Gerſon. tract. de correct. proximi.

Gerſo, quondam Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, idem docet cum S. Thoma, his verbis (c): *Si quando ergo*, inquit doctus ille & pius auctor, *videatur frater peccans ſalutarius corrigi per alium, qui poteſt & vult prodeſſe, quam per ſe; ſecure poteſt ei indicare. Unde etiam Prælato dici poteſt peccatum fratris, non præmiſſa monitione, vel ſecreta correctione, non tamquam Judici, ſed tamquam amico peccantis, & qui ei magis poteſt prodeſſe, quam alius.* S. Bonaventura, Durandus, Carthuſianus, Gabriel Biel, & multi alii Theologi incly ti, & Sylvius a quo citantur, doctrinam ſancti Thomæ ſequuntur (d).

(d) Sylvius in 2. 2. q. 33. art. 8. quæſito 3. & apud eum S. Bonavent. in 4. diſt. 19. Richard. & Durand. ibid. Adrian. tract. de correct. frater. in fine. Gabriel. lect. 74. in Canon. Miſſæ. Dionys. Carthus. in Matth. 18. Silveſter v. Correctio. q. 7. & Janſen. c. 72. Concordiæ.

Hæc tandem doctrina menti Eccleſiæ adeo conformis eſt, ut olim Metropolitani & Epiſcopi, ſpectatæ virtutis & prudentiæ viros conſtituere & nominare deberent, quibus id erat muneris injunctum, ut Prælatos monerent de vitiis & libidinibus, quæ potiſſimum in Metropolitani provincia, aut Epiſcopi diœceſi potiſſimum vigebant; obſoletamque ſuo tempore diſciplinam hanc reſtituit ſanctus Carolus Borromæus in quarto ſuo Mediolanenſi Concilio an. 1576. (e), ſtatuitque, ut eo modo obſervaretur, quo ab Innocentio III. in quarto Concilio œcumenico Lateranenſi an. 1215. (f) ſtabilita fuerat. At vero horum Clericorum qui *Teſtes Synodales* dicebantur, hæc erant officia: ut nimirum Parochorum, Canonicorum ceterorumque Clericorum vitæ ac moribus invigilarent, atque inquirerent, num actu Parochi & Canonici in Beneficiis ſuis reſiderent; num ſuorum Parœcianorum ſalutem inſtructionis defectu vel aliter non negligerent Parochi, an vero vitam inhoneſtam ducerent. Huic etiam invigilare tenebantur, an videlicet dominicos feſtoſque dies, jejunia, aliaque Dei & Eccleſiæ præcepta obſervarent Laici; num inter eos non eſſent blaſphemi, aut concubinarii, ſortilegi aut magici, ſacrilegi vel hæretici; quo in caſu Prælatos monere debebant juxta jusjurandum quo ſe obſtrinxerant, dum in eo conſtituerentur officio, & cujus exemplum in eodem Provinciali Concilio Mediolanenſi legitur.

(e) Conc. Mediol. 4. 1. part. conſtit. de Teſtibus Synod.

(f) Conc. Lateran. gener. ſub Innoc. III. c. 6.

Ex his facile colligi poteſt, Fuſculum de quo in caſu propoſito, per ſe ipſum clam debere Balduinum emendare, ſi ipſi correctionem profuturam eſſe perſuaſum habeat; ſin vero eam fore inutilem proſpiciat, ſervatis in Evangelio præſcriptis de correctione fraterna regulis, eum poſſe illius peccatum legitimo Superiori denuntiare; ſi de illius Superioris pietate, prudentia & caritate ſit convictus, taleque ſit Balduini peccatum, ut huic mederi queat ille Superior.

CASUS III.

Fulgosus Epiſcopus, Gilduinus Abbas regularis & Lambertus Mercator ſingulatim in proxima verſantur occaſione, quoſdam objurgandi peccatores, quos norunt indociles, nec ullo pacto ad monita ſalutis accipienda diſpoſitos, immo vero de quibus eos eſſe abuſuros perſuaſum habent, uti aliis jam evenit eorum ſimilibus, qui inde procaciores & pejores facti ſunt. Numquid in eo caſu fraternam poſſunt omittere correctionem abſque peccato?

Respons.

Epiſcopus & Abbas ſubditorum ſuorum correctionem omittere non debent, quam etiam inutilem & nullatenus profuturam, immo vero noxiam certo ſore norunt: Lambertus vero, homo videlicet privatus, ab ea abſtinere poteſt.

Id quidem facile evincit S. Thomæ auctoritas, qui duplicem vult diſtingui correctionem, juridicam unam, alteram proprie fraternam, de quibus ſeparatim dicit. Ac de priori quidem ita habet: *Duplex eſt correctio delinquentis*, inquit Angelicus Doctor (g): *Una quidem pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam: & talis correctio non eſt dimittenda propter turbationem ejus qui corripitur; tum quia ſi propria ſponte emendare non velit, cogendus eſt per pœnas, ut peccata dimittat; etiam quia ſi incorrigibilis ſit, per hoc providetur bono communi, dum ſervatur ordo juſtitiæ, & unius exemplo alii deterrentur. Unde Judex non prætermittit ferre ſententiam condemnationis in peccantem propter timorem turbationis ipſius, vel etiam amicorum ejus.*

(g) S. Th. 2. 2. q. 33. art. 6. in corp.

Altera correctionis ſpecies ea eſt, quæ proprie fraterna dicitur, quæ unice tendit ad emendationem proximi, neque ſibi adjunctam habet vim coactivam, ſeu infligendi pœnam. *Alia vero eſt correctio fraterna*, pergit idem ſanctus Thomas, *cujus finis eſt emendatio delinquentis, non habens coactionem, ſed ſimplicem admonitionem: & ideo ubi probabiliter æſtimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, ſed ad pejora labatur, eſt ab hujuſmodi correctione deſiſtendum; quia ea quæ ſunt ad finem, debent regulari ſecundum quod exigit ratio finis.*

Unde colligendum, a Fulgoſo Epiſcopo, Gilduino Abbate, aliiſque legitimis Superioribus omitti non debere correctionem ſuorum ſubditorum, quam etiam ipſis inutilem fore prævident, ſi addita monitis ſuis pœna ab iis exiſtimetur ceteris fore utilis, quia eos a ſimilibus peccatis avertet; quod idem de Lamberto dici nequit, qui, ut homo privatus, ad correctionem fraternam non te-

Digitized by Google

netur, niſi quatenus eam correpto fore utilem exiſtimat.

CASUS IV.

Hermannus ad debitam a ſe Julio fraternam correctionem verba adhibuit vehementia, *aſpera* & ſevera. Potuit ne ita ſe gerere, non infracto caritatis præcepto, quæ illius tantum eſt finis?

Respons.

Caritas, licet ſeveritate permixta, e ſua non excidit natura; ſuo enim conditur ſale, quandoque neceſſario ad ſanandos quoſdam peccatores, quibus ſtat ſilex in corde, & nimia proinde lenitas foret aut inutilis, aut noxia. Sapientis ac prudentis eſt ergo viri dijudicare, an hujuſmodi verbis utendum, nec ne: Dicta hactenus probat ſanctus Thomas (*a*), & ex his a ſancto Gregorio verbis acceptis comprobat: *Secundum Gregorium in Paſtorali*: Nonnulla peccata ſunt leviter corrigenda. Nam cum non malitia, ſed ignorantia ſola, vel infirmitate delinquitur, neceſſe eſt, ut magno moderamine ipſa delicti correptio temperetur. Nonnulla autem ſunt vehementer increpanda, ut cum culpa ab actore non agnoſcitur, quanti ſit ponderis, ab increpantis ore ſentiatur: & cum ſibi malum quod perpetravit, levigat, hoc contra ſe graviter ex corripientis aſperitate pertimeſcat. Quod de juridica Prælatorum correctione non modo intelligit ſanctus Thomas, ſed etiam de privata & occulta: unde ſubjungit: *Et quamvis ille loquatur de correptione quæ Prælatis competit, tamen etiam in correptione quæ fit ab aliis*, hoc etiam eſt obſervandum; quamvis fraterna correptio ſemper magis debeat ad lenitatem accedere; quia non auctoritate officii, ſed ex caritatis affectu exhibetur.

(*a*) S. Th. in 4. diſt. 19 q. 2. art. 3. quæſt. 3. in corp.

Quibus ita poſitis ad propoſitam difficultatem reſpondendum, quod ſi verba dura ac ſevera ex motivo ſuperbiæ aut cupiditatis Hermannus non adhibeat, ſed ex motivo caritatis, quia lenioribus verbis ſuum non fore effectum, ſibi ſit perſuaſum; in eo nullius ſit conſcius peccati; quia, ut ait inclytus Gerſo (*b*): *Hic magis debet attendi finis correptionis, ſcilicet, emendatio peccantis, quam forma verborum*. Id quoque probari poteſt exemplo ſancti Stephani, qui Judæos increpans vehementiſſimis utitur verbis, eos inemendabiles, proditores & homicidas appellando: *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus*, inquit, (*c*) *vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis; ſicut Patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Juſti, cujus nunc vos proditores & homicidæ fuiſtis*. Quæ verba, quantumvis dura, ſoli protomartyris illius Chriſti zelo adſcribit ſanctus Auguſtinus: *Sævire videtur lingua ferox; cor lene*, inquit hic ſanctus Doctor (*d*), *clamabat & amabat: ſæviebat, & ſalvos fieri volebat*. Eodem modo judicat ſanctus Fulgentius dicens (*e*), *Per caritatem arguebat errantes, ut corrigerentur*. Si ergo a ſanctis Patribus approbetur, & laudetur ſanctus Stephanus, quod tam duriter Judæos exceperit, quos amanti illa ſeveritate emendare contendebat, quamvis eos publice & proinde majori confuſione argueret: a fortiori clam & in occulto fieri poteſt correctio verbis vehementibus & ſeveris, quando ita exigunt prudentia & caritas pro illius emendatione, ac ſpirituali bono qui corripitur.

(*b*) Joan. Gerſon. tract. de correct. proximi.

(*c*) Act. 7. 5. & 52.

(*d*) S. Aug. Serm. 315. alias 95. de divers. ſis. n. 5.

(*e*) S. Fulgent. Serm. de S. Stephano.

CASUS V.

Fabricius conſcius eſt ejuſdem, immo vero gravioris peccati, quam quod in Georgio vult emendare: Poteſt ne tuta conſcientia eam correptionem adhibere; aut etiam ad eam tenetur?

Respons.

Ad ſolutionem hujus quæſtionis diſtinctione opus eſt: nam Fabricius vel Georgii eſt Superior, vel non: ſi ſit ejus Superior, eamque corrigat ex officio, ſicut Prælati corripiunt, non poteſt ſine aliquo peccato: *Quia*, ut ait Sanctus Thomas (*f*), *quandocumque aliquis indigne utitur officio ſuo, peccat: ille autem qui eſt in peccato mortali, etiam occulto, indigne utitur officio prælationis. Unde peccat corripiendo, vel quidquid aliud proprii officii exſequatur*. Si non ſit ejus Superior, nec eum, ut talis, corrigat, ſed ſolum *zelo caritatis, non ut Eccleſiæ Miniſter*, ſicut etiam loquitur idem Angelicus Doctor, non peccat, ſi proprium ſuum peccatum ſit occultum, nullumque proinde Georgium corripiendo pariat ſcandalum; modo tamen cum humili corde, ſervatiſque Chriſtianæ caritatis regulis emendet. *Et tunc in correptione non poteſt eſſe peccatum, niſi in ratione ſcandali quod non conſurgit, niſi de peccato notorio*, addit Angelicus Doctor.

(*f*) S. Th. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 0. in corp.

Diximus, ſi eum ut talis, hoc eſt, ut Superior non corrigat; quod his verbis probat ſanctus Thomas (*g*): *Correctio delinquentis pertinet ad aliquem, in quantum viget in eo rectum judicium rationis: peccatum autem non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto judicio rationis; & ſecundum hoc poteſt ſibi competere in ſubditis delictum arguere*.

(*g*) Idem. 2. 2. q 33. art. 5. in corp.

Aſſerit tamen ſanctus hic Doctor, & ex teſtimoniis ſanctorum Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, tria eſſe, quæ correctioni obſtant, quam ſibi arrogat vir ejuſdem peccati reus, quos emendat: *Sed tamen*, inquit, *per peccatum præcedens impedimentum quoddam huic correctioni affertur propter tria: 1. quidem, quia ex peccato præcedenti indignus redditur, ut alium corrigat; & præcipue, ſi majus peccatum commiſit, non eſt dignus ut alium corrigat de minori peccato. Unde ſuper illud Matthæi 7.* qui *vides feſtucam, &c.* dicit Hieronymus, *de his loquitur, qui cum mortali crimine detinentur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt*.

2. Redditur indebita correctio propter ſcandalum, ſi peccatum corripientis ſit manifeſtum; quia videtur quod ille qui corrigit, non corrigat ex caritate, ſed magis ad oſtentationem. Unde ſuper illud Matthæi 7. quomodo dicis fratri tuo, &c. exponit Chryſoſtomus (*h*), *in quo propoſito, puta ex caritate, ut ſalves proximum tuum? Non, quia teipſum ante ſalvares. Vis ergo non alios ſalvare, ſed per bonam doctrinam malos actus celare, & ſcientiæ laudes ab hominibus quærere*.

(*h*) Apud S. Chryſoſ. Hom. 17. operis imperf. in Matthæum.

3. Modo propter ſuperbiam corripientis; in quantum ſcilicet aliquis propria peccata parvi pendens, ſe ipſum proximo præfert in corde ſuo, peccata ejus auſtera ſeveritate dijudicans, ac ſi ipſe eſſet juſtus. Unde Auguſtinus (*i*), dicit in Libro de ſermone Domini in Monte: *Accuſare vitia, officium eſt bonorum virorum & benevolorum, quod cum mali faciunt, alienas partes agunt*. Attamen concludit ſanctus Doctor, peccatorem non ideo peccare, quia alium corripit, modo cum humilitate ipſum delinquentem corripiat. *Ex his ergo patet, quod ſi peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec ſibi novam condemnationem acquirit; licet per hoc, vel in conſcientia fratris, vel ſaltem ſua pro peccato præterito condemnabilem ſe eſſe oſtendat*.

(*i*) S. Aug. l. 2. de ſerm. Dom. in monte. c. 30.

Juſta de cauſſa dixit hic Sanctus: *Si peccator cum humilitate corripiat delinquentem*: certum eſt enim, eum qui, cum ſit in peccato mortali, abſque humilitate alium corripit, peccare in hanc virtutem; ut docet S. Gregorius Papa trigeſimum tertium Job Caput exponens (*K*), qui ait, humilitatem ac propriæ infirmitatis noſtræ cognitionem eſſe neceſſariam ad corripiendum utiliter proximum; ejuſque rei hanc affert rationem: *Nos enim quia infirmi homines ſumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminiſſe quod ſumus, ut ex propria infirmitate penſemus, quo docendi ordine infirmis fratribus conſulamus. Conſideremus igitur quia, aut tales ſumus quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etſi jam, gratia operante, non ſumus; ut tanto temperantius humili corde corrigamus, quanto noſmet ipſos verius in his quos emendamus, agnoſcimus. Si autem tales nec ſumus nec fuimus, quales adhuc illi ſunt quos emendare curamus; ne cor noſtrum forte ſuperbiat, & de ipſa innocentia in pejus cadat; quorum mala corrigimus, alia ipſorum bona nobis ante oculos revocemus; quæ ſi omnino nulla ſunt, ad occulta Dei judicia recurramus: quia ſicut nos meritis nullis hoc ipſum bonum quod habemus, accepimus; ita illos quoque poteſt gratia ſupernæ virtutis infundere, ut excitati poſterius, etiam ipſa poſſint bona quæ nos ante accepimus, prævenire*.

(*K*) S. Greg. lib. 33. moral. c. 5.

Dixi-

Google

Diximus, *eum, qui cum ſit in peccato mortali, abſque humilitate alium corripit, peccare in hanc virtutem*. Neque enim contendimus, eum peccare contra præceptum correctionis fraternæ, licet correpto cognitum eſſet ejus peccatum: *Quia*, inquit Sylvius *(a)*, *non tenetur agere pœnitentiam, ut alia opera miſericordiæ faciat abſque peccato; Ergo neque iſtud*. Ita hic Theologus, qui alteram hanc addit rationem: *Correptio fraterna non eſt opus aliqua conſecratione ſanctificatum. Ergo non requirit ſanctitatem in operante*. Qui plura hujuſce rei requiret argumenta, adeat hunc auctorem.

(a) Sylvius in 2. 2. p. 33. art. 5. q. Utrum peccatra &c.

CASUS VI.

Probus, ſancti Optati Parochus, qui novit unum e ſuis ſuperioribus in occulto carnalis libidinis commercio vivere; tenetur ne ex præcepto caritatis fraternæ, ipſum occulte corripere; præſertim ſi ſit convictus, correctionem ſuam fore efficacem?

Respons.

Cum debita proximo noſtro caritas non ad inferiores tantum, ſed etiam ad ſuperiores pertineat; non dubium eſſe poteſt, quandoque inſtare præceptum de correctione fraterna Superioris ſui, cum juſte exiſtimari poteſt, hanc ei fore utilem; qua in re adhibenda eſt magna ſapientia, prudentia & reverentia. *Correctio fraterna*, inquit Sanctus Thomas *(b)*, *quæ eſt actus caritatis, pertinet ad unumquemque reſpectu cujuslibet perſonæ, ad quam caritatem debet habere, ſi in eo aliquid corrigibile inveniatur. Actus enim ex aliquo habitu vel potentia procedens, ſe extendit ad omnia quæ continentur ſub objecto illius potentiæ vel habitus; ſicut viſio ad omnia quæ continentur ſub objecto viſus. Sed quia actus virtuoſus debet eſſe moderatus debitis circumſtantiis: ideo in correctione qua ſubditi corrigunt Prælatos, debet congruus modus adhiberi; ut ſcilicet non cum protervia & duritia, ſed cum manſuetudine & reverentia corrigantur*. Unde Apoſtolus dicit 1. ad *Timotheum V.* Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem. Addit ſanctus Doctor *(c)* hanc exceptionem: *Sciendum tamen eſt*, inquit, *quod ubi immineret periculum fidei, etiam publice eſſent Prælati a ſubditis arguendi. Unde & Paulus qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circa fidem Petrum publice arguit (d)*: & ſicut Gloſſa Auguſtini dicit ad Galatas II. *Ipſe Petrus exemplum majoribus præbuit, ut ſicubi forte rectum tramitem reliquiſſent, non dedignentur etiam a poſterioribus corripi*.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 4. in corp. & in 4. diſt. 19. art. 2. qu. 3. in corp.

(c) Idem cit. art. 4. ad 2.

(d) Galat. 2. 14.

Ex his igitur regulis agendi rationem Probus debet componere erga Superiorem ſuum; quem reipſa ſecreto corripere tenetur, ſi ad ejus emendationem talis ab eo correptio utilis proſpiciatur, debitam ei reverentiam obſervando, ceteraſque regulas quas in pari caſu requirit Chriſtiana prudentia: attamen caritatis illud officium omittere poteſt, ſi inutilem fore correptionem ſuam probabiliter judicet.

CASUS VII.

Trophimus, vir nobilis, cui duo ſunt filii; quorum alter viginti, alter viginti quinque annos natus eſt, quique perditam vino ac meretricibus vitam ducunt, eos accurate de pravis eorum moribus increpat, nunc minas, nunc pia ac ſalutaria verba ſuis addens objurgationibus: Sed fruſtra: cum enim ad eam pervenerint duo illi nati ætatem, quæ jam verberibus non eſt obnoxia, penitus verba patris ac pia monita reſpuunt; iſque nihil proficit. An dici poteſt, eum tamen apud Deum de eorum licentiori vita eſſe reſponſurum; & a peccato, ſaltem mortali, eſſe immunem, eos in poſterum, uti ante, verbis increpando?

Respons.

Ex ductu ſuo erga filios non fit innocens coram Deo Trophimus a ſceleribus eorum, licet ſpecioſo quodam caritatis velo obtegatur. Id quidem facillime evincit exemplum ex Scriptura ſacra depromtum *(e)*: Heli erat pontifex maximus, atque in omnium conſpectu vitam ſanctam & integram agens; nihilque in eo erat, quod juſte reprehenderetur, niſi nimia in filios ſuos improbos indulgentia, ad quorum malitiam reprimendam patriam non adhibebat auctoritatem, etſi eos pathetice admoneret, eoſque ſua edoceret officia. *Quamquam ſeni illi*, inquit ſanctus Chryſoſtomus *(f)*, *præter negligentiam* (in filiis caſtigandis) *nihil quod crimini daret, habuit Deus. Erat enim admirandus in ceteris*. Addit hic Sanctus, multos eſſe parentes, qui cum longe ab apparenti diſtent hujuſce pontificis ſanctitate, filioſque habeant vitiis deditos, quibuſdam ſunt contenti, ut Heli, objurgationibus, nec ultra progrediuntur, quod ex eorum inobedientia & pertinacia inutiles fiant correctiones ſuæ. Non minus deflenda eſt ſors illorum patrum quam Heli ipſius, de quo ſanctus Hieronymus *(g)*: *Heli Pontifex .... corripuerat quidem filios; ſed quia non abjecerat delinquentes, retrorſum cecidit, & mortuus eſt*. Cum igitur verba non proſunt, ad minas ac verbera veniendum, aut aliis ſeveriſſimis utendum viis; neque ob aliud Heli factus eſt reus & ſubita morte correptus, niſi quia huic defuerat officio, filiorumque ſuorum temporalem gloriam famamque divino cultui antepoſuerat, eos ab Altaris miniſterio non amovendo; ut ait Scriptura *(h)*: *Magis honoraſti filios tuos, quam me*. Id ipſum loco citato obſervat S. Chryſoſtomus: *Namque & minas ille addere debuerat*, inquit ſanctus Doctor, *& a ſuo eos conſpectu amovere atque abdicare, etiam & verberibus afficere, multoque illis gravius & durius inſtare. Quia igitur nihil horum egit, verborum tantum monitis contentus fuit; & illis & ſibi ipſi Deum adverſum infeſtumque conſtituit*. Hæc fuit cauſſa malorum ejus & forſan æternæ damnationis, uti ſentiunt permulti Eccleſiæ Patres. *Quia enim falſa pietate ſuperatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud diſtrictum judicem ſemet ipſum cum filiis crudeli damnatione percuſſit*, inquit ſanctus Gregorius Magnus *(i)*: *cumque improbe & intempeſtive filiis parceret, & ſuam ſimul & illorum ſalutem perdidit*, ait etiam ſanctus Chryſoſtomus. *Heli Sacerdos pro eorum* (filiorum) *iniquitate damnatus eſt, quod eos peccantes minus ſevera animadverſione plectebat*, ait venerabilis Beda *(k)*.

(e) 1. Reg. 2. 22. & ſeqq.

(f) S. Chryſ. l. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ.

(g) S. Hieron. l. 1. contra Jovinianum c. 40.

(h) 1. Reg. 2. 29.

(i) S. Greg. 2. part. Paſtoralis. c. 6.

(k) Beda qq. ſuper 1. Reg. 2.

Formidandum ſane iis patribus videri debet illud exemplum, qui aliquo etiam religionis ſenſu afficiuntur, quique, cum filios habeant vitiis deditos, non omnem ſibi a Deo conceſſam in eos auctoritatem adhibent, ut eos a libidinibus ſuis avertant, eorumve in vitiis pertinaciam, quanta fieri debet, ſeveritate non caſtigant. Unde præciſe ad caſum propoſitum reſpondentes concludimus, Theotimum, virum nobilem, ac proinde omni neceſſaria poteſtate munitum ad puniendos filios ſuos, eorum libidinum fieri conſcium, ſi nudis verbis contentus, acerbiſſimas etiam non adhibeat rationes quas poteſt, ut vitia eorum comprimat *(l)*.

(l) Colloq. Petr. tom. 3. Colloq. 2. q. 1.

Vide { Accusator, *Caſ.* 2. / Denuntiare, *Caſ.* 1. 2. & 4. }

CREDITOR.

Vide { Debitum. / Hypotheca. }

CRIMEN.

Vide (Impedimentum *Criminis*.)

DAMNA & INTERESSE.

PECUNIÆ ſummæ creditori, aut accuſatori, aut cuicumque alteri perſonæ, de accepta ab adverſario injuria conquerenti, adjudicatæ, juxta forenſem ſtilum *damna & intereſſe* dicuntur, juxta hæc Legis verba (*a*): *Ut damneris mihi, quanti intereſt mea*: & hæc alia: *Quanti res eſt, quanti adverſarii interfuit* (*b*). V. g. venditor qui eſt in mora erga emtorem, qui ex hac traditionis mora damnum patitur, damna & intereſſe ipſi debet ſolvere pro rata detrimenti, quod emtor ex hac mora paſſus eſt. *Si res vendita non tradatur, in id quod intereſt, agitur*, ait Lex, *hoc eſt, quod rem habere intereſt emtoris* (*c*). Secundum exemplum. Venditor prædii, qui, cum illud tempore conſtituto tradere debeat, fructus ejus percipere perſeverat, de eorum pretio erga emtorem tenetur; *Cum per venditionem ſteterit, quominus rem tradat, omnis utilitas emtoris in æſtimationem venit, quæ modo circa ipſam rem conſiſtit*, ut loquitur Lex alia (*d*). Tertium exemplum. Homo occidit hominem, qui labore ſuo mulierem pueroſque ſuos ſuſtentabat, aut ipſi brachium abſcindit; omnibus damnis & intereſſe damnari debet, ad ſatisfactionem injuriæ homini huic ejusve familiæ illatæ.

(*a*) Leg. Naturalis. 5. §. 1. ff. de præſcriptis verbis, L. 19. tit. 5.

(*b*) *Qui reſtituere juſſus.* 68. ff. de rei vindicat. l. 6. tit. 1.

(*c*) Leg. *Si res.* ff. de act. emti. & venditi l. 19. tit. 1. Leg. *Ex empto.* 21. §. 3. ff. eod. tit. Leg. *Adverſus.* 4. & Leg. *Cum ſuper* 1. Cod. eod. tit. l. 3. tit. 32.

(*d*) Leg. *Si ſterilis.* 21. l. 1. ff. de actionibus emti & vendit.

Omnia damna & intereſſe, quæ frequentius intereſſe Civilia dicuntur, ut diſtinguantur ab aliis pœnis quæ criminibus ſolent inferri, in ſolidum debentur, & etiam per incarcerationem in cauſſa criminali.

Diſcrimen intercedit inter intereſſe, & damna & intereſſe. Intereſſe ſimpliciter appellatur Indemnitas, de qua tenetur debitor erga creditorem ob damnum ipſi illatum, ex dilatione ſolutionis pecuniæ debitæ ultra tempus præſtitutum: aut cum emtor emti ſolutionem differt ultra terminum ex qua dilatione detrimentum aliquod patitur venditor: aut denique cum locatori rei conductæ pretium differt conductor; unde locatori damnum advenit.

Damna vero & intereſſe dicuntur aliæ omnes indemnitates, qualecumque ſit illatum damnum. V gr. quando minutas in domo locantis reparationes non fecit conductor, ex quo ruina ædibus imminet: quando architectus ædium conſtructionem aut reſtitutionem in ſe ſumſit, iiſque reficiendis vitioſam adhibuit materiam, unde pejores factæ ſunt. Quando pupilli bona tutor neglexit, aut commercii ſocius res ſocietatis ſibi commiſſas: ii omnes de damnis & intereſſe tenentur erga eos, qui jacturam quamdam paſſi ſunt.

Duplex eſt, ubi de damno & intereſſe agitur, perpendenda quæſtio; ſcilicet quæſtio facti, qua veritas facti inquiritur; v. gr. utrum eventus contigerit, an non; & actor re ipſa detrimentum paſſus ſit: & queſtio juris; qua petitur, an re ipſa ſint debita damna & intereſſe, & quo pacto ferri debeat ſententia: unde oritur alia quæſtio, ſcilicet, ut probe dignoſcatur, in quo poſita ſint damna & intereſſe, hoc eſt, quam ſummam præſtare teneatur is qui damnum intulit, quodque de iis judicium ferre Judex teneatur, in ordine ad cauſſam, conſecutiones, ſeu proximas, ſeu remotas, & rei circumſtantias, tam quoad compenſationem realem & actualem detrimenti quod actori illatum eſt, quam quoad lucrum inde futurum, quo privatus eſt, ſeu etiam quoad caſus, in quibus intervenit dolus, aut mala fides, aut ſolum ignorantia, inadvertentia, negligentia, aut alia quævis culpa, quæ in jure *levis* (*e*) dicitur: quæ omnia ſerio conſiderare debet Judex æquiſſimus.

(*e*) Vide titulos *Uſura ultra ſortem*: & *Uſura uſuræ*.

Juvat etiam advertere, quosdam eſſe caſus, in quibus reus a damno & intereſſe præſtando non eximitur, licet bona fide egerit, nullamque culpam admiſerit. V. g. domum vendidi, quam meam eſſe putabam; a meo emptore evincitur; meum eſt invalidam efficere petitionem; alioqui damnum & intereſſe evictionis præſtare emtori meo teneor, etſi bona fide vendita res a me fuit; neque ulla mihi culpa poſſit imputari. * *Evicta re*, inquit Lex (*f*), *ex empto actio non ad pretium dumtaxat recipiendum, ſed ad id quod intereſt competit*. Hæc ſunt potiſſimum regulæ hac in re ſcitu neceſſariæ.

(*f*) Leg. *Evicta*. 70 ff. de evictione & Leg. *Si in venditione*. eod. ib. l. 21. tit. 2.

* Poſſunt juxta Juriſconſultos eſſe caſus in quibus qui obligationi ſuæ non feciſſet ſatis, v. g. qui ſe ad arma, aut cibaria, aut pabula exercitui ſuppeditanda obligaſſet, quæ tamen non ſuppeditaſſet, poſſet non ſolum ad damna & intereſſe damnari, ſed etiam ad alias pœnas, quamvis abſque mala fide omiſiſſet ſuæ obligationi ſatisfacere; nam tunc agitur de bono publico, & conſequenter res ita gravis eſt momenti, ut leviſſima culpa non levibus pœnis punienda ſint.

CA-

CASUS PRIMUS.

LEUFRIDUS, inſtante Gerberto, ex judicis ſententia quingentis libris erga eum damni & intereſſe damnatus eſt, quod emtas ab eo merces & ſolutas eo ipſo die non tradidiſſet, quo ad Indias Occidentales in navim erant tranſportandæ. Numquid tuta conſcientia, uſuras hujuſce ſummæ, ſi forte juridice ſibi adjudicentur, exigere poteſt Gerbertus, quod in mora ſit Leufridus ad ſolutionem hujus ſummæ?

RESPONS.

Multum a ſe invicem diſcrepant uſuræ ex pecunia mutua provenientes, quibus ob dilatam ſolutionem a Judice damnatur debitor, & id quod *damnum & intereſſe* dicitur. Nam obtineri poteſt ſententia, qua quis ad ſolutionem uſuræ unius ſummæ, quæ pro *damno & intereſſe* fuerit adjudicata, damnabitur, ut in caſu propoſito. Ratio eſt, quia *damna & intereſſe* ſortem efficiunt, quæ boni naturalis & realis loco habetur, quo is cui fuere adjudicata, injuſte privatus eſt ab eo, qui ea tamquam legitimam reſtitutionem reddere tenetur (*a*). Unde concludendum, Gerbertum exigere poſſe uſuras 500. librarum, quibus ſolvendis damnatus eſt ad ejus inſtantiam Leufridus, pro ſuo damno & intereſſe; quamvis ex illis auctis uſuris alias non poſſit exigere uſuras, ut ſuo loco oſtendemus (*b*). Idem dicendum de impenſis æſtimatis litis, quibus ex Arreſto quis fuiſſet damnatus. Nam ſors eſt etiam, quæ ſummæ pecuniæ locum tenet, quam ad impenſas litis obtentæ impendit is, cui fuere addictæ: quod dici nequit de uſura, quæ ex mutuo procedit (*c*).

(*a*) *Ut damnaveris mihi quanti intereſt mea illud*. Leg. *Naturalis*. 5 §. 1. ff. de præſcriptis verbis &c. lib. 19. tit. 1.

(*b*) v. *Uſura uſuræ*.

(*c*) D. Domat. Leg. Civil. &c. tom. 1. pag. 318. edition. in 4.

CASUS II.

BERNARDUS emtas a Floriano oves ſex contagio infectas cum ſuis permiſcens, eas non modo poſtera die amiſit, ſed communicato morbo e grege ſuo quinquaginta ovium, 15. aut 20. oves paucis diebus interiere: quare integram a Floriano compenſationem poſtulat Bernardus. Numquid ad eam tenetur Florianus, ita ut omnes ex morbo contagioſo amiſſas oves præſtare debeat?

RESPONS.

Si Florianus bona fide egerit, hoc eſt, ita ſex ovium a ſe venditarum morbum ignoraverit, ut nulla ei culpa poſſit adſcribi, de ſex illis tantum a ſe venditis tenetur; ejuſque obligatio ad alias non extenditur, quarum jactura reſpectu illius eſt caſus fortuitus. At ſi noverit, ſex illas oves hoc morbo laborare, nec emtorem admonuerit; aut adeo craſſa ac culpabilis fuerit ejus ignorantia, ut excuſari nequeat; totum Bernardi damnum præſtare tenetur, quod ob malam ſuam fidem aut culpam reparare obligatur. *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata*, inquit Gregorius IX. (*d*)... *aut hæc imperitia tua ſive negligentia evenerunt; jure ſuper his ſatisfacere te oportet. Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.*

(*d*) Greg. IX. in cap. *Si culpa*. fin. de injuriis & damno dato l. 5. tit. 36.

Cum jure Romano conſentit hæc Deciſio: ſic enim ea de re loquuntur Leges (*e*): *Julianus libro quinto decimo inter eum, qui ſciens quid, aut ignorans vendidit, differentiam facit in condemnatione ex emto. Ait enim: qui pecus morboſum, aut tignum vitioſum vendidit, ſi quidem ignorans fecit, id tantum ex emto actione præſtaturum, quanto minoris eſſem emturus, ſi id ita eſſe ſciſſem. Si vero ſciens reticuit, & emtorem decepit; omnia detrimenta quæ ex ea emtione emtor traxerit, præſtaturum ei. Sive igitur ædes vitio tigni corruerint, ædium æſtimationem; ſive pecora contagione morboſi pecoris perierint, quod interfuit idonea veniſſe erit præſtandum.*

(*e*) Leg. *Julianus* 13. ff. de act. emti, & venditi. init. & §. 1. Item l. 19. §. 1. ff. locati &c.

Ex hoc principio innumeræ hujuſmodi difficultates ſolvi poſſunt. Id tantum addimus, quod licet homo fuerit in bona fide & abſque culpa, ad damna tamen & intereſſe tenetur conſecutionum remotarum facti præcipui, cujus cauſſa debentur; cum hoc unum factum diverſas illas parit jacturas. Sic v. g. ſi architectus, cui neceſſaria ad reficiendam domum pecunia ſubminiſtrata eſt, quique eam intra tres menſes perfectam promiſit pro conductore, cui in anteceſſum locata eſt octingentis libris pro quolibet anno; eam ita reddit imperfectam, ut denuo illam ædificari neceſſe ſit, ſeu quod ruant fundamenta, aut aliter; non ſolum impenſas ad eam iterum ædificandam præſtare tenetur, ſed etiam omnes conſecutiones, quantumvis remotæ videantur; uti damnum, quod patitur dominus domum ſuam non locans, nec non etiam damna & intereſſe, de quibus tenebitur dominus erga eum cui domum locaverat, nec eam præſtituto tempore habitare potuit. Ratio eſt, quia diverſas illas jacturas parit unica architecti culpa. Quod evidenter conſtabit ex lege citata in ſequenti reſponſione (*f*). *

(*f*) Leg. *Cum fundus*. 31. ff. de rebus creditis. lib. 12. tit. 1.

* Hac reſponſione ſatis indicatur *damna & intereſſe* duplicis eſſe generis. Alia tam immediate ex aliquo facto conſequuntur, ut iſti facto tamquam proximæ & unicæ cauſſæ tribuenda ſint. Alia vero remote tantum ex facto conſequuntur. Porro quando damna & intereſſe ex aliquo facto remote tantum, immediate vero ex alia cauſſa procedunt, aliter reſpondendum eſt. Ut autem adducto res clarius pateat exemplo, proponitur caſus. PETRUS vehicula ad aſportandam determinato die vindemiam conduxit, quibus non ſubminiſtratis, decerpi uvæ non potuerunt; ex quo contigit ut ſuperveniens grando omnino vaſtaverit vineam ex cujus fructibus unice ſperabat debitum ſe ſoluturum eſſe creditori, cujus efflagitatu poſtea Petri omnia bona apprehenſa ſunt & vendita. In propoſito, inquam, caſu aliter dicendum foret de damnis & intereſſe ex apprehenſione & venditione bonorum Petri conſequentibus: nam quamvis Carrucarius iſte, ſeu Vector ad refundendum majus pretium, quo Petrus ad tranſportandam vindemiam vehicula conduxiſſet, aut etiam ad aliquid ſecundum circumſtantias propter damnum quod grando intulit reſtituendum teneretur; non tamen teneretur ad damna & intereſſe refundenda quæ ex venditione bonorum ſecuta ſunt; nam venditio bonorum Petri aliquatenus re ipſa ſequitur ex eo quod Vector promiſſis non ſteterit ſuis, ſed remotiſſime; proxime vero & immediate ſequitur ex eo quod res Petri ſe jam antea male haberent. Cui malo rerum ſtatui potius quam Vectori promiſſionis non tenaci bonorum venditio tribuenda videtur.

CASUS III.

ARTURUS architectus domum ædificandam intra quatuor menſium ſpatium ex pacto cum Alexandro inito ſuſcepit, ea etiam conditione, ut ſingulis diebus duodecim opifices ad ejus conſtructionem adhiberet; & ſi intra tempus conſtitutum non eſſet perfecta, erga eum damni & intereſſe teneretur: Verum adhibita, quam maximam potuit, diligentia, locatiſque etiam duodecim operariis, non niſi poſt menſem ultra præfixum terminum eam perficere potuit. Numquid damna & intereſſe jure poteſt ab Arturo exigere Alexander?

RESPONS.

Exiſtimamus, Alexandrum damnum & intereſſe ab Arturo jure non poſſe repetere in caſu propoſito. Cum enim ob culpam ſuam ſuſceptum opus conficere non poteſt opifex; dator neceſſarium ad ejus confectionem tempus prorogare debet, quodque juxta æſtimationem prudentum ſit ſufficiens; neque ob moram ullum damnum & intereſſe poteſt exigere, licet inter ſe & conductorem pacto fuerint admiſſa; quia ad impoſſibile nemo tenetur. *In operis locatione erat dictum, antequam diem effici deberet. Deinde ſi ita factum non eſſe, quanti locatoris interfuiſſet, tantam pecuniam conductor promiſerat. Eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus vir bonus de ſpatio temporis æſtimaſſet: quia id actum apparet eſſe, ut eo ſpatio abſolveretur, ſine quo fieri non poſſit.* Hæc ſunt propria Legis verba (*g*), quæ hanc ſolvit difficultatem juxta iſtam juris regulam (*h*): *Impoſſibilium nulla obligatio eſt.*

(*g*) Leg. *Inſulam* 58. §. 1. ff. locati conducti. lib. 19. tit. 2.

(*h*) Leg. *Impoſſibilium* ff. de div. reg. juris antiqui

Advertendum tamen, generaliter loquendo, quod, ſi promiſſum ad certam diem opus, quod nullam patitur moram, ut ſi agerentur merces die

nundinarum vendendæ, aut ad tranſvectionem quæ transferri non poteſt, deſtinatæ, de damnis & intereſſe moræ teneretur conductor, atque ſibi culpam adſcribere deberet de re ſuſcepta, quam perficere non poterat. *Imperitia culpæ adnumeratur* (*a*). Cui deciſioni conſentiunt etiam verba Gregorii IX. in præcedenti deciſione relata. *Si culpa tua datum eſt damnum vel injuria irrogata .... aut hæc imperitia ſive negligentia evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere te oportet: nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.*

(*a*) Leg. *Imperitia*. 174. ff. eod. tit. & Leg. *Idem*. 8. §. 1. ff. ad Leg. *Aquiliam*. l. 9. tit. 21. & § *Imperitia*. 7. Inſtit. de Leg. *Aquilia*.

CASUS IV.

Cum Arnaldus domum Renato vendidiſſet, hanc ab iſto refectam, auctam & multis picturis aliiſque munditiis, non ſine magnis ſumtibus, ornatam evicit Antonius, atque ab ea expulſus eſt. Quare ab Arnaldo impenſas quas bona fide confecit, Renatus requirit. Numquid omnia Renati damna & intereſſe præſtare tenetur Arnaldus?

RESPONS.

Si Arnaldus ſit venditor ex bona fide, ac jure venditam Renato domum ſuam eſſe præſumere poſſit; tenetur quidem 1. evictionis impenſas præſtare: quia cum omnis venditor naturaliter pro ſe vendita ſpondeat, Antonii petitionem invalidam efficere tenebatur. 2. Venditionis etiam pretium emtori reſtituere tenetur. 3. Ad damna & intereſſa erga Renatum etiam obligatur. *Evicta re*, inquit Lex (*b*), *ex emto actio, non ad pretium dumtaxat recipiendum, ſed ad id quod intereſt competit.*

Verum ad res ſuperfluas & ob delectationem tantum factas non extenditur illa indemnitas: *Quidquid enim ſine dolo & culpa venditoris accedit: in eo venditor ſecurus eſt*, inquit Imperator Juſtinianus (*c*). Adde, *quod pretia rerum non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur*, ait Lex (*d*). *Non affectiones æſtimandas eſſe puto, ſed quanti omnibus valeret*, inquit alia Lex (*e*).

Sed contra, ſi Arnaldus ſit malæ fidei venditor, nec ſe dominum domus eſſe noverit; certum eſt, quod emtori ſuperfluas, quas non feciſſet, abſque mala ejus fide, impenſas præſtare tenetur; ut probant hæc Digeſtorum verba (*f*): *In omnibus tamen his caſibus, ſi ſciens quis alienum vendiderit, omni modo teneri debet.* Ratio eſt, quia licet futuras emtoris impenſas ignorare potuerit; ignorare tamen non debuit, in venditione ſua omne malum futurum comprehendi; quod proinde præſtare teneretur, ex his alterius Legis verbis (*g*): *Cum fundus .... per conditionem petitus eſſet; puto hoc nos jure uti, ut poſt judicium acceptum cauſſa omnis reſtituenda ſit; id eſt, omne quod habiturus eſſet actor, ſi litis conteſtatæ tempore ſolutus fuiſſet.*

(*b*) Leg. *Evicta*. 70. ff. de evictionibus, &c. l. 22. tit. 2.

(*c*) §. 3. Inſtitut. de emt. & vendit. l. 3. tit. 24.

(*d*) Leg. *Pretia* 61. ff ad Leg. *Falcidiam*. l. 35. tit. 2.

(*e*) Leg. *Si ſervum* 33. ff. ad Leg. *Aquiliam*.

(*f*) Leg. *Idque*. 45. §. 1. de actionibus emti. & vend. l. 19. tit. 1.

(*g*) Leg. *Cum fundus*. 31. ff. de rebus creditis &c.

CASUS V.

Gratianus, poſt legatam Claudio villam quam Juliano locarat, octo poſt diebus obiit. Qua de re quæritur: 1. Utrum Claudius Julianum poſſit expellere. 2. Utrum Julianus expulſus ab herede Gratiani damna ſua & intereſſe jure poſſit repetere?

RESPONS.

Ad primam quæſtionem reſpondemus, Claudium legatarium non teneri de locationis contractu, quo teſtatoris villam Julianus conduxerat. Nam mutato domino finitur locationis contractus. Cum igitur ad legatarium non minus pertineat dominium, quam ad emtorem; in hoc teſtatoris contractum præſtare non tenetur.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondendum, Julianum conductorem expulſum a Claudio legatario, damna ſua & intereſſe ab herede Gratiani jure poſſe repetere, quia heres defuncti facta præſtare tenetur. *Qui fundum colendum in plures annos locaverat, deceſſit, & eum fundum legavit*, ait Lex (*h*). *Caſſius negavit poſſe cogi colonum, ut eum fundum coleret; quia nihil heredis intereſſet. Quod ſi colonus vellet colere, & ab eo cui legatus eſſet fundus, prohiberetur, cum herede actionem colonum habere, & hoc detrimentum ad heredem pertinere.*

Hactenus dictis addendum eſt, colono ſeu conductori expulſo, competere etiam jus hypothecæ pro conductione ſua in fundum venditum aut legatum; eumque agere poſſe cum legatario aut emtore pro damnis ſuis & intereſſe, quæ pro interrupta conductione ſua poteſt repoſcere; ſalvo legatarii in heredem & emtoris in venditorem recurſu: cum uterque coloni jura erga emtorem & legatarium præſtare debeat, ut obſervat D. Domat in eximio Opere ſuo inſcripto: *Leges civiles juxta ordinem ſuum naturalem digeſtæ* (*i*).

(*h*) Leg. *Qui fundum*. 32. ff locati conducti.

(*i*) D. Domat. tom. 1. de Edicto in 4. pag. 298.

Vide { Usuræ. Locatio. Restitutio *ex Locato*. }

DEBITUM.

Debita alia ſunt activa, alia paſſiva. Debiti activi nomine intelligitur, id quod alicui eſt debitum. Paſſivi vero debiti nomine intelligitur debitum, quo quis alteri obligatur.

Dividitur etiam debitum in perſonale ſeu mobile, & debitum reale, ac mixtum, ſeu reale ſimul & perſonale. Unde triplex diſtinguitur actio, quæ creditori competit in debitorem.

Prima eſt actio perſonalis, qua lis infertur ad obtinendam ſententiam in perſonam debitoris.

Secunda: actio realis, qua debiti exigitur ſolutio, qua fundus tantum tenetur.

Tertia eſt actio, quæ mixta dicitur, hoc eſt, partim realis, partim perſonalis.

Duplicis inſuper generis debita diſtinguuntur: alia certa; alia incerta. Certa dicuntur debita, quorum notus eſt creditor; incerta vero quorum eſt ignotus.

Alia ſunt hypothecaria, pro quorum videlicet ſolutione oppignoratus eſt fundus publici ope inſtrumenti coram Notario, aut quæ talia ſunt ex Lege aut Conſuetudine: alia vero chyrographaria; hoc eſt, quæ ex ſimplici ſchedula a debitore obſignata debentur.

Alia ſunt in diem ſolvenda; alia pro voluntate debitoris; debita in diem, quæ proinde, non niſi præterito die poſſunt exigi, poſſunt ante terminum pro nutu debitoris repræſentari; & ſi forte ſolutionem debiti, deneget creditor, ab eo ſe expedire poteſt debitor, depoſita juridice & juxta præſcriptas formulas pecunia.

Denique ex debitis alia ſunt naturalia, alia quæ dicuntur civilia, quorum diſcrimen in hoc titulo explicabitur.

Debi-

Debita diſſolvi poſſunt ſolutione, remiſſione, ſeu voluntario creditoris dono, compenſatione, & præfixo ſolutionis tempore: & aliquando a debitis quis liberatur ex caſu pure fortuito, qui abſque debitoris culpa contigit, quique in quibuſdam caſibus ex eo fit a debito immunis. Qualis eſſet eventus coloni, qui ex conducto pecunia ad annum prædio fructus non percepiſſet, ob caſum Eluvionis, Gelu, Grandinis aut Belli. Tum enim colonus ab omni villicationis ſuæ pretio, vel pretii parte fit liber, ſi omnes fructus non amiſerit (a).

(a) Leg. *Ex Conducto* 14. §. 2. & Leg. *Si merces*. 25. §. 6. ff. Locati. l. 19. tit. 2.

Denique quod ad debitorum ſolutionem pertinet, ubi de prioritate creditorum agitur, quiſque ſtare debet Provinciæ ſuæ Conſuetudini; cumque nulla eſt inter eos prioritas, ac paribus gaudent titulis; debitorum ſolutio penſanda eſt pro æquitate & etiam neceſſitate creditorum, qui magis poſſunt egere; aut ſaltem vetuſtiſſima credita ſunt ſolvenda, ac certa incertis per ſe anteponenda.

CASUS PRIMUS.

FABRICIUS, pupillus, a Jacobo ſummam 300. librarum mutuatus eſt abſque Tutoris ſui conſenſu: Nonne tenetur hanc pecuniæ ſummam Jacobo reddere, qui tempore mutuationis apprime novit eum eſſe minorem?

RESPONS.

Juxta Leges civiles, quarum regulas in hujuſmodi caſibus ſequi licet; ad ſolutionem mutuo acceptæ pecuniæ non tenetur pupillus, qui ea abuſus eſt, cum talem abuſum proſpicere debuit creditor. Igitur, ſi mutuatas a Jacobo 300. libras in ludum aut libidines inſumierit Fabricius, aliuſve uſus inutiles; dici poteſt, quod ad earum reſtitutionem cogi non poteſt Fabricius; quia ſummam hanc illi pupillo mutuam dando, pœnam amiſſionis quam ſtatuit Lex, acceptavit Jacobus, & aliunde pœnam hanc meritus eſt; cum nimia ſua indulgentia, abuſus illius pecuniæ a Fabricio procuravit contra finem Legis, quæ bonorum pupilli diſſipationem impedire contendit.

Sed ſi contra Fabricius pecuniam hanc aut ad utiles aut neceſſarios uſus adhibuerit, atque adeo ex ea ditior factus ſit, ſuis parcendo rebus ope illius mutui; eam Jacobo reſtituere tenetur, ad quam pariter reſtitutionem eum jure naturali obligari exiſtimamus; ſi bona fide & ipſius utilitatis gratia eam commodaverit Jacobus.

Ut caſus utriuſque noſcatur diſcrimen, ſciendum duplicem eſſe obligationem, aliam civilem, aliam naturalem; obligatio naturalis dicitur, quæ ſola naturali æquitate nititur: obligatio vero civilis ea eſt, quam ſtatuit Lex Principis: atqui, licet civili Lege ad ſolutionem debitorum ſuorum non obligetur pupillus; exigit tamen Lex naturalis, ut debita ſolvat ad utilitatem ſuam contracta, cum ab eorum ſolutione Lege Principis non ſit liber, ne facilius nimia ſibi contrahat debita. Hic eſt verus Legis ſcopus, ut jam diximus: quocirca, ſi ex mutuo Jacobi utilitatem perceperit Fabricius, ad reſtitutionem illius ob ejus bonam fidem, perceptumque ex eo commodum æquitate naturali obligatur.

Id ipſum confirmat Lex Digeſtorum his verbis (b): *Naturaliter obligabitur, in quantum locupletior factus* (pupillus). Alioqui pupillus bona ſua cum alterius detrimento poſſet augere; quod Legi naturali repugnat. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*, inquit Bonifacius VIII. (c): quod ad caſum propoſitum refert Gloſſa. *Nam ex quo conſtat*, inquit, *quod pupillus ex pecunia mea fuit factus locupletior, eſſet contra naturam, quod ipſe locupletaretur cum damno meo*.

(b) Leg. *Pupillus*. 5. ff. de auctor. & conſenſu tutor. & curat. lib. 26. tit. 8.

(c) Bonif. VIII in reg. 48. de reg. juris, in 6.

CASUS II.

PROSPER, Dionyſio 20. debet dupliones; cumque noverit, ipſum mutuam quærere pecuniam, ut in pravos uſus inſumat; tenetur ne, aut etiam poteſt ne illi debitos reddere dupliones, quibus eum male uſurum prævidet?

RESPONS.

Reſpondemus Proſperum non teneri ad reſtituendos Dionyſio 20. dupliones; dum moraliter ipſi certum eſt, quod hanc pecuniæ ſolutionem ad pravos uſus convertet. Ratio eſt, quia debiti ſolutio ſummæve reſtitutio in ſolam creditoris utilitatem tendere debet; quocirca ipſi non eſt reſtituenda, cum ei magis noxia, quam utilis fore prævidetur; alioqui dicendum eſſet, quod ſi Dionyſii enſem Proſper haberet, tum reddendus eſſet, cum quæris eumdem ad occidendum hoſtem; quod omnino dici nequit. *Quando res reſtituenda*, inquit ſanctus Thomas (d), *apparet eſſe graviter nociva ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri: non ei debet tunc reſtitui; quia reſtitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui reſtituitur; omnia enim quæ poſſidentur, ſub ratione utilis cadunt*.

(d) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1.

Attamen, etſi ſolutionem, ſeu reſtitutionem 20. duplionum prorogare debeat Proſper; ea dilatio ad aptiorem tantum temporis occaſionem fieri debet, dum ſcilicet hæc Dionyſio utilis eſſe poſſit ſolutio; juxta hæc quæ ſubjungit, Angelici Doctoris verba: *Nec debet ille qui detinet rem alienam, ſibi appropriare, ſed vel reſervare, ut congruo tempore reſtituat, vel etiam alii tradere tutius conſervandam*.

Sylvii ſententiam in hac deciſione amplectimur (e), ut patet ex ejus reſponſione 28 Martii an. 1643. ad parem difficultatem, in qua Dominicum Sotum, Navarram & Leſſium, laudat & ſequitur: *Si Dominus*, inquit, *repetat rem ſuam ut inſumat in libidines, dilata ſolutione, ſi ſpes malum illud fore impediendum lege caritatis oportet differre, niſi ex dilatione aliquod notabile nocumentum timeatur; quoniam teneor impedire damnum ſpirituale proximi, etiam cum aliquo ejus incommodo temporali*.

(e) Sylvius. reſol. var. v. *Reſtitutio*. 3.

CASUS III.

ENNIUS 2000. librarum retinuit, quæ ad Publium fratrem ſuum pertinent; qui, cum profuſus ſit nepos, ampliſſimum dilapidavit patrimonium, Ita ut ad omnium rerum ſummam inopiam una cum duobus pueris ſuis redigatur. Quærit Ennius utrum 2000. librarum retinere non poſſit ad ſuſtentationem procurandam puerorum fratris ſui, quem eas libras brevi, uti cetera bona, diſſipaturum aſſe pro certo novit; an vero non obſtante illa ratione, hanc ei ſummam reſtituere teneatur.

RESPONS.

Exiſtimamus, Ennium a reſtituendis 2000. librarum fratri ſuo Publio abſtinere non poſſe. Hic enim cum ad ſummam miſeriam ſit redactus; a fratre ſuo, immo vero nec ab iis quibus ei ſuccurrendi ſuppetit facultas, deſeri debet, licet rem omnem ſuam profuderit. Nititur hæc deciſio doctrinæ S. Thomæ (f); qui ſic habet: *Eſt aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, ſi eleemoſynam dare omittat: ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens & urgens neceſſitas, nec apparet in promtu, qui ei ſubveniat: ex parte vero dantis, cum habet ſuperflua, quæ ſecundum ſtatum præſentem non ſunt ei neceſſaria, prout probabiliter æſtimari poteſt*. Unde ſequitur a fortiori magis

(f) S. Th. 2. 2. q. 32. art. 5. ad 3.

gis neceſſe eſſe Publio opitulari de propriis bonis ſuis. *Si enim tunc ei dandum eſt de noſtris bonis*, inquit Sylvius (*a*) in laudata ejus in caſu præcedenti reſponſione, *quanto magis ipſi quod ſuum eſt, reddere oportet? Neque refert*, ſubjungit hic Theologus, *quod bona ſua prodegerit: id enim non ſufficit, ut nuac deſeratur in gravi neceſſitate, quam patitur; ſed bene, ut nec omnia, nec multa ſimul ei diſtribuantur*. Unde Ennius debita 2000. librarum fratri ſuo reddere tenetur, ſi non omnia ſimul, at ſaltem per partes, prout exigent prudentiæ regulæ, diverſis temporibus, & ſecundum Publii neceſſitates. Neque etiam juſtitiæ conformis eſt Ennii cautio, qua ſummam hanc puerorum fratris ſui ſuſtentationi deſtinat: *Cum enim illa ad patrem & non ad ejus filios*, pergit idem Auctor, *(niſi poſt patris mortem) pertineat, non poteſt iis privari pater, quamdiu eget*.

(*a*) Fr. Sylvius reſolut. var. v. Reſtitutio. 4.

CASUS IV.

Evander 100. libras Mævio debet. Is pro certo novit, Mævium parem debere ſummam Servio, a quo ipſam ex ſimplici ſyngrapha mutuatus eſt. Servio 100. libras ſolvit Evander, a quo Mævii ſyngrapham accipit. Numquid ab obligatione Mævio ſolvendi ſic eximitur Evander?

Respons.

Non eſt debitoris ſolvere credita ſui creditoris, eique ipſi ſuum reſtituere tenetur debitor: certum eſt tamen, quod in caſu propoſito Evander 100. libras Mævio a ſe debitas reddere non tenetur; cum pro eo eaſdem Servio ſolverit. Ratio eſt, quia jus Servii in Mævium debitorem ejus acquiſivit Evander, debitam a Mævio ſummam parem ſolvendo, atque ſuam idcirco erga Mævium obligationem ſuſtulit. Ita Angelus de Clavaſio, Silveſter, Medina & Sylvius, (*b*) qui hos laudat; nec non Caballutius (*c*).

Nihilominus, ut fieri poſſit hujuſmodi compenſatio, requiritur, ut duo debita ejuſdem ſint naturæ; nam ſi Mævio creditores eſſent privilegiati ſeu hypothecarii, qui Servio eſſent anteriores, quibus omnibus ſolvendis impar eſſet, ac in primis Servio qui chirographarius eſt tantum debitor, male ſolviſſet Evander, injuriamque ceteris creditoribus intuliſſet, qui, cum Servio ſint anteriores, a Mævio in ſolutione deberent anteponi; & Servius proinde Evandro jus potius transferre non poſſet, quam ipſe habeat, juxta iſtam juris regulam (*d*): *Nemo poteſt plus juris in alium transferre, quam ſibi competere dignoſcatur*. Cui conſentanea eſt hæc etiam alia juris Romani regula (*e*): *Nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe haberet*. Ex quo ſequitur, quod, cum Servio nullum in bona Mævii jus competat in hoc caſu, nullum quoque Evandro jus conferre poſſet ad ſolutionem pecuniæ ab eo acceptæ.

(*b*) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 6. quæſt. 1. concluſ. 7 §. Sexta cauſa & aliud cum Angelus de Clavaſio v. Solutio. n. 23. Silveſter de Prierio. v. eod. q. 7. & Joan. Medina de reſtitut. q. 3.

(*c*) Cab. Jur. can. theor. & prax. lib. 6. c. 22. n. 2.

(*d*) Reg. 73. de reg. jur. in 6.

(*e*) Leg. Nemo. 54. ff. de diverſis reg. jur.

Poſt Angelum de Clavaſio & Silveſtrum aliud quoque obſervat Sylvius his verbis: *Adverte tamen*, inquit hic Theologus, *quod ſolvens filiofamilias ſine conſenſu patris, aut minori ſine conſenſu tutoris vel curatoris, non eſt liber* (etiam in foro interno); *niſi quod ſolutum eſt, fuerit converſum in utilitatem patris, vel minoris*.

CASUS V.

Ælius in conclavi Blaſii patris ſui recens mortui ſyngrapham invenit manu Benedicti ſubſcriptam, qua ſexcentis libris ſibi mutuo ante ſex menſes ob commercium collatis, erga Blaſium ſe teneri fatebatur, cujus proinde ſolutionem a Benedicto requirit, qui tam ſe octo diebus antequam in lethalem morbum ſuum incideret, Blaſio ſolviſſe aſſirmat. Fatetur quidem ſe apocham Blaſii amiſiſſe, ſed ſolutionis veritatem ſe probaturum Ælio profitetur, 1. Teſtimonio trium virorum proborum, in quorum præſentia ſexcentas Blaſio libras reddidit. 2. Ex duobus aliis teſtibus fide dignis, quibus poſtridie ſibi factam oſtendit apocham. Ælius eorum teſtium fidem elevat, & ſolutionem ſuam mordicus exigit. Qua de re quæritur, utrum Ælius Benedictum juridice ad ſolutionem ſyngraphæ illius cogere poſſit abſque peccato?

Videtur quod poteſt. 1. Quia veriſimile eſt, quod ſi Blaſio ſolviſſet Benedictus, ſyngrapham ſuam ex ejus manibus exegiſſet: quo non facto præſumi poteſt, ſyngrapham illam non fuiſſe perſolutam. 2. Quia titulum habet, Benedictus vero teſtes ſolum, quorum affirmatio titulo prævalere non debet.

Videtur ex alia parte, quod non poteſt: quia quinque teſtes habet pro duobus, qui plus quam ſatis eſſe deberent: quandoquidem ex duorum teſtimonio proborum morte reum damnare queat Judex, & ex Scriptura ſacra (*f*): *In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum*.

(*f*) 2. Cor. 13. 1.

Respons.

Noſtra fert ſententia, Ælium abſque peccato ſexcentarum librarum ſolutionem poſſe exigere a Benedicto, eumque non teneri fidem adhibere teſtibus quos producere vult Benedictus. Ratio eſt quia ſubſcripta quam habet ſyngrapha titulus eſt qui certus videtur, quique natura ſua minime dubius eſt, utpote propria Benedicti manuſcriptus & ſubſcriptus. Contra vero probatio per teſtes quam ſequi vult Benedictus, eſt æquivoca & incerta, neque adeo Ælii titulum infirmare poteſt.

Dicimus hanc probationem eſſe æquivocam & incertam. Nam 1. qui ducentorum nummorum numerationem ſe vidiſſe aſſerunt teſtes tres, iidem pro certo & indubitanter affirmare nequeunt, eos numeraſſe Benedictum ad ſolutionem ſyngraphæ de qua agitur, cum talis numeratio de facili fieri potuit pro alia forſan ſumma a Benedicto aliunde, quam per illam ſyngrapham Blaſio debita; aut etiam ad perficiendam ſolutionem majoris ſummæ ipſi mutuo datæ: cum impoſſibile non ſit, immo plerumque fieri ſoleat, præſertim inter mercatores, ut eidem creditori plures diverſas ſummas idem debeat. Unde ſequitur, quod, licet affirmarent illi teſtes, Blaſium ducentos illos nummos a Benedicto acceptos habuiſſe; hinc colligi non poſſet, eam quam poſtulat Ælius, ſummam jam perſolutam fuiſſe patri ſuo.

2. Ob eamdem rationem inſufficiens quoque eſſet aliorum teſtimonium duorum; qui teſtarentur, ſe apocham ducentorum nummorum vidiſſe inter manus Benedicti; cum affirmare non poſſent apocham illam ad ſyngrapham pertinere cujus ſolutionem poſtulat Ælius, non vero ad aliam ſimilis ſummæ; & aliunde fieri poteſt, ut apocha quam ſe vidiſſe teſtarentur, eſſet ſuppoſita & cujus manus adeo eſſet aſſimilata, ut fuiſſent decepti; ut ſolent etiam decipi ipſi ſcribendi magiſtri quantumvis periti, dum ſcripturas agnoſcunt ex Judicum mandato. Igitur res certo probata non manet ex teſtimonio quinque illorum teſtium; cum contra ſyngrapha quæ penes eſt filium creditoris, ſit certum inſtrumentum, quo manifeſte evincitur ſummam illam a Benedicto eſſe debitam; qui ideo ſolutionem ejus recuſare non poteſt, niſi apocham ſuppeditet, certis refertam rationibus, quibus conſtet eam referri ad ſyngrapham; aut ſaltem generalem afferat apocham, qua de præteriti ſolutione conſtet, & cui poſterior ſyngraphæ ſit dies adſcripta.

3. Heic juxta conſuetudines, ac præſertim Normanam (*g*), non datur actio ad probandum per teſtes, apocham fuiſſe datam, niſi a publico Notario ſcripta ſit. Conſtitutione quidem Molinenſi admittitur probatio per teſtes (*h*); modo centum libras, ſumma de qua agitur, non excedat; ſed ultra non permittitur. Atqui ſumma quam poſtulat Ælius, eſt ſexcentarum librarum; igitur oblatam a Benedicto non tenetur acceptare conditionem, qui aliunde ſummam ſyngrapha ſua contentam non ſolviſſet, ipſa inter Blaſii manus derelicta; aut ſaltem inſerto ſcripto nullius eſſe valoris annotata. Id igitur unum Benedicto ſupereſt ſuffugium, ut Ælium ad juſjurandum adigat, ac juridice poſtulet, ut is affirmet, neſcire ſe ſyngrapham cujus ſolutionem exigit, jam fuiſſe perſolutam.

(*g*) Conſuet. Norman. art. 548.

(*h*) Conſtitutio Molinenſ. art. 54.

Certum tamen heic teſtium nolumus excludere teſtimonium. Nam ſi duo viri probi & integri, nec non *omni exceptione majores*, poſitive & abſque dubio affirmarent, Blaſium ducentos nummos a Benedicto accipientem declaraſſe, eum ab omni erga ſe debito eſſe liberum, ſyngraphamque ſibi factam de tali ſumma pro tali die ſe redditurum, aut in mortis lacto

cto, ſimile quid declaraſſet. Tum iis fidem adhibere teneretur Ælius; ſi, quam habet ſyngrapham, ei non eſſet poſterior, cujus ſolutionem factam declararent: tum enim teſtimonio eorum credere teneretur, juxta regulam Scripturæ ſacræ in caſu relatam.

CASUS VI.

Norbertus, Procurator vel in Parlamento Advocatus, mille libras Judæ debet, qui ab eo jam dudum, fruſtra earum ſolutionem repoſcit: ſuam falſo impotentiam cauſſatur Norbertus, magnaſque ei, ſi in jus ſe vocet, impenſas minatur: Judas vero lites reformidans, præſertim cum viro forenſi, nec de rebus Norberti ſatis inſtructus, 300. ipſi libras remittere proponit, ſi 700. reliquas numerata pecunia vellet ſolvere: oblatæ conditioni, aſſentiens Norbertus ſeptingentas ei libras ſolvit, quas acceptas habet Judas apocha, qua fertur, ipſum libenter Norberto 300. libras remiſiſſe. Quæritur autem, utrum in foro conſcientiæ ad ſolutionem hujus ſummæ erga Judam non teneatur Norbertus.

Respons.

Certum eſt, quod cum debitum vel quoad partem vel quoad totum debitori ſuo condonavit creditor, ab eo fit debitor immunis in foro interiori, uti in foro exteriori; ſed ad id requiritur, ut condonatio ſit libere facta, neque ullus interveniat metus vel dolus a debitore, ut conſtat ex hac Innocentii III. regula (a): *Quæ vi, metuſve cauſſa fiunt, carere debent robore firmitatis*: & ex hac alia ejuſdem ſummi Pontificis (b): *Fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent*; & ex hac alia Gloſſæ (c): *Cum dolus dat cauſſam contractui .... non tenet contractus.*

(a) Innoc. III in cap. *Ad audientiam*. 4. de his quæ vi, metuſve cauſſa fiunt. lib. 1. tit. 40.

(b) Idem in cap. *Ad noſtram* 5. de emt. & vend. lib. 3. tit. 17.

(c) Gloſſa in cap. *Cum dilecti*. 3. v. *deſcriptione*. eod. tit & leg. *Eleganter*. 7. ff. de dolo malo. lib. 4. tit. 3.

Id ipſum autem non evenit in caſu propoſito: nam 1. Dolus eſt ex parte Norberti, qui, cum poſſit, ſimulat tamen ſe non poſſe Judæ ſolvere 1000. libras integras ipſi debitas. 2. Adeſt metus ex parte ipſius Judæ creditoris, cui lites & impenſas forenſes abſque ratione minatur, ſperans, fore ut nullam ſibi, ut pote Advocato vel Procuratori, actionem inferre audeat Judas. Unde ſequitur condonationem 300. librarum factam a Juda, tamquam voluntariam & liberam non eſſe habendam, neque ex ea in conſcientiæ foro tutum fieri Norbertum: (d) cum minus creditori ſuo factis dolum & fraudem addiderit, ipſi perſuadens, ſe non poſſe, cum tamen poſſit ſe ipſa, debitam ſummam perſolvere.

(d) Colloq. Condom. tom. 2. colloq. 27. ſect. 2.

CASUS VII.

Tertullus Paullino 4000. libras debet, ſed toti huic ſummæ ſolvendæ impar, ipſum rogat, ut dimidiam ſibi partem remittat Paullinus, qui libens ejus annuit precibus, de ipſius egeſtate convictus. Tertullus itaque 2000. libras ſolvit, totmque apocha ſua ſummam acceptam habet Paullinus. Aliquanto res ſuas reſtituit Tertullus, fitque ditiſſimus. Numquid tenetur ipſi Paulino 2000. libras quas ſibi condonaverat, reſtituere?

Respons.

Cum remiſſionem hanc libere, nulloque interveniente dolo, fraude, vique a parte Tertulli debitoris Paullinus fecerit, exiſtimamus ex ea Tertullum fieri omnino liberum; unde ad reſtitutionem ſummæ ſibi remiſſæ 2000. libras non tenetur erga Paullinum, licet poſtea dives factus ſit: ratio eſt, quia hujuſmodi remiſſio eſt vera donatio, quæ omnium maxime legitimus eſt titulus, quo paritur juſtum rei dominium.

Advertendum tamen, hujuſmodi remiſſiones non omnino eſſe voluntarias; nec ex motivo magnanimitatis aut caritatis a creditore fieri, ſed ob metum totius crediti amittendi: quod eo magis ad veritatem accedit, ut, ſi futuram debitoris ſui ſufficientiam ad ſolutionem poſſet prævidere, nullam ei faceret remiſſionem: quo in caſu defendi poſſe videtur, debitorem qui cognovit, nullam ſibi a ſuo creditore futuram eſſe remiſſionem niſi ex hoc ſolo motivo, non vero ex caritate aut magnanimitate; non fore immunem poſtea a toto debito ſolvendo in foro conſcientiæ (e).

(e) Colloq. Condom. ib. ſect. 3.

CASUS VIII.

Erricus, Mercator nomine dives, & re ipſa pauper, cum omnes quas habet merces, a quodam avunculo ſuo Publio acceperit, mercatore prædivite, bis mille libras Paullo debet, quas ab eo mutuas accepit. Paullus vero, cui tandem notus eſt certo perverſus rerum Errici ſtatus, ſententiam in ipſum obtinuit; ſed cum merces ejus juridice detinere nequeat, quæ videlicet ſunt avunculi; omnia parat detinere ejus ſupellectilia, lectos videlicet, veſtes, tapetes, vaſa coquinaria & alia his ſimilia, quorum pretium debitam ſibi ſummam adæquare poteſt. Numquid id ipſum poteſt tuta conſcientia? Ratio dubitandi eſt quia ex una parte debitas ab Errico bis mille libras juſte poteſt exigere: ex alia vero omnem ejus ſupellectilem haſtæ ſubjiciendo, ipſum ad extremam coget egeſtatem, cum non alia huic homini res ſuppetat, *Quid juris?*

Respons.

Certum eſt, Chriſtianam legem latius patere, quam Judaicam, & ad majora adſtringi priore Chriſtianos quam poſteriore Judæos. Atqui lex antiqua Judæis prohibebat, ne concives ſuos ad egeſtatem tali exactione compellerent. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum* (f) *non urgebis eum, quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Et alibi (g): *Cum repetes a proximo suo rem aliquam, quam debet tibi; non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas: ſed ſtabis foris; & ille tibi proferet, quid habuerit: ſin autem pauper eſt, non pernoctabit apud te pignus, ſed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum*: Quo pacto igitur durius Erricum habere poſſet ipſe Paullus in Lege Evangelica, quam ex Moſaica concives ſuos habere deberent Judæi, ac debitorem ſuum ad extremam adigere inopiam ſeveriori exactione?

(f) Exod. 22. 25. & ſeqq.

(g) Deuteron. 24. 10. & ſeqq.

Hactenus dictis ſuffragatur hæc regula inconcuſſa, & ab omnibus ſeu in antiquo ſeu in novo fœdere ſemper obſervanda; ſcilicet: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias* (h). Et alibi (i): *Prout vultis, ut vobis faciant homines, & vos facite illis ſimiliter.* Et etiam (k): *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Num autem vellet Paullus pari ratione ſecum agi in ſimili caſu, ut ipſe cum Errico? Non profecto; tum enim procul dubio eamdem afferret regulam, atque in ſui favorem allegaret. Unde apprime Catechiſmus Concilii Tridentini (l): *Quid de locupletibus dicemus iis, qui ab illis qui ſolvendo non ſunt, quod commodarunt, exigant acerbius? ... Horum exactionis acerbitatem jure rapacitatem, atque adeo rapinas appellabimus* (m).

(h) Tob. 4. 16.

(i) Luc. 6. 31.

(k) Ibid. v. 36.

(l) Catec. Conc. Trid. part. 3. de 7. præcepto. §. 2. n. 20.

(m) Merbeſius tom. 1. part. 1. q. 160. concluſ 2. v. *Octavum*.

CASUS IX.

Pacianus, qui Cajo mille & ducentas libras debet, eas reſtituere tempore & loco conſtitutis obtulit, ſed eam accipere ſummam ob privatas quaſdam rationes denegavit Cajus: quo facto apud Notarium pecuniam illam detulit Pacianus, Cajumque interpellavit, ut eam ibi ſummam acciperet, aut obſignatam haberet. Poſt vero dies octo Notarius eidem pecuniæ repræſentandæ haud idoneus factus eſt, ob incendium quo res omnis illius periit. Ad quem pertinebit jactura 1200. librarum? Nonne ad Cajum?

Respons.

Certum eſt, quod cum debitam ſibi ſummam recipere tempore & loco conſtitutis renuit creditor, eam obſignare poteſt debitor, ſolutioniſque loco pro ea habetur obſignatio, ut patet ex his verbis Legis (n): *Obſignatione totius debitæ pecuniæ ſolemniter facta liberationem contingere manifeſtum eſt; ſed ita demum oblatio debiti liberationem parit, ſi eo loco quo debetur, ſolutio fuerit celebrata*: & quod eadem obſignatione impediatur curſus uſuræ vel annui cenſus; uti declarat hæc alia Lex (o): *Acceptam mutuo ſortem cum uſuris licitis creditoribus poſt conteſtationem offeras: at ſi non ſuſcipiunt, conſignatum in publico depone, ut curſus legitimarum uſurarum inhibeatur.* Sed ad hoc neceſſe eſt, ut juxta formulas fiat obſignatio, hoc eſt, ut, ex uſu Galliæ, debitor ſummam a ſe debi-

(n) Leg. *Obſignatione*. 9. Cod. de ſolut. & liberat. lib. 8. tit. 42.

(o) Leg. *Acceptam* 19. Cod. de uſuris. l. 4. tit. 32.

debitam obſignare non poteſt, niſi conſtet de repulſa creditoris, neceſſe eſt, ut obſignationem Judex concedat; alioqui haud tuta eſt debitori deſignatio, quia debiti ſui liberationem non acquirit, ut patet ex his alterius Legis laudatæ verbis: *In hoc autem caſu publicum intelligi oportet, vel ſacratiſſimas ædes, vel ubi competens Judex, ſuper ea re aditus, deponi eas diſpoſuerit: quo ſubſecuto etiam periculo debitor liberabitur, & jus pignorum tolletur.*

Hinc concluditur, Pacianum non tuto obſignaſſe, cum obſignationem propria fecerit, non Judicis auctoritate, eamque proinde tamquam ſolutionem haberi non poſſe: unde ipſi ſoli, non Cajo creditori periit ſumma apud Notarium depoſita; cum Cajus ob quasdam rationes oblatam tum ſummam poſſet recuſare.

CASUS X.

SAVIANUS, Joſepho amiciſſimus, ipſi 30. dupliones dono dedit, etiam ſcripto, quo eorum ſolutionem intra menſes tres ei promiſit: ſed idem Savianus Joanni ob emtas merces 500. libras & 200. libras ob locationem domus ejus, & 400. libras Juliano debet, quas ab eodem mutuas accepit. Aliquanto autem poſt debita illa ſolvere non poteſt Savianus. Quærit, utrum horum cuilibet ſummam pro crediti cujuſque rata parte perſolvere nequest, an vero alii aliis in ſolutione ſummæ ſibi debitæ ſint anteponendi, licet in bona ſua nulli horum competat jus hypothecæ?

RESPONS.

Duplex reperitur in caſu propoſito contractus: alter gratuitus, quo nimirum Savianus ſolus erga Joſephum dono 30. duplionum ſe obſtrinxit: alii vero ſunt oneroſi, quod iis non ſolus obligetur Savianus; ſed cum eo etiam contraxerunt Joannes, qui merces ſuas vendidit, & domum ſuam locavit, & Julianus, qui 400. libras commodavit, ac ſe obligaverunt.

Hoc ita præſuppoſito, dicimus, quod, quamvis re ipſa Joſepho Savianus 30. dupliones debeat, quos ei dono dedit, iſque donatarius acceptavit; attamen, quia eos tantum vi contractus gratioſi debet Savianus, Joſepho in ſolutione anteponi debent Joannes & Julianus: certum quippe eſt debitorem prius ſolvere debere debita quæ cum titulo oneroſo contraxit, quam ea quæ gratuito contractu nituntur.

Nititur hæc deciſio una Lege Digeſtorum, qua ſic dicitur (*a*): *Qui ex cauſſa donationis convenitur in quantum facere poteſt, condemnatur, & quidem is ſolus, deducto ære alieno.* Et quidem æquitati naturali valde conſentaneum videtur, ut qui rem ſolo amicitiæ ac liberalitatis motivo alicui dare vult, promiſſis ſuis ſtare in tantum teneatur, in quantum ea commode & abſque notabili præjudicio facere poteſt; cui tamen ſe committeret promiſſa perficiens, ob aliorum creditorum ſevaritatem, qui eum de ſolutione ſua juridice perſequerentur. His adde, non æquum eſſe, ut quis bona ſua dono det, cum detrimento ſuorum creditorum, ac muneribus ſuis debita ſua ſolvere nequeat (*b*).

(*a*) L. *Inter eos.* 19. §. 1. ff. de re judicata &c. Lib. 42. tit. 1.

(*b*) Colloq. Condom. tom. 1. Colloq. 16. ſect. 2.

CASUS XI.

TELAMACAUS 10000. libras debet variis creditoribus, nimirum 3000. libras Bartholomæo; 1000. libras Judæ, 1000. libras Benedicto, & 5000. multis hominibus privatis, quos non cognoſcit, ſeu quia pondere & menſura decepit eos, aut quia a multis debitoribus ſummas illas uſurarum nomine exegit; nunc vero 5000. libræ ipſi tantum ſuppetunt, quas ſolvere aut reſtituere poſſit. Quo pacto ea dividere debet? An partem dimidiam Bartholomæo, Judæ & Benedicto dare debet, & alteram partem dimidium in eleemoſynas aliave pia opera adhibere!

RESPONS.

Telemachus primum incipiet a ſolutione integræ ſummæ 5000. librarum quam debet Bartholomæo, Judæ & Benedicto, nihil prorſus in eleemoſynas aut alia pia opera adhibendo ſub ſpecie reſtitutionis eorum quæ injuſte acquiſivit. Ratio eſt: quia cum certa ſunt debita, hoc eſt, quæ perſonis cognitis, & alia incerta, hoc eſt, quæ perſonis incognitis debentur, ad æquitatem pertinet, ut videtur, certa incertis anteponere. Atqui in caſu propoſito ſunt debita certa 5000. librarum quoniam tribus hominibus cognitis debentur, ſcilicet Bartholomæo, Judæ & Benedicto; & debita incerta 5000. librarum quæ moraliter impoſſibile eſt veris ſolvere creditoribus; cum eos non cognoſcat Telemachus debitor. Igitur tres debet anteferre in ſolutione, quos novit, creditores.

Regulam hanc ſuppeditat ſanctus Antoninus his verbis (*c*): *Reſtitutio certorum præponenda eſt reſtitutioni incertorum. Sciendum igitur quod certa omnia, obligata reſtitutioni, id eſt, cum ſciuntur perſonæ quibus facienda eſt, prius integraliter ſolvenda ſunt, quam reſtituantur incerta, quando ſcilicet ſcitur, vel dubitatur, bona reſtituentis non ſufficere ad utrumque: nam tunc reſtituenda ſunt plena prius & integraliter certa.*

Idem docet ſanctus Bernardinus Senenſis (*d*), qui ut ſententiam ſuam manifeſtius explicet, exemplum profert caſui ferme, de quo nunc, ſimile. En ejus verba: *Ad cujus intelligentiam ponatur caſus, & detur unus qui decem millia habuit de uſuris, vel de rapinis inter quæ quinque millia reperiuntur certa, quinque millia incerta ſunt; tamen in morte de bonis iſtius non inveniuntur niſi tria millia, & ſic non ſufficiunt ad ſatisfaciendum ſolummodo certa certis. Tunc manifeſte apparet, quod ſi quid pro ſatisfactione incertorum accipitur, ut pauperibus, ſeu in pias cauſſas diſpenſetur totum, nova rapina eſt, & eſt quodammodo facere raptorem Chriſtum in pauperibus ſuis. Propterea quicumque hoc intelligit atque novit, licet pauper ſit, vel pauperibus diſpenſet; ſi quidquam inde accipit, & rapinam committit, & ſatisfacere obligatur his qui debent habere certa; quod tamen contrarium quotidie intelligimus fieri, quia quod reſtitui debet certis perſonis, non poteſt pauperibus diſpenſari.*

(*c*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 2. c. 7. init.

(*d*) S. Bernardin. tom. 1. ſerm. 39. in Feria 6. poſt Dom. 4. Quadrages. art. 3. c. 1.

CASUS XII.

VALERIANUS centum nummos Gervaſio debet pro reliquatione locationis domus, & centum nummos Claudio ob vaſtitatem ipſius viti malitioſe illatam; ambobus ſimul 100. nummos tantum ſolvere poteſt. Quis e duobus in ſolutione debet anteponi alteri? An vero Valerianus utrique 100. nummorum ſummam dividere debet?

RESPONS.

Alter alteri non eſt anteponendus. Quare 100. nummos ex æquo inter Gervaſium & Claudium dividere debet Valerianus, quos nimirum aut ſolvere, aut reſtituere poteſt. Ratio eſt, quia duobus illis creditoribus nullum competit jus hypothecæ in bona Valeriani; unde ſimul debent concurrere, & æqualem ſummam accipere, cum ejuſdem rationis ſit amborum creditum: & unius in alterum prælatio nullo jure neque naturali, neque poſitivo innitatur. Ita ſentit auctor inclytus Colloquiorum Condomenſium (*e*).

(*e*) Colloq. Condom. tom. 1. colloq. 16. ſect. 1.

CASUS XIII.

BENEDICTUS a Theodato 1000. nummos mutuatus eſt, eique omnia ſua bona oppigneravit in ſecuritatem & hypothecam prædictæ ſummæ: parem denuo ſummam a Verano mutuam accepit ſub ſimplici ſyngrapha coram Notariis confecta. Nunc vero ſibi tantum pro omni fortuna ſuperſunt mille nummi, quos duobus creditoribus ſuis conferre ſtatuit: nam, quod Veranus totam ſuam ſummam non amittat, permagni Benedicti refert. Nonne poteſt cuique 500. nummos dare?

RESPONS.

Non licet Benedicto 1000. nummos inter creditores ſuos ex æquo dividere, & unicuique eorum 500. nummos conferre; nam ex rigore juſtitiæ tenetur integram quam Theodato debet, 1000. nummorum ſummam reſtituere. Ratio eſt, quia in creditorum concurſu; in foro conſcientiæ, uti in foro exteriori tenetur debitor eos perſolvere creditores, quibus in bona ſua competit actio hypothecaria ad aſſecurationem crediti ſui; priuſquam eos ſolvat, quorum debitum non eſt reale, ſed ſolum perſonale, hoc eſt, quibus, cum nullus debitoris fundus ſit oppigneratus ad aſſecurationem ſummæ ſuæ, actio tantum perſonalis competit. Ratio hujus diſcriminis eſt, quia

creditori hypothecario jus reale competit in bona, quæ tamquam ſummæ ſibi debitæ pignus retinet; unde numquam ipſius præjudicio abalienari poſſunt, niſi de ejus conſenſu: quod ex æquo verum eſt, ſeu hypotheca ſit expreſſa ſeu tacita, hoc eſt, ſeu ex formali pactione, aut ex Legum tantummodo diſpoſitione conſtet (a).

(a) L. *Aſſiduis*. 12. Cod. Qui potiores in pignore habeantur. l. 8. tit. 18.

Hinc ſequitur, quod in caſu propoſito abſque injuſtitia Benedictus adhibere nequit hypothecam Theodati, cujus debitum eſt reale ad ſolutionem debitæ Verano ſummæ.

Hanc deciſionem aſſerit Lex Codicis Juſtiniani, quæ ſic habet (b): *Eos qui acceperunt pignora, cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus quæ perſonalibus actionibus competunt, præferri conſtat*. Ita etiam docent (c) Paludanus, ſanctus Antoninus, Silveſter, Gloſſa Navarræ, Cabaſſutius, de Genet, Auctor Colloquiorum Condomenſium, & alii multi ſeu Theologi, ſeu Canoniſtæ.

(b) Leg. *Eos qui*. 9. Cod. eod. tit.

(c) Petr. Palud. in 4. diſt. 25. q. 1. S. Anton. 2. part. Sum. Theol. t. 1. 2. c. 7. §. 1. Silveſter v. *Reſtitutio*. 6. q. 5. Gloſſa in leg. 2. ff. Qui potior. in pig. habeantur. Navar. Man. c. 17. n. 51. Joan. Cabaſſut. Jur. Can. theor. & prax. lib. 6. c. 22. n. 6. & 12. De Genet. Theol. mor. tom. 6. tract. 8. cap. 7. demi. 7. & 8. Colloq. Condom. tom. 1. Colloq. 16. ſect. 1. &c.

Denique cum agitur de prioritate creditorum, jus commune conſulendum, ubi non eſt Lex privata aut ſtatutum contrarium, legitima conſuetudine ſtabilitum, quæ actu obſervetur in locis ubi poſita ſunt bona debitoris: cumque agitur de ordine reſtitutionis aut ſolutionis, idem in foro interiori ferri debet judicium, quod in pari caſu ferret Judex integer & peritus. Sic enim ſervatur æquitas, nec iis irrogatur injuria, qui ſolutionem ſuam accepturi ſunt juxta ordinem ſibi a Legibus præſcriptum; quæ cum juſtæ ſint, ut ait D. Thomas (d), vim ſuam habent a lege æterna, a qua originem ſuam ducunt. *Leges poſitæ humanitus*, inquit hic Sanctus, *ſunt juſtæ vel injuſtæ: ſi quidem juſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ a Lege æterna, a qua derivantur ſecundum illud Prov. 8.* Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.

(d) S. Th. 1. 2. q. 96. art. 4. in corp.

CASUS XIV.

Pompeius, Maclovienſis Pirata, exſtructam a ſe navem transformatam ad quinquaginta tormenta bellica explodenda, oppigneravit pro 10000. librarum quæ a Silvano mutuatus eſt, & ad ſolutionem creditorum ſuorum occupavit; ſed novo egens ſubſidio ad armandam inſtruendamque navem, parem ſummam ab Adriano, & iterum parem a Theophilo mutuatus eſt, ut utraque adhiberetur ad emenda tormenta, nautas, militeſque colligendos, navemque cibariis aliiſque ad bellum neceſſariis inſtruendam; & iterum eamdem navem ut jam prius Silvano, nunc duobus his ultimis obligavit. Paratis ita omnibus, veliſque in oceanum Britannicum datis, ab hoſtili prædone oppugnatus, capta navi ſua, omni re tormentaria, bellicis proviſionibus, cibatiis, ceteriſque rebus ſpoliatus eſt: quocirca, cum pro tota re Pompejo una ſupereſſet ſpoliata navis, eam vendere coactus eſt ut Silvanum, Theophilum & Adrianum ſolvere poſſet. Sed cum 20000. librarum tantum vendi potuerit navis illa; tertiam hujuſce ſummæ partem ſibi arrogat Silvanus; quam econtra, integram ſuam faciunt Theophilus & Adrianus. Cui & quo pacto Pompejus, penes quem eſt pecunia 20000. librarum, ſolvere debet, ut nullam admittat injuſtitiam?

RESPONS.

Theophilus & Adrianus Silvano præferri debent, licet is anteriorem habeat hypothecam; unde prioribus integram 20000. librarum ſummam Pompejus ſolvere tenetur. Ratio, cur caſus iſte ab hac regula generali, *qui prior eſt tempore, potior eſt jure* (e) ſit excipiendus, eſt quia creditor, etiam aliis poſterior, qui ſuam credidit pecuniam ad bonum ipſum & conſervationem aut reparationem rei oppigneratæ, iis in ſolutione debet anteferri: Unde ſequitur, Theophilum & Adrianum qui ad inſtruendam navim pecuniam ſuam Pompejo mutuaverunt, totam ſuam debent ſummam accipere, priuſquam quidquam recipiat Silvanus, quoniam ſine eorum mutuo Pompejus pirata navem ſuam ad navigationem parare non potuiſſet, atque ita ex tali hypotheca nullum commodum percepiſſent anteriores illi creditores.

(e) Reg. 54. de reg. juris in 6.

Difficultatem iſtam ſic ſolvunt multæ Leges, quarum duas tantum referemus. Prior hæc eſt (f): *Interdum poſterior (creditor) potior eſt priore: ut puta ſi in rem ipſam conſervandam impenſum eſt quod ſequens credidit; velut ſi navis fuerit obligata, & ad armandam eam vel reficiendam ego credidero.* Altera vero talis eſt (g): *Hujus enim pecunia ſalvam fecit totam pignoris cauſſam quod poterit quis admittere, etſi in cibaria nautarum fuerit creditum, ſine quibus navis ſalva pervenire non poterat.*

(f) Leg. *Interdum*. 5. ff. Qui potiores in pign. vel hypot. habeantur. l. 20. tit. 4.

(g) Leg. *Hujus*. 6. ff. eod. tit.

Idem dicendum 1. de creditore, qui ſuam credidit pecuniam ad ædificandam aut reficiendam domum jam multis aliis pignori datam, aut ad emendum agrum aut domum, cum expreſſa pactione, quod ſibi oppignerata manebunt domus aut ager ad aſſecurationem ſuæ ſummæ. Nam creditor ille, licet omnium poſtremus, hypothecæ anterioris privilegio fruitur, ceteriſque proinde anteferri debet abſque eorum querela; quandoquidem debitor domum non ædificaſſet aut refeciſſet, aut etiam fundum emiſſet, niſi mutuam dando ei pecuniam ſuam ad hunc effectum, viam aperuiſſet: quod conſentit cum iſta lege Codicis (h): *Licet iiſdem pignoribus, multis creditoribus diverſis temporibus datis, priores habeantur potiores: tamen eum cujus pecunia prædium comparatum probatur quod ei pignori eſſe ſpecialiter obligatum convenit, omnibus anteferri juris auctoritate declaratur.*

(h) Leg. *Licet*. Cod. eod. tit. lib. 12. tit. 18.

2. Idem dicendum de hærede, qui pro defuncti ſepultura ſumtus funebres, aliaſque ſolvit impenſas neceſſarias ad ſolutionem Medicorum, Pharmacopolarum & Chirurgorum, qui ipſi ægrotanti ſubvenere; uti etiam de iis, qui grana commodaverunt ad ſerendum agrum aliis creditoribus oppigneratum: hic namque heres, aliique hujuſmodi jure gaudent hypothecæ ſimul & privilegii, atque ex Legibus ceteris omnibus aliis creditoribus debent anteferri (i).

(i) Leg. *Impenſa*. 18. & ſeqq. ff. de Religioſis & ſumtibus funerum. lib. 11. tit. 7. leg. *Sciimus*. 22. §. *In computatione*. Cod. de jure deliberando. l. 6. tit. 30. Angel. de Clavas. v. *Fiſcus*.

3. Fiſcus, ſeu Burſa Principis, ſuam ſemper obtinet hypothecam pro quocumque debito, quod ceteris omnibus hypothecis tacitis, etiam anterioribus, debet anteferri, non vero expreſſis, niſi ſint poſteriores (K).

(k) Toto tit. de priv. fiſci. 17. cod. tit. 73.

Quædam tamen ſunt exceptiones faciendæ de jura dotium, quarum hypotheca tacita anterior anteponenda eſt hypothecæ fiſci, non vero ſi fiſco ſit poſterior (l). Et in dubio, dotis hypotheca fiſco prævalet ex hac regula (m): *In ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt.*

(l) Leg *Fundum*. Cod. Qui potior. in pig. habeantur.

(m) Reg 85. ff. de div. reg. jur.

Quod de fiſco dicimus intelligi tantum debet in cauſis oneroſis, in quibus privatis omnino prævalet; ſed in lucrativis minus favet, quam privatis: quare in multis & confiſcationibus, privatorum res melius, quam fiſci agitur. Ita Cabaſſutius, aliique permulti (n).

(n) Cab. Jur. Can. theor. & prax. lib. 6. c. 23. n. 7. & 8. De Genet. Theol. mor. tom. 6. tract. 8. cap. 7. demons. 10. Colloq. Condom. tom. 1. colloq. 10. ſect. 2.

CASUS XV.

Georgius diverſis vicibus decem millia librarum a decem creditoribus diverſis mutuatus eſt, quibus omnia bona ſua præſentia & futura generatim oppigneravit in omnibus eorum contractibus. Brevi moriturus, cum octo tantum ſibi millia librarum pro tota re ſupereſſent; Juſſit teſtamento, ut octo illa librarum millia octo pariter creditoribus ſuis, quos appellat, dividerentur. Ipſius teſtamenti curator poteſt ne abſque injuſtitia voluntatem ejus in hoc adimplere, ipſo mortuo?

RESPONS.

Georgii teſtamentarius curator, abſque manifeſta injuſtitia voluntatem ipſius defuncti adimplere nequit; quod iſta diſpoſitio teſtamentaria legi adverſetur aut conſuetudini, quibus fertur, ut concurrentibus multis creditoribus, anteriores poſterioribus præferantur, ſalvo jure fiſci. Quod conſentit cum iſta juris Canonici regula (o), qua ſic conſtituitur: *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*; & cum hac Lege (p): *Si fundum pignori accepiſti, antequam reipublicæ obligaretur, ſicut prior es tempore, ita potior es jure.*

(o) Reg. 54. de reg. juris in 6.

(p) Leg. *Si fundum*. 4. Cod. Qui potiores &c.

Unde ſequitur, diſpoſitionem illam teſtamento Georgii factam habendam eſſe tamquam invalidam, pro hac re, juxta iſtam Bonifacii VIII. (q) regulam: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*: quam deſumſit hic Papa ex Epiſtola ſancti Gregorii ad Januarium epiſcopum Caralita-

(q) Reg. 64. de reg. juris in 6.

num

num, in qua ſic legitur (*a*): *Imperiali Conſtitutione aperte ſancitum eſt, ut ea quæ contra leges fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint*. Atque adeo curator nullam ejus habere rationem debet, ſed teneri ad tradendum octo millia librarum omnibus creditoribus decem, ut pro debiti ſui qualitate & anterioritate inter ſe dividantur, ut docet Cabaſſutius (*b*) his verbis: *Verumtamen non licet debitori qui omnibus ſolvendo non eſt, ſponte ſua gratificari alicui creditori in præjudicium anteriorum, aut habentium potiorem hypothecam; & niſi ipſum juris vel facti ignorantia excuſet, tenebitur de damno & expenſis creditoris potius jus habentis*.

(*a*) S. Greg. In can. *Imperiali*. 23. 11. q. 2.

(*b*) Joan. Cabaſſ. Juris Can. theor. & prax. l. 6. c. 33. n. 4.

CASUS XVI.

Chrysologo cum mediocri re defuncto, multi creditores, quorum quidam expreſſas habent hypothecas in bona illius; quidam vero ſolum tacitas, inter ſe de prælatione diſſident. Vidua defuncti dotis ſuæ dotaliumque ſolutionem ante alios omnes creditores ſibi vindicat, licet ex contractu ſuo nuptiali nullam habeat expreſſam hypothecam, & ideo litem ipſis inferre parata eſt. Poteſt ne tuta conſcientia, & ipſi debetur ne prælatio?

Responsio.

Ad ſolutionem hujus difficultatis duplex eſt diſtinguenda hypotheca, ut in caſu dictum eſt: alia eſt expreſſa, quæ verbis expreſſis fertur ex contractu, quo omnia bona ſua generatim aut ſpeciatim oppignerat debitor creditori, cui ſunt pignus ad ſecuritatem ſui crediti. Altera dicitur tacita, & eſt ea, quæ ex Lege aut conſuetudine fertur; licet nulla de ea in contractu fiat mentio. Qui privilegio hujuſce hypothecæ fruuntur, ſunt 1. Maritus, in bona illius qui mulieri ſuæ ſummam in dotem conſtituit. 2. Mulier in bona mariti ſui pro rata parte ſuæ dotis. 3. Pupillus in bona, quæ proprio ſuo ære perſoluta ſunt. 4. Minor in bona ſui tutoris aut curatoris. 5. Locator cenſualis prædii (*c*) in bona ſeu fructus illius. 6. Legatarius in bona defuncti teſtatoris. 7. Qui viro militari ſummam dederunt adhibitam ad inſtrumenta ſua bellica paranda, aliaque ad vitam neceſſaria, talem etiam habent hypothecam in omnia bona illius hominis.

(*c*) Conſuet. Pariſ. art. 101. alias 71.

Hoc ita præſuppoſito, dicimus 1. viduam Chryſologi jure ſuam habere hypothecam in omnia defuncti ſui viri bona ad recuperandam dotem ſuam. 2. Eam quoque ob rationem omnibus ipſam anteferri hypothecis anterioribus, quæ ſunt tantum tacitæ. 3. Eodem jure prælationis frui reſpectu omnium hypothecarum expreſſarum, quæ contractu ſuo nuptiali poſteriores ſunt (*d*), modo obligationem in iis una cum marito ſuo non contraxerit, licet hypotheca ſua ſit tantum tacita; quocirca ad Judicem poteſt confugere, ad jus ſuum defendendum in omnes alios creditores; iis ſolum exceptis, qui in bona defuncti hypothecas habent anteriores contractui ſuo nuptiali, & iis etiam erga quos ipſa ſe cum marito obligaſſet. *Creditoribus vero hypothecam expreſſam habentibus*, inquit doctus Canoniſta (*e*), *nequaquam præfertur hypotheca dotalis; iniquum enim eſſet, ſi omnes anteriores creditores per nuptias viri ſupervenientes exciderent jure ſuo, quod expreſſe pacti fuerant*.

(*d*) Leg. *Aſſiduis*. 12. Qui potior. in pign. habeantur & Leg. 1. 3. & 4. Cod. tit. & authentica. *Quo jure*. ib.

(*e*) Joan. Cabaſſ. Jur. Can. theor. & prax. lib. 6. c. 13. n. 10.

Neque ſupervacaneum erit, cum eodem Canoniſta heic addere (*f*), jure etiam ſtatutam fuiſſe hypothecam tacitam pro fiſco, quæ omnibus aliis, etiam anterioribus, eſt anteponenda: *Quinta hypotheca*, ait, *quæ reliquis, etiam anterioribus, præfertur, eſt in favorem fiſci, cujus debitor habet omnes ſuas opes fiſco hypothecatas, ſive cum fiſco contraxerit, ut contingit in receptoribus & redemtoribus vectigalium, ſive alius quivis tributum debitum non ſolverit. Lege 2. Cod. de privilegio fiſci*. Quod intelligi debet de caſu, in quo agitur, non de cauſſa lucrativa, qualis foret impoſitio a Principe facta, aut multa ipſi juridice addicta; ſed de cauſſa oneroſa, qualis eſt ea, quam in exemplum affert Cabaſſutius loquens de regiæ pecuniæ redemtoribus, qui ſunt Principis debitores.

(*f*) Idem. ibid. n. 11.

CASUS XVII.

Anthimus a decem creditoribus ex ſimplici ſua ſyngrapha 3000. libras mutuatus eſt, & quidem abſque ſyngrapha pro quibuſdam. A decem jam annis primum accepit mutuum; nunc vero omnia ſua debita ſimul ſolvere nequit. Tenetur ne ſub peccato, primum illud ſolvere debitum, ceteris poſthabitis, tamquam vetuſtiſſimum, ceteraque poſtea pro ſuo quæque anterioritatis gradu; an vero poteſt unum ex creditoribus ſuis ſibi amiciſſimum anteponere?

Responsio.

Reſpondemus Anthimum non teneri ad ſolutionem primi debiti ſui, aliis poſthabitis. Privilegium namque creditoribus a Lege conceſſum ad ſolos hypothecarios pertinet, non vero ad chirographarios, hoc eſt, ad eos, apud quos ſimplici privato chirographo tenentur debitores, aut qui ſyngrapha carentes, veri tamen agnoſcuntur debitores, ſeu ex conceſſione ipſius debitoris, aut teſtium declaratione: quocirca ex civili Lege & ad normam loquendo, ſub peccati conſcientia non tenetur Anthimus antiquiſſimum creditorum ſuorum anteponere, eumque ante alios novem ſolvere, quia omnibus decem unius modi competit actio, hoc eſt, actio ſimpliciter perſonalis contra vero, ſi ipſi ſufficientia non ſuppetunt bona ad ſolutionem omnium debitorum ſuorum, ut ſupponitur; cuilibet ex creditoribus ſuis, quantum poterit, dare tenetur, debitum ex æquo omnibus juſtitiam ſervando, cum omnibus jus ſimile competat: hoc eſt, cum cuilibet creditori ſuum nequeat perſolvere debitum, partem ſaltem ſolvat quantitati debiti accommodatam, uti dimidium, aut tertiam partem: *Secundo*, inquit ſanctus Antoninus (*g*), *veniunt Chirographarii, pro rata non attenta prioritate contractuum; quia licitum eſt debitori pro cumulo creditorum facere deteriorem cauſſam creditorum priorum, non dominium, non hypothecam, nec privilegium habentium, ut Leg. 2. ſ. Ex contrario ff. de ſeparationibus*.

(*g*) S. Anton. Part. 3. Sum. Theol. tit. 3. c. 7. §. 3.

Deciſionem iſtam firmant Leges & una præſertim Codicis Juſtiniani, qua declaratur in bonorum diviſione reales creditores perſonalibus eſſe anteponendos, & iſtos non debere accipere, niſi pro rata debiti ſui, nulla temporis habita ratione quo debita fuere contracta; ita ut ſi debitoris bona non ſufficiant ſolutioni, oportet, ut eorum fiat diviſio in ſolidum, ut ajunt pro libra. *Pro debito*, inquit Lex mox laudata (*h*), *creditores addicti ſibi bona ſui debitoris non jure poſtulant. Unde ſi quidem debitoris tui ceteri creditores pignori res acceperunt, potiores eos quam te chirographarium creditorem haberi non ambigitur. Quod ſi ſpecialiter, vel generaliter nemini probatur obligatæ, ac ſine ſucceſſore communis debitor, vel ejus heres deceſſit, non dominii rerum vendicatione, ſed poſſeſſione bonorum itemque venditione, æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus conſuli poteſt*. Codicis Juriſprudentiæ conſentiebat jus antiquum, cujus hæc eſt Lex Digeſtorum (*i*): *Privilegia* (perſonalia) (*K*) *non ex tempore æſtimantur, ſed ex cauſſa; & ſi ejuſdem tituli fuerant, concurrunt, licet diverſitates temporum in his fuerint*.

(*h*) Leg. *Pro debito*. 6. Cod. de bonis auctoritate judicis poſſidendis &c. L. 7. tit. 7.

(*i*) Leg. *Privilegia*. 17. ff. de priv. credit. l. 46. tit. 5.

(*K*) Gl. ipſa ibid.

Ab ea tamen regula excipiendi ſunt 1. ii, qui ante mortem ſui debitoris, ab eo ſyngrapham ejus agnoſci curaverunt: hac enim formula, jus hypothecæ ſimile obtinent. 2. Illi, qui curam omnem ſuam adhibuerunt, ut ante alios ſolutionem ſuam haberent; ex ea namque cura debitum ſuum juridice petendi, ceteris fiunt potiores, qui non eamdem diligentiam adhibuerunt: *Quoniam*, ut ait Lex (*l*), *alii creditores ſuæ negligentiæ expenſum ferre debeant*. Et ex eadem Lege iis anteponatur, qui ipſis pariter fuit diligentior: *Vigilavi: meliorem meam conditionem feci. Jus civile vigilantibus ſcriptum eſt, ideoque non revocatur id quod percepi*.

(*l*) Leg. *Si creditores*. 12. Cod. de pactis lib. 2. tit. 3.

Sequitur ex his regulis, Anthimum non poſſe ad ſolutionem anteferre amicum ſuum, quantumvis familiarem, ceteris creditoribus; cum amicitia non ſtet legitimus hujus prælationis titulus, juſque exi-

exigat, ut, ſi non ſufficiant debitoris bona ad ſolutionem omnium creditorum; inter illos eadem bona dividantur, prout exigit lex vel conſuetudo.

CASUS XVIII.

Narcissus tria millia librarum mutuo credidit Blaſio, Ruperto & Alexandro, qui in ſolidum pro ſe invicem ſpoponderunt, ſe intra annum ſimilem ei pecuniæ ſummam redditυros. Intra annum tres illi ſponſores è vivis migrarunt. Blaſius Joannem unicum ſibi heredem dereliquit, Rupertus duos pueros heredes, & Alexander nepotes tres. Numquid Narciſſo jus competit vi obligationis in ſolidum Blaſii, Ruperti & Alexandri, ſolutionem integræ ſummæ trium millium librarum exigendi a Joanne Blaſii herede, aut ab alio quem magis libuerit, ex heredibus Ruperti vel Alexandri?

RESPONS.

Certum eſt quod, quantumvis in origine ſua in ſolidum ſit contracta obligatio, dividi tamen poteſt deinceps, modo ex ſe non ſit individua. Hæc autem diviſio duobus modis fit.

Primo: cum huic diviſioni creditor expreſſe, vel tacite aſſentitur, ut patet ex lege ad marginem indicata (a) quam tulere Diocletianus & Maximianus, quæque in Codice refertur, uſibus noſtris conſentiens, & cujus hæc eſt ſumma: *Ex receptione partis debiti, ſoluti ab uno ex correis debendi, inducitur diviſio debiti: ex qua quoad omnes reos debendi, inducitur exceptio taciti pacti: & ſic alii pro utilibus partibus tantum conveniri poſſunt.*

(a) Leg. Si creditores. 18. Cod. de pactis lib. 2. tit. 3.

Secundo: cum unus ex coobligatis ſeu correis, ut loquitur Lex, mortem oppetit, aut multi inter eos, aut etiam omnes, ut in caſu propoſito, Uno ex ipſis moriente, qui multos habet heredes, pro coobligatis ſuperſtitibus manet obligatio in ſolidum: ſed defuncti heredes parte ſua duntaxat tenentur; ſubſiſtente tamen obligatione in ſolidum in integram quam acceptarunt, hereditatem: ſed ſi omnes decedunt correi, ut ſupponitur in caſu propoſito, in ſolidum obligatur quælibet eorum hereditas.

Quo poſito dicendum, Narciſſum habere actionem in ſolidum contra Joannem ſolum; ab eoque integræ trium millium librarum ſummæ ſolutionem poſſe exigere, idemque jus ipſi competere in duos Ruperti filios, a quibus ſingulis mille quingentas libras jure poteſt perſequi; aut tres Alexandri nepotes, a quibus pariter ſingulis mille librarum ſummam requirere poteſt, ſi modo omnes defunctorum adierint hereditates. Ratio eſt, quia quælibet harum hereditatum ſpeciatim Narciſſo obligatur, vi obligationis in ſolidum quam contraxerant Blaſius, Rupertus & Alexander. Iſta conſentiunt cum juriſprudentia Galliæ, ut videre eſt in Inſtitutionibus ad jus Gallicum Domini Argou.

CASUS XIX.

Lysias centum nummos a Petro, mercatore prædivite, ſibi debitos extorquere non valens, ipſum carcere detineri curavit; e quo Petrus ob illatam ſibi injuriam ira percitus, clam ſubreptis clavibus, aſtu elapſus eſt. Potuitne iſtud abſque peccato?

RESPONS.

Si Petrus debitos Lyſiæ centum nummos ſolvendo non fuiſſet idoneus, certum eſt, quod abſque peccato e carcere ſuo elabi potuiſſet: quia æquitati naturali repugnat debitorem haud ſolvendo idoneum incarcerare, eumque pœnæ ſubjicere, iis tantum debitæ, qui eam vel mala ſua fide vel negligentia merentur; cum ex impotentia ſua ad ſolutionem non fiat reus; ut conſtat ex hac Bonifacii VIII. regula (b): *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum*; & ex hac alia (c): *Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus*. Sed quoniam ſupponitur, Petrum divitem eſſe mercatorem, juſte præſumi debet, eum vel ob avaritiam debitam centum nummorum ſolutionem recuſare. Unde par eſt ut injuſtæ ſuæ repulſæ pœnam luat; neque abſque peccato e carcere aufugere poteſt ante ſolutam Lyſiæ ſummam. Ita Salonius (d) a Merbeſio aſſentiente (e) laudatus: *Quisquis, inquit, conjectus eſt in carcerem propter æs alienum, quo conſtrictus eſt, non poteſt ſe proripere e carcere, ſi ſit ſolvendo: quia tenetur ex juſtitia contracta nomina diſſolvere: atque adeo conſiſtere in cuſtodia, donec ſeſe ære alieno expediverit. Si autem nulla ſolvendi facultas ſuppetit, poteſt licite fugam capeſſere: quia non eſt æquum, in vinculis detinere hominem ob æs alienum quo ſe explicare nequeat.*

(b) Bonifac. VIII. reg. 41. de reg. juris in 6.

(c) Reg. 23. ibid.

(d) Salonius q. 69. art. 4. concluſ. ult.

(e) Merbeſius. Sum. Chriſt. tom. 1. q. 194. concluſ. 7.

CASUS XX.

Cassius, Cauſidici Rothomagenſis filius a multis privatis hominibus nongentas libras mutuatus eſt, ſcriptis ad ſolutionis ſecuritatem, etiam vivo patre ſuo Mævio, ſyngraphis. Defuncto poſt biennium Mævio, Caſſius ab ejus hereditate abſtinuit, tertiam tantum partem ſibi retinens ex Conſuetudine, quæ ſibi ex obitu patris contigit, quæque ex articulo 88. Statuti (f) an. 1666. in Normanam Conſuetudinem conditi, neque hypothecari neque abalienari poteſt; quocirca ſolutionem ſuam obtinere nequeunt ejus creditores, cum alia Caſſio non ſuppetant bona. Poteſt ne tuta conſcientia frui privilegio, quod ſibi concedit provinciæ ſuæ conſuetudo, ut debitis nongentis libris creditores ſuos defraudetur Caſſius?

(f) Statutum in conſuetud. Norman. an. 1666. art. 88.

RESPONS.

Ex Senatusconſulto Macedoniano, ſic dicto a nomine famoſi feneratoris, qui dictus *Macedo*, huic anſam præbuit, ii omnes qui filiisfamilias pecuniam crediderant abſolute & indiſtincte, jure repetitionis, etiam mortuo eorum patre, carebant: uti conſtat ex terminis hujuſce Senatusconſulti (g) quod refert Ulpianus in una lege Digeſtorum. Eo autem fine decretum illud tulit Senatus Romanus, ut adoleſcentium imprudentiam ac perditos mores compeſceret; qui cum facile diſſolutionibus ſuis explendis pecuniam mutuam invenirent, paupertatem ſuam ſic anticipabant, & ad horrendam quandoque parricidii pravitatem impellebantur.

(g) Leg. Verba. 1. de Senatus-conſulto Macedon. l. 14. tit. 6.

Galliæ juriſprudentia quidquam de antiqua illa lege retinuit, non omnes quidem mutui obligationes filiisfamilias crediti irritando, ſed eas ſolum quas eos contraxiſſe probari poteſt, ut libidinibus ſuis obſequerentur: quod firmat æquitas naturalis; cum Reipublicæ interſit, ne pereant familiæ, neve ipſi filiifamilias miſeriam ſuam præveniant.

Tanto huic malo ſapienter occurrit Conſuetudo Normana, pueris a die matrimonii parentum ſuorum & etiam heredibus eorum tertiæ partis bonorum immobilium conjugum dominium aſſignando, quæ ſit immunis ab omnibus creditis perſonalibus, quæ contraxerint, patre ſuo ac matre adhuc vivis; ſub formali clauſula, quod tertiam eam partem nec abalienare nec oppignerare poterunt ante obitum matris & patris ſui (h).

(h) Conſuetud. Norm. art. 399.

Sed ut dignoſcatur, utrum filiifamilias, qui contra mentem & ſtatutum conſuetudinis hujuſce debita contraxerunt, tuta conſcientia eam ſequi poſſint, diſtinguendum duplex motivum, quo impelli potuere ad ea contrahenda; nimirum vel juſta neceſſitate compulſi, vel libidinibus ac delectationibus ſervientes. In primo caſu debitum ad jus naturale pertinet, illudque, ubi primum poſſunt, coram Deo ſolvere tenentur. In ſecundo caſu, creditor cui notus fuit mutuæ pecuniæ abuſus, quem filiusfamilias de ea erat facturus, pœnam meretur quam lex indicit, ſcilicet mutui jacturam. Ita ſentit Natalis Alexander (i): *ſi vero bona fides defuerit creditori ad ſolvendam, aut reſtituendam pecuniam, minori mutuo datam, non tenetur; quia lex in pœnam creditorum condita, nullam ex hujuſmodi mutuo contrahi obligationem voluit; ut parentibus, familiis, communique bono conſuleret.*

(i) Natalis Alexand. ep. 52.

Igitur juxta hæc principia ſe geret Caſſius; ita ut, ſi ad ſui ſuſtentationem unica ſibi ſuperſit tertia pars conſuetudinaria; ad paupertatem ſe redigere, omniaque creditoribus ſuis deſerere non tenetur, licet nullum accepiſſet mutuum, niſi ad ſubveniendum juſtis ſuis neceſſitatibus: ſed tamen eniti debet, ut parcimoniis ſuis debitorum ſuorum partem queat perſolvere, ſi non omnia. Unde ſequitur,

quod, ſi tertia pars ſibi conſuetudine conceſſa ſit plus quam ſatis ad vitam ſtatui ſuo conformem degendam; uſum fructum ſuperfluum creditoribus ſuis deſerere, ſaltem quoad partem, tenetur, donec omnino debita ſua perſolvere valeat.

CASUS XXI.

Germanicus 500. libras erat debitor erga plures privatos, cum ſolemne Religionis votum emiſit. An debita ejus mutato ſtatu, factoque paupertatis voto extinguuntur; ita ut, ſi quid labore ſuo vel induſtria lucraretur, ad Monaſterium illud pertineret, nihilque ipſe creditoribus ſuis ſolvere tenetur?

RESPONSA.

Cum debita ſolvendi obligatio ad jus naturale pertineat, per emiſſionem Religioſæ profeſſionis extingui nequit. Quare Germanicus, ut noſtra fert opinio, tenetur omnem laboris aut induſtriæ ſuæ fructum adhibere, ad ſolutionem 500. libras quia videlicet ſubſiſtit etiamnum jus creditoribus partum in bona ejus præſentia vel futura, non obſtante vototam ſolemni profeſſione. Ita Cardinalis de Lugo & Auctor colloquiorum Condomenſium: quod tamen ita intelligendum, ſi de quopiam poſſit diſponere Germanicus de Superioris ſui conſenſu.

Vide { Solvere Hypothecam. Restitutio. }

DEBITUM CONJUGALE.

PLURIS intereſt, quam exiſtimatur, ut iſta materies cognita ſit Confeſſori, in quam multi rudes ac ignari, aut libidine ſua tranſverſum acti, quandoque immania admittunt crimina: quamvis enim licitus ſit matrimonii uſus, ita eſt tamen permiſſus requiſitas obſervando circumſtantias, eumque ad finem dirigendo, propter quem inſtitutum eſt matrimonium, nimirum ad procreandam prolem, aut jus adimplendum a ſponſis ſibi invicem debitum, quibus ſolis duobus motivis excuſari quis poteſt a peccato; vel ſaltem ad medendum concupiſcentiæ: quod tertium motivum ab omni prorſus peccato non eſt immune, ut inferius probabitur ex auctoritatibus ſancti Auguſtini, S. Fulgentii, S. Gregorii, ſancti Bonaventuræ & ſancti Thomæ.

Ceterum is inter conjugatos, qui ab alio requiritur, ut ſibi conjugale debitum reddat, ipſi ſub reatu peccati, & vulgo etiam mortalis, obedire tenetur; niſi legitima ſubſit ſuæ repulsæ cauſſa.

Heic autem de ea re non fuſius dicemus, quod in ſequentibus deciſionibus multis verbis omnes ferme explicamus difficultates, quarum intelligentia conjugibus eorumque Confeſſariis eſt neceſſaria.

CASUS PRIMUS.

MELITO & Tita ante denuntiationes nuptiarum factas, diſpenſante Epiſcopo, matrimonio juncti ſunt, ea tamen lege, ut tribus proximis dominicis diebus fiant eorum proclamationes, nec ante ultimam matrimonium ſuum conſumment. Numquid in hoc caſu alter alteri debitum conjugale repoſcenti abſque peccato mortali reddere poteſt, præſertim cum moraliter certi ſunt, nullam ſibi opponi poſſe impedimentum dirimens?

RESPONSA.

Quidam Auctores contendunt, conjugatos in hoc caſu ſecum poſſe conſummare matrimonium, ſeu petendo, ſeu reddendo debitum; cum moraliter norunt, nullam inter ſe reperiri impedimentum dirimens, neque ſcandalum eſſe futurum. Ratio illorum eſt, quia denuntiationes fieri ideo iuſſit Concilium Tridentinum, ut detegerentur impedimenta, quæ inter ſponſos poſſent inveniri. *Deinde*, inquiunt Patres hujuſce Concilii (*a*), *ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur.*

(*a*) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reformat. Matrimonii. c. 1.

Attamen cum iſta Concilii prohibitio, ne ante prævias denuntiationes ullum celebretur matrimonium ſit juſta, neceſſaria, & facta in re gravi; & aliunde veneranda ſatis eſſet ipſa defenſio Epiſcopi, qui non niſi ea conditione matrimonii celebrationem permiſit, licet ea de re nullum eſſet Eccleſiæ ſtatutum; exiſtimamus, quod ſi novi illi conjugati matrimonium conſumment ante præſcriptum tempus, ipſi peccant mortaliter; Quod verum ducimus tam pro petente, quam pro reddente debitum. Ita Cardinalis Toletus his verbis (*b*): *Cum nulla* (Denuntiatio)... *præmittitur*, inquit is Auctor, *non conſumment matrimonium contrahentes, ſed ſolum de præſenti contrahent, & ante conſummationem fiant tales denuntiationes, niſi aliter viſum fuerit Epiſcopo... Hic eſt modus contra quem agere peccatum eſſet mortale.*

(*b*) Fr. Tolet. Inſtruct. Sacerdotum l. 7. c. 23.

CASUS II.

APOLLINARIS & Juſtina ſerotinis horis ſabbati matrimonio juncti, cum proinde ſtatutam in celebratione matrimonii benedictionem non poſſent recipere niſi poſtridie in Miſſa, Apollinaris a muliere ſua, ante benedictionem nuptiarum debitum conjugale exegit. Numquid in eo peccavit? & ipſa Juſtina ei obtemperare debuit?

RESPONSIO.

Sponſis ex antiquo Canone, quem in ſuo Decreto refert, & Evariſto Papæ adſcribit Gratianus, prohibetur, ne ante receptam benedictionem nuptialem matrimonium conſumment, *Aliter legitimum non fit matrimonium*, inquit hic Canon (*c*), *niſi..... ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicantur.* Verum iſta prohibitio non videtur obligare poſſe ſub mortali, neque etiam ſub aliis pœnis hoc Canone contentis; niſi forte interveniret contemtus, aut grave ſcandalum; igitur non inde colligendum, Apollinarem & Juſtinam in caſu propoſito mortaliter peccaſſe. Ita Navarra (*d*), & Cajetanus, quem laudat: *Porro præfatus Cajetanus*, inquit hic Canoniſta, *opuſculo 12. q. 3. ait matrimonii uſum numquam eſſe mortiferum, eo quod benedictionem nuptialem antecedit.... quia nulla fere tranſgreſſio eorum quæ dicto Capitulo* Aliter *prohibentur, eſt mortifera, juxta omnium ſententiam, niſi ex contemtu, vel magno ex ſcandalo.* Navarræ in hoc conſentiunt Angelus de Clavaſio, Dominicus Sotus, Didacus Covarruvias, Silveſter de Prierio & alii multi (*e*), quibus additur Cardinalis Toletus (*f*), qui eamdem etiam tuetur opinionem, eamque ex Concilio Tridentino (*g*) comprobat; quod hortatur tantum conjugatos, non vero ipſis abſolute interdicit, ne ante nuptiarum benedictionem matrimonium ſuum conſumment.

(*c*) Can. Aliter. 2. 30. q. 5.

(*d*) Navar. Man. c. 16. n. 35.

(*e*) Angelus v. *Debitum*. §. 1. Silveſter eod. v. q. 6. Sotus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. Didac. Covarr. de matrim. 2. part. tom. 1. c. 7. §. 2. n. 2.

(*f*) Fr. Tolet. Inſtr. ad Sacerd. l. 7. c. 23.

(*g*) Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrim. v. *Præterea*.

CA-

Digitized by Google

CASUS III.

Dunſthanus, emiſſo perpetuæ caſtitatis voto, non obtenta voti ſui diſpenſatione, nupſit. Potuitne abſque peccato mortali ſuum conſummare Matrimonium, a muliere ſua debitum exigendo?

RESPONS.

Dicendum, quod ſub reatu mortalis peccati tenebatur Dunſthanus, omnes tentare vias poſſibiles ad ſervandum votum ſuum, priuſquam Matrimonium ſuum conſummaret, ſive Religionem ingrediendo, aut ſimile votum emitti a ſua conjuge efficiendo, aut ab eadem poſtulando, ut jure ſuo petendi debiti cederet, vel denique a Superiore legitimo diſpenſationem obtinendo, qua ſaltem debitum uxori petenti reddere ſibi liceret: quibus rebus omiſſis, eo gravius in votum ſuum deliquit, quod Matrimonio conſummando, jam illud deinceps ſervare non poterit.

Obſervandum nihilominus, quod Dunſthanum variis illis uti rationibus non eſſet neceſſe, ſi ante Matrimonii conſummationem jure ſuo mulier excidiſſet per adulterium. Conſentit hæc deciſio cum doctrina S. Thomæ, cujus hæc ſunt verba (a): *Ille qui contrahit Matrimonium per verba de præſenti poſt votum ſimplex, non poteſt cognoſcere uxorem carnaliter ſine peccato mortali; quia adhuc ſibi reſtat facultas adimplendi continentiæ votum ante Matrimonium conſummatum,... ſed poſtquam jam Matrimonium conſummatum eſt, eſt ſibi factum illicitum non reddere debitum uxori exigenti, tamen ex culpa ſua.*

(a) S. Th. in 4. diſt 38. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 3.

Hæc eſt etiam Sylvii doctrina in ſuo Commentario in S. Thomam, cui etiam eaſdem, quas propoſuimus, vias, & quas tentare ante Matrimonii ſui conſummationem vir voto obſtrictus tenetur, exponit (b): *Qui poſt votum ſimplex continentiæ contraxit Matrimonium*, inquit doctus ille Theologus..., *non poteſt ſine peccato mortali illud conſummare, nequidem reddendo debitum, niſi prius tentet ea media, quibus poſſit votum ſuum obſervare: nam per conſummationem facit contra votum, & reddit ſe impotem ad illud deinceps obſervandum. Antea vero ſunt ei aliquot modi poſſibiles ad non violandum votum, ut ſi diſpenſationem obtineat, ſi alteri conjugi perſuadeat, vel continentiam vovere, vel cedere juri petendi debitum; aut ſi alter jus petendi amiſerit ante conſummationem Matrimonii. Quando nihil eſt iſtorum, ſi is, qui voverat, eſt ad Religionem idoneus, tenetur eam ingredi ad præſtandum quod promiſit: quia non ſupereſt ei alia via.* Subjungit deinde hic Author, quod ſi felicem non habeant exitum, quas tentabit viae, neque vir ille ad Religionem ſit idoneus, tum Matrimonium conſummare poteſt, non quidem petendo; ſed ſolum reddendo debitum. *Si vero non eſt idoneus ad Religionem, & ſatis certum eſt eum in nullo Monaſterio eſſe recipiendum, non licet quidem ei Matrimonium conſummare, debitum exigendo, eo quod votum ſervare debeat quantum poteſt, non peccabit tamen, nequidem prima vice, ſi rogatus conſummet: qui ad hoc tenetur, cum non poteſt modis prædictis ſervare continentiam.* Eodem modo etiam difficultatem propoſitam ſolvunt Navarru (c), Sylveſter, aliique permulti.

(b) Sylvius in ſuppl. S. Th. qu. 3. art. 1. Concluſ. 2.

(c) Navarr. Man. c. 22. n. 90. & c. 16. n. 10. & alii apud eum.

CASUS IV.

Heraclidus, homo ſalax, & libidinoſus, ſæpe cogitur ad petendum a muliere ſua debitum, eo duntaxat fine, ut fornicationis, alteriuſve in caſtitatem matrimonialem peccati periculo non ſe committat. Nunquid aliquod committit peccatum, debitum eo ſolo fine exigendo?

RESPONS.

Propugnant multi Theologi (d), nullum eſſe peccatum in petitione debiti, ea, qua caſus proponit, ratione. Eorum ratio hæc eſt, quod, ſicut exercetur actus charitatis exigendo debitum, *ad evitandam incontinentiam in comparte*, elicitur pariter actus caſtitatis a fortiori exigendo illud *ad evitandam incontinentiam propriam*, cum bene ordinata charitas a ſe incipiens in proximum poſtea deſinat. Addunt iidem Authores, Matrimonium fuiſſe inſtitutum non ſolum *in officium naturæ, ſed etiam in remedium concupiſcentiæ*: qui duo ſunt ejus præcipui fines. *Prima inſtitutio conjugii*, inquit Gratianus (e), *in Paradiſo facta eſt, ut eſſet immaculatus thorus... Secunda propter illicitum motum eliminandum extra Paradiſum facta eſt, ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis honeſtate exciperetur conjugii.* Quod etiam ait Gloſſa (f). Ex quo colligunt, licitum eſſe ob duos illos fines uſum Matrimonii abſque peccato; cum dixerit Apoſtolus (g), ut obſervat idem Gratianus: *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque virum ſuum habeat.* Eodem pariter modo ſentit Navarra (h): *Non peccat, etiam venialiter*, inquit, *ſi eo fine petit, aut reddit, ne conſorti ſit odio, vel ut fornicationem ejus, vel propriam evitet.*

(d) Durandus in 4. diſt. 32. q. 4. Domin. Soto ib. diſt. 25. q. 1. art. 4. Palud. ibid. q. 2 Cajet. v. *Matrimonium*. Sylveſter, &c.

(e) Gratian. §. *His ita reſpondetur*. 32. q. 2.

(f) Gloſſa in cap. *Quod votum*. 1. de voto in 6. l. 3. tit. 15.

(g) 1. Cor. 7. 2.

(h) Navar. Manu. n. 16. n. 32.

Contrarium tamen ſentiunt alii Authores iique graviſſimi, qui ſuam tuentur opinionem authoritate Apoſtoli, qui in eo eſſe aliquod peccatum ſupponit, ut obſervat S. Auguſt. his verbis (i): *Evidenter quippe, dum tribuit veniam, denotat culpam*: quod conſentit cum iſtis S. Leonis verbis (K): *In adoleſcentia conſtitutus ....ſi... timens lapſum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſſe venialem.*

(i) S. Aug. l. 2. de gratia Chriſti, & de peccat. Orig. contra Pelagium c. 38. ſeu n. 43.

(k) S. Leo Epiſt. 90. in can. *In adoleſcentia*. 14. 15. q. 24.

Sanctus Thomas etiam verbis iſtis expreſſis docet eſſe peccatum veniale in propoſito caſu (l): *Si aliquis*, inquit, *per actum Matrimonialem intendat vitare fornicationem in conjuge, non eſt aliquod peccatum, quia hoc eſt quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet. Sed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua ſuperfluitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale, nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.* Manifeſtius etiam rem iſtam declarat Angelicus Doctor hoc ratiocinio (m): *Cum nullus actus ex deliberata voluntate procedens, ſit indifferens ... actus Matrimonialis ſemper eſt peccatum, vel meritorius in eo qui gratiam habet. Si enim ad actum Matrimonialem virtus inducat, vel juſtitiæ, ut debitum reddat, vel Religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, eſt meritorius. Si autem moveat libido, ſiſtens infra bona Matrimonii, ut ſcilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, eſt peccatum veniale. Si autem extra bona Matrimonii efferatur, ut ſcilicet cum quacumque muliere id facere proponeret, eſt peccatum mortale. Natura autem movere non poteſt, quin vel ordinetur ratione, & ſic erit motus virtutis; vel non ordinetur, & ſic erit motus libidinis.*

(l) S. Th. in 4. diſt. 31. q. 2. art. 2. ad 2.

(m) Idem ib. diſt. 26. q. 1. art. 4 in corp.

Doctrinæ S. Thomæ conſentit S. Bonaventura (n), his verbis: *Qui coit cauſa fornicationis vitandæ, aut in ſe, aut in altero; ſi in altero, ut reddat debitum, hoc eſt pure juſtitiæ: hoc eſt fidei; & eſt de bonis Matrimonii: recte ideo omnino a culpa excuſatur. Qui vero coit cauſa fornicationis vitandæ in ſe, in hoc ſemper peccat venialiter.*

(n) S. Bonav. in 4. diſt. 31. art. 2. q. 2. ad 1.

Sylvius Durandum refellens, præter cæteros, qui contrariam ſequuntur opinionem, ſic aſſerit (o): *Reſpondeo*, inquit, *quod, proprie loquendo, non ſit inſtitutum* (Matrimonium) *ad vitandam fornicationem, ſed ad hoc, tanquam ad effectum quemdam ſuum valere cœpit poſt lapſum, cujus propterea uſus tali cauſa factus permittitur, ſed ſecundum indulgentiam.*

(o) Fr. Sylvius in ſup. 3. part. ſum. S. Th. q. 49. art. 6. quæſito un. concluſ. 6.

Conſtat ex his teſtimoniis, verum Matrimonii finem, ſive ante, ſive poſt lapſum hominis, non alium eſſe, quam ut proles ad cultum Dei, veramque religionem procreetur, ut docent ex profeſſo S. Auguſtinus, aliique, quorum teſtimonia retulimus. Unde S. Gregorius (p) hæc Apoſtoli verba exponens: *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat &c.* ſic dicit: *Hinc eſt enim quod peritus mediciæ cœleſtis Apoſtolus non tam ſanos inſtituit, quam infirmis medicamenta miniſtravit. dicens:* (q) De quibus ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere, propter fornicationem aut unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat. *Qui enim fornicationis metum præmiſit, profecto non ſtantibus præceptum contulit, ſed ne fortaſſe in terram ruerent, lectum cadentibus oſtendit. Unde adhuc infirmantibus ſubdidit:* Uxori vir debitum reddat: Similiter & uxor viro. *Quibus dum in magna honeſtate conjugii, aliquid de voluptate largiretur, adjunxit:* Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium. *Culpa quippe eſſe innuitur, quod indulgeri perhibetur,*

(p) S. Greg. 3. part. paſtoral. c. 1. admonit. 28.

(q) 1. Cor. 7.

tur, ſed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hunc illicitum quid agitur, ſed hoc quod eſt licitum ſub moderamine non tenetur.

Denique, cum affirmant Durandus, aliique, quod, ut elicitur actus caritatis petendo debitum *ad vitandam fornicationem in comparte*, ita unum quoque elici petendo *ad vitandam propriam*, cum ordinata caritas a ſe ipſo incipiat; non decretorium ſatis videtur eorum argumentum; quia hæc exerceri poteſt caritas erga ſe ipſum alia ratione, auxiliante nimirum gratia. Unde colligimus, quod, cum non abſolute conſtet, peccatum reperiri in caſu, de quo agitur; hoc unum ſapienti Confeſſario ſatis erit, ut nimirum Heraclidem hortetur vel ad ſe ipſum continendum, vel rectius intentionem ſuam dirigendam.

CASUS V.

Eustadius, in uſu Matrimonii requirendo, non alium ſibi finem proponit, quam voluptatem. An in eo reus eſt alicujus peccati?

Respons.

Cum is ſit præcipuus Matrimonii finis, ut jam diximus in reſponſione ad præcedentem difficultatem, ut nimirum ad Dei cultum veramque religionem procreentur liberi, neque ejus uſus ob alium finem abſque aliquo peccato poſſit conſiſtere, aut exerceatur actus juſtitiæ commutativæ debitum conjugale reddendo; quia tum *Nuptiarum.... copula ..... Dei mandato perficitur*, ut ait Sanctus Papa (*a*); certum eſt, Euſtadium, aut alium quemlibet, qui ſolo voluptatis motivo ducti Matrimonio utuntur, licet non prætermittantur legitimi nuptialis libidinis fines, venialiter peccare.

(*a*) Innoc. I. in can. *Domine*. 3. diſt. 20.

Id ipſum verbis expreſſis docet S. Auguſtinus dicens (*b*): *Quis ambigat abſurdiſſime dici non eos peccaſſe, quibus venia datur: ſed illum concubitum ſecundum veniam concedit* (Apoſtolus) *qui fit per incontinentiam, non ſola cauſa procreandi, & aliquando nulla cauſa procreandi, quæ nuptiæ non fieri cogunt ſed ignoſci impetrant..... concubitus enim neceſſarius cauſa generandi inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis eſt. Ille autem qui ultra iſtam neceſſitatem progreditur, jam non rationi, ſed libidini obſequitur.* Hinc alibi S. Doctor (*c*): *Copulatio itaque maris & fœminæ*, inquit, *generandi cauſa bonum eſt naturale nuptiorum: ſed iſto bono male utitur, qui beſtialiter utitur, ut ſit ejus intentio in voluntate libidinis, non in voluntate propaginis.* Denique paulo poſt ſubjungit (*d*): *Carnis concumbendo appetere voluptatem ſed non præter conjugem.... venialem culpam.*

(*b*) S. Aug. lib. de bono conjugali c. 10.

(*c*) Idem lib. 1. de nuptiis & concupiſc. c. 5.

(*d*) Idem ib. c. 15. ſiu n. 10.

S. Auguſtino aſſentitur S. Hieronymus, (*e*) a Gratiano laudatus, uti S. Gregorius Magnus apud eumdem (*f*), quibus addi poteſt S. Fulgentius, dicens (*g*): *Si vero thori fidem non deſerens, ſed in uxore ſua naturali dumtaxat uſu aliquantulum intemperatus excedat, non ſolam ſcilicet generationem quærens, ſed aliquando libidini carnis obtemperans, hoc equidem ſue culpa non facit.*

(*e*) S. Hier. in can. *Origo* 5. 32. q. 4. & in can. *In eo* 32. ib. & in can. *Liberorum*. 14 ibid.

(*f*) S. Greg. lib. 32. moral. c. 20. in can. *Nervi*. 2 §. 4. diſt. 13. & in can. *Vir*. 7. 33. q. 4.

(*g*) S. Fulgent. Epiſt. 1. c. 3.

Denique S. Thomas, S. Antoninus, Gratianus, Gloſſa, & Sylvius (*h*), omiſſis aliis quam plurimis, apprime conſentiunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quos laudavimus, & quorum textus non afferimus, opera tantum eorum ad marginem indicare contenti, in quibus de hac re agunt, iſtamque enodant difficultatem.

(*h*) S. Th in 4. diſt. 31. ar. 4. in corp ad Hannib S. Anton 3. part. Summ. Theol. tit. 1. c. 10. §. 10 Gratian. §. Nutus autem. diſt. 25. Gloſſa in can. *Quisquis*. 3. 32. q. 2. Sylvius, in ſuppl. S. Th. q. 40 art. 6. &c.

Unicum ergo iſtud S. Thomæ referemus ratiocinium, quod nobis inſolubile videtur (*i*): *Cum nullus actus ex deliberata voluntate procedens, ſit indifferens... actus Matrimonialis ſemper eſt peccatum, vel meritorius in eo, qui gratiam habet. Si enim ad actum Matrimonialem virtus inducat, vel juſtitiæ, ut debitum reddat, vel Religionis ut proles ad cultum Dei procreetur, eſt meritorius: Si autem moveat libido, ſiſtens infra bona Matrimonii, ut ſcilicet nullo modo ad alium accedere vellet, eſt peccatum veniale.*

(*i*) S. Th. in 4. diſt. 26 q. 1. art. 4. in corp.

Mirum ſane, poſt adductas tanta veneratione dignas authoritates, quoſdam fuiſſe Theologos, qui contrariam auſi ſint tueri opinionem, ſpecioſis videlicet his adducti rationibus, quod divinæ Legi, Sacramentique ipſius inſtitutioni conformis ſit uſus Matrimonii, cujus voluptati ſi peccatum eſſet annexum, in continua peccati venialis occaſione verſarentur conjugati; quo proinde miſeranda prorſus, inquiunt illi Authores (*K*), fieret eorum conditio. Nam 1. licet Matrimonium Deus ipſe inſtituerit, ejuſque uſum permiſerit; certum eſt tamen, adjunctam ipſi voluptatem Deum non habere authorem, ſed oriri a peccato originali, cujus eſt ramus. 2. Hinc etiam non ſequitur conjugatos in proxima peccandi venialiter occaſione verſari, cum ante actum intentionem ſuam poſſint recte ordinare; quod ſufficit ut ab eo ſint immunes periculo. *Neque videri debet hic aliquid impoſſibile*, ut advertit Sylvius (*l*); *Nam etſi ratio non tunc poſſit eam delectationem refrænare, quando quaſi abſorbetur per illius vehementiam...' poteſt tamen eam ordinare ante principium*, ait beatus Thomas (*m*).... *neque neceſſe eſſe voluntatem conſentire in libidinem ex eo, quod conſentiat in actum, cui ipſa adjungitur, oſtenſum fuit articulo 4 ad 3.* Id ipſum jam eodem articulo probaverat his verbis: *Qui conſentit in actum, non continuo conſentit in omne id, quod eſt actui conjunctum. Claudus enim in progreſſionem conſentit, non in claudicationem, & viator in ambulationem, non in laſſitudinem: & peccator in actum peccati, non in reatum pœnæ, qui neceſſario cohæret peccato.*

(*k*) Joan. Majus. in 4. diſt. 31. q. un. propoſ. 7. Paludanus Pontius & Baillius.

(*l*) Sylvius in ſup. cit. q. 40. art. 6. quæſito un. concluſ. 4.

(*m*) S. Th. in ſup. q. 41. art. 3. ad 6. & q. 49. art. 4. ad. 3.

Ex dictis hactenus conſtat, quam juſte ac ſapienter ab Innocentio XI. Decreto ſuo 2. Martii an. 1679. proſcripta fuerit iſta quorumdam Caſuiſtarum temere ſentientium, tanquam ſcandaloſa, & pernicioſa, propoſitio nona inter ſexaginta quinque, quas tum damnavit hic Summus Pontifex: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

CASUS VI.

Adalbertus, quandoque debitum exigit eo ſolo fine, ut ad conſervationem ſuæ conferat ſanitatis. Nunquid in eo peccatum committit?

Respons.

Licet Intentio conſervandi ſuam ſanitatem non ſit peccaminoſa, in caſu tamen propoſito reperitur veniale peccatum: non enim magis licitum eſt matrimonio uti ad finem, ad quem non eſt inſtitutum, quam Baptiſmum liceret recipere in morbo ad recuperandam ſanitatem. Qua paritate probat S. Thomas (*n*) intentionem, qualis refertur in caſu propoſito, legitimam non eſſe neque a peccato immunem. *Quamvis intendere ſanitatis conſervationem*, inquit Sanctus Doctor, *non ſit per ſe malum, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum; ſicut qui ex Sacramento Baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret: & ſimiliter eſt in propoſito de actu Matrimoniali.*

(*n*) S. Th. in 4. diſt. 31. q. 2. art. 2. ad 4.

Nititur hæc reſponſio regula jam in ſuperioribus deciſionibus comprobata, nempe actum conjugalem tum dumtaxat ab omni peccato eſſe immunem, cum habetur vel ex intentione actuali, aut ſaltem habituali prolis ea ratione generandæ, vel ex motivo juſtitiæ, id eſt, ut comparti præſtetur obſequium; cujus defectu ſemper adeſt ex eodem Sancto Thoma peccatum, ſaltem veniale (*o*). *Ideo duobus ſolis modis conjuges abſque omni peccato conveniunt; ſcilicet cauſa prolis procreandæ & debiti reddendi. Alias autem ſemper eſt ibi peccatum, ad minus veniale.* Ita etiam S. Antoninus, Paludanus, Dominicus Sotus, Cajetanus, & Sylvius (*p*).

(*o*) Idem ib. in corp. & in Sup. q. 40. ar. 5. ad 4.

(*p*) S. Ant. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. § 14. Petr. Palud. in 4. diſt. 31. art. 3. q. 2. Sotus ibid. Cajetan. tom. 1. opuſc. tr. 12. q. 3. Sylvius ad qu. 49. Supp. S. Th. art 6. quæſito un. concluſ. 5. & alii contra Richardum.

CASUS VII.

Peccatne Adamus debitum exigendo dominicis feſtiſque diebus?

Respons.

Dicendum cum Sapiente (*q*), eſſe *tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus*: & conformiter ad hanc regulam præcipere Apoſtolum, ut conjuges abſtineant ab uſu matrimonii ad vacandum orationi: *Beatus Apoſtolus Paulus ad Corinthios* (*r*) *ſcribit dicens*: Abſtinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, *& hoc utique Laicis præcipit*, inquit Innocentius I. in ſua ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum Epiſtola, quam refert Gratianus (*ſ*). Quare præſenti

(*q*) Eccl. 3. 5.

(*r*) 1. Cor. 7. 5.

(*ſ*) Innoc. I. in can. *Propoſuiſti*. 2. diſt. 82.

difficul-

difficultati apprime reſpondet ſanctus Thomas dicens (a): *Actus matrimonialis, quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad ſpiritualia, & in diebus in quibus præcipue ſpiritualibus eſt vacandum, non licet petere debitum.* Deinde, ſi forte ex conjugatis quiſpiam concupiſcentia urgeatur, hoc paulo poſt ſubjungit remedium (b): *Tempore illo poſſunt alia adhiberi ad concupiſcentiam reprimendam, ſicut oratio & multa alia hujuſmodi, quæ etiam illi adhibent, qui perpetuo continent.*

(a) S. Th. in 4. diſt. 32. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 1. in corp.

(b) Idem Ibid. ad 1.

Doctoris Angelici doctrinam confirmant veteres Eccleſiæ ſancti Patres, ac præcipue ſanctus Ambroſius & ſanctus Auguſtinus. *Si cauſſa procreandorum filiorum ducitur uxor*, inquit ſanctus Ambroſius (c), *non multum tempus conceſſum videtur ad ipſum uſum, quia & dies feſti, & dies proceſſionis, & ipſa ratio conceptus & partus juxta Legem ceſſari temporibus bis debere demonſtrat.* Eodem modo loquitur S. Auguſtinus. *Quotieſcumque*, inquit (d), *aut dies natalis Domini, aut reliquæ feſtivitates adveniunt; ſicut frequenter admonui, ... etiam propriis uxoribus abſtinete.*

(c) S. Ambroſ. in can. *Si cauſſa*. 4. 33. q. 4.

(d) S. Aug. in can. *Quotieſcumque*. 6. eadem cauſſa, & quæſt.

Quod ſpectat ad qualitatem peccati, illud non eſſe mortale contendit ſanctus Thomas (e): *Non peccat mortaliter uxor vel vir, ſi in die feſtivo debitum petat. Sed tamen*, inquit, *gravius eſt peccatum, ſi ſola delectationis cauſſa petatur, quam ſi propter timorem, quo quis ſibi timeret de lubrico carnis, ſibi debitum petat.* Sed tamen obſervat ſanctus Doctor, (f) quod *petens debitum in tempore ſacro, ſi petat ex contemtu, mortaliter peccat.* Quod etiam docet ſanctus Antoninus (g).

(e) S. Th. in 4. diſt. 32. q. un. art. 5. quæſtiunc. 2. in corp. & in Sup. q. 64. art. 6. in corp.

(f) Idem. L. 4. ad Hannibal. diſt. 32. art. 4. ad 5.

(g) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 7.

Quæret forſan heic aliquis occaſione præſentis difficultatis, utrum conveniens ſit, ut is qui die dominico feſtove debitum exegit aut reddidit, eo ipſo die ad ſacram accedat Communionem: cui quæſtioni reſpondemus, hanc fuiſſe primitivæ Eccleſiæ mentem, ut ambo abſtinerent: *Omnis homo*, inquit Eliberitanum Concilium an. 305. (h) *ante ſacram Communionem a propria uxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus*: & S. Hieronymus dicit quoque (i): *Si panes propoſitionis non poterant ab iis qui uxores ſuas tetigerant comedi; quanto magis panis ille, qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his qui conjugalibus paullo ante hæſere amplexibus violari atque contingi?* Exiſtimamus tamen, ſacram Communionem abſque ſcrupulo poſſe permitti alteri ex conjugibus, qui debitum reddidit, cum ab ejus imaginatione ſenſuque penitus excidit illa actio, magnoque æſtuat divini illius Sacramenti ſuſcipiendi deſiderio, aut cum ab eo abſtinere non poſſet, niſi obſervaretur, aut quando alia ſubeſt ad ſacram menſam accedendi cauſſa. Ita Sylvius (K): *Conveniens eſt*, inquit, *eodem die abſtinere a Communione, niſi juſta aliqua cauſſa oppoſitum ſuadeat; ut feſti ſolemnitas, dies indulgentiarum, ſpecialis devotio, nota quædam ex Communionis omiſſione.* Conſule, quæ hac de re jam diximus, dum de Communione.

(h) Conc. Eliberit. juxta editionem. Garſiæ Loaiſæ 10 can. *Omnis*. 21. de Conſecrat. diſt. 2.

(i) S. Hieron. in can. *Sciatis*. 2. 33. q. 4.

(K) Fr. Sylvius in 3. part. S. Th. q. 80. art. 7. ad 2. & 3.

CASUS VIII.

Gabriela Paullino viro ſuo conjugale debitum enixe poſtulanti ac ſolicitanti recuſavit, quia ipſum mortaliter peccare illud petendo noverat. Num hæc fuit juſta repulſæ ratio; an vero tenebatur, etiam ſub mortali ad illud reddendum?

Respons.

Diſtinctione opus eſt; nam ſi peccatum mortale quod Paullinus committebat petendo conjugale debitum, ex aliqua oriebatur circumſtantia, quæ actum illius redderet illicitum, v. g. ſi illud exigeret in Eccleſia, vel in loco publico, aut coram omnibus, vel cum effuſione ſeminis extra vas; tum illud reddere non tenebatur Gabriela, neque etiam tuta conſcientia poterat; cum ex tali circumſtantia actus utrique fieret illicitus. *Si venialiter ſolum peccet* (petens debitum) *certum eſt teneri. Si mortaliter, & peccatum ſit ob circumſtantiam, tenentem ſe ex parte actus, ut ſi petat in loco, vel ſacro, vel publico, ſi cum periculo aborſus, ſi modo innaturali, alter non tenetur: immo nec poteſt reddere, quia cooperaretur ad actum tam reddendi, quam petendi illicitum.* Ita Sylvius (l). Sed ſi circumſtantia peccati Paullini ipſi erat perſonalis, ut ſi malo fine debitum petere, nec aliunde jure ſuo excidiſſet; mulier ejus tunc reddere tenebatur: *Si vero*, ſubjungit idem Auctor, *peccatum petentis ſolum ſit ex circumſtantia perſonali, ut quia petit malo fine, alter tenetur reddere, niſi perſonalis illa circumſtantia petentem privaverit ſuo jure, vel fecerit eum cedere juri quod habebat ad petendum: tunc enim non tenetur reddere, quamvis licite poſſit, eo quod actus ille ſit ex natura ſua licitus, neque ſit ex parte reddentis ulla circumſtantia, quæ faciat eum ipſi illicitum.*

(l) Sylvius in Sup. S. Th. q. 64. art. 1. quæſito 2.

CASUS IX.

Ægidius ſæpius ab uxore ſua debitum conjugale ſolet exigere, eo etiam tempore, quo menſtruorum infirmitati ſubjacet. Peccat ne mortaliter tunc exigendo?

Respons.

Fatendum quidem, quod in veteri Lege (m) nefas erat, & ſub pœna capitali prohibitum viro, ne ad uxorem, tempore menſtruorum, accederet; eademque pœna plectebatur uxor, tunc copulæ vacans: *Qui coierit in fluxu menſtruo*, ait Scriptura, *interficiantur ambo de medio populi ſui.* (n) At vero præceptum illud, utpote cærimoniale tantum, quoad pœnam cum ipſamet Lege obſolevit, ſicut & cetera omnia hujus generis præcepta ceſſarunt. Quia tamen, non ſolum ad evitandam immunditiam legalem; ſed &, ne ex tali coitu proles naſceretur imperfecta, quo quidem reſpectu præceptum erat morale, etiamnum ſervandum eſt. Hoc docet Angelicus Doctor, cujus hæc verba ſunt: (o) *Accedere ad menſtruatam in Lege prohibitum erat duplici ratione; tum propter nocumentum quod in prole ex hujuſmodi commixtione frequenter ſequebatur; & quoad primum, præceptum erat cærimoniale, ſed quantum ad ſecundum, erat morale. Et ideo hoc præceptum obligat etiam in nova Lege propter ſecundam rationem, etſi non propter primam.*

(m) Levit. c. 15. 18. & 20. & Ezech. 18.

(n) Cit. c. 20. Levit. v. 18.

(o) S. Th. in 4. diſt. 32. q. un. art. 2. q. 2. in corp.

Sententiam Doctoris Angelici confirmant SS. Patres, atque in primis S. Auguſtinus (p), qui ſcribit ejuſmodi prohibitionem a Domino per Ezechielem (q) renovatam litterali ſenſu eſſe intelligendam his verbis: *Nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figurate accipienda ſunt.* Idem S. Auguſtinus alibi diſcutiens quorſum iſta prohibitio tribus diſtinctis capitibus inculcetur in Levitico, hujus rationem ſic explicat: (r) *Hoc.* (inquit) *cum ſuperius ſatis ſufficienter prohibuiſſet; quid ſibi volt, quod etiam heic hoc eiſdem præceptis voluit adjungere? An forte in ſuperioribus, quod jam dictum eſt, ne figurate accipiendam putaretur, etiam heic poſitum eſt, ubi talia prohibita ſunt, quæ etiam tempore novi Teſtamenti, remota umbrarum veterum obſervatione, ſine dubio cuſtodienda ſunt? Quod videtur etiam per Prophetam Ezechielem ſignificaſſe, qui inter illa peccata, quæ non figurata, ſed manifeſtæ iniquitatis ſunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menſtruatam ſi quis accedat; & inter juſtitiæ merita, ſi non accedat: quæ in re non natura damnatur, ſed concipiendæ proli noxium prohibetur.*

(p) S. Aug. L. 3. de pecc. merit. & remiſſ. c. 12. n. 22.

(q) Ezech. 18. 6.

(r) S. Aug. q. 65. in Levit.

S. Gregorius Magnus, laudatus in Canone, (ſ) in eamdem ſententiam deſcendit, ad cujus probationem eumdem adducit Levitici textum quem ſupra retulimus.

(ſ) S. Greg. in can. *Ad ejus*. 4. diſt. 5.

Sanctus Hieronymus idem omnino ſentit, dicens: (t) *Quo tempore, ſi vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fetus vitium ſeminis trahere; ita ut Leproſi & Elephantiaci ex hac conceptione naſcantur. Præcipitur ergo viris, ut non ſolum in alienis mulieribus, ſed in ſuis .... quoque, certa concubitus norint tempora, quando coeundum, quando ab uxoribus abſtinendum ſit; quod quidem & Apoſtolus, & Eccleſiaſtes ſonant: Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Caveat ergo & uxor, ne forte victa deſiderio coeundi illiciat virum; & maritus ne vim faciat uxori, putans omni tempore ſubjectam ſibi eſſe debere conjugii voluptatem.*

(t) S. Hieron. L. 6. in Ezech. 18. in hæc verba, *etſi vir fuerit juſtus*.

Herardus, Turonenſis Archiepiſcopus, tam ſancta & ſtabili Doctorum auctoritate permotus præfatam Levitici legem promalgatam eſſe voluit inter ſtatuta centum quadraginta, quæ protulit in Synodo ad an. 858. (a) *Fideles*, inquit, *ſe abſtineant a coitu..... menſtruo tempore*. Hac de re ita judicarunt ſancti Eccleſiæ Doctores.

(a) Synod. Herardi c. 124.

Adverte tamen duplicem a S. Thoma diſtingui fluxus menſtrui ſpeciem; altera eſt, quam naturalem appellat, quæ contingit temporibus determinatis; & de hac loquuntur ſancti Patres ſupra memorati, qua durante, non poſſunt abſque peccato conjuges debitum poſtulare, vel reddere. Altera vero fluxus ſpecies, quam ſanctus Doctor vocat innaturalem, eſt inordinata & prope continua infirmitas, qua ſtante non eſt prohibitum in Lege nova ad mulierem menſtruatam accedere. Rationem hujus diſcriminis palam aperit Doctor Angelicus his verbis: (b) *Fluxus tamen menſtruorum poteſt eſſe naturalis & innaturalis: Naturalis quidem, quando ſcilicet mulieres patiuntur temporibus determinatis, quando ſunt ſanæ: Innaturalis autem, quando inordinate, & quaſi continue ex aliqua infirmitate fluxum ſanguinis patiuntur. In fluxu ergo menſtruorum innaturali non eſt prohibitum ad mulierem menſtruatam accedere in Lege nova, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali ſtatu concipere non poteſt; tum quia talis fluxus eſt perpetuus & diuturnus. Unde oporteret quod vir perpetuo abſtineret. Sed quando naturaliter mulier patitur fluxum menſtruorum, poteſt concipere; & iterum talis fluxus non durat niſi ad modicum tempus: unde prohibitum eſt ad talem accedere, & ſimiliter prohibitum eſt mulieri in tali fluxu debitum petere*.

(b) Th. loco cit.

Quale ſit autem ejuſmodi peccatum, non explicat S. Thomas. Hoc letale judicat S. Bonaventura (c) in eo qui debitum exigit. Cui ſententiæ repugnat S. Antoninus, & rationem reddit his verbis: (d) *Non eſt major timor de infectione prolis tempore menſtruorum, quam tempore lepræ; Petere autem tempore lepræ, non eſt mortale: Ergo nec tempore menſtruorum*. Cum autem S. Bonaventura diſcrimen oſtendat lepram inter & fluxum menſtruum, in eo quod lepra, cum ſit continua, durum foret nimis, arcere perpetuo maritum a debito conjugali: Cum contra menſtrui fluxus infirmitas, ut pote ad certum & breve temporis ſpatium determinata, non niſi ad paucos dies abſtinentiam a debito protrahat. Ita porro ſancti Bonaventuræ ratiocinium refellit ſanctus Antoninus his Paludani verbis: *Nec valet ſolatio eorum, dicentium quia lepra eſt morbus continuus, menſtruum momentaneus; quia, ſi exponeret ſe periculo generandi leproſum, eſſet mortale de ſe; ubicumque eſſet periculum illud, eſſe idem peccatum..., unde cum hoc non ſit mortale, ſi ſit niſi propter prolem, & eſt idem non minus periculum in leproſa, quam in menſtruoſa. Ergo.... Quod autem dicitur, quod hic haberet nimis continere, puta per totam vitam; ille autem cujus uxor eſt menſtruata, per paucos dies, non variat ſpeciem luxuriæ.... unde, ſi eſſet prohibitum accedere ad paritarum monſtrum, ad ſemper obligaretur; poteſt etiam dici, quod præceptum Levitici* 18. ad mulierem menſtruatam non accedes, *ſit judiciale. Unde modo non ligat*. Hæc Petrus. Propter eas rationes, utique graves, non audemus in præſenti caſu peccati mortalis reum declarare Ægidium, ſive alium quempiam, qui in ſimili circumſtantia debitum conjugale exigeret. (e) Interim vero vix ac ne vix quidem negari poteſt, quin talis exactor ſaltem committat peccatum, quod vocant grave veniale.

(c) S. Bonav. in 4. diſt. 32. art. 3. q. 1. in concluſ. & reſp. ad 5.

(d) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 5.

(e) Scotus in 3. diſt. 32. in expoſit. textus. Nicolaus de Lir. in Gloſſ. ordin. 6 Levit. 25. Navarr. Man. c. 16. n. 32. & apud eum Alphonſus a Caſtro & alii.

CASUS X.

Quæritur an mulier, fluxum menſtruum patiens, teneatur ex conſcientia reddere debitum marito, illud enixe ab ea depoſcenti, quamquam ipſe ſciat præſentem uxoris infirmitatem?

RESPONS.

Sanctus Thomas, hanc quæſtionem diſcutiens, duas opiniones oppoſitas proponit, quarum priorem improbat, quæ ſtatuit abſolute prohiberi mulierem, in hac infirmitate conſtitutam, reddere debitum marito, etiam enixe poſtulanti. (f) Altera opinio quam amplectitur ipſe ſanctus Thomas, (g) & cui pariter adhæret ſanctus Bonaventura (h), ea eſt; ſcilicet, quod mulieri in hoc ſtatu non liceat quidem petere debitum a marito; at vero ſi maritus illud exigat, & ſcienter petat; mulier virum precibus & monitis a propoſito debet avertere; tamen non ita efficaciter ut ſit illi occaſio incidendi in damnabiles corruptelas. Quod ſi maritus ignorans uxoris infirmitatem, petat debitum, poteſt uxor ſub aliquo prætextu ſe ab eo reddendo excuſare; aut etiam infirmitatem qua laborat, allegare; ac tandem ſi vir non deſiſtit a petitione, debet debitum reddere poſcenti. Refero integrum ſancti Thomæ textum. *Alii dicunt, quod mulieri menſtruatæ numquam licet petere debitum: ſi tamen vir ejus petat, aut petit ſcienter, tunc debet eum avertere precibus & monitis; tamen non ita efficaciter, ut poſſit eſſe occaſio incidendi in alias damnabiles corruptelas, ſi ad id pronus credatur; aut ignoranter, & mulier poteſt aliquam occaſionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, niſi periculum viro timeatur: Tamen finaliter ſi vir non deſiſtit a petitione, debet debitum reddere poſcenti*. Eadem eſt omnino ſententia ſancti Antonini (i); *Mulier ergo*, inquit, *ſi ſine ſcandalo viri poteſt ſe excuſare, debet ſubterfugere; aliter non peccat cum dolore reddendo ſecundum Bonaventuram, & Petrum* (Paludanum (k).

(f) Synod. Herardi Arch. Tur. an. 858. c. 124.

(g) S. Th. in 4. diſt. 32. q. un. art. 3. quæſtiunc. 3. in corp.

(h) S. Bonav. in eamd. diſt. art. 3. q. 2. ad 5.

(i) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 5.

(k) Fr. Sylvius in ſep. S. Th. q. 64. art. 1. & plures alii.

CASUS XI.

Bibiana, uxor Claudii, quæ ſingulis menſibus per decem, aut circiter, dies conſueta menſtrua patitur; quærit, an tuta conſcientia, poſſit a viro conjugale debitum exigere, eo etiam tempore quo hac infirmitate laborat: idque præſertim, cum ſibi certo conſtat, ſe eſſe ſterilem; proindeque ex habenda copula non eſſe parituram.

RESPONS.

Angelicus Doctor (l) quæſtionem hanc perpendens, merito reſpondet, in ea rem prorſus incertam pro certa ſupponi. Ratio eſt, 1. quia quamdiu mulier tali ſubjacet infirmitati, concipere, conceptumque partum edere poteſt. 2. Quia non deſunt feminæ, quæ quidem in juvenili ætate ſteriles ſunt, ac tandem, cum ad perfectionem ætatem pervenerint, plurium liberorum matres fiunt: contra vero quædam aliæ juvenes pariunt; ſteriles autem fiunt, ſimul ac florentem ætatem attigere; *Quando mulier menſtrua patitur*, inquit ſanctus Thomas, *non poteſt eſſe certum, eam eſſe ſterilem; quædam enim in juventute ſunt ſteriles, quæ proceſſu temporis ſunt fecundæ; & e converſo, ut dicitur in 16. de animalibus* (m). Idem omnino ſentit beatus Bonaventura cum Angelico Doctore (n): *Neſcitur*, inquit, *quamdiu habet muliebria, utrum concipiat*.

(l) S. Th. in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 5.

Hinc igitur inferre licet, quod, cum Bibiana rem plane incertam pro certa ſupponat; ratio qua nititur, corruit, neque poteſt in caſu propoſito eam a peccato immunem reddere. Debet ergo ab exigendo debito abſtinere, quamdiu hujuſmodi perſeverat infirmitas; quandoquidem, ut jam ſupra diximus, tenetur etiam erga virum qui tunc temporis ab illa debitum vellet exigere, ſe ab eo reddendo excuſare, ſive precibus, ſive infirmitatem quam actu patitur, cauſſando, ut eum a copula quam expoſcit avertere, & in aliud tempus differre ſatagat.

(m) Item Ariſt. lib. 1. de gener. animalium c. 5.

(n) S. Bonav. in 4. diſt. 32. art. 3. q. 1. ad 5.

CASUS XII.

Eutropius tribus abhinc annis feminifluus factus eſt. Poteſt ne abſque peccato carnale debitum ab uxore petere?

RESPONS.

Sanctus Thomas (o) ait, diſcrimen eſſe inter uxorem menſtruatam & virum feminifluum; ac licet menſtruorum tempore conjugale debitum exigi non debeat, poſſe tamen virum feminifluum, ſicut & leproſum illud exigere abſque peccato. *Fluxus ſeminis in viro ex infirmitate procedit*, inquit Angelicus ille Doctor, *nec ſemen ſic fluens eſt aptum* ad ge-

(o) S. Th. in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. quæſt. 2. ad 1.

Digitized by Google

ad generationem; & præterea talis paſſio eſt diuturna, vel perpetua, ſicut Lepra. Unde non eſt ſimilis ratio, ſcilicet de menſtruata ac de ſeminifluo: quamvis igitur debitum exigere menſtruatæ non liceat, ſeminifluo tamen fas eſt. Poteſt itaque Eutropius, etſi ejuſmodi infirmitate laboret, conjugale debitum exigere. Ratio eſt, quia licet illius ſemen, extra conjugalem actum ex infirmitate fluens, non ſit prolificum, ut fatetur ſanctus Thomas, poteſt tamen ob vehementem venereæ voluptatis ſenſum in ipſo actu fieri prolificum.

CASUS XIII.

Argomastus, gravi nunc movetur ſcrupulo, quod ſolitus a muliere, dum gravida eſt, debitum exigere; illud non requirere ſe poſſe abſque peccato didicerit. Verumne eſt, quod non poſſit abſque offenſa Dei?

Respons.

Rem iſtam verbis vehementiſſimis explicant ſanctus Hieronymus dicens (a) *Qui dicant ſe cauſſa humani generis uxoribus jungi, imitentur ſaltem pecudes*, inquit ſanctus Pater, *& poſtquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores ſe uxoribus exhibeant, ſed maritos*; Hæc verba, *ne perdant filios*, ſatis oſtendunt, ſanctum Doctorem ita loqui ſupponendo futurum inde abortus periculum; quo in caſu jam non dubium eſt de peccato mortali, ſi periculum illud eſſet reale, & ipſi vero cognitum, ſeu fetus ſit animatus, ſeu non; & pariter conſcia eſſet ejuſdem peccati mulier, ſi noto periculo viri ſui petitioni conſentiret. Nam generationi obſtando, uterque fieret homicidii reus, ut patet ex Decreto Vormatienſis concilii, quod refert Decretalium ſumma (b). Extra illud periculum veniale tantum eſſe poteſt, in eo qui debitum exigit, Hinc Canon excerptus ex Opere, quod Gratianus Ambroſio tribuit, (c) ſed eſt alterius antiqui Auctoris, eos qui ab uſu matrimonii per graviditatem mulieris ſuæ abſtinere nolunt, in illorum numero reponit, qui diebus feſtis & pœnitentialibus debitum exigunt. *Si cauſſa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus conceſſum videtur ad ipſum uſum*, inquit hic Canon, *quia & dies feſti & dies proceſſionis, & ipſa ratio conceptus & partus juxta legem ceſſari temporibus his debere demonſtrant*. Unde ſequitur, quod, ut diebus dominicis feſtiſque vir abſque veniali peccato, ſic per graviditatem mulieris debitum exigere non poteſt, ſed ſolum veniali, cum non adeſt periculum aborſus.

(a) S. Hieron. in cun. Origo. 5. 32. q. 4.

(b) Conc. Vorm. in cap. *Si aliquis*. 3. de homicidio volunt. vel caſu. l. 5. tit. 12.

(c) Hilar. Diaconus in 1. ad Cor. 7. in can. Si *cauſſa*. 4. 33. q. 4.

Id unum igitur quæri poteſt, utrum per graviditatem immineat tale periculum. Qua de re dici poteſt, abſolute loquendo, fieri poſſe ut aliquando immineat, ex ſententia quorumdam Auctorum; quia, ut loquitur ſanctus Antoninus (d): *Quamvis matrix mulieris poſt impregnationem claudatur, tamen ex delectatione movetur aliquando & aperitur, ut dicit Avicenna, & ideo imminet periculum aborſus.... & magis videtur eſſe periculum circa principium conceptus: quia tunc aliquando matrix propter delectationem aperitur, & materia nondum perfecte coagulata diſpergitur, & effunditur, & inſtante partu eſt periculum ne partus ſuffocetur*. Sic poſt ſanctum Thomam & Paludanum argumentatur Sanctus hic Archiepiſcopus.

(d) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 4.

Ex uſu tamen communi & generali conſtat rarum eſſe illud periculum. Quare conjugatis non debet prohiberi uſus matrimonii, dum gravida eſt mulier; cum ex hac adeo ſevera regula peſſimi ſequerentur effectus.

Doctrinæ ſancti Thomæ (e) conformis eſt hæc deciſio, qui allata ab initio explicans ſancti Hieronymi verba, dicit: *Ex hoc imminet periculum aborſus: & ideo Hieronymus vituperat acceſſum viri ad uxorem impregnatam; non tamen ita quod ſit ſemper peccatum mortale, niſi forte quando probabiliter timetur de periculo aborſus*.

(e) S. Th. in 4. diſt. 31. in fin. in expoſit. textus.

Sancto Thomæ conſentit ſanctus Antoninus (f): *Sciendum*, inquit, *ſecundum Petrum* (Paludanum) *& Richardum in 4. quod tempore prægnationis reddere debitum, non eſt peccatum, & reddere debet: ſi non eſt periculum aborſus poteſt etiam exigere in dicto caſu abſque mortali; quia matrimonium non ſolum eſt in officium naturæ, ſed etiam in remedium.... ſed ubi eſſet periculum probabile aborſus, nec debet exigi, nec reddi. Alias eſſet mortale ſecundum Petrum de Palude; qui etiam dicit quod petere debitum tali tempore eſt ſemper veniale, ſi tamen non ſit periculum aborſus*. In eamdem denique ſententiam deſcendunt celeberrimi Theologi, & inter alios Sylvius, aliique ſex quos laudat, Auctores, (g) præter Paludanum & ſanctum Antoninum.

(f) S. Anton. loco cit.

(g) Silvius in Sup. 3. part. S. Th. q. 49. art. 6. quæſt. un. concluſ. 7. & apud eum Palud. S. Anton. Cajet. in Summula. Alphonſus a Caſtro L. 1. de Lege pœnali c. 12. Navar. Man. c. 16. n. 22. Victoria. q. 276. Petrus Ledeſma. q. 64. art. 1. & Vivaldus tract. de debito conjugali.

CASUS XIV.

Eberardus & Genoveſa uxor ejus, in Eccleſia, bello flagrante diu permanere coacti copulam habuere, Eberardo id ſibi licitum exiſtimante, ut proximum incontinentiæ periculum evitaret. Potuit ne vir ille debitum exigere, etiam in loco ſacro, abſque peccato mortali, & ipſa quoque mulier viro imperanti obedire ſine crimine?

Respons.

Contendunt quidam Auctores, licitam eſſe copulam in Eccleſia (h) ad vitandam propriam, aut comparis incontinentiam, modo non inde oriatur ſcandalum: & Toletus Silveſtri (i) opinionem approbat, qui in hoc caſu petentem debitum a peccato eximit. Quidam autem ex iis hanc rationem afferunt, quod, quis ad ſervandam vitam ſuam corpoream poteſt *effundere ſanguinem humanum: Ergo a fortiori ad ſervandam propriam aut proximi vitam ſpiritualem poteſt effundere ſemen humanum per licitam copulam*.

(h) Richard. in 4. d. 32. art. 1. q. 3. Angel. de Clavas. v. Debitum §. 3.

(i) Fr. Toletus. Inſtruct. Sacerdot. l. 7. c. 25. nu. 2. Silveſter de Prierio. v. Debitum. §. 1.

Sed falſa penitus nobis videtur hæc paritas; quandoquidem, uti numquam licitum eſt in loco ſacro, aut alibi, homicidium voluntarium, ſic quiſquam abſque crimine, ad ſervandam propriam aut proximi vitam ſpiritualem, numquam a fortiori poteſt effundere ſemen humanum per licitam copulam, ut incontinentiæ nimirum culpa vitetur, quia auxiliante Dei gratia precibus aliiſque virtutum operibus vitari poteſt, ut conſtat ex innumeris hominibus, qui perpetuam ſervant caſtitatem. Exiſtimamus itaque, opinionem contrariam non ſolum eſſe probabiliorem, ſed ſolam veram; quocirca ad propoſitam difficultatem dicendum, Eberardum abſque peccato mortali debitum a muliere ſua exigere non potuiſſe in Eccleſia, in qua erant concluſi; cum tali facto, licet aliunde licito, debitam Deo, ejuſque cultui ſpeciatim dicati loci reverentiam violaverit. Unde ſequitur, ob eamdam rationem, viri ſui peccati Genovefam participem fuiſſe, petitum ei concedendo debitum.

Neque heic juvat flagrantis belli tempora cauſſari; enimvero ſi conjuges a ſe invicem ſejuncti muneribus, peregrinationibus diuturnis, morbis, carcere, exſilio aut aliis de cauſſis, ad continentiam tamen ſub mortali tenentur; cur eadem etiam continentiæ lege ſub eadem pœna non erunt obſtricti; dum forte per aliquot dies ſolum aut quaſdam hebdomadas erunt incluſi in loco ſacro? Sed inſuper, qui adeo triſti urgentur neceſſitate, ut ad ſacrum cogantur aſylum confugere; nonne ii flagrantis belli tempus habere debent, uti dies gemituum, lacrymarum, pœnitentiæ & orationis, quibus videlicet Chriſtiani conjuges ab uſu matrimonii debent abſtinere!

Apprime ſancti Antonini doctrinæ (k) conſentit hæc reſponſio: is enim varios referens caſus, in quibus prohibetur ſub mortali uſus matrimonii, ſic dicit: *Secundus caſus eſt quantum ad locum, in quo talis actus exercetur, videlicet in loco ſacro... ſive ergo habeatur alius locus, ſive non poſſit haberi alius locus ad hoc, certum eſt quod non licet petere, ſed nec reddere tenetur alter illud quod reddi non poteſt ſine irreverentia loci ſacri: nam propter hoc indiget reconciliatione ſecundum Joannem Andream, quantum eſt ex natura facti, licet per accidens, ſi eſt occultum, non indigeat reconciliatione; quod etiam ponit Hoſtienſis*.

(k) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 2. §. 23. & apud eum Palud. in 4. diſt. 32. q. 3.

Non aliter ſentit Dominicus Sotus (l), licet aſſerat Navarrus, eum dubitanter loqui; expreſſis namque verbis aſſerit, in hoc caſu perpetrari ſacrilegium, quod genere ſuo eſt mortale propter loci

(l) Dom. Sot. in 4. diſt. 32. q. 2. art. 3.

ſacri

Digitized by Google

ſacri profanationem. En ejus verba : *In loco ſacro ſive exigere, ſive reddere, utrumque genere ſuo peccatum mortale eſt ... quia per turpem effuſionem ſpontaneamque ſeminis violatur locus, ſitque celebrandis ſacris ineptus, quoaſque reconcilietur. Quapropter ejuſmodi effuſio ſacrilegium eſt, quod genere ſuo eſt mortale.* Cui rei hanc etiam ejuſdem Theologi animadverſionem addere juvat: *Nomine ſacri loci intelligitur corpus Eccleſiæ conſecratæ, vel benedictæ; nam in cœmeteriis & cameris Eccleſiæ adhærentibus & in campanulis nulla eſt violatio.*

Idem dicit etiam Sylvius (*a*): *Quæritur autem an debitum in loco ſacro petere vel reddere, ſit aliquando licitum; ut tempore belli, quando conjuges diu morantur in Eccleſia.* Cui quæſtioni ita ſibi propoſitæ reſpondet hic Theologus his verbis: *Cum Navarro c. 16. n. 32. & aliis per eum citatis verius videtur nunquam licere... Si enim quando maritus diu abeſt, in regiis negotiis occupatus, debet uxor toto illo tempore abſtinere, & ſuæ incontinentiæ aliis modis conſulere, quanto magis propter reverentiam Dei & loci ſacri?* Conſentit in eo hic Auctor cum celeberrimis Canoniſtis; ac præcipue Cardinale de Turrecremata (*b*), Joanne Andrea, Navarro jam laudato, Cajetano (*c*) & Gloſſa (*d*).

(*a*) Fr. Sylvius in ſup. S. Th. q. 65, art. 7.

(*b*) Joan. de *Turre cremata vulgo*. Card. S. Sixti dictus, §. *Sed cum naturaſo*, art. 4 diſt. 5.

(*c*) Card. Cajet. in Sum. v. *Matrimonialis uſus*.

(*d*) Gloſſa in can. *Eccleſiis*. 3. diſt. 38. v. *Semine*.

CASUS XV.

Argyrophilus, poſt emiſſum Religionis aut Sacerdotii votum, ante obtentam voti ſui diſpenſationem, Magdalenæ nupſit, quacum matrimonium conſummavit. Qua de re quæritur, utrum deinceps abſque peccato debitum conjugale a muliere ſua, cum libuerit, queat exigere?

Respons.

Quamvis Argyrophilus votum ſuum Religionis adimplere, antequam Magdalenæ nuberet, & etiam monaſterium ingredi ante conſummationem ſui matrimonii ſtricte teneretur, & ideo prima vice qua illud conſummavit, mortaliter peccaverit; attamen poſt ejus conſummationem jam debitum exigere & reddere poteſt, quia ex actu conjugii omnino deſiit voti ſui adimplendi obligatio, nec jam Religionis opera perficere tenetur, ut ſunt continentia, obedientia, paupertas, jejunia, diſciplinæ & alia hujuſmodi. *Qui contraxit matrimonium & conſummavit contra ſolum ſimplex Religionis votum*, inquit Navarrus (*e*), *poſtea reddere, & petere debitum ſine alia diſpenſatione poteſt.* Sylvius ſic etiam ſentit (*f*): *Qui vovit ingredi, vel etiam profiteri Religionem*, inquit doctus ille Theologus, *nihil aliud intendens, ſi non admittatur, non tenetur poſtea ſervare caſtitatem; ſed poteſt uxorem ducere. Immo quamvis eſſet admiſſus ad habitum, ſi poſtea ſponte reſiliat, ac matrimonium ineat, peccabit quidem illud ineundo, ac veriſimiliter etiam prima vice conſummando, eo quod ponat impedimentum adimpletionis ſui voti.... non peccabit tamen deinceps, debitum matrimoniale reddendo vel petendo.... quia non eſt obligatus ad ſervandam caſtitatem. Ceterum*, ut ſapienter advertit hic Theologus, *ſi quis voverit ingredi Religionem cum intentione obligandi ſe ipſum ad continentiam, ſive ad Religionem admittatur, ſive non; & ſive habitum ſuſceperit, ſive non, tenetur ſervare continentiam; fecit enim votum caſtitatis.* Ex quo ſequitur, quod in tali caſu Argyrophilus debitum exigere non poſſet. Hæc ſunt potiſſimum dicenda, ſi forte homo ille Religionem voverit.

(*e*) Navar. Man. c. 12. n. 80.

(*f*) Sylvius in 2. 2. q. 88. art. 3. quæſito 4.

Sed ſi ante matrimonium ſacros Ordines ſuſcipiendi votum emiſerit; graviter nuptias ineundo, & etiam conſtituendo peccavit, & a fortiori matrimonium conſummando: attamen poſt illud contractum, ſolvitur jam voti ſui obligatio, neque etiam votum ante conſummationem matrimonii potuiſſet perficere, cum ratum ab Eccleſia Matrimonium ex Ordinum ſuſceptione diſſolvi nequeat, uti declaravit Joannes XXII. ex ſua Conſtitutione ad an. 1322. 30. Decembris Avenione lata. Neque etiam in hoc caſu vi hujus voti ea perficere teneretur, quæ pertinent ad Clericalem ſtatum; uti ſunt recitatio Officii, & obſervatio continentiæ; cum, ut ſupponimus, ea ex profeſſo & abſolute non voverit (*g*).

(*g*) Cajet. in 2. 2. q. 159. art. 3. Tolet. Inſtruct. Sacerdotum l. 7. c. 28. Sotus de juſt. & jur. q. 2. a. 3. & in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. Toſtatus Epiſc. Abulenſis in c. 7. Levit. q.

CASUS XVI.

Michaela de conſenſu viri ſui Petri, continentiam vovit. Poteſt ne deinceps abſque mortali peccato ab eo conjugale debitum exigere?

Respons.

Diſtinguendum: nam vel Petrus mulieris ſuæ voto conſentiens poſitivam habuit intentionem eam abſolvendi in perpetuum a debito conjugali, vel non: ſi eam habuerit intentionem; exiſtimamus, quod abſque peccato mortali debitum exigere non poteſt. *Continentiæ vota*, inquit Gratianus (*h*), *nec mulier ſine conſenſu viri, nec vir ſine conſenſu mulieris Deo reddere poteſt. Si autem conſenſu alterius eorum ab altero promiſſa fuerit, & ſi poſtmodum in irritum deducere voluerit, qui permiſit; non tamen valet, quia in debito conjugii æque mulier habet poteſtatem viri, ſicut & vir mulieris: atque ideo, ſi quilibet eorum alterum a ſuo jure abſolverit, ad præteritam ſervitutem ipſam revocare non poterit.*

(*h*) Gratian. § Ex præmiſſis. 33. q. 5.

Sed ſi contra Petrus ſe ipſum jure ſuo privare non intenderit, mulieris ſuæ voto conſentiens; ab ea deinceps, quando libuerit, debitum conjugale abſque mortali peccato exigere poteſt; uti probant hæc verba Cæleſtini III. ad Epiſcopum de re hujuſmodi ſcribentis (*i*): *Fraternitati veſtræ mandamus, quatenus ſi inveneritis uxorem regis Sueviæ, gravi infirmitate depreſſam, continentiam voviſſe, & virum ejus ad tempus præbuiſſe conſenſum; maxime ſi non idem vir continentiam vovit perpetuam, eamdem viro cohabitare faciatis, & utrumque invicem maritali affectione tractare.*

(*i*) Cæleſtin. III in cap. Cariſſimus. 12. de converſion. conjugat. l. 6. ff. tit. 32.

Sanctus Antoninus perpenſa hujuſmodi difficultate, ſic concludit (*K*): *Omnes tamen concordant in hoc, quod ex hoc quod unus vovit ſimpliciter de licentia alterius, non impeditur, quin ipſe poſſit ad placitum exigere debitum a vovente.* Cujus quidem rei hanc rationem affert peritus Canoniſta (*l*):

(*k*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 22. §. 3.

(*l*) Navarr. Man. c. 16. n. 31.

Sequitur ex dictis, quod a fortiori conjugum alter, qui altero non conſentiente, vel inſcio continentiam vovit, nedum votum ſuum adimplere queat: e contra ſub mortali reatu tenetur comparti exigenti, quæque voto non conſenſit, debitum reddere, ex deciſione Alexandri III. ad Piſanum Archiepiſcopum ſcribentis de votis conjugum (*m*), etſi is non poſſit exigere abſque reatu ſimilis peccati. Quocirca iſtis poteſt Auctoris antiqui in Canone laudati (*n*) verbis compelli: *Quod incaute voviſti, ne facias: impia eſt enim promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Quibus addi poſſunt hæc ſancti Auguſtini verba (*o*), de votis conjugum loquentis: *Vovenda talia non ſunt a conjugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi: & ſi præpropere factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſolvenda promiſſio: neque enim Deus exigit, ſi quis ex alieno aliquid voverit, ſed potius uſurpare vetat alienum.* Sanctus ille Doctor quem in duobus aliis Canonibus laudat Gratianus (*p*), eodem modo mentem ſuam aperit: in quo cum Summis Pontificibus conſentit.

(*m*) Alex. III. in cap. *Quidam*. 3. de conv. conjug.

(*n*) S. Aug. in can. Una. 6. 33. q. 5.

(*o*) S. Aug. in can. *Sidicat*. 2. & in can. *Nolau*. 36. eod. c. & q.

(*p*) Alex. II. in can. *Notificaſti*. 2. eod. c. & q. S. Greg. in can. *Sunt qui*. 19. 27. q. 2.

CASUS XVII.

Marcus, de matrimonii ſui validitate dubitans, cum dubium ſuum juſtum ſibi & æquum videretur, omni qua potuit diligentia veritatem detegere conatus eſt; ſed fruſtra. An in tali dubio in perpetuum jure exigendi debitum privatus remanebit; cum mulier ejus ſit in bona fide?

Respons.

Id primum Marco incumbit in caſu propoſito, ut dubium ſuum deponat, tamquam inſufficiens poſt adhibitam omnem diligentiam ad detegendam veritatem: tum enim haberi debet, tamquam homo qui in ignorantia invincibili facti verſatur, qua excuſatur coram Deo, & conſequenter abſque peccato debitum a ſua conjuge poteſt exigere. Ita ſentiunt multi Theologi, & præcipue Sotus (*q*) & Reginaldus, his verbis (*r*): *Quando moraliter impoſſibile eſt, diligentia adhibita dubium vinci, tunc conjugem dubitantem poſſe & reddere & petere debitum conjugale. Ratio eſt, quia quando præmiſſa diligentia requiſita ad vincendum dubium, vinci non potuit*

igus=

(*q*) Sotus lib. 4. de juſtitia & jure q. 5. art. 4. & in 4. diſt. 37. q. un. art. 5.

(*r*) Valerius Reginaldus Prax. fori pœnit. l. 31. c. 10. n. 299. p. 304.

Digitized by Google

ignorantia veritatis, de qua dubitatur, ea cenſetur eſſe invincibilis excuſans a peccato, & poſſeſſori relinquens jus utendi re poſſeſſa, ſecundum communem receptam doctrinam. Si tamen dubium ſuum deponere Marcus non poſſet, tum debitum exigere nequiret, abſque reatu mortalis peccati, cum in propriam ageret in eo caſu conſcientiam, ſibi dictantem, eſſe mortalis periculum: quod confirmat iſta Innocentii III. regula ex Apoſtolo deprompta (*a*): *Quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, & quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam*. Hactenus dicta plene confirmat Innocentii III. Decretalis modo afferenda, quæ allatis hactenus probationibus addi poteſt.

(*a*) Innoc. III. in c. *Litteras* 13. de reſtit. Spoliator. lib. 2. tit. 13.

CASUS XVIII.

Publia, Paulini uxor, inventis quibuſdam poſt mortem Salvinæ ſororis ſuæ litteris amatoriis, quas ad eam ante conjugium ſuum Paulinus ſcripſerat, ex quarum petulantibus verbis, vehementer ſuſpicatur, eum cum illa tum libidinis commercium habuiſſe, ſimulque cognoſcens, in hoc caſu Matrimonium ſuum cum Paulino fuiſſe invalidum, ob affinitatem ſecum invicem contractam: de Matrimonii ſui validitate dubio angitur, quo conſcientiæ ſtimulis agitatur, quoties ab ea debitum conjugale exigit Paulinus. Poteſtne illud reddere, non obſtante illo dubio, & etiam exigere abſque ullo mortali peccato?

Responsa.

Ad ſolutionem hujus difficultatis, alteriuſve ſimilis, dicendum. 1. Quod, cum leve eſt dubium, tum ejus nulla eſt habenda ratio. 2. Quod, cum dubium juſtum & legitimum, licet res in dubio poſita, non ſit omnino certa, & evidens, is inter conjugatos, qui tali dubio angitur, debitum quidem reddere, ſed non exigere poteſt. 3. Quod, ſi ad eum evidentiæ gradum res perveniat, ut eam certam exiſtimet, tum illud nec petere nec reddere poteſt abſque peccato, & ſi coram Judice Matrimonii ſui invaliditatem ſufficientibus non poſſit afferere probationibus, nec adeo divortii ſententiam obtinere, perſectam debet ſervare continentiam, abjecta prorſus Matrimonii copula, ad quam ne quidem per cenſuras Eccleſiæ ab Eccleſiaſtico Judice latas unquam debet compelli.

Solutionem hanc ſuppeditat Innocentius III. ex hac ſua ad ſimilem difficultatem reſponſione (*b*). *Credimus diſtinguendum utrum alter conjugum pro certo ſciat impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit, an non ſciat pro certo, ſed credat. In primo caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi & temeraria, an probabili & diſcreta, & quidem ad ſui paſtoris conſilium conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa, licite poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale. Verum cum conſcientia pulſat animum credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro vel contra Legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.*

(*b*) Innoc. III. in cap. *Inquiſitioni* 44. de Sent. excom. l. 5. tit. 39.

Præſuppoſitis iſtis principiis colligi facile poteſt in caſu propoſito, Publiam ſuum debere vincere dubium, ſi univerſalia ſint, aut æquivoca, vel dubia quæ in his, quas habet, Litteris, continentur verba amatoria; ſed ſi adeo aperta ſint & formalia, ut legitimum fiet ejus dubium, marito ſuo debitum tantum reddere debet, non vero illud petere directe vel indirecte, expreſſe vel tacite. Verum, ne in re tam difficili tantique momenti decipiatur, hoc tutius erit, ſi Paſtorem ſuum conſulat, aut Confeſſorem, ejuſque monitis ſequatur. Poſt longum autem hujus Decretalis textum, illiuſque Authoris pondus, inutiles videntur ad confirmationem hujus deciſionis authoritates, quas numero plures ad marginem indicare ſatis erit (*c*).

(*c*) Sup. S. Th. q. 55. art. 9. ad 3. S. Bonavent. in 4 diſt. 38. in expoſit. litteræ. Navar. Man. c. 22. n. 54. Sylvius in ſuppl. cit. q. 45. art. 4. quæſito 3.

CASUS XIX.

Fabia, Matthæi uxor, cum Alexio, fratre aut nepote, aut patruele conjugis ſui abſque ullo ſui conſenſu, ſed *vi*, cui non potuit reſiſtere, inceſtum commiſit. An ex tali adulterio privatur jure exigendi conjugale debitum ob affinitatem inde provenientem?

Responsa.

Ex hujuſmodi affinitate Fabia non excidit jure exigendi debitum a viro ſuo, nam hæc juris regula: (*d*) *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*, hoc eſt, ſibi naturaliter acquiſito privandus: at Fabia nullam admiſit culpam, cum pro ea omnino materialis fuit hic inceſtus, quippe quæ, ut ſupponitur, in eum nullatenus conſenſerit, neque adeo ipſi in peccatum imputari debeat ex his S. Auguſtini verbis (*e*): *Nemo impudice utitur corpore, niſi ſpiritu prius concepta nequitia.* Quibus conſentiunt hæc alia Origenis (*f*): *Neque enim fieri poteſt, ut ſi ante quis non mœchetur in corde, mœchari poſſit in corpore.*

(*d*) Reg. 23. de reg. juris in 6.

(*e*) S. Aug. lib. de ſancta virginit. c. 8. in can. *De pudicitia*. 6. 32. qu. 5.

(*f*) Origen. l. 2. ad cap. 2. Epiſt. ad Rom.

Propoſitam difficultatem ita ſolvit Innocentius III. in Decretali ad Præpoſitum Magdeburgenſem ſcripta de viro, qui nuptam a ſe conjugem parenti ſuo ad mœchandum tradiderat (*g*), & eandem, quam attulimus, rationem ſubjungit hic Papa. *Sed nec affinitas*, inquit, *quæ poſt contractum legitime Matrimonium inter virum & uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit, cum ſuo jure non debeat ſine ſua culpa privari*. Quod de eo caſu affirmat hic Pontifex, in quo ſcelus vi perpetratum eſt. Caſum hunc de eo in quo reperitur ignorantia facti, pariter ſolvit Triburienſe Concilium an. 895. cujus hæc verba laudat Gratianus in ſuo Decreto (*h*). *In lectum mariti, abſente uxore, ſoror ivit uxoris, quam ille uxorem putans ſuam eſſe, dormivit cum ea: ſuper hoc viſum eſt, ſi ipſe per ſecuritatem veram hoc probaverit, quod inſcius fecerit hoc ſcelus... legitimum ſuum conjugium habere permittatur*. De quo Gloſſa (*i*) dicit, vocem *ſecuritatem* intelligendam eſſe de jurejurando, *id eſt jusjurandum, quia teſtes habere non poſſunt de hujuſmodi, & ſic patet, quod per juramentum probatur ignorantia*. Cæterum diximus, de eo in quo reperitur *ignorantia facti*, non ex ignorantia invincibili juris non poſſet excuſari ſecundum doctrinam S. Thomæ (*K*), & iſtam Bonifacii VIII. regulam (*l*): *Ignorantia facti non juris excuſat*. Quocirca licet inceſtuoſus ignoraret, quod crimen perpetrando, ſeipſum jure ſuo privaret, vere tamen ab eo excideret (*m*).

(*g*) Innoc. III. in c. *Diſcretionem* 6. de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ &c. l. 4. tit. 13.

(*h*) Conc. Triburienſ. in can. *In lectum* 6. 34. qu. 1. & 2.

(*i*) Gloſſa in cit. can. v. *Securitatem*.

(*K*) S. Th. 3. part. Sum. q. 80. art. 4. ad 5.

(*l*) Reg. 13. de reg. jur. in 6.

(*m*) Fr. Sylvius in Sup. S. Th. q. 55. art. 6. Concluſ. 1.

CASUS XX.

Algandema, Thomæ uxor, cum fratre viri ſui inceſtum commiſit ex metu gravi, qui etiam in conſtantem perſonam caderet, cum prope eſſet, v. gr. ut ab ipſo pugione confoderetur. Poteſtne Thomas, cui illud notum, ipſi tuta conſcientia debitum conjugale recuſare?

Responsa.

Certum eſt, Thomam in hoc caſu debitum uxori ſuæ poſſe abſque peccato denegare, quantocumque enim timore correpta fuerit, crimini huic abſque reatu mortalis peccati aſſentiri non potuit, quia, ut ait S. Auguſtinus (*n*) *Cum pudicitia virtus ſit animi, comitemque habeat fortitudinem, qua potius quælibet mala tolerare, quam malo conſentire decernat, &c.*

(*n*) S. Aug. in can. *Ita ne*. 3. 32. q. 5.

CASUS XXI.

Oneſiphorus cum conſanguinea Columbæ uxoris ſuæ inceſtum commiſit. Poteſtne, eo non obſtante, debitum a Columba ſine peccato mortali exigere?

Responsa.

Si contracta ab Oneſiphoro affinitas ob crimen illud ſit in primo aut ſecundo gradu ante legitimam diſpenſationem obtentam, debitum a muliere ſua exigere

gere

gere nequit, licet peccans crimini ſuo pœnam hanc eſſe annexam ignoraſſet. Ratio eſt, quia ex affinitate in alterutro ex his gradibus, jure ſuo excidit, uti conſtat ex multis canonibus a Gratiano relatis in ſuo Decreto (*a*), & ex iſtis Decretalis ex antiquo Concilio depromptæ verbis (*b*): *Si quis cum filiaſtra ſua ſcienter fornicatus fuerit, nec a matre debitum petere; nec filiam unquam poteſt habere uxorem.* Unde ſi Columbæ notum ſit viri ſui crimen, ipſi debitum recuſare poteſt, quod ipſa jure valet exigere.

(*a*) Can. *Qui dormierit.* 30. 27. q. 2. & ibi Gratian. §. *Id eſt.* can. *Qui dormierit.* 21. 32. q. 7.

(*b*) Cap. *Si quis.* 1. de eo qui cogn. conſang. uxoris &c.

Addi poteſt etiam alia probatio deprompta ex Decretali Cæleſtini III. (*c*), in qua inceſtuoſo cum conſanguinea uxoris prohibet, ne mortua ſponſa priori, alteri nubat, quod ſi fecerit, ne debitum exigat a poſteriori illa uxore in vindictam præcedentis criminis. Nihilominus nullam admittit affinitatem quoad effectum, de quo agitur, in gradibus remotioribus Concilium Tridentinum (*d*). *Synodus*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium poſtea factum dirimitur, ad eos tantum, qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit. In ulterioribus vero gradibus ſtatuit hujuſmodi affinitatem Matrimonium poſtea contractum non dirimere.* Unde ſequitur, quod, cum licite contrahi poſſit Matrimonium, non obſtante illa ſpecie affinitatis, ſi ſit ultra ſecundum gradum, is de peccato damnari non debet, qui cum peccavit cum uxoris ſuæ conſanguinea in tertio aut quarto gradu, ab ea deinde conjugale debitum exigit: atque hanc difficultatem ita ſolvit, teſtante Farinacio, ut refert Author Theologiæ moralis Gratianopolitanæ (*e*), Gregorius XIII. his verbis: „*Sanctiſſimus Dominus noſter Gregorius XIII. ex ſententia congregationis dixit: per hoc decretum ſublatum cenſeri impedimentum quoque ſupervenientis affinitatis poſt contractum Matrimonium, quia ſi impedimentum dirimens ſublatum eſt, quod majus eſt, erit & illud quod ſolum impedit, ne is per quem contracta eſt affinitas, ſine peccato poſſit exigere debitum, quod minus eſt* (*f*). Ita ſentiunt S. Antoninus (*g*), Covarruvias, Dominicus Soto, Cajetanus, Navarrus, aliique permulti Theologi & Canoniſtæ, quorum quidam, non diſtinctis gradibus loquuntur, quod ante Tridentinum fuerint locuti.

(*c*) Cæleſt. III. in cap. *Tranſmiſſæ.* 2. de eo qui cognovit conſang. uxoris ſuæ, &c.

(*d*) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 4.

(*e*) De Genet. Th. mor. tom. 4. par. 2. tract. 9. cap. 10. dem. 25.

(*f*) Farinacius in declarat. ſuper ſeſſ. 24. Conc. Tr. c. 4. de refor. matrim.

(*g*) S. Anton. 3. part. Sum Theol. tit. 1. c. 12. paulo ante §. 1. & c. 16. §. 4. Didacus Covarr. 2. part. de matrim. c. 7. §. 2. n. 5. Dominic. Soto in 4. diſt. 36. art. 2. Cajet. in Sum. v. *Matrimonium.* Navarr. Man. c. 16. n. 31. Richard. & alii.

CASUS XXII.

Si Oneſiphorus, cum conſanguinea Columbæ ſponſæ ſuæ in primo aut ſecundo gradu, inceſtum commiſiſſet ante conſummatum Matrimonium, teneretur ne ſub reatu peccati ei debitum reddere, Matrimonii conſummationem petenti?

Respons.

Difficultati huic ita occurrit S. Antoninus, (*h*): *Qui autem cognovit conſanguineam uxoris, cum qua contraxit per verba de præſenti*, inquit hic S., *ſed nondum conſummavit Matrimonium, cum non poſſet debitum negare, niſi intrando religionem, videtur quod ad hoc teneatur, ne inceſtum committat, cognoſcendo affinem, & cum hoc valeat facere, quia nondum conſummavit. Quod ſi vult remanere in ſæculo, neceſſaria eſt ſibi diſpenſatio, etiam ad reddendum debitum, ſi hoc vult ſine peccato facere, & poteſt Epiſcopus diſpenſare.*

(*h*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 11.

CASUS XXIII.

Paulinus, contraxitne affinitatem cum uxore ſua, qua jure petendi conjugale debitum ab ea ſpolietur, ob perpetratum adulterium cum ſua conſanguinea, aut puella uxoris ſuæ affine?

Respons.

Nullam Paulinus in hoc caſu affinitatem contraxit, qua jure exigendi debitum privetur. Ratio eſt, quia conſtitutæ ea de re ab Eccleſia Leges, de hac affinitatis ſpecie non loquuntur, ſed de ea tantum, quæ ex inceſtu provenit, quem unus ex conjugatis cum alterius conſanguinea perſona in primo aut ſecundo caſu admiſit. Cum igitur ultra Leges non ſint ampliandæ pœnæ, juxta illud Bonifacii VIII. (*i*): *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*, certum eſt, quod, ex juris rigore, conjux, qui ſimilem huic, de quo in caſu propoſito, inceſtum commiſit, jus petendi debitum non amittat. Ita S. Thomas (*k*), Dominicus Soto, Sylveſter, Author Theologiæ moralis Gratianopolitanæ (*l*), & alii multi.

(*i*) Regul. 21. de reg. juris in 6.

(*k*) S. Th. in 4. diſt. 34. q. un. art. 3.

(*l*) De Genet. Theol. mor. tom. 4. part. 2. tract. 9. c. 10. n. 23.

CASUS XXIV.

Valerius, cum ſorore aut nepte Semproniæ uxoris ſuæ inceſtum commiſit, qua cum proinde affinitatem ex hoc crimine contraxit. Poteſtne jam Sempronia conjugale debitum exigere abſque reatu mortalis peccati, teneturne etiam Valerius petenti illud reddere?

Respons.

Conſtat, quod, quamvis jure petendi debitum vir excidit, ob adulterium commiſſum; illud tamen non amittit uxor ejus; quia, ut alibi diximus, par non eſt, ut immerita puniatur, & vir petenti reddere tenetur. *Vir amiſit jus petendi debitum, nec poteſt petere ſine peccato*, inquit S. Thomas (*m*), *ſed tamen debet reddere petenti, quia uxor non debet puniri de peccato viri.* Quod ita intelligi debet, ut mulier illa conſenſu formali aut tacito viri criminis non particeps fuerit. Tum enim, ut ipſe, ſic ea jus exigendi debitum amitteret.

(*m*) S. Th. in 4. diſt. 14. q. un. art. 3. in corp.

Id ipſum declarat Innocent. III. in una ſua Decretali, quam ad Præpoſitum Eccleſiæ Magdeburgenſis ſcribit (*n*), *Nec affinitas*, inquit hic Papa, *quæ poſt contractum legitime Matrimonium inter virum & uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit, cum ſuo jure non debeat ſine ſua culpa privari.* Exigit quidem ſummus ille Pontifex in alia Decretali (*o*), in qua Archiepiſcopo Strigonienſi, de ſimili difficultate interroganti reſpondet, ut moneantur uxor vehementioribus verbis, ne viro, dum vixerit, commiſceatur. *Uxor & a commixtione viri abſtineat propter publicam honeſtatem, & in continentia maneat, donec vir viam univerſæ carnis ingreſſus fuerit, diligenter eſt monenda.* Sed iſta dicit per modum conſilii, non vero per modum præcepti, ut patet ex his ejus ſequentibus verbis: *Quod ſi forte commonitioni parere recuſans talis fuerit, ut de lapſu timeatur ipſius, vir ejus poterit & debebit cum Dei timore, debitum ei ſolvere conjugale.* Eandemque, quam prior Decretalis, rationem reddit. Gregorius IX. & Cæleſtinus III. parem afferunt deciſionem (*p*).

(*n*) Innoc. III. in cap. *Diſcretionem.* 6. de eo qui cognovit conſang. uxoris ſuæ &c.

(*o*) Idem in cap. *Tua fraternitatis.* 10. eod. tit.

(*p*) Greg. IX. in Cap. *Jordana.* ſin Cæleſt. III. in Cap. *Tranſmiſſæ.* 4. eod. tit.

CASUS XXV.

Genovepha, Sylveſtri uxor, debitum conjugale viro ſuo reddere vehementer averſatur, & contendit, ſe illud poſſe recuſare ob ſolam hanc averſionem. Nonne ea in re fallitur, ac mortaliter etiam peccat?

Respons.

Sentiunt communiter Theologi, alterum ex conjugatis ſub mortali peccato teneri ad reddendum alteri petenti debitum, cum illud expreſſis verbis, atque ut jus ſibi debitum exigit, neque juſtam ſubeſſe recuſanti diſpenſationis cauſam.

Nititur hæc doctrina, ut obſervant S. Antoninus, Toletus & alii (*q*) his Apoſtoli verbis (*r*): *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro: mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier: nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu.* Unde ſequitur, quod qui debitum abſque ratione denegat, contra juſtitiam in re maximi momenti, & contra fidem coram Eccleſia datam peccat: quod non poteſt eſſe ſine mortali peccato; ut docet S. Antoninus his verbis: *Eſt mortale denegare debitum petenti omnino, ſi non habeat cauſam rationabilem excuſantem.* Quod ſic probat hic S. Archiepiſcopus: *Sicut eſt contra juſtitiam alienum petenti non reddere, niſi antea hoc legitima exceptio habeatur: ſed primum eſt mortale, ita & ſecundum. Sed corpus unius conjugis eſt res*

(*q*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 7. Tolet. inſtruct. Sacerd. l. 7. c. 24.

(*r*) 1. Cor. 7. v. 3. 4. & 5.

alte-

alterius, quantum ad actum matrimonii; ergo qui negat jungi alteri corpus ſuam quantum ad actum matrimonii, peccat moraliter, niſi . . . . habeat legitimam cauſſam denegandi. Quod verum eſt ex hoc, quod qui moroſitate quadam aut averſione & abſque legitima cauſſa alteri debitum denegat, ipſum manifeſto incontinentiæ periculo committit. Inſuper ex hac repulſa ſemper ferme oriuntur odia, rixæ alioque, paci conjugatis neceſſariæ contraria.

Sanctus Chryſoſtomus perſuaſam adeo peccati hujuſce gravitatem habet (*a*), ut indubitanter aſſerat; *Si tu abſtines ſine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam* (id eſt occaſionem), *& peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ*. Idem aſſerit S. Auguſtinus (*b*); *Si dicat vir*, inquit hic S. Doctor, *continere jam volo; nolo autem, uxor; non poteſt: quod enim tu vis, non vult illa: numquid per continentiam tuam debes illam facere fornicariam? . . . Redde debitum: etſi non exigis, redde*.

(*a*) S. Chryſoſt. in Pſ. 50. in Can. *Si tu*, 34. 27. q. 2.

(*b*) S. Aug. in Pſ. 49. in Can. *Si dicat*, 2. 33. q. 5.

Conſtat igitur, Genoveſam in caſu propoſito errare, neque viro ſuo Silveſtro debitum recuſare poſſe, abſque reatu peccati mortalis, ſimulque omnium peccatorum quæ ob ejus repulſam commiſſurus eſt maritus ejus; cum nullam jam, ut ſupponitur, repulſæ ſuæ legitimam cauſſam queat obtendere. Si tamen oſcitanter debitum vir ejus exigeret, non vero enixe rogaret; tum abſque peccati, ſaltem mortalis, reatu reddere non poſſet; quia tum poſſet præſumere, quod non ut jus ſibi debitum, ſed ſolum ut amicitiæ ſignum vir repoſceret, niſi forte incontinentiæ periculum pro eo prævideret; in hoc enim caſu idem de eo dici poteſt ac de creditore, cui debetur ſumma pecuniæ, qua facile carere poteſt, quique eam a debitore negligenter tantum requirit; nam, ut ex hac creditoris petitione ſatis conſtat, eum pecuniæ ſuæ non egere, nec teneri debitorem ad ſolvendam ſub peccato mortali. Idem dicendum de petitione viri cum a muliere debitum non rigoroſe exigit. Dominicus Soto (*c*), Sylvius, & alii multi exiſtimant, mulierem etiam a mortali eſſe immunem, cum ad libidinem ita pronus eſt maritus, ut mulieri neceſſariam quietem & juſtum temporis intervallum non relinquit; tunc enim talis haberi debet, *tamquam exactor injuſtus*: id tamen intelligendum ſub iſta conditione quam Sylvius (*d*) apponit; *Si non ſit ullum incontinentiæ periculum*.

(*c*) Dom. Sotus in 4. ſupra cit. diſt. 34.

(*d*) Sylvius in Suppl. S. Th. q. 54. art. 1. *ſub fin.*

CASUS XXVI.

Cordula, Gaſtoni repugnanter matrimonio juncta, a prima nuptiarum die ei debitum enixe poſtulanti denegavit. Nonne in eo mortaliter peccavit?

Responsio.

Certum eſt, ad debitum ſibi mutuo præſtandum teneri conjuges a prima die ſui matrimonii, cum alter ab altero illud tamquam jus ſibi debitum requirit, excepto tamen eo caſu, cum denegans ſolemne ſtatuit emittere votum Religionis; tum enim duos menſes concedit Eccleſia, per quos qui tale ſuſcepit conſilium, matrimonium conſummare non tenetur alteri debitum reddendo, uti declaravit Alexander III. ad Epiſcopum Oxonienſem (*e*), & ad Epiſcopum Brixinionenſem (*f*) ſcribens; nec non Innocentius III. in Decretali ad Archiepiſcopum Lugdunenſem (*g*). Denique rem aperte definivit Concilium Tridentinum his verbis (*h*): *Si quis dixerit matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit*.

(*e*) Alex. III. in cap. *Commiſſum*. 14. de ſponſal. & matri. lib. 4. tit. 1.

(*f*) Et in cap. *Ex publico*. 7. de converſ. conjug. l. 3. tit. 32.

(*g*) Innoc. III. in cap. *Ex parte*. 14. cit. tit. de Converſ. Conjug.

(*h*) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Sacram. matrim. can. 6.

Ex multis antiquitatis exemplis confirmari poteſt illud Eccleſiæ ſtatutum. Primum eſt ſanctæ Theclæ, quod refert S. Ambroſius (*i*): *Thecla docet immolari*, inquit, *quæ copulam fugiens nuptialem, & ſponſi furore damnatam naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutavit*. Alterum eſt S. Macharii Anachoritæ, de quo loquitur S. Hieronymus a Gratiano his verbis relatus (*k*): *Macharius, præcipuus inter Chriſti Eremitas, celebrato nuptiarum convivio, cum veſpere thalamum eſſet ingreſſurus, ex urbe egrediens, tranſmarina petiit, & eremi ſolitudinem ſibi elegit*. Tertium eſt S. Alexii, de quo ſic idem Gratianus: *Beatus Alexius, Euphemiani clariſſimi filius, ſimiliter ex nuptiis divina gratia vocatus, ſponſam deſeruit, & nudus Chriſto famulari cœpit*.

(*i*) S. Ambroſ. l. 2. de virg. c. 3. ſeu n. 30.

(*k*) Gratian. §. *Ecce quod*. 27. q. 2.

Ceterum non omittendum heic, quod alterutro ex ſponſis ante conſummatum matrimonium Religionem profitente, tum is alteri nubere poteſt perſonæ, qui in ſæculo permanet, poſt emiſſam ab iſto ſolemnem Religionis profeſſionem modo legitimo; hoc eſt, 1. in Ordine Religioſo ab Eccleſia approbato, 2. Inter manus legitimi Superioris. 3. Poſt completam ſexdecim annorum ætatem. 4. Poſt integrum Novitiatus ſeu probationis annum, quarum defectu conditionum Profeſſio Religioſa nequit eſſe legitima, aut ſolemnis haberi, uti a Concilio Tridentino definitum eſt (*l*); licet aliter conſtituerint Alexander IV. Bonifacius VIII, aliique ſummi Pontifices ante Concilium. Ex quo patet, his terminis: *Profeſſio ſolemnis*, non intelligendam ſolum eſſe Profeſſionem publicam, ſed eam quæ fit cum omnibus ſupra relatis conditionibus, & quæ ſolemnis tamen haberetur, quamvis privatim fieret & coram paucis teſtibus; ut conſtat ex Decretali Innocentii III. ad Epiſcopos Ulyſſiponenſem & Conimbricenſem (*m*); & obſervant Durandus, Scotus, Richardus aliique Theologi.

(*l*) Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de regulas.

(*m*) Innoc. III. in cap. *Inſinuante*. 7. Qui Clerici vel voventes &c. l. 4. tit. 6.

Hoc unum igitur ſupereſt, ut concludamus, nullius Cordulam fuiſſe peccati conſciam, ſi Gaſtoni debitum Religionem profitendi gratia recuſavit; aliter vero eam peccaſſe.

CASUS XXVII.

Si prolationem hanc duorum menſium, ab Eccleſia novis conjugatis conceſſam prætermiſerit Cordula; tenetur ne, elapſo eo tempore matrimonii ſui conſummationi ſub peccato mortali aſſentiri, debitum viro ſuo enixe poſtulanti reddens?

Responsio.

Cum præciſe duos illos dumtaxat menſes conceſſerit Eccleſia, ad electionem vel Religionis, vel conſummationis matrimonii; Cordula, quæ Religionem non elegit, jure debitum marito ſuo petenti jam denegare non poteſt; unde tenetur, ſi is abſolute velit, illud ſub peccato mortali reddere. Attamen ſi poſt conceſſum ab Eccleſia tempus ad deliberandum, & poſt annum probationis integrum profeſſionem emitteret, valida eſſet ejus profeſſio, ut vinculum matrimonii diſſolutum; certum eſt enim ex profeſſione ſolemni Religionis, quocumque tempore fiat, diſſolvi matrimonium non conſummatum, ut ex Canonis Tridentini in ſuperiori deciſione allati generalibus & expreſſis terminis ſit manifeſtum.

CASUS XXVIII.

Nicolaa, aperte debitum a Jodoco viro ſuo propter verecundiam non audens exigere, rem ipſi blandiendo clare inſinuat. Tenetur ne Jodocus, qui ſignis externis uxoris ſuæ novit cupidinem, ad ei in foro conſcientiæ debitum reddendum; priuſquam illud verbis expreſſis petierit?

Responsio.

Tenetur Jodocus in caſu propoſito ad reddendum uxori ſuæ debitum, non apertam ejus exſpectans petitionem. Ita S. Thomas (*n*) his verbis. *Alio modo eſt petitio interpretata, quando ſcilicet vir percipit per aliqua ſigna, quod uxor vellet ſibi debitum reddi, ſed propter verecundiam tacet; & ita etiamſi non expreſſe verbis debitum petat; tamen vir tenetur reddere, quando expreſſa ſigna in uxore apparent voluntatis debiti reddendi*. Suamque ſententiam probat Angelicus Doctor, virum Medico, mulierem autem ægroto comparans hoc modo: *Per redditionem debiti medicamentum præſtatur contra uxoris concupiſcentiam*, ait (*o*); *Sed Medicus, cui eſt infirmus aliquis commiſſus, tenetur morbo ejus ſubvenire; etſi ipſe non petat: ergo vir uxori non petenti tenetur debitum reddere*.

(*n*) S. Th. in 4. diſt. 32. q. un. art. 2. quæſtiunc. 1. in corp.

(*o*) Idem ib. in arg. *Sed contra*.

Equidem, ut debitor ex juſtitia & ſub reatu peccati creditorem ſuum, cum poteſt, egentem ſuæ ſummæ tenetur ſolvere, licet is debitum ſuum verbis expreſſis exigere non audeat, ne forte debitori diſpliceat, & aliter cenſetur hic debitor rem alienam retinere *invito domino*; ita maritus uxori ſuæ

debi-

Digitized by Google

debitum reddere tenetur, quamvis interpretative tantum & indirecte illud requirat; quod omittens ſit conſcius peccati. Atque ſecundum hunc ſenſum intelligendus Auguſtinus, in Canone laudatus (*a*), dicens: *Redde debitum* (uxori), *etſi non exigit, redde. Pro ſatisfactione perfecta Deus tibi computabit, ſi non quod tibi debetur exigis; ſed reddis quod debetur uxori.*

(*a*) S. Aug. in Can. *Si dicat.* 1. 33. q. 1.

(*b*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. cap. 20. §. 7.

Idem docet poſt peritiſſimum Canoniſtam ſanctus Antoninus (*b*). En verba ſancti Archiepiſcopi: *1. 2. Nota quod Auguſtinus de Ancona ſuper Epiſtolas Pauli dicit, quod tripliciter contingit, uxorem debitum petere a viro: 1. uno modo verbi expreſſione quando hoc petit. 2. Ex ſigni demonſtratione, quando hoc vir perpendit ex aliquo ſigno vel nutu. 3. Ex naturæ conditione, quando ſcit uxorem hoc rationabiliter debere petere, ſciens tamen ipſam eſſe verecundæ naturæ, & propter verecundiam non petere: non ſolum ergo primo & ſecundo caſu, ſed & tertio modo petenti debet reddere; quia in quantum poteſt vir, debet conari, ut faciat uxorem contentam, tam debitum reddendo, quam ſigna benevolentiæ ei oſtendendo.* Ita etiam Navarrus (*c*) cum aliis permultis, quorum præcipuus eſt Sylvius (*d*).

(*c*) Navarr. Man. c. 16. n. 26.

(*d*) Fr. Sylvius in Sup. S. Th. q. 64. art. 2.

CASUS XXIX.

Amatoa, mulier nobilis, quandoque novit, a viro ſuo, multo inferioris ſibi conditionis, indirecte tantum exigi debitum a ſe. Numquid tum ipſa reddere tenetur, uti ſponſus in ſimili caſu?

Responsa.

Multum in eo a ſe invicem diſcrepant vir & mulier; quia vir non æque verecundia retinetur, uti mulier: unde mulier debitum reddere non tenetur; cum illud maritus verbis expreſſis non exigit. Poteſt igitur Amatoa formalem ea de re viri ſui voluntatem exſpectare. Vir enim, inquit ſanctus Thomas, (*e*) *quia nobiliorem partem habet in actu conjugali, naturaliter habet, quod non ita erubeſcat petere debitum, ſicut uxor; & inde eſt quod uxor non ita tenetur reddere debitum non petenti viro, ſicut vir uxori.*

(*e*) S. Th. in 4. diſt. 32. q. un. a. 2. ad 2.

(*f*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit 1. c. 20. §. 7.

S. Thomæ aſſentitur S. Antoninus (*f*); cum enim aſſeruit, ad debitum erga uxorem ſuam virum teneri, licet ea interpretative poſtulet, poſtea ſubjungit, non eamdem pro muliere colligendam eſſe obligationem, cum is expreſſe non poſtulet; eamdemque Angelici Doctoris rationem affert: *Sed quia non ita verecundantur viri in hoc, ideo non ita dicitur de eis.* Quod tamen intelligendum de more ſolito hominum, cum certum ſit, quoſdam eſſe homines aut naturaliter, aut ob mulierum ſuarum duritatem ac ſuperbiam, aut ob earum in ſe auctoritatem, generiſque præſtantiam timidos ac puſilli animi præditos: quo in caſu mulier viro ſuo, ſi eum cupere cognoſcat, debitum offerre tenetur, licet illud tacite tantum & indirecte exigat; ut ita obſervat inſignis Canoniſta (*g*): *Id ipſum tamen dicendum eſt de marito illo, qui ob puſillanimitatem ſuam, vel ob uxoris duram conditionem, aut inſignem auctoritatem non audet expreſſe ſuo metu aliquo petere ob eamdem rationem.* Ita etiam Sylvius (*h*).

(*g*) Navarr. Man. c. 16. num. 26.

(*h*) Sylvius in Sup. S. Th. q. 64. art. 1.

CASUS XXX.

Junia, quæ viro naturaliter rei venereæ dedito nupſit, quique ab ea, licet graviter ægrotante debitum vult exigere; tenetur ne ipſi in hoc obtemperare, etiam propriæ valetudinis diſpendio; ne is incontinentiæ periculo committatur?

Responsa.

Juniam in hac hypotheſi neque ex juſtitia, neque ex caritate ad reddendum debitum teneri exiſtimamus; cum propriæ ſanitatis ſuæ ratio viri ſui rationibus ad exigendum debitum prævaleat. Sat eſt heic, ut miſſa ea de re fuſiori expoſitione ſententiam ſancti Thomæ, ejuſque in eam rem argumenta afferamus. Sic autem loquitur ſanctus Doctor (*i*): *Matrimonium eſt principaliter inſtitutum in officium naturæ; & ideo in actu ejus conſiderandus eſt motus naturæ; ſecundum quem nutritiva non miniſtrat generativa, niſi id quod ſuperfuit ad conſervationem individui, quia hic eſt ordo naturalis; ut prius aliquid in ſe ipſo perficiatur, & poſtmodum alteri de perfectione ſua communicet. Hoc etiam ordo caritatis habet, quæ naturam perficit; & ideo cum uxor in virum poteſtatem non habeat, niſi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea quæ ſunt ad conſervationem individui ordinata; vir tenetur uxori reddere debitum in his quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalva tamen prius perſonæ incolumitate.* Et paullo poſt: *Uxor non habet poteſtatem in corpus viri, niſi ſalva conſiſtentia perſonæ ipſius .... unde ſi ultra exigat, non eſt petitio debiti, ſed injuſta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei ſatisfacere.* Ceterum quod de viro aſſerit S. Doctor, de muliere eſt intelligendum, quandoquidem non minoris ſua interſit propriam tueri ſanitatem, quam viri ſuam. Ita etiam aſſerint S. Antoninus, Navarrus, Toletus, Sylvius, Abelly, Bailius & alii complures (*k*).

(*i*) S. Th. in 4. diſt. 32. q. un. art. 2. in corp. & ad 2.

(*k*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 10. Navar. Man. c. 16. n. 23. Fr. Tolet. Inſtruct. Sacerd. lib. 7. cap. 24. n. 3. Sylvius in Sup. q. 64. art. 1.

CASUS XXXI.

Joanna primum, quem peperit, natum ipſa nutrire cupit; ſed cum ab ea debitum exigere velit maritus ejus, poſtulat utrum illud reddere teneatur, eo tempore toto quo puerum ſuum lactat; an vero abſque peccato illud denegare poſſit?

Responsa.

S. Gregorius ad S. Auguſtini, Angliæ Apoſtoli quæſita reſpondens, uſum matrimonii æqualiter & indiſtincte prohibet, non ſolum toto eo tempore quo menſtruis laborant mulieres & tempore partus, ſed etiam lactatus (*l*). *Ad ejus vero concubitum vir ſuus accedere non debet, quouſque qui gignitur ablactetur.* Unde colligendum, quod ſi mulier debitum reddens percipiat lac ſuum corrumpi, atque ſuo fieri noxium infanti, aut ad ejus nutritionem non ſufficiat; tunc debitum abſque peccato denegare poteſt, quod & ipſe ſine aliqua culpa nequit vir ejus exigere. Attamen, quamvis ſanctus hic Pontifex acerbius in eas invehat matres, quæ libidinis cauſſa, infantes ad nutriendum aliis tradunt, dici poteſt, quod ſi de incontinentia periclitetur maritus; id quod aſſerit S. Gregorius, *magis eſt monitio, quam præceptum*, ut loquitur antiquus Theologus a Soto laudatus (*m*): Atque adeo prolem ſuam alteri nutrienda tradere debet, ſi poſſit, ut mariti ſui infirmitati, ipſi debitum reddendo, provideat, ne caſtimoniam nuptialem infringat. Quod ſi præ inopia prolis ſuæ nutritioni per aliam proſpicere nequeat, abſolute marito ſuo debitum poteſt denegare, quod is cum periculo mortis ſuæ prolis illud exigere nequeat.

(*l*) S. Greg. in Can. *Ad ejus*. 4. diſt. 5.

(*m*) Richard. apud. Dom. Sot. in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. in fin.

CASUS XXXI.

Ludovica, a partu recentem enixe debitum rogat Gervaſius ipſius maritus. Nonne illa reddere ſub peccati mortalis reatu tenetur, præſertim ſi eum incontinentiæ periculo committi exiſtimet?

Responsa.

Certum eſt, quod in eo in quo eſt ſtatu, non tenetur ſub peccato Ludovica debitum viro ſuo, quantumvis enixe poſtulanti reddere, quod conjugali jura tunc temporis uti nequeat, idque tribus de cauſſis, quas his verbis recenſet Sylvius (*n*): *Tempore autem puerperii nec petere licet, nec reddere, ut reſpondit Gregorius, cap. 10. ad interrogationes Auguſtini: ideoque partim ob mulieris indiſpoſitionem, partim ob nocumentum prolis jam natæ, vel ejus quæ naſci poſſet ex tali complexu. Si tamen tali tempore congrediantur, non videtur eſſe mortale, niſi aliquod damnum inde ſit rationabiliter timendum.*

(*n*) Sylvius in Sup. S. Th. q. 64. art. 2.

Juvat heic propria S. Gregorii verba, quæ laudat Sylvius referre; quæ ſunt hujuſmodi, ut ea refert Gratiani Decretum in quodam Canone (*o*): *Hæ itaque, quæ filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum tradunt, niſi purgationis tempus prius tranſierit, viris ſuis non debent admiſceri, quippe*

(*o*) S. Greg. loc. cit. Can. *Ad ejus*. 4. diſt. 5.

cum

cum & ſine partus cauſa, cùm in conſuetis menſtruis detinentur, viris ſuis miſceri prohibeantur. Quæ verba, non de ſolis menſtruis, ſed & de puerperii ſtatu intelligenda ſunt, ut conſtat ex his verbis: *Cum & ſine partus cauſa*, & expreſſe declarat Nicolaus I. in hac ſua ad Bulgaros reſponſione (a): *Quot diebus viro, poſtquam mulier filium genuerit, ab ea ſit abſtinendum, non adinventionibus noſtris, ſed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani Pontificis & Anglorum gentis Apoſtoli declaratur, qui Augustino Epiſcopo, quem in Saxoniam ipſe direxerat, ſcribens, inter cætera dixit*: Ad ejus vero, *id eſt mulieris*, concubitum vir ſuus accedere non debet, &c.

(a) Nicol. I. ad conſulta Bulgaror. c. 68.

CASUS XXXIII.

Eleonora, quæ in ultimo ſuo puerperio in præſens vitæ diſcrimen adducta eſt, quæque a Medicis Chirurgiſque didicit, ſe deinceps non ſine amiſſione vitæ eſſe pariturum, teneturne tamen marito ſuo debitum enixe petenti tamquam jus rigoroſum, reddere; præſertim, ſi eum jam ob talem repulſam in incontinentiam lapſum eſſe noverit. Dictum eſt, quod ad id teneretur quia propriam vitam mortis periculo committere ad proximi ſalutem neceſſe eſt: Poſtulat ergo, quid ſibi ad propriæ conſcientiæ ſecuritatem agendum ſit?

Respons.

Ad debitum non tenetur hæc mulier cum tanto periculo; & ſi prolem adhuc poſſit edere, illud exigendi jure non potitur vir ejus in ſimili caſu; quia certum eſt, quod ipſe tanto ſe nollet committere periculo illud reddendo. Ratio eſt, 1. quia, cum nemo propriæ vitæ dominium habeat, nemo quoque abſque peccati reatu illius amittendæ periculum ſubire poteſt; cum e contra ad ſalutem ſuam tuendam quilibet jure naturæ compellatur. 2. Chriſtiana quoque caritate vir tenetur ad abſtinendam ab eo, quod magnum poteſt uxori ſuæ damnum afferre, quacum, teſtante Scriptura, una caro eſt, & quam proinde, ut ſeipſum diligere tenetur ex hoc Apoſtoli præcepto (b): *Viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua; qui uxorem ſuam diligit, ſeipſum diligit*. Quod autem mulieri ſuæ damnum majus inferre poteſt, quam amiſſionem vitæ?

(b) Ephes. 5. 28.

Ita quæſtionem hanc ſolvit ſanctus Thomas (c), verbis expreſſis aſſerens, mulierem non teneri ad debitum niſi ſub iſta conditione: *Salva tamen prius perſonæ incolumitate*.

(c) S. Th. in 4. diſt. 32. q. un. art. 1. in corp.

Ad id autem, quod Eleonoræ dictum eſt, ſcilicet ad illud reddendum eam obligari, quia Chriſtianus vitam ſuam corpoream ad conſervationem vitæ ſpiritualis proximi exponere tenetur, quocirca vitæ propriæ damnum potius pati tenetur, quam impudicitiæ proprii mariti repulſa ſua occaſionem præbere; Reſpondendum hanc rationem in extrema tantum neceſſitate valere: At vir ob repulſam mulieris ſuæ ad extremam non adigitur neceſſitatem, quod libidini ſuæ alia via, & præſertim oratione poſſit mederi.

Sententiæ noſtræ omnino favet ſanctus Auguſtinus dicens (d): *Quid ſi enim aliquo diuturno & inſanabili morbo corporis teneatur conjux, quo concubitus impeditur? Quid ſi captivitas, vel vis aliqua ſeparet, ita ut ſciat vivere maritus uxorem, cujus ſibi copia denegatur? Cenſesne admittenda incontinentium murmura, & permittenda adulteria?... Jam ergo quia iſtorum incontinentia Legem Chriſti horrait, ad eorum Lex Chriſti arbitrium commutanda eſt?* Ex quibus verbis colligendum, quod cum vir ſecundum Legem Divinam ad continentiam obligetur, dum ipſius mulier inſanabili morbo aut diuturno laborat, aut ab ea ductus captivus, aut in exſilium actus diſtat; ad eam a fortiori magis obligatur, ubi de vita propria mulieris ſuæ agitur. Ita denique ſentiunt ſanctus Antoninus & Paludanus, quem laudat (e).

(d) S. Aug. lib. 2. de conjugiis adult. c. 10. ſeu n. 9.

(e) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 10. & apud eum Palud. in 4. diſt. 32.

CASUS XXXIV.

Anna, jam dudum pietatis exercitiis dedita, quæque ſingulis dominicis feſtiſque diebus ad tri-

bunal pœnitentiæ, ſacramque menſam accedit, a viro ſuo de debito reddendo his diebus ſæpe ſollicitatur; Nonne poteſt illud denegare, an vero ſub mortali reatu ad reddendum tenetur, cum abſolute is exigit?

Respons.

Mulier illa viro ſuo debitum ſub prætextu Communionis diebus hiſce faciendæ denegare non poteſt. Cum enim ex Apoſtolo (f): *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir*; non minus in juſtitiam, quam in caritatem peccaret illa mulier ſub tali prætextu debitum recuſans. *Tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore & quacumque hora, ſalva debita honeſtate, quæ in talibus exigitur*, inquit ſanctus Thomas (g); & iterum (h): *Ne propter lubricum carnis aliqua peccati detur occaſio, tenentur conjuges etiam in diebus feſtis & quacumque hora ſibi mutuo debitum reddere, ſalva tamen honeſtate*. Unde ſequitur, 1. quod Anna die dominica aut feſta debitum abſque peccato reddere poteſt. *In tempore ſacro abſque peccato poſcenti redditur debitum*, inquit etiam alibi Angelicus Doctor (i), hanc afferendo rationem: *Qui enim reddit invitus, non conſentit, ſed cogitur; nec eſt fractor præcepti*; *Quia*, deinde ſubdit, *damnum illius horæ poteſt aliis horis recompenſari, ut divinis vacetur*; hoc eſt, alio tempore adimpleri naturale ac divinum præceptum, quo his diebus jubetur cultus divinus & oratio. 2. Hinc etiam ſequitur, quod ſub reatu mortalis peccati viro ſuo obtemperare hæc mulier obligetur.

(f) 1. Cor. 7.

(g) S. Th. in 4. diſt. 32. q. un. art. 5. quæſt. 3. in corp.

(h) Sup. S. Th. q. 64. art. 7. in concluſ.

(i) Idem. l. 4. ad Hannib. diſt. 32. art. 4. ad 2.

Sancto Thomæ aſſentitur ſanctus Antoninus (k) his verbis: *Reddens* (debitum) *in nullo peccat, ſed tenetur ad hoc de neceſſitate: alias graviter peccaret; non enim Eccleſia injicit laqueos animabus. 27. q. 1. (Can.) de viduis, ſed ad meliora provocat exhortando, non præcipiendo*. Hæc ſunt verba ſancti hujuſce Archiepiſcopi.

(k) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 7.

Heic facile addi poſſent auctoritates multorum Theologorum & Canoniſtarum, qui idem ſentiunt. *Conjux quæ eſt communicatura*, inquit Sylvius poſt alios (l), *non propterea excuſatur a redditione debiti, ſi alter inſtet: ſicuti neque excuſatur ex eo, quod illo die communicaverit*. Sed ſufficit hactenus dicta confirmare ex antiquo Canone e ſcriptis ſancti Gregorii Magni deprompto, qui ad ſanctum Auguſtinum Angliæ Apoſtolum ſcribens (m) aſſerit, licere homini, qui rem cum uxore ſua habuit, *non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodo liberorum procreandorum gratia*, eodem ipſo die, ſi velit, communicare. *Ille profecto ... de ſumendo Corporis Dominici Sanguiniſque myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio*. Ex quo a fortiori ſequitur idem mulieri licere, quæ contra proprium inclinationem debitum marito ſuo reddere fuiſſet coacta; ac proinde falſam eſſe futuram atque illegitimam repulſæ ſuæ ſimulationem.

(l) Sylvius in 3. part. S. Th. q. 80. art. 7.

(m) S. Greg. in can. Vir. 7. 33. q. 4.

Objici quidem poteſt contra hactenus dicta illud ſancti Hieronymi: *Si panes propoſitionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant; quanto magis ille panis qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab illis qui conjugalibus paullo ante hæſere amplexibus, violari atque contingi? Et ſi vult Apoſtolus conjugatos abſtinere a complexu ad tempus, ut vacent orationi; quanto magis ut comedant carnes agni immaculati debent a carnalibus operibus abſtinere?* Sed, ut exponit ſanctus Thomas (n); *Hoc ſecundum congruitatem, & non ſecundum neceſſitatem, ex conſilio, & non ex præcepto eſt intelligendum*.

(n) S. Th. 3. part. Sum. q. 80. art. 7.

CASUS XXXV.

Basinius debitum a muliere ſua Ludovica ſolet exigere, cum ebrius eſt. Teneturne illud reddere ſub peccato, durante ebrietate? An quoque ad id obligaretur, ſi maritus ejus amens eſſet aut furioſus?

Respons.

Si Baſinius adeo ebrius ſit, ut uſu rationis plane careat, tum ei debitum reddere non tenetur Ludovica. Ratio eſt, quia homo in hoc ſtatu exſiſtens debitum non exigit *humano modo*, ut argumentatur Sylvius (o), qui ex hac paritate ſuam confirmat ſen-

(o) Sylvius in ſuppl. 3. part. S. Th. q. 64. art. 1. quæſito 2.

Digitized by Google

tentiam: Confirmatur, inquit, *ſi vir dormiendo & ſomniando requireret debitum, uxor non tenetur acquieſcere; Ebrius autem non eſt melioris conditionis, quam dormiens & ſomnians*. Hanc tamen exceptionem addit hic Auctor, *Teneri tamen per accidens ... probatur: Si enim ſit periculum, ne ebrius, denegato ſibi debito conjugali, vel ad aliam accedat, vel ſe ipſum polluat; alter tenetur ei reddere, quia cavere debet ejuſmodi turpitudines in ſua comparte*. Cæterum idem dici poteſt de furioſo & de penitus amente, atque de ebrio, ut docet idem Theologus *(a)*.

(a) Silveſter de Prierio. Navar. & alii communiter.

CASUS XXXVI.

Ausonius, re familiari modicus, aucta jam ſex pueris familia ſua, quamvis adoleſcentula ſit uxor ejus, jam ab anno conſtituit ab uſu matrimonii abſtinere, & multoties etiam debitum conjugale uxori ſuæ denegavit, ne aucto puerorum ſuorum numero, eos abſolute enutrire non poſſit. Numquid conſilium ſuum abſque reatu peccati mortalis perficere poteſt?

Respons.

Cenſent Auctores quidam, conjugem in tali circumſtantia ob uſu matrimonii abſque peccato poſſe abſtinere, ac proinde debitum uxori ſuæ denegare, modo abſit omne impuritatis ac rixæ periculum. Sed hæc opinio tuta non videtur in praxi: quare Chriſtiani conjuges illud Prophetæ Regii in memoriam revocare debent *(b)*: *Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem*; atque confidere fore, ut ſe in extrema neceſſitate Deus non deſerat. Enimvero, ſi Deus, ut dicit Chriſtus in Evangelio *(c)*, & diu ante dixerat David ipſe *(d)*, paſcit volatilia cæli, ipſis omnia ad vitam neceſſaria ſuppeditans, licet neque ſerant, neque metant, neque congregent in horrea; numquid Chriſtianus ita divinæ providentiæ bonitate diffidere poteſt abſque ſumma ejus injuria, ut, ſi pueros det ei Deus, exiſtimet, Deum neceſſitatibus eorum non eſſe proviſurum? Idcirco exiſtimamus, Auſonium non ſufficienter a reddendo debito uxori ſuæ, illud verbis expreſſis, aut ſaltem indirecte & interpretative petenti, excuſari ob metum, ne augeatur familia.

(b) Pſ. 36. 25.

(c) Matth. 6. 26.

(d) Pſ. 146. 9.

CASUS XXXVII.

Lupus & Sophia uxor ejus, unanimi conſenſu ante vel poſt conſummatum matrimonium continentiam voverunt. Num alter poſtea alteri debitum enixe & rigoroſe petenti denegare poteſt?

Respons.

Certum eſt, quod in caſu propoſito neuter debitum exigere aut reddere poteſt, niſi peccati mortalis fiat conſcius; atque adeo Sophia non ſolum poteſt, ſed etiam ſtricte obligatur ex voto ſuo, de Lupi conſenſu emiſſo, petenti marito recuſare; ne ipſa fiat ejus criminis particeps, dum votum infringeret, ut docet ſanctus Thomas *(e)*.

Veritatem iſtam dilucide probat Navarrus *(f)*, auctoritate ſancti Auguſtini ad Ediciam matronam ſcribentis: hæc ſunt verba ſancti Doctoris, a Gratiano in ſuo Decreto relata *(g)*: *Quod Deo pari conſenſu voveratis, perſeveranter uſque in finem reddere ambo debuiſtis; a quo propoſito ſi lapſus eſt ille, tu ſaltem inſtantiſſime perſevera; quod te non exhortatur, niſi quia tibi ad hoc ipſe conſenſerat: nam ſi numquam tenuiſſes ejus aſſenſum numerus te nullus defendiſſet annorum*.

Eadem eſt etiam ſancti Antonini *(h)* doctrina: *Cum ... uterque pari conſenſu voverit continentiam*, inquit, *nullus eorum poteſt, vel debet exigere debitum, vel reddere, niſi cum peccato mortali*. Cujus rei hanc rationem affert Auctor ſupplementi ſancti Thomæ *(i)*: quia videlicet, conjuges qui tali voto mutuo conſentientes ſeſe obſtrinxere, juri ſuo exigendi debitum renuntiaſſe cenſentur; unde is qui illud rogatur ab alio, non ſolum illud abſque injuſtitia denegare poteſt, ſed etiam tenetur ob duas jam allatas rationes, & quibus favent Auctores, qui agunt de re præſenti *(k)*.

(e) S. Th. in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. quæſt. 2. ad 3. & 4.

(f) Navar. Manu. c. 16. n. 3.

(g) S. Aug. in can. Quod Deo. d. 33. q. 5.

(h) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 12. §. fin.

(i) Supp. S. Th. q. 64. art. 3. ad 3.

(k) Navar. loco cit. &c. n. 32. n. 50. Toletus. Inſtruct. Sacerd. l. 7. c. 34. n. 3. Sylvius in Suppl. S. Th. q. 53. art. 1. Concl. 7. & alii plurimi.

CASUS XXXVIII.

Hiltrudis, quam peccati ſui ſtatim pœnitet ob initas cum Albino nuptias contra votum caſtitatis quod prius emiſerat, quærit, utrum abſque reatu novi peccati mortalis ſuum poſſit conſummare matrimonium, ſponſo ſuo debitum reddendo?

Respons.

Conſtat, uti jam in pari difficultate diximus, Hiltrudem teneri ſub reatu novi mortalis, omnes tentare vias, quas ſibi Chriſtiana inſpirare poteſt prudentia, ad vitandam matrimonii conſummationem, cum illud conſummando non modo infractione voti ſui novi peccati mortalis fieret conſcia, ſed & votum ſuum, ſuperſtite marito, jam ſervare non poſſet.

1. Legitimam igitur debet voti ſui exquirere diſpenſationem. 2. Aut conjugem ſuum, ſi poſſit, ad ſimile continentiæ votum inducere, aut ſaltem ut pro ſemper juri ſuo exigendi debitum cedat. 3. Denique, ſi his non ſit viis proſper exitus, tutiorem aliam debet eligere rationem, ſcilicet ingreſſum in Religionem, ſi ad eam queat admitti; nam licet emittendo votum religionem profiteri non intenderit, promiſſam tamen Deo caſtitatem ſervare hac via conari tenetur, cum unica ſibi ſuperſit Religionis ſolemnis profeſſio, qua diſſolvi poſſit ſuum ratum quidem, ſed non conſummatum matrimonium.

Denique, ſi fruſtra varias illas tentaverit rationes, ſuum quidem poteſt conſummare matrimonium, debitum conjugi ſuo unde reddendo; numquam vero illud expreſſe vel tacite exigendo; cum votum ſuum, quantum per ſe ſtat, ſervare teneatur, ut patet ex his verbis Innocentii III. *(l)* ad Andream Regis Hungariæ filium ſcribentis: *Licet univerſis liberum ſit arbitrium in vovendo, adeo tamen ſolutio neceſſaria eſt poſt votum, ut ſine proprio ſalutis diſpendio alicui non liceat reſiſtere*.

(l) Innoc. III. in cap. Licet. 6. de voto & voti redemptione l. 3. tit. 34.

Deciſionem hanc auctoritate ſua adſtruunt 1. ſanctus Thomas, qui expoſitam ea de re ſententiam ſuam ſic probat *(m)*: *Quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non poteſt petere debitum ſine peccato, quamvis poſſit ſine peccato reddere debitum exigenti, poſtquam obligatus eſt ad hoc per carnalem copulam præcedentem*. 2. Sanctus Bonaventura, loquens de homine, qui ſimile votum emiſerat: *Poteſt*, inquit *(n)*, *ſine peccato ſolvere; quia facit id ad quod tenetur. Numquam tamen poteſt ſine peccato petere; & ſi uxor moriatur, tenetur omnino continere*. 3. Denique non aliter ſentit ſanctus Antoninus, ut conſtat ex his ejus verbis, quæ hactenus dicta complectuntur *(o)*: *Tales ergo, qui habens votum ſimplex caſtitatis contrahit, mortaliter peccat, & nihilominus adhuc tenetur implere votum, ſi nondum cognovit uxorem ſuam cum qua contraxit, etiam per verba de præſenti, quia adhuc implere poteſt, intrando Religionem, etiam uxore invita; & ſic non poterit conſummare matrimonium abſque peccato mortali. Poſtquam autem conſummaverit, Religionem intrare non poterit uxore invita; & debitum quidem tenetur reddere uxori petenti, ſive expreſſe ſive interpretative, ſecundum Thomam & Richardum in 4. ſibi autem petere non licet. Alias ſecundum quoſdam ut Ricardum, peccat mortaliter, quoties debitum exigit; quia adhuc poteſt & debet ſervare votum, quantum in ipſo eſt*. Ita quoque ſentiunt celeberrimi Theologi & Canoniſtæ *(p)*.

(m) S. Th. in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 4.

(n) S. Bonav. in 4. diſt. 32. art. 2. q. 1. n. 3.

(o) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 16. §. 1.

(p) Palud. Silveſter, Covarruvias, Petrus Soto, Navar. Toletus, Sylvius &c.

CASUS XXXIX.

Poteſtne uxor ſine lethali culpa debitum conjugale reddere viro, qui debitum concumbendi modum & ſitum recuſat ſervare?

Respons.

Quandoquidem Gnoſticorum ſpurcitias enarrans ſanctus Epiphanius ſcriptis abominanda conſignavit;

vit; ac horrendas Manichæorum fœditates enuntiavit ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus, ne ſcilicet iis quiſpiam pollueretur, nemini videri debet odioſum, quod hancce quæſtionem & ſimiles quaſdam alias expendamus.

Reſpondemus itaque, 1. quod quotieſcumque copula in vaſe debito non fit, aut extra illud ſemen effunditur, adeſtve manifeſtum illud ſic effundendi periculum, ſive id fiat voluntarie, ſive quia eo modo vir concumbit quo non poteſt ſemen uxor recipere, receptumve retinere, ſemper eſt peccatum lethale, ſicut docent Toletus, Navarrus (*a*), & alii communiter.

(*a*) Toletus Inſt. Sacerd. l. 5. n. 13. Navarr. Manc. c. 16. n. 42.

2. Quando ordinarium ac debitum ſitum non patitur corporis diſpoſitio, nullum eſt reſpectu mulieris peccatum; modo in vaſe debito perficiatur copula, nec ex utraque parte pollutionis adſit periculum. *In ſecundo modo*, inquit S. Thomas (*b*), *id eſt*, cum debitus modus a natura inſtitutus non ſervatur quantum ad ſitum, *non eſt ſemper peccatum mortale, ut quidam dicunt; Sed poteſt eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ, quandoque etiam ſine peccato eſſe poteſt, quando diſpoſitio corporis alium ſitum non patitur; alias tanto eſt gravius, quanto magis a naturali modo receditur*. Hæc Angelicus Doctor, cui conſentiunt Albertus Magnus, Dominicus Sotus, Cajetanus, Sylvius, & alii quamplurimi (*c*).

(*b*) S. Th. in 4. diſt. 31. q. 2. art. 3. in expoſit. textus.

(*c*) Albertus Magnus in 4. diſt. 32.
Navar. & Tolet. locis cit.
Fr. Sylvius in Sup. S. Th. q. 49. art. 6. Concluſ. 2.

At, ut hujus quæſtionis ſolutio clarius innoteſcat, heic videntur adtexenda, quæ ſuper hac a S. Antonino Florentino Archipræſule traduntur. Sic autem loquitur (*d*): *Tertius caſus quo copula inter conjuges eſt peccatum mortale, & quantum admodum, cum ſcilicet modus eſt contra naturam: ſed dicit Thomas in 4. quod uſus conjugii contra naturam poteſt dici dupliciter; uno modo, cum prætermittitur debitum vas .... Secundus modus contra naturam eſt, quando ſervato debito vaſe prætermittitur modus a natura inſtitutus quantum ad ſitum. Modus autem a natura inſtitutus, quantum ad ſitum, eſt ut mulier jaceat in dorſo, & vir ſupergrediatur ſuper ventrem ejus; & hoc modo aptior fit conceptio: quando ergo receditur ab illo modo ſituali, dicunt aliqui quod ſi ſervetur modus contrarius, ut quod vir aubit in feminam; id eſt mulier ſupergreditur virum, quod peccat mortaliter, ut Petrus Paludanus, Henricus & alii: aſſignant pro ratione, quia talis modus non convenit ſeminis infuſioni quoad virum, nec ſeminis receptioni quoad mulierem: & ſic videtur impediri generatio intenta a natura. Si autem alio modo indebito, ſervato tamen debito vaſe utatur, diſtinguit Petrus Paludanus, quia aut hoc facit præciſe cauſſa voluptatis, ſine aliqua cauſſa voluptatis, ſine aliqua cauſſa neceſſitatis, vel rationabili; & tunc dicit ſimpliciter etiam eſſe mortale, quia non eſt uxor ejus, niſi quoad actus naturales: aliter agendo abutitur Sacramento conjugii .... aut hoc fit ex cauſſa rationabili, puta propter periculum ſuffocationis partus, propter quod timet modo debito ad uxorem accedere, ſed ex alia parte accedit quam debita, ſervato tamen vaſculo muliebri, nec ſcienter ſemen ad extra effundat, non erit mortale. Idem ſi hoc faciat ex alia infirmitate. Guillelmus etiam in Gloſſa Raymundi, dicit, quod cum hoc fit propter periculum ſuffocationis, vel ægritudinem, vel aliam indiſpoſitionem corporis, poteſt eſſe ſine peccato: quanto autem magis receditur modi, tanto gravius peccatur. Sed Albertus Magnus in 4. dicit quod nihil eorum quæ facit vir cum uxore in actu conjugali, ſervato debito vaſe, eſt de ſe peccatum mortale, ſed poteſt eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ, quando ei non ſufficit modus determinatus a natura, ſed alium invenit cauſſa ſe delectandi, cum non ſubeſt cauſſa infirmitatis, vel alia rationabilis.*

(*d*) S. Anton. 3. part. Sum. Theolog. tit. 3. c. 20. §. 3.

Porro ex his idem S. Antoninus hancce concluſionem elicit. *Dure ergo in tali caſu reprehendendi ſunt conjuges, & quod abſtineant, cum non ſubeſt cauſa, inducendæ ſunt ad hoc uxores, quod viris a quibus communiter iſta procedunt, non conſentiant in hujuſmodi: ſi tamen timere verberum, vel incontinentiæ virorum eis aſſentiant, non poſſunt ex hoc argui de mortali; ex quo ſecundum Albertum de ſe illud mortale non eſt: nam de intentione viri exigentis qualitercumque non habet ipſa judicare, ut per hoc poſſit ei debitum denegare; nec de facili eſt præcipitanda ſententia de tali modo, quod ſit mortale in ſe*. Atque de his ſatis ſuperque ſit dictum.

CASUS XL.

NESTOR ita eſt ſenio confectus, ut præ naturæ debilitate non poſſit amplius copulam perficere. Teneturne ipſius uxor debitum ei obnixe petenti perſolvere?

RESPONS.

Si non ita impotens ſit Neſtor, quin aliquando, puta ſemel in uno aut altero menſe copulam perficere valeat, certum videtur illius uxorem ad debitum ei perſolvendum etiam ſub peccato mortali teneri: at contra, ſi tanta laboret impotentia, ut copulam ſæpius tentatam perficere, ac ſemen intra vas muliebre nullatenus emittere valeat, tenetur uxor debitum ei prorſus denegare: hac ſiquidem de cauſſa: *Qui impotentes ſunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur*, ut loquitur Alexander III. ad Ambianenſem epiſcopum reſcribens (*e*).

(*e*) Alex. III. in cap. *Quod ſedem*. 2. de frigidis & maleficiatis. l. 4. tit. 15.

CASUS XLI.

AUSTRABERTA, Leuffridi uxor, teneturne viro ſuo leproſo carnale debitum reddere, etiam cum manifeſto morbum ejus contrahendi periculo?

RESPONS.

Licet cum viro ſuo leproſo ob nimium morbi illius contrahendi diſcrimen mulier habitare non teneatur, debitum tamen conjugale ei reddere debet ex S. Thoma, quia non tam præſens imminet ex coitu, inquit, periculum, quam ex cohabitatione. (*f*) *Uxor etiam viro leproſo tenetur reddere debitum*, inquit; *non tamen tenetur ei cohabitare, quia non ita cito inficitur ex coitu, ſicut ex frequenti cohabitatione*: Et quia objici poteſt, non niſi difficile viro leproſo ſanos poſſe eſſe filios, addit S. Thomas: *Et quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius eſt ei ſic eſſe, quam penitus non eſſe*. Ob eamdem rationem vir leproſus tuta conſcientia a muliere ita diſcedere nequit, ut ei debitum petenti reddere nequeat, ſed prope eam manere tenetur. *Licet poſſit ob lepram diſcedere a cohabitatione, non tamen a toro, quin aliquando teneatur reddere debitum, prope eam manendo*, inquit alibi (*g*) idem S. Doctor, cui conſentit S. Bonaventura (*h*).

(*f*) S. Thom. in 4. diſt. 32. q. un. art. 1. ad 4. & diſt. 30. art. 1. ad 6.

(*g*) Idem in 1. ad Cor. 7. lect. 3.

(*h*) S. Bonavent. in 4. diſt. 32. art. 2. q. 2.

Doctoris Angelici doctrinam confirmat iſta Alexandri III. deciſio (*i*): *Quod ſi virum, ſive uxorem leproſum fieri contigerit*, inquit hic ſummus Pontifex, *& infirmus a ſano carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur eſt ſolvendum, quia præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur*.

(*i*) Alex. III. in cap. *Quoniam*. 2. de conjugio leproſorum. L. 4. tit. 8.

Fatendum tamen Alexandri III. S. Thomæ, & S. Bonaventuræ ſententiam de eo tantum caſu intelligendam eſſe, in quo, ex judicio periti Medici, ſano conjugi non imminet præſens contagionis periculum; niſi enim debitum perſolvere queat, quin morbum contrahat, certum eſt, quod ad id non teneatur; ut conſentiunt celeberrimi Theologi & Canoniſtæ, inter alios S. Antoninus, qui S. Thomæ ſententiam cum ea tantum exceptione admittit, ut conſtat ex his ejus verbis (*K*): *Si vero mulier non eſſet notabiliter infecta; quod immineat periculum, tenetur* (vir) *reddere, multo magis mulier viro leproſo, cum non tantum immineat ei periculum .... lepra enim ſuperveniens .... nec excuſat a redditione debiti, niſi ut dictum eſt, periculum immineat*. Paludanus, Durandus, Sotus, Cajetanus & Navarrus (*l*) eamdem admittunt exceptionem. *Duriſſimum apparet onus*, inquit Sotus, *cum tanto periculo obligare conjugem debitum leproſo perſolvere*.

(*K*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 10.

(*l*) Petrus Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. n. 5. Durandus ibid. diſt. 32. q. 1. art. 2. Domin. Soto ibid. diſt. 32. q. 1 art. 2. Cajet. v. *Matrimonium*. cap. 2. Navar. Man. c. 16. n. 25.

Conſentanea eſt etiam hæc exceptio principio quod alibi conſtituit ſanctus Thomas (*m*) dicens, virum non teneri ad debitum mulieri reddendum, niſi *ſalva tamen prius perſonæ incolumitate*. Quod de muliere pariter verum eſt; cum utriuſque conjugis par ſit in eam rem conditio.

(*m*) S. Thom. in 4. cit. diſt. 32. art. 1. in corp.

Sylvius qui rem eamdem docet, tres tamen caſus excipit (a). Primus eſt; *Quando petenti* (etiam leproſo) *eſt grave periculum incontinentiæ: ad eam enim vitandam alter debet aliquanti corporalis morbi periculum negligere*. Secundus: *Quando Regni, vel Provinciæ publica utilitas expoſcit, ut Princeps relinquat prolem ſucceſſorem, tenetur ad uxorem accedere, etiam cum manifeſto vitæ periculo. Tenetur, inquam, non ex juſtitia qua ſit inter virum & uxorem, ſed ex juſtitia qua obligatus eſt bono publico*. Tertius denique eſt cum ſanus novit leproſæ ſe nubere; tum enim jus ei confert in ſuum corpus quoad uſum matrimonii, nec vitandæ contagionis cauſſa ei jam inobedire poteſt. *Non poteſt propter periculum contagionis illi negare debitum, quia voluntarie ſe conjecit in eam neceſſitatem, per hoc quod ſciens & volens dedit poteſtatem ſui corporis leproſo*, addit idem Sylvius; quocum ſentit Paludanus, aſſerens (b), tum urgere obligationem, licet ex concubitu naſceretur proles leproſa, *quia*, inquit, *melius eſt ſibi ſic eſſe, quam non eſſe*.

(a) Sylvius in ſupplem. S. Thom. q. 64. art. 1.

(b) Petrus Palud. loco cit. n. 2.

Ex his itaque regulis mores ſuos Auſtreberta debet componere ad reddendum aut denegandum viro ſuo debitum. Quibus etiam cum S. Antonino addimus: 1. Quod in caſu lepræ, magis ad debitum reddendum viro leproſo mulier tenetur, quam vir ſanus mulieri leproſæ, quia evidentius inſtat contagionis periculum viro ſano a muliere leproſa, quam viciſſim. 2. Quod diſtinguendæ ſunt leprarum variæ ſpecies, quarum periculoſiſſima eſt, quæ dicitur, Leonina, ob majorem infectionem. 3. Quod, ut nihil contra propriam conſcientiam fiat, conſulendi ſunt periti Medici de qualitate lepræ & contagionis periculo pro eo, qui ſanus eſt; ſtandumque eorum judicio.

CASUS XLII.

Postulat Justina, Acarii mulier, utrum viro ſuo qui ex ſententia Officialis Diœceſani nominatim denuntiatus eſt excommunicatus, conjugale debitum ſub peccato reddere teneatur?

Respons.

Juſtina pro certo tenetur ſub mortali reatu viro ſuo Acario, licet nominatim excommunicato, debitum conjugale reddere. Ita difficultatem hanc in Romano Concilio an. 1078. ſolvit Gregorius VII. (c): *Quoniam multos, peccatis noſtris exigentibus, pro cauſſa excommunicationis perire quotidie cernimus*, inquit hic ſummus Pontifex, *partim ignorantia, partim nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate devicti miſericordia, anathematis ſententiam ad tempus, prout poſſumus, opportune temperamus. Apoſtolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec non ruſticos ſervientes, &c.* Quod explicans Innocentius III. in una Decretali ad Doctores juris canonici in Univerſitate Bononienſi (d), declarat, eoſdem qui homini nondum excommunicato famulari ſolebant, ex lata ejus excommunicatione ab eodem miniſterio non eſſe immunes. En verba ſummi Pontificis: *Cum quædam perſonæ, in prænaſſo Capitulo* (Quoniam) *denotatæ, illis in quos lata fuerit excommunicationis ſententia ante prolationem ipſius, obſequio tenerentur familiariter adhærere, neque poſtmodum ad contrarium teneantur, cum adhuc debitum daret, beneficio Canonis id agente; a priore non ſunt obnoxietate ſolutæ, ſed ad familiare tenentur obſequium: & ita per conſequens ad communionem tenentur, ſine qua illud nequeunt exhibere*. At mulier inter eos omnes, ex quibus conſtat cujuſpiam familia, quocumque alio magis tenetur ad obtemperandum viro ſuo, & illi proinde communicandum eodem plane modo, atque ante ejus excommunicationem: quocirca, ut ait Gloſſa (e), cogi poteſt ad communem cum eo torum & habitationem. *Sed numquid vir excommunicatus poteſt petere debitum ab uxore? ſi petat vir mulierem in judicio, & ipſa objicit ei excommunicationem? Judex tenetur ex ſuo officio reſtituere ei mulierem; cum in hoc caſu poſſit ei communicare. Unde credo, quod tenetur ei debitum reddere*. Ita Auctor Gloſſæ.

(c) Greg. VII. can. *Quoniam*, 103. 11 q. 3.

(d) Innoc III. in cap. *Inter alia*. 31. de ſent. excom. &c.

Item in cap. *Quod in dubiis*. 30. eod. tit. l. 5. tit. 30.

(e) Gloſſa in cit. can. *Quoniam*. v. *Uxores*.

Certum eſt tamen, eum conjugem qui innoxius eſt, alterius excommunicati participem fieri non poſſe in crimine ob quod excommunicatus eſt, niſi in eamdem incurrat cum eo excommunicationem, ut declarat idem Innocentius III. paullo poſt verba ſuperius relata.

CASUS XLIII.

Arzuius ſodomiæ, vel beſtialitatis crimine ſeſe turpiter commaculavit. Quæritur, num illius uxor carnale debitum poſſit ei in perpetuum denegare?

Respons.

Uxorem viri tam abominandi debitum ipſi, quantumvis inſtanti, denegare omnino poſſe certum eſt. Qui enim ob exſecranda illa ſcelerum portenta igni vivus tradendus eſt, quo pacto fidelis conjugis conſortio dignus videri poſſet? Et vero qui cum carne beſtiæ carnem ſuam diviſit, indignus prorſus eſt, qui in poſterum umquam cum conjuge fiat una caro: præterea ſi ſodomiticum ſcelus inceſtum cum ipſa matre commiſſum horrore & enormitate ſuperet, ut docet S. Auguſtinus (f); quid mirum, quod perpetua quoad torum ſeparatione puniatur?

(f) S. Aug. in can. *Adulterii*, 11. 32. q. 7.

Favet aperte idem S. Auguſtinus (g) a Gratiano in Canone relatus, cujus quidem hæc verba ſunt: *Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiſcentias, non tantum quæ in ſtupris cum alienis viris aut feminis committuntur, ſed omnino quaslibet quæ animam corpore male utentem a Lege Dei aberrare faciunt, & pernicioſe turpiterque corrumpunt, poſſit ſine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor virum, quia exceptam facit Dominus cauſſam fornicationis; quam fornicationem generalem & univerſalem intelligere cogimur*. Idem rurſum alibi tradit (h) his verbis: *Profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi*. Idem etiam innuit S. Hieronymus a Gratiano pariter citatus (i), ac expreſſe docent Paludanus, Toſtatus epiſcopus Abulenſis, ac Panormitanus (k).

(g) Idem. in can. *Idololatria*. 5.28.4. 1.

(h) Idem. q. 71. in Exod. in can. *Meretrices*, 11. 32. q.2.

(i) S. Hieronymus in can. *Omnes*. 7. 32. cit. q. 7.

Obſervandum tamen eſt, quod ſi quis cum propria uxore conſentiente contra naturam concumberet; neuter eorum poſſet eam ob cauſſam ſe ab altero quoad torum ſeparare, cum ejuſdem ſceleris conſcius uterque ſupponatur; nec propterea in hoc caſu poſſit alter alteri pœnam quam ipſe meruit, irrogare.

(k) Petr. Palud. in 4. diſt. 35. 4. 1.

Toſtat. in cap. 19. Matth. q. 66. & 70.

Panormit. in cap. *Maritus*, de adulteriis & ſtupro.

CASUS XLIV.

Delphina, puella Catholica, Samueli Calviniſtæ nupta ea conditione ex contractu expreſſa, ut futuram ex matrimonio ſuo prolem Baptiſmi aquis intingere & in Eccleſia Catholica educare libere poſſet; cum Samuel primogenitum ſuum a Miniſtro Calviniſta baptizari curaverit, ejuſdemque ſectæ nutrici in hæreſi inſtituendum tradiderit; poſtulat, inquam, Delphina, utrum in poſterum tuta conſcientia debitum conjugale Samueli denegare non poſſit, ne alios pariat infantes quos hæreticos fore, ac proinde damnatos prævidet?

Respons.

Theologus modernus ſcientiæ laude præcipuus (l), cui par olim propoſita eſt difficultas, reſpondet, quod, ſi mulier illa ex moribus ſui conjugis modoque erga ſe agendi certo conjicere poſſit, eum in Calvinianorum templo naſcituros poſtea infantes baptizari & hæreſis erroribus imbui curaturum; tum abſque peccati reatu, debitum ei conjugale recuſare poterit. Ratio eſt, quia, ut ait S. Auguſtinus (m); *voluntas in connubiis fidelium non eo fine determinatur, ut tranſituri filii naſcantur in ſæculo iſto, ſed ut permanſuri renaſcantur in Chriſto*.

(l) De Ste. Beuve, tom. 2. caſ. CXI.

(m) S. Aug. l. 1. de nuptiis. c. 8. ſeu n. 9.

Ex eo tamen ſolo exemplo Delphina in ſuæ repulſæ propoſito permanere nequit; quocirca, priuſquam ad illud extremum perveniat, apud conjugem ſuum vehementer debet conqueri, quod in matrimonio datis promiſſis non ſteterit, ſine quibus non nupſiſſet. Is vero ſi confirmet, ſe deinceps promiſſam

ſam facturum eſſe libertatem, tum ei debitum, ut ante, debet reddere; at ſi ille promiſſam fidem deneget, aut renovatam iterum frangat, alterum recens natum baptiſmati hæreticorum erroribuſque ſubjiciendo; Delphina eo in caſu debitum illi conjugale jure denegare poteſt ob allatam in expoſitione caſus rationem.

CASUS XLV.

Sempronius, ductæ in facie Eccleſiæ Berthæ in Matrimonium, aliquanto poſt declaravit, etiam cum jurejurando, ſe numquam ſincere & ex animo Matrimonio ſuo conſenſiſſe, vel inter ſe invicem reperiri impedimentum dirimens, ex carnali ortum copula cum ipſius ſorore prius habita, quam ei nuberet. Poteſt ne Bertha deinceps illi debitum reddere, aut ab eo exigere abſque peccato mortali?

Respons.

Bertha, regulariter loquendo, conjugem ſuum tamquam mendacem ac perjurum habere debet, quia dictis ejus in facie Eccleſiæ potiori jure fidem adhibere poteſt, quam iiſdem poſt ratum & conſummatum Matrimonium; ex quo ſequitur, ipſam jure ab eo debitum conjugale exigere poſſe.

Confirmari apprime poteſt hæc deciſio ex dictis Innocentii III. de re ferme ſimili in una ipſius Decretali ad Epiſcopum Tiburtinum ſcripta (*a*): *Ejuſdem mulieris poſtmodum juramento in contrarium præſtito non eſt ſtandum*, inquit hic Papa; *cum nimis indignum ſit juxta legitimas ſanctiones, ut quod ſua quiſque voce dilucide proteſtatus eſt, in eumdem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare.*

(*a*) Innoc. III in cap. *Per tuas*, 10. de probat. Lib. 2. tit. 19.

Si tamen Sempronii verbis fidem Bertha, etiam abſque ſufficienti ratione adhiberet, aut aliunde dictorum ejus veritatem gravibus de cauſſis ſibi perſuaderet; tum abſque reatu mortalis peccati debitum conjugii petere, aut etiam reddere non poſſet, quia tum contra propriam conſcientiam peccaret, ex hac Innocentii III. regula (*b*): *Quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt; & quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam.*

(*b*) Idem in cap. *Litteras*. 13. de reſtitut. ſpoliatorum. Lib. 2. tit. 13.

Quod ad Sempronium pertinet, ſe ipſum ex tali declaratione jure debitum exigendi privat: quare ad illud reddendum Bertha non tenetur; donec conſenſum ſuum, quem nubendo non dediſſe ſupponit, *maritali animo* renovarit.

Ceterum quoad impedimentum dirimens, quod inter ſe intercedere aſſerit conjux ille; mulier huic quoque fidem adhibere non tenetur, donec probaverit, etiam pendente lite, uti declarat Clemens III. in una Decretali de hoc lata (*c*): *Quæris*, inquit hic Papa, *quando Matrimonium accuſare contingit, an ſtatim ſit carnale commercium ſuſpendendum?... ad quod breviter reſpondemus, quod conjugum alteruter accuſatus ante probatam accuſationem jure quod habet in altero, privari non poſſit.*

(*c*) Clemens III. in cap. *Laudabilem*. ut lite pendente nihil innovetur. Lib. 2. tit. 16.

Quod ita intelligi debet, cum nimirum is cui lis illata eſt, dubio gravi non nititur, & leve quod habebat, dubium depoſuit.

CASUS XLVI.

Malthidis de viri ſui obitu in exercitu proborum teſtimonio convicta, Religionem ingreſſa eſt, peractoque Novitiatu annuo, ſolemniter eam profeſſa eſt. Poſt aliquot annos redux ille maritus uxorem ſuam requiſivit. Nonne tenetur Malthidis ad virum redire, eique conjugale debitum reddere, non obſtante ſolemni, quod emiſit, Religionis voto?

Respons.

Ad ſolutionem hujuſce difficultatis, tamquam certum ſupponendum, emiſſam ab alterutro conjugum Religionis profeſſionem, uno ex iis inſcio nec libera conſentiente, penitus invalidam eſſe, uti declarant Alexander II. in Canone quem refert Gratianus (*d*), & Innocentius III. in Decretali ad Epiſcopum Pataviensem ſcripta (*e*). Unde ſequitur, Malthidem neceſſario teneri ad redeundum cum ſuo viro, non quidem privata auctoritate ſua, ſed ipſius Epiſcopi, qui ad id eam tenetur cogere, ac proinde ad ei reddendum, ut ante Matrimonii debitum, niſi aliunde ob legitimam ei cauſſam denegare poſſit, quale eſſet adulterii crimen a viro ſuo perpetratum.

(*d*) Alex. II. in Can. *Notificaſti*. 2. 33. q. 5.

(*e*) Innoc. III. in cap. *Veniens*. 16. de converſ. conjug.

Sed quia ſolemnis profeſſio quam emiſit, licet invalida, vim tamen obtinet ſimplicis voti continentiæ; uti docent Panormitanus, Silveſter, Dominicus Soto, Navarra (*f*) & alii, ipſa debitum a viro ſuo nec expreſſe nec interpretative poteſt exigere; cum ex eo ad continentiam obſervandam, quantum eſt ex ſe, obligaſſe ſe ſe cenſeatur; ob eamdemque rationem, mortuo viro ſuo ſuperſtes caſtitatem ſervare tenetur, licet ad Religionem remigrare non obligetur.

(*f*) Panorm. in cap. *Quidam*. de converſ. conjug. Silveſt. de Præcep. v. *Divortium*. q. 16. D. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. Navarr. L. 3. conſiliorum tit. de converſ. conjug.

Quæſtionem hanc ſic ſolvit Cæleſtinus III. in una ex ſuis Decretalibus his verbis (*g*): *Utrum mulier, quæ credens mortuum maritum, habitum Religionis aſſumſit, & eo reverſo, de Monaſterio educta fuit, poſt obitum viri ſit ad regularem obſervantiam compellenda? Super quo reſpondemus, quod licet votum ejus uſquequaque non tenuerit, catenus tamen fuit obligatorium, quatenus ſe poterat obligare. Promiſit enim intrando Monaſterium ſe non exacturam carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius;.... & ideo quantum ad ipſam tenuit votum. Conſultius itaque ducimus, & ei congruentius ad ſalutem, ut ad Monaſterium redeat, ubi bona ducta intentione profeſſionem fecit, & habitum Religionis accepit. Si vero ad hoc induci non poterit, ipſam invitam credimus non cogendam.*

(*g*) Celeſt. III. in cap. *Placet*. 12. de converſ. conjug.

CASUS XLVII.

Symphorosa, conjugem ſuum in exercitu mortuum exiſtimans, ſecundo bona fide Paullo nupſit, & Matrimonium conſummavit. Num ſemper ei debitum reddere poteſt, cum certo didicit, priorem ſuum virum adhuc eſſe ſuperſtitem; præſertim, ſi defectu probationum, ad id eam ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* compelleret Judex Eccleſiaſticus; aut ſi a Paullo abſque gravi ſcandalo, aut etiam abſque manifeſto vitæ periculo diſcedere nequeat?

Respons.

Certum eſt, Symphoroſam debitum conjugii Paullo jam reddere non poſſe, ubi primum certo novit, priorem ſuum conjugem etiamnum eſſe ſuperſtitem; & ab ea potius excommunicationis confuſionem ac pœnam eſſe tolerandam. *Quid ergo, ſi Epiſcopus excommunicet?* inquit Gloſſa (*h*) *patienter ferat, nec curet, cum non ligetur apud Deum.*

(*h*) Gloſſ. in Can. *Si quis*. 70. 1. q. 1.

Similem difficultatem manifeſte ſolvit iſta Innocentii III. Decretalis (*i*): *Cum mulier*, inquit hic Papa, *quæ conſanguinitatis habet notitiam, præſertim in gradibus quos Lex divina (Levitici C. 18.) prohibuit, non poſſit hujuſmodi viro ſine peccato mortali carnaliter commiſceri, quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt; & quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam: fruſtra in tali caſu adjudicaretur reſtitutio ſpoliato, cum illa contra Deum non debeat in hoc judici obedire, ſed potius excommunicationem humiliter ſuſtinere.* Idem declarat hic Papa in alia Decretali (*K*). Re ipſa, conſcientiæ dictamini potius, quam ſententiæ Judicis quis magis obedire tenetur. Atqui Symphoroſæ dictat conſcientia, ſe mortaliter eſſe peccaturam, Paullo debitum reddendo, cum certa ſit, eum non eſſe ſibi verum maritum, neque ſe ipſam coram Deo lata contra ſe excommunicatione non ligatum iri, quandoquidem ſit irrita & invalida excommunicatio, quæ peccato mortali non nititur, ut ait Meldenſe Concilium (*l*), nec proinde veræ cenſuræ effectum producere valeat, ut conſtat ex multis Canonibus ſelectis e ſcriptis ſancti Hieronymi, Gelaſii I. & ſancti Auguſtini, quos ad marginem indicamus (*m*).

(*i*) Innoc. III. in cap. *Litteras*. 13. de reſt. ſpol.

(*k*) Idem in cap. *Inquiſitioni*. 44. de ſent. excom.

(*l*) Conc. Meldens. in can. *Nemo*. 41. 11. q. 3.

(*m*) Hieron. in can. *Quomodo*. 44. 11. q. 3. Gelaſius I. in can. *Cui eſt*. 46. ead. c. & q. S. Aug. in can. *Cœpiſti*. 47 & in can. *Quid obeſt*. 50. & in can. *Etſi*. 53. ibid.

Deciſionem hanc, Magiſtro Sententiarum (*n*) oppoſitam adſtruunt ſanctus Thomas (*o*), Cardinalis Hoſtienſis, ac celeberrimi Theologi & Canoniſtæ: unde omnino conformis eſt doctrinæ ſancti Leonis, ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum ſcribentis (*p*), & Conſtitutioni Lucii III. ſcribentis ad Chriſtianos in Saracenorum captivitate deten-

(*n*) Mag. Sent. lib. 4. diſt. 38. in fin.

(*o*) S. Th. in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 4. ad 3.

(*p*) S. Leo Epiſt. 7. c. 1. & 2. in can. *Cum per bellicam*. 1. 34. q. 1.

ad certum tempus? ſufficeret ne, ut ſibi mutuo juſjurandum remitterent, quo Matrimonio abſque culpa uti poſſent?

RESPONS.

Certum eſt ex regula ad præcedentis caſus reſponſionem allata, non ſatis eſſe, ut Donatianus, & Barbara mutuo ſibi ſuum remitterent juſjurandum ad licitum Matrimonii uſum, ante lapſum præfixi temporis; quum enim non ſolum ad ſe invicem mutuo conſenſu ſint obſtricti, ſed etiam apud Deum, invocato ejus nomine, ipſoque in teſtem pacti ſui vocato; neceſſe eſſet, ut talis eis a Deo condonaretur obligatio, hoc eſt, ut Eccleſiaſticus Superior qui Dei vicem gerit; & penes quem eſt ipſius auctoritas, eos ab obligatione jurisjurandi, ob aliquam juſtam quam allegarent cauſſam, ſolveret; quo nondum peracto, neque exigere, neque reddere debitum conjugale poſſent. Id quidem probant multæ Decretales, (a) quibus conſtat, promiſſa, ſola conventione firmata, poſſe quidem omitti, non vero jurejurando obſignata, niſi accedat Eccleſiæ diſpenſatio (b).

CASUS LV.

Peccat ne mortaliter uxor, debitum carnale reddens viro, quem in actu ipſo frequenti experientia novit ſe retracturum cum effuſione ſeminis extra vas? Peccat ne etiam mortaliter vir, ita ſe ante ſeminis emiſſionem retrahens?

RESPONS.

Si viro ita ſe interdum retrahenti nullatenus conſentiat uxor, immo vero quantum poſſit, obſiſtat, nullius eam obnoxiam eſſe peccati, certum videtur: quod exemplo Her & Onan, (c) filiorum Judæ, probari poteſt: quamvis enim punitio Onan terribilis fuerit, ejus tamen uxor Thamar a Deo ob nefandum viri ſcelus punita non fuit; ac certe quidem, quia ipſi ſe retrahenti non conſentiebat; immo prolem ex benedicta a Domino ſtirpe Abrahæ, Judæque patriarchæ Soceri ſui, vehementer exoptabat.

Porro viri qui in ipſo conjugali actu ita ſeſe retrahunt, & prolis vitandæ cauſſa ſemen extra muliebre vas effundunt, turpiſſime ſe crimine commaculant, ut docet S. Auguſtinus, (d) his verbis: *Illicite namque, & turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur, quod faciebat Onan filius Judæ, & occidit illum propter hoc Deus*. Et alibi: (e) *Nam qui hoc faciunt*, (id eſt propagationi prolis obſiſtunt, ſive voto malo, ſive opere malo) *quamvis vocentur conjuges, non ſunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen velandæ turpitudinis obtendunt*.

CASUS LVI.

Celinia poſtquam debitum conjugale ſolvit, totum viri ſemen, aut aliquam ejus partem poſt concubitum expellit. Peccat ne mortaliter?

RESPONS.

Peccat certe mortaliter Celinia, ſi ad evitandam prolis generationem, aut ob alium qualemcumque finem, receptum viri ſemen de induſtria rejiciat: ſecus vero, ſi caſu, vel infirmitate, quod ſæpius accidit, illud expellat: quod enim de ſemine ad generationem ſufficit, matrix ut plurimum attrahit, ac expulſo ſuperfluo retinet. Ita ſentiunt Carolus Bauccius Neapolitanæ Eccleſiæ Pœnitentiarius, ac Ludovicus Baillius Doctor Sorbonicus, & Eccleſiæ Pariſienſis Propœnitentiarius. (f)

(a) Greg. III. in cap. *Ex administratione*. 2. de jurejurando. Alex. III. in cap. *Debitores* 6. & in cap. *Ad noſtram* 7. & Innoc. III. in cap. *Quemadmodum*. 25. §. Illud. eod. tit. l. 2. tit. 24.
(b) De Genet. Theol. mor. tom. 4. Part 2. tract. 9. c. 10. quæſt. 21.
(c) Geneſ. 38. 9.
(d) S. Aug. l. 2. de adult. conjugiis. c. 12.
(e) Idem. l. 2. de Nuptiis c. 15. Serm. 2. 17.
(f) Bauccius de Miſcellanea practice, quæſito 99. Baillius 3. part. triplicis examinis q. 6.

Vide { Adulterium. Divortium. Votum }

DECANUS.

Decanus ſecundum generalem acceptionem is dicitur, qui in aliquo cœtu Eccleſiaſtico, vel Laico alios ordine antiquitatis præcedit.

Heic autem Decani nomine eum intelligimus, qui primam Capituli dignitatem obtinet: licet quædam ſint Capitula, in quibus Decanatus ſecunda tantum eſt dignitas, quod in iis ſit præpoſitura, quæ primum tenet locum, ut in Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ Verodunenſi, in quo præpoſitura prima eſt Dignitas (g).

Solas Archidiaconi, & Archipresbyteri dignitates jus antiquum agnoſcit;
Innocentius tamen II. qui ineunte ſæculo duodecimo florebat, de Decanis
& Præpoſitis mentionem facit in Canone quem refert Gratianus (h). Uſui
tamen in Eccleſia conſtituto originem ſuam acceptam referunt illæ dignitates:
cum enim Præpoſitorum nimium excreviſſet potentia, qui bona Capituli ad-
miniſtrabant, quæque pro arbitrio ſuo dividebant; iis Decani fuere ſubſtituti,
quorum poteſtas ad ſpirituale regimen fuit adſtricta: quocirca Capitulorum De-
cani, quæ Epiſcopali juriſdictioni non ſubjacent, eo, tamquam Paſtores, ju-
re potiuntur, ut iis omnibus qui ſunt *de gremio Capituli*, Sacramenta poſſint
adminiſtrare, eoſque ſepelire.

Decanus intra annum a die pacificæ poſſeſſionis ſacerdotio debet initiari ex
Edicto an. 1606. (i) ſub pœna invaliditatis proviſionum ſuarum.
Ex eodem Edicto (k) Doctoris laurea, aut licentiatu Theologiæ, jurisve
Canonici tempore proviſionis ſuæ debet eſſe inſignitus.
Decanus, ſi non ſit Canonicus, Capitulo præeſſe non poteſt, cum in eo
agitur de Præbendarum œconomia, reique temporalis adminiſtratione: ſed tan-
tummodo, cum agitur de moribus & Eccleſiaſtica diſciplina, uti judicatum
eſt ex Arreſto Senatus Pariſienſis 15. Junii ann. 1672. pro Decano Eccleſiæ
Cathedralis Ambianenſis (l).
Decanus Capituli correctioni ſubjicitur, ut ait Panormitanus (m) in ſuo
Commentario in Decretalem, quam tulit Innocentius III. in quarto Con-
cilio

(g) Diarium Fori tom. 3. l. 4. c. 21.
(h) Innoc. II. in can. *Innovamus*. 3. diſt. 60.
(i) Art. 6.
(k) Art. 31.
(l) Diarium Palatii in quarto part 2. pag. 127. & in fol. tom. 1. De la Gueſſiere. tom. 3. l. 6. c. 5. Item Arreſt. 17. Junu. an. 1671.
(m) Panormit. in c. *Irrefragabili*. 13. de officio Ordinarii. l. 1. tit. 31.

cilio oecumenico Lateranenſi; ſed priuſquam illum appellet, licentiam epiſcopi debet poſtulare (*a*).

Inter Decanatus alii ſunt pure electivi, quales ſunt Decanatus Trecenſis & ſancti Quintini in Picardia, uti declararunt Arreſta 18. Martii an. 1617. & 22 Novembris an. 1622. (*b*).

Alii ſunt electivi confirmandi, qui in Curia Romana reſignari poſſunt *in favorem*: jure tamen electionis penes Capitulum remanente, ſi forte vacet ex obitu Decanatus reſignati, quod a Senatu Pariſienſi dijudicatum eſt 19. Decembris an. 1630. (*c*).

Decanatus & aliæ dignitates Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum, fuere declarata immunia ab indultis & gratiis exſpectativis, qualiacumque ſint, ne ipſis quidem Graduatis exceptis; uti ſtatuunt Edicta an. 1596 (*d*), & an 1606. Cum tamen ultimum illud Edictum in ſanctiori Conſilio non fuerit confirmatum; contrarium fuit dijudicatum tam pro indultariis, quam Graduatis, ut videre eſt ex Arreſto, quod ſecutum eſt illud 4. Junii an. 1693. quo judicata lis eſt inter D. Bigot Decanum Bituricenſem a Capitulo electum, & D de Bermont, indultarium, cui adjudicatus eſt Decanatus, ut refert D. Brillon (*e*): at contrarium penitus ab eadem Curia 5. Julii an 1672. (*f*), latum refert idem Auctor; triaque huic ſimilia addit, ab eodem Pariſienſi Senatu lata, unum an. 1625 alterum 23 Febr. an. 1638. pro N. Pepin, qui a Capitulo Sueſſionenſi de Decanatu proviſus eſt, & tertium pro munere Theſaurarii Eccleſiæ Rothomagenſis, quod eſt mere collativum.

(*a*) Definitiones can. §. 124.

(*b*) Bouchel Bibliot. can. tom. 1. pag. 584.

(*c*) Diarium fori l. 2. c. 84. & Sardet. tom. 1. l. 5. c. 135.

(*d*) Art. 2.

(*e*) D. Brillon. Diction. Arreſtor. v. *Decanus*. n. 5. & definitio. can. §. 265.

(*f*) Idem. v. *Dignitas*. n. 15.

CASUS PRIMUS.

URATISLAUS, Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Albani Decanus, a rege de ſuo Decanatu proviſus, ipſum adivit, functioneſque Curiales huic annexas, non obtenta prius, immo ne petita quidem epiſcopi Diœceſani approbatione ſeu viſa, obivit. Numquid ob ſolam regis proviſionem valide Confeſſiones audire, ceteraſque potuit exercere ſunctiones?

RESPONS.

Res eſt certa & inconcuſſa, animarum curam, ab Eccleſia ſolum, hoc eſt, a Papa aut ab Epiſcopo Diœceſano poſſe conferri, ac proinde Uratislaum præciſe vi proviſionis regiæ Curiales non poſſe obire functiones; ſed tantum vi proviſionum ab eccleſiaſtica poteſtate collatarum: quod duobus modis fieri poteſt: 1. Poteſtatem hanc vel voce, vel ſcripto ab epiſcopo Diœceſano recipiendo. 2. Ex conceſſione epiſcopi vel Papæ iis facta, qui ſucceſſive de tali Decanatu eſſent proviſi. Ad Uratislaum ergo pertinet inſpicere, num in Archivis Capituli talem invenire poſſit conceſſionem, qua deficiente ad epiſcopum debet recurrere, ab eo curam animarum ſibi ſubditarum, poteſtatemque functiones Curiales obeundi accepturus: aliter iis nec valide nec licite ſungi poteſt. Ita olim inſignis Doctor Sorbonicus (*g*).

(*g*) De Ste. Beuve tom. 1. caſ. 209.

CASUS II.

GASPAR, vir nobilis, Decanus vel Præpoſitus Eccleſiæ Cathedralis Galliæ, ſolus & excluſis aliis dignitatibus, omnium jurium, emolumentorum atque privilegiorum Canonici potitur, ut pote qui jus habeat ſuffragii cum aliis in Capitulo, ad Beneficia nominet, quotidianas diſtributiones accipiat, decimas cum iis percipiat, duplicemque Canonici præbendam, tum quoad groſſos, ut vocant, fructus, tum quoad diſtributiones referat; ita ut deductis omnibus impenſis & oneribus ad 500. nummorum ſummam perveniat integer ipſius reditus.

Non ita pridem a Capitulo proviſus præbendam adivit, ut nobilius dignitatem ſuam novis ejus proventibus tueretur: qua de re magnum ei ſcrupulum injecerunt ex Canonicis piiſſimi ac doctiſſimi, ſupponentes, unito jam dignitati ſuæ Canonicatu eum frui, cum aliter ex jure ea quibus nunc fruitur, percipere, ut Decanus, commoda non poſſet.

His autem retulit, non deeſſe exempla quibus id ſibi licitum eſſe poterat præſumere, cum duo prædeceſſores ſui immediati, Decanatum vel per electionem, vel per reſignationem tum obtinuiſſent, cum jam eſſent Canonici.

At vero dictis ejus repoſuerunt Canonici. 1. ipſum ex pravo exemplo a culpa coram Deo non fieri immunem. 2. Tres Decanos duorum ultimorum anteceſſores numquam fuiſſe Canonicos. 3. Capitulum ipſi Canonicatum conferens hanc exegiſſe promiſſionem, ut collatam ſibi præbendam abdicaret, ſi id neceſſarium conſulti judicarent doctores: ex quo prorſus dubia fit ejus collatio. 4. A Capitulo minui duodecim Canonicorum requiſitum numerum, hanc ei præbendam conferendo; quod quidem eo magis eſt obſervandum, quod jure ſuo utens epiſcopus duos jam Canonicos ad regimen Diœceſis adhibeat, qui proinde continuo ferme abſunt: unde multum minuitur cultus divinus, qui ex hoc ceteris præſentibus fit magis oneroſus. 5. Denique 500. nummorum reditum, deductis omnibus impenſis ſufficere ad tuendam Decanatus ſui dignitatem in ea præſertim regione, ubi vili pretio emitur annona.

Quæritur, utrum rationibus illis cedere Gaſpar debeat, & utrum incertus, num Decanatui ſit annexa præbenda, in tali dubio collatum ſibi a Capitulo canonicatum dimittere ſub peccati reatu teneatur?

RESPONS.

Duobus inclytis Sorbonæ Doctoribus hæc olim difficultas propoſita eſt, quorum alterius poſt mortem deciſiones promulgatæ ſunt (*h*): eorum amplectimur ſententiam duas cum iis ſtabiliendo certas regulas.

Prior hæc eſt: Proviſus de dignitate cui annexa eſt præbenda, de alia canonice provideri non poteſt præbenda in eadem Eccleſia; cum duo ſimul non unita Beneficia *ſub eodem tecto* poſſidere non liceat, ut docet Guimierus in Pragmaticam Sanctionem his verbis (*i*): *De jure communi non poteſt quis eſſe duplex in eadem Eccleſia, ſicut in beneficiis uniformibus, ut habere duos canonicatus, vel duas præbendas.* Quod probat hic Canoniſta ex duabus Decretalibus Innocentii III. & ex Gloſſa (*K*): & poſtea ſubdit: *Et vacat una per aſſecutionem alterius.* Clementina finali de Præbendis .... *nec valeret conſuetudo in contrarium*, cap. 1. de conſuetudine in 6. *nec poſſet epiſcopus in hoc caſu diſpenſare.* Idem docet Rebuffus (*l*): Etiamſi ſub eodem tecto. *Hæc clauſula neceſſaria eſt*, inquit, *qui diſpenſatus ad duo nequaquam cenſetur, ut illa habeat in eadem Eccleſia, niſi hoc dictum fuerit, etiam ſimplicia ... & ideo per adoptionem ſecundæ præbendæ in eadem Eccleſia vacat prima.*

Altera regula eſt: cum peculiari ſuo reditu potitur dignitas, cui non eſt annexa præbenda, tum qui

(*h*) De Sainte Beuve, tom. 3. Caſ. 167.

(*i*) Guimier. in Pragm. tit. de Collationibus. §. *Item cenſuit.* v. *Requireret.*

(*K*) Innoc. III. in cap. *Cum jamdudum.* 18. de Præbendis & Dignit. l. 3. tit. 5. in cap. *Litteras.* 9. de conceſſione Præbendæ & Eccleſiæ non vacantis, & ibi. Gloſſa lib. 3. tit. 8.

(*l*) Petrus Rebuffus in praxi Beneficiorum tit. de diſpenſat. ratione ætatis. v. *Etiamſi.*

Digitized by Google

qui eam habet dignitatem, de præbenda in eadem Eccleſia legitime provideri poteſt, non quidem ex jure communi; ſed ex ſpeciali Galliæ juriſprudentia, ut fatetur Guimierus. *De jure communi non poteſt haberi dignitas & præbenda in eadem Eccleſia*, inquit hic Auctor; ſed id fieri poteſt ex generali Regni Conſuetudine legitime præſcripta; *& illa dicitur eſſe in omnibus fere Eccleſiis Regni Galliæ: adeo quod alia non indigeat probatione, tamquam ſit apud Gallos jus commune, ut eſt quaſi in omnibus Eccleſiis Regni Franciæ de conſuetudine præſcripta, quod dignitas non poteſt, nec debet conferri, niſi Canonico illius Eccleſiæ*. Idem quoque aſſerit Rebuffus: (a): *Iſtæ tamen dignitates in Eccleſiis Cathedralibus Regni non debeatur, niſi Canonicis illarum Eccleſiarum ex conſuetudine*. Hæc ſunt verba Juriſperiti illius, qui inde concludit, ab eo qui, cum Canonicus non ſit, ad dignitatem nominatur, obtinendum eſſe in Curia Romana titulum præbendæ *ad effectum*, ut dicitur, hoc eſt, quo fiat idoneus ad poſſidendam dignitatem ad quam electus eſt: *& ideo oportet*, inquit, *quod nominatus faciat ſe in illa creari Canonicum ad illum effectum, videlicet obtinendi dignitatem*.

(a) Petrus Rebuff. cit. tit. de collat. §. Præfatique v. Dignitates.

Præſuppoſitis illis regulis, ad propoſitam difficultatem dicendum, 1. quod ſi Gaſpar annexam ſuæ dignitati præbendam habeat, de nova non potuit provideri: 2. Quod magnum ſit indicium, unam ob allatas in expoſito caſu rationes eſſe annexam dignitati ſuæ: cum enim omnium jurium & privilegiorum Canonici ſit particeps, quibus nimirum non potiuntur alii in dignitatibus conſtituti, cum ſub ea qualitate nec jure ſuffragii in Capitulo potiantur, nec Capituli nominationi ſubjecta Beneficia cum ceteris Canonicis conferant; veriſimile eſt ipſum tale jus ideo obtinere quod Decanatui ſuo ſit annexa præbenda; quod etiam probant & æqualis duobus Canonicis reditus, & communis cum iis decimarum Capitulo debitarum perceptio. Hanc rem etiam ſuadent duplicatæ quas ipſe recipit, diſtributiones, quibus privantur aliæ dignitates; quandoquidem, ſi eas tantum ut Decanus perciperet, nec iis quoque fruſtrarentur aliæ dignitates: licet enim de jure communi dignitas cui annexa eſt præbenda, ſimplicem accipiat diſtributionem; ex uſu tamen Regni Galliæ, qui ea inſignitus eſt, is duplicem accipit portionem, ut obſervat Rebuffus his verbis (b): *Quando in una Eccleſia quis dignitatem habet cum præbenda, non debet obtinere duplices diſtributiones: quia unius tantum ſervitium impendit, & vicem unius gerit, cap. unico* de Clericis non reſident. *Verum de Conſuetudine duplicem accipit portionem in hoc Regno Franciæ: quia duorum vice fungitur, argum. leg.* Si Conſul. *de adopt. cap.* Ex litteris *de probationibus: alioqui nihil prodeſſet ei habere duo beneficia*.

(b) Idem loco cit. de diſpenſat.

Ex dictis igitur concludimus, quod, ſi pro certo non norit Gaſpar, nullam eſſe dignitati ſuæ annexam præbendam; juſte exiſtimare debet, unam eſſe connexam, atque idcirco ſe teneri ad renuntiandum huic præbendæ, de qua non ita pridem a Capitulo proviſus eſt.

Neque diu iis immorandum rationibus refellendis, quas allegat Gaſpar ad retinendam novam ſuam præbendam cum Decanatu ſuo incompatibilem, cui non eſt annexa. Quingenti namque nummi annui reditus, ſublatis omnibus ſumtibus, ſufficiunt ad honeſtam Clerici vitam, præſertim in ea Provincia, ubi vilis eſt annona; neque ex natalium ſuorum ſplendore ad majores tenetur ſumtus, quam ad eos qui vero conveniunt Clerico; cum frugali & modeſto victu ipſi etiam Cardinales & Epiſcopi ex Concilio Tridentino debeant eſſe contenti (c): *Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginienſi (d) non ſolum jubet* (ſancta Synodus) *ut Epiſcopi modeſta ſupellectili & menſa ac frugali victu contenti ſint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum*. Hinc ex caſus expoſitione multos ante Gaſparem conſtat fuiſſe Decanos, qui novam non obtinuere præbendam, quique tamen pro dignitate ſua vitam honeſtam duxere.

(c) Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 1.

(d) Conc. Carthag. 4. c. 15.

CASUS III.

Chæremon, Cathedralis aut Collegiatæ Eccleſiæ Decanus, Beneficium ſuum Joſepho nepoti ſuo viginti annos cum uno nato vult reſignare. Poteſtne illud valide.

Respons.

Diſtinguendum eſt inter primam Eccleſiæ dignitatem, ceteraſque inferiores. Quod ad primam pertinet, diſtinctione etiam opus eſt: nam vel animarum curam habet annexam, vel non. Cum prima Cathedralis aut Collegiatæ Eccleſiæ dignitas animarum curam habet annexam; tum neceſſe eſt, ut de ea proviſus vigeſimum quintum ætatis annum attigerit, quia debet eſſe Sacerdos ad obeundas miniſterii ſui functiones: at vero ſi dignitas illa ſit abſque animarum cura; ſufficit, ut viginti duos ſit natus annos, quæ ætas ſufficiens eſt ad obtinendas proviſiones ſecundæ aut alterius inferioris dignitatis. Unde colligimus, ſi cura animarum Chæremonis dignitati ſit annexa, valide cum Joſepho viginti tantum & unum annos nato reſignare non poſſe; cum ea ætate Curati Beneficii munera nondum valeat.

Ceterum advertendum eſt allatam doctrinam Concilio non niti Tridentino (e), cujus decretum circa Beneficiariorum ætatem in Gallia non obſervatur, ut conſtat ex ætate ad Epiſcopatum requiſita, quæ ex hoc Concilio debet eſſe triginta annorum; quæ tamen ex uſu noſtro juxta Concordatum inter Leonem X. & Franciſcum I. initum viginti ſeptem dumtaxat annos poſtulat.

(e) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reformat. c. 12.

CASUS IV.

Glaudius Joſepho nepoti ſuo, viginti tantum annos cum decem menſibus nato tertiam reſignavit dignitatem, quam in Cathedrali Eccleſia Provinciæ Eccleſiaſticæ Rhemenſis poſſidet. Poteſtne Epiſcopus Joſepho *viſa* ſuum denegare; quod 22. annos ætatis ſuæ non compleverit: an eum etiam de defectu ætatis diſpenſare poteſt?

Respons.

Certum eſt, Epiſcopum *viſa* ſuum Joſepho poſſe denegare, quod is requirit ad obtinendam tertiam, quam ei reſignavit avunculus, dignitatem. Ratio eſt, quia, ut diximus in præcedenti reſponſione, requiritur ætas 22. annorum completa, ut quis de ſecunda aut alia inferiori dignitate provideatur ex uſu generaliter in Gallia obſervato. Cum eo tamen Epiſcopus de ætatis defectu poteſt diſpenſare, ut declarat Bonifacius VIII. in una ex ſuis Conſtitutionibus dicens (f): *Permittimus, ut Epiſcopi, cum his qui vigeſimum annum compleverint, quod dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura non imminet, valeant obtinere, poſſint (ſi aliud non obſtat Canonicum) libere diſpenſare*. Qua de re obſervandum peropportunum fore ſi proviſionem antecedat diſpenſatio, quamquam illud abſolute neceſſarium non videatur.

(f) Bonifac. VIII. in cap. Permittimus. unico de ætate & qualitate & ordine præficiendorum l. 1. tit. 10.

CASUS V.

Evantius, Decanus aut Cantor Eccleſiæ Cathedralis vel Collegiatæ dignitatem ſuam Ruberto cognato ſuo reſignare conſtituit. An requiritur neceſſario, ut Robertus ſit licentiatus, aut ſaltem Baccalaureus in Theologia, aut in jure Canonico, ut tuto & valide reſignationem hanc poſſit accipere?

Respons.

Magnum intercedit diſcrimen inter duas illas dignitates. Licet enim jus non exigat, ut Cathedralium Eccleſiarum Beneficiarii ſint graduati, exceptis Theologis, iiſque quibus incumbit animarum cura in Urbe, ut ajunt, murata, & id tantum pro Archidiaconis exigat Concilium Tridentinum, *ubi fieri poterit*; (g) attamen in Gallia, qui Cathedralium dignitates omnes & Collegiatarum primas obtinent, neceſſario graduati eſſe debent, etiam indicta proviſionum ſuarum invaliditate, ut fert Edictum an. 1606. menſis Decembris his verbis (h): *Nemo deinceps provideri poterit de dignitatibus Eccleſiarum Cathedralium, neque de primis Collegiatarum, niſi ſit graduatus in*

(g) Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform. cap. 12. cit.

(h) Edictum an. 1606. art. 31.

Fa

Digitized by Google

Facultate Theologiæ, aut juris Canonici ſub pœna nullitatis proviſionum ſuarum. Edictum illud conforme eſt alteri Edicto Henrici II. 9. Martii an. 1551. & Concordato inter Leonem X. & Franciſcum I. ut obſervat modernus Auctor (*a*), qui Senatus Pariſienſis Arreſtum an. 1672. de prima dignitate Cathedrali conformiter latum refert,

(*a*) Ferrerius juris can. Gall. l. 1. c. 4. n. 24.

Vide. (DISPENSATIO IRREGULARITATIS.)

DECIMÆ.

DECIMA eſt tributum Deo debitum & conſecratum, atque uſui & ſuſtentationi Miniſtrorum Eccleſiæ deſtinatum. Opinio probabilior eſt, decimas, aut id ipſum quod pro iis habetur, jure naturali & divino deberi; ut docent Patres, Concilia, Calcedonenſe (*b*), Gangrenſe (*c*), Tertium Lateranenſe, Conſtantienſe & Tridentinum; Alexander III. Panormitanus; Henricus Boich, Ludovicus Romanus, Socinus, Gratianus, & Cajetanus, quorum ſummi Pontifices ac celeberrimi Canoniſtæ, ſententiam amplexi ſunt. Quare Imperator Carolomanus in ſuis capitularibus (*d*); ſanctus Ludovicus in Edicto ſuo an. 1269. & alii Reges permulti decimarum exactionem abſque ulla exceptione conſtituerunt pro Parochis.

(*b*) Conc. Chalcedon. c. 17.

(*c*) Conc. Gangrenſ. c. 7. Conc. Lateran. 3. c. 53. Conc. Conſtantienſ. Seſſ. 45. de decimis cap. *Martinus*. Conc. Trident. Seſſ. 9. c. 12. Alex. III. in cap. *Parochianos*. 24. ſin. de decimis. l. 3. tit. 30. Panormit. in c. *Cumſa.* de verbor. ſignific. Boich. in c. *Quoniam* de decimis. Ludovic. Roman. conſ. 354. Socin. tract. de oblat. l. 3. q. 1. Gratian. in can. *Revertimini*. 16. q. 1. Cajet. in 2. 2. q. 100. art 3.

Decimarum ſolutio eſt officium & actus Religionis, ſi habeatur tamquam ſolemnis profeſſio divini dominii in omnia terræ bona, omneſque res creatas; & actus juſtitiæ, ſi conſideretur in ordine ad ſuſtentationem debitam Miniſtris ipſius Eccleſiæ qui eam ſolutionem non minus in foro exteriori, quam interiori poſſunt exigere ab iis omnibus, qui huic ſubjiciuntur, quique ab earum ſolutione ob aliquot privilegia legitima & approbata, non ſunt immunes, quales ſunt Religioſi Claravallenſes, Ordinum capita, & omnes Benedictini. *

Multæ diſtinguuntur Decimarum ſpecies, quas vulgo dividunt 1. in prædiales quæ in magnas minutas & novales ſubdividuntur. 2. In perſonales. 3. In mixtas. 4. Denique in ordinarias, extraordinarias & infeudatas.

Decimæ prædiales ſeu reales eæ dicuntur, quæ ex prædiis ruralibus educuntur. Magnæ Decimæ eæ ſunt, quæ ex frumento, ſecali hordeo, avena aliiſque granis hujuſmodi percipiuntur.

(*d*) Capitul. Caroli Magni, l. 5. c. 89. &c

Decimas minutæ præbent Fabæ, Rapinæ, Napinæ, Lentes, Millium, Viſcia, Linus, Cannabis, ceteraque ejuſmodi legumina granaque rotunda; ac ſolis debentur Parochis; iis excluſis, qui magni dicuntur Decumani.

Decimæ novales, quæ ſolius ſunt quoque Parochi, ut ex multis judicatum eſt Arreſtis quæ refert Forget (*e*), & in Bibliotheca canonica Bouchelius, ea dicuntur, quæ e novalibus, ſeu ex agris immemoriali tempore incultis procedunt, qui recens fuere exculti. †

(*e*) Arreſts 3. Martii 1648. 21. Martii 1655. 20. Martii & 30. Junii 1651. 15. Maii 1666. 15. Feb. & 22. Junii 1669. 11. Decemb. 1670. Blondeau in Bibliothec. Bouchel v. Decimæ pag. 988. & ſeq.

Decimæ perſonales educuntur e lucro negotiatorum aut artificum.

Inter prædiales & perſonales decimas illud reperitur diſcrimen, quod prædiales in integrum e fructibus agri, non deductis culturæ impenſis, percipiantur; ut ait Innocentius III (*f*): cum perſonales non exigantur ex lucro negotiatoris aut artificis, niſi *deductis* expenſis, ut declarat ejuſdem Papæ Decretalis (*g*). Hæc ultima decimarum ſpecies non eſt in uſu in Gallia, ubi non receptæ ſunt Decretales, quibus fuere conſtitutæ.

(*f*) Innoc III. in cap *Tua nobis*. 26. de decimis.

Mixtæ vero decimæ dicuntur; quod ad prædialium perſonaliumque naturam in eo attingant, quia e lucro animalium percipiuntur, quales ſunt agni, capri, ſues, aliaque ſimilia; quæ partim ex terræ fructibus, partim ex hominum induſtria curaque procedunt. Qua de re obſervandum, non teneri Parochos ad reci-

(*g*) Idem in cap. *Paſtoralis*. 28. eod. tit.

* Non omnino inutile erit hic referre quod ait CABASSUTIUS, Juris Canon. Theol & prax. Lib. 2. cap. 29. num. 7. „ Jure communi, *inquit*, quod in Gallia quoque receptum eſt, immunes ſunt abſolutione Decimarum tum Religioſi „ Hoſpitalarii ac militares Sancti Joannis, tum Ciſtercienſes, tum Celeſtini, cap. ex parte, cap. licet, cap. ad Clementiam, de Decimis. Et privilegium iſtud Celeſtinis indulſerunt Bulla Celeſtini V. & Gregorii XI. quas roborarunt in „ Gallia pleraque Senatus conſulta apud Deſpeiſſeum tract. de Benef. tit. 10. ſect. 3 Sed exemptiones iſtæ non extendun„ tur ad terras quas proſuræ Religiones tradunt aliis excolendas in emphyteuſim vel in cenſum; ut tradit dictum cap. „ licet de Decimis. Verumtamen, *pergit idem Canoniſta*, ne horum privilegiorum occaſione Eccleſiæ graventur, Inno„ centius III. in Concilio generali provide decrevit circa Ciſtercienſes, Templarios & Hoſpitalarios (nondum enim erat „ inſtitutus Celeſtinorum Ordo qui poſterius emerſit) ſi quod prædium acquirant poſt idem ipſum generale Concilium, „ ut non hac a Decimis exemptione fruantur, quamvis ab ipſis Religioſis poſſideatur, & excolatur; ſed privilegium ſolis „ iſta[illegible] prædia ante acquiſitis Cap. penult. de Decimis, & generaliter omnes Religioſi de novalibus ſuis quæ propriis „ manibus vel ſumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium ſuorum, & de hortis ſuis Decimas ſolvere non tenentur „ cap. ex parte, „ eod. Hæc CABASSUTIUS, circa quæ videndum eſt quænam ſint variorum locorum conſuetudines.

† Nota per novale in quibuſdam Regionibus non ſolum terram tunc primum ad fructificandum proſciſſam intelligi, ſed etiam terram coli ſolitam, ſed quæ per aliquot annos interquieſcere ſinitur. L. SILVA. §. *Novatis*. D de verb. ſignif. Notat etiam H. BOCHELLUS ſum. Benef. verb. *Decima*, Cap. 3. ſi novale jam erat Decimis erga Prælatum aliquem prius obnoxium quam coleretur, Parochum nullum jus ad Decimas eſſe habiturum. Parochus tamen pariter, ut idem notat BOCHELLUS, adverſus Prælatum ſeu Rectorem ſeu Prabendatum congruæ portionis augmentum exigere, ſi ex nova cultura nova ipſi curialia accreſcerent onera.

recipienda hujuſmodi animalia, ubi nata ſunt; ſed poſtquam a lacte quo non egent, fuere depulſa.

Decimæ ordinariæ eæ ſunt, de quibus hactenus diximus, ſed quarum ubique non eadem eſt quantitas & qualitas; cum in provinciis quibuſdam decimam fructuum partem, in aliis decimam tertiam, aut decimam quintam & aliquando vigeſimam, ſecundum varium uſum Decumanus exigat juxta definitionem Lucii III. (a). In quibuſdam etiam regionibus, ut in Italia, decimas non exigunt Parochi, pro quibus ſupplent fideles voluntariis oblationibus; & in aliis decima exigitur de rebus quibuſdam, quæ alibi eidem non ſubjiciuntur; cum regio quælibet ſuum habeat uſum, quem quiſque ſequi tenetur.

(a) Lucius III. in c. *Ad Apoſtolica* 10. de decimis.

Decimæ extraordinariæ eæ ſunt, quæ olim de conſenſu & auctoritate ſummorum Pontificum in Beneficiarios fuere impoſitæ pro valore Beneficiorum, & ad tempus limitatum Principibus conceſſæ; uti olim Philippo dicto Pulchro & Carolo VI. ad impenſas bellorum, quæ geruntur in hoſtes Chriſtiani nominis, aut Religionis & Eccleſiæ: qui uſus hactenus in favorem multorum Principum permanſit. Sed in Gallia conceſſio illa evaſit tandem perpetua, uti recte prævideraț Petrus Bleſenſis (b); idque a tempore Franciſci I. Regis ad hodiernum diem, propter urgentes Regni neceſſitates, tum ex bellis inteſtinis & civilibus, tum ex peregrinis ortas: ita ut ex edictis Franciſci II. Caroli IX. & Henrici III. an. 1555. 1570. & 1581. promulgatis, cum titulo officii conſtituti fuerint exactores hujuſmodi decimarum de quibus heic non eſt quæſtio.

(b) Petrus Bleſenſis, ep. 2.

Dicendum heic intereſſet, de decimis infeudatis ſeu feudalibus, quæ nunc ad ſæcularia bona a Laicis poſſeſſa revocantur. Sed de iis heic ſuperſedimus, in ſequentibus dicturi. Unum id Lectorem monemus, ea de re conſuli poſſe Bouchel in ſua Bibliotheca canonica (c).

(c) Bouchel, v. *Decima*, pag. 173. & 199.

CASUS PRIMUS.

Decimarum ſolutionem S. Leonis bini incolæ Parocho ſuo denegant, licet aliunde bona ad ſui ſuſtentationem non ſibi ſuppetant; hac una videlicet ratione ducti, quod ex antiqua conſuetudine eas non ſolvere poſſideant; quamvis ab ipſo, ut ab anteceſſoribus ſuis, fuerint petitæ. Numquid ex ea peculiari conſuetudine, quæ omnium Galliæ Provinciarum conſuetudini generali adverſatur, ab injuſtitia & a peccato mortali ſunt immunes?

Responsio.

Cum illa conſuetudo ſit injuſta, incolas iſtos a mortali peccato non poteſt eximere. Ratio eſt, quia ad jus naturale pertinet, ut Paſtoribus ſuis ad victum neceſſaria miniſtrent populi. *Quod enim*, inquit ſanctus Thomas (d), loquens de Lege antiqua, *eis qui divino cultui miniſtrabant ad ſalutem totius populi, populus neceſſaria victus miniſtraret, ratio naturalis dictat, ſicut & his qui communi utilitati invigilant, ſcilicet Principibus & militibus & aliis hujuſmodi ſtipendia victus debentur a populo. Unde & Apoſtolus hoc probat 1. ad Corinth. 9. ... dicens:* Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? aut quis plantat vineam & de fructibus ejus non edit? Addit poſtea Sanctus doctor: *Sed determinatio certæ partis exhibendæ miniſtris divini cultus, non eſt de jure naturali, ſed eſt introducta inſtitutione divina.* Tum ad decimas novæ Legis perveniens, ita ſubjungit: *Ita etiam determinatio decimæ partis ſolvendæ eſt auctoritate Eccleſiæ temporis novæ Legis inſtituta ſecundum aliquam humanitatem: ut ſcilicet non minus populus novæ Legis miniſtris novi Teſtamenti exhiberet, quam populus veteris Teſtamenti exhibebat; cum tamen populus novæ Legis ad majora obligetur ſecundum illud Matthæi 5.* Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Et cum miniſtri novi Teſtamenti ſint majoris dignitatis, quam miniſtri veteris Teſtamenti, ut probat Apoſtolus 2. ad Corinth. 2. ſic ergo patet quod ad ſolutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ.*

(d) S. Th. 2. 2. q. 87. art. 1. in corp.

Eadem de re alibi agit Doctor Angelicus (e), & ſpeciatim quærit, utrum per contrariam conſuetudinem non poſſit derogari juri, quo potiuntur Paſtores ad exigendas decimas; & ita concludit: *Patet ergo*, inquit, *quod nulla conſuetudo contraria ſolvit hominem ab obligatione ſolvendi decimas: quia hæc obligatio fundatur ſupra jus divinum & ſupra jus naturale. Unde ſemper tenentur homines reddere decimas, ſi Eccleſia exigat, etiam contraria conſuetudine non obſtante.*

(e) Id. Quodlib. 2. art. 8. in corp.

Multorum auctoritate Conciliorum ſtabilitur jus Parochorum ad exigendas decimas: ſed ſufficit ea de re Nogarolienſis Concilii ab Amatheo, Auſcitano Archiepiſcopo ejuſque ſuffraganeis an. 1303. habiti graviſſimum referre Decretum, cujus hæc ſunt propria verba (f): *Tam detentores decimarum ante ipſarum reſtitutionem, quam eorum filii, uxores & familiæ, ſepultura careant Chriſtiana: nec ipſi, nec eorum filii, uſque ad quartam generationem incluſive ad Tonſuram Clericalem, ceteros Ordines, vel Eccleſiaſtica Beneficia aliqua admittantur, ſed eorum Beneficia aliis libere conferantur. Si noſtri Ordinarii prædictis hæc contulerint, ab illorum collatione eo ipſo ſe noverint ſuſpenſos, & loca ubi ſepulta fuerint, per annum Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.* Difficile eſt ea in re durius agi. De eadem re legi poteſt Cajetanus in Summam S. Thomæ (g), qui fuſe & erudite quæſtionem hanc pertractat, & contrarias Angelici Doctoris ſententiæ objectiones ſolvit.

(f) Conc. Nogarolienſe. c. 10. apud Labb. tom. Conc. 11. 2. part. col. 1480.

(g) Cajetan. in 2. 2. cit. art. 1.

CASUS II.

In quodam Dominio, ex multis provinciis compoſito, generalis obtinet conſuetudo decimas Paſtoribus non ſolvendi; licet multi eas vellent exigere. Num illi conſuetudini ſtare poſſunt harum provinciarum incolæ, nec eas omnino ſolvere?

Responsio.

Exiſtimat ſanctus Thomas, eos incolas in tali caſu non peccare; cumque decimas non exigit Eccleſia, eam cenſeri fidelibus illas ſolvendi obligationem condonare; vel aliter ſupponendum eſſe fideles omnes Italiæ, alioſque orientales qui eas ſolvere non ſolent, eſſe damnatos; quod defendi nequit (h): *Sed in terris, in quibus non eſt conſuetudo communis, quod decimæ dentur, & Eccleſia non petit, videtur Eccleſia remittere, dum diſſimulat: & ideo homines in terris illis non peccant, decimas non dando. Durum enim eſſet dicere, quod omnes homines Italiæ & Orientalium partium damnarentur, qui decimas non ſolvunt.* Sententiam ſuam probat Angelicus Doctor, exemplo ductuque ſancti Pauli, qui gratuito Evangelium annuntiabat, nihil ab iis exigens

(h) S. Thom. Quodlib. 2. art. 2. cit. in corp.

qui-

quibus illud annuntiabat, eorum quæ ad vitam erant neceſſaria, licet ſibi juſte debita, ſi repoſcere voluiſſet. *Unde non benefacerent Rectores Eccleſiarum*, ita concludit S. Doctor, *ſi in terris illis decimas exigerent, in quibus non eſt conſuetudo dari; ſi probabiliter crederent, quod ex hoc ſcandalum naſceretur.*

CASUS III.

Mariano tria tantum ſunt pro tota re vitium jugera, e quibus quinque dumtaxat vini cados percepit, qui ad ſolutionem tributi, vindemiæ impenſarum, aliorumque quorumdam onerum, Pagi exactores vinum juridice retinuere, opifices mercedem ſuam, & Parochus decimam poſtulat. Quodnam ex tribus hiſce debitis priores partes obtinet in ſolutione?

Respons.

Decima priores tenet partes, atque in ſolutione Principis tributo, operarumque mercedi debet anteponi. Ita S. Thomas (a), his verbis. *Debentur autem decimæ de fructibus terræ, in quantum proveniunt ex divino munere: & ideo decimæ non cadunt ſub tributo, nec etiam ſunt obnoxiæ mercedi operariorum: & ideo non debent prius deduci tributa & pretium operariorum, quam ſolvantur decimæ; ſed ante omnia debent decimæ ſolvi ex integris fructibus.* Hæc ſunt verba S. Doctoris, cujus doctrinam aſſerunt multæ Decretales, & duæ præſertim ab Innocentio III. latæ, quas in reſponſione ad ſextum caſum referemus.

(a) S. Th. 2. 2. q. 87. art. 2. ad 4.

CASUS IV.

Remigius, pauper agricola, cui duo ſunt tantum agrorum jugera, e quibus vix quartam fructuum partem percipit, quibus eget ad ſuam, mulieris, & quatuor puerorum ſuſtentationem, teneturne in conſcientia Parocho ſuo prædiviti decimam hujuſce agri ſolvere, & nonne poteſt in foro conſcientiæ hanc ei ſubducere, ut ſuis proſpiciat neceſſitatibus?

Respons.

Cum ex jure naturali & divino debeantur decimæ, certum eſt, non minus pauperes, quam divites ad earum ſolutionem teneri; ſeu qui eas recipiunt, divitiis affluant, ſeu pauperes ſint. Id ipſum docet S. Thomas his verbis (b): *Cum Sacerdotibus decimæ debeantur, tum de jure naturali, tum de jure divino, tum etiam ex ſtatuto Eccleſiæ; quamvis Sacerdos ſit dives, nihilominus pauper tenetur ei decimas ſolvere.* Ejuſque rei hanc ſubjicit rationem: *Decimarum ſolutio*, inquit Angelicus Doctor (c), *eſt inſtituta non ſolum ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ; ſed etiam ad ſuſtentationem pauperum, quibus debet de Domo Dei provideri juxta illud S. Auguſtini (d).* Decimæ tributa ſunt egentium animarum.... *Et ſic Sacerdoti*, pergit S. Thomas, *qui non ſolum ſibi, ſed pauperibus providere debet, quantumcumque diviti, ſunt decimæ neceſſariæ.*

(b) S. Th. quodlib. 6. art. 10. in corp. Item. 2. 2. q. 87. art. 4. ad 4.

(c) S. Tho. loco cit. ad 2.

(d) S. Aug. in Can. *Decimæ*, 66. 16. q. 1.

Addit Angelicus Doctor, quod, cum ratione ſui Miniſterii decimas paſtoribus attribuerit Eccleſia, ea debentur, quamvis divites ſint illi Paſtores, ubi primum Paſtoris Officium obtinent. *Poteſt dici, quod neceſſitas ſuſtentationis Miniſtrorum fuit ratio Eccleſiaſticæ inſtitutionis de decimarum ſolutione, ſed ex quo Officium eſt alicui debitum per ſtatutum Eccleſiæ, nihilominus ei debetur, quamvis ſit dives.* Hinc Matiſconenſe Concilium ſecundum an. 585. habitum (e) conſtituit, ut Paſtoribus decimas accurate perſolvant fideles, nullo adhibito inter divites, pauperesque diſcrimine. En verba Concilii: *Leges itaque divinæ, conſulentes Sacerdotibus ac Miniſtris Eccleſiarum pro hæreditatibus portionis, omni populo præceperunt, decimas fructuum ſuorum locis ſacris præſtare; ut nullo labore impediti, horis legitimis, ſpiritualibus poſſint vacare Miniſteriis, quas Leges Chriſtianorum congeries longis temporibus cuſtodivit intemeratas. Nunc autem paulatim prævaricatores Legum pene Chriſtiani omnes oſtenduntur, dum ea, quæ divinitus ſancita ſunt, adimplere negligunt. Unde ſtatuimus ac decernimus, ut mos antiquus a fidelibus reparetur, & decimas Eccleſiaſticis famulantibus cæremoniis populus omnis inferat.* Deinde addit Concilium.... *Si quis autem contumax noſtris ſtatutis ſaluberrimis fuerit, a membris Eccleſiæ omni tempore ſeparetur.*

(e) Conc. Matiſcon. 2. can. 5. apud Sirmondum tom. 1. Conc. Galliæ. pag. 381.

Rhotomagenſe Concilium a Cardinali Borbonio an. 1581. habitum (f) eamdem cum Matiſconenſi pœnam ſtatuit: *Qui vero eas* (Decimas) *ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur.*

(f) Conc. Rothomag. an. 1581. de curatorum & aliorum Presbyterorum & Parœcianorum officiis. n. 35.

Ex dictis colligimus, Remigium, quantumvis pauperem, rigoroſe loquendo, abſolute teneri ad ſolutionem decimæ tritici ſui erga Parochum licet divitem; ſi forte extrema non prematur inopia: attamen ad illius Parochi charitatem pertinet, decimam illam non exigere, non ſolum, quoad ſublevandam pauperum Parœcianorum, inter quos reperitur Remigius, miſeriam, ſed etiam quia ex acerbiori exactione oriri poſſet ſcandalum & perſuaſio, eum nimio terrenarum rerum affectu laborare; quod Parocho imprimis accurate eſt vitandum. *Nullus Sacerdotum decimas cum lite & jurgio ſuſcipiat*, inquit antiqua Turonenſis Synodus (g), *ſed prædicatione, & admonitione.*

(g) Synod. Herardi an. 858. cap. 132.

CASUS V.

Cum agrorum jugera decem vacantia reliquiſſet Henricus, quod præ inopia frumenti ea conſerere non poſſet; Lucianus, Parochus ejus, cui inde deerat ſolutio decimæ, dato ſupplici libello a Judice petiit, ut tantum ex agris illis excolere ſibi liceret, quantam ſibi decimam afferrent jugera decem frumento conſita. Duo ei Judex conceſſit; unum ſcilicet pro decima; alterum vero pro culturæ impenſis: quæ obtentæ Henrico agricolæ dimidiato fructuum proventu colenda dedit: facto vero tempore meſſis, decimam ſibi de toto præhabere vult Parochus, antequam grana paleamque cum Henrico divideret: at dimidiam partem ad ſe integram pertinere contendit Henricus, pro qua dimidium aliud loco decimæ ſibi Parochus haberet. Cui jus?

Respons.

Conventio Parochi cum Henrico, vel eſt conductio, vel ſocietas, vel contractus, qui dicitur locatio operarum.

Si conventio illa habeatur, uti conductio; Parochus e duobus jugeribus decimas exigere non poteſt; alioquin dicendum foret, hominem e proprio fundo decimas poſſe percipere; quod rationi penitus eſt abſonum.

Si conventio illa habebatur, uti ſocietas; neque etiam decimas ſibi præhabere non debet Parochus; ubi enim de ſocietate agitur, par debet eſſe ſociorum damnum & lucrum: *Partiarius colonus*, inquit Lex (h), *quaſi ſocietatis jure, & damnum & lucrum cum Domino fundi patitur.* Quod in caſu propoſito non fieret; cum a Parocho allideretur Henricus, qui portionis ſuæ imminutionem ex augmento decimæ Parochi pateretur.

(h) L. Si merces. 25. § 6. ff locati conducti. lib. 19. tit. 2.

Certum quidem eſt, quod ſi conductos ſibi ab extero fundos haberet Henricus; portio ſua, non minus quam Conductoris ſui decimæ ſubjiceretur, ut obſervat Gloſſa his verbis (i): *Coloni partiarii, qui partem fructuum percipiunt. Tales enim pro ea portione, quam ipſi percipiunt, tenentur dare decimas: & Domini eorum pro ea quam ipſi percipiunt.* Sed in eo caſu non verſatur Henricus; cum Parochum ſuum habeat locatorem, qui abunde compenſatur de decima decem jugerum integri jugeri fructus percipiendo abſque ullius impenſæ onere.

(i) Gloſſa in Can. *Quaſi ſunt.* 46. 16. q. 1. v. *Coloni*.

Denique, ſi hæc habeatur conventio, uti contractus, qui *locatio operarum* dicitur; abſque injuſtitia etiam decimam de duobus jugeribus percipere nequit Parochus; alioquin promiſſam Henrico mercedem ob labores, impenſaſque ad jugerum culturam factas non conferret.

Colligi ergo neceſſe eſt, æquum eſſe, ut portionem ſuam liberam, & integram habeat Henricus, de qua quidquam decerpere ob decimam, aut aliter nequit Parochus. Non quidem nos fugit quoſdam eſſe Parochos ab Urbe non longe diſſitos, qui abſque ſcrupulo agunt aliter: Sed exemplis non firmatur iniquitas & abuſus adeo damnandus.

Digitized by Google

CASUS VI.

Methodius, Sancti Piathi Parochus, qui e ſuo Beneficio mille nummos annui reditus, & e re paterna mille libras percipit, ferme jam a viginti annis multarum diverſæ ſpeciei decimarum, quæ ſibi debentur, ſolutionem exigere negligit, eaſque vel liberalitatis, vel charitatis impulſu debitoribus earum relinquit. Hoc ipſi vitio verterunt quidam vicini Parochi; quod agricolæ, quibus eas gratuito condonat, jus exigendi in eum, ejuſve ſucceſſorem poſſunt præſcribere. Numquid pro his Parochis ſtat ratio; & nonne rem ſuam, cui voluerit, libere condonare poteſt Methodius?

R e s p o n s.

Jure merito Methodium reprehendunt illi Parochi. 1. Quia verum eſt, quod iis, in quos ipſi competit jus decimæ illius, aliquando vel ipſi eorumve hæredes præſcriptionis jure ſolutionem poſſent denegare, præſertim ſi minutæ ſint decimæ, quæ in quibuſdam Provinciis ſolent exigi, quales ſunt in Normania decimæ lanæ & agnorum, quæ infra 40. annorum ſpatium uſucapiuntur: quæ præſcriptio in re ipſa conſtituitur, de qua lis eſt, nulla habita ratione numeri majoris aliorum prædiorum Parœciæ, quæ decimæ actu ſubjiciuntur. Ita conſtituit Parlamentum Rothomagenſe an. 1666. (a).

(a) Conſtitutum ann. 1665. art. 18.

At vero Methodius hujuſmodi præſcriptioni, utpote ſucceſſoribus ſuis imprimis noxiæ, anſam præbere nequit: cum exigendæ decimæ jus non ſit ipſius ſolius, ſed Eccleſiæ, atque adeo Parochorum ſucceſſorum ejus; & quorum jura, uti propria, defendere tenetur.

2. Quia, ſi decimis illis ad ſui ſuſtentationem non egeat forſan Methodius, eas, cui voluerit, libere dare non poteſt. Ratio eſt, quia Beneficiarius non eſt Dominus, ſed eſt miniſter dumtaxat bonorum Eccleſiæ quæ poſſidet, ut alibi liquido probavimus: quocirca deſumto ex iis tenui frugalique victu, quod ſupereſt, ad Eccleſiam paupereſque pertinet. Si ergo non egentibus Parœcianis hujuſmodi donum conferret Methodius, id pauperibus foret noxium, quibus contra fas omne divites ſubſtitueret. Quare, licet charitatis impulſu egentibus decimas illas derelinqueret ille Parochus, ab iis ſaltem ſcriptum deberet exigere hujuſmodi remiſſionis, in argumentum debitæ decimæ vel ſibi, vel ſucceſſoribus ſuis in eos, qui deinceps jus præſcriptionis auderent allegare.

Hinc Prælatis vetat Alexander III. propoſitis etiam pœnis acerbiſſimis, ne Laicis debitas ab iis Eccleſiæ ſuæ decimas concedant. *Statuimus*, inquit hic Papa (b), *ut, ſi quis alicui Laico, in ſaculo remanenti, Eccleſiam, decimam, oblationemve conceſſerit, a ſtatu ſuo, ſicut arbor, quæ inutiliter terram occupat, ſuccidatur, & donec emendet, dolore ſua jacent ruinæ proſtratus*. Depromta eſt hæc Decretalis e tertio Canone Concilii quinti Turonenſis habiti in Eccleſia ſancti Mauritii Turonenſis a ſeptemdecim Cardinalibus, centum viginti quatuor Epiſcopis, e quorum numero erat ſanctus Thomas Cantuarienſis, cui extra Urbis portas fuere obvii quindecim Cardinales; cuique Concilio adfuere quadringenti quatuordecim Abbates, aliique innumeri Legati, & ipſe præfuit Alexander III. Canon ille decretalis, iiſdem, quæ attulimus verbis eſt præſcriptus, exceptis ultimis iſtis hujuſce Canonis: *donec ſe emendet, lapſum ſuum defiens ſubjacent dolore proſtratus*.

(b) Alex. III. in c. Quamvis 27. de decimis, &c. l. 3. tit. 30.

CASUS VII.

Audoenus decem agrorum jugera emit cum pecunia profecta e furto, aut uſura, turpive lucro. Teneturne eorum decimas ſolvere; ac Parochus ejus rei conſcius poteſtne eas accipere, aut etiam exigere?

R e s p o n s.

Ut huic difficultati fiat ſatis, ſciendum, duplici modo rem injuſte poſſe acquiri. Primo quidem, cum per ſe ipſam injuſta eſt acquiſitio, ut cum fit de pecunia ſubrepta, aut uſuraria; unde emtor ad illius reſtitutionem tenetur. *Aliqua male acquiruntur dupliciter*, inquit S. Thomas (c); *uno modo, quia ipſa acquiſitio eſt injuſta; puta quia acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut uſuram, quæ homo tenetur reſtituere; non autem de eis decimas dare*. Tumque cum res parta ager eſt, Paſtori decima debetur: *Tamen ſi aliquis ager ſit emtus de uſura*, addit S. Thomas, *de fructu ejus tenetur uſurarius decimas dare: quia fructus illi non ſunt ex uſura, ſed ex Dei munere*. Unde ſequitur, quod in caſu propoſito Audoeni Parochus decimam fructuum exigere poteſt agri illius, quem de pecunia uſuraria, aut ſubrepta emit ille homo, quamvis id norit iſte Parochus.

(c) S. Th. 2. 2. q. 87. art. 2. ad 2.

Secundo modo res aliqua injuſta poteſt acquiri, cum de lucro turpi & illicito acquiritur. *Quædam vero dicuntur male acquiſita*, addit S. Doctor, *quia acquiruntur ex turpi cauſſa, ſicut de meretricio & hiſtrionatu, & aliis hujuſmodi, quæ non tenentur reſtituere*. Tumque ad decimas ſolvendas tenentur emtores: *Unde de talibus tenentur decimas dare, ſecundum modum aliarum perſonalium decimarum*. Ex quo ſequitur etiam, quod ſi Audoenus pecuniam, de qua agrorum jugera decem emit, a ratione fuerit lucratus; a fortiori decimas eorum Parocho ſolvere tenetur; non minus, quam agrorum aliorum, quos legitime poſſidet.

Advertit tamen S. Thomas, hanc decimam ab iis non eſſe accipiendam, qui manifeſte in peccato ſuo perſeverant, ne vitiis eorum favere videatur Eccleſia, indeque ſcandalum oriatur: ſed eam poſſe accipi, ubi ad meliorem frugem redierint: *Tamen Eccleſia non debet eas recipere, quamdiu ſunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare, ſed poſtquam pœnituerint, poſſunt ab eis de his recipi decimæ*.

CASUS VIII.

Philigonius, Parœciæ ſanctæ Auſtrebertæ Dominus, Campi partes a Clientibus ſuis ſibi debitas ſolet exigere, priuſquam decimas acceperit Parochus. Is vero contendit, idipſum Philigonio non eſſe licitum. Cui jus?

R e s p o n s.

Campi pars eſt jus, quo Dominus in agro ſui dominii decimum, decimum tertium, aut decimum quintum deſecti frumenti faſcem ſumere poteſt in meſſe ſuorum Clientum, atque ideo dicitur *Campipars*, quaſi videlicet *jus legendi agri ſolarii*. Atque Campi-pars non eſt exigenda ante decimæ in agro ſolutionem: quare manifeſtam ſic ſe gerendo injuſtitiam committit Philigonius, quia decima jure naturali & divino Parocho debetur, quam ita minuit ille Dominus; ſuamque Campi-partem auget, non ſolvendo ejus decimam. *Deducendæ ſunt decimæ ex integris fructibus*, inquit Cabaſſutius (d), *ante omnem expenſarum, cenſuum, tributorum, & aliorum quorumcumque onerum deductionem: tum quia decimarum jura ſunt antiquiora; tum etiam quia jura Dei, & Eccleſiæ humanis juribus anteferri debent*. Dicta ſua probat ille Canoniſta inclytus ex decretali Innocentii III. ad Epiſcopum Verſellenſem (e): in qua declarat Summus ille Pontifex, quod, cum jure divino debeantur decimæ, ex integris fructibus, nulla prius facta deductione, ſolvi debent. Quod idem alibi manifeſtius aſſerit hic Papa, & ad quæſtionem propoſitam accommodatius, nimirum in decretali lata in Concilio Generali Lateranenſi habito an. 1215. (f); cujus hæc ſunt verba: *Cum autem in ſignum univerſalis dominii, quaſi quodam titulo ſpeciali, ſibi Dominus decimas reſervaverit: nos & Eccleſiarum diſpendiis, & animarum periculis obviare volentes, ſtatuimus, ut in prærogativam dominii generalis exactionem tributorum, & cenſuum præcedat ſolutio decimarum, vel ſaltem hi, ad quos cenſus, vel tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum onere ſuo tranſit, ea per cenſuras Eccleſiaſticas decimare cogantur Eccleſiis, quibus de jure debentur*.

(d) Joan. Cabaſſ. juris can. theor. & prat. l. 2. c. 19. n. 3.

(e) Innoc. III. in cap. Tua. 26. de decimis, primitiis & oblat. l. 3. tit. 30.

(f) Idem in cap. 33. Cum non ſit. eod. tit.

Hæc eſt etiam Galliæ juriſprudentia, ut conſtat ex his quatuor Senatus Pariſienſis Arreſtis, aliis omiſſis, quæ nobis non ſunt cognita. Primum eſt latum 23.

tum 23.

tum 23. Febr. an. 1608. pro Euſtachio de Viole Priore, & Parocho primitivo Parœciæ de Thoiſely, contra Georgium de Sobriety, Dominam de Pruneaux, Renatum de Mouſſon, & Ægidiam de Beouregard, Dominum de Menabre. Alterum eſt 5. Julli ejuſdem anni. Tertium eſt 9. Maii an. 1622. quo confirmatur ſententia, ab Andegavenſi Seneſcallo lata 27. Febr. an. 1609. Quartum denique 9. Febr. an. 1621. pro Dionyſio Deſnault Parocho du Belloi in Gallicana inſula in Joannem Soiſſon.

CASUS IX.

Narcissus, dominus & Patronus magnæ Parœciæ quodam ejus tractu decimas exigere jam pridem obtinet, non ſine magnis Parochi querimoniis, qui tamen Narciſſo litem inferre non audet, aſſerens decimas ſolis Eccleſiaſticis deberi. Nonne poteſt Narciſſus in aliquo caſu decimas illas percipere, intactis Parochorum juribus?

Respons.

Ad ſolutionem propoſitæ difficultatis, diſtinguendum eſt inter jus, quod quis in rem aliquam obtinet, & rem ipſam, quæ tali jure obtinetur: quam diſtinctionem de decimis loquens adhibet S. Thomas (a): *Circa decimas duo ſunt conſideranda*, inquit, *ſcilicet ipſum jus accipiendi decimas, & ipſæ res quæ nomine decimæ dantur. Jus autem accipiendi decimas ſpirituale eſt: conſequitur enim illud debitum, quo miniſtris altaris debentur ſumtus de miniſterio, & quo ſeminantibus ſpiritualia debentur temporalia: quod ad ſolos Clericos pertinet habentes curam animarum; & ideo eis ſolum competit hoc jus habere. Res autem quæ nomine decimarum dantur, corporales ſunt; unde poſſunt in uſum quorumlibet cedere, & ſic poſſunt etiam ad Laicos provenire.* Cum ſcilicet id ipſum juſtis de cauſſis concedit Eccleſia.

(a) S. Th. 2. 2. q. 87. art. 3. in corp.

Hinc ſequitur, quod ſi Narciſſo aut ejus majoribus, iiſve quos tamquam Parœciæ dominos repræſentat, jus decimas in quodam tractu percipiendi Eccleſia conceſſit, tum in conſcientia eo jure uti poteſt, modo Parocho ad honeſtam ſuſtentationem non deſint neceſſaria. *Sicut res nomine decimæ acceptas poteſt Eccleſia alicui Laico tradere*, ait idem Angelicus Doctor (b); *poteſt etiam ei concedere, ut dandas decimas ipſi accipiant* (Laici), *jure accipiendi miniſtris Eccleſiæ reſervato*.

(b) Idem loc. cit. art. 3. ad 3.

Obſervandum heic cum Cabaſſutio (c) quoad præſentem difficultatem, 1. hunc eſſe Galliæ uſum, ut a Laicis ſine juſto & probato titulo decimæ præſcribi non poſſint, ne quidem poſſeſſione cujus initii memoria non extet, ut docet Laurentius Bouchel in Summa Beneficiaria (d) fuiſſe ſæpiſſime in ſupremis Curiis judicatum conformiter ad antiquam Clotarii Regis Conſtitutionem, cujus verba ſunt: *Res Eccleſiæ de Laicis abſque charta nullus præſumat poſſidere; & ſi chartam non oſtenderit, quod comparaſſet a Paſtore Eccleſiæ, poſſeſſio ſemper ad Eccleſiam pertineat.*

(c) Joan. Cabaſſut. Juris can. theor. & prax. l. 3. c. 8. 3.

(d) Bouchel v. *Decima*. 6. 3. n. 3.

2. Ex eodem Bouchel (e) aliiſque multis Juriſperitis (f), decimas a Laicis infeudatas ante tertium Concilium œcumenicum Lateranenſe ſub Alexandro III. ann. 1179. ipſis legitime eſſe debitas: ſed decimas, ab eo tempore infeudatas Eccleſiæ eſſe reſtituendas, nec poſſe transferri ad heredes aut ad alios, ſive voluntaria, ſive coacta alienatione: additque Cabaſſutius, eo ſenſu intelligendum eſſe iſtud Concilii Decretum (g): *Prohibemus, ne Laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios Laicos poſſint quoquo modo transferre: ſi quis vero receperit, & Eccleſiæ non reddiderit, Chriſtiana ſepultura privetur.*

(e) Ib. n. 4.
(f) Carondas ad Cod. Henrici, l. 1. tit. de decimis 14. art. 1. Chauutius Centur. 2. q. 6. Eſpeiſſeus de Benef. Eccleſ. tit. 9. ſect. 1. n. 6.

(g) Alex. III. in cap. Prohibemus, 19 de decimis &c.

CASUS X.

Wibertus, dominus feudalis dominii ſancti Deſiderii, decimam infeudatam, uti dominus poſſidet, quam privato cuidam cui conveniens eſt, vendere cupit. Poteſt ne tuta conſcientia?

Respons.

Inutile eſt heic decimarum feudalium originem diſcutere; hoc unum ſufficit, ſi dicamus decimas feudales vocari, quæ a quibuſdam habentur dominis, qui eas poſſident infeudatas a domino ſuperiore, apud quem earum fidem atque clientelam profitentur.

Decimæ hujuſmodi feudo ſunt anneaæ, ac patrimoniales & laicæ. Hinc inter Laicos de iis fit commercium, de diſſidiis circa illas obortis cognoſcit ſolus Judex Regius, tam quoad poſſeſſorium, quam petitorium; in quo diſcrepant a decimis Eccleſiaſticis: de quibus quoad petitorium inſtruitur proceſſus coram Judice Eccleſiæ; & quoad poſſeſſoriam, coram Judice Laico.

Hinc ſequitur, decimæ infeudatæ, cujus eſt dominus, licitam eſſe venditionem Wiberto, uti proprium bonorum. Id unum dumtaxat eſt obſervandum, quod, ſi emtor hujus decimæ eſſet Clericus, nullus e propinquis venditoris redhibitionis jure in eam rem poſſet uti: quia tum Eccleſiaſtica fieret decima.

Concilium quidem tertium Lateranenſe an. 1179. Laicis prohibuit, ne decimas poſſiderent, aliiſque Laicis venderent. Prohibemus, inquit, ne Laici, decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios Laicos poſſint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit, & Eccleſiæ non reddiderit, Chriſtiana ſepultura privatur (h).

(h) Conc. Lateranens. 3. c. 14. in c. *Prohibemus* 19. de decimis & l. 3. tit. 30.

Verum ex antiquo Manuſcripto, 1. legitur *decimas infeudatas*, ut obſervat Pithou: ex quo intelligitur, Concilium illud de ſolis decimis Eccleſiaſticis loqui, non vero de infeudatis. Unde fatetur Auctor Gloſſæ (i), decimas hujuſmodi in alios Laicos poſſe transferri. *Numquid de conſenſu Epiſcopi poſſunt* (Decimæ) *transferri in alios Laicos, ſi Laici iſti habent decimas in feudum ab antiquo? Satis videtur, quod illas poſſunt dare in alios Laicos de conſenſu Epiſcopi in feudum, ſicut ipſi habent.*

(i) Gloſſa in d. cap. v. Laicos.

Additur quidem, *de conſenſu Epiſcopi*: verum conditio illa in Gallia non obtinet, ubi talis conſenſus Epiſcopi non requiritur ad venditionem ejuſmodi bonorum: quia inter ſæcularia bona cenſentur.

2. Cum decretum illud Lateranenſis Concilii antiquo derogare non poterat juri, quo tum fruebantur poſſeſſores decimarum feudalium; in Gallia non receptum fuit illud decretum, ubi poſtea, uti ante venditæ ſunt, permutatæ, in hypothecam collatæ, aut legatæ, ſeu conjunctim cum dominio, cujus partem efficiunt; ſeu ſeparatim cum ad feudum non pertinent; aut ſi feudi partem efficiant, earum diviſioni conſentit dominus (k). Atque ideirco, ſi dentur Eccleſiæ, aut vendantur; feudalium decimarum qualitatem, naturam & privilegia retinent; eaſque ſine morticinæ poſſeſſionis Litteris poſſidere nequit Eccleſia.

(K) Inſtitut. ad Jus Gall. l. 2. c. 4. pag. 122.

D E L E C T A T I O.

DELECTATIO, eo ſenſu, quo in hoc titulo accipitur, conſiderari poteſt, vel in corde & voluntate, vel ſolum in phantaſia & ſenſibus.

Prior eſt ſemper delictum, & quandoque mortale, uti modo explicabimus.

Altera imaginationem ſubire, ſenſuſque ipſos movere poteſt, etiam abſque advertentia; tumque non eſt peccaminoſa, quando magna attentione & diligentia repellitur.

Prior dicitur moroſa, a verbo *morari*, quod in ea videlicet cum ſufficienti determinatione etiam brevi tempore, immoretur voluntas.

Digitized by Google

Sic autem definiri ſolet : *Delectatio moroſa eſt complacentia in re mala ſine voluntate illius faciendæ.* Vel etiam accuratius definiri poteſt: *Delectatio moroſa eſt directa, vel indirecta complacentia deliberata voluntatis in animæ motibus inordinatis circa objectum illicitum non patrandum* (a).

(a) Polman. Brev. Theolog. part. 1. a. n. 468.

Complacentia moroſæ cogitationis dicitur directa, hoc eſt, quæ formalem & explicitum includit conſenſum; aut indirecta, hoc eſt, cum ei implicitus dumtaxat, & interpretativus præbetur conſenſus, qui in eo conſiſtit, quod tolerentur, nec rejiciantur motus inordinati, quos commovet, ubi primum fieri debet, & poteſt.

Additur : *complacentia deliberata voluntatis*, eo quod eam ſufficienter percipiat intellectus, ut ei nota ſit ejus malitia, tumque eam non repellat voluntas, ſtatim ac debet.

Hæc eſt autem ea de re Cleri Gallicani in Comitiis an. 1700. Cenſura.

Propositio.

Hinc inferre debemus, eum conſenſum qui præbetur ſuggeſtionibus pravis, cum tendit ad delectationem cogitandi tantum de re illicita, puta de ulciſcenda injuria, ſecundum S. Auguſtinum non eſſe aliud, quam veniale peccatum: licet ipſe ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, ſit peſſimus, & certiſſimum mortale peccatum.

Censura.

Hæc Propoſitio quaslibet cogitationes, & delectationes, quas moroſas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, in praxi pernicioſa, concupiſcentiam fovet, in tentationem & in gravius peccatum inducit, contraria & injurioſa S. Auguſtino.

CASUS PRIMUS.

PETRONIUS, præteritas ſuas animo revolvens fornicationes, iis cum delectatione moroſa quandoque immoratur, abſque ulla tamen eas denuo committendi voluntate. Numquid mortalis eſt hujuſmodi delectatio?

Respons.

Delectatio, quam moroſam appellant Theologi, *non ex mora temporis, ſed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit*, ut loquitur S. Thomas (b), ad peccatum mortale pertingit; cum ipſius objectum, ut in ſpecie propoſita letale eſt. Ratio eſt, quia ſufficientem includit peccato conſenſum, ubi voluntas ſtatim non reſpuit, quod repellere tenetur. *Tenens & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt*, ut loquitur S. Auguſtinus (c) laudatus ab Angelico Doctore, qui ex hoc principio infert (d) hujuſmodi delectationem eſſe mortalem. *Nullus damnatur*, inquit, *niſi pro peccato mortali; ſed homo condemnabitur pro conſenſu in delectationem. Unde Auguſtinus 12. de Trinit.* Totus homo damnabitur, niſi hæc (quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccatum) per Mediatoris gratiam remittantur. *Ergo conſenſus in delectatione eſt peccatum mortale.* Probatam hanc veritatem iſto argumento, cujus prima propoſitio per ſe certa & evidens eſt, & minor S. Auguſtini auctoritate nixa, confirmat etiam hoc ratiocinio : (e) *Illa delectatio, quæ ſequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ in idem genus coincidit cum delectatione exterioris actus... Unde conſtat, quod talis delectatio ſecundum genus ſuum inordinata eſt eadem inordinatione, qua eſt inordinata delectatio exterior: dato igitur, quod delectatio exterior ſit delectatio peccati mortalis; & tunc etiam interior delectatio, in ſe & abſolute conſiderata, de genere peccati mortalis erit.*

(b) S. Th. 1. 2. q. 74. art. 6. ad 3.

(c) l. Aug. lib. 12. de Trin. c. 12.

(d) S. Th. q. 15. de ratione. ſup. & inf. art. 4. in arg. Sed contra.

(e) Idem ibid. in corp. art. 4. cit.

Sed ne quid de ea difficultate dubium remaneat; obſervandum, non ſemper reperiri mortale peccatum in moroſa cogitatione contra caſtitatem, etſi res ipſa quæ tum menti obverſatur, ſit letale peccatum: delectatio nimirum duplici modo fieri poteſt; primo modo, cum quis ſola cogitatione delectatur, quod ſit v. g. nova, aut ingenioſa, nullam tamen de re cogitata delectationem percipiens; quo in caſu non eſt mortale peccatum: innatum eſt enim hominibus, abſque reatu delicti, de hujuſmodi rebus delectari; ſic me oblectant furis graphici aſtutiæ ad pecuniam ſurripiendam, injuſta ducis ſtratagemata ad occidendos hoſtes, ab aliquo acute & ſollerter adhibita media ad perficiendum pravum ſuum conſilium: nec tamen in hoc delictum mortale admitto, quod me delectet horum omnium cogitatio; dum res ipſæ malæ diſplicent, eaſque ſincere deteſtor: & etiam fieri poteſt, ut ne venialiter quidem delinquam; ſi neceſſe ſit, aut utile, me iis rebus immorari, ut ea norim quæ ſcire teneor, alioſve edoceam; ut evenire ſolet Confeſſariis, Medicis, & aliis quibuſdam, qui legere, diſcere, docere, eave factitare tenentur, quæ moroſas illas delectationes producunt. *Aliquis de fornicatione cogitans*, inquit S. Thomas (f), *de duobus poteſt delectari. Uno modo de ipſa cogitatione: alio modo de ipſa fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ipſa ſequitur inclinationem affectus in cogitationem ipſam. Cogitatio autem ipſa ſecundum ſe non eſt peccatum mortale; immo quandoque eſt veniale tantum; puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem ſine peccato omnino: puta, cum aliquis utiliter de ea cogitat, ſicut cum vult de ea prædicare, vel diſputare, & ideo per conſequens affectio & delectatio, quæ ſic eſt de cogitatione fornicationis, non eſt de genere peccati mortalis; ſed quandoque eſt peccatum veniale, quandoque nullum. Unde nec conſenſus in talem delectationem eſt peccatum mortale.*

(f) Idem 1. 2. q. 74. art. 8. in corp.

Secundo modo fieri poteſt hujuſmodi delectatio, cum de re cogitata aliquis oblectatur, eaque præcipue afficitur: quo in caſu, ſi res ex ſe ipſa ſit letalis, delectatio quoque mortalis eſt. *Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipſo actu cogitato*, ſic etiam loquitur ſanctus Thomas; *hoc contingit ex hoc, quod affectio ejus inclinata eſt in hunc actum. Unde, quod aliquis conſentiat in talem delectationem, hoc nihil eſt aliud, quam quod ipſe conſentiat in hoc, quod affectus ſuus ſit inclinatus in fornicationem. Nullus enim delectatur, niſi in eo, quod eſt conforme appetitui ejus: quod autem ex deliberatione eligat, quod affectus ſuus conformetur his quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale. Unde talis conſenſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale.* Quibus ſancti Doctoris dictis addi poteſt, quod, cum moroſa delectatio in eamdem incidat ſpeciem, ac res ipſa de qua quis delectatur; in confeſſione aperienda eſt hujuſce delectationis circumſtantia; quandoquidem certum ſit, majus ac gravius inveniri peccatum in delectatione, v. gr. inceſtus aut adulterii, quam ſimplicis fornicationis.

Palam eſt ex hac Angelici Doctoris ſententia, quod ſi Petronius, de quo in caſo propoſito, præteritas ſuas animo revolvens fornicationes, ipſis actionibus de quibus cogitat, etiam cum affectu, oblectetur; tum mortalis eſt profecto ipſius delectatio: ſed a mortali debet excuſari, ſi ejuſmodi delectatio ad quaſdam tantum pertineat circumſtantias, fornicationibus quas ex animo deteſtatur, adjunctas. In hoc tamen ultimo caſu valde periculoſum eſt illis immorari circumſtantiis.

CA-

Digitized by Google

C A S U S II.

Rᴀᴠʙᴇʀᴛᴜs, qui expreſſe delectationi e memoria præteriti ſui peccati ortæ non conſentit, nec etiam poſitive reſiſtit, cenſetur ne hujuſmodi delectationi, ſaltem interpretative, conſentire?

Rᴇsᴘᴏɴs.

Quæſtioni huic reſpondet Angelicus Doctor, dicens, hominem hunc non cenſeri conſentire hujuſmodi delectationi, niſi cum eam perpendit, imminenſque ab ea periculum conſenſus & lapſus, niſi poſitive reſiſtat; tum enim adverſari huic tenetur; quod ſi negligat, huic conſentire cenſendas, atque ſtatim idcirco fit reus peccati (*a*). *Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipſius*, inquit hic S. Doctor, *non habet interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat; ſed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequente, utpote cum percipit homo ſe totaliter per hujuſmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, niſi expreſſe reſiſtat, videtur conſentire*. Si igitur percipiat Rarbertus, ſe ex hac delectatione vehementer ad peccatum ſolicitari, & de lapſu periclitari, niſi reſiſtat; procul dubio peccat mortaliter aut venialiter, pro varietate objecti quo delectatur.

(*a*) S. Th. q. 15. de ratione ſup. & inf. art. 4. ad 3.

D E L E G A T I O.

DELEGATIO, proprie loquendo, eſt miſſio plurium virorum ad principem, aut ad ſuperiorem dominum, aut ad aliquem cœtum, ad agendum de re aliqua.

Delegatus, vel etiam Legatus ſimpliciter, ut in hoc titulo intelligitur, ille dicitur, cui ab uno vel multis, a quo vel a quibus mittitur, fit ſcripto poteſtas, aut rem aliquam pertractandi, aut ſuffragii dandi, in delectu quorumdam ad aliquam dignitatem, aut ad aliquem ordinem vel munus.

Provinciæ integræ, Communitates, vel Laici, vel Eccleſiaſtici, ſæculares, aut regulares, & etiam privati quidam ſuos poſſunt habere Legatos.

Quandoquidem abſunt, qui ſuos mittunt Delegatos; neceſſe eſt, ut Delegatus ſuam iis ad quos mittitur, ſignificet poteſtatem, ut ejus norint limites, neque is prætergrediatur. Pontificius quidem Legatus in Gallia ab hac regula non excipitur (*b*). Unde poteſtatem ſuam ibi exercere non poteſt hujuſmodi Legatus, niſi poſtquam illam viderit, perpenderitque aliquod Parlamentum.

Urbium, & Communitatum incolæ delegare non poſſunt, niſi, cum de earum delegatione inſtructi Conſules oppidani, earum cauſſas ac neceſſitatem provinciarum præfectis ſignificarunt, ab eiſque veniam obtinuerunt: cum id iis ſit prohibitum ex Arreſto ſanctioris Conſilii 12. Aprilis an. 1678. (*c*).

Delegati ad Comitia generalia Cleri Gallicani, ſacris debent eſſe Ordinibus initiati, & in ea cujus delegatione funguntur, Diœceſi Beneficium obtinere. Privilegiis per tempus delegationis ſuæ conceſſis potiuntur; ut videre eſt in actis ejuſdem Cleri (*d*).

Cum Delegatus Procuratoris tantum vices impleat, a delegantibus revocari poteſt *ad nutum*: quo in caſu extinguitur commiſſa ſibi auctoritas, cum ejuſmodi revocatio ſignificata eſt, modo res ſit adhuc integra, hoc eſt, mandatum ſuum non perfecerit, aut ante revocationem ſuam agere non inceperit: alioqui vim obtinerent ejus facta, ac valida eſſent (*e*).

Pariter: qui delegationem accepit, eam pro arbitrio repudiare poteſt; modo id ipſum, ſi poſſit, mandanti ſignificet, neque ex abjecto mandato nullum ſua culpa ei damnum inſerat, cujus mandata exſequitur: *Sicut autem liberum eſt mandatum non ſuſcipere*, inquit Lex Digeſtorum; *ita ſuſceptum conſummari oportet, niſi renuntiatum ſit. Renuntiari autem ita poteſt, ut integrum jus mandatori reſervetur, vel per ſe, vel per aliam eamdem rem commode explicandi* (*f*).

Si mandans obierit, & ejus mortem ignoret Delegatus aut Procurator; ratum illud & validum haberi debet, quod bona fide a mandantis obitu fecerit. *Utilitatis cauſſa receptum eſt*, inquit alia Lex (*g*), *Si, eo mortuo qui tibi mandaverat, tu ignorans, eum deceſſiſſe, exſecutus fueris mandatum; poſſe te agere mandati actione: alioqui juſta, & probabilis ignorantia tibi damnum afferret*.

(*b*) Panorm. in c. *Sicut nobis*. 59. de ſent. excom. mun.

(*c*) D. Brillon. dict. Arreſts. v. *Communitates*. n. 19.

(*d*) Acta Cleri tom. 4. part. 5. tit. 4. c. 1.

(*e*) Leg. *Si vero*. 12. §. 16. ff. *mandati*. & Leg. *Si mandaſſem* 15. eod. tit. lib. 17. c. 1.

(*f*) Leg. *Si mandavero*. 22. §. fin. eod. tit.

(*g*) §. 10. Inſtit. de mandato Lib. tit. 27. & l. *Inter* 26. & Leg. *Si præcedente* 58. ff. *mandati*. Item Leg. 20. eod. tit. ff. de procurat. Leg. 18. §. fin. & legibus ſeq. eod. tit.

C A S U S P R I M U S.

IN ſæculari Galliæ Congregatione ea viget conſuetudo, ut, cum peculiaris cujuſdam domus Deputatus eligendus eſt; non a præſentibus ſolum, ſed & abſentibus fit electio: qui abſentes ſuffragio ſuo in ſchedulis ſigillo munitis eum proſequuntur, quem ad Conventum generalem, magis idoneum exiſtimant. Poſtulat Didymus, qui eo modo electus eſt, utrum electio ſua ſit canonica, & valida; ita ut ex ea jure tamquam Delegatus Conventui poſſit adeſſe?

Rᴇsᴘᴏɴs.

Canonica quidem non eſt, ſed tamen valida Didymi electio. Canonicam eam non dicimus, quia, aut per ſe, aut per alium, ſeu procuratorem adeſſe

bent delegantes, uti clare conſtat ex Decretali Innocentii III. in Concilio œcumenico Lateranenſi an. 1215. lata (*a*), in qua declarat Papa electionem aliter factam inter Canonicas non eſſe cenſendam, *Aliter electio facta non valeat*. Unde ſequitur, quod ut Canonica ſit Delegatio, non ſatis eſt, eam fieri ſchedulis ſigillatis, quæ cum præſentium electorum ſchedulis permiſceantur; ſed inſuper neceſſe eſſe, ut omnes delegantes vel per ſe ipſos, vel, ſi abſint, per procuratores ſuos ſint præſentes. *Præſentibus omnibus, qui debent & volunt & poſſunt commode intereſſe*, inquit hic Papa.

(*a*) Innoc. III. in cap. *Quia propter* 42. de elect. & electi poteſt.

Sed cum in hac Decretali agatur tantum de Epiſcoporum electione, quæ fit in Cathedralibus Eccleſiis, neque quidquam determinarint Sacri Canones de delegatione unius Delegati a ſæculari Congregatione, qui mittitur ad generalem cœtum ejuſdem Congregationis; hæc, de qua in caſu propoſito agitar, tamquam ſufficiens & valida cenſenda eſt: Ratio eſt, quia ut legitima ſit Delegatio, ſufficit, ut ii quibus competit jus delegandi, ferant ſua ſuffragia; & is qui majori ſuffragiorum numero ornabitur, ſit vere Deputatus: atqui ſuffragia ferri poſſunt non ſolum viva voce, aut per ſchedulam quæ ſigillata mittitur, ſed etiam per Procuratorem, modo de re tum agatur, circa quam nihil contrarium conſtituerint Canones, aut ſtatuta ejuſdem Congregationis; cum hujuſmodi Delegatio ex ſe non ſit vitioſa; licet evenire poſſit, ut fraudi cuidam ſit obnoxia; neque etiam Concilio Tridentino aut legi ſeu Conſtitutioni Eccleſiaſticæ contraria (*b*).

(*b*) de Sainte Beuve t. 2. caſ. 54.

CASUS II.

THEOPHILUS, Religioſus & ſuperior, a Capitulo Monaſterii ſui ad generale totius Ordinis Capitulum Delegatus, ab eo, tamquam incapax juris ſuffragii in electionibus faciendis excluſus eſt; quod, cum cœtui adeſſet, Delegationis ſuæ inſtrumentum oſtendere noluit, utpote qui ab omnibus cognitus, quemquam decipere non poterat: qaare in forma eorum omnium quæ ſe abſente fierent, nullitatem denuntiavit. Numquid ſuum debet effectum ſortiri talis denuntiatio?

RESPONS.

Idem eſto judicium de legato atque delegato: delegatus autem fruſtra ſe talem diceret, niſi mandati ſui ſcriptum exhiberet: *Non creditur judici delegato*, inquit Guido Papa (*c*), *niſi de ejus conſtet commiſſione*: quod ex multis auctoritatibus probat doctus ille Juriſconſultus, jure Canonico & Romano depromtis, & præcipue ex Decretali Innocenrii III. (*d*) ad Epiſcopum Bajocenſem, cujus ſumma eſt hujuſmodi: *Non creditur quis delegatus, niſi delegationem probet*. Unde talis delegatus nullam habet poteſtatem: *Judex delegatus*, inquit etiam idem Auctor (*e*), *ante præſentationem ſuæ commiſſioaie nullam habet juriſdictionem*. Quod confirmat ex ſuffragio Innocentii IV. (*f*) & Hoſtienſis in Commentariis in Decretalem Lucii III., Baldi, & aliorum qui idem ſentiunt. Idem itaque de eo ferri debet judicium, qui ad cœtum generalem mittitur: ipſius namque delegatio nullius eſt momenti, donec eam exhibuerit iis, quibus certa eſſe debet ejus validitas. Unde ſequitur nullitatis denuntiationem a Theophilo factam non ſolum eſſe injuſtam, ſed etiam omninn invalidam, & ex ea proinde impediri non poſſe, ne ceteri deputati canonice procedant in iis, quæ ſpectant ad commuoe Ordinis ſui bonum.

(*c*) Guido Papa decis. 392.

(*d*) Innoc. III. in cap. *Cum in jure peritus*. 31. de offic. & poteſt. Judicis delegati. lib. 1. tit. 29.

(*e*) Idem Guid. decis. 286.

(*f*) Innoc. IV. & Hoſtienſis. in c. *Ex conqueſtione*. 10. de reſtit. Spoliatorum. l. 2. tit. 13.

Re ipſa Delegatus delegantium eſt Procurator, cum ab iis demandatur ipſi negotiatio eorum omnium, quæ agitari debent in cœtu ad quem mittitur, ſeu agatur de electione, depoſitione, punitione, aut de aliquo alio diſciplinæ articulo. Certum eſt autem eum, tamquam procuratorem ſolum admittendum eſſe. 1. quia a mandantibus legitimam habet poteſtatem. *Non auditur quis tamquam alteriae procurator, niſi habeat mandatum legitime factam* (*g*), ut fert Decretalis depromta ex Epiſtola ſancti Gregorii Magni ad Maximum, Epiſcopum Salonenſem. 2. Procurationem non eſſe legitimam, niſi tria contineat. Tria debet continere mandatum: Scilicet nomen ejus, qui procuratorem eum conſtituit, & cauſſam ad quam conſtituitur; & quod ratum habebit, quod cum eo factum fuerit. Hæc ſunt verba Gloſſæ (*h*) quæ in hoc cum lege ad marginem indicata (*i*) conſentit.

(*g*) Arg. cap. *Alia*. 1. De judiciis. l. 1. tit. 32.

(*h*) Gloſſ. in dict. c. *Alia*. v. *Mandato*.

(*i*) Leg. *Si Procuratorem*. 65. ff. de procuratoribus & defenſoribus. l. 3. tit. 3.

Neceſſe eſt igitur, ut conventus generalis videat & perpendat tenorem & terminos in Procuratione expreſſos ad dijudicandum, num valida & ſufficiens ſit. Unde ſequitur, perperam a Theophilo occultari inſtrumentum, quo fertur ejus ad Capitulum delegatio, ac proinde illam denegationem eſſe injuſtam, nullitatiſqne denuntiationem prorſus inutilem.

CASUS III.

EVENTIUS Archidiaconus & Canonicus Eccleſiæ Turonenſis ſecundi ordinis Legatus ad Comitia generalia Cleri Gallicani, Pariſiis habita, cum ibi per ſex menſes continuos manſiſſet, inter abſentes a choro ſuit annumeratus; eique Capitulum quotidianas diſtributiones, his qui canonicis horis adſunt, dari ſolitas denegavit. Numquid juſta eſt illa denegatio, & canonicis conſtitutionibus conformis?

CASUS V.

Non legitima eſt Capituli Turonenſis denegatio, qua Eventium choro præſentem habere recuſat: cum ejus abſentia legitima nitatur neceſſitate, qua Comitiis generalibus Cleri adeſſe debuit, ubi de negotiis rebuſque Eccleſiæ Gallicanæ communibus agitur. Atqui ex Bonifacio VIII. (*K*) non minus æqua eſt Canonici ob eam rem choro abſentia quam ob morbum, ut fuſius oſtendetur alibi. Ut ergo tempore morbi præſens choro habetur, ſolitaſque habet diſtributiones: pariter præſens haberi debet, & omnes ſuas habere diſtributiones in caſu hujuſmodi delegationis. Ita etiam conſtitutum eſt ab Epiſcopis Galliæ in Comitiis an. 1605. & 1606. ut conſtat ex Actis eorumdem Comitiorum 28. Feb. an. 1606. quorum hic eſt tenor: *Cum nobis declaratum fuerit*, inquiunt *Prælati hujuſce cœtus*, (*l*) *æquum eſſe, quod D. Deputati Provinciarum ad Comitia Cleri, in ſuis Eccleſiis præſentes haberentur per eorum celebrationem, uti D. Agentes, dum munus illud obtinent: concluſum eſt, eos habendos eſſe præſentes & fruituros, dum ad dicta Comitia aberunt, fructibus omnibus, proventibus, reditibus, & emolumentis ſuorum Beneficiorum tam groſſorum fructuum, quam omnium diſtributionum manualium, cujaſcumque ſint qualitatis & conditionis; uti fruerentur, ſi per ſe adeſſent præſentes; uti conſtitutum eſt in præcedentibus Comitiis*. Legitur exſcriptum illud in 4. Tomo Actorum Cleri, in quo referuntur hujuſmodi deliberationes Curiæ Eccleſiaſticæ pro Delegatis ejuſdem Curiæ an. 1614. & 1615. quæ deliberationes complectuntur tempus itineris & reditus ſui in locum domicilii ſui. 2. Deliberatio an. 1625. (*m*): 3. an. 1635. (*n*): 4. an. 1645. (*o*): 5. denique (1) an. 1660. (*p*) quæ deliberationes ex duobus Arreſtis ſanctioris Conſilii Regii confirmatæ ſunt, uti referunt Acta Cleri, quorum primum eſt 23. Feb. an. 1636. his verbis præſcriptum: *Rex in ſanctiori ſuo Conſilio ..... juſſit & jubet ..... ut legati Comitiorum Cleri, per eorum celebrationem ....., in ſuis Eccleſiis præſentes habeantur, per tempus .... ſuæ delegationis, ac Canonicatuum ſuorum fructus & reditus, tam omnium groſſorum fructuum, quam omnium diſtributionum manualium & quotidianarum, cujuſcumque qualitatis conditioniſve ſint, percipiant, quaſi per ſe actu preſentes eſſent, conformiter ad ſupradictum ſtatutum ejuſdem Cleri*.

(*K*) Bonif. VIII. in cap. *Conſuetudinem*. unic. de Cleric. non reſideat. in 6.

(*l*) Acta Cleri. tom. 4. part. 5. cap. 2. pag. 202.

(*m*) Exſcriptum acto 7. Junii 1625. p. 71.

(*n*) Acta 6. Sept. 1635. pag. 326. & ſequent.

(*o*) Acta 26. Junii an. 1645.

(*p*) Acta 29. Maii 1651. pag. 874.

Alterum, quo prius confirmatur, Arreſtum eſt latum 13. Octob. 1645.

DE-

(1) V. d. *Mendes Pontas*, Obſerv. III. num. XVII.

Digitized by Google

DENUNTIATIO.

IN jure triplici modo contra reos inſtruitur proceſſus, ſcilicet: 1. *Per accuſationem*: 2. *denuntiationem*; *&* 3. *inquiſitionem*, ut loquitur Innocentius III. (*a*).

Denuntiatio dicitur: *delatio rei de crimine per actorem non ſuſcipientem in ſe onus probandi* (*b*). Ex qua definitione patet diſcrimen, quod reperitur inter accuſationem & denuntiationem. Accuſator namque tenetur ſub talionis pœna, adſcriptum reo ſeu accuſato crimen probare, cum ad id non obliget denuntiatio, ex qua tamen denuntians, regulariter loquendo, præſcriptam a Chriſto in Evangelio ſervare debet regulam: quæ in eo poſita eſt, ut reum præmoneat, ut eum ad emendationem ſui peccati impellat, & ejus pravos effectus reſarciat. *Sicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio*, inquit idem Papa (*c*), *ſic & denuntiationem caritativa monitio*.

(*a*) Innoc. III. in can. Qualiter. 24. de accuſationibus. l. 5. tit. 1.

(*b*) Polman. Breviar. Theolog. part. 2. 2. n. 875.

(*c*) Innoc. III. loco cit.

Dicimus: *regulariter loquendo*; quia, ut infra exponetur, quidam ſunt graves caſus, qui promtum exigunt remedium, & in quibus poteſt & debet omitti correctio fraterna, ut patebit in ſequentibus deciſionibus, Sancti Thomæ doctrina ſuffultis.

Delator quilibet tenetur de impenſis & damnis ac intereſſe erga reum, qui crimen diluit: unde Regius Procurator aut Fiſcalis, intra tres dies in hoc caſu delatoris nomen manifeſtare tenetur, requirente accuſato, qui abſolutoriam retulit ſententiam, ut ait Carondas in tit. 34. Summæ Ruralis de Boutiller, & uti fert Edictum Aurelianenſe (*d*). Ob eam quoque rationem ex Arreſto Senatus Pariſienſis 5. Maii an. 1604. quod refert le Pretre, & ex alio urbanæ juriſdictionis 12. Maii an. 1607. hujuſmodi Officialis, qui, in caſu delationis, ſolus eſt actor publicus, in cujus nomine lis in reum inſtruitur, cavere debet, ut delator ſubſcribat in ſuis commentariis; quo facto jam a ſua nequit retrogradi delatione, uti dijudicavit Parlamentum Divionenſe ex arreſto 9 Julii an. 1577. (*e*) quod refert Bouvot. Nam, ſi abſque præmiſſione delationis ſubſcriptæ procederer hic officialis, proprio privatoque nomine de damnis & intereſſe teneretur erga reum, qui nude & ſimpliciter inſons remitteretur (*f*).

(*d*) Edict. Aur. art. 75.

(*e*) Bouvot qq. notab par. 3. littera D. verbo *Deſiſtere*. q. 1.

(*f*) Diarium forl. l. 1. c. 58. Arreſt. Senatus Paris. mans. Feb. an. 1595. Aliud Arreſt. 28. April 1626. Du Fraſne l. 1. c. 100. & duo alia 4. Maii an. 1560. & 17. nov. 1563. Bochelius v. *Delator*.

CASUS PRIMUS.

POSTHUMIUS pro certo novit Manlium graviſſimi delicti, ſed tamen occulti eſſe conſcium. Poteſt ne eum ad Superiorem ſtatim deferre, abſque præmiſſa occulta correctione?

RESPONS:

Difficultati huic cum diſtinctione reſpondet ſanctus Thomas (*g*): *Quædam enim peccata ſunt*, inquit Doctor Angelicus, *quæ ſunt nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale: puta ſi aliquis tractet, quomodo civitas tradatur hoſtibus; vel ſi hæreticus privatim homines a fide avertat: & quia ille qui ſic occulte peccat, non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur, niſi forte aliquis firmiter æſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire*. Si igitur tale ſit Manlii delictum, illud ſtatim ad Superiorem poteſt deferre Poſthumius, ſi monitionem ſuam fore inutilem exiſtimet, ad impediendum malum quod peccato ſuo procreat homo ille.

(*g*) S. Th. 2. 2. q. 33. art. 17. in cor. & ad 3.

Eodem modo ſentit S. Baſilius (*h*): docet enim abſque peccato detegi poſſe alicujus vitia, illis qui inde quoddam pati poſſent malum, niſi eſſent præmoniti. *Item*, inquit hic Pater, *quando neceſſitas poſcit, ut periculo conſulatur aliquorum, qui ſæpenumero ex ignorantia commiſceri poſſent eum malo, tamquam cum bono*. Quod probat hic Sanctus exemplo hominis, qui malam profiteri doctrinam cognoſcitur, quique alios ea inficere conatur: quo in caſu aſſerit, eos eſſe commonendos, qui cum eo colloquuntur, nec eum, qualis ſit, noverunt, ne ipſos ſeducat. *Cum Apoſtoli præceptum ſit, ne quis ſe cum his commiſceat, qui iſtiuſmodi ſunt, ne quando capiat quis laqueos animæ ſuæ*: dictaque ſua idem Pater ipſiuſmet Apoſtoli exemplo confirmat his verbis (*i*): *Quod quidem vidimus eumdem Apoſtolum feciſſe ex his, quæ ipſe ad Timotheum ſcribit his verbis*: Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, quem & tu devita: valde enim reſtitit verbis noſtris.

(*h*) S. Baſil. in Reg. brev. reſpons. ad interrog. 23.

(*i*) Timoth. 4. 14.

Sunt & alia peccata, quæ vel peccanti tantum, vel ei in quem peccatur, ſunt noxia: *Quædam vero peccata ſunt*, inquit etiam S. Thomas (*k*), *quæ ſolum ſunt in malum peccantis, aut ejus in quem peccatur; & tunc*, pergit Angelicus Doctor, *ad hoc ſolum tendendum eſt, ut fratri peccanti ſubveniatur, & ſicut medicus corporalis ſanitatem ægroto confert, ſi poteſt, ſine alicujus membri abſciſſione; ſi autem non poteſt, abſcindit membrum minus neceſſarium, ut vita totius conſervetur; ita etiam ille qui ſtudet emendationi fratris, debet, ſi poteſt, ſic emendare fratrem quantum ad conſcientiam, ut fama ejus conſervetur.... ſed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit Dominus ut ſaltem cum diſpendio famæ fratris conſcientia per publicam denuntiationem a peccato liberetur. Unde patet, quod poteſt eſſe de neceſſitate præcepti, quod ſecreta admonitio publicam admonitionem præcedat*.

(*k*) S. Th. loco cit.

Ex his colligendum, quod, ſi Manlio ſoli ſit noxium ſuum peccatum, Poſthumiumve ſolum offendat; is tenetur prius ad correctionem fraternam & occultam, & quod eum denuntiare nequit, niſi poſt adhibitas in Evangelio præſcriptas regulas; tumque ſolum ei inutilis facta fuerit correctio fraterna: ſed ſi Manlii peccatum in proximi ruinam ſpiritalem aut corporeum vergat, & Poſthumio ſit perſuaſum inutilem fore correctionem occultam, tam eum Superiori poteſt & debet denuntiare.

CA-

CASUS II.

Si Manlii peccatum, tali modo ſit occultum, ut pluribus tamen innoteſcat, aut brevi debeat certo eſſe cognitum; Poſthumius, cui notum eſt, poteſt ne abſque prævia monitione illud Superiori denuntiare, qui huic malo poteſt obſiſtere?

Responsio.

(a) S. Th. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 2. Sanctus Thomas (a) aſſerit, in hoc caſu abſque prævia correctione talem hominem poſſe deferri ad Superiorem, ut is ſcandalum ex ejus peccato futurum aſſeveret, aut ſaltem publicæ pœnæ injunctione reſarciat. *In peccatis denuntiandis,* inquit, *conſiderandum eſt, utrum peccatum ſit omnino occultum, aut ad notitiam aliorum devenerit, aut in promtu ſit, ut deveniat. Si autem peccatum jam ad notitiam aliorum devenerit, tunc debet denuntiari ei qui habet poteſtatem corrigendi: ut qui ſunt ſcandalizati de culpa, ædificentur de pœna: ſi autem nondum in publicum devenit, ſed eſt in via deveniendi, tunc etiam denuntiandum eſt, ut ſcandalo futuro occurratur.*

CASUS III.

Dioscorus, qui cognovit Parochum ſuum ſemel in popina vino fuiſſe captum fortuito, ipſum Epiſcopo denuntiavit, ut illius famæ noceret. Nonne mortaliter in eo peccavit, licet verum tantummodo retulerit?

Responsio.

Non eſt, quod quis dubitet, Dioſcorum ex prava ſua intentione mortaliter peccaſſe. Ita ſentit Angelicus Doctor (b): *Quod ſi aliquis,* inquit, (b) S. Th. quodl. lib. 11. art. 13. ad 3. *referat Prælato culpam proximi, intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid hujuſmodi, quod ad emendam proximi videret expedire, non peccat. Si autem hoc, ſive Prælato, ſive alicui amico ſuo, malitia referat, tunc peccat mortaliter.* Ratio evidens eſt: finis namque delationis, quæ loco occultæ correctionis adhibetur, debet eſſe caritas; hoc eſt, vel emendatio rei, vel impedimentum mali publici; non vero odium, aut vindicta delatoris.

CASUS IV.

Si conſcius peccati, quod penitus occultum eſt, ſed quod proximo damnum ſpirituale aut corporeum infert, illud tantum admiſerit vi ſubitæ paſſionis, aut ex infirmitate brevi tranſitura, ut v. g. ſi furtum commiſerit, cujus ſtatim pœnituiſſe dignoſcitur: Poteſt ne abſque peccato ad Superiorem deferri, ut meritam luat pœnam?

Responsio.

Cum delationis æquitatem ſola faciat proximi caritas; prudenter inſpiciendum, ſi qua emendationis ſpes affulgeat in peccatore ſine denuntiatione: quod quidem ut accuratius dijudicetur: *ſi ſit omnino occultum* (peccatum), inquit S. Thomas (c), (c) S. Th. in 4. diſt. 19. qu. 2. art. 3. quæſt. 1. ad 2. *tunc conſiderandum eſt, utrum emendatio peccantis expectari probabiliter poſſit, aut non: quod quidem facile adverti poterit, ſi conſideretur, utrum aliquis ex electione vel paſſione peccavit, ſive ex malitia vel infirmitate, quod idem eſt: quod quidem perpendi poteſt ex conditione peccantis, & ex iteratione actus.* Si ex infirmitate tantum peccaverit, aut impotentis cupiditatis impetu correptus, cujus pœnitentiam ſtatim ſignificavit, non debet denuntiari, donec perſpiciatur, utrum mores ſit emendaturus; ſed tantum ex charitate admoneri, niſi forte in præſenti, quam non vult abjicere, peccati occaſione verſari cognoſcatur: ſed contra, ſi ex relapſu frequenti judicetur ipſum ex malitia deliberata peccare, nec ſuos deinceps eſſe mores emendaturum, uti jure tum credi poteſt; denuntiandus eſt. Si tamen ex ipſius peccato temporale tantum proximo damnum inferretur, & fama ipſius majoris ſit ei momenti relate ad publicum bonum, quam ſit illud damnum in ordine ad hominem privatum; tum conformiter ad regulas juſtitiæ, ei fama eſſet ſervanda, ipſum tamen caritate plenis monitionibus ad officium ſuum revocando. Sed cum ea de re clara ſint Doctoris Angelici verba, juvat heic reliquum jam laudati teſtimonii contextum ſcribere, qui ſic habet: *Quia ſi aliquis frequenter, & quaſi improhibite ſine freno in aliquod peccatum lapſus eſt, ſignum eſt, quod ex malitia, vel electione peccat, & non de facili emendetur. Si autem occaſione peccandi oblata in peccatum ruit, & poſtea triſtitiam & verecundiam de peccato oſtenderit; ſignum eſt, quod ſit peccatum ex paſſione, vel ex infirmitate, & quod de facili emendetur. Si ergo emendatio ſperetur, debet admonitio præcedere, & denuntiatio differri, quouſque videatur, quomodo emendatur peccator, niſi forte immineret occaſio ſimilis in peccatum ruendi, quam declinare tamen non vellet admonitus: tunc enim deberet Prælato denuntiari, ne in præcipitium iret. Si autem non ſperetur emendatio, tunc conſiderandum eſt, an illud peccatum ſit infectivum aliorum, ſicut eſt hæreſis, vel fornicatio, vel aliquid hujuſmodi, aut etiam cedat in aliquod damnum alterius, ſicut furtum, vel homicidium, & hujuſmodi. Si enim non cedat in damnum alterius, nec ſit infectivum peccatum; tunc poteſt denuntiatio differri, quouſque videatur admonitionis effectus, præcipue, ſi emendationem promittit: Si autem eſt infectivum aliorum; debet denuntiari Prælato ut gregi ſuo caveat. Sicut enim dicit Hieronymus:* quæ miſericordia eſt parcere uni, & multos in diſcrimen adducere? Polluitur populus ex uno peccato, ſicut ex una ove morbida univerſus grex: *Semper enim bonum multorum debet præferri bono unius, unde etiam fama unius negligi debet, ut innocentia vel fama multitudinis conſervetur. Si autem vergat in damnum corporale alterius, debet fieri comparatio illius damni ad damnum famæ iſtius; & illi damno quod præponderat, obviandum magis.*

Ex hac S. Thomæ argumentatione ſequitur, peccatorem de quo in caſu propoſito agitur, non eſſe denuntiandum, cum in crimen non inciderit *ex malitia vel electione*, ſed, *ex paſſione vel infirmitate*, & ſtatim eum peccati ſui vere pœnituerit; ſed ſolum caritative & occulte eſſe monendum; niſi voluntarium ejuſdem criminis admittendi ſubiret periculum, nec ab eo ſecedere vellet, aut ſi, ut ait idem Angelicus Doctor, (peccatum illius) *eſt infectivum aliorum, debet denuntiari Prælato, ut gregi ſuo caveat.*

CASUS V.

Justinianus, Sacerdos, Magdalenam in confeſſione bis terve ad impudicitiam, erroremve contra fidem, aut bonos mores inducere voluit. Nonne tenetur hæc mulier ipſum Superiori denuntiare; præſertim, ſi non abſque cauſſa præſumat, eum rem eamdem erga alias pertentaſſe?

Responsio.

Tenetur Magdalena ſub peccati conſcientia ad denuntiandum Superiori Juſtinianum, ut damnum ſpirituale ab eo deinceps proximo inferendum impediat. Ita conſtituit Gregorius XV. ex Bulla ſua trigeſima quarta 30. Auguſti an. 1622. lata (d), (d) Greg. XV. in Bulla Univerſi. §. 7. qua nimirum poſt confirmationem Bullæ Pii IV. (e) Pius IV. in Bulla Cum ſicut. (e) qui ſeveras ob hujuſmodi Confeſſarii exigi pœnas conſtituit, poſtea pœnitentibus ita ſolicitatis jubet, ut eos Epiſcopo denuntient; & eorum Confeſſariis, ut denuntiandi neceſſitatem eis manifeſtent. *Mandamus omnibus Confeſſariis,* inquit hic Papa, *ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra ſolicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſolicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis: quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confeſſarios ſolicitantes ..... iidem locorum Ordinarii & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

Verum quidem eſt, hæc verba adeo aperta ac decretoria non obſtitiſſe, quominus Caſuiſtæ quidam moderni rationes excogitarint ac propoſuerint ad ſenſum eorum pervertendum, conſtitutionemque adeo æquam infringendam: at doctrinam eorum pernicioſam anathemate percuſſit Alexander VII. ex Decreto ſuo, lato 24 Sept. an. 1665. quo quadraginta quinque eorum propoſitiones damnavit, quarum ſexta & ſeptima ad rem iſtam pertinent. Sexta eſt hujuſmodi: *Confeſſarius, qui in Sacra-*

men-

mentali confeſſione tribuit pœnitentis chartam, poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denuntiandus. Septima vero ſic enuntiatur: *Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſolicitationis eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante: hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.* Hæ ſunt fallaciæ, quas ingenioſi illi Auctores ad ineſcandos ſimplices excogitarunt, & quas, ut diximus, damnavit Alexander VIII. propoſitiones illas declarando ſcandaloſas, & prohibendo, ne quis ea defenderet, doceretve indicta excummunicationis pœna, *ipſo facto*, Apoſtolicæ Sedi reſervata.

Ex his facile colligitur, Magdalenam teneri ſub peccato ad denuntiandum Superiori Juſtinianum; quandoquidem de eo agitur peccato, quod excuſari nequit, quodque Juſtiniani malitiæ & corruptioni adſcribi debet, cum in illud multoties incideret erga mulierem, quam ad impuritatem provocavit; & peccatum illud directe tendit ad ſubvertendam fidem, bonoſque aliorum mores, qui hunc adeunt Confeſſarium. *Si autem* (peccatum illud) *eſt infectivum aliorum, debet denuntiari Prælato, ut gregi ſuo caveat.* Ita loquitur ſanctus Thomas (*a*) de iis etiam peccatis, quæ extra Tribunal pœnitentiæ committuntur; quod etiam probat ex his præclaris ſancti Hieronymi jam ſuperius allatis verbis: *Quæ miſericordia eſt, parcere uni, & multos in diſcrimen adducere? Polluitur populus ex uno peccatore, ſicut ex una ove morbida univerſus grex.* Et quidem ſi certum ſit & inconcuſſum, quod ab illis ſanctis Doctoribus affirmatur de obligatione denuntiandi in hoc caſu talem peccatorem; licet nec ſit Sacerdos, nec Confeſſarius; quo potiori jure idem dicendum eſt de Sacerdote, qui ad fidelium ductum in viam ſalutis præpoſitus, auſu impio & ſacrilego libidini ſuæ Pœnitentiæ Sacramentum mancipat, eorumque damnationem procurat, quorum ſalutem Chriſtus ipſi commiſit.

(*a*) S. Th. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 3. quæſt. 1. ad 2.

Vide CORRECTIO.

DENUNTIATIONES MATRIMONII.

DENUNTIATIONIS Matrimonii nomine, intelligitur heic publica declaratio intra Miſſarum ſolemnia dominicis feſtiſve diebus facta, qua propriis nominibus duorum qui nubere volunt, Matrimonium populo notificatur, ad detegendum, num aliquod ſubſit futuri Matrimonii impedimentum.

(1) Promulgatio illa tribus diverſis diebus fieri debet, aut una ſaltem vice, duarum proclamationum diſpenſationem ab Epiſcopo obtinendo; alioquin clandeſtinum cenſetur Matrimonium ex Edicto Bleſenſi, ex Declaratione an. 1639. confirmato (*b*). Quod quidem tale ex multis Arreſtis Parlamentorum judicatum eſt conformiter ad illud Edictum, ut videre eſt in Dictionario Arreſtorum D. Brillon (*c*): quamvis trium proclamationum diſpenſatio ob legitimam cauſſam conceſſa, ex multis aliis Arreſtis, & duobus præſertim, quæ refert Bardet (*d*), priore 13. Junii 1634. & poſteriore 7. Auguſti an. 1638. fuerit tolerata.

Hæc promulgatio fieri debet *intra Miſſarum ſolemnia*, non vero tempore alterius Officii, alioquin foret abuſus ex Fevreto (*e*).

Ex Regia Declaratione 16. Feb. ann. 1692. in Parlamenti tabulas relata 28. ejuſdem Menſis diſpenſationes Matrimonii & denuntiationes, earumve diſpenſationes ab Epiſcopo conceſſæ, declarandæ ſunt in publico celebrati Matrimonii inſtrumento, ut inſinuatio quæ de eo facta fuerit, ut patebit ex dicendis in quinta deciſione.

(*b*) Edict. Bleſ. art. 40. Peleus q. 105. (*c*) D. Brillon, Dict. Arreſt. v. Banna n. 19. & 24.
(*d*) Bardet, tom. 2. l. 3. c. 38.
(*e*) Fevret, tom. 2. l. 5. c. 2. n. 5.

Cum ſit ſcripta Matrimonii oppoſitio, ultra Parochus non debet pergere, & partes coram Officiali litem debent inſtruere, cum allegat opponens, unum ex contrahentibus Matrimonium alteri promiſiſſe; ſed ſi de alio facto agatur, ad Judicem tum ſæcularem pertinet illa cognitio (*f*).

Denique hactenus dicta ad univerſam non pertinent Eccleſiam, ſed ad Occidentalem tantum nam punctum illud diſciplinæ nec præſcribitur, nec obſervatur in Eccleſia Orientali, ut refert Auctor Libri, cui titulus; *Itinerarium Liturgicum Galliæ*, apud Delaulne, *via Jacobea Pariſiis typis excuſſum* (*g*).

(*f*) Fevretus Tract. de abuſu. l. 5. c. 2. n. 33.
(*g*) Pag. 472.

CASUS PRIMUS.

ATHENODORUS & JULIANA nupſere, non præmiſſis Matrimonii ſui tribus denuntiationibus, nec ſuper his obtenta diſpenſatione. 1. Peccarunt ne mortaliter ex hac omiſſione? 2. Potuit ne abſque mortali eos Matrimonio conjungere Parochus?

R E S P O N S.

A peccato mortali excuſari nequeunt Athenodorus & Juliana, qui abſque Matrimonii ſui denuntiatione nupſere, nec ipſe Parochus qui eorum Matrimonio adfuit: cum ita ſe gerere non potuerint, niſi infringendo præceptum duorum Conciliorum generalium, Lateranenſis nimirum ſub Innocentio III. & Tridentini; & quod in Gallia admiſere ſuis Edictis multi Reges, ut infra dicetur. Hinc fit, ut in pleriſque Epiſcoporum Hiſpaniæ Statutis feratur excommunicatio, *ipſo facto*, in eos, qui hoc modo nuptias audent inire, ut obſervat Navarrus (*h*): quod neceſſario ſupponit mortale peccatum, cum ob hujuſmodi tantum delictum incurri poſſit tam formidabilis cenſura: ut declarat Meldenſe Concilium, anno 845. habitum (*i*).

Deinde, cum in Gallia invalidum declaratur ex quarto Bleſenſis Edicti articulo Matrimonium ſine præmiſſis denuntiationibus contractum, atque hæc juriſprudentia articulo 12. Edicti an. 1606. & trigeſimo nono Ordinationis menſis Januarii anno 1629. & tandem ex Ordinationibus an. 1639. & 1697. fuerit confirmata: qui ſic nubere præſumunt, ſeque ſuamque prolem ſummis incommodis committunt; quod etiam abſque graviſſimo delicto facere nequeunt, uti nec Parochus qui ejus eſt cauſſa præcipua, eos ad Matrimonium contra Eccleſiæ regulas Regumque Leges admittendo.

(*h*) Navarr. Manual. c. 22. n. 23.
(*i*) Conc. Meldenſ. in Can. *Nemo*. 35. 21. q. 3.

Sunt

(1) Vid. *Menda Pontas*, Obſerv. III. num. XVIII.

Sunt quidem ex quibuſdam Auctoribus nonnulli caſus, in quibus talem omiſſionem a mortali eximunt; ſed cum ii ſint minus frequentes, & metaphyſici videantur, de iis loqui minime neceſſe eſt: & potius tamquam rem certam ſupponere debemus, quod in omnibus caſibus, in quibus ob graves rationes omittitur bannorum proclamatio, numquam Matrimonium celebrari debet, niſi poſt obtentam diſpenſationem ab Ordinario, hoc eſt, Epiſcopo, cujus ſolius eſt diſpenſare, aut ab ejus Vicario generali qui ſub nomine Ordinarii continetur, uti declarat Innocentius IV. (*a*).

Conſentit hæc deciſio cum ſententia S. Antonini (*b*): *Qui ergo clandeſtine contrahunt, mortaliter peccant*, inquit hic S. Archiepiſcopus, *& tale Matrimonium dicitur contra interdictum Eccleſiæ; quia contra prohibitionem ejus eſt,.... prohibetur enim, ne Matrimonia fiant clam & ſine bannis... & ſacerdos qui tales conjunctiones inhibere contemſerit, vel regularis qui intereſſet hujuſmodi, punitur*. Addit hic Sanctus, in quibuſdam re ipſa regionibus hanc obtinere antiquam conſuetudinem, ut non fiant Matrimonii denuntiationes; ſed in omnibus aliis ubi mos ille tenetur, abſque mortali peccato non poſſe omitti:.. *ſed ubi ſervantur* (banna), *eſſet mortale omittere*. Qua de re obſervandum, Sanctum hunc ante Concilium Tridentinum ſcribere; atque ita inutilem fieri obſervationem hujuſce Sancti de contraria quarumdam regionum conſuetudine poſt decretum hujuſce Concilii, cui nulla contraria conſuetudine derogari nequit, in iis regionibus ubi fuit admiſſum.

(*a*) Innoc. IV. in cap. *Romana*, 2. de appellation. in 6. l. 2. tit. 15.
(*b*) S. Anton. 3. part. Sum. tit. 1. c. 16.

CASUS II.

Guido & Antonia, producto falſo denuntiationum quas omiſere, teſtimonio, quo Parochum deceperunt, Matrimonium contraxere. An invalidum eſt & clandeſtinum eorum Matrimonium?

Respons.

Validum eſt horum Matrimonium, uti ante Concilium Tridentinum (*c*), quod, cum antiquo juri in hanc rem non derogarit, cenſetur, illud in priſtino ſuo vigore reliquiſſe: quia, ut ait Lex, (*d*) Jus antiquum obtinet, donec a novo fuerit reſciſſum. *A jure veteri non diſcedimus*, inquit Gloſſa, (*e*) *niſi in quantum reperitur expreſſum*. Contra vero Concilium illud, aliquatenus hac in re Lateranenſi Conſtitutioni ſub Innocentio III. (*f*) derogans, quibuſdam in caſibus permittit, poſt ratum, non tamen conſummatum Matrimonium, fieri denuntiationes, aut etiam eas penitus omittere; cum id ſatius judicaverit Epiſcopus, quamquam in Gallia ſit prohibitum (*g*), ne ullum celebretur, ſaltem ante primam denuntiationem Matrimonium. Unde ſequitur, quod, quamvis ter promulgari juſſerit Matrimonium ante ipſius celebrationem; ex defectu tamen denuntiationum non ſit invalidum: quia annullationis Decretum Conſtitutioni ſuæ non addit illa œcumenica Synodus. *Si contraheretur* (Matrimonium) *coram Parocho & teſtibus non præmiſſa trina denuntiatione*, inquit Navarrus (*h*).... *valeret quidem Matrimonium: ſed diceretur clandeſtinum quo ad alios effectus, quam annullationis Matrimonii: quia quo ad alios non videtur derogari juri antiquo, a quo non eſt recedendum, ultra quam recedit novum*.

Cum iſta deciſio communi Theologorum & Canoniſtarum (*i*) ſententiæ congruat, nec ullam patiatur difficultatem, non alias heic afferemus probationes. Sed addendum, illud falſitatem quamlibet, quo ad Matrimonium in Diœceſi Pariſienſi eſſe caſum reſervatum, ejuſque falſitatis conſcios *ipſo facto* excommunicari, ut fert Mandatum Eminentiſſimi Cardinalis de Noailles, Archiepiſcopi Pariſienſis 2. Januarii an. 1709. latum (*K*) quod ſic habet: *Falſum teſtimonium a contrahentibus Matrimonium, aut ab aliis mala fide ac dolo præſtitum ſcripto, aut viva voce, ut a miniſtris Eccleſiæ Matrimonium nullum, vel quavis ratione illicitum benedicatur & celebretur* (eſt reſervatum) *annexa eſt cenſura excommunicationis ipſo facto, eaque reſervata*.

(*c*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 1.
(*d*) Leg. *Præcipimus*. 32. Cod. de appellationibus. l. 7. tit. 62.
(*e*) Gloſſa in Clementina *Multorum*, de hæreticis v. *Contra eos*. l. 5. tit. 3.
(*f*) Conc. Lateran. c. 4. c. 51.
(*g*) Edict. Bleſenſe art. 40.
(*h*) Navar. Man. c. 22. n. 70.
(*i*) Caſotus Fevret. Tractat. de abuſu, l. 5. c. 2. Hugolinus de poteſt. Epiſc. c. 15. §. 21. Gerbalt Tr. de praxi impedimentorum matrimonii p. 429. De Sain. Beuve tom. 2. Caſ. 145. Colloquia Lucon. tom. 9. Colloq. 7. q. 2. Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 14. ſect. 2.
(*k*) Mandat. Eminen. Dom. Card. de Noailles Arch. Paris. de Caſ. hat reſervat. tit. *Caſus reſervati Dom. Archiepiſcopo*. art. 18. n. 5.

CASUS III.

Eparchius & Lydia, futuri ſui Matrimonii denuntiationes fieri curarunt, nullo contradicente: ſed in remotam Provinciam proficiſci ob mortem patris ſui coactus eſt Eparchius, unde redua eſſe non potuit, niſi poſt tres menſes ab ultima denuntiatione facta. Numquid Matrimonium eorum Parochus benedicere poteſt, abſque novis proclamationibus?

Respons.

Parochus Eparchii & Lydiæ Matrimonio eorum intereſſe nequit abſque nova bannorum promulgatione, cum id ei ex Rituali Romano ſit vetitum: *Si vero infra duos menſes*, inquit, *poſt factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur; denuntiationes repetantur, niſi aliter Epiſcopo videatur*. Ex hac exceptione notum fit, teneri Parochum in eo caſu ad iterandas, ut ante, tribus dominicis feſtiſve diebus proclamationes, aut ad obtinendam ab Epiſcopo Matrimonii celebrandi diſpenſationem.

Ceterum ſi Diœceſanum Rituale in hoc a Romano diſcrepet, & quid aliud ſtatuat; illud ſequi accurate debet Parochus, nec eorum quæ præſcribuntur, quidquam omittere.

CASUS IV.

Florus & Cæcilia duo diverſa habent domicilia, quia hiemant in urbe, rure vero æſtivant; vel quia unus in Parœcia ſancti Petri, altera vero in Parœcia ſancti Paulli habitat. An requiritur, ad implendum Eccleſiæ præceptum, ut in Eccleſiis duorum domiciliorum fiant Matrimonii denuntiationes?

Respons.

Certum eſt, quod ſi contrahentes Matrimonium diverſas habitent Parœcias, neceſſe eſt, ut in utriuſque Parœcia fiant denuntiationes: & affirmari etiam poteſt, eas in neutra abſque peccato mortali poſſe omitti: quia aliter fruſtraretur intentio Conciliorum Lateranenſis & Tridentini, quæ eo Matrimoniorum denuntiationes conſtituerunt, ut facilius detegantur impedimenta. En verba decretorum utriuſque Concilii: *Statuimus*, inquit Lateranenſe ſub Innocentio III. (*l*), *ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum opponat*. Sic autem habet Tridentini Decretum (*m*): *Denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur*.

(*l*) Conc. Lateran. 4. in c. *Cum inhibitio*, de clandeſtina deſpons. l. 4. tit. 3.
(*m*) Conc. Trid. de reformat. Matrimonii ſeſſ. 24. c. 1.

At vero factæ tantum in Flori Parœcia denuntiationes impedimenta non detegerent, quæ a parte Cæciliæ ſubeſſe poſſent; aut viciſſim ex denuntiationibus in Cæciliæ Parœcia factis non paterent impedimenta Flori; unde utriuſque Concilii intentio nequit impleri, niſi Matrimonium in utraque contrahentium Parœcia promulgando.

Sed ſi contrahentes in eadem Parœcia hiement, & in alia æſtivent, atque ita duplex habeant domicilium; dici poteſt, ut videtur, ſatis eſſe, ut fiant denuntiationes in ea Parœcia, in qua per majorem anni partem habitant: aut, ſi tempus ſit æquale, in qua actu commorantur. In hoc quippe caſu, qui æquali tempore in duabus Parœciis habitat, cenſetur eſſe utriuſque incola. Atque adeo ſufficit, rigoroſe loquendo, ut in Parœcia præſentis domicilii ſui fiant proclamationes, ibique nubere poſſunt. *Duplicem parochiam habitationis habens*, inquit Cardinalis Tolerus (*n*), *in una hieme, in altera æſtate; degens coram alterutro Parocho indifferenter Matrimonium celebrare poteſt*. Sed tandem, ne quid in eo fiat contra Eccleſiæ regulas, accurate ſemper id conficiendum eſt, quod ſtatuere Epiſcopi ex diœceſanis Ritualibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis.

(*n*) Franc. Tolet. Inſtruct. ſacerd. l. 7. c. 6.

CA-

Digitized by Google

CASUS V.

Mirocles, filius familias viginti quatuor annos natus, ſeorſim a Patre habitans, aut tutore, aut curatore ſuo, Cunegundæ nubere conſtituit. An neceſſa eſt, ut fiant matrimonii ſui denuntiationes, non ſolum in Parœcia domicilii ſui, ſed etiam in Parœcia domicilii Patris aut tutoris ſui?

Respons.

Neceſſe eſt, ut Mirocles matrimonium ſuum, non ſolum in propria domicilii ſui Eccleſia, ſed etiam in Parœcia Patris, tutoris, curatoriſve ſui promulgari curet. Ita fert Galliæ juriſprudentia, ut conſtat ex Edictis Henrici III. ex Edicto Bleſenſi anno 1579. (a), & Ludovici XIII. an. 1639. quæ omnia Edicto ſuo menſis Martii an. 1697. confirmavit Ludovicus Magnus, in quo acerbiſſimas pœnas in contradicentes decrevit.

(a) Edict. Bleſ art. 40.

Obſervandum ea de re 1. Ex Edicto Decembris an. 1691. art. xix. intra menſem in litteras publicas referendas eſſe, ſeu inſinuandas diſpenſationes denuntiationum matrimonii, ducto calculo a data, ſub pœna invaliditatis. 2. Ex declaratione 16. Feb. an. 1692. Parochos & Vicarios teneri in actis celebrationis matrimoniorum, quæ in codicem referri debent, ad explicandum denuntiationes, quæ factæ ſunt, aut earum diſpenſationem cum inſinuatione facta. 3. Recognitionem publicam proclamationum, aut diſpenſationum bannorum, ſeu earumdem proclamationum ex Edicto an. 1697. conſtitutam a Rege, ſupplicante Clero, fuiſſe ſuppreſſam.

CASUS VI.

Ribertus, e Diœceſi ſancti Pauli Leonenſis, & Sylvia e Diœceſi ſancti Pauli Tricaſtini, ſimul nuptias inire cupientes, primam matrimonii ſui denontiationem in Parœcia, ubi habitat Riberius, fieri curant, & de duabus aliis denuntiationibus ab Epiſcopo Leonenſi diſpenſantur. Poſſuntne abſque peccato nubere cum ſola illa diſpenſatione, ita ut ſimilem ab Epiſcopo ſuo requirere Sylvia non teneatur?

Respons.

Certum eſt, Riberium & Sylviam vi ſolius obtentæ diſpenſationis nubere non poſſe, ſed neceſſa eſſe, ut parem ab Epiſcopo Tricaſtino Sylvia ante impetret; aliter peccarent.

Ratio eſt, quia diſpenſationis poteſtas eſt juriſdictionis actio: Cum igitur priori Epiſcopo nulla in Diœceſanos poſterioris competat juriſdictio; nullam etiam pro certo poteſtatem habet eos de Eccleſiæ regulis diſpenſandi, ac proinde Riberio nubere Sylvia non poteſt, priuſquam ipſa ſimilem ab Epiſcopo domicilii ſui diſpenſationem obtinuerit.

Et quidem matrimonii denuntiationes remittere nequit Epiſcopus, niſi pro comperto habeat, nullum inter contrahentes intercedere legitimum matrimonii impedimentum: Atqui, quo pacto priori Epiſcopo certum eſſe poteſt, nullum obſtare impedimentum ab eo, qui extra ſuam habitat Diœceſim? Contendit quidem Barboſa ſolam alterutrius a duobus Epiſcopis ſufficere diſpenſationem; ſed ipſius authoritatis habenda eſt tantum ratio ac argumentis, quibus ſuam firmat opinionem, quæ cum infirma ſint & æquivoca, nullius quoque debent eſſe ponderis, præſertim cum iis adverſetur uſus. Inſuper exigit Tridentinum, ut a proprio Parocho contrahere volentium fiant denuntiationes, prius quam ipſum celebretur matrimonium. Atqui Leonenſis Epiſcopus ab ea obligatione Parochum Sylviæ non poteſt eximere, cum nullam in eum exerceat juriſdictionem. Igitur Parochus ille Sylviæ matrimonium denuntiare debet, vel neceſſe eſt, ut ipſa ab Epiſcopo ſuo earum proclamationum diſpenſationem obtineat.

Objici poteſt in iſtam deciſionem hoc modo: Epiſcopus aut Vicarius generalis ſancti Pauli Leonenſis horum nuptias poteſt benedicere: igitur eos quoque de proclamationibus diſpenſare poteſt. Sed huic objectioni facilis eſt reſponſio, dicendo, verum quidem eſſe, ab Epiſcopo duorum poſſe celebrari matrimonium, licet alteruter non ſit ſuus ſubditus, ſeu Diœceſanus: quia matrimonium eſt neceſſario duorum vinculum & conjunctio: & cum Diœceſanum ſuum pro certo conjungere queat, cenſetur etiam ipſum cum alia etiam non ſibi ſubdita jure poſſe conjungere. Sed idem dici nequit de poteſtate diſpenſandi, cum nulla ſit eſſentialis ac neceſſaria inter duas illas diſpenſationes connexio, atque una concedi poſſit independenter ab alia. Ita ſentiunt Du Caſſe & de Sainte Beuva (b).

(b) De Sainte Beuve tom. 1. caſ. 76. Du Caſſe Prax. juriſdict. Eccleſi. volunt cap. 6. §. 3. n. 4.

CASUS VII.

Pantaleo, S. Aſaphi Parochus, promulgatis tribus futuri matrimonii inter Amantium & Bleſillam denuntiationibus, ipſe ultimæ denuntiationis die eorum matrimonium celebravit. Potuit ne ita ſe gerere abſque peccato, imprimis ſi qua urgeret juſta cauſſa quam primum celebrandi tale matrimonium?

Respons.

Diem unam, regulariter loquendo, inter ultimam matrimonii denuntiationem ejuſque celebrationem interponere debebat ille Parochus, ut ſic daretur tempus oppoſitioni, ſi quam aliquis facere vellet. Attamen ex ſancto Carolo in tertio Provinciali Concilio anno 1573. Parochus in ſimili caſu matrimonium celebrare poteſt. 1. Si concedat Epiſcopus. 2. Si initium Quadrageſimæ aut Dominicam primam Adventus antecedat ultima denuntiatio. 3. Si in denuntiatione ultimam antecedente populum monuerit Parochus matrimonium celebratum iri ipſo ultimæ denuntiationis die; ut quamprimum, ſi quis velit intercedere, impedimentum denuntiet. *Quo die de matrimonio contrahendo denuntiatio ultima facta eſt*, inquit hic ſanctus Cardinalis (c), *ne eo ipſo die, niſi impetrata ab Epiſcopo facultate, illud celebretur. Id autem præterquam, ſi poſtrema ea denuntiatio facta ſit pridie illius diei, quo initium eſt quadrageſimæ vel adventus: ac niſi ita Parochus populo, antecedente denuntiatione, ſignificarit, eo die, quo poſtrema denuntiatio fiet, matrimonium eſſe contrahendum.*

(c) Concil. Mediol. 3 tit. de iis, quæ ad matrim. Sacram. pertin.

Dicendum itaque a Pantaleone matrimonio conjungi non potuiſſe Amantium & Bleſillam, niſi in his tribus a ſancto Carolo notatis caſibus. Advertendum tamen, Parochum quemlibet ea ſequi debere, quæ præſcripſit de hoc Epiſcopus, aut deſignatur in Rituali Diœceſano; alioqui a peccato excuſari nequit.

CASUS VIII.

Geminius, Parochus ſancti Geremari, pro feſtis diebus matrimoniorum denuntiationes facere non dubitat. Nonne in eo mortaliter peccat?

Respons.

Tridentinum Concilium expreſſe jubet (d), ut diebus dominicis aut feſtis fiant matrimoniorum proclamationes. *Ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum.* Cum igitur præceptum illud ſit de re gravi; dicendum illud a Geminio non poſſe infringi abſque mortalis peccati reatu. Reipſa eo tendit Concilii decretum, ut detegi poſſent matrimoniorum impedimenta: quod facile tantum poteſt, futurum populis tum matrimonium declarando, cum dominicis feſtiviſque diebus in Eccleſiam conveniunt. Unde a peccato mortali excuſari nequit ille Parochus, dum Eccleſiæ Conſtitutionem tam æquam, ſanctam, tantique momenti infringit; cum aliunde certum ſit, idipſum ab eo fieri non poſſe abſque ſcandalo, & pravum ejus exemplum vergere in ruinam Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

(d) Concil. Trid. Seſſ. 24. de reform. matrimonii c. 1.

CASUS XI.

Gosselinus, S. Chanemundi Parochus, Bertrandi & Honorinæ qui ambo 30. annos nati proprii ſunt juris, futuras nuptias his denuntiavit; cum Joannes eorum Matrimonio intercedit, ſuamque Parocho die dominica Quinquageſimæ mane ſignificat interceſſionem; licet ad ſe de tali Matrimonio non pertineat, ſicque tantum ſe gerat, ut poſt

Digitized by Google

ut poſt Paſcha maligna delectatione eorum nuptias procraſtinet. Numquid Goſſelinus, de Joannis malitia convictus tertiam eo ipſo die denuntiationem abſque peccato facere, & Matrimonium poſtea celebrare poteſt, non obſtante illa oppoſitione?

R E S P O N S.

Parochus ille nec denuntiare tertio, nec a fortiori Matrimonium poſtea celebrare poteſt in caſu propoſito, niſi infringendo præceptum Eccleſiæ, quod Parochis prohibet, ne ultra pergant, ſi facta fuerit oppoſitio ſecundum juris formam. Ratio eſt 1. quia Parochus de interceſſione ſibi facta per ſe judicare non poteſt, quamvis de ipſius injuſtitia ſit certus: cum Officialis Epiſcopi ſolus ſit hac in re judex competens; uti declarat Alexander III. qui aſſerit cauſſas Matrimoniales a Judicibus Eccleſiaſticis eſſe dijudicandas (a) *per Judices diſcretos, qui poteſtatem habeant judicandi*: (quod decretum Papæ in Gallia minime non obtinet, niſi cum ex oppoſitione aſſeritur unum ex contrahentibus alteri, quam ei, quocum nubit Matrimonium, promiſiſſe; nam in reliquis judicat Judex Laicus) quod etiam ſtatuit Innocentius III. (b) 2. Quia Parochus ille errare poſſet perperam de interceſſionis injuſtitia judicans, & quia interceſſori juſtæ ſubeſſe poſſunt rationes; licet contrarium Parocho ſit perſuaſum, Difficultas iſta a S. Carolo ſic ſolvitur: *Si Parocho, qui Matrimonium promulgabit*, inquit S. Archiepiſcopus (c), *aliquod denuntiatur impedimentum, quamobrem inter ſponſos illud contrahi non poſſe dicatur; is nec ad illius Matrimonii celebrationem, neque ad aliam progrediatur denuntiationem, etiamſi impedimentum quod affertur, vel falſum, vel ſibi malitioſum videatur, vel nullius momenti: ſed rem, ſi intra quinderim millia paſſuum ab Urbe abeſt, ad Archiepiſcopum deferat: ſi vero longius diſtat, Vicarium foraneum de impedimento, quod proponitur, certiorem faciat: neque de eo quidquam ante ſtatuat, quam de eo, quod faciendum ſit, reſponſum acceperit*. Addi poteſt etiam, Parochum nihil debere periclitari in re tanti momenti, in qua agitur de validitate aut invaliditate Sacramenti, deque accipientium ſalute.

(a) Alex. III. in cap. *Ex litteris* 1. de conſang. & affinit. l. 4. tit. 4.

(b) Inn. III. in cap. *Cum inhibitio*. fin. de clandeſt. deſponſat. l. 4. tit. 3.

(c) S. Carol. Act. Mediolan. Eccleſiæ part. 2. in Synodo Diœceſana 3. decreto 34.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex trigeſima quarta Conſtitutione Diœceſis Luconienſis, quæ ſuſpenſionis pœnam *ipſo facto* infligit cuilibet Parocho aut Vicario, qui accepta ſecundum præſcriptas formulas oppoſitione futuro Matrimonio, ad ejus denuntiationem, aut celebrationem progredietur, & quæ illius haberi rationem jubet, donec ſoluta fuerit.

Requiritur itaque 1. ut in caſu propoſito Goſſelinus denuntiatæ ſibi a Joanne oppoſitionis exemplar Bertrando atque Honorinæ præbeat, quo iſti coram Judice Eccleſiaſtico litem inſtituant. 2. Ut a tertia Matrimonii denuntiatione abſtineat, Superiorisque judicium expectet.

C A S U S X.

Sirano & Barbara ad nuptias accinctis; Landericus, qui tertiæ denuntiationi eorum Matrimonio affuit, & qui certo novit, Siranum cum Barbaræ ſorore impudice egiſſe, idipſum Parocho declarat, nullam tamen detecti criminis afferens probationem. Teneturne Parochus ille ob ſimplicem illam Landerici atteſtationem, qui nec interceſſor eſſet, nec etiam vult nominari, quod probationibus careat, licet verum ſit quod retulit, illius Matrimonii celebrationi ſuperſedere; peccaretne etiam, ſi ultra progrederetur?

R E S P O N S.

Parochus celebrationem Matrimonii Siranum inter & Barbaram contrahendi, abſque gravi peccato perſequi nequit. Ratio eſt, quia ſufficit unius teſtimonium ad impediendam Matrimonii celebrationem, uti declarat Alexander III. in ſua decretali ad Epiſcopum ſanctæ Agathæ (d), de quo ait Gloſſa: *Nota, quod Matrimonium ad dictum unius impeditur, ne contrahatur*. Quod verum eſt, licet allegatum factum probare nequeat, & etiam comparere nolit ſive per metum, ſeu aliter, uti clare videri poteſt ex caſu huic omnino ſimili, de quo conſulebatur Alexander III. (e).

(d) Alex. III. in cap. *Præterea* 13. de ſponſalibus & Matrimoniis, l. 4. tit. 1.

(e) Colloq. Candom. Colloq. 14. Sect. 2. Du Caſſe Prat. Juriſdict. Eccleſiaſ. contentioſæ, c. 3. §. 2. n. 3.

Cum modo laudatam Alexandri III. decretalem legere quis poteſt, cujus verba intellectu ſunt difficilia, hujus explicationem heic afferre operæ pretium duximus. Expoſitio illa potiſſimum ſpectat ad iſtam exceptionem: *Niſi juramentum interveniſſet*, quam apponit Alexander III. qua vult, ut Matrimonium iis non denegetur, qui illud poſtulant, objectumque ſibi ex unius teſtimonio impedimentum negant, cum ſponſalia jurejurando fuere confirmata: quamvis Matrimonii celebratio differenda ſit, cum ſimplicia tantum & nuda ſunt ſponſalium promiſſa, ut tempus ſuppetat contrahentium examini, & veritatis manifeſtationi voluntaria illius e duobus confeſſione qui locum impedimento dediſſe affirmaretur.

Ut autem intelligatur, quid ſignificet Alexander III. ex hac exceptione *niſi &c.* ſciendum, quod hujus Pontificis Summi tempore, mos, uti nunc, non obtinebat celebrandi ſponſalia coram Parocho, ſed mutuas tantum futuri Matrimonii promiſſiones faciendi coram parentibus aut amicis futurorum conjugum, quibus promiſſis ad majorem ſolemnitatem & ſecuritatem, & etiam ad validiorem nexum quandoque addebatur jusjurandum: quo in caſu non vult hic Papa ſimplici unius privati denuntiatione Matrimonium denegari ob debitam jurijurando reverentiam, quo promiſſionis ſinceræ teſtis Deus ipſe vocatus eſt.

Mos ille ceteris Matrimonii promiſſis jusjurandum addendi manifeſtum fit ex multis aliis decretalibus ad marginem indicatis (f), quæque de antiquo illo uſu omnes intelliguntur, non vero de eo quem ab illis temporibus conſtituit Eccleſia jubendo, ſponſalia conjugii futuri fieri coram proprio Paſtore, aut alio Sacerdote, qui in eam rem ab eo delegatus fuerit.

(f) Alex. III. in cap. *Veniens* 13. & in cap. *Commiſſum*. 16. de ſponſ. & Matrimoniis.

Lucius III. in cap. *Requiſivit*. 17. ibid.

Innoc. III. in cap. *Sicut*. 22. & in cap. *Cum in tua*. 27. eod. tit.

C A S U S XI.

Macedonio, & Olympia, futuri ſui Matrimonii denuntiationes fieri jam procurantibus, monitus eſt Parochus, hanc eſſe communem famam, Macedonium olim cum Olympiæ ſorore carnaliter egiſſe. Teneturne Parochus ille, ob ſolam illam famam denuntiationes eorum Matrimonii intermittere?

R E S P O N S.

Certum eſt, teneri Parochum ad prorogandas Matrimonii denuntiationes in caſu propoſito, eumque graviter peccaturum, ſi monitum illud negligens, ad celebrationem Matrimonii inter Macedonium & Olympiam procederet.

Hæc deciſio eſt Urbani III. ſcribentis ad Archiepiſcopum Burdigalenſem, a quo de ſimili difficultate conſultus heic Papa his verbis reſpondet (g): *Reſpondemus, quod ſi manifeſtum eſt, juvenem cognoviſſe propinquam prædictæ puellæ: vel, ſi non eſt manifeſtum, fama tamen loci hoc habet, cum eſſet ſponſa tantummodo de futuro, idem ab ejus impeditione debet abſolvi*. Circa quod Gloſſa dicit: *nota, quod... fama impedit Matrimonium contrahendum*. Et alibi (h): *ſola fama impedit Matrimonium*.

Tamen contrarium aſſerentibus partibus cum juramento, fides eſt in communem famam adhibenda, idque eo magis, quod publici rumores ſæpe falſi ſunt ex illo S. Auguſtini (i): *Facile eſt homini ſeu verba, ſeu falſa de altero homine credere*; atque ut probat Author Gloſſæ (K), ex decretali Cæleſtini III. (l), in corpore juris relata. Quocirca in tali caſu vere dici poteſt cum eadem Gloſſa (m) *fama per ſe nihil probat*: his etiam addi poteſt, quod ſi talem rumorem Parocho denuntians ſit vilioris conditionis, cujus verbis tuto fides adhiberi nequeat; & aliunde fama illa gravioribus non ſit fulta præjudiciis: tum ejus delationi credere non tenetur Parochus, ſed ultra progredi valet Matrimonium celebrando, ſi partes præſertim deſiſtere nolint. Id quoque manifeſtum fit ex decretali Innocentii III. ad Epiſcopum Bellovacenſem (n), cui de ſimili quæſtione interrogatus, reſpondet his verbis: *Si perſona denuntians non extiterit talis, ut diximus (hoc eſt, perſona gravis, cui fides ſit adhibenda) & de fama, vel ſcandalo non poterit edoceri; ad deſiſtendum monere poteris, non compellere contrahentes*.

(g) Urban. III. in cap. *Super eo*. 2. de conſanguinit. & affinit. l. 4. tit. 14.

(h) Gloſſa in cit. cap. *Cum in tua*. 27. a. *De fama* de ſponſalibus & Matrim.

(i) S. Aug. Epiſt. 203. alias 50 n. 4.

(K) Gloſſa in can. *Quoniam* 21. 26. q. 7.

(l) Cæleſt. 3. tit. in cap. *Super eo*. 3. de eo qui cognovit Conſanguineam uxoris ſuæ ſponſæ. l. 4. tit. 13.

(m) Gloſſa in can. *Si teſtes*. 3 §. *ſæpe*. 4. q. 2. v. *Fama*.

(n) Innoc. III in cit. cap. *Cum in tua*. de ſponſalibus & Matrim.

DE-

DEPOSITIO & DEGRADATIO.

De hoc titulo paucis dicemus, quod ab initio prioris deciſionis fuſe loquimur de iis, quæ pertinent ad depoſitionem & degradationem, oſtendendo.

1. Naturam cujuſque ex his pœnis.
2. Diſcrimen, quod inter utramque reperitur.
3. Effectus, quos producunt.
4. Et varias depoſitionis ſpecies; quod ſufficit ad plenam rei hujuſce notitiam, & regularum, quæ ad eam ſpectant.

CASUS PRIMUS.

Maximilianus, Titularis Prioratus S. Froberti in Diœceſi Arauſicana, depoſitus aut degradatus ab Epiſcopo Maſſilienſi, in cujus Diœceſi hoc dignum pœna facinus admiſerat; poteſt ne tuta conſcientia frui Prioratu, quem in Arauſicana Diœceſi poſſidebat, aut ſaltem fratri ſuo Flaviano ipſum reſignare, a quo ſolatium quoddam infortunii ſui ſperat, uti facere poſſet, ſi ab Ordinum ſuorum functionibus eſſet tantum ſuſpenſus?

Respons.

Antequam ſolvatur propoſita difficultas, quatuor ſunt præſupponenda.

Primum: quod depoſitio eſt pœna, quam infligit Eccleſia ob aliquod crimen graviſſimum, quæ abſolute & in perpetuum eum, cui infertur, ab officio ſuo, hoc eſt, Ordinum ſuorum exercitio, & poteſtate juriſdictionis, atque adeo Beneficio ſuo privat. De hujuſmodi pœna loquitur Innocentius III. in una decretali ad Epiſcopum Vercellenſem ſcribens (a): *Ab ordine & adminiſtratione tamen amoveatur omnino; quod eſt ſecundum Evangelicam ſententiam a villicatione villicum amoveri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem.*

(a) Innoc. III. in cap. *Qualiter*. 17. de accuſ. &c. lib. 1. tit. 11 apud Pithœum.

Secundum: quod magnum intercedit diſcrimen inter pœnam depoſitionis & ſuſpenſionis. 1. Quia cenſura eſt tantum ad tempus, aut ſaltem, ſi ſit perpetua, eam tamen tollere poteſt legitimus Superior: econtra depoſitio in perpetuum infligitur, ita ut depoſitus omni ſpe reſtitutionis deſtituatur. 2. Quia ſuſpenſio, quæ dicitur *a Beneficio*, Beneficiarium fructibus tantum, non vero titulo Beneficii ſui privat, cum ex depoſitione & fructibus & titulo ſimul privetur. 3. Quia omnis ſuſpenſio, juriſdictione non privat, niſi fuerit denuntiata & publica, ſed depoſitus *ipſo jure* juriſdictione privatur.

Tertium: quod duplex ſit depoſitio: una verbalis, quæ a Judice Eccleſiaſtico fertur his verbis: *Authoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac noſtra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus & exuimus te omni Ordine, Beneficio, & privilegio Clericali*: quæ deponendi formula a Bonifacio VIII. præſcripta eſt in una ex ſuis decretalibus ad Epiſcopum Apuliæ (b): ſecunda depoſitionis ſpecies in jure dicitur actualis & realis, atque infligitur, non ſolum verba mox allata pronuntiando, ſed etiam cæremonias quaſdam & ſolemnitates obſervando, in Pontificali præſcriptas, de quibus etiam loquitur modo laudatus Papa, & poſt ipſum concilium Tridentinum (c): atque hæc ſecunda depoſitionis ſpecies proprie degradatio appellatur, quæque reo non infertur, niſi poſt depoſitionem verbalem. Utrique autem convenit, quod non ſit cenſura, ſed mera criminis præteriti punitio: cum cenſura ſit pœna medicinalis, cujus finis præcipuus eſt emendatio peccatoris

(b) Bonifac. VIII. in cap. *Degradatio*. 2. de pœnit. in 6.

(c) Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 4.

Quartum denique ad plenam hujuſce rei notitiam habendam, ſcire neceſſarium eſt, quinque eſſe diſcrimina inter depoſitionem & degradationem. Nam 1. abſens ut declarat Innocentius III. (d) deponi poteſt, ſed præſens tantummodo reus poteſt degradari. 2. Simplex depoſitio verbis ſolum fieri poteſt, ſed degradatio fieri non poteſt, niſi ſolemnitates jure requiſitas obſervando. 3. Degradatus non ſolum omni gradu Clericali privatur, hoc eſt, quolibet honore, præeminentia & dignitate, ſed etiam exercitio omnium ordinum ſuorum ſeu majorum, ſeu minorum, quorum priorum ſolus ſupereſt character, quod ſit indelebilis, ſed etiam ſpoliatur jure ferendi ſigna externa, & de eo etiam quod dicitur *Privilegium Canonis & fori*; ita ut a Judice ſæculari, in cujus præſentia fieri debet degradatio, tamquam Laicus haberi poſſit, quaſi Clericali militiæ numquam fuiſſet adſcriptus: qui effectus ſimplici depoſitione, neque degradatione verbali producuntur. Id etiam degradationi ſpecialius, quam ſimplici depoſitioni convenit, quod illa nequeat infligi, niſi ob ſola crimina, quæ jure exprimuntur, qualia ſunt hæreſis publica, Sodomia, & alia quædam. 5. Denique ſimpliciter depoſitus ab Epiſcopo ad priſtinum ſuum ſtatum reſtitui poteſt; contra vero degradatus a ſolo Papa, ut obſervat Gloſſa his verbis (e): *Si eſt ſolemniter degradatus, ſolus Papa poteſt eum reſtituere: ſecus ſi eſt ſolo verbo depoſitus.*

(d) Innoc. III. in c. *Veritatis*, 8. de dolo & contumacia. l. 2. tit. 14.

(e) Gloſſ. in can. *Ideo* 10. 2. q. 6. v. de reſtitutionibus.

Præſuppoſitis illis regulis tamquam certis ad quæſtionem propoſitam, quæ ad Maximilianum ab Epiſcopo Maſſilienſi depoſitum ſpectat, facile eſt reſpondere: certum eſt enim, quod, ſeu degradatus fuerit juxta formulas in jure præſcriptas, ſeu dumtaxat depoſitus, jam Prioratu ſuo, quem in Diœceſi Arauſicana tenebat, frui non poteſt, neque etiam ipſum fratri ſuo jure poteſt reſignare, quandoquidem eo penitus fuerit ſpoliatus ob pœnam in ipſum decretam.

Ceterum placebit forſan heic famoſum degradationis Portu ad Nemauſum ann. 886. in Concilio ibi habito factæ exemplum legere, in quo dicitur, Theodardum, Narbonenſem Archiepiſcopum cum quibuſdam aliis Epiſcopis Selvam & Ermemirum, duos ſcilicet Epiſcopos intruſos degradaſſe. En propria hujuſce Concilii verba (f): *Theodardus cum aliquot Epiſcopis in Eccleſia Sanctæ Mariæ Urgelle... Selvam juxta Canones, qui ſe extra ſui conſenſum ordinari fecerat, & Ermemirum degradarunt, ſciſſis Epiſcopalibus indumentis, baculis eorum ſuper eorum capita confractis, annulis cum dedecore a digitis avulſis... ita Narbonem reverſus eſt victor Theodardus.* Similia ferme degradationis quoque exempla reperiuntur in Concilio Aurelianenſi habito an. 1017. ſub Regno Roberti, Galliæ Regis, & in Pariſienſi an. 1310. (h) degradationem quoque Edicto Moliuenſi an. 1571. juſſerat Carolus IX. (i): verum hodie non eſt in uſu, quod eam Magiſtratus ab exeunte Sæculo XVI. uti ceremoniam inutilem habuerint, vel potius, quia difficilius convocatur ſex Epiſcoporum numerus ex Canonibus requiſitus ad degradationem Sacerdotis, & trium ad degradationem Diaconi, ut vult Concilium Carthaginenſe ſecundum (K). Neque etiam facile eſt ſequi reſtrictionem Concilii Tridentini, quod unum tantum requirit Epiſcopum; ſed tamen parem Abbatum numerum, aut eorum defectu, aliorum Clericorum doctorum, & qui in dignitate ſint conſtituti (l).

(f) Conc. Nemauſenſe in villa. *Portu*. apud Labbe Tom. 9. Conc. gen. pag. 398.

(g) Conc. Aurel. ann. 1017. apud Labbe. Tom 9. Conc. gen. pag. 842.

(h) Conc. Pariſ. an. 1310. apud eund. Tom 11. pag. 1535. & ſeq.

(i) Edict an. 1571. art. 14.

(K) Conc. Carthag. 2. in Can. *Si autem*. 5. 23. 47.

(l) Conc. Trid. Seſſ. 13. de reformat. c. 4.

CASUS II.

Hilduini, S. Optati Parochi, qui juxta formulas ſolitas ob crimen a ſe admiſſum depoſitus ſeu degradatus eſt, Parœcia mobtinuit Benedictus. Menſe elapſo Parochus ille, peracta exemplari pœnitentia, Epiſcopum ſuum rogavit, ut ad priſtinum

Digitized by Google

ſuum ſtatum & Beneficium reſtitueretur. Numquid eum reſtituere poteſt Epiſcopus?

RESPONS.

Si Hilduinus ſimpliciter fuerit depoſitus, hoc eſt, omni officio & Beneficio privatus, & poſt peractam dignam pœnitentiam, Epiſcopum ſuum hanc rogat gratiam, ut ad priſtinum ſuum ſtatum reſtituatur, id poteſt Epiſcopus, ut patet ex decretali Alexandri III. ad Epiſcopum Salernitanum (*a*). Sed illud quod amiſit, Beneficium recuperare nequit cum damno Benedicti, qui de eo canonice proviſus eſt, ut patet ex decretali Bonifacii VIII. in ſexto Decretalium an. 1298. promulgato, relata, in qua de eo loquens Summus hic Pontifex, qui, cum expectativam gratiam Beneficii obtinuit, quod poſt revocatam hanc gratiam alteri collatum fuerat, denuo ad eamdem gratiam fuerat admiſſus, dicit (*b*): *Non tamen ei, qui poſt revocationem, & ante reſtitutionem prædictam, ſimilis in eadem Eccleſia gratia facta fuit, niſi hoc expreſſe dixerimus, anteferri debebit, cum talis reſtitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri ſine juris præjudicio alieni.*

Non idem dicendum, ſi Parochus ille fuerit degradatus, nam per degradationem Clericus omni prorſus Clericali privilegio fit privatus; in quo differt ab eo, qui ſimpliciter depoſitus eſt, qui eo non privatur; ita ut; qui Sacerdotem degradatum percuteret aut occideret, non majoris fieret reus criminis, quam ſi Laicum percuſſiſſet aut occidiſſet, Quare, cum talis homo ad Eccleſiam jam non pertineat, de qua omnino eſt avulſus, a ſolo Summo Pontifice, ad priſtinum ſuum ſtatum reſtitui poteſt, ut affirmat Gloſſa relata in reſponſione ad ſuperiorem difficultatem (*c*). Si igitur Hilduinus fuerit degradatus, ab Epiſcopo ſuo reſtitui non poteſt: ſed neceſſario ad Papam recurrendum. Cæterum quamvis a Papa reſtitueretur, amiſſum tamen non poſſet habere Beneficium ſuum, cum præjudicio Benedicti, qui legitimæ de eo proviſus eſt, juxta iſtam Bonifaci VIII. regulam: *Cum talis reſtitutio.... intelligatur fieri ſine juris præjudicio alieni.*

(*a*) Alex. III. in c. *Et ſi Clerici*. 4. de Judiciis. L. 2. tit. 1.

(*b*) Boniſac. VIII. in cap. *Quamvis*. 8. de reſcript. L. 1. Sext. tit. 3.

(*c*) Citat. Gloſſ. in Can. *Ideo*. 10. 2. q. 6. item Gloſſ. in Can. *Contumaces*. 31. diſt. 50. v. *Dignitatemque*.

DEPOSITUM.

DEPOSITUM *eſt contractus, quo res cuſtodienda traditur, ut integra reſtituatur*. Ita definitur depoſiti contractus (*d*).

Materia depoſiti eſt plerumque res mobilis; immobilia namque, cum duo de illis litigantur, vel plures de earum proprietate aut poſſeſſione, ſequeſtro committuntur.

Duplex eſt depoſitum, aliud ſimplex, aliud judiciarium.

Judiciarium illud eſt, quod fit Judicis præſcripto (*e*).

Depoſitum ſimplex, vel eſt voluntarium, vel neceſſarium.

Depoſitum Voluntarium, illud eſt, quod fit a deponente cui vult & quando vult.

Depoſitum vero neceſſarium fit a deponente ob evidens, in quo verſatur, periculum; quale eſt diſcrimen Incendii, pugnæ, naufragii, aut ſeditionis. Tale eſt etiam depoſitum viatoris Cauponi factum in hoſpitio, ad quod tenetur.

In Gallia admittitur probatio teſtium, ſi ſumma voluntarii depoſiti 100. Librarum ſummam ſuperet (*f*), ſed non idem dicendum, quando depoſitum eſt neceſſarium (*g*).

Depoſitum aliquando fit gratuito, & aliquando etiam ſummam pecuniæ ſolvendo Depoſitario, ut mercedem curarum & laboris: quod permagni intereſt diſtinguere, ut poſtea oſtendemus.

Depoſitum regulariter loquendo, res eſt adeo ſacra, ut Depoſitarii uſibus abſque deponentis conſenſu non ſubjiciatur. Neque etiam rei fructuoſæ ſibi aſſerere proventus nequit, quia ſolius ſunt domini.

In quibuſdam caſibus rem depoſitam, ut infra exponetur, deponenti reddere ſtatim non tenetur Depoſitarius.

In depoſito ſimplici, ſeu voluntario, ſeu neceſſario, de dolo ſuo aut de culpa, quæ dicitur *lata culpa*, & a legibus dolo comparatur, deponens tantum tenetur.

Cum unus aut multi ſimul depoſitarii ſummam pecuniæ in ſe ſuſceperunt, uti depoſitum; omnes & ſinguli de ea in deponentem tenentur (*h*) in ſolidum.

Cum depoſitarius eſt in mora reſtituendi depoſiti, quod ſibi fuit commiſſum, aut ad ſuam utilitatem factum eſt ei depoſitum, aut pro cuſtodia mercedem accipit; aut tandē de fortuitis caſibus ſpopondit, depoſiti jacturam quamvis fortuitam præſtare tenetur.

Ut deponens pro arbitrio ſibi repetere, ſic depoſitarius, cum libuerit, depoſitum reſtituere poteſt. In depoſito locum non habet compenſatio. Quare ipſius reſtitutionem deponenti recuſare nequit depoſitarius, licet ille ſibi æquivalentem depoſito ſummam debeat (*i*).

Neque etiam pro depoſitariis valet præſcriptio quoad rem petitam, dum ſubſiſtit (*k*) Chopin, aliique in ejus rei probationem famoſum proferunt Areſtum, latum pro Regina Catharina Medicæa in Epiſcopum Claromontanum, qui poſt 300. annorum poſſeſſionem Alverniæ Comitatum ipſi reſtituere coactus eſt, quod ſemper ſubſiſtens depoſitum Comitatus ille fuiſſet.

(*d*) Polman. breviar. Theolog. part. 2. n. 632.

(*e*) Leg. *Senatus Conſulto*. 16. in fin. ff. de offic. Præſidis. L. 1. tit. 18.

(*f*) Edictum Mollinenſe, art. 54. Edictum 1667. tit. 20. art. 2.

(*g*) Fillau, part. 4. q. 200.

(*h*) Tronçon, conſuetud Pariſienſis, art. 105.

(*i*) Leg. *Si quis vel pecuniam*. Cod. depoſiti. Leg. *Compenſationes*. fin. cod. de compenſat. l. 8. tit. 31. v. *Boutiller ſumma ruralis*. tit. 3 n. 22.

(*k*) Du Luc. l. 9 tit. 5. Papo, l. 20. tit. 3. n. 22.

CASUS PRIMUS.

BAAOLENUS apud Jacobum obſeratam ſimul & obſignatam depoſuit capſulam, in qua tabulas præcipui momenti, ſimulque centum dupliones contineri, aſſeruit. Tribus elapſis menſibus, capſulam ſuam repetit, qua ſubito reddit Jacobus: ſed, cum eam aperuit, jam in illa centum dupliones non inve-

Digitized by Google

inveniens, eos a Jacobo depoſitario ſolvi requirit, qui ſe de tali ſolutione non teneri affirmat. Numquid Babolenus id ipſum jure poteſt exigere?

RESPONS.

Si Baboleno capſulam eodem modo, quo recepit, hoc eſt, obſeratam & obſignatam reſtituerit Jacobus, nihil amplius exigere poteſt Babolenus: neque enim res non viſas, nec ſibi ſpecialiter & palam commiſſas præſtare tenetur depoſitarius: at ſi Babolenus Jacobo 100. dupliones oſtendiſſet, & eo præſente in capſula incluſiſſet, tum de iis Jacobus teneretur. *Si ciſta ſignata depoſita ſit*, inquit Lex (a), *utrum ciſta * tantum petatur, an & ſpecies comprehendendæ ſint? Et ait Trebatius ciſtam repetendam, non ſingularum rerum depoſiti agendum. Quod & ſi res oſtenſæ ſint, & ſic depoſitæ, adjiciendæ ſunt & ſpecies.*

(a) Leg. Depoſitum. 1. 79. 43. ff. depoſiti vel contra l. 16. tit. 3.
* Ciſtæ ſunt *vaſa quæ condenda veſtis gratia parantur*. Gloſſ. in Leg. cit.

CASUS II.

PATRICII depoſitam 20. duplionum coram ſe & palam numeratam ſummam habens Paullus amicus ejus, ea ſe uti poſſe exiſtimavit in neceſſitate; hac potiſſimum nixus regula: *Pecunia depoſita numerata, tranſit in mutuum*, cum numeratur coram depoſitario, eique non clauſa aut obſignata traditur. Ea de re ſcrupulum Paullo movit ipſius Confeſſarius, volens ut ſumma depoſita, ſive ſit obſignata, ſive non, tamquam res ſacra habeatur, & quamvis a depoſitore coram depoſitario fuerit numerata, huic tamen nullum jus competat ipſa utendi abſque conſenſu deponentis. Qua de re quærit Paullus, num verum ſit, ſe tuta conſcientia viginti Patricii dupliones in ſuos uſus convertere non potuiſſe?

RESPONS.

Pro Confeſſore Paulli ſtat jus; neque Paullus Patricii pecuniam depoſitam, licet coram ſe numeratam a depoſitore, nec ab eo tamen clauſam aut obſignatam in ſuos uſus convertere potuit: cum falſum ſit, in hujuſmodi circumſtantiis depoſitum deſinere & abſque conſenſu deponentis fieri mutuum: certum quidem eſt, quod ſi depoſitor, ut ait Gloſſa in legem (b), depoſita pecunia uti depoſitario concedat, tunc depoſitum ex uſu depoſitarii fit mutuum; at vero addit Auctor hujus Gloſſæ, quod ſi depoſitum ipſi nude ac ſimpliciter tradat, non conceſſa depoſito utendi venia, non præſumi debet eſſe mutuum, licet palam numeretur pecunia; deponenti quippe jus remanet eam, tamquam depoſitam repetendi: *Quod ſi nihil ſit actum*, inquit Gloſſa, *nec convenit inter eos expreſſe, ut ea* (pecunia) *uteretur præſumitur tamen, quod recipiens voluerit eo uti, quia pecuniam non obſignatam recepit; depoſitum eſt inſpecto initio, & agitur depoſiti; ſed ſi expreſſo ſit actum, ut, ſi velit, uteretur; demum cum utitur, fit mutuum, & de mutuo agitur.* Immo addit Gloſſa (c): *Deponens, ſi concedat expreſſe, ut utatur re depoſita, non ex eo cenſetur mutuum contractum, quia tunc poteſt agere actione depoſiti.*

(b) Gloſſa in Leg. Dic. §. fin. ff. depoſiti, &c.

(c) Gloſſa in Leg. 3. Cod. depoſiti.

Confirmari poteſt hæc ſolutio ex lege evidenti in hoc decretoria. En jus verba (d): *Pecunia debita ex cauſſa depoſiti, nudo pacto*, hoc eſt, abſque eo quod depoſitor conſenſerit expreſſe, ut ea uteretur depoſitarius; *non poteſt converti in mutuum, quia deponentis erant nummi*. Et quidem ex numeratione poteſt ne mutari natura depoſiti? Nonne etiam deponentes & ipſius quoque depoſitarii intereſt, ut ille norit quid deponat; is vero quid accipiat, ut vitentur jurgia, quæ vel ex oblivione, vel ex mala fide alterutrius oriri poſſent.

(d) L. Qui negotia. 14. ff mandati. vel contra. l. 17. tit. 1.

Si tamen Paullus ob legitimam præſumere rationem potuiſſet, aſſentiri Patritium, ut 20. duplionibus uteretur, videtur, eum in caſu propoſito fore culpa immunem: id tamen ſub ea ſolum conditione affirmamus, ſi Paullus videlicet falſo non præſumpſerit de Patricii conſenſu.

CASUS III.

Cum apud me VICTORICUS, amicus meus, & Leobardi cubicularius adamantem 20. duplionum juſſu heri mihi incogniti depoſuiſſet: Petrus, qui a Victorico illud reſcivit, paucis poſt diebus ad me veniens, ſe Leobardi nomine dici aſſerit, ſimulque me rogat, ut adamantem tali die talique hora per Victoricum cubicularium ſuum ad me miſſum ſibi reddam: quod fit protinus. Victoricus poſttidie eumdem a me adamantem heri ſui juſſu repetit; reddidi ſefero; at vero tunc Petri dolum mihi aperit. An teneor ſub peccati conſcientia Leobardo viginti dupliones, pretium videlicet ipſius adamantis reſtituere; an vero excuſat me bona fides?

RESPONS.

Immunem me ab obligatione 20. dupliones reſtituendi præſtat illa bona fides; nam ex legibus, ubi depoſitum agitur, depoſitarius, qui depoſiti cuſtodiam non obtulit, non tenetur ad reſtitutionem, niſi in caſu doli, cujus eſt reus. Dolum dumtaxat præſtare debere (Depoſitarium) puto (e), inquit Lex Digeſtorum; eaque regula ab omnibus Canoniſtis, tamquam certa agnoſcitur, ut videre eſt ex Gloſſa, quæ rei hujuſce multa affert argumenta (f) & ex omnibus Summiſtis. At vero qui conſulit, 1. ſe ipſum ad cuſtodiam adamantis non obtulit: 2. nullus ab eo dolus intercedit in caſu propoſito: Nam 1. haud ipſi notus erat Leobardus, neque cognoſcere eum tenebatur. 2. Petrus, qui ſe eſſe Leobardum finxit, Victoricum a quo adamantem acceperat, ſibi graphice expreſſit: 3. Diem etiam & horam ipſam deſignavit, quibus adamantem apud ſe depoſuerat Victoricus. Igitur non ſolum bona, fide ſed & prudenter egit ipſum reſtituendo; cum ex perſonæ & temporis circumſtantiis dubitare non poterat, ſe Leobardum alloqui. Unde colligendum, adamantis jacturam ad Leobardum ſolum, non vero ad depoſitarium pertinere, ſi forte Petrus non reſtituat.

(e) L. Depoſitum. 1. §. 1. ff. depoſit.

(f) Gloſſa in cap. *Bona fides*. v. *de culpa*. de depoſito. Lib. 3. titu.

Conſentit hæc Deciſio cum his Legis verbis (g): *Si rem a ſervo depoſitam, Titio, quem Dominum ejus putaſti, cum non eſſet, reſtituiſſes, depoſiti actione te non teneri Celſus ait; quia nullus dolus interceſſit.* Idem igitur dicendum in caſu propoſito; cum bona fide & cum debita prudentia egi, habita ratione circumſtantiarum, quæ in caſu exprimuntur.

(g) L. Depoſitum. citata. §. 31. ff. depoſiti, vel contra.

CASUS IV.

LAMPADIUS, rei apud ſe ab uno e ſuis parentibus depoſitæ reſtitutionem denegavit ipſi petenti, quamvis reddere poſſet. Numquid in juſtitiam ex hac recuſatione deliquit?

RESPONS.

Solvi non poteſt hæc difficultas, niſi prius intelligatur, quæ ſit res depoſita, de qua agitur: *Quia*, inquit Sanctus Thomas (h); *quandoque contingit, quod voluntas hominis depravatur; eſt aliquis caſus in quo depoſitum non eſt reddendum, ne homo perverſam voluntatem habens, male eo utatur: ut puta, ſi furioſus, vel hoſtis Reipublicæ arma depoſita depoſcat.* Verum extra illos caſus depoſitum repoſcenti ſemper reſtituere ſtatim tenetur Depoſitarius, cum juſta ſibi non ſubeſt repulſæ cauſſa. *Eſt autem apud Julianum Libro tertiodecimo Digeſtorum ſcriptum*, inquit Lex (i), *eum, qui rem depoſuit, ſtatim poſſe depoſiti actione agere. Hoc enim ipſo dolo facere eum qui ſuſcepit, quod expoſcenti rem non reddat.* Quod etiam verum eſt, licet Depoſitor reſtitutionem depoſiti ſui repoſceret, antequam elapſum eſſet tempus, pro quo res depoſita fuiſſet: quia in eo nullam infert injuriam Depoſitario, cujus non intereſt eam retinere. *Deponens poteſt quandocumque depoſitum revocare*, inquit Gloſſa (K), *quia nihil intereſt Depoſitarii*. Et alibi (l), *deponens pecuniam reddendam poſt tempus, non eſt obligatus Depoſitario non repetere ante tempus, & ideo poteſt mutare voluntatem, & ante tempus repetere.*

(h) S. Thom. hom. 2. 2. q. 57. art. 2. ad 1.

(i) L. Depoſitum. 1. §. 22. ff. depoſiti. vel contra.

(K) Gloſſa in L. in commodato 17. §. Sicut autem. v. Non officium. ff. commodati.

Diximus: *cum juſta Depoſitario non ſubeſt repulſæ cauſſa*: qualis nimirum foret magna loci diſtantia, in quo eſſet depoſitum; aut ſi in aliqua domo eſſet occluſum, quam recludere penes ſe non eſſet, ſeu propter juridicam illius detentionem, vel aliter, ut obſervat eadem Lex multoties jam laudata (m), quæ hanc addit exceptionem: *Marcellus autem ait, non ſemper videri poſſe dolo facere*

(l) Gloſſa in L. 1. ff. depoſiti, vel contra. v. *Mutare*. ad §. penult. & ibi addit.

(m) Cit. L. Depoſitum.

Digitized by Google

eum, qui repoſcenti non reddat. Quid enim ſi in Provincia res ſit, vel in horreis, quorum aperiendorum condemnationis tempore non ſit facultas, vel conditio depoſitionis non extitit. Ex dictis itaque facile concludi poteſt, quod, ſi Lampadio juſta non ſubſit cauſſa denegandi parenti ſuo rem ejus apud ſe depoſitam, injuſte agit recuſando, & e contra abſque injuſtitia depoſitum ejus non reddere poteſt, ſi legitimam habeat recuſandi cauſſam.

CASUS V.

Anselmus, depoſitis apud Julianum 1200. lib. paucis poſt diebus moritur, ſuorumque bonorum hæredes ſolos duos ſibi filios Joannem & Jacobum relinquit. Depoſitam ſummam a Juliano poſtulat Joannes; Julianus autem dimidium ſummæ, partem ei videlicet competentem tamquam patris hæredi, reddit; & poſt paucos menſes fit ſolvendo æri alieno haud idoneus. Contendit Jacobus, a Joanne fratre ſuo exhibendas eſſe 600. quas accepit libras, ut ex æquo inter ſe dividantur. Id ipſum Joannes recuſat, & acceptam a ſe ſummam ſuam eſſe propugnat. Numquid æquitati adverſatur Joannis recuſatio?

Respons.

Non adverſatur æquitati Joannis recuſatio de dividenda accepta ſumma cum fratre ſuo, priuſquam Julianus eo perveniſſet, ut ſolvendo æri alieno non eſſet idoneus; licet enim commune ſibi fratrique ſuo eſſet acceptum ſuum, dum penes Depoſitarium eſſet; jam deſiit eſſe commune, & ſuum factum eſt ob adhibitam diligentiam ad portionem ſuam a Juliano recipiendam, antequam is ſolvendo non eſſet. Quare in Jacobum recidere debet alterius portionis jactura, tamquam propriæ ipſius negligentiæ effectus, aut fortuiti caſus, quem præſtare Joannes non tenetur. *Supervacuam veterem differentiam e medio tollentes*, inquit Lex (a), *Si quis certum pondus auri, vel argenti confecti, vel in maſſa conſtituti depoſuerit; & plures ſcripſerit hæredes. & unus ex his contingentem ſibi portionem a Depoſitario acceperit, alter ſuperſederit, vel alias fortuito caſu impeditus, hoc facere non potuerit; & poſtea Depoſitarius in adverſam inciderit fortunam; vel ſine dolo depoſitum perdiderit; ſancimus non eſſe cohæredi ejus licentiam venire contra eum cohæredem ſuum, & ex ejus parte avellere quod ipſe ex ſua parte conſequi minime potuit: quaſi eo quod cohæres accepit communi conſtituto; cum ſi certæ pecuniæ depoſitæ fuerint, & ſuam partem unus ex cohæredibus accepit; nemini veniat in dubium, bene eum accepiſſe partem ſuam, & non debere aliam partem attingere.*

(a) Leg. Supervacuam. fin. Cod. depoſiti, vel contra, L. 4. tit. 34.

CASUS VI.

Lælius & Octavius, fratres, communi conſenſu depoſitam apud ſe a Petro 400. librarum ſummam in ſe ſuſcepere. Elapſis menſibus tribus depoſiti ſui reſtitutionem Petrus requirit: Lælius ipſi pro dimidia ſui parte 200. libras offert, & aſſerit, fratrem ſuum Octavium ſolvendo non idoneum factum eſſe caſu pure fortuito ob incendium domus ipſius ſubito fulmine perculſæ, in qua erant omnia mobilia, vel eumdem integro depoſito ſubrepto in regiones exteras eſſe profectum: quocirca dimidiam tantum partem depoſiti ſe præſtaturum, quæ in oblatis 200. libris conſiſtit; cum non ſit reus fraterni doli, aut fortuiti caſus, quo jam ſolvendo æri alieno impar eſt. Petrus e contra propugnat, Lælium, utpote cum Octavio fratre 400. librarum Depoſitarium, cum eo cenſeri de totius ſummæ reſtitutione in ſolidum obligatum. Numquid æquitati conſentit aſſertio Petri, ita ut ad reſtitutionem 400. librarum Lælius teneatur?

Respons.

Æquitati conſentit Petri aſſertio; cum enim ejuſdem rei multi ſimul ſunt Depoſitarii, quiſque in ſolidum de integra illius reſtitutione tenetur; & pro ſe invicem ſpondere debent, etiam de dolo ſuo communi; ita ut cum eo depoſitor agere poſſit, quem maluerit, ex qua tamen petitione erga unum non jure excidit agendi contra alios, donec ſibi totum reſtitutum fuerit depoſitum. *Si apud duos ſit depoſita res*, inquit Lex (b), *adverſus unumquemque eorum agi poterit, nec liberabitur alter, ſi cum altero agatur: non enim ex electione, ſed ſolutione liberantur. Proinde ſi ambo dolo fecerint, & alter quod intereſt præſtiterit, alter non convenietur, exemplo duorum tutorum, Quod ſi alter, vel nihil, vel minus facere poſſit, ad alium pervenietur, idemque & ſi alter dolo non fecerit, & idcirco ſit abſolutus: nam ad alium pervenietur.*

(b) Leg. Depoſitum. 1. §. 43. ff. depoſiti, vel contra. Item Niſi pro ſolido res non poteſt reſtitui. Leg. Si duo. 12. ff. eod. tit.

CASUS VII.

Zeno in equili ſuo depoſitum ad menſem tantum a Lothario equum habebat: cujus temporis ſpatio elapſo equum ſuum Lotharius a Zenone petit, qui eum ſtatim reddere abnuit. Poſtridie fortuito equus periit. Contendit Lotharius teneri Zenonem de ſolutione pretii equi ſui. Zeno e contra negat, quod abſque culpa ſua, ſed fortuito tantum equus perierit. Cui jus, & ad quem pertinet equi jactura?

Respons.

In Zenonem cadit æqui jactura; cum per ipſum tantum fuit, ut illius ſervandi obligatione foret immunis; & cum reddere noluerit Lothario, cenſetur conſenſiſſe ipſius reſtituendi eidem obligationi, quoque modo apud ſe deinceps periret. *Facto vero culpa, vel mora præcedentibus*, inquit Gregorius IX. (c), *caſus etiam fortuitus imputatur.* Idem docent Auctor Gloſſæ & alii omnes Canoniſtæ. Atqui Zeno eſt in mora; cum equum reddere pacto tempore renuerit. Caſus igitur omnes fortuitos, ſub ejus repulſa futuros præſtare tenetur.

(c) Greg. IX. in cap. Bona fides. a. de depoſito & ibi gl. v. De culpa. lib. 3. tit. 16.

Neque a deciſione Gregorii IX. diſſentiunt Leges civiles. Sic enim loquuntur (d): *Depoſitum quoque eo die quo depoſiti actum ſit, periculo ejus, apud quem depoſitum fuerit, eſt, ſi judicii accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit.*

(d) L. Si in Aſia 12. §. 3 depoſiti vel contra.

Advertendum tamen, quod, ſi ob moram depoſitarii non perierit equus, quia natura ſua perire debuerit, tunc ex Legibus ad depoſitorem ſpectat illius jactura. *Sive autem cum ipſo, apud quem depoſita res eſt, actum fuerit*, inquit una ex his Legibus (e), *ſive cum herede ejus, & ſua natura res ante rem judicatam interciderit, veluti ſi homo mortuus fuerit; Sabinus & Caſſius abſolvi debere eum, cum quo actum, eſt dixerunt; quia æquum eſſet naturalem interitum ad actorem pertinere, utique cum interitura eſſet res, etſi reſtituta eſſet actori.* Qua de re obſervandum etiam, Legem hanc de iis tantum caſibus eſſe intelligendam, in quibus depoſitarii mora pœnam non meretur; nam ſi mora pœnam mereretur, ac depoſitori fuiſſet noxia, de ea teneretur depoſitarius v. g. Lotharius eſt equorum negotiator, qui apud Zenonem equum ſuum depoſuerat, donec ipſius vendendi ſe offerret occaſio, qua oblata, equum ſuum bene valentem ac generoſum petitionis ſuæ tempore repoſcit, & quem ideo facile vendere poteſt. Zeno ipſum abſque ulla ratione legitima recuſat. Poſt aliquot dies perit equus. Zeno depoſitarius equi jacturam, non vero Lotharius pati debet; hinc iſtam exceptionem addit lex alia his verbis (f): *Sed eſt verius, ſi forte diſtracturus erat petitor, ſi accepiſſet, moram paſſo debere præſtari; nam ſi ei reſtituiſſet, diſtraxiſſet & pretium eſſet lucratus.*

(e) L. Si plures. 14. §. 1. ff. eod. tit.

(f) L. Item. 12. §. fin. ff. de rei vindic. l. 6. tit. 1.

CASUS VIII.

Martialis profecturus 1000. libras Judæ ad cuſtodiam per iter ſuum depoſitas, redux ab eo repetiit, quas poſtridie ſe redditurum promiſit: ſed promiſſi conficiendi Juda negligente, direptaque in populari ſeditione domo illius, periere mille libræ. Vult Martialis, de caſu illo fortuito teneri Judam ob negligentiam ſuam; contra Judas affirmat, cum nec deditionis nec pecuniæ ablatæ cauſſa fuerit. Cui jus?

Re-

RESPONS.

Certom eſt, pro Martiali ſtare jus, atque de damno 1000. lib. Jodam teneri, uti allata in duabus præcedentibus deciſionibus probant teſtimonia; ex quibos conſtat, quod cum data fraudatur fides, hincque proximo oritur damnum, tum inſtar damni reſarciendi obligatio: quod quidem clare docet lex his verbis (a): *Quod te mihi dare oportuerat, ſi id poſtea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum conſtat.*

(a) l. Quod te. 5. ff. de rebus creditis &c. l. 12. tit. 1.

Ratio hujuſce deciſionis eſt, qoia remiſſis Martiali eo quo petiit tempore, libris mille, direptionis eventus non accidiſſet. Idem dicendom de re vendita, cujus traditio pro pacto tempore neglecta eſt. Ita Gloſſa, Silveſter, Fumus, aliique omnes Canoniſtæ (b).

(b) Gloſſa in cap. *Bona fides*. 2. de depoſito. v. *De culpa*. Sylveſter & Barth. Fumus. v. *Depoſitum*. n. 1. & alii communiter.

CASUS IX.

Tiberius, apud quem 3000. librarum depoſuit Philippus, ad primam ejus petitionem ſe eas redditurum promiſit. Elapſo menſe pecuniam hanc Philippus reflagitat; ſed quia parem ei pecuniæ ſommam debet Philippus ab eo ante mutuatam, quam ei depoſitom illud confideret, nunc ei reſtituere Tiberius recuſat, atque creditum ſuum retento volt compenſare depoſito, quia difficilem ab eo prævidet foturam eſſe creditæ paris ſummæ ſolutionem. Qua de re quæritur, utrum Tiberius depoſitas apud ſe a Tiberio 3000. lib. abſque peccato retinere poſſit?

RESPONS.

Certom eſt, Tiberium ſuum ſibimet ſumere non poſſe ſolotionem; quia in depoſito locum non habet compenſatio, ut decidit Gregorius IX. his verbis (c): *Sane depoſitori licuit, pro voluntate ſua depoſitum revocare, contra quod compenſationi, vel deductioni locus non fuit, ut contractus, qui ex bona fide oritur ad perfidiam minime referatur, licet compenſatio admittatur in aliis, ſi cauſſa ex qua poſtulatur, ſit liquida.*

(c) Greg. IX. in cap. *Bona fides* 2. de depoſito.

Legibus Eccleſiæ hac in re conſentit jus civile, ut conſtat ex his ejus verbis (d): *Si quis vel pecunias, vel res quaſdam per depoſitionis acceperit titulum, eas volenti qui depoſuit, reddere illico modis omnibus compellatur, nullamque compenſationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quaſi & ipſe quaſdam contra eum qui depoſuit, actiones perſonales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens, cum non ſub hoc modo depoſitum acceperit, ut non conceſſa ei retentio generetur, & contractus qui a bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Sed etſi ex utraque parte aliquid fuerit depoſitum, nec in hoc caſu compenſationis præpeditio oriatur: ſed depoſitæ quidem res, vel pecuniæ ab utraque parte, quam celerrime ſine aliquo obſtaculo reſtituantur ei, videlicet primum ei, qui primus hoc voluerit.*

(d) Leg. Si quis. 11. Cod. depoſiti, vel contra. lib. 4. tit. 34.

Rem etiam eamdem conſtituit Imperator Juſtinianus ex alia Lege (e), qua probatis juſtis compenſationibus, eam expreſſe ac formaliter excipit, quæ fieri poſſet occaſione depoſiti: *Excepta actione depoſiti ſecundum noſtram Sanctionem, in qua nec compenſationem locum eſſe depoſuimus.*

(e) L. Compenſat. fin. Cod. de compenſat. l. 4. tit. 31.

Denique idem aſſerunt plures Canoniſtæ, ut Angelus de Clavaſi, Baptiſta Trovamala, & Bartholomæus Fumus (f), quorum ſententiam amplexus eſt Sylvius (g). *Tertia* (conditio) inquit, *quod cum depoſito nullum debitum poſſit compenſari*; hanc ejos rei afferens rationem: *Depoſitum enim eſt privilegiatum, idque ad fidem inter homines ſervandam.*

(f) Angelus v. *Depoſitum*. q. 12. Bapt. Trovamala in ſum. Roſella eod. v. n. 16. Barth. Fumus in aurea armilla eod. v. n. 12.

(g) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 64. art. 8. quæſito. 1. concluſ. 7. § *Quinta cauſſa*.

CASUS X.

Paullinus intra tres quatuorve menſes munus emere conſtituens, Conſtantinum rogat, ut ſibi 1000. nummos eo tempore commodet, ſi cum ejus venditore paciſcatur; aſſentitur Conſtantinus; verum elapſis quindecim diebus ad iter coactus, Paullinum invitat, ut 1000. nummos, uti depoſitum accipiat; cum ea tamen conditione, ut, ſi munus emat, de ea pecunia pretii ejus partem ſolvere poſſit: quod acceptat Paullinus; ſed poſt dies octo caſu pure fortuito inter manus Paullini hæc ſumma perit. In cujus damnum interiit hæc pecunia?

RESPONS.

Pecuniæ jacturam ferre debet Paullinus, licet caſo fortuito & abſque ſua culpa acciderit. Ratio eſt, quia in ſolam ipſius utilitatem factum eſt depoſitum, & in hoc caſu, de omnibus fortuitis caſibus tenetur. *Si quis nec cauſſam, nec propoſitum fenerandi habuerit*, inquit Lex (h), *& tu empturus prædia deſideraveris mutuam pecuniam, nec volueris crediti nomine, antequam emiſſes, ſuſcipere, atque ita creditor, quia neceſſitatem forte proficiſcendi habebat, depoſuerit apud te hanc eamdem pecuniam: ut ſi emiſſes, crediti nomine obligatus eſſes, hoc depoſitum periculo eſt ejus qui ſuſcepit: nam & qui rem vendendam acceperit, ut pretio uteretur, periculo ſuo rem habebit.*

(h) Si quis 4. ff. de rebus creditis. l. 12. tit. 1.

Ex hac eadem lege conſtat, quod ſi numeratam peconiam non habens Conſtantinus, argenteum ſoppellex Paullino dediſſet, ut ejus venditi pretio oteretur; & ſi ſuppellex illud nondum venditum periret, ob eamdem cauſſam ad Paullinum jactura pertineret, hoc eſt, quia illud venale non triboerat Conſtantinus, niſi, ut ex eo provenientem pecuniam in ſuos uſus converteret; quod etiam declarat lex alia digeſtorum his verbis (i): *Rogaſti me, ut tibi pecuniam crederem: ego cum non haberem, lancem tibi dedi, vel maſſam auri, ut eam venderes, & nummis契 uteretis. Si vendideris, puto mutuam pecuniam factam. Quod ſi lancem, vel maſſam ſine tua culpa perdideris priuſquam venderes, utrum mihi, an tibi perierit, quæſtionis eſt ..... Si non fui propoſito hoc, ut venderem; ſed hæc cauſſa fuit vendendi, ut ectereris; tibi eam periiſſe; & maxime ſi ſine uſuris credidi.*

(i) L. Rogaſti. 11. ff. eod. tit.

Iſta omnia evincit hæc ſancti Thomæ regula (K). *Alio modo aliquis accipit rem alterius in utilitatem ſuam abſque injuria, cum voluntate ſcilicet ejus cujus eſt res, ſicut patet in mutuis, & ſic ille qui accipit tenetur ad reſtitutionem ejus quod accepit, non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiamſi rem amiſerit; tenetur enim recompenſare ei qui gratiam fecit, quod non fieret, ſi per hoc damnum incurrat.* Reipſa depoſitum in circumſtantiis Caſus propoſiti tranſit in mutuum; ubi ad proprium uſum ſuum illud recipit depoſitarios, illudque ob eumdem finem confert depoſitor.

(k) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 6 in corp.

CASUS XI.

Ferdinandus, depoſiti nomine, 2000. nummorum ſommam, a Geoffrido per ſex menſes ſibi traditam ad cuſtodiendum accepit: ſed timens, ne furto ſibi depoſita pecunia abriperetur, Geoffridum adivit depoſitarius, nuncians ei, ut ſuos ſibi nummos haberet: quod facere recuſavit Geoffridus inſcius, cui magis fido amico dictam ſummam committeret. Qua de re quæritur, utrum Ferdinandus abſque infractione promiſſi ſui Geoffridum cogere poſſit ad recuperandum depoſitum ſoum?

RESPONS.

Geoffridum cogere poteſt depoſitarius ad recuperandam 2000. nummorum ſummam; neque enim jure is tenetur ad eam cuſtodiendam toto tempore convento; cum ad id non ſe ſtricto jure obligaverit, ſed ut deponenti gratom faceret, & ſub tacita conditione depoſitum illud pro arbitrio ſuo reſtituendi. Ratio eſt, quia non pejor eſſe debet conditio depoſitarii, quam deponentis. At pejor eſſet illius, quam hujus conditio, ſi depoſitum ante conſtitutum tempus reddere non poſſet; cum deponens ſuum repetere depoſitom jure poſſit, quod quocumque tempore reſtitoere tenetur depoſitarius, niſi ob legitimam cauſſam de præſenti ejos reſtitutione diſpenſetur.

Cum legibus conſentit hæc deciſio. *Si hic depoſuero apud te*, inquit una ex his legibos (l) *ut poſt mortem tuam reddas, & tecum & herede tuo poſſum depoſiti agere. Poſſum enim mutare voluntatem, & ante mortem tuam depoſitum repetere:*

(l) L. Depoſitum. 1. §. 41. & 46. ff. depoſiti vel contra.

juris formam factam non eſſe ſervandam. Pari modo tandem rem iſtam conſtituit Gregorius IX. in una ex ſuis Decretalibus (*a*) quam videre eſt in reſponſione ad ſeptimam difficultatem, & ait pariter: *De culpa quoque teneris .... ſi quid pro cuſtodia recepiſti*; aſſerit, idem etiam eſſe dicendum de eo, qui ſponte ſua & non requiſitus depoſitarium ſe obtuliſſet: *ſi te ipſum depoſito obtuliſti*. Quod etiam aſſerit lex prima quam attulimus (*b*): ſed id intelligendum de eo caſu, in quo depoſitore ſeduli & accurati depoſitarii neceſſitatem requirente & expreſſe teſtante, quis nimium de ſua præſumens vigilantia & cura, ſe ipſum depoſiti cuſtodem offerret? cum enim maximam tum curam ad depoſiti cuſtodiam adhibere teneretur, non minus ad ejus reſtitutionem, ſi forte tum periret, teneretur, quam ſi pacto expreſſo conveniſſet; quia ex propoſitione deponentis præſumendum foret, ſe apud eum non fuiſſe depoſiturum, niſi ad ejus reſtitutionem ſeſe obligaſſet in quocumque eventu; exceptis tamen fortuitis caſibus. *Sed & ſi ſe quis depoſito obtulit, idem Julianus ſcribit, periculo ſe depoſiti illigaſſe; ita tamen, ut non ſolum dolum, ſed etiam culpam & cuſtodiam præſtet; non tamen caſus fortuitos*. Hæc ſunt legis hujus verba (*c*).

(*a*) Gregor. IX. in cap. *Bona fides*. 2. de depoſito.

(*b*) Cit. l. *Depoſitum*. §. 35.

(*c*) Gloſſa in cap. *Bona fides*. 2. de depoſito v. *De culpa*. Barth. Fumus in armilla v. *Depoſitum*. Silveſter de Prierio. v. *Depoſitum*. q. 2. Colloq. Condom. tom. 3. colloq. 12. ſect. 4. &c.

CASUS XVI.

SYLVIUS acceptum a Bernardo centum nummorum depoſitum, in conclavi condere, non vero in theca ſua nummaria, ſufficiens habuit: ut vetus, quem ſibi fiſum ſemper expertus erat, famulus, cui conclavis ſui clavem commiſit, centum Bernardi nummos abſtulit & effugit. Numquid in conſcientiæ foro de ea tenetur jactura?

RESPONS.

Exiſtimamus, Sylvium teneri de reſtitutione centum nummorum, quos apud eum depoſuit Bernardus. Ratio eſt, quia non minus depoſitam rem, quam propriam curare debet depoſitarius; aliter culpæ gravis fit conſcius, ut ait jus, ac bona fide cenſetur deficere, atque adeo vel depoſitum, vel ejus valorem, ſi pereat, reſtituere tenetur. At vero in caſu propoſito, non eadem cura centum Bernardi nummos cuſtodivit, ac propriam rem, cum proprios nummos in ſua theca nummaria incluſerat, non vero Bernardi pecuniam, quam famuli infidelitati expoſuit, cui nimirum facilius conclavis ſui clavem tum committebat, cum palam proſpectus nummorum fulgor ipſum allicere poterat, eumque ad furtum inducere, uti reipſa accidit.

Hactenus dicta conſentiunt non ſolum juri Civili, ſed etiam Canonico: ſic enim in relata ſuperius Decretali loquitur Gregorius IX. (*d*): *Bona fides abeſſe præſumitur, ſi rebus tuis ſalvis exiſtentibus, depoſitas amiſiſti*. Eſt etiam Digeſtorum Lex, quæ eodem loquitur ſenſu (*e*), en ejus verba; *Nerva diceret latiorem culpam dolum eſſe: Proculo diſplicebat, mihi veriſſimum videtur; nam & ſi quis non ad eum modum, quem hominum natura deſiderat, diligens eſt; niſi tamen ad ſuum modum curam in depoſito præſtat, fraude non caret, nec enim ſalva fide minorem iis, quam ſuis rebus diligentiam præſtabit*.

(*d*) Greg. IX. in cit. cap. *Bona fides*. fin. de depoſito.

(*e*) Leg. *Quod Nerva*. 32. ff. depoſiti vel contra.

Confirmari poteſt hæc deciſio Lege divina, quæ depoſitarium ad reſtitutionem furti in hoc caſu cogit (*f*): *Quod ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnum domino*. Ratio eſt, quia depoſiti furtum plerumque non evenit, niſi ex negligentia depoſitarii, in eo quod non ipſe caveat, ut ceteri caverent. *Latæ culpæ finis eſt, non intelligere id quod omnes intelligunt* (*g*).

(*f*) Exod. 22. 12.

(*g*) Leg. *Latæ*. 223 ff. de verbor. ſign. l. 50. tit. 16.

CASUS XVII.

AMBROSIUS filius inter mobilia a Patre ſuo defuncto ſibi derelicta quinquaginta dupliones in crumena invenit, quos apud eum abſque accepti chirographo depoſuerat Antonius, inſcio etiam Ambroſio; cui cum eſſet perſuaſum, pecuniam hanc partem eſſe bonorum Patris ſui, eos ſchedularum ſortitioni, quam vulgo Loteriam vocant, ducta inani ſcheda, commiſit. Aliquanto poſt Antonius 50. dupliones repetiit ab Ambroſio, qui retulit, ſe de eorum reſtitutione teneri non exiſtimare, cum eos bona fide amiſerit. Antonius contrarium aſſerit. An ad reſtitutionem tenetur Ambroſius?

RESPONS.

Ambroſius in hoc caſu ad reſtitutionem duplionum non tenetur erga Antonium, quod eos conſumpſerit, non ditior factus: ſed ad eam teneretur, ſi ex eorum uſu in Loteria ſummam majorem minoremve lucratus eſſet, ut, ſi, v.g. ſchedulam 1000. lib. duxiſſet; tum enim ad reſtitutionem 50. duplionum teneretur; & ſi minorem habuiſſet ſummam, quam ſit depoſitum, de ſumma ducta reſtituenda teneretur. Unde ſequitur, in caſu propoſito 50. duplionum jacturam ad Antonium, non vero ad Ambroſium pertinere. *Si heres*, inquit Lex (*h*), *rem apud teſtatorem depoſitam diſtraxerit; ignorans depoſitum, vel commodatum, an teneatur? Et quia dolo non fecit, non tenebitur de re. An tamen vel de pretio teneatur, quod ad eum pervenit? Et verius eſt teneri eum. Hoc enim ipſo dolo facit, quod id, quod ad ſe pervenit, non reddit* (*i*). Conſentit hæc deciſio cum ſententia Auctoris Theologiæ moralis Gratianopolitanæ (*K*).

(*h*) L. *Depoſitum*. 1. §. 47. ff. depoſiti vel contra.

(*i*) *Dolum dumtaxat præſtare debere*. (Depoſitarium) *puto*. cit. leg. §. 8.

(*K*) De Genet. Theol. mor. tom. 1. tra t 3. c. 8 dem. 12.

CASUS XVIII.

TAMMARUS, Pariſiis apud Joſephum equum depoſuit, intra tres menſes, Lugdunum ad ſe mittendum; quem reipſa ad depoſitorem miſit Joſephus; ſed is non ſolum equi victus impenſam, verum etiam ductionis Lugdunum poſtulat: quod ipſius mergit valorem. Numquid ad utriuſque ſolutionem tenetur Tammarus?

RESPONS.

Certum eſt, a depoſitario recuperandas eſſe omnes legitimas impenſas ad depoſiti conſervationem factas, & proinde Tammarum obligari ad renumerandos Joſepho omnes ad equi victum factos ſumptus: quod ex his duabus Legibus conſtat; quarum prima ſic habet (*l*): *Sumtus cauſſa, qui neceſſarie factus eſt, ſemper præcedit: nam deducto eo, calculus bonorum ſubduci ſolet*. Altera his verbis refertur (*m*): *Actione depoſiti conventus, ſervo conſtituto, cibariorum nomine apud eumdem judicem utiliter experitur*.

(*l*) Leg. *Quod privilegium*. 8. in fin ff. depoſiti vel contra.

(*m*) *Actione* 23 ff. eod. tit.

Idem dicendum de impenſis factis ad ducendum equum Pariſiis Lugdunum; neque enim de iis tenetur depoſitarius, ſed depoſitor, qui eas depoſitario, ſi forte numeravit, renumerare debet; cum non æquitati ſit conſonum, ut qui abſque lucro depoſitum accipit, de quibuſdam teneatur ſumtibus, ſeu ad cuſtodiam, ſeu ad reſtitutionem illius. *Si in Aſia depoſitum fuerit, ut Romæ reddatur*, inquit Lex (*n*), *videtur id actum, ut non impenſa ejus id fiat, apud quem depoſitum ſit, ſed ejus qui depoſuit*.

(*n*) L. *Si in Aſia*. 12. & cit. Leg. *Quod privileg*. 8. eod. tit.

CASUS XIX.

APPONIUS, in remotam provinciam hæreditatis capiendæ cauſſa profecturus, apud Guillelmum 300. ovium gregem paullo ante velleris tonſionem deponit: adveniente illo tempore, cum Apponius ex itinere ante exeuntem autumnum redux eſſe nequeat, Guillelmus oves attondit, gregiſque lanam ſibi arrogat, uti agnos, quos edidere matres abſente Apponio, qui redux utriuſque & lanæ & agnorum reſtitutionem a Guillelmo repoſcit. Numquid ad eam ſub reatu peccati tenetur Guillelmus?

RESPONS.

Certum eſt Guillelmum ſub peccato teneri ad reddendum Apponio lanam & agnos, quos e grege apud ſe depoſito percepit: fructus namque depoſiti in ipſum tranſeunt depoſitum; ita ut depoſitarius eos, uti rem ipſam depoſitam reſtituere teneatur. Guillelmus igitur ſua facere nequit lanam & agnos, quæ, cum ſint gregis fructus naturales, ejus ſunt, qui gregis eſt dominus. *In depoſito & commodato fructus quoque præſtandi ſunt*, inquit Lex (*o*), *hanc autem actionem bonæ fidei eſſe, dubitari non oportet*, ait etiam Lex alia (*p*), *& ideo & fructus in hanc actionem venire, & omnem cauſſam & partum dicendum eſt, ne nuda res veniat*:

(*o*) Leg. *Videmus*. 38. §. 10. ff. de uſuris. l. 22. tit. 1.

(*p*) L. *Depoſitum*. 1. §. 23. & 24. ff. depoſiti vel contra.

Attamen de impenſis Guillelmi ad cuſtodiam & victum nec non gregis tonſionem tenetur Apponius.

Digitized by Google

ponius, ut patet ex duobus prioribus Legibus citatis in reſponſione ad caſum præcedentem, quaſque iterare inutile eſt.

CASUS XX.

Tatianus, depoſitis apud Claudium 100. duplionibus, paullo poſt homicidium commiſit, propter quod ex Arreſto Parlamenti ipſe capite damnatus eſt, & omnia ipſius bona fiſco Regio addicta ſunt. Poteſtne Claudius in hac hypotheſi 100. dupliones reſtituere Tatiano, qui e carcere aufugit, & iis impenſe eget; an vero eoſdem legitimis ſuis heredibus reddere poteſt, ſi morte plectatar; an denique ad Regium fiſcum afferre tenetur?

Respons.

Cum negari nequeat, Legibus ſtatui poſſe bonorum confiſcationem erga reos, exiſtimamus, Claudium in ſpecie propoſita ſtatutis earum ſe ſe conformare debere. Ita Silveſter de Prierio (a), qui ſuam ſententiam ex hac Lege probat (b): *Reus capitalis judicii depoſuit apud ſe centum nummos; is deportatus eſt, bona ejus publicata ſunt. Utrum ne ipſi hæc reddenda, an in publicum deferenda ſint? Si tantum naturale & gentium jus intuemur; ei qui dedit reſtituenda ſunt. Si civile jus & Legum ordinem, magis in publicum deferenda ſunt. Nam male meritus publice, ut aliis exemplo ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate laborare debet.* Unde ſic concludit hic Canoniſta: *Reddere non tenetur,* inquit ..... *ſi deponens poſt depoſitum ſuit deportatus, & bona ejus publicata, quia in publicum depoſitum deferendum eſt, non ei qui depoſuit.* Angelus de Clavaſio, qui ante Silveſtrum, hoc eſt, ad an. 1480. ſcribebat, eamdem opinionem tuetur (c), & poſt ipſos Fumus in ſua ſumma *Aurea Armilla*, & Baptiſta Trovamala, Auctor ſummæ, quæ *Roſella* inſcribitur (d), quos omnes ſecutus eſt eruditus Colloquiorum Condomenſium Auctor (e), idque eo majori ratione, quod negari non poſſit, bonorum ſuorum dominio reum ſpoliari poſſe auctoritate legum, cum jure eum morte condemnent, ut conſentit ſanctus Thomas, & cum eo Theologi omnes & Canoniſtæ.

(a) Silveſt. v. *Depoſitum.* q. 10.
(b) L. Bona fides. 31. ff. depoſiti vel contra.
(c) Angelus de Clav. in ſum. Ang. v. *Depoſitum.* q. 9.
(d) Barth. Fum. v. *Depoſitum.* n. 11. & Bapt. Trovamala, eod. v. n. 1.
(e) Colloq. Condom. Colloq. 12. ſect. 2.

CASUS XXI.

Mamertus, Religioſus Ordinis reformati, in quo Theologiam profitetur 1000. libras apud Ambroſium pannorum mercatorem depoſuit; eumque rogavit, ut, ſi publicus monetarum minueretur uſus, eas in ſuo vellet occupare commercio, quo jacturam evitaret: quod cum fecerit Ambroſius, & poſt dies octo ab interdictione publica hujus pecuniæ 1000. libras Mamerto reddere voluiſſet, denuo rogavit eum ille Religioſus, ut ſibi habere vellet donec repoſceret; ſimul ipſi injungens, ut ſi moreretur, eas Monaſterio, in quo tum habitabat, conferret; niſi aliter de iis ſtatuiſſet. Ambroſius, qui exinde cognovit, pecuniam hanc non eſſe privati alicujus depoſitum, ſed peculium, quod ſibi contra votum ſuum paupertatis reſervare volebat hic Religioſus, timet peccati illius fiat particeps. Quare poſtulat 1. an verum ſit Religioſum illum non poſſe abſque crimine, hanc ſibi habere pecuniæ ſummam. 2. An, poſito quod non poſſit, illius peccati fieret particeps, hoc ei depoſitum ſervando, an vero ipſi reddere teneatur, ne ejuſdem cum eo fiat conſcius peccati?

Respons.

Ad primam quæſtionem reſpondemus, dicendo, nullum Religioſum profeſſum, ſibi peculium ſervare poſſe, ut eo, tamquam dominus & ad arbitrium utatur. Veritatem hanc adſtruunt Conciliorum deciſiones, Patrum Eccleſiæ doctrina, ac celeberrimi tum Theologi, tum Canoniſtæ.

Concilium Moguntinum, a Rabano Moguntiæ Archiepiſcopo an. 847. Pontifice Summo Leone IV. (f) & imperante Lothario habitum, proprietatem Religioſis his verbis prohibet: *Nullus Monachorum aliquid proprietatis habeat, & res ſæculares, quibus renuntiavit, nullatenus ſibi uſurpet.*

(f) Concil. Mogunt. c. 24.

Concilium Generale Lateranenſe ſub Alexandro III. contra Valdenſes & Albigenſes an. 1179. a 300. ferme Epiſcopis habitum, Religioſis proprietatem indicta excommunicationis & privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ pœna vetat (g): *Si quis autem ... peculium habuerit*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *niſi ei ab Abbate pro injuncta fuerit adminiſtratione permiſſum, a Communione removeatur Altaris; & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam.*

(g) Conc. Lateran. III. c. 10.

Concilium Monſpeliacenſe an. 1254. habitum ſimiliter Religioſorum proprietatem damnat (h), & ſtatuit, ut qui peccati hujuſce ſunt conſcii, in Capitulo excommunicati ſingulis diebus dominicis denuncientur. En ejus verba: *Mandamus, ut in quolibet Monaſterio, vel Canonica regulari diebus dominicis in Capitulo excommunicentur.*

(h) Concil. Monſpel. Can. 19.

Concilium Oxonienſe (i) an. 1222. ſub Pontificatu Honorii III. coactum etiam declarat, Religioſos ad teſtandum eſſe inhabiles, cum nihil ſibi proprium habere poſſint, neque adeo de quopiam ex teſtamento conſtituere. *Quoniam non licet viris Religioſis aliquid proprium poſſidere; qui ſe & ſua pariter in Religionis ingreſſu Domino dedicarunt; præſenti auctoritate definimus ut, nulla perſona in regulari ordine conſtituta condere teſtamentum præſumat, cum nihil habeat ſuum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum.* Ita loquitur illud Concilium.

(i) Concil. Oxonienſe. tit. quod Religioſi non condant teſtamenta &c.

Mobilium etiam dominium Religioſis a Concilio Tridentino prohibetur (K). En verba ipſius Decreti. *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus, poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Atque ut Superioris & Religioſorum colluſioni iret obviam ſacrum illud Concilium, addit: *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad uſumfructum, adminiſtrationem, aut commendam.* Tum contra refragantes, quas merentur, pœnas conſtituit. *Quod ſi aliquis quidquam tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, biennio activa vel paſſiva voce privatus ſit &c.*

(k) Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 2.

Decretum illud confirmat Clemens VIII. ex Bulla ſua ſexageſima 20. Martii an. 1601. lata, idemque prohibet, addens pecuniam ex cauſſis in ea memoratis provenientem, in qua ſic habetur (l): *Præcipitur*, inquit hic Papa, *ut nullus ex fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis .... aliove ipſorum labore & cauſſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, etiam nomine conventus poſſidere poſſit; ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur & conventui incorporentur.*

(l) Clemens VIII. in Bulla. Nullus. §. 2.

Conciliis hac in re conſentiunt ſancti Patres. Aſſerit S. Baſilius (m), Religioſum, qui ſibi proprium quid retinet, non dignum eſſe vocari filium Eccleſiæ eumque Communitati, quod ſibi habet, furari; in quo Judæ haud abſimilis eſt. Refert S. Hieronymus (n), Religioſum quemdam Monaſterii Nitriæ, qui retia contexendo centum nummos inde collectos retinuerat, a ceteris Religioſis ſepultum fuiſſe, terrenda hæc verba proferentibus: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Scribit quoque S. Gregorius Papa (o) Religioſum quemdam, qui poſt mortem ſuam tres inventus eſt habere nummos aureos, ab aliis Religioſis cum pecunia ſua, in fimo fuiſſe ſepultum. Religioſos proprietarios cum Juda confert S. Petrus Damiani, eoſque magis inexcuſabiles eſſe, quam Ananiam & Saphiram affirmat (p). Ipſi tandem Chriſtiani Principes ſuam interpoſuere auctoritatem ad ſtabiliendam hanc diſciplinam (q).

(m) S. Baſil. in parvis reg. interrogat. 85. & in conſtitut. Monaſtica.
(n) S. Hierom. Epiſt. 22.
(o) S. Greg. l. 4. Dialog. 44.
(p) S. Petr. Damiani opuſ. 24. c. 4. & 5. & opuſc. 32. c. 3.
(q) Juſtinianus, Novella, 131.

Quid mirum poſtea, ſi declaraverit Innocentius III. in una ex ſuis Decretalibus Papam cum Monacho de paupertatis voto, ne dum Abbatem, vel ſuperiorem diſpenſare poſſe, quia ſtatui religioſo non minus annexa eſt paupertas, quam caſtitas. *Nec æſtimet Abbas*, inquit hic doctus Papa, *quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare, quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Quod tamen intelligendum eſt *in ſenſu compoſito*, hoc eſt,

quan-

quamdiu Religioſus remanet: cum fieri non poſſit, ut ſit vere Religioſus, niſi tribus Religionis ſolemnibus votis obligetur.

Facile colligi poteſt ex hoc principio tam inconcuſſo, quod, cum ex Mamerti reſponſione Ambroſio ſit perſuaſum 1000. libras ab illo Religioſo cuſtodiæ ſuæ commiſſas, non eſſe cujuſpiam amici depoſitum, ſed illius Religioſi proprium contra votum paupertatis peculium, tenetur eaſdem ipſi remittere, ne ipſius peccati fiat particeps, eas cuſtodiendo. Addimus etiam, eum ex caritate teneri ad ipſum commonendum de ſuo peccato. *Vide* Tit. RELIGIOSUS.

CASUS XXII.

QUÆRITUR hic utrum Jacobus, unus ex Creditoribus Petri, tuta conſcientia cum Joanne, Petri tutore poſſit tranſigere, ipſi nonnulla dando inſtrumenta, quæ ad ipſius tutelæ geſtionem pertinent. Sic autem ſe res habet.

Nomina eorum de quibus fit mentio in hoc caſu.
1. Petrus, qui e pupillo factus eſt major.
2. Joannes tutor Petri.
3. Jacobus & Paulus ſponſores & creditores Petri.
4. Stephanus alter Petri creditor.

Petrus pupillus, qui in Joannis tutela erat, jam major, ſeu extra poteſtatem ejus factus, in jus eum vocat, ut ſibi geſtæ tutelæ rationem reddat, contendens, eum ſibi 1000. libras & plures etiam debere. E contra quatuor librarum millia a Petro ſibi deberi, a ſe impenſa ultra acceptum e bonis ipſius pupilli, Joannes affirmat. Jam a triginta annis lis illata, etiamnum injudicata remanet. Multa interim credita maxima Petrus contraxit, pro quibus pleriſque ſpopondere Jacobus & Paullus, atque imprimis pro ſumma 1000. librarum, quam a Stephano mutuam acceptam ſolvere poſtea coacti ſunt hi duo Petri conſponſores. Interea Petrus ære alieno etiam demerſus moritur, ejus bona Præconis voci ſubjici curant ipſius Creditores. Jacobus, unus e defuncti ſponſoribus, litis impenſas moleſtiamque fugiens, debitæ ſibi ſummæ majorem partem mavult amittere, atque cum Paullo tranſigit, cui omnia ſua in rem defuncti jura cedit pro pacta ſumma, quam præſentem Paullus numerat exceptis tamen multis uſuris variis, quæ ſibi legitime debentur; & ad ſummam 6000. librarum pertingunt.

Paullus tranſcripti ſibi a Jacobo debiti ſolutionem integram extricat; is vero adeo detrimentoſæ cum Paullo factæ tranſactionis pœnitens, læſionem, quam paſſus eſt, coram omnibus expoſtulat, in cujus ſolatium Paullus ipſi refert, a ſe detectas fuiſſe quaſdam Petri tabulas, quas vir jam pridem mortuus apud privatum quemdam depoſuerat, a quo eas pro decem duplionibus æcepit. Igitur eas Jacobo transfere, ut 6000. lib. uſurarum, ab hæredibus Petri debita, ſibi ſolvenda procuret, & quæ ex pacto cum Paullo inito ſibi reſervarat.

Jacobus Joanni, Petri tutori declarat, ſe iſtas habere tabulas, quæ ſunt ordinatio rationum, quas a Joanne ſibi debitas Petrus, ejuſve heredes contendunt; quæ rationes ad ſummam 100000. lib. pertingunt, eaſque ſe non in eum eſſe adhibiturum promittit, ſi 6000. lib. quæ ſibi de bonis Petri, antea pupilli ſui debentur, ſolvere velit. Joannes, qui timet, ne, ſi manifeſte fierent hujuſmodi rationes, redintegraretur, lis quam tamdiu in Petrum ejuſque hæredes defendit, ex quo omnium fortunarum ſuarum naufragium pateretur, oblatam ſibi a Jacobo conditionem accipit, eique perſolutis 6000. librarum, ordinationem rationum ſibi ſumit, ut videlicet ſuppreſſa, ſibi impoſteſum noxia eſſe nequeat.

Quæritur ea de re, utrum Jacobus tuta conſcientia, ſic tranſigere, eique tabulas illas dare potuerit, inſciis nec conſentientibus aliis Creditoribus.

Sed priuſquam quæſtioni fiat ſatis, intereſt recordari. 1. Petrum, ut ſupra dictum eſt, ante mortem ſuam litigare cum Joanne, quem ſibi 10000. lib. debitorem eſſe contendebat; contradicente Joanne, qui hunc 4000. lib. ſibi debere affirmabat. 2. Hanc rationum ordinationem non ſufficere ſolam abſque aliis tabulis, quæ non reperiuntur; ut jus ſuum in Joannem Petrus experiatur. 3. Prolatione hujuſce ordinationis rationum reviviſcere poſſe antiquam litem, cujus eſt incertus exitus & Petro forſan detrimentoſus; cum ex hoc inſtrumento ſufficienter non comprobaretur jus illius, ut ſupponitur, & alia, quæ in esm rem forent neceſſaria inſtrumenta, non inveniuntur, neque veriſimiliter inveniri poſſunt, cum a Petro ejuſque hætedibus per diuturnitatem proceſſus inveniri non potuerint: quod quidem eo æquius præſumitur, quia in ea Provincia res tota confecta eſt, in qua ultra 30. annos exemplaria contractuum Notarii aſſervare non tenentur; quare ea penitus, tamquam contrahentibus inutilia negligunt. Addi poteſt etiam, quod ſi proferretur inſtrumentum illud, multæ aliæ naſcerentur inde lites, quæ & pacem & fortunam multorum nobilium everterent. 4. Obſervandum, Jacobum non eſſe detentorem malæ fidei inſtrumenti quod a Paullo ſibi collatum eſt, cum ſibi non fuerit commiſſum, ut cuipiam reſtitueretur, illudque amicorum gratia & caſu recuperarit: quocirca illud Joanni, ut videtur, dare aut non dare, aut etiam Creditoribus hæredum Petri libere poteſt.

RESPONS.

Exiſtimamus, Jacobum tuta conſcientia non potuiſſe conferre Joanni ordinationem rationum, de qua agitur in ſpecie propoſita, inſciis & non conſentientibus Petri Creditoribus, quidquid in contrarium afferatur. Ejus rei evidens eſt ratio: hoc enim inſtrumentum ad Creditores ſpectat, qui, ſi forte hæreditatis Petri præſentia bona non ſufficiant ad integram ſolutionem ſuam, Joannem tutorem ipſius appellare poſſunt ſponſorem, ſi ex litis judicio erga pupillum ſuum ſit debitor; atque ex hoc inſtrumento novum poſſunt acquirere lumen, ut pro ſe feratur ſententia litis decretoria; quo in caſu eo inſtrumento defraudare non poteſt Jacobus, niſi ſe evidenti injuſtitiæ manifeſtæ periculo committat.

Atque in eam ſententiam ex hac ratione potiſſimum inducimur, quia, ſi Joannes non exiſtimaſſet, hoc inſtrumentum ſibi fore in Petri creditores 6000. lib. indebita non ſolviſset; cum non ſit veriſimile, eum ad ſolutionem tantæ ſummæ fuiſse inductum ſolo timore, ne illata ſibi a pupillo ſuo lis reſumeretur, quo inſtrumentum haberet, quod Creditoribus inutile, & ſibi proinde non noxium putaſset.

Cum itaque dicitur, ex hac rationum ordinatione non novum Petri ejuſve hæredum juri pondus accedere, ſine aliis etiam, quæ non reperiebantur, inſtrumentis; reſpondendum, inſtrumentum illud præcipui ſaltem fuiſse momenti; cum illud tanto emerit pretio Joannes, & Creditores, viſa illa rationum ordinatione, cetera, quæ ſibi deeſsent, inſtrumenta recuperare potuiſse; aut inſtrumentum illud cetera jam in litigio producta magis decretoria effeciſse. Enim vero cur aliter de ſex millium jactura inutiliter periclitatus eſset Joannes ad extinctionem inſtrumenti ſibi inutilis?

Neque etiam injuſtam illius ſubductionem de injuſtitiæ nota purgare poſsunt lites ex ejus prolatione emergentes, ceteraque, quæ inde dicuntur naſcitura incommoda: neque enim coram Deo vel hominibus conſecutiones ex traditione illius futuras præſtare debuiſset Jacobus: & aliunde malum numquam licet facere, ut aliud vitetur, aut bonum procuretur, juxta illud Apoſtoli (a): *Non .... faciamus mala, ut inde veniant bona*. Quod etiam probat Gloſsa ex multis canonibus, quos allegat (b): & id quidem verum eſt, licet malum vitandum, multo majus eſset eo, quod fit, malo; ut probat etiam Auctor ejuſdem Gloſsæ ex canone depromto e ſancti Auguſtini operibus, quem refert Gratianus in Decreto (c).

Denique falſa eſt omnino ea ratio qua affirmatur, Jacobum non eſse malæ fidei poſseſsorem inſtrumenti, de quo agitur, quod ſibi eo fine non fuiſset commiſsum, ut alicui reſtitueretnr: Ubi enim aliquis detinet, quod ſuum non eſt, quodque ſcit, aut ſcire tenetur eſse alterius, tum eſt poſseſsor malæ fidei, cum proprio domino eam rem non reſtituit; ut patet ex Decretali Alexandri III. in corpore juris relata (d). At vero inſtrumentum illud non erat Joannis, ſed Creditorum Petri, cum in ejus bona jus illorum ſtabi-

lire

(a) Rom 3. 8.
(b) Gloſſa in Cap. *Non Magnopere*. 3. tit. Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant. v. *Obtentu*. & apud eam. *Non eſt putanda*. 27. q. 7. 1 Can. *Forte*. 3. 14. q 5. Can. *Primum*. 8. 22. q. 2. Can. *Si tu abſtines*. 24. 27. q. 7. Can. *Sicut*. 8. 32. q. 4. & Cap *Super eo*. 4. de uſuris.
(c) Can. *Quod ait*. 1. diſt. 35.
(d) Alex. III. in cap. *Vigilanti*. 5. de præſcription. l. 2. tit. 26.

lire poſset: Illud igitur illæſa juſtitia bonaque fide retinere poterat Jacobus aut Joanoi remitrere, ut magno Creditorum præjudicio ſubduceretur; ſed illud idem creditoribus illis, ad quos pertinebat, reſtituere tenebatur.

C A S U S XXIII.

Solo, brevi moriturus, quadringentos nummos, de quibus privatos quatuor defraudaſse coofeſsus eſt, Paullo Confeſsario ſuo eiſdem privatis reſtituendos commiſit: quo cognito Solonis hæres, ſoſpicans ſommam illam non eſse depoſitum, ſed donum Paullo a defunćto ſactum, ipſi vadimonium eo fine dixit, ur de reſtitutione ſummæ illius damnaretur.

1. Potoit ne ac debuir Paullus depoſitum illud in ſe ſumere? 2. Quid ipſi ſacto opus eſt? nam ſi dicat ad reſtitutiooem depoſitum illud deſtinari; Solonis cooſeſſionem, ſaltem indirecte maniſeſtat, ipſumque reddit inſamem. Si vero ſummam illam hæredi reſtituar, deſuncti intentionem ſruſtratur: & quatuor privatos pecunia eorum ſraudat. Quid ſacto opus?

R a s p o n s.

1. Reſpondemos, Confeſsarium non ſolum potuiſſe, ſed ex præſcripto caritatis debuiſse hoc in ſe depoſitom ſomere, cum abſque ſui inſamia per alios reſtitoere Solon non poſset. Ad Paulli tamen prudentiam pertinebat, ne ſummam illam, niſi coram probatis teſtibos, ſi æger conſentire voluiſset, acciperet, & de ea etiam in Teſtamento aut alio ægri manu ſubſcripto chirographo fieret mentio, quo majoris ſummæ acceptæ non eſset ſuſpicio.

2. Ex vadimonio ſibi ab hærede Solonis indicto, ab ipſo oon eſse declarandum, hanc quadringentorum nummorum ſummam a deſuncto apud ſe ſuiſse depoſitam, ut eam quibuſdam ſibi deſignatis perſonis reſtitueret, com ita loquens, indirecte ſaltem confeſſionem revelaret; quod quacumque de cauſa nomquam eſt licirum. Hoc unum igitur affirmare debet, hanc ſcilicet ſummam apud ſe non ſuiſse depoſitam ot in ſuum, aut alicujus Lege prohibiti & qui ſit donationis incapax, emolumentum converteretur, ſed ut ejus fieret uſus juxta deſuncti morientis intentionem & mandatum. Et ſi Confeſsarius ille ſoret Religioſus, requireretur etiam, ut affirmaret hanc ſibi pecuniam non fuiſse traditam ad proventum Monaſterii ſui. Hoc ſolom a Confeſsario exigere poſsont Judices in ſimili caſu: hoc etiam ipſis ſatis ſuit, ipſis licentiam faciendo eorum intentiones perficiendi, qui hujuſmodi depoſita ipſis commiſerunt: quia fides eſt ei adhibenda, cui propriam voluntatem maoifeſtavit deſunctus. Dictio unius teſtis ſtatur ex voluntate & diſpoſitione deſuncti, cojus ſoli diſpoſitioni ſtaretur, inqoit Bartolus (a) in ſuo ſummario in titulum legum Digeſtorum. Verum quidem eſt, quod unius teſtimonium, or obſervat Gloſsa (b), ſit tantum ſemi probatio: ſed ea in re ſufficit, præſertim ſi illam atteſtetur Eccleſiaſticus cum juramento, ot patet ex Decretali Clementis III. & ut probat Gloſsa in hanc Decretalem (c) ex ſeptem octoove teſtimoniis juris canonici & civilis.

(a) Bartol. arg. Leg. *Theopompus*. 24. ff. de doto prælegata. l. 33 tit. 4.
(b) Gloſſa v. *Quantitas*.
(c) Gloſſa in c. *Ex inſinuatione* 3. de procuratoribus v. *Clerici*. lib. 1. tit. 38.

Confirmantur hactenus dicta ex moltis Arreſtis. Primum, quod reſert Montholon an. 1580. a Senatu Pariſienſi latum eſt a D. de Thou, runc Proto-præſide ſententiam Præfecti Pariſienſis confirmante, quo Arreſto Jacobi Perdrier deſuncti hæredes tria millia nummorum apud Franciſcum Pelletier Parochum ſancti Jacobi ad Carnificinam Pariſiorum deponere ſuere damnari, ut juxta intentionem deſuncti, qui eam io confeſſione declararat, illorum fieret oſus.

Alterum, quod reſert Baſnage (d) in conſuetudinem Normanam, latum eſt 7. Aug. an. 1635. quo D. Petro Chretien, ſancti Patricii Parocho Rothomagenſis ob ſimplicem declaratiouem ſuam facta eſt auctoritas ſtatuendi de legatis occultis, quæ dicta Ovin ipſius cognata ſecerat in bona opera, ut ipſa declararat.

(d) Baſnage in conſoetud. Norman. art. 412.

Tertium, quod reſert idem Auctor 7. Aug. an. 1637. latum eſt, quod decretum eſt, ut idem Parochus ſancti Parricii, qui declaraverat, ad ſe factum non pertinere, neque dolum ullum intervenire, contra edicta aut conſuetudinem, pro conſcientia ſua ſtatueret de mille octingentis libris, quas ei tradi juſserat Philippus le Marchand, in Parlamento Rothomagenſi Procurator, ut in confeſſione maniſeſtatas ei intentiones ſuas perficerer.

Quartum atiam quod, reſert Baſnage latom eſt 22. Feb. an. 1648. quo Boni Thomas, Domini de Auberville probata eſt ſcripta coram muliere ſua mulriſque nobilibos amicis ſuis traditio triom millium qoingentarum librarum ſacta Parocho Juganvillenſi, ut juxta voluntatem ſuam in confeſſione ipſi pateſactam impenderentur.

Quintum denique ab eodem Normano Parlamento latum eſt 20. Julii 1707. de ſimili depoſito, quod deſuncta Domina Marchioniſſa Lucernenſis depoſuerat apud Patrem Jacobum Feret e Societate Jeſu in Collegio regio Cadomenſi, quo Arreſto ad declarationem quam ſecit, depoſirum illud oullatenus ad aliqood Patrum Societatis collegium aut ad perſonas prohibitas pertinere, decretum eſt, ut dictus Pater Feret occultas deſunctæ intenriones perficeret: ejuſque hæredes impenſis damnati ſunt; ac duodecim libris Gallicis mulctati.

Adverrendum, dictum a nobis ſuiſse, quod qui tale a moriente accipit mandatum, ſimulque depoſitum, cavere debet, ne illud ſibi ſumar, niſi, poſtquam deponens hanc ſuam voluntatem aut Teſtamento ſuo aut aliquo ſuo Chirographo maniſeſtarit, non ſolum ut omnem a ſe pravam amoveat ſuſpicionem, ſed ut tutior fiat mandati ſui executio; cum certum ſit non eamdem haberi rationem declarationis ſuæ, niſi deſuncti ſit confeſſarius. Extat ea de re ſamoſum Arreſtum Senatus Pariſienſis, quod Reſert Bardetus (e), larum ad concloſiones D. Servin generalis Advocati 19. Feb. an. 1624. proſerente D. de Verdun Protopræſide; quo, cum D. Julianus Bourree, Sacerdos, Procurator Collegii Cenomani Pariſiis, ad mortem ægrotans, biduo ante obitum ſuum apud Antonium Doublet amicum ſuum mercatorem mille trecentas ſeptuaginta duas libras depoſuiſſet, ſimul ei indicens, ne cui rem detegeret, ſed illius ſummæ partem in pia opera, partem in varia, quæ deſcripſit, legata impenderet; cumque mulier paupercula, Sacerdotis neptis, cui quinque erant filii dicto Antonio Doublet diem dixiſſer, ut ſe damnatum videret ad declarandum, quidquid io ſua erat poteſtate de rebus deſuncti; hæc Arreſtum obtinuit, ob convenientes, quas protulit D. Mimbaucourt ipſius Advocatus, rationes, & ad concluſiones D. Servin generalis Advocati, quo Curia ſtatuit, ut huic nepti integram apud ſe a deſuncto depoſitam ſummam traderet Aotonius.

(e) Bardets t. 2. l. 2. c. 8.

C A S U S XXIV.

Philidor, ortu Polonus, graviter Pariſiis ægrotans, quo venerat pellium mercaturam facturus, apud Harduinum, hujus urbis mercatorem depoſuit, ſimul ipſi injungens, ut poſt obitum ſuum hanc ſummam Godeſrido amico ſuo & beaefactori hoſpiti ſuo daret in ſignum grati ſui aoimi. Mortuo Philidore poſt dies octo, Godeſridus, cui nota erat deſuncti voluotas & ipſius mandatum Harduino datum, ab eo 100. dupliones petiit, ſed tradere recuſavit. Harduinus aſſerens, dictum ſibi ſuiſſe hanc ſummam jure Albinatus ad Regem pertinere; Harduini infidelitati vehementer reclamavit Godeſridus: qua de re quæritur, utrum ſub peccati conſcientia non teneatur Harduinus, ad dandam Godeſrido pecuniam illam?

R a s p o n s.

Harduinus 100. duplionum Godeſridi depoſitarius, Godeſrido ſummam illam conſerte non poteſt, etſi promiſſo erga Philidorem adſtrictus ipſius juſſa perficiendi, niſi advena ille ex Regio diplomate ſibi conceſſo Gallicam obtiouiſſet Civitatem. Ratio eſt, quia pecunia illa, ceteraque Philidotis morientis mobilia ad fiſcom pertineot ex legibus regni, quibus Advenæ in regno morienti, nec prius Civitate donato non licet de ſuis bonis diſponere, niſi ad valorem quinque aſſium Pariſioorum. Unde, ut Romani de eo, qui jus ferendi annulom aureum obtinuerat a Principe, dicebant: *Vivit ut ingenuus*,

mortiur

Digitized by Google

vitur quaſi libertinus: de Albino quoque in Gallia dicitur: *Vivit liber, moritur ut ſervus*: quia ex legibus regni de bonis ſuis per donationem cauſſa mortis ſtatuere non poteſt, & Regi ab ipſo ejus obitu ſunt acquiſita. Id multis Edictis fuit ſancitum, Edictis præſertim Caroli VI. 5. Septembris an. 1386. Caroli VIII. an. 1431. & ex Edicto Bleſenſi.

Jus illud Albinatus pro advenis Galliæ non eſt ſingulare, cum olim apud Romanos vigeret, ut ex lege Codicis Juſtiniani videre eſt, in qua ſic habetur: *Peregrini capere non poſſunt* (hæreditatem) (*a*): & ex alia Digeſtorum (*b*).

(*a*) Leg. Qui *deportantur*, 1. Cod. de hered. Inſtitut.
(*b*) Leg. Sed *ſi* 4. §. 1. ff. eod. tit.

Jus illud in Galliam invectum eſt, 1. ut agnoſceretur regnicola ab eo, qui ſub alieni Principis dominatu natus eſt. 2. Quia ceteri Principes Galliæ finitimi idem jus jam conſtituerant in ſuis ditionibus in eos, qui e Gallia erant oriundi, & ideo par erat, ut a Regibus Galliæ in ſubditos aliorum Principum jure compenſationis conſtitueretur.

Ab iſta tamen generali regula excipiuntur advenæ, qui Lugduni & Campaniæ nundinas adeunt; cum enim in Gallia tum obeunt, tamquam Albini non habentur, ob conceſſionem multorum Regum, ac præſertim Philippi Valeſii diplomate ſuo an. 1330. & Caroli VII. eodem diplomate ſuo an. 1441. (*c*). Idem dicendum de incolis Avenionis, quia cenſentur Regnicolæ vi diplomatum Ludovici XII. 8. Maii an. 1479. (*d*).

(*c*) Bouchel. Bib. juris Gallici. v. *Albinatus*.
J. Bacquet Adv. tract. de jure Albinatus, c 14.
(*d*) Jacobus Bacquet tract. du jure Albinatus. 1. part. c. 7.

DESIDERIUM.

DESIDERIUM bonum a Polmano definitur (*e*): *actus appetitus tendentis in bonum abſens; ad illud aſpirando & anhelando.*

(*e*) Polman. Brev. Theol. part. 1. a. n. 94.

Duplex Deſiderii genus diſtinguendum eſt; aliud efficax; aliud inefficax.

Deſiderium, quod efficax dicitur, a Polmano definitur: *actus appetitus, tendentis in finem per electionem mediorum, ad aſſecutionem illius ordinatorum*. Vel clarius; *eſt abſentis boni affectus, quo poſito ſequitur effectus, ſecluſo impedimento*. Hæc eſt etiam Theologi definitio (*f*) a quo deſiderium inefficax dicitur (*g*): *actus appetitus, aſpirantis ad bonum abſens cum mera velleitate*, hoc eſt, *abſque voluntate eligendi medii ad bonum aſſequendum*. Hanc quoque definitionem addit hic Theologus (*h*), quæ rem magis præciſe & dilucide explicat: *Deſiderium inefficax eſt abſentis boni affectus, quo poſito non ſequitur effectus, ſecluſo impedimento*: & de hoc deſiderii genere id præcipue intelligendum, quod vulgo dicitur; deſideriis inefficacibus infernum eſſe refertum.

(*f*) Idem Polm. loc. cit. n. 95.
(*g*) Id. ibid. n. 93.
(*h*) Id. ibid. n. 94.

Deſiderium quodlibet poteſt eſſe bonum vel malum, mortale vel veniale, pro qualitate objecti ſui, ut infra patebit.

CASUS PRIMUS.

SIMONA ſingulari virtute mulier, humanam vitam adeo faſtidit ob innumera ejus mala, & ob imminens diſcrimen peccandi lethaliter, quod multis etiam piis ad extremum contigit, ut mortem ſibi quam ſæpiſſime deprecetur, ut ſimile vitet periculum, cui, non minus aliis ſe novit eſſe obnoxiam. Ea de re magnum ei ſcrupulum injecit ipſius Confeſſarius; unde poſtulat, utrum deſiderium tale coram Deo ſit criminoſum?

RESPONS.

Mors, inquit S. Gregorius Nazianzenus (*i*), *diſceſſus ad Deum, vel deſiderii cumulus, vel vinculorum ſolutio, vel oneris excuſſio appellanda eſt*. Ob eas cauſſas Simona, aliique juſti mortem abſque peccato poſſunt ambire; modo deſiderio ſuo comes ſit perfecta & integra voluntati divinæ ſubjectio.

(*i*) S. Greg. Nazianz. orat. 18.

Reipſa ad juſtitiam neceſſario requiritur amor Dei perfectus: nec perfecte amatur Deus, niſi deſideretur viſio ejus & poſſeſſio; quæ eſſe nequit, niſi per mortem tranſeundo, quæ neceſſaria eſt ad ipſum poſſidendum janua, juxta illud Evangelii (*K*): *Tranſit a morte in vitam*. Unde Paulus dicebat (*l*): *deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*: & Sapiens ipſe ſic aſſerit (*m*): *Sperat autem juſtus in morte ſua*. Enimvero, ut alibi ait Scriptura (*n*): *Melior eſt mors, quam vita amara*.

Ita ſemper ſancti ſenſere, teſtibus S. Auguſtino (*o*) pioque ſoliloquiorum, quæ inter opera S. Auguſtini reperiuntur, Authore, qui divino ſuccenſus amore Deum ſic alloquebatur: *Eja, Domine, moriar, ut te videam... nolo vivere; volo mori*. Igitur de crimine damnari non debet mortis deſiderium, quo ſæpe Simona accenditur; cum ſolo Dei amore nitatur, a cujus adoranda voluntate nutuque pendet, ut ſupponimus: qualis nimirum erat Auguſtinus, qui cum Hipponam Urbem ſuam Pontificiam obſeſſam a Vandalis, & incolas ejus proxime cædi ſubjectos videret a Domino, petiit, ut diſſolveretur, ne tanti foret teſtis infortunii; quod a Deo obtinuit, ut refert Poſſidius, qui ſancti hujuſce Epiſcopi vitam conſcripſit (*p*).

(*K*) Joan. 5. 24.
(*l*) Philipp. 1. 23.
(*m*) Prov. 14. 32.
(*n*) Eccli. 30. 17.
(*o*) S. Aug. in Pſal. 141. n. 18. lib 4. contra duas Epiſt. Pelagii n. 27. &c.
(*p*) D. Levral tom. 4. Hom. 1 in XV. Domin. poſt Pentecoſten.

CASUS II.

EUDOXIUS Andream videns magno oppreſſum infortunio, ex eo lætificatur, & etiam cupit, ne a caſu ſuo ſe ſe attollat, non quod ipſum odio proſequatur, ſed, quia injuſte unum ex conſanguineis ſuis perſequitur, cujus fortunam litibus deſtruxit, cuique gravia intulit damna. Peccat ne ex hoc deſiderio?

RESPONS.

Cum ex regulis ordinatæ Charitatis, plus diligendus eſt propinquus, quam advena, aut alius homo, qui non eſt amicus, ut docet S. Thomas (*q*). poteſt etiam aliquis illæſa charitate, & abſque peccato malum temporale alicui optare, cum ex hoc malo prohibetur, ne amico, aut propinquo noceat. V. g. licet mihi morbum, carcerem, aut aliquod aliud ſimile optare malum ei, qui in promtu eſt, ut infamet, aut occidat meum parentem; aut etiam lætari, ſi hoc ipſi malum jam acciderit; intendens potiſſimum, quod malo illius impediatur malum mei propinqui. Ratio eſt, quia de malo illius non gaudeo præciſe, ut malum eſt, ſed quia alterius mali eſt impedimentum, & conſequenter bonum aliquod, quod inde provenit. *Quia charitas ordinem habet*, inquit Angelicus Doctor, *& plus debet diligere quiſque ſe, quam alium: & propinquos, quam extraneos; & amicos, quam inimicos... poteſt aliquis, ſalva Charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere, ſi contingit, non in quantum eſt malum illius, ſed in quantum eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere; vel communitatis, aut Eccleſiæ: ſimiliter de malo etiam ejus, qui in malum temporale incidit; ſecundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus*.

(*q*) S. Th. in 3. ſent. diſt. 30. 1. ad 4.

Sic

Digitized by Google

Sic loquens Angelicus Doctor, cum Doctrina S. Gregorii Magni (*a*) conſentit, cujus hæc ſunt verba: *Evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa Charitate, inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria, ſine invidiæ culpa contriſtet; cum & ruenſe eo quoſdam bene erigi credimus; & proficiente illo, pleroſque injuſte opprimi formidamus.*

(*a*) S. Greg. l. 22. moral. c. 6.

Dici itaque poteſt, ut ſine peccato nos lætificat parta de hoſte, licet cum effuſione ſanguinis, victoria, qua is jam nocere nequit; ſic Eudoxium, de quo in caſu propoſito agitur, non peccare gaudendo de caſu Andreæ, qui injuſte ſuum perſequebatur propinquum, & etiam optare poſſe, ut ſe ſe ab infortunio ſuo non erigat; modo ex illius odio non oriatur gaudium, aut deſiderium ipſius; & hominis hujuſce caſum habeat, tamquam obicem injuſtitiæ, quam committebat, aut deinceps etiam committere poſſet.

Vide CHARITAS.

DETRACTIO.

DETRACTIO a celebri Theologo definitur (*b*): *Detractio eſt alienæ famæ occulta & injuſta denigratio*; quam definitionem deſumpſit hic Author a S. Thoma (*c*), qui dicit: *Occulte mordere famam alicujus, eſt detrahere:*

(*b*) Polman. part. 2. n. 486.

(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1 in arg. ſed contra.

Verba hæc: *occulta denigratio*, indicant detractionem fieri abſente proximo, ut diſtinguatur a contumelia, quæ eſt *injuſta honoris violatio, irrogata præſenti, & ſcienti*, Inquit Polmanus (*d*).

(*d*) Polman. Ibid. n. 496.

Additur: *injuſta*, quia ob juſtam gravemque cauſſam declarari poteſt vitium alienum. V. g Sacerdos famulam ſibi habere conſtituit puellam quamdam, quia ipſam putat eſſe fidelem & ſapientem, ſcio hanc eſſe libidini actuali, furtoque obnoxiam: Sacerdoti ob generales, quas affero, rationes ſuadere conor, ne hanc ſibi famulam accerſat, ſed meo aſſentiri conſilio abnuit, niſi poſitivis argumentis pravam ejus comprobem agendi rationem. Hujus ergo puellæ vitia ipſi patefacio; quo in caſu non formalis eſt detractio mea; quia injuſta non eſt declaratio mea, imo vero juſta eſt, & Charitate proximo debita nititur, ac præcipue Sacerdoti, cujus ſama maximi eſt momenti ad bonum Eccleſiæ, communitatis, ac privatorum, cui tamen labes inureretur talem ſibi habendo famulam.

Quintuplici modo, juxta Doctorem Angelicum (*e*) committi poteſt detractio 1. *Quando* (quis) *falſum imponit alteri*. 2. *Quando peccatum adauget ſuis verbis* (*f*). 3. *Quando occultum revelat*. 4. *Negando bonum alterius, vel malitioſe reticendo vel minuendo*, vel viva voce vel ſignis. 5. Denique *quando id, quod eſt bonum, dicit mala intentione factum*.

(*e*) S. Thom. Ibid. ad 3.

(*f*) Idem Ib.

Detractio eſt ex ſe mortalis, nec fieri poteſt venialis, niſi ob circumſtantias, quæ notabiliter ejus minuunt gravitatem.

Ut illud dignoſcatur diſcrimen, habenda eſt ratio gravitatis ipſius detractionis, qualitatis eorum, de quibus detrahitur, effectuum, quos attulit detractio, & intentionis, quam quis habuit maledicendo.

Cum ad reſtitutionem ex furto quis teneatur, a fortiori ex detractione ad eamdem reſtitutionem quis tenetur: quia læſa proximi fama majus eſt & ſuperius bonum temporalibus bonis, quæ furto fuere ablata.

Non ſolum detractor, ſed & detractionis auditor voluntarius & curioſus fit conſcius ipſius peccati Quare monito iſti Sapientis obſequendum; *Sepi aures tuas ſpinis & linguam nequam noli audire* (*g*) & ſi maledico ſilentium imponere jure non poſſit, ex vultus ſui mœſtitia deſignare debet coactas ſe detractioni aures præbere, juxta illud aliud Sapientis (*h*): *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem*; qua de re dicit S. Hieronymus ad Ruſticum ſcribens: *Detractor, cum triſtem faciem viderit audientis, imo ne audientis quidem, ſed obturantis aures ſuas; illico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliva ſiccatur.* Sed is etiam gravius peccat, qui ipſum de detractione non corripit, ſi ex officio, aut ſtatu ad id teneatur, aut ſibi liceat.

(*g*) Eccli. 28. 28.

(*h*) Prov. 25. 23.

Denique nemini licet de ſe ipſo detrahere; & qui de ſe detrahit, gravius peccat, quam alteri maledicendo; quia ex præcepto charitatis ad majorem noſtri amorem tenemur, quam proximi.

Ceterum detractio tam univerſim graſſatur, ut, qui ab aliis vitiis ſunt immunes, inquit S. Hieronymus, (*i*) huic peccato ſæpiſſime ſuccumbant; & cum ab aliis vitiis declinaverint, in detractionem tamquam in ultimum dæmonis laqueum incidant.

(*i*) S. Hier. ep. ad Celantiam.

CASUS

CASUS PRIMUS.

OLDRADIUS occulte vitam agit impudicam: Simon, ipſius vicinus, cui nota eſt ejus libido, rem omnem Romano, Oldradii avunculo narrat, non animo detrahendi de illo, ipſive nocendi; ſed ſolum ad deliberandum cum Romano, quod huic malo afferri poſſet remedium. Potuit ne Simon occultam Oldradii libidinem avunculo ſuo detegere ſub hac ſpecie abſque peccato?

RESPONS.

Certum eſſe debet, Simonem abſque culpa impudicam Oldradii vitam avunculo ipſius potuiſſe detegere, quantumvis occultam: ſi ipſi fuit perſuaſum, ſe non poſſe Oldradii emendationem, clam ipſum monendo, procurare. Id quidem probari poteſt ex his S. Baſilii verbis (a): *Duo ergo eſſe exiſtimo tempora, in quibus liceat aliquid mali de aliquo dicere: videlicet & quando neceſſe habet aliquis conſultare una etiam cum aliis, qui ad hoc idonei judicati ſunt, quo pacto corrigendus ſit qui peccatum commiſit: & item quando neceſſitas poſcit, ut periculo conſulatur aliquorum, qui ſæpe ex ignorantia commiſceri poſſent cum malo, tamquam cum bono.* Quod probat hic ſanctus Epiſcopus ex duobus ſancti Paulli teſtimoniis (b).

(a) S. Baſil. in regulis brevior. reſp. ad interrog. 25.

(b) 2. Theſſal. 6. & 2. ad Timoth. 4.

Itaque in caſu propoſito detractionis conſcius non eſt Simon, cum, ut ſupponimus, Romanum Oldradii avunculum, qui majoris eſt, proinde quam quiſquam auctoritatis in eum, idcirco adeat, quod per ſe ipſum occultæ ejus libidini mederi nequeat.

Conſentit hæc deciſio cum doctrina S. Thomæ (c), his verbis contenta: *Siquidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio.* Idem quoque docet Gerſo, ut patebit in quarta deciſione.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 2. in corp.

CASUS II.

NAMASIUS novit, quod Octavia, ſingulari ſapientia & virtute puella, ſed ingenio aperto ac minime malo, ſæpius a Gabinio, adoleſcente diſſoluto reviſitur, aut quod in circulum venit, ubi ſolet adeſſe Gabinius. Cum eam fruſtra monuerit ipſius & cœtum & colloquia deſerere, poteſt ne occultam ipſi manifeſtare libidinem, qua cum muliere carnaliter agit, ut de ipſo fugiendo ſit convicta?

RASPONS

Detractionis inſimulandum eſt Nemeſium in caſu propoſito non putamus; ut apprime probant hæc ultima ſancti Baſilii verba, quæ in ſuperiori deciſione attulimus (d): *Item quando neceſſitas poſcit, ut periculo conſulatur aliquoram, qui ſæpe numere ex ignorantia commiſceri poſſent cum male tamquam cum bono.* Si igitur agnoſcit Nemeſius, Octaviam ſuis non adhæſiſſe monitis, ut Gabinium fugeret, quod de ejus libidine non ſit convicta, & ſi motivo caritatis tantum ductus agat erga puellam hanc, quam nimia ingenuitate de ſuo honore cum perdito illo adoleſcente exiſtimat, poteſt abſque detractionis reatu occultam hujus nepotis ipſi manifeſtare libidinem. Ratio eſt, quia Octaviæ ſalutem potiorem quam Gabinii famam habere debet Nemeſius; neque enim cum detrimento ſalutis ac famæ perſonæ innocentis viri iniqui honori conſuli neceſſe eſt.

(d) S. Baſil. ſupra cit. loco.

Hinc Chriſtus ipſe diſcipulos ſuos de malitia & hypocriſi Phariſæorum commonuit (e), quorum tamen maxima erat inter Judæos fama. Hinc Apoſtolus (f) Hymenæi & Alexandri crimina Timotheo detegit, & ſanctus Joannes (g) Diotrephes vitia Cajo declarat, ut ejus cœtum ac prava devitet colloquia. Addi poteſt etiam, manifeſtari licite poſſe vitia proximi, quantumvis gravia; cum notabile damnum nobis inferunt, eaque detegimus, ut ope conſultoris ea devitare valeamus, aut ſubſidium nobis paremus contra injuſtitiam, qua premimur: vult namque naturalis Lex, ut injuſtam aggreſſionem repellamus, atque a nobis potiſſimum incipiat caritas, quam erga proximum exercere volumus.

(e) Matth. 16. 6.

(f) 1. Timoth. 2. 20.

(g) 3. Epiſt. Joan. v. 9.

Conſentit hæc deciſio cum iſtis inclyti Gerſonis verbis (h): *Quandoque fit ad cautelam præſentium,* inquit, *ne ſcilicet ex ignorantia decipiantur per malam aliorum ſocietatem, quos præſumunt bonos... primis quatuor modis poteſt eſſe non ſolum licitum, immo & meritorium, referre mala abſentium; dummodo tamen non intendatur principaliter alius finis, quam aliquis prænotatorum quatuor.*

(h) Joan. Gerſon. Reſponſ. ad qq. quatuor, tom. 1. part. 2. q. 2.

CASUS III.

PANTALAO, ſciens vicinam ſibi puellam libidinoſe egiſſe, eamque occulte prolem emiſiſſe, rem mulieri, aut familiari ſuo commiſit, cui ſtricte imperavit, ne rem ſibi creditam alicui revelaret. Numquid in eo peccavit?

RASPONS.

Procul dubio peccavit hic homo. Licet enim puellam hanc fama ſua penitus non ſpoliaverit, cum uni dumtaxat peccatum ejus detexerit; eam tamen partim labeſactavit: quod ſufficit, ut peccati fiat conſcius; niſi forte legitima de cauſſa ad illud detegendum fuerit inductus, v. g. ſi mulieri ſuæ illud manifeſtaſſet, ut ſe abſente proprias filias ſuas ab illius amoveret conſortio, quod illis vel periculo, vel ſcandalo deinceps eſſe poſſet. Ita docet ſanctus Thomas his verbis (i). *Quamvis etiam, ſi uni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, ſed in parte.*

(i) S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1. ad 2.

Hinc etiam ſanctus Chryſoſtomus eos habet ridiculos, qui hujuſmodi arcana abſque neceſſitate committunt, idque ſibi licitum eſſe exiſtimant. Sed juvat hic præclara ſancti Doctoris verba tranſcribere (K): *Hoc ad ridiculum magis eſt,* inquit, *quod talem habentes vitam & propriam negligentes, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem & adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat; hinc declarantes, quod rem reprehenſione dignam commiſerunt; ſi enim illam, ut nemini dicat, rogas; multo magis te priorem huic dicere non oportebat. In tute ſermonem habebas; poſtquam vero alteri prodidiſti ſermonis cuſtodiam, ſuperflua facis & inutilia, admonens, & obteſtans pro dictorum cuſtodia; ſed jucundum, detrahere; immo jucundum non detrahere: detrahens enim continenter anxius eſt; ſuſpicatur & timet: pœnitentiam agit & linguam ſuam mandit, timens & tremiſcens, ne forte aliis enuntiatum verbum magnum ſibi periculum afferat, ſuperfluam & inutilem inimicitiam his qui dixere, operetur. Apud ſe ipſum vero continens in ſecuritate plurima cum multa vivet voluptate.* Audiſti ſermonem? inquit Eccleſiaſticus (l), moriatur in te. Confide, non diſrumpet. *Quid eſt, moriatur in te? Extingue ipſum. Deſodi; nec ſinire, neque penitus moveri permittas* (m).

(K) S. Chryſoſt. hom. 3. ad pop. Antioch.

(l) Eccli. 19. 10.

(m) Fr. de Genet. Theol. Mor. tom. 6. tract. 3. c. 4. n. 5.

CASUS IV.

FAUSTINUS inconſiderate & nimia loquendi prurigine rem Paullo manifeſtavit, quæ Fabii famam multum minuit; non intendens tamen expreſſe, illi nocere. Numquid dici poteſt, ipſum in hoc lethaliter peccaſſe?

RASPONS.

Clare ac præciſe ſolvi nequit propoſita difficultas, niſi ſuppoſitis quibuſdam principiis, & conſtitutis pariter quibuſdam regulis, quas imprimis ſuppeditabit ſanctus Thomas (n): *Peccata verborum,* inquit hic ſanctus Doctor, *maxime ſunt ex intentione dicentis dijudicanda: detractio autem ſecundum ſuam rationem ordinatur ad denigrandam famam alicujus. Unde ille per ſe loquendo detrahit, qui ad hoc de aliquo obloquitur, eo abſente, ut ejus famam denigret. Auferre autem alicui famam valde grave: quia inter res temporales videtur fama eſſe pretioſior ...... & ideo detractio per ſe loquendo, eſt peccatum mortale. Contingit tamen quandoque,* pergit ſanctus Thomas, *quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, ſed aliquid aliud. Hoc autem non eſt detrahere, per ſe & formaliter loquendo, ſed ſolum materialiter & quaſi per accidens ...... Si autem proferat ex animi levitate vel propter cauſſam aliquam, non neceſſariam, non eſt peccatum mortale, niſi forte verbum quod dicitur, ſit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat, præ-*

(n) S. Th. 2. 2. q. 73. art. 2. in corp.

cipue in his, quæ pertinent ad honeſtatem vitæ; quia hoc in ipſo genere verborum habet rationem peccati mortalis. Fieri etiam poteſt, ut nullius contrahatur peccati reatus; cum ſcilicet malum de aliquo tantum profertur, ut bonum procuretur, aut ob aliquam cauſſam legitimam & neceſſariam, obſervatis tamen requiſitis circumſtantiis, ut oſtendimus in duabus primis deciſionibus, quaſque his verbis Gerſo recenſet (*a*): *Dummodo tamen non intendatur principaliter alius finis, quam aliquis prænotatorum quatuor, & ſi non miſceatur alia intentio fermentata & ſibi ipſi mentiens, atque dum bene provideatur, ne ſint falſa quæ dicuntur, aut in malo ultra quam in ſe ſunt per referentem ampliata, aut forſan ſiniſtre interpretata, ac etiam quod non plus noceat talis locutio abſentibus & eorum famæ, quam proſit præſentibus & eorum ædificationi, quoniam pro parvo bono non eſt magnum malum committendum.*

(*a*) Joan. Gerſon. t. 3. part. 2. tit. multorum brevium & utilium. qq. Reſolutiones, q. 1.

Ex dictis juxta doctrinam ſancti Thomæ & Gerſonis facile jam colligi poteſt, Fauſtinum, de quo in caſu propoſito, peccaſſe quidem de ſabio detrahendo; ſed ſi dictum ejus non fuerit grave, conditioneſque a Gerſone requiſitas obſervarit; defendi poſſe, peccatum ejus non fuiſſe mortale, cum hominis illius famam penitus deſtruere expreſſe non intenderit; quippe qui inconſiderate tantum & imprudenter locutus fuerit, non attendens ad malum, quod committebat. Ceterum, ut tutum de qualitate peccati illius feratur judicium, obſervandum 1. ex ſancto Thoma, quod *detractio, per ſe loquendo, eſt peccatum mortale*, & ob eam cauſam dicit Apoſtolus (*b*), *detractores Deo odibiles*; atque Sapiens de maledico ſic aſſerit (*c*): *Abominatio hominum detractor ...... cum detractoribus ne commiſcearis, quoniam repente conſurget perditio eorum: & ruinam utriuſque quis novit?* 2. Quod ob eamdem rationem detractio haberi non debet, quaſi leve peccatum, licet imprudenter prolata; cum proximo, cujus vitia deteguntur, grave infert detrimentum.

(*b*) Rom. 1. 30.

(*c*) Proverb. 24. v. 21. & 22.

CASUS V.

Antonius, nullatenus detrectans, in cœtu quodam gravi aures præbuit detractioni in honorem matronæ nobilis. Peccavitne in hoc mortaliter?

Respons.

Aſſerunt ſanctus Hieronymus & ſanctus Bernardus non facile dijudicari poſſe, quis eorum magis ſit crimonoſus, an qui de proximo ſuo detrahit, an vero qui detrahentem audit. Dicendum igitur, quod is, qui libenter audit detractionem, non minus eſt reus, quam qui maledicit; & quandoque etiam majus eſt illius peccatum, cum ad detractionem inducit: aut lætitiam teſtatur de detractione ob odium illius, de quo detrahitur. *Si quis detractiones audiat abſque reſiſtentia*, inquit ſanctus Thomas (*d*), *videtur detractori conſentire, unde fit particeps peccati ejus; & ſiquidem inducat eum ad detrahendum, vel ſaltem placeat ei detractio propter odium ejus qui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens & quandoque magis. Unde Bernardus dicit*: Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facile dixerim. Atque eo ſenſu ait Hieronymus (*e*): *Serpens & detractor æquales ſunt, quomodo enim ille occulte mordens venenum inſerit; ſic iſte clam detrahens, virus pectoris ſui infundit in fratrem.* Deinde ſubdit Angelicus Doctor: *Si vero non placeat ei peccatum, hoc eſt, detractio: ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, ſed multo minus quam detrahens & plerumque venialiter.* In quibuſdam tamen caſibus mortaliter etiam poſſet delinquere, ut v. g. ſi ea polleret auctoritate, aut eo foret inſignitus charactere, quo ex officio ad emendationem detrahentis obligaretur; aut pravas detractionis conſecutiones prævidens, potens non impediret. *Quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale, vel propter hoc quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum quod audiens novit conſequens.*

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 73. art. 4. in corp.

(*e*) S. Hieron. in cap. 10. Eccleſi.

Ex his Doctoris Angelici regulis dijudicanda eſt Antonii ratio quoad detractionem, cui facilius aures præbuit; ex ejus enim intentione diſcerni poteſt, utrum peccaverit, & quale fuerit ipſius peccatum. Certum eſt enim ex ſancto Thoma, quod, ſi ei placuerit detractio, graviter peccavit, & quidem mortaliter, ſi ex detractione orta voluptas ab odio ſuo in eum, cui detrahebatur, originem duceret; aut ad detractionem ipſe detrahentem induxerit: ſed quod e contra non peccavit, ſi detractioni contradixerit, aut ſaltem ſi detractori ſilentium imponendi jure privatus, nullam ex detractione complacentiam ſignificarit exterius, nullumque ei conſenſum præbuerit.

Placet hic addere, quo pacto detractio poſſit repelli. *Non ſemper*, inquit ſanctus Thomas (*f*), *aliquis debet reſiſtere detractori, arguendo eum de falſitate; & maxime, ſi ſciat verum eſſe quod dicitur: ſed debet eum verbis redarguere de hoc, quod peccat, fratri detrahendo; vel ſaltem oſtendere, quod ei detractio diſpliceat per triſtitiam faciei: quia, ut dicitur Prov. 25.* Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.

(*f*) Id. ibid. ad 2.

CASUS VI.

Arnaldus, valde probroſam detractionem, aut potius atrocem calumniam in Eutropium Parochum ſuum protulit, coram tribus aut quatuor hominibus, ut ſe de illo vendicaret, ipſum de impudico cum muliere commercio accuſans. Eutropius, ſuæ conſcius innocentiæ, illatam ab Arnaldo ſibi injuriam ferre patienter propoſuit, licet ſit nota ſibi, quam famæ ſuæ inuſſit, labes. E contra ſuadent ipſius amici, ut Arnaldum jure perſequatur, & cum eo injuriarum agat, & etiam ipſi affirmant, eum teneri de eo ſub peccati reatu, ut futura ex ſilentio ſuo incommoda vitet. Quid ei in hac occaſione facto opus eſt?

Respons.

Eutropius poteſt, immo & debet ab Arnaldo injuriæ ſibi illatæ ſatisfactionem repoſcere. Innumeris quidem Scripturæ tum veteris, tum novi Teſtamenti teſtimoniis ad patientem injuriarum tolerantiam inducimur, & Chriſtus ipſe in Evangelio dicit (*g*). *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Vult etiam, ut ex injuriis & conviciis lætitiam capiamus (*h*): *Beati eſtis cum maledixerint vobis & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis.*

(*g*) Matth. 5. 39.

(*h*) Matth. 5. 11.

Certum eſt tamen, ex his teſtimoniis aliiſque ſimilibus colligi non poſſe, ſemper inſtare præceptum, detractiones & injurias abſque reſponſo & defenſione tolerandi: cum id fieri poſſit in quibuſdam occaſionibus, intactis omnino caritatis regulis; uti confirmat ipſum Chriſti exemplum, qui objectam ſibi a Phariſæis calumniam contudit de habente Dæmonium cœco & muto, quem curavit, quique iis probavit, ſe in Beelzebub non ejicere Dæmonia, uti ipſum inſimulabant, ut famam ejus in mente eorum, qui miraculi hujus teſtes fuerant, elevarent. Eodem modo ſe geſſit Salvator noſter, tum cum eum accuſabant, quod Dæmonium haberet (*i*), & Apoſtolus Paullus, coram Agrippa Rege falſa quoque a Judæis objecta ſibi crimina diluit (*K*). Eccleſia pariter Ethnicorum injurias & calumnias in puritatem ſuæ fidei & doctrinæ ab initio falſas eſſe oſtendit, ut mirum in modum comprobant non ſolum Apologiæ ſancti Juſtini, Tertulliani & Origenis, ſed etiam ſpecialius in amplo Opere, quod ſanctus Auguſtinus inſcripſit *de civitate Dei*.

(*i*) Joan. 8. 52. & ſeqq.

(*K*) Act. 26. 12. & ſeqq.

Duplex eſt autem caſus, in quo ex motivo caritatis, qua proximum ſuum & inimicos ſuos tenetur diligere, Chriſtianus pariter ad ſe purgandum obligatur. Primus eſt, cum agitur bonum detrahentis aut calumniantis, & pro illius calumniatoris aut detractoris bono ad propriam famam tuendam obligatur. Secundus, cum eorum ſimiliter agitur bonum,

Digitized by Google

num, qui ex detractione aut calumnia ſcandalum patiuntur: in primo igitur caſu injuriam quis poteſt a ſe amovere, quod & ipſe Chriſtus geſſit (a); cam apud Caipham pro illius bono, qui ſibi colaphum inflixerat ei oſtendit, ſe ab illo injuſte cædi. *Nequaquam igitur*, inquit ſanctus Auguſtious, ad Marcellinum ſcribens (b), *præceptum ſuum, ſi verba intueamur, implevit* (Chriſtus), *neque etiam præbait percatienti alteram partem; ſed potius probibait, ne qui fecerat, injuriam augeret*. In ſecundo pariter caſu ſama defendi poreſt, & ob eam quidem cauſſam Salvator noſter Phariſæis probavit, ſe non in Beelzebub, ſed in virtute Spiritus Sancti præſens edidiſſe miraculum (c): cum enim fidem populorum in ſe calumniis ſuis vellent deſtruere illi Phariſæi; exiſtimavit, permagni referre, ut ſuturo ex his calumniis malo occurreret. Hinc etiam Paullus aſſerit coram Feſto (d), ſe non inſanire, ut is affirmat, ſed veritatis & ſobrietatis verba loqui: Jure nimirum verebatur hic Apoſtolus, ne cœleſtem, ſuæque ſalati adeo neceſſariam Evangelii doctrinam minoris ob eam exprobrationem tacerent illi, quibus evangelizabat.

(a) Joan. 18. 22.

(b) S. Aug. Epiſt. 138. alias 5. n. 13.

(c) Matth. 12. 13.

(d) Act. 26. 25.

His omnibus præſuppoſitis regulis, tamquam ſcitu abſolute neceſſariis ad ſolutionem præſentis difficultatis, reſpondemus hanc ab Eutropio Parocho ſumendam eſſe agendi rationem, ut cum Arnaldo Parœciano ſuo agat injuriæ honori ſuo illatæ ex calumnia, quam in ſe protulit. Ratio eſt, quia fama Clerici, & præcipue Sacerdotis, cui incumbit onus animarum, ad Eccleſiam magis, quam ad ſeipſum pertinet; juxta illud ſancti Auguſtini (e): *Conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo tuo; qui fidens conſcientia ſua negligit famam, crudelis eſt*. Cum enim vitæ bonæ exemplo Parochianis ſuis prælucere debeat Paſtor, quantum in ſe eſt, impedire tenetur, ne famam ſuam inquinent improbi, non ſolum in ordine ad ipſam detractorum aut calumniatorum ſalutem; ſed præſertim ad bonum ſpirituale eorum, qui ſuo ſubjacent regimini; ne forte calumnias illas, tamquam veras habentibus, & Paſtor ipſe, & verba, aut monita illius iis eſſent deſpectui: cum neceſſe ſit, ut Miniſtrorum Eccleſiæ opera, non ſoli Deo, ſed etiam hominibus ſint probata, juxta illud Apoſtoli Pauli (f): *Providemus enim bona, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*.

(e) S. Aug. in cap. *Nolo*, 10. 12. q. 1.

(f) Corinth. 2. 8.

Hæc eſt etiam doctrina ſancti Thomæ his verbis contenta (g): *Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus; maxime propter duo. Primo quidem, propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur; & de cetero talia non attentet juxta illud Proverb.* 27. Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas*.

(g) S. Th. 2. 2. q. 72. art. 3. in corp.

Multo jam ante idem docuerat ſanctus Gregorius Magnus. Nam perpenſa omnino iſta quæſtione poſtea dicit (h): *Linguas detrahentium ... debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum creſcat: aliquando autem etiam compeſcere: ne dum de nobis mala diſſeminant, eorum, qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant*.

(h) S. Greg. Hom. 9. in Ezechielem.

Hæc vero dicta ſua probat hic ſanctus Papa 1. Exemplo ſancti Joannis in tertia ſua Epiſtola (i). in qua offenſionem ſuam teſtatur hic Apoſtolus ob Diotrephas ambitionem, cujus maledicta & calumnias ſe repulſurum, dum advenerit, ſcribit. *Hinc enim eis*, inquit ſanctus Gregorius, *quod Joannes obtrectatoris ſui linguam redarguit, dicens*; Propter hoc, ſi venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos. 2. Exemplo ſancti Pauli, qui famam ſuam in illius obtrectatores defendit (K). *Hinc Paulus iterum de detrahentibus Corinthiis loquitur, dicens*: Epiſtolæ, *inquiunt*, graves ſunt & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis. Hinc cogitet, qui hujuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per Epiſtolas, abſentes, tales & præſentes in opere. Unde ſic concludit hic ſanctus Pontifex; *Hi etenim, quorum vita in exemplo imitationis poſita, debent, ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant; & in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant*.

(i) Epiſt. 3. Joan. V. 9.

(K) 2. Corinth. 10. ſeqq.

Advertendum tamen, quod, qui certo ſciret detractiones in ſe prolatas, nullum producturas eſſe malum effectum, in eorum animis, qui eas audiiſſent, multo ſapientius ſe gereret, ſi de iis ne cogitaret quidem, ſed maledici tantum vel calumniatoris emendationem optaret, nullam detractionis aut calumniæ pœnam expoſcens.

Vide RESTITUTIO. *Caſ.* 60. & 7. *ſeqq.*

D E V O L U T U M.

DEVOLUTUM, proprie loquendo, nihil aliud eſt ex Molinæo (l) quam inſolita ratio, quæ adhibetur ad impetrandum Beneficium Titularis propter illius incapacitatem aut inhabilitatem ad illud poſſidendum, aut propter defectus eſſentiales, qui in illius titulis reperiuntur; vel ob aliquod ejus crimen, quo Beneficio ſuo meretur privari: quæ via in Eccleſiam inducta eſt, ut ab ea indigni amoverentur Miniſtri, & bonus ordo ac diſciplina Eccleſiaſtica ſtabiliretur.

(l) Du Moulin in Edit. Molinæorum datarum, art. 16. v. *Incapacitas*.

Duobus modis Devoluto ſubjacent Beneficia. Prior dicitur: Devolutum *juris*, v. gr. in caſu læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ, & in aliis, quos referemus. Poſterior eſt Devolutum *facti*, in quo requiritur ſententia Judicis, qui Titularem Beneficio ſuo privat, illudque Devolutario addicit.

Beneficium vacare poteſt, *ipſo jure*, non ſolum ob aliquod grave crimen a Titulari commiſſum, ſed etiam aliquando ob illud quod in jure *quaſi delictum* dicitur, hoc eſt, ob quoſdam abuſus, qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſunt contrarii, licet nulla ſint pœna digni.

Primum *quaſi delictum*, ſeu abuſus, eſt impetratio Beneficii incompatibilis cum eo quod habetur, quale eſt Beneficium curatum, cum alio Curato: aut Canonicatu, aut alio Beneficio, quod reſidentiam exigit. In hoc caſu ex obtento ſecundo Beneficio jure primum vacat juxta Decretum Concilii quarti Lateranenſis, ſub Innocentio III. habiti; ſed juxta Galliæ juriſprudentiam hæc addenda eſt reſtrictio, cum ſcilicet impetrans unum aut alterum Beneficium non abdicavit intra annum computatum a die pacificæ poſſeſſionis. Excipe tamen Epiſcopos, ad quos non pertinet hæc reſtrictio; quia ubi de Epiſcopatu proviſus eſt Epiſcopus, omnia ejus Beneficia *ipſo jure* vacant (m). Quod confirmari poteſt ex hac Apoſtoli ratione; *oportet ergo .... eſſe unius uxoris virum* (n), & quia totus Diœceſi ſuæ

(m) Alex. III. in Conc. Lateran. IV. in c. 9. Cum vero de elect.

(n) 1. Timoth. 3. 2.

ſuæ ob dignitatem ſuam debet eſſe addictus, nec aliorum Beneficiorum cura ab implendis Epiſcopatus ſui muneribus impediatur: addi poteſt etiam, Epiſcopatui ſufficientem eſſe annexum reditum ad honeſtam illius ſuſtentationem, qui de eo proviſus eſt, abſque aliis Beneficiis. Non noſtrum eſt, eos reprehendere, qui ex obtentis in Romana Curia diſpenſationibus incompatibilia etiam retinet Beneficia; ipſi ſecum recogitent, an juſtæ, injuſtæve ſint hujuſmodi diſpenſationum cauſſæ. Id unum tamquam certum affirmare poſſumus, paucos eſſe Epiſcopos, qui, cum poſſeſſam non habent, aut tantum oblatam Abbatiam, cum Guillelmo Pariſienſi, cui quædam offerebatur, reſpondeant; *Abſit, ut habeam concubinam cum uxore.*

Secundus abuſus, qui *quaſi delictum* habetur, quo ipſo jure vacat Beneficium, eſt, quando Titularis Matrimonium contrahit *per verba de præſenti*: quo in caſu vacat ipſius Beneficium, *ipſo jure*; niſi huic aute renuntiaverit; quod verum eſt, etiamſi ſacris eſſet Ordinibus initiatus, & ejus adeo Matrimonium foret invalidum. Ita ſentiunt Panotmitanus, Molinæus, Blondellus in Bochellum, & Pacus, qui ad illud hunc regredi non poſſe aſſerit, quia *gratia ſemel extincta, non reviviſcit.*

Tertius abuſus, quo *ipſo jure* vacat Beneficium, contingit, quando obtentum Beneficium eſt Sacerdotale *a fundatione*, hoc eſt, fundationis titulo neceſſario requiritur, ut impetrans ſit actu Sacerdos: tunc enim proviſio ipſius eſt invalida, ſi Sacerdotio nondum ſit initiatus & Beneficium devoluto ſubditur.

Dicimus, *a fundatione*; ſi enim Sacerdotale tantum eſſet *a Lege*, ſatis eſſet, ſi Titularis intra annum Sacerdotium ſuſciperet; quod etiam locum haberet, ſi fundationis titulus, iis, quos dicimus, terminis, manifeſte ac præciſe non eſſet expreſſus.

Quarta vacationis ſpecies, qua impetrabile ſit Beneficium, eſt profeſſio ſolemnis Religionis, qua Titularis ſuo Beneficio *ipſo jure* ſit privatus; ita ut, ſi illud retineret, tunc devoluto daretur occaſio: quod etiam certum eſt, etſi Beneficium, quod poſſideret titulo Commendæ, ad eamdem pertineret regulam & ordinem, atque is, in quo profeſſionem emiſiſſet titularis.

Multa ſuperſunt dicenda de devoluto: at Lectori ea de re in ſequentibus deciſionibus, ut ſpes eſt, fiet ſatis.

CASUS PRIMUS.

FLACCO, ſancti Walerici Priore, criminum duorum rite comperto, quorum primum eſt crimen adulteratæ monetæ; alterum incarceratio Parochi cujuſdam Parœciæ, cujus eſt Patronus, ut ipſum vi cogeret ad reſignandam hanc Parœciam nepoti ſuo: Vincentius in Curia Romana de ipſius Prioratu ex devoluto proviſus eſt, etſi ex lata in eum contumacem ſententia, ſuo non declaretur privatus Beneficio, & etiam ex lata in ſe dicta ſententia ipſum cuidam conſanguineo ſuo reſignaverit. Qua de re quæritur, utrum tuta conſcientia Prioratum illum adire & retinere poſſit Vincentius?

RESPONS.

Sancti Walerici Prioratum adire, eumque vi devoluti in Flaccum obtenti, & *Viſa* ab Epiſcopo ſibi conceſſi ad Romana, quas obtinuit, proviſiones retinere. Ratio eſt, quia octo aut decem ſunt criminum ſpecies, inter quas memorantur in caſo propoſito duæ ſupradictæ, ob quas ipſo jure & facto vacat Beneficium, abſque eo quod neceſſe ſit, ut aliqua interponatur judicis ſententia. Hæc autem crimina ſunt: 1. Hæreſis, Hæreticorumque publica defenſio (*a*). 2. Simonia realis & confidentialis (*b*): 3. Falſificatio Bullarum Apoſtolicarum (*c*). 4. Homicidium voluntarium meditatum cogitatumque, ſeu Aſſaſſiniom, in perſona præſertim Eccleſiaſtica commiſſum (*d*). 5. Cardinalem male habere & verberare (*e*). 6. Crimen læſæ Majeſtatis. 7. Crimen Sodomiæ, cujus quis ex formula juris fuit compertus. 8. Vim Epiſcopo ſuo cum injuria inferre, ſeu ipſum verberando, ſeu carceri mancipando (*f*). 9. Crimen adulteratæ monetæ, quod primum eſt, cujus compertus ſupponitur Flaccus (*g*). 10. Incarceratio Beneficiato ad extorquendam ab eo ſui Beneficii reſignationem, quod alterum eſt Flacci crimen (*h*). Legitime igitur de Flacci Prioratu proviſus eſt Vincentius, cum duorum, quæ ultimo diximus, criminum vere conſcius ſit Flaccus, & Reſignatio facta ab illo de ſuo Prioratu uni ex conſanguineis ſuis a datta proviſionum Vincentii, abſolute eſt invalida.

(*a*) Lucius III. in Cap. *Ad abolendam.* & in Cap. *Excommunicamus.* § 2. & 5.
(*b*) Paulus II. in Cap. *Cum deteſtabile.* de Simon. in extravag. communibus. an. 1464.
(*c*) Innoc. III. In Cap. *Ad falſariorum.* de crimine falſi.
(*d*) Idem in Cap. *Inquiſitionis.* at. de accuſat.
(*e*) Bonif. VIII. in Cap. *Felicis.* de pœnis. in 6. lib. 6. tit. 9.
(*f*) Clem. V. In Clem. *Si quis.* de pœnis.
(*g*) Joan. XXII. In Cap. *Spondent* unica de crimine falſi. l. 5. extravag. commun. tit. 6 & extrav. *Prodiſas.* Jo. XXII. eod. tit.
(*h*) Clem. V. Cap. *Multorum.* de pœnis. lib. 5. Clement. tit. 8.

Juvat hic afferri, quæ in œcumenico Viennenſi Concilio, de decimo illo crimine ſtatuit Clemens V. En verba illius: *Multorum ad nos gravis querela deduxit, quod nonnulli obtinentes temporale dominium, viros ſæpe Eccleſiaſticos capere, captoſque, donec ſua reſignent Beneficia ..... auſu detinere ſacrilego non verentur. Conſiderantes igitur, quantum ex his, tam noſtro & Apoſtolicæ Sedis honori, quam perſonarum Eccleſiaſticarum quieto & proſpero ſtatui non ſine damnata exempli pernicie derogetur; Sacro approbante Concilio ſtatuimus, ut ſi fuerint Prælati, triennio ſint ſuſpenſi. Quod ſi inferiores extiterint, eo ipſo obtentis Beneficiis ſint privati .... ſane reſignationes Beneficiorum modo ſupradicto extortas, licet a reſignantium ipſorum Prælatis receptæ, aut ratæ habitæ fuerint, nullius omnino decernimus eſſe firmitatis.*

Cum igitur ſolius illius criminis Flaccus eſſet conſcius, facta nepoti ſuo reſignatio foret invalida, ut ipſe de Prioratu ſuo, *ipſo jure & ipſo facto* excidiſſet; ſed etiam dicendum de altero crimine, nempe adulteratæ monetæ, de quo damnatus eſt, ut fert Joanois XXI. Cooſtitutio ad marginem ſuperius indicata, in qua de Alchimiſtis loquens hic Papa, dicit: *Si Clerici fuerint delinquentes, ipſi ultra prædictas pœnas priventur Beneficiis habitis, & prorſus reddantur inhabiles ad habenda.*

Quod pertinet ad ſententiam damnatoriam, qua Flaccus Beneficio ſuo privatus non declarator, ejus nulla habenda eſt ratio. Sciendum enim, ut obſervat Pinſſon (*i*), duo eſſe criminum genera, quæ locum devoluto præbent: ex aliis videlicet vacat *ipſo jure* eorum Beneficium, qui criminum illorum ſunt conſcii, qualia ſunt jam ſuperius allata. Ex aliis vero minus gravibus non vacant, niſi poſt ſententiam judicis, qui ea vacantia declarat in pœnam criminis, cujus ex formula fuere comperti. Quocirca, cum prioris generis crimen cadat in Flaccum, Vincentius vi proviſionis ſuæ

(*i*) Pinſſon. v. *Conceſſa.* Cap. quibus modis Beneficia vacare ſoleant, vel amitti. §. 2. & 3. ſeqq.

in

in Romana Curia obtentæ, & ſui *viſa* ab Epiſcopo pariter impetrati, Beneficium poteſt adire, vocato in diſceptationem cauſſæ Flacco; nullaque prius requiſita ſententiæ prolatione, qua ob incapacitatem poſſeſſoris Beneficium vacans declaretur; (1) quod adſtruunt Edicta Bleſenſe (*a*) & Melodunenſe (*b*), quæ, uti Ambaciacenſe, hac in re Aurelianenſi derogarunt Edicto (*c*), quo præambula requirebatur ſententia, prius quam impetratum Beneficium adire poſſet Devolutarius.

(*a*) Edict. Bleſ. art. 61.
(*b*) Edict. Melodun. art. 17.
(*c*) Ed. Aurelian. art. 4.

Dicimus: *Flacco in cauſa diſceptationem vocato*: neque enim Devolutario ſufficit ad Beneficium aditio; neceſſe eſt inſuper juxta Arreſtorum juriſprudentiam, ut poſſeſſorem interpellarit, & poſt aditum Beneficium, ipſum in jus vocarit, ut ait Molinæus (*d*) in 34. regulam Canc. Romanæ, a quo duo in eam rem citatur Arreſta; 1. menſis Jan. ann. 1526. de Prioratu quodam Alverniæ, quoad appellationem a ſententia Libellorum ſupplicam Palatii, reſignatarii jus in Devolutarium confirmatum eſt, *quia*, inquit Molinæus, *reſignatio erat expedita ante citationem & litem motam*. Alterum menſis Febr. an. 1548. latum pro Beneficiario proviſo *per obitum* in Devolutarium; hiſque duobus Arreſtis alia multa addi poſſent, & unum in primis in prima inquiſitionum Curia Senatus Pariſienſis 30. Julii an. 1622. latum, quod refert Bouguier (*e*).

(*d*) Carolus Molinæus in regulam de publicandis reſig. num. 202. & 203.
(*e*) Bouguier in ſuis Arreſt. Litt. D. n. 20. pag. 209. Ed. an. 1629.

Neque etiam ſufficeret, ut obſervat D. Claudius de la Ville (*f*) in Parlamento Cauſidicus, poſt Brodelium & Loverum (*g*), ut publica eſſet & Titulari Beneficii cognita Devolutarii ad illud aditio: non enim ideo facta cenſeri poſſet interpellatio, quæ Titularis reſignationi poſſet obſtare: cum abſolute requiratus, ut aditionem ſequatur juridica petitio, ut obſervant le Pretre, Bouguier & idem Brodelius, qui in eam rem duo affert Arreſta: I. 17. Junii an. 1628. & alterum 28. Aprilis an. 1648. latum; eaque petitio intra annum & diem fieri debet, ducto computandi initio a die adſcripta proviſionibus, quæ poſt illud tempus elapſum fierent caducæ, & ex hoc uno defectu omnino invalidæ. Duobus illis Arreſtis addi poteſt Arreſtum ſuperioris Curiæ, quod refert Dufreſne (*h*) in ſuo fori Diario, latum ad concluſiones Domini Daguesſeau, tum generalis Advocati, quas eodem præfulcit principio, nimirum Devolutario jus in Beneficium non competere, niſi vi & a die factæ reo interpellationis: cum interpellatoria petitio ſola poſſit impedire, ne poſſeſſor Beneficium ſuum a Devolutario impetratum poſſit reſignare. Quocirca ſi Beneficium ſuum reſignaſſet hic poſſeſſor, & admiſſa fuiſſet ipſius reſignatio, prius quam a Devolutario in diſceptationem cauſſæ vocaretur; illa tum valida cenſeretur juxta Arreſtorum juriſprudentiam, ut ait Perrerius (*i*) in ſuo Tractatu, *de ſtatu & incapacitate Clericorum*: quia ad Reſignatarium qui a Collatore tituli ſui validitatem habet, non tranſit culpa reſignantis: quam rationem affert hic Auctor, qui inde concludit, quod ſi Titularis devoluto obnoxius obiret ante admiſſionem reſignationis ſuæ, & ipſius Devolutarii interpellationem; huic irrita fierent tum proviſiones Romanæ Curiæ, tum *viſa* Epiſcopi; quia in hoc caſu Beneficium cenſeretur vacare *per obitum*, atque adeo Regaliorum juri pro natura Beneficii locum daret, ut advertit Papo (*K*), qui in ejus rei probationem Senatus-conſultum Pariſienſe 21. Julii an. 1575. allegat.

(*f*) De la Ville Diction. præcipuar. regul. & deciſion. fori. v. *Benef.* n. 1134.
(*g*) Brodeau. Litt. B. ſum. 10.
(*h*) Diarium fori tom. 2. tit. 12. cap. 16.
(*i*) Perrerius tract. de ſtatu &c. c. 2. n. 27.
(*k*) Papo. l. 2. tit. 13. n. 19.

Ceterum quædam heic ſunt addendæ obſervationes, tum quoad regulas, quas in foro exteriori obſervandas eſſe exigit juriſprudentia, tum quoad eas, quæ ad conſcientiæ forum pertinent; ut ceteræ quæ hac de re fieri poſſunt, ſolvi queant difficultates, nullumque lectori ſuperſit dubium.

1. Advertendum eſt, ex edicto relationis ad acta publica an. 1636. cuilibet judici prohibitum eſſe, ne Devolutarii proviſionum rationem habeat, prius quam Beneficium adierit, ac poſſeſſorem in judicium vocarit: quod exſequi tenetur poſt tres menſes ab aditione Beneficii; ut fert Regia declaratio, an. 1649. (*l*) in Senatu Pariſienſi confirmata, qua ei duo tantum conceduntur anni, ut lis poſſit dirimi ac judicari.

(*l*) D. Aubljon. Diction. Arreſt. v. *Devolut.* n. 9.

2. Quod prius quam admitti poſſit Devolutarius ad inferendam litem Titulari, qui per annum & diem pacificus fuit Beneficii poſſeſſor, tenetur juxta Edictum menſis Jan. ann. 1557. in Parlamento confirmatum 5. Maii an. 1558. juxta Edicta ann. 1559. & 1580. & quartum Bleſenſis Edicti Articulum, 1. ad eligendum domicilium coram Judice intra fines Juriſdictionis Parlamenti, ubi ſitum eſt Beneficium, ut obſervat Mornacius (*m*). 2. Ad declarandum locum nativitatis ſuæ. 3. Ad dandum ſufficientem prædem pro ſolutione judicari, ſi exigatur, qui pro 500. libris ſpondere debet ex Edicto ann. 1667. (*n*): Quo deficiente omnis ei denegatur litigandi facultas.

(*m*) Mornacius l. 7. & §. fin. ff. qui ſatisdare coguntur. fol 67.
(*n*) Ed. an. 1667. tit. 14. art. 13.

3. Quod quiſquam Devolutarius perceptioni fructuum Beneficii ſe ſe immiſcere nequit, niſi admittendo jus poſſeſſionis ſuæ ex Edictis (*o*) an. 1550. & 1572. quibus conſentiunt Edicta Bleſenſe & ann. 1580.

(*o*) Ed. an. 1550. art. 15. Ed. an. 1572. art. 7. Ed. an. 1580. art. 17.

4. Quod generaliter loquendo, juxta Arreſtorum juriſprudentiam, Beneficiarius, cujus Beneficium devoluto fuit ſubjectum, illud ſemper reſignare poteſt *in favorem*, ante quam Devolutarius ab Epiſcopo *viſa* ſuum de proviſionibus Romanis obtinuerit. Cujus rei hanc Baſſetus (*p*) poſt quoſdam alios Arreſtographos rationem affert, quia ex ipſo Reſcriptum Romanum conceſſum cum hoc Decreto, *& committatur ordinario*, eſt tantum ſimplex proviſio conditionalis, ac ſpecies quædam mandati Apoſtolici *de providendo*, quod perficitur ex *viſa* Epiſcopi: Quocirca, juxta falſum illud principium, ſi admittatur reſignatio ante obtentionem *viſa*, ea tunc locum habet. Sed D. Perrerius (*q*) ſolide iſtam Baſſeti rationem refellit ac ſtat pro juriſprudentia, quæ paſſim in Gallia obſervatur, quamvis non ſit ubique ſui ſimilis: in ſuis quippe regulis non conſentiunt omnes Juriſperiti, ac diverſa ſunt ea de re Arreſtorum judicia: quo factum eſt, ut Molinæus Juriſperitus doctiſſimus diverſam ab aliis multis ſententiam (*r*) amplecteretur, dicendo, pinguem eſſe errorem ſi quis defendat, Clericum accuſatum Beneficium ſuum indiſtincte poſſe reſignare ante judicium damnatorium; idque tantum verum eſſe de nuda ac ſimplici renuntiatione accuſati inter manus collatoris, non vero de reſignationibus *in favorem*: atque hic eſt, inquit, ſenſus omnium textuum, qui de reſignationibus ante latam ſententiam factis loquuntur. *Reſpondeo*, inquit contrariam refellens opinionem, *quod illud eſt ex defunctorie dictis ſcribentium, qualia pleraque per manus (ſed illotas) tradita & in ſpeciem arridentia in magnos errores, niſi ſcite diſtinguantur, deſinant. Non ergo debet generaliter accipi, hujuſmodi accuſatum reſignare poſſe, ſed ſane intelligi; videlicet quod mere & abſolute abdicat in manu ordinarii: & ita etiam expreſſe loquuntur omnia jura, quæ de eo, qui ſententiam ſuam ceſſione prævenit, meminerunt.*

(*p*) Baſſet. tom. 1. l. 2. tit. 4. cap. 10. pag. 58.
(*q*) D. Du Perrai. tract. de ſtatu & capacitate Clericorum, pag. 648.
(*r*) Molinæus in reg. Cancell. Romanæ *de infirmis reſignantibus*. n. 308.

Poſtea oſtendit evidenter, eos qui contrarium aſſeruere, turpiter erraſſe interpretando quatuor Decretales (*ſ*), quibus perperam ſuam conati ſunt aſſerere opinionem: tum ad ſuam redit ſententiam, (*t*) quam propria ſibi ratione confirmat, dicens: *Cum enim criminoſus vel accuſatus reſignat metu ſententiæ privativæ, aut facit ſimpliciter in manu ipſius ordinarii non adhibita ſide in favorem alterius, ſed mere & abſolute; tunc non eſt locus huic regalæ, quæ ceſſat in ordinario: aut vero mittit reſignatum in manus Papæ, vel Legati, in favorem certæ perſonæ, ut aſſolet: & tunc non valet reſignatio nec collatio, tamquam ſubreptitia. Fit enim in fraudem ſententiæ & ad eludendam, quantum ad hoc, judicem & judicium impendens: quod ſi fuiſſet expreſſum, Papa non admiſiſſet reſignationem: ſaltem admittere non debuiſſet; aut non tam de facili: quod ſatis eſt. Heic enim ex hypotheſi; privatio Beneficii vel eſt tota pœna delicti, & tota condemnatio ..... vel eſt pars pœna & condemnationis.....* (*u*) *Si igitur*

(*ſ*) Cap. *Dudum*. de elect. &c. Cap. *Per tuas*. de Simonia &c. Cap. *Ex Literis*. 10. &c. Cap. *Tanta*. fin. de exceſſ. Prælatorum.
(*t*) N. 308.
(*u*) N. 169.

(1) Vid. *Menda Pontas*. Obſerv. III. num. XX.

ad hoc evitandum & ſententiam præveniendam reſignat, fraudem facit legi & judici, & velut in fraudem alienat: quæ alienatio reſcindi debet & in priſtinum ſtatum reponi. Quod ex quinque diverſis legibus confirmat hic Auctor.

Duo Senatus Pariſienſis Arreſta ſententiæ Molinæi conſentanea a D. Brillon (a) referuntur: unum 5. Dec. an. 1625. latum pro ſorore Maria Malaba Valdoſnenſi Priorifſa, in ſororem Teſtart, ante Prioriſſam, aſſaſſinii compertam: alterum 11. Julii an. 1626. latum pro Michaele Hamelin Devolutario Parœciæ S. Laurentii de Baugiaco in Diœceſi Andegavenſi in Renatum Sophier, reum ſpiritualis inceſtus & adulterii, qui eam Joanni Hurault reſignaverat *pendente appellatione*.

(a) D. Brillon. Dict. Arreſt. v. *Reſignatio*. n. 6.

Non equidem nos latet, Molinæi ſententiam hac de re a multis, iiſque inclytis Juriſconſultis improbari, ac ſæpe in foro exteriori aliter judicari: fatendum tamen eſt, docti hujuſce Juriſperiti opinionem omnium eſſe maxime conſentaneam Canonico juri: ſi ea intelligatur, uti debet intelligi, de eorum reſignatione, qui conſcii ſunt eorum criminum, quibus admiſſis *ipſo jure* vacat Beneficium.

Scire igitur intereſt plurimi, (& hæc eſt præcipua animadverſio noſtra) quod, cum ea ſit mens Juriſprudentiæ, ut ab indignis ad digniores transferantur Eccleſiæ Beneficia, & interim injuſtæ cohibeantur vexationes, quas Titularibus inferre poſſent avidiores Devolutarii; Edicta quæ agendi formulas obſervandas præſcribunt, & Arreſta conſequenter lata, pro regulis in caſu quolibet ad conſcientiam haberi non poſſunt. Hinc, licet Beneficiarius realis ſimoniæ conſcius, in foro exteriori, & ſecundum quædam Arreſta, partum hac via Beneficium reſignare libere poſſit, ejuſque obtineat reſignatario, modo admiſſa fuerit, prius quam eum in jus Devolutarius appellarit ad contentionem cauſſæ; verum eſt tamen illum in foro conſcientiæ & coram Deo ita Beneficii ſui titulo ſpoliari, ut illud nullatenus reſignare, aut in aliud permutare valeat, juxta iſtam communem regulam, *Nemo dat quod non habet*, quam Auctor Gloſſæ (b), S. Thomas, aliique Theologi, & Canonum interpretes quorum doctrinæ acquieſcimus, ex antiquo Urbani II. (c) Canone, ex hoc alio Bonifacii VIII. (d) depromſere: *Non poteſt quis plus juris cedere in alium, quam ſibi competere dignoſcatur.*

(b) Gloſſa in Cap. *Requiſivit*. 1. de ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui. v. *Ignorantia*.

(c) Qui nihil habuit, nihil dare potuit. Urban II. in Can. *Dabertum*. 24. 1. q. 7.

(d) Reg. 70. de Reg. juris in 6.

Veritati huic annuit Pinſſon (e); qui etiam Molinæo ulterius progrediens, fatetur, ex vacatione plano jure illata, reum impediri, ne Beneficium ſuum reſignare, aut de eo quomodolibet diſponere valeat. *Secundus effectus eſt*, inquit, *ut in vacationibus jure illatis, nulla relinquatur reo Beneficii adminiſtratio; ita ut nec ſimpliciter, nec in favorem alicujus ejurare poſſit Beneficium, ut alias decrevit Senatus Pariſienſis duobus Senatuſconſultis, iiſque celeberrimis*: illa autem duo Senatusconſulta an. 1625. & 1626. modo retulimus.

(e) Pinſſon, v. *Conceſſa*, c. de modis quibus beneficia vacare ſolent, vel amitti. §. 5.

Bouchel, alter Juriſperitus celeberrimus, eamdem quoque fatetur veritatem, & dicit (f), eum qui a Papa aut ab Epiſcopo providetur de Beneficio, quod alter ſimoniace acquiſivit, legitime eſſe proviſum, & non requiri ſententiam damnatoriam, ut ſuo Beneficio privetur Simoniacus. *Hic eſt etiam* inquit, *uſus hodiernus Galliæ, ut ſimoniacorum Beneficia ipſo jure vacent, & ſint interpretabilia abſque alia declaratione, quæ fieri poteſt poſt impetrationem*; per Caput Cum ſecundum Leges, de Hæret. in 6. *licet in hoc Regno id ſiat perraro; quia in iis caſibus in quibus eſt privatio, ipſo jure, poſt collationem factam litteræ juridicæ determinationis ad poſſeſſorium obtinentur.*

(f) Bouchel Biblioth. c. v. Simonia. § *Monſtrum*. 2. tom. pag. 512.

Dicendum itaque conformiter ad doctrinam Theologorum, juris Canonici & celeberrimorum etiam Juriſconſultorum, in foro conſcientiæ abſolute teneri talem Beneficiarium ad renuntiandum Beneficio, quod hac via acquiſivit, aut a quo alia quacumque ratione excidit, tamquam rei ad quam nullum habet jus legitimum; & omnes ſententias in contrarium in ejus favorem latas eum numquam in foro interno excuſare: quod adeo verum eſt, ſpeciatim quoad ſimoniam, ut cum pro parente aut amico, etiam ipſo inſcio, a tertio quodam admiſſa eſt, procuratum ſibi ſimoniace Beneficium retinere non valeat tuta conſcientia; niſi poſt illius abdicationem, de novo provideatur (g): & illud ſolum intercedit diſcrimen, quod cum ſimoniæ reus eſt Reſignatarius, novæ ei numquam in Curia Romana conceduntur proviſiones, vi quarum Beneficium retinere (h) queat, niſi eas Papa denegare non poſſit abſque magno ſcandalo; & e contra facile Titulari qui ſimoniæ non fuit particeps, conceduntur. In primo autem caſu hanc ideo ſeveritatem adhibet Eccleſia, quia *omnia... crimina*, inquit Paſchalis Papa (i), *ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputantur. Simoniaca peſtis ſuâ magnitudine alios morbos vincit*, inquit alius Papa (k). Ob eam quoque partim cauſſam ab Urbano VIII. Summo Pontifice Romano Pœnitentiariæ Tribunali ablata eſt, quam prius obtinebat, novas Beneficiorum ſimoniace acquiſitorum proviſiones concedendi facultas: cum Tribunali huic poteſtatem tantum fecerit hic Papa concedendi abſolutionem & condonandi fructus, quorum reſtitutio, extra condonationis caſum, legitimo Titulari, aut Eccleſiæ cui ob admiſſam ſimoniam injuria illata eſt fieri debet.

(g) Cabaſſ. III. in c. *Nobis*. 27. de Simonia, &c.

(h) M. Du Perra*, loc. cit. l. 4. c. 1. n. 56. & 64. cap. 2. n. 10. & 11.

(i) Paſchalis in Can. *Patet*. ſi 1. q. 7. Innoc. III. in Cap. *Per tuas*. 32. de Simonia.

(k) Lucius in Cap. *Sicut*, 6. de Simonia.

Objiciet forſan aliquis clauſulam hanc, *aut alio quovis modo vacaverit*, quæ omnibus ferme Curiæ Romanæ proviſionibus inſeritur, cenſendam eſſe ſimoniacæ proviſionis defectum emendare, ut alios quamplurimos emendat, qui in ſupplici ad Papam libello non exprimuntur.

Sed facile eſt reſpondere. 1. Clauſulam hanc omnino inutilem eſſe in caſu devoluti; omnis namque Devolutarius in libello ſuo tenetur exprimere *certum modum vacationis*, ut obſervat Molinæus (l), qui duplicem hujus affert rationem. 1. *Quod merito ſtatutum eſt duplici odio tum præventionum hujuſmodi, tum devolutariorum & inſidiantium Beneficiis alienis, etiam pacifice poſſeſſis*. 2. Quod hæc clauſula, ſecundum ſtilum Curiæ Romanæ non intelligitur, niſi *de conſuetis vacationum modis*: non vero de inſolitis vacationum generibus, quas producunt ſimonia aliaque delicta, ex quibus *ipſo jure* vacat Beneficium, quæque per ſe ſunt odibilia, ut docet Pyrrus Corradus in re beneficiaria peritiſſimus his verbis (m): *Quod tamen intelligendum eſt de conſuetis modis vacationum: non autem de iis vacationibus, quæ certo modo in communi ſtilo curiæ nuncupantur, qui ſunt in duplici differentia; quorum alii ſunt minus odibiles, cum ſimpliciter ſupponimus intruſum aliquem, qui ob nullitatem vel defectum tituli, ſit a poſſeſſione amovendus. Alii vero ſunt prorſus odibiles; quando videlicet aliquod crimen ſuggeritur, unde imminet privatio*. Ex quibus ultimis hiſce verbis manifeſte conſtat, hanc clauſulam ab eo Auctore utilem proviſo non cenſeri, quando ex ſimonia, homicidio ſeu aſſaſſinio, aut alio quovis gravi crimine vacavit.

(l) Molinæus in reg. de annali poſſeſſore. n. 246.

(m) Pyrrus Corrad. Prax. Beneficiaria l. 1. c. 1. n. 51.

Alio etiam modo clauſulam hanc explicat Peleus his ferme terminis (n): Conſiderandum, inquit, quod, licet verba hæc *quovismodo denotare videantur omnem vacationis modum, ſive indirectum, ſive acceſſorium*: attamen conſtans eſt regula, quod, cum vacatio contigit *per mortem alterius, quam illius qui exprimitur*; tum ad omnes caſus non extenditur illa clauſula, & ſemper reſtringitur ac limitatur ad perſonam, cui quis cupit ſuccedere, & per cujus obitum vel incapacitatem Beneficium impetrare voluit. Ut ſi v. g. quis Beneficium per mortem, aut per reſignationem talia obtinuit, & tamen per mortem alterius vacaſſet Beneficium; tum certum eſt, quod hujuſmodi clauſulæ non implicant, nec includunt omnes alios vacationis caſus; *quia non fuit mens collatoris, ut conferre vellet Beneficia, quæ in aliqua perſona vacarent: quia ſicut modus vacationis expreſſus: ita locus & tempus referuntur ad perſo-*

(n) Peleus qu. illuſtres q. 164. ſub fin.

nam

Digitized by Google

num deſignatam, ut notatur in cap. Abbata ſane; *de re judicata in 6....* neque par eſt, ut reſignatio explicetur *contra ſententiam concedentis*.

His etiam addi poteſt, ut obſervat D. Brillon, a Clemente X. in Dataria promulgatum eſſe Decretum, quo conſtitutum eſt, ut deinceps devolutariæ impetrationes generalem non continerent clauſulam *alio quovis modo*; ſed impetrans tenetur veram vacationis cauſſam afferre, ut gratiæ ea poſſet eſſe motivum. Juxta primam partem regulæ Cancellariæ Romanæ, *de annali poſſeſſore*.

CASUS II.

Anianus, Auguſtæ Vindelicorum natus, qui a 20. annis & amplius, in Gallia habitat, in Romana Curia proviſus eſt de Prioratu ſimplici Eccleſiæ cujuſdam Pariſienſis; Renatus, Clericus, tonſura initiatus e Diœceſi Carnutenſi proviſionem illius a Papa devoluti cauſſa obtinuit, eoque Anianum ſpoliare contendit. Numquid is tuta conſcientia ita ſe gerere poteſt?

Respons.

Renatus legitime proviſus eſt, & ſimplicem poteſt adire Prioratum, de quo proviſus eſt Anianus, niſi is a Rege civitatis Gallicæ diploma obtinuerit. Ratio eſt, quia ex Regni Galliæ legibus advena quilibet nullum in Regno eccleſiaſticum Beneficium obtinere poteſt, ut edixit Carolus VII. 10. Martii an. 1413. Cainone in Turonia; quod Regis Edict. 8. April. inſequentis a Parlamento tum Pictavii ſedente confirmatum ſic habet: *Ordinamus, prædeceſſorum noſtrorum veſtigia inſequendo, ut nullus, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, prærogativæ, præeminentiæ... exſiſtat, ad alicujus Epiſcopatus, Abbatiæ, Dignitatis, Prioratus, aut alicujus eccleſiaſtici Beneficii cujuſcumque regimen vel adminiſtrationem in Regno & Dominiis noſtris de cetero tenendum & habendum recipiatur, niſi de Regno, dominationeque noſtra fuerit oriundus.* (*a*) Multa hujuſmodi edicta refert Molinæus (*b*) & in primis edictum Caroli VIII. anno 1493. (*c*); Ludovici XII. edictum, in Parlamento 13. Junii an. 1499. confirmatum; Edicta Henrici II. ann. 1554. Caroli IX. Aureliæ; Henrici III. anno 1579. Bleſis (*d*); Henrici IV. ann. 1602. quibus addendæ ſunt Gallicanæ Libertates a Petro Pithœo, Pariſienſi Cauſidico (*e*) collectæ.

Sylvius (*f*) Principum Leges approbat, qui alienigenas ex Beneficiis dominii ſui excludunt. *Præmittendum eſt primo*, inquit doctus hic Theologus, *non eſſe improbandas eas Leges, quibus cavetur, ut exteri, ſeu alienigenæ promoveri poſſint ad Beneficia Regni, ſeu regionis alterius.* Quod probat ex Bulla 64. Sixti V. 5. Septemb. ann. 1587. lata (*g*), qua declarat, ſolos e regno Valentino oriundos hujuſce regni Beneficia obtinere poſſe, ceteroſque omnes de ea eſſe *omnino inhabiles ac incapaces*.

Navarrus (*h*) etiam teſtatur hunc eſſe uſum ſolitum non ſolum in Gallia, ſed etiam in Hiſpania; ut ſoli Galli in Gallia, Hiſpani in Hiſpania ſui quique regni Beneficia obtineant.

(*a*) Apud Fontanon. t. 4. pag. 189. & in append. p. 1320.
(*b*) Carol. Molin. in reg. de infirmis reſign. n. 44. t. 5.
(*c*) Edictum Caroli VIII. art. 18. art. 17.
(*d*) Edictum Bleſenſe art. 4.
(*e*) P. Pithœus *Libertates* &c. §. 38. apud Fontanon. tom. 4. pag. 1262.
(*f*) Sylvius reſol. var. v. *Beneficium*. 6.
(*g*) Sixtus V. in Bulla *In Sacroſancto*. §. 2.
(*h*) Navarr. l. 1. conſil. de Conſtit. conſil. 3. o. 7.

Has autem Leges Sylvius duabus potiſſimum hiſce rationibus confirmat. 1. *Partim quia indigenæ magis celari ſolent ſecreta ſui Regni, ſuique Regis ac Principis, cum e contrario ab alienigenis magis ſit timendum, ne illa revelent.* 2. *Partim quia indigenæ magis amantur a populo, ſicque ab eis major utilitas exſpectari poteſt, partim quia exteri ſæpe ſunt morum valde diſſimilium, & ita difficilius poſſunt ſe accommodare, murierique ſuo ſatisfacere.*

Eamdem rem unanimi conſenſu docent Theologi omnes, & Guimierus etiam in Gloſſa Pragmaticæ Sanctionis addit, quod *nec poteſt Summus Pontifex, quamcumque in Beneficiis habeat poteſtatem, de eo peregrinitatis vitio diſpenſare, & a tali diſpenſatione, tamquam abuſiva, poſſet ad ſuprema Franciæ tribunalia appellari.*

Obſervandum 1. hactenus dicta vera eſſe, non ſolum de beneficiis, quibus quædam annexa eſt juriſdictio, & de quibus ſolis loquitur Edict. Bleſ. ſed etiam de aliis quibuſcumque, ut conſtat ex Edicto Caroli VII. aliiſque ſuperius relatis; atque talis eſt Parlamentorum Galliæ juriſprudentia. 2. Satis eſſe alienigenæ, ut civitatis Gallicæ regium obtinuerit diploma *ante litis pendentis deciſionem*; quia impedimentum illud non eſt canonicum, ſed civile dumtaxat & politicum; ut docet Rebuffus, aliique Authores (*i*), inter quos D. Brillon Divionenſis Parlamenti arreſtum refert pro Sacerdote advena, nomine Tripier latum, qui Gallicæ Civitatis diploma non obtinuerat, niſi poſt illatam ſibi litem a Devolutario.

(*i*) Petrus Rebuff. tract. de pacif. poſſeſſ. num. 267. & in reg. de idiomate. Corbin. Leg. Gallicæ, cap. 77.
(*k*) D. Brillon. Diction. Arreſt. v. *Devolut.* n. 40.

CASUS III.

Dominicus, Diaconus, jam a quadriennio obtenta S. Blandini Abbatia, Sacerdotio ſe initiari intra annum non curavit, ut verbis expreſſis Bullæ ipſius exigebant; unde Damianus in ipſum devolutum ob Sacerdotii defectum obtinuit. Nonne ipſius executionem ex ſententia perſequi poteſt?

Respons.

Reſpondemus 1. devoluta in Beneficia conſiſtorialia ante an. 1620. numquam in Gallia viguiſſe; ut obſervat recens Theologus, cui ſimilis propoſita eſt difficultas an. 1675. (*l*) 2. Ea eſſe invalida, ſi obtineantur abſque conſenſu & indulto Regio. 3. Damianum non poſſe vi devoluti litis Dominico illatæ judicium perſequi, licet illud indulto Regio fulciretur: ratio eſt, quia, quamvis Abbatiæ proviſiones ſeu Bullas non concedat Papa, niſi addita conditione ſuſcipiendi intra annum Sacerdotii; Abbatia tamen ob ejus defectum *ipſo jure* non vacat: quia clauſula hæc non habetur in Galliæ Regno niſi ut comminatoria, utpote quæ Decretum invalidans non continet. Id quidem confirmat juriſprudentia omnium Regni Parlamentorum, juxta quam proviſi de Beneficiis Sacerdotalibus, ſive talia *a lege*, ſeu talia ſint *a fundatione*; qui Sacerdotio intra requiſitum tempus non fuere initiati, ad ſui defenſionem triennalis poſſeſſionis jus allegare poſſunt. Abbatiam autem ſuam a triennio & amplius adivit Dominicus: ei igitur opitulari poteſt Decretum *de pacificis poſſeſſoribus* in Damianum devolutarium, qui eam tantum poſſet auferre ſententiam, qua Dominicus juberetur intra ſex menſes, aut annum initiari Sacerdotio, indicta pœna privationis Abbatiæ ſuæ.

(*l*) De Sainte-Beuve. tom. 2. Cal. 25.

CASUS IV.

Abbas S. Florentis, Ordinis S. Benedicti unum e ſuis Religioſis providit de Prioratu S. Cyriaci, qui Abbatiæ ſuæ nominationi ſubjacet, quique per obitum ultimi Titularis commendatarii e commenda 30. ann. & amplius factus eſt Regularis. Tribus quatuorve annis elapſis, novus ille Prior Beneficium illud Ludovico, Sacerdoti ſæculari, Nepoti ſuo reſignare cupiens, ipſi in commendam contulit, Papæ non explicans Prioratum illum ad priſtinum ſuum ſtatum fuiſſe reſtitutum. Quo facto alter ejuſdem Ordinis Religioſus devolutum obtinuit in Ludovicum, quaſi caduce proviſum, eo quod ſæcularis eſſet. Numquid legitimum eſt illud devolutum, illudque tuta conſcientia retinere poteſt hic Religioſus, ac juridice poſtulare, ut prioratu ſuo ſpolietur Ludovicus?

Respons.

Legitimum eſt illud devolutum, & conſequenter Religioſus devolutarius jus ſuum in Ludovicum quaſi male proviſum, ſine peccato & injuſtitia proſequi valet. Ratio eſt, quia ubi primum Religioſus Beneficium natura ſua regulare obtinet, jam illud in commendam reſignari nequit, licet multo tempore ita fuerit habitum; quod cum in regulam inciderit; præſens illius ſtatus in ipſa reſignatione ſit exprimendus; uti fert Arreſtum Sanctioris Conſilii 2. Septemb. an. 1648. latum, quod refert Diarium fori (*m*).

(*m*) Diarium fori tom. 4. l. 7. c. 16.

Qui

Qui autem pleniorem de devnluto expoſitionem requirent, ea perlegant, quæ ſcripſit D. Brillon in 56. articulis, qui reperiuntur in ſuo Diction. Arreſtor., v. *Devolutam*, & eos quos ibi indicat, Auctores.

C A S U S V.

Lucaetius, Doctor Theologus, Decanus Eccleſ. Cathedr. in Gallia, falſas ſuppoſuit teſtimoniales litteras propugnatæ Reſumptæ, quæ ultima eſt Theſtis ſexeunio poſt obtenta doctoratus lauream defendendo ad jus ſuffragii in conventibus Theologicæ Facultatis Pariſien. habendum; idque ea mente, ut jura ſibi arrogaret, iis ſolis qui Reſumptam propugnarunt, ex dictæ Eccleſiæ ſtatutis debita. Detectam hanc falſitatem Facultatis Procuratori ſeu Syndico confeſſus, e numero & indice doctorum palam declararus eſt exclaſus, ſimulque juribus omnibus & privilegiis doctoratui annexis privatus.

Quo cognito Ambroſius jure devoluto Beneficium ejus requiſivit; quod ipſi concedens Summus Pontifex Diœceſano Officiali reſcripto ſuo mandat, ut Lucretium Decanatu ſuo privet, eoque Ambroſium legitime proviſum declaret, modo expoſitum ab Ambroſio factum veritati ſit conforme.

De eo autem quæritur 1. Utrum in crimen falſi incurrerit Lucretius? 2. Utrum Beneficium ejus ea criminis ſpecie ſit impetrabile. 3. An de crimine juridice inquirere debeat Officialis; idque poſſit abſque interventu Laici judicis. 4. Utrum Officialis proceſſum inſtruere per ſe ipſum debeat, ex Edicto an. 1670. an vero ſatis ſit, ut reum de ea re appellet, & poſt ipſius confeſſionem aut convictionem, Papæ reſcriptum promulget atque exſecutioni mandet?

R e s p o n s.

Antequam propoſitæ difficultati reſpondeatur, tres præſupponendæ ſunt regulæ.

Prima hæc eſt: Beneficium videlicet vacare poteſt *ratione criminis commiſſi*, duobus modis: 1. *ipſo jure*, *& ipſo facto*; hoc eſt, ubi primum crimen admiſſum eſt; nullaque interveniente in reum Judicis ſententia. (Alibi autem ea indicamus crimina, quibus hoc modo vacat Beneficium) 2. Poſt latam tantummodo Judicis ſententiam de vacatione Beneficii, ac Titularis ſpoliationem. In primo caſu Beneficium ſuum nemini valide reſignare poteſt reus Beneficiarius: in ſecundo vero poteſt, primis ante latam in ipſum damnationis ſententiam; ejuſque poſtea valet reſignatio; licet, uti reus criminis, condemnaretur; quemadmodum docent Robuff. (*a*) & Boerius (*b*), & docet Gloſſa Pragmaticæ Sanctionis (*c*).

(*a*) Robuff. Tract. de pacif. poſſ. n. 262.
(*b*) Boerius deciſ. 206.
(*c*) Pragmat. ſanct. tit. de collat. item inſuper v. *Diſponere*.

Secunda Regula ſic habet: (1) Quilibet Officialis omni judiciaria contentione ſeu civili, ſeu criminali, ſive ordinaria, ſive extraordinaria, omnino tenetur ad inſtruendam litem conformiter ad judiciorum formam conſtitutam ex Edicto menſis Apr. an. 1667. quæ vulgo dicitur Codex Ludoviſianus (*d*). Quocirca ab accuſatione rei proceſſum ſuum auſpicari, nec eum ad factam criminis confeſſionem nequit condemnare; ſed requiritur prævia facti inquiſitio: alioqui in proceſſu ac judicio ſuo foret abuſus; ut fert Normani Senatus Arreſtum, quod refert Bouchelius in Bibliotheca ſua Canonica (*e*), & quo 25. nummis Gallicis mulctatus eſt Abrincenſis Officialis; quia proceſſum inceperat ex interrogatione accuſati, contra præſcriptum Edicti; quo non minus in Officialitatibus, quam in Regiis juriſdictionibus ſtatuitur hæc agendi formula.

(*d*) Tit. de Obſervat. Edict.
(*e*) Bouchel. Biblioth. Canon. v. *Appellat. tamquam ab abuſu*, p. 60.

Tertia Regula eſt. 1. quod *Devolutum* nihil aliud eſt, quam ratio, qua quis utitur ad impetrandum Beneficium ratione inhabilitatis, aut incapacitatis Beneficiarii, qui de eo proviſus eſt, aut propter invaliditatem ipſius tituli, ut ait Molinæus in Edict. contra minores dattas (*f*). 2. Quod Devolutarius non admittitur ad procedendum vi ſui devoluti, niſi poſtquam nativitatis ac domicilii ſui locum declaravit; ac idoneam dedit cautionem ſolvendi judicatum, ut fert Edict. Henrici II. menſis Jan. ann. 1557. in Parlamento confirmatum 5. Maii an. 1558. Edict. Bleſenſe (*g*), & Edict. Melodunenſe (*h*): quæ cautio ad ſummam 500. librar. debet pertingere ex Ed. an. 1667. (*i*) & dari intra tempus a Judice præſcriptum; alioqui Devolutarius jure ſui devoluti excidit. Ceterum ex Ed. Melodun. ar. 11. & Bleſ. ar. 46. tenetur Devolutarius ad indicendam litem intra tres menſes poſt aditionem Beneficii, & litem ita inſtruendam, ut intra biennium poſſit dijudicari; idque ſerius, alioquin devoluti a quoquam Judice nulla habetur ratio.

(*f*) Molin. art. 16. v. *Incapacitas*.
(*g*) Edictum Bleſenſe art. 40
(*h*) Edict. Melodun. art. 7.
(*i*) Edict. an. 1667. tit. 14. art. 13.

His ita præſuppoſitis, ad primum quæſitum reſpondemus, procul dubio Lucretium de falſi crimine eſſe damnandum, cum ipſe falſas de quibus agitur, teſtimoniales litteras procuderit; ſed falſitas hæc inter ea tantummodo crimina cenſeri debet, quæ delicta communia in foro dicuntur, in quorum numero ſortilegium, perjurium, adulterium, & blaſphemiam reponit Blondelius (*K*), poſt Imbertum (*l*), & Guidonem Papam; quæ crimina graviora ſunt, quam falſitas a Lucretio commiſſa.

Ad ſecundum dicimus, Lucretium Beneficio ſuo ob hanc facultatis ſpeciem, nequit *ipſo jure*, neque *ipſo facto* fieri privatum, ſed ad ſummum eo ſpoliari poſſe poſt ſententiam damnatoriam.

(*k*) Blondel. in Bochel. v. *Caſus privilegiati*, pag. 59.
(*l*) Imbert. l. 3. c. 7. & Guid. Pap. q. 178. n. 2.

Ad tertium jam ex dictis in ſecunda regula quæ a nobis ſtabilita eſt, aliquatenus reſpondimus, ſed ut illud etiam manifeſtius evadat, dicimus, 1. triplex criminum genus eſſe diſtinguendum. Prima ſunt pure Eccleſiaſtica: altera mixta: tertia denique pure civilia, hoc eſt, privilegiata & regia. De primis Eccleſia ſola cognoſcit; de ſecundis utraque Curia ſeu eccleſiaſtica, ſeu civilis conjunctim cognoſcit, quælibet de iis caſibus, pro quibus juriſdictioni ſuæ ſubjacent accuſati; & ſoli Judices Regii de tertio criminum genere cognoſcunt in perſonam quamlibet. 2. Officialem ſolum eſſe Judicem primorum; & tertii generis notitiam ad ſolum etiam Laicum Judicem pertinere: ſed ubi agitur de criminibus mixtis & caſibus privilegiatis, ambo litem inſtruere, ac ſeparatim ferre debent ſententiam ex artic. 22. Ed. Melodun. & declaratione data menſe Febr. an. 1678. ad exſecutionem hujuſce articuli, in quo agitur de litibus Clericorum in re capitali: hoc eſt, Judices illi ſeorſim ſcribam habere, ac ſententiam ſuam proferre debent, ut ſtatuit Edict. Molinenſe an. 1580. art. 21. Uſus namque contrarius ſublatus eſt ex Arreſto Senatus Pariſienſis an. 1454. ut refert D. Du Caſſe (*m*): quod conſentit cum Declarationibus an. 1678. & an. 1684. ut evidenter probat idem Auctor. En verba ipſa Declarationis: *Statuimus, ut articulus 22. Ed. Melodunenſis, in quo agitur de litibus criminalibus quæ Clericis inferuntur, in toto Regno noſtro regionibuſque ditionis noſtræ, exſecutioni mandetur. Quod conficiendo, ut dictarum litium ordinatio pro caſibus privilegiatis ſit facienda conjunctim tam a Judice Eccleſiæ, tum a Judicibus noſtris, in quorum juriſdictione ſitæ ſunt Officialitates; atque in eam rem tenebantur dicti noſtri Judices ad petendum tribunal juriſdictionis Eccleſiaſticæ in ſuo territorio ſitæ, abſque ulla difficultate; ut, cum ibi fuerint, teſtium dicta, interrogata, dictarum veram confirmationes, eorum cum reo compoſitiones ſcriptis mandari curent a ſcribis ſuis in Codicibus ſeparatis ab iis ſcribarum Officialium; ut lis deinde inſtruatur, & a Judicibus noſtris dijudicetur conformiter ad proceſſus formales a ſcribis ſuis enaratos; quin ſub quocumque prætextu dicti Judices prædictos Clericos dijudicare valeant ſecundum procedendi formulas ab Officialibus factas, ratione communis delicti.*

(*m*) Du Caſſe Tract. de Juriſdict. Eccleſiaſtici. cont. cap. 11. pag. 313.

Ad quartum patet reſponſio ex iis, quæ diximus in ſecunda regula, a nobis præſuppoſita.

DIES

(1) Vid. *Menda Pontas*, Obſerv. III. num. XXI.

DIES DOMINICI AC FESTI.

DIES Dominica ea eſt, quæ Judæorum Sabbato ſucceſſit, quæque ab Eccleſia cultui divino ſpecialius ceteris omnibus diebus dicata eſt, ad celebrandam memoriam Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ ſimili die contingit.

Similiter feſtos dies inſtiruit Eccleſia, ad celebrandum aliquod myſterium, aut ad coleodum Deum in ſanctis ſuis, vel etiam ad perpetuandam memoriam virtutum, Sanctitatis, & miraculorum eorum, atque eo ſolo ſenſu hic intelligimus vocem, *Feſtus dies*, *ſeu Feſtum*.

In hoc igitur titulo hoc unum incumbit explicare, quæ ſit videlicet fidelium obligatio, Dominicos, feſtoſque dies ſancte celebrandi; quod fit dum officiis divinis, Paſtorumque ſuorum inſtructionibus adſint; & ab omni opere ſervili & mechanico abſtineant; niſi ad hujuſmodi opera eos impellat juſta & urgens neceſſitas, ſeu privata, ſeu publica; eaque abſque ſcandalo poſſint exercere, aut eadem ab illis exigat pium Chriſtianæ Charitatis officium.

Oſtendemus pariter, omnem proceſſum judiciarium ac ſtrepitum forenſem ſacris hiſce diebus eſſe prohibitum; ne rerum temporalium cura diſtrahantur fideles a cultu divino, propriæque ſalutis ſtudio. Quod præcipue declarat Gregorius IX. (*a*) in una Decretali, io qua feſta quadraginta duo enumerat, quorum multa etiamnum obſervantur; præter feſta Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis, & Aſſumptionis Beatæ Virginis, dieſque Dominicos, juxta ſenteotiam Soti (*b*), Navarræ (*c*), Toleti (*d*), & Cabaſſutii (*e*), qui eos appellat.

(*a*) Greg. IX. in Cap. *Conqueſtus*. fin. eod. tit.
(*b*) Soto. l. 2. de juſtitia & jure q. 4. art. 4.
(*c*) Navarr. c. 13. n. 2.
(*d*) Tolet. lib. 4. c. 24. n. 7.
(*e*) Cabaſſ. l. 2. c. 31. n. 2.

Non ſatis lugenda videtur ratio, qua Chriſtiani Dominicos feſtoſque dies celebrant. Tanta cura ac religione Sabbata ſua agebant Judæi, ut quandoque in ſuperſtitionem evadere videretur; quod probant exemplo ſuo bellicoſi Machabæi, qui profundere vitam, atque hoſtium ſuorum gladiis jugula præſtare, maluerunt, quam in eos pugnare, ne Sabbatum violarent. Cetera pariter feſta, ac præcipue Paſchatis feſtum menſe martio quolibet anno mira fidelitate celebrabant, in hoc a Chriſtianis noſtrorum temporum looge diverſi, quorum plerique dies Dominicos, feſtoſque agunt in deambulationibus, oblectameotis, ludis, aut comeſſationibus: vel etiam abſque neceſſitate aut ſcrupulo operibus ſervilibus dant operam. Et quidem id jam minus videtur mirum, ſi conſideretur, quam parum de Officiis Religionis in univerſum ſint imbuti, & ſpeciatim de obligatione ſacros illos dies pie ſancteque celebrandi: adeo ut temerarii quidam Caſuiſtæ hanc eſfutire auſi ſint propoſitionem: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus*. Quam doctrinam, uti falſam & novam ſtatim notavit an. 1653. Lovanienſis Univerſitas; poſtea damnavit, ac ſub pœna excommunicationis prohibuit Sanctiſs. Papa noſter Innocentius XI. ac demum Cœtus Gallicanus an. 1700. talem eſſe ſua cenſura declaravit: *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa; ad violandas leges tum Civiles, tum Eccleſiaſticas, vel etiam Apoſtolicas viam aperit; ac proinde Superiorum auctoritate prohibenda*.

CASUS PRIMUS.

SOSANDER, unica auditione Miſſæ Dominicis feſtiſque diebus contentus, omiſſis aliis omnibus pietatis exercitiis, totum illud ſacrum tempus in ſaltationibus, ambulatione, ludo aut familiarium ſuorum colloquiis de rebus novis aut indifferentibus conſumit. Qua de re quæritur, utrum hic homo peccet mortaliter?

RESPONS.

Sanctus Antoninus (*f*) & Cardinalis Cajetanus (*g*) propoſita ſibi quæſtione ſimili, conſentiunt eum, qui diebus feſtis ac Dominicis ſic ſe gerit, peccare quidem; ſed illum de mortali condemnare non audent. Difficultatem ſic proponit ſanctus Antoninus: *Quæri poteſt, utrum quis abſtinendo ſe a criminalibus & operibus manualibus, per hoc ſolum quod non vacat divinis, niſi audiendo Miſſam ..... ſed per totum feſtum ſolatiatur & ratiocinatur de otioſis, peccet mortaliter?* Cui quæſtioni ſic reſpondet iſte Sanctus: *Et videtur quod ſic, quia maxime cadit ſub præcepto quod eſt de intentione Legiſlatoris; ſed ad hoc intentio latoris hujus præcepti de ſanctificatione Sabbathi, eſt ut vacet Deo. Talis autem non vacat Deo, quia etſi audit Miſſam, illud valde modicum eſt reſpectu totius diei, & modicum pro nihilo reputatur ... ergo &c.* Hanc tamen opinionem nimis eſſe ſeveram addit: *Quod ſi verum eſſet*, inquit, *durus eſſet hic ſermo: & multi præter ſuum credere damnarentur*. Unde ad objectionem ſibi factam reſpondet afferendo iſtud S. Thomæ principium, quo diſtinguit ſanctus Doctor inter opus a Legiſlatore præceptum, & finem ab eo intentum. *Poſſet ergo*, inquit, *ad argumenta reſponderi per quamdam diſtinctionem, quam ponit beatus Thomas 1. 2. q. 99. dicit enim in reſponſione ad argumentum ſecundum*: Intentio Legiſlatoris circa aliquod præceptum eſt de duobus: unum quidem, ad quod inducere intendit per præcepta legis, & hoc eſt virtus. Aliud eſt, de quo intendit præceptum ferre, & hoc eſt quod inducit vel diſponit ad virtutem, ſcilicet actus virtutis: non enim idem eſt finis præcepti, & id de quo præceptum datur; ſicut nec in aliis rebus eſt idem finis, & id quod eſt ad finem; *hæc Thomas*. Ex hoc autem Angelici Doctoris principio ita concludit: *Ex hoc videtur poſſe dici, quod quamvis intendat Legiſlator finem præcepti, ut quid perfectius; non tamen intendit id ponere ſub præcepto; quia multitudo cui datur lex non eſt ſubito capax perfectionis, ſed paulatim; ſed intendit ponere ſub præcepto id quod diſponit ad illud,*

(*f*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 9. c. 7. §. 4.
(*g*) Cajet. in ſummula. v. *Feſtum*.

quod

quod facilius eſt ad obſervandum , & ſic abſtinere ab operibus ſervilibus , & in præcepto ; non vacare Deo pro majore parte diei tamen eſt peccatum.

Eadem de re haud abſimili ſenſu loquitur Cajetanus. En ipſius verba : *Licet cum abſtinentia a ſervilibus ſolius Miſſæ cultus ſufficiat in Feſto ad evitandum peccatum mortale ; tenentur tamen fideles diem expendere in divinis laudibus, ſaltem eundo ad prædicationem & ad veſperas. Unde qui poſt Miſſam feſtos dies vane conſumunt , ludendo , jocando , aut venando , ſpectaculis intendendo , licet ex ipſis operibus , ut pote non ſervilibus , mortale non incurrant ; ex omiſſione tamen divini cultus ad quem feſta inſtituta ſunt , graviter peccant ; quia non reddunt quæ ſunt Dei Deo , & quantum in ſe eſt , ridiculo exponunt Chriſtiana feſta , juxta illud:* Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbatha ejus. *Et hoc præcipue tangit viros graves & majores , & Dominos ; ceteri namque eos imitantur.*

Quidquid ſit de illa duorum virorum illuſtrium ſententia ; poſſumus aſſerere , Soſandrum, de quo in caſu propoſito , aut quemlibet alium, qui ſic otiando integros cultui divino ac fidelium ſanctificationi dicatos dies feſtos exigit, graviter peccare, ut ait Cajetanus ; cum Eccleſia in multis ſuis Conciliis conſtituerit eos in aſſiduis pietatis operibus , quantum patitur humana fragilitas , tranſigere , ac præſertim divinis Officiis ac Paſtorum Concionibus ſeu inſtructionibus intereſſe; uti legere eſt in Conciliis 1. Turonenſi quod an. 813. Leone III, Summo Pontifice , imperante vero Corolomano, habitum eſt (*a*) , & cujus hæc ſunt verba de Dominica die loquendo : *Oportet omnes Chriſtianos a ſervili opere in laude Dei & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare.* 2. in Mechlinienſi an. 1570. (*b*) : 3. in Rhemenſi an. 1581. (*c*) : 4. in primo Aquileienſi ſub Clemente VIII. an. 1596. (*d*) , & primo Mediolanenſi (*e*) ; omiſſis aliis quam plurimis , quibus jubentur fideles , ut Dominicos feſtoſque dies ſancte pieque exigant , & omnibus divinis Officiis interſint , atque concionibus ſeu inſtructionibus , ac per reliquum tempus ad pia Religionis opera ſpecialiter ſint intenti. Eccleſiaſticas ea de re conſtitutiones obſervari imprimis attenderunt Chriſtiani Principes ; idque egregie demonſtratur ex Edicto Ludovici Debonarii Imperatoris & Galliæ Regis (*f*), quo Princeps ille omnibus ditionis ſuæ fidelibus imperat, uti ſumma veneratione diem Dominicam , qua die Chriſtus ſurrexit a mortuis, celebrent ; prohibet etiam , ne eadem die de nuntiis , aliiſque vanis ſermonibus inter ſe colloquerentur, profanis cantionibus choreisve darent operam , aut in vicis forove , uti tum fieri ſolebat , immorarentur ; vult quoque ut ſacras audiant conciones, de rebus tantum ſpiritualibus inter ſe colloquantur, ac die reliqua orationi vacent , ut Sacerdotes commiſſis ſibi fidelibus exemplo præeant ac tandem quiſque ſe Chriſtianum eſſe ductu ſuo oſtendat. Ita pius ille Imperator, qui cum Eccleſia in hoc ſermone conſentit. His ita poſitis , quis jam inficiari audeat , Soſandrum, ita ſe gerendo Dominicis feſtiſque diebus , ut dictum eſt , præcipua dignum eſſe reprehenſione ; præſertim ſi ſit vir nobilis , aut pater familias ; cum in damnum proximi ac præcipue domeſticorum ſuorum magis vergat pravum ipſius exemplum, quam ſi mediocris tantum foret ejus conditio.

(*a*) Concil. Turon. III. Can. 40.

(*b*) Concil. Mechlin. in tit. de feſtis, c. 3.

(*c*) Concil. Rhem. tit. de feſt. n. 3.

(*d*) Concil. Aquil. 1. tit. de feſt. ſanctific.

(*e*) Conc. Mediol. 1. tit. de feſtor. cultu.

(*f*) Lib. 6. Capitular. reg. Franc. apud Baluſium. c. 205. columna. 958.

C A S U S II.

Peccatne Elias, qui vulgo neque veſperis, neque concioni Dominicis feſtiſque diebus intereſt ?

R e s p o n s.

Concilium Provinciale Rhemenſe , a Ludovico Cardinali Guiſio an. 1583. coactum , ac 20. Julii anni inſequentis a Gregorio XIII. approbatum (*g*) fidelibus jubet , ut Dominicis feſtiſque diebus interſint : *Diebus Dominicis & Feſtis in ſuas Parœcias Populus conveniat , & Miſſæ , concioni ac veſperis adſit.* Idem conſtituit ſanctus Carolus Borromæus in tertio Concilio Mediolanenſi (*h*) habito an. 1573. his verbis : *Hæc crebro populum Parochi, & concionatores admoneant atque hortentur ..... ut divinis veſperarum præſertim Officiis præſentes pie religioſeque adſint.* Concilium Aquiſextienſe, an. 1585. habitum , & 5. Maii anni ſequentis a Sixto V. approbatum idem commendat ; ſed non imperat (*i*) ; *quibus* (veſperis) inquit, *fidelem quemque , niſi impeditum , intereſſe maxime convenit* , Concilium Burdigalenſe , ſub Franciſco, Cardinali de Sourdis, an. 1624. coactum (*K*) eamdem quoque rem monet.

(*g*) Concil. Rhem. tit. de diebus feſtis. §. 2.

(*h*) Concil. Mediol. 3o. tit. eod.

(*i*) Concil. Aquens. tit. de feſt. dierum cultu.

(*k*) Concil. Burdig. cap. 4. de feſtis.

Hinc colligendum 1. eum procul dubio peccare, qui ſacris illis diebus a Veſperis ſine neceſſitate, ſed ex mera negligentia abeſt. 2. Peccatum illud ſaltem veniale eſſe, ubi non ſubeſt legitima abſentiæ excuſatio. Ita ſentit Navarrus, & cum eo multi Caſuiſtæ , qui quidem inter ſeverioris diſciplinæ moralis aſſeclas non recenſentur. Ex quo ſequitur , Eliam ab omni non eſſe peccato immunem ; niſi qua ei ſuppetat legitima excuſatio , aut defectum hunc piis quibuſdam operibus vel æquivalentibus, vel etiam magis meritoriis reſarciat,

C A S U S III.

Christobulus, Auriga, die Veneris Aurelia ſolet proficiſci , ut die Dominica ad veſperam Pariſios adveniat. Numquid illud poteſt abſque peccato : poſſet ne etiam die Dominica aut feſta proficiſci ad ducendum quempiam, qui iter aut aggrederetur , aut pergeret ?

R e s p o n s.

Aurigæ & Muliones, cujus profectionis dies ad publicam utilitatem eſt determinata, diebus Dominicis ac feſtis iter ſuum perſequi poſſunt, modo auditio Miſſæ non omittatur : illis etiam diebus iter poſſunt aggredi , ad ducendum aliquem, qui ad itinerationem ſuſcipiendam eſſet coactus , quique non poſſet abſque ope aurigæ.

Id quidem probari poteſt auctoritate S. Thomæ, qui aſſerit, neceſſitatem , aut utilitatem proximi in hiſce occaſionibus a peccato eximere. *Quilibet autem* , inquit Angelicus Doctor (*l*) , *tam ſervus quam liber , tenetur in neceſſariis providere , non tantum ſibi , ſed etiam proximo ; præcipue quidem in his quæ ad ſalutem corporis pertinent ... ſecundario etiam in damno rerum vitando.* Ex quo principio concludendum, quod , cum multi iter facere teneantur , nec tamen pedibus valeant, & aliunde multa ſibi neceſſaria vehiculis deferri debeant curare ; iter ſuum pergere vector poteſt , aut etiam aggredi die Dominica vel feſta , ac viatores illos eorumque inſtrumenta ducere ; cum enim Lex Evangelica ſit lex charitatis, non exigit , uti Judaica , ut ad litteram ſervetur illud præceptum, ſed ſecundum ſpiritum ; admittendo videlicet juſtam neceſſitatem & charitatem pro ratione legitimæ diſpenſationis : *Etiam in quibuſdam operibus prohibitis facilius propter neceſſitatem diſpenſatur in nova, quam in veteri Lege* , ſubjungit idem Sanctus.

(*l*) S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

Conſentit hæc deciſio cum tertio Concilio Aurelianenſi , quod ſub Pontificatu Silverii Papæ an. 538. habitum eſt (*m*) , quodque in ſuo de Politia tractatu laudat D. de la Maro (*n*) ; & cujus hæc ſunt verba in hanc rem decretoria : *Quia perſuaſum eſt populis* , inquiunt Patres hujuſce Concilii , *die Dominico agi cum Caballis, aut bobus & vehiculis per itinera non debere .... quæ res cum ad Judaicam magis quam ad Chriſtianam obſervationem pertinere probatur ; id ſtatuimus , ut die Dominico, quod ante fieri licuit liceat. De opere tamen rurali, id eſt, agricultura &c....., cenſuimus abſtinendum.*

(*m*) Concil. Aurel. 3. c. 28.

(*n*) D. de la Mare in ſuo tract. de Politia. t. 1. l. 2. tit. 8. cap. 2.]

C A S U S IV.

Evaristus Artifex , decem leucarum iter meditans , illud die Dominico aut feſto aggreditur , ne profeſti diei laborem amitteret. An peccat

Digitized by Google

cat in præceptum, quo ſacrorum horum dierum jubetur ſanctificatio?

R e ſ p o n ſ i o.

Regulariter loquendo *abſtinendum eſt ab itinere dietario*, inquit ſanctus Antoninus (*a*), *niſi neceſſitas cogat, vel aliud pium opus inducat*: atque eo ſenſu intelligendum tertium Concilium Aurelianenſe ſupra relatum, quo iter agi die Dominico *caballis aut bobus & vehiculis*, ut ait, permittitur; quod etiam concedit Edictum Pipini Filii Caroli Martelli, Patriſque Caroli Magni, ab eo conditum an. 756. conſulentibus Prælatis quos Vernolium ſub Pontificatu Stephani III. in ſuo Palatio convocarat (*b*).

Ratio eſt, quia multum a debita ad Deum attentione ſacris illis diebus avertunt itinerationes, quæ proinde non leviter ſuſcipiendæ ſunt, aut cum periculo non audiendæ Miſſæ, ut fert Concilium quintum Mediolanenſe ſub ſancto Carolo, an. 1579. habitum, cujus hæc ſunt verba (*c*): *Ne quis diebus Dominicis, Feſtiſque, ex urbe, oppido, aliove loco, cum iter facturus eſt, diſcedat, quam Miſſæ ſacrificio interfuerit, niſi ad eum locum proficiſcatur, ubi in tempore intereſſe poſſit*. Idem quoque præſcribit Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus an. 793. ſcribens ad Sacerdotes Diœceſis ſuæ. *Si neceſſitas fuerit navigandi, ſive itinerandi*, inquit antiquus ille & doctus Antiſtes (*d*), *licentia datur, ita dumtaxat, ut horum occaſione Miſſa & orationes non prætermittantur*.

Unde colligimus, Evariſtum die Dominico, vel vel Feſto itinerari poſſe abſque peccato: modo illa die 1. adſit Miſſæ 2. Subſit juſta itineris neceſſitas, ita ut commode illud ad alteram diem nequeat differre abſque aliquo damno, ſeu ob interruptionem laboris ſui, ſeu aliter.

(*a*) S. Anton. in ſum. Theol. 2. part. tit. 9. c. 7. §. 5.

(*b*) Baloſius tom. 1. Capit. Reg. Franc. c. 14. col. 173.

(*c*) Concil. Mediol. v. Conſtit. part. 1 tit. quæ ad Dies Feſtor. & ſacra temp. pertinent.

(*d*) Theodulphus ad Presb. Aurel. cap. 24. apud Ant. Auguſt. in epitome veteris juris Pontificii. lib. 28. tit. 19. cap. 30.

C A S U S V.

Heribertus, Dominus, vel Judex vici, permittit 1. ut quibuſdam diebus Dominicis vel Feſtis habeantur nundinæ aut mercatus. 2. Ut publicæ fiant ſaltationes ac ludrica exhibeantur ſpectacula; idque conformiter ad antiquum uſum. Numquid ob hac conſcius eſt peccati?

R e ſ p o n ſ i o.

Heribertus in hoc caſu a culpa nequit eximi; quandoquidem indulgentia ſua populum confirmat in tranſgreſſione præcepti de ſanctificatione Dominicæ diei ac Feſtorum, hæc omnia patienter ferendo, quæ non ſolum fideles ab exercitiis ſpiritualibus & præſertim ab oratione, uti tenentur, avertunt, ſed quam multis etiam ſunt occaſiones peccati.

Quod ſpectat ad ſaltationes & ſpectacula aut mimicos jocos; alibi referemus (e) multas probationes depromtas ex Conciliis, ſcilicet Laodicenſi, tertio Pariſienſi, Romano ſub Eugenio II. tertio Toletano, primo Mediolanenſi, Rhemenſi, Rothomagenſi, Turonenſi, Aquenſi, Bituricenſi, Burdigalenſi & Aquilejenſi; quibus addi poteſt 1. Tertium Mediolanenſe (*f*), an. 1573. habitum, cujus hæc ſunt verba, digna quæ referantur: *Quoniam autem uſu jam in hac Provincia nimis compertum eſt depravatis his temporibus ad choræas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia, numquam fere conveniri ſine multis, & iis quidem graviſſimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obſcæna dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas & pernicioſas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuo conjunctas, tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima, inde conſequentia ſæpiſſime, his tot offenſionum & peccatorum Seminariis locum dari iis præſertim diebus, qui dies propitiationis ſunt, & in ipſis diebus fideles pleroſque nefariis iſtis Satanæ blanditiis illectos, a divinis Officiis, Religioſis ſupplicationibus, lectionibuſque abduci, avertique rudes a percipiendis fidei rudimentis, alioſque ab aliis Chriſtianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religioſe incumbendum eſt, abſtrahi & amoveri .... quam Feſtis iis diebus, ſaltem horis, quibus divina celebrantur Officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur aut fiant*.

2. Prædictis Conciliis addemus etiam Toloſanum an. 1590. (*g*) & Narbonenſe an. 1609. habita (*h*), quæ idem prohibent.

(*e*) v. *Saltatio*. Caſ. 1.

(*f*) Concil. Mediol. III. tit. de Feſtorum dier. cultu.

Quod pertinet ad nundinas & mercatus diſtricte prohibet Carolus Magnus Edicto ſuo an. 813. ne diebus Dominicis habeantur (*i*): quod jam ante ab anno 808. prohibuerat pius hic Imperator (*K*): idem etiam in ſtatutis ſuis Synodicis vetat Herardus, Turonenſis Archiepiſcopus (*l*).

Antiquum Compendii habitum Concilium, quod refert Decretalium ſumma (*m*), de illis ſic loquitur: *Omnes dies Dominicos a Veſpera in Veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, ab omni illicito opere abſtinere, ut in eis mercatum minime fiat*. Concilium Rhemenſe an. 1583. a Cardinali Guiſio habitum ſic habet (*n*): *Nundinæ publicæ, mercatus & actiones ne fiant diebus Feſtis, ſub pœna excommunicationis a Parœcis in Prono denuntianda*. Concilium Aquenſe habitum an. 1585. (*o*), conſtituit ut abrogato uſu contrario nundinæ mercatuſve, *quæ Feſto die fieri conſueverunt, in antecedentem vel ſequentem diem, qui Feſtus non ſit, transferantur*.

Alias omittimus quam plurimas Galliæ Synodos, quæ apprime cum mox allatis conſentiunt: ſed ut propoſitæ difficultati ſpecialibus fiat ſatis; Concilium Rothomagenſe an. 1581. coactum (*p*) addere neceſſe duximus, in quo tale habetur Decretum: *Ad has Feſtorum profanationes mundanas*, inquiunt Patres hujus Concilii, *decernimus nundinas omnes ac negotiationes a quibuſcumque Feſtis in alios dies rejici; Dominos vero locorum, eorumque procuratores & alteres, ſeu Judices excommunicari; ſi Dei mandatis & Eccleſiæ de obſervatione Feſtorum parere noluerint, & ad ſuas nundinas alios deligere*. Eamdem pœnam in locorum Dominos, eorumve Officiales aut Judices *ipſo facto*, decernit biennio poſt habitum Turonenſe Concilium his verbis (*q*): *Si qui vero locorum Domini jus nundinarum & mercatuum iis diebus ſe habere prætendant, illas in perendinum, aut alium diem non Feſtum transferre in Domino hortamur: qui ſi parere diſtulerint, illos nec non eorum Procuratores & Judices excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrere præſenti decreto declaramus*.

Denique ad Eccleſiæ auctoritatem acceſſit civilis auctoritas, præſertim Regum Galliæ, ad tollendum tam pernicioſum abuſum. En verba Edicti Aurelianenſis an. 1560. a Carolo IX. promulgati (*r*): *Prohibemus omnibus & ſingulis Judicibus, ne permittant, ut diebus Dominicis & Feſtis annuis ac ſolemnibus habeantur ullæ nundinæ & mercatus, fiantve publicæ ſaltationes; ipſiſque mandamus ut contravenientes pœnis coerceant*.

Verum quidem eſt, Edictum illud loqui dumtaxat de Feſtis ſolemnibus: ſed duo ſunt ea de re advertenda: 1. Hoc eſſe jus duplicis potentiæ Eccleſiaſticæ & civilis ſeparatim & conjunctim, ut nundinas & mercatus Dominicis Feſtiſque diebus prohibeant, ut conſtat ex antiquis Galliæ Regum Capitularibus & ex Conciliis: quare ut Reges edicta temporibus ſui Regni accommodata promulgavere; ſic Eccleſia ſuas edixit Conſtitutiones, quæ Feſta omnia, nullo excepto, ut vidimus, comprehendunt. 2. Duplicem hanc potentiam ad Feſtorum inſtitutionem conſpirare neceſſe eſſe (*ſ*). Unde colligi poteſt, fuiſſe quædam Feſta non ſolemnia, abſquæ præjudicio nundinarum & mercatuum inſtituta: id ſaltem videre eſt ex uſu minoribus illis Feſtis diebus eſſe in eam rem derogatum (*t*). Inſuper Edictum Bleſenſe menſis Maii an. 1579. (*u*) Aurelianenſe confirmans, indiſcriminatim de Feſtis omnibus loquitur. *Injungimus omnibus Judicibus noſtris*, inquit Henricus III. *ut curent, diſtricte cuſtodiri & obſervari prohibitionem factam ex Edictis Aureliæ latis, tam quoad nundinas & mercatus, ac publicas ſaltationes diebus feſtis, quam contra Hiſtriones, & Mimos, pœnas inferendo in dictis Edictis contentas*: atque conformiter ad Edictum illud Arreſtum tulit Senatus Pariſienſis 15. Octobr. an. 1588. quod etiam poſtea confirmatum eſt 1. ex Arreſto Sanctioris Conſilii, quod tulit Ludovicus XIV. 23. Julii 1666. 2. Ex Declaratione data de Edicto

(*g*) Concil. Toloſ. 2. part. cap. 13. tit. de Feriis earumque cultu.

(*h*) Concil. Narbon. an. 1609.

(*i*) Capitular. Reg. Franc. Baloſii. to. 1. col. 504. c. 15.

(*K*) Ibid. col. 466.

(*l*) Synod. Herardi an. 858. c. 2.

(*m*) Concil. Compendienſe to cap. Omnes. t. de Feriis. l 2. tit. 9.

(*n*) Concil. Rhem. tit. de Dieb. Feſt.

(*o*) Concil. Aquenſ. tit. de dierum Feſt. cultu.

(*p*) Concil. Rothom. tit. de divino cultu in genere.

(*q*) Concil. Turo. an. 1583. tit. de Feſt. cultu.

(*r*) Aurelian. Edict. art. 23.

(*ſ*) Greg. IX. in cap. *Conqueſtus*. 5. de Feriis. l. 2. tit. 9.
Conc. Lugdun. in Can. *Pronuntiandum*. de conſecrat. diſt. 1.

(*t*) De Sainte Beuve. t. 3. caſ. 279.

(*u*) Edictum Bleſenſe. art. 38.

1695.

Google

1695. quo innovantur articuli 33. 34. & 35. Edicti Aurelianenſis & art. 38. Edicti Bleſenſis, quibus prohibentur nundinæ & Mercatus, nec non publicæ ſaltationes diebus dominicis ac feſtis (*a*).

(*a*) Acta Cleri Gallicani in Comitiis an. 1700. pag. 90.

CASUS VI.

Hugolinus, Pharmacopola, diebus dominicis & feſtis materiam parat & contundit, ex qua medicatas potiones & unguina conficit, quæ pridie ab ipſo pro illis diebus requiruntur. Nonne in eo peccat? Poteſtne etiam aulæorum Opifex ipſo feſti die Templum ornare & Tapetibus conveſtire? Denique aſſarum carnium venditor, qui Pariſiis manet, poteſtne tuta conſcientia Tabernam ſuam aperire, dapes apparare, coquere ac vendere ſacris illis diebus?

RESPONS.

Opera hujuſmodi ſervilia in hiſce tribus caſibus ſunt licita: ac primo Hugolinus pridie requiſitas potiones conficere ac parare poteſt abſque peccato: quia æquum eſt, ut ægris præbeantur medicamina ipſis ad ſalutem aut ſubſidium neceſſaria: quod quidem probare facile eſt ex Aquenſi Concilio, cujus modo afferetur auctoritas, quodque omnem emtionem aut venditionem diebus Dominicis ac Feſtis prohibens, ægris neceſſaria diſtincte excipit.

Eamdem doctrinam tuetur ſanctus Thomas his verbis (*b*): *In quantum vero ſunt communia & ſervis & liberis, ſervilia non dicuntur: quilibet autem tam ſervus quam liber, tenetur in neceſſariis providere, non tantum ſibi, ſed etiam proximo; præcipue quidem in his, quæ ad ſalutem Corporis pertinent, ſecundum illud Proverb.* 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem .... *ſimiliter opus corporale, quod ordinatur ad ſalutem corporalem alterius, non eſt contra obſervantiam Sabbati. Unde dicitur Joan.* 7. Mihi indignamini, quia totum hominem ſalvum feci in Sabbato?

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

Neque eſt quod quis objiciat, Pharmacopolam hunc, facile huic labori jam pridie ejus diei potuiſſe intendere; quippe qui monitus fuerat: cum enim potiones ex ea vulgo parentur materia, cujus brevi in vapores abeunt ſpiritus, ac diſſlantur; intereſt, ut recenter ſint confectæ, quo ſalubriorem queant producere effectum.

Non peccat etiam, qui die feſto templi parietes aulæis circumveſtit & exornat. Ratio eſt, quia *non ... eæ actiones*, inquit Catechiſmus Concilii Tridentini (*c*); *neque ea opera vetantur, quæ ad divinum cultum attinent, etiamſi ſervilia ſint, ut altare inſtruere, Templa alicujus feſti diei cauſſa ornare, & reliqua hujus generis: ideoque a Domino dictum eſt, Sacerdotes in Templo Sabbatum violare & ſine crimine eſſe*. Si tamen aulæorum opifex ille pridie feſti opus illud anticipare potuerit, quod ex negligentia ad ipſum diem feſtum diſtulit, a peccato excuſari nequit, eamque negligentiam in confeſſione debet aperire.

(*c*) Catech. Concil. Trid. part. 3. de 3. præcepto Decalog. n. 3.

Aſſarum tandem carnium venditor dominicis feſtiſque diebus, iis, quæ ad ſuum pertinent commercium, operam dare poteſt, parando & vendendo cibos, his diebus populo neceſſarios: cum tempus illud commode antevertere nequit. Id quidem ex multis licitum eſt Conciliis, ac præſertim ex Rhemenſi an. 1583. his verbis (*d*): *Venditiones quarumcumque rerum, exceptis quæ ad divinum cultum & victum neceſſarium pertinent, ne fiant diebus feſtis, ſub pœna excommunicationis a Parœcis in Prono denuncianda*. Aquenſe Concilium 1585. idem conſtituit (*e*): *Ne quid ematur aut vendatur*, inquit, *niſi quod ægrotis, aut illius diei victui neceſſarium ſit*. Quocirca ex his duobus Conciliis, quibus conſentit Toloſanum an. 1590. (*f*), excipiuntur tres illi caſus, de quibus fit mentio in propoſita ſpecie.

(*d*) Concil. Rhe. §. 5 tit. de diebus feſtis.

(*e*) Concil. Aquenſ tit de feſt. dierum cultu.

(*f*) Conc. Toloſ. 2. part. c. 13.

Hactenus dicta de venditore aſſarum carnium aliiſque, qui diebus Dominicis ac feſtis cibos ceteraque ad victum neceſſaria parant ac vendunt, conſentiunt omnino cum Edicto, quod an. 756. tulit Pipinus Rex (*g*) de conſilio Præſulum, quos in Regiam ſuam convocarat, in quo Judaicam populorum ſuperſtitionem perſtringens, ita conſtituit: *Quia perſuaſum eſt populis*, inquit hic Princeps, *de die dominica .... neque ullam ad victum præparari, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exerceri; quæ res ad Judaicam magis quam ad Chriſtianam obſervationem pertinere probatur, id ſtatuimus, ut die Dominico, quod ante fieri licuit liceat*; quibus verbis uſum eſt tertium Arauſicanum Concilium an. 538. quæ in deciſione quarti caſus attulimus. Laborem quoque ad cibos Urbibus neceſſarios diebus dominicis parandos requiſitum concedit Carolus Magnus (*h*) ex Edicto ſuo 22. Martii an. 789. (1) Quod idem jam prius conceſſerat Rex Guntrandus ex Edicto ſuo 12. Novembris an. 585. (*i*) Matiſcone lato, uti Childebertus III. ex ſuo an. 595. (*K*), in quo exceptionem hanc addit: *Excepto quod ad loquendum, vel ad manducandum pertinent*.

(*g*) Edictum Pipini. c. 14. de die Dom.

(*h*) Capitul. Reg. Franc. Baluſii. tom. 1. col. 239. c. 79.

(*i*) Ibid. Col. 10.

(*k*) Ibid. Col. 20. n. 14.

Ex hac tamen generali regula tollenda ſunt Feſta quædam ſolemnia, quibus ex Conſtitutionibus artium prohibetur labor; quia admiſſi ad communitatem alicujus artis jurejurando ad obſervationem ſtatutorum ejus ſe ſe obſtringunt.

Deciſionem iſtam confirmant iſta Doctoris Angelici verba (*l*). *Sciendum eſt quod opera corporalia poſſunt fieri in Sabbato propter quatuor. Primo propter neceſſitatem, unde Dominus excuſavit diſcipulos evellentes ſpicas in Sabbato; ut dicitur Matth.* 12. *Secundo propter utilitatem; unde dicitur in Evangelio Matth.* 12. *quod Sacerdotes faciebant omnia, quæ erant neceſſaria in Templo in die Sabbati. Tertio propter proximi utilitatem; unde Dominus curavit in die Sabbati habentem manum aridam, & confutavit Judæos reprehendentes eum, ponens exemplum de ove Matth.* 12. *Quarto propter Superioris auctoritatem; unde Dominus præcepit Judæis, ut circumciderent in die Sabbati, ut dicit Joan.* 7.

(*l*) S. Thom. Opuſc. 4. de 3. præcep.

CASUS VII.

Judas Chirurgus & Tonſor in Provinciali oppido Dominicis feſtiſque diebus barbam radere ſolet. Cum abſolutionem tempore Paſchali ei contrarium promittere nolenti denegaſſet Parochus ipſius, Vicarium adivit, cui eaſdem, jam Parocho allatas, rationes expoſuit; ſcilicet 1, quod duo erant in eadem Urbe Tonſores, qui diebus illis pariter genas radebant: quocirca ſi labore his diebus abſtineret, brevi ſua taberna ſileret, nec haberet, unde ſuam ſuorumque vitam ſuſtentaret. 2. Quod Vicini agricolæ non niſi diebus feſtis barbam ſibi tondendam curabant, quia profeſtis diebus labori inſtare ad paranda vitæ neceſſaria tenerentur. 3. Quod multi famuli atque operæ vix ac ne vix quidem alium diem munditiæ huic deſtinare non poſſent. 4. Quod laboris iſtius alibi univerſa eſt conſuetudo, quia communitati neceſſarius eſt. 5. Quod conſuetudini huic, non contradicant Epiſcopi & Politiæ Judices, quibus non eſt ignota. Quærit Vicarius, utrum legitimæ ſint hujuſmodi rationes, & tuta conſcientia Judam poſſit abſolvere?

RESPONS.

Certum eſt, regulariter loquendo, Tonſores Dominicis feſtiſque diebus, barbam atque capillos tondere abſque peccato non poſſe; cum id nominatim eis a Concilio Andegavenſi an. 1282. ſit prohibitum: ratio eſt, quia labor ille eſt ſervilis, & ad alium diem, abſolute loquendo, differri poteſt.

Nihilominus, ut propoſitæ difficultati fiat ſatis, dici poteſt, quod, ſi Vicario ſit perſuaſum, Judam a tonſione barbæ & capillorum diebus Dominicis ac feſtis abſtinere non poſſe, abſque manifeſto inopiæ periculo; ipſum abſolvere poteſt, ea tamen conditione, ut per Officium divinum & præcipuis anni ſolemnitatibus ab omni opere ceſſaturus ſit. Secunda, quam allegat Judas ratio, eſt etiam ſatis legitima, ut a peccato excuſetur, atque adeo ad Pœnitentiæ Sacramentum admittatur: cum enim diebus profeſtis agricultura detineantur ruſtici: abſque magno ſui damno laborem ſuum dimittere nequeant, ut tonſorem adeant; omnia quippe iis pretioſa ſunt momenta. Nec minus æqua videtur ratio tertia, quam præcedens. Quod pertinet ad quartam & quintam, dicimus, id valde eſſe optandum, ut hæc tolleretur conſuetudo, & ut Epiſcopi conjunctim cum Politiæ præ-

(1) Vide *Menda Pontas* Obſerv. III. num. XXII.

præfectis ea de re generalem emitterent Conſtitutionem, quam iidem politiæ præfecti intra juriſdictionis ſuæ fines ab omnibus Chirurgis & Tonſoribus obſervandam curarent; ſed hæc in anguſto ſpes eſt poſita.

Probari poteſt hæc deciſio ex hoc ſancti Thomæ principio (a): quo nimirum aſſerit, opus natura ſua ſervile, quale eſt re ipſa Tonſorum, jam tale non eſſe reputandum, ubi præſens adeſt illud faciendi neceſſitas, ſed tamquam opus naturale & licitum eſſe habendum. En verba Doctoris Angelici: *Opera enim corporalia ad ſpiritualem Dei cultum non pertinentia*, inquit S. Doctor, *in tantum ſervilia dicuntur, in quantum proprie pertinent ad ſervitutes; in quantum vero ſunt communia ſervis & liberis, ſervilia non dicuntur: quilibet autem tam ſervus quam liber, tenetur in neceſſariis providere, non tantum ſibi, ſed & proximo, præcipue quidem in his, quæ ad ſalutem corporis pertinent... ſecundario autem in damno rerum vitando.... & ideo opus corporale pertinens ad conſervandam ſalutem propriı corporis non violat Sabbatum: non enim eſt contra obſervantiam Sabbati, quod aliquis comedat, & alia hujuſmodi faciat, quibus ſalus corporis conſervatur: ſimiliter etiam opus corporale, quod ordinatur ad ſalutem corporalem alterius non eſt contra obſervantia Sabbati.... ſimiliter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum.* Ex hoc, ut mihi videtur, excuſatur Judas de peccato in caſu propoſito; eamdemque ob cauſſam abſolutionem ipſi impertiri poteſt Vicarius promiſſum ab eo exigendo, generalem quæ in poſterum fieri poſſet, Conſtitutionem adimplendi, quam ab Epiſcopis conjunctim cum politiæ præfectis fieri valde peroptandum eſt, ut norint Confeſſarii, qua ratione ſe ſe debeant gerere, & uniformem omnes in pari caſu regulam cuſtodiant.

(a) S. Th. 2. 2. q. 122. art. 2. ad 3.

CASUS VIII.

BRIXIUS, Piſtor, tenerum panem variis modis fingere ac vendere, etiam dominicis feſtiſque diebus unice vacat. Numquid ita ſe gerere tuto poreſt, ut nobilium ac divitum deliciis, non vero neceſſitati ſatisfaciat?

RESPONS.

Certum eſt, Brixium ſine peccato hujuſmodi panem fingere ac vendere non poſſe, præciſe ut ementium panem ſuum voluptati, cupediæ ac mollitiei ſatisfaciat; quia tum finem ex ſe ipſo malum ſibi proponeret; at vero id ipſum poteſt ob neceſſitatem proximi, ac præſertim ægrotantium, aut infirmorum, aut eorum qui ætate provecti ſunt: poteſt etiam ad propriam ſuam neceſſitatem; cum nimirum ab eo deficiſcerent emtores ſoliti, atque ex eo ſe ipſum vix ac familiam ſuam poſſet ſuſtentare, ſi diebus illis panes hujuſmodi non coqueret ac venderet. Tum enim labor ejus non tamquam opus ſervile, ſed potius neceſſarium haberi debet, ut conſtat ex allato S. Thomæ textu reſponſione ad primem difficultatem.

Abſque illis tamen duabus rationibus, a peccato non foret immunis Brixius; ex eo, quod uſum ſequatur, cui non contradicunt Prælules, Parochi, politiæque magiſtratus: nam 1. falſum eſt, id Eccleſiæ, Principumque legibus non eſſe vetitum; cum Eccleſia in magno Conciliorum numero laborem ſacris illis diebus prohibet, & quoſdam ſolummodo excipit neceſſitatis caſus, inter quos præſens non recenſetur: nulla quippe neceſſitas eſt panem e furno calentem, ſeu eodem die coctum edendi. contra vero conſentit omnis Medicorum Schola, valetudini magis prodeſſe panem una ante, aut altera die coctum, quam edatur. 2. Neque Principum legibus excipitur caſus iſte, uti neceſſitas: contra, iiſdem vetatur, ne dominicis feſtiſque diebus panis coquatur; quod in primis evincunt ſtatuta a S. Ludovico Galliæ Rege Piſtoribus præſcripta; quibus Piſtoribus prohibetur, ne panem fingant diebus dominicis & etiam feſtis, quæ numero viginti ſeptem deſignantur ab illo præter feſta Apoſtolorum, in quorum vigiliis jejunium celebratur, atque ex iis tantum excipit feriam tertiam Paſchatis & Pentecoſtes, feſta S. Marcelli & Sanctorum Innocentium; quia dierum illorum quemlibet antecedunt ſemper alia duo feſta: quocirca ſupponebatur, penitus jam eſſe conſumtum panem, qui pridie feſti primi fuerat decoctus; atque adeo juſtam in hoc caſu inſtare neceſſitatem; cum inſuper Pariſiis poſtera die feſtorum Paſchatis & Pentecoſtes mercatui ſit deſtinata; quod etiam ſæpe accidit poſtera die feſtorum duorum, quæ excipiuntur.

Certum quidem eſt, quod inter feſta de quibus loquuntur hæc Statuta, non annumerentur Circumciſionis, Corporis Domini, Conceptionis & S. Michaelis feſta, utpote quæ nondum in Regno Galliæ fuerant inſtituta, uti feſtum ſancti Ludovici, qui ſuperſtes erat.

Certum eſt etiam, id ad cocturam panum dumtaxat pertinere: nam quod ad venditionem ſpectat, Piſtoribus favent in primis Conſtitutiones; quod impedita vel uno die panis diſtributio gravis foret momenti; nec ob populorum frequentiam Pariſiis interdicitur ejus venditio quocumque die (b): at de ceteris locis, uti de iſta Urbe non eſt dicendum; quare, ubi vera non ſubeſt neceſſitas, conſuetudinem obtendere nequeunt Piſtores: neque enim a peccato vindicat id, quod eſt vel divina vel eccleſiaſtica lege prohibitum, prava conſuetudo; quæ contra abrogari meretur ex hoc Joannis VIII. Papæ (c) ſententia: *Quod contra legas accipitur, per leges diſſolvi meretur.* Atqui, ſi ſupponamus in aliquo loco quatuor ſexve degere Piſtores, quorum duo treſve a coctura diebus dominicis ac feſtis religionis motivo ducti abſtinent, ceteris impune vendentibus, ita ut a primis deficiant emtores ſoliti; tum judicandum, pro his juſtam ſubeſſe neceſſitatem, cum aliunde graviſſimum ex hoc damnum paterentur (d). Atque hæc ad propoſitam difficultatem dicenda videntur.

(b) D. De la Mare. Tract. de Politia. tom. 1. l. 2. tit. 8. cap. 5.

(c) Joan. VIII. in can. *Videt.* diſt. 10.

(d) De Sainte Beuve tom. 3. Caſ. 175. & 181.

CASUS IX.

RICULPHUS, Cupediuarius Pariſienſis, dominicis feſtiſque diebus, ut ceteri qui eamdem ſecum exercent artem, laborat ac negotiatur. Quæritur, utrum labor ille atque commercium neceſſaria communitati ſint cenſenda, ita ut his defungi poſſit abſque peccato lacus illis diebus?

RESPONS.

Exiſtimamus, Riculphum a culpa eximi non poſſe, niſi ad laborem hiſce diebus illum cogat evidens neceſſitas. Ratio eſt, quia proprias ſuas infringit conſtitutiones, ad quas jurejurando ſe ſe obſtrinxit in ſua cooptatione ad communitatem ſuam; neque enim ex ſtatutis ſuis cupedinariis licet dominicis laborare diebus, neque aliis feſtis permultis.

Id quidem ulto fatemur; ex ſtatutis a S. Ludovico menſe Majo an. 1270. datis, juxta antiquum uſum cupedinariis licitum fuiſſe laborem diebus omnibus feſtis, nulla facta mentione de Dominicis, in quos non cadit proinde hæc diſpenſatio; cum certum ſit, omnem diſpenſationem, utpote odioſam & ſtricti juris extendi non poſſe, in primis, cum agitur de caſu quodam ei ſuperiore, quem exprimit diſpenſatio, qualis eſt dies Dominica, quæ eſt de jure divino, in eo quod Sabbato ſucceſſerit, & de Apoſtolica traditione, in eo quod ab Apoſtolis hæc inducta fuerit mutatio; cum feſta ſint tantummodo Eccleſiaſticæ inſtitutionis. Sed illud ſciendum, hanc ideo cupedinariis a ſancto illo Rege præcipue conceſſam eſſe veniam, quod tum communitati valde neceſſaria eſſent eorum labor nec non commercium, quia ſimul caupones erant, aſſarum carnium venditores, coqui & cupedinarii, quod etiam ſolent eſſe in multis Galliæ urbibus; atque ita populo ea ſolum vendebant, quæ ad diurnum victum opus erant, & aliunde nuptiarum convivia apparanda ſuſcipiebant: qua in re ipſis favebant politicæ regni conſtitutiones (e): & anſerarii, qui aſſarum carnium venditores nunc dicuntur, anſeres ſolos carnemque tantum e laniena depromtam torrere poterant.

Poſt id temporis, hoc eſt, an. 1441. Præpoſitus Pariſiorum ſtatutum promulgavit, quo ipſis vetabat, ne feſtis Paſchatis, Pentecoſtes, omnium Sanctorum & Natalis diei Domini tabernas aperirent quibus

(e) Conſtitut. Polit. 6. Jann. an. 1559. lib. Curiæ Crimin. juriſdict. Urban. Pariſ. fol. 38.
Statuta Cupedinariorum menſ. Julio 1566.
Commentarii publici juriſd. Urban. Pariſ. ad ind. 3. Cod. 9. fol. 59.
Fontanon. l. 5. tit. 38. n. 1.
D. de la Mare, tract. de Politia. tom 1. l. 2. tit. 8 cap. 7.

quibus ſacris diebus additum eſt ex ſtatuto 7. Junii 1579. feſtum ſancti Michaelis, quem ſibi Patronum elegerant cupedinarii. Carolus IX. ſtatuta illa omnia confirmavit, cupedinariorumque conſtitutiones dato diplomate menſe Majo an. 1566. innovavit, & juſſit inſuper, ut diem Purificationis beatæ Virginis, uti alia feſta, de quibus ſupra, obſervarent: verum a Ludovico XIII. alio diplomate menſ. Octob. an. 1612. Purificationis ſubſtitutus eſt dies natalis ejuſdem beatæ Virginis.

Denique a Ludovico XIV. dicto Magno, innovatæ ſunt cupedinariorum conſtitutiones alio diplomate menſ. Maii an. 1653. quo confirmatum eſt diploma an. 1566. atque adeo reſtitura Purificationis feſta dies, & addita ſunt feſta Aſcenſionis Domini, Annuntiationis, & Conceptionis ſimulque cupedinariis juſſum fuit, ne feſtis illis omnibus, non magis quam Dominicis diebus tabernas aperirent, aut artem ſuam exercerent.

Ex quibus omnibus facile colligitur, nec Riculphum, nec alium quemlibet cupedinarium, qualibet hora Dominicis feſtiſque diebus, quos excipiunt communitatis ſuæ conſtitutiones, artem ſuam exercere poſſe, nec etiam aliis diebus feſtis non exceptis per celebrationem Officii divini, cum nulla ſubſit judicandi ratio a S. Ludovico, ceteris Regibus ac Magiſtratibus conceſſam fuiſſe cupedinariis per id tempus laborandi facultatem.

Fatendum tamen, eos, juxta uſum præſentem Lutetiæ, per illos dies feſtos qui ſtatutis ſuis non prohibentur, rebus neceſſariis poſſe vacare, quales ſunt panes benedicti, dapes ad prandium cœnamve neceſſariæ, cruſtula pro infirmis aut ægris, & alia quæ omnino quibuſdam ad victum ſunt neceſſaria.

Ceterum, id in primis foret optandum, ut conſtitutionibus a Principe, Magiſtratuve Politiæ latis interveniret poteſtas Eccleſiaſtica: quia tum multo facilius dignoſcere poſſent Confeſſores, modoque conſimili, quo pacto ſe gerere deberent erga Pœnitentes ſuos, qui caſui propoſito ſubjacerent.

CASUS X.

Leobardus, ſutor, cum ab octo decemve id ſibi fuiſſet demandatum; ut per eamdem hebdomadam tot calceorum paria conficeret pro ſequenti die Dominica, eadem perficere non potuit, niſi ad horam tertiam matutinam ejuſdem Dominicæ diei. Numquid in eo deliquit contra præceptum de ſanctificatione Dominicæ diei? Prima, quam profert, ratio, ut ſe a culpa defendat, eſt quia calceos pro illa die ſibi impenſe neceſſarios eſſe, ab illis emtoribus affirmatum eſt. Secunda; quia, ſi votis eorum non ſatisfaceret, a taberna ſua brevi demigrarent illi emtores; quod maximo ſibi foret nocumento, cum ſolo labore ſuo uxorem numeroſamque familiam ſuam ſuſtentare queat, Nonne a culpa ob iſtas rationes eſt immunis?

Respons.

Cum vix credibile ſit, omnes illos emtores qui a Leobardo calceos ſibi fieri juſſerunt, ita iis pro ſequenti Dominica die egere, ut ſi non habeant, e domo exire non poſſunt; nec veriſimile ſit, eos, vel uno adhuc die, iiſdem quibus per totam hebdomadam, uti non poſſe, juſte conjiciendum eſt, Leobardum peccaſſe, quod ob eam cauſſam præceptum infregerit, quo die Dominica omne prohibetur opus ſervile. Experientia nimirum compertum eſt, pleroſque illos emtores ad majorem tantum munditiam pro die illa novus ſibi depoſcere calceos; atque adeo ex eorum ſuperbia, ſuique amore oriri nimiam illam ſolicitudinem. Ut igitur a peccato eximi queat Leobardus, neceſſe eſſet, 1. ut certum ſibi foret, emtorem ſuum, pro quo die Dominica mane laborat, ita calceis egere, ut, ſi non haberet, jam e domo exire, nec proinde Miſſam audire, (quod tamen die illa eſt imperatum) valeret. 2. Id etiam requireretur, ut neceſſarium perficiendo operi ſuo ante diem Dominicam tempus, ob culpam ſuam calceolario non defuiſſet: enim vero, ſi cum aſſiduam labori ſuo operam tota hebdomada dare potuiſſet, multas aut in popina, aut in otio horas tranſegiſſet, aut operi ſuo non inſtaſſet; tum ei nulla ſuppeteret coram Deo legitima excuſatio; quia ſic ſe gerens, voluntarium adiiſſet peccandi diſcrimen.

Quod ad ſecundam ſutoris hujuſce rationem attinet, ea quoque caduca & inanis eſt reputanda, quæ videlicet a cupiditate plerumque magis, quam a vera neceſſitate proficiſcitur: hanc enim certam debet habere ſpem, fore ut & Dei & Eccleſiæ præcepta ſervando, laborem ſuum Dominus ſecundet, eique ad ſuum proliſque ſuæ victum neceſſaria provideat; & contra, id perſuaſum debet habere, quod violata Dei & Eccleſiæ lege, divinam munificentiam, neque in ſe, neque in familiam ſuam laboremve convertet; neque illam firmius etiam tenebit, ſi hæc ei Concilii Pariſienſis Gregorio IV. ſummo Pontifice an. 829. habiti dicta in hoc argumentum proponantur: *Multi namque noſtrorum viſu*, inquiunt Patres hujuſce Concilii (*a*), *multi etiam quorumdam relatu, didicimus quoſdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemtos; quoſdam artuum contractione mulctatos; quoſdam etiam viſibili igne corporibus oſſibuſque ſimul & ſub momento abſumtis, in cineremve ſubito reſolutis, pœnaliter occubuiſſe; & multa alia terribilia judicia extiterant, & hactenus exiſtant, quibus declaratur, quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur. Proinde nobis omnibus viſum eſt, ut primum Sacerdotes, poſtea Reges, Principes, cunctique fideles ſummopere procurent, ut tanti diei debita obſervatio religioſuſque devotio, nunc uſque magna ex parte neglecta, adhinc ob inſigne Chriſtianitatis exhibeatur.*

(*a*) Conc. Pariſ. VI. c. 50.

Ut igitur ea valeret, quam allegat Leobardus, ratio, eamque a culpa vindicaret, neceſſe eſſet, ut re ipſa ab eo deſciſcerent emtores, quibus præſtituto die non ſatisfaceret, ſicque nemine operam ſuam requirente, vitam jam tolerare non poſſet: quo in caſu laborare quidem die Dominica abſque peccato valeret, uti jam auctoritate ſancti Thomæ oſtendimus; modo tamen clam, & abſque cujuſdam ſcandalo laboraret, neque auditioni ſacri deeſſet.

Idem dicendum de ſarcinatoribus, aliiſque omnibus hujuſmodi artificibus (*b*).

(*b*) De Genet. Theol. moral. tom. 5. tract. 4. c. 3. dem. 3. De Sainte Beuve tom. 3. caſ. 175.

CASUS XI.

Beniamin, ruſticus minutarum mercium propola, Dominicis feſtiſque diebus, in templorum atriis merces ſolet expedire ac vendere, quæ conſiſtunt in libellis orationum, coronis precariis, ſacris numiſmatibus, pectinibus, cultellis, aliiſque minutis mercibus. Num id ei licitum eſt; & deneganda eſt abſolutio, ſi forte a tali ſe mercium expoſitione deinceps abſtenturum promittere renuerit?

Respons.

Species illa commercii, regulariter loquendo, non eſt licita. *Ne libri, imagines, ſigna, & alia id genus, venalia proponantur, aut circumferantur*, inquit S. Carolus Borromæus in tertio ſuo Mediolanenſi Concilio an. 1573. habito (*c*). Ratio eſt, quia id ipſum nec exigere videtur ulla neceſſitas, nec debita etiam proximo caritas; quandoquidem res hujuſmodi facillime alio tempore ſibi comparare poſſunt fideles, nec ad ſanctificationem Dominicorum feſtorumque dierum abſolute ſunt neceſſariæ.

(*c*) Conc. Mediol. III. tit. de feſt. dierum cultu.

Idem etiam ſtrictius prohibet Aquenſe Concilium (*d*) an. 1585. habitum, & a Sixto V. 5. Maii an. 1586. confirmatum, cujus eſt iſtud decretum: *Prohibemus igitur*, inquit, *ne diebus Dominicis, atque aliis feſtis .... quid ſervilis operis fiat ... neve res ipſæ neceſſariæ, ante fores Eccleſiæ, minus autem in cœmeteriis vendi liceat ... ac ne illæ ipſæ res neceſſariæ ullo pacto ab hora tertia uſque ad peractam veſperarum officium vendi poſſint, præter ea quæ ad ægrotorum curationem pertinent*. Ita Concilium illud. Omnem pariter venditionem ſacris illis diebus vetat Narbonenſe an. 1609. (*e*).

(*d*) Colloq. Lucon. tom. I. colloq. 14 q. 2.

(*e*) Conc. Narb. c. 9.

Diximus, *regulariter loquendo*: neque enim tan-

Digitized by Google

tantam erga Benjamin alioſque eidem caſui ſubjectos adhibendam eſſe ſeveritatem putamus, modo aliunde divinis adſint Officiis, nec inde abſentiæ occaſionem arripiant. Quocirca in Diœceſibus, in quibus a Provinciali Concilio aut ſingulari Epiſcopi mandato non eſt ſpeciatim prohibitum hujuſmodi commercium, exiſtimamus, hortationis viam ſatis eſſe, omittendo abſolutionis denegationem.

His autem potiſſimum rationibus adduci poteſt Confeſſarius, ut hac in re mitius agat. 1. Quia ſupponenda eſt quædam neceſſitatis ſpecies pro iis, qui commercium illud exercent; ex eo quod nihil ferme profeſtis diebus vendant, agricolis videlicet terræ cultura continuo occupatis: unde, ſi feſtis diebus mercium ſuarum eis prohiberetur venditio, ad extremam brevi inopiam eſſent redacti. 2. Id etiam affirmari poteſt, ſpeciem quamdam eſſe neceſſitatis pro ementibus merces hujuſmodi: iidem namque agricolæ laboribus ſuis diſtenti in urbem emturi venire nequeunt ob anguſtias temporis; quod quidem, ſi iis ſuppeteret, nondum ad id juſte cogi poſſe viderentur, ut in urbem venirent conſulto: orationum libellum aut precariam coronam, aut quid aliud tam exigui momenti emturi. Igitur abſolute interdici nequit illud commercium abſque gravi venditorum damno, magnoque emtorum incommodo: unde utriſque aliquatenus neceſſarium dici poteſt; atque idcirco Benjamin non deneganda eſt abſolutio in caſu propoſito; licet ſolitum ſuum non ſtatuerit abjicere commercium, ac præcipue ſi, ut diximus, id ſciens Epiſcopus non prohibuerit.

Sententiam noſtram pro tali conſuetudine ab Epiſcopo tolerata tuetur Gerſonius: hæc enim ſunt ejus verba (a): 2. *Ut quilibet eo die abſtineat ab omni labore, aut mercatione, aut alio quovis laborioſo opere ſecundum ritum & conſuetudinem patriæ, quam inhabitat; quam conſuetudinem Prælatus illius loci cognoſceas, non prohibet. Quod ſi apud aliquem ſuper tali conſuetudine ſervanda, aut aliis caſibus dubitas occurrat, conſulat ille ſuperiores & peritos, ne per amplam nimis, aut ſtrictam conſcientiam in peccatum cadat.*

(a) Joan. Gerſ. tract. de Præceptis Decalogi. c. 7.

CASUS XII.

Incolæ pagi ſanctæ Gaudeliæ, quorum res tota in vinorum copia poſita eſt, domum ſuam Dominicis aut feſtis diebus mercatores admittunt, qui vina ſua emere cupiunt, ea deguſtanda præbent, & cum iis de eorum pretio paciſcuntur. Flavianus, Parochus eorum jam dudum iis abſolutionis denegationem minatur, ſi commercium illud ſacris illis diebus non abrumpant. Numquid ad illud tenentur, non obſtante damno, quod inde pati poſſent; quia mercatores alios adibunt ad emtionem vini pagos, in quibus Flaviano hac in re faciliores ſunt Parochi?

Respons.

Certum quidem eſt, rigoroſe loquendo, diebus Dominicis ac feſtis, omne prohibitum eſſe commercium; ut videre eſt in ſuperioribus deciſionibus, in quibus allatæ ſunt multorum auctoritates Conciliorum, & præcipue Aquenſis Concilii, cui conſentit Remenſe an. 1583. Quare incolæ de quibus agitur, in id præcipue incumbent, ut vinorum emtores aliis cogant venire diebus ad emtionem: quod ſi nequeant ab iis obtinere indeque vini ſui venditione tempore opportuno & pecunia agentes fruſtrentur, quod mercatores illi ad vinum deguſtandum diebus Dominicis non admiſſi alios adibunt venditores; non eſt, quod incolæ iſti de peccato, ſaltem mortali, damnentur, eos admittendo; cum aliter certum ſit, eos graviſſimum paſſuros eſſe damnum vina ſua retinendo, quorum tamen venditio ipſis penitus eſt neceſſaria, tum ut regia pendant vectigalia, ceteraque perſolvant debita ſua, tum ut ad victum neceſſaria ſibi comparent. Ex quo ſequitur: non poſſe Flavianum Parochum eorum, illos cogere, abſolutione denegata, ut mercatores vini ſui remittant.
(b) De Ste-Beuve tom, 2. caſ. 45.
Quæ hactenus diximus evincit doctrina ſancti Thomæ in ſeptima & octava difficultate laudati (b).

CASUS XIII.

Rogatianus, paterſamilias, duos habet robuſtos filios, qui, ipſo inconſulto, aliquoties vitem colunt, aliaque Dominicis feſtiſque diebus exercent opera ſervilia. Quæritur, utrum conſcius ipſe ſit peccati mortalis, quod illi ſacros illos dies violando admittunt; præſertim, cum id ipſum eis prohibens, mandati ſui exſecutionem obtinere nequit?

Respons.

Certum eſt, Rogatianum filiorum ſuorum peccati eſſe participem, ubi ſuam omnem non adhibet auctoritatem, ut impediat, ne præceptum ſanctificationis dominicorum feſtorumque dierum tranſgrediantur; cum ad id neceſſario teneatur, ut patet ex ipſis præcepti terminis de ſanctificatione Sabbati, in quo filios ſervoſque patrisfamilias Deus comprehendit his verbis Exodi (c): *Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus ſervile in eo, tu & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua; jumentum tuum & advena, qui eſt intra portas tuas.* Hinc ſanctus Carolus in Inſtructionibus ſuis ad conjuges, hoc monito virum compellat, in tertio ſuo Mediolanenſi Concilio (d): *Curet, ut nemo quiſquam de familia ſua ſit, qui Chriſtianæ fidei rudimentis inſtructus non ſit, ſive ſervi & ancillæ, ſive alii in famulatu ſuo ...... Feſtis autem diebus, ut ne quis de familia intereſſe* (Miſſæ ſacrificio) *ullo modo omittat, & ne quis iis ſacris diebus opus ſervile faciat.* Igitur coram Deo ab omni culpa non liber eſt Rogatianus, quod verbis tantum filiis ſuis imperaverit, ne ſacris diebus laborent; ſed rigoroſe, quantum poteſt, erga eos ſeſe gerere debet, omnemque ſibi a Deo traditam adhibere poteſtatem, ut eos ad accuratam diei dominici feſtique obſervationem compellat: aliter ipſe filiorum ſuorum iniquitatem coram Deo portabit.

(c) Exod. 20. 10.

(d) Conc. Mediol. III. tit. de his quæ ad ſanctam Miſſ. pertinent.

CASUS XIV.

Gislenus, agricola, duos habet ſervos, qui boves, vaccas, oves aliaque pecora ſua in paſcuis cuſtodiunt, quorum alter dominicis feſtiſque diebus Miſſæ ſacrificio intereſt; alter non intereſt alternis vicibus; quod neceſſum ſit, inquit, ſemper alterutrum gregum ac pecorum ſuorum cuſtodia detineri. Numquid id ipſum poteſt abſque peccato?

Respons.

Peccat hic agricola; tenetur enim ſub conſcientiæ reatu ſervis ſuis neceſſarium concedere tempus, ut dominicis feſtiſque diebus Miſſæ ſacrificio adſint, nec non Cathechiſmis, ut divinis myſteriis, Religioniſque imbuantur officiis: quam obligationem adeo neceſſariam ſtrictamque dijudicavit Apoſtolus (e), ut de ejus infractore non dubitet aſſerere: *Si quis autem ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior:* nam, ut ait Sapiens (f), *Servus ſenſatus ſit tibi dilectus, quaſi anima tua:* & iterum: *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua;* & iterum: *ſi eſt tibi ſervus fidelis ſit tibi quaſi anima tua; quaſi fratrem ſic eum tracta.* Hinc ſanctus Carolus in Inſtructione ſua Confeſſorum, quæ juſſu Cleri Gallicani typis excuſa eſt (g), vult eos non abſolvi, qui hujuſmodi peccatu futuri ſunt obnoxii. En verba ſancti Archiepiſcopi (h): *Si patres aut matresfamilias, qui ſuos filios aut domeſticos (de quo interrogabuntur) ſupradicta ſcire neglexerint, aut ab iiſdem Dei & Eccleſiæ præcepta obſervari non curant; aut (quod pejus eſt) ut obſerventur impediunt: puta cum famuli aut famulæ ita occupantur, ut pro ſuis neceſſitatibus laborare feſtis diebus ipſis neceſſum ſit, aut tempus non concedunt, quo illi juxta Eccleſiæ præceptum, Miſſæ poſſint intereſſe ..... non abſolvantur.*

(e) 1. Tim. 5. 8.

(f) Eccli. 7. 23. c. 33. 31.

(g) Pag. 35.

(h) S. Carol. Act. Eccleſ. Mediol. part. 4. tit. inſt. Confeſſ. tom. 1. p. 652.

Ex dictis hactenus ſequitur, Gisleni peccatum multo gravius eſſe, ſi, poſito quod in Eccleſia ſua parochiali dominicis feſtiſque diebus duæ celebrentur Miſſæ, unum e ſervis ſuis ad priorem Miſſam, alterum ad poſteriorem mittere non cu-

Digitized by Google

rat; aut ſi una tantum celebretur Miſſa, & unum e ſervis ſuis ad proximam quamdam Eccleſiam, alterum ad Parœciam ſuam mittere poſſit, hoc fungi debito negligit.

CASUS XV.

Gaugericus, quæſtionum criminalium Judex, de furto in cujuſdam civis ædibus facto, quod ad ſe pridie Nativitatis Domini delatum eſt, ſequentibus feſtis inquiſivit, reum teſteſque interrogavit; ac ceteras, quæ ad eam rem pertinebant, juris actiones inſtruxit. Numquid in eo præceptam ſanctificationis dierum dominicorum feſtorumque violavit?

Respons.

Conſtat, judices nullas diebus dominicis feſtiſque inſtruere poſſe judiciorum actiones; cum inſtrui nequeunt hujuſmodi actiones *ſine ſtrepitu judiciali*, ut fert Concilium ſecundum Matiſconenſe an. 585. ſub pontificatu Pelagii II. habitum. *Cuſtodite diem Dominicam*, inquiunt Patres hujuſce Concilii: *nullus veſtrum litium fomitibus vacet, nullus cauſarum actiones exerceat*. Idem pro omnibus litibus prohibetur Conſtitutione Regis Guntramni, quæ ad calcem ejuſdem Concilii reperitur, cuique 12. Novembris ejuſdem anni dies adſcripta eſt. Poſtea Carolus Magnus juſſit, ut die Dominica forum ſileret (a), *& ut his diebus nemo ad pœnam vel mortem judicetur*. Diei Dominicæ feſtos dies addit Conſtitutio Imperatorum Valentiniani, Theodoſii & Arcadii an. 389. (b). Huic autem conſentit Conſtitutio Imperatorum Leonis & Anthemii an. 467. (c), & etiam Apparitoribus indicta bonorum confiſcatione prohibet, ne cui, licet ad publicam offenſam, factis illis diebus vadimonium dicant: & Ludovicus XIV. eiſdem vetat, ne ſententias ſeu arreſta damnatoria ſacris illis diebus executioni mandent, indicta 3000. lib. mulcta, etiamſi de Regiis vectigalibus ageretur. Secundum Concilium Sueſſione coram Carolo Calvo an. 853. habitum dicit quoque: *Judicia publica non exerceantur*, loquendo de dominicis feſtiſque diebus.

(a) Capitular. 25. Caroli Magni an. 813. apud Labbe tom. 7. Conc. p. 1188. & Capitul. 21. ibid. p. 1177.

(b) L. *Omnes*. 7. cod. de feriis. Lib. 3. tit. 12.

(c) L. *Dies feſtos*. 11. cod. eod. tit.

Juriſprudentiam iſtam adoptarunt, ſimulque confirmarunt ſummi Pontifices, & præſertim Gregorius IX. (d), qui conſultus, utrum haberi poſſint juridicæ actiones, ut citius expedirentur lites, reſpondet: *Quamvis non prorogari, ſed expediri deceat quæſtiones*, inquit hic Papa, *debet tamen judicialis ſtrepitus diebus conquieſcere feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur ſtatuti*. Diemque natalem Domini & viginti quatuor alios dies, præter feſta beatæ Virginis, Apoſtolorum, Dominicos dies feſtaque pro nutu Epiſcopi cuilibet Diœceſi propria deſignat hic ſummus Pontifex.

(d) Greg. IX. in Cap. *Conqueſtus*. 5. de feriis. lib. 2. tit. 9.

Conformiter ad ſacras illas Conſtitutiones Concilium Mediolanenſe quartum iſtud emiſit Statutum (e): *Quo tempore ad ſalutem animæ toto corde totaque mente atque omni Chriſtianæ pietatis officio incumbendum eſt, in judiciali foro tunc aditus pateſieri non debet ad judicia, ad lites & ad cauſas, quibus ſæpe diſtrahuntur homines a pietatis officiis*. Hæc ſunt verba hujuſce Concilii.

(e) Conc. Med. IV. tit. de feriis.

Ex his ſequitur 1. Gaugericum, de quo in caſu propoſito, furem de quo conqueſtum eſt, neque morte neque pœna, die Natali Domini neque Feſtis ſequentibus aut die dominica poſſe damnare, ut patet ex allatis probationibus, & conſtitutum eſt in Concilio Compendienſi, quod refert Decretalium ſumma (f). 2. Neque etiam contra reum inquirere, ſeu teſtes audiendo, ſeu alias exercendo juris actiones, quæ ſine ſtrepitu, contentione & fragore haberi nequeunt.

(f) Cap. *Omnes*. 1. de feriis.

Attamen Judex non ſolum pro re quæ ad pacem pertinet, ſed etiam pro re urgente, quæ abſque notabili incommodo, aut gravi proximi damno prorogari non poteſt, juſjurandum poteſt exigere. *Nec ſacramenta, niſi pro pace, vel alia neceſſitate præſtentur*, ut declarat idem Concilium modo laudatum. Gregorius in allata etiam Decretali, hanc addit clauſulam; *niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat*. Unde ſi Gaugericus in furem ſententiam non protulerit, ſed ſolum de ejus crimine inquiſierit, ob urgentem neceſſitatem, quæ vel ad publicum, vel ad privatum proximi bonum ſpectet; excuſari poteſt a peccato, ſeu etiam ſolo caritatis motivo inquiſierit, juxta quam olim ex Romanis Legibus ſervum manumittere, omneſque ad id requiſitas formulas exercere, vel in die Dominico licebat: *Ut in die Dominico emancipare, ac manumittere liceat*, inquit Lex, *reliquæ cauſæ vel lites quieſcant* (g).

(g) L. *Ut in die*. 2. cod. de feriis.

CASUS XVI.

Chrysantus Cauſidicus, & Ruinaldus Procurator diebus dominicis ac feſtis, de litibus ſibi commiſſis ſcribunt atque conſultant, clienteſque ſuos audiunt: diverſaſque a ſcribis ſuis fieri litium ſcriptiones imperant. An iis concedi poteſt abſolutio, cum a tali re abſtinuere recuſant? An etiam ſcribæ ipſorum cogendi ſunt, ut vel ab hujuſmodi ſcriptione diebus illis ceſſent, vel e tali exeant famulatu?

Respons.

Inter opera ſervilia recenſeri nequit Cauſidicorum & Procuratorum labor: quare eo diſtenti dominicis etiam feſtiſque diebus, neque in Legem Dei delinquunt, neque etiam in Legem Eccleſiæ, quæ talibus viris artis ſuæ exercitium ullo Canone aut Conſtitutione non vetuit ſacris illis diebus, niſi cum eam exercerent, *cum ſtrepitu judiciali*, ut diximus in præcedenti deciſione. His ergo diebus & ſcribere & conſulere poſſunt, laboriſque ſui mercedem exigere; atque adeo a ſcribis ſuis poſtulare ut operi intendant: quod ita tamen eſt intelligendum, ut publicis adſint Eccleſiæ Officiis, & in primis Miſſæ Parochiali atque illius inſtructionibus, quando commode poſſunt. Unde colligimus, Chryſanto, Ruinaldo, eorumque ſcribis non denegandam eſſe abſolutionem, licet a labore ceſſare aliis horis recuſent, quam iis quibus Eccleſiæ debent adeſſe, nec ſcribas illos a labore ſuo eſſe arcendos, aut cogendos ad exeundum e famulatu ſuo. Inſolitæ etiam poſſunt reperiri occaſiones, in quibus eos ad laborem, vel tempore Officii divini, cogat neceſſitas vel caritas, juxta iſtam Gregorii IX. exceptionem (h): *niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat*: quo in caſu ab Officiis ſine peccato abeſſe poſſunt, unius, quam commode poterunt, auditione Miſſæ contenti. Quod diximus de Advocatis & Procuratoribus, intelligendum eſt pariter de Judicibus, qui litium dijudicandarum ſequentibus diebus examini dant operam (i). *

(h) Greg. IX. in cit. Cap. *Conqueſtus*. 5. de feriis.

(i) De Ste. Beuve tom. 3. caſ. 177.

* Non tamen quod dictum eſt intelligendum foret de transſcriptoribus *quorum ars præcipua*, inquit MARTINUS GRANDINUS, Doctor & Socius Sorbonicus, in Tract. *de Relig.* &c. Part. I. Cap. IV. quæſt. 2. *eſt transſcribere, quique hoc opus affectu quodam ſervili & mercenario tractant*.

CASUS XVII.

Herennius, Tabellio, in publicum oppidi ſui conventum multoties dominicis feſtiſque diebus vocatus eſt, ut inſtrumenta quæ ad ſuam pertinebant artem formaret; aut apud ægros quoſdam, qui teſtamentum ſuum facere, aut apud alios privatos, qui nuptiales ſcribere cupiebant pactiones. Num id potuit ſine peccato?

Respons.

Videtur regulariter loquendo, inſtrumenta aut contractus a Notariis dominicis feſtiſque diebus ſine peccato quopiam ſcribi non poſſe; quod res hujuſmodi contentione ac ſtrepitu ſint refertæ, & fideles a pietatis officiis, quæ potiſſimum exiguntur ſacris illis diebus, avertant. *Ne contractus ulli*, inquit ſanctus Carolus Borromæus in tertio ſuo Mediolanenſi Concilio an. 1573. habito (k), *cujuſvis generis ſint, neque ullæ rerum executiones fiant, niſi cum jure nominatim permiſſum eſt*. Idem quoque prohibetur in Conciliis Turonenſi an. 1583. (l) Bituricenſi an. 1584. (m) & Burdigalenſi (n). *Dominico ergo die*, inquit Bituricenſe, *ceſſent ſæcularia opera* ....

(K) Conc. Mediol. III. tit. de feſt. dierum cultu.

(l) Conc. Turon. eod. tit.

(m) Conc. Bituricenſ. Can 4.

(n) Conc. Burdigal. an. 1585. c. 6. de feſt.

vectu-

vecturæ, omnes negotiationes, contractus, Notariorum inſtrumenta.

Exiſtimamus tamen, eum, de quo agitur, in caſu propoſito, Notarium de peccato non eſſe damnandum; 1. Si fuerit vocatus in caſu publicæ cujuſdam neceſſitatis, ut videtur in propoſita ſpecie, cum exſperientia conſtet, ægre profeſtis diebus convocari populum, quibus quiſque vulgo commercio ſuo, aut labore, aliiſve rebus ſuis domeſticis occupatur. 2. Si etiam in aliqua privata neceſſitate fuerit vocatus, qualis eſt, dum ægri ſcribitur teſtamentum, aut hominis iter ſuſcepturi, aut ob aliam ſimilem cauſſam. Hinc Bituricenſe Concilium, in quo Notariis prohibetur labor, hanc regulæ ſuæ generali addit exceptionem: *niſi quæ ex neceſſitate teſtamentorum, aut Matrimoniorum cauſſa differri non poſſunt.* 3. Putant etiam quidam Auctores, abſolute loquendo damnari non poſſe Tabellionem, qui extra horas divini Officii Dominicis feſtiſque diebus artem ſuam exercet; idque probant ex principio ſancti Thomæ (*a*); qui aſſerit, in vita humana eſſe opera quædam, quæ a mente potius, quam corpore pendent, v. gr. legere, ſcribere, ſtudere, inſtrumenta condere, & quæ proinde Dominicis ac feſtis non ſunt prohita; dum ab auditione Miſſæ aliiſque pietatis officiis non avertunt, quia ex ſeipſis non ſunt ſervilia, utpote quæ ad artes mechanicas non pertinent, ſed ad liberales, a Deo & Eccleſia numquam prohibitas, etiam cum actus earum intuitu mercedis exercentur. *Similiter etiam*, inquit ſanctus Thomas, *nullius ſpiritualis actus exercitium eſt contra obſervantiam Sabbati, puta, ſi quis doceat verbo, vel ſcripto.*

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

His addi poteſt, quamdoque teneri Notarios, ad ſcribenda inſtrumenta ob neceſſitatem partium ſuarum; præterquam quod privata etiam agitur utilitas, eo quod operam ſuam recuſando clientes ſuos amitterent, quorum eſſet ad alios Notarios recurſus. Unde ſequitur, viam hortationis a Confeſſario eſſe adhibendam, ut eos inducat ad abſtinendum ab hoc opere, non vero denegata abſolutione eſſe cogendos. Ita inclytus Doctor, cujus morales regulæ non habentur mitiores (*b*), qui tamen addit (*c*), ſe numquam Tabellioni eſſe ſuaſurum, ut Dominicis feſtiſque diebus contractus faceret, ſed e contra eſſe hortaturum, ne ita ſe gereret, licet in jure quidquam non reperiatur, quo de peccato damnetur, ita ſe gerendo: quod conſtat, præcipue cum ob aliquam neceſſitatem, vel caritatem ſcribit, uti jam diximus.

(*b*) De Sainte Beuve t. 1. caſ. 22. 163 & 175. & tom. 3. caſ. 177. & 181.
(*c*) Idem t. 3. caſ. 80.

CASUS XVIII.

Mutius Demophilo, Dominico feſtove die 10. Dupliones furatus eſt. Numquid ex diei circumſtantia gravius ſit illius peccatum; atque in confeſſione tenetur aperire, ſe dici illius ſanctitatem peccato ſuo violaſſe?

Auctor Theologiæ moralis Gratianopolitanæ propugnat, in caſu propoſito exprimendam eſſe in confeſſione hujuſmodi circumſtantiam; ad cujus probationem, cum ſuppoſuit, dominicos feſtoſque dies per opera ſervilia profanari, addit illud ſancti Thomæ dicentis (*d*): *Eſt autem ... ſervitus.. qua homo ſervit peccato ſecundum illud*: Qui facit peccatum ſervus eſt peccati; *& ſecundum hoc omne opus peccati dicitur ſervile*: tum ſubjungit Angelicus Doctor: *Alia opera, quæ dicuntur ſervilia primo & ſecundo modo, contrariantur obſervantiæ ſabbati, in quantum impediunt applicationem hominis ad divina.* Quo poſito ita concludit: *Et quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis ſit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die feſto, quam qui aliud corporale opus licitum facit.*

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

Doctori Angelico aſſentitur ſanctus Antoninus his verbis (*e*): *Feſtum violatur & male celebratur ... primo, quia non cavetur a defectibus criminalibus ... peccatum ergo mortale commiſſum die feſto, multo eſt gravius, quam alia die idem perpetratum, ratione feſti.* Ejuſque rei hanc ſubdit rationem, e Gloſſa ordinaria, cujus præcipue eſt Auctor Nicolaus de Lyra, mutuatum: *Nam ultra propriam deformitatem*, inquit, *puta furti, vel fornicationis, & hujuſmodi, habet ſpecialem deformitatem ex illa circumſtantia temporis ſacri, quo feſtum violatur. Unde talis, ut dicit Nicolaus de Lyra ſuper Exodum c. 20. non ſolum agit contra unum præceptum, ſcilicet*: Non mœchaberis, *aut illud*: Non furtum facies, *ſed etiam contra illud de Sanctificatione ſabbati.*

(*e*) S. Anton. 2. part. ſum. Theol. tit. 9. c. 7. §. 2. & 3.

Denique hæc eſt communis celeberrimorum Theologorum ſententia, quales ſunt Scotus, dictus ſubtilis ob ingenii aciem, Alexander Halenſis, & Alphonſus Toſtatus; quorum ultimus ita loquitur (*f*): *Magis celebritatem feſti infringimus in peccando, ut fornicando & occidendo, quam alios labores agricultivos noſtris manibus exercendo. Ideo licet ab utroque abſtinendum ſit, magis tamen ab iniquis operibus, quam a corporalibus laboribus ... Ex hoc ſequitur quod qui die dominica adulteratur aut occidit, vel inebriatur, magis peccat, quam ſi aliis diebus idem ageret, quia ſic tranſgreſſor eſt duplicis præcepti, ſcilicet*, non occides, *aut cujuſlibet alterius, & hujus ſcilicet, quia non obſervat diem ſabbati, id eſt, diem dominicam.*

(*f*) Scotus in 3. lib. ſentent. Alex. Halenſis. 3. part. q. 32. memb. 5. art. 2. Alph. Toſt. Epiſc. Abul. in c. 20. Exodi q. 11. in fine, & q. 12.

Ob eam rationem Auctor libri inſcripti, *de vera & falſa pœnitentia*, quem ſancto Auguſtino adſcribit Gratianus, loquens de circumſtantiis in confeſſione pateſaciendis, aſſerit exprimendam eſſe diei feſti circumſtantiam, quo commiſſum eſt crimen, de quo quis ſe ſe accuſat (*g*). En ipſius verba: *Conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore .... ſi in tempore orationi conſtituto aut in feſtivitate Sanctorum, & in tempore jejunii ...... omnis iſta varietas confitenda eſt & deflenda.*

(*g*) Apud S. Aug. in can. conſideret. 1. de pœnit. d. 5.

Exiſtimant tamen præcipuæ notæ Auctores, non abſolute teneri pœnitentem ad declarandam in confeſſione hujuſmodi circumſtantiam, niſi commiſſum peccatum ſacrorum horum dierum ſanctificationi formaliter apponatur; qualis eſt omiſſio auditionis Miſſæ (*h*). Ita ſentit Sylvius, ut conſtat ex his ejus verbis (*i*): *Similiter neceſſario confitenda eſt circumſtantia temporis ſacri tunc ſolum, quando opus admiſſum directe repugnat ſanctificationi illius, ut fiat aliquid non per ſe illicitum, ſed intentione violandi diem feſtum; ſi Miſſa non audiatur; ſi exerceatur opus ſervile.* Ex quo colligit inclytus ille Duacenſis Profeſſor eos, qui inebriantur, aut in aliquod facinus ſimile incidunt, teneri ad declarandam circumſtantiam ſacræ diei, qua talia admiſere crimina; quia hujuſmodi peccata diei dominicæ feſtique ſanctificationi penitus ſunt oppoſita: quod tamen de quolibet alio peccato dici nequit; quandoquidem, v. g. is qui die dominica in re gravi mentitur, ſanctitatem diei illius non adeo notabiliter violare cenſetur, ut hanc circumſtantiam in confeſſione declarare teneatur. Fatetur tamen idem Theologus, eum, qui illa die Dominici corporis pabulo refectus eſt, quique in mortale incidit, multo gravius peccare, quod ex tali circumſtantia notabiliter augeatur illius peccatum ob magnam, quam in Christum committit, irreverentiam, ac proinde teneri ad eam confitendam.

(*h*) Colloq. Luco. tom. 3. Colloq. 13 q. 1.
(*i*) Sylvius in ſuppl. S. Th. q. 9. quæſito 5. concl. 2

Diſtinctioni huic, ut videtur, ſtandum eſt in praxi, atque eo ſenſu intelligenda ſunt dicta ſancti Thomæ, ſancti Antonini, aliorumque de quibus ſupra. Indeque concludimus, quod, cum Dominicæ diei feſtique ſanctificationi formaliter non ſit oppoſitum furtum, Mutius, de quo agitur in caſu propoſito, abſolute non obligatur ad declarandum in confeſſione, ſe dupliones decem dominica feſtave die ſurripuiſſe; etſi ſatius ſit hanc confiteri circumſtantiam.

Vide Festa.

DIGNITAS.

Vide { Archidiaconus. Decanus. Poenitentiarius. Theologus. }

DIMISSORIÆ LITTERÆ.

LITTERÆ, quas ab Archiepiſcopo, aut Epiſcopo diœceſano, aut a Capitulo (*ſede vacante*) quis accipit, ut tonſura vel ordinibus ab Epiſcopo extraneo poſſit initiari, dicuntur *Litteræ dimiſſoriæ*, ſeu *Litteræ commendatitiæ*, *litteræ formatæ*.

Quando clauſulam generalem, *ut a quocumque Epiſcopo &c.* continent hujuſmodi Litteræ; tum liberum eſt ei, qui eas obtinuit, quem voluerit adire Epiſcopum, modo neque ſit ſuſpenſus, nec interdictus, nec excommunicatus, nec hæreticus, nec ſchiſmaticus. Sed ſi pro tali Epiſcopo clauſula ſit ſpecialis, ipſum ſolum convenire neceſſum eſt.

Quando tonſuram quis ſuſcepit abſque dimiſſoriis Litteris Epiſcopi ſui originis, vel domicilii, vel Beneficii (*a*), nullum poteſt ordinem ſuſcipere, nec de aliquo provideri Beneficio, niſi ab ipſo Papa litteras obtinuerit, quæ *Perinde valere* dicuntur, quibus emendatur, quod male confectum eſt, validaque efficitur cenſura.

(*a*) Bonifac. VII. in c. *cum nullus*. 3. de temp. ordinat. in 6. l. 1. tit. 9.

Nemo a fortiori ordines ſuſcipere poteſt abſque Litteris dimiſſoriis Epiſcopi ſui; uti clare probat Gratianus ex Conciliis Nicæno I. an. 325. (*b*), Sardicenſi an. 347. (*c*), Calchedonenſi an. 451. (*d*), & auctoritate Innocentii I. (*e*), nec non tertii Concilii Carthaginenſis an. 397. (*f*).

Epiſcopus, qui Extraneum abſque dimiſſoriis Litteris ordinat, ſit ſuſpenſus *a Collatione ordinum* per annum; ejuſque Diœceſani a vicino Epiſcopo ordines requirere poſſunt. Ita ſtatutum fuit a Gregorio X. dum ſecundo œcumenico Lugdunenſi Concilio præeſſet (*g*) eamdem in Epiſcopum cenſuram renovavit Concilium Tridentinum (*h*), & ſtatuit, ut qui ſic ad ordines promotus fuerit, a ſuſceptorum ordinum executione ſuſpenſus remaneat, quamdiu proprio Epiſcopo expedire videbitur, ut infra patebit.

Olim Capitulo, *ſede vacante*, jus competebat dimiſſorias concedendi litteras per totam ſedis Epiſcopalis vacationem (*i*): ſed de hoc tempore primus a Tridentino (*K*) exceptus eſt annus, quo durante nullas Capitulum dimiſſorias dare poteſt litteras; *Niſi hoc ſolo caſu*, inquit Cabaſſutius (*l*), *cum quis Beneficii Eccleſiaſtici, ſive recepti ſive jam recipiendi occaſione arctatur ad aliquem ordinem recipiendum*; ſed elapſo hoc primo anno, *& needum, repleta ſede*, inquit idem Auctor, *poteſt deinceps Capitulum ejuſmodi licentias & Dimiſſorias concedere indifferenter*.

Dimiſſoriæ Litteræ, quas Clerico concedit Epiſcopus, aut Capitulum (*ſede vacante*) ſubſiſtunt; quamvis poſtea moriatur confeſtim Epiſcopus; niſi ab ejus ſucceſſore expreſſe fuerint revocatæ, Ratio eſt, quia conceduntur uti gratia, quæ cenſetur perpetua (*m*).

Quod pertinet ad Religioſos, in reſponſione ad quintum hujuſce tituli Caſum, *Adrianus*, exponitur, quid ſit ab iis obſervandum circa dimiſſorias litteras, quas ipſis concedere poſſunt eorum Prælati regulares.

(*b*) Concil. Nicæn. in c. *Si quis*. 3. diſt. 71.
(*c*) Concil. Sardicenſ. in can. *Illud*. 1. ead. diſt.
(*d*) Concil. Chalc. in c. *Clericos*. 4 & in c. *Extraneo*. 7. ibid.
(*e*) Innoc. I. in cap. de *Alienis*. 2. ibid.
(*f*) Concil. Carthag. 3. in can. *Clericum*. 8. diſt. 71.
(*g*) Greg. X. in cap. *eos qui* 8. de temp. ordinat. in 6.
(*h*) Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de reformat.
(*i*) Bonifac. VIII. in c. *Cum nullus*. §. Epiſcopo de temp. ordinat. in 6.
(*K*) Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 10.
(*l*) Cabaſſ. juris can. Theor. & prax. l. 1. c. 24. n. 20.
(*m*) Leg. *Falſo*. cod. de diverſ. reſcript.

CASUS PRIMUS.

POMPONIUS, Acolytus, reſcriptum e Romana Curia accepit, quo ſit ei facultas, Ordines ſacros *a quocumque Epiſcopo* ſuſcipiendi. Numquid canonice ſacris Ordinibus initiari poteſt vi illius reſcripti, non prius obtentis a proprio Epiſcopo dimiſſoriis litteris; neque incurrendo ſuſpenſionem ſi illis non obtentis Ordines ſuſcipiat?

RESPONS.

Certum quidem eſt, negari non poſſe, Pomponium ſacris initiari poſſe Ordinibus abſque commendatiriis proprii ſui Epiſcopi litteris; ſed neceſſe eſt, ut ab eo probitatis ac morum teſtimonium obtineat; alioqui eamdem incurreret ſuſpenſionem, qua ligantur ii, qui abſque dimiſſoriis Ordines ſuſcipiunt. Id expreſſe ſtatuit Tridentinum Concilium his verbis (*n*): *Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinatur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio comprobentur. Si ſecus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* Quod decretum manifeſtius eſt, quam, ut novas ipſi addi probationes, neceſſe ſit; cum aliunde huic conſentiat uſus.

(*n*) Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de reform.

CASUS II.

LOTHARIUS, Acolytus, obtentis ab Epiſcopo ſuo dimiſſoriis litteris, ut ab eo, quem maluerit, Epiſcopo Subdiaconatum recipiat, ac paucis poſt diebus mortuo Epiſcopo ſuo, poſtulat, utrum tuta conſcientia dimiſſoriis ſuis litteris uti & ab Epiſcopo alterius Diœceſis ordines accipere poſſit?

Prima ejus dubitandi ratio nititur Decretali Lucii III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, ejuſque ſuffraganeo (*o*); & altera Urbani III. ad duos Angliæ Abbates (*p*), quibus videtur perimi delegati Judicis juriſdictio morte delegantis; cum in integro res adhuc tota eſt: quod civilibus legibus eſt conſentaneum (*q*).

(*o*) Lucius III. in cap. *Relatum*. 19. de officio & poteſt. judicis deleg. l. 1. tit. 29.
(*p*) Urban. III. in c. *Gratum* 20. eod. tit.
(*q*) Leg. *Mandatum*. cod. Mandati.

Altera

Digitized by Google

Altera ratio eſt, quia *mors omnia ſolvit* (*a*): ex quo colligi poſſe videtur *a ſimili*, factam alteri Epiſcopo ex Lotharii dimiſſoriis litteris poteſtatem deſinere quoque morte concedentis.

R E S P O N S.

Sylvius ad parem ſibi ol m propoſitam difficultatem 26. Jan. an. 1641. reſpondens, exiſtimat, probabilius eſſe, conceſſam alteri Epiſcopo Extraneum ordinandi poteſtatem morte concedentis non deſinere. Ejus ratio eſt, quia illud eſt mera gratia, quam Diœceſano ſuo concedit Epiſcopus; & quod eſt mere gratuitum, etiam poſt mortem concedentis ſubſiſtit, ut patet ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (*b*), dicentis: *Gratia, licet nondum ſit in ejus executione proceſſum, morte non perimitur concedentis*; quod alibi etiam iterat Summus hic Pontifex.

Pro ſententia ſua laudat hic Theologus (*c*), Barboſam, inclytum Canoniſtam, Zerolam, Piaceſium & Navarrum, qui verbis expreſſis inter ceteros dicit: *Licentia & facultas ordines ſuſcipiendi, a quo maluerit Antiſtite, morte concedentis minime moritur*. Quod fuſe probat hic Auctor ex tribus Summorum Pontificum conſtitutionibus in juris ſumma relatis, ex Gloſſa aliiſque auctoritatibus, quarum verba longius eſſet afferre.

Rebuffus, quamvis hac in re incertus, tandem concludit, hujuſmodi dimiſſorias vim ſuam ac tenorem obtinere, etſi prius abeat Epiſcopus, qui conceſſit, quam ab impetrante executioni fuerint demandatæ (*d*). Eodem modo ſentit Cabaſſutius (*e*), & non ſolum Auctores, quos affert Sylvius, ipſe laudat, ſed etiam Azorium, Ancharanum & Federicum de Senis.

Confirmari poteſt iſta ſententia ex hac Bonifacii VIII. (*f*), regula: *Sedes ipſa non moritur, durabit* (gratia) *perpetuo, niſi a ſucceſſore fuerit revocata*; nam, ut jam dictum eſt, dimiſſoriæ ſunt pura gratia, quæ per tempus vitæ concedentis non limitata, ipſo etiam mortuo, cenſetur manere: ob eam quoque rationem Confeſſariorum admiſſio, moriente Epiſcopo, non deſinit, non magis quam indulgentiæ aut aliæ gratiæ, quas conceſſit, non eas ad ſolum vitæ ſuæ tempus reſtringendo. His omnibus addi poteſt etiam diſpoſitio alterius Conſtitutionis ejuſdem Papæ (*g*), de qua ſic dicit Gloſſa: *Nota quod gratia facta non expirat per mortem concedentis, etiamſi ejus effectus nondum ſit adimpletus*.

Ex his, ut videtur, plus quam ſatis eſt, auctoritatibus colligi poteſt, Lotharium in caſu propoſito dimiſſorias ſuas Litteras adhibere poſſe ad ſuſceptionem Subdiaconatus, invalidamque eſſe ejus dubitandi rationem, quia non eodem modo putandum (*h*) de gratia a Superiore conceſſa, atque de poteſtate ab eodem ad ferendum judicium delegata, de qua in duabus Lucii III. & Urbani III. Decretalibus agitur.

C A S U S III.

Valentinianus, obtentis ab Epiſcopo ſuo dimiſſoriis, Vicarium generalem adivit, qui eas ſibi conceſſit; licet in ipſius Litteris Vicariatus generalis hujuſmodi poteſtas dandi dimiſſorias Litteras non exprimatur. Numquid legitimæ ſunt hujuſmodi dimiſſoriæ, iiſque uti poteſt Valentinianus ad Ordines ſuſcipiendos?

R E S P O N S.

Invalidæ ſunt hujuſmodi dimiſſoriæ Litteræ. Nam Vicario generali non competit poteſtas dandi dimiſſorias, niſi ſpeciatim in Litteris Vicariatus ſui generalis deſignetur, uti declaravit Bonifacius VIII. in una e ſuis Conſtitutionibus (*i*) his verbis: *Inferiores quoque Prælati ..... vel Officialis Epiſcopi (cum ad hoc ſe ipſius officium non extendat) hujuſmodi nequeunt licentiam impartiri*.

Addit quidem hic Summus Pontifex, jus illud Vicario generali duobus in caſibus competere. *Epiſcopo autem*, inquit, *in remotis agente, ipſius in ſpiritualibus Vicarius generalis; vel Sede vacante, Capitulum, ſeu is ad quem tunc temporis adminiſtratio ſpiritualium noſcitur pertinere, dare poſſunt licentiam ordinandi*. Sed in eo conſiſtit quæſtio, ut nimirum dignoſcatur, quid ſignificent termini iſti, *Epiſcopo .... in remotis agente*: & de eo non conſentiunt Auctores: quare multo tutius eſt, ut Vicarius generalis, nullas, etiam abſente e Diœceſi Epiſcopo, concedat dimiſſorias Litteras, niſi de ſpeciali illius mandato. Ita ſentiunt Rebuffus, Cabaſſutius, & Auctor quidam Modernus, rei hujuſce peritiſſimus, ut pote qui Carcaſſone, deinde Condomi Vicarius generalis & Officialis fuerat (*K*).

C A S U S IV.

Trebellius, Ordines, vacante Epiſcopali ſede, cupiens ſuſcipere, a Vicario Generali Capituli dimiſſorias poſtulat Litteras. Numquid eas concedendi poteſtatem habet Vicarius, & iis uti poteſt Trebellius, abſque ullo cenſuræ incurrendæ metu?

R E S P O N S.

Ad ſolutionem hujuſce difficultatis diſtinctione opus eſt: nam vel ab anno jam elapſo vacat ſedes, vel non. Si ab anno jam elapſo vacet ſedes, dimiſſorias Capitulum concedere poteſt ad ſuſceptionem Ordinum. *Poteſt enim Capitulum, completo primo vacationis anno, ſubditis Diœceſeos Litteras expedire dimiſſorias*, inquit Cabaſſutius (*l*), & alibi (*m*): *Elapſo autem vacationis anno, & necdum, repleta ſede, poteſt deinceps Capitulum ejuſmodi licentias & dimiſſorias Litteras concedere indifferenter*.

Si nondum elapſus ſit annus, nova utendum diſtinctione: Nam vel Clericus arctatur ad ſuſcipiendam tonſuram, aut ordines; vel non arctatur. Si non fuerit arctatus, hoc eſt, ſi legitima ei non ſubſit cauſſa Ordines ſuſcipiendi; hæc poteſtas Capitulo non competit, illudque interdicto ſubjacet, ſi ultra progrediatur; iſque, qui talibus utitur dimiſſoriis ſuſpenſionem incurrit, juxta Tridentinum Decretum, quod modo allegabimus, multorumque ſententiam Doctorum. Sed ſi arctatus fuerit talis Clericus ad ſuſceptionem Ordinum v.g. ratione Beneficii aut recepti, aut recipiendi; ipſi dimiſſorias concedere poteſt Capitulum per Vicarium ſuum generalem, licet primo vacationis anno. Sic conſtituit Tridentina Synodus, cujus Decretum eſt hujuſmodi (*n*): *Non liceat Capitulis Eccleſiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut Litteras dimiſſorias ..... tam ex juris communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegii aut conſuetudinis vigore alicui, qui Beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere; ſi ſecus fiat, Capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto, & ſic ordinati ſi in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præſertim in criminalibus gaudeant; in minoribus vero, ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati ſint ipſo jure ſuſpenſi*.

Ceterum illud tenendum eſt. 1. Sedem Epiſcopalem cenſeri ſemper vacantem, donec novus ipſum adierit Epiſcopus; ut docet Rebuffus (*o*) poſt Hoſtienſem, Felinum, ceteroſque Canoniſtas, quorum ſententiæ ſubſcribit Cabaſſutius (*p*). 2. Cum dimiſſorias dare poteſt Capitulum, idem quoque poſſe diſpenſare in iis, in quibus poteſt Epiſcopus, ut docent celeberrimi Canoniſtæ (*q*), quos laudat Cabaſſutius, qui rei hujus hanc affert rationem: *Capitulum enim, Sede vacante, regulariter ſuccedit in jurisdictione ordinaria Epiſcopi: niſi in ſolis caſibus a jure expreſſe prohibitis*; ſubditque hic Canonum Interpres: *Ideoque poteſt ſimiliter in dimiſſoriis ab interſtitiis diſpenſare*.

C A S U S V.

Aortanos, Prælatus regularis, uni e ſuis Religioſis dimiſſorias conceſſit Litteras, quibus ei po-

(*a*) Authentica de nup. §. *Deinceps*. collat. 4.

(*b*) Bonifac. VIII. in cap. *Si ſuper*. 9. de officio & pot. Jud. deleg. in 6. & in cap. *Si cui*. 18. de Præb. &c. in 6. l. 3. tit. 4.

(*c*) Aug. Barb. allegat. 7. n. 23. Zerola. prax. Epiſc. part. 1. v. *Dimiſſoria*. §. *Ad nonum*. Paullus Piaceſius prax. Epiſ. part. 1. cap. 1. art. 2. Navarr. in c. *Placuit*. de pœnit. diſt. 6. n. 35. rat. & ſeq. tom. 1. fol. 356. verſo & 365. verſo.

(*d*) Petrus Reb. in prax. tit. form. dimiſſ. n. 31.

(*e*) Joan. Caball. juris can. theor. & prax. l. 3. c. 4. n. 7. Et l. 14. c. 14. n. 2, & 5. & apud eum Azor. part. 2. l. 6. c. 40. n. 5. Ancharan. in c. 10. ne ſede vacante. Et Feder. de Senis. Conſil. 16. v. *Capitulum*.

(*f*) Bonifac. VIII. in cap. *Si gratioſe*. 5. de reſcript. in 6. lib. 1. tit. 3.

(*g*) Bonifac. VIII. in Cap. *Si cui*. 18. de Præb. & dign. in 6. l. 3. tit. 4.

(*h*) Navar. Man. loco cit. n. 105.

(*i*) Bonif. VIII. in Cap. *Cum nullus*. 3. de temp. ordin. & qualit. ordin. in 6.

(*k*) Petrus Rebuf. Lib. 1. Prax. tit. *de forma Vicariatus*. n. 47. & 48.

Joan. Cabaſ. Juris Theor. & Prax l. 1. c. 15. n. 12.

Du Caſſe Prax. Juriſdict. Eccleſ. volum. 1. c. 3. n. 2.

(*l*) Cabaſſ. cit. lib. 1. c. 14. n. 1.

(*m*) Idem l. 1. c. 24. n. 24.

(*n*) Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 10.

(*o*) Petrus Reb. in prax. 1. part. tit. de devol. n. 7.

(*p*) Joan. Cab. cit. lib. 2. cap. 25. n. 25.

(*q*) Idem lib. 1. c. 14. n. 5. & apud eum Abbas in Cap. *Cum olim* n. 2. de majoritate & obed. Geminianus in C. *Cum nonum*. 7. de elect. in 6. Paullus Piaceſius in prax. Epiſc. part. 1. c. 1. art. 2. n. 10. Navar. conſ. 28. & 30. de temp. ordin. Feder. de Senis. conſ. 3. 4. & 30.

Digitized by Google

ei poteſtatem facit, ut ab eo, quem maluerit, Provinciæ Epiſcopo Ordines ſuſcipiat. An validæ ſunt hujuſmodi dimiſſoriæ, iiſque uti poteſt hic Religioſus?

R e s p o n s.

Certum eſt, regulariter loquendo, Religioſum hunc tales dimiſſorias ad Ordinum ſuſceptionem adhibere non poſſe. Jus quidem concedendi dimiſſorias Monaſterii ſui Religioſis competit Prælatis regularibus; ea tamen obſervando, quæ præſcribit Clemens VIII. hoc eſt, remittendo Religioſum, cui prædictæ Litteræ conceduntur, ad Epiſcopum, in cujus Diœceſi poſitum eſt Monaſterium conformiter ad jus commune, a Bonifacio VIII. conſtitutum (a): Si tamen abeſſet Diœceſanus Epiſcopus, aut præſens Ordines non conferret; in hoc caſu Religioſus alium poſſet adire Epiſcopum; ſed Superior regularis tuta conſcientia conſulto dimiſſorias differre non poteſt, donec Epiſcopus Diœceſanus abſit, aut ordines non conferat, aut denique vacet Sedes Epiſcopalis: tunc enim fraus ſubeſſet ac dolus; quibus addendum, hunc Superiorem inſuper teneri ad exprimendam in dimiſſoriis, quas Religioſo concedit, cauſſam abſentiæ Epiſcopi, aut defectum Ordinationis. Quæ omnia in Bulla Clementis VIII. ſpeciatim deſignantur, & cujus verba hic exſcribere non abs re erit: *De mandato S. D. N. Clementis, Divina providentia Papæ octavi tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis quorumcumque regularium Superioribus, ut de cetero obſervent & obſervari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur; cujus tenor eſt talis: Congregatio Concilii Tridentini cenſuit Superiores regulares poſſe ſuo ſubdito, itidem regulari, qui prædictos prædictis qualitatibus requiſitis, Ordines ſuſcipere voluerit, Litteras dimiſſorias concedere; ad Epiſcopum tamen Diœceſanum remittebat, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis ad quos pertinet, ille Regularis poſitus fuerit: & ſi Diœceſanus abſuerit, vel non ſit habiturus ordinationes ad quemcumque alium Epiſcopum, dummodo ab eo Epiſcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad Doctrinam; & ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem litterarum dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abſuturus, vel nullas eſſet habiturus ordinationes, vel ſedes Epiſcopalis vacaret. Verum cum a ſuperioribus Regularibus Diœceſano abſente Epiſcopo, vel ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique cauſſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod ſi Regulares ordinandi morentur in Monaſterio nullius Diœceſis, hujuſmodi concedendas eſſe dimiſſorias ad Epiſcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, quæ de Epiſcopo Diœceſano ſuperius præſcripta ſunt. Quod qui non fecerint, Officii & dignitatis, ſive adminiſtrationis ſuæ, & vocis activæ & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio ejuſdem Domini noſtri Sancti Papæ reſervatas pœnas incurrent. Datum Romæ die 15. Martii an. 1596.*

Ceterum obſervare intereſt, Prælatos aut Superiores Regulares, quamtumvis exemtos, eo jure uti non poſſe, niſi pro Religioſis, qui ſint ſubditi ſui, atque aliter agendo fore ſuſpenſos *ipſo jure*, per annum ab Officio & Beneficio, ut fert decretum Concilii Tridentini (b).

(a) Bonif. VIII. in Cap. *Cum nullus*, 3. de temp. ordinat. d. in 6. §. *Religioſi*, l. 2. tit. 9.

(b) Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 10.

DISPENSATIO IN GENERE.

DISPENSATIO in genere his verbis definitur: *diſpenſatio eſt provida juris communis relaxatio, utilitate, ſeu neceſſitate penſata (c)*, vel ſecundum Innocentium IV. *(d)* in Commentario ſuo in Decretales, *juris communis relaxatio, facta cum cognitione cauſa ab eo, qui poteſtatem habet diſpenſandi.*

Ex hac definitione conſtat 1. diſpenſationem a Superiore datam abſque cauſſæ cognitione ex parte illius eſſe illicitam, ut in ſoro conſcientiæ invalida eſt pro eo, qui eam abſque legitima cauſſa obtinuit. Hæc eſt enim conſtans veritas, a ſancto Bernardo manifeſte aſſerta, Superiorem videlicet, quacumque fulgeat poteſtate, non diſpenſare poſſe a lege, quam conſtituit Eccleſia, niſi juſta ei diſpenſationis ſubſit cauſſa; quod ſi ſecerit, diſpenſatio, quam concedit, eſt potius diſſipatio & abuſus commiſſæ ſibi ab Eccleſia potentiæ, quam vera diſpenſatio. Hæc regula adeo conſtans eſt, ut non niſi temere poſſit infirmari.

2. Inter legitimas autem diſpenſationis cauſſas annumerari debent 1. Eccleſiæ utilitas. 2. Salus poſtulantis Diſpenſationem. 3. Neceſſitas evitandi gravis ſcandali. 4. Singulare meritum & dignitas perſonæ, quæ diſpenſatur. Sed ſæpius fit aut per dolos, aut vile proprii lucri ſtudium poſtulantium in Romana Curia, ut decipiatur Summus Pontifex, & ut *Quod fuit olim ad juris rigorem temperandum inventum*, inquit Rebuffus (e), *hodie cedat ad juris iniqui compendium*. Quare multæ ſunt invalidæ coram Deo diſpenſationes, quibus proinde tuta non fit impetrantium conſcientia. Sed ſuſius de hac re exponemus in titulo *diſpenſatio Matrimonii* Caſ. *Gordianus* 26. quid doceat ſanctus Bernardus ad Eugenium III. prius diſcipulum ſuum ſcribens.

Soli Superiori majori competit jus diſpenſandi in iis, quæ ſunt juriſdictionis ſuæ, ut Papa in tota Eccleſia, diſpenſare poteſt in iis, quæ juris ſunt dumtaxat Eccleſiaſtici, idque tamquam conſervator & interpres Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſacris conſtitutæ & ſtabilitæ Canonibus, Concilium quoque Provinciale in Provincia diſpenſare poteſt, uti Epiſcopus in multis caſibus, quando nimirum de re agitur, quæ Papæ ex jure, aut ex Conſuetudine legitime in Epiſcopos præſcripta non reſervatur, aut cum urgens adeſt diſpenſandi neceſſitas. Denique Rex aut quilibet Princeps ſupremus in rebus ſæcularibus aut civilibus cum ſubditis ſuis diſpenſare poteſt, ut cum Officiali juſtitiæ, ob ſingulare ejus meritum annos remittit.

Antiquitus Diſpenſationes ſuas nonniſi poſt admiſſam culpam concedebat Eccleſia, cum ex uſu hodierno requirantur diſpenſationes, ut impune calcari queant Eccleſiæ regulæ, quantumvis æquitati conformes. Ut autem malo

huic

(c) Gratian. §. *Niſi vigor.* 1. q. 7.

Durand. in ſpe. part. 1. tit. de Lapſis. & diſpenſ. §. 1.

(d) Innoc. III. in Cap. *Cum dilectus.* 13. de temp. ordinat. num. 4.

(e) Rebuff. tit. de diſpenſat.

huic occurreret ſanctus Auguſtinus loquens de Eccleſiæ indulgentia pro Donatiſtis, (a) ad ſinum ſuum reverſis, quibus priſtinam concedebat dignitatem, ſic dicit: *Hoc non fieret*, inquit hic ſanctus Doctor, *quoniam re vera* (quod faciendum eſt, fieri non deberet, ſcilicet ut poſt pœnitentiam Clerici vel etiam Epiſcopi permanerent) *niſi pacis ipſius compenſatione ſanaretur; ſed ſibi hoc dicant & multo maxime doleant qui in tanta morte præciſionis jacent, ut iſto quodam vulnere matris Catholicæ reviviſcant* ..... (b) *detrahendum eſt aliquid ſeveritati; ut majoribus malis ſanandis caritas ſincera ſubveniat*. Quocirca accurate & prudenter conſiderandæ ſunt rationes, quæ movent ad concedendam diſpenſationem; quales ſunt metus ſcandali, bonum Religionis generatim vel ſpeciatim, virtus aut ſcientia, dignitas aut boni mores illius qui diſpenſationem poſtulat, multitudo reorum qui ea indigent, ignorantia legis, aut bona fides, ſpes majoris boni, & aliæ multæ hujuſmodi.

(a) S. Aug. Ep. 185. alias 50. n. 44.

(b) Item ibid. n. 41.

Obtenta a ſummo Pontifice diſpenſatio, ipſius morte non exſtinguitur.

Invalida poteſt eſſe diſpenſatio duabus de cauſſis: vel quia obreptitia eſt, hoc eſt, ex falſo expoſito obtenta; vel ſubreptitia, hoc eſt, quia non declarata eſt veritas neceſſario manifeſtanda ad obtentionem diſpenſationis, ut fuſius infra dicetur.

Dividi poteſt diſpenſatio in tacitam & expreſſam. Diſpenſatio tacita ea eſt, cum, v. gr. Papa Beneficium ei concedit, quem novit eſſe ſuſpenſum: aut Rex Officium, ei, qui requiſitam conſtitutionibus ſuis ætatem nondum habere cognovit: tum enim de Beneficio aut Officio proviſus ſimul de inhabilitate ſua cenſetur eſſe diſpenſatus.

Quædam tamen in hujuſmodi diſpenſationibus a Papa conceſſis ſunt excipienda, ut ſi dignitatem ei conferret, quem ſcit eſſe impuberem.

Diſpenſatio expreſſa ea eſt, in qua reperitur terminus: *diſpenſamus* (c).

(c) Cap. *de multa*. in fin. de præbend's & cap. *At ſi Clerici* §. *de Adulteriis*. de Judiciis cap. *Innotuit*. in fin. de elect.

Invalida eſt quælibet diſpenſatio a Papa conceſſa, in iis quæ ſunt mere juris naturalis, ut infra oſtendetur.

In Gallia uſus obtinuit, ut nulla agnoſcatur diſpenſatio valida, quam concedit ſummus Pontifex circa rem, de qua ex ſacris Canonibus diſpenſare non poteſt, quæque Regni illius regulis eſt contraria.

In hanc rem conſuli poſſunt Auctores præcipui, qui de diſpenſationibus generatim egerunt, ut Chaſſanæus, (d) Charondas (e), ſed præcipue ſanctus Bernardus (f), in quo argumentum iſtud elucidatum reperies multis teſtimoniis, quæ referuntur in deciſionibus titulorum, in quibus de diſpenſationibus agitur.

Vide ſis infra titulos Diſpenſationum ſpeciatim.

(d) Chaſſanæus. Conſit. 43.

(e) Charondas l. 1. Veſp. 40.

(f) S. Bernard. tract. de præcept. & diſpenſat.

CASUS PRIMUS.

DEMATRIADES ſingulari virtute ac pietate puella, Religionis votum emittere cupit in Capucinarum Monaſterio, ubi, cum a teneris annis inſtituta ſit atque a decennio Ordinis illius auſteritates non ſolum noverit, ſed etiam pietatis affectu coluerit, cumque Monialibus omnibus nota ſit optima ejus indoles, pietas, bonique mores; Probationis annum Concilii Tridentini decreto conſtitutum a Papa ſibi remitti vellet; quod non recuſant Religioſæ. Quæritur ea de re, utrum diſpenſatione hujuſmodi uti poſſit, ſi a Papa concedatur?

RESPONS.

Conſtat, ſummum Pontificem in iis omnibus diſpenſare poſſe, quæ ſunt juris poſitivi, etiam a Concilio Generali conſtituta, ut certum ſit ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem (g), quamvis diſpenſare nequeat in iis, quæ ſunt mere juis naturalis aut divini: Atqui Probationis annus procul dubio eſt juris poſitivi: de eo igitur diſpenſare poteſt Papa Concilii Decreto derogans.

(g) Innoc. III. in cap. *Innotuit*. 20 de elect. l. 1. tit. 6.

Dicimus, ſummum Pontificem in iis omnibus diſpenſare poſſe, quæ ſunt juris poſitivi: Id ipſum enim ſignificat Innocentius III. (h) ad Præpoſitum atque Capitulum Cameraci his verbis ſcribens: *Secundum plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra jus diſpenſare*: atque ideo de Bigamia, contra præceptum Apoſtoli cum iis diſpenſat ſanctus Pontifex, qui Eccleſiæ poſſunt deſervire, ut ait S. Thomas (i): quia irregularitas, quæ ex bigamia oritur, eſt tantum juris poſitivi humani ut probat Gloſſa (k) ex Canone Decreti Gratiani, Martini Pragenſis, qui eum e tertio primi Concilii Toletani an. 400. Canone depromſit.

(h) Idem in c. *Propoſuit*. 4. de conceſſ. præbendæ & Eccleſ. non vacantis. l. 3. tit. 8.

(i) S. Th. in 4. diſt. 2. q. 3.

(k) Gloſſ. in d. Cap. *Propoſuit*. v. *Diſpenſare*. & in 12. C. Lector. 18. v. *Stat*. diſt. 34.

Certum eſt autem Probationis annum ante profeſſionem non eſſe neceſſarium, niſi ex jure poſitivo, cum, eo nondum adimpleto, ante Tridentini decretum, Novitio Religionem profiteri liberum eſſet ex conſenſu Superioris Monaſterii, ut expreſſe fatetur Innocentius III. ad Archiepiſcopum Piſanum ſcribens (l). Sequitur ergo, valide & licite Demetriadi remitti poſſe annum Novitiatus, atque adeo ſibi conceſſa eam diſpenſatione uti poſſe.

(l) Innoc. III. in c. Ad Apoſtolicam 16. de regular. & tranſeuntibus ad relig. l. 3. tit. 31. Item in cap. *Sicut*. 7. ibid. Greg. IX. in c. *Statuimus*. 23. ibid.

Eorum autem quæ hactenus diximus, hæc poteſt afferri ratio, quia annus Probationis ſacris Canonibus præſcriptus eſt 1. ut per id temporis Novitius regulam & ſtatuta Religionis quam profiteri intendit, penitus cognoſcere, ſeque ipſum, ne eam temere profiteretur, experiri poſſet. 2. ut Superior, vocaleſque Religioſi perſpectam habere valerent indolem, capacitatem, veroſque Novitii mores, ne ipſum, niſi dignum, ad profeſſionem admitterent. *Ut & ille*, (Novitius) *aſperitates* (Monaſterii) *& iſtud mores illius valeat experiri*; ut loquitur Innocentius III. (m).

(m) Fagnan. in c. *Ex litteris*. de divortiis. n. fin.

In caſu autem propoſito, Monaſterii cujus vota emittere cupit Demetriades, ſupponitur Regulas omnino notas habere, cum in eo jam a decennio commoretur, illiuſque pio devotionis affectu auſteritates colat. Virtutem ejus inſuper bonoſque mores norunt Religioſæ. Superfluunt ergo jam annuæ probationis rationes, petitamque ideo diſpenſationem ei concedere potuit ſummus Pontifex.

Conſentit hæc deciſio cum ſententia Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, qui, cum a Gregorio XIII. talem diſpenſationem dari poſſe declaraſſent.

Digitized by Google

ſent, eam requirenti Dominæ nobili conceſſit. *Sacra Congregatio reſpondit hanc materiam meri juris poſitivi eſſe: ideo poſſe diſpenſari & cauſſam juſtam hoc caſu ſubeſſe: & ita Gregorius XIII. ſententia Congregationis audita diſpenſavit*. Hæc ſunt verba Fagnani (a).

(a) Fagnan. in c. Ex litteris. de divortiis n. fin.

Fatendum tamen eſt, quod, quamvis hæc deciſio juri Canonico ſit conſentanea, nec non conſuetudini earum regionum, in quibus quoad diſciplinam acceptum eſt Concilium Tridentinum; in Galliæ regno abſolute tamen non obtinet, in quo non accipiuntur hujuſce Concilii decreta quoad diſciplinam, niſi quatenus Regis Edictis ad praxim rediguntur, ut ſæpe in hoc opere dicitur. Quare fieri poſſet, ut hujuſmodi diſpenſatio abuſiva a Parlamentis declararetur, tamquam contraria vigeſimo octavo articulo Edicti Bleſenſis, quo jubetur annua probatio ad validam profeſſionem. Re ipſa, niſi regio diplomate confirmarentur hujuſmodi diſpenſationes in Romana Curia obtentæ contra Edictorum tenorem, puella mobili & inſtabili pietatis calore accenſa votis ſuis ac obtentæ Novitiatus diſpenſationi deinceps refragari poſſet; atque parentes ejus qui eam a ſe cuperent extrudere, aut alio pravo fine ducerentur, ſub ſpecie ejuſmodi diſpenſationis ſolemnem ejus poſſent accelerare profeſſionem, e qua idcirco graviſſima forſan exſiſterent incommoda.

Sed hujuſmodi incommodis obnoxia deinceps non videtur eſſe futura Demetriadis profeſſio ex obtenta diſpenſatione accelerata: 1. Quia jam a decennio converſatur in Monaſterio, in quo Religionem profiteri cupit, ut ſupponitur. 2. Quia Monaſterii hujuſce ſeveram apprime novit regulam. 3. Quia ſponte eam pio motu adducta exercuit. 4. Denique quia omnes illius Monaſterii Religioſæ perſuaſam habent ejus pietatem, ceteraſque dotes in Religioſa neceſſarias.

CASUS II.

Offilius, ægrotans cum vitæ periculo, omnia peccata ſua Ludovico Parocho ſuo confeſſus, ipſum rogavit, ut ſibi quatuor aut quinque diverſa remitteret vota, quæ jam male obſervaret, & quæ verebatur, ne in poſterum obſervarat, ſi convaleſceret. Poteſt ne Ludovicus hanc ei votorum diſpenſationem concedere, poſt datam Sacramentalem abſolutionem?

Videtur, quod poſſit; cum multo majorem in ſimili caſu habeat poteſtatem, ipſum videlicet abſolvendi non ſolum de omnibus caſibus Epiſcopo & quidem Papæ reſervatis; ſed etiam de omni excommunicatione majori, nulla excepta.

Aliunde is non eſt Eccleſiæ uſus, ut talem ægrum de votis ſimplicibus quæ emiſit, diſpenſet Sacerdos. Quid juris? Quid facto opus?

Respons.

Difficultatem iſtam ita ſolvit Silveſter (b): *Licet*, inquit, *in articula mortis ſimplex Sacerdas abſolvere poſſit ab omni caſu, id eſt, peccata, etiam tranſgreſſionis cujuslibet voti; non tamen poteſt diſpenſare in vota: quia hoc nullibi conceditur; ſed tantum abſolutio, quæ non eſt diſpenſatio*. Et quidem plenam habet Sacerdos in articulo mortis poteſtatem, quoad omnia peccata, & etiam quamlibet excommunicationem; quod ipſi ab Eccleſia fuerit conceſſa hujuſmodi poteſtas, ut in Tridentino videre eſt (c): ſed nullibi videtur, ut recte obſervat Silveſter, in ullo caſu conceſſam fuiſſe Sacerdotibus diſpenſandi de votis poteſtatem: neque etiam in hoc reperitur neceſſitas, ut in abſolutione caſuum reſervatorum, aut excommunicationis.

(b) Silveſtr. v. Votum. 4. q. 3. §. Decimum.

(c) Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reform.

Silveſtrum ſequitur Navarrus (d), qui aſſerit, hanc ſententiam eſſe communiter *ſecundum mentem omnium Doctorum*. Nullam igitur propriam ſibi Offilii Parochus poteſtatem habet, hominem hunc de votis quæ emiſit, diſpenſandi, neque eadem in quodpiam aliud pium opus commutandi. Quare, ut ſaluti ſuæ conſulat Offilius, neceſſe eſt, ut firmum animo concipiat propoſitum, ſe ea deinceps accuratius eſſe ſervaturum, vel ut a Superiore legitimam eorum obtineat diſpenſationem.

(d) Navar. Man. Cap. 12. n. 72.

CASUS III.

Nonne ſemper diſpenſationem petentibus concedere poteſt Superior, cum ob cauſſas petuntur, quæ ſibi juſtæ videntur?

Respons.

1. Certum eſt, legitimum Superiorem diſpenſare poſſe in iis quæ ſunt mere juris humani, pro variis qui occurrunt caſibus, legem interpretando, & declarando, præceptum quod in bonum communitatis latum eſt, prætermitti poſſe a tali perſona privata, habita talis circumſtantiæ ratione. Ita docet ſanctus Thomas; en verba illius (e): *In quacumque multitudine ex ea dicitur aliquis diſpenſare, quia ordinat qualiter aliquod commune præceptum ſit a ſingulis adimplendum. Contingit autem quandoque quod aliquod præceptum quod eſt ad commodum multitudinis, ut in pluribus, non eſt conveniens huic perſonæ, vel in hoc caſu; quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquid malum .... & ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in Lege humana, quæ ſuæ auctoritati innititur, ut ſcilicet in perſonis, vel in caſibus, in quibus Lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum Legis non ſervetur.*

(e) S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. in corp. Idem. in 1. Cor. 14. Lect. 1.

2. Non idem dicendum de iis, quæ ſunt juris naturalis; hæc enim diſpenſationem nequeunt admittere. Ratio eſt, quia communis Legis naturalis præcepta nulli umquam errori aut defectui poſſunt eſſe obnoxia; licet particularia quædam, quæ nihil aliud ſunt niſi concluſiones a communibus deductæ, hujuſmodi diſpenſationem Superioris patiantur: ut, v. gr. proditori patriæ mutuum non reddere; inquit D. Thomas, cujus hæc etiam ſunt verba (f): *Lex naturalis, in quantum continet præcepta communia, quæ numquam fallunt, diſpenſationem recipere non poteſt; in aliis vero præceptis, quæ ſunt quaſi concluſiones præceptorum communium, quandoque per hominem diſpenſatur; puta, quod mutuum non reddatur proditori patriæ, vel aliquid hujuſmodi*: ſed inde non probatur, aliquando a Superiore diſpenſari poſſe in iis, quæ ſunt juris naturalis; ita ut in omnibus, qui objiciuntur, caſibus, & quibus contrarium adſtrui videtur, attendendum eſt ſemper, ex particularibus eorum circumſtantiis effici, ut jam eſſe juris naturalis deſinant; uti demonſtrat ipſum, quod affert ſanctus Thomas, exemplum.

(f) Idem ibid. ad 3. Idem 2. 2. q. 147. art. 4. ad 1. Et in 3. ſent. diſt. 74. art. 4. & in 4. diſt. 33. q. 2. art. 2. Et quodl. 9. art. 15.

3. Denique, de iis quæ ſunt juris divini, ſolus Deus diſpenſare poteſt, vel is cui ſpecialem commiſiſſet poteſtatem, quia ipſe ſolus Auctor eſt legum, quibus res illæ aut ſunt imperatæ, aut prohibitæ. *Ad Legem autem divinam*, addit Angelicus Doctor, *ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona privata ad Legem publicam, cui ſubjicitur. Unde ſicut in Lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille a quo Lex auctoritatem habet, vel is cui ipſe commiſerit; ita in præceptis juris divini quæ ſunt a Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel cui ipſe ſpecialiter committeret*. Hæc ſunt generalia principia, quæ ſupponenda duximus, ad quæſtionem propoſitam reſpondendo, priuſquam ſpeciatim ejus explicarentur difficultates.

Ob hanc autem rationem de præceptis Decalogi nullus homo diſpenſare poteſt; quod eorum ſit Auctor Deus, & in iis præciſe ac manifeſte ſuam declaret voluntatem. *Et ideo præcepta Decalogi ſunt omnino indiſpenſabilia*, inquit etiam Doctor Angelicus (g). Unde ſequitur, quod *Papa habet* quidem *plenitudinem poteſtatis in Eccleſia*, ut alibi aſſerit idem Sanctus (h), *ita ſcilicet quod quæcumque ſunt inſtituta per Eccleſiam, vel Eccleſiæ Prælatos, ſunt diſpenſabilia a Papa. Hæc enim ſunt quæ dicuntur eſſe juris humani vel divini; circa vero ea, quæ ſunt juris divini, vel juris civilis naturalis diſpenſare non poteſt; quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione divina*.

(g) Idem 1. 2. q. 100. art. 8. in corp. Item 2. 2. q. 104. art. 4. Et in 1. ſent. diſt. 47. art. 4. q. 8. ad 1. &c.

(h) Idem quodlib. 4. art. 13. in corp. Item l. 4. ad Hannib. diſt. 38. art. 2. ad 3.

Ceterum quoad præſentem difficultatem obſervare intereſt, ex dictis non eſſe colligendum, Superiorem ab obligatione voti diſpenſare non poſſe, ex eo quod ſit juris divini, pro quo nulla poteſt

eſſe legitima diſpenſatio : ſciendum namque obligationem poſſe ad jus divinum pertinere duplici modo; ut advertit Auctor Colloquiorum Veſunenſium (*a*). 1. Cum procedit hujuſmodi obligatio a Deo ſolo, qui homines quibuſdam regulis ſola ſua auctoritate & independenter ab eorum voluntate conſtitutis ſubjicere voluit, qualis eſt obligatio adimplendi præcepta Decalogi, de quibus proinde diſpenſare non poteſt Eccleſia. 2. Cum hujuſmodi obligatio ex voluntaria perſonæ privatæ promiſſione oritur, qualis ex voto contrahitur: & de ea ob juſtas & præcipuas cauſſas diſpenſare poteſt Eccleſia, non quod aliquam in jus divinum exerceat poteſtatem, ſed in fidelium voluntatem, qui in iis quæ ad ſuam pertinent ſalutem, Paſtorum ipſius regimini ſubjiciuntur; quam enim ob cauſſam jus ipſis a Deo ipſo collatum denegaretur, dum parentibus in proprios filios, aut dominis in famulos non denegatur poteſtas? Numquid apud omnes non eſt inconcuſſum, a patribus reſcindi poſſe filiorum vota, quæ, ipſis inconſultis, emiſere? Nonne Paſtoribus abſque ulla exceptione dixit Chriſtus (*b*): *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*? Cum igitur cuipiam voti obligationem, idque ob juſtam ac legitimam cauſſam remittunt, hoc eſt, quæ ab Eccleſiæ bonum, aut ſpiritualem voventis utilitatem ſpectat; cur inficiari quis poterit, eam quoque a Deo ipſorum miniſterio remitti? Fatendum igitur, de votis, intacto jure divino, poſſe diſpenſare Prælatos; cum ob juſtam rationem & in caſibus jure non prohibitis diſpenſant, atque adeo potiori ratione idem poſſe Summum Pontificem, Eccleſiæ caput; ob illam quam habet in Eccleſia, poteſtatis plenitudinem.

(*a*) Colloq. Veſunenſis tom. 4. Colloq. 2. q. 2.

(*b*) Matth. 16. 18.

CASUS IV.

Diſſident inter ſe Theologus & Canoniſta, utrum Papa ob plenariam quam habet in Eccleſia, poteſtatem, valide de iis diſpenſare poſſit, quæ ab Apoſtolis aut ſtabilita, aut inſtituta fuere. Is affirmat, alter negat: Cui jus?

RESPONS.

Quæſtionem hanc ſibi propoſitam, dum de bigamia loquitur, quam uti irregularitatem ſtatuit Apoſtolus, quæ ab Ordinibus removet, Angelicus Doctor ſolvit dicens: quod Papa nullam habeat diſpenſandi poteſtatem, *Quantum ad ea quæ ſunt de jure naturali, & quantum ad ea quæ ſunt de neceſſitate ſacramentorum & fidei*. Hæc ſunt ſancti Thomæ verba (*c*): *Sed in aliis quæ ſunt de inſtitutione Apoſtolorum*, pergit idem Sanctus, *cum Eccleſia habeat nunc eamdem poteſtatem ſtatuendi & deſtruendi, quam tunc habuit; poteſt per eum, qui primatum in Eccleſia tenet, diſpenſari*. Diſtinctionis hujuſce ope quoad propoſitam difficultatem, in concordiam revocari poſſunt Theologus & Canoniſta.

(*c*) S. Th. in 4. diſt. 27. q. 3. art. 3. ad 2.

DISPENSATIO MATRIMONII.

DISPENSATIONEM Matrimonii clare explicat hæc Polmani definitio (*d*): *Diſpenſatio Matrimonii*, inquit, *eſt impedimenti Matrimonialis ſublatio*. Quocirca diſpenſare eſt matrimonii obicem tollere.

(*d*) Polman. Brev. Th. p. 3. n. 197.

Impedimentum vero matrimonii eſt vel dirimens ſive ſolummodo impediens. Impedimentum dirimens eſt illud, quo invalidum fit Matrimonium contractum, non obtenta prius ejus diſpenſatione a legitimo Superiore, qui vulgo eſt Papa ſolus. Impedimentum vero impediens eſt illud, quo quis peccat contrahendo Matrimonium, non obtenta prius ab Epiſcopo illius diſpenſatione, licet validum ſit Matrimonium.

Papa ſolus in omnibus impedimentis dirimentibus, ab Eccleſia conſtitutis, diſpenſare poteſt. (1) Expreſſe tamen prohibet Tridentinum Concilium (*e*) ut: *In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes & ob publicam cauſſam*. Quod decretum vel in ipſa Gallia obſervatur, ut conſtat ex celebri Senatus Pariſienſis Arreſto 11. Decemb. an. 1664. lato ad Concluſiones Domini Bignon Generalis Advocati in Nicolaum Barbier etiam Cauſidicum, cujus tres pueri ſimulque Barbaræ Barbier neptis illius illegitimi ſunt declarati, etſi vi Romanæ diſpenſationis in Eccleſia Parochiali Pariſienſi ſancti Joannis Matrimonium contraxiſſent, dictoſque pueros, tamquam ſuos, in celebratione nuptiarum agnoviſſent: quo Arreſto declaravit Curia, reſcriptum illud Romanum male, invalide & abuſive fuiſſe obtentum & exſecutioni mandatum quoad puerorum legitimationem, indicta ſimul in Romana Curia campſoribus prohibitione, ne hujuſmodi diſpenſationes obtinerent (*f*).

(*e*) Con. Tr. ſeſſ. 24. de reform. Matrimonii.

Admiſſa quidem eſt diſpenſatio a Summo Pontifice in primo affinitatis gradu conceſſa pro N. Vaillant, Medico, qui uxoris ſuæ ſorori nupſit. Supremæ Curiæ Arreſtum pro eo menſe Januario an. 1685. latum eſt (*g*). Sed advertendum ab eo obtentum fuiſſe Regium diploma, quo confirmabatur Romanum reſcriptum, in iis quæ a Rege pendebant: unde vehementer impulſus eſt Senatus, ut eam proferret ſententiam; de validitate tamen aut invaliditate Matrimonii nihil aſſerens; cum certum ſit, quod, quamvis de primo gradu affinitatis in linea directa nequeat diſpenſare Papa, tamen poteſt in primo gradu lineæ collateralis, quia impedimentum illud eſt tantum Eccleſiaſticum, ut videbitur infra.

(*f*) Diarium fori tom. 2. l. 6. c. 38.

(*g*) Diarium Palatii p. 2. pag. 119.

Duobus, qui nubere volunt, ſemper favet Matrimonii diſpenſatio; quamvis ab uno tantum petita & obtenta fuerit, altero etiam inſcio.

Diſpenſationem Matrimonii duplici modo Papa concedere poteſt. 1. *In forma gratioſa*, hoc eſt, abſolute & de præſenti diſpenſando. 2. *In forma commiſſoria*, hoc eſt, Diœceſanum Officialem committendo, ut facti veritatem perpendat. Infra videbitur quanti ſit momenti hæc diſtinctio, quæ & ejus habenda ſit ratio.

Quili-

(1) Vid. *Menda Pontas*. Obſerv. III. num. XXIII.

Quilibet Epiſcopus de impedimentis, quæ ſunt tantum impedientia, diſpenſare poteſt. Quod ad dirimentia pertinet, cum uniformis non ſit hac in re omnium Diœceſon Galliæ Diſciplina Eccleſiaſtica; Epiſcopus quiſque ſecundum uſum in ſua Diœceſi conſtitutum ſe gerere debet, non latiorem ſibi arrogans poteſtatem, quam prædeceſſores ſui.

Ad validitatem diſpenſationis quoad conſanguinitatem vel affinitatem in duobus diverſis gradibus, ſatis eſt, ut gradus remotior Papæ exponatur.

Si impetrantes e diverſa fuerint Diœceſi, ambo in Libello ſupplici exprimendi ſunt, quod Reſcriptum ſuum Officiali Diœceſis puellæ ſcribere intendat & re ipſa ſemper ſcribat Summus Pontifex.

Allegatarum in reſcripto rationum juſtitiam perpendendi jus non habet Officialis, ſed ſolum an factum in Libello expoſitum ſit veritati conſonum nec ne; quo facto diſpenſationem executioni mandare neceſſario tenetur.

Si forte obeat Officialis, ſcriptam ad eum diſpenſationem approbare poteſt ejus ſucceſſor.

CASUS PRIMUS.

POLYXENES, inito cum Publia, ſed ob auditos contra famam ejus rumores, nondum conſummato matrimonio a Summo Pontifice diſpenſationem obtinuit, quæ juſta niti cauſſa videtur, & qua ſibi licet Mariæ nubere, quacum re ipſa aliquanto poſt matrimonium contraxit. Quæritur utrum valida ſit hujuſmodi diſpenſatio, eaque ſine peccato uti potuerit ipſe Polyxenes?

RESPONSIO.

Priuſquam huic difficultati fiat ſatis, advertendum 1., Matrimonium eſſe ſymbolum unionis hypoſtaticæ Verbi divini cum natura humana, & ſpiritualis matrimonii, quod inter Chriſtum & ipſius Eccleſiam intercedit. 2. Duplicem hanc unionem eſſe indiſſolubilem. 3. Matrimonium ab Eccleſia tantummodo approbatum, ſed nondum conſummatum neutrius hujuſce unionis eſſe ſignum, cum illud diſſolvi poſſe agnoſcat Eccleſia, in uno ſaltem caſu, ſcilicet ſolemni profeſſione Religionis: quocirca unionem ſolam Chriſti cum privatis Eccleſiæ membris ſignificat; quæ unio in communicatione gratiæ ipſius poſita, peccato quam ſæpiſſime deſtruitur. 4. Matrimonium igitur dumtaxat conſummatum proprie ſymbolum eſſe duplicis hujuſce unionis, quæ verbis iſtis deſignatur: *Quod Deus ſemel aſſumſit, numquam dimiſit*: & his aliis (a): *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*: quæ duplex unio cum diſſolvi nequeat, matrimonium quoque indiſſolubile efficit. Unde verba hæc Chriſti Domini (b): *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, quibus divortium prohibet, de matrimonio conſummato intelliguntur, uti declarat Alexander III. in ſua ad Epiſcopum Brixinionenſem Decretali (c) his verbis: *Sane quod Dominus in Evangelio dicit: Non licet viro niſi ob cauſſam fornicationis uxorem ſuam dimittere, intelligendum eſt ſecundum interpretationem Sacri eloquii, de his quorum matrimonium carnali copula eſt conſummatum, ſine qua conſummari non poteſt.*

Ex his igitur principiis omnes ferme Canoniſtæ & multi inſignes Theologi exiſtimant, proprie loquendo, ratihabitionem Matrimonii, in ſe ſumtam, ab Eccleſiæ conſtitutione pendere, ob illius in contrahentes poteſtatem, qui ratione baptiſmi ab ipſa recepti juriſdictioni ejus ſubjacent; quam proinde ratihabitionem, cum juris ſit mere Eccleſiaſtici, a Summo Pontifice tolli poſſe volunt, ob ejus poteſtatis plenitudinem in Eccleſia quoad res ſpirituales.

Opinionem ſuam multis Summorum Pontificum exemplis aſſerunt illi Auctores, ut Eugenii IV. & Martini V. qui in propoſito caſu diſpenſarunt; ille ob mutuum quo diſſidebant conjuges, odium; is vero ob lepram quæ ante conſummatum matrimonium alterum contrahentium inceſſerat, ut refert S. Antoninus (d); aſſeritque Navarrus (e), hujuſmodi diſpenſationes, conſilio ſuo petitas a Paullo III. & Pio V. fuiſſe obtentas. *Ter vel quater ad petitiones, meo conſilio ..... oblatas felicis recordationis Paullus III. & Pius IV. per ſuas diſpenſationes diſſolverunt quædam matrimonia, omnino clandeſtine contracta, nondum conſummata, in remedium animarum, alioquin probabiliter periturarum.* Teſtatur etiam Auctor quidam (f), uno eodemque die a Gregorio XIII. conceſſas fuiſſe tredecim hujuſmodi diſpenſationes. Denique vi talis diſpenſationis Carolus VIII. Galliæ Rex anno 1491. Annæ, Britanniæ Duciſſæ nupſit, cui jam per procuratorem Archidux, Maximiliani primi Imperatoris filius, poſt dimiſſam ab illo Rege Margaritam Imperatoris hujuſce filiam, jam ante ſibi deſponſatam. Ob hæc exempla eorumque rationes ſententiam hanc amplexi ſunt innumeri Auctores, quales ſunt Hoſtienſis, Bellarminus, Cajetanus, Catharinus, Felinus, & alii multi, quos ad marginem indicamus (g).

Hæc tamen ſententia, licet tot tamque præcipuis arridens Auctoribus, aliis multis contrarium ſentientibus paullo videtur audacior. Talis eſt Sylvius (h), & in eo ſequitur Scotum, Paludanum, Cardinalem de Turrecremata, Dominicum Sotum, Franciſcum Victoria, Covarruviam, alioſque plurimos Canoniſtas (i), e quorum numero exſiſtit inclytus Panurmitanus: is enim liquido declarat, Papam non poſſe hujuſmodi diſpenſationes concedere (K); atque hæc in primis ad probationem ſuæ ſententiæ Chriſti Domini verba premit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*; & unam Innocentii III. Decretalem ad Archiepiſcopum Lugdunenſem (l), in qua Summus ille Pontifex hanc ſolam matrimonii non conſummati diſſolutionis cauſſam agnoſcit, ſcilicet, ſolemnem votorum Religionis emiſſionem, aut divinam revelationem: quare Papalis omnino excluditur diſpenſatio in caſu de quo agitur. Inter aſſertores poſterioris hujuſce ſententiæ, hæc ſunt potiſſimum Dominici Soti verba: *Cum Chriſtus ait*: Homo non ſeparet; *Pontificem etiam ipſum excluſit, quaſi talem poteſtatem ei non committeret; quia ſuper jure divino & naturali, quale illa verba ſignificant, Papa minime diſpenſat. Auctoritas Martini & Eugenii, ſi ita verum eſt, quod ſimilem diſpenſationem fecerant, nullatenus tamenum Eccleſiæ determinatio movet, quia factum Pontificum non facit fidei articulum.* Quod dictum Hiſpani hujus Theologi cum ſententia Paulli IV. omnino conſentit, qui de ſimili a ſe anno 1557. diſpenſatione petita Conſiſtorii ſui Cardinales his ferme verbis (m) allocutus eſt: *Cariſſimi Filii, ne prædeceſſorum noſtrorum factis & exemplis detineantur animi veſtri; profiteor, ea me nolle ſequi, niſi in quantum ad id nos adducent Scriptura & Theologorum ratio; non dubito, quia ego meique prædeceſſores: non ſolum in hoc facto, ſed in aliis multis erraverimus.*

(a) Matth. 28. 20.

(b) Matth. 19. 6.

(c) Alex. III. in cap. *Ex public.* de converſ. conjug. lib. 3. tit. 32.

(d) S. Anton. 3. part. ſum. Theol. tit. 1. c. 21. §. 3.

(e) Navar. Man c. 22. n. 21.

(f) Henriquez l. 2. de Matrim. c. 8. num. 11.

(g) Cajet. tom. 1. opuſc. tract. 38. Bellarm. l. 2. de Monachis. c. 18. Michael a Medina l. 5. de Sacrorum hom. continentia. Gloſſa in cap. *Ex publico.* de conv. conjug. & in cap. *Quod votum.* de voto in 6. Propoſitus in cap. ſin. de ſponſa duorum. Pagaan. Navarr. Silveſter, Pelinna &c.

(h) Fr. Sylvius in ſup. S. Th. q. 61. art. 2. quæſito 2. & reſol. var. v. *Matrimonium.* 4. concl. 1.

(i) Scotus in 4. diſt. 11. §. *Tertio modo.* Petrus Palud. in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. & q. 3. a. 3. Dom. Sotus. in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. Franc. Victoria releſt. 4. concl. 1. ad 1. & in ſum. Sacram. n. 285. Didacus Covarr. part. 2. de matrim. n. 21. Petrus Soto. lect. 32. de matrim. Cordoba l. 1. quæſtionariis q. 25. Alex. de Nevo. Joan. Tabiena & alii.

(K) Panorm. in cit. Cap *Ex publica.* de conv. conjug.

(l) Innoc. III. in c. *Ex parte.* 14. eod. tit.

(m) Cenſura & Concluſiones Facultatis Theologicæ Pariſienſis apud Joan. Bapt. de Loſpine an. 1717. typis mandatæ. pag. 351.

In

Digitized by Google

(a) S. Anton. 3. p. ſum. Th. tit. 6. at. §. 1

In hac opinionum varietate S. Antoninus (a) de iis loquens, qui Papæ diſpenſandi poteſtatem in præſenri caſu concedant: *Tales*, inquit, *non ſunt condemnandi, ſed nec conſulendum eſt alicui, ut procuret talem diſſolutionem, ſive diſpenſationem; cum Theologi videantur tenere, quod non poſſit diſſolvi* (Matrimoaium non conſummatum), *niſi per ingreſſum Religionis*. Quibus verbis ad propoſitam ſpeciem accommodatis dicendam, Polixenem obtentam a ſe diſpenſationem non potuiſſe requirere, eaqua multo minns nti; qnoniam, ut loquitur Covarruvias, *tutior ac verior eſt communis opinio Theologorum, quæ probat Matrimonium ratum nondum ſecuta commixtione carnis, & ſic non conſummatum minime poſſe diſſolvi Romani Pontificis diſpenſatione*. Quocirca ſi alterum cum Maria matrimonium nondum contraxiſſet Polixenes, a ſapiente prndentique Confeſſario monendus eſſet, na talem diſpenſationem execution mandaret, immo & denegata abſolutione cogendus, ut ab ea deſiſteret; cum certum ſit, quod ubi de Sacramenti validitate agitur, tutiorem partem ſequi neceſſe ſit. *

* *Nota* 1. Præter citatos hic ſummos Pontifices ad confirmandam poſteriorem ſententiam, & ad priorem infirmandam nonnullos adhuc a Theologis citari ſummos Pontifices, inter quos annumerant Nicolaum I. qui Can. *Is qui Matrim.* 32. qu. 8. contractum a ſanis matrimonium diſſolvi non poſſe dicit, licet alteri ſupervenist amentia, imporentia &c quod tamen ſummis Pontificibus valida diſſolvendi matrimonii rati cauſſa foret, ſi ab ipſis diſſolvi poſſet. Et ALEXANDER III. qui in *Appendice Concilii Lateranenſis* part. 2. C. 6. judicium improbat quorumdam ſuorum prædeceſſorum, qui matrimonium ratum, & non conſummatum diſſolvere ſe poſſe judicaverant, dicitque feminam, quæ poſt matrimonium ratum ad ſecundum convolarat, illudque conſummarat, a ſecundo viro *ſeparari debere, & ut ad primum redeat, Eccleſiaſtica diſtrictione compelli, quamvis alii aliter ſentiant, aliter etiam a Prædeceſſoribus noſtris ſit judicatum*. Innocentius etiam III. relatus a *Petro de Sampſone* apud *Fagnanum* ad Cap. *Verum* de converſ. conjug. num. 8. & Innocentius VIII. relatus a Panormitano apud *Baſilium Pontium* L. 9. de Matriman. C. 3. cum ab ipſis talis diſſolutio peteretur, eam prorſus denegarant, inſuper cum Innocentio VIII. allegaretur Gloſſa dicens hoc ab ipſo fieri poſſe, reſpondit ſanctus Pontifex ei, qui Gloſſam allegabat: *Maledictus, qui te docuit*. Teſtatur etiam *Dominicus Soto* in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. Adrianum VI. mitatum, quod ab ipſo matrimonii rati diſſolutio poſtularetur, reſpondiſſe ſe eam concedere quantum poterat, credere tamen ſe non poſſe.

Nota 2. Ipſiſmet prioris ſententia patronos confiteri, ne minimum quidem ante Martinum V. (qui tamen utrum aliquod matrimonium ratum diſſolverit dubitat *Dominicus Soto*) apparere exemplum diſpenſationis ſuper matrimonio rato, nullumque aut Theologum aut Canoniſtam ante iſtius ſummi Pontificis tempora inveniri, qui in ſummis Pontificibus diſſolvendi matrimonii rati poteſtatem agnoverit. *Neque omnino certa eſt* (prior ſententia) inquit *Martinus Grandinus* C. 3. de indiſſolubilitate matrimon. quæſt. 5. concl. 2. *Cum ante Martinum V. neque ullus hanc ſummis Pontificis poteſtatem agnoſcat, neque appareant exempla diſpenſationis ſuper matrimonio rato.*

CASUS II.

ODULPHUS, Religioſus profeſſus occiſis in exercitu omnibus fratribus ſuis, a Summo Ponrifice Matrimonium contrahendi diſpenſationem obtinet, ne, ſi Monaſticam ſequi vitam pergeret, familia ſua, quæ principatn fruitur, ſine ſtirpe procumberet. Poteſt Odulphus talem diſpenſationem tuta conſcientia execution mandare?

RESPONS.

Religioſus ille obtentam a ſe diſpenſationem executioni mandare poteſt, nam ſummus Pontifex ob ſuam in Eccleſia poteſtatis plenitudinem ita diſpenſare valet, cum ea utitur ob cauſſam legitimam, ſeu ad Eccleſiæ bonum, ſeu ad fidelium ſalutem pertineat. Ratio eſt, quia, ut jam alibi diximus, diſpenſare poteſt in iis, quæ ſunt tantum juris humani. Certum eſt autem, ea omnia, quibus ſtatuitur voti ſolemnitas, & a ſimplici voto ſolemni diſtinguitur, eſſe tantum juris humani, cum ſolemnitatem hanc in ceremoniis quibuſdam & circumſtantiis cum voto connexis ſolum poſitam inſtituerit Eccleſia. *Voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa*, inquit Bonifacius VIII. in una ex ſuis Conſtitutionibus (b). Si ergo de Virginitatis ac Religionis voto ante conſtitutam ab Eccleſia ſolemnitatem iſtam diſpenſare poterat Epiſcopus, ut videre eſt ex his Chalcedonenſis Concilii an. 451. habiti verbis a Gratiano relatis (c): *Si qua virgo ſe dedicaverit Deo, ſimiliter Monachus, non licet eis nuptiis jungi; ſi vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus vero eis poſſe fieri humanitatem, ſi ita probaverit Epiſcopus loci*. Cur ea ſummo Pontifici denegaretur poteſtas? Hinc multa videre eſt hujuſmodi diſpenſationum, quas conceſſere Pontifices, exempla; uti teſtantur Paludanus (d) & Cajetanus (e). Sic referente illo Cardinali, Cœleſtinus III. e Monaſterio Conſtantiam eduxit, Panormi religioſam, Rogerii VI. Siciliæ Regis filiam, quæ vi diſpenſationis ab illo Papa obtentæ Henrico VI. Federici II. dicti Ænobarbi filio nupſit, Romæ Matrimonium ſuum conſummavit, e quo Gandulphum ſuſcepit, & quem annos 50. nata in propatulo ædium peperit (f). Similem Caſimiro Cluniacenſi Monaco, qui Pariſiis ſtudebat, diſpenſationem conceſſit Benedictus, iſque poſtea e Monacho factus eſt Rex Poloniæ.

(b) Bon. VIII. in cap. *Quod votum*. 7. de voto & voti redempt. in 6. L. 3. tit. 15.
(c) Concil. Chalcedon. in canon. *Si qua*. 22. 27. qu. 1. & in can. *Virginem*. 22. ib.
(d) Petrus Palud. in 4. diſt. 38. q. 4. art. 4.
(e) Cajetan. in 2. 2. q. 88. art. 11.
(f) Hiſtor. Neapol. l. 5.

Conſentit hæc reſponſio cum ſententia plurimorum tum Theologorum, tum Canoniſtarum, quos ad marginem appellamus, quique omnes unanimi conſenſu hanc Papæ tribuunt poteſtatem. Fatendum tamen, quoſdam eſſe Theologos (g), qui contrarium ſentiunt, innixi potiſſimum auctoritate Innocentii III., qui agnoſcit Papæ non competere poteſtatem cum Monacho diſpenſandi de votis paupertatis & caſtitatis. En verba Summi Pontificis (h): *Nec æſtimet Abbas*, inquit, *quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare, quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis ideo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Atque ea auctoritate præſertim nituntur S. Thomas (i), Albertus Magnus, Gloſſa, Guillelmus Antiſſiodorenſis, S. Bonaventura, Alexander Halenſis, & alii nonnulli.

Sed quamvis Auctorum iſtorum ſententiam damnare nolimus, eorum tamen argumentis facile reſponderi poteſt, eaque objecto triplici modo ſolvi poteſt. Et primo quidem generatim reſponderi poteſt, cœlibatum eodem jure Religioni atque Sacerdotio eſſe annexum, hoc eſt, jure Eccleſiaſtico, quamvis cum aliquo diſcrimine, ut communiter docent celeberrimi Theologi, quales ſunt Henricus Gandavenſis, Paludanus, Scotus, Durandus, Richardus a S. Victore, Covarruvias, Navarrus, Cajetanus & alii multi; atque idem eſſe dicendum de abſolutione proprietatis, cum olim Religioſi bona ſua retinere & poſſidere poſſent, & etiam teſtari, ut aſſerunt leges Romanæ (k) conformiter ad hæc verba Canonis (l): *Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate repellere Monachos factos*. Quæ facultas Monachis a S. Gregorio (m) ablata eſt, ut videre eſt in aliqua ejus Epiſtola ad Januarium Epiſcopum Calaritanum, quam refert Gratianus in Canone Decreti ſui. Atqui negari non poteſt, Papam valide diſpenſare non poſſe in iis, quæ ſunt mere juris Eccleſiaſtici, ut docet & ſolida probat Angelicus Doctor (n): cum diſpenſatio nihil aliud ſit, *quam juris communis relaxatio facta cum cauſſæ cognitione ab eo, qui poteſtatem habet diſpenſandi*, ut loquitur Innocentius IV. (o) Igitur de ſolemnitate hujuſmodi votorum, quæ ab Eccleſia ex Bonifacio VIII. eſt inventa, diſpenſare poteſt Papa.

Secundo quoad Innocentii III. auctoritatem dicendum, ejus verba eſſe tantum intelligenda *in ſenſu compoſito*, ut loquitur Schola, *& non in ſenſu diviſo*, hoc eſt, ipſum loqui duntaxat de Monacho, *ſtante Monachatu*, cum fieri nequeat, ut vere ſit Monachus prætermiſſis votis ſuis ſolemnibus: ſed hinc non ſequitur, eum iiſdem teneri votis, cum e Monaſterio ſuo per legitimam diſpenſationem eductus eſt; quandoquidem tum haberi nequeat uti Religioſus.

(g) Petrus Palud. loc. citat. concl. 2. Card. de Turrecrem. ſuper can. *De illa*. diſt. 27. Durand. in 4. diſt. 38. qu. 2. ad 2. Richard. ib. art. 9. q. 1. Henric. Gandav. quodlib. 5. q. 28. Joan. Major. in 4. d. 31. q. 14. Felinus in cap. *Si quando*. de reſcriptis. Didacus Covarr. de teſt. c. 2. n. 17. & ap. eum Innoc. Jo. Andreas & alii in cap. *Cum ad Monaſter.* de ſtat. Monach. Claud. Spenc. l. 3. de incont. c. 4. & ſeqq.
(h) Innoc. III. in c. *Cum ad Monaſterium*. 6. de ſtat. Monachorum.
(i) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Albertus Magnus in 4. diſt. 38. ar. 25. S. Bonav. ib. qu. 3. Guill. Antiſſiodor. l. 3. c. 22. Gloſſ. in cit. c. Alex. Alenſ. Catharinus, Dom. Sotus, & Silveſt. de Priec.
(k) L. *Si quis* 20. C. de Epiſ. & Clericis.
(l) Novella 123. c. 39 relata in can. *Non liceat*. ſin. 19. quæſt. 3.
(m) S. Greg. in can. *Quia* 7. ead. Cauſſa, & quæſt.
(n) S. Thom. quodl. 4. ar. 13.
(o) Innoc. IV. ad cap. *Dilectus*. 25. de temp. Ordin. num. 4.

Tertio, quoad S. Thomam pertinet, reſponderi poteſt, Angelicum Doctorem in diverſam ea de re tranſiſſe ſententiam: primum enim docuerat, Papam cum Religioſo in voto ejus legitime diſpenſare poſſe, eique matrimonium permittere. *Alii dicunt probabilius*, inquit hic Sanctus (*a*), *ſi communis utilitas totius Eccleſiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ expoſceret, poſſet convenienter & in voto continentiæ & in voto Religionis diſpenſari quantumcumque eſſet ſolemnizatum.* Ejuſque rei hanc affert rationem: *Non enim per votum poteſt ſe homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri. Unde talis poſſet imminere neceſſitas, quod poſſet alicui juſte prohiberi, ne continentiam aut Religionem voveret, & eadem neceſſitate manente, poteſt etiam in voto diſpenſari jam acto.* Et paulo poſt (*b*): *In votis illis, quæ non de facili diſpenſationem recipiunt, nec frequenter, ſed raro, ſicut votum Religionis .... ſolus Papa diſpenſare poteſt.* Quibus aſſertis, contrarium in ſumma ſua Theologica docere videtur.

(*a*) Idem in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 4. q. 1 ad 5.

(*b*) Idem ib. quæſtiunc. 2. in corp.

Sed dici poteſt 1. eum loqui *in ſenſu compoſito*, uti loquitur Innocentius III. hoc eſt de Religioſo, qui actu Monaſterio ac regulæ ſuæ addictus eſt; nam uti jam diximus, certum eſt, eum vere Religioſum eſſe non poſſe, omiſſis ſolemnibus votis, quibus Religioni ſe mancipavit; atque a ſummo Pontifice fieri non poſſe, ut quis in Religione permanens Matrimonium contrahat, cum unus alteri adverſetur ſtatus. 2. Poteſt etiam intelligi ſecundum alios tanquam loquens de poteſtate ordinaria, non vero de plenitudine potentiæ, quam habet Papa, tanquam ſupremum & viſibile caput Eccleſiæ.

Qui fuſiorem ea de re explicationem requirent & de teſtimonio e ſumma S. Thomæ depromto, Cajetanum adire poſſunt, qui ſcite rationibus reſpondet, quibus in diverſam ſententiam adductus eſt S. Doctor, eaſque manifeſte diſſolvit. Legi quoque poteſt Fagnanus (*c*), qui fuſe & accurate quæſtionem iſtam perſequitur. Supereſt ergo, ut concludamus, quod, ſi ita ferat publica utilitas, ut nubat Odulphus, obtentam a ſummo Pontifice diſpenſationem ſine peccato executioni mandare poteſt.

(*c*) Fagnan. in c. *Cum ad Monaſter.* de ſtatu Monac. n. 43. & 5. ſeq.

CASUS III.

FLAVIUS Mæviæ uxori ſuperſtes ſecundas vult inire nuptias cum Bertha, quam e primo ſuo marito genuerat Mævia. Num id poteſt tuta conſcientia, ſi in eam rem diſpenſationem in Romana Curia obtinere queat? Quod ſi id non poſſit Flavius, uxoris ſuæ defunctæ ſorori nubere cupit. Nunquid hoc ei licitum eſt, ſi neceſſariam a Papa diſpenſationem obtineat?

RESPONS.

Flavius tuta conſcientia Berthæ defunctæ uxoris ſuæ prioriſque ejus mariti filiæ nubere non poteſt; quamcumque in eam rem obtineat diſpenſationem quæ aut ſubreptitia aut obreptitia cenſeri debet. Ratio eſt, quia Papa diſpenſare nequit in primo gradu affinitatis lineæ directæ, in qua reperiuntur ſequentes perſonæ: 1. *Vitricus*, hoc eſt maritus uxoris, quæ a primis nuptiis prolem ſuſcepit: & *privigna* filia ſcilicet prioris conjugii. 2. *Socer*, id eſt pater uxoris pro marito, aut mariti pro uxore: & *nurus* hoc eſt filii uxor. 3. *Noverca*, hoc eſt uxor Patris: & *Privignus* filius ſcilicet patris e priori conjugio. 4. *Gener*, ſeu maritus filiæ, & *Socrus*, hoc eſt mater mariti erga uxorem, aut uxoris erga maritum. Hi omnes in primo lineæ directæ gradu ſunt affines.

In hoc autem gradu Papa diſpenſare nequit, quod in eo matrimonium jure naturali ſit prohibitum; ut docent (*d*) Paludanus, S. Antoninus, Major, Sylveſter, Gloſſa, Covarruvias, Sylvius & alii multi. Huic etiam ſententiæ aperte favere videtur ratio; qui enim in linea directa ſunt aſcendendo affinitate conjuncti, ita parentum loco habentur, quamvis reipſa non ſint, ut in deſcenſu ejuſdem lineæ affines ſuperioribus eum debeant honorem, qui naturaliter ſtare non poteſt cum æqualitate conjugum in uſu matrimonii. Unde colligendum, diſpenſationem in hoc primo gradu coram Deo eſſe invalidam, qua proinde tuta conſcientia uti nequeunt impetrantes. Ita raciocinatur Sylvius, qui poſtea ſic concludit: *Exiſtimamus ergo, quod jure naturæ irrita ſunt hæc affinium matrimonia, vitrici cum privigna, novercæ cum privigno, ſoceri cum nuru, generi cum ſocru. Unde nec ulla diſpenſationis exempla reperiuntur.* Hoc eſt, ſi quæ in Romana Curia ſubreptæ ſunt hujuſmodi diſpenſationes, eæ non fuerunt executioni demandatæ, quod omnia Chriſtianitatis regna, aut Principatus rei huic legibus ſuis contradicant. Cujus quidem celebratiſſimum jam a 40. annis exemplum vidimus in viro nobiliſſimo, nobiſque notiſſimo; is enim cum Romæ talem diſpenſationem ſubripuiſſet ad nubendum privignæ ſuæ, id eſt filiæ uxoris ſuæ e priori conjugio; eam abuſivam aut ſubreptitiam diſpenſationem declaravit Rothomagenſe Parlamentum, hincque prohibuit, indicta etiam mortis pœna, ne tali diſpenſatione uteretur. Atque hæc de priori difficultate eramus dicturi.

(*d*) Petr. Pal. in 4. diſt. 41. q. 1. a. 7. S. Anton. 3. p. ſum. Theol. t. 1. c. 11. §. 1. Joan. Major. in 4. diſt. 40. qu. 3. Gloſſa in cap. *Litteras*. 13. de reſt. ſpol. Bellarmin. de matr. cap. 28. Didac. Cov. a Leyva Epiſc. ſeg. 2. part. 6. de matr. §. 10. n. 39. & apud eum Toſtatus Abul. Sylv. in ſuppl. S. Th. q. 55. ar. 6. concluſ. 3. & alii. contr. Cajet. 2. 2. qu. 165. ar. 9. & Dom. Soto in 4. diſt. 41. q. 1. ar. 3.

Quod pertinet ad lineam indirectam ſeu collateralem in omnibus ejus gradibus, ne primo quidem excepto, diſpenſare poteſt Papa, quia in ea linea jure tantum humano prohibitum eſt matrimonium, in quo jure diſpenſare poteſt Pontifex, ut ait Innocentius III. ſcribens ad Præpoſitum & Capitulum Cameracenſe (*e*): *Secundum plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra jus diſpenſare.* Eſt igitur in poteſtate Papæ, (*f*) ut homini matrimonium permittat cum vidua fratris ſui, aut ſorore uxoris ſuæ defunctæ. 1. Quidem illud probatur ex Decretali Innocentii III. (*g*), in qua Summus hic Pontifex iis permittit, qui in infidelitate verſati repudiatas a fratribus ſuis defunctis uxores duxerant, & e quibus nullam prolem ſuſceperant eorum fratres, ut eas ſibi legitimas retinerent uxores. *Propter infirmitatem gentis ejuſdem*, inquit hic Papa, *concedimus, ut matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur.* 2. Ejus rei famoſum ſuppeditant exemplum Emmanuel Luſitaniæ Rex, cui Alexander VI. cum duabus ſucceſſive ſororibus matrimonium permiſit, & Henricus VIII. Angliæ Rex, qui ex diſpenſatione Julii II. Catharinæ Arragoniæ Caroli quinti Amitæ, viduæ fratris ſui Arturi nupſit; quæ diſpenſatio a Clemente VII. approbata eſt ex Concilio celeberrimarum Europæ Univerſitatum, quas conſultaverat hic Papa, ut videre eſt ex Decreto, quod refert Auctor inclytus (*h*): quibus addi poteſt Ludovica Maria de Gonzaga Clivienſis, quæ ex Pontificia diſpenſatione duobus viciſſim fratribus, ſcilicet Ladislao Sigiſmundo & Joanni Caſimiro Poloniæ regibus nupſit (*i*). Similem quoque non ita pridem diſpenſationem Comiti Starembergenſi conceſſit Clemens XI. Unde colligimus, quod ſi Flavio juſta ſubſit cauſa requirendæ diſpenſationis neceſſariæ ad nubendum uxori fratris ſui defuncti: eam in Romana Curia perſequi, eaque obtenta uti poteſt.

(*e*) Innoc. III. in C. *Propoſ.* 4 de conceſſione Præb. &c. lib. 3. tit. 8.

(*f*) Navar. Manual. c. 22. num. 84.

(*g*) Innoc. III. in cap. *Deus ſin.* de divortiis l. 4. tit. 9.

(*h*) Alphonſus de Caſtro leg. p. de lege pœnal. c. 12.

(*i*) Acta temporis Auguſt. 1708. pag. 93.

Addemus denique ad plenam hujuſce difficultatis elucidationem, Papam valide diſpenſare poſſe in omnibus lineæ directæ affinitatis gradibus primo interioribus: nam ſecundus lineæ directæ gradus tam eſt diſpenſabilis, quam primus lineæ indirectæ, ſeu collateralis: hæc enim ſola afferri poteſt ratio ad probandum, affinem affini ex Pontificia diſpenſatione nubere non poſſe, quia, ut jam dictum eſt, cum alteri ſit inferior, is erga alium talem debet ex jure naturali adhibere reverentiam, quæ cum æqualitate conjugum quoad actum connubii ſtare non poteſt. Non videtur autem, affinem alterius in ſecundo gradu lineæ directæ majori erga alium teneri reverentia, quam duo affines in primo gradu lineæ indirectæ ſeu collateralis. Igitur cum utriſque quoad Matrimonium diſpenſare poteſt Summus Pontifex.

Nec eſt, quod quis 18. Levitici caput objiciat; ex hoc enim probari nequit, Matrimonium jure naturali inter affines in ſecundo gradu lineæ directæ aut in primo lineæ indirectæ, aut alio quolibet eſſe prohibitum. 1. Quia lata in eo prohibitio pro affine in ſecundo gradu lineæ directæ, iiſdem effertur terminis, atque ea, quæ ad quamlibet conſanguineam aut affinem pertinet. En ipſa ejus verba (*K*): *Omnis homo ad proximam ſanguinis*

(*K*) Levitici 18. 6.

ſui

Digitized by Google

ſui non accedat, at revelet turpitudinem ejus; & paullo inferius (*a*): *Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis; filiam filii ejus & filiam filiæ illius non ſumes, at revelet ignominiam ejus, quia caro illius ſunt*. Atqui ex primo textu probari nequit Matrimonium eſſe prohibitum jure naturali cum qualibet affine aut conſanguinea; cum ex doctrina omnium Theologorum & Canoniſtarum, nullo excepto, contrarium ſit certum. Igitur ex ſecundo textu probari nequit, Matrimonium contractum inter affines, etiam in primo gradu lineæ indirectæ, eſſe contra jus naturale. 2. Quia prohibitio Matrimonii cum affine in primo gradu lineæ Collateralis iiſdem etiam profertur terminis, quibus enuntiatur ea, qua prohibetur Matrimonium cum affine in ſecundo gradu lineæ directæ. En utriuſque prohibitionis verba (*b*); *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui eſt .... ſororem uxoris tuæ in pellicatam illius non accipies; nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente*: & tamen Matrimonium in primo gradu lineæ Collateralis nullatenus jure naturali eſt vetitum; cum frater ex Lege Moyſis, ut legitur in Deuteronomio (*c*), defuncti fratris ſine liberis uxorem ſibi ſumere teneretur. Itaque colligi poteſt, ex textibus Levitici nullo modo probari, Matrimonium inter affines in ſecundo gradu lineæ directæ jure naturali eſſe prohibitum, non magis quam cœtera, quæ eodem capite ſunt vetita: cum certum ſit Eccleſiam poſſe diſpenſare & ſæpe reipſa diſpenſare in multis impedimentis, de quibus ibi fit mentio; uti declarat Concilium Tridentinum (*d*).

(*a*) Ibid. v. 17.
(*b*) Ibid. v. 16. & 18.
(*c*) Deut. 25. 6.
(*d*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. de Sacr. Matrim. cap. 3.

Patendum tamen 1. hactenus dicta a nobis de ſecundo capite eſſe tantum opinionem, & quoſdam Theologos contrarium ſentire. 2. In Curia Romana non obtineri diſpenſationem in quocumque gradu affinitatis in linea directa; quæ, ſi concederetur, nonniſi graviſſimis de cauſis eſſet obtenta. 3. Cauſſas illas, quantumvis graviſſimas, non fore ſufficientes in Galliæ Parlamentis, ut approbaretur talis diſpenſatio, tamquam legitima. Extat ea de re in Commentario Beraldi in Normaniæ conſuetudinem celebre Areſtum, quoad appellationem *tamquam ab abuſu* a Bernardo d' Auvray, & Francifca Le Viconte illius uxore interpoſitam ob Matrimonium Sebaſtiani Le Porcher; declaratum eſt ad Concluſiones Advocati generalis abuſum ſubeſſe in Matrimonio inter virum & viduam in ſecundis nuptiis ſoceri ejus, Novercam prioris ejus uxoris: licet iſti eſſent tantum conjuncti in ſecundo genere affinitatis, quod a Concilio quarto Lateranenſi œcumenico ſub Innocentio III. deſiit eſſe impedimentum dirimens; cum affinitatis impedimentum ad quartum gradum primi dumtaxat generis incluſive fuerit redactum: ex quo certum fit, a Parlamento abuſivam fore declarandam quamlibet diſpenſationem obtentam de impedimento in linea directa primi generis affinitatis in quocumque gradu.

CASUS IV.

Pammachius, qui cum Titia, Mæviæ matre fornicatus eſt, nunc ipſi Mæviæ ſe maritum ſociare peroptaret? numquid legitime cum eo in hanc rem diſpenſare poteſt Papa, quamvis ſit Mæviæ affinis ex illicita copula in primo gradu affinitatis lineæ directæ?

Respons.

Aſſerit S. Antoninus (*e*) Paludanum hanc Papæ denegare poteſtatem: verum ſatis aperte oſtendit ſanctus Archiepiſcopus, ab eo ſe Theologo diſſentire, dum hujuſmodi diſpenſationem a Martino V. conceſſam refert. *Reperitur tamen Papa Martinus V.* inquit, *diſpenſaſſe eum quodam, qui contraxerat & conſummaverat Matrimonium cum quadam ejus germana, quam cognoverat fornicatione, cum magna tamen difficultate*. Tum concludit: *ideo nulli conſulendum, ſed omnino prohibendum procurare diſpenſationem, etiam a Papa, contrahendi cum tali, cujus ſcilicet matrem, vel germanam, quam carnaliter cognovit: Sed ſi poſt contractum, & multo magis conſummatum tale Matrimonium, obtinuit diſpenſationem remanendi cum illa; dimittendum eſt negotium judicio Dei, nec condemnandum*.

(*e*) S. Anton. 3. part. ſum. Theol. tit. 1. c. 11. in fin.

Difficultati huic præciſe reſpondet Sylvius (*f*), indubitanter aſſerens, *quod affinitas ex illicito congreſſu proveniens in nullo gradu impedit Matrimonium, niſi jure poſitivo*: ejuſque rei hanc ſubjicit rationem: *Quia filius non inclinatur naturaliter ad exhibendam reverentiam mulieri, quam Pater cognovit extra Matrimonium; neque naſcuntur ex fornicationibus amicitiæ, ſed odia*. Unde colligimus in hac opinionum varietate Pammachio eſſe reſpondendum 1. ipſum abſque ſalutis ſuæ periculo diſpenſationem illam non poſſe requirere, ex qua Mæviæ vellet nubere. 2. Si eam tamen obtentam executioni mandaſſet Mæviæ nubendo, ipſum eſſe in bona ſua fide relinquendum, nec divortii eorum viam eſſe tentandam.

(*f*) Sylvius in ſuppl. 3. part. ſum. S. Thom. q. 55. art. 6. Concluſ. 4.

CASUS V.

Arcadius & Maria, e Diœceſi Pariſienſi, in quarto gradu affines, Matrimonium ſimul contrahere cupiunt; quare Arcadius Romam mittit, & ad ſolam ſuam petitionem, neceſſariam obtinet diſpenſationem. Sufficitne pro Maria non minus quam pro Arcadio, tollitque utriuſque impedimentum hæc diſpenſatio ab Officiali recognita?

Respons.

Certum eſt, prædictam diſpenſationem ad duos contrahentes extendi, licet ad ſolam Arcadii petitionem fuerit conceſſa. Ratio eſt, quia diſpenſatio quælibet ad ea neceſſario extenditur, quæ ſecum ſunt connexa, ut probari poteſt ex Gloſſa in Decretalem Alexandri III. (*g*). Atqui conceſſa uni contrahentium diſpenſatio ad alterum neceſſario refertur; unde ſublato unius impedimento, tolli quoque cenſetur impedimentum alterius: nam, ut dicit Paſchalis Papa in Canonem (*h*), & poſt ipſum Alexander III. ad Archiepiſcopum Senonenſem ſcribens: qui vult rem aliquam, velle quoque cenſetur id ipſum, quod ex ea neceſſario ſequitur. Cum igitur ex diſpenſatione unius contrahentium neceſſario ſequatur alterius diſpenſatio; ubi unus eſt legitime diſpenſatus, alter etiam talis eſſe cenſetur; cum unus ſine altero legitimus fieri nequeat ſponſus.

(*g*) Gloſſa in cap. Quia in tantum. 4. de Præb. & dign. v. Plures.
(*h*) Paſchalis in cap. Siquis 7. 1. q. 3. Alex. III. in c. Prætorea. 5. de officio & poteſt. judic. delege. l. 1. tit. 29.

CASUS VI.

Wandregisillus & Ludovica, in quarto gradu conſanguinei, ſimul nubere cupientes, inceſtum commiſerunt, vel etiam matrimonium contraxerunt ea intentione, ut neceſſariam, quam a Papa requirunt, diſpenſationem facilius obtinerent. In Libello ſuo ſupplici conſanguinitatis ſuæ gradum, ſimulque inceſtum a ſe admiſſum declarant; ſed intentionem ſuam illud admittendo reticent; quo facto diſpenſantur. Quæritur utrum hæc diſpenſatio ſit valida?

Respons.

Contendunt Auctores quidam, uti Ludovicus Bail, noſtro tempore Pariſienſis Eccleſiæ Prœpœnitentiarius (*i*) cum undecim, quos laudat, Caſuiſtis, eos, de quibus in caſu propoſito agitur, non teneri ad exprimendam pravam ſuam intentionem 1. quia eam declarando, inquiunt, diſpenſationem a ſummo Pontifice facilius obtinerent. 2. Quia ſi id eſſet neceſſe; ſequeretur, quod eorum intentio Papæ eſſet reſervata.

(*i*) Lud. Bail. de tripl. exam.

Tutiorem tamen & veriorem exiſtimamus oppoſitam ſententiam; licet enim facilius olim obtinerentur hujuſmodi diſpenſationes, cum ſponſi exponebant, ſe cum cognitione impedimenti matrimonium tamen contraxiſſe & conſummaſſe; contrarium hodie evenit, ex quo conditum eſt a Tridentino Concilio Decretum iſtud (*K*): *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit; quod ſi ignoranter hoc fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit*. Ex quibus verbis manifeſte conſtat, carnalem copulam, quæ ante Concilium Papam

(*K*) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matrim.

inducebat ad diſpenſandum facilius, eumdem nunc ab ea diſpenſatione concedenda avertere; cum Eccleſia agnoverit, Peccutores ea ratione indulgentia ſua abuti. Unde ſequitur, quod, cum pravæ hujus intentionis decluratio Pontificem ſummum poſſit & debeat avertere, ut illius rei magis ſaveat; neceſſario io Libello ſupplici debet explicari; alioqain diſpenſatio ſit ſubreptitiu & invalida. *Ad hoc ut reſcriptum teneat*, inquit Gloſſa (*a*), *uibil debet ſupprimi eu iis, quæ movere poſſunt auimum Principis ad dandum reſcriptum, vel ad denegandum... Et generaliter ubicumque talem veritatem tacuit, vel talem falſitatem expreſſit, qua tacita, vel expreſſa Papa litteras nou dediſſet, reſcriptum inutile ſit.*

(*a*) Gloſſa in Cap *Litteras*. 20. de reſcr. v. *Litteras*.

Addi poteſt etiam, talem diſpenſationem fore obreptitiam nb falſitatem ſupplicationis Pontifici oblutæ: nam ex ordinariis ſupplicationibus, io quibus non exprimitur intentin prava admiſſi inceſtus fertur, ſupplicantes eum ooo admiſiſſe illo animo, ut facilius gratium, quum a Papa requirunt, obtinere poſſint. En ipſarum ſolita verbu: *Exponunt quod ipſi alias ſcieutibus in quarto conſanguinitatis gradn invicem eſſe coujunctos, orator prædictus, uon quidem peccandi data opera, ut crimine admiſſo, hæc cauſſa fore: Sanctitatem veſtram & Sedem Apoſtolicam ad miſericordiam & gratiam erga ipſos faciliores reddendi, ſed ſolum veſana libidine victus oratricem cognovit.* Cum igitur veritati penitus contraria eſſet hujuſmodi nurrutio in caſu propoſito, neceſſario colligendum, diſpenſationem conſequenter obtentam fore non ſolum ſubreptitiam, ſed etiam obreptitiam, & proinde ex utroque vitio nullum juxta formalem Inoocentii III. deciſioneoi his verbis contaniam (*b*): *Super litteris, quæ ab aliquibus ex malitia & a nonnullis ex ignorantia (tacita veritate vel ſuggeſta falſitate) impetrantur a uobis ... ſi ... per hujuſmodi falſitatis expreſſionem vel ſuppreſſionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expreſſa nos nullas prorſus litteras dediſſemus; a delegato non eſt aliquatenus procedendum.* Ita difficultatem iſtam ſnlvit ſacra Congregutio Cardinalium Tridentini Concilii interpretum; ut reſerunt Zerola (*c*), & Navarrus.

(*b*) Innoc. III. in Cap. *Super*. 20. de reſcripti. & ibid. Gloſſ. l. 1. tit. 3. Idem Gloſſ. in Cap. *Quia*. 6. de conſ. & affin. l. 4. tit. 22.

(*c*) Zerola in prax. Epiſc. v. *Diſpenſ*. Navar. Man. cap. 22. num. 86.

Ceterum, idem dicendum, ſi contracto ante obtentam diſpenſationem eo fine matrimonio, in Libello ſuo ſupplici circumſtantiam iſtam non declaraſſent; ut fert expreſſe Tridentinum Decretum, quod modo attuliſmus; & iterum Romam eſſet mittendum, ſi ſupplicationem antevertiſset crimen; uut ad Epiſcopum recurrendum, ſi eam idem crimen excepiſset.

Coofirmuri etium poteſt hæc deciſio ex Conſtitutione Clementis VII. 19. Aug. ao. 1524. (*d*) in qua ea de re mentem ſuam verbis iſtis aperit bic Papa: *Omnibus deuuntiandum, ſeu intimandum duximus*, inquit, *quod impoſterum cum illis, qui iu gradibus prohibitis matrimonia ſcienter contraxeriut, etiamſi illa conſummaverint, nou inteudimus diſpenſare, ſed illa (ſcandalis, quæ oriri poſſe formidaretur, minime attentis) omuino ſeparari mandabimus, abſolutionem dumtaxat petentibus conceſſuri, cum gratia dignus uon ſit, qui canonum conditorem contemnit, illique cum auimæ ſuæ detrimento injuriam facit.* Quod poſtea confirmatum eſt ex alia Cooſtitutione Paulli IV. 15. Decembr. an. 1555. (*e*). Unde ſequitar, quod, cum effectum ſuum ſortiri nequeat gratia, niſi ſecundum iotentionem concedentis; talis diſpenſatio numquam poteſt eſſe valida contra intentionem ſummi Pontificis, a quo ſubrepta eſt.

(*d*) Cap. *Quia perumque*. 2. l. 7. Decret. l. 4. til. 1.

(*e*) ibid.

Denique hactenus dictis addemus Gloſsam (*f*), quæ probat ex multis teſtibus (*g*) Concilii Pictavienſis, Gregnrii IX. & Bonifacii VIII. ad litteram & io ſenſa rignroſo ſumendas eſſe diſpenſationes ambitioſas & odioſas. Atqui diſpenſatio, qualem obtinere Wandregeſillus & Ludovica, procul dubio eſt odinſa; cum Legi deroget u Concilio Oecumenico lutæ & univerſim in Eccleſia acceptæ; atque adeo nnn eſt cenſendu legitima, niſi quatenus conceditur ad ſupplicatinnem, quæ veritutem & eo, quo ab Eccleſia requiritur modo, contineat. Neque eſt, quod quis objiciat, hinc ſeqai, pravam contrahentium iotentiooem Papæ reſervatam iri; neque enim ipſi intentio, ſed indignum reſervatur facinus, cũ adjuncta eſt hæc iutentio & cognitio; quandoquidem ſi iotentioni non eſſet adjuncta actio, hæc noo eſſet in ſupplicatione declarunda (*h*).

(*f*) Gloſſ. in cap. *Ordinarii*. 3 de officio ordinarii in 6. v. *Diſpenſatio*.

(*g*) Concil. Pictav. in cap. *Ut filii*. 2. de filiis preſbyt. ordinand. vel non. l. 1. tit. 17. Greg. IX. in cap. *Dudum*. 54. de elect. & elect. poteſt. ibid. tit. 6. Bonif. VIII. in cap. *Quamvis*. 4. & in Cap. *Non poteſt*. 22. de præb. & dignit. in 6. l. 3. tit. 6.

(*h*) Covarruvias. de Gener. Colleq. Lucae. De Statu Beure.

CASUS VII.

Gaspardus, conſcius impedimenti dirimentis inter ſe & Martinam, quod ipſa ignorabat, ei tamen nupſit. Aliquanto poſt Romæ diſpenſatiooem io requirens io ſupplicatione ſua Papæ expoſait, ambos ignorare impedimentum, quo ad matrimonium contrahendum fiebaot iohabiles. Nom valida eſt diſpeoſatio ad talem expoſitionem obtenta?

RESPONS.

Quamvis Martioæ ignotum eſſet impedimentum illud dirimens, cum ei nupſit Gaſpardus; vere ſemper uffirmari poteſt, ſupplici Libello, quem Papæ obtulit, manifeſtam contineri falſitatem, cum ambobus non ignotum eſſet impedimentum, ſed Gaſpardo penitus cognitum. Quare nullum videsur eſſe dabium de iovaliditate diſpenſationis, quam ud tulem expoſitiooem is obtinuit.

Deciſionem iſtam affert Nuvarrus (*i*), eaque nititur regala ab Alexandro III. (*K*) ad Cantuarienſem Archiepiſcopum ſcribente, conſtituta, qua declarat, in omnibus Curiæ Romanæ reſcriptis ſubintelligendam eſſe iſtam conditionem: *ſi preces veritate nitantur*; licet in iis non ſit expreſſa: qua in re differt jus Caooo icum u legibus civilibus (*l*), quæ conditionem iſtam numquam ſupponunt, niſi verbis expreſſis enuntietur. Idem quoque aſſerit Bonifacius VIII. (*m*) cum Alexandro III. Quocircu, cum falſa ſit Gaſpardi expoſitin; neceſſario quoque ſequitur, obreptitiam eſſe diſpenſationem, & ipſi proinde ioutilem, ut ipſe ſit extra culpam, ipſiuſque ſalſo babitum Matrimonium in integrum reſtituutur.

(*i*) Navarr. l. 4. conſil. de conſang. & affin. conſil. 12.

(*K*) Alex. III. in cap. *Ex parte*. 2. de reſcript. lib. 1. tit. 3.

(*l*) L. ult. cod. de diverſ. reſcript.

(*m*) Boniſac. VIII. in cap. *Si motu*. 23. de præb. & dign. in 6.

CASUS VIII.

Noailius & Daniela, in quarto grado affines, Matrimonio jungi inter ſe cupientes, Romam mittunt, & in oblata Papæ ſupplicatione exponunt, tam familiariter tamque frequenter ſe ſe coluiſſe, ut niſi perficeretur Matrimonium ſuum, ex boc frequenti uſo ac familiaritate infamaretur Daoiela. Id tamen certum eſt iſtam inter eos non interceſſiſſe conſuetudinem, oiſi poſtquam Romam miſerunt, & ante dutam obtentæ diſpenlutionis ſuæ, aut ſaltem aote ejus recognitinuem ab Officiali ſactam. Numquid legitima eſt hujuſmodi diſpenſatio?

RESPONS.

Diſſentiunt inter ſe Auctores de hac difficultate. Multi namque apud Sanchez (*n*), qui eorum ſequitur opiniooem, contendunt, reſcriptum eſſe obreptitium, ſi cauſſa in libello expoſita, ipſius datæ tempore veritati non ſit conformis, & oituntur 1. Decretali Innocentii III. (*o*) ad Canonicum Pictavienſem, in qua ſic loquitur. *Nos igitur inter eos, qui per fraudem vel malitiam, & illos qui per ſimplicitatem vel ignorantiam litteras a nobis impetrant, hujuſmodi eredimus diſcretionem adhibendam; ut hi, qui priori modo falſitatem exprimunt, vel ſupprimuut veritatem, in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequantur.* Similem Bonifacius VIII. emiſit conſtitutionem de iis, qui de Beneficio proviſi alterum requiruot, priori non declarato; & io hoc caſu ſecundam eorum proviſionem invalidam declarat (*p*). Hunc denique expreſſius mihi ſolvere videtur difficultatem hic Papa (*q*): declarar enim petitam a ſe gratium eſſe invalidam; quiu allegatu ſibi cauſſa ad illam obtinendam non erat vera tempore dati reſcripti, quo fuerat concaſſa.

(*n*) Sanch. de matrim. L. 8. diſp. 30. & alii apud eum.

(*o*) Innoc. III. in Cap. *Sup.*

(*p*) Boniſac. VIII. in Cap. *Si motu*. 23. de præb. & dign. in 6.

(*q*) Idem in Cap. *Si eo temp.* 6. de reſcript. in 6.

Conteodont tumen alii Auctores, ſatis eſſe, quod legitima ſit diſpenſatio, ut ratio in ſupplicatione enuotiata ſit vera, cum reſcriptum executinni mandat Officialis. Ita ſentit Pyrrhus Corradus, hac in re verſatiſſimus (*r*), ſuamque probat ſeotentiam diſtinctione adhibita inter diſpenſationes iu *forma gratioſa* conceſſas, & diſpenſationes, quæ ſunt *in forma commiſſoria*. Priores, inquit, ſunt gratiæ conſummatæ; quales nimirum vulgo

(*r*) Pyrrhus Corrad. lib. 7. c. 26.

aote

ante Concilium Tridentinum concedebant Papæ: quare omnino neceſſe erat, ut enuntiatæ ſibi cauſſæ veritati eſſent conſentaneæ tempore datæ diſpenſationum, ut patet ex allatis Decretalibus: ſed diſpenſationes in forma commiſſoria non ſunt hujuſmodi; ſunt enim potius mandata, quibus fit poteſtas & juſſio diſpenſandi, quam veræ & reales diſpenſationes: unde ex hac ratione conjiciendum, hanc eſſe Papæ intentionem, ut iis fruantur impetrantes: modo delegatus Officialis ad cognoſcendam expoſitæ rei veritatem eam talem inveniat, tum cum reſcriptum exſequitur.

Utrique opinioni ſua non deſunt argumenta; id tamen in confeſſo eſt, priorem in conſcientiæ foro eſſe tutiorem, quia Papæ intentioni magis videtur eſſe conformis, quam poſterior. Priorem quoque anteponit alteri, quam tamen non damnat, eruditus Colloquiorum Luconenſium Editor (*a*); fatendo, poſteriorem hanc ad praxim redigi poſſe, adhibita, quam ſuadet Corradus, cautione. *Tutius eſt nihilominus*, inquit .... *ſtare opinioni Pyrrhi Corradi, qui vult, ut prorogatur diſpenſationis exſecutio* (*b*), *donec in Curia Romana obtentum fuerit perinde valere*. Atque viam hanc ſequi tenentur Nobilius & Daniela in caſu propoſito; ne ullo moveantur ſcrupulo, omneque declinent peccati diſcrimen.

(*a*) Colloq. Lucon. t. 9. Colloq. 10. q. 2. pag. 506.

(*b*) Pirrhus Corrad. l. 8. c. 2. num. 37.

CASUS IX.

Bartoldus & Anna, in quarto gradu conſanguinei, in libello ſuo ſupplici impedimentum quo ligabantur, Papæ declararunt, illiuſque relaxationem Matrimonii contrahendi cauſſa poſtulavere. Poſt dies aliquot ab obtenta diſpenſatione inceſtum una commiſere. Poſſunt ne tuta conſcientia diſpenſatione ſua uti, licet in illa de hoc crimine nulla fiat mentio?

Respons.

Advertendum ſtatim, ut diximus in ſuperiori deciſione, duplici ratione a Summo Pontifice diſpenſationem obtineri poſſe: nam eam concedit vel *in forma gratioſa*, abſolute & immediate per ſe ipſum diſpenſando; vel *in forma commiſſoria*, reſcripti ſui exſecutionem impetrantium Epiſcopo, ejuſve Officiali committendo: quam duplicem rationem diſpenſandi approbat Tridentinum Concilium his verbis (*c*): *Diſpenſationes quacumque auctoritate concedendæ ..... committantur Ordinariis illorum qui eas impetraverint: eæ vero quæ gratioſe concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi prius ab eiſdem tamquam delegatis Apoſtolicis, ſummarie tantum & extrajudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces ſubreptionis, vel obreptionis vitio non ſubjacere*.

(*c*) Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 5. de refor.

His ita præſuppoſitis reſpondemus, quod ſi per ſe ipſum & gratioſe Bertoldum & Annam Papa diſpenſaverit, valida eſt diſpenſatio: licet impetrantes ſimul peccaverint poſt illam obtentam, & nondum Epiſcopo, aut Officiali oblatam: modo 1. non ſit aliunde ſubreptitia vel obreptitia. 2. Modo terminis abſolutis enuntietur, nec adjuncta fuerit iſta, quæ reſcriptis Romanis ſolet apponi, clauſula: *modo inter eos copula non intercesſerit*: nam ſi eſſet appoſita, tum invalida foret diſpenſatio. Ideo autem validam eſſe aſſerimus diſpenſationem a Papa immediate ac per ſe ipſum conceſſam; quia tum Officialis auctoritate Summi Pontificis eam exſecutioni non mandat; eique tantummodo offertur diſpenſatio, ut cognoſcat, utrum nulla ſubſit obreptio aut ſubreptio; hoc eſt, utrum nihil falſi fuerit in ſupplicatione enuntiatum, aut eorum, quæ dicenda erant, omiſſum.

Si vero diſpenſatio ſecundo modo, hoc eſt, in forma tantum commiſſoria fuerit conceſſa; exiſtimant quidam Auctores, eam non fieri invalidam ex inceſtu ab ejus obtentione commiſſo, licet eam nondum cognoverit, aut exſecutioni mandarit Officialis; quia, inquiunt, vere ſemper affirmari poteſt, hanc diſpenſationem non eſſe ſubreptitiam; cum in ſupplicatione contineantur ea, quæ a contrahentibus erant declaranda, nec dum crimen admiſerant, cum eam Papæ dederunt. Ita ſentit Auctor Colloquiorum Luconenſium cum Zerola, quem laudat (*d*). Alii contra volunt invalidam in hoc caſu fieri diſpenſationem, eamque ratam habere non poſſe Officialem, donec ab impetrantibus obtentum fuerit alterum reſcriptum, quod dicitur *perinde valere*. Ita inclytus Pirrhus Corradus, ſtilo praxique Curiæ Romanæ ductus, nec non expreſſa Congregationis Concilii Tridentini a Pio IV. 2. Auguſt. anno 1564. inſtitutæ & a Sixto V. confirmatæ (*e*) declaratione. Sic etiam Du Caſſe, Auctor eo magis fide dignus, quod Condomi Vicarius Generalis & Officialis hujuſce rei peritiſſimus eſset (*f*). In eamdem quoque ſententiam abit Sylvius (*g*): *Ut autem Bulla mandari poſſit exſecutioni*, inquit hic Theologus, *oportet caſum, qui in ea proponitur, manere invariatum, quoad uſque ipſa ſit exſecutioni mandata. Quare iſta Clauſula*: ſi preces veritate nitantur, *non ſolum refertur ad tempus petitionis ſupplicantium & conceſſionis Pontificis, ſed etiam ad tempus exſecutionis, quaſi diceret Pontifex*: Si preces *tunc veritate nitantur, quando ipſe concedit, & quando ſua conceſſio mandata erit exſecutioni*. Probari poteſt hæc ſecunda opinio ex eo, quod in hoc caſu non abſolute & proprie loquendo diſpenſet Papa, ſed diſpenſandi ſuo nomine Officiali concedat poteſtatem: quod quidem præſtare nequit Officialis, niſi conformiter ad intentionem Papæ, & ad conſtantem Romanæ Curiæ uſum; ex quo ad validitatem diſpenſationis libidinoſum, quod inter partes interceſſit, commercium eſt enuntiandum.

(*d*) Colloq. Lucon. tom. 5. colloq. 10. q. 2. p. 506.

(*e*) Pius IV. in Bulla *Alias*. Sixt. V. in Bulla *Immenſa* 74. in Bullar. Magno pag. 111.

(*f*) Du Caſſe praxis juriſd. Eccl. volont. & content. 2. Part. pag. 131.

(*g*) Sylv. reſ. var. v. *Diſpenſatio*. 7.

Concludimus igitur, Bertoldum & Annam ex diſpenſatione ſua legitimum non poſse contrahere matrimonium, antequam Romæ *perinde valere* obtinuerint ad novum ſupplicem libellum, in quo ſuam declarent libidinem. Id ad coſcientiam tutius, quamvis non abſolute neceſsarium, putat Auctor colloquiorum Luconenſium.

CASUS X.

Carolomannus, nuptias inire cupiens cum Henrica Joannæ ſorore, cujus eſt affinis, quod cum Joanna libidinoſe egerit, Romam recurrens neceſsariam obtinet diſpenſationem, quam ad Diœceſanum Papa ſcribit Officialem, cui illam exſecutioni mandare jubet, modo vera ſit orantium ſupplicatio. Reſcriptum ſuum Officiali Carolomannus offert, ſed ante diſpenſationis exſecutionem cum Joanna in idem ſcelus reincidit. Quæritur; utrum poſtea diſpenſationem hanc adhibere poſſit ad validum cum Henrica matrimonium contrahendum, quin nova indigeat diſpenſatione, ſeu *perinde valere*; ob novum quod admiſit, ab obtenta priori diſpenſatione, facinus?

Respons.

Si ex reſcripto, quod obtinuit Carolomannus expreſſis verbis declaratur invalidam fore in caſu recidivæ diſpenſationem, certum eſt, quod ea uti nequeat ad nubendum Joannæ, cum in crimen iterum prolapſus fuerit a data reſcripti & ante ejus exſecutionem: ſed ſi hæc non adſit clauſula, illa poteſt uti tuta conſcientia; quia cum immediate & per ſe ipſum Papa non diſpenſat, ſed diſpenſandi onus Officiali mandat, diſpenſatio non cenſetur perfecta & conſummata, niſi poſtquam exſecutioni illam mandavit Officialis. Ratio eſt, quia in hoc ſecundo caſu, quando petitur relaxatio impedimenti *ex illicita copula*; non tenetur Orator numerum fornicationum, quas commiſit, deſignare; ut is qui in irregularitatem incurrit, ex eo quod cenſura ligatus celebraverit, ad obtinendam diſpenſationem in ſua ſupplicatione, non tenetur exprimere quoties in cenſura celebraverit (*h*).

Difficultatem iſtam ita ſolvit Sanchez (*i*), hac in re, ſi quis umquam, verſatiſſimus. En ejus verba: *Hinc deducitur, ſi obtenta Pontificia diſpenſatione in affinitate, antequam Ordinarius eam exſequatur, impetrans iteraret copulam cum eadem conſanguinea feminæ a ſe ducendæ, valere adhuc diſpenſationem; quia nondum conſummata eſt diſpenſatio in affinitate, ſed Ordinarius virtute mandati Apoſtolici diſpenſare debet. Atque copula hæc non augit affinitatem nec novum aliquem ejus gradum*

(*h*) De Sainte Beuve tom. 2. caſ. 13.

(*i*) Thom Sanchez de matrim. diſp. 24. de diſpenſ. num. 2.

Digitized by Google

producit, ſed eademmet affinitas manet, in qua diſpenſari committitur Ordinario: Secus eſſet ſi accederet copula, poſt quam jam diſpenſavit Ordinarius. Ita etiam ſentit Corradus, & aſſerit, hunc eſſe univerſum Curiæ Romanæ uſum: ut indicant hæc ejus verba: *Non indigent*, inquit (*a*), *nova diſpenſatione reſpectu poſterioris ac reiteratæ copulæ; & iſta eſt notoria praxis & obſervantia, quæ numquam contrarium admiſit, ſicut fatentur omnes antiqui Curiales*, Addit denique Auctor ille, cui ſupplicationum, & reſcriptionum Apoſtolicarum expeditionis examen commiſerat Papa, ſic Sacram Congregationem Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum; in iis quæ ad diſciplinam moreſque pertinent, declaraſſe 22. Januar. an. 1606. ut refert Barboſa (*b*). *

(*a*) Pirrhos Corrad. prax. diſp. Apoſt. l. 8. c. 3. n. 18.

(*b*) Auguſt. Barb. in collect. Bull. v. *Diſpenſationis Litteras*. fol. 227.

* Reſponſionem ad hunc caſum penitus & relative ad reſponſionem ad Caſum præcedentem allatam examinanti aliqua forſitan ſuborietur difficultas,

CASUS XI.

Ascanius & Livia in Curia Romana diſpenſationem impedimenti affinitatis obtinuere, cum in ſupplici Libello expoſuiſſent: 1. Se una fornicatos fuiſſe. 2. Si exoratam recuſaret Papa diſpenſationem, Liviam fore infamatam, & abſque ſpe alterius conjugii. 3. Id quidem certum eſt, eos ſimul non peccaſſe, quamvis allatæ duæ aliæ rationes veræ ſint propter violentam ſuſpicionem nimiæ eorum familiaritatis. Qua de re quæritur, utrum Officialis ad quem miſſum eſt reſcriptum, ratum illud habere queat, ſi ad jusjurandum adacti falſam eſſe priorem rationem affirment, modo aliæ duæ veritati ſint conformes; hoc eſt; modo is ſit publicus rumor eos ſimul peccaſſe, & grave re ipſa ſit ſcandalum, & tam validis fultum conjecturis, ut de fama ſua periclitetur Livia, niſi ſequatur matrimonium?

RESPONS.

Officialis juxta ſententiam Sylvii, Aſcanii & Liviæ reſcriptum approbare poteſt, quamvis allegata in eorum libello prima ratio ſit falſa. *Cum ad obtinendam diſpenſationem allegantur plures cauſſæ*, inquit Sylvius (*c*), *quamvis una earum ſit falſa, alia ſit tamen vera; neque talis, ob quam (etiamſi eſſet ſola) Summus Pontifex diſpenſaret, ſeu diſpenſare ſolet, diſpenſatio ſic conceſſa eſt valida*. Idem docuerat Navarrus in una ex ſuis Deciſionibus (*d*): *Quando in aliquo libello*, inquit ... *ponuntur multæ cauſſæ, etiam copulative, quæ omnes non ſunt de jure neceſſariæ ad operandum effectum; ſufficit, ut una illarum quæ illum operari poteſt, ſit vera, juxta Gloſſam & ea quæ latiſſime adducit Felinus ſuper eo*. Atqui ex tribus ab Aſcanio & Livia allegatis rationibus duæ poſtremæ ſunt veræ; cum rumor publicus ſcandalum pariat & Liviæ famæ labem inurat, quæ ex hoc jam maritum non reperiet; quas ob ſolas cauſſas Papa vulgo diſpenſationes hujuſmodi ſolet concedere, licet Oratores nullius ſint conſcii nefandæ libidinis. Ita ſentit non ſolum Sylvius, ſed & octo alii Auctores, quos laudat in deciſione ſimilis difficultatis ab ipſo data 27. Octobr. an. 1636.

(*c*) Sylvius reſol. var. v. *Diſpenſatio*.

(*d*) Nav. Lib. 3. conſ. de reſcr. conſ. 7.

Contrarium tamen ſentiunt alii Auctores, & in primis Pirrhus Corradus (*e*), qui dicit: *In diſpenſationibus autem in quibus pro cauſſa narratur, inter Oratores ſecutam fuiſſe carnalem copulam ſive illius ſuſpicionem; ac propterea, niſi Matrimonium contraheretur, oratrix remaneret diffamata, ſcandalaque inde exoritura eſſent; abſque dubio requiritur, omnia hæc fuiſſe vera tempore impetrationis*. Quare, cum hic Auctor Cancellariæ Romanæ Curialis eſſet in diſpenſationum materia apprime verſatus, de quibus Tractatum *in folio* in decem Libros diviſum conſcripſit; exiſtimamus, ſtandum eſſe ipſius ſententiæ, & eo potiori jure, quod agatur de validitate diſpenſationis, & proinde Matrimonii: quæ res eſt maximi momenti.

(*e*) Pyrrhus Corrad. prax. diſp. Apoſt. l. 7. c. 6. n. 33.

CASUS XII.

Crescentius & Julia, conſanguinei ſeu affines in quarto gradu, nubere ſimul cupientes, diſpenſationem conſanguinitatis, aut affinitatis in tertio gradu obtinuerunt, cum bona fide gradum hunc pro quarto in libello ſuo expoſuiſſent. Num valet eorum diſpenſatio?

RESPONS.

Ex hac diſpenſatione validum ſit Creſcentii & Juliæ Matrimonium. Ratio eſt, quia Papa qui in tertio gradu diſpenſavit, præſumitur in remotiore diſpenſare voluiſſe juxta Juris regulam: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari* (*f*). Quod etiam cum iſta conſentit: *Non debet ei, cui plus licet, quod minus eſt, non licere* (*g*): & iſta alia: *In eo quod plus ſit, & ſemper ineſt minus* (*h*).

(*f*) Reg. 15. de reg. juris in 6.

(*g*) L. Non debet. 21. ff. de div. reg. juris ant. lib. 50. tit. 17.

(*h*) L. in eo 90. ff. eod. tit.

Confirmari poteſt hæc ſententia ex comparatione gratiæ a Papa obtentæ ad poſſidendum Beneficium, cui ſuppoſitum eſt, annexam eſſe animarum curam, quodque poſtea ſimplex eſſe Beneficium repertum eſt; nam ex eo errore non invalidatur gratia; contra vero præſumendum eſt, Papam facilius eam conceſſurum fuiſſe pro Beneficio ſimplici, quam curato. Ita Covarruvias.

CASUS XIII.

Aufridus, & Lucia, conſanguinei; unus in tertio gradu, & altera in quarto, nuptias ſimul contrahere cupientes, neceſſariam impedimenti ſui diſpenſationem a Papa requiſierunt: at in libello ſuo non enuntiatis duobus gradibus, hoc unum declararunt, ſe in quarto gradu eſſe conſanguineos. Quæritur, utrum obtenta ex hoc libello diſpenſatio in foro conſcientiæ valeat?

RESPONS.

Legitima eſt Aufridi & Luciæ diſpenſatio, qua proinde in caſu propoſito uti poſſunt. Ratio eſt, quia ad validitatem diſpenſationis ſufficit, ut exprimatur gradus remotior, cum enim unus gradus a communi ſtipite eſt alio remotior, computandi ſunt gradus, quibus diſtat remotior ab illo ſtipite, ac remotiorem in ſupplicatione narrare ſufficit, ut docet Panormitanus (*i*), & poſt ipſum Cardinalis Toletus (*K*), qui laudato celebri illo Canoniſta dicit: *Si aliqui ſint in quarto* (gradu) *ex una parte, ex altera in ſecundo, vel tertio, & petatur diſpenſatio a Papa pro quarto, non narrato gradu propinquiori ...., tenet diſpenſatio; nam illi vere ſunt in quarto*. Eamdemque, quam ſuperius attulimus, hujuſce rei cauſſam profert hic Auctor; ſcilicet, cum Oratores diverſis conſanguinitatis gradibus ſunt conjuncti, remotioris tantum habenda eſt ratio; ut declarat Gregorius IX. his verbis (*l*): *Vir, qui a ſtipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere diſtat quinto, ſecundum regulam approbatam, qua dicitur; quoto gradu remotior differt a ſtipite & a quolibet per aliam lineam deſcendentium ex eodem, licite poſſunt matrimonialiter copulari.*

(*i*) Panorm. in c. Quod. Lect. 3 de conſ. & affin. n. 6.

(*k*) Tolet inſtruct. Sacerd. l. 7. c. 9.

(*l*) Greg. IX. in cap. Vir ſin. conſ. & affin. lib. 4. tit. 14.

Obſervandum tamen. 1. quod ſi ex tali Matrimonio immineret ſcandalum, aut res ad forum externum eſſet deducta; tum neceſſario obtinenda eſſet diſpenſatio, in qua propinquioris gradus fieret mentio, ut promulgari, ſuumque poſſet ſortiri effectum. 2. Quod ſi gradus propinquior eſſet primus, & remotior tertius, aut quartus lineæ indirectæ ſeu collateralis; primi illius gradus neceſſario habenda eſſet mentio in libello; alioquin irrita foret diſpenſatio, ut docet Pyrrhus Corradus.

Hactenus dicta Sylvii doctrinæ his verbis contentæ congruunt (*m*): *Si autem unus ſit in quarto & alter in ſecundo, ſufficit ad valorem diſpenſationis, quod in ſupplicatione exprimatur quartus; ſed tamen impetrandæ ſunt litteræ declaratoriæ circa gradum propinquiorem, ut conſtituit Pius V. an. 1566. in Bulla, quæ incipit:* Sanctiſſimus; *ſi nimirum vel eſt ſcandali periculum, vel res ad forum externum ſit deducta: ſi vero gradus propinquior eſſet primus remotior, & remotior ſecundus, tertius, vel quartus, non valeret diſpenſatio; ſi ad eam impetrandam ſolius remotioris fieret mentio;*

(*m*) Sylvius in Sum. S. Th. q. 54. art. 4. in fin.

quin

Digitized by Google

quin idem Pius requirit expreſſionem propinquiori in iſto caſu (*a*).

(*a*) Pius V. in Bulla *Sanctiſſimus*. 23 data die 22. Aug. 1566.

CASUS XIV.

Exsuparius cum Helena, conſanguinea ſua in tertio gradu, nubere cupiens, Campſori Commendatarios ſuppeditavit, in quibus continebantur utriuſque nomina, gradus prohibitus, in quo ſunt, juſtæque eorum rationes ad requirendam a Papa diſpenſationem: Campſor, compoſito miſſoque Romam ipſorum libello, in eo quartum gradum pro tertio per errorem enuntiavit. Numquid obtenta diſpenſatione illa uti poteſt Exſuperius ad contrahendum cum Helena; licet pro quarto gradu ſolo Campſoris errore fuerit impetrata?

Ad validitatem hujuſce diſpenſationis iſtæ aſferri poſſunt rationes. 1. quia certum eſt, eam pariter pro tertio, uti pro quarto gradu conceſſurum fuiſſe Pontificem ob æquiſſimas, potentiſſimaſque rationes, quæ libello eorum continentur. 2. Quia non æquum videtur, invalidam fieri diſpenſationem ex ſola Campſoris imprudentia, & contra de ea idem ferendum eſſe judicium uti de inſtrumento publico, in quo Notarius illud ſcribens erraſſet, quod tamen foret validum juxta iſtam juris regulam: *Si librarius in transſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, nihil nocere, quominus & reus & fidejuſſor teneventur* (*b*).

(*b*) Reg. 92. ff. de div. reg. juris ant.

Respons.

Inutilis fit Exſuperio ad contrahendum cum Helena hujuſmodi diſpenſatio, ut probat Conſtitutio Bonifacii VIII. in re ferme ſimili (*c*), in qua declarat hic Papa, ſubreptitiam eſſe gratiam, cum in libello ea omnia non fuere expreſſa, quæ erant declaranda; ſeu ex parte ſupplicantis, ſeu ex alio oriatur omiſſio. *Si ad petitionem illius vel alterius pro eo oblatam gratiam hujuſmodi facimus*, inquit hic Papa, *ipſam jam velut ſubreptitiam vires nolumus habere*. Quod confirmari poteſt ex Gloſſa in Decretalem Gregorii IX. cujus hæc ſunt verba (*d*): *Ex hoc patet, quod ſimplicitas vel ignorantia non prodeſt circa hujuſmodi Litteras impetrandas. Immo ad hoc ut reſcriptum teneat, nihil debet ſupprimi ex iis, quæ movere poſſunt animum Principis ad dandum reſcriptum vel denegandum*. Ob eam quoque cauſſam edicit Concilium Tridentinum (*e*), ne cujuſpiam reſcripti excuſationem permittant Ordinarii, niſi poſtquam illius narrationem veram eſſe penitus cognoverunt. *Diſpenſationes quacumque auctoritate concedendæ, ſi extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint: eæ vero, quæ gratioſe concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi prius ab eiſdem, tamquam delegatis Apoſtolicis, ſummariæ tantum & extrajudicialiter cognoſcatur expreſſas preces ſubreptionis vel obreptionis vitio non ſubjacere*. Fruſtra igitur heic affertur Notarii paritas: id enim de iis tantum rebus debet intelligi, quæ non ſunt neceſſariæ, qualis eſt in caſu propoſito tertii gradus expoſitio (*f*).

(*c*) Bonifac. VIII. in Cap. *Si motu*. 23. de Præb. 3. 6. l. 6. t. 4.

(*d*) Gloſſa in Cap. *Litteris*. 39. de reſcript. verſ. *Litteras*.

(*e*) Concil. Trid. ſeſſ. 22 de reform. Cap. 5.

(*f*) De Gener. Theol. Mor. t. 4. num. 2. 22. 9. c. 7. dam. 3.

CASUS XV.

Pomponius, fornicatus cum Joanna Dubois ſibi in ſecundo gradu affine, quæ nata in Parœcia ſancti Leopoldi ibidem habitat, Romam miſit ad obtinendam neceſſariam matrimonio ſuo diſpenſationem, quam re ipſa obtinuit: ſed, cum loco Joannæ, Annæ nomen ſupplici libello Campſor appoſuerit, eumdem hunc defectum continet diſpenſatio. Qua de re quæritur, utrum ex hoc errore invalidum fiat reſcriptum neque illud approbare queat Officialis, ad quem a Papa ſcriptum eſt; præſertim ſi ſibi conſtet, nullam eſſe in Parœcia ſancti Leopoldi puellam vel mulierum, quæ cognomine Dubois dicatur?

Respons.

Certum eſt regulariter loquendo, manifeſtum circa nomina errorem in libellis oblatis, defectum eſſe eſſentialem, quo reſcriptum fit irritum ex ſtilo praxique Romanæ Cancellariæ, ut teſtatur Corradus (*g*). Quia niſi eſſentialis haberetur hic defectus, hinc innumeræ poſſent oriri fraudes; & gratiæ iſtis conceſſæ in aliorum converterentur utilitatem, qui eas non impetraſſent, nec etiam poſtulaſſent.

(*g*) Pyrrhus Corrad. prax. diſpen. Apoſt. l. 7. c. 5.

Exiſtimamus tamen, id ſolum eſſe intelligendum; quando talis eſt error in nomine, ut certa nequeat eſſe perſona, cujus nomen aut immutatum, aut corruptum fuerit: quocirca, ſi conſtat aliunde, hanc perſonam, potius quam aliam, vere fuiſſe diſpenſatam; ex tali errore non debet impediri diſpenſationis exſecutio neque effectus. Atqui in caſu propoſito certa eſt perſona; quandoquidem in ſupplicatione Campſor exponit, Joannam, quam Annæ nomine appellat, in Parœcia ſancti Leopoldi natam ibi habitare, eamque ſolam in dicta Parœcia cognomine Dubois vocari; unde præſumendum eſt, gratiam Joannæ, quæ per errorem dicta eſt Anna, vere fuiſſe conceſſam.

Deciſionem hanc adſtruit iſta Juſtiniani Imperatoris regula (*h*). *Si quis in nomine; cognomine, prænomine, agnomine legatarii teſtator erraverit, ſi de perſona conſtat, nihilominus valet: idemque in heredibus* (inſtituendis) *ſervatur, & recte. Nomina enim ſignificandorum hominum gratia reperta ſunt, qui ſi alii quolibet modo intelligantur, nihil intereſt*. Idem aſſerit Lex alia Codicis his verbis (*i*): *Si in nomine, vel prænomine, ſeu cognomine, ſeu agnomine teſtator erraverit, nec tamen de quo ſenſerit, incertum ſit; error hujuſmodi nihil efficit veritati*. Eſt & alia Lex, quæ eamdem ſtatuit regulam (*K*): *Error autem nominum in ſcriptura factus*, inquit Antoninus Imperator in hac Lege, *ſi modo de mancipiis vel poſſeſſionibus legatis non ambigitur, jus Legati dati non minuit*. Si ergo heredi aut legatario noxius eſſe nequeat error in nomine, nec impedire poſſit, quo minus delatam ſibi hereditatem aut factum legatum ſuſcipere valeat, cum certa eſt teſtatoris intentio de ejus perſona: pari ratione dicendum, errore nominis numquam vitioſam fieri diſpenſationem, quando certa eſt perſona cui conceſſum eſt reſcriptum. Ita ſentit Auguſt. Barboſa (*l*) in ſuo Commentario in Decretales, qui aliorum quamplurium Auctorum teſtimonia pro ſe appellat. Ita etiam Cabaſſutius, cujus hæc ſunt verba (*m*): *Error nominis aut falſa demonſtratio, quæ contingere facile poſſunt in ſupplicationibus, non officiunt, modo ſatis de re vel perſonis conſtet*. Quod confirmat ex tribus Digeſtorum Legibus, quæ, ut a nobis laudatæ, cum difficultate propoſita quamdam habent cognationem (*n*).

(*h*) Inſtit. l. 2. tit. 20. *Si quis*. 29. de Legat.

(*i*) Leg. Si in homine. 4. Cod. de teſtamen. l. 6. tit. 23.

(*k*) L. Si Fortidianum. 7. Cod. de Legat. tit. lib. tit. 37.

(*l*) Aug. Barb. in Cap. *Significante*. 34. de reſcr.

(*m*) Jo. Cabaſ. jur. can. theor. & pr. l. 2. c. 21.

(*n*) L. *Falſa* ff. de condit. & demonſtr. L. 1 *Patronatus*. §. 2. ff. de Legat.

CASUS XVI.

Odilo, Diœceſanus Senonenſis, obtenta diſpenſatione ad nubendum Victoriæ conſanguineæ ſuæ in tertio gradu ex eadem Diœceſi, advertit, reſcriptum ad Officialem Silvanectenſem fuiſſe ſcriptum quia Campſor in ſupplicatione, *Silvanectenſis* pro *Senonenſis* ſcripſerat. Numquid ex eo defectu irritum ſit reſcriptum, neque illud exſecutioni mandare poteſt Officialis Silvanectenſis?

Respons.

Ex eo defectu invalidum fit reſcriptum, ita ut jam illud exſecutioni demandare nec poſſit, nec debeat Officialis Silvanectenſis. Ratio eſt, quia ex ſtilo, uſu & intentione Romanæ Cancellariæ, Officialem Diœceſanum contrahentium tantum committere intendit Summus Pontifex, idque conformiter ad Decretum Concilii Tridentini, in reſponſionem ad decima quartam difficultatem ſuperius allatum. Addendum inſuper, quod cum in diverſa Diœceſi nati ſunt poſtulantes, ambo in libello ſunt exprimendi; quia ex conſtanti Cancellariæ praxi & intentione Papæ in hoc caſu ſemper reſcriptum dirigitur ad Officialem Diœceſanum mulieris; ut ab ipſo ſolo exſecutioni mandetur (*o*). Igitur Romam remittere omnino tenetur Odilo, aliamque obtinere diſpenſationem Officiali Senonenſi ſcriptam, ut Victoriæ poſſit nubere.

(*o*) De Coſſe prax. juriſd. Eccl. cont. c. 4. n. 4.

CASUS XVII.

Hilarius, Marthæ Balduini uxori promiſit, ſe ei nupturum, ſi moreretur vir ejus; ac deinde cum ea libidinis commercium habuit, ex

quo

Digitized by Google

quo genitus eſt puer, quem ſuum eſſe exiſtimat, & quem e ſacro Baptiſmi fonte ſuſcepit: deinde Marthæ nupſit nulla obtenta diſpenſatione; qua de re quæritur, quid Hilario ac Marthæ faciendum ſit, ut conſcientiæ ac ſaluti ſuæ provideant?

R e s p o n s.

1. Suppoſitum illud Matrimonium eſt invalidum ob duplex impedimentum dirimens, quo ad matrimonium ſecum invicem contrahendum fuere inhabiles. Primum eſt impedimentum criminis, in adulterio commiſſu poſitum, adjuncta futuri Matrimonii, vivo Balduino, promiſſione. Secundum eſt impedimentum affinitatis ſpiritualis, quam cum Martha coutraxit Hilarius, ejus puerum e ſacro fonte Baptiſmatis ſuſcipiendo: unde ſequitur, quod primum a ſe invicem quoad thorum ſint ſeparandi, donec duplici obtenta diſpenſatione duplicis illius impedimenti, de novo contraxerint.

2. Cum impedimentum affinitatis ſpiritualis ſit publicum, ut ſupponitur, ad Datariam Romanam ad obtentionem diſpenſationis ſuæ debent recurrere, ac in libello ſuo ſupplici propria nomina & cognomina, uti nomen pueri ab Hilario ſuſcepti exprimere.

3. Cum impedimentum criminis ſit occultum, ad Pœnitentiariam recurrere debent, ut cum iis in eam rem diſpenſetur; quin tamen neceſſe ſit, ut in miſſo libello nomina ſua deſignent; ſed ante ab iis obtinenda eſt diſpenſatio de affinitase ſua ſpirituali, quam in ſupplicatione ſua ad Pœnitentiariam declarare tenentur; aut ſaltem, ſi primum de crimine diſpenſari poſtulant, addant inſuper ſe ſpiritualis affinitatis impedimentum contraxiſſe, eo modo quo ſupra proponitur.

4. Obtentam diſpenſationem ſuam in Pœnitentiariæ Tribunali debent ei offerre, ad quem fuerit directa, hoc eſt, ad Confeſſarium ab Ordinario approbatum, ac Theologiæ, juriſve Canonici Doctorem, quem eligere magis libuerit, quique diſpenſationem in foro dumtaxat Pœnitentiæ exſecutioni mandare poterit: quod vero ad diſpenſationem affinitatis pertinet, neceſſe eſt etiam, ut ab eis illi offeratur, ad quem ſcripta erit, ut illam juxta ſolitam Eccleſiæ formam exſecutioni mandet.

5. Sed quia Epiſcopi quidam de occulto criminis impedimento diſpenſandi poteſtatem præſcripſere, ſi inter eos annumeraretur eorum Epiſcopus, a quo ante aut poſt matrimonii ſui celebrationem tali modo fuiſſent diſpenſati; ſatis eſſent, ut in Dataria de impedimento affinitatis ſpiritualis diſpenſationem impetrarent.

6. Denique, quod ſpectat ad puerum ex adulterio ſuo genitum *conſtante matrimonio*, cum Balduini cujus putatur filius, hereditatis particeps eſſe debeat, in legitimorum ejus puerorum aliorumve heredum injuriam, omni, quam ipſis ſuggeret Chriſtiana prudentia, ratione conari tenentur, ne quid in hereditate Balduini habeat, ad quam re ipſa nullum ei jus competit. Quod ſi impedire nequeant, heredibus quotam partem acceperit, reſtituere eos neceſſe eſt (*a*), modo id poſſint non relevata turpitudine ſua.

(*a*) De Sainte Beuve tom. 3. caſ. 146.

C A S U S XVIII.

Silvester Parochus, cui notum eſt inter Victorinum & Joannam, qui ſimul matrimonio jungi volunt, intercedere impedimentum dirimens affinitatis, quod ipſis declarare nequit, in Romanam Curiam eorum nomine mittit, ipſiſque inſciis neceſſariam obtinet diſpenſationem. Numquid valida eſt hujuſmodi diſpenſatio, & ex ea legitimum ſit eorum matrimonium?

R e s p o n s.

Principe gratiam concedene, non requiritur ſcire, a quo fuerit obtenta. *Univerſis ſimul hanc obſervantiam remittimus*, inquiunt Imperatores Honorius & Theodoſius (*b*), *ut a quocumque .... ſupplicante impetratum fuerit reſcriptum, minime requiratur, per quem preces collatæ ſunt*. Idem dicendum de reſcripto gratiæ a Superiore conceſſo: nam licet penitus invalida ſit reſcripta juſtitiæ obtenta a Summo Pontifice abſque ſpeciali ejus, cujus intereſt mandato, & is qui ea obtinuit, falſarii pœna teneatur, ut declarat Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi (*c*); non idem dicendum de reſcriptis mere gratioſis, qualia ſunt diſpenſatio in re matrimoniali aut reſcripta ad Beneficia: nam integrum ſortiuntur effectum ſuum, etſi ad preces eorum quorum intereſt, non fuerint conceſſæ, ut docet Auctor Gloſſæ in Decretalem Innocentii III. modo laudatam. Ratio eſt, quia nullo Canone, nullave Lege civili exigitur mandatum ſpeciale ad eorum valorem. Unde colligimus obtentam a Silveſtro pro Victorino & Joanna diſpenſationem eſſe legitimam, atque ex ea tutam fieri poſſe eorum conſcientiam, cum in foro Pœnitentiæ a Silveſtro ipſo, ſi ad eum ſcripta ſit, exſecutioni mandata fuerit. Ita docet Du Caſſe in ſuo Tractatu de praxi juriſdictionis Eccleſiaſticæ contentioſæ (*d*).

(*b*) L. Univerſis cod. de prec. Imper. &c. l. 1. tit. 19.

(*c*) Innoc. III. in cap. *Nonnulli*. 28. de reſcrip. & ib. Gloſſa v. *Sine ſpeciali mandato*.

(*d*) Du Caſſe pt. juriſd. &c. c. 4. n. 1.

Propoſitæ olim ſibi difficultati huic Doctor Sorbonicus reſpondet in ſuis Deciſionibus (*e*), dicens, ſe primum conſultaſſe Pariſienſis Eccleſiæ Pœnitentiarium, qui in eamdem, ac nos abiit ſententiam; & addidit, quod ſi contrahentium Parocho non ſufficiens tempus ſuppeteret ad obtinendum in Curia Romana reſcriptum, Epiſcopum tunc adire poterat, cui ſufficiens competebat poteſtas ad diſpenſandum in tam gravi tamque urgenti neceſſitate: quandoquidem neque a Conciliis, neque a Summis Pontificibus limitata eſt Epiſcoporum poteſtas in iis, quæ pertinent ad diſpenſationem impedimentorum dirimentium, cum Papalis poteſtas non latius hac in re quam Epiſcopalis pateat, niſi quia conſuetudine fuerit præſcripta. Addit tamen hic Doctor, ſe nonniſi ægre huic ſententiæ ſubſcribere, & exiſtimare, quod, cum jure tantum Eccleſiaſtico impedimentum de quo agitur, ſit dirimens, præſumi poteſt, Eccleſiam illud conſtituendo, non intendiſſe, ut in tali hypothesi locum haberet, in qua integra contrahentes laborant ignorantia. Hincque colligit, Parochum cui ſoli cognitum eſt, in hoc caſu ceſſare poſſe, ſi prudenter meditatum nequeat impedire matrimonium; & ſi forte vere ſit tum impedimentum dirimens, ſatis eſſe, ut ab Epiſcopo neceſſariam Parochus obtineat diſpenſationem: qua in re cum Proto-Pœnitentiario convenit.

(*e*) De Sainte Beuve tom. 2. caſ. 66.

Conſentit hæc Deciſio cum ſententia Navarri (*f*), qui verbis expreſſis negat, quod *diſpenſatio requirat mandatum*; & aſſerit, quod *diſpenſatio poteſt ab illo pro alio ſine mandato impetrari*: & addit hunc eſſe ſolitum in Curia Romana uſum tali modo diſpenſandi. *Cum quotidie videamus*, inquit, *in Curia innumeras diſpenſationes impetrari pro abſentibus ſine ullis eorum mandatis*, ut re ipſa in Decretali Innocentii III. in corpore juris relata apparet (*g*). Idem quoque docet Rebuffus his verbis: *Litteræ gratioſæ poſſunt impetrari per tertiam ſine mandato ſpeciali* (*h*). Denique huic ſententiæ adſtipulatur Cabaſſutius, dicens (*i*): *Litteræ inſuper gratioſæ impetrari poſſunt per aliquem tertium ſine ſpeciali mandato, quamvis impetrans laicus ſit. Sic enim pro alio, etiam inſcio, impetrari Eccleſiaſtica Beneficia poſſunt per laicum, aliæque gratiæ ... ad Litteras autem juſtitiæ requiritur mandatum*. His ultimis verbis addit, ex Rebuffo (*K*) uſuque Galliæ, etiam perſonam obtineri poſſe reſcripta juſtitiæ.

(*f*) Navarr. l. 2. conſil. de reſcript. cond ſil. 3. n. 3. & conſil. 4. n. 7.

(*g*) Innoc. III. in cap. *Nonnulli*. 28. de reſcriptis.

(*h*) Petrus Rebuff. in prax. Benef. tit. de diff. inter reſcript. grat. & juſt. n. 16.

(*i*) Jo. Cab. jur. can. th. & pr. l. 1. c. 6. n. 8.

(*K*) Rebuff. in pr. Benef. tit. differ. inter reſcript. n. 18.

C A S U S XIX.

Titius, Diœceſanus Aurelianenſis, & Julitta e Diœceſi Bleſenſi, in quarto gradu conſanguinei, ambo pauperes, Romam mittunt ad obtinendam diſpenſationem *in forma pauperam* ad effectum matrimonii. Dictam obtinent diſpenſationem ex atteſtatione paupertatis ab Officiali Aurelianenſi ſibi conceſſa, licet talem non dederit Bleſenſis Officialis. An legitima eſt hæc diſpenſatio?

R e s p o n s.

Cum ſupplicantes e duabus ſunt Diœceſibus, eas neceſſe eſt in eorum libello declarari, quia non minoris intereſt unius, quam alterius paupertatem probari, quod ſolus præſtare poteſt Epiſcopus, Vicarius generalis, aut Officialis Diœceſanus ſupplicantis. Nihilominus cum vir a decennio in alia, quam ſua naturali Diœceſi, & mulier a biennio domicilium

ha-

habet ; ſufficit ut eorum paupertatem atteſtetur Officialis Diœceſis domicilii eorum, modo tempus declarent, a quo domicilium ſuum in ea ſtabilierunt, ut obſervat D. Le Pelletier campſor expeditionarius in Curia Romana (*a*). Si igitur is ſit Titi & Julittæ caſus, validum eſt eorum reſcriptum; aliter vero, eſt illegitimum (*b*).

(*a*) De Le Pelletier. inſtr. ad exped. Curiæ Rom. c. 19.
(*b*) De Caſſa prax. juriſd. Eccleſ. cont. c. 4. §. 3. n. 2.

CASUS XX.

David Julianæ nubere cupiens conſanguineæ ſuæ in quarto gradu, diſpenſationem *in forma pauperum* ab Epiſcopo ſuo poſtulat, qui ab immemoriali tempore in ſuo gradu pauperes diſpenſare obtinet; certum eſt tamen, Davidem Julianamque nongentos habere nummos, ab omni ære alieno ſolutos. Numquid eos, uti pauperes diſpenſare poteſt Epiſcopus?

RESPONS.

Epiſcopus in caſu propoſito Davidi ac Julianæ diſpenſationem concedere poteſt, quam poſtulant *in forma pauperum*. Ratio eſt, quia non adeo ſtricte ſumenda eſt vox, *pauper*, ut inter pauperes non numerentur ii, quibus tota res eſt in nongentis nummis; nam, proprie loquendo, & ex juriſperitorum ſermone pauperes ii ſoli dicuntur, *qui minus, quam quinquaginta aureos habent*, ut loquitur Lex (*c*): & ut ait Gloſſa multis in locis (*d*): *Dicitur pauper, qui non habet quinquaginta aureos in bonis*. Et iterum (*e*): *Quis hic dicitur pauper? Reſpondeo: qui habet minus quinquaginta aureos*.

Pauperes etiam vulgo habentur, qui non victitant niſi *ex labore manuum*. Hinc conſtituit Urbanus VIII. ut ad differentiam vere pauperum, & eorum, qui tales non ſunt, in Romanis diſpenſationibus adderetur hæc conditio: *Pauperes & miſerabiles perſonæ*. Nihilominus, cum multi ſint ſatis divites, licet ex ſolo manuum ſuarum labore & induſtria vivant, & econtra alii permulti non commode victitent, hinc fit, ut omnes comparari poſſint iis, quibus res eſt minor 1000. nummis, & haberi poſſint pauperes. Saltem is eſt in Curia uſus, ut diſpenſationes obtineant, cum Papa modica ſit contentus pecuniæ taxatione pro neceſſitatibus Eccleſiæ. Reipſa dici nequit, tam modicæ ſortis cenſum ſufficere marito ad ſuſtinenda Matrimonii onera. Sed quia fieri poteſt, ut ex labore ſuo induſtriæ adjuncto quis rem ſuam augeat, & etiam amplas paret divitias; qui tales cupiunt obtinere diſpenſationes, ſeipſos coram Deo excutere debent, nec ſimulatam obtendere paupertatem: cum obreptitia foret eorum diſpenſatio, & ex ea contractum Matrimonium invalidum, ſi falſum Papæ in libello ſuo exponerent, ut recte obſervavit D. Le Pelletier (*f*). Id ergo unice pro conſcientia tutum eſt; ut verum Pontifici Summo quis ſemper enuntiet abſque fictione.

(*c*) L. Nonnulli. 10. ff. de accuſat. & inſcript. l. 48. tit. 2.
(*d*) Gloſſa in §. Sed & inſtit. lib. 2. tit. 12.
(*e*) Gloſſa in auth. 13. *de exhib. & introducendis reis.* auth. col. l. 5. tit. 8.
(*f*) D. le Pelletier. inſtr. &c. 3°.

CASUS XXI.

Memorius, Antoniæ, conſanguineæ ſuæ in tertio gradu nubere cupiens ab Officiali Diœceſano paupertatis ſuæ teſtimoniales litteras, vero conſonas, & poſtea ex Libello ſuo ſupplici diſpenſationem Romæ obtinet: ſed obtento reſcripto ſuo magnam ambo capiunt hæreditatem, ac divitiis affluunt. Memorius tamen reſcripti ſui executionem ab Officiali requirit & Antoniæ nubit. Qua de re duo quæruntur: 1. utrum officialis, cui nota erat novæ hujus hæreditatis adeptio, diſpenſationem, intacto Officio ſuo, exequi potuerit? 2. Utrum validum ſit illud Matrimonium? Vide caſum ſequentem.

RESPONS.

Ad primum quæſitum reſpondemus, Officialem Memorii, & Antoniæ diſpenſationem executioni mandare non potuiſſe: quia Pontificio reſcripto hæc duplex ſemper apponitur clauſula; prima eſt: *Si preces veritate niti repereris*: ſecunda: *dummodo pauperes & miſerabiles exiſtant*. Atque duo illi ea jam non laborant egeſtate, qua tum premebantur, cum Papæ libellum ſuum obtulerunt, cum ab eo tempore ampla ad eos pervenerit hæreditas, & a Papa non committatur onus Officiali eorum reſcriptum exequendi, niſi ſub duabus, quas continet, conditionibus, ſeu clauſulis. Igitur Canonicus non eſt officialis proceſſus, cum talis eſſe nequeat, niſi præſcriptam ſibi ex reſcripto formam ad verbum obſervando, ut fert Decretalis Innocentii III. ad Archiepiſcopum Magdeburgenſem (*g*), & alia Cœleſtini III. (*h*), & ultima tandem Honorii III. ad Archiepiſcopos Meſſanenſem, & Rhegienſem (*i*).

Ad ſecundum quæſitum dicimus, validum non eſſe Matrimonium Memorii & Antoniæ: quia enim ceſſat cauſſa, propter quam diſpenſare poſtulata eſt, priuſquam obtenta fuerit, aut ab Officiali, ad quem ſcripta eſt, executio mandata; irritum ſimul fit reſcriptum, atque adeo eo uti nefas eſt, cum illud concedere non intendat Superior, niſi ſub ea conditione, ut cauſſa actu ſubſiſtat; ut patet ex duabus clauſulis, de quibus modo, quæque in omnibus reſcriptis in forma commiſſoria continentur. Atqui ceſſat allegata paupertatis cauſſa ad obtinendam diſpenſationem, ubi quis ex paupere factus eſt dives. Igitur, cum Memorius & Antonia pauperes eſſe deſierint acceſſu novæ hæreditatis, antequam ab Officiali Diœceſano executioni mandata fuerit eorum diſpenſatio; certum eſt, quod jam ea uti nequeunt ad contrahendum; qua proinde ſi uterentur, invalidum foret eorum Matrimonium. Nititur hæc deciſio Conſtitutione Bonifacii VIII. in ſexto Decretalium relata (*K*), in qua declarat hic Papa, in ſimili ferme caſu, talem ceſſare diſpenſationem, ubi primum ceſſat diſpenſationis concedendæ cauſſa: *Cum ceſſet cauſſa mandati*: additque Gloſſa: *& ſic ceſſabit effectus* (*l*).

Sed ſi ad ſupplicantes non perveniſſet pinguis hæreditas, niſi poſt diſpenſationem, jam conceſſam & approbatam, poſſetne vi illius diſpenſationis contrahere? Duæ ſunt ea de re opiniones; primam tenent Sanchez, Bonacina, & alii multi, qui exiſtimant, quod in caſu propoſito non ſubſiſtente cauſſa diſpenſationis, Matrimonium contrahi non poteſt; ratio eorum eſt, quia non intendit Papa diſpenſare, niſi ſubſiſtat actu cauſſa diſpenſationis eo tempore, quo ultimum ſuum ſortitur effectum, Matrimonii videlicet celebrationem, quia aliter eſſet injuſta & ſcandaloſa.

Contra vero ſentiunt alii permulti tum Theologi tum Canoniſtæ; ſuamque fulciunt opinionem 1. Iſta Bonifacii VIII. (*m*) regula: *Factum legitime retractari non debet; dicet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari*. Quæ regula depromitur ex 85. juris Romani regula, qua idem declaratur (*n*). Unde colligunt, quod, cum diſpenſatio ſit conſummata approbatione Officialis; impedimentum quoque eſt penitus ſublatum, neque adeo reviviſcere poteſt, quamvis jam non ſubſiſtat cauſſa, propter quam ſublatum eſt.

Utrique opinioni ſua non deeſt probabilitas; ſed cum evincentibus neutra fulciatur argumentis, exiſtimamus eam eſſe tenendam, quæ tutior eſt pro conſcientia; ne quis periculo ſe committat in iis, quæ ad ſalutem pertinent.

(*g*) Innoc. III. in c. *Cum dilecta*. 22. de reſcr.
(*h*) Cœleſt. III. in c. *Prudent*. 21. *de officio & poteſt. Jud. deleg.* l. 1. tit. 20.
(*i*) Honor. III. in cap. *Venerab*. 111. 37. eod. tit.
(*k*) Boniſac. VIII. in cap. *Si pauper*. 30. de Preb. in 6. & ibid. Gloſ. v. *Ceſſet*. l. 3. tit. 4.
(*l*) Colloq. Cond. tom. 1. Coll. 2. ſect. 2.
(*m*) Reg. 71. de reg. juris in 6.
(*n*) Leg. *In ambiguis*. 85. ff. de reg. juris ant.

CASUS XXII.

Majoricus, homo dives, Conſtantiæ conſanguineæ ſuæ in tertio aut quarto gradu nubere cupiens, in ſuo ad Papam ſupplici Libello exponit, filiam hanc, cum jam triginta annos ſit nata, & pauperrima, (quod verum eſt) periclitari manens ſine marito. Quo audito Papa diſpenſationem concedit, ejuſque approbationem ab Officiali, ad quem ſcripta eſt, obtinet Orator. Sed elapſis quinque ſexve diebus, a germana ſua defuncta 3000. librarum annui cenſus hæreditatem Conſtantia accipit. Poteſtne, non obſtante illa fortunæ mutatione, Majorica nubere?

RESPONS.

Dictum eſt jam in ſuperiori reſponſione, quoſdam exiſtimare Auctores (*o*), puellam, quæ in Conſtantiæ caſu reperitur, obtenta tum, cum paupertate premebatur, diſpenſatione uti non poſſe: hancque opinionis ſuæ rationem afferunt,

(*o*) Sanch. Bonacina.

quia

quia diſpenſare non intendit Papa, niſi ſub ea conditione, ut permaneret cauſſa diſpenſationis in libello expreſſa ipſo celebrationis Matrimonii tempore; cum certum ſit, eamdem non fuiſſe conceſſurum, ſi futuras puellæ divitias prævidere valuiſſet Papa.

Contrariam tamen ſententiam tenent multi tum Theologi, tum Canoniſtæ inclyti, quam ex iſta juris regula aſſerunt (a): *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari*. Unde colligunt, conceſſam illam legitime a Papa gratiam eſſe permanſuram, ubi a Commiſſario ſuo perfecte [illegible] conſummata fuit, quacumque poſtea adveniente [illegible]ne; quia, ut ait Bonifacius VIII. in alia juris regula (b): *Decet conceſſum a Principe Beneficium eſſe permanſurum*. Equidem diſpenſatio jam Officialis delegati miniſterio eſt conſummata (qua ſecunda ratione nituntur illi Auctores) atque adeo impedimentum, jure conſtitutum, eſt omnino ſublatum, atque ex hoc ad nubendum tam habiles fiunt contrahentes, ac ſi nullum unquam interceſſiſſet impedimentum; cum illud reviviſcere nequeat, licet cauſſa, propter quam ceſſavit, jam non permaneat.

(a) Reg. 73. de reg. juris in 6.

(b) Reg. 56. ibid.

Tertia hæc etiam addi poteſt ratio, nimirum quod juxta ſententiam eorum, qui contrarium tenent, cum dubitatur de validitate diſpenſationis, ea ſemper tamquam valida eſt præſumenda juxta illam juris regulam a Bonifacio VIII. (c) approbatam: *Semper in obſcuris quod minimum eſt, ſequimur*: & hanc aliam (d): *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*. Quod etiam ex hac alia juris Romani regula confirmari poteſt (e): *In obſcura voluntate manumittentis, favendum eſt libertati*.

(c) Reg. 30 ibid.

(d) L. Semper. 9 & l. Semper. 56. ff. de div. reg. juris ant.

(e) L. In obſcura. 179. ib.

Atqui in caſu propoſito jure dici poteſt, ex opinionum varietate dubiam tantum effici talem diſpenſationem. Igitur benigne concludendum eſt, eam legitimam ac ſtabilem eſſe cenſendam, ubi ex approbatione Officialis conſummata eſt, licet non permaneat cauſſa, qua ad eam concedendam inductus fuerat Papa: atque adeo Conſtantiam vi reſcripti ſui Majorico poſſe nubere; cum penitus ſublatum fuerit eorum Matrimonii impedimentum, quod jam renaſci nequit (f), Fatendum tamen opinionem contrariam in conſcientiæ foro eſſe tutiorem.

(f) Du Caſſe prax. juriſd. Eccleſ. cont. cap 4. §. 2. n. 1.

CASUS XXIII.

Junianus, Ludovici filius unicus, Bernardinæ conſanguineæ ſuæ in quarto gradu, nubere cupiens, Patris ſui conſenſum obtinet. Sed quia Ludovicus, licet prædives, rerum ſuarum eſt tenaciſſimus, nec quidquam vult filio ſuo dimittere, quod prævideat, eum nihilominus Bernardinæ eſſe nupturum propter impenſam illius in hanc puellam propenſionem. Junianus igitur omni bono deſtitutus, cum pariter filia modice ſit dotata, Officialem rogat, ab eoque reipſa diſpenſationem *in forma pauperum* obtinet. Qua ſibi conceſſa in Curia Romana diſpenſationem pariter impetrat. Numquid valida eſt hæc diſpenſatio?

Raspons.

Exiſtimamus, Junianum non habendum eſſe pauperem, licet de præſenti nullis fruatur bonis; nec proinde validam reputandam eſſe diſpenſationem, quam ſub falſo paupertatis obtentu impetravit. Ratio eſt, quia, ſi cum Patre ſuo remaneat, omnia ei ad victum veſtitumque ſuppetunt neceſſaria: ſi vero eum derelinquat, ad eum eligendum ſtatum, in quo ſe ad inopiam ad tempus redactum iri prævidet, infortunii ſui auctorem ſeipſum reputare debet, ob imprudens, quod iniit, conſilium nubendi ſine ullo cenſu ſuo, & cum inſufficienti Bernardinæ, quam uxorem ſibi ducere conſtituit. Conſentit hæc deciſio cum ſententia doctiſſimorum Canoniſtarum, juriſque peritorum, quales ſunt Abbas, Marianus Socinus, Felinus, & Fagnanus. Hæc ſunt enim ipſa Felini verba (g): *Non dicuntur pauperes, quos parentum opes ſuſtentare poſſunt: quia Pater tenetur alere filium*. Et paullo poſt: *Nota ex eiſdem verbis, quod divitiæ Patris arguunt divitias filii, etiam nihil actu habentis: quia cenſetur eadem perſona cum Patre ..... quia etiam vivente Patre, videtur quodammodo filius habere in habitu dominium Patrimonii*. Ita etiam Fagnanus (h): *Nota*, inquit, ... *pauperes non dici, qui opibus parentum ſuſtentari valent*: ſuamque confirmat ſententiam auctoritate quatuor inclytorum Canoniſtarum, quos modo laudavimus (i), quique ea potiſſimum ratione ducuntur, quia liberis neceſſaria ſuppeditare tenentur parentes; ut ait Lex (K): quod etiam onus ipſis imponit jus Canonicum; licet forent illegitimi, aut ex eorum numero, quos Leges & Canones *Manzeres*, *Spurios*, & *Nothos* * appellant; uti declarant Clemens III. in una ex ſuis Decretalibus (l), Felinus (m), Fagnanus (n), Gloſſa (o), Bartholus (p). Ob eam rationem quidam Auctores contendunt Epiſcopum, qui ſacros confert ordines Clerico, cujus Pater dives eſt, abſque ſufficienti titulo, non teneri ad eum ſupplendum; quod ut probent, in medium proferunt Decretalem Alexandri III. dum tertio Lateranenſi Concilio Oecumenico præeſſet (q), qua id ipſum manifeſte indicari videtur ex hac exceptione: *Niſi talis ordinatus de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere*. Quod etiam docet Decius (r), & cum eo Imola, quem laudat. Quod tamen obiter tantum referimus, nihil ſtatuentes ea de re, quod Concilii Tridentini Decreto ſit contrarium (ſ), quo in eam rem abrogata eſt Decretalis Alexandri III. uti alia Innocentii III. (t)

(g) L. Siquis a liberis. 5. ff. de agnoſcendis vel alendis liberis &c. l. 25. tit. 3.

(h) Fagn. in c. *Quoniam*. 1. de Magiſtris. &c. n. 6. L. 5. t. 5.

(i) In cit. c. c. *Notabili*.

(K) Leg. *Si quis a liberis*. cit.

* Vide differentiam eorum apud Gloſſam in cap. *Niſi*. 10. de renunciatione. l. 1. tit. 9.

(l) Clemens III. in c. *Cum haberet*. 5. de eo qui duxit in Matrimon. quam polluit per adulter. l. 4. tit. 8.

(m) Felinus in eod. c. *Quoniam*. n. 3. & 2.

(n) Fagnan. ibid n. 2.

(o) Gloſſa in Leg. *Cum ſilio*. 2. cod. qui [illegible] utate vel profeſſione ſe excuſant. v. *Poteſtate*. l. 10. tit. 49.

(p) Bartholus in l. 1. §. *Domini*. 3 n 2. ff. ad Sillanianum.

(q) Alex. III. in cap. *Epiſcopus*. 4. de præbend l. 3. tit. 5.

(r) Decius in d. c. *Epiſcopus*. n. 7.

(ſ) Concil. Trid. Seſſ. 21. c. 2. de reformat.

(t) Innoc. III. in cap. *Tuis*. 25. de præbendis.

CASUS XXIV.

Dinamius, Magdalenam, conſanguineam ſuam in quarto gradu uxorem ſibi adjungere cupiens, in oblata Papæ ſupplicatione exponit, ſe filiam hanc, utpote egenam, dotaturum omnino, aut ſaltem dotem ejus aucturum. Reipſa tamen ipſe pauper eſt, neque eam dotare poteſt, niſi ſubſidio parentis aut amici, qui ei promiſit, ſe illius vicem hac in re impleturum. Poteſtne Dinamius, obtenta ad hanc explicationem Papali diſpenſatione, conſanguineæ ſuæ legitime nubere?

Raspons.

Certum eſt, quod ad verbum Dinamii ſupplicationem accipiendo, veritati non eſt conſona; qui, cum ipſe pauper ſit, germanam ſuam nec dotare omnino, nec ejus dotem augere poteſt: ex ea tamen falſitate invalida non fit diſpenſatio, quam a Papa impetravit, quia ad illius eſſentiam non ſpectat talis falſitas: nam eo præcipue fertur Papæ intentio, ut conſanguinea hæc ſufficienter dotetur, parvique intereſt, an dotem ejus conficiat Dinamius, aut alter, qui vicem ejus hac in re implebit. Igitur, cum dotem accipiat ex Matrimonio, quod concedente Pontifice contrahit, & intentio Papæ perficiatur ex dote, quam loco Dinamii Magdalenæ conficit impetrantis parens aut amicus, legitima cenſenda eſt diſpenſatio; Dinamius quippe in hoc caſu exiſtimandus eſt facere per ſe, quod facit per alium juxta iſtam Bonifacii VIII. regulam (u): *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum*. Ita Auctor hac in re peritiſſimus (x).

(u) Reg. 72. de reg. juris in 6.

(x) Du Caſſe prax. juriſdict. Eccleſ. cont. c. 4. §. 2. num. 3.

CASUS XXV.

Baccharius & Mattina invalidum ſimul contraxere Matrimonium ob impedimentum dirimens, ſibique incognitum, quo ligabantur. Numquid in eo legitima reperitur cauſſa ipſis neceſſariam concedendi diſpenſationem ad reſtituendum eorum matrimonium: & quæ ſunt aliæ cauſſæ, quæ vulgo magis legitimæ habentur?

Raspons.

Conſtat, generaliter loquendo, diſpenſationem concedi poſſe a Superiore Eccleſiaſtico, ubi exigit bonum commune. Atqui ad bonum commune pertinet, ut ii, quorum Matrimonium non valet, ope diſpenſationis, legitimi fieri poſſint conjuges, nec ſcandalum præbeant vel ſeparatione, ad quam tenerentur, vel cohabitatione continuata & criminoſa abſque diſpenſatione: Unde ſequitur, Superiorem in hoc caſu legitime diſpenſare. Id docet

Navar-

(a) Navarr. Man. c. 22. n. 85. & apud eum Panorm. Aug. de Clar. & Sylv.
(b) Diod. Covar. p. 2. de matr. c. 10. §. 20. n. 20.

Navarrus (*a*), poſt moltos, quos ipſe laudat. Hæc etiam neceſſario ſequitur concluſio ex principio, quod ponit Covarruvias (*b*).

Quod ſpectat ad alias cauſſas legitimas, quæ magis communes ſunt, tres præcipuæ numerantur, Prima eſt: cum in proprio loco non reperitor ſponſa æqualis ſecum conditionis, niſi conſanguinea; & juxta ſtilum Romanæ Cotiæ oppiduli nomine intelligitur urbs, in qua non eſt ſedes Epiſcopalis, quamvis aliunde ſit magna & populoſa: & etiam urbes Epiſcopales, in quibus non ſunt 300. domicilia, intee minima loca reputantur. Secunda: cum ex Matrimonio contrahendo lites aut inimicitiæ extinguuntur, aut alicui gravi incommodo affertur remedium. Tertia: quando vir dives pauperem ſibi conſanguineam vult ducere & dotare, quæ aliunde ſine dote maneret & marito.

Quarta addi etiam poteſt cauſſa legitima, quæ dicitur *ob hæreſim*, quæque contingit cum petitur diſpenſatio ad contrahendum Matrimoninm cum conſanguinea aut affine catholica in urbe aut regione, ubi numero prævalent hæretici, ot in Anglia, Belgio, & in urbibus aut Provinciis Germaniæ, ubi catholica non dominatur Religio. Suot & aliæ tandem legitimæ quædam a Papa cauſſæ habitæ, quæ omnes ad iſtas rediguntur. 1. *Anguſtia loci*. 2. *Entinctio litium*. 3. *Dos incompetens, aut dotis defectus*. 4. *Ne filia innupta maneat*. 5. *Ad vitandam infamiam ob copulam prius habitam*. 6. *Conſervatia ampliſſimarum in eadem cognatione divitiarum, ne dotis occaſione ad exteram familiam diſtrabantur*. 7. *Illuſtris familiæ in eodem ſanguine conſervatio*. 8. *Excellentia meritorum ſupplicantis*. 9. *Proles ex conſanguinea bona fide ſuſcepta*. Præter novem illas cauſſas, quæ Romæ legitimæ habentur, decem aliæ addnotur ſuperioribus iſtis pleræque affines. Prima eſt: *Propter dotem cum augmento uſque ad quantitatem dotis competentis*. Secunda: *Pro indotata*. Tertia: *Propter lites ſuper ſucceſſione bonorum magni momenti, ne mulier defectu viri ſuccumbat illi*. Quarta: *Ob graves inimicitias inter conſanguineos aut affines ſedandas*. Quinta: *Pro confirmatione Pacis*. Sexta: *Pra oratrice filiis onerata*. Septima: *Pra oratrice excedente vigeſimum quartum ætatis annum quæ hactenus viros paris conditionis, quibus nuberet, non invenit*. Octava: *Ob infamiam ſine copula præcedeate*. Nona: *Ob copulam ſcienter veſana libidine habitam, ſed tamen non ut facilius obtineatur diſpenſatio*. Decima tandem ea eſt, quæ dicitur *copioſior pecuniæ compoſitio*, de qua in duobus ſequentibus caſibus fiet ſermo. Quas omnes cauſſas refert Auctor moderuus, (*c*) cujus promulgatæ ſunt deciſiones.

(c) De Sainte Beuve tom. 1. caſ. 66.

CASUS XVI.

GORDIANUS, Margaritæ conſaogoineæ ſuæ in quarto gradu cupiens nubere, a Papa diſpenſationem obtinet, licet in libello ſuo ſupplici nullam expoſuerit cauſſam, quæ legitima videatur. Num valida eſt hæc diſpenſatio, ac tuta conſcientia eam uſurpare poteſt Gordianus ad oubendum cum ſua conſanguinea?

RESPONS.

Priuſquam ſpeciali, de qua in caſu propoſito, difficultati reſpondeatur, præmittendæ ſunt quædam, quas ponit Angelicus Doctor, certæ regulæ (*d*).

(d) S. Th. 1. 2. q. 97. a. 4. in corp.

Prima hæc eſt: Expedit, ut quilibet legiſlator de legibus quas ipſe, aut prædeceſſores ſui condidere, poſſit diſpenſare. Ratio eſt, quia fieri poteſt, ut lex, quæ commuoi favet utilitati, in quibuſdam caſibus bono privati ſit contraria; quod videlicet legiſlator qui legem promulgando communem directe intendit ſubditorum otilitatem, ſpeciales omnes numquam prævidere poteſt caſus, in quibus lex illa utilis eſſe definit, & in quibus quandoque etiam ſit noxia quibuſdam, quos proinde neceſſe eſt aot utile lege ſolvere, cum id fieri poteſt abſque communis utilitatis detrimento.

Secunda: Superior de juſta lege abſqoe peccato diſpenſare non poteſt, cum nulla ſubeſt legitima cauſſa, ejuſque peccato cooperatur, qui tali diſpenſatione utitur, neque quoad conſcientiam tutus eſſe poteſt: unde Auctor Gloſſæ (*e*): *Non eſt ſecurus*, inquit, *quoad Deum cum quo Papa diſpenſat, niſi ſubſit cauſſa diſpenſandi*.

(e) Gl. in c. Non eſt. de voto & voti redemt. v. Adimplere.

Com præcipui momenti ſit iſta regula, ad rem pertinet ſolidis eam firmare rationibus & auctoritatibus, quarum prima eſt Concilii Tridentini, cujus hæc ſunt verba (*f*): *Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfaciat, ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere nihil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi ſacratiſſimos canones exacte ab omnibus, &, quoad ejus fieri poterit, indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſſa cognita ac ſumma maturitate, atque gratis a quibuſcumque ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*. Ex hoc Decreto condemnantur innumeri, qui ſe quoad Deum tutos exiſtimant; modo Campſoris miniſterio, cui & commentarios ſuos & pecuniam ſubminiſtrant, optatam auferant diſpenſationem, cum ipſis nulla ſobſit legitima eam requirendi cauſſa. Ex hoc pariter Decreto indiſtincte ii omnes condemnantur, qui poteſtate ſua abutentes nullam recuſant, diſpenſationem nullatenus perpendentes, num legitimæ ſint eas poſtulandi rationes, & neceſſitas aut major utilitas ad illas concedendas ipſos moveat, quique, ut ajunt, ejuſdem ſaceoſancti Concilii Patres, indulgentia ſua ad ſaceos Canones ſanctiſſimaſque Eccleſiæ leges manifeſte tranſgrediendas aditum aperiunt.

(f) Conc. Tr. ſeſſ. 25. de reform. c. 18.

Acerbius jam in illegitimas diſpenſationes peroraverat Colonienſe Conciliom ſub Paulo III. anno 1536. habitum (*g*): *Quam imprudenter plerique diplomatis ac diſpenſationibus*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *apud ſedem Apoſtolicam extortis, præter ſummi Pontificis mentem, qui vult & debet poteſtate ſibi conceſſa non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem uti, abutantur, nullus eſt, qui ignoret*. Non prohibeo, *inquit quidam vir pius* (*h*), diſpenſare, ſed diſſipare: diſpenſatio quidem credita, ſed heic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. *Quamquam apud illos maxima culpæ pars reſideat, qui vel nulla, vel minus legitima, vel etiam ficta cauſſa ſupplicatoriis precibus inſerta diſpenſationis teſtorium tandem eliciunt, quos apud Deum, qui renes & corda noſtra ſcrutatur, omnemque hypocriſim ac fraudem exſecratur, ſecuros quis dixerit?*

(g) Concil. Colon. part. 7. c. 33.
(h) S. Bern.

Non aliter locuti ſuot S. Thomas & S. Antoninus. *Cum poteſtas Prælati ſpiritualis*, ait Angelicus Doctor (*i*), *qui non eſt Dominus, ſed diſpenſator in ædificationem ſit data & non in deſtructionem, ut patet 2. ad Corinth. 19. ſicut Prælatus non poteſt imperare ea, quæ ſecundum ſe Deo diſplicent, ſcilicet peccata; ita non poteſt prohibere ea quæ ſecundum ſe Deo placent, ſcilicet virtutis opera, & ideo poteſt abſolute homo ea vovere. Ad Prælatum tamen pertinet dijudicare quid ſit magis virtuoſum, & Deo magis acceptum; & ideo in manifeſtis diſpenſatia Prælati non excuſaret a culpa: puta ſi Prælatus diſpenſaret cum aliquo ſuper voto de ingreſſu Religionis nulla apparenti cauſſa obſtante. Si autem eſſet cauſſa apparens, per quam ſaltem in dubium verteret, poſſet ſtare judicio Prælati diſpenſantis vel commutantis, non autem judicio proprio*. Ita S. Thomas. Hæc ſunt autem S. Antonini verba (*K*). *Requiritur non ſolum auctoritas in diſpenſante*, inquit, *ſed etiam cauſſa ex parte diſpenſati, ſcilicet neceſſitas vel utilitas ejus, vel reipublicæ in omni genere diſpenſationis, & in omni diſpenſante, etiam Papa; quia nec Petro commiſſa eſt auctoritas, ſeu poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem*.

(i) 2 Th. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2.
(k) S. Antoo. 2. p. ſum. Th. t. 22. c. 3 §. 6.

Congruit etiam hæc doctrina deciſioni Alexandri III. ad Exooienſem Epiſcopum ſcribentis, a quo de diſpenſatione, ſeu voti peregrioationis commutatione fuerat conſultus (*l*). En antem ſummi Pontificis reſpooſio: *Ab ejus qui præſidet, pendet arbitrio, ut conſideret diligentius qualitatem perſonæ, & cauſſam permutationis; ſcilicet an ex infirmitate, ſeu affluentia divitiarum, an alia cauſſa probabili peregrinatio,*

(l) Alex. III. in c. De peregrinationis. 7. de voto & voti redemp. l. 3. tit. 34.

Google

tio, an recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta; & ſecundum hoc debet euinde diſpenſare.

Veritatis quam ſtatuimus ratio hæc eſt, quia ne quidem ex diſpenſatione Papali tollitur malum, quod prius erat, niſi ea legitima cauſſa ſulciatur. *Numquid ideo aut malum eſſe deſiit, aut vel minoratum eſt, quia Papa conceſſit?* inquit ſanctus Bernardus (*a*). *Ubi neceſſitas urget*, inquit idem Sanctus (*b*), *excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas, dico, communis, non propria: Nam cum nihil horum eſt*, ſubjungit, *non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Quæ omnia non minus Eccleſiæ Canonibus ac Decretis, (*c*) quam trium, quos laudavimus, ſanctorum Doctorum auctoritate ſulciuntur.

(*a*) S. Bern. Ep. 7. n. 6.
(*b*) Idem l. 3. de conſid. ad Eug. Papam. cap. 4. n. 18.
(*c*) Can. *mutatione* 34. 7. q. 1. Can. *Eſi illa*. 23. q. 7. can. *Ab excommun.* 4. 6. q. 1. c. *Expoſuiſti.* 43. de Præb. & dign. l. 3. t. 5.

Tertia, quam ſuperioribus addimus, regula hæc eſt: 1. Poteſtas Papæ uti legiſlatoris in Eccleſia non extenditur ad ea, quæ ſunt juris naturalis. 2. Neque abſolute diſpenſare poteſt in iis quæ ad jus divinum ſpectant, ſed in iis quæ ſunt juris pure humani & Eccleſiaſtici, ut docet S. Thomas his verbis (*d*): *Papa habet plenitudinem poteſtatis in Eccleſia; ita ſcilicet quod quæcumque ſunt inſtituta per Eccleſiam, vel Eccleſiæ Prælatos ſunt diſpenſabilia a Papa; hæc enim ſunt, quæ dicuntur eſſe juris humani, vel juris poſitivi* (*e*); *circa ea vero quæ ſunt juris divini, vel juris naturalis diſpenſare non poteſt, quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione divina... In ſolis vero his, quæ ſunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & in Sacramentis novæ legis diſpenſare non poteſt.* Et vero, cum Papa ſit viſibile Eccleſiæ univerſæ Caput, primuſque ovium Chriſti Paſtor, ut agnoſcunt Patres celeberrimi Concilii Chalcedonenſis ann. 455. ad S. Leonem ſcribentes (*f*), atque ut aſſerit etiam Gregorius X. in ſecundo Concilio œcumenico Lugdunenſi an. 1273. (*g*) nullatenus hæc ei denegari valet poteſtas.

(*d*) S. Thom. quodl. 4. a. 13.
(*e*) Ita quoque Gl. in c. *propoſuit.* de conceſſ. præb. &c. & in n. Ubi. de elect. in 6. v. Conc. Abbas in c. *Significaſti*. de elect. &c.
(*f*) Concil. Chalced. p. 3. ſub init.
(*g*) Greg. X. in c. *Ubi periculum* 3. §. 4. de el. & elect. pot. l. 1. tit. 6.

Suppoſitis univerſim iſtis regulis, ad ſpecialem deſcendimus difficultatem, quæ ſpectat ad diſpenſationem a Gordiano & Margarita obtentam, quæ ipſis conceſſa ſupponitur, licet nullam in oblata Papæ ſupplicatione legitimam cauſſam enuntiarint. Qua de re in eo totus difficultatis cardo vertitur, ut dignoſcatur, an aliquam illius concedendæ legitimam cauſſam habuerit Papa; an vero non, de quo dici poteſt, quod ſi ſtatutæ hactenus regulæ de quocunque diſpenſationum genere certæ ſunt, de iis, quæ ad impedimenta Matrimonii dirimentia pertinent, certiores ſunt, cum de iis tale extet Concilii Tridentini Decretum (*h*) *In contrahendis Matrimoniis*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro; idque cu cauſſa & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſſam.*

(*h*) Conc. Tr. ſeſſ. 24. de reform. Matr. c. 5.

Ob ſummam tamen Papæ debitam reverentiam interdicitur, ne privatus quiſquam reſcripta ipſius damnare licentius audeat. *De judicio ſummi Pontificis*, inquit Gratianus, (*i*), *alicui diſputare non licet*: quam ſententiam deſumſerat hic antiquus Canonum collector ex his, quæ refert, ſummi Pontificis verbis (*K*): *Nemini de ſedis Apoſtolicæ judicio judicare, aut illius ſententiam retractare permiſſum: videlicet propter Romanæ Eccleſiæ Primatum, Chriſti munere in beato Petro Apoſtolo collatum.* Unde ſequitur non temere judicandam eſſe diſpenſationem invalidam, quod clare non appareat, eam legitima cauſſa eſſe nixam, eoque magis in ferendo tali judicio quiſque debet eſſe circumſpectus, quod teſtante D. de Marca (*l*), jam a tribus ſæculis diſpenſare obtineant Papæ ex hoc motivo: *Ex certis rationabilibus cauſſis animum noſtrum moventibus*: additque doctus ille Præſul hujuſmodi diſpenſationes univerſim in Eccleſia nullo contradicente fuiſſe receptas.

(*i*) Gratian. §. *qui autem*. in fin. 17. q. 4.
(*k*) Nicol. in can. *Nemini*. 30. 17. q. 4.
(*l*) De Marca l. 3. de Concord. Sacerd. & Imperii c. 15.

Advertendum, a ſummo Pontifice numquam concedi hujuſmodi diſpenſationes, niſi copioſiorem imponendo petentibus mulctam; quæ, ut multæ aliæ pecuniæ in Curia Romana ſolvi conſuetæ, ad publicas Eccleſiæ utilitates deſtinatur; ſeu ad defenſionem Eccleſiæ contra infideles magna largiendo Chriſtianis Principibus ſubſidia, ut multis conſtat exemplis, ſeu ſumtus neceſſarios in propaganda fide ope miſſionum, quæ ad ultimas terræ oras mittuntur, ſeu denique eam ad alia pia opera adhibendo, ut ad dotandas puellas egenas, uti quotannis Romæ fieri notum eſt, aut ad ſublevandam pauperum miſeriam in publicis aut privatis calamitatibus: quod aliquatenus inflictum crebrioribus diſpenſationibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ vulnus obducit, & aliam æquiorem ſupplere poteſt cauſſam; ita ut verba hæc: *Ex certis &c.* quæ hujuſmodi diſpenſationibus inſeruntur, non ſignificent, eas ſine cauſſa eſſe conceſſas, ſed ſolum omitti poſſe cauſſas illas, quæ in uſitatis ſupplicationibus enuntiari ſolent, cum Papa ſibi propriis rationibus iſtas ſupplere queat, ut etiam declarat ex verbis: *Ex certis, &c.* Et quamvis nulla ei ſuppeteret alia cauſſa, quam copioſæ pecuniæ exactio, id ipſum ſatis eſſet, ut ſentiunt multi Auctores, inter quos cenſetur Pyrrhus Corradus (*m*), aſſerens, quod hæc ratio *ad juſtam cauſſam reducitur, quia in his exigitur copioſior compoſitio. Ea ad ſumtus publicos convertitur, quod valde bono communi confert.* Atque eo ſenſu intelligendus eſt Covarruvias dicens (*n*): *Si in humano genere Romanus Pontifex diſpenſet nulla cauſſa exiſtente; ipſa juris relaxatio tenet & valet...... Nam etſi Princeps male agat ſi contra jus humanum abſque cauſſa diſpenſet; nihilominus diſpenſatio valida cenſetur, actuſque ex ea ſecutus in foro interiori valebit. Si quis enim diſpenſatione a Romano Pontifice impetrata Matrimonium in quarto gradu contraxerit ſine aliqua diſpenſandi cauſſa, etiamſi contrahendo peccaverit, quis tamen unquam dicet, etiam in animæ judicio hoc Matrimonium invalidum? Quis unquam doctus Sacerdos in eodem judicio filios ex hoc Matrimonio conceptos illegitimos eſſe judicabit?* Videtur etiam ex his verbis, inclytum hunc Canoniſtam non habita compoſitionis ratione, haſce diſpenſationes agnoſcere tamquam validas, cum eas concedit Summus Pontifex; in quo ſequitur ſententiam Guillelmi Pariſienſis, & D. de Marca, qui trium ſæculorum uſu non interrupto nititur. Unde ex his Auctoribus colligendum eſt dumtaxat, aut diſpenſationes illas eſſe validas, quamvis illicitas; aut invalidas tantum eſſe, quando conceduntur cum detrimento tertiæ perſonæ, aut boni communis.

(*m*) Pyrrh. Corr. in prax. diſp. l. 6. c. 5.
(*n*) Did. Covarruv. a Leyva de Matr. 2. p. c. 9. §. 10. n. 22.

Sed juvat hic propria hac de re verba tranſcribere Domini de Marca (*o*): *Si Pariſienſes ſequamur & antiquos ſcriptores, dubium non eſt, quin diſpenſatio injuſta ſit etiam invalida. Hanc ſententiam amplexi ſunt Bernardus, Goffridus Vindocinenſis, Joannes Sariſberienſis, Gerſonus, Major, Almainus, & ex Theologis recentioribus Gabriel Vaſquez Hiſpanus, & plures interpretum juris civilis & canonici: mihi vero* (*p*) *hæc quæſtio hoc pacto dirimenda videtur, ut in his, quæ ſingulos reſpiciunt, diſpenſationem a Pontifice etiam ſine cauſſa indultam valere dicamus; immo vero & abſque crimine ſuſcipi & concedi. In iis autem quæ vel jura tertii, vel ſtatum publicum lædunt, nec licitam eſſe nec validam.* En jam opinionis ejus fundamentum.... *Hujus ſententiæ præcipuum fundamentum non in eo conſtituo, quod jam everti, ſcilicet Leges Eccleſiaſticas a ſuperioris nutu pendere; ſed a perpetuo uſu, qui jam a trecentis annis & ultra in Curia Romana receptus eſt, ut ſine cognitione cauſſæ pleræque diſpenſationes concedantur, quibus v. g. irregularitates tolluntur, impedimenta conſanguinitatis in tertio & quarto gradu amoventur, Beneficiorum pluralitas conceditur, ut fidem facit Guillelmus Durandus, qui de illa novitate ſæculo ſuo inducta conqueritur. Eodem etiam uſu inductum eſt, ut pœnis a Canone inductis liberi habeantur, qui diſpenſationibus illis utuntur; ideo ut nec eorum ordinationes vitioſæ cenſeantur, nec de Matrimoniorum viribus dubitetur, aut quæſtio ſtatus ex iiſdem nuptiis editis moveri poſſit.* Tum ſic concludit: *Itaque cum præcipuus eorum Canonum effectus per diſpenſationem indebitam ex conſuetudine recepta ſublatus ſit, ſcilicet nullitas Matrimonii; quid ſupereſt, quod ſubditorum conſcientias onerare poſſit?.... Tanta vero eſt vis conſuetudinis, ut legem omnino tollere poſſit. Ergo & modum illius ſolvendæ per diſpenſationes alioqui indebitas inducere poterit: præſertim cum diſpenſatio-*

(*o*) De Marca cit. loc. n. 2.
(*p*) Num. 3.

nis

ait eſt ſit conditio, ut a conſuetudine magnas vires accipiat. Quod probat ex multis exemplis celeberrimis, & præcipuis; ut ſunt approbatio novorum ordinum Religioſorum contra expreſſam Concilii œcumenici Lateranenſis prohibitionem: conſecratio Epiſcoporum, quæ fit ab Epiſcopis a Papa nominatis ſine Metropolitano, & alia ſimilia; additque poſtea doctus ille Antiſtes (a): *At vero ſi ſtatus publicus, aut recepta in Regno jura læduntur, amplectenda eſt ſententia eorum, qui in univerſum diſpenſationes ſine cauſſa indultas invalidas eſſe cenſent.*

(a) Num. 4.

Paucis itaque ex dictis hactenus colligimus, Gordianum tuta conſcientia diſpenſatione, de qua in caſu propoſito agitur, uti poſſe, ſeu ratione compoſitionis ſeu mulctæ, quam ſolvit, & pii ejus uſus, ſeu aliarum rationum legitimarum, ob quas eam conceſſit Papa; ſeu denique Covarruviæ ſupra citatam ſententiam amplectendo *

* Ut magis ac magis os contra Sedem Apoſtolicam iniqua loquentium obſtruatur, hic ſuperaddere juvat quod in Concilii Tridentini Hiſtoria, quam ſcripſit Cardinalis PALAVICINUS, refertur. Poſtquam enim ille Cardinalis lib. 23. c. retulit Decretum Concilii Tridentini, in quo dicitur: *Vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſſa & gratis concedatur; in ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſſam*; addit: Quod ſpectat ad hoc extremum Decretum, unde capitur occaſio frequentium querelarum de ſummo Pontifice quaſi in utraque parte ſæpius negligatur, libet mihi narrare quod audire mihi contigit ab ore Alexandri VII. Pontificis Maximi paucis poſt ſuam creationem diebus. Is itaque mihi dixit utpote omnino animatus ad diſciplinam reparandam corruptelaſque delendas, ſe ſtatim fuiſſe percunctatum viros integerrimos, maxime peritos Pontificiæ Datariæ, quonam pacto id Romæ peragaretur adverſus Tridentini Decretum. Etenim tametſi ab illo Pontifex non obſtringatur, & tum in principio, tum in fine Concilii ejus auctoritas integra reſervetur expreſſis verbis, minus tamen laudabile videbatur tam frequenter judicium tam venerabilis Concentus negligi, reſponſum ſibi fuiſſe, ſtricte quidem obſervari, ut diſpenſationes ad Matrimonium ſpectantes concedantur, hoc eſt ſine lucro ear concedentis. Nam præter Decreta ſummorum Pontificum imperantium ut tota pecunia inde proveniens impendatur in pios uſus, Innocentius X. adjecerat, ne pecunia ex ejuſmodi diſpenſationibus collecta confunderetur cum reliqua pecunia Quæſtoris generalis curæ commiſſa, ſed deponeretur in Monte pietatis, & illinc abſtrahi non poſſet niſi mandato ſummi Pontificis, per quod illa pecunia reipſa in opera diſtribueretur. Quare in hac parte non modo Decretum Concilii Tridentini impleri, ſed larvam omnem contrariæ ſuſpicionis auferri. Quod vero ad alteram partem Decreti attinebat, nimirum non niſi raro has diſpenſationes eſſe concedendas, conſtare a Pio V. præclara ſeveraque probitate, & qui obſervabat religioſe Concilium Tridentinum, poſt cujus exitum fere illico Pontifex electus fuit, contrarium actum fuiſſe, atque ipſius exemplo eadem via ejus Succeſſores inceſſiſſe. Cauſſa autem cur ſummus Pontifex ab eo Concilii Decreto receſſerat, eſt quia cum obſtacula, quibus irritum reddebatur Matrimonium, eſſent multa, compertum erat ſæpe contingere inter Perſonas aliquo impedimento præpeditas immoderatæ appetentiæ violentia duorum animos adeo inflammari, ut niſi lex ipſis relaxetur, ambo in grave delictum corruerent, aut alias inirent nuptias cum animi repugnantia utriuſque infelicitate, & ſæpe etiam ſimularent cauſſas falſas, ac poſtea in ſacrilegis Matrimoniis ad mortem uſque perſiſterent. Contra vero alios delicatiore conſcientia quaſcumque veras cauſſas haberent ad diſpenſationem obtinendam, tamen animo non quieſcere, ſi ex earum efficacia fiat relaxatio, variis ſemper Religionis aculeis ipſos cruciantibus de veritate cauſſarum quas attulerunt: adeoque ſemper vereri ne conjugium, in quo vivunt, irritum ſit; quod in perpetuo cruciatu illos detinet ſine remedio, & cum periculo ne per errorem conſcientiæ multa peccent, & tandem incidant in deſperationem ſalutis; quocirca malle ipſos diſpenſationem ſibi concedi nulla expoſita cauſſa, & largiori eleemoſyna perſoluta, ut animi quietem ſecuritatemque ſibi compararent. Hæc referre volui, addit Cardinalis Palavicinus, quæ mihi dicta fuere a ſummo Pontifice ..., ut intelligatur quanta cautione opus ſit, antequam Principum, eorumque Tribunalium conſuetudines damnentur.

CASUS XXVII.

Arristus, Officialis Epiſcopi dubitat, quo pacto ſe gerere debeat, ut tuta ſit conſcientia, quoad Pontificiam diſpenſationem, ſeu, ut accuratius loquamur, quoad mandatum *de diſpenſando* in impedimento dirimente conſanguinitatis inter Marcum & Paulinam ſobrinos. Eo autem angitur, quod ex hoc mandato fertur, ut ſupplicantes diſpenſentur, *ex certis rationabilibus cauſſis*, hoc eſt, juxta ſtilum Curiæ Romanæ, *ſine cauſſa*, quia in hujuſmodi, diſpenſationibus unica, propter quam conceduntur cauſſa, eſt tantum *copioſior pecuniarum compoſitio*. Tenetur ne, aut ſaltem poteſt ne tale mandatum ſine peccato exſequi, diſpenſationem hanc proſupplicantibus promulgando, & ſi mandatum illud cauſſam tantum, quæ ſibi videretur levis & inſufficiens, contineret, teneretur ne etiam illud perficere?

Responsio.

Non ad jus munuſve Officialis ſpectat diſcutere, num allegatæ ab impetrantibus in oblato Papæ libello cauſſæ ſint legitimæ ac ſufficientes, nec ne. Ad ejus tantum officium pertinet, veritatem cauſſarum, quæ narrantur, perſpectam habere; quo facto, ſi nulla ei in narratione appareat falſitas, reſcriptum exſequi tenetur conformiter ad contentas in eo clauſulas. Quoad diſpenſationes a Summo Pontifice *ex certis rationabilibus cauſſis* conceſſas, nullum ei jus competit diſcutiendi, quales ſint iſtæ cauſſæ, aut utrum ſint ſufficientes, nec ne, ſed teſtes tantum audire tenetur de gradu conſanguinitatis, in ſupplicatione contentis, in qua ſi veritati quidquam diſſonum non reperiat, datum ſibi mandatum exſequi abſolute tenetur. Ex his igitur regulis ſe gerere debet Arriſtus in Caſu propoſito (b). Videſis de reſponſionem ad vigeſimam ſextam difficultatem.

(b) De Sainte Beuve tom. 1. caſ. 87.

CASUS XXVIII.

Julianus & Natalia in tertio gradu conſanguinei in Romana Curia diſpenſationem impetrarunt, ab Officiali, ad quam ſcripta fuerat, promulgatam, qua ſibi invicem nubere licitum eſt. Lecto eorum reſcripto deprehendit Parochus illegitimas falſaſque ab iis cauſſas fuiſſe allegatas ad illud obtinendum. Poteſt ne tamen Parochus ultra progredi ad celebrationem matrimonii?

Responsio.

Si impetrantium illorum Parocho conſtet, paratas cauſſas eſſe falſas aut illegitimas, ad ejus prudentiam & charitatem pertinet, Epiſcopum, aut ejus Vicarium generalem, vel Officialem, ſi poſſit, admonere: ut forſan ultra progrediendi facta ſibi prohibitione, matrimonii celebrationi ſuperſedeat, aut eos ad contrahendum, ſi opportunum duxerit Superior, admittat. Nihilominus, ſi omninò perſuaſum atque exploratum haberet, allegatam ab ipſis cauſſam eſſe falſam, atque adeo reſcriptum illorum obreptitium & invalidum, tum neceſſe eſſet, ut matrimonii celebrationi præſens non adeſſet, ne contra propriæ conſcientiæ dictamen ageret, cum numquam id facere liceat, quod contra Legem Dei aut Eccleſiæ putatur, juxta illud Antiqui (c): *Omne quod contra conſcientiam ſit, ædificat ad gehennam.* Quod etiam aſſerit Innocentius III (d), hæc Apoſtoli verba exponens (e): *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Ita difficultatem hanc ſolvit inclytus Theologus (f).

(c) Grat. §. Ex his. 28. q. 1.
(d) Innoc. III. in c. Per tuas. 35. de Simonia l. 5. t. 3.
(e) Rom. 14. 23.
(f) De Sainte Beuve tom. 2. caſ. 7. & tom. 2. caſ. 196.

Non abs re erit, tres hic enodare difficultates, quæ ex tribus poſſunt emergere privatis circumſtantiis caſui propoſito ſimilibus.

1. Quæri poteſt, quid facturus eſſet Parochus, ſi Julianus potens quidam eſſet Dominus, qui vi obtentæ diſpenſationis matrimonii Sacramentum ab eo requireret? Cui quæſtioni reſpondemus, Parochum in eo caſu teneri, eaſdem, quas ſupra attulimus, prudentiæ & charitatis regulas obſerva- N n res;

re ; cum perſonarum numquam acceptionem habere debeat, ubi agitur de propriæ conſcientiæ ſuæ ſecuritate, aut Parochianorum ſuorum ſalute. Quæ regula his Apoſtoli verbis (*a*) innititur: *Aaquaro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*: Et iſtis Apoſtoli Jacobi (*b*): *Si autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redargati a Lege*. Parochus itaque eo implicitus negotio cum Job (*c*) dicturus eſt: *Non accipiam perſonam viri*, ne ex eorum ſint numero, quos damnat Sapiens his verbis (*d*): *Multi colunt perſonam potentis*.

(*a*) Galat. 1. 10.
(*b*) Jacob. 2. 9.
(*c*) Job. 32. 21.
(*d*) Proverb. 19. 6.

2. Quæri poteſt, (quod etiam in caſu propoſito Parochum magis intricare poteſt) quid facturus eſſet, ſi ipſe ſit Officialis, ad quem miſſa eſt diſpenſatio? Qua de re dicimus quod ſi oblata ſibi ab impetrantibus diſpenſatio plene & abſolute a Papa fuerit conceſſa 1. jure exquirere poteſt, ut ſupra diximus, num obreptitia ſit aut ſubreptitia; cum ad Officiales ideo remittantur a ſummo Pontifice hujuſmodi diſpenſationes, ut magis explorata ſit veritas ſupplicationum, ad quas fuere obtentæ. 2. Si alterutro vitio eam laborare percipiat, eam promulgare nequit, aut permittere, ut ea utantur impetrantes; ſed iis manifeſtandæ ſunt obreptionis aut ſubreptionis cauſæ jubendo ſimul, ut iterum ad Papam recurrant, ac verum accurate declarent. Si obtenta & ad eum miſſa fuerit diſpenſatio *in forma commiſſoria*, potiori jure illius executionem denegare poteſt, & multo magis reus fieret eam promulgando, cum ea ratione iis præcipua eſſet invalidi matrimonii cauſa.

3. Denique peti poteſt, quid acturus eſſet ille Parochus, ſi a ſuprema Curia ſeu Parlamento juberetur tale celebrare matrimonium? Cui quæſito reſpondemus, duplici via ſe ſe expedire poſſe hunc Parochum. 1. Libellum ſupplicem Curiæ illi dando, in quo deſignaret ſubeſſe obreptionem aut ſubreptionem in tali diſpenſatione, proindeque rogando, ne huic matrimonio præſentem ſe ſiſtere cogeretur, ſed quia fieri poſſet, ut Parocho illi non ſuppeterent ſufficientes probationes invaliditatis diſpenſationis in foro exteriori. 2. Miniſterium ſuum ſimpliciter denegare poteſt, quia ex talibus Arreſtis ſemper fertur, quod ad repulſam Parochi, a quolibet Sacerdote, quem eligere maluerint contrahentes, matrimonium celebrabitur.

CASUS XXIX.

Thyrsus & Angela, in quarto gradu conſanguinei ſimul nubere cupientes, ab Alexandro VIII. Papa diſpenſationem obtinuerunt, iſque poſt paucos dies ab ejus conceſſione obiit. Acceptam Roma diſpenſationem Diœceſano Officiali, ad quem miſſa fuerat, obtulerunt impetrantes, qui cognita Summi Pontificis morte diſpenſationem hanc ex eo approbare recuſavit, quod, cum gratioſum eſſet reſcriptum, exiſtimavit, ſe illud exſecutioni mandare non poſſe, quia gratia morte concedentis deſinit. Qua de re quæritur, utrum neceſſe ſit, ut novam ab Alexandri VIII. ſucceſſore diſpenſationem obtineant Thyrſus & Angela, an vero jam ſibi oblatam poſſit approbare Officialis?

Respons.

Non una eſt ea de re multorum Auctorum ſententia. Alii ſiquidem contendunt, Officialem in hoc caſu delegati tantum a Papa vicem implere. Atqui delegati ſeu mandatarii poteſtas obitu mandantis exſpirat, quando res adhuc integra, hoc eſt, cum Mandatarius nullam adhuc circa mandatum ſuum actionem inſtituit, ut declarat Innocentius III. in una ex Decretalibus ſuis ad Epiſcopum Pictavienſem (*e*): *Mandatum hujuſmodi*, inquit hic Papa, *re integra, morte mandantis expiravit*: Unde colligunt illi Auctores, quod cum obierit Papa in caſu propoſito, antequam ipſius reſcripti exſecutionem aggreſſus fuerit delegatus Officialis, exſpirat ipſius mandatum, nec reſcriptum jam ratum habere poteſt. Addunt inſuper, quod ſi gratiam perfectam & conſummatam continerent hujuſmodi diſpenſationes, valerent etiam mortuo Papa, ſed ſunt meræ delegationes, inquiunt, quibus non conceditur abſoluta diſpenſatio, ſed ſolum *mandatum de diſpenſando*.

(*e*) Innoc. III. in c. *Licet*. 30. de offic. & poteſt. judicis delegati.

Alii vero Doctores, qui contra ſentiunt, priorem opinionem tantum veram eſſe contendunt in ſolis juſtitiæ reſcriptis, non vero gratiæ, aſſeruntque, eos, quibus conceduntur hujuſmodi Apoſtolica reſcripta, ea illis jus certum acquirere; ut patet in mandatis Apoſtolicis, quæ ſunt de Beneficiis vacaturis; ita ut delegatus, ad quem miſſum eſt reſcriptum, ejus exſecutioni procedere abſque manifeſta injuſtitia non recuſet etiam mortuo Papa. Quocirca ex poſteriori iſta ſententia, quæ probabiliſſima videtur, dici poteſt, tales diſpenſationes non eſſe habendas tanquam nuda mandata, ad Epiſcopum Officialemve Diœceſanum miſſa ad concedendam petentibus gratiam, ſed tamquam gratiam jam factam, ad quam jus adeo certum impetrantibus competit, ut eam denegare nequeat executor, modo vera eſſe probent ſupplicationis ſuæ facta. *Quando gratia eſt facta, quamvis non exſecuta*, inquit Rebuffus (*f*), *cum quæſitum ſit jus ad rem, vel certe jus impetrandi officium judicis, vel exſecutoris, tunc non exſpirat morte concedentis*. Huic opinioni ſuffragatur praxis in Gallia & alibi univerſim accepta, cum quotidie Romana executioni mandentur reſcripta, quæ ad rem gratioſam pertinent, quamvis mortuo Papa, qui ea conceſſit, *Mandata iſta per mortem Papæ non exſpirant*, inquit etiam idem *Rebuffus ... ſic tenent Domini de Rota deciſione* 28. Si Epiſcopus, *& deciſione* 349. Si Papa (in novis). Id quidem probant hæc Bonifacii VIII. verba (*g*): *Hujuſmodi conceſſio (quam, cum ſpecialem gratiam contineat, decet eſſe manſuram) non exſpirat, etiam re integra, per obitum concedentis*. Qua de re ait Gloſſa: *Nota primo ex principio Capituli, quod gratia jam facta per mortem concedentis non exſpirat, antequam ille cui facta eſt gratia, illa gratia utatur ... nota, quod gratia facta non exſpirat per mortem concedentis, etiamſi ejus effectus nondum ſit adimpletus*. Idem docent Rodericus, Silveſter, Federicus de Senis, & Angelus (*h*).

(*f*) Petrus Rebuff. rubrica de mandatis Apoſtolicis §. 2. v. *Sui Pontificatus*.

(*g*) Bonifac. VIII. in c. Si cui. 36. de Præb. & dig. in 6. & in Gloſſ. lib. 3. t. 4.

Ex his colligimus, Thyrſum & Angelam novo non indigere reſcripto, cumque obtentum ab Alexandro VIII. ſufficiat, Officialem poſſe & etiam teneri ad ejus exſecutionem; modo nihil contrarium veritati eorum ſupplicatione contineatur. Ita ſentiunt Officialis Condomenſis, alterque Theologus, ad marginem indicati (*i*).

(*h*) Emm. Rodericus qq. regul. & in can. tom. 2. q. 47. a. 7. Silveſt. v. *Diſpenſatio*. q. 2. & apud eum Federic. de Senis Conſil. 78. Item Angelicus de Clavaſio eod. v. *Diſpenſatio*. & apud eum Federicus de Senis.

(*i*) P. Du Caſſe prax. juriſdict. Eccl. content. c. 4. n. 2. De Ste. Beuve to. 2. caſ. 113.

CASUS XXX.

Theophistus & Lucia in quarto gradu affines, obtenta Papali diſpenſatione matrimonii, ad Diœceſanum Officialem ſcripta juxta hodiernam Curiæ Romanæ praxim, ut ab eo exſecutioni mandaretur, Epiſcopum ipſum adierunt, a quo promulgationem ejus petiere. Numquid eam Epiſcopus promulgare per ſeipſum valet abſque Officialis miniſterio?

Respons.

Cum ex uſu præſenti per ſeipſum immediate Papa non diſpenſet, ſed id Officiali mandet; Epiſcopus Theophiſti ac Luciæ reſcriptum per ſe promulgare nequit: Licet enim Epiſcopi & Officialis unum idemque dici poſſit eſſe Tribunal, quoad juriſdictionem ordinariam; non idem dicendum de iis, quæ per delegationem ipſis fuere commiſſa: & a fortiori vice gerens eam non poteſt exercere functionem, niſi ab Officiali in eam rem & ob eam cauſſam fuerit conſtitutus. Igitur Theophiſtus & Lucia Officialem ipſum adire debuerunt, ipſi reſcripti ſui exemplar ac libellum ſuum ſupplicem offerre juxta ſolitam formam, in quo rogarent, ut dictum reſcriptum promulgare vellet: & id faciendo vellet quoque ſecum diſpenſare in impedimento canonico, cujus diſpenſationem requiſierint a Papa, ſimulque jubere Parocho ſuo, ut matrimonium ſuum celebraret: obtentiſque

reſcri-

reſcripti ſui promulgatione ſententiaque Officialis ad ſupplicem libellum ſuum, præſentes ſe coram Parocho ſiſtere, ut ab eo nuptialem reciperent benedictionem. Fruſtra igitur Epiſcopum ipſum adierunt, quandoquidem, ut ſupponitur in propoſita ſpecie, ad executionem reſcripti ſui Epiſcopus a Papa non fuit delegatus, neque jus, quod ſuum non eſt, quodque a Papa non ei fuit demandatum, ſibi arrogare nequit (*a*). Ex eo ſequitur, quod ſi Epiſcopo non eſſet Officialis, ſed ſolum vicem gerens, neceſſe eſſet, ut ipſum Officialis munere *ad hoc* inſigniret, hoc eſt, ad promulgandam & exſecutioni mandandam hanc diſpenſationem.

(*a*) Colloq. Lucon. tom. 5. Colloq. 10. q. 3.

CASUS XXXI.

Titianus & Anna. .. gradu prohibito conſanguinei, diſpen..ionem obtinuerunt in forma commiſſoria, ad Officialem Diœceſanum ſcriptam: ſed, ea recepta, factum eſt, ut Officialis, & Epiſcopus ipſe obierint. Elapſis aliquot menſibus, Officialem creavit novus Epiſcopus. Numquid novum hunc Officialem adire poſſunt Titianus & Anna, ut reſcripti ſui Romani promulgationem obtineant?

Respons.

Certum eſt, quod Titianus & Anna novum hunc Officialem poſſunt adire ad exequendum reſcriptum ſuum. Ratio eſt, quia propria Officialis vel Epiſcopi nomina non exprimit Papa in mandato ſuo; unde fit, ut tamquam perſonale haberi non debeat, ſed ad eorum ſucceſſores, iſtis mortuis, tranſeat.

Juvat hic obſervare mandatum ſemper dirigi ad Officialem aut Epiſcopum puellæ vel viduæ; quando vir eſt ex altera Diœceſi, & quidem Officialem aut Epiſcopum Diœceſanum viri illud promulgare non poſſe; etſi per errorem ad ipſum directum fuerit reſcriptum (*b*), ut ſentiunt quidam Canoniſtæ, inter quos cenſetur Pyrrhus Corradus (*c*).

(*b*) Colloq. Lucon. tom. 9. Colloq. 10 q. 1.
(*c*) Pyrrhus Corrad. prax. diſp l. 7. c. 5.

CASUS XXXII.

Attalus, Sacerdos Diœceſis Auſæ novæ in Catalania, Romam miſit, nomine Joannis & Mariæ, qui quarto conſanguinitatis gradu ſunt conjuncti, ad obtinendam neceſſariam ad matrimonium eorum, diſpenſationem; cumque reſcriptum eorum, quod Epiſcopo Auſæ novæ, vel ejus Vicario ſcribebat Papa, obtinuiſſet, Diœceſanus Epiſcopus obiit ante illius approbationem. Numquid Capitulum ad quod vacante Sede devoluta eſt juriſdictio Epiſcopalis, miniſterio Vicarii generalis ad Diœceſis regimen a ſe conſtituti, diſpenſationem hanc promulgare poteſt; an vero expectandum neceſſario, dum novus Sedem occupet Epiſcopus?

Respons.

Reſcriptum Joannis & Mariæ promulgare nequit Vicarius generalis Capituli. Ita ſentit Quaranta (*d*) poſt Felinum, cujus etiam rationem affert his verbis: *Hanc quæſtionem movet Felinus*, inquit, *in cap.* Eam te, *num. 17. de reſcriptis: & concludit negative ea ratione; quia talis Vicarius a Capitulo electus, non dicitur Vicarius Epiſcopi, ſed Epiſcopalis juriſdictionis, & illius, quam a Capitulo aſſumpſit.*

(*d*) Quaranta. v. *Capitulum*.

Sylvius, qui deciſionis hujuſce rationes nobis ſuppeditat, in hoc Barboſæ aliiſque permultis aſſentitur (*e*): quod confirmat ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum 24. Maii an. 1631. quam refert idem Barboſa (*f*), & qua declaratum eſt, Vicarium generalem a Capitulo, *Sede vacante*, conſtitutum, non poſſe executioni mandare matrimonii diſpenſationes, Epiſcopo aut ejus Vicario generali ſcriptas; addens etiam, ab eadem congregatione idem fuiſſe ſtatutum, quoad omnia Romanæ Curiæ reſcripta. En ejus verba: *Noviſſime* .,... 2. *Auguſti* 1631. *cenſuit Capitulum, ſeu Vicarium generalem, Sede vacante, non poſſe exequi commiſſiones Apoſtolicas* in forma dignum, *& alias directas Epiſcopo, vel ejus Vicario generali, intuitu officii, vel ſub nomine dignitatis.* Neceſſe eſt igitur, ut Joannes & Maria exſpectent ad promulgationem reſcripti ſui, donec Auſæ novæ Epiſcopus de novo conſtitutus fuerit.

(*e*) Sylvius reſol. var. v. *Vicarius*. 2.
(*f*) Aug. Barb. l. 1. Juris Eccl. univ. c. 32. n. 57 & apud eum Garcias, Riccius & Bonacina.

CASUS XXXIII.

Christiana, Epiſcopus Oſnabrucenſis, a Frederico Catholico, vehementer ſollicitatur, ut ſecum diſpenſet ad nubendum cum Eſthere puella hæretica; quod ab eo matrimonio pendeat rerum omnium ſuarum ſumma; promittatque hæc puella, ſe Catholicam Religionem eſſe amplexuram; ubi primum nupſerit, & e Patris, pariter hæretici, poteſtate exierit. Num diſpenſationem hanc concedere poteſt Epiſcopus?

Respons.

Cum hujuſmodi matrimoniis adverſetur jus naturale, divinum & humanum, ut alibi firmiſſimis probamus argumentis (*g*); firmiter tenendum eſt, non poſſe Chriſtiernam abſque ratu gravis peccati Frederico diſpenſationem concedere, qua ei cum Eſthere, hæretica puella liceat nubere. Inſuper talem concedendo diſpenſationem, hæreticum admitteret Epiſcopus ad receptionem Sacramenti, ſimulque Parocho matrimonium celebranti graviſſimæ offenſionis anſam præberet, dum perſonam Deo ejuſque Eccleſiæ inſenſiſſimam & indignam Sacramenti participem efficeret: nam vel Parochus eſt Sacramenti Matrimonii miniſter, vel ipſi contrahentes ſunt Miniſtri: ſi Parochus (quæ ſententia cum traditioae primorum Eccleſiæ ſæculorum aſt conſentanea (ſacrilegium committeret, illud indignæ huic adminiſtrando, & ſimul in materia Religionis cum hæretico communicaret; quod numquam eſt licitum. Si contrahentes ipſi ſint ejus miniſtri, ut contendunt multi inclyti Auctores, ſeu Theologi, ſeu Canoniſtæ; perſona Catholica, hoc eſt, Fredericus, triplicis criminis fieret conſcius, non ſolum quia Sacramentum illud indignæ adminiſtraret, & in materia Religionis cum hæretica communicaret, ſed etiam quia Sacramentum ipſe ſuſciperet a Miniſtro, notorie indigno, qui illud ſibi poſſit adminiſtrare. Aut ſi tandem ſibimet ipſi quilibet contrahens Sacramentum adminiſtret, ut quibuſdam aliis placet Doctoribus, ex praxi Eccleſiæ hæretico præberetur occaſio conficiendi ſimulque inſigne ſuſcipiendi Sacramentum: quæ omnia ad conceſſam ab Epiſcopo diſpenſationem ſolam, tantorum malorum originem, evenirent.

(*g*) Caſ. Gervaſius tit. *Impedimentum diſparitatis cultus*.

Certum quidem eſt, ab antiquo Agathenſi Concilio, quod ſub Symmacho Papa an. 506. habuit ſanctus Cæſarius, Arelatenſis Epiſcopus (*h*), hujuſmodi Matrimonia permitti ſub hac conditione: *ſi tamen profitentur Chriſtianos futuros eſſe ſe & Catholicos*: Sed ſciendum, vocem, *futuros*, intelligendam eſſe de tempore futuro, cujus initium ſit ipſum celebrationis Matrimonii momentum. Quod quidem facile probari poteſt 1. quia aliter Agathenſe Concilium longius hac in re procederet quam ante dixerat Laodicænum œcumenico primo Nicæno præmiſſum. Hæc ſunt enim celebris hujuſce Concilii verba (*i*): *Non oportet eam omni hæretico Matrimonium contrahere, vel dare filios aut filias, ſed magis accipere; ſi ſe Chriſtianos futuros profiteantur*: vel ut fert alia verſio: *ſi tamen profiteantur Chriſtianos ſe futuros eſſe Catholicos*; vel tandem ut in tertia verſione legitur: *ſi tamen Chriſtianos ſe fieri promittant*. Quod evidenter intelligitur de promiſſione *de præſenti*; ut indicant etiam hæc alia Chalcedonenſis Concilii an. 451. habita (*K*) verba: *Statuit ſancta Synodus non licere cuiquam ex his accipere ſectæ alterius uxorem .... ſed neque copulari debet nuptura; Hæretico, aut Judæo, vel Pagano, niſi forte perſona Orthodoxa copulanda promittat ſe ad Orthodoxam fidem transferre*; vel ut in alia verſione legitur: *niſi forte ſpoponderit ſe venire ad Orthodoxam fidem, dum conjungitur perſonæ Orthodoxæ*. Non eſt autem veriſimile, aliter locutum fuiſſe Concilium Agathenſe, ac duo illa ipſo longe priora famoſa Concilia.

(*h*) Concil. Ag. c. 2.
(*i*) Concil. Laod. can. 31.
(*K*) Concil. gen. Chalced. part. 2. art. 15. can. 14.

Ut autem conſtet, Concilia illa de promiſſione *de præſenti* fuiſſe locuta; idem quoque prohibet Concilium Eliberitanum an. 305. habitum (*l*), verbis

(*l*) Concil. Eliberit. can. 10.

bis iſtis claris & apertis. *Hæretici, ſi ſe transferre noluerint ad Eccleſiam Catholicam, nec ipſis Catholicas dandas eſſe puellas; ſed neque Judæis, neque hæreticis dare placuit.* Atque ex hac ſubjecta a Patribus hujuſce Concilii ratione omnino innoteſcit eorum intentio: *Eo quod nulla eſſe poſſit ſocietas fidelis cum infideli.* Quibus verbis neceſſario ſupponitur, ab aliis Conciliis requiri promiſſionem *de præſenti*; alioquin fidelem perſonam committeret Eccleſia periculo ineundi ſocietatem cum infideli, aut hæretica. Atque eo ſenſu Concilii Chalcedonenſis Decretum exponunt Balſamon & Zonara, quorum prior ſic dicit: *Niſi utique prohibitæ perſonæ pollicentur a ſua hæreſi vel ſuperſtitione recedere: tunc enim ſi ad Orthodoxam fidem acceſſerint, conſequentur quoque nuptiæ.* Poſterioris vero hæc ſunt verba: *Quod ſi fidem amplecti ſe velle Hæreticorum quiſpiam aut infidelium polliceatur; cum eo paciſci de nuptiis, non tamen eas, antequam promiſſa, qui ea dedit, impleverit, celebrari licere decernitur.*

Ex dictis igitur hactenus conſtat evidenter, Epiſcopum de quo in caſu propoſito, poſtulatam a Frederico diſpenſationem ſine crimine concedere non poſſe, quantamcumque ex ſuo cum Eſthere Matrimonio futuram ſibi utilitatem obtendat; cum Epiſcopus ex hac ratione non ſit movendus, ut diſpenſationem contra propriæ conſcientiæ dictamen concedat ac regulas Eccleſiæ, juris, & rationis. Neque etiam moveri debet ob ſpem ab Eſthere futuræ converſionis datam: nam promiſſio ejus neceſſario debet eſſe *de præſenti*, eamque prius debet perficere, quam ei abſque peccato nubere poſſit Fredericus, & ſine diſpenſatione (*a*).

(*a*) De Salute animæ to. 2. Caſ. 77. & 78.

Objiciet forſan aliquis, multa eſſe hujuſmodi diſpenſationum, quas conceſſit Summus Pontifex, exempla; ſed præterquam quod Papa viſibile eſt Eccleſiæ caput, a Chriſto Domino conſtitutus, atque ea ratione in iis diſpenſare poteſt, in quibus non valent Epiſcopi, prætermiſſa validitate aut invaliditate hujuſmodi diſpenſationum Curiæ Romanæ, dici poteſt judicium non eſſe ea de re ferendum ex facilitate quorumdam Summorum Pontificum, qui quaſdam ad inſtantiam quorumdam Principum diſpenſationes conceſſere. Verum quidem eſt ex Hiſtoria, quoſdam ſummos Pontifices eas diſpenſationes indulſiſſe: 1. Duci Barri ad Sequanam, qui Principi Calviniſtæ Henrici IV. ſorori nupſit (*b*): 2. Henricæ Galliæ Carolo I. Angliæ Regi nuptæ. 3. Catharinæ Luſitaniæ, quæ pariter cum Carolo II. Angliæ Rege Matrimonio juncta eſt. Verum infauſtæ omnes fuere illæ nuptiæ: nam in hæreſi mortua eſt Galliæ Princeps, ante obtentam Romæ diſpenſationem, ut obſervat Spondeus (*c*). Henrica cum juniore rege filio ſuo e regno expulſa eſt, poſt mortem Caroli I. cujus caput ſecuri ſubjectum eſt. Denique Catharina graviſſimas perpeſſa ærumnas mortuoque Rege viro ſuo abſque prole, in Luſitaniam ſeceſſit, ubi ab aliquot annis e vivis exceſſit. Adeo certum eſt, Deum numquam connubia illa Eccleſiæ Legibus adeo contraria beare, quibuſcumque nitantur diſpenſationibus.

(*b*) Epiſtola Card. d'Oſſat.

(*c*) Spond. ad an. 1600.

CASUS XXXIV.

JUDITH, puella egena, ab hæreſi Calviniana ad fidem Catholicam redux, ita Ambroſio, prædiviti Calviniſtæ & ſobrino ſuo indulſit, ut ei in Calviniano templo nuberet, ubi fiunt nuptiæ, nulla requiſita diſpenſatione, niſi a Magiſtratu, qui eam in tertio illo conſanguinitatis gradu numquam denegare ſolet. Qua de re quæritur 1. utrum validum ſit Matrimonium illud abſque Papali diſpenſatione celebratum? 2. Utrum abſque peccati mortalis in Calvinianorum templo nubere reatu Judith potuerit?

RESPONS.

Certum eſt, Judith Matrimonium abſque Pontificia diſpenſatione contractum eſſe invalidum; quia ob impedimentum dirimens in tertio conſanguinitatis gradu erat inhabilis ad contrahendum cum Ambroſio, neque ad illud Matrimonium idonea poterat effici, niſi per ſolam diſpenſationem legitimi Superioris, qui in hoc caſu non eſt Superior politicus, ſed Papa; cum a ſola poteſtate Eccleſiaſtica prodierit Lex, qua ad contrahendum cum ſuo conſanguineo ſit inhabilis; a qua eam proinde immunem efficere ſolus poterat Eccleſiaſticus Superior juxta illud ſancti Ambroſii (*d*): *Dominus par jus & ſolvendi eſſe voluit & ligandi.* Cui Legi Calviniani non minus quam Catholici ſubjiciuntur, cum Eccleſiæ Legibus ob ſuſceptum Baptiſma utrique ex æquo facti fuerint obnoxii.

(*d*) S. Amb. in Can. *Verbum*. 51. §. 1. de Pœnit. diſt. 1.

2. Non minus certum eſt, Judith abſque peccati mortalis reatu hæretico, & etiam extra Catholicam Eccleſiam, hoc eſt, in Calvinianorum templo nubere non potuiſſe: cum id expreſſe ex Canonibus cuilibet Catholico ſit vetitum; ut videre eſt ex ſupra citatis, & fuſius etiam alibi probamus: quæ prohibitio his Apoſtoli verbis innititur (*e*): *cui vult nubat; tantum in Domino.* Juxta expoſitionem Tertulliani (*f*), ſancti Cypriani (*g*). S. Hieronymi (*h*), ſancti Ambroſii (*i*), Theodoreti, Magiſtri ſententiarum, Cajetani, Eſtii & aliorum.

(*e*) 1. Cor. 7. 39.

(*f*) Tertull. l. 2. ad uxorem. c. 2. & de Monogamia. c. 7. & l. 5. contra Marcionem. c. 13.

(*g*) S. Cyprian. Lib. 3. teſtimon. ad Quirinum. c. 62.

(*h*) S. Hieron. l. 1. contra Jovinian. c. 5.

(*i*) S. Ambr. l. 8. in Lucam.

CASUS XXXV.

ENNEMUNDUS, Gallicanæ Diœceſis vaſtiſſimæ Epiſcopus, libello ſupplici a Petro & Joanna in tertio aut quarto gradu conſanguineis aut affinibus, rogatus, ut ſecum vellet diſpenſare in tali impedimento dirimente, exiſtimavit ſe talem concedere poſſe diſpenſationem, qua obtenta Matrimonium contraxere impetrantes. Numquid validum eſt ex tali diſpenſatione contractum Matrimonium?

RESPONS.

Cum generalius hæc proponatur quæſtio, ſpecialeſque alias quam plurimas includat difficultates, ut ſolvatur, neceſſe eſt, eam enucleatius expendere, ſimulque caſus proponere, in quibus valide diſpenſare poteſt Epiſcopus, vel non.

1. Dicimus, quod cum non una ſit omnium Galliæ Diœceſeon hac in re diſciplina; quilibet Epiſcopus eam poteſt ſequi conſuetudinem, quam in ſua Diœceſi invenit, nihil innovando: atque ex hoc principio Occitaniæ & Aquitaniæ Epiſcopi in quarto gradu *paupertatis cauſſa* diſpenſant, quod prædeceſſorum ſuorum antiquam ſemper hac in re conſervarint conſuetudinem: ſed Epiſcopus tum per ſeipſum diſpenſare debet, non facta Vicario ſuo generali iſta licentia; neque unquam diſpenſationem concedere debet, niſi utilitatis aut neceſſitatis cauſſa.

Ratio autem, propter quam veterem prædeceſſorum ſuorum morem retinere queat Epiſcopus, eſt, quia conſuetudo, qua Papæ reſervatur impedimentorum dirimentium diſpenſatio, vim Legis univerſalis non obtinet, nec adeo obligare poteſt in iis locis, in quibus contraria prævaluit conſuetudo, ut facile probant iſta Gregorii IX. verba (*K*). *Licet etiam longævæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeo valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitime ſit præſcripta.*

(*K*) Greg. IX. in Cap. *Cum tanto*. fin. de conſuetud. l. 1. tit. 4.

2. Certum eſt, ex nullo Canone diſpenſationes iſtas Papæ reſervari; licet ipſe ferme ſolus harum obtineat poſſeſſionem, quod jus illud in Epiſcopos ſuum fecerit ex longæva conſuetudine, quæ nunc pro iis vim Legis obtinet.

3. Quilibet Epiſcopus in gradibus prohibitis diſpenſare poteſt, quando impedimentum eſt penitus occultum, & ex dilatione Matrimonii certo debet oriri pro contrahentibus grave ſcandalum (*l*).

(*l*) Joann. Cabaſſ. juris canon. theor. & prax. l. 1. c. 2. n. 12.

4. Idem dicendum, ſi, cum impedimentum ſit occultum, ad Papam facile recurrere nequeant contrahentes, ſeu ob nimiam egeſtatem, aut infirmitatem, vel ob nimiam ab urbe diſtantiam, aut ob ſimilem aliam quamlibet cauſſam, quales eſſe poſſunt, peſtis, bellum, aut alia hujuſmodi impedimenta. Ejuſque rei Sylvius hanc affert rationem (*m*), quia, *in caſu neceſſitatis*, inquit, *urgentis tollitur reſervatio, poteſtque tunc inferior diſpenſare in Legibus Superioris.*

(*m*) Fr. Sylvius reſolut. v. *Diſpenſatio*. 2. Item Cabaſſ. cit.

5. Cum impedimentum eſt publicum, ſolus vulgo diſpenſare poteſt Papa, quia Epiſcopalis poteſtas hac in re ad forum tantum internum extenditur.

6. Ex

Digitized by Google

6. Ex antiquo Eccleſiæ Gallicanæ uſu, in tertio gradu nulla nnquam concedebatur diſpenſatio, ut conſtat ex Concilio Vermienſi in Diœceſi Sueſſionenſi, ſub Pontificatu Stephani II. an. 752. habito (a), in quo dicitur: *In tertio genu conjuncti ſeparentur; & poſt pœnitentiam actam, ſi ita voluerint, licentiam habeant aliis ſe conjungere; in quarta autem conjunctione ſi inventi fuerint, eos non ſeparamus, ſed pœnitentiam eis indicamus*. Hæc ſunt etiam Compendienſis Concilii quinqennio poſt ſub Paulo I. in eadem Diœceſi habiti verba (b): *Si in quarta progenie reperti fuerint conjuncti, non ſeparamus. In tertia vero ſi reperti fuerint, ſeparentur; & eos, qui unus in quarta, alius in tertia ſibi pertinent, & conjuncti inveniuntur, ſeparamus*. Ex quo patet, Galliæ Epiſcopos tunc non diſpenſaſſe, niſi in Matrimoniis in quarto gradu contractis; non vero in contrahendis, neque etiam in tertio gradu, aut etiam in tertio ſimul & quarto gradu; ſeu ante aut poſt matrimonium contractum.

(a) Conc. Vermer. can. 2.

(b) Concil. Compendien. can. 1.

7. Sunt tamen Epiſcopi nonnulli, qui antiquam retinent poſſeſſionem diſpenſandi in quarto gradu ad quintum, & etiam in tertio ad quartum gradum ſeu affinitatis, ſeu cognationis. Sunt etiam qui ex veteri conſuetudine jus obtinent diſpenſandi in affinitate ſpirituali, crimine, & honeſtate publica, non ſolum poſt, ſed etiam ante contractum matrimonium. Quem uſum adſtruit Decretalis Innocentii III. ad Epiſcopum Bellovacenſem (c), in qua aſſeritur, ex veteri & legitime præſcripta conſuetudine verum jus acquiri.

(c) Innoc. III. in cap. *Cum contingat*. 13. de foro comp. l. 2. tom. 2.

8. Denique quoad impedimenta dirimentia occulta, quæ ſunt juris tantum Eccleſiaſtici, quæque contractum bona fide matrimonium anteceſſere, non obtenta diſpenſatione neceſſaria (d), Epiſcopus relaxare poteſt, cum Matrimonium eſt publicum, nec ſine ſcandalo ſeparari poſſunt conjuges, aut Papa moraliter adiri non poteſt. Diximus: *quæ contractum bona fide Matrimonium* anteceſſere, hoc eſt, cum non nupſere conjuges, ut facilius diſpenſationem obtinerent *propter culpam habitam*: aliter enim Epiſcopus cum illis valide diſpenſare non poteſt.

(d) Caballſ. loc. cit.

Ex dictis hactenus facile colligi poteſt, conceſſam Petro & Joannæ ab Ordinario diſpenſationem eſſe validam; ſi Epiſcopus ille ejuſque Anteceſſores antiquam retinuerint diſpenſandi conſuetudinem, quam olim obtinebant Epiſcopi hujuſmodi diſpenſationes concedendi, nec in eos poteſtatem hanc legitima præſcriptione ſuam non fecerit Papa: alioqui legitima non foret diſpenſatio, nec proinde validum eorum Matrimonium (e). Huic decîſioni ſuffragantur alii multi Auctores, dum de Epiſcopis in genere loquuntur (f).

(e) De Sainte Beuve tom. 1. caſ. 66. 87. 74. & 75. t. 2. caſ. 104. 110. & 117. & tom 3. caſ. 161.

(f) Panor. in c. *Ar ſi*. §. de adult. de judiciis. Dom. Sotus l. 1. de juſt. q. 7. a. 3. & in 4. c. 37. q. 1. Sylveſt. de Pisicio v. *Diſpenſatio* §. 25. Barth. Fumus in aurea Armilla. Coſ. v §. 19. & 20. Fr. Tolet. inſtruct. Sacerd. l 7. c. 22. & Navar. Man. c. 22. 0. 85.

CASUS XXXVI.

Fuscianus, e diœceſi ſancti Brioci, & Chriſtiana e Venetenſi Diœceſi, conſanguinei aut affines in quarto gradu, Matrimonium ſimul contrahere cupiunt: Papam ob duas rationes adire non poſſunt, 1. ob nimiam paupertatem: 2. ob metum proximi & ineluctabilis ſcandali, quod brevi paritura ſit Chriſtiana ob habitam cum Fuſciano copulam. Venetenſem itaque adeunt Epiſcopum, qui neceſſariam eis concedit diſpenſationem. Qua de re quæritur, utrum ambobus hæc ſola ſufficiat diſpenſatio, an vero neceſſe ſit, ut ſimilem Fuſcianus ab Epiſcopo ſancti Brioci diſpenſationem obtineat, quo validum ſit eorum Matrimonium?

Respons.

Non ſufficit unius Epiſcopi diſpenſatio, ubi duo ad contrahendum inhabiles ob dirimens impedimentum ſunt e diverſa Diœceſi, ſed ad validitatem Matrimonii abſolute neceſſe eſt, ut ambo a proprio Epiſcopo diſpenſationem obtineant. Ratio eſt, quia quodlibet impedimentum directe perſonam afficit. Cum igitur quilibet ex ſupplicantibus proprium ſibi habeat impedimentum, neceſſe eſt, ut pro utroque tollatur. Omnis autem diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, quæ ab Epiſcopo in ſolos ſubditos ſuos exerceri poteſt; quia nulla in Diœceſanos alterius Epiſcopi ei poteſtas competit. Unde ſequitur, quod Venetenſis Epiſcopi diſpenſatio, qua Chriſtiana ad contrahendum fit idonea, eumdem nequit præſtare effectum pro Fuſciano, cujus impedimentum a proprio tantum Epiſcopo, ſcilicet ſancti Brioci, tolli poteſt (g).

(g) De Sainte Beuve tom. 1. caſ. 71. & 76.

CASUS XXXVII.

Eugippius, Illerdenſis diœceſanus, emiſſo, dum decimum octavum ætatis annum ageret, virginitatis & perpetuo continentiæ voto, biennio poſt uxorem ducens, non obtenta a Papa voti ſui diſpenſatione, Epiſcopum ſuum adivit, ut eam obtineret ad petendum legitime debitum conjugale. An ſufficiet Epiſcopi ſui diſpenſatio, ut tuta ſit conſcientia?

Respons.

Diſtinguendum: ſi ea ſit Diœceſis Illerdenſis conſuetudo, ut cum nuptiis in tali voto diſpenſet Epiſcopus; ex ejus diſpenſatione tuta conſcientia erit Eugippius, eaque ſine peccato uti poterit: at ſi ea non fuerit ibi ſtabilita conſuetudo, Epiſcopi ſui irrita foret diſpenſatio, neque ipſum adeo immunem a peccato efficere poſſet. Ratio hujus diſcriminis eſt, quia reſervatio diſpenſandi de voto ſimplici caſtitatis perpetuæ nullo Canone Papæ adſcribitur, ſed ſolum conſuetudine, qua jus illud in Epiſcopos legitime præſcripſit. Si igitur Illerdæ Epiſcopi hoc ſibi jus uſu capi non neglexerint, ut in caſu propoſito poſſint diſpenſare, *ad petendum debitum*, legitima eſt eorum diſpenſatio: at ſi jus illud in ipſos præſcripſerit ſummus Pontifex, ut in omnes alios ferme Epiſcopos; inutilis Eugippio fieret ab Epiſcopo ſuo obtenta diſpenſatio; & ad Romanam Curiam recurrere debet (h).

(h) Idem to. 2. caſ. 187. & tom. 3. caſ. 73

CASUS XXXVIII.

Ademarus, cum ſorore uxoris ſuæ adulteratus, ab Epiſcopo ſuo diſpenſationem ad petendum conjugale debitum obtinuit. Menſe elapſo ab obtenta illa diſpenſatione moritur Epiſcopus. Numquid ea deinceps uti poteſt Ademerus ad petendum debitum, nulla de novo ab illius Epiſcopi ſucceſſore obtenta diſpenſatione?

Respons.

Certum eſt, Ademerum vi diſpenſationis ab Epiſcopo ſuo defuncto impetratæ conjugale deinceps exigere poſſe debitum, quia videlicet hujuſmodi diſpenſatio eſt nuda gratia: atqui *gratia .... morte non perimitur concedentis*, ait Bonifacius VIII. (i): quod etiam docet Gloſſa in Decretalem hujuſce Pontificis a nobis laudatam in reſponſione ad vigeſimam octavam difficultatem (K): quibus ad novam confirmationem addi poſſunt tres iſtæ juris regulæ (l): 1. *Privilegium perſonale ſequitur perſonam*. 2. *Favores convenit ampliari*. 3. *Decet conceſſum a Principe Beneficium eſſe manſurum*.

(i) Boniface. VIII. in c. *Si ſuper* 9 de officio & po. teſt. jud. de. leg in 6. l. 1. t. 14.

(K) Gloſſ in c. *Si eus* 36. de præb. & dign. in 6.

(l) Reg. 7. 14. & 16. de reg. jur. in 6.

CASUS XXXIX.

Proculus, cum Bibiana nubere cupiens, cui eſt affinis in ſecundo gradu, quod clam cum Mævia Bibianæ in eodem gradu conſanguinea peccaverit, Vicarium generalem a Capitulo, *Sede vacante*, conſtitutum adit, eumque rogat ut neceſſariam ſibi velit concedere diſpenſationem, cujus obtinendæ has ipſi affert rationes.

1. In eodem manent domicilio, & ab anno ad hodiernum diem tamquam maritalem duxere vitam, & tamquam conjuges habentur ac prolem habent.

2. Ambo ſunt pauperrimi, nec eis quidquam ſuppetit ut Romam mittere valeant.

3. Ob primam rationem a ſe invicem ſeparari nequeunt, abſque graviſſimo dedecore ac ſcandalo.

4. Mævia, quacum libidinoſe egit Proculus Sempronio matrimoniali vinculo ſociata eſt, qui cognoſcens, aut ſaltem ex hac ſeparatione mulieris ſuæ libidinem ſuſpicans, eam male habere, aut contemnere ac etiam continuas cum ea movere rixas poſſet.

Quæritur itaque 1. an generalis ille Vicarius Capituli validam Proculo ob rationes ab eo allegatas, diſpenſationem poſſit concedere? 2. Utrum id poſſit; poſito quod Bibianæ ipſi ac decem aut duodecim eorum parentibus notum ſit impedimentum;

Digitized by Google

ita ut magis notorium fieri nequeat, nec ad ſorum contentioſum deduci poſſit?

RESPONS.

Sylvius, cui par olim de duobus Diœceſanis cujuſdam Epiſcopatus, propoſita eſt difficultas, 10. Februar. an. 1641. reſpondit (*a*) dicens, probabile eſſe, Vicarios generales Capituli, *Sede vacante*, talem poſſe concedere diſpenſationem: *Capitulum enim*, inquit, *ac per conſequens generales Vicarii per Capitulum conſtituti, Sede vacante, ſuccedit in omnem juriſdictionem Epiſcopalem, per ſe, vel per alium ad id idoneum, exercendam*: Exceptis tamen quibuſdam caſibus in jure expreſſis, in quorum numero præſens non reperitur: quod probat hic Theologus ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (*b*), quæ ſic habet: *Si Epiſcopus a Paganis, aut Schiſmaticis capiatur, non Archiepiſcopus, ſed Capitulum, ac ſi Sedes per mortem vacaret illius, in ſpiritualibus & temporalibus miniſtrare debet, donec* &c. In ea re Sylvio aſſentitur Navarra (*c*), uti Silveſter, Barboſa, Sairus, Zerola, & alii multi.

(*a*) F. Sylvius reſ. var. v. *Diſpenſat.* in 8.

(*b*) Bonifac. VIII. in cap. *Si Epiſcopus* 3. de ſupplen de negligent. Prælat. in 6. l. 1. tit. 8.

(*c*) Navarr. conſil. 44. de temp. ord. & conſil. 7. de filiis Presb. Sylveſt. de Prierio v. *Capitulum*. Auguſt. Barboſ. alleg. 46. n. 9. Greg. Sairus Clav. reg. l. 6. cap. 11. n. 24. Zerola p. 2. v. *Capitulum* q. 3. &c.

Diximus, Capitulum ſuccedere in ordinariam Epiſcopi juriſdictionem, *exceptis tamen quibuſdam caſibus in jure expreſſis*, quale eſt jus conferendi Beneficia vacantia, quæ ad collationem Epiſcopi pertinent; quæ poteſtas ſpeciatim ex Decretali Honorii III. in corpore juris Canonici relata excipitur (*d*). Atqui caſus, de quo agitur, nullibi a jure excipitur: & conſequenter Capitulum, aut Vicarii generales ad ſpirituales Diœceſis regimen conſtituti, neceſſariam pro ea re juriſdictionem habent.

(*d*) Honor. III. in cap. *Illa* 2. ne Sede vacante aliquid innovetur. Lib 3. tit. 8.

Dicitur in caſu propoſito, culpam Proculi cum Mævia, Bibianæ in ſecundo gradu conſanguinea ex qua oritur impedimentum dirimens, decem aut duodecim eſſe notam: ſed ex eo non fit, ita ſentienta Sylvio, ut ei diſpenſatio nequeat concedi, quia ſatis eſt, 1. ut juxta vulgi ſenſum tamquam conjuges habeantur. 2. ut abſque infamia & ſcandalo ſeparari non poſſint. 3. ut ad extremam vare inopiam ſint redacti. 4. Denique ut a ſe invicem ſeparari non valeant, niſi ſecum invicem rixentur Sempronius & Mævia: veriſimile quippe non eſt, hanc eſſe Sedis Apoſtolicæ intentionem, ut talem ſibi reſervet diſpenſationem in his circumſtantiis, quæ & maximam & urgentem neceſſitatem, nec non mala tanta inde futura ſupponunt.

CASUS II.

ARTEMIDORUS, Lameci in Luſitania officialis, promulgato Pontificio reſcripto, quo concedabatur diſpenſatio impedimenti matrimonium dirimentis, ſibi nummum pro mercede laboris ſuſcepti proceſſus neceſſarios faciendo, addixit: duas quoque libras Promotor, & unam libram ſcriba exegit. Attamen ex reſcripto Officiali, etiam indicta excommunicationis pœna, *ipſo facto*, erat vetitum, ne ab impetrantibus acciperet. *Quodcumque munus, aut præmium etiam ſponte oblatum*. Et inſuper in reſcripto ſuo declarabat Papa, quod ſi quid muneris, aut præmii, etiam liberaliter oblati reciperet, diſpenſatio eſſet invalida *ipſo facto*. En propria hujuſce reſcripti verba: *Mandamus, quatenus depoſita per te omni ſpe cujuſcumque muneris aut præmii, etiam ſponte oblati, a quo te omnino abſtinere debere monemus… Volumus autem, quod ſi, ſpreta monitione noſtra, ejuſmodi aliquid muneris aut præmii occaſione dictæ diſpenſationis exigere, aut oblatum recipere præſumpſeris; excommunicationem latæ ſententiæ pœnam incurras*.

Quid de hac diſpenſatione exiſtimandum? An invalida facta eſt, quia Officialis ceterique Curiales ſupradictam in narratione caſus ſummam acceperunt; & Officialis excommunicationis pœnam incurſit?

RESPONS.

Si Officiali addictum ſit, uti revera habere debet ex ſacris Canonibus (*e*) ſalarium; dicendum nullam ab eo pro ſalario accipi poſſe mercedem; atque eo ſenſu intelligenda eſt prohibitio a ſummo Pontifice facta; quia ſupponit, quod, cum ei ſit merces quædam addicta, ſalarii ipſius anticipatur ſolutio: ſed ſi nullum ipſi conſtitutum ſit ſalarium de proventibus Epiſcopatus, quales ex Gloſſa (*f*) par eſſet, eum habere: *Epiſcopus*, inquit Gloſſa, *ſi committat vices ſuas alicui, poteſt & debet ei conſtituere ſalarium de Camera ſua: cum ille ad hoc non teneatur*: ſi nullum, inquam, habeat ſibi conſtitutum ſalarium, debitam labori ſuo mercedem recipere poteſt conformiter ad præſcriptum legis & conſuetudinis, quin ideo excommunicationem eum incurrere, aut diſpenſationem invalidam fieri, dici poſſit; quia hujuſmodi clauſulæ ſemper intelligendæ ſunt *ſalvo jure naturali & divino poſitivo*. Exigit autem jus naturale & divinum poſitivum, ut qui operatur, debitam laboris ſui mercedem accipiat. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua*, ait Evangelium (*g*). Quare clauſulæ non ſunt intelligendæ de eo, quod dicitur *ſtipendium laboris*, ſeu *merces*, hoc eſt, de ſalario legitime debito quod, accurate loquendo, dici nequit *munus*, aut *præmium*, quidquid contra communem opinionem ſentiat Navarra; cum vox munus nihil aliud ſignificet, quam donum pure gratuitum, & *præmium* eumdem quoque ſenſum retineat, & quandoque etiam odioſum, apud quoſdam antiquos Auctores, ut apud Tibullum & Propertium, qui vocem hanc accipiunt pro eo quod dicitur *præda*. Igitur utraque voce id ſolum intelligendum eſt, quod juſtam ſuperat mercedem; ut ſi Officialis, cui nummus ſolummodo debetur, duplionem exigeret; quo in caſu excommunicationem ipſe incurreret, & diſpenſatio ob iſtam exactionem fieret invalida, ut omnes fatentur.

(*e*) Can. *Clerici* 10. 1. q. 2. can. *Charitatem* 45. 12. q. 2. cap. *Interꝛ.* 25. de officio Jud. ordin. l. 1. tit. 31.

(*f*) Gloſſa in cap. *Præterea*, ne Prælati vices &c. v. *Quantitate*.

(*g*) Luc. 10. 7.

Iſtæ vero clauſulæ ad promotorem aut ſcribam non ſpectant: ita ut ſi plus debito exigerent, nullam iſti pœnam incurrerent, & diſpenſatio tamen foret valida; cum in reſcripto non denominentur, in quo de ſolo Officiali fit mentio. Ita ſentiunt multi Auctores (*h*) & in primis Filliucius, qui, cum Papæ fuerit Pœnitentiarius, & Romæ ad reſpondendum conſcientiæ caſibus præpoſitus, haberi debet, uti Auctor, cui penitus nota erat hac de re Sedis Apoſtolicæ intentio.

(*h*) D. Aubanx tract. de reſcript c. 10. §. 1. Du Caſſe prax juriſd. Eccleſ. cont. c. 4. §. nu. 4. De Sainte Beuve tom. 1. caſ. 60. & to. 2. caſ. 196.

CASUS XLI.

PIPINUS, Sobrinus & tutor Gertrudis, cum hac puella fornicatus, ſuadente Confeſſore ſuo, Romam miſit ad obtinendam diſpenſationem, ut ei nuberet; eique reſcriptum conceſſit Papa in forma commiſſoria, Epiſcopo Diœceſano, ut illud executioni mandaret inſcriptum: ſed facta hujus reſcripti lectione evenit, ut ex eo permittat quidem Papa, cum Gertrude Pipinum nuptias contrahere, nulla facta mentione de diſpenſatione impedimenti, quod inter eos intercedit: Inſuper Pipini ſupplex libellus Pontifici oblatus, gradum quidem conſanguinitatis, quo ipſe & Gertrudis juncti ſunt, ſimulque peccatum ab iis admiſſum continet: ſed in eo tutoris qualitatem ſuam omiſit. Qua de re quæritur, 1. utrum Pipini Confeſſarius ei ſuadere potuerit, ut diſpenſationem peteret ad uxorem ſibi ducendam conſanguineam ſuam. 2. An reſcriptum illud ſubreptitium non ſit ob omiſſam in ſupplicatione tutoris qualitatem. 3. Si forte non ſubreptitium ſit, utrum illud executioni mandare queat Epiſcopus, & contrahentes ad matrimonii celebrationem admittere, licet in eo nulla fiat diſpenſationis mentio?

RESPONS.

Ad primum quæſitum reſpondemus, Pipini Confeſſarium ei ſuadere non potuiſſe, ut in Romana Curia diſpenſationem peteret, niſi juſtæ ſubeſſent contrahentibus eam poſtulandi rationes; neque enim abſque peccato ſuaderi poteſt matrimonium contra regulas Eccleſiæ contrahendum ſub obtentu parum tutæ diſpenſationis: ſed ſi Confeſſario perſuaſum fuerit, Pipino juſtas ſubeſſe cauſſas eam poſtulandi, v. g. quia infamata maneret Gertrudis non confecto illo matrimonio; ita ſuadere potuit abſque peccato.

Quod pertinet ad tutoris qualitatem in libello omiſſam, certum eſt, quod ex tali omiſſione ſubreptitia non fiat diſpenſatio. Ratio eſt, quia ex Sacris Canonibus hujuſce qualitatis non exigitur decla-

Digitized by Google

declaratio, ita ut in pœnam irrita fiat diſpenſatio petita, niſi declaretur.

Denique ad tertium quæſitum reſpondendum, juſte præſumi poſſe, quod, cum Pipino permittit Papa, ex oblato ſibi Libello, qui verum continet, ut Gertrudi nubat, non aliud intendit, quam rogatam ei concedere diſpenſationem, aut cum eo diſpenſandi Ordinario facere poteſtatem; quandoquidem aliter Matrimonium contrahere petentibus non permiſiſſet. Igitur reſcriptum ratum habere poteſt Ordinarius, eoque utendi tamquam tacitam continente diſpenſationem, licentiam impetrantibus facere. Addamus inſuper, diſpenſationis expreſſionem non fuiſſe omiſſam, ut æque judicari poteſt, niſi in Curia illius, qui Romæ reſcriptum abſolvit; cum certum ſit, quod in omnibus hujuſmodi reſcriptis de Papali diſpenſatione expreſſa ſemper fiat mentio; nec ullum unquam eo ſtylo ſcribatur, quo ſupponitur Pipini reſcriptum (*a*).

(*a*) De Sainte Beuve. to. 3. caſ. 171. & to. 2. caſ. 109.

CASUS XLII.

Alainus, obtenta Papali diſpenſatione, qua illi conceſſum eſt, Leonardæ affini ſuæ in quarto gradu, nubere conſilium mutat, ac Leonardæ declarat, ſe diſpenſationi renuntiare, nec ei nubere jam velle, Elapſo uno aut altero anno, iterum voluntatem mutat, & eum ea nubere vi illius diſpenſationis peroptat. Numquid idipſum poteſt tuta conſcientia, cum eam prius abdicarit?

Respons.

Certum quidem eſt, liberum eſſe ei, qui diſpenſationem impetravit, eamdem abdicare; cum diſpenſatio ſit gratia; &... *quilibet ad renuntiandam juri ſuo liberam habeat facultatem*, inquit Innocentius III. (*b*) Sed non minus certum eſt, per ſimplicem impetrantis renuntiationem invalidum non fieri reſcriptum, niſi a Superiore, qui illud conceſſit, fuerit accepta; ita ut ſine illa acceptatione pro quocumque tempore, & ad arbitrium impetrantis valeat ſemper reſcriptum, ſeu diſpenſatio. Cujus rei cauſſam ſuppedirat iſta juris regula (*c*): *Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*; & iſta alia juris Romani (*d*): *Nihil jam naturale eſt, quam eo genere quidque diſſolvere, quo colligatum eſt.* Atqui diſpenſatio non eſt valida, niſi per voluntatem Superioris concedentis, & acceptationem ſupplicantis. Igitur invalida fieri nequit, niſi ex utriuſque conſenſu; ſi tamen excipias diſpenſationem voti aut Jurisjurandi, cujus priores quis poteſt contrahere obligationes, de quibus diſſolvi nequit, niſi ex nova diſpenſatione.

(*b*) Innoc. III. in c. *Ex conſcientia*. 9. de crimine falſi l. 5. tit. 20.

(*c*) S. Chryſoſt. in cap. Omnis 2. de reg. jur. apud Greg. IX. l. 5. decretal. tit. fin.

(*d*) L. *Nihil*. 35. ff. de div. reg. jur. ant. l. 50. tit. 17.

Alteram probationem *a ſimili* petitam ſuppeditat Conſtitutio Bonifacii VIII. (*e*), in qua ſic legitur: *Licet is, qui procurator conſtituitur ab abſente, dixerit præſentatum ſibi ſuſcipere nolle mandatum: hoc tamen nequaquam obſtante, quamdia conſtituens in eadem perſtiterit voluntate ipſum acceptare poterit, quandocumque placebit.* Ad quem textum dicit Gloſſa idem ſentiendum eſſe de electione, quam electus primum renuens, acceptare tamen poteſt, modo in eadem electores perſeverant voluntate. *Si electus præſentata ſibi electione renuat conſentire, adhuc electoribus in eadem voluntate manentibus, poterit conſentire.* Ex his igitur colligi poteſt, Albinum ea, de qua agitur, uti poſſe diſpenſatione ad nubendum cum Leonarda, etſi ea uti ſtatim renuerit, cum ex ſola ipſius renuntiatione fieri non potuerit invalida.

(*e*) Bonifac. VIII. in cap. *Licet*. 7. de procuratorib. in 6. & ibid Gloſſa v. *Placuerit*. l. 2. tit. 19.

CASUS XLIII.

Haerculanus Antoniæ connubium petit, ſed illud abſque diſpenſatione perficere nequit, quia impedimento ligatur, quod eſt ex eorum numero, *quæ impedientia tantum, & non dirimentia* vocantur. Numquid requiritur, ut Papæ diſpenſationem obtineat?

Respons.

Conſuetudo, quæ vim legis obtinet, Epiſcopo poteſtatem confert, valide de hujuſmodi impedimentis diſpenſandi, quin requiratur Papalis diſpenſatio. Ita ſentiunt S. Antoninus (*f*), Paludanus, Toletus, Navarra, Sylvius, & alii multi. Quod ex hac ratione probat Navarra: *Quia videtur*, inquit, *quod conſuetudo non tantam id habeat: ſed quod etiam nec a Papa, nec ab Epiſcopo petatur diſpenſatio, quando cum illo impedimento aliud dirimens non concurrit.* Quæ tamen hujuſce Canoniſtæ ratio univerſim non eſt vera de omnibus Impedimentis impedientibus, ſed de quibuſdam tantum, quorum re ipſa non ſolet diſpenſatio requiri, ut alibi obſervavimus. Certum eſt enim licite contrahi non poſſe abſque Epiſcopi diſpenſatione in quibuſdam, quale eſt impedimentum temporis prohibiti, Adventus ſcilicet & Quadrageſimæ.

(*f*) S. Anton. 1. part. ſum. Theol. tit. 1. c. 16. §. 4. Petrus Palud. in 4. diſt. 18. q. 4. Pe. Tolet. inſtruct. Sacerd. l. 7. c. 22. n. 2. Navar. Man. c. 22. n. 5 Fr. Sylv. in ſup. S. Th. q. 50. art. un. quæſ. 2.

A regula generali excipiunt iidem Auctores votum abſolutum caſtitatis perpetuæ, & votum Religionis, de quibus ſolus diſpenſare poteſt Papa. Attamen ſi matrimonium fuerit contractum, non obſtante tali voto, Epiſcopus *per EpiKiam* cum vovente diſpenſare poteſt, eique permittere, ut debitum conjugale reddat, cum adeſt pollutionis periculum, nec ad Papam facile poteſt recurrere (*g*). Idem docent Auctores, quos modo laudavimus.

(*g*) Dom. Sot. in 4. diſt. 18. q. 2 art. 3. Tolet. cit. l. 7 c. 17. Bartholo. Fum. in Aurea Armilla. Navarr. Silvius &c.

CASUS XLIV.

Cerannus quamprimum nubere cupiens, trium promulgationum matrimonii ſui diſpenſationem obtinuit. 1. Potuit ne Epiſcopus ſine alicujus peccati reatu hanc ei concedere diſpenſationem; quamvis ſibi notum eſſet, nullamCeranno legitimam ſuppetere rationem hujus obtinendæ? 2. Quæ ſunt cauſſæ legitimæ hujuſmodi diſpenſationum?

Respons.

Epiſcopus ſine peccati reatu trium matrimonii proclamationum diſpenſationem Ceranno concedere non potuit; cum ei penitus eſſet cognitam, nullam huic homini ſubeſſe rationem hujuſce diſpenſationis impetrandæ. Ratio eſt, quia omnis diſpenſatio, quæ non legitima cauſſa nititur, unice confert ad everſionem, aut debilitationem diſciplinæ, quam ſapienter & accurate in primis conſtituit Eccleſia. Id quidem evidenter probari poteſt ex verbis, quibus utitur Concilium Tridentinum, cum Epiſcopis poteſtatem concedendi hujuſmodi diſpenſationes committens ita loquitur (*h*): *Sicut publice expedit legis vinculum quandoque relaxare*, inquiunt Patres hujuſce Concilii, *ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus, pro communi utilitate ſatisfiat; ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire.*

(*h*) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 1.

Multo ante Concilium jam dixerat S. Thomas (*i*), quod *omnis diſpenſatio petita a Prælato debet fieri ad honorem Chriſti, in cujus perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt corpus ejus.* Eamdem Doctrinam tuetur verbis graviſſimis S. Antoninus (*K*): *Poſſunt autem ipſi Prælati diſpenſare & debent*, inquit hic Sanctus, *cum adeſt cauſſa rationabilis, puta alicujus neceſſitatis, vel majoris utilitatis. Unde definitur ſic diſpenſatio ab Hoſtienſi, quod eſt*, juris alleviatio, facta cum cauſſæ, *ſcilicet rationabilis*, cognitione ab eo, qui poteſt. *Quod ſi Prælati abſque rationabili cauſſa, vel ſaltem dubia, pro ſola voluntate licentiam tribuant veniendi contra leges, ſecundum Bernardum in libro de diſpenſatione & præcepto, non erunt diſpenſatores, ſed diſſipatores: & peccabunt ipſi diſpenſantes, cum diſpenſatis, ſi eis utuntur.* Quod probat hic Sanctus ex his Chriſti Domini verbis (*l*): *Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator & prudens &c.* & ex Concilio Meldenſi, an. 845. habito, quod refert Gratianus in Decreto (*m*).

(*i*) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. in corp.

(*K*) S. Anton. 1. part. ſum. Theol. tit. 19. c. 1. §. 10.

(*l*) Luc. 12. 42.
(*m*) Concil. Mel. c. 64. in Can. Tali 27. 1. q. 7.

Eccle-

Eccleſia Gallicana in Conventibus Meloduneſi an. 1579. & Pariſienſi ao. 1606. congregata eam, quam defendimus, aperte doctrinam amplexa eſt. En verba prioris ex illis Conventibus (a): *Ne trinæ proclamationes omittantur, & diſpenſationes ſuper illarum omiſſione non concedantur, niſi ex cauſſa legitima, diligenter probata*. Conventus an. 1606. (b), verbis expreſſis declarat, cum nemine poſſe diſpenſari de tribus proclamationibus, ſed de una, aut altera tantum ob cauſſam legitimam: quod jam conſtitutum fuerat ex Edicto Henrici II. ab an. 1556 (c). Et hæc ſunt, quæ de prima difficultate eramus dicturi.

(a) Conſtit. Conv. Meloduneſis nomine totius Cleri Gallicani coacti an. 1579. tit. de matrim.
(b) Tit. 6.
(c) Apud Fontanne. t. 1. pag. 750.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondemus, ſex eſſe cauſſas, propter quas Epiſcopus induci poteſt ad diſpenſandum in proclamationibus matrimonii.

1. Cum adeſt periculum, ne quis ſine ratione, ſed ex pura malitia ſe ſe matrimonio opponat: atque hæc eſt unica cauſſa, de qua loquitur Concilium (d).

(d) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 1.

2. Cum legitima eſt ſuſpicio, ne pro contrahentibus maleficium quis uſurpet.

3. Cum eo fine petitur diſpenſatio, ut vitentur deriſio, contemtus, aut odium, quod contrahentibus eſſet ferendum, ſi promulgaretur matrimonium, v. g. cum ſenex puellulæ nubit; ut non ita pridem accidit in Timotheo Blanche Garumnæ incola, qui annos 117. cum tribus menſibus natus, puellæ 18. tantum annnrum ætate provectæ nupſit (e): ut etiam cum grandæva adoleſcentem ſibi virum ducit, aut cum vir nobilis puellæ ignobili, aut pauperi nubit.

(e) Ephemerides temporis menſe Feb. an. 1708.

4. Cum vitandum eſt ſcandalum, v. g. cum agitur de reſtitutione matrimonii, quod erat invalidum, & publice legitimum habebatur.

5. Cum ita propinquum eſt Adventus aut Quadragesimæ tempus, ut promulgationes fieri nequeant: ſi tamen matrimonium ad aliud tempus abſque gravi quodam incommodo remitti non poſſit.

6. Denique, quando imminet mortis periculum, & ægrotans alicui nubere tenetur (f).

(f) Palud. in 4. diſt. 28. q. 2. n. 19. Dom. Sotus ib. q. 1. art. 2. Silveſter. & plures alii.

Vide IMPEDIMENTA MATRIMONII.

* CABASSUTIUS, & Theologi complures ſeptimam eddant in proclamationibus diſpenſendi cauſſam: *Nempe quando Summi Principes contrahunt: tum quia his aliqua prerogativa concedenda ſunt, tum quia ceſſat periculum occulti impedimenti, cum eorum genus, & facta cunctis comperta ſint.*

DISPENSATIO VOTORUM IN GENERE.

ANtequam de votorum diſpenſatione fiat ſermo, ſciendum quid & quotuplex ſit *votum*. Sic autem definitur votum: *Votum eſt promiſſio facta de meliori bono* (g).

(g) Palmar. part. 2. 2. n. 840. & ſeq.

Multiplex eſt votum; ſcilicet abſolutum & conditionatum, perpetuum & non perpetuum. Votum abſolutum, inquit idem Auctor, *eſt illud quod fit abſque particula ſuſpenſiva, aliave æquivalente*. Votum conditionatum eſt illud, cui aliquis additur terminus, conditiove, quæ ejus poteſt ſuſpendere effectum, aut ipſius durationem, exſecutionemve limitare; quales ſunt voces iſtæ: *dummodo*, *donec*, aut aliæ ſimiles.

Votum perpetuum eſt illud, quo quis pro toto vitæ tempore ſe obligat; votum vero non perpetuum illud eſt, quo quis ad certum quoddam tempus ſe adſtringit, quo elapſo jam definit votum.

Votum poteſt eſſe ſimul perpetuum & temporale, abſolutum & conditionatum; v. g. voveo non amplius furaturum: & ſi forte denuo furtum aliquod committam, duplionem pauperibus me erogaturum.

Duplex aliud etiam voti genus diſtingui poteſt. Aliud formale & expreſſum, explicito & determinato modo conceptum, ſeu verbis, ſeu animo. Alterum eſt implicitum, ſeu tacitum, cum nimirum fit actio, cui connexum eſt continentiæ votum; qualis eſt ſacrorum Ordinum receptio.

Votorum etiam alia ſunt perſonalia, id eſt, quæ voventes tantum obligant, v. g. vovere jejunium, Religionis ingreſſum; alia realia, quibus contrahitur obligatio faciendi pium aliquod opus vel per ſeipſum, vel per alium, v. g. dare nummum pauperi. Quædam etiam mixta dicuntur; quia utrumque ſimul includunt.

Denique duplex eſt aliud votorum genus: ſolemne videlicet & ſimplex: votum ſolemne conſiſtit in profeſſione Religionis in ordine approbato ab Eccleſia, aut a Papa, vel in ſuſceptione ſacrorum Ordinum. Cetera omnia cenſentur ſimplicia, quamvis palam & coram omnibus emiſſa.

Diſpenſatio voti ſic definitur: eſt *relaxatio vinculi voti*, hoc eſt, condonatio, ſeu remiſſio a Superiore legitimo facta, debiti a vovente apud Deum contracti.

Commutatio voti a diſpenſatione differt: eſt enim commutatio voti, *translatio obligationis voti de una materia ad aliam*: v. g. cum Superior ad talem eleemoſynam eum obligat, qui peregrinationem voverat. Alia etiam ratione extinguitur obligatio voti; quæ dicitur, *condonatio voti*; quando v. g. is, pro quo emiſſum fuerat votum, ab ejus debito voventem ſolvit: v. g. vovi talem huic dare pecuniam, qui me ab ejus ſolutione eximit.

His ita præſuppoſitis dicimus, eſſe vota de quibus ſolus diſpenſare poteſt Papa, quod ipſi vel jure, vel conſuetudine ſint reſervata; ut ſunt vota ſolemnia, de quibus diximus; votum peregrinationis Romam, *ad limina Apoſtolorum*, ad ſanctum Jacobum in Gallæcia, in terram Sanctam, ſeu Jeruſalem, & votum perpetuæ caſtitatis & Religionis.

Epiſcopi vel ex officio, vel ex ſpeciali deputatione de omnibus aliis diſpenſare poſſunt, & etiam de votis perpetuæ caſtitatis conditionalibus, aut tacitis; modo nondum poſita ſit conditio: pariter diſpenſare poſſunt de iis, quæ non ſunt certa, ſed ſolum dubia; ſeu dubium ſit juris, vel facti.

Illud autem in primis ſcire intereſt, omnem voti diſpenſationem non eſſe

legi-

legitimam, niſi juſta de cauſſa fiat; ut conſtat ex his ſancti Bernardi verbis in ſuo *de conſideratione* libro ad Eugenium III. Papam, alibi relatis: *Si neceſſitas urget*, inquit hic ſanctus, *excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas, dico, communis, non propria: nam, cum nihil horum eſt; non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt (a)*. Ne quis ſeipſum decipiat, Papam aut Epiſcopum decipiendo, a quo diſpenſationem voti requirit, neceſſe eſt abſolute, ut factum cum omnibus ejus circumſtantiis ſincere, & ſine tergiverſatione exponat, ut poſſit dijudicare de validitate, aut invaliditate cauſſæ allegatæ, ab obtinendam illius diſpenſationem, aut commutationem; alioqui diſpenſatio eſt obreptitia, vel ſubreptitia; qua uti proinde non poteſt, illæſo voto, quia coram Deo invalida eſt, qui, cum ſit ſuprema veritas, ipſe falli, & ſumma bonitas, quemquam fallere non poteſt.

(a) S. Bernard. lib. 3. de conſiderat. c. 4. n. 10. & Ep. 7. n. 9.

CASUS PRIMUS.

SOSIPATER Chriſti mortem ac Paſſionem pie contemplans, tam acerbo commotus eſt dolore, ut Peregrinationem ad limina ſanctorum Apoſtolorum Romam, & inde Jeruſalem ad inviſenda loca Sancta voverit; at cum aliquanto poſt, ea eſſet rerum ſuarum facies, ut tam longum tamque laborioſum iter ſuſcipere non poſſet, diſpenſationem voti ſui flagitavit, aliam quamcumque pro Superioris arbitrio facturus pœnitentiam. Numquid neceſſe eſt, ut ad Papam confugiat; an vero ſufficit, ut hanc diſpenſationem ab Epiſcopo poſtulet?

R e s p o n s

Ut huic difficultati, aliiſque ſimilibus, quæ fieri poſſent, quæſtionibus fiat ſatis, dicimus 1. cum Sylvio (b), quod, *Summo Pontifici reſervantur quinque vota Religionis* (ingrediendæ videlicet) *continentiæ, peregrinationis in Jeruſalem, ad ſanctum Jacobum, ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli; ac proinde ſolus ipſe poteſt diſpenſare, ſive per ſe, ſive per eos, quibus commiſerit*. Addique poteſt ipſius ſancti Thomæ (c) auctoritas, qui, poſtquam aſſeruit, Papæ competere poteſtatem diſpenſandi in omnibus votis propter potentiæ ſuæ plenitudinem, hæc verba ſubjungit: *Aliis autem inferioribus Prælatis committitur diſpenſatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent, frequenti diſpenſatione, ut habeant homines de facili ad quem recurrant, ſicut ſunt vota peregrinationum, jejuniorum, ſicut ſunt vota peregrinationum, jejuniorum & hujuſmodi: vota vero majora; puta continentiæ & peregrinationis Terræ Sanctæ, reſervantur ſummo Pontifici*. Quam in rem obſervat Sylvius, quod *quamvis* ..... inquit, *Beatus Thomas ſolum duo vota expreſſerit*, (tria alia omittens, ſcilicet vota Religionis, & peregrinationis Romam & in Gallæciam) *ideo fortaſſe, quod ſuo tempore non plura eſſent reſervata: ex conſuetudine tamen*, in Epiſcopos videlicet a Pontificibus legitime præſcripta, *in litteris Apoſtolicis fundamentum habent, atque etiam in novo jure, quod extat in Extravagante*: Etſi Dominici Sixti IV. an. 1478. *titulo de pœnitentiis: reſervantur ea quæ diximus*.

(b) Sylvius in 2. 2. q. 88. a. 12. concluſ. 2.

(c) S. Thom cit. art. 12. ad 3.

2. Conſtat, votum peregrinationis in Jeruſalem Papæ eſſe a jure reſervatum, ut videre eſt in Decretali Innocentii III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripta (d); ſed in rigore Juris reſervatio illa ſolum habet locum, cum votum illud factum eſt *in ſubſidium Terræ Sanctæ*, non vero alterius alicujus ſimplicis devotionis cauſſa; uti ex ipſius Decretalis contextu apparet.

(d) Innoc. III. in Cap. *Ex multa*. 9. de voto redempt. lib. 3. tit. 34.

Sed hic fit quæſtio, num videlicet votum illud ex ſolo ſimplicis devotionis motivo emiſſum, ut in caſu propoſito, Papæ non ſit reſervatum ex conſuetudine. Negat Panormitanus (e), & contendit, in eo dumtaxat caſu reſervationem locum habere, in quo votum emiſſum eſt *in ſubſidium Chriſtianorum Terræ Sanctæ*, non vero in eo, in quo fit tale votum ob ſimplicem loca ſacra inviſendi devotionem. In eamdem opinionem expreſſe abeunt Angelus de Clavaſio (f), Tabiena (g), & Bartholomæus Fumua, cujus hæc ſunt verba (h): *Nota quod quando votum, ſive ultramarinum, ſive ſancti Jacobi, vel alterius peregrinationis factum eſt, ſolum devotionis cauſſa, & non in ſubſidium illius loci; quin noluit, (qui vovit) offerre, portare, vel aliquid facere; tunc Epiſcopus poteſt diſpenſare ſecundum Gloſſam (i) in dicto capite*, Ex multa, *quamvis communis conſuetudo teneat contrarium*. Eamdem ſequi videtur ſententiam Navarrus (K) quamvis non ſatis clare mentem ſuam aperiat; denique pro eodem ſtat Baſilius (l).

(e) Panorm. in Cap *Ex multa*. 9. de voto & voti redemp. lib. 3. tit. 34.

(f) Angelus v. *Votum*.

(g) Tabiena v. *Diſpenſatio*. n. 31.

(h) Barth. Fumos. in Armilla. v. *Diſpenſatio*. n. 6.

(i) Gloſſ. in cit. Cap. *Ex multa*. v. *Incumbit*.

(k) Navarr. Man. c. 12. n. 71.

(l) Lud. Bail. de examine pœnit. part. 3. q. 19. in fin. p. 698.

Contrariam tamen opinionem tuentur alii multi Auctores, qui aſſerunt, non quidem votum jure ſummo Pontifici non eſſe reſervatum; quia Innocentii III. Decretalis de iis tantum loquitur, qui illud emiſere *in ſubſidium Terræ Sanctæ*, iis plane omiſſis, qui illud vovere ob meram devotionem inviſendi loca ſancta; ſed hujus etiam diſpenſationem ad ſolum Papam pertinere contendunt ex conſuetudine generaliter approbata, uſuque conſtanti Eccleſiæ.

Inter hos recenſetur Sylveſter, qui relata Panormitani opinione, addit (m), *Conſuetudo tamen aliter habet ... ideoque in his recurrendum eſt ad Papam: nec verum eſt quod ſi Epiſcopus diſpenſaret, teneret diſpenſatio; quin .... Caſus Papalis .... probatur ex hoc quod per litteras Papales iſta (vota) Papæ communiter indiſtincte reſervantur*.

(m) Sylveſt. v. *Votum*. 4. q. 1. §. 1.

Sylveſtro conſentit Azorius his verbis (n): *Nihilominus tamen more & conſuetudine receptum eſt, ut in univerſum voti ultramarini, quomodolibet facti, abſolutio ad Romanum Pontificem tantummodo ſpectet*.

(n) Jo. Azor. inſtit. moral. l. 12. c. 10. q. 4.

Gregorius Sairus idem probat, uti Sanchez, Suarez (o) aliique permulti quos laudat Bonacina, cujus hæc ſunt verba (p): *Nihilominus contrarium univerſali Eccleſiæ conſuetudine receptum eſt, ut ait Clavis Regia .... quamvis enim hæc reſervatio non ſit in jure expreſſa, nihilominus ſicut reſervatio poteſt per conſuetudinem auferri, ita etiam induci*.

(o) S. Greg. Sairus Clavis reg. l. 6. c. 12. n. 15 & 33. & alii.

(p) Bonacina de 2. Decalogi præcepto diſput. 4. q. 2. puncto 7. §. 4.

Tandem Sylvius (q) eamdem tradit doctrinam, atque his verbis concludit: *Adeo ut, ſi modo fiat votum peregrinationis Jeroſolymitanæ, quamvis non in ſubſidium Terræ Sanctæ, ſed ex devotione, ſolus Romanus Pontifex diſpenſare poſſit*. His omnibus addi poteſt Cabaſſutius (r), ipſius poſterior, qui aſſerit indiſtincte votum peregrinationis ad loca ſancta ceteraque, de quibus diximus, ſedi Apoſtolicæ reſervari.

(q) Franc. Sylvius loco ſupracit.

(r) Joan. Cabaſſ. jur. can. Theor. & prax. l. 2. c. 6. n. 19.

Poſteriorem igitur opinionem iſtam tenendam eſſe dicimus: certum eſt enim præſcriptos a Papa pro caſu de quo agitur, Epiſcopos jam legitimas diſpenſationes non poſſe concedere, quamvis tamen diſpenſare ii poſſent, ut noſtra fert ſententia, Epiſcopi, qui eas concedendi jus ſemper obtinuiſſent: ſed cum ex generali conſuetudine Romam ſit recurſus, ut qui in ſupradictis quinque votis diſpenſetur, de iis ſolus Papa, regulariter loquendo, diſpenſare poteſt.

3. Epiſcopi in iis tamen quinque votis, uti in omnibus aliis ſimplicibus diſpenſare poſſint in duplici caſu. 1. Cum vovens, ſibi votum impoſuit in pœnam flagitii cujuſdam, quod deinceps poſſet committere: 2. Quando votum eſt tantum conditionatum, non vero abſolutum; ſcilicet, cum ſub conditione alicujus futuri eventus emiſſum eſt; v. g. quod, quis periculum aliquod deinceps evadat, aut aliquam obtineat gratiam: cum enim omnis reſervatio ſit res odioſa, in caſibus tantum formalibus & abſolutis locum habere debet; non vero in conditionalibus, quorum conditio nondum eſt perfecta, in quibus non ſolo Religionis

amore, aut rei, quæ cadit ſub votum, neqoe etiam perfecto conſenſu vota præcipue emittuntur, ſed potius vitandi mali, aut obtinendi boni neceſſitate, ut poſt alios moltos docet Toletus (a): *Eſt autem notandum*, inquit, *iſta quinque vota tunc reſervari, cum abſoluta ſunt; cum vero conditionata, vel pœnalia, pertinent ad Epiſcopum*.

(a) Fr. Tolet. inſtruct. Sacerd. l. 4. c. 18. n. 8.

Igitur ex ſtatutis hactenus regulis ſequitur, qood, licet ex puro devotionis affectu Romam & Jeroſolymam petere voto ſe obſtrinxerit Soſipater, oon ſufficit Epiſcopi ſui diſpenſatio, ſed a ſolo Papa legitimam voti ſui diſpenſationem obtinere poteſt.

CASUS II.

Servatius, viginti quinque annos natus, cum per tres annos in Galliam & Germaniam pie peregrinari voviſſet, Chartuſianorum ordini nomen dare divina inſpirante gratia impellitur. Poteſt ne tuta conſcientia Chartuſianum ſumere habitum, ibiqoe religionem profiteri, non obtenta prius voti ſui diſpenſatione? An etiam poteſt mille oummorom eleemoſyna peregrinationis ſoæ votum ſupplere, aut pium aliquod opus facere, etiam apud Deum magis meritorium, quam ſit voti ſui adimpletio?

Ratio dubitandi eſt, quia Servatio non neceſſaria videtur Superioris auctoritas ad commutandom votum ſuum in opus pium excellentius & majoris meriti: cum enim votum nihil ſit aliud, quam promiſſio Deo facta de meliori bono, non dubium eſſe poteſt, qoin Deo etiam acceptius ſit id, qood ad majorem perfectionem majoremque ſpectat utilitatem.

RESPONS.

(b) Panorm. in Cap. *Scriptura*. de voto & voti red. Angelus de clav. v. *Votum*. 4. n. 2. Navarr. Man. c. 12 n. 75. Sotus. l. 7. q. 4. art. 3. Salrus Clavis reg. l. 2. c. 12. n. 5. Azor. lib 11. c. 19. q. 1. Reginaldus & alii apud Bonacinam de 2 Decalogi præcep to diſp. 4. q. 2. poncto. 7 §. 3.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. in corp.

Quamvis multi ſentiant Auctores (b), uti Panormitanus, Angelos de Clavaſio, Bonacina & alii ab ipſo citati, hominem, in eo caſu, in quo ſupponitur Servatius, conſtitutum, Præſulis ſui auctoritate non indigere ad talem mutationem; exiſtimamus tamen in eo tenendam eſſe ſancti Thomæ, contrarium affirmantis ſententiam; ut patet ex his ejus verbis (c): *votum eſt promiſſio Deo facta de aliquo, quod ſit Deo acceptum*, inquit hic ſanctus; *quid ſit autem in aliqua promiſſione acceptum ei cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio. Prælatus autem in Eccleſia gerit vicem Dei: & ideo in commatatione vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati authoritas, quæ in perſona Dei determinat quid ſit Deo acceptum, ſecundum illud 2. ad Corinth.* Nam & ego quod donavi, ſi qoid donavi, propter vos in perſona Chriſti: *& ſignanter dicit* propter vos: *quia omnis diſpenſatio, petita à Prælato, debet fieri ad honorem Chriſti, in cujus perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt ejus corpus*.

Difficultatem hanc jam ante eodem modo ſolverat Alexander III. in una ſua Decretali ad Epiſcopom Exonienſem. *Reſpondemus*, inquit hic Papa (d), *quod ab ejus qui præſidet pendet arbitrio, ut conſideret diligentius qualitatem perſonæ, & cauſſam commutationis, ſcilicet, an ex infirmitate ſeu affluentia divitiarum, an alia cauſſa probabili peregrinatio, an recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta; ſecundum hoc debet exinde diſpenſare*.

(d) Alex. III. in Cap. *De peregrinationis*. 2. de voto &c.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex paritate debitoris, qui rem unam pro alia creditori ſolvere nequit, ut ait Lex (e): *Aliud pro alio, invito creditore, ſolvi non poteſt*: quod etiam aſſerit Imperator Juſtinianus (f): unde ſequitor, quod, cum vovens ſit vere debitor erga Deum, ſe ipſum ab obligatione ſolotionis eximere non poteſt, hoc eſt, adimplendi qood promiſit, niſi in tali commutatione intercedat legitimi Superioris auctoritas. His additur, quod votum ſit vinculum; nemo aotem ab ejus obligatione ſe ipſum poteſt ſolvere. Ita Sylveſter de Prierio (g): *In diſpenſatione & commutatione votorum requiritur Superioris auctoritas; nec poteſt quis propria auctoritate votum ſuum in melius commutare ... quia tunc votum ligat, & nullus poteſt ſolvere ſe ipſum*.

(e) L. *Mutuum*. 2. ff. de rebus creditis, ſi certum petitur & conditione. l. 12. tit. 1.

(f) Lib. 3. Inſtit. 30. quibus modis tollitur obligat.

(g) Sylveſt. v. *Votum*. 4. q. 7. §. *Secundum*.

Colligimus igitur, Servatium privata ſua auctoritate triennalem, quam vovit, peregrinationem in aliam rem, quantumvis melior appareat, ut in Eleemoſynam mille nummorum, non poſſe commutare, ſed neceſſe eſſe, ut ob eam rem ad Eccleſiaſticum Superiorem recurrat; ad quem ſolum pertinent hujuſmodi commutationes.

Ab ea tamen regula excipiendus eſt 1. iogreſſus in Religionem; cum enim iſta mutatio omnium ſit perfectiſſima, quam etiam ſuadent Canones, ea fieri poteſt, non interveniente Superioris auctoritate, ut docet S. Thomas ob duplicem iſtam rationem (h): prima eſt; quia *omnia alia vota*, inquit, *ſunt quorumdam particularium operum; ſed per Religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat*: unde concludit, eum, qui Religionem profitetur, non jam obſtringi votis, quæ Laicus emiſit, quod vitæ ſuperiori quaſi mortuus reputetur. Secunda eſt hujuſmodi: *Nec tamen religionem ingrediens tenetur implere vota vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum hujuſmodi, quæ exiſtens in ſæculo fecit; quia Religionem ingrediens moritur priori vita, & etiam ſingulares obſervantiæ Religioni non competunt, & Religionis onus ſatis hominem onerat, ut alia ſuperaddere non oporteat*.

(h) S. Thom. loco cit. ad 1.

Suam ſententiam confirmat Angelicus Doctor ejuſdem Alexandri III. auctoritate, qoi ad Ciſtercienſes Anglos ſcribens dicit (i): Reus facti voti aliquatenos non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare. 2. Eum quoque caſum excipiendum ducimus; in quo perfectior & Deo acceptior eſt commutatio, v. g. cum quis vovit calicem argenteum Eccleſiæ dare, aureum dat: tunc enim fieri poteſt hæc commutatio, licet non ioterveniat Superioris auctoritas; & in eo dumtaxat hujuſmodi commutationem approbant Navarrus, Sotus, Angelus & Azorius, & cum iis Sylvius dicens (K): *Ubi tamen evidenter conſtat, illud in quod votum eſt commutandum, eſſe non ſolum melius ex genere ſuo, ſed omnibus bene conſideratis, & voventi melius, & Deo gratius, ad commutationem non eſt neceſſaria Superioris auctoritas juxta Angelum &c. .... itaque ſi quis voverit dare Calicem argenteum; ſua auctoritate poteſt illud votum commutare, dando Calicem aureum.* Quod confirmat hic Theologus auctoritate ſancti Gregorii Papæ (l) his verbis: *Non enim propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat*.

(i) Idem in Cap. *Scriptura*. cit. eod. tit.

(k) Sylvius in 2. 2. q. 88. art. 10. & apud eum Joan. Major. & alii.

(l) S Greg. in Cap. *Perveniit*. 2. de jure jurando tit. 24.

CASUS III.

Zenobius. Religionis in Ordine reformato ſolemni emiſſa profeſſiooe invalida, cujus, jam in eo Ordine peracto triennio, invaliditatem vix novit, cum Romam miſit, ad obtinendam a Papa votorum ſuorum diſpenſationem, quam conceſſit ipſi ſummus Pontifex ſub hac Clauſula: *modo vota non ratificaveris*. Qua de requæritur, utrum renovata duobus prioribus annis ſolemni votorum ſuorum nuncupatione, Zenobio inutilis fiat hujuſmodi diſpenſatio, an vero ea poſſit uti?

RESPONS.

Si Religioſus ille ſoppoſitus vota ſua non ratificavit ſeu renovavit, niſi eo tempore, cum eorum invaliditatem ignorabat, hinc non fit, ut obtenta Papali diſpenſatione uti nequeat, licet ſibi tantum conceſſa ſub conditione quam refert caſus. Ratio eſt, quia vir ille, votorum ſuorum ac profeſſionis invaliditatem non cognoſcens, novam a prima diverſam non cenſetur contraxiſſe obligationem. Ex quo ſequitur, quod, cum prima ſit invalida, nec eum coram Deo obliget; ita nec ejus, quam ignorans fecit, Ratihabitio eum obſtringit; ſed ſi cognita prius votorum ſuorum nullitate, ea tamen poſtea confirmaſſet; certum eſt, quod ea ſcienter renovans, profeſſionis ſuæ defectum emendaſſet; nec proinde obtenta jam diſpenſatione uti non poſſet.

CASUS IV.

Honorata, Catholica, filia Andreæ, Mercatoris Edimburgenſis, Religione Calviniſtæ, emiſſo perpetuæ caſtitatis voto 16. annos nata, biennio poſt, ab Eduardo etiam Catholico ad nuptias expetitur; coi quidem vellet nubere, conſcia propriæ infirmitatis ad tenendum votum ſuum, ſed imprimis eſt ſollicita, qua ratiooe neceſſariam poterit obtinere diſpenſatiooem: 1. Quia difficile Edimborgo 500. leucas ab urbe Roma diſtante, ad Papam poterit recurrere: 2. Qoia a Patre ſuo, utpote viro hæretico, qui ſummum Pontificem magno proſequitur odio, ſumptus ad diſpenſationem obtinendam neceſ-

neceſſarios, fruſtra ræquireret. Numquid in eo caſu diſpenſationem ſuam valet exquirere ab Epiſcopo catholico, qui ab aliquot menſibus latet in Scotia?

RESPONS.

Exiſtimamus, Honoratam in caſu ſuo diſpenſationem Epiſcopi, qui latet in Scotia, poſſe requirere. Ratio eſt, quia ex unanimi Theologorum & Canoniſtarum conſenſu, ſola moralis impotentia, ſeu magna difficultas recurrendi ad Papam, cauſa eſt legitima & ſufficiens, ut quis valide in tali voto ab Epiſcopo diſpenſetur, juxta iſtam Abely (*a*), aliorumque Theologorum regulam: *Caſus Papalis, ſuperveniente impedimento, fit Epiſcopalis*. Quod iſto probari poteſt ratiocinio. Papa reſervationem voti caſtitatis perpetuæ non obtinet, niſi ex conſuetudine ſola in Epiſcopos præſcripta, ut dictum eſt in prioris caſus reſponſione: at vero Epiſcopi præſcriptionem facultatis diſpenſandi in hujuſmodi circumſtantia Papæ non permiſerunt; immo ſibi poteſtatem diſpenſationes illas concedendi ſibi retinuerunt, conformiter ad jus commune, ſpiritualemque fidelium utilitatem. Igitur Honorata valide & licite diſpenſari poteſt in ſuo voto ab Epiſcopo catholico Scotiæ; cum nimia ſit ad Papam a tam longinqua regione difficultas recurrendi; nullaque ei ſuppetat via, qua difficultatem hanc auxiliante Patre ſuo ſuperare queat ob rationes in caſu propoſitas.

(*a*) Lud. Abely de pœnit. c. 5. ſect. 17.

Huic addamus incontinentiæ periculum, cui ob vim tentationis committitur; ex qua circumſtantia Papæ reſervatio ipſius ſaluti foret noxia, & contra intentionem Eccleſiæ, quæ reſervationes illas ad ſolum fidelium commune bonum conſtituit. Ita ſentit Auctor Colloq. Condom. & cum eo communiter Theologi (*b*).

(*b*) Colloq. Condom. to. 2. Colloq 13. ſect. 1. De Ste. Beuve tom. 2. caſ. 96.

CASUS V.

VERONICA, natu Antuerpienſis, puella egena, emiſſum jam ab ætate ſeptendecim annorum perpetuæ caſtitatis votum multoties infregit, ac ſæpe incontinentiæ periculo committitur; quare voti ſui relaxationem in primis optaret, ut ab eo libera adoleſcenti qui eam ſibi uxorem expoſcit, nubere valeret: at vero cum ad ſumtus diſpenſationi obtinendæ neceſſarios præ inopia ſufficere nequeat, & aliunde periculum amittendi futuri conjugis in mora prævideat ob diſtantiam 400. leucarum. Nonne poteſt in eo caſu ab Epiſcopo Antuerpienſi diſpenſari?

RESPONS.

Veronicam de ſuo voto ob rationes in expoſito caſu allatas diſpenſare poteſt Diœceſanus Epiſcopus. Nititur hæc deciſio iiſdem, quibus prior, rationibus, quarum prima hæc eſt; quia reſervatio voti caſtitatis perpetuæ ſolo conſuetudinis legitime præſcriptæ titulo ad Papam attinet: atqui certum eſt, Papam in ſupradictis circumſtantiis votum, de quo agitur, remittendi, excluſis Epiſcopis, jus ſuum non feciſſe, cum omni tempore ejuſmodi diſpenſationes concedendi poſſeſſionem ſibi retinuerint iidem Epiſcopi. Altera ratio eſt, quia reſervatio ad Papam non conſtituta eſt, niſi ad bonum Eccleſiæ, ſalutemque fidelium: at vero ſi in talibus circumſtantiis locum haberet eadem reſervatio, in animarum nocumentum profecto cederet: neque dici poſſet, talis reſervationis conſuetudinem juſtam eſſe & rationabilem, qualis eſſe deberet, ut locum haberet, ex Gregorio IX. (*c*); cum æquum non ſit, pauperrimam & 400. Roma leucas diſtantem puellam cogere, ut ad Papam recurrat, ſumtuſque ad diſpenſationem neceſſarios, ut ab eo reſcriptum obtineat, quos non poteſt, conficere teneatur. Ita doctus Theologus (*d*).

(*c*) Greg. IX. in cap. *Cum tanto*. de conſuetud. lib. 1. tit. 4.

(*d*) De Sainte Beuve.

CASUS VI.

DAVID, emiſſo virginitatis & perpetuæ caſtitatis voto, pio animi fervore actus poſt Paſchalem Communionem, auctæ poſtea cum ætate concupiſcentiæ facibus vehementer incenſus eſt; quocirca ob incontinentiæ periculum vellet nubere; ſi id quidem abſque peccato fieri poſſet, papalem obtinendo diſpenſationem. Poteſt ne hanc requirere diſpenſationem, eaque obtenta uti ob eam ſolam, quam expoſuimus, rationem?

RESPONS.

Certum eſt, Davidem abſque peccato voti ſui diſpenſationem poſſe exquirere, eaque obtenta, ac juxta terminos atque clauſulas, quas continebit, veras executioni mandata uti. Id quidem evidenter probat generalis & hodiernus Eccleſiæ uſus, quo ſimiles conceduntur diſpenſationes, ſeu pure & abſolute, vel, ut vulgo fit, votum in alia pœnitentiæ opera commutando. Ratio eſt, quia ex periculo incontinentiæ ſufficienter movetur ſummus Pontifex ad concedendam hujuſmodi diſpenſationem, atque ea ratione providendum ſaluti fidelium, qui eo laborant diſcrimine.

Deciſioni huic favet imprimis S. Cyprianus in ſua ad Pomponium Epiſtola (*e*), loquens enim de virginibus Deo perpetuo virginitatis voto dicatis, quæque eam publice ſumto virginum velo profitebantur, verbis expreſſis dicit: *Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt nubant, quam in ignem deliciis ſuis cadant*.

(*e*) S. Cyprian. Epiſt. 62 ſec. Pamelium 42. ſeu 44. ſec. Perſon. & ſec. Eraſm. l. 1. Epiſt. 11.

Sed intereſt obſervare, quod ſi in pia tantum opera votum commutet Pontifex ea conditione, ut ſi perſona diſpenſata contracto Matrimonio fiat deinde libera mortuo conjuge, priſtino voto ſuo obſtringatur, quin ad aliud convolet Matrimonium; tum voti obligationem non penitus tollit, ſed ad tempus dumtaxat Matrimonii ex ejus conceſſione contracti ſuſpendit Papa, & obligatio illa mortuo jam conjuge renaſcitur, unde alteri abſque nova diſpenſatione non poteſt nubere (*f*).

(*f*) De Sainte Beuve tom. 2. caſ. 157.

CASUS VII.

ROSALIA, puella viginti annos nata emiſſo perpetuæ virginitatis voto, adeo a ſuis inducta eſt parentibus ad connubium Juvenalis, viri forenſis & ditiſſimi, quem multi ſemper fecerat, ut tandem voti ſui diſpenſationem in Romana Curia petere conſtituerit ad contrahendum cum viro illo Matrimonium, cujus & auctoritate & rerum peritia familiæ ſuæ negotia ad meliorem ſtatum reſtitutum iri confidit.

In libello ſupplici, quem ipſius juſſu ſcripſit Campſor Apoſtolicus, exponit, ſe incontinentiæ periculo exponi, niſi votum ſibi remitteretur ob graves, quas patiebatur, tentationes, quamvis id falſum eſſet, illiuſque clauſulæ appoſitioni ideo tantum conſenſerit, ut facilius diſpenſationem obtineret, & quia ipſi dixiſſet Campſor, hunc eſſe libellorum hujuſmodi ſtylum ſolitum. Obtenta a Pontifice diſpenſatione, ad Parochum reſcriptum attulit, qui, cum rationem hanc in eo expreſſam *propter ſtimulos carnis* legiſſet, quam veritati contrariam ipſa confeſſa eſt, retulit hanc diſpenſationem eſſe invalidam, qua proinde uti non poſſet. Non ne pro Parocho ſtat jus?

RESPONS.

Pro Parocho ſtat jus; quidquid in contrarium ſentiat nuperus Theologus (*g*), qui contendit, hanc diſpenſationem validam eſſe, quia, inquit, verba illa *propter ſtimulos carnis*, tamquam Romanæ Curiæ ſtilus habenda ſunt, quæ ab Officialibus libellis, aliiſque hujuſmodi reſcriptis apponi ſolent; quocirca verba illa tamquam indifferentia conſideranda ſunt pro facta conceſſione. Hæc eſt unica ratio, qua nititur Auctor ille.

(*g*) De Sainte Beuve tom. 3. caſ. 74. p. 246.

Contendimus econtra Roſaliæ diſpenſationem evidenter obreptitiam eſſe, cum ex falſa expoſitione fuerit obtenta, & contra regulas in jure conſtitutas a ſummis Pontificibus Pelagio, Alexandro III. Lucio III. Innocentio III. & Bonifacio VIII. (*h*). Licet enim verba, quæ ad ſtylum tantum ſpectant, quibus nimirum induci nequit Papa ad concedendam gratiam ex libello ſupplici poſtulatam, haberi poſſint uti inutilia, aut indifferentia, ac plerumque ob ſcribarum ignorantiam in Apoſtolica reſcripta inſerantur, ut fatetur unus e juriſperitis noſtris (*i*): *Plerumque introducitur ab ignorantibus* (ſtilus Romanæ Curiæ): falſum tamen eſt omnia ad

(*h*) Pelag. in can. *Detenti*. 16. 25. qu. 2. Alex. III. in cap. *Ex parte* 2. de reſcript. lib. 1. tit. 3. Lucius III. in cap. *Ad aures* 8. eod. tit. Innoc. III. in c. *Cum adeo*. 17. & in c. *Super*. 20. eod. tit. Bonif. VIII in c. *Si motu* 23. de Præb. &c. in 6.

(*i*) Pacut l. de Mandatis 1. p. num. 24.

ad ſtilum pertinentia verba eſſe ejuſmodi: conſtat enim, nedum ſtili verba ſit contemnenda, ad ea imprimis attendi debere ex his Gloſſæ terminis (a): *Stilus debet attendi*; idque tanti quandoque eſt momenti, ut ex hoc literarum Apoſtolicarum veritas aut falſitas ſæpe innoteſcat, uti expreſſe declarat Innocentius III. in una Decretali (b), in qua eas vult haberi obreptitias, in quibus Papa Epiſcopos diceret *filios*, non vero *fratres*. Aut pluraliter ſe ſe enunciaret ſcribens ad privatum quemdam, cujuſcumque foret is nobilitatis.

(a) Gloſſa in cap. *Ad hæc*. 20. de reſcr. v. *Elegerint*.
(b) Innoc. III. in cap. *Quam gravi*. 10. de crimine falſi lib. 5. tit. 20.

Additur hæc etiam multo gravior ratio, quia, ut ait Pacus, ſunt quædam ad ſtilum pertinentia verba, quorum vis eam continet conditionem, *ſi ita eſt*, quæque proinde gratiæ obtentionem efficiunt inutilem, cum veritati non ſunt conſona: *In litteris Apoſtolicis*, inquit hic Auctor (c), *cauſſa vim habet conditionis; cum in iis ſubintelligatur clauſula, ſi ita eſt; & cauſſa adjecta in vim conditionis vitiat diſpoſitionem*. Cujus juriſconſulti aſſertioni præivit Alexander III. (d) affirmans, quod *in hujuſmodi litteris intelligenda eſt hæc conditio, etiamſi non apponatur*: (ſi preces veritate nitantur); quocirca ſi falſa ſit cauſſæ allegatio, nullum quoque ex ea fiat reſcriptum; quod etiam certius eſt, ubi cauſſa illa Papam determinat ad concedendam gratiam: *Ubi falſa cauſſa*, inquit Pacus (e), *eſt cauſſa finalis diſpoſitionis, vitiat diſpoſitionem*: quod etiam docet Navarra his verbis (f): *Omnis expreſſio falſa, quæ movet Principem ad facilius concedendam gratiam, efficit eo ipſo jure nullam*. At id ipſum præciſe in caſu propoſito occurrit, cum non aliam in libello diſpenſationis proferat cauſſam, quam falſum incontinentiæ periculum imminens ex ſuppoſitis carnis ſtimulis: ex quo non ſolum petitam non meretur gratiam ex hoc Navarræ effato (g), quod ſtatuit Innocentius III. (h): *Mendax precator debet carere impetratis*: ſed etiam ut invalidum fiat reſcriptum, quod ex falſi expoſitione obtinuit juxta hæc ejuſdem Canoniſtæ verba (i): *Subreptio, præſertim illa, quæ fit per expreſſionem falſi, vitiat gratiam in totum*: Quod Navarra poſt Silveſtrum aſſerit (K), qui contendit ex tali falſa cauſſæ expoſitione reſcriptum pro certo eſſe obreptitium, *ex hoc præciſo ſolum*, quamvis diſpenſare abſolute intenderet Papa; quandoquidem numquam ſine cauſſa diſpenſare valeat in iis, quæ pertinent ad jus divinum, quale eſt votum: *Loquendo vero de Papa, aut loquimur de his, quæ ſunt juris divini, ut voto, juramento, & hujuſmodi; & ſic diſpenſare non poteſt ſine cauſſa: aliter diſpenſatus non eſt tutus quoad Deum: ſed ſi ſubeſt juſta cauſſa, tenet diſpenſatio: & eſt tutus etiam in voto caſtitatis ſecundum Innocentium IV. (l): aut loquitur de his, quæ ſunt juris poſitivi: & ſic poteſt ſine cauſſa, &c.*

(c) Pacus cit. loco n. 91.
(d) Alex. III. in c. Ex parte. 2. de reſcript.
(e) Idem Pacus ibid.
(f) Navarr. l. 1. conſil. 24. de reſcrip. n. 3.
(g) Navar. ib. conſil. 15. n. 2.
(h) Innoc. III. in cap. *Super*. 20. de reſcr.
(i) Navar. ib. conſil. 8. n. 1.
(K) Silveſt. de Prier. v. *Diſpenſatio*, q. 3.
(l) Innoc. IV. in cap. *Cum ad Monaſter*. de ſtatu Monachorum.

CASUS VIII.

Gaudalia, accepto ad Confeſſarium ſuum Pontificio reſcripto, quo ei Papa poteſtatem faciebat eam diſpenſandi de ſimplici virginitatis voto quo quindecim annos nata ſe obſtrinxerat, votum illud valide ſibi remiſſum exiſtimavit, quin ad ullam teneretur formalitatem, & ſtatim nupſit, matrimoniumque conſummavit. Nonne id ipſum potuit tuta conſcientia?

Respons.

Certum eſt, erraſſe Gaudaliam, neque eam ſic nubere potuiſſe: licet enim validum ſit ipſius matrimonium, nondum enim voto ſuo ſoluta eſt, antequam reſcriptum Papæ exſecutioni mandarit ipſius Confeſſarius.

Ratio eſt, quia magnum intercedit diſcrimen inter diſpenſationem abſolutam a Papa conceſſam, & mandatum, ſeu poteſtatem, quam facit Confeſſario, ut poſſit votum diſpenſare, aut illud in pia opera commutare, quæ perſonæ diſpenſare propria & convenientia judicaverit. *Aliqui ſimplices in eo ſunt errore*, inquit doctus Canoniſta (m), *ut ſimul atque diploma, ſive Bullam acceperunt, in qua Papa concedit, ut Confeſſarius poſſit certa illorum vota vel diſpenſare, vel commutare, credant ſe ſtatim a ſuis votis liberari. Etenim aliud eſt committere poteſtatem diſpenſandi vel commutandi: aliud vero diſpenſare & commutare... quo circa ab ipſo Confeſſario petere debent, ut ſua debita in alia opera pietatis commutet, aut diſpenſet. Enimvero niſi Confeſſarius fuerit requiſitus, immo etiamſi fuerit, niſi diſpenſaverit, aut commutaverit... vota adhuc, ſicut antea, in ſuo vigore perſeverant*. Sententiam ſuam probat hic Auctor ex multis ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, quarum ea de re maxime expreſſa eſt Conſtitutio Bonifacii VIII. ad marginem indicata (n), in qua exſecutionis gratioſi reſcripti neceſſitatem ſupponit hic Papa ad actualem gratiæ in eo contentæ poſſeſſionem.

(m) Navarr. Man. c. 12. n. 70. §. 21.
(n) Bonifacius VIII. in cap. *Si ſuper*. 9. de offic. & poteſt. judic. deleg. in 6. lib. 1. tit. 14.

CASUS IX.

Gerbertus, aliquando mundanæ vitæ faſtidio percitus, religionem vovit ſe profeſſurum in arctioris diſciplinæ ordine: ſed quia veretur, ne pro virium infirmitate regularem quorumdam hujuſce ordinis Monaſteriorum diſciplinam obſervare poſſit, de voto ſuo cupit eo fine diſpenſari, ut ordinis illius congregationem ſubire poſſit, in qua mitior ſit diſciplina. Numquid diſpenſationem hanc ipſi concedere poteſt Epiſcopus Diœceſanus, an vero ad Papam confugere tenetur?

Respons.

Epiſcopus Gerberto optatam poteſt concedere diſpenſationem, uti docet Cabaſſutius (o) poſt Silveſtrum (p), Azorium, & alios quatuor, quos laudat. *Is quoque*, ait, *qui vovit arctiorem ingredi, verbi cauſa, Cartuſianorum Religionem, poteſt ab Epiſcopo diſpenſari ad mitiorem Religionem, cum in eo ſubſiſtat adhuc ad Religionem obligatio, nec verſetur illa Epiſcopalis diſpenſatio, niſi circa unam aliquam Religionis circumſtantiam*.

(o) Jo. Cabaſſ. jur. canon. & prax. l. 1. c. 5. n. 14.
(p) v. Votum 4. q. 3. §. 0.

Pro ſua ſententia Paludanum, & S. Antoninum laudat hic Auctor, verum hi de caſu propoſito non præciſe loquuntur. Silveſter vero, & Azorius, quos citat, cum eo expreſſe ſentiunt, & docent, Epiſcopo plenam competere diſpenſandi poteſtatem cum eo, qui in Gerberti caſu reperitur (q).

Sairus (r) iſtam ſibi proponit quæſtionem his verbis: *An votum de ingredienda arctiori Religione poſſit ab Epiſcopo diſpenſari?* En ipſius deciſio. *Reſpondeo poſſe Epiſcopum diſpenſare cum eo qui vovit ingredi arctiorem Religionem, ut ingrediatur laxiorem*. Eadem eſt cum aliis ejus ratio: *Ratio*, inquit, *quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis, cum ſemper ſit Religioni obnoxius, ſed in modo & qualitate illius; hoc eſt in arctiori vinculo*. Petrus de Aragonia, Joſephus Angles, Reginaldus, Sanchez, Leſſius, Bonacina, & alii permulti unanimi conſenſu idem ſentiunt (ſ).

(q) Silveſter, Joann. Azor. inſt. moral. 1. part. l. 12. c. 15. q. 5.
(r) Greg. Sair. Clav. reg. l. 6. c. 12. dub. 9. n. 63.
(ſ) Petrus de Arag. in 2. 2. q. 15. art. 12. Joſeph. Angl. in flor. in 4. ſent. q. de voto art. 8. difficult. 4. dub. 2. & difficult. 9. concl. 5. Bonac. de 2. præcept. Decal. diſp. 4. qu. 2. punct. 7. §. 4. Thom. Sanch. l. 4. c. 40. & 74. Reginal. Leſſius & alii.

CASUS X.

Aruntius emiſſo ſimplici caſtitatis aut Religionis voto, cum poſtea Sylveriam adamaſſet, Romæ diſpenſationem obtinuit, qua ipſi nubere licet; quamvis hujuſmodi diſpenſationis petendæ hæc ei ſola fuerit ratio, hujuſce videlicet puellæ amor, neque ullo umquam concupiſcentiæ motu perturbato fuerit impulſus. Poteſt ne tuta conſcientia ea diſpenſatione uti?

Respons.

Jam alibi innuimus, ad tutamen conſcientiæ obtentam abſque legitima ratione diſpenſationem tanquam invalidam eſſe habendam in foro interiori, ex ſententia ſancti Bernardi (t), ſancti Thomæ, ſancti Antonini, aliorumque multorum, quorum auctoritates attulimus, dum de diſpenſationibus Matrimonii (u): unde ſequitur, Aruntium obtenta a ſe diſpenſatione uti non poſſe ad nubendum Sylveriæ, cum ex illius amore non legitima ſubſit coram Deo diſpenſationis cauſſa: quod quidem eo magis ad veritatem accedit, quia carnis ſtimulis numquam fuit impulſus, ut ſupponitur; ſi enim aliquam non habeat ſufficientem, aut probabilem voti non adimplendi cauſſam, quis æquus poſſet

(t) S. Bernard. Epiſt. 7. n. 9. & l. 3. de conſider. ad Eug. c. 4. n. 18. S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2. S. Antonin. 2. p. ſum. Th. t. 12. c. 2. §. 6.
(u) Caſ. 25.

ſet eſſe huic diſpenſationi locus ? Fatendum quidem ambiguas quandoque & dubias occurrere diſpenſandi cauſſas; ſed ex caſu propoſito ne de apparenti quidem dubiave Aruntii ratione conſtat. Deinde cum occurrunt hujuſmodi cauſſæ, non impetrantis eſt, ſed Superioris qui Chriſti vices gerit, eas dijudicare, cujus proinde arbitrio ſe totum committere debet. Ita argumentatur S. Thomas: *Et ideo in manifeſtis diſpenſatio Prælati non excuſaret a culpa*, inquit Angelicus Doctor, *puta ſi Prælatus diſpenſaret cum aliquo ſuper voto de ingreſſu Religionis, nulla apparenti cauſſa obſtante. Si autem eſſet cauſſa apparens, per quam ſaltem in dubium verteretur, poſſet ſtare judicio Prælati diſpenſantis vel commutantis, non tamen judicio proprio, quia ipſe non gerit vicem Dei.*

Addere etiam poſſumus, quod, quamvis carnis illecebris contra votum ſuum impelleretur Aruntius, præcipua in hujuſmodi impulſiones, a Deo conceſſa remedia, orationem videlicet & jejunium, adhibere prius teneretur, quam ad diſpenſationis viam recurreret. *Cum Deus*, ex Concilio Tridentino, *id* (donum caſtitatis) *recte petentibus non deneget, nec patiatur ſupra id quod poſſumus, tentari* (a).

(a) Conc. Tr. ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 9.

Verum ad majorem hujus difficultatis elucidationem, dictis hactenus addendum iſtud S. Thomæ ratiocinium (b). *Ille qui vovet*, inquit Doctor Angelicus, *quodammodo ſibi ſtatuit legem, obligans ſe ad aliquid quod eſt ſecundum ſe, & ut in pluribus bonum; poteſt tamen contingere, quod in aliquo caſu ſit, vel ſimpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, quod eſt contra rationem ejus quod cadit ſub voto ... & ideo neceſſe eſt quod determinetur in tali caſu, votum non eſſe ſervandum: & ſi quidem abſolute determinetur aliquod votum non eſſe ſervandum, dicitur eſſe diſpenſatio voti. Si autem pro hoc quod ſervandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti.* Ex quo S. Thomæ ratiocinio neceſſario ſequitur, quod, cum Aruntio nulla ſubſit cauſſa legitima, cur legem voto ſuo ſibi impoſitam adimplere non poſſit; fruſtra ejus diſpenſationem poſtulat, & cum nulla ratione legitima nitatur hæc diſpenſatio, tutus coram Deo eſſe non poteſt, cui rem promiſit, quæ eſt in ſua poteſtate cum auxilio gratiæ, & quam tamen ſub vano illegitimæ diſpenſationis prætextu non vult adimplere.

(b) S. Thom. cit. q. 88. art. 10. in corp.

CASUS XI.

Marcianus, voto obſtrictus, ad ſervandam per triennium caſtitatem, poſtea elapſis ſex menſibus Epiſcopo ſuo exponit, ſe de continentia periclitari, eumque rogat, ut de voto ſuo ſecum velit diſpenſare. Numquid eam Epiſcopus poteſtatem habet?

RESPONS.

Ex uſu communi & approbato Epiſcopus in hujuſmodi votis diſpenſare valide poteſt. *Receptum eſt & in confeſſo apud omnes Doctores*, inquit Cabaſſutius (c), poſt Silveſtrum, Sanchez, Azorium & alios, *ut quando caſtitatis votum non eſt abſolutum, ſed ad aliquam circumſtantiam reſtrictum, poſſit in eo quoque ex rationabili & juſta cauſſa Epiſcopus diſpenſare: ut ſi votum ſit ad tempus, & non perpetuum .... poteſt in his per Epiſcopum diſpenſari.*

(c) Joan. Cabaſſ. juris can. theor. & prax. L. 1. c. 8. n. 14. Et apud eum Silveſter v. Votum. 4. n. 3. § Ex tum. Sanchez in oper. mor. L. 4. c. 40. n. 74. Azor. Inſtit. mor. 1. part. L. 11. c. 18. q. 2 & alii.

Idem jam multo ante docuerat S. Antoninus his verbis (d): *Epiſcopus poteſt diſpenſare in omni voto continentiæ temporali; puta ſi quis voveret per annum continere.* Cum Angelo de Clavaſio (e), ſic etiam ſentit Sylvius his verbis (f): *Obſervandum eſt vota de non nubendo .. de ſervando caſtitatem ad paucos menſes vel annos, non comprehendi ſub voto caſtitatis perpetuæ, vel Religionis; quia non ſunt abſoluta vota caſtitatis: & ideo Epiſcopus poteſt in illis diſpenſare.* Navarrus eamdem opinionem ſequitur a celebri deſumtam Paludano (g). Ex his omnibus concluditur Marcianum de quo in caſu propoſito, valide ab Epiſcopo poſſe diſpenſari.

(d) S. Anton. 2 part. ſum. Theol. tit. 12. c. 2 §. 9.

(e) Angelus de Clav. v. Votum. 4. n. 9.

(f) Sylvius in ſup. 3. part. ſum. S. Tho. q. 50. art. un. quæſito 1. & in 2. 2. q. 88. art. 12. concluſ. 3.

(g) Navarr. Man. c. 12. n. 76. Et apud eum Pet. Palud. in 4. diſt. 38. q. 4.

CASUS XII.

Irene, puella viginti annos nata, perpetuæ virginitatis votum emiſit; ſi Dionyſia mater ſua 300. libras annui cenſus ſibi derelinqueret: ſed Irene, ab Anſelmo uxor expetita, quem ob frequentes quos patitur carnis ſtimulos, vix continere poteſt, ipſi nubere conſtituit, ſi forte neceſſariam poſſit obtinere diſpenſationem. A quo eam requirere debet? Nonne Epiſcopalis diſpenſatio ſufficit?

RESPONS.

Non requiritur in hoc caſu Papalis diſpenſatio, ſed Epiſcopalis ſufficit, ſi ſuperſtes ſit puellæ mater. Ratio eſt, quia Epiſcopi de votis conditionatis diſpenſandi, quale eſt votum Irenes, jus ſibi retinuerunt. Hanc eſſe Cabaſſutii ſententiam in præcedenti deciſione vidimus: equidem votorum reſervatio ad Papam res eſt odioſa reſpective ad Epiſcopos, quorum nimirum juriſdictioni eſt oppoſita; unde ad ſola vota abſoluta debet reſtringi, non vero conditionata; juxta iſtam juris regulam (h), *odia reſtringi ... convenit.*

(h) Reg. 15. de reg. juris in 6.

Diximus: *ſi ſuperſtes ſit puellæ mater.* Nam ſi mortua eſſet Dionyſia, ac 300. annuæ penſionis libras filiæ Irenæ reliquiſſet; tum impleta voti puellæ conditione, cujus proinde effectum jam non ſuſpenderet; votum illud tamquam abſolutum haberi deberet, & ideo ſoli Papæ reſervatum, excluſo Epiſcopo, quantumvis contra ſentiat Dominicus Sotus (i), cum aliis nonnullis Auctoribus.

(i) Dom. Sotus L. 7. de juſt. & jure q. 2. art. ad 4.

Ita ſentiunt 1. Sairus, Graſſius, D. de Sainte Beuve, Auctor Colloq. Condom. (k); & juxta hunc ſenſum intelligi debet generalis illa Cardinalis Toleti propoſitio (l): *Conditionata, vel pœnalia* (vota) *pertinent ad Epiſcopum.* 2. Idem docet Cabaſſutius his verbis (m): *Quiſquis ſub aliqua conditione voto ſe adſtrinxit in materia Papali reſervationi reſervata, poteſt Epiſcopi diſpenſatione relaxari, modo nondum ſit impleta conditio: ut ſi filius aut filia perpetuam voverit continentiam, ſi pater ex bello, vel captivitate redeat incolumis ... at vero ſi voti conditio jam ſit adimpleta, non alia ſupereſt liberationis via præter recurſum ad Papam in aliquo ex quinque præfatis votis.*

(k) Greg. Sairus Clav. reg. Lib. 6. c. 11. dub. 11. n. 78. Jacobus de Graffiis deciſ. aurearum L. 2. c. 28. n. 4. De Ste. Beuve tom. 2. caſ. 96. Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 11. ſect. 5.

(l) Fr. Tolet. Inſtruct. Sacerd. L. 4. c. 18. n. 8.

(m) Cabaſſ. juris canon. theor. & prax. L. 1. c. 8. n. 14.

CASUS XIII.

Euraþia; exiſtimat, ſe vix decem aut duodecim annos natam perpetuæ virginitatis ſeu caſtitatis voto adſtrinxiſſe; cumque a decem annis & amplius id peractum ſit, dubitat, num eo tunc polleret judicio ut vero ſe poſſet voto obſtringere; an vero ſimplex fuerit promiſſio. Numquid ad tutamen conſcientiæ Papalem debet petere diſpenſationem?

RESPONS.

Sufficit in hoc caſu Epiſcopi diſpenſatio. Ratio eſt, quia, ubi dubium eſt votum, ſeu dubium ſit juris vel facti; tunc Epiſcopus Diœceſanus de eo diſpenſare, vel illud commutare poteſt: cum enim non ſit reſervatio, ubi de voto agitur, niſi cum certa ſunt vota; nec dici poſſit, abſolute loquendo, dubium votum eſſe re ipſa votum; quæ dubia ſunt, Papæ non reſervantur. *Bene poteſt Epiſcopus diſpenſare*, inquit Cabaſſutius (n), *ubi dubitatur utrum votum reſervationis Papalis fuerit obligatorium; ut ſi res in ambiguo ſit, utrum ſufficiens intervenerit deliberatio circa votum, quod quis ſe emiſiſſe certus eſt. In dubiis benigniori parti favendum, & ipſa quæ ſummo Pontifici reſervantur vota, debent eſſe indubitata.* Additque poſtea hanc eſſe communem Doctorum ſententiam, cujus rationem etiam ſubjicit. *In præfatis*, inquit, *omnes fere Doctores conveniunt: Agnoſcentes quantum expediat animarum ſaluti, eaſdem laqueis extricare quibus ſe facile, & plerumque ipſo diabolo ſub ſpecie boni ſolicitante, implicant; eaque occaſione ſuperadditis reſervationum difficultatibus novis, ſe contraventionum ſacrilegarum laqueis involvunt.*

(n) Cabaſſut. juris can. theor. & praxis L. 1. c. 8. n. 15.

CASUS XIV.

Auxantius, octodecim annos natus emiſſo Ordines ſacros recipiendi voto, anno poſt mutata ſententia nubere conſtituit; ſed cum annexam neceſſario ſacris Ordinibus caſtitatis perpetuæ promiſſionem votum ſuum includat; poſtulat, utrum requiratur ad Papam recurſus, an vero ad Epiſcopum ſufficiat ad obtinendam voti ſui relaxationem?

Digitized by Google

RESPONS.

Non requiritur, ut Auxentius ad Papam recurrat ad obtinendam voti ſui diſpenſationem, cum proprie loquendo non ſit perpetuæ caſtitatis votum. Ratio eſt, quia tale votum directe caſtitatem non attingat, ſed Ordinationem, cui accedit obſervatio caſtitatis, tamquam finis minus præcipuus & indirectus: quod quidem non ſufficit ad conſtituendam reſervationem voti perpetuæ caſtitatis a Papa factam; cum ad id neceſſe ſit ut votum fuerit emiſſum cum propoſito præcipuo & directo perpetuo continendi.

Deciſionem iſtam adſtruit Sylvius (a) his verbis: *Obſervandum eſt vota de non nubendo .. de ſuſcipiendo ſacros Ordines .. non comprehendi ſub voto caſtitatis perpetuæ, vel Religionis, quia non ſunt abſoluta vota caſtitatis; & ideo Epiſcopus poteſt in illis diſpenſare*. Cum hæc ſit communis Theologorum & Canoniſtarum ſententia; hæc una quoque referetur auctoritas.

(a) Sylvius in ſup. 3. part. ſum. S. Th. q. 53. art. un. quæſito 1.

CASUS XV.

MAURINUS, emiſſo voto his verbis concepto: *Voveo me ſacros Ordines eſſe ſuſcepturum, aut Religionem ſolemniter profeſſurum, aut ſaltem perpetuam caſtitatem ſervaturum*, nunc ob varias, ac vehementes quas patitur, carnis tentationes, nubere cupit. Ad quem recurret, ut legitimam obtineat diſpenſationem?

RESPONS.

Reſpondemus, eam a Papa eſſe impetrandam. Ratio eſt, quia ab Epiſcopo non poteſt diſpenſari; niſi quoad ſacros Ordines, ſi eos forte ſuſcipere conſtituerit, atque in tali propoſito permanſerit: ſed cum eos jam nolit ſuſcipere, & unica ei ſuperſit electio vel caſtitatem perpetuam ſervandi, vel Religionem profitendi; a ſolo Papa de voto ſuo poteſt diſpenſari; quia ei ſoli jus illud competit & in utroque caſu diſpenſare obtinet. *Si tamen Titius nullo modo velit amplius ſacris Ordinibus initiari*, inquit Azorius (b), *voti Religione obligatur ad caſtitatem ſervandam, vel Religionem capeſſendam: & cum utraque pars Romano Pontifici reſervetur, Epiſcopi auctoritate a voti nexu liberari non poterit*.

(b) Azorius inſtitut. mor. L. 11. c. 19. 10.

Non idem foret dicendum, ſi Maurinus in propoſito perficiendi voti ſui permaneret, modo disjunctivo quo illud emiſerat, non determinatus videlicet aut perpetuam ſervare caſtitatem, aut Religionem profiteri, aut ſacros ſuſcipere Ordines; tum enim ab Epiſcopo diſpenſari poſſet. *Quandocumque vero*, ſubjungit hic Auctor, *in animo habet vel caſtitatem ſervare, vel ad Religionis inſtitutum tranſire, vel ad ſacros Ordines aſcendere, tuta conſcientia votum Epiſcopi auctoritate commutatur vel relaxatur*. Azorio conſentit Sairus Benedictinus Anglus (c).

(c) Greg. Sairus caſuum conſc. clav. regia. Lib. 6. c. 4. n. 62.

CASUS XVI.

RICTIUS, cum non nubere voviſſet, non tamen nuncupato caſtitatis perpetuæ voto, poſt annum elapſum vinculo ſui voti ab Epiſcopo ſolutus eſt. Numquid ad illius conſcientiæ tutamen ſufficit hæc diſpenſatio?

RESPONS.

Conceſſa ab Epiſcopo ob legitimam cauſſam diſpenſatio ſufficit ad tutam impetrantis conſcientiam. Ratio eſt, quia ſolum perpetuæ caſtitatis votum abſolutum ex præſcripta conſuetudine in Epiſcopos Romano Pontifici reſervatur. At vero non nubendi votum multum differt a voto caſtitatis perpetuæ; ſi quis enim poſt emiſſionem hujuſmodi voti fornicaretur, in votum ſuum præciſe non delinqueret, licet in caſtitatem mortaliter peccaret, quia votum ſuum infringere non poteſt niſi Matrimonium contrahendo, quod voto ſuo prohibetur.

Conſentit hæc deciſio cum uſu Eccleſiæ & Cancellariæ Romanæ, eamque defendant Auctores permulti, antiqui vel moderni, tum Theologi, tum Canoniſtæ. Poteſt (Epiſcopus) diſpenſare cum eo, qui fecit votum non nubendi, inquit Angelus de Clavaſio (d), qui allatam modo ejus rei profert rationem: *Quia proprie non eſt votum caſtitatis; quod patet, quia ſi fornicaretur, non frangeret votum; licet peccaret mortaliter*. Idem docent Silveſter (e) & Navarrus, uti Sylvius (f) & Cabaſſutius (g).

Obſervandum tamen, eos, qui votum non nubendi emittunt, plerumque intendere, ſe perpetuæ caſtitatis vinculo obligare: tumque voti ſui diſpenſationem ad Papam pertinere, quia ex tali intentione ſit votum caſtitatis perpetuæ: atque eo tantum ſenſu intelligenda eſt Cajetani opinio (h), quæ aliorum Auctorum communi ſententiæ videtur oppoſita; ut ſit vera.

(d) Angelus de Clavaſio. v. Votum. 4. n. 6.

(e) Silveſt. de Prierio. v. Votum. 4. q. 3. Sextum. Navarr. Man. c. 12. n. 76. 1.

(f) Sylvius in ſuppl. S. Th. q. 50. art. 1. quæſito 1.

(g) Joan. Cabaſſut. jur. can. theor. & praxis L. 1. c. 8. n. 24. Sanchez L. 4. c. 40. n. 74. Azor. 1. part. L. 11. c. 18. q. 8. Bonacina de 2. dec. præc. diſp. 4. q. 2. puncto 7. §. 4. n. 21. Navarr. Man. c. 12. n. 76. Leſſius L. 2. de juſt. c. 40. dub. 18. q. 6.

(h) Cajet. tom. 2. opuſc. 21 q. 1.

CASUS XVII.

TRIPHENES, diviſis inter Euthaliam & Floram amoribus ſuis, Euthaliæ ſe nupturum vovit: at nunc voti ſui pœnitens, virginitatem ſuam utrique cuſtodire peroptaret. An requiritur voti ſui diſpenſatio, an vero illud abſque peccato omittere poteſt?

RESPONS.

Votum ex definitione S. Thomæ (i), eſt promiſſio facta Deo de meliori bono, hoc eſt, ut explicat S. Antoninus (k), *de meliori bono opere, quam ſit illud, ad quod tenemur de neceſſitate ſalutis*, conformiter ad hæc Angelici Doctoris verba (l): *Hoc autem dicitur eſſe majus bonum, in comparatione ad bonum, quod communiter eſt de neceſſitate ſalutis*. Quod etiam intelligendum eſt, quando res voto ſubjecta non eſt incompoſſibilis cum alio bono majori, quam illud quod vovetur.

Unde ſequitur votum a Triphene emiſſum eſſe invalidum, quandoquidem virginitas eſt quid perfectius & ſanctius ipſo Matrimonio, quod eſt incompoſſibile cum materia ſui voti: quare non tenetur ſub conſcientia illud adimplere in caſu ſimpliciter nunc propoſito; quocirca abſque diſpenſatione in ſuo virginitatis ſtatu permanere poteſt (m).

(i) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. & 2. in corp.

(k) S. Antonin. part. ſum. Theol. tit. 11. c. 2. § 2.

(l) S. Thom. cit. art. 1.

(m) De Genet. theol. mor. tom. 5. tract. 2. cap. 4. dem. 38. Colloq. Lucon. tom. 1. colloq. 7. q. 2.

CASUS XVIII.

EUSEBIUS, Hadriæ Epiſcopus, Bertrandum Vicarii ſui generalis dignitate munivit, eique omnem ſuam commiſit poteſtatem ad ſpirituale Diœceſis ſuæ regimen; qua poteſtate utitur Bertrandus in omnibus caſibus, in quibus ipſe diſpenſare poteſt Epiſcopus. An validæ ſunt omnes & legitimæ, quas vi delegationis ſuæ concedit Bertrandus, diſpenſationes?

RESPONS.

Epiſcopi jure quidem divino de votis diſpenſare poſſunt in omnibus caſibus diſpenſabilibus, qui ad ſe pertinent: ſed ea uti actu nequeunt poteſtate, niſi conformiter ad uſum & conſuetudinem Eccleſiæ, que exigit, ut diſpenſationes illæ ab iis tantummodo concedantur, cum videlicet agitur de gloria divina fideliumque ſalute, & in privatis caſibus in quibus poteſtatem hanc in ipſos epiſcopos non præſcripſit Romanus Pontifex; quales ſunt ii caſus, in quibus difficilius Romam recurrere poſſunt ſupplicantes, ſeu ob nimiam ſuam egeſtatem, aut bellum, aut peſtem, qua Romanum tollitur commercium; aut ob aliam quamdam juſtam rationem; ut cum vota non ſunt perpetua, certa & abſoluta, ſed dubia, aut ad determinatum tempus vel ſub conditione emiſſa, uti jam in reſponſionibus ad ſuperiores difficultates diximus; quibus in caſibus diſpenſandi facultatem ſibi ſervarunt Epiſcopi; ſed quod tum per ſe ipſos, aut ſaltem ex ſpeciali conceſſione præſtare debent, cum nimirum vi conceſſionis ſuæ generalis poteſtatem hanc exercere nequeant eorum Vicarii generales: Unde ſequitur, Bertrandum in caſu propoſito vi poteſtatis generalis ab Epiſcopo ſibi conceſſæ legitime diſpenſare non poſſe, ſed neceſſe eſſe, ut ſpecialem requirat conceſſionem, in iis caſibus in quibus ejus requiritur diſpenſatio.

Id ipſum docet Rebuffus, qui ex præpoſita iſta juris regula (n): *Poteſtas diſpenſandi non tranſit cum generali mandato* (o); ſic concludit: *Patet quod Vicario eſt prohibita diſpenſatio in caſibus, etiam in quibus poteſt Epiſcopus de jure diſpenſare .. niſi huic Vicario data fuerit ſpecialis poteſtas*.

(n) Petrus Reb. in prax. part 1. tit. de forma vicar. Art. & aliorum collat. n. 44. & n. 46.

(o) Cap. Auctoritate. 4. de privil. in 6. L. 5. tit. 7

CA-

CASUS XIX.

Theonillus, viginti annos natus, emiſſum votum per totam vitam qualibet feria ſexta jejunandi, per viginti ferme annos perfecit; ſed, cum tribus annis ſequentibus in quatuor graves morbos incidiſſet, infirma tunc omnino valetudine exiſtimavit, ſe voti ſui ſolutionem poſſe requirere; atque idcirco Pariſienſem Proto-pœnitentiarium adivit, qui votum ejus in eleemoſynam certaſque preces qualibet feria ſexta fundendas commutavit. Elapſo ſex menſium ſpatio perfectam recuperavit is valetudinem, & ab eo tempore per plures Quadrageſimas jejunium obſervavit abſque incommodo, licet etiam ſerotinam prætermitteret cœnulam. Qua de re poſtulat, utrum, deſinente cauſſa diſpenſationis vel commutationis voti ſui, nihilominus diebus Veneris a jejunio abſtinere poſſit, ea perficiendo quæ ſibi injunxit Proto-pœnitentiarius?

Respons.

Cum a Superiore legitimo abſolute & abſque ulla conditione aut tacita aut expreſſa commutatum fuerit Theonilli votum; vel jejunium ad impletionem voti ſui diebus Veneris obſervare poteſt, prout libuerit, aut factæ commutationi libere ſtare, ea perficiendo quæ ſibi a Proto-pœnitentiario fuere præſcripta. Ita communiter docent Auctores, qui ea de re ſcripſere, ea quorum doctrina per abſolutam diſpenſationem tollitur penitus obligatio voti, & per commutationem in aliud vinculum Superioris auctoritate mutatur; ita ut numquam reviviſcat voti obligatio.

Inter hoſce Auctores primum & præcipuum locum obtinet ſanctus Thomas, cujus hæc ſunt verba (a): *Inter commutationem voti & diſpenſationem hoc intereſt, quod, quando votum commutatur, vovens abſolvitur ab uno & ligatur ad aliud.* Idem etiam alibi docet ſanctus Doctor (b), ubi iterum diſpenſationis a commutatione voti diſcrimen ita exponit: *Si quidem abſolute determinetur aliquod votum non eſſe ſervandum, dicitur eſſe diſpenſatio voti: Si autem pro hoc quod ſervandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Unde minus eſt votum commutare quam in voto diſpenſare: utrumque tamen in poteſtate Eccleſiæ conſiſtit.* Cum ſancto Thoma conſentit Divus Antoninus (c).

(a) S. Thom. in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 3.

(b) Idem 2. 2. q. 88. art. 10 in corp.

Hæc ſunt etiam verba Silveſtri de Prierio (d): *Commutatio vero eſt annullatio obligationis voti cum ligamine ad aliquid aliud faciendum; ſicut cum ei qui vovit peregrinationem, imponatur jejunium.* Cajetanus (e) idem ſentiens aſſerit per voti commutationem deſinere obligationem illius, quæ in rem voto ſubſtitutam cadit. *Nota ſecundo*, inquit doctus ille Cardinalis, *quod inter diſpenſationem proprie dictam & commutationem voti hoc intereſt, quod diſpenſatio aufert voti materiam & vinculum; quia decernitur abſolute non ſervandum. Commutatio autem aufert a voto materiam, & non vinculum: nam remanet vinculum, ſeu obligatio voti, ſuper aliam materiam cadens.*

(c) S. Anton. 2 part. ſum. Theol. tit. 11. c. 2. §. 7.

(d) Silveſter. v. Votum. 4. q. 1.

(e) Cajet. in 2. 2 q. 88. art. 12. §. Nota ſecundo.

His etiam verbis ea de re mentem ſuam aperit Suarez (f): *Dico ſecundo etiamſi commutatio fiat in minus vel æquale, prioris voti obligatio numquam redit, etiamſi poſterior non impleatur vel ſine culpa vel cum illa: ratio eſt, quia per commutationem extinguitur prior obligatio; obligatio autem ſemel extincta non reviviſcit.*

(f) Suarez tom. 2. de Relig. tract. 6. lib. 6. c. 20. n. 10.

Nec minus dilucide ſic loquitur Sanchez (g): *Exiſtimo*, inquit; *hunc qui ratam habuit commutationem voti ..... nullatenus teneri ad priorem voti materiam. Ducor quod per commutationem ſit votum prorſus extinctum circa priorem materiam; & obligatio ejus voti ſit prorſus tranſlata in materiam ſubrogatam, ut fatentur omnes cum Cajetano ... Quare concludendum eſt, votum in aliam materiam commutari abſolute ad eum effectum, ut ſemel commutationem acceptans in nullo prorſus eventu teneatur ad priorem.* Additque hic Auctor in caſu commutationis, voventem, ſi velit, votum ſuum reſumere poſſe, aut voto ſuo ſubſtitutam materiam ſimpliciter adimplere. *Qualiſcumque ſit materia ſubrogata, liberum eſt ſemper voventi ad priorem redire.*

(g) Sanchez de matrim. lib. 8. de diſpenſ. diſput. 9. n. 21.

His omnibus addi poſſent auctoritates Soti & Azorii (h) aliorumque multorum: ſed ex his jam colligi poteſt, Theonillum qui bona fide, juſta de cauſſa & modo abſoluto voti ſui commutationem requiſivit, non jam ad illud perficiendum teneri, licet deſierit clauſula iſta; ac ſatis eſſe, ſi injunctam ſibi eleemoſynam faciat, preceſque diebus Veneris a Proto-pœnitentiario præſcriptas recitet.

(h) Dom. Sotus de juſt. & jure. L. 2. q. 7. art. fin. Joan. Azor. L. inſtit. moral. c. 18.

DISPENSATIO VOTORUM RELIGIONIS.

Papa ſolus in votis eorum ſolemnibus cum Religioſis diſpenſare poteſt, & Epiſcopus auctoritate ſua dumtaxat uti ad approbationem & exſecutionem Romani reſcripti Religioſo diſpenſato conceſſi.

Quod pertinet ad regulam in Monaſterio obſervatam, Abbas regularis, aut Prælatus, ſeu Superior major cum juriſdictionem obtineat quaſi epiſcopalem quoſdam aliquando e ſuis Religioſis in aliquo articulo diſpenſare poteſt, modo ſubſit legitima ratio, abſitque omnis ſcandali periculum; quæ duæ conditiones omnino requiruntur, ut licita fiat ejus diſpenſatio.

Superior, qualiſcumque ſit, cum Religioſo etiam in voto paupertatis diſpenſare nequit, ipſi concedens, agri aut cenſus dominium, liberamque eorum abalienationem.

Obſervandum, quod, cum initio præcedentis tituli aſſeruimus, diſpenſationem voti Religionis ad ſolum Papam pertinere, id ipſum de iis tantum intelligi debet, qui ſunt adhuc in ſæculo, non vero de Religioſo, qui non reformatum ingreſſus Ordinem vovet in Reformato profiteri: Cum enim in hoc non novum eſſet Religionis votum, ſed tantum ſimplex circumſtantia, voto jam emiſſo addita, ab Epiſcopo Diœceſano diſpenſari poſſet; ſi juſta ei cauſſa ſubeſſet.

CASUS PRIMUS.

SERAPIONEM, ſancti Gilduini Monaſterii regularem Abbatem quandoque ſollicitant ſubditi ſibi Religioſi, ut ſe de quibuſdam regularis Obſervantiæ capitibus velit diſpenſare. Poteſt ne tuta conſcientia hujuſmodi concedere diſpenſationem?

RESPONS.

Diſſolvi poteſt hæc difficultas ex his ſancti Bernardi verbis (*a*): *Volens nimirum providum fidumque diſpenſatorem, rationis, ubi forte diſpenſat, ſequi judicium, non ſuæ placitum voluntatis; Unde & intimat ei non ſemel quod de omnibus judiciis ſuis Deo redditurus ſit rationem. Lege profecto in regula: Hæc conſideratio penes Abbatem ſit*. Ex quo evidens eſt, Abbati regulari in caſu propoſito competere diſpenſandi facultatem, modo juſtis id de cauſſis fiat; ac proinde Serapionem, illæſa conſcientia, illos e ſuis ſubditis diſpenſare poſſe, qui id requirunt; cum perſuaſum habet, ex eorum petitione non induci diſciplinæ laxitatem, ſed eam fieri ob juſtam & ſolidam rationem; qualis eſt v. g. notabilis animi vel corporis infirmitas, aut cum agitur Religionis bonum, ſaluſve Religioſorum; alioqui veri Superioris fideliſque diſpenſatoris officia prætermitteret, *ſuæ* dumtaxat *placitum voluntatis*, ut loquitur Mellifluus Doctor, non vero æquitatem & rationem ſectando.

(*a*) S. Bernard. de præcept. & diſpenſ. c. 7.

CASUS II.

APOLLONIA, quæ Monaſterii ſui ſtatuta ac regulas ex profeſſione ſolemni tenetur obſervare, & ex quibus cavetur, 1. ne qua Religioſa abſque Superioris ſuæ licentia Epiſtolas ſcribat aut accipiat. 2. Ne ſola in clathris colloquatur, etiam raro vocata, & a perſonis, ne quidem ſuſpectis. 3. Ne ullum umquam depoſitum aliudve ſimile in ſe ſuſcipiat; Apollonia, inquam, Epiſcopum rogavit, ut ſibi obligationes hujuſmodi, quæ ſibi nimis anxiæ ſunt, velit remittere. Poteſt ne Epiſcopus tuta conſcientia hanc ei concedere diſpenſationem, ut ei animi quietem procuret; ipſa vero, ſi forte concedat Epiſcopus, poteſt ne abſque peccati reatu, ea uti diſpenſatione?

RESPONS.

Diſpenſationem hanc generalem tuta conſcientia concedere nequit Epiſcopus; quia aperte vergit in deſtructionem regularis diſciplinæ in Monaſterio obſervandæ; contra vero, ipſius regularitatem, quantum in ſe eſt, fovere tenetur; ne dum laxitati ejus in aliqua re gravi favere poſſit; ut jubet his verbis Tridentinum Concilium (*b*): *Omniſque cura & diligentia a Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus & Provincialibus, quam in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non permittant, ut ab illis recedatur; cum compertum ſit ab eis non poſſe ea quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent relaxari. Si enim illa quæ baſes ſunt & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt*.

(*b*) Concil. Trid. ſeſſ. 25. de regular. & Monial. 1.

Certum eſt autem obligationes quarum diſpenſationem poſtulat Apollonia, res eſſe maximi momenti; cum omnes ad obedientiam ſpectent, quæ Religioſæ profeſſioni eſſentialis eſt, cujus ſolemne votum emiſit non minus, quam caſtitatis & paupertatis. Ut ergo de voto paupertatis Religioſam diſpenſare nequit Epiſcopus, ita etiam nec de voto obedientiæ: Quod tamen fieret, ſi ab Apollonia petitam diſpenſationem ſuus concederet Epiſcopus: qua etiam conceſſa abſque peccato uti non poſſet; ſic enim votum obedientiæ ſuæ erga Superiorem & indiſpenſabilem, quam ex profeſſione ſua contraxit, omnia ſtatuta & omnes Monaſterii ſui regulas obſervandi obligationem infringeret.

Id quidem ultro concedimus, quod ſi in caſu quodam peculiari & inſolito cauſſa quæpiam occurreret ad neceſſariam pertinens caritatem ab Epiſcopo, aut a Confeſſario dumtaxat approbata; tunc in clathris ſola colloqui poſſet & non aliter: Atque ita obtentam ab Epiſcopo licentiam interpretari deberet Apollonia; cum omnis permiſſio aut diſpenſatio generalis in hac materia, tamquam ſubreptitia, ut pote regulari diſciplinæ contraria, cenſeri debeat. Ita ſentit doctus elapſi ſæculi Theologus (*c*).

(*c*) De Sainte Beuve, tom. 2. caſ. 170.

CASUS III.

PACOMIUM, Reformati Ordinis Religioſum, ſeveriſſime objurgavit ipſius Confeſſarius, quod datum ſibi a quodam parente 100. nummorum cenſum proprium haberet: ſed in eo alicujus ſe non novit peccati conſcium, quod in eam rem neceſſariam obtinuerit ab Abbate ſuo regulari, generali totius Ordinis Præpoſito, diſpenſationem. Numquid legitima eſt hæc diſpenſatio, atque ex ea ab omni ſit immunis peccato?

RESPONS.

Religioſus ille ex hac Abbatis ſui regularis diſpenſatione a peccato non ſit immunis, quam nimirum concedere nequit talis Abbas. Ratio eſt, quia votum paupertatis tam eſſentialiter cum ſtatu Monaſtico eſt connexum, ut nullam legitimam poſſit admittere diſpenſationem; quare a peccato mortali non ſit immunis Pacomius ob impetratam, ut ſupponitur, a ſuo Abbate diſpenſationem.

Deciſio iſta fulcitur Decretali Innocentii III. ad Abbatem Monaſteriumque Sublaci in Romana Campania. En ipſius verba (*d*): *Prohibemus quoque diſtricte in virtute obedientiæ ſub obteſtatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat: ſed ſi quis aliquid habeat proprii, totum in continenti reſignet; ſi vero poſt hoc proprietatem aliquam fuerit deprehenſus habere, regulari monitione prævia, de Monaſterio expellatur, nec recipiatur ulterius, niſi pœniteat ſecundum monaſticam diſciplinam*. Tum ſubjungit: *Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur, ſecundum quod beatus Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe*. Quo dicto ſic concludit hic ſummus Pontifex; *Quod ſi quidquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere, ſed Abbati, vel Priori, vel cellario aſſignetur*. Atque ut omnem tollat tam juſtæ prohibitionis infringendæ prætextum, hanc declarationem addit hic ſummus Pontifex: *Nec æſtimet Abbas quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare; quia abdicatio proprietatis ..... adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Omnis ergo poteſtas Abbatis, aut cujuslibet alterius Superioris in eo dumtaxat poſita eſt, ut Religioſo rei temporalis uſum concedat, ſeu ad victum ſuum cultumque, ſeu ob aliam rationem, quæ ad commune Monaſterii bonum pertinet. Hæc quoque facultas revocabilis eſſe debet *ad nutum* vel concedentis, vel illius ſucceſſoris; ita ut perpetua numquam eſſe poſſit, aut irrevocabilis.

(*d*) Innoc. III. in Cap. Cum Monaſterium. 6 de ſtatu Monachor. & Can. Regal. lib. 3. tit. 35.

CASUS IV.

MALATIUS, Religioſus Mendicans, inter Regulares Canonicos ſancti Auguſtini, quorum mitior eſt quam Ordinis ſui Regula, adſcribi cupiens, nota ſibi difficultate neceſſariam in id ipſum diſpenſationem Romæ obtinendi, præſertim, cum impetrans a religione ſua non deſcivit, Religioſum habitum per tres quatuorve tantum dies abjicere conſtituit, campſoremque adiens eccleſiaſticum, ipſi ſupplicem libellum ſuum dedit, quo ſignificabat, ſe & habitum & conventum ſuum abjeciſſe; ideoque a Papa apoſtaſiæ ſuæ abſolutionem poſtulare ſimul & neceſſariam diſpenſationem, ut inter Regulares ſancti Auguſtini Canonicos poſſet admitti; quod conceſſit Papa, Numquid validum eſt ipſius reſcriptum, atque tuta conſcientia ipſius approbationem poteſt requirere Meletius?

RESPONS.

Ad ſolutionem hujus difficultatis, aliarumque complurium; generali huic ſemper ſtandum eſt principio in jure ex multis Decretalibus ad marginem indicatis conſtituto: reſcriptum videlicet obreptitium eſſe & invalidum, quod ex falſo obti-

netur

Digitized by Google

netur expoſito; & pariter ſubreptitium & invalidum eſſe, quando prætermittitur verum, quod jus exprimi requirit (*a*).

Id unum igitur in caſu propoſito dignoſcendum an ſcilicet Meletius falſum expreſſerit, aut verum tacuerit. Fatemur equidem, quod ſecundam ſtrictam allegati acceptionem, falſum non expoſuit; cum re ipſa abjecto Religioſo habitu a Monaſterio ſuo exierit; in quo conſiſtit apoſtaſia. Verum tamen eſt, quod, cum eo tantum fine ita ſe geſſerit, ut Papam decipere, ſicque adhibita illa fraude reſcriptum Pontificium facilius obtineret, ſimulans, ſe ob aliam prorſus rationem a Religioſa diſciplina deſciviſſe; ipſius expoſitum tamquam vero contrarium haberi debet: *Is enim licet expreſſe non exprimat falſum*, inquit Navarrus agens de præſenti difficultate (*b*), *tacite tamen ſic* (*ſubindicando quod non dimiſit habitum, ut impetraret illam gratiam, ſed ob alias cauſſas, quibus multi temere dimittunt*.

Dicendum itaque, tale reſcriptum non minus invalidum eſſe, quam illud, quod ſubreptitie, non revelato inceſtu cum conſanguinea perpetrato obtineret conſanguineus quidam; ut enim is crimen ſuum ſupplici Libello non manifeſtans, indicat ſummo Pontifici, ſe illud non admiſiſſe: ita cum Meletius a Religione duos treſve dies eo deſciverit, ut Papæ perſuadeat, ſe ita geſſiſſe ob aliam cauſſam, ipſius reſcriptum eſt obreptitium. Ut igitur talis matrimonii diſpenſatio eſſet invalida; ſic & Meletii reſcriptum. Idem etiam alibi docet Navarrus (*c*), & propugnat, in Libello ſuo ſupplici fraudem ſuam a tali Religioſo non juſtè occultari; qua tantum uſus eſt, ut Pontificem deciperet, doloque eo ſibi propitium faceret: quaſi vero Papa ei potius favere deberet, qui crimen crimini iogerit, ut eas obtineat gratias, quas merentibus concedit, contra mentem Eccleſiæ, quæ vult, hujuſmodi homines omni prorſus gratia indignos haberi.

(*a*) Alex. III. in Cap. *Ex parte*. 3. de reſcript. & in C. *Ex parte*. 2. de reſcript. &c. *Cæterum*. 3. ib. & Lucius III. in C. *Ad aures*. 8. ibid. Innoc. III. in Cap. *Cum adeo*. 27. de reſcript. &c. *Conſtitutus*. 19. ibid. & in Cap. *Super*. 20. ibid. & in C. *Dilectus*. 23. ibid. Greg. IX. in C. *Ex inſinuatione*. 37. ibid. & in Cap. *Si Propoſuenes*. 42. ib. & cæt.

(*b*) Navarr. Man. c. 22. n. 86. in fin.

(*c*) Navarr. in relection. Capitis. *Si quando*. de reſcriptis excep. 3. n. 4.

CASUS V.

Amarinus, Religionem in Conventu ſolemniter profeſſus, in quo cum regularem diſciplinam non teneri advertiſſet; vovit illum ſubire Ordinem auſteriorem & magis reformatum; nunc vero ob aliquam legitimam cauſſam voti ſui diſpenſationem cupit requirere. An neceſſe eſt, ut ad Papam recurrat, quaſi novum emiſerit Religionis votum; an vero ſufficit ſola Epiſcopi diſpenſatio?

Responsio.

Non requiritur, ut ad Papam recurrat Amarinus ad obtinendam voti ſui diſpenſationem, quam ſolus concedere poteſt Epiſcopus. Rationem hanc iſtius deciſionis vulgo afferunt Canoniſtæ; quia videlicet votum illud, proprie loquendo, non eſt votum Religionis ſimpliciter: quia, qui emiſit tale votum, jam eſt Religioſus, & quia non eſt etiam votum perpetuæ caſtitatis, cum ex ſolemni jam facta religionis profeſſione ad eam teneatur. Ita ſentit Sylveſter his verbis (*d*): *Diſpenſare poteſt* (Epiſcopus) .... *in omni voto perpetuo quod non eſt Religionis aut continentiæ; & ſimiliter in voto, quo exiſtens in Religione laxiori vovet ſtrictiorem; cum non ſit votum perpetuæ continentiæ vel Religionis ſimpliciter*. Azorius cum aliis multis (*e*) & Cabaſſutius idem docent: ſed inſuper ſententiæ noſtræ ſuffragatur majori veneratione dignus ſanctus Antoninus, cujus hæc ſunt ea de re verba (*f*): *Hoc autem videtur, quod ſi exiſtens in laxiori* (Religione) *voveat arctiorem, quod Epiſcopus poſſit diſpenſare; quia non eſt votum perpetuæ continentiæ, nec votum Religionis ſimpliciter, cum jam obligatur ad utrumque, ſed ſolum eſt ſubrogatio voti. Unde videtur quod Epiſcopus poſſit diſpenſare*.

(*d*) Sylveſt. v. *Votum*. 4. q. 3. § *Sextum*.

(*e*) Joan. Azor. inſtr. moral. 1. part. l. 13. c. 18. q. 8. Joan. Cabaſſ. jur. can. theor. & praxis. l. 1. c. 8. n. 24.

(*f*) S. Anton. part. 2. ſum. Theol. tit. 11. c. 2. § 9.

CASUS VI.

Octavia, ſancti Vinebaldi Abbatiſſa, unam e ſuis Religioſis, de voto, quod emiſerat, diſpenſavit. Numquid ex ea diſpenſatione tuta ſit illius Religioſæ conſcientia, quin recurrat ad Papam aut Epiſcopum?

Responsio.

Certum eſt, Abbatem, aut Prælatum Regularem, cui competit juriſdictio quaſi Epiſcopalis, Religioſos ſuos valide diſpenſare poſſe de votis ſimplicibus, quæ emiſerunt; cum juſta ſubeſt cauſſa, excepto voto arctioris Religionis, quia, ut docet ſanctus Thomas (*g*), Religioſus validam non poteſt emittere votum, niſi de conſenſu Superioris ſui regularis: Sed idem non eſt dicendum de Abbatiſſa; quia nimirum Abbatiſſis non competit neceſſaria juriſdictio; ea ſolum vota irrita declarare poſſunt, ſi regulari Monaſterii diſciplinæ, aut Religioſarum voventium valetudini, aut denique debitæ Superiori obedientiæ ſint contraria; ut impuberum filiorum vota pater irritare poteſt (*h*), aut vir mulieris ſuæ; ſi ſint noxia; ſed eas eximere ab obligatione voti per modum diſpenſationis aut commutationis Abbatiſſæ nequeunt; quia diſpenſatio eſt juriſdictionis actio, quæ eis non competit. *Abbatiſſæ*, inquit Cabaſſutius (*i*), *poſſunt quidem Monialium ſuarum vota in irritum adducere, ſi quomodocumque regimini Monaſtico, aut communi familiæ Ordini, aut Monialis valetudini, aut debitæ ſibi ſubjectioni officiunt; ſed non poſſunt diſpenſatione relaxare, quia juriſdictione carent*. Et paullo ante (*K*): *Competit ſolis Eccleſiæ Prælatis juriſdictionem externi fori habentibus illa ſive relaxandi, ſive commutandi voti poteſtas*. Unde colligi neceſſe eſt ex hujuſmodi diſpenſatione non in tuto poſitam eſſe hujuſce Religioſæ conſcientiam; ſed eam ad obſervationem voti ſui non teneri, ſi votum ipſius invalidum, legitimam ob cauſſam, declaraſſet ejus Abbatiſſa.

(*g*) S. Thom. 2. 2. q. 86. art. 8. ad 3.

(*h*) Can. *Mulier*. 14. 32. q. 2. & ibid. DD. & ad Cap. *Is qui*. 2. de regulis. in 6. l. 5. tit. 24.

(*i*) Joan. Cab. juris can. theo. & prax. l. 2. c. 8. in fin.

(*K*) Idem ibid. n. 11.

CASUS VII.

Amarantius, regularis Abbas Monaſterii, ad commune Religionis bonum quaſdam conſtituit regulas, ut perfectius ejus obſervarentur ſtatuta. Prior Conventualis, qui Monaſterii regimini, eo abſente Abbate, præerat, quoſdam de his regulis Religioſos diſpenſavit. Numquid propria id potuit auctoritate?

Responsio.

Prior ille auctoritate privata de regulis ab ſuo Abbate conſtitutis diſpenſare non potuit: Nam ut ait Clemens V. (*l*), *Lex Superioris per inferiorem tolli non poteſt*, hoc eſt, nec eam immutare, nec addere, nec demere, aut de ea diſpenſare quiſquam poteſt.

Multum jam ante tempus eamdem regulam docuerat ſanctus Thomas (*m*): *In Lege humana publica*, inquit, *non poteſt diſpenſare, niſi ille a quo Lex auctoritatem habet, vel is cui ipſe commiſerit*. Regularum autem; de quibus in caſu propoſito, auctoritatem non habet ipſe Prior, his ſubditus regulis, ſed Abbas ſolus, qui, ut legitimus Prælatus, eas conſtituit, a ſuis tenendas inferioribus, inter quos annumeratur ipſe Prior, & qui proinde iis contradici ſub quocumque diſpenſationis prætextu, permittere non debet, niſi a legitimo Superiore procedat.

Ita difficultati huic reſpondit Sylvius 28. Octobris anno 1639. (*n*). Quod quidem iſto confirmat ratiocinio: *Diſpenſatio eſt actus Juriſdictionis: ſed inferior non habet juriſdictionem in legem Superioris, vel in ſuos ſubditos, ut ſunt ſub lege Superioris. Ergo non poteſt cum illis in lege Superioris diſpenſare*.

Vide Religiosus. *Caſu* 26.

(*l*) Clem. V. Clemens. *Ne Romani*. 2. de elect. poteſt. l. 1. tit. 3.

(*m*) S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 6. ad 3.

(*n*) 2. Sylvius reſolut. var. v. *Diſpenſatio*. 4. & plures alii apud eum.

DISPENSATIO SIMONIÆ.

SIMONIA duplex eſt diſtinguenda: Prior eſt juris naturalis & Divini, qualis committitur Beneficii emptione; Altera eſt tantum juris Eccleſiaſtici; ut cum aliquis v. g. prohibitas ab Eccleſia reſignationi aut permutationi apponit regulas.

Conſtat, evidenter, Papam valide diſpenſare non poſſe quoad priorem, ſed contra poſſe quoad poſteriorem, ut probabimus infra (*a*), auctoritate & argumentatione S. Thomæ.

(*a*) v. Simonia caſu Superior.

Cum ſimonia mentalis eſt, aut ad ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, aut Beneficia, ingreſſumve Religionis non ſpectat; tum reus a proprio Confeſſario abſolvi poteſt, nec ulla eget diſpenſatione: quippe qui nullas incurrerit pœnas canonicas, licet graviter peccaverit.

De ſimonia quidem, etiam reali abſolvendi, nec non ſimoniacum ad exercitium Ordinum ſuorum reſtituendi facultatem habent Gallicani Epiſcopi: ſed ſolus Papa ipſum ad Beneficii titulum, fructuumque condonationem reſtituere poteſt.

CASUS PRIMUS.

POTESTNE Papa ex plenitudine ſuæ potentiæ de ſimonia diſpenſare, permittendo id ipſum facere, quod aliter eſſet ſimoniacum?

RESPONS.

Certum eſt & apud omnes Theologos inconcuſſum, Papam ex plenitudine ſuæ potentiæ in Eccleſia, non omnem impedire poſſe ſimoniam: nam ex aliqua ejus diſpenſatione fieri nequit, ut res, quæ ſimoniam juris naturalis & divini continet, fiat licita: & omnis ejus poteſtas eo in re ad ſimoniam tantum juris Eccleſiaſtici extenditur, hoc eſt, pactorum, quæ Decretalibus ſummorum Pontificum prohibentur, quaſi ſimoniæ propinqua. Id quidem probari poteſt auctoritate ſancti Thomæ, qui ita habet (*b*): *Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo..... & ideo ſi reciperet pro aliqua re ſpirituali pecuniam de reditibus Eccleſiæ alicujus, non careret vitio ſimoniæ*. Quod tamen a ſancto Doctore affirmari non poſſet, ſi omnem Papa ex potentiæ ſuæ plenitudine Simoniam poſſet abolere.

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7.

Quæſtio iſta fuſius in titulo SIMONIA *Caſ.* 49. agitur.

CASUS II.

FAUSTUS & FLAVIANUS, Sacerdotes, hanc inter ſe quæſtionem agitaverunt, utrum videlicet Epiſcopus jure poſſet diſpenſare de pœnis canonicis latis in ſimoniacos *circa Ordines aut Beneficia*. Prior affirmat: Negat poſterior. Cui jus?

RESPONS.

Paullus II. in Conſtitutione ſua 24. Novemb. 1464. tria deſignat (*c*), pœnarum genera Canonicarum, quas incurrunt ii, qui ſcienter & voluntarie ſimoniæ crimen committunt. Prima eſt excommunicatio *ipſo facto* incurſa, cum realis eſt ſimonia, & ex utraque parte confecta. Secunda eſt ſuſpenſio ab exercitio ſuſceptorum Ordinum. Tertia eſt invaliditas ipſius contractus ſimoniace initi, quoad collationem Beneficii, ex qua nullitate ſequitur obligatio indiſpenſabilis renuntiandi Beneficia.

(*c*) Paullus 2. in extravagante *Cum deteſtabile*. de Simonia.

Ex doctrina Angelici Doctoris (*d*), *diſpenſare cum eo, qui eſt Beneficiatus ſimoniace, ſolus Papa poteſt*. Quod verum eſt, ſive ſimonia ſit publica, ſive dumtaxat occulta. *In aliis autem caſibus*, addit ſanctus Doctor, *poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare; ita tamen quod prius abrenuntiet, quod ſimoniace acquiſivit, & tunc diſpenſationem conſequatur*. Sic v. g. quando Titularis non fuit conſcius ſimoniæ, a parente aut ab amico, ſe inſcio, commiſſæ, ut Beneficium haberet, ſufficit ut ad Epiſcopum ſuum recurrat, ut facta prius nuda ſimplicique dicti Beneficii renuntiatione, novam ejus proviſionem obtineat. Ita docent Durandus, Joannes Andreas, Navarrus, Zerola de Selva & alii omnes Canoniſtæ (*e*); Atque eo modo conciliandæ ſunt Fauſti Flavianique diverſæ opiniones.

(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 7.

(*e*) Durand. in ſpeculo. l. 2. tit. de diverſis ſententiarum formi. n. 50. & ibi Joan. Andreas. Navarr. conſilio 97. n. 5. de Simonia. Zerola part. 2. de Simonia n. 2. & part. 2. n. 4. de Selva tract. de Beneficiis.

Advertendum, quod ex Concilio Tridentino (*f*), de cenſuris occultis & etiam de irregularitate abſolvere poſſunt Epiſcopi, excepta irregularitate ex homicidio voluntario & libero proveniente; Sed ſimoniacus rehabilitari debet a ſummo Pontifice, non ſolum quoad invaliditatem electionis ſimoniacæ, ſed etiam alterius cujuslibet tituli Beneficii, quod ex ſola ſanctæ Sedis diſpenſatione tenere poteſt, ut conſtat ex Conſtitutione Pauli II. quam confirmant Bullæ Pii IV. & ſancti Pii V. quæ congruunt doctrinæ ſancti Thomæ, Decretalibus & Canonibus, quæ fuſius afferemus, dum de Simonia (*g*).

(*f*) Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 6. de reform.

(*g*) Caſ. Joannes, 32.

CASUS III.

BERTOLDUS, Sacerdos, ex ſimonia voluntaria, ſed occulta curatum obtinuit Beneficium, cujus per annum potitus eſt: poſtea Epiſcopum ſuum adivit, ad obtinendam abſolutionem de crimine ſuæ Simoniæ, ſuam rehabilitationem & condonationem fructuum: numquid ei gratias illas concedere poteſt Epiſcopus?

RESPONS.

Epiſcopus Bertoldo primam gratiam concedere poteſt, eumque de crimine occultæ Simoniæ abſolvere; quia caſus ille Sanctæ Sedi non reſervatur in Gallia; ubi eam omnes Epiſcopi poſſeſſionem obtinent, ut de omnibus abſolvant occultis criminibus, quorum abſolutionem ſibi reſervarunt Papæ: Sed eum rehabilitare nequit ad titulum Beneficii ſui; & multo minus ei fructuum, quos injuſte & abſque canonica inſtitutione percepit, condonationem facere. *Reſervatur ſummo Pontifici, rehabilitatio ad titulum Beneficii Simoniace obtenti, ac condonatio fructuum perceptorum*, inquit Baillius (*h*), ad utrumque igitur ipſum ſuus remittere debet Epiſcopus. *Unde Epiſcopus abſolvens Simoniacum occultum, debet ipſum remittere ad ſummum Pontificem pro rehabilitatione ad titulum, ac condonatione fructuum*.

(*h*) Bail. de triplici exam. 2. part. q. 19. p. 691.

Addendum inſuper, valide Bertoldum adire non potuiſſe Beneficium, de quo Simoniace proviſus eſt, cum invalidus ſit ipſius titulus, atque adeo ipſe ſit intruſus: quam circumſtantiam in libello ſupplici Papæ declarare tenetur, ut novum, qui ſit Canonicus, titulum obtineat.

Vide Titulum SIMONIA.

DIS-

Digitized by Google

DISPENSATIO SUSPENSIONIS.

OMnis Sacerdos approbatus poteſt abſolvere de omnibus ſuſpenſionibus jure latis, quando expreſſe, aut Papæ, aut Epiſcopo non reperiuntur in eo reſervatæ.

Licet ſuſpenſio Papæ eſſet reſervata, de ea tamen abſolvere & diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi ſit occulta. In caſu *Ptolomæus* affertur exceptio in eam rem facienda: Sed cum publica eſt, aut ad forum contentioſum delata, aut in accuſatum ſubſiſtit Judicis decretum, tum reus a ſolo Papa abſolvi & diſpenſari poteſt.

Suſpenſionum, quæ *ab homine* dicuntur, diſpenſationes Superiori, qui eas tulit, ejusve ſucceſſori reſervantur, aut ei, cui illas ſpecialiter jus adſcribit.

CASUS PRIMUS.

PTOLOMÆUS, nondum viginti annos natus Subdiaconatum ſuſcepit, Ordiniſque ſui functiones exercuit: Duobus poſtea tribuſve annis abſolutionem ſuæ ſuſpenſionis & rehabilitationem requiſivit. Poteſtne Epiſcopus utrumque ei concedere?

RESPONS.

Si res ſit occulta, in eo caſu Ptolomæum de ſuſpenſione ſua abſolvere poteſt Epiſcopus, ipſumque ad functiones Ordiuia ſui reſtituere; cum, ut ſupponitur, requiſitam ad Subdiaconatum ætatem habeat. Nititur hæc Deciſio poteſtate, quam confert Tridentinum (*a*) Epiſcopis, abſolvendi ab omni ſuſpenſione & irregularitate, cum publicæ non ſunt; accepta ſola irregularitate ex homicidio voluntario, quamvis occulto, proveniante. *Liceat Epiſcopis &c.*

(*a*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reform.

Ita ſentit Fagnanus Sacræ congregationis Concilii diu ſcriba, qui ab ea rem ſic fuiſſe conſtitutam aſſerit (*b*): *Sacra congregatio*, inquit, *reſpondit, ſi is Clericus pervenit jam ad ætatem legitimam, poſſe cum illo Epiſcopum diſpenſare, tam ſuper ſuſpenſione, quam ſuper irregularitate.* Sed idem non foret dicendum, ſi ad præſcriptam ætatem nondum perveniſſet Ptolomæus. *Si nondum ad legitimam ætatem pervenit Clericus, Epiſcopum non poſſe: ſed petendam diſpenſationem a Sede Apoſtolica.* Undeſic concludit hic Canoniſta: *Igitur ex mente Sacræ congregationis facultas quam habent Epiſcopi diſpenſandi reſtricta eſt ad terminos Concilii; id eſt, ad irregularitates & ſuſpenſiones ex delicto occulto provenientes, ita ut in aliis diſpenſare non liceat, niſi in caſibus, in quibus in jure id eis apparet permiſſum: ſed pro diſpenſatione Sedes Apoſtolica ſit adeunda.*

(*b*) Fagnan. in Cap. *Cum dilectus.* n. 9. & ſeqq. de temp. ordinat.

Objici poteſt in ſecundum hujuſce Deciſionis articulum regula Innocentii III. (*c*), quæ ſupponit, Epiſcopum non poſſe in iis rebus diſpenſare, quarum diſpenſationem ſibi Papa retinuit: & poſſe tantum cum eam non ſibi reſervavit: En verba hujus Papæ: *Quia tamen conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ipſe ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi.* Videtur autem Concilii Decretum nullam expreſſam includere reſervationem ad Papam. Igitur Epiſcopus etiam diſpenſare poteſt, antequam ætatem legitimam reus attigerit. Sic ferme objectionem iſtam conficit Fagnanus, cui cum ipſo reſpondemus 1. in Decretali Innocentii agi de abſolutione excommunicationis, non vero de diſpenſatione, qua jus ipſum infringatur, & quæ ob eam cauſſam vulgo prohibetur. Abſolutio autem excommunicationis res eſt favorabilis, juſque ipſum in nullo offendit. E contra, non vult Eccleſia, quemquam e ſuis filiis in excommunicatione obire, ut ait Alexander III. (*d*): Unde colligit Archidiaconus (*e*), in hanc Deciſionem fruſtra objici Decretalem Innocentii III. cum nullatenus de diſpenſatione loquatur. Auctor Gloſſæ (*f*), Antonius de Butrio (*g*), Cardinalis (*h*), Philippus Decius & alii eodem modo reſpondent cum Fagnano (*i*), qui reſponſionem hanc urget etiam vehementius, perpendendo ipſos Concilii Tridentini terminos, cum loquitur de diſpenſationibus, & poſtea de abſolutione peccatorum, etiam Papæ reſervatorum, & ex diverſo Patrum Concilii loquendi modo oſtendit, multum a ſe invicem differre abſolutionem & diſpenſationem. Longum ejus hic ratiocinium prætermittimus, quod apud ipſum legi poteſt.

(*c*) Innoc. III. in Cap. *Nuper.* 26. de ſent. ex cap. *Commun.* § in ſecundo.

(*d*) Alex. III. in Cap. *Qua fronte.* 25. de judiciis. l. 2. tit. 28.

(*e*) Archidiaconus in C. *Licet canon.* de elect. in 6. n. 3. in fine.

(*f*) Gloſſa in Cap. *Cupientes.* v. *Suſpenſos.* de elect. in 6.

(*g*) Anton. de Butrio in Cap. *At ſi Clerici.* §. *de Adulteriis.* n. 11. verſ. 2. opinio. de judiciis.

(*h*) Cardinalis in Cap. *Dilectus.* 15. de temp. ordinat. n. 2. opposit. 3.

(*i*) Fagnan. n. 13.

2. Reſpondemus, quod, quamvis Innocentii III. regula de diſpenſationibus intelligi poſſe ſupponeretur, (quod tamen falſum eſt) de iis tamen ſolis eſſet intelligenda, quas Epiſcopis jus ipſum concedit, uti aſſerunt Auctor Gloſſæ (*K*), Innocentius IV. (*l*), de Butrio (*m*), Bellamera (*n*), & alii, quos modo diximus: cujus quidem rei hanc rationem affert Fagnanus (*o*): *Quia in adulterio & minoribus criminibus a jure tributa eſt poteſtas Epiſcopis diſpenſandi.* Unde ſic concludit: Ergo in vim illius generalia facultatia conſtituenda eſt regula affirmativa, ut diſpenſatio ſit permiſſa, niſi appareat probibitu, ut ibi omnes notant, & in ſpecie Abbas (*p*), Joannes Andreas (*q*) ..... poſt Hoſtienſem.

(*K*) Gloſſ. in cit. cap. *Dilectus.* de tempor. ordin. v. *Permiſſa.*

(*l*) Innoc. IV. ibid. n. 2.

(*m*) Butrio n. 12.

(*n*) Bellamera n. 4.

(*o*) Fagnan. n. 14.

(*p*) Abbas n. 6. v. *Quandoque.*

(*q*) Joan. Andreas poſt Hoſtienſem in C. 3. de ſupplenda neglig. prælator. in 6. c. 3.

Advertendum cum Fagnano, quod, ut jus cenſeatur Epiſcopo facultatem diſpenſandi expreſſe concedere, ſufficit, ut generaliter exprimat, in tali caſu poſſe diſpenſari: modo in Canone non ſit addita reſervatio Papæ, ut docent Archidiaconus, Joannes de Lignano, Joannes Calderinus (*r*) & plerique alii, quos jam laudavimus, Canoniſtæ. Cujus rei iſtam Fagnanus ſubjicit rationem: *quia ubi jus exprimit, ut diſpenſari poſſit, jus ſervatur, ſi diſpenſetur.* Erga, concludit, *ipſe Epiſcopus Canonum Cuſtos diſpenſare poteſt: quia ſic jura conſervat, ſecundum Joannem de Lignano & Archidiaconum.*

(*r*) Calderinus in Cap. *At ſi Clerici.* §. *de Adulteriis.* de judiciis n. 7.

CASUS II.

TAANÆUS, Diœceſanus Tarbienſis, in ſuſpenſionem incurrit, quod Sacerdotii Ordinem ab Epiſcopo Baionenſi, abſque dimiſſoriis propriis Epiſcopi litteris ſuſceperit. An neceſſe eſt, ut ad Papam recurrat ad obtinendam hujuſce cenſuræ abſolutionem, ſimulque Ordines ſuos exercendi facultatem?

RESPONS.

Certum quidem eſt, hujuſmodi cenſuræ abſolutionem & diſpenſationem ſibi retinuiſſe Sixtum V. ut declaraſſet, eam, etiam in ſacro Pœnitentiariæ Tribunali obtineri non poſſe (*ſ*): *Volumus*, inquit hic Papa, *ut qui abſolutionem & diſpenſationem hujuſmodi petent, ſemper, quamvis delictum adhuc occultam extiterit, non per officium ſacræ Pœnitentiariæ, ſed a nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, in utroque foro abſolutionem petere tenentur: alioquin ipſæ conceſſiones & abſolutiones ...., prorſus nullæ, irritæ & invalidæ exiſtant.*

(*ſ*) Sixtus V. in Bulla *Sanctum.* 92. die 5. Jan. 1589. §. 5.

Sed a Clemente VIII. in eam rem per Bullam ſuam quadrageſimam 28. Feb. an 1595. latam (*t*) revocata eſt Sixti V. Bulla; ſtatuitque, ut iſta præcise Tridentini Decretum obſervaretur (*u*): *Ordinatus*

(*t*) Clement. VIII. in Bulla *Romanum.* 40. §. 2.

(*u*) Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de reform.

dinatus

dinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videtur expedire, ſit ſuſpenſus. Certum eſt igitur, (quidquid contra ſentiat Pyrrhus Corradus (*a*), aliunde in materia diſpenſationum peritiſſimus, Epiſcoporum pleno jure diſpenſare poſſe Diœceſanum ſuum, qui in hanc ſuſpenſionem incurrit: atque adeo non neceſſarium eſſe Thadæo recurſum ad Papam, ut obtineat abſolutionem ſuam, quam ſufficit, eum habere ab Epiſcopo Tarbenſi. Conſenſit hæc deciſio cum Sententia Auctoria Colloq. Andegav. (*b*).

Idem dicendum eſt de eo 1. qui in ſuſpenſionem incurrit, ob receptos ante præſcriptum Canonibus ætatem Ordines, ut alibi probavimus (*c*) ex multis iiſque præcipuis auctoritatibus. 2. De eo, qui falſum habens Clericalem titulum ad ſacram acceſſit Ordinationem: Bullæ namque quorumdam ſummorum Pontificum, qui hujuſce cenſuræ diſpenſationem & abſolutionem ſibi retinuere, in Gallia, quod ad hoc non obtinent. 3. De eo qui in ſuſpenſionem incidit, quod perſonas ſibi non ſubditas Matrimonio conjunxerit, non obtenta prius Parochi contrahentium, aut Epiſcopi Diœceſani licentia. 4. De eo, qui ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (*d*) in Regno recepta, eſt interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, quia celebravit aut celebrare fecerit in loco interdicto, aut quia ad Sacramentorum participationem, vel ad divina officia admiſerit, aut tandem in loco ſacro ſepelierit perſonas nominatim excommunicatas, ſuſpenſas vel interdictas; in his enim omnibus caſibus Epiſcopo jus competit abſolvendi & diſpenſandi cum iis, qui in hanc cenſuram incurrerunt.

Ceterum tres iſtas regulas meminiſſe juvat. Prima eſt; Epiſcopi ſolo dignitatis ſuæ titulo poſſunt abſolvere de omnibus caſibus & cenſuris, quarum ſummo Pontifici in jure non reſervatur abſolutio; ut probari poteſt ex hac generali ratione Innocentii III. (*e*) ſpeciatim quoad excommunicationem: *Quia Conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit; eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*. Secunda: ex Decreto Concilii Tridentini (*f*) quilibet Epiſcopus abſolvere poteſt de ſuſpenſionibus jure reſervatis, quas quis ex occulto delicto incurrit, & cum ad forum externum non fuere latæ. Tertia: de iis etiam ad forum externum latis abſolvere & diſpenſare poteſt Epiſcopus, *ſi difficillimus eſſet ad Papam recurſus*.

(*a*) Pyrrhus Corradus. l. 4. diſpenſat. Apoſtolicarum.

(*b*) Colloq. Andeg. menſis Sept. 1712 q. 2.

(*c*) Vide Suſpenſio. caſ. Cyriacus. 4.

(*d*) Bonif. VIII. in Cap. Epiſcoporum. I. de privilegiis in 6. l. 5. tit. 7.

(*e*) Innoc. III. in Cap. Nuper. 24. de ſent. excom.

(*f*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reform.

CASUS III.

Aigulphus, ſuſpenſioni obnoxius, quod nondum Subdiaconatu initiatus, Diaconatum ſuſceperit, ad obtinendam ipſius diſpenſationem, ad Papam recurrit. Numquid ſufficiens fuiſſet Epiſcopi ſui diſpenſatio?

Respons.

Aigulphum diſpenſare poterat Ordinarius, cum talis diſpenſatio ex jure ſummo Pontifici non reſervetur; quocirca non neceſſe erat, ut Romam recurreret. Id probat Decretalis Innocentii III. ad Epiſcopum Bononienſem (*g*), in qua ſummus ille Pontifex loquens de ſubdiacono, qui omiſſo Diaconatu, ſeu per ſaltum Sacerdotio initiatus fuerat, declarat, hunc Epiſcopum ipſi neceſſariam concedere poſſe diſpenſationem: *Mandamus, quatenus condignam pœnitentiam injungas eidem; qua peracta .... ipſum in Diaconum ordinare procures; & ſic de miſericordia eundem miniſtrare permittas in Ordine Sacerdotis*. Hanc etiam quæſtionem dilucidius enucleat Tridentinum Concilium his verbis (*h*): *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſſa poſſit diſpenſare*. Ex his verbis, *ſi non miniſtraverint*, intelligitur, Epiſcopum diſpenſare non poſſe, ſed ad Papam, ut obſervat Cabaſſutius (*i*), eſſe recurrendum; ſi talis Clericus functiones Ordinis, quem ſuſcepit per ſaltum, obierit.

(*g*) Innoc. III. in c. *Tua*. unico de Clerico per ſaltum promoto. l. 5. tit. 29.

(*h*) Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. de reform.

(*i*) Cabaſſutius Juris can. theor. & prax. l. 3. c. 16. n. 10.

Vide { Ordines. Caſ. *Baldricus*. / Suspensio. Caſ. *Cyriacus*. / Et Caſu *Laurentius*. }

DISPENSATIO IRREGULARITATIS.

DISPENSARE poſſunt Epiſcopi de omnibus irregularitatibus occultis, ea excepta, quæ procedit ab homicidio voluntario, etiam occulto, quæ ſoli Papæ reſervatur.

Diſpenſare quoque poſſunt Epiſcopi de irregularitate publica in uno caſu, cum nimirum provenit irregularitas ex infractione cenſuræ ab ſe latæ per aliquod particulare ſtatutum, & de qua nulla ſit in jure mentio, hoc eſt, neque in Conciliis, neque in Canonibus, neque in Conſtitutionibus ſummorum Pontificum: hujus a nobis exemplum profertur ad finem Caſus *Laurentius* in verbo, *ſuſpenſio*.

Cum irregulari etiam *ex defectu natalium* poſſunt diſpenſare ad ſolam Tonſuram minoreſque Ordines, atque ad ſimplex, non vero ad Curatum Beneficium: ſed ultra in hoc non extenditur eorum poteſtas.

Epiſcopi in Gallia eo modo diſpenſare poſſunt, per ſe ipſos, aut per Vicarios ſuos generales, alioſve Sacerdotes, a ſe in eam rem delegatos.

Si Epiſcopus ipſe in cenſuram aut irregularitatem occultam incidiſſet, poſſet tum cenſuræ illius aut irregularitatis diſpenſationem habere ab eo Confeſſore, quem ſpecialiter committere vellet ad hoc, ſine ullo Romam recurſu.

Pari cum Epiſcopis poteſtate quoad abſolutionem & diſpenſationem ſuorum Religioſorum potiuntur Abbates aut Superiores Regulares in iis caſibus, quos expreſſe exſcepit Papa; modo juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtineant: aliter ad ſolos Epiſcopos jus illud pertinet.

Conceſſa illegitimo a Principe ſæculari diſpenſatio nullius eſt momenti ad ſuſceptionem Ordinum, aut Beneficiorum poſſeſſionem; ita ut omnino neceſſe ſit, ut ab Eccleſiaſtico Superiore novam obtineat diſpenſationem, qua ad utrumque fiat idoneus.

CASUS PRIMUS.

DECANUS & octo Canonici Capituli ſancti Nili admiſſa voluntarie & ex avaritiæ impulſu ſimonia reali in collatione pinguis Beneficii, & ex ea incurſis omnibus ſimoniacorum pœnis, ad Papam recurrerunt: aperta fideliter rei veritate, abſolutionem a cenſuris diſpenſationemve irregularitatis ſuæ enixe poſtularunt: quo facto ſummus Pontifex eis Reſcriptum abſolutionis miſit, cujus exſecutionem Vicario generali Diœceſis demandavit: ſed in illo Reſcripto generalis tantum fit mentio de Canonicis, non ſpecialis de Decano, qui cum aliis Canonicatum obtinet. Poteſt ne generalis Vicarius Papæ gratiam ad ipſum Decanum extendere, & eum de irregularitate uti alios Canonicos diſpenſare?

(a) Greg. IX. in Cap. *Mandato*, fin. de Simonia &c. L. 5. tit. 3.

RESPONS.

Breve ſeu Reſcriptum illud pro Decano, uti pro aliis Canonicis exſecutioni demandari poteſt. Id quidem probat Decretalis Gregorii IX. *(a)* in qua ſimilem huic pariter ſolvit difficultatem: declarat enim, datum eſſe mandatum quoſdam Monachos ſimoniacos abſolvendi, ad Abbates etiam, licet in eo non expreſſos, debere extendi: *Conſultationi tuæ breviter reſpondentes*, inquit, *dicimus mandatum Apoſtolicum etiam ad Abbates extendi*: unde concludi neceſſe eſt, quod, cum, ut ait Gloſſa ab Innocentio III. *(b)* approbata: *Beneficium Principis (c) largiſſime interpretandum eſt*: in caſu propoſito Vicarius generalis ad Decanum Capituli pontificium reſcriptum poteſt extendere, uti Gregorius IX. declarat, mandatum ſuum non minus ad Abbatem, quam ad Monachos extendi debuiſſe, licet de Abbate non fieret mentio; præſertim cum certum ſit, Decanum non minus, quam Canonicos ſub nomine Capituli comprehendi, ut probat Azorius auctoritate Innocentii IV. Hoſtienſis, Joannis Andreæ, & Baldi *(d)*.

(b) Innoc. III. in Cap. *Olim*. 18 de verb. ſignif lib. 5. tit. 40. Et in Cap. *Cum dilecti* 4. de donat. L. 3. tit. 24.

(c) Gloſſa in cit. Cap. *Mandato*. v. *Abbates*. Et in Cap. *Quod dilectio*. 3. de conſ. & affinit. v. *Uterque*. Et in Cap. *Cum ſecundum*, fin. de ſecundis nuptiis. v. *Conceſſa*. Item Leg. *Beneficium*. 3. ff. de conſtitut. Principum. L. 1. tit. 4.

Confirmari poſſunt hactenus dicta, 1. ex hac Bonifacii VIII. regula *(e)*: *Semper plus in ſe continet quod eſt minus*: hoc eſt, cum Papa omnibus Canonicis, nullo excepto, gratiam concedat, præſumi non poteſt, eum ab illa gratia Capituli caput, Decanum videlicet, excluſiſſe. 2. Ex hac pariter regula ab Innocentio III. *(f)* ſtabilita: *Quod in majori conceditur, licitum eſſe videtur & in minori*. Ex qua Vicarius generalis, de quo in caſu propoſito, a fortiori Decanum poteſt diſpenſare, cum gratiam hanc cuilibet e Capitulo poſſit concedere *(g)*. 3. Addi poteſt Gloſſæ auctoritas dicentis *(h)*: *Nec erat neceſſe facere mentionem de parte, id eſt, de Decano, cum pars teneatur in toto*; quod Gloſſæ Auctor ex hac juris regula deſumſit *(i)*: *In toto & pars continetur*. Dicendum itaque, ſub generali Capituli nomine Decanum comprehendi, ut *familiæ appellatione*, inquit Juriſconſultus Gaius in lege *(k)*, *& ipſe princeps familiæ continetur*.

(d) Azorius Inſtit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 37. §. *Tertio quæritur*.

(e) Bonif. VIII. in reg. 35. de reg. juris in 6.

(f) Innoc. III. in Cap. *Per venerabilem*. 13. qui filii ſint legitimi. L. 4. tit. 17.

Ac fruſtra quis objiciet, in quibuſdam Cathedralibus Eccleſiis, Decanos non eſſe Canonicos, atque adeo inter eos qui hujuſmodi reſcriptum obtinuerint, non eſſe habendos, cum in eo, ut ſupponitur, de ſolis Canonicis fiat mentio. Licet enim talis Decanus non ſit Canonicus, Capituli tamen eſt caput; uti Abbas ſuæ Communitatis Capitulo præſidet, in eo deliberationis ſuffragio potitur ac ſuffragia colligit, deliberationibus ſubſcribit, cum agitur de nominationibus, collationibus & proviſionibus Beneficiorum, quæ pendent a Capitulo, aut de receptione Canonicorum: ac generatim de iis omnibus, quæ præciſe ad geſtionem temporalis Canonicorum reditus non pertinent; ac tandem in choro primum obtinet locum, uti dijudicatum eſt ex duobus Arreſtis Senatus Pariſienſis latis, altero 19. Junii an. 1672. & altero 17. Januarii an. 1673. pro Franciſco de Hodencq Decano & prima Eccleſiæ Ambianenſis dignitate, in Capitulum & Canonicos ejuſdem Eccleſiæ, qui hæc ei jura negabant; ut refert Blondeau in ſuis additionibus ad Bibliothecam Canonicam Bouchel *(l)*. Cum igitur talis Decanus ſit caput totius Ordinis Canonicorum, qui reſcriptum obtinuere de quo agitur, in eo contineri cenſendus eſt, & communiter conceſſa gratia frui debere, cum primum ſit Capituli membrum, uti Abbas ſuæ Communitatis.

(g) Du Caſſe, prax. juriſd. Eccleſ. volumi. C. 10. §. 4. n. 3.

(h) Gloſſa in Cap. *Poſt electionem*. 7. de conceſſione Præbendæ &c. v. *Mentio*.

(i) Reg. 113. ff. de reg. juris lib. 5. tit. 17.

(k) Leg. *Familiæ*. 196. ff. de verbor. ſignific. ibid. tit. 16.

(l) Cl. Blondeau in Bouchel. v. *Canonicus*.

Confirmari poteſt iterum hæc deciſio ex comparatione Abbatis & Monachorum ſuorum. Certum eſt autem Abbatem Regularem ſub generali Monachorum talis Monaſterii nomine contineri, eumque eſſe participem gratiæ a Superiori ſub hoc nomine conceſſæ, ut docet Panormitanus poſt Joannem Andream. *Videtur*, inquit inclytus ille Canoniſta *(m)*, *quod Abbas poſſit abſolvi hoc caſu per Epiſcopum per Cap. Monachi ſupra eod ..... appellationem Monachorum venit Abbas, ut in capite finali de ſimonia*. Reipſa Honorius III. in hac ultima Decretali declarat, ſe de Abbate pariter loqui ſub generali Religioſorum nomine quoad abſolutionem, quam ipſis ſimoniæ cauſſa concedit: *Dicimus mandatum Apoſtolicum etiam ad Abbates extendi*. Idem etiam probat Gloſſa ex his tribus juris regulis. 1. *Beneficium Principis largiſſime interpretandum eſt*. 2. *In Beneficiis plena eſt interpretatio facienda*. 3. *Cui conceditur minus, & majus conceſſum videtur*.

(m) Panorm. in c. *Univerſitas*. 24. de ſent. excom. n. 12.

CASUS II.

ARISTOPHANES, Parochus ſancti Chanemundi, admiſſa ſecreto reali ſimonia, functiones ſuas curiales obire in eo ſtatu pergens, non requiſita aut abſolutione aut rehabilitatione, in jus vocatus eſt a Luciano, qui contra eum de ſimoniæ crimine inquiri obtinuit: ſed quia Luciano non ſuppetebant ſufficientes probationes, lis illata in eodem remanſit ſtatu. Interea Ariſtophanes ſincero pœnitentiæ dolore commotus abſolutionem cenſurarum in quas incurrit, atque irregularitatis ſuæ diſpenſationem vult obtinere. Tenetur ne idcirco ad Papam recurrere; an vero ad Epiſcopum ſolum? Ratio dubitandi eſt, quia diſpenſandi poteſtatem Epiſcopo aufert Concilium Tridentinum, cum ad forum contentioſum crimen delatum eſt. Atqui Ariſtophanis ſimoniæ crimen ad forum externum fuit delatum a Luciano: videtur ergo Ariſtophanem ab Epiſcopo non poſſe diſpenſari, cum præſertim illius crimen factum fuerit notorium.

RESPONS.

Epiſcopus Ariſtophanem de cenſuris in quas incurrit, abſolvere, & de irregularitate in quam incidit, diſpenſare poteſt; unde non neceſſe eſt, ut ad Papam recurrat. Ratio eſt, quia, cum excipitur a Concilio Tridentino *(n)* caſus, in quo crimen ad forum contentioſum delatum eſt, id non eſt intelligendum de ſimplici vadimonio dicto, aut diſquiſitione a judice facta ad alterius querelam, ſed cum in accuſatum a judice lata eſt ſententia, ut tradit doctus Canoniſta *(o)*, qui ſuam confirmat ſententiam ex lege civili. Quod quidem æquitati magis conſentaneum videtur, quia in virum vel maxime innoxium fieri poſſunt & expoſtulationes & inquiſitiones. Ex his ergo proceſſibus non privatur Epiſcopus jure, quod ſibi ſua confert dignitas ad diſpenſandum cum Ariſtophane de irregularitate: licet enim re ipſa coram Deo reus ſit, non talis ideo coram hominibus cenſetur; quoniam adeo occultum eſt crimen illius, ut in foro exteriori probari nequeat, & proinde coram hominibus habeatur innoxius *(p)*. Fruſtra additur, notorium jam factum eſſe crimen ejus: nam primo non eſt notorietate facti, cum crimen illud coram multis non admiſerit, & e contra juridice probari nequeat. Neque etiam notorium eſt notorietate juris; quandoquidem non tale eſt, niſi poſtquam in exteriori foro debito modo fuit probatum. *Non ſufficit* (crimen) eſſe *famoſum, nec teſtibus probabile*, inquit Navarrus *(q)*: *notorium autem dicitur ..... quod eſt confeſſum a parte in judicio, vel ſuper quo eſt lata ſententia, quæ tranſivit in rem judicatam; aut eſt adeo manifeſtum, ut nulla tergiverſatione celari poſſit*.

(n) Conc. Trid. ſeſſ. 24. can 7. & ſeſſ. 24. de reform. c. 6.

(o) Aloyſius Riccius reſol. 522.

(p) Ducaſſe, loco cit.

(q) Navarrus Man. c 25. n. 73.

CASUS III.

GOARAS, Hungarorum militum ductor, ex improviſo hominem ſibi infenſum, in ſaltu media nocte aggreſſus eſt, atque acinace ipſi brachium abſcidit, ab eo tamen homine ob tenebras incognitus. Poſt aliquot annos, cum arma abjeciſſet, clericali mili-

Digitized by Google

militiæ nomen daturus, ab Epiſcopo ſuo occultæ illius mutilationis diſpenſationem petiit.

Numquid ipſum in integrum reſtituere poteſt Epiſcopus? Hinc de ea re oritur dubium, quod, cum de homicidio occulto juxta Decretum Tridentini Concilii diſpenſare nequeat Epiſcopus (a): videtur etiam, quod non poſſit ſimiliter diſpenſare de irregularitate quæ ex mutilatione procedit juxta hæc Gloſſæ verba (b): Nota quoad irregularitatem, mutilationem homicidio comparari ad idem. Quod probat eadem Gloſſa ex Canone depromto ex Epiſtolis Innocentii I. (c) & quatuor aliis juris Canonici teſtimoniis.

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 6. de reform.

(b) Gloſſa in Clement. *Si furioſus*, uoic. de homicidio, v. *Mutilet*.

(c) Innoc. I. in can. *Aliquantos*. 1. diſt. 51.

R e s p o n s.

Ad propoſitam difficultatem dicendum, Epiſcopum cum Gorgia de ipſius irregularitate diſpenſare poſſe, cum in omnibus irregularitatibus ex occulto crimine provenientibus poſſit Epiſcopus, & irregularitatem tantum ex homicidio voluntario ortam excipiat Concilium Tridentinum de mutilatione ſilens. Ratio eſt, quia omnis reſervatio eſt odioſa & ſtricti juris; unde ultra proprium verborum ſenſum extendi non debet. Ita quinque ſenſit ſacra Concilii Congregatio, ab Epiſcopo Cremonenſi conſulta, ut teſtatur Fagnanus (d):

Quod ſpectat ad paritatem ab Auctore Gloſſæ inſtitutam, certum eſt, quod ea pertinet tantum ad irregularitatem, quæ non minus ex mutilatione, quam ex homicidio contrahitur; non vero ad diſpenſationem, quæ concedi poteſt, ut obſervat idem Auctor: in quo per errorem lapſus eſt Angelus de Clavaſio (e).

(d) Fagnan. in c. *Dilectus*. de temp ordinat. n. 29.

(e) Angelus de Clavaſio. v. *Homicidium*. 5. q. 3.

CASUS IV.

Menulfus, Judex urbanus in re capitali, qui multas tulit capitales ſententias in reos, qui decretam ab eo mortis pœnam tulere, nunc inter Clericos adſcribi, ſacriſque initiari Ordinibus cupit. Sed cum in irregularitatem *ex defectu lenitatis* inciderit, de qua proinde ipſum diſpenſari neceſſe eſt, poſtulat, utrum ad Papam neceſſarius ſit, an vero ſufficiat ad Epiſcopum recurſus?

R e s p o n s.

Multi, iique inclyti Auctores, uti Barboſa (f), Navarrus (g), Covarruvias (h), Majolus, Medioa & Vivaldus exiſtimant, probabiliter non requiri in tali caſu recurſum ad Papam, ſed Epiſcopum talem poſſe concedere diſpenſationem: ſuamque ſententiam ex hac regula confirmant illi Auctores, *Omnia videntur conceſſa, niſi ſint prohibita*; quam regulam ſuppeditat Gloſſa dicens (i): *Eſt heic argumentum, Epiſcopos poſſe diſpenſare, ubi ſpecialiter diſpenſatio non eſt prohibita; & conceſſum videtur, quod non prohibitum* (k); ſed ipſorum opinioni aſſentiri, ob contrarium & univerſum uſum: Quod nimirum in Epiſcopos jus diſpenſandi in hoc caſu, ut in aliis multis præſcripſerit Papa; & pro certo tutius ſit ad ipſum recurrere, qui nunc ſolus obtinet hujuſmodi diſpenſationes concedere: ſtandum quippe eſt Decreto Concilii Tridentini, quod jam multoties laudavimus (l), & huic Clementis V. regulæ (m): *Quod expreſſe non conceditur, intelligitur denegatum*. At vero Decretum Concilii indicat tantummodo licere Epiſcopis diſpenſare de irregularitate proveniente ex occulto crimine, excepto homicidio voluntario; ex quo inferri nequit eamdem poteſtatem ipſis eſſe conceſſam erga irregularitatem, quæ *ex defectu* lenitatis occurrit, de qua videlicet non loquitur illud Decretum: & aliunde, uti obſervant Avila, Tannerus, Bonacina (n), Diana (o), Baſſæus (p), Baillius (q), & alii, defectus ille non eſt peccatum; cum judex morte plectens reum illo dignum ſupplicio, nullam culpam committat, & e contra coram Deo & hominibus talem ferendo ſententiam mereatur.

Concludimus ergo, Menulfum debere ad ſummum Pontificem recurrere, ad obtinendam diſpenſationem legitimam, qua indiget; ut ſacros Ordines ſuſcipiat. *

(f) Barboſa de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 39. n. 47.

(g) Navarr. Man. c. 27.

(h) Covarruvias in Clement. *Si furioſus*. part. 1. n. 7. in fine.

(i) Gloſſa in c. *Nam concupiſcentiam*. 4. de conſtitut. Et in c. *Nuper*. 29 de ſent. excom. v. *Non remaneat*.

(k) Leg. *Nec non*. 28. § *Quod ejus*. ff. ex quibus cauſis major. & l. 4. tit. 2.

(l) Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 7. & ſeſſ. 24. c. 6. de reformat.

(m) Clemens V. in Clement. 1. de verbor. ſignificat.

(n) Bonacina de irregularit. diſp. 1. q. 4. punct. final. propoſit. 2.

(o) Diana. 4. part. tract. 2. reſolut. 69.

(p) Baſſæus Flor. Theolog. practica v. *Irregularitas* 15. n. 17.

(q) Baill. de ſaam. confeſſor. §. 27. in fin.

* Nec Caput ſeptimum Concilii Trid. Seſſ. 14. de reform. nec Clementis V. verba hæc (*Quod expreſſe non conceditur, intelligitur denegatum*) efficaciter probant Epiſcopum in præſenti caſu non poſſe diſpenſare: multa enim expreſſe non conceduntur Epiſcopis, quæ tamen non intelliguntur denegata: Attamen multo conſultius tutiuſque aget Menulfus, ſi ad Sedem recurret Apoſtolicam.

CASUS V.

Nabor, Sacerdos & Beneficiatus, e ſua Diœceſi egreſſus, ſumto ſæculari habitu, in remotam abiit Diœceſim, ibique puellæ ſecum abductæ ſolemniter nupſit. Aliquanto poſt ob crimen ſuum dolore commotus rediit, cumque illud Epiſcopo ſuo declaraſſet, ipſum demiſſe rogavit, ut ad arbitrium ſuum pœnitentiam imponeret, neceſſariamque ſibi ad functiones ſuas obeundas diſpenſationem concederet. Poteſt ne Epiſcopus hanc ei diſpenſationem concedere, poſt peractam ſinceram & rigoroſam pœnitentiam?

R e s p o n s.

Alexander III. (r) declarat, hanc Epiſcopo competere poteſtatem. *Sane*, inquit, *ſacerdotes illi qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, ſed contubernia ſunt potius nuncupanda, poſt longam pœnitentiam & vitam laudabilem continentes, Officio ſuo reſtitui poterant, & ex indulgentia ſui Epiſcopi ejus exſecutionem habere*. Nabor igitur in caſu propoſito diſpenſari poteſt & ad exercitium ſacrorum ſuorum Ordinum ab Epiſcopo ſuo in integrum reſtitui. Advertendum tamen, quod illud ita intelligi debet, ſi ante cum alio non peccaverit puella, ut explicat Gloſſa his verbis: *Nota quod Epiſcopus poteſt diſpenſare cum ſacerdotibus, qui contrahunt nuptias, dummodo uxor illa virgo fuerit*. Ratio eſt, quia tum foret irregularis *ex bigamia*, ac regulariter loquendo, a ſolo Papa tum reſtitui poſſet.

Nec adverſatur iſta deciſio Concilio Neocæſarienſi, in quo dicitur (ſ): *Presbyter, ſi uxorem duxerit, ab Ordine ſuo*, (hoc eſt) *ab officio & non beneficio*, ut explicat Gloſſa (t) *illum deponi debere*. Nam 1. Canon ille loquitur de ſacerdote, cujus crimen eſt publicum; *heic loquitur*, inquit Gloſſa, *quando crimen eſt publicum apud laicos*: & in Decretali agitur tantum de crimine occulto, cui proinde publica pœna, qualis eſt depoſitio, non eſt infligenda; ſed quod occulta pœnitentia expiandum eſt, ut publicum crimen publica, juxta doctrinam ſancti Auguſtini in Canone relatam (u): *Corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipſa vero corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius*: vel ut alibi ſanctum Auguſtinum loquentem inducit Gratianus (x); *publica noxa publico eget remedio*.

2. Concilium de eo loquitur, qui nondum peracta pœnitentia, juxta Canonum rigorem debet puniri: cum in caſu noſtro, uti in Decretali Alexandri III. de gratia agitur ei condonanda, qui illam meritus eſt, *poſt longam pœnitentiam & vitam laudabilem*.

(r) Alex. III. in cap. *Sane*. 4. de Clericis conjugatis. l. 3. tit. 3. Idem in cap. *De diacono*. 1. qui Clerici vel voventes &c. l. 4. tit. 6. Et ibi Panormit. Cardin. præpoſitus & alii.

(ſ) Conc. Neocæſar. in c. *Presbyter*. 9. diſt. 28.

(t) Gloſſa ibid v. *Ab Ordine*.

(u) S. Aug. in can. *Si peccaverit*. 19. 2. q. 1.

(x) Grat. §. *Hoc ergo*. 1. ad can. *Quis aliquando*. 17. de pœnit. diſt. 1.

CASUS VI.

Pharetius, facta permutatione Canonicatus in ſimplicem Prioratum, quæ quidem eſt ſimoniaca, ſed quam talem non reputavit, ut pote qui eam non fecerit, niſi conſultis duobus Doctoribus, qui pii & eruditi habebantur; cum poſtea ordinum ſuorum functiones obierit, diſpenſatione novaque proviſione indiget: Num idcirco ad Papam neceſſarius eſt recurſus?

R e s p o n s.

Non neceſſe eſt, ut ad Papam is recurrat, ut relaxetur ipſi irregularitas, quam incurriſſe ſupponitur, novamque ſibi neceſſariam proviſionem obtineat: quam utramque gratiam concedere poteſt Ordinarius, ſeu per ſe ipſum, aut per Sacerdotem a ſe in eam rem delegatum: quia ea de qua agitur, ſimonia non ſolum eſt occulta, ſed inculpabilis: cum eam tantum admiſerit Pharetius ex ignorantia, quæ pro ipſo invincibilis dici poteſt; cum pro chriſtiana prudentia ſe geſſerit, ne ſimoniace permutaret; & eorum, quos conſuluerat, doctorum ſententiæ ſtare poſſet; nullatenus inſuper de contrario dubitans.

Deciſio

Deciſio iſta conformis eſt 1. Decretali Gregorii IX. (*a*), in qua ait hic Papa: *Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit ſimplex Beneficium per ſimoniacam pravitatem, poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleretur*. Hoc eſt, Epiſcopus tali Beneficiario veniam concedere poteſt, ut ſimplex ſibi collatum pro Canonicatu Beneficium retineat, novam ei conferens proviſionem, ſine qua illud habere non poſſet, cum prior ſua proviſio *ipſo jure* ſit invalida; quamquam commiſſa ab eo ſimonia voluntaria non fuerit & culpabilis. 2. Concilio Tridentino (*b*) quod Epiſcopus poteſtatem facit reos diſpenſandi in omnibus caſibus occultis, excepto ſolo homicidio voluntario. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum) diſpenſare*. Hæc ſunt verba Decreti ſacroſancti hujuſce Concilii, cui non derogat Bulla quinquageſima quarta Pii IV. 27. Maii an. 1562. (*c*) lata.

(*a*) Greg. IX. in cap. Si alicujus. 10. de elect. & electi. pot. l. 1. tit. 6.

(*b*) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 6.

(*c*) Pius IV. in Bulla Universis.

Obſervandum, nos dixiſſe, Epiſcopum poſſe diſpenſare, quando occulta eſt & inculpabilis ſimonia; nam ſi publica eſſet & culpabilis ſeu ex plena deliberatione, ſeu ex ignorantia culpabili; tunc Papa ſolus diſpenſare poſſet in eum effectum ut Beneficium retinere poſſet, novam ei proviſionem concedendo: & quidquid in eo caſu facere poteſt Epiſcopus, illud eſt nimirum ut Parochum ſimoniacum ad Curiales functiones obeundas in integrum reſtituat; donec Roma novam ſuam acceperit proviſionem: idque cum occulta eſt ſimonia, & ad Eccleſiæ utilitatem confert, ut Parochus ille ſuas pergat obire functiones (*d*).

(*d*) De Ste. Beuve tom. 1. caſ. 31. & tom. 2. caſ. 46. 63. 70. & 80.

CASUS VII.

Heraclius, qui ex facto ad forum contentioſum deducto in irregularitatem incidit, & qui debitam crimini ſuo pœnam conformiter ad judicis ſententiam tulit, poſtulat, an ab Epiſcopo ſuo poſſit diſpenſari; an vero neceſſe ſit, ut juxta Tridentinum Decretum (*e*) ad Papam recurrat?

(*e*) Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 8.

RESPONS.

Germanus Decreti Concilii ſenſus eſt, Epiſcopum de irregularitate diſpenſare non poſſe, dum ſubſiſtit accuſatio delata ad forum contentioſum, & actio ibi ſcripta. Unde ſequitur, quod, ceſſante lite per Decretoriam ſententiam, reoque punito ex ſententia Judicis; jam Papæ deſinit diſpenſationis reſervatio. Cujus rei hanc rationem affert Bailius (*f*), quia id unum intendit Concilium ut Judicum firmaretur auctoritas, quæ tota & integra ſubſiſtit, per executionem latæ ſententiæ. *Nam*, ait, *intentum Concilii fuit ſervare Judicum auctoritatem, quæ tota & integra eſt, ubi reus pœnam ſuſtinuit.*

(*f*) Bail. 5. part. de exam. confeſſar.

Ita poſt Avilam (*g*), Reginaldum (*h*), Sanchez (*i*), & alios multos loquitur Bailius. *Sed quid ſi delictum, deductum ad hoc forum* (contentioſum) *eſt jam judicio finito punitum?* Hanc ſibi Sanchez quæſtionem proponit, cui his verbis reſpondet: *Merito dixerunt* (Epiſcopum poſſe diſpenſare) *quidam Theologi .... & idem tenet Avila, & aperte videtur ſentire Henriquez* (*k*): dicens nequire Epiſcopum in delicto deducto ad forum *contentioſum* (diſpenſare) *addit ad hæc verba*: quamdiu manet deductum ad forum contentioſum: Avila, cujus auctoritatem laudat Sanchez, teſtatur, ſe vidiſſe, ad praxim hoc modo illud ſæpe reduci; atque intentionem Concilii Tridentini in hac exceptione: *exceptis aliis deductis ad forum contentioſum*, quæ fuit ſcilicet, ut Judices reos poſſint punire, & orto ex eorum delictis ſcandalo mederi; integram ita manere, ut jam queri nequeant, Epiſcopum horum auctoritatem attentaſſe aut minuiſſe, præmaturis diſpenſationibus eorum antevertendo judiciam. *Nam intentum Concilii fuit, conſervare auctoritatem judici, de delicto illo cognoſcenti; & non concedere delicta publica, quo publicum ſcandalum caveatur. At in hoc eventu utrumque damnum ceſſat: nihil enim auctoritati judicis detrahitur: ut pote qui jam functus eſt officio ſuo, delictum illud puniendo; ſcandalum etiam publicum ceſſat punitione illa, humiliter tolerata a delinquenti; per illam enim purgat delictum, & ſatisfacit reipublicæ ex illo offenſæ*: Igitur in caſu propoſito non neceſſe eſt, ut Heraclius ad Papam recurrat; ſed ſufficit Epiſcopi ſui diſpenſatio, cum ipſius crimen non ſit homicidium.

(*g*) Avila de cenſ. part 7. diſp. 10. dub. 7.

(*h*) Reginald. prax. fori poenit. L. 10. tract. 5. ſect. 4.

(*i*) Sanchez in ſum. L. 2. c. 21. n. 21 edit. Pariſ. an. 1615.

(*k*) Henriq. L. 14. de irregularit. c. 7. n. 5.

Ex eodem, quod ſtatuit ille Doctor, principio ſequitur, idem eſſe dicendum de eo, qui falſo accuſatus, judicis ſententia abſolutus eſt, aut cujus accuſationem ac perſecutionem jam dudum actor deſeruit, ita ut de illis nec jam cogitet, nec eas deinceps renovari appareat.

Bailius ita ſibi objicit: reus, qui ob crimen a ſe commiſſum damnatus eſt, fit irregularis ex infamia, in quam incurrit. Igitur non ſufficit, ut lis coram judice inſtituta, fuerit ſoluta; cum reus alia irregularitatis ſpecie ligatur. Cui objectioni reſpondet hic Doctor, 1. Irregularitatem ex facto contractam unde oritur infamia, tolli poſſe per pœnitentiam morumque emendationem abſque diſpenſationis neceſſitate, juxta iſtam juris regulam a Gregorio IX. (*l*) probatam, quæ ad propoſitum caſum poteſt adhiberi: *Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. 2. Infamiam juris eſſe, aut civilem aut canonicam. Prior tollitur a Principe, qui legem tulit, qua quis infamia notatur. Altera a ſolo Papa tolli poteſt, cum procedit a crimine ipſi reſervato, quale eſt homicidium in Sacerdote, aut a Sacerdote commiſſum, cum reus illud coram judice confeſſus eſt, aut ab eo debite convictus condemnatus eſt: aut ab Epiſcopo de eo diſpenſari poteſt in eo caſu, in quo Epiſcopus ipſum jure poteſt abſolvere de crimine, a quo proceſſit infamia.

(*l*) Cap. Omnis. 1. de reg. juris apud Greg. IX.

Fatebimur ultro, quoſdam eſſe Caſuiſtas, qui contra, ac nos, ſentiunt, quique, quoties ſeſe offert occaſio, auctoritatem Epiſcoporum, ſacro eorum charaſcteri annexam, in ſolum Papam transferre conantur: quales ſunt Navarrus, Bonacina, aliique ultramontani. Talis eſt etiam Gallemart; qui ſuppoſitam quamdam Sacræ Congregationis declarationem allegat: ſed præterquam quod ab hujuſmodi auctoritatibus ſemper cavendum eſt, notum eſt omnibus, ultimum hunc ita male apud omnes audire, ob falſas, quas huic Congregationi attribuit, declarationes, ut operis illius abolitionem juſſerit, ejuſque ſimul lectionem prohibuerit, uti alibi dicimus.

Quia tamen huic noſtræ Deciſioni contradicunt quidam non infirmæ notæ Auctores, exiſtimamus, tutiorem ſemper eſſe ad Papam recurſum, ad obtinendam hujuſmodi diſpenſationem.

CASUS VIII.

Eleutherius, Subdiaconus Aurelianenſis, actu Pariſiis ſtudii Theologiæ cauſa degens, ab octo diebus, in cenſuras & occultam irregularitatem incidit. Numquid abſolvi & diſpenſari poteſt ab urbis hujuſce Archiepiſcopo; an vero requiritur, ut abſolutionem ſuam ac diſpenſationem ab Epiſcopo ſuo Diœceſano obtineat?

RESPONS.

Cum plurimi interſit, & quandoque ad ſalutem peccatoris ſit neceſſarium, ut pœnitentiæ Sacramentum, & in quibuſdam etiam caſibus Euchariſtiam ſuſcipiat, certum eſt, quod Eleutherius Pariſiis degens; ibique cenſuris quibuſdam Eccleſiaſticis ligatus, de iis poteſt ibi abſolvi, atque hæc duo ſuſcipere Sacramenta, quia in eo Pariſienſis Archiepiſcopi juriſdictioni ſubjacet. Sed tamen aſſerere non audemus, eum ab alio, quam ab Epiſcopo ſuo de irregularitate ſua poſſe diſpenſari. Ratio eſt, quia non par eſt neceſſitas diſpenſationis ſuper irregularitate, atque abſolutionis & cenſuris; & aliunde cum ipſo facile diſpenſare poteſt ejus Epiſcopus Diœceſanus, licet a Diœceſi abſit, ſi opportunum duxerit. Quare multo probabilius nobis videtur, ab Eleutherio requirendam eſſe irregularitatis ſuæ diſpenſationem a proprio ſuo Epiſcopo. Ita ſentit peritus in ea re Auctor (*m*).

(*m*) Du Caſſe Prax. juriſd. Eccleſ. volum. C. 10. §. 2. n. 3.

CASUS IX.

Antimachus, nobilis adoleſcens, ortu Pariſienſis, qui Burdigalæ juri operam dabat, accepta a Florente homine ignobili alapa a decem ferme annis;

nis; tam vehementer commotus eſt, ut iræ impetu correptus, nec ullatenus de facto ſuo recogitans, ipſum diſtricto enſe occiderit. Ipſum judicio perſequuntur Florentii parentes, ſed cum nec pecuniæ ſatis eis ſuppeteret ad impenſas litis, & multum amicorum ſuorum gratia valeret Antimachus, litem injudicatam reliquere, ſub conditione accipiendæ ab eo mille librarum ſummæ, quam ipſis re ipſa dari curavit. Quo peracto Antimachus ab illata ſibi lite Pariſios rediit, ubi Ordines ſuſcipere, obtenta prius irregularitatis ſuæ diſpenſatione conſtituit. An ſufficit, ut ideo ad Epiſcopum ſuum, an vero neceſſe eſt, ut ad Papam recurrat? Videtur, extra dubium eſſe neceſſariam penitus ſummi Pontificis diſpenſationem, cum de irregularitate ipſi a Concilio Tridentino reſervata agatur, & crimen ejus factum fuerit publicum ex delatione perpetrati ab eo homicidii ad forum contentioſum.

Aliunde vero a decem annis nulla ei jam actio infertur, cum inſuper homicidium Pariſiis 150. leucas diſſitus commiſerit: quocirca dici poteſt, hactenus geſta, non ſolum imo premi ſilentio, ſed homicidium etiam reſpectiva ad urbem Pariſinam tamquam occultum haberi poſſe, licet Burdigalæ olim fuerit publicum. En rationes pro utraque parte. Qua de re quæritur quid juris & quid facto opus?

RESPONS.

Olim Sylvio propoſita eſt quæſtio de Religioſo propoſitæ haud abſimilis, quam 3. Julii an. 1642. ſolvit dicens, Prælatum ordinarium in ſimili caſu de irregularitate diſpenſare poſſe.

Prima ratio eſt, quia licet tale homicidium ſit ſufficienter voluntarium ad rationem peccati mortalis, non tale tamen eſt eo, quo a Concilio Tridentino *(a)* intelligitur ſenſu; quia Concilium loquitur tantum de homicidio volito & intento. *In illo quippe Decreto*, inquit hic Theologus *(b)*, *homicidium voluntarium intelligitur, non quodcumque quod eſt ſufficienter voluntarium ad peccatum mortale, ſed quod & illicitum eſt, & per ſe volitum ac intentum:* Quod confirmat ex interpretatione Barboſæ verborum Concilii *(c)*, ex ſententia Navarri *(d)*, aliorumque multorum Auctorum, quos laudant hi duo Canoniſtæ. Eodem etiam modo Suarez loquitur *(e)*.

(a) Conc. Tr. ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.

(b) Fr. Sylvius reſol. var. v. *Irregularitas* 9.

(c) Aug. Barb. in collect. ad Seſſ. 24. c. 6. n. 14.

(d) Navarr. Man. c. 27. n. 140.

Secunda ratio eſt, quia tale homicidium non cenſetur eſſe publicum, nec latum ad forum externum, cum a tam diuturno tempore actio fuerit illata, & in reum nihil ſit actum, ac deinceps ſit agendum. *Quia licet detur fuiſſe aliquando publicum* (homicidium,) *longo tamen temporis lapſu, quo de illo nihil agitur, neque veriſimile eſt deinceps actum iri, deſiit eſſe publicum.* Quod probat auctoritate trium inclytorum Doctorum *(f)*: *Si delictum*, inquit, *in loco ita diſtanti publicum ſit, ut non ſit ſpes fore ut ad alium deferatur; dicitur occultum in eo loco in quo abſolutio, aut diſpenſatio petitur ... ideo non amplius cenſeri debet iſtud homicidium eſſe deductum ad forum contentioſum, juxta ea quæ ex variis Doctoribus tradit Barboſa (g), docens, quod ſi judicium non fuerit ſententia finitum; eo quod accuſator per annum tacuerit; poteſt ab Epiſcopo, elapſo anno, diſpenſari.* Ita loquitur idem Theologus, qui tres alios etiam pro ſua opinione laudat Auctores *(h)*, quos ad marginem appellamus.

(e) Suarez tom. 5. in 3. part. diſp. 44. ſect. 1. n. 2.

(f) Avila p. 2. c. 7. diſp. 2. dub. 10. concl. 3. Aug. Barb. ſupra cit. n. 31. Sanchez L. 2 in Dec. c. 11. n 20.

(g) Aug. Barb. allegat. 39. n. 34. & in collect. n. 41.

(h) Barthol. de Vechis. Henriquez L. 14. de irreg. c. 7. n. 5. Pacces. prax. Epiſc. p. 1. c. 3. n. 4.

Nihilominus, quidquid in contrarium ſentiant illi Auctores, fatendum tutius Antimacho fore, ſi ad Papam recurrat; quia licet perpetratum Burdigalæ homicidium actu Pariſiis non ſit publicum, ibi tamen promulgari poteſt.

CASUS X.

ALODIUS, S. Valerii Parochus, infeſtum ſibi in Sylva latronem, vitæ ſuæ imminentem, ipſe occidit, & in irregularitatem incidit, quod in ardore pugnæ legitimæ tutelæ limites prætermiſerit. Numquid ipſum de irregularitate ſua, quæ vere occulta eſt, ſuus diſpenſare poteſt Epiſcopus?

RESPONS.

Epiſcopus Diœceſanus in hoc caſu Alodium de irregularitate ſua diſpenſare poteſt. Licet enim vere irregularitatem incurrerit, quod juſtæ & neceſſariæ tutelæ limites prætergreſſus fuerit, cum vitam ſuam tueri poſſet, non occidendo latronem illius invaſorem, ut conſtat ex Decretali deprompta e Pœnitentiali Romano *(i)*; quia tamen homicidium ab eo commiſſum non plene voluntarium eſt, nec illud commiſit *per induſtriam ... per inſidias ... ſua voluntate*, ut loquitur Tridentinum (K), ſed quaſi ad illud coactus eſt vi & injuria ſui aggreſſoris; *non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo*, ut loquitur idem Concilium: non reus eſt homicidii voluntarii, de quo loquuntur Patres hujuſce Concilii; atque adeo ſufficit, ut ab Epiſcopo ſuo de irregularitate ſua, præſertim occulta, diſpenſationem obtineat. *Si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit*, ut loquitur etiam idem Concilium.

(i) In Cap. *Interfeciſti*. 2. de homicidio volunt. vel caſuali. L. 5. tit. 12.

(k) Conc. Tr. ſeſſ. 14. c. 7. de reform.

Neque hactenus dicta adverſantur eidem Concilio, quod declarat reum, qui Papam in his caſibus adivit, ad Epiſcopum eſſe remittendum, aut ad Metropolitanum, ut ab alterutro requiſitam obtineat diſpenſationem; quæ ipſi non eſt concedenda, niſi cognita cauſſa, & penitus perſpecta ſupplicis libelli veritate: ex omnibus enim Concilii verbis & loquendi modis liquido conſtat, ipſum non eſſe intelligendum de irregularitate occulta, ſed publica, ac proinde de diſpenſatione neceſſaria in ordine ad forum externum, de qua heic non agitur *(l)*.

(l) De Caſſ. prax juriſdict. Eccleſ. vol. c. 10. §. 4. n. 2.

CASUS XI.

SCAVOLUS, Sacerdos, a ſicario vitæ ſuæ aggreſſore oppugnatus, cujus manus aliter effugere non poterat, niſi ipſum occidendi periculo ſe committens, ipſum re vera interfecit, quamvis eum non occidere, ſed ſolum ſe tueri expreſſe intenderet. Numquid ei diſpenſatione opus eſt?

RESPONS.

Sacerdos ille in caſu propoſito diſpenſatione non eget, quia nullam incurrit irregularitatem; ut patet ex jure novo, quod in Concilio generali Vienneſi in Delphinatu an. 1311. conſtituit Clemens V. *(m)*: in quo, poſtquam declaravit, quod homo furioſus qui alium occidit, *nullam ex hoc irregularitatem incurrit*, poſtea ſubjungit: *& idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit vel mutilat invaſorem.* Quo in re ſummus hic Pontifex juri derogavit antiquo *(n)*, quo contrarium fuerat conſtitutum. Atque ex eo clare conſtat, hominem qui vitæ ſuæ conſulens, alium interficit, quod aliter ſibi proſpicere nequeat, nulla egere diſpenſatione, ut Ordines ſuſcipiat, ſuſceptoſve exerceat, aut de Beneficio provideatur. Unde Concilium Tridentinum *(o)*, quod ſupponere videtur diſpenſationis neceſſitatem, licet homicidium fuerit commiſſum, *vim vi repellendo ut quis ſe a morte defenderet*, (hæc ſunt ejus verba) intelligendum eſt de neceſſitate non abſoluta, ſed evitabili, & de caſu in quo fuga vitæ quis poteſt conſulere, non interfecto aggreſſore. Cum enim Concilium illud Clementis V. Conſtitutionem non aboleverit, in qua nimirum declarat hic Papa, nullam tum incurri irregularitatem, quando ineluctabilis eſt occidendi neceſſitas; ſequitur quoque non neceſſariam eſſe diſpenſationem ei, qui in hoc tantum caſu ſuum occidit invaſorem.

(m) Clemens V. in Clementina, *Si furioſus.* un. de homicidio volunt. vel caſuali. L. 5. tit 4.

(n) Nicolaus in Can. *De his.* 6. diſt. 50.

(o) Conc. Tr. ſeſſ. 14. c. 7.

CASUS XII.

SIMPLICIUS, Sacerdos, irregularitatem incurrit, quod hominem caſu occiderit, rem ſibi illicitam faciendo. Numne ad ipſius rehabilitationem ſufficit ſola Epiſcopi ſui diſpenſatio; an vero neceſſe eſt, ut ad Papam recurrat?

RESPONS.

De propoſita difficultate varie ſentiunt Auctores; quidam enim affirmant, Epiſcopum in caſu propoſito non poſſe diſpenſare; quia Concilium Tridentinum

num (*a*), de hac ſpecie irregularitatis loquens hanc Epiſcopo poteſtatem non concedit, ſed ſolum declarat, Papam tum reipſa diſpenſare, cujus diſpenſationis a ſummo Pontifice conceſſæ executio tantum Ordinario committitur ex his verbis: *Committatur loci Ordinario, aut ex cauſſa Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſſa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter, diſpenſare poſſit.*

(*a*) Concil. Trid. cit. c. 7.

Quidam e contra contendunt, hanc Epiſcopo competere poteſtatem: quod quidem probant, non ſolum ex his Concilii verbis, *diſpenſare poſſit*; ſed etiam ex ſexto Capite vigeſimæ quartæ ſeſſionis, quæ ſolam excipit irregularitatem, quæ ex homicidio voluntario oritur, hoc eſt, ex homicidio plene deliberato & cum intentione occidendi perpetrato: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario) diſpenſare*. Ita Concilii poſteriorem hanc ſententiam amplectitur modernus Theologus in materia diſpenſationis Eccleſiæ & moralis, præcipue intelligens, cujus opinionem probabiliorem exiſtimamus (*b*).

(*b*) De Sainte Beuve tom. 3. caſ. 106. & 111.

CASUS XIII.

Anatolianus, Sacerdos, admiſſo crimine, cui annexam eſſe excommunicationem ignorabat; in hoc ſtatu Miſſam celebravit. Numquid in irregularitatem incidit, non obſtante ignorantia ſua; ita ut deinceps agnoſcens, ſe eſſe excommunicatum, neceſſe ſit, ut præter abſolutionem a cenſura, diſpenſationem quoque ſuper irregularitate obtineat?

Respons.

Ut dilucidius ſolvatur propoſita difficultas & plures aliæ hujuſmodi, quatuor ſunt obſervanda.

Primum eſt: quod omnis ignorantia, vel eſt juris, vel facti, vel pœnæ. Ignorantia juris eſt, cum præceptum aut lex ignoratur; ut cum Sacerdotem quis verberat, quem talem agnoſcit, ignorans, id ab Eccleſia eſſe prohibitum ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*. Ignorantia facti eſt, cum lex quidem nota eſt, ſed ignoratur factum ſeu actionem, quæ fit ea lege eſſe vetitam; ut cum quis Sacerdotem verberat, quem laicum eſſe putat. Ignorantia denique pœnæ eſt, cum actio lege vetita cognoſcitur, ſed ignoratur pœna, quam infligit, ut v. g. cum quis novit, jure vetitam eſſe Clerici percuſſionem, ſed ignoratur lata in eo caſu pœna.

Alterum obſervatu dignum, eſt, duplex eſſe jus: alterum, quod *commune* dicitur, hoc eſt, a Concilio œcumenico, aut aliqua ſummi Pontificis Conſtitutione quam acceptavit Eccleſia, ſtabilitam: alterum, quod *particulare* vocatur, hoc eſt, ab aliqua inferiore potentia Eccleſiaſtica conſtitutum, quodque quoſdam tantum ſubditos obligat; quale eſt illud, quod a Provinciali Concilio in Eccleſiaſtica Provincia, aut Synodo in una Diœceſi, aut peculiari Ordinarii mandato conſtituitur.

Tertium: quod omnis ignorantia vel eſt invincibilis, vel vincibilis: Ignorantia invincibilis, quæ aliter juſta & probabilis dicitur, eſt, cum quis ignorat id, quod ſcire non tenetur, aut cum quis illud addiſcere non potuit quod ſcire tenetur, quamcumque ad illud addiſcendum diligentiam adhibuerit: Ignorantia vincibilis, quæ a Theologis *craſſa & ſupina* dicitur, eſt, cum ignoratur, quod quis ſcire tenetur, & facile ſciri potuit, aut etiam conſulto addiſcere neglexit: quo in caſu ignorantia dicitur *affectata*.

Quartum denique eſt, ignorantiam eſſe vel antecedentem, vel concomitantem, vel ſubſequentem: Ignorantia invincibilis antecedens ea eſt, ſine qua non committeretur peccatum, quod ignoratur, & cujus proinde cauſa eſt antecedens. Ignorantia concomitans ea eſt, qua etiam depoſita fieret tamen actio prohibita, quam comitatur: ſubſequens vero quacumque ratione eſt voluntaria.

Ignorantia invincibilis antecedens juris, ſeu communis, ſeu particularis excuſat a peccato & conſequenter a cenſuris, quæ ſunt pœna peccati: ignorantia invincibilis facti excuſat etiam a peccato & cenſura huic annexa: ſed non excuſat ignorantia vincibilis.

Præſuppoſitis iſtis regulis tamquam certis, ad propoſitam quæſtionem reſpondemus, dicendo, quod ex ſententia multorum gravium Auctorum, ignorantia invincibilis pœnæ eximit ab illa pœna; unde ex eorum opinione ſequitur, quod, ſi Anatolianus, de quo in ſpecie propoſita ſit mentio, peccato ſuo annexam pœnam invincibiliter ignoraverit, irregularitatem *ex delicto*, de qua agitur, incurriſſe non eſt cenſendus; nam ignorantia irregularitatis, quæ dicitur *ex defectu*, non impedit, quominus contrahatur; quippe quæ ab Eccleſia non eſt conſtituta uti pœna, ſed ſolum ut impedimentum Canonicum.

Verum ſi ignorantia ipſius *craſſa & ſupina* fuerit, certum eſt, ex eorumdem Auctorum opinione, ipſum irregularitatem incurriſſe, atque adeo neceſſe eſſe ut legitima diſpenſatione in integrum reſtituatur, cum ejuſmodi ignorantia numquam excuſet. Quod quidem probat Decretalis Gregorii IX. ad duos Pragenſis Eccleſiæ Canonicos ita ſcribentis (*c*): *Verum quia tempore ſuſpenſionis ignari celebraſtis divina, vos reddit ignorantia probabilis excuſatos. Cæterum ſi forte ignorantia craſſa & ſupina, aut erronea fuerit, propter quod diſpenſationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate Apoſtolica indulgemus.*

(*c*) Greg. IX. in c. *Apoſtolica*. 9 de Clerico excomm. depoſito, vel interd. miniſtrante. L. 5. tit. 27.

Idem etiam probari poteſt ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (*d*) in qua declarat ſummus Pontifex ſuam intentionem talem eſſe, ut ſententiæ *per modum ſtatuti*, ab Ordinariis factæ eos non obligent, qui juſta de cauſa illas ignorant. En ipſius verba: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit aut ſupina*. Quæ verba ad irregularitatis pœnam, ut videtur, poſſunt extendi ob hanc eamdem rationem, *ut animarum periculis obvietur*.

(*d*) Bonifac. VIII. in cap. *Ut animarum*. 2. de conſt. in 6. L. 1. tit. 2.

Additur etiam, pœnam debere eſſe peccato accommodatam, cujus eſt pœna, ut ait alibi idem Papa (*e*). Unde concludendum, eum, a quo admittitur actio ſine peccati reatu propter ignorantiam ſuam invincibilem, nullam quoque pœnam incurrere, cum pœna ſit propter culpam; & etiam, ut contendunt nonnulli Auctores, nulli ipſum pœnæ ſubjici; cum rem prohibitam cognoſcens, pœnam illi annexam prohibitioni ignorat (*f*).

(*e*) Idem in c. *Felicis*. 5. de pœnis in 6. L. 5. tit. 9.

(*f*) Navarr. Man. c. 27 n. 241. De Sainte Beuve tom. 2. caſ. 198.

Attamen, quia multi iique graves Auctores defendunt, pœnam facti tum incurri, cum actio eſt illicita, & talis cognoſcitur, licet annexa ei pœna ignoretur; exiſtimamus, ad conſcientiæ ſecuritatem, eorum retinendam eſſe opinionem in ſimili caſu huic, de quo agitur in ſpecie propoſita. Ita doctus Covarruvias (*g*).

(*g*) Didacus Covar. a Layva 11. Part. releſt. de excom. §. 10.

CASUS XIV.

Agathangelus, Abbas & Dominus ſpiritualis & temporalis ſancti Albani, Damiano, uni ex clientibus ſuis, qui debito ſe fraudavit honore, infenſus, Marcello cubiculario ſuo imperavit, ut eum bacillo cæderet, qui Damianum ad defenſionem paratum intuens, ita adeo fuit incenſus, eique tot ictibus caput contudit, ut illum ſubito occiderit. Agathangelus, qui homicidium ex injuſto illo Marcelli mandato proveniens, irregularitatem incurrit ex deciſione Bonifacii VIII. (*h*), poteſt ne diſpenſari, & ab Epiſcopo ſuo in integrum reſtitui?

(*h*) Bonifac. VIII. in cap. *Is qui*. 6. de homicidio in 6. L. 5. tit. 4.

Respons.

Epiſcopus diœceſanus cum Agathangelo poteſt diſpenſare de irregularitate, quam in ſpecie propoſita contraxit. Ratio eſt, quia ex Concilio Trid. non reſervatur irregularitas ex homicidio, niſi cum homicidium eſt penitus voluntarium (*i*): *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus .... ex delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario) diſpenſare*. At homicidium Damiani a Marcello admiſſum, voluntarium non fuit Agathangelo, cum famulo illi juſſerat, ne hominem hunc occideret, neve etiam mutilaret.

(*i*) Conc. Tr. ſeſſ. 24. de reform. 6.

Digitized by Google

Igitur, ſi occulta ſit illa irregularitas; cum Agarhangelo diſpenſare poteſt Epiſcopus, nec requiritur Papalia diſpenſatio. Sic difficultatem iſtam ſolvit ſacra congregatio Concilii Tridentini interpres, ut refert Ricciaa (*a*), ita etiam Officialis Condomenſis (*b*).

(*a*) Aloyſius Riccius deciſ. 319.
(*b*) Fr. Du Caſſe prax. jur. Eccleſiaſt. vul. c. 20. §. 1. n. 2.

CASUS XV.

Numquid Epiſcopus diſpenſare poteſt cum Martiniano Sacerdote, qui irregularitatem incurrit, ex eo, quod Miſſam celebrarit ligatus ſuſpenſione, quæ tribus tantum hominibus nota eſt.

Videtur, quod poſſit Epiſcopus; nam ex Concilio Tridentino diſpenſare poteſt, cum occulta eſt irregularitas, neque ex homicidio voluntario procedit (*c*). Atqui peccatum tribus tantum notum dici poteſt occultum, non vero publicum; aliunde videtur etiam quod non poſſit; nam ubi crimen duobus tribuſve notum eſt, jam non cenſetur occultum, cum juridice probari queat.

(*c*) Conc. Tr. cit. ſeſſ. 24. de refor. c. 6.

RESPONS.

Epiſcopus cum Martiniano diſpenſare poteſt ad exercitium ordinum ipſius: nam, ut fert communis Doctorum opinio, peccatum non eſt publicum, ſed habetur occultum, cum paucis eſt cognitum, & ad minorem communitatis partem ejus notitia pervenit.

Aliter quidem ſentit Fagnauus (*d*), ſuamque opinionem probat 1. ex declaratione ſacræ congregationis Cardinalium; quæ conſulta de abſolutione criminis Papæ reſervari, & coram duobus aut tribus commiſſi, quam conrulerat Epiſcopus, eam invalidam eſſe reſpondit: verum illius Tribunalis deciſiones, licet magni ſint ponderis, vim tamen legis non obtinent, præſertim in Gallia; ita ut ad ejus deciſionis normam ſententiam ſuam quis teneatur dirigere. 2. Ad confirmationem opinionis ſuæ addit inclytus ille Canoniſta, quod, ſi crimen cenſeretur occultum, cum a majori communitatis parte ignoratur, ſequeretur, quod ſi ex 1000. hominibus conſtaret communitas, & 300. dumtaxat notum eſſet crimen illud, adhuc occultum dici poſſet: quod abſque abſurditate, inquit, non poteſt affirmari. Unde concludit, hoc igitur ſatis eſſe, ut crimen aliquod occultum non cenſeatur; quando juridice probari poteſt, quod quidem fit, ubi duo treſve ejus ſunt teſtes. Sed facile totum illud argumentum refelli poteſt: cum enim dicitur, peccatum cenſeri occultum cum minori communitatis parti notum eſt, intelligitur minorem illam eſſe infra decem perſonas; quia de jure decem faciunt populum, multitudinem, vel Parœciam, ut ait Gloſſa (*e*): *Nota*, inquit, *quod duo faciunt congregationem, ut hic: tres collegium*: quod ex his verbis decimi ſexti Concilii Toletani, ann. 693. habiti, a Gratiano in ſuo decreto relaris comprobat (*f*): *Eccleſia quæ uſque ad decem habuerit mancipia, ſuper ſe habeat Sacerdotem: quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Eccleſiis*. Quæ ſententia legi conformis eſt, quæ aſſerit (*g*) quod oves decem faciunt gregem.

(*d*) Proſper Fagn. in cap. *Veſtra*. 7. de cohab. Cleric. & mulier. n. 137. l. 3. t. 2.
(*e*) Gloſſa in c. *Nullus*. 1. de elect. & elect. poteſt. v. *Divina*. & in can. *Si ex laicis*. 1. 10. q. 1. v *ubi congregatio*.
(*f*) Conc. Tolet. XVI. in can. *Unio*. 3. 10. q. 3.
(*g*) Leg. Oves 3. ff. de Abigeis. l. 47. t. 14.

Complexio, quam deducit hic idem Canonum interpres ex eo quod in judicio probari queat illud peccatum, non eſt legitima; nam id ſemper vere affirmari poteſt, quod ſemper maneat occultum, donec fuerit probatum, ut docet Auctor hujus Gloſſæ (*h*) his verbis: *Item etiam quandoque dicitur occultum quod poteſt probari*. Idque probat ex lege Codicis Juſtiniani (*i*).

(*h*) Gloſſa in c. *Veſtra* cit. v. *Notorium*.
(*i*) Leg. *Ea*. 6. ſi quis autem. cod. de appellat. l. 7. tit. 62.

Firmiter igitur tenendum, quod, cum paucis crimen eſt notum, tum non intendit Concilium Tridentinum, ut cenſeatur publicum & Papæ reſervatum quoad abſolutionem a cenſuris, aut diſpenſationem irregularitatis, quæ ipſi cohærent: ſed quod haberi debet tamquam occultum, de quo proinde abſolvere, & de annexa ipſi irregularitate diſpenſare reum poteſt Epiſcopus. Hæc deciſio menti Concilii plane conformis eſt; quod hanc reſervationem Summo Pontifici ideo tantum attribuit, ne Clericus gravis cujuſpiam delicti reus publicum pareret ſcandalum functiones ſuas in poſterum obeundo. At vero, cum crimen illud paucis tantum eſt cognitum, tunc dici nequit, ex eo publicum oriri ſcandalum. Unde in ſimili caſu facile in Pœnitentiariæ Romanæ Tribunali conceduntur abſolutiones & diſpenſationes; quod non fieret, ſi peccata illa tamquam occulta non haberent.

Juvat obſervare occaſione præſentis difficultatis, Epiſcopum poſſe diſpenſare cum Sacerdote ſuper irregularitatem, quam is excommunicatione occulta ligatus contraxit palam celebrando. Ratio eſt, quia licet publico notum ſit eum celebraſſe, ignorat tamen hanc functionem ei interdictam eſſe, atque ita crimen ab illo Sacerdote per iſtam actionem publicam commiſſum eſſe tamen occultum, uti irregularitatem quam contrahit (*K*).

(*k*) Du Caſſe prax. jur. Eccleſ. vol. c. 10. §. 2. n. 2.

CASUS XVI.

Episcopus Oſmæ, diœceſim ſuam viſitando, Juſtinum S. Stephani Parochum oſtendit irregularem publica irregularitate, eumque ad Papam remiſit ad ſuam rehabilitationem obtinendam: ſed cum Romæ, non niſi poſt tres menſes ob nimiam locorum diſtantiam, diſpenſationem obtinere non poſſet; nec ab alio Sacerdote ſuppleri poſſent illius functiones, quæ ab eo non niſi cum magno fidelium damno interrumpi poterant, cum eo *per interim* diſpenſare ſe poſſe exiſtimavit Epiſcopus ſuper irregularitate illius permittendo, ut eas functiones obiret, donec Pontificiam obtinuiſſet, & accepiſſet diſpenſationem. Numquid poteſt Juſtinus tuta conſcientia hanc ſibi ſumere Epiſcopi licentiam?

RESPONS.

Parochus ille functiones ſuas curiales deinceps obire poteſt concedente Epiſcopo ſuo; quia hujuſmodi licentiam dare poteſt Epiſcopus, ubi juſta eſt neceſſitas. Atqui juſta eſt neceſſitas ubi agitur de crimine, cui committererur ſalus Parochianorum hujuſce Parochi, ſi tamdiu abſque Paſtore, aut illius Vicario permanerent.

Ratio hujus deciſionis eſt, quia hujuſmodi reſervationes non ſibi adſcribit Eccleſia, niſi prout opus eſt, non vero cum obſtat neceſſitas providendi fidelium ſaluti. Ut igitur quædam impedimenta Matrimonii dirimentia remittere poteſt Epiſcopus, ubi præſens urget neceſſitas; cum Juſtino pariter in caſu præſenti diſpenſare poteſt, concedendo ipſi, ut functiones ſuas curiales exerceat, donec Papalem obtinuerit diſpenſationem. Ita inclytus ultimi ſæculi Theologus (*l*).

(*l*) De Sainte Beuve tom. 2. caſ. 134.

CASUS XVII.

Aspasium irregulatem ſuus diſpenſavit Epiſcopus ad ſuſcipiendos Ordines, eique Beneficium ſimplex, aut curatum contulit. Numquid ad utrumque eſt legitime diſpenſatus?

RESPONS.

Difficultati huic cum diſtinctione reſpondendum; nam ſi Aſpaſius *defectu natalium* tantum ſit irregularis: non neceſſe eſt, ut ad Papam recurrat, ſed ipſi ſufficit Epiſcopi ſui diſpenſatio, ut recipiat tonſuram, & quatuor minores ordines, & de Beneficio ſimplici, hoc eſt, cui nec annexa ſit dignitas, aut prærogativa, vel onus animarum, provideatur. *Cum irregulari ex defectu non poteſt Epiſcopus diſpenſare*, inquit Cabaſſutius (*m*): *poteſt enim circa illegitimorum natalia diſpenſare ad ſolos minores ordines; atque ad ſimplex, non vero ad Curatum Beneficium*. Id quidem infertur ex Concilio Pictavienſi anni 1078. (*n*), quo illegitimis majores tantum Ordines conferre Epiſcopis prohibetur, omiſſis Tonſura & minoribus, in quibus diſpenſare proinde valet Epiſcopus, cum id ſibi ad bonum Eccleſiæ expedire videtur: quod etiam patet ex Decretali Gregorii IX. ad Archiepiſcopum Turonenſem (*o*): ſed ut Epiſcopus circa majores Ordines, ſic etiam circa Beneficia curata diſpenſare nequit (*p*), ut conſtat ex citatis modo auctoritatibus; atque expreſſe declarat Boniſacius VIII. cujus verba inferius afferemus, reſpondendo difficultati, quæ ſpeciatim ad hoc diſciplinæ caput pertinet: quare ſolus Papa in hoc caſu diſpenſare poteſt legitime.

(*m*) Cabaſſut. jur. can. Theo. & prax. l. 3. c. 29. n. 3.
(*n*) Conc. Pict. in c. *Ut filii* 1. *de fil. Pres. ordinan.* vel num. l. 1. 1. 17.
(*o*) Greg. IX. in c. *Nimis*. fin. eod. tit.
(*p*) De Sainte Beuve tom. 3. caſ. 118. Colloq. Condom. tom. 2. col. 1. ſect. 2. Cabaſ. loc. cit. & alii communiter.

Ad-

Addit Cabaſſutius, quod ut cum illegitimo, ſic *ex conſuetudinis vi a pluribus Doctoribus*, (inter quos cenſentur Silveſter & Azorins) (*a*), *aſſertæ poteſt* (Epiſcopus) *cum bigamo ad minores & ad ſimplicia Beneficia diſpenſare*. Qua in re ſanctum Thomam ſequuntur illi Auctores (*b*): quod putamus tamen, non eſſe intelligendum, niſi de bigamia, quæ *ſimilitudinaria*, hoc eſt, metaphorica dicitur; cum ex uſu hodierno circa bigamiam veram & realem non diſpenſent Epiſcopi.

(*a*) Silveſter de Prierio. v. *Bigamus*. q. 7. Joan. Azor. inſtit. mor. p. 2. l. 3. c. 5.

(*b*) S. Thom. in 3. diſt. 27. q. 8. art. 3. in corp.

Sed ſi Aſpaſius ſit irregularis *ex delicto*, iterum diſtinctione opus eſt: nam crimen, quod irregularitatem inducit, vel eſt publicum, vel tantum occultum: ſi ſit publicum, irregularitatis diſpenſatio ad Papam pertinet. Si vero ſit occultum, circa eam diſpenſare poteſt Epiſcopus; modo crimen illud non ſit homicidium voluntarium. Id conſtat ex Decreto Concilii Tridentini, jam multoties in reſponſionibus ad ſuperiores diſficultates allato (*c*).

(*c*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 6.

Ceterum, quando affirmamus, Epiſcopum diſpenſare poſſe de occulta irregularitate; intelligendum eſt id fieri ab eo valere, vel per ſeipſum, vel per Vicarium generalem, aut per quemlibet alium Sacerdotem, quem in eam rem committere libuerit; nam hac in re delegare ex conſuetudine obtinent Epiſcopi Galliæ (*d*).

(*d*) De Sainte Beuve tom. 2. caſ. 12. & 33. tom. 2. caſ. 154. tom. 3. caſ. 41. 108. 111. 114. Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 7. ſect. 2.

CASUS XVIII.

Prior ac duo Religioſi Abbatiæ ſancti Boniti, excommunicatione ligati, quod Hieronymum, modo ſimoniaco ad ſolemnem votorum profeſſionem admiſerint, ſimulque irregularitati ſubjecti, quia in hoc ſtatu celebrarunt, poſtulant, utrum abſolvi, ſimulque diſpenſari ac in integrum reſtitui nequeant ab Abbate ſuo regulari, Superiore ſuo Majore, ſeu Prælato, cum caſus ſit occultus: an vero Diœceſanum ad eam rem Epiſcopum adire teneantur?

Respons.

Certum eſt primo, Epiſcopos, juxta Tridentinum Concilium (*e*) ab omnibus caſibus & cenſuris occultis, Papæ reſervatis abſolvere poſſe, uti etiam diſpenſare in omnibus occultis irregularitatibus, ea excepta, quæ procedit ex homicidio voluntario, & eis, quæ ad forum externum fuere deductæ. 2. Superiores Majores, ſeu Prælatos Ordinum Religioſorum inferiores ſuos Religioſos abſolvere poſſe de excommunicatione, quam ob crimen aliquod incurrerunt; ut patet ex Decretali Alexandri III. ad Archiepiſcopum Senonenſem (*f*). Quod pertinet ad diſpenſationem irregularitatis, hoc eſt, de reſtitutione ad functiones Ordinum; Superiores illi, qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in inferiores obtinent, eamdem quoque pro illo, atque Epiſcopus, habent poteſtatem; ſed qui dictam juriſdictionem non habent, ea quoque poteſtate carent.

(*e*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.

(*f*) Alex. III. in Cap. *Monachis*. 2. de ſent. excom. lib. 5. tit. 39.

Hoc præſuppoſito, tamquam certo, colligendum, in caſu propoſito, Priorem duoſque Religioſos, ſimoniacos Abbatem ſuum regularem adire poſſe, ab eoque abſolvi & in integrum reſtitui, ſi juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeat; qua ſi in eos careat, neceſſarius eſt ad Epiſcopum Diœceſanum recurſus: quia non vigente immunitate, juri ſtandum communi: qua de re advertere neceſſe eſt, quod, ſi Abbatem illorum aut alium quempiam committeret, ad ſolam cenſurarum abſolutionem, vi talis poteſtatis eos in integrum reſtituere non poſſet, ſed ſpeciale ad id requireretur illius mandatum: nam ut is qui ſolam diſpenſandi poteſtatem habet, non cenſetur abſolvere de cenſuris: ſic qui ſolam habet abſolvendi a cenſuris poteſtatem, non cenſetur etiam diſpenſare poſſe. Idem dicendum de poteſtate abſolvendi de caſibus reſervatis; differunt enim iſtæ poteſtates, neque una aliam continet, nec ſupponit.

CASUS XIX.

Theodotus, Epiſcopus Præneſtinus, ſuſpenſione ligatus celebravit, ſuaſque Epiſcopales functiones in hoc ſtatu exercuit. Numquid requiritur, ut cenſuræ ſuæ abſolutionem atque irregularitatis diſpenſationem obtineat, cum ea irregularitas ſit occulta?

Respons.

Epiſcopus ille ad Papam recurrere non tenetur, ut cenſuræ ſuæ abſolutionem, atque irregularitatis diſpenſationem obtineat; utramque enim a Metropolitano ſuo requirere poteſt, aut ſi ad eum pro ea re adire nolit; abſolvi poteſt ac diſpenſari a proprio ſuo Confeſſario, quem ad eam functionem ſpecialiter committere poteſt, juxta conceſſam ſibi licentiam ex Conſtitutione Gregorii IX. relata in Decretalium ſumma, quam juſſu ſummi illius Pontificis colligit ſanctus Raymundus (*g*), in qua ſic loquitur ille Papa: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis .... ut etiam præter ſui Superioris licentiam, providum & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem*. Quod confirmari poteſt ex Conſtitutione Concilii Tridentini (*h*), quod Epiſcopis poteſtatem concedens abſolvendi atque reſtituendi eos, qui in caſus illos incidunt, cum factum eſt occultum, excipit caſum homicidii voluntarii, ſeu per ſeipſos, ſeu per Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, cenſetur in ea conceſſione tam Epiſcopos, quam alios includere; quandoquidem, ſi ita res non eſſet, minus favorabiliter, quam ceteri omnes a populo haberentur (*i*).

(*g*) Greg. IX. in cap. *Ne pro dilatione*. fin. de pœnit. & remiſſ. lib. 5. tit. 28.

(*h*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 6.

(*i*) De Sainte Beuve tom. 1. caſ. 33.

CASUS XX.

Tharsillus, Sacerdos, irregularitati obnoxius, quod ſuſpenſus confeſſiones audierit; a Papa mandatum accepit, Jacobo Doctori Theologo ſcriptum, ut de ea diſpenſaretur, ſed quorumdam etiam confeſſiones audivit, priuſquam perfectum fuerit mandatum. Numquid valide cum eo diſpenſari poteſt de irregularitate vi ejuſdem illius mandati?

Respons.

Cum eadem ſit cenſura, quam ante & poſt obtentum mandatum infregit Tharſillus, a Jacobo valide poteſt vi ejuſdem mandati diſpenſari & in integrum reſtitui. Ratio eſt, quia, licet Ordinis ſui functiones cenſura ligatus obierit; non ideo alteram incurrit irregularitatem, quamvis mortaliter peccaverit, in hoc ſtatu functiones ſuas poſtea exercendo. Sed non idem foret dicendum, ſi cenſura eſſet duplex, v. gr. ſi confeſſus in ſuſpenſione ante obtentionem mandati *de diſpenſando*, in excommunicationem incidiſſet, & poſtea confeſſiones audiſſet, aut celebraſſet; nam in hoc caſu altera fuiſſet irregularitate ligatus, de qua cum eo Jacobus vi illius mandati antea obtenti diſpenſare non poſſet; ſed de prima tantum, non vero de ſecunda poſſet abſque novo mandato.

CASUS XXI.

Pammachius, Laicus, a decennio, etiam cum nomine viri peritiſſimi Chirurgiam exercens, præciſis juxta artis ſuæ regulas brachiis & cruribus in multorum ſolamen, jam Sacerdotio initiari intendit; numquid ea eo irregularis eſt, atque adeo diſpenſationem obtinere tenetur, priuſquam Ordines ſuſcipere valeat?

Respons.

Si Chirurgus ille nemini mortem, ſeu ex ignorantia, ſeu ex negligentia intulerit, & Chirurgiam juxta artis hujuſce regulas exercuerit, non incurrit irregularitatem, & ſacris poteſt initiari Ordinibus abſque diſpenſatione. Ratio eſt, quia Lex qua prohibetur Chirurgiæ exercitium, aliquam corporis partem urendo aut reſecando, quam tulere œcumenicum Lateranenſe Concilium, ſub Innocentio III. an. 1215. habitum, & Decretalis ejuſdem Papæ (*K*), ad ſolos ſpectat Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos. *Laicus Chirurgiam, aut Medicinam exercens juxta artis ſuæ regulas*, inquit Cabaſſutius (*l*), *non incurrit irregularitatem, etſi membrum reſecet, aut reſecari mandet*.

At fruſtra quis objiciet, Pammachium irregularem eſſe *ex defectu lenitatis*, ex eo quod partes quaſdam corporis mutilaverit; nedum enim in eo reperiatur ullus lenitatis defectus, ut potius ita ſe geſſit ob charitatem & Chriſtianam chari-

(*K*) Innoc. III. in Conc. gen. Later. IV. in cap. *Sententiam*. 9. ne Clerici vel Monac. ſecul. negotiis ſe immiſceant. l. 3. tit. fin. Idem in Cap. *Tua nos*. 34. de hom. vol. vel caſuali. l. 5. tit. 12.

(*l*) Cabaſſ. juris can. the. & prax. lib. 3. c. 19. n. 11.

ritatem; cum eas e corpore tantum ademerit, ut corpus ipſum & ægro vitam ſervaret, cui in talibus caſibus perſuaſa eſt, oti ejus teſtibus, hujuſce ademtionis neceſſitas, & cui proinde crudelis non videtur Chirurgus. *Non enim eſt defectus lenitatis*, addit Cabaſſutius, *ſi pars adimatur ad totius conſervationem*. Atque in hoc intercedit poſitum diſcrimen inter judicem, qui reum capite damnat, aut Carnificem, qui ejus exſequitur Sententiam, & inter Medicum, qui partis corporis abſciſſionem jubet, ac Chirurgum, qui illius mandata perficit: nam Judex & Carnifex exterius ſe gerunt, tamquam inhumani & crudeles; licet reipſa ab omni ſint vindictæ aut crudelitatis reatu immunes. *Non eſt crudelis*, inquit ſanctus Hieronymus (*a*), *qui crudeles jugulat; ſed crudelis ideo vocatur, quod crudelis patientibus eſſe videtur; nam & latro ſuſpenſus patibulo crudelem judicem putat*. Id ipſum autem vere dici nequit de Medico & Chirurgo; cum non ſolum agant, ſed nequidem agere videantur, niſi ex charitate vere Chriſtiana.

(*a*) S. Hieron. in Can. *Non eſt*. 28. 23. q. 5.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex Decretali Clementis III. (*b*), in qua ſuadet hic ſummus Pontifex Canonico, qui Medicinam exercuerat, & cujus multi, quos viderat, ægroti vita functi erant, ut, *ſi ſuper præmiſſis*, inquit, *conſcientia tua te remordeat, ad majores Ordines de conſilio noſtro non aſcendas*. Unde colligit Gloſſa, Canonicum licite majores potuiſſe ſuſcipere Ordines, ſi ita non remorderet conſcientia, & e contra ſibi perſuaſum eſſet, ſe artem hanc accurate & juxta regulas illius exercuiſſe (*c*).

(*b*) Clem. III. in cap. *Ad aures*. 7. de ætate & qualitate & ordine præficien. lib. 1. tit. 14.

(*c*) Fr. Sylvius reſol. var. v. *Chirurgus*; & apud eum Suarez, tom 5. in 3. p. diſp. 47. ſect. 7. Navarr. Man. c. 27. n. 238. & 228. & Avila parte 7. diſp. 6. ſect. 3

C A S U S XXII.

Conradus, qui a ſeptem octove annis artem medicam exercet, Clericalis nunc militiæ nomen dare, ac ſacros ſuſcipere Ordines conſtituit. Numquid neceſſe eſt, ut prius Papalem obtineat diſpenſationem; cum præſertim, multi ex iis, quos curavit, ægroti obierint; incertus ipſe, num mortem iis, ſive ex ignorantia, ſive ex negligentia attulerit?

R e s p o n s.

Conſtat ex reſponſione ad ſuperiorem difficultatem, Laicum non fieri irregularem ex eo quod artem Medicam aut Chirurgicam exercuerit; & a Lateranenſi œcumenico IV. fuiſſe tantum vetitum (*d*), ut *nec ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit*. Et quidem ex Concordato inter Leonem X. & Franciſcum I. an. 1516. inito, quod a Concilio Lateranenſi quinto confirmatum eſt, Medici declarantur idonei ad poſſidenda Beneficia, & jus habent ad ea requirenda vi graduum ſuorum ſtudiorum: ex quo conſtat, eos tamquam irregulares non haberi. Nulla igitur in propoſito caſu diſpenſatione indiget Conradus, ut ad ſacros Ordines promoveatur. Si tamen alicui ægro mortem attulerit, ſeu quod abſque ſufficienti peritia medicam artem exercuerit; ſeu quod omnem, quam requirebat, ejus ars, diligentiam non adhibuerit; ſeu quod ægrum de noxiis non admonuerit; ita ut ex his defectibus mors ſecuta fuerit; in hoc caſu ſtatum Clericalem abſque prævia diſpenſatione amplecti non poſſet: ut diximus de Chirurgo in priori deciſione: ſed quia ſemper incertum eſt, num ex alterutro horum defectuum ad mortem alicujus ex ægrotis ſuis non contulerit Medicus; opportunum ſane videtur, ut Conradus Papalem requirat diſpenſationem ſub iſta conditione: *Si quam incurrerit*. Hoc ei dandum conſilium, quod ipſe ſequi tenetur, quodque cum eo conſentit, quod a Clemente III. Canonico Colonienſi ſuadetur, qui (*e*) artem Medicam exercuerat; quippe ſimili timore perculſus, dubitabat, an ſine diſpenſatione ſacros legitime ſuſcipere poſſet Ordines.

(*d*) In cit. cap. *Sententiam*. ne Clerici vel Monach.

(*e*) In cit. cap. *Ad aures*. de æt. & qual. & ord. præf.

C A S U S XXIII.

Forseus, Sacerdos Jubilæi tempore confeſſiones audiens, Pœnitentem ſubdiaconum invenit, qui occultam incurrerat irregularitatem, quod mulieris jam a tribus menſibus gravidæ abortum procuraſſet. Numquid irregularitatem hanc ipſi relaxare poteſt?

R e s p o n s.

Confeſſarius ille ſubdiacono huic irregularitatem remittere non poteſt duabus de cauſis: primo; quia, ex ſtilo Romanæ Curiæ, abſolvendi vel diſpenſandi facultas numquam cenſetur eſſe conceſſa, niſi de ea in Bullis ſeu litteris Apoſtolicis expreſſa fiat mentio. Atqui ſtilus ille in hoc tamquam lex & regula debet haberi, ut probat auctoritas Innocentii III. (*f*), qui, ut oſtendat, ſuppoſitam fuiſſe Bullam oblatam Epiſcopo, ad quem ſcribit, hujuſce rei argumentum profert conſuetudinem ſtilumque Romanæ Curiæ: atque ut ei viam aperiat Bullæ aut reſcripti falſitatem detegendi, his verbis concludit: *Sic litteras Apoſtolicas ſtudeas intueri, tam in Bulla, filo & charta, quam in ſtilo; quod veras pro falſis, vel falſas pro veris litteris modo aliquo non admittas*.

(*f*) Innoc. III. in cap. *Quam gravi*. 4. de crimine falſ. l. 5. tit. 20.

Secunda ratio eſt, quia poteſtas abſolvendi de cenſuris, pœnis & peccatis tempore Jubilæi, ideo tantum conceditur, ut qui Jubilæi indulgentiam lucrari cupiunt, ex abſolutione, quam recipere debent, hujus fiant capaces: Ex quo colligi poteſt, ſub nomine pœnæ in hoc caſu non comprehendi irregularitatem; cum certum ſit, obtineri poſſe Jubilæi gratiam ab aliquo, licet ligatus maneat irregularitate, quæ aliunde, ac proprie loquendo, non eſt pœna canonica, ſed *nota, ſeu impedimentum canonicum ex facto, ſeu defectu proveniens, qua quis prohibetur ad Eccleſiaſticos Ordines promoveri, & in eiſdem miniſtrare*, ut loquitur ſanctus Antoninus (*g*).

(*g*) S. Anton. 3. part. ſum. Theol. tit. 28 ipſo initio.

C A S U S XXIV.

Eusaatus, ſancti Servatii Parochus, obtento beneficio ſuo, jam a viginti annis, ex ſimonia reali, paullo poſt in Curia Romana diſpenſationem requiſivit ſuper irregularitate, quam in cenſuris huic crimini annexis celebrans incurrerat: ſed Pontificium ſervare reſcriptum contentus, neque a Confeſſario ſuo illud exſecutioni mandari curans, ab eo tempore functiones ſuas curiales non intermiſit. Quæritur jam utrum vi illius reſcripti, novo non obtento, ad functiones ſuas reſtitui ac rehabilitari poſſit?

R e s p o n s.

Parochus ille novo non indiget reſcripto, ut ad functiones ſuas reſtituatur, non obſtante temporis lapſu. Ratio eſt, quia is, qui irregularitatem ex eo incurrit, quod cenſura ligatus celebraverit, aliaſve ordinum ſuorum functiones obierit, multiplicitatem irregularitatum non incurrit, indeſinenter celebrans, quamvis mortaliter peccet, quoties in hoc ſtatu celebrat. Ita ſentiunt Navarra (*h*) ceterique Doctores, ac præcipuam hanc ſententiæ ſuæ rationem afferunt, quia, cum ex jure quidquam contrarium non conſtituatur, propriis ſtare neceſſe eſt Canonum qui irregularitatem conſtituunt verbis, quæ ampliari non debent, cum res illa ſit odioſa, juxta iſtam Bonifacii VIII. (*i*) regulam: *Odia reſtringi & favores convenit ampliari*. Ita difficultatem hanc ſolvit inſignis Theologus (*K*).

(*h*) Navarr. Manual. c. 27. n. 144.

(*i*) Reg. 15. de reg. juris in 6.

(*k*) De Sainte Beuve t. 1. caſ. 12. & 13.

C A S U S XXV.

Mahumetes, infidelis, irregularitati multoties obnoxius, ſeu quod voluntarium commiſerit homicidium, ſeu etiam quod juxta conſuetudinem legeſque Mahumeticas plures duxerit uxores, non ita pridem fidei Chriſtianæ doctrinam amplexus, ipſo etiam Baptiſmo initiatus eſt. Numquid Sacramenti illius acceptio varias, quas ante incurrit, irregularitates delevit, ita ut deinceps ad ſacros ordines abſque diſpenſatione queat promoveri?

R e s p o n s.

Quamvis ad Chriſtianam fidem recepto Baptiſmo converſi non ſint irregulares ob crimina in infidelitate ſua commiſſa; & etiam dici poſſit, recte lo-

Digitized by Google

loquendo, nullam ante Baptiſmum irregularitatem incurrere infideles; quia irregularitas eſt impedimentum ab Eccleſia conſtitutum, quo quis Ordines ſuſcipere vel ſuſceptos exercere prohibetur; neque Legem ullam aut Conſtitutionem emittere poſſit Eccleſia, qua ligentur nondum baptizati, cum nullam in eos juriſdictionem exerceat; ex bigamia tamen eorum oritur irregularitas, etiam poſt acceptum Baptiſmum permanens, quæ vi illius Sacramenti non magis deleri poteſt, quam defectus naturales, qui Baptiſmi acceptione in iis non delentur, qualis eſt cæcitas, aut natalium defectus. Id quidem probari poteſt ex his S. Ambroſii verbis (a): *Quod pleriſque mirum videtur, cur etiam ante Baptiſmum iterata conjugia electioni muneris & prærogativa ordinationis impedimenta generent; cum etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi lavacri remiſſa fuerint Sacramento: ſed intelligere debemus, quia in Baptiſmo culpa dimitti poteſt: in conjugio non culpa, ſed lex eſt. Quod culpa eſt igitur, in Baptiſmo relaxatur; quod legis eſt, in conjugio non ſolvitur.* Unde colligimus, Mahumetem non quidem cenſendum eſſe irregularem, ob patratum ante fidei Chriſtianæ ſuſceptionem homicidium, ſed propter illius bigamiam; quod ex ſuſcepto baptiſmate deleri non potuerit ille defectus, qui, ut ante, ſic poſt ejus converſionem, adeo ſemper permanet.

(a) S. Ambr. in can. Una. 4. diſt. 26.

CASUS XXVI.

Basilianus, cum ſit illegitimus, ſolemnem Religionis profeſſionem emiſit, Numquid ſacris initiari poteſt Ordinibus, aut ad aliquam regularem dignitatem eligi abſque diſpenſatione?

Respons.

Certum eſt, ex ſolemni Religionis profeſſione tolli irregularitatem, quæ *ex defectu natalium* procedit, in iis quæ pertinent ad ſuſceptionem Ordinum, non vero ad electionem ad dignitates. Quare ſacerdotio initiari poteſt Baſilianus abſque diſpenſatione Papali vel Epiſcopali. Deciſionis hujus probationem ſuppeditat Concilium Pictavienſe an. 1078. habitum, & in una Decretali his verbis relatum (b): *Ut filii Presbyterorum & cæteri ex fornicatione nati, ad ſacros Ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes.* Idem aſſerit Urbanus II. (c): *Presbyterorum filios a ſacris Altaris miniſteriis removemus,* inquit hic Papa, *niſi aut in Cœnobiis, aut in Canoniis religioſe probati, fuerint converſati.* Sed Baſilianus in Abbatem vel Priorem eligi non poteſt, aut aliquam aliam obtinere dignitatem in Monaſterio abſque prævia Papæ diſpenſatione de natalium ſuorum defectu, juxta deciſionem ejuſdem Pictavienſis Concilii, quod addit: *Prælationem vero nullatenus habeant.*

(b) Conc. Pictav. in cap. *Ut filii.* 1. de filiis Presbyter. ord. l. 1. tit. 17.

(c) Urban. II. in can. *Presbyterorum.* 1. Diſt. 56.

CASUS XXVII.

Josephus, ex occulto natus adulterio, ſed qui palam legitimus ſemper habitus eſt, nunc ſacros Ordines ſuſcipere conſtituit. Nonne in conſcientiæ foro tenetur diſpenſationem petere, ſi natalium ſuorum defectum ipſi mater ſua declaret?

Respons.

1. Reſpondemus, ut docet Silveſter a Prierio (d); communiter poſt alios Doctores, ſub peccati reatu non teneri Joſephum, in tali caſu unico matris ſuæ teſtimonio credere, non ſolum quia errare potuit in judicio ſuo, dum gravida facta eſt, ſi forte cum viro ſuo tunc temporis cohabitaret; ſed etiam quia fieri poteſt, ut noxium rebus unius e pueris ſuis finem intendens mater hanc emittat declarationem aliis ſuis pueris favere cupiens, aut ipſorum defectu, mariti ſuique ipſius heredibus.

(d) Silveſter. v. *Illegitimus.* q. 1.

2. Exiſtimamus tamen, quod ſi firmo argumento de veritate facti certus ſit Joſephus, aut matris ſuæ teſtimonium in dubium non revocet, tum illegitimum ſe debet exiſtimare ex Decretali Innocentii III. ad virum Nobilem Monſpelienſem (e), & ex dictis Gloſſæ in aliam ejuſdem Papæ Decretalem (f); adeoque irregularitate ſe ligatum habere debet; nec ſine papali diſpenſatione prævia Ordines ſuſcipere. Idipſum evincunt Decretalium Canon ex antiquo Pictavienſi Concilio depromtus (g), nec non Decretalis Gregorii IX. ad marginem indicata (h). Hinc ita docent Hoſtienſis, Antonius de Butrio, Silveſter, Navarrus, aliique permulti Canoniſtæ, qui allatis heic teſtimoniis innituntur, *Defectus natalium,* inquit Navarrus (i), ... *includit omne illegitimorum genus .... quamvis eorum defectus occultus ſit .... adeo quidem, ut qui ſcit aut credit per dictum matris ſe talem eſſe, legitimationem occultam debet petere, quamvis matri adulteræ credere, ſi nolit, non tenetur.*

(e) Innoc. III. in cap. *Per venerabilem.* 13. qui filii ſint legitimi l. 4. tit. 17.

(f) Gloſſa in cap. *Niſi,* 10. de renunt. v. *Manſeret.*

(g) Conc. Pictav. in cap. Ut. cit. qui filii. 1. filii &c.

(h) Greg. IX. in c. *Nimis.* 8. de fil. presbyter. lib. 1. tit. 17.

(i) Navarr. Man. c. 27. n. 201. Silveſt. v. *Illegitimus.* q. 1. &c.

CASUS XXVIII.

Aigulfus, ortu illegitimus, ob parentum ſuorum inopiam, papalem obtinuit diſpenſationem, qua ſacris ordinibus initiari ac Beneficia poſſidere poteſt: Subdiaconatu ac Diaconatu ſuſceptis, interim parentes ejus luculentam adeunt hereditatem, ex qua ditiſſimi fiunt. Nonne in hoc caſu Aigulfus ſacerdotium ſuſcipere poteſt, vi reſcripti ſui, licet deſierit cauſſa in eo * enuntiata?

* Quæri heic poteſt, an AIGULFUS, qui vi diſpenſationis ſuper irregularitate ex defectu natalium ad Presbyteratum fuiſſet promotus, poſſet etiam abſque nova diſpenſatione obtenta ad Epiſcopatum promoveri. Reſpondet BONACINA Diſp. 7. quæſt. 2. Punct. 3. de irregularitatibus provenientibus ex defectu. *Diſpenſationem ſtricte interpretandam eſſe:* quam ob rem, ... inquit, *diſpenſatus ad certum ordinem non cenſetur diſpenſatus ad ordinem ſuperiorem, ſed ad illum quâ fuit expreſſus, & diſpenſatus ad dignitates Eccleſiaſticas non cenſetur diſpenſatus ad Epiſcopatum: diſpenſatio enim ſtricte accipienda eſt.* Et vero diſpenſatio eſt quædam juris relaxatio: & conſequenter non eſt ultra terminos extendenda. Citat. *Bonacina, Sayrum, Covarruviam, Majolum, Sanchez, Fillucium, Reginaldum,* & alios ſuæ ſententiæ aſſertores.

Respons.

Exiſtimamus, in propoſita ſpecie Aigulfum ſacerdotio poſſe initiari. Ratio eſt, quia, cum agitur de diſpenſatione jam conſummata, quæ Legis prohibentis obligationem penitus abſtulit, priſtinam ſemper ea vim ſuam retinet, licet deſinat ratio, propter quam conceſſa eſt. *Conſtat,* inquit Navarra (k), *per juſtam diſpenſationem tolli vim Legis ſuper qua diſpenſatur.* Quod approbat Sylvius (l) tamquam regulam certam, quæque nullam patitur exceptionem; niſi diſpenſatio ipſo effectu ſuo ſit diviſibilis; qualis eſſet diſpenſatio Sacerdoti aut Beneficiario conceſſa propter nimiam oculorum infirmitatem de non recitando Officio divino; tum enim ceſſante cauſſa allegata ad obtinendam diſpenſationem, oculorum nimirum infirmitate, ceſſaret quoque diſpenſationis effectus; & quaſi eam non obtinuiſſet, ad recitationem divini Officii teneretur Sacerdos (m). Unde ſequitur, quod ſublata pro Aigulfo Eccleſiaſtica Lege, qua a ſuſceptione Ordinum removebatur, & conſummata jam partim diſpenſatione ex ſuſceptis duobus prioribus ſacris Ordinibus; ſacerdotio etiam initiari poteſt, ut Eccleſiæ utilius Presbyter, quam Diaconus famuletur.

(k) Navarr. l. 3. Conſil. 14. de empt. & vendit. Conſil. 8. n. 3.

(l) Sylvius v. *Diſpenſatio,* 6. quæſito 1.

(m) Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 2. ſect. 2.

CASUS XXIX.

Polydorus, illegitimus, Clericali militiæ cupiens adſcribi, & ob defectum natalium ſuorum diſpenſatione indigens, poſtulat, utrum eam ſibi talem concedere ſuus poſſit Epiſcopus, ut non ſolum ex ea habilis fiat ad ſuſcipiendos Ordines, ſed etiam ad Beneficium poſſidendum; an vero omnino neceſſe ſit, ut eam a Papa obtineat?

Respons.

Si omnes cupiat Ordines ſuſcipere Polydorus, & ad omne Beneficiorum genus poſſidendum fieri idoneus; ipſi in eam rem abſolute neceſſaria eſt papalis diſpenſatio, nec eam concedere poteſt Epiſcopus. *Ab iſta irregularitate ſolus Papa diſpenſat ad omnes Ordines & univerſa Beneficia,* inquit peritiſſimus Canoniſta (n). Sed ſi Tonſura dumtaxat & minoribus cupiat initiari, aut ſimplex Beneficium habere; in id ſatis

(n) Joan. Caballut. juris can. theor. & prax. l. 2. c. 9. n. 2.

eſt diſpenſatio Epiſcopalis. *Sed poteſt Epiſcopus*, pergit idem Auctor, *diſpenſare ad primam Tonſuram, & ad minores Ordines, nec non ad Beneficium ſimplex*. Angelus, Silveſter, & Navarrus idem docent *(a)*.

(a) Angelus de Clavaſio v. *Beneficium*. q. 20. Silveſt. v. eod. 3. q. 7. Navar. Man. c. 27. n. 208.

Deciſionem hanc adſtruit Bonifacius VIII. his verbis *(b)*: *Is qui defectum patitur natalium, ex diſpenſatione Epiſcopi licite poteſt (ſi ei aliud canonicum non obſtat) ad Ordines promoveri minores, & obtinere Beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodo ſi tale ſuper quo per ipſum Epiſcopum valeat diſpenſari ad Ordines quoque majores, vel Beneficia curam animarum habentia, ſuper quibus nequit Epiſcopus diſpenſare, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ promoveri non poteſt*.

(b) Bonifac. VIII. in cap. *Is qui*. 3. de filiis Presb. & aliis illegitime natis, in 6. l. 1. tit. 11.

In Galliis viget hæc diſciplina; ut teſtantur de Selva *(c)*, Rebuffus, Carondas, Eſpeiſſeus, aliique Juriſconſulti regnicolæ, & poſt ipſos Auctor Colloquiorum Andegavenſium *(d)*. Una tantum ſupereſt difficultas, de qua inter ſe non conſentiunt Auctores; utrum videlicet in hoc caſu ſufficiat diſpenſatio Epiſcopi pro Præbendis & Perſonatibus Cathedralium Eccleſiarum. Id quidem negat Rebuffus *(e)*: at cum hujuſmodi Beneficia ad eorum non pertineant ſpeciem, quibus, ut dicitur, annexa eſt animarum cura; præſtat hoc loco affirmantem opinionem amplecti, quam ſequitur de Selva, cum multis etiam Canoniſtis exteris, quorum nomina ad marginem indicamus *(f)*.

(c) Joan. de Selva tract. de Benef. p. 3. q. 10. Petrus Rebuffus. part. 2. tit. de diſp. ſuper defectu natalium. L. Carondas in Coll. l. 10. reſponſ. c. 7. Eſpeiſſeus tract. de Benefi. tit. 3 n. 66

CASUS XXX.

Patroculus, ortu illegitimus, *ex ſoluto & ſoluta natus*, Edicto Principis, aut per ſubſequens parentum ſuorum matrimonium legitimus factus eſt; quæritur jam, utrum eo facto nova ei opus ſit diſpenſatione, ut Ordines ſuſcipiat, aut de Beneficio provideatur?

(d) Colloq. Andegav. tom. I. Colloq. Junii. 1710.

(e) Reb. loco cit. n. 10. & 11.

(f) Joan. de Anania Archid. Bononienſis in cap. 1. de filiis Presbyt. in 6. Oldradus Conſil. 215. Jaſon. Conſil. 104. Angelus &c.

Respons.

1. Dicimus, Patroculum, illegitimum natu, eſſe irregularem, tum ad Ordines, tum ad Beneficia; licet legitimorum jure a Principe donatus fuerit. Ratio eſt, quia ſubditos ſuos legitimationis jure donare Princeps poteſt, eoſque hac via efficere idoneos ad poſſidenda munera, dignitates, honores, officia & bona ſæcularia, ſed eos comparate ad Ordines aut Beneficia legitimare nequit, quia hæc poteſtas eſt ſolius Eccleſiæ. Unicus hic excipiendus eſt caſus, nimirum, quando illegitimus natus eſt temporali Papæ dominio obnoxius; tum enim cenſetur ſuper irregularitate diſpenſatus, atque adeo habilis ad ſuſcipiendos Ordines. Beneficia poſſidenda, ut ad cernendam Parentum ſuorum hereditatem intra fines temporalis dominii Sanctæ Sedis & non alibi. Deciſionem iſtam afferunt Innocentius III. in una Decretali ad Epiſcopum Exonienſem *(g)*, & Alexander III. in alia *(h)*.

(g) Innoc. III. in cap. *Per venerabilem*. 13. Qui filii &c. l. 4. tit. 17.

2. Dicimus, quod ſi per ſubſequens parentum ſuorum matrimonium Patroculus fiat legitimus; tunc nec ad Ordines nec ad Beneficia diſpenſatione eget; quia ortui ſuo annexa irregularitas deſinit; ubi primum legitimas parentes ejus contraxere nuptias; modo tamen ipſo conceptionis aut partus tempore ob aliquod impedimentum dirimens ad contrahendum non fuerint inhabiles. Ita rem iſtam definivit Alexander III. his verbis *(i)*: *Tanta eſt vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur: ſi autem vir vivente uxore ſua aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius*.

(h) Alex. III. in cap. *Conqueſtus*. 1. eod. tit.

(i) Alex. III. in cap. *Tanta*. 6. eod. tit.

Diximus: *modo tamen ipſo conceptionis aut partus tempore &c.* quamvis nonnulli exiſtiment Auctores, puerum legitimum non eſſe cenſendum, niſi parentes ejus ipſo conceptionis tempore ad nubendum fuerint habiles; nec ſatis eſſe, ſi tempore partus tantum fuerint. Sed cum matrimonium ſit res favorabilis, in hac præſertim materia, ut indicant etiam iſta ſuperioris teſtimonii verba; *Tanta eſt vis matrimonii &c.* & expreſſe declarant Gregorius IX. & Clemens III. *(K)*, & aliunde nullus ſubſit oppoſitus Canon; firmam non judicamus eorum opinionem; ac ſenſui etiam literali ac naturali Decretalis Alexandri III. videtur oppoſita.

(K) Greg. IX. in cap. *Duobus*. fin. de ſent. & re jud. l. 2. tit. 27. Clemens III. in cap. *Videtur*. 3. Qui matrim. accuſare poſſunt &c. l. 4. tit. 18.

CASUS XXXI.

Donatus, illegitimus Paulli filius, Papalem obtinuit diſpenſationem, qua Ordines vel minores vel majores ſuſcipiendi ſit ei poteſtas. Nonne ex ea cenſetur etiam idoneus ad habendum Beneficium, quod ſibi offertur?

Videtur, quod non; cum de ſolis Ordinibus in ejus diſpenſatione fiat mentio; aliunde ipſi favere videtur iſta juris regula: *Favores convenit ampliari*.

Respons.

Ut rite ſolvatur iſta quæſtio, ſciendum, quo pacto intelligenda ſit iſta Bonifacii VIII. regula: *Odia reſtringi & favores convenit ampliari (l)*. Lex autem tamquam odioſa haberi debet, cum juri communi eſt oppoſita, aut ex præcipuo ſuo fine intenditur aliquod vel onus imponendum, vel pœna infligenda; atque in hoc ſenſu diſpenſationes & privilegia, tamquam odioſa haberi debent, quod juri communi derogent in favorem privatæ perſonæ: contra vero Lex cenſetur favorabilis, cum juri communi nullatenus oppoſita privatorum commodo favet; qualis eſt Lex, qua ſtatuitur ætas viginti quinque annorum ad ſuſcipiendum Sacerdotium, quæ idcirco benigne explicatur, viginti quinque annos dumtaxat inceptos numerando, unde ſequitur Legem eamdem poſſe eſſe pro diverſo reſpectu odioſam ſimul & favorabilem, qualis eſt Lex, qua excommunicantur ab Eccleſia Clericorum percuſſores *(m)*.

(l) Reg. 15. de reg. juris in 6.

Præſuppoſita illa expoſitione decimæ quintæ regulæ Bonifacii VIII. facilis eſt propoſitæ difficultatis ſolutio, dicendo: cum diſpenſationes ſint odioſæ, eas ad verbum eſſe ſumendas, atque reſtringendas, non vero ampliandas; atque adeo, quamvis cum Donato ad majores ordines diſpenſatum fuerit, cum eodem tamen non fuiſſe diſpenſatum ad Beneficium habendum, atque eumdem nova in eam rem diſpenſatione egere. Ita docent Angelus de Clavaſio, Silveſter, & alii multi, quos ſequitur Auctor Colloquiorum Condomenſium *(n)*.

(m) Innoc. III. in cap. *Si quis ſuadente*. 29. 17. q. 4.

CASUS XXXII.

Paschalis, amiſſa conjuge ſua Ludovica, quæ plures ſibi peperit filios, deinde Mariæ nupſit, ſed invalide ob impedimentum dirimens, cujus conſcientiam non habebat, & e qua filium ſuſcepit, Defuncta Maria ſacros Ordines ſuſcipere conſtituit, Numquid id ipſum poteſt abſque diſpenſatione?

(n) Angelus, v. *Beneficium*, q. 2. Sylveſter, v. *Beneficium*. 3. q. 10. Colloq. Condom. tom. I. Colloq. 2. ſect. 2.

Respons.

Ad hanc difficultatem reſpondemus, quod, quamvis bigamus non ſit Paſchalis, accepto illo verbo ſecundum ſtrictam ſuam ſignificationem, hoc eſt, *propter defectum Sacramenti*, ut loquitur Innocentius III. quia vere ſemper affirmari poteſt, ipſum uni tantum uxori nupſiſſe *(o)*: talis tamen haberi debet *propter effectum intentionis cum opere ſubſecuto*, ut loquitur idem Papa: qua de re ait Gloſſa *(p)*: *Nota ... propter ſimilitudinem facti aliquem numerari inter eos, de quorum numero ipſe non eſt*: quod probat eadem Gloſſa ex Concilio Ancyrano, quod refert Gratiani Decretum *(q)*, & ex aliis permultis teſtimoniis. Ita ſentiunt Joannes Andreas, Petrus Anchalanus & Navarrus *(r)*, una cum S. Antonino *(ſ)*, aliiſque compluribus Canoniſtis, Igitur ad Sacros Ordines promoveri nequit Paſchalis abſque diſpenſatione Papæ, qui eam ſolus in hoc caſu poteſt concedere; ut alibi jam diximus.

(o) Innoc. III. in cap. *Nuper*. 5. de big. non ordin. l. 1. tit. 21.

(p) Gloſſa in cit. cap. *Nuper*. v. *Tamquam*. &c.

(q) Conc. Ancyra. in can. *Quotquot*. 14. 27. q. 2.

CASUS XXXIII.

Andasas, initis cum Julitta nuptiis, quæ ſubito ante conſummatum matrimonium obiit, poſtea Thereſiæ nupſit, e qua duos ſuſcepit pueros; at iſta triennio poſt etiam mortua, ſacerdotium ſuſcipere conſtituit. Numquid de bigamia cum eo diſpenſari neceſſum eſt?

(r) J. Andreas & Anchar. in cap. 1. de big. in 6. & Navar. Man. c. 27. n. 97.

(ſ) S. Anton. 3 part. tit. 78. c. 3. init.

Respons.

Jure Cabaſſutius poſt omnes Theologos & Canoniſtas nullam eſſe in caſu propoſito bigamiam contendit; quia, inquit *(t)*, *non contrahitur bigamia*,

(t) Joan. Cab. l. 5. c. 19. n. 1.

aiſi

niſi per completam omnino carnalem copulam. Quia licet matrimonium ratum, etiam non conſummatum, ſit verum Sacramentum; unionem tamen inſolubilem, quæ inter Verbum humanamque naturam intercedit, ipſum non repræſentat. *Etſi namque*, ſubjungit hic Auctor, *matrimonium ratum ſit verum Eccleſiæ Sacramentum, referens Chriſti cum Eccleſia unionem; non tamen illam refert, quæ per divini Verbi incarnationem facta eſt, ſed eam ſolam, quæ ex gratia & caritate reſultat.*

Rem eamdem unanimi conſenſu docent Bartholomæus Fumus, Navarrus, Emmanuel Rodericus, Vivaldus, Reginaldus, Sanchez & alii multi poſt Dominicum Sotum (a). Id quidem palam fit ex Canone, quem in Decreto ſuo refert Gratianus (b), in quo Pelagius Papa declarat, nullam eſſe in caſu propoſito bigamiam, quia *nihil eſt*, inquit .... *quod* .... *canonicis obviet inſtitutis*. Denique Innocentius III. ad Metenſem Epiſcopum ſcribens eamdem affert deciſionem; ad diſtincta & expoſita duplici unione, cujus ſymbolum eſt matrimonium, ita concludit (c): *Unde is, qui mulierem ab alio viro ductam, ſed minime cognitam duxit uxorem; quia nec illa, nec ipſe carnem ſuam diviſit in plures, propter hoc impediri non debet quin poſſit ad ſacerdotium promoveri*. Dicendum itaque, Andream canonice ſacerdotio initiari poſſe abſque ulla prævia diſpenſatione; cum certum ſit, ut ſupponitur, quod *non diviſit carnem in plures*; non magis quam ille, de quo loquitur Innocentius III.

(a) Fumus in Armilla aurea, v. *Bigamia*. n. 7. Navar. cit. c. 27. n. 156. Rodericus, qq. Reg. & Canon. tom. 1. q. 24. art. 2. Vivaldus in can. de Labro in rao. dait reg. Reginaldus Inſt. moral. l. 8. tract. 2. c. 8. n. 95. Sanchez de matrim. l. 7. diſp. 83. n. 4. & plures alii apud eum. Dom. Sotus in 4. diſt. 27. q. 3. art. 3.

Juvat heic obiter obſervare, Magiſtro Sententiarum qui in contrariam abiit opinionem, nullum aſſenſum fuiſſe Auctorem, eoſque omnes qui hac de re ſcripſere, ipſius dictum *reprobaſſe*, ut loquitur Sanches (d).

(b) Pelagius in can. *Valentino*. dn. 34.

CASUS XXXIV.

PYRRHUS, ducta in matrimonium vidua, cum idcirco ſit irregularis irregularitate quæ interpretativa dicitur, nunc autem Ordines ſuſcipere cupiens diſpenſatione indiget. Num abſolute neceſſe eſt, ut eam a Papa obtineat?

(c) Innoc. III. in cap. *Debitum*. e. de bigamis &c.

(d) Sanchez loco cit. n. 5.

RESPONS.

Superiore jam caſu diximus, ad aliam difficultatem reſpondentes, quoſdam Auctores, ut Silveſtrum & Azorium hujuſmodi diſpenſationem concedendi poteſtatem Epiſcopo adſcripſiſſe, eoſque in hoc S. Thomæ opinioni ſubſcribere. Et quidem exiſtimavit Angelicus Doctor (e), Epiſcopum de bigamia, qualiſcumque ſit, diſpenſare poſſe quoad minores Ordines. *Papa*, ait, *poteſt diſpenſare in tali irregularitate totaliter, ſed Epiſcopus, quantum ad minores Ordines*. Hanc etiam Epiſcoporum poteſtatem eo uſque ampliavit, ut aſſereret, ipſos cum Religioſis, etiam quoad ſacros Ordines diſpenſare poſſe, quod nihil huic praxi contrarium jure conſtitueretur. *Et quidam dicunt, quod etiam quantum ad majores in illis, qui volunt Deo in Religione ſervire.*

(e) S. Th. In 4. diſt. 27. q. 3. art. 3. in corp.

Ea tamen poteſtate non utuntur Galliæ Epiſcopi; & de iſta irregularitate ſolus diſpenſare poteſt ſummus Pontifex. Quod quidem facile evincit Decretalis Lucii III. (f), in qua Epiſcopis poteſtatem illam adimit hic Papa, præſertim quantum ad majores Ordines, ſeu ſuſcipiendos, ſeu exercendos. Idem docet Panormitanus (g) quoad minores Ordines, ſuamque ex his antiqui Concilii verbis ſententiam aſſerit. *Si quis viduam aut ab alio dimiſſam duxerit, non admittatur ad Clericatum; quod ſi irrepſerit, dejiciatur*. Unde ſequitur, a ſolo Papa cum Pyrrho diſpenſari poſſe.

(f) Lucius III. in cap. *Super eo*. de big. non ord. l. 3. tit. 21.

(g) Panorm. ex can. *Si quis viduam*. 1. diſt. 50.

Inclyti hujuſce Canoniſtæ ſententiam valide confirmat Conſtitutio a Gregorio X. in ſecundo Concilio Lugdunenſi an. 1273. emiſſa, cujus hæc ſunt verba (h): *Altercationis antiquæ dubium præſentis declarationis oraculo decidentes, bigamos omni privilegio Clericali declaramus eſſe nudatos*. Cum enim ex hac Decretali omni Clericali privilegio nudentur bigami, cum iis diſpenſare nequit Epiſcopus quantum ad primam tonſuram vel minores Ordines. In hoc quippe caſu neceſſe eſſet, ut tonſuram habitumque Clericalem deferrent; non ſolum contra ſummi Pontificis prohibitionem, de qua jus

(h) Greg. X. in cap. *Altercationis*. unico de bigamis. in 6. l. 1. tit. 12.

diſpenſandi Epiſcopo non competit; ſed etiam Tridentini Concilii (i), quod, cum Laicis minorum Ordinum exercitium, cui ſe antea ingerebant, prohibuit; Clericis tamen conjugatis, illorum Ordinum quos receperunt functiones permittit, modo tonſuram habitumque Clericalem geſtent in Eccleſia, nec ſint bigami; *Quod ſi in miniſteriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes non erunt, ſuffici poſſint etiam conjugati, vitæ probatæ; dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonſuram & habitum Clericalem in Eccleſia geſtent*. Hæc ſunt verba ſacroſancti hujuſce Concilii, a quo conformiter ad Decretum a Lugdunenſi Concilio approbatum, habentur bigami, tamquam inhabiles non ſolum qui aliquo Clericali privilegio fruantur, ſed etiam indigni qui aliquam ejus notam externam gerant. Quo pacto igitur Epiſcopi poſtea contrarias poſſent concedere diſpenſationes?

(i) Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 17.

Quod pertinet ad bigamiam metaphoricam, quæ *ſimilitudinaria* dicitur, de ea quandoque diſpenſare poſſe Epiſcopos, hoc ipſis concedente jure, fatendum eſt: ita ut Diaconus, qui temere virgine ducta in matrimonium, reſipiſcit, impoſitamque ſibi ſatisfactionem in peccati ſui pœnam, humiliter ſubit, ab Epiſcopo ſuo diſpenſari poſſit, non ſolum ad exercendas licite Ordinis ſui functiones; ſed etiam ad ſuſcipiendum ſacerdotium, ut definivit Alexander III. in quadam ſua Decretali ad Archiepiſcopum Remenſem ſcripta his verbis (k): *De Diacono .... qui uxorem accepit, hoc tuæ prudentiæ reſpondemus, quod ſi contrito & humiliato corde ad Eccleſiam redire voluerit, dimiſſa illa quam accepit in uxorem, & abſolutione obtenta injuncta ſibi pœnitentia ... poſt eam peractam diſpenſative poteris ei Diaconatus Officium reddere; & ſi perfectæ vitæ & converſationis fuerit, eum in Presbyterum ordinare*. Qua de re ait Gloſſa (l): *Et ita Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum Clericis conſtitutis in ſacris Ordinibus, ſi contrahant de facto.*

(k) Alex. III. in cap *De Diacono*. 3. qui Clerici vel voventes matrim. contrahere poſſunt. l. 4. tit. 6.

(l) Gloſſa in c. *De Diacono*. v. *Diſpenſative*.

Ceterum advertendum, non obſtantibus hactenus dictis, Epiſcopum legitime diſpenſare poſſe non ſolum *in ſuſceptis Ordinibus*, ſed etiam *in ſuſcipiendis* ſuper omni irregularitate, quam inducit bigamia *ex delicto occulto*, cum pro ceteris omnibus irregularitatibus hæc ei competat poteſtas, illa excepta quæ ex homicidio voluntario oritur, juxta iſtud Tridentini Decretum. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus ... ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentioſum) diſpenſare.*

CASUS XXXV.

BARTHOLOMÆUS, altera uxore ſua amiſſa, e qua, uti e priore puerulum ſuſceperat, Religioni nomen dare in Ordine reformato, ſimulque bigamiæ ſuæ diſpenſationem idcirco requirere conſtituit. Qua de re poſtulat, utrum Superior regularis Major ſeu Prælatus illius Ordinis, neceſſariam ſibi jure poſſit diſpenſationem concedere; ſeu ante vel poſt emiſſam profeſſionem, ut deinde ſacerdotio poſſit initiari?

RESPONS.

Superiori regulari, qualiſcumque ſit, nullum jus competit, hanc Bartholomæo concedendi diſpenſationem, ſeu ante ſeu poſt emiſſam ſolemnem votorum ſuorum profeſſionem. Ratio eſt, quia ia eſt Curiæ Romanæ uſus, ut bigamiam excipiat, cum regularibus Prælatis diſpenſandi cum iis qui Religionem profitentur, licentiam concedit ſummus Pontifex. Ita Emmanuel Rodericus Religioſus & definitor Ordinis ſancti Franciſci, qui explicata triplici bigamiæ ſpecie ita ſubjungit (m): *Certa concluſio eſt, quod Prælati Religionum nequeunt diſpenſare cum Religioſo in bigamia vera & interpretativa, ut ordinetur Ordinibus ſacris, videlicet in Subdiaconatu, Diaconatu & Presbyterio; quia ipſa jure reſervatur talis diſpenſatio ad Papam; ut omnes dicunt*. Jam in eodem huic Auctori prævetat Navarrus verbis iſtis (n): *Nemo alius a*

(m) Emmanuel Rodericus qq. Can. & Regul. tom. 1. q. 24. art. 2.

(n) Navar. Man. c. 27. n. 197.

Papa

Digitized by Google

Papa in vera interpretativa (irregularitate) *ad Ordines ſacros poteſt diſpenſare juxta omnes* (Doctores). Ita quoque ſentit Reginaldus (*a*), iſtam ſententiæ ſuæ rationem ſubjiciens; *Namque*, inquit, *id alienum eſt a communi Eccleſiæ praxi, quia ſummus Pontifex plerumque Generalibus Religionum concedens facultatem cum ſuis diſpenſandi in irregularitate, ſolet excipere eam quæ eſt ex bigamia.*

(*a*) Valerius Reg. prax. fori pœnit. l. 30. tract. 2. c. 28. n. 10.

Multæ heic poſſent ſubjici auctoritates ad confirmationem hujus difficultatis; ſed eas omittimus, ne jam dicta iterentur inutiliter; & id unum tantum addemus, cum Prælatis regularibus id juris nuſquam concedatur, abſque manifeſta abſurditate illud eiſdem adſcribi non poſſe.

CASUS XXXVI.

Sabinus, irregularitate ligatus, quod cenſuram violaverit, a Proto-pœnitentiario Epiſcopi ſui, aut a generali Vicario, a Capitulo *Sede vacante*, conſtituto, illius diſpenſationem obtinuit. Numquid valida eſt hæc diſpenſatio, cum peccatum ipſius ſit occultum?

RESPONSIO.

Primo reſpondemus, Sabinum valide a Proto-pœnitentiario Epiſcopi ſui in integrum reſtitui potuiſſe. Conſtat enim, 1. Epiſcopum jure diſpenſare poſſe de omnibus irregularitatibus, quæ ex delicto oriuntur, exceptis iis quæ ex homicidio voluntario procedunt, & quæ ad forum contentioſum deducuntur; ut decrevit Concilium Tridentinum prius laudatum. 2. Cum jus illud non perſonæ, ſed Epiſcopi dignitati ſit annexum, eum illud poſſe committere ex his ejuſdem Decreti terminis: *per ſe ipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum*. 3. Quia Epiſcopi poteſtatem ſuam non ex ſimplici mandato, & tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati exercent, ſed ex poteſtate ordinaria, indivulſe dignitati ſuæ annexa, cujus exercitium uſu contrario a Papa introducto amiſſum eiſdem reſtituit Tridentina Synodus. Unde ſequitur, illos, non ſolum Proto-pœnitentiarium ſuum, ſed alium quem magis libuerit, Sacerdotem delegare poſſe (*b*).

(*b*) Bail. 2. part. de exam. Confeſſ. de cenſ. & imped. canon. cit. §. 23. pag. 142.

Secundo, quoad Vicarium generalem a Capitulo *Sede vacante* conſtitutum pertinet; hanc ei poteſtatem quidam Auctores, inter quos Suarez (*c*), denegant. 1. Quia jus illud ad Epiſcopos non pertinet *jure ordinario*, ſed ſpeciali Concilii mandato, quod adeo Sede vacante, ad Capitulum non devolvitur; cum certum ſit, quod ea quæ ſunt Epiſcopalis poteſtatis ſpeciali mandato, ipſius Epiſcopi morte ad Capitulum non devolvi, ut docent Innocentius IV. (*d*) in ſuo Commentario in Decretales, & Abbas (*e*). 2. Quia ſacra Congregatio declarat, hanc poteſtatem ſolis Epiſcopis, privative ad alios, a Concilio fuiſſe conceſſam. Unde colligunt, ab ea excluſum cenſeri debere Capitulum.

(*c*) Suar. de cenſ. diſp. 41. ſect. 2. n. 13.

(*d*) Innoc. IV. in c. *Cum in cunctis*, de elect. n. 7.

(*e*) Abbas in c. *Verum*, de foro competenti. n. 9.

His tamen non obſtantibus rationibus exiſtimamus, cum ad Capitulum devoluta fuerit Epiſcopi morte Epiſcopalis auctoritas, eamdem poteſtatem magno Capituli Vicario competere (*f*); quandoquidem omnes Epiſcopi proprias exercere poſſit functiones, iis exceptis quæ jure tolluntur, in quibus non reperitur talis diſpenſatio.

(*f*) Bail. ibid.

Quod ad duas rationes ab adverſariis allatas pertinet; ex dictis prior omnino infirmatur, cum olim pleno de omnibus irregularitatibus diſpenſabant Epiſcopi, quos in ſuo jure tantum reſtituit Concilium, quoad irregularitates quæ oriuntur *ex delicto occulto*, iis ſolum exceptis quæ ex homicidio voluntario procedunt, & quæ ad forum contentioſum fuere deductæ. Altera pariter eorumdem Auctorum ratio nullius eſt ponderis, præſertim in Galliæ regno, in quo ſacræ Congregationis Cardinalium deciſiones vim Legis non obtinent, & habentur tantum ut privatæ ſententiæ, quas in foro conſcientiæ ſequi nemo tenetur, ut obſervat Bail (*g*). Sanchez (*h*) cujus opinionem amplectimur, quique Aragonium (*i*) treſque alios pro ſe laudat Auctores, addit: *Nec obſtet declaratio Cardinalium, in contrarium adducta: quia de ea non conſtat authentice*. Quæ etiam ſi certa eſſet, *neque illi*, inquit, *neceſſario ſtandum eſt*.

(*g*) Bail loco cit.

(*h*) Sanch. in ſum. L. 8. de diſpenſ. d. 5. a n. 10.

(*i*) Aragonius in 2. 2. q. 88. art. 12.

Vide. { ILLEGITIMUS.
IRREGULARITAS, *Caſ.* CASSIUS. }

DISPENSATIO JURAMENTI.

PRiuſquam de juramenti diſpenſatione ſermo habeatur, neceſſe eſt, ut ea legantur quæ diximus in titulo, *Juramentum*, in quo non ſolum juramenti definitionem, variaſque ejus ſpecies explicamus, ſed & varios recenſemus jurandi modos, conditioneſque juramento neceſſario annexas, ut ſit validum & licitum.

Heic non loquimur de juramento quod judiciale dicitur, quodque in pleriſque judiciis ad reum defertur, eo excepto, quod fit in rebus ad mercaturam pertinentibus, quod actori offertur, uti etiam in aliis rebus ad ipſum defertur; cum videlicet de re modica agitur, quæ 100. librarum ſummam non ſuperat; niſi contrarium probare reus proponat: aliter reus eſt judex in propria cauſſa; & ſi actori deficiant probationes, poſtulato reus, quanta quanta ſit ſumma, liberatus eſt; nullo ſe obſtrictum eſſe ære alieno affirmans. Quare juramentum illud *Decretorium* appellatur.

Neque etiam heic verba facimus de juramento fidelitatis, quo erga Regem, acceptis e Romana Curia Bullis ſuis, ſeſe obſtringunt Archiepiſcopi & Epiſcopi, quodque in acta Curiæ Pariſienſis computorum mitti curant, ut deſinat jus regaliorum.

Agitur ergo hoc in loco de ſimplici juramento, & de iis qui de eo diſpenſare poſſunt, hoc eſt, obligationem illud perficiendi tollere pro iis, qui jurarunt: ſed illud tamen ſemper præſupponendum principium, quod in multis hujuſce operis locis ſtabilitum eſt, diſpenſationem videlicet numquam, niſi ob legitimam cauſſam, eſſe concedendam. Quare ſi cuipiam a Superiore eccleſiaſtico jusjurandum abſque juſta cauſſa remitteretur, is graviter peccaret; immo vero diſpenſatio penitus invalida eſſet.

Superioris autem legitimi nomine intelligi debent, 1. ſummus Pontifex, quoad

quoad omnes fideles in omnibus caſibus, in quibus locum habere poteſt diſpenſatio. 2. Epiſcopus quoad Diœceſanos ſuos, & in iis dumtaxat caſibus, in quibus res juris jurandi Papæ non eſt reſervata, & quo modo de voto diſpenſare poteſt. Sed Epiſcopus, nec etiam Papa hujuſmodi diſpenſationem poſſunt concedere, cum proximo notabiliter eſt noxia.

Quando in alterius commodum promiſſorio quis ſe obſtrinxit juramento ad aliquid aut dandum, aut faciendum, tunc ſolius cujus intereſt, aut remiſſione, aut recuſatione, rem promiſſam accipiendi deſinit obligatio juramenti perficiendi; uti jam diximus, dum de diſpenſatione voti.

CASUS PRIMUS.

NEPOTIANUS, cupiens, ſibi remitti jusjurandum, quo ſe obſtrinxit ad rem in ſe bonam perficiendam, ſcienſque, promiſſi jusjurando adimplendi obligationem eſſe de jure divino, poſtulat, utrum de ea ſecum diſpenſare & quo pacto poſſit Superior legitimus?

RESPONS.

Difficultatem iſtam perfecte diſſolvit S. Thomas (a), aſſerens, diſpenſationem non fieri poſſe, de iis, quæ veritati conſona eſſe quis habet perſuaſum; quia hujuſmodi obligatio eſt de jure divino: quare, ſi quis aliter juravit, illud non eſt diſpenſabile, neque quoad formam, neque quoad juramenti materiam, exceptis tamen juramentis promiſſionis: quamvis enim ſincera eſſe debeant & vera indiſpenſabiliter promiſſoria juramenta, diſpenſabilis tamen quandoque poteſt eſſe promiſſorii juramenti materia propter mutationem aliquam, quam ſubire poteſt res juramento ſubjecta: *Diſpenſatio, quæ fit in juramento*, inquit Angelicus Doctor; *non ſe extendit ad hoc, quod aliquid contra juramentum fiat; hoc enim eſt impoſſibile; cum obſervatio juramenti cadat ſub præcepto divino, quod eſt indiſpenſabile: ſed ad hoc ſe extendit diſpenſatio juramenti, ut id quod ſub juramento non cadebat, ſub juramento cadat, quaſi non exiſtens debita materia juramenti. Materia autem juramenti aſſertorii, quod eſt de præterito vel præſenti, in quandam neceſſitatem jam tranſit, & immutabilis facta eſt: & ideo diſpenſatio non referretur ad materiam, ſed referretur ad ipſum actum juramenti. Unde talis diſpenſatio directe eſſet contra præceptum divinum. Sed materia juramenti promiſſorii eſt aliquid futurum quod variari poteſt: ita ſcilicet, quod in aliquo eventu poteſt eſſe illicitum & nocivum, & per conſequens non eſſe debita materia juramenti: & ideo diſpenſari poteſt in juramento promiſſorio; quia talis diſpenſatio reſpicit materiam juramenti, & non contrariatur præcepto divino de juramenti obſervatione.*

(a) S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 1.

Ex his autem ſancti Thomæ principiis facile colligi poteſt, quod, cum promiſſorium ſit Nepotiani juramentum, hoc eſt, de re futura, de eo valide diſpenſare poteſt, ob legitimam tamen cauſſam, Superior Eccleſiaſticus. V. gr. ſi Nepotianus, firma fruens valetudine, jejunare quibuſdam hebdomadæ diebus, aut iter facere vel pedibus peregrinari jurejurando ſe ſe obſtrinxiſſet, & adeo infirmus poſtea factus fuiſſet, ut jam juramentum ſuum adimplere non poſſet, abſque gravi ſaltem incommodo; certum eſt, quod de eo poſſet cum illo diſpenſare legitimus Superior, quæ diſpenſatio valida foret & juſta: quod jejunium aut peregrinatio, quæ ipſius juramenti legitima erat materia, dum firmis eſſet viribus, talis eſſe deſierit ob adventitiam infirmitatem ejus, aut damnum ei inde futurum.*

* Hinc ſequitur e Confeſſariis neque per modum commutationis, neque per modum diſpenſationis Clericos nequidem Jubilæi tempore ſolvi poſſe ab obligatione adimplendi juramenti, quo juxta laudabilem aliquarum Diœceſeon conſuetudinem exigentibus Epiſcopis, antequam ad Subdiaconatum promoveantur, promittunt, ſe nec umquam chartis luſuros, nec venaturos eſſe, &c. quia nulla umquam poteſt eſſe a ſimili juramento Clericos eximendi cauſſa. Præterea ſummus Pontifex indulgentias concedens nec intendit, nec intendere poteſt Clericos Epiſcoporum imperio ſubducere.

CASUS II.

ANSBERTUS, cuidam ſui amico, poſtulata ab eo ſe facturum promiſit, & etiam juramento promiſſum confirmavit; at paucis poſt diebus agnovit, dubiam eſſe ob legitimas rationes juramenti ſui executionem: quare illud ſibi ab Eccleſia remitti cupiens poſtulat, an ſibi Epiſcopalis ſufficiat diſpenſatio, an vero ad Papam recurrere teneatur?

RESPONS.

Ansberto ſufficit Epiſcopi ſui diſpenſatio, ex D. Thoma (b): *Quandoque vero*, inquit ſanctus Doctor, *aliquid ſub juramento promittitur, de quo dubium eſt, utrum ſit licitum, vel illicitum; proficuum vel nocivum; aut ſimpliciter, aut in aliquo caſu, & in hoc poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare.* Ansberto igitur non neceſſaria eſt Papalis diſpenſatio de ſuo juramento.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3.

CASUS III.

AUGUSTINUS, centum libras in pauperis familiæ ſubſidium, ſe largiturum jurejurando promiſit, quam eleemoſynam abſque ullo ſui incommodo elargiri volens, juramenti tamen ſui diſpenſationem requirere conſtituit. Numquid tutum in conſcientia ipſum præſtare poterit conceſſa in eam rem a Superiore diſpenſatio?

RESPONS.

Ex tali diſpenſatione, quæ nullam habebit cauſſam legitimam, tuta non erit Auguſtini conſcientia; neque eam abſque peccato, ne quidem per modum commutationis, concedere poteſt Superior; niſi ita ſe ſe gereret ob aliquid communi bono utilius; cujus proinde judicium ad Papam ſpecialius pertinet ob univerſalis Eccleſiæ curam, quæ ipſi incumbit, poteſtatiſque plenitudinem, quam habet in Eccleſia. Ita docet S. Thomas his verbis (c): *Quandoque vero ſub juramento promittitur aliquid, quod eſt manifeſte licitum & utile: & in tali juramento non videtur habere locum diſpenſatio, vel commutatio; niſi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum; quod maxime videtur pertinere ad poteſtatem Papæ, qui habet curam univerſalis Eccleſiæ: vel etiam abſoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter, quæ ad diſpenſationem rerum Eccleſiaſticorum pertinent, ſuper quas habet plenitudinem.*

(c) S. Thom. cit. art. 9. ad 3.

Ceterum nomine *ſuperioris* intelligendus eſt vel ſummus Pontifex, vel Epiſcopus. Sed advertendum neceſſario ex Toleti doctrina (d), quod *diſpenſare vero & commutare*, inquit, *ad Epiſcopum & Papam pertinet, cum tamen eſt cauſſa talis diſpenſationis, poteſtque Epiſcopus diſpenſare & commutare in illis tantum juramentis, quæ ſi vota eſſent, poſſet diſpenſare.* Quod poſt Cajetanum dumtaxat (e) aſſerit hic Auctor ſubjungens ibidem: *Unde illa quinque juramenta Papæ reſervantur, quæ, ſi vota eſſent, ipſe ſolus poſſet: ut juramentum caſtitatis, Religionis, Peregrinationis Jeruſalem, Compoſtellæ, Sancti Petri Romæ.* At in ceteris juramentis ordinariis poteſt Epiſcopus, modo legitima ei ſubſit cauſſa, nec alicujus tertii utilitati noxia ſit ipſius diſpenſatio: *Quando tamen*, pergit, *eſt juramentum in alicujus tertii utilitatem, non poteſt abſque voluntate tertii; etiam a Papa diſpenſari, ſicut nec Papa poteſt auferre rem alterius.*

(d) P. Tolet. Inſtruct. Sacerd. l. 4. c. 23. n. 1.

(e) Cajet. in 2. 2. q. 89.

Ita

Digitized by Google

Ita etiam Cajetanus. Ab hac tamen regula exſcipiendus eſt caſus ille, in quo ageretur de juſta illius punitione, in cujus utilitatem factum fuiſſet juramentum, uti probatur exemplo excommunicati notorie, cui factum eſſet juramentum: jurato namque illud poſſet relaxari in odium excommunicationis, & in pœnam excommunicati, ut conſtat ex canone Gregorii VII. quem in Decreto ſuo refert Gratianus (*a*): *Nos ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes*, inquit hic Papa Romano præſidens Concilio, *eos, qui excommunicatis fidelitatis Sacramento conſtricti ſunt, auctoritate apoſtolica a Sacramento abſolvimus, & ne eis fidelitatem obſervent, omnibus modis prohibemus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant.*

(a) Alex. III. in canon. Nos Sanctorum. 15. q. 6.

Contrarias huic canoai rationes quaſdam affert Gloſſa, quas aliis permultis refellit, ad confirmandam deciſionem Gregorii VII. Exiſtimamus tamen, quod ſi juramentum eſſet de ſolvenda re, excommunicato legitime debita, tunc relaxari non poſſet. Ita ſentit Auctor Gloſſæ: *Licet*, inquit, *non habeat jus petendi; tamen debet ei ſolvi.* Quod affirmat ex quorumdam ſententia, qui duas pro ſe, quas ipſe laudat, Decretales afferunt, & quarum prior eſt Alexandri III. (*b*)

(b) Alex. III. in c. Debitores. de jurejurando.

CASUS IV.

Leodebertus, inſigne quoddam in Barnabam Officium ſe collaturum etiam jurejurando promiſit: Verum aliquanto poſt ſententiam mutans, id Barnabæ declaravit, qui ei promiſſum ſuum benigne relaxavit. Numquid tamen abſolute neceſſe eſt ut Leodebertus ab Epiſcopo diſpenſationem obtineat, quo tuta ſit conſcientia?

Reſpons.

Priuſquam huic difficultati fiat ſatis, ſciendum juxta diſtinctionem, quam affert ſanctus Thomas his verbis (*c*) quod: *Homo poteſt alteri promittere aliquid ſub juramento dupliciter; uno modo quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius: puta, ſi ſub juramento promitteret, ſe ſerviturum ei, vel pecuniam daturum*, (atque hæc eſt præſens quæſtio): *& a tali promiſſione poteſt abſolvere ille, cui promiſſio facta eſt: intelligitur enim jam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum ejus voluntatem. Alio modo*, addit Doctor Angelicus, *promittit alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum; puta ſi quis ſub juramento promittat alicui, ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum: & tunc ille cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem, quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo, niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cujus poſſit, ſcilicet ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale.*

(c) S. Thom. cit. art. 9. ad 3.

Ex hac Doctorie Angelici diſtinctione patet cum Leodeberti promiſſum, ad utilitatem Barnabæ ſpeciatim pertineat, illud a Barnaba poſſe remitti, quin alia quadam diſpenſatione indigeat Leodebertus.

DISPENSATIO RECITATIONIS BREVARII.

Officium Breviarii tam ſtrictæ obligationis quibuſdam inclytis viſum eſt Doctoribus, ut de eo, ne Papam quidem diſpenſare poſſe exiſtimaverit. Sed opinionem iſtam, quæ immoderata videtur, alii permulti impugnarunt docti Auctores. Equidem, licet oratio generatim ſumpta ſit de jure divino, a qua proinde nec Papa, nec ipſa etiam Eccleſia diſpenſare valeant, certum eſt tamen & inconcuſſum, quemdam numerum vel ordinem orationum eſſe mere juris humani: quod luculenter demonſtrat officiorum divinorum varietas, quæ in diverſis totius Orbis Chriſtiani Eccleſiis recitantur. Negari autem non poteſt, de iis Papam diſpenſare poſſe valide, quæ ſtabilita ſunt & jure Eccleſiaſtico conſtituta. Igitur in caſu legitimæ cauſſæ cum eo diſpenſare poteſt, qui de recitatione Breviarii vel ratione Ordinis Sacri, vel Beneficii tenetur; obligationem iſtam in aliquod opus pium & conveniens, quo iſta compenſari queat, permutando. Reipſa a nobis obtentæ ſunt hujuſmodi diſpenſationes pro Clericis, quorum ſtatus miſerrimus hanc, ad tempus dumtaxat, gratiam merebatur.

Cum talis diſpenſatio ad rem pertineat, quæ eſt de jure communi, ſolius eſt ſummi Pontificis eam concedere; qua in re quandoque forſan eſt indulgentior, pro beneficiariis adoleſcentibus, ad ætatem quindecim annorum.

Quod ad Epiſcopos ſpectat, id unum tantum poſſunt, ut mutationem uſus breviarii ob aliquam legitimam cauſſam permittant: ſed Diœceſis ſuæ Breviarium ſine conſenſu Capituli ſui reformare nequeunt, nec etiam ante obtentum Regium diploma, quo approbetur talis mutatio, ut alibi diximus (*d*).

(d) Mornac. ad Leg. 2. de con. Principum l. Eccl. Gallic. c. 3.

CASUS PRIMUS.

Blosius, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, undecim duodecimve annos natus, tertiæ Scholæ auditor, Romanum obtinuit reſcriptum, quo a recitatione Breviarii ſolvatur, donec humaniorum litterarum curriculum emenſus fuerit. Hanc autem illius poſtulandi rationem propoſuit, quod integrum recitans magnum Officium, ob reliquum breve tempus, ſcholari ſuo muneri ſatisfacere non poſſet. Numquid tuto ea poteſt uti diſpenſatione?

Reſpons.

Fatemur cum celeberrimis Theologis & Canoniſtis conceſſam diſpenſationem de Lege, quæ juris eſt dumtaxat Eccleſiaſtici, eſſe ſemper legitimam, cum juſta nititur ratione; ſed eam in foro conſcientiæ invalidam eſſe habendam, ſi ejus cauſſa non ſit legitima juxta doctrinam ſancti Thomæ, ſancti Bernardi, ſancti Antonini, & aliorum, quorum alibi teſtimonia attulimus, dum de diſpenſationibus matrimonii dictum eſt. *Ubi neceſſitas urget*, inquit ſanctus Bernardus (*e*), *excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas, dico, communis, non propria; nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

(e) S. Bern. l. 3. de conſiderat. cap. 4. n. 18.

In hoc igitur tota vertitur quæſtio, utrum videlicet ob teneram ætatem ſtudiumque Litterarum, tamquam ob legitimas cauſſas cum Bloſio diſpenſari poſſit de recitatione Breviarii, ad quam proprio ſuo ſtatu tenetur quilibet Beneficiarius: quod quidem non putamus; in hoc ſequentes doctrinam S. Tho-

S. Thomæ (*a*), qui aſſerit, omnem Clericum teneri ad recitationem Breviarii: quod intelligendum eſt de iis, qui in Sacris Ordinibus ſunt conſtituti, aut de Beneficio proviſi, & potiſſimum de Canonicis, quorum proprium eſt divinas laudes ſingulis diebus decantare.

Exiſtimant etiam inclyti Auctores, uti Panormitanus, Angelus de Clavaſio, & Baptiſta Trovamala, quos laudat Silveſter (*b*), ipſum Papam Clericia horarum canonicarum recitationem non poſſe remittere; quod ex eorum ſententia, ſit de jure divino. Ab ipſis tamen diſſentit Silveſter, & poſt duos alios Canoniſtas, ſcilicet Laudanum, ſeu Guilelmum de Laudano, & Joannem de Legnano (*c*) jure contendit, eam eſſe tantummodo de jure Eccleſiaſtico, atque adeo a Papa diſpenſabilem ob cauſſam legitimam, quæ in caſu propoſito non reperitur. Nam ſi vere affirmari poſſet, Bloſio divinum recitandi Officium ſufficiens tempus non competere pro Litterarum ſtudio, ſequeretur, quod, qui Philoſophiæ aut Theologiæ dat operam, ei minus temporis eſſet intervallum ad ſtudendum, cum tale ſtudium multo majus temporis exigat ſpatium, quam humaniorum Litterarum ſtudium, atque adeo de recitatione Breviarii diſpenſationem poſſet requirere; quod tamen omnino falſum eſt. Deinde obligatio divini Officii recitandi certiſſime ſtudiorum neceſſitati prævalere debet, quæ adimpleri poteſt, dato ſtudiis majori annorum numero, quam ſi ad Breviarii recitationem non fuiſſet obligatus. Denique Bloſio dicendum, ſufficiens ei futurum eſſe tempus, ut & officio & ſtudio ſatisfaciat, ſi pro debito illud occupet, demendo ludos ceteraque inutilia oblectamenta, quæ immodice proſequuntur hujuſce ætatis pueri, & quæ minus avide, quam alius quilibet, ſequi tenetur Clericus Beneficiarius.

(*a*) S. Thom Quodl. 6. ar. 3.

(*b*) Silveſter, de Prietio. v. *Hora*. qu. 8.

(*c*) Jo. de Legnano in Clementin. 5. de celebrat. Miſſarum.

DISSOLUTIO ARGENTARIÆ.

TRiplex eſt diſſolutionis Argentariæ ſpecies: aliæ ſunt fraudulentæ, quæ a perſonis malæ fidei fiunt, ut de Creditorum ſuorum bonis ſibi divitias comparent. Quædam accidunt ob defectum intelligentiæ ac prudentiæ; aliæ denique temporum infortunio eveniunt.

Acerbiſſime & quandoque capitali pœna puniuntur Creditorum fraudatores (*d*): cujus quidem rei luculentum noſtro etiam tempore exemplum nobis ſuppeditavit N. le Mercier, qui ex Arreſto 30. Maii anni 1673. primum cippo Pariſiis, deinde remis damnatus eſt, una cum Joanne d'Eſves in Caſtellana Pariſienſi juriſdictione Procuratore, qui diſſolutioni N. le Mercier faverat. Multa quoque alia legi poſſunt hujuſmodi exempla in promulgatis Arreſtorum collectionibus. Quidam vero eas tantum patiuntur pœnas, quas Creditoribus libuerit, qui eos in carcere ad integram ſuam ſolutionem detinere poſſunt; niſi forte admittantur juridice ad Beneficium ceſſionis, quo iſta pœna liberi fiunt; aut etiam ætatis ſuæ privilegio eximuntur.

(*d*) Edict. Aurelian. ar. 144. Edict. an. 1673. tit. 11. art. 10.

Vide Cessio *&* Restitutio.

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

DISTRIBUTIO eſt totius in ſuas partes diviſio. Diſtributiones, de quibus in hoc capite agitur, quæque a Chopino *diaria* vel *diurna annona* (*e*) dicuntur, poſitæ ſunt in tertia parte redituum Præbendarum unius Eccleſiæ, quæ e toto reditu diſtracta eſt, ut inter eos qui Canonicis horis adſunt, diſtribueretur, uti ſtatuit Tridentinum Concilium (*f*).

Diſtinguendæ ſunt diſtributiones *quotidianæ* ab iis, quæ *manuales* dicuntur, quamquam ſæpiſſime confundantur. Diſtributiones *quotidianæ*, eæ proprie dicuntur, quæ a primitivo Præbendarum reditu diſtractæ ſunt, & diſtributiones *manuales*, eæ, quæ procedunt ex exequiis, anniverſariis, cæteriſque fundationibus, quæ in Eccleſia a privatis quibuſdam factæ ſunt, quæque non ſunt de menſa Capituli: quod apprime diſtinguere neceſſe eſt, ad ſolutionem quorumdam caſuum.

Diſtributiones quotidianæ iis debentur, qui ſunt præſentes in Choro, ſeu per ſe, ſeu per juris fictionem, quæ fit, cum haberi præſentes merentur ob legitimam cauſſam, qualis eſt cauſſa morbi, cæteræque, de quibus deinceps.

Diſtributiones, (1) qualeſcumque ſint, ob debita civilia, neque propter litis impenſas juridice detineri poſſunt, licet Capitulum nullos groſſos fructus, ut ajunt, haberet. Id quidem ex multis Parlamentorum Arreſtis probant Mainardus, La Roche-Flavin, Bonifacius & Bouchelius (*g*).

Amiſſæ ab abſentibus diſtributiones jure ad præſentes attinent; niſi forte ex aliquo Capituli ſtatuto ad Eccleſiæ ipſius neceſſitates adhiberi debeant; ita ut nec Capitulum generatim, nec ſpeciatim Canonicus quilibet eas valeat abſentibus remittere, qui etiam in caſu remiſſionis eaſdem tuta conſcientia retinere non valent, ſed reſtituere tenentur.

(*e*) Chopin. de ſacra polit. l. 3. tit. 3. n. 21.

(*f*) Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 3 de reform. & ſeſſ. 22. c. 3. de reform.

(*g*) Mainard. tom. 1. l. 1. c. 23. La Roche Flavin. l. 20. tit. 1. arreſt. 2. t. 4. arreſt. 6. & l. 6. tit. 36. arreſt 3. Bouchel. bibliot. canon. tom. 1. pag. 556. col. 1. Boniſac. collect. arreſt. c. 2.

CA-

(1) *Vide Mendo Pont. Obſerv. III. num. XXIV.*

CASUS PRIMUS.

CAPITULUM Eccleſiæ Cathedralis Albanæ, a quadraginta & pluribus etiam annis ſtatutum emiſit, quo Canonicos a Choro abſentes quotidianis diſtributionibus privabat, quacumque de cauſa, etiam morbi aut aliter, abſentiam ſuam diluere vellent: atque ſtatutum illud, quo proſpicitur aſſiduitati divino Officio, *nemine reclamante*, ab eo tempore fuit obſervatum. Ægidius, a multis annis divino ſemper Officio aſſiduus, qui a ſex fere menſibus hydropiſi ſic laborat, ut e cubiculo ſuo exire non poſſit, poſtulat, ut Capitulum, nulla habita ſtatuti illius ratione, debitas ſibi ab eo tempore diſtributiones velit ſolvere, quam ſolutionem ipſi denegat Capitulum. Nonne injuſta eſt talis denegatio?

RESPONS.

Debitas Ægidio ab ægritudine ſua quotidianas diſtributiones abſque injuſtitia denegare non poſſunt Albanæ Eccleſiæ Canonici. Ratio eſt, quia tale ſtatutum quantumvis antiquum, repugnat æquitati naturali, bono Eccleſiæ, & rationi, in eo, quod ægrum diſtributionibus ſuis privet, Id quidem probat auctoritas S. Gregorii (*a*), in quadam Epiſtola ad Candidum Epiſcopum Centumcellarum, & cujus habetur fragmentum in Decreto Gratiani (*b*), & in una Decretali Gregorii IX. (*c*), in qua hæc ſunt ejus verba: *Cum percuſſio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hac judicium ignoratur.* Unde concludit: *Et ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio ne nos culpæ, quod abſit, offenſa reſpiciat.* Et poſt hanc ſtatutam ſapientem regulam ſubjungit: *Et quia præſentium lator calumnioſus pro hac percuſſione, quam ſuſtinet, conſueta ſibi commoda ab Eccleſia veſtra aſſerit negari: idcirco fraternitatem tuam præſentibus hortamur Epiſtolis, quatenus ad eum ad percipienda, quæ conſueta ſunt, hæc ægritudo debeat impedire:* dictique ſui hanc profert rationem. Quia ...., *& ſi hoc fuerint exemplo deterriti* (qui ſani ſunt) *nullus de cætero, qui Eccleſiæ militet, poterit inveniri.* Quare multi referre aſſerit, ut ægri in eam rem eodem modo ac ſani habeantur. *Sed ſecundum loci ordinem, quæque ei, ſi ſanus eſſet, poterant miniſtrari, de ipſa exiguitate quæ Eccleſiæ poteſt accedere, fraternitas tua divini contemplatione judicii ægrotanti præbere non deſinat.*

(*a*) S. Greg. l. 2. indict. 10. Epiſt. 5. verſ. Verus
(*b*) Can. *cum percuſſio*. 27. quæſt. 1.
(*c*) Greg. IX in c. Cum,

Confirmari poteſt hæc deciſio ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (*d*) in qua ſtatuit hic ſummus Pontifex, ut præſentibus tantum concedantur diſtributiones, quas, ſi acceperint abſentes, reſtituere tenentur, exceptis caſibus aut ægritudinis, aut evidentis Eccleſiæ utilitatis. *Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quidquam receperit, exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret, rerum ſic ſuſceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas.* Et quidem ſi famulo, ut ait Gloſſa in legem Digeſtorum (*e*), ægrotanti debeatur ſalarium non minus, quam ſi ſanus eſſet; quia, inquit, *infirmus Officialis ſervire videtur, cum per eum non ſtet, quominus ſerviat.* Quo pacto ægrotanti Canonico jure denegari poſſent diſtributiones, quas ſanus percipere poteſt abſque injuſtitia!

(*d*) Bonifac. VIII. in cap. *Conſuetudinem* unic de Clericis non reſidentib. in Eccl. vel. Præbend. l. 3. t. 3
(*e*) Gloſſa in leg. *Arborib.* 12 §. De illo v. ægrotante. ff. de uſufruct. & quemadmodum quis utatur, fruatur. lib. 7. l. 1. t. 7.

Hactenus dictis conſentiunt vel doctiſſimi Canoniſtæ, quales ſunt Innocentius IV. Joannes Andreas, Joannes de Imola, & Covarruvias (*f*), unde hujuſmodi ... ſtatutum, ut teſtatur Fagnanus (*g*), *Sacra Congregatio cenſuit non eſſe confirmandum, cum ſit irrationabile & contra bonum Eccleſiæ:* addens etiam eamdem, quam affert S. Gregorius, rationem; *Quia ſi alii ejus exemplo eſſent deterriti, forte non poſſet, qui militaret Eccleſiæ, inveniri.*

(*f*) Innoc. IV. Jo. Andreas, Jo. de Imola, Covarr. l. 3. var. reſ. c. 13. num 8. verſu. Ergo.
(*g*) Fagnan. in c. *Licet*. de præbend. numer. 238.

Cæterum, quæ hactenus diximus de Canonico ægrotante, de eo tantum intelligenda ſunt, qui, ut Ægidius, divinis ſolebat, dum ſanus eſſet, adeſſe Officiis; ut ſapienter advertunt Joannes Andreas, Cardinalis, Abbas (*h*), Geminianus, Philippus Franchus (*i*), Felinus (*k*), & Fagnanus, qui prædictos laudat (*l*). Enimvero ſi propter deſidiam aut indevotionem choro non adeſſet, & eo tempore in morbum incideret, tum ex ægritudine ſua non cenſeretur legitime excuſatus, 1. quia non ſine cauſa præſumi poteſt, eum non majorem adhibiturum eſſe officio ſuo diligentiam, ſi morbo non eſſet diſtentus, quam, cum ſanus erat; quocirca de eo dici poteſt, nec temere, hæc juris regula (*m*): *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus*; quandoquidem tali fides homini adhiberi facile non poſſit, qui ad ægritudinis ſuæ momentum officio Canonici defungi neglexit. 2. Quia numquam ea fuit mens Eccleſiæ, ut eos remuneraretur, qui contemptu regularum ſuarum, quæ vel juſtiſſimæ ſunt, jam indulgentiam ſuam nullatenus merentur. 3. Quia æquum omnino videtur, ut diſtributionum ſuarum ademptione, negligentiæ ſuæ præteritæ is pœnam luat, & ab aliis ſecernatur hoc modo, qui Eccleſiæ fideliter & aſſidue miniſtrant.

(*h*) In c. *Ad audientiam*. de Cleric. non reſidentib. & in cit. c. *Cum percuſſio*.
(*i*) In cit. c. *Conſuetud.*
(*k*) Felin in c. *Apoſtolicæ*. nu. 12. de exceptionibus.
(*l*) Fagnanus n. 148. & in c. *Cum percuſſio*. cit. nu. 12. & 28. & in citat. c. *Licet*.
(*m*) Reg. 8. de reg. juris in 6.

Ac dicere cum Philippo Francho ſupervacaneum eſt, huic indulgentiæ erga Canonicos ægrotantes locum duntaxat eſſe; cum ea eſt Eccleſiæ ſuæ conſuetudo, ut abſentibus ob legitimam cauſam dentur quotidianæ diſtributiones; nam, ut obſervat Fagnanus (*n*), debitæ abſentibus in hoc caſu diſtributiones, non vi conſuetudinis iis conferuntur, ſed æquitatis naturalis, ad quam ſolam in Conſtitutione ſua *Conſuetudinem* attendit Bonifacius VIII. Ita quoque ſentiunt Innocentius IV. Joannes Andreas, Barboſa, & Covarruvias (*o*) laudati a Fagnano, qui addit; *Atque ita diſtributiones quotidianas deberi Canonicis, qui ægritudine impediti divinis Officiis intereſſe non potuerunt, etiam nulla exiſtente conſuetudine* (*exploſa contraria Philippi Franchi interpretatione*) *concludit poſt alios Covarruviae* (*p*).

(*n*) Fagn in cit. c. *Licet*, n. 136.
(*o*) Covarr. l. 3. var. reſol. c. 13. n 8 verſu Ergo contrariam ſententiam.
(*p*) 1. Covarruvias ib.

CASUS II.

Canonici Eccleſiæ Collegiatæ S. Albini amiſſas ab abſentibus diſtributiones inter cæteros choro intereſſentes dividere jam dudum obtinent. Num id tuta poſſunt conſcientia? Dubium illud Tridentini Concilii nititur Decreto, cujus hæc ſunt verba (*q*): *Ut ſcilicet, qui eas* (diſtributiones) *obtinent, ſi perſonaliter competens ſibi ſervitium .... quolibet die ſtatuto non impleverint, illius diei diſtributionem amittant, nec ejus quoquomodo dominium acquirant: ſed fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii, applicetur.*

(*q*) Conc. Tr. ſeſſ. 22. de reform. c. 3.

RESPONS.

Reſpondemus, ſancti Albini Canonicos, aut cujuslibet alterius Eccleſiæ, qui canonicis horis interſunt, inter ſe per modum accretionis dividere poſſe quotidianas diſtributiones, quas amittunt abſentes a choro ſine cauſſa legitima.

Conſentit omnino hæc deciſio cum Decreto Concilii Tridentini, (*r*) quo ſtatuitur 1. ut tertia pars fructuum ſeu redituum Præbendarum in diſtributiones convertatur. 2. ut diſtributiones illæ inter eos, qui in choro ſunt præſentes, dividantur: *Statuit ſancta Synodus in Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus ſunt nullæ diſtributiones, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum & obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Perſonatuum, Portionum, & officiorum ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes & cæteros divinis intereſſentes dividantur.* Hæc ſunt hujuſce Decreti verba, cui adſtipulantur S. Albini Canonici.

(*r*) Idem ſeſſ. 21. de reform. c. 3.

Deciſionem iſtam adſtruit Navarrus, (*ſ*) qui, ut dicta Concilii in ſeſſione 22. cum iis, quæ idem in præcedenti ſeſſione præmiſerat, conciliet, aſſerit, Decretum 22. ſeſſionis eſſe tantum de quibuſdam extraordinariis diſtributionibus, quæ de reditibus quarumdam dignitatum detrahebantur, quæque eas habentibus diſtribuendæ erant, quædam implendo officia certis diebus aut horis ſibi deſignata: *Reſpondeo*, inquit hic Canoniſta, *quod hoc poſterius loquitur tantum de diſtributionibus extraordinariis quæ de reditibus particularibus Dignitatum, Perſonatuum, & Officiorum conſtituuntur lucrifaciendæ ab eis ſolis, qui habent ea, implendo Officia divina, eis per Epiſcopos deſignata.* Sed Decretum præcedentis ſeſſionis loqui de diſtributionibus quotidia-

(*ſ*) Navar. de orat. & Horis can. c. 21. n. 50. & 52. Miſcellan 14.

tidianis & ordinariis, quæ ex communibus provenientes reditibus, omnibus, qni choro adſunt, per modum augmenti dari debent, cum nonnulli ſine legitima cauſsa abſunt ab Officio: *Illud autem* pergit idem Doctor, *de diſtributionibus ordinariis, quæ conſtituuntur de fructibus communibus, lucrifaciendæ a facientibus communiter Officia divina: & ideo hæ extraordinariæ merito non accreſcunt aliis, quibus aliæ ordinariæ diſtributiones accreſcunt, quoniam illæ de communibus fructibus conſtituuntur pro Officiis ab omnibus communiter faciendis. Hæ vero, de fructibus particularibus præfatarum Dignitatum, Perſonatuum, & Officiorum pro Officiis, a ſolis habentibus ea faciendis.* Additque hic Canoniſta, ut allatam a ſe duplicis illius diſtributionum ſpeciei diſtinctionem confirmet, in multis Eccleſiis ante Concilium Tridentinum fuiſſe hujuſmodi diſtributiones extraordinarias, ſpecialiter dignitates illas habentibus aſſignatas pro officiis quibuſdam, quæ per ſe certis diebus exercere debebant.

Multos hic alios omittimus Auctores, quorum opinioni conſentit hæc deciſio, quales ſunt Riccius, Graſſius, & Cabaſſutius (*a*), qui ſententiam ſuam confirmant ex decreto Concilii Tridentini ſeſſionis 21. ſupra allato, ex Conſtitutione Bonifacii VIII. (*b*) ab eodem Concilio confirmata (*c*), quam in alia deciſione afferemus infra.

(*a*) Jo. Aloyſ. Ricc. in Prax. diſtribution. quotid. tom. 1. caſ 595. n. 1. Jacobus de Graſſis l. 2. deciſ. aurearum c. 51. n. 12. Jo. Cabaſſ. jur. can. th. & prax. l. 3. c. 1. n. 6.
(*b*) Boniſac. VIII. in cap. *Conſuetudinem.* unic. de Cler. non reſidentib. &c. in 6.
(*c*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 12.

Nihilominus non exiſtimamus, jus augmenti, quod Canonicis præſentibus competit, omnium ferme Eccleſiarum praxi in aliquo derogare, qua amiſſæ ab abſentibus diſtributiones communi Capituli menſæ deſtinantur. Cum enim urbanus vel ruſticas domos identidem reficiendas habeat Capitulum, quandoque jacturas aut agrorum ſuorum ſterilitates patiatur, litium, quas aut defendere aut inferre debet, impenſas ſuppeditare, Officialium & domeſticorum Eccleſiæ mercedes ſolvere, paramenta, panem, vinum, luminaria, aliaque neceſſaria prebere teneatur, par eſt, nt habeat, unde iſta deſumere queat. Ob eam quoque cauſſam is eſt mos Capitulorum, in quibus viget regula, ut abſentium diſtributiones quotidianas, ad iſtos uſus adhibendas, ad menſam Capitularem referant, cui conſuetudini refragari jure nequeunt Canonici; cum bonum commune privatorum utilitati prævalere debeat. Vide infra Caſum ETHELBERTUS.

CASUS III.

BURCHARDUS, Eccleſiæ Collegiatæ Canonicus, cujus tenues ſunt admodum reditus, tenetur quandoque patrem ſuum brevi moriturum inviſere, ſorori ſuæ ſponſi mortem deflenti ſolatium afferre, & ſimul unius ex amicis ſuis teſtamentum exequi. Alio etiam tempore modo nuptiis neptis ſuæ adeſſe, vel ſacram habere concionem, dum conſanguinea ſua Religionis veſtem ſumit, aut ſolemnem votorum ejus profeſſionem emittit, modo, ut bona paterna tueatur, litigare in Urbe remotiſſima: vel a domicilio ſuo abeſſe ſpatio viginti leucarum, ut Prioratus ſui temporale ſimul & ſpirituale bonum ibidem procuret; aut denique Romam vel alio peregrinari, nt votum illud a ſe emiſſum, aut injunctam ſibi pœnitentiam adimpleat. Iſtam a Capitulo veniam petit, ut ex his unum, vel plura ſimul queat perficere, nec tamen per abſentiam ſuam diſtributiones quotidianas amittat. Numquid hanc ei gratiam tuta conſcientia poſſunt concedere Canonici?

RESPONS.

Canonicus, qui pro privatis rebus gerendis ab Eccleſia ſua abeſt ultra tempus vacationis, quo legitime frui poteſt vi Decreti Concilii Tridentini; per abſentiam ſuam quotidianas diſtributiones tuta conſcientia recipere non poteſt, aut a Capitulo poſtulare, ut iſtas admittat, tamquam juſtas abſentiæ cauſſas. Neque enim exceptiones jure latas pro diſtributionibus extendere, nec tamquam legitimas admittere poteſt Capitulum alias cauſſas, quam quæ in jure exprimuntur. Cauſſæ autem iſtæ liquido in Conſtitutione Bonifacii VIII. (*d*) referuntur; prima his verbis: *Infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas*; qua nimirum prohibetur Canonicus, ne choro poſſit adeſſe; quo in caſu Guimierus (*e*), aliique nonnulli Theologi volunt, ut tempore ægritudinis ſuæ diſtributiones percipere nequeat Beneficiarius, ſi ante morbum in Officio divino non fuiſſet aſſiduus: *Ille dumtaxat eas percipiet*, inquit hic Auctor, *qui alias erat reſidens & deſerviens Eccleſiæ, & propter infirmitatem impeditur reſidere, vel intereſſe divinis horis. Unde, ſi alias non reſidebat, vel non erat ſolitus reſidere, vel divinis intereſſe; licet tunc infirmaretur, non habebit hujuſmodi fructus & diſtributiones; quia infirmitas non præſtitit cauſſam.*

(*d*) Boniſac. VIII. in cap. *Conſuetud.* 1. de Cleric. non reſident. &c. vel Preb. in 6.

(*e*) Guimier. in Pragmat. t. *Quo quiſque* &c. §. *Jubet.*

Secunda exceptio, quam indicat eadem Decretalis, eſt *evidens Eccleſiæ utilitas*. Allatæ autem in caſu propoſito rationes ad neutram ex his cauſſis referuntur, ſed ad privata dumtaxat Burchardi negotia pertinent. Non poteſt igitur Capitulum eas, tamquam Canonicas admittere, eique, quas abſens poſtulat, diſtributiones concedere; cum expreſſe prohibeat Tridentinum Concilium, ne præſentes divino Officio Canonici abſentibus diſtributiones ullatenus remittant. *Diſtributiones vero*, inquit Concilium (*f*), *qui ſtatis horis interfuerunt, recipiant; reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonifacii Octavi Decretum, quod incipit*: Conſuetudinem: *Quod Sancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus.*

(*f*) Concil. Trid. ait. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.

Si quis vero objiciat, Canonicum, qui rerum ſuarum neceſſitate cogitur abeſſe, in caſu Concilii & Conſtitutionis Bonifacii VIII. reperiri; cum ab utroque admittatur urgens neceſſitas, tamquam cauſſa legitima: Reſpondendum, urgentem illam neceſſitatem intelligendam eſſe v. g. de Epiſcopo aut Parocho, qui reſidere nequit abſque manifeſto vitæ ſuæ periculo, ſeu ob aeris intemperiem, aut hoſtium ſuorum perſecutionem, ut exponit Toletus (*g*): *Altera cauſſa*, inquit, *eſt urgens neceſſitas, cum nimirum periculum imminet Epiſcopo vitæ, niſi diſcedat ab Eccleſia, vel ob infirmitatem, vel ob perſecutionem alicujus tyranni, vel aliqua ſimili cauſſa.* Cui interpretationi adſtipulatur Barboſa his verbis (*h*): *Ubi Epiſcopus, reſidendo, grave malum vitæ incurreret, vel propter morbum, vel propter aliquam perſecutionem, vel propter aeris intemperiem, vel ob inimicitias, aut ob Principis & populi furorem declinandum.* Quod pariter aſſerunt S. Thomas (*i*), Cajetanus, Sotus, & Miranda. Ob talem igitur urgentem neceſſitatem excuſari legitime poteſt Canonicus, de quo agitur, juſque habere percipiendi diſtributiones ſuas quotidianas; non vero ob neceſſitatem inviſendi patrem ægrotantem, ſolandi ſororem mœrentem, peregrinandi, concionandi, nuptias celebrandi, aut proprias res agendi: Licet enim, aliquandiu in hujuſmodi occaſionibus poſſit abeſſe ſine peccato, hinc non fit, ut diſtributionum ſuarum amiſſionem pati non debeat; cum in jure duæ tantum allatæ ſuperius exceptiones, non vero iſtæ exprimantur.

(*g*) Franc. Toler. Inſtr. Sacerd. l. 5. c. 4. n. 3.
(*h*) Auguſt. Barboſa in Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 1. de reform.
(*i*) S. Th. 2. 2. q. 185. art. 5. in corp.

Ne quidem tamquam cauſſa legitima admitti debet pro diſtributionibus percipiendis peregrinatio Romam, Jeroſolymam, aut alio, quam pietatis cauſſa, aut ad implendum votum ſuum, aut injunctam ſibi pœnitentiam perficiendam ſuſcipere poſſet Canonicus. Licet enim peregrinationes hujuſmodi ſint pia opera, ex iis tamen nullum Canonico jus competit, ut divino Officio, dum peregrinatur, quaſi præſens habeatur. Ita ſentit ſanctus Carolus Borromæus his verbis (*K*): *Qui peregrinationis cauſſa abſunt, ne jure quidem facultateve ſtatutorum Eccleſiæ, cui perſonali reſidentia operam miniſteriumque debent, diſtributionum participes ſunt.*

(*K*) S. Carol Act. Eccleſ. Mediolanen Part. 1. Conc. Provin. 5. c. 3. tit. *Quæ ad diſtribut. pertinent.*

Contrariam equidem nonnulli Auctores tuentur opinionem, quæ hujuſmodi peregrinationes approbant; nt teſtatur Garcias (*l*): Sed is contra ſentit: *Nihilominus tamen*, inquit, *contrarium dicendum eſt: quia iſta non eſt de cauſſis in jure expreſſis*, ob quam videlicet ab abſente lucrifieri poſſint quotidianæ diſtributiones: atque in probationem ſententiæ ſuæ, declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium Tridentini Concilii interpretum adducit cum deciſione Sancti Caroli omnino conformem.

(*l*) Nicol. Garcias de Benef. 3. p. c. 2. n. 391.

Re ipſa, ſi hæc eſſet legitima abſentiæ cauſſa, poſſent multi Canonici peregrinationes ſuſcipere, is Romam, alter ad Sacellum B. Virginis Lauretanum, unus ad ſanctum Jacobum Compoſtellanum, alii denique alio; ac brevi diminueretur cultus divinus, ac divinum Officium desereretur omnino, aut ſaltem negligeretur contra Eccleſiæ intentionem, quæ in ultimo œcumenico Concilio (*a*), ea tantum mente conſtituit, partem redituum menſæ Capitularis in diſtributiones quotidianas converti, ut multorum ſui temporis Capitulorum inordinationi mederetur, quorum Canonici ob illegitimas trivolaſque cauſſas a choro aberant. *Ne qua in parte diminuatur divinus cultus*, inquit Sacroſancta hæc Synodus, *ſed ei debitum in omnibus rebus obſequium præſtetur, ſtatuit ſancta Synodus, ut in Eccleſiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum.... ſeparari debere & in diſtributiones quotidianas converti.*

(*a*) Concil. Trid. ſeſſ. 21. de Ref. c. 3.

Ex hactenus dictis, plus quam ſatis conſtat, Borchardum diſtributiones quotidianas jure recipere non poſſe, cum abeſt a choro ob cauſſas in propoſita ſpecie expreſſas; nec Capitulum ipſi eas in nullo caſu concedere poſſe, niſi in caſibus jure expreſſis.

CASUS IV.

Cosmas, Canonicus Eccleſiæ Aurelianenſis re ipſa quidem non ægrotat; ſed ex Medicorum conſilio ſingulis menſibus medicam ſumere potionem & quater in anno ſanguine minui indiget, ut valetudini ſuæ conſulat, apoplexiamque ſibi imminentem devitet. Numquid illis diebus quotidianæ ei debentur diſtributiones?

Respons.

Exiſtimamus, in caſu propoſito jure a choro Coſmam poſſe abeſſe, utpote quem tum complectitur exceptio Bonifacii VIII. (*b*): Cum verba hæc *juſta & rationabilis corporalis neceſſitas*, de illis diebus, uti de ipſo ægritudinis tempore debeant intelligi.

(*b*) Bonif. 8. in c. *Conſuetudinem*. un. de Cler. non reſident. in 6.

Ut ergo quotidianæ diſtributiones tempore morbi ei debentur: illas pariter debet eo tempore accipere, quo medicinam ſumſit, aut ſibi venam incidi curavit; cum ita ſe gerat ex conſilio Medicorum, qui iſtis omiſſis de ipſius valetudine deſperant. Ita ſentiunt Archidiaconus (*c*), a Joanne Andrea & Ancharano (*d*) laudatus, & Fagnanus, cujus hæc ſunt verba (*e*): *Ut ſi potionem vel medicinam ſumſit, vel ſanguine minutus eſt: & comprehendit hoc verbum* (corporalis neceſſitas) *eſſe juſtum impedimentum ſecundum Archidiaconum*.

(*c*) Archidiac. in cit. c. v. *Corporalis neceſſitas*.
(*d*) Anchar. n. 2. ad idem verbum.
(*e*) Fagna. in c. Licet. de Præbend. &c. n. 150.

CASUS V.

A Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Solſonienſis conditum eſt ſtatutum, quo fertur, Canonicos & Beneficiarios, qui Anniverſariis, cæteriſque fundatis Officiis intererunt, per modum augmenti illorum, qui ab iiſdem aberunt, diſtributiones accipere non poſſe, niſi tribus majoribus horis Officii Canonici interfuerint. Numquid legitimum eſt illud ſtatutum?

Respons.

Id quidem certum eſt, abſentium diſtributiones quæ anniverſariis cæteriſque in Eccleſia fundatis Officiis adſcribuntur, inter præſentes, ut plurimum eſſe dividendas per modum accretionis; præſertim cum ex contractu vel teſtamento fertur, integram ſummam fundationi aſſignatam præſentibus diſtributum iri; nec cuilibet beneficiario ſua aſſignatur ſpeciatim diſtributio. Attamen, cum ſtatutum, de quo loquitur caſus propoſitus, ad majorem Dei gloriam & Eccleſiæ miniſterium pertineat, & eo ſolum ſpectet, ut Canonici cæterique Beneficiarii ſuo accuratius munere fungantur; dubium non eſt, quin ſit legitimum ac jure illud executioni demandare queat Capitulum? quandoquidem ex illo ſtatuto non abſolute jure ſuo decidant ii, qui anniverſariis iſtis aliiſque interſunt functionibus, ſed juſtæ tantum & rationabili ſubmittantur conditioni, quam aliunde ex officio ſuo implere tenentur (*f*).

(*f*) De Sainte Beuve tom. 3. Caſ. 14.

CASUS VI.

Evodius, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, ſacros cupiens ſuſcipere Ordines, indictis ſibi ab Epiſcopo ſuo per ſpatium trimeſtre ad majorem præparationem ſeminarii exercitiis, Epiſcopi ſui mandatum Capitulo manifeſtat, ſimulque petit, ne per id tempus quotidianis privetur diſtributionibus. Quæritur, num eas concedere debeat Capitulum, & Canonicus ille, tamquam ſi choro intereſſet, eaſdem recipere tuta poſſit conſcientia? Num idem etiam de Canonico dici poteſt, qui idem per annua octo decemve dierum ſpiritualia exercitia poſtulat?

Respons.

Petitam ab Evodio gratiam pro tribus ſeminarii menſibus, ab Epiſcopo ſibi indictis, ipſi concedere debet Capitulum, atque conceſſam ſine ſcrupulo acceptare poteſt Canonicus iſte tribus de cauſis.

1. Quia æquum eſt, immo & neceſſarium, ut Evodius Epiſcopi ſui mandatum exſequatur, in re præſertim æque gravi, qualis eſt Eccleſiaſticorum ordinatio. 2. Quia ad communem Eccleſiæ, & etiam ad particularem illius Cathedralis utilitatem redundat, ut quis ejus Canonicus non niſi probatus, & digne per ejuſmodi ſpiritualia exercitia paratus ad ſacros ordines accedat; cum vero verius ſit, liberiorem vitam, diſſolutoſque Clerici mores ex præpropera vulgo feſtinatione oriri, pravoque habitu, quibuſcum adeo ſanctum vitæ inſtitutum profeſſus eſt. 3. Quia non eſt quod timeat Capitulum talem concedens gratiam, ne quid inde mali deinceps eveniat. Enimvero, ſi quid alius Canonicus hujuſmodi vellet poſtea jactare exemplum, ut ſimilem auferret diſpenſationem, ob alias, quas allegare poſſet, rationes: ipſius petitioni morem gerere non debet Capitulum, ſed iſtam potius ſibi proponere juris regulam, quam ſtatuit Bonifacius VIII. (*g*): *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet aliis in exemplum*.

(*g*) Reg. 74. de Reg. Juris in 6.

Quod pertinet ad annua ſpiritualia exercitia, quibus ſe ſe exercere deſiderat Canonicus; magnis attolli debet laudibus ipſius zelus, ſtudiumque identidem pietatis ſenſum, fervoremque Clerico adeo neceſſarium in ſe ipſo renovandi. Nihilominus, cum ejuſmodi piæ exercitationes a Superiore legitimo non ſint impetratæ, nec abſolute neceſſariæ ad tuendam pietatem, non exiſtimamus, Canonico iſti pie occupato debitas eſſe per id tempus quotidianas diſtributiones, non magis, quam ei, qui piæ cauſſa peregrinationis abeſſet. Nam, ſi pia exercere opera ſatis eſſet, ad lucrandos groſſos fructus, ut ajunt, diſtributioneſque præbendæ; hinc fieret, ut Canonicus, ad ea vulgo incumbens, totum præbendæ ſuæ reditum haberet, numquam ferme choro intereſſens, & etiam non reſidens: quod, non niſi abſurde defendi poteſt.

CASUS VII.

Paschasio, Viterbienſis Eccleſiæ Canonico poſt quadrimeſtrem periculoſumque morbum, quaſi choro interfuiſſet, ſolutæ ſunt quotidianæ diſtributiones: Sed cum is cognoviſſet, Canonicos, qui divinis horis adfuerant, plures, quam viginti nummos per modum accretionis percepiſſe ex diſtributionibus eorum, qui abſque cauſſa legitima abfuerant, hujus quoque ſummæ participem ſe, non minus, quam alios, eſſe debere contendit: quod ei abſolute denegarunt Canonici, qui adfuere; affirmando, ipſi ſatis eſſe debere conceſſas ei diſtributiones, nec jure ullatenus exprimi accretionem ſibi ex iis contingentem, cum abſentibus a choro morbi cauſſa eſſe dividendam. Quid juris?

R E-

Digitized by Google

RESPONS.

Pro Paſchaſio ſtare jus videtur. Nam ſi præſens choro cenſeri, & ot talis baberi debeat; iiſdem frui debet prærogativis, quæ iis conceduntor, qni per ſe horis Canonicis interſunt, atque cum ceteris Canonicis jus habere in Nementi, quod in præſentibus choro ex aliorum abſentia contingit. Conſtat autem, ot alibi probavimus ex certis juris teſtimoniis, ægrotantem choro adeſſe *fictione & interpretatione juris*, hoc eſt, eum talem eſſe habendum. Igitur Paſchaſio, qui per quatuor menſes pericoloſe ægrotaſſe ſupponitur, idem jus competit, quod toto illo tempore habuiſſet, ſi horis Canonicis interfuiſſet; atque adeo, cum abſentium portio præſentibos accreſcat, nt ajunt Gloſſa (*a*), Covarruvias (*b*), & alii; neceſſe eſt, ut accretionem illam com aliis dividat. En primum noſtrum argumentum.

Aliud huic etiam ratiocinium ſubjicimus: nimirum omnes Præbendarum reditus dividuntur in eos, qui jure *Groſſi fructus* dicuntur, & in eos, qui diſtributiones quotidianæ nominantur. Groſſi fructus ii ſunt, quos percipit Titularis, quia non cogitur ad eos cum aliis Canonicis dividendos, ratione præſentiæ ſuæ in choro. Diſtriburiones vero conſiſtunt in ea parte, quæ e toto reditu ſeparata eſt, ut inter præſentes divino officio diſtribueretur. Sciendum itaque cujus ſit naturæ accretio, qnæ præſentibus ex illegitima negligentium abſentia contingit. Atqui dici nequit accretionem illam ad groſſos fructus pertinere; igitur diſtributionnm ſpeciem conſervat: atque adeo, cum æger choro adeſſe cenſeatur; hujus accretionis, ut ceteri qui choro adſunt vere & per ſe, debet eſſe particeps: Lex enim, qua præſentibus confertur illa accretio, de omnibus præſentibus ſeu corporaliter ſeu fictione joris intelligenda eſt; ut docent Joannes Andreas in Conſtitutionem Boniſacii VIII. (*c*), & poſt ipſum Geminianus & Franchus, quibus addi poteſt Jaſon (*d*).

Fagnanus (*e*), cujus hac in re ſententiam amplectimur, aliam affert rationem, quæ nititur regula iſta, quam ſtatuunt omnes doctiſſimi Juriſconſulti, ſcilicet, quod in materia juris accretionis, *portas accreſcit portioni, non perſonæ* (*f*). Quod facile probari poteſt ex Lege Digeſtorum ad marginem indicata (*g*); quia proprie loquendo, non perſona, ſed portio alteram ad ſe trahit portionem, ut ait Ripa (*h*). Unde concludit hic Canoniſta, quod, cum Canonicus ægrotans præcipuam quotidianarum diſtributionum partem, quæ ſibi debentur, jure percipiat, portio iſta alteram ad ſe trahit minus præcipuam portionem, quæ ex illegitima confratris ſui abſentia præſentibus accreſcit: qaod confirmat auctoritate Sacræ Congregationis & ſuffragio Gomeſii, qui Covarruviam (*i*), alioſque permultos laudat Auctores: *Sicut ergo portio principalis diſtributionum*, ita concludit Fagnanus (*K*), *debetur infirmo, quamvis a choro abſenti; ita hæc aſſumit naturam portionis cui accreſcit .... & ita Sacra Congregatio cenſuit*.

(*a*) Gloſſa in Clement. *Ut it.* a. v. *Pars dimidia*. de ætate & qualit. & Ordine præficiendorum.

(*b*) Covarruvias. l. 3. variar. reſol. c. 13. n. 7.

(*c*) Joan. Andreas. in cap. *Cum in qua*. 4. de conſuetudine, lo 6. l. 1. tit. 4.

(*d*) Jaſon in lib. *Si us qui*. ff. de uſu cap. n. 284.

(*e*) Fagn in c. *Cum percuſſio*. de Clerico ægrotante n. 31. & in c. *Licet* de Præb. n. 119.

(*f*) L. 32. tit. 6.

(*g*) L. *Cum ex filio*. 30. §. fin. ff. de vulgari & pupillari. ſubſtitut.

(*h*) Ripa in leg. *Conjunctim*. 80. n. 7. de legatis tertio. l. 32. tit. 2.

(*i*) Covarruv. l. 3. variar. reſol. c. 10. n. 10. verſu *Sed ulterius*.

(*K*) Pagn. n. 32. cit.

CASUS VIII.

ETHALBERTUM. Cathedralis Eccleſiæ Nicienſis Canonicum tantopere diligunt ipſius Collegæ, ut pro eo ſtatutum emiſerint, quo eum ſemper præſentem habent quoad diſtributiones quotidianas, per tres abſentiæ menſes, quos Canonicis conceſſit Tridentinum. Quæritur, utrum eos tuta conſcientia ipſi concedere potuerint per id tempus, & is illa queat conceſſione uti?

RESPONS.

Tale ſtatutum pro Ethelberto condere non potuit Capitulum Nicienſe, iſque proinde conceſſione illa frui nequit ad accipiendas diſtributiones quotidianas per tres vacationis menſes, quos conceſſit Tridentina Synodus. Ratio eſt, quia ſtatuit Conciliom (*l*), ut tertia pars redituum Capitulorum in diſtributiones quotidianas converterentur, dividendas inter præſentes in choro; abſentes ab iis excludendo conformiter ad Conſtitutionem Bonifacii VIII. (*m*), quam confirmat idem Concilium non obſtante qualibet conſuetudine, aut ſtatuto contrario. En verba hujuſce Conſtitotionis: *Statuimus, ut diſtributiones ipſæ quotidianæ, in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis Beneficiatis & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem Officiis in ipſis Eccleſiis adfuerint, tribuantur, juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, ſive etiam faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit (exceptis illis, quas infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret), rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas; immo ad omnium reſtitutionem quæ contra hujuſmodi noſtram Conſtitutionem receperit, teneatur.* His autem terminis innovata, ſimul & confirmata eſt a Concilio iſta Conſtitutio (*n*): *Diſtributiones vero qui ſtatis horis interfuerint recipiant: reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit*, Conſuetudinem, *quod Sancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus*. Unde colligitur facile invaliditas deliberationis a Capitulo Nicienſi factæ, aut cujuslibet alterius ſimilis faciendæ, ex qua proinde nullum jus acquirit Ethelbertus ad recipiendas diſtributiones quotidianas, eum per tres vacationis menſes horis non intereſt Canonicis, ſub ſpecie remiſſionis a Capitulo ſibi factæ; quia talis remiſſio eſt illicita & invalida, ex eo quod irritum hujuſmodi colluſione fieret Concilii Decretum; quia ii omnes, quibus collegæ ſui talem concederent gratiam, ſemper eſſent parati, immo tamquam ſummani honoris haberent, & accepti Beneficii ſignificationem ut talem quoque ipſi remiſſionem aliis facerent.

Deciſionem hanc ita adſtruunt Sacra congregatio Cardinalium Concilii Interpretum, ut refert Fagnanus, ipſius Scriba (*o*), nec non Navarrus (*p*), qui aſſerit, quod *Remiſſio diſtributionum quotidianarum non prodeſt*, (ad conſcientiam ſcilicet) *poſt Concilium Tridentinum*. Cujus rei hanc præcipuam affert rationem: *Quia conſenſu & pactione privata non poteſt jure publico præjudicari*. Amiſſio autem diſtributionum in abſentes conſtituta eſt jure communi & pro bono publico quoad cultum divinum. *Diſtributionum perditio principaliter ſtatuta eſt in favorem publicum cultus divini* (*q*). Non poſſunt igitur privati, quamvis ejuſdem communitatis membra deſtruere, aut aliquatenus tam juſte conſtitutam regulam infringere; ut conſtat ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiſcopum Piſanum (*r*), & ex Lege, cujus bæc ſunt verba (*ſ*): *Jus publicum privatorum pactis mutari non poteſt*: Cui addit Gloſſa: *Adde, nec pactis publicarum perſonarum*.

Denique ſententiam ſuam confirmat doctus hic Canoniſta ex hoc non minus certo axiomate, numquam videlicet licere, cuiquam præbere occaſionem peccati; quod probat ex Decretali Honorii III. ad Præfectum civeſque Rupellæ ſcribentis (*t*): Atqui, ſi bæc licita foret remiſſio, hinc peccati occaſio Canonicis præberetur, qui a choro ſine cauſſa abeſſent, ſub ſpe ſimilis Collegarum ſuorum remiſſionis in ſimili caſu (*u*): *Facile enim conſentiret unus Canonicus, ne alius perdat in abſentia*, inquit, *ut alius conſentiat, ne ipſe perdat, cum abſuerit: & ita omnes delinquerent*. Idem quoque docet Riccius (*x*) auctoritatem Rotæ adducens in ejus deciſionibus datis 13. Martii an. 1592. 29. Maji & 19. Junii an. 1595. & 2. Maji an. 1603. ſimulque teſtimonia ſex Auctorum celebertimotum.

(*l*) Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 3.

(*m*) Boniſac. VIII. in cap. *Conſuetudinem*. unic. de Clericis non reſidentibus in 6. lib. 3. tit. 3.

(*n*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 12.

(*o*) Proſper. Fagnan. n. 1. Part. lib. 3 Decretalium in cap. *Licet*. de Præbendis. n. 39.

(*p*) Navar. l. 3 Conſil. de Clericis non reſidentibus. Conſ. 7.

(*q*) Idem de Orat. & Horis Can. c. 22. n. 48.

(*r*) Innoc. III. in cap. *Si diligenti*. de foro compet. lib. 2. tit. 2.

(*ſ*) Leg. *Jus publicum* 38. ff. de pactis l. 2. tit. 14.

(*t*) Honor. III. in cap. *Ex parte*. 101. de conſuet. l. 1. tit. 14.

(*u*) Navar. c. 22. cit.

(*x*) Joan. Aloyſius Riccius in prax. tom. 1. Reſolut. 394.

CASUS IX.

NONNE peccat, ac ſimoniæ conſcius eſt Gundericus, modicæ pietatis Canonicus, qui Canonicis plerumque horis intereſt ob diſtributiones, quas accepturus eſt?

Digitized by Google

RESPONS.

(a) S. Thom. quodl. 8. art. 12. in corp. Item quodl. 4. art. 23. & in 4. diſt. 25. q. 3. art. 3. quæſt. 2. ad 4. & lect. 5. in 1. Cor. 9.

Quæſtionem hanc diſſolvit ſanctus Thomas (a), dicens, talem Canonicum nnn peccare, nec ſimoniæ reum eſſe, modo diſtributiones recipiendas, tamquum præſentiæ ſuæ in choro finem præcipuum, ſeu cultum divinum ſibi proponat, eas vero tamquam finem minus præcipuum: tum enim ob diſtributiones, proptie loquendo, ad chorum non pergit, quamvis ex iis determinetur, ut hoc potius, quam alio tempore vadat, *Ad evidentiam hujus quæſtionis*, inquit Angelicus Doctor, *notandum eſt, quod aliquis actus dicitur eſſe ſpiritualis dupliciter. Uno modo ex parte principii; quando ſcilicet actus competit alicui perſonæ propter aliquid ſpirituale, quod in ipſo eſt; ſicut Epiſcopo conſecrare Baſilicas, & Diacono legere Evangelium ..... Alio modo eſt aliquis actus ſpiritualis; non ex parte principii, ſed ex parte finis tantum; ſicut docere liberales artes, quarum veritas ſpiritualis eſt ...... Celebrare ergo divinum officium in Eccleſia eſt actus ſpiritualis primo modo: competit enim alicui ex hoc, quod eſt Clericus, & ideo ſimoniam committit, qui hujuſmodi actum vendere intendit: in qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis, & ideo in prædicto caſu diſtinguendum eſt: ſi enim hujuſmodi diſtributiones recipit, quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem, Deum, in tali actu; ad hujuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundario, non quaſi in finem, ſed ſicut in id quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem; conſtat, quod non vendit actum ſpiritualem, & ita ſimoniam non committit, nec peccat: ſic enim acceptio diſtributionum non erit cauſſa, quare ad Eccleſiam vadat, ſed proprie hujuſmodi determinatio, quare non vadat, & non alia vice.* Si igitur Canonicus ille, præcipue chorn non adſit ob accipiendam pecuniam, ut ait S. Thomas; ſimoniæ nec peccati ſit conſcius; licet hic ſit ejus finis minus principalis.

CASUS X.

CASTORATUS, Parochialis Eccleſiæ Vicarius, qua ſingulis diebus celebrantur Miſſæ pro defunctis aliæque fundationes, pro quatum unaquaque ſeptem aſſium diſtributio cuilibet intereſſetit aſſignatur, iis ſæpe non intereſt; quod id tempus excipiendis couteſſionibus, aut Miſſæ celebrandæ vacet. Numquid tum diſtributiones lucrefacit; præſertim ſi fundatorum Parentes rei huic aſſentiuntur?

RESPONS.

(b) Boniſac. VIII. in cit. c. *Conſuetudinem*. unic. de Clericis non reſidens in Eccleſ. vel Præb. l. 3. tit. 3

(c) Concil. Baſileenſ. ſeſſ. 21. cap. *Quomodo divinum Officium in Eccleſia celebrandum ſit*. & cap. *Quo tempore quiſque debet eſſe in choro*.

Facilis eſt hujus difficultatis deciſio ex laudata ſuperius Bonifacii VIII. (b) Cnnſtitutione; in qua ubi præmiſit ſummus ille Pontifex, diſtributiones quotidianas, in Eccleſiis Canonicis, Beneficiariis aliiſque Clericis dari ſolitas, non legitime lucrefieri poſſe, niſi ab iis, qui interſunt Officiis, quibus fuere deſtinatæ (c): & eos, qui ab iiſdem abſunt Officiis, illas accipere non poſſe abſque obligatione reſtitutionis; illos tantum exſcipit, quos excuſat vel infirmitas, vel evidens Eccleſiæ neceſſitas. *Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret), rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas: immo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi noſtram Conſtitutionem receperit, teneatur.* Quibus ſancitis ſubjungit: *de diſtributionibus etiam, pro defunctorum Anniverſariis largiendis, idem decernimus obſervandum.* Quæ Cnnſtitutin in ſuis omnibus dictis apprnbata, confirmata, atque innovata eſt a Concilio Tridentino, ut jam nſtendimus in reſponſinne ad octavum Caſum ſuperiorem.

Dicendum itaque, quod, ſi Caſtorius per illa Anniverſaria in exſcipiendis vacet confeſſionibus, quas ad aliud tempus differte nequit, qualis eſt periculoſe ægrotantis confeſſin; tamquam præſens eſt habendus: ſed ſi ſiut confeſſiones, quæ ad alios dies aliaſve horas differri queant, ſecus dicendum eſt: cum enim Miſſis illis pro defunctis adeſſe, non vero confeſſioulbus audiendis, dum celebrantur, vacare teneatur; diſtributinnes manuales, iis tantum, qui interſunt, debitas accipere non poteſt, licet huic rei aſſentirentur fundatorum Pareutes.

Quod de Confeſſionibus diximus, idem de celebratione Miſſæ intelligendum, quæ non excuſat, cum anteverti poteſt tempus illud, quo celebrantur iſta fundata Officia, aut ad aliam horam differri: quod verum eſt, non ſolum in caſu propoſito, ſed etiam pro omnibus Canonicis & Beneficiariis, qui integras habere volunt diſtributiones ſuas, cum per horas Canonicas, etiam cum nulla juſta & urgente neceſſitate, celebrant. Qua in re certum eſt, eos peccare contra juſtitiam, eorumque ductum in pravum deſinere exemplum. *Pernicioſi quidem exempli foret*, inquit Cabaſſutius (d), *ſi laborantibus in choro deſtinata ſtipendia prætexta Miſſæ, quæ in aliam horam remitti poſſet, alio transferre fas eſſet, cum publici cantus diminutione, propter quem diſtributiones diariæ ſunt inſtitutæ.* Atque in eo Auctor ille Panormitani, Barboſæ, Azorii, Riccii & Bonacinæ, quos laudat, ſententiam ſequitur.

(d) Joan. Caboſſut. juris can. theor. & prax. l. 2. c. 31. n. 8. & apud eum Panormitanus in c. *Cum olim*, de ſenſent. & re judicata, n. 6. Aug. Barboſa, ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. n. 57. Azor. Inſt. moral. part. 2. l. 3. c. 15. q. 19. Aloyſius Riccius in prax. diſtrib. deciſ. 492. &c.

CASUS XI.

BERNARDUS, Tnloſæ Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, & in ejuſdem Urbis Parlamento Conſiliarius Clericus contendit, ſe cenſeri debere in choro præſentem, cum eſt in Curia, ob dignitatem ſuam Conſiliarii. Contra affirmat Capitulum. Quæritur, cui jus?

RESPONS.

Priuſquam reſpondeatur, advertendum, a Concilio Baſileenſi & Pragmatica Sanctione, verbis expreſſis abuſivos declarari uſus omnes, qui ad cultus divini diminutionem ex Canonicorum abſentia pertinent; nec Canouicis Conſiliariis favere Concordatum. Affirmant tamen multi Auctores, hujuſmodi Officiales, Edicto an. 1573. conſtitutos (e), tamquam præſentes eſſe habendos, iis tantum diebus, quibus muneris ſui functiones obeunt, & æquum eſſe, ut integros præbendæ ſuæ fructus, quamvis a choro abſentes, percipiant, quia abeſſe cenſentur, inquiunt, *Reipublicæ cauſſa*, cum Miniſterio Regio & publico in functionibus muneris ſui detinentur. Ita ſentiunt Galliæ Juriſperiti, & imprimis Chopin, d'Olive, & Fevretus, qui horum auctoritatem profert (f): *Regii Senatores Clerici*, inquit Chopin (g), *ſolvuntur continui Lege Miniſterii in ſuis Sacerdotiis; quia Senatus ac Reipublicæ negotiis dietim occupantur*. Qua de re ſic nbſervat Fevretus: *quæ vox*, dietim, inquit, *manifeſtat eos haberi præſentes illo dumtaxat tempore, iiſque diebus, quibus Curiæ interſunt, & non ultra*.

(e) Fevretus tract. de abuſu. l. 4. cap. 3. n. 27.

(f) Carolus Fevr. tract. de abuſu. l. 3. c. 1. Reg. 10. pag. 355. n. 1. Edition. Lugdun. an. 667. d'Olives du Meſnil. qq. notabilis. l. 2. cap. 31.

(g) Renatus Chopin. Polit. l. 2. tit. 3. n. 27.

Praxim iſtam pro Præbendæ fructibus, non vero pro quntidianis diſtributionibus, niſi cum adſunt choro Conſiliarii illi Clerici, confirmant Georgius Louetus, quondam in Senatu Pariſienſi Conſiliarius (h), & Joannes Brodeau ipſius commentator, ex multis Arreſtis a ſe relatis. Unum quoque refert Le Veſt, latum 13. Decembris an. 1550. pro Alexandro Goevrot Canonico Cenomanenſi, & Senatûs Pariſienſis Conſiliarin, triaque etiam alia in actis Cleri referuntur (i) ab eodem Pariſienſi Senatu lata: primum 25. Junii an. 1595. pro Domino de Mouſſy Canonico Senonenſi & Conſiliario in Parlamento Rothomagenſi; & cetera dun pro D.D. Guidone de Thelis & Ludovico Buiſſon Carnutenſis Eccleſiæ Canonicis & Pariſienſis Senatus Conſiliariis. D'Olive, de quo modo diximus, loquitur etiam (K) de Regin Diplomate Caroli VII. ad Capitulum Claromontanum ſcripto, quo jubetur, Aulæ ſuæ Conſiliario Præbendæ ipſius reditus ipſi tradere, quos propter ipſius abſentiam ei denegabant.

(h) Louet. litt. C cap. 24.

(i) Acta Cleri tom. 5. cap. de Reſidentia.

(k) D'Olive, qq. notab. l. 5. c. 10.

Idem docet Cabaſſutius (l). *Illud quoque tenendum*, inquit inclytus hic Canoniſta, *eos qui ſunt ſimul Canonici & Conſiliarii Curiæ Parlamenti, dum*

(l) Joan. Caſſut. juris can. Theor. & prax. l. 2 c. fin. num. fin.

Curiæ

Curiæ interſunt juriſdictione fungentes, potiri quidem ſuarum fructibus Præbendarum, ſed privari diſtributionibus, quæ ſolis reſervantur Clericis, qui divinis interſunt Officiis.

Eſt alia etiam auctoritas pro Conſiliariis Canonicis; Arreſtum ſolemne videlicet Toloſani Carlamenti, pro Domino Saget, hujuſce Parlamenti Conſiliario, & ſancti Savoriui Conſiliario latum 18. Junii an. 1705. quo fertur, Canonicum illum Conſiliarium habitum fore, tamquam in choro præſentem per conſenſum Parlamenti, propter dignitatem ſuam Conſiliarii, ſimulque jubetur, ut Canonicus ille non minus, quam collegæ ſui, a Procuratore & Cellario Capituli perſolvatur, exceptis tamen quotidianis diſtributionibus.

Confirmari poteſt hæc juriſprudentia, non modo ratione, quam affert Fevretus; ſed quia plurimi Eccleſiæ intereſt, ut ſint in Parlamentis Conſiliarii Clerici, qui ad tuendam juriſdictionem Eccleſiaſticam invigilent, & injuſtas ſæcularium Judicum molitiones in potentiam, Jura, ac privilegia ipſius diſturbent. Et quidem ipſa hæc eſt cauſſa, cur inductus fuerit uſus Conſiliarios Clericos in ſupremas curias admittendi: *Eccleſiaſticis certe Privilegiis magnopere contulit Regia ſacrorum Magiſtratuum inſtitutio*, inquit Chopin (*a*), *qua profanæ ſortis judicibus admiſcentur in Præſidiali quolibet Galliæ foro; ut ſic accuratius jura Eccleſiaſtica ſua tueantur*; ex quo concludi poteſt, ut videtur, æquum eſſe, ut præſentes in choro habeantur, cum munere ſuo funguntur, ac præbendæ ſuæ fructus percipiant, atque adeo pro Bernardo ſtare jus; modo præſens haberi nolit quoad diſtributiones.

(*a*) Chopin. Monaſticon l. 2. t. 3. n. 22.

Vide (Canonicus.)
(Capitulum.)
(Delegatio.)
(Residentia.)
(Theologus.)

D I V O R T I U M.

DIVORTIUM appellatur ſeparatio viri & uxoris: cujus vocis *divortium* originem ita Lex explicat (*b*): *Divortium*, inquit, *a diverſitate mentium dictum eſt, quia in diverſas partes eunt, qui detrahunt Matrimonium.*

(*b*) L. *Divortium* 2. ff. de divortiis l. 24. tit. 2.

Terminus ille non eſt intelligendus ſecundum ſenſum legis antiquæ: hoc eſt, pro abſoluta ac perpetua conjugatorum ſeparatione, qui novas poterant contrahere nuptias conſequenter ad licentiam, quam Judæis fecerat Moyſes ob duritiam tantum cordis eorum, ut declarat Chriſtus in Evangelio (*c*) *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*, & ne in graviora inciderent crimina, ad quæ maxime propendebant.

(*c*) Matth. 19. 8.

Divortium itaque, prout hic a nobis accipitur, nihil aliud eſt, quam legitima conjugum ſeparatio, quæ Matrimonii vinculum numquam ſolvere poteſt, ita, ut non ſolum perſona conſcia, quæ divortio locum præbuit, ſed & perſona innocens in nullo caſu Matrimonium, alterutro ſuperſtite, contrahere poſſit: quia Matrimonium ſemel ab Eccleſia ratum habitum, & conſummatum in nullo caſu, neque ob aliquam rationem diſſolvi poteſt, niſi ex alterius conjugum obitu juxta hæc Chriſti verba: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*

Quamvis unam tantum Chriſtus in Evangelio divortii cauſſam expreſſerit (*d*), adulterii videlicet crimen, Matrimonii Chriſtiani naturæ, ſimulque fidei conjugali, quam ſibi invicem nubendo jurant ſponſi coram Eccleſia, contrarium, multæ tamen aliæ ſunt etiam legitimæ Divortii cauſſæ, quas, uti tales approbarunt ſummi Pontifices Innocentius III. Alexander III. & Urbanus III. (*e*), ac deinde univerſalis Eccleſia in Tridentino Concilio congregata (*f*): tales ſunt caſus illi, in quibus alterutet conjugum cum altero habitans, de vita, ſalute, aut religione ſua periclitaretur.

(*d*) Matth. 5. 19 Marc. 10. 9. & ſeq. & Luc. 16. 18 1. Cor. 7. 10.

(*e*) Innoc. III. in c. *Litter.* 13. de reſtit. ſpoliatorum. Alex. III. in c. Quaſivit. 2. de divort. Urban III in c. *De illa.* 6. & idem Inn. III. in cap. *Quanta.* 7. eod. tit.

(*f*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 8.

In Gallia Divortii ſententia non ſpectat ad forum Eccleſiaſticum, ſed ea, quæ ad ſeparationem habitationis pertinet, a Judice Regio ferri debet tamquam pars civilis Politiæ.

Cum perſona innocens ſententiam ſeparationis obtinuit, jam ad cohabitationem cum parte conſcia cogi nequit.

Duplex tandem Divortii ſpecies inter conjugatos diſtinguitur; altera quoad thorum, hoc eſt, quoad uſum matrimonii; altera quoad thorum ſimul & habitationem. Cum de præſenti materia non ſolum in hoc titulo, ſed alibi paſſim agamus; plura hic addere ſupervacaneum nobis videtur.

CASUS PRIMUS.

VINEBALDUS, adoleſcens viginti annos natus, anno præterito Batildi, paris ſecum ætatis & conditionis puellæ nupſit, quacum per tres menſes conjunctiſſime vixit: at cum Batildes puerum fuiſſet enixa, quem ab hero ſuo ante matrimonium ſuſcepiſſe ſtatim confeſſa eſt, tanto Vinebaldus furore concitus aſt, ut puero ſacris undis abluto, ipſo puerperii die matrem domo, inſtigante patre ſuo, pepulerit, eamque coegerit, ut filium modo natum deferret ad patrem, quamvis hinc una leuca diſtantem, & etiam frigore ita fæviente, ut puerulus triduo poſt obierit, mater ipſa in extremis fuerit. Qua de re quæritur:

1. Utrum ſecundum conſcientiam teneatur Vinebaldus ad reſumendam Batildem, & cum ea habitandum, licet ipſi per errorem nupſerit, ex eo quod Virginem ducere ſibi uxorem exiſtimans, corruptam invenerit, & in libidine ſua etiamnum perſeverantem; adde, quod ipſum præmaturo adeo puerperio infamem fecerit.

2. Utrum adoleſcens ille ad Sacramentorum per-

ceptionem admitti poſſit, dum in divortio privata ſua auctoritate ſacto perſeverat, eamque apud ſe admittere recuſat, licet ſubjectiſſime ipſum adierit veniam precatura?

3. Si eum uxore ſua in gratiam redire conſentiret Vinebaldus, vetante patre ſuo, quocum ſubmiſſe agere imprimis tenetur; Num hæc ſufficiens eſſet Parocho ſuo cauſſa, ut eum ad participationem Sacramentorum admitteret, ab illo prius ſacta promiſſione, quod, ubi primum liber erit, ipſam reſumet ad habitandum cum illa, ſeu ut ſimul vitam agant *ſub eodem tecto*, ſcandali vitandi cauſſa, ſeu ut illam maritali affectu proſequatur?

4. Utrum Vinebaldus & Batildes licite a communione corporum & bonorum de communi conſenſu ſejungi per inſtrumentum publicum valeant, & utrum tuta forent conſcientia eo modo ſejuncti? Non ne illud eſſet ſcandalum, Vinebaldo ob ferociam, qua mulierem ſuam excepit, præſertim adſcribendum? Ac tandem numquid Parochus ob eam cauſſam illum a participatione Sacramentorum excludere deberet, etiam in articulo mortis?

5. Utrum tuta ſit conſcientia Vinebaldi pater., dum filii ſui odium in Batildem conſiliis ſuis fovet, ne eam admittat, & contrarium potius ei ſuadere non teneatur; & utrum ipſi, pravum, quod filio ſuo dedit conſilium non revocando abſolutionem denegare non debeat Parochus, etiam in articulo mortis?

6. Utrum validam ſeparatim ſententiam in caſu propoſito ferre queat Officialis?

R E S P O N S.

Ad primum reſpondemus duas a Vinebaldo allatas rationas, ut in divortio ſuo perſeveret, non eſſe admittendas: is namque error, de quo agitur, in ſolas Batildis qualitates cadit. Error vero quoad qualitatem perſonæ non eſt impedimentum, quo invalidum fiat matrimonium, neque legitimum cohabitationi oſtaculum: quocirca vir, qui corruptæ nupſit, virginem ſibi uxorem ſumere exiſtimans, atque nondum conſummato matrimonio errorem ſuum cognoſcit, pro certo ad illius conſummationem tenetur, niſi ſolemnem Religionis profeſſionem emittere conſtituat: & ſi errorem ſuum, nonniſi poſt conſummatum matrimonium, agnoſcat, ut in caſu propoſito evenit, ob eam rationem invalidum declarari nequit matrimonium; neque jus divortii tunc viro competit, aut uxorem ſuam dimittere poteſt, ſi a contracto Matrimonio in vitium non fuerit relapſa. *Propter violatam virginem adultam, qui poſtea maritus eſſe cœpit, accuſator juſtus non eſt*, inquit lex (a), *ideo jure mariti crimen exercere non poteſt, niſi puella violata ſponſa ejus fuerat*. Contentiunt hactenus dicta de errore qualitatis cum doctrina Theologorum omnium & Canoniſtarum. Quare ulteriores hic eorum omittimus probationes. Quod pertinet ad infamiam, quam Vinebaldo inſligit Batildes, hæc ratio priore etiam debilior eſt, ut publice, & abſque Eccleſiæ auctoritate factum divortium approbetur.

(a) L. *Propter*. 7. Cod ad legem Juliam de adulteriis & ſtupro lib. 9. tit. 9.

Ad ſecundum itaque quæſitum reſpondendum, quod, cum hæc ita ſint, Parochus Vinebaldum in divortii ſententia perſeverantem ad Sacramentorum participationem admittere non poteſt, cum uxor ipſius aliunde cum eo ſubjectiſſime egerit, ut illatæ injuriæ veniam obtineret, & cum eo in gratiam rediret. Ideo autem Parochus homini huic abſolutionem conſtanter denegare debet, quod ipſius pertinacia & publica in uxorem ſuam iracundia a mortali excuſari nequeat, unde abſolutionis beneficio prorſus eſt indignus, dum in tali propoſito permanet.

Ad tertium quæſitum dicimus, Vinebaldi patrem ipſum jure mule excipere non poſſe, quod derelictam reſumeret uxorem, & patre etiam prohibente, ne reſumat, non teneri Vinebaldum ad obediendum quoad rem iſtam: quia talis prohibitio foret injuſta & divino contraria mandato, ſic jubente (b): *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. Si tamen ſpes eſſet, fore ut Vinebaldus rationabiliter cunctando patrem ſuum deliniret, id ei denegari non poſſe videtur; modo conſenſum ſuum præberet Batildes; atque intra medium illud tempus ipſum abſolvere, atque ad Communionem admittere poſſet Parochus, ſi tamen ſcandalum abeſſet.

(b) Gen. 2. 24.

Ad quartum dicendum, quod quamvis a ſe invicem quoad thorum diſcedere queant vir & uxor abſque peccato, de communi conſenſu, quin neceſſe ſit, ut interveniat Eccleſiæ auctoritas: non poſſunt tamen quoad domicilium, inito, vel inter ſe vel induſtria notarii, aliquo contractu; ac neceſſe eſt, ut talis ſeparatio confirmetur a Superiore legitimo, qui eam in caſibus dumtaxat jure expreſſis proferre poteſt. Quare, cum Vinebaldus & Batildes propria auctoritate a ſe mutuo diſceſſerint, tuta ii non forent conſcientia in hoc ſtatu permanentes, & ne quidem in articulo mortis ad participationem Sacramentorum admitti poſſent, ſi ad ſe invicem accedere recuſarent. His adde, ex hac potiori ratione illicitam fieri ipſorum ſeparationem; quia nimirum ex ſolo inexorabili Vinebaldi odio ea proficiſcitur, quo proinde Sacramentorum participatione fit indignus, in eo perſeverans.

Ad quintum vero quæſitum dicendum, Vinebaldi patrem, quoad conſcientiam, in tuto non eſſe poſitum, ut ex dictis facile colligitur, dum filio ſuadet, ne uxorem ad gratiam, quam ipſa petit, ullatenus admittat; eumque teneri coram Deo, ut in contrariam potius conſilio ſuo ipſum adducat ſententiam. Quare, ſi huic ſemper reconciliationi obſiſtat, & ad divortium Vinebaldum continuo ſollicitet, abſolutione omnino indignus eſt, quam ei, etiam in articulo mortis, recuſare debet Parochus.

Ultimo tandem quæſito reſponſum jam præmiſſum eſt; ubi diximus, Officialem, aut quemlibet alium legitimum Superiorem divortii ſententiam proferre non poſſe, niſi in caſibus jure expreſſis; atqui certum eſt, eum, de quo nunc agitur, in jure non exprimi; unde nec Officialis, nec alius quilibet Judex valide talem proferre poteſt ſententiam.

Denique, ut præcipuus hujuſce deciſionis articulus confirmetur; ſcilicet, quod Vinebaldus, non obſtante accepta injuria, mulierem ſuam reſumere teneatur; addi poteſt iſta juris Canonici & Civilis regula (c), qua fertur, quod, ubi paria ſunt Compartium crimina, tum injuriarum compenſationi locus eſt; atqui crimen a Vinebaldo commiſſum longe gravius eſt Batildis ſcelere: is enim ad furorem uſque prorupit, dum uxorem ſuam, quæ modo pepererat, domo ſua expulit, nulla habita ſtatus illius ratione ac certi mortis periculi, cui eam committebat, ſæviente tum præcipue hyemis frigore; atque homicidii factus eſt reus ob mortem pueruli, quæ ob ſuam tantum crudelitatem contigit. Par eſt ergo, ut cum mulieris peccato compenſetur viri crimen, quod ad barbariem uſque pertingit; cumque viro ſuo malam tractationem acceptam iſta condonet, amicitiam ejus etiam & hoſpitium enixe poſtulans; is quoque a participatione Sacramentorum arceatur, dum eam reſumere injuſte renuerit.

(c) tan. ult. in c. *Tua fraternitas*. fin. & in c. *Intelleximus*. d. de adulter. & ſtupro 1 §. 2. 25. & l. Uxor. 13. §. Judex. ff. ad legem Juliam de adulter. coercendis. lib. 48. tit. 5.

C A S U S II.

Silvester de adulterio mulieris ſuæ convictus, tantum in eam ob id facinus ſuſcepit odium, ut ab ea diſcedere voluerit ex divortii ſententia, quam juridice obtinuit. Num id potuit abſque peccato?

R E S P O N S.

A peccato eximi nequit Silveſter, ſi mulierem ſuam jure proſecutus fuerit, divortiique ſententiam obtinuerit ex motivo odii in ipſius perſonam, ſecluſa ejus adulterii conſideratione. Sed nullius eſt conſcius peccati, ſi ad uxoris ſuæ libidinem tantum attenderit, juxta illud Regii Prophetæ (d): *Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi*: nec eam ex motivo vindictæ proſecutus fuerit, ſed ſolum, ut propriam ſuam tueretur famam, neve

(d) Pſal. 118. v. 113.

Digitized by Google

neve palam crimen ejus approbare aut diſſimolare videretur; vel ut libidinem ejus emendaret, aut denique, ne illegitimi cum propriis filiis in bonorum ſuorum communionem venirent. Ita ſanctus Thomas (a): *Vir, ſi dimittat uxorem fornicantem, livore vindictæ, peccat*, inquit Angelicus Doctor; *ſi autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis; vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandam prolis incertitudinem, non peccat* *.

(a) S. Th. in 4. diſt. 35. a. 1.

* Tantum abeſt ut Silveſter uxorem abſque livore vindictæ dimittens peccet, quin & peccaret retinens, ſi nulla ſpes emendationis affulgeret; quo ſenſu dixit Sapiens Proverb. XVIII. verſic. 22. *Qui retinet adulteram ſtultus eſt & inſipiens*. Si in corporis ſui lenocinii veniret ſuſpicionem, unde naſceretur ſcandalum, & unde magna in ipſum redundaret infamia: ob hanc enim cauſſam nonnulli Canones pœnas imponunt viris uxores adulteras retinentibus. Quapropter S. Auguſt. l. 1. *Retract.* Cap. 19. tit. 1. pag. 90. revocat quod ſcripſerat lib. 1. *de ſermone Domini in monte* Cap. 16. *permiſſum eſſe, non juſſum divortium*. Ita Canonibus præſcribitur Cap. Si vir. tit. *De adulteriis*: *Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps*. Et Cap. Si quis Cauſſa 32. quæſt. 1. *Maritus, qui concubinaverit cum uxore adultera, tribus annis ſubjicitur pœnitentiæ*. Hæc adnotatio unico confirmatur ſyllogiſmo. Ille peccat, qui proximum, quam cavere tenetur, non cavet infamiam, qui eſt alieni criminis particeps, qui uxoris vitium, quod corrigere tenetur, non corrigit; qui prolis incertitudinem, quam debet avertere, & ex qua non averſa contingeret ut proles illegitima legitima bona poſſideret, non avertit, atqui &c. ergo &c.

CASUS III.

Cum Arcudius Divortii ſententiam in Antoniam uxorem ſuam, de adulterio debite convictam obtinuiſſet, ab eaque diſceſſiſſet, tribus poſt menſibus detexit Antonia, ante latam ſententiam ejuſdem ſceleris reum fuiſſe Arcudium, cujus equidem certas habet probationes. Numquid illa ſententia in Antoniam lata debet haberi, tamquam vim habens rei judicatæ, ita ut Arcudius ad reſumendam uxorem ſuam jam non teneatur?

Reſpons.

Certum quidem eſt, quod, ſi a viro ſuo injuſte ſejuncta fuiſſet Antonia, ac juridice probare poſſet, impoſiti ſibi a marito criminis ſe eſſe inſontem, ſententia tunc revocanda eſſet, tamquam invalida; cum in hac materia vim rei judicatæ non obtineant ſententiæ, quando earum probari poteſt nullitas. Quod probari poteſt ex Decretali Alexandri III. ad Epiſcopum Norvicenſem, (b) in qua ſic ſtatuit ſummus hic Pontifex: *Mandamus*, inquit, *quatenus ſi vobis conſtiterit, eos per judicium Eccleſiæ non fuiſſe legitime ſeparatos, Eccleſiamque deceptam, ipſos faciatis ſicut virum & uxorem, inſimul permanere*.

(b) Alex. III. in c. Lat. 7. de ſentent. & re judic. lib. 2. tit. 27.

Sed quia adulterii vere conſcia erat Antonia, nec in ſuo judicio judex deceptus eſt; irritam jam reddere non poteſt ſententiam, qua damnata eſt, ex hoc quod vir ſuus pariter reus eſſet, tum cum eam accuſavit. Ratio eſt, quia mulieri jus non competit maritum ſuum de adulterio inſimulandi: *Hoc in mulieribus non obtinet*, inquit Gratianus (c); *non enim eis permittitur maritos ſuos adulterii reos facere*. Quod probat hic Auctor ex hac Imperatorum Severi & Antonini lege (d): *Publico judicio non habere mulieres adulterii accuſationem, quamvis de matrimonio ſuo violato queri velint, lex Julia declarat, quæ, cum maſculis jure mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem fœminis privilegium detulit*.

(c) Grat. §. 2. poſt can. apud 10. 32. q. 1.
(d) Leg. publ. 1. Cod. ad leg. Juliam de adulteriis & ſtupro l. 9. tit. 9.

Nihilominus conſtat, Arcudio non competere jus perficiendi divortii ſententiæ, quam in uxorem ſuam obtinuit; quia, cum ejuſdem cum illa criminis eſſet conſcius, juſte eam accuſare non poterat & divortium petere, juxta S. Thomæ doctrinam, his verbis contentam (e): *Excipiuntur ſeptem caſus, ait, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem .... Primus eſt, ſi ipſe ſimiliter fornicatus fuerit*. Quare alibi: *ſi adulterium ſit occultum*, inquit (f), *per hoc non aufertur excipiendi contra accuſationem viri uxori adulteræ, quamvis deſit ſibi probatio: & ideo peccat vir divortium petens*, ait S. Antoninus (g): *& ſi poſt ſententiam de divortio uxor petat debitum, vel reconciliationem, vir tenetur ad utrumque*. Quod conſentaneum eſt deciſioni Alexandri III. (h), qui loquens de homine, qui privata ſua auctoritate mulierem ſuam adulteram dimiſerat, ob inceſtum, quem eam admiſiſſe putabat, cum is in adulterium poſtea incidiſſet; poſtulante muliere, ut cum marito ſuo reſtitueretur, declarat ſummus Pontifex, reipſa eam eſſe reſtituendam, ſi conſtet, virum pariter idem ſcelus commiſiſſe; *ſi notorium eſt*, inquit hic Papa, *mulierem ipſum adulterium commiſiſſe, niſi conſtaret ipſum eum alia adulterium commiſiſſe*.

(e) S. Th. in 4. d. 35. q. 1. a. 5. in corp.
(f) Idem ib. a. 6. ad 3.
(g) Item S. Anton. 3. p. ſum. Th. t. 2. c. 2. §. 6.
(h) Al. III. in c. Significaſti 4. de divort. L. 4. t. 19.

Cum jure canonico conſentiunt hac in re leges Civiles: *Judex adulterii*, inquit Ulpianus (i) *ante oculos habere debet & inquirere, an maritus pudice vivens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibeat*. *

(i) Leg. Si uxor. 13. §. 5. ff. ad Legem Juliam de adulter. coercendis. l. 48. tit. 1.

* Ad ſtrictius confugeret exlex Arcudius, ſi opponeret ſe non tam ſæpe quam uxorem in adulterium incidiſſe, aut adulteria uxoris innoteſcere, non ſua; quemadmodum enim non refert, uter Conjugum prior aut poſterior fidem fregerit, non refert etiam, quod unus ſæpius quam alter deliquerit, aut omnino, non autem alterius adulterium publice innoteſcat, cum jus divortii, non niſi innocenti competat. Ita fere loquitur Cabaſſut. Juris Canon. Theor. & Prax. lib. 3 Cap. 28. num. 3.

CASUS IV.

Marcellianus cum mulierem ſuam de adulterio accuſaſſet, in ipſam de perpetuo divortio ſententiam obtinuit, quo facto omnibus ſacris Ordinibus initiatus eſt. Anno elapſo Aldegondes innocentiam ſuam juridice probavit, ac ſententiæ in ſeipſam latæ reſciſſionem obtinuit; qua impetrata virum ſuum interpellavit, ut ad ſe rediret. Num ſub peccati conſcientia ad id tenetur vir ejus, licet Sacerdos?

Reſpons.

Ex doctrina S. Bonaventuræ, & S. Thomæ, Marcellianus, licet Sacerdos, in caſu propoſito ad uxorem ſuam reverti tenetur: *Quæritur*, inquit S. Bonaventura (K), *ſi ſententia divortii lata eſt per errorem, & poſt vir promotus eſt ad Sacerdotium, ſi error Eccleſiæ & deceptio pateat, utrum reddendus ſit uxori, ſi ipſa non vult continere*: Cui propoſitæ ſibi quæſtioni ita reſpondet ſanctus ille Cardinalis: *Et quod ſic, videtur: quia mulier habebat jus ſuum, & ſalvo jure mulieris non poterat continentiam vovere contra voluntatem uxoris*. Denique hanc rationem approbans: *Reſpondeo*, inquit, *dicendum, quod inducenda eſt ad continentiam. Quod ſi manifeſta deceptio in latione prioris ſententiæ apparet, & ipſa non vult continere, debet vir ſuus ei reddi*. Peracute tamen obſervat hic ſanctus Doctor, virum hunc, quamvis ſub peccato teneatur ad reddendum uxori conjugale debitum, illud tamen abſque peccati reatu non poſſe exigere, quia Ordines ſuſcipiendo, continentiæ lege, quantum in ſe fuit, ſe ſe obſtrinxit. *Verumtamen ille non poterit petere debitum, quia, quantum in ſe fuit, continentiam vovit*.

(k) S. Bonavent. in 4. d. reſp. ad dub. 4.

Sententiæ S. Bonaventuræ omnino conſentit S. Thomas (l) & poſt eum S. Antoninus (m), his verbis mentem ſuam aperiens: *Si poſt divortii ſententiam conſtiterit Eccleſiam fuiſſe deceptam per falſos teſtes & hujuſmodi, debet ſic ſpoliatus reſtitui: taliter etiamſi.... cepiſſet Sacerdotium, ſi hoc petat: & tenetur reſtitutus reddere debitum, ſed exigere non poteſt*.

(l) S. T. in 4. d. 35. q. un. a. 5. ad 2.
(m) S. Ant. 3. p. Sum. Th. t. 2. c. 21. §. 2.

CASUS V.

Caroloмannus, oxorem ſuam Conſtantiam de adulterio accuſavit, atque contra ipſam divortii ſententiam obtinuit: quo facto Conſtantia vovit continentiam, ac ſolemni poſtea votorum emiſſione

ne Religionem profeſſa eſt : aliquanto poſt manifeſte detectum eſt, per falſos teſtes deceptum fuiſſe Judicem, ac proinde irritam eſſe divortii ſententiam. Carolomannus de veritare convictus mulierem ſuam repoſcit. Numquid iſta ad virum ſuum reverti tenetur, licet continentiæ votum ſolemnemque Religionis profeſſionem emiſerit?

RESPONS.

Difficultati huic reſpondet S. Thomas dicens (a), mulierem in caſu Conſtantiæ poſitam, continentiam abſque viri ſui conſenſu poſt latam divortii ſententiam vovere potuiſſe; ſed, ſi manifeſtum ſit poſtea, Judicem per falſos teſtes fuiſſe deceptum, & ſic injuſtam reipſa eſſe ſententiam ejus; ad maritum ſuum teneri eam reverti, modo teſtes ipſe non ſubornarit, & petenti viro debitum reddere; licet ſolemniter Religionis vota fuiſſet profeſſa, ſed tamen ipſi non licere, ob votum ſuum, debitum illud a viro ſuo exigere: *Poteſt tamen continentiam vovere invito marito*, inquit hic Sanctus, *niſi videatur Eccleſiam deceptam fuiſſe per falſos teſtes, ſententiando de divortio; quia in tali caſu, etiamſi votum profeſſionis emiſiſſet, reſtitueretur viro, & teneretur debitum reddere: ſed non liceret ei exigere*. S. Antoninus eodem modo loquitur (b).

(a) S. Thom. in 4. diſt. 35. q. un. art. 5. ad 3.

(b) S. Anton. 3 part. Sum. Theol. tit. 1. c. 21. §. 6.

Iſta potiſſimum ratione nititur hæc deciſio; quia hujuſmodi vota ſolemnia ſunt invalida, per errorem, aut fraudem emiſſa. V. g. cum mulier ideo tantum Religionem profitetur, quia nullum ſibi jam ſupereſſe demonſtrandæ innocentiæ ſuæ viam exiſtimat: quo in caſu error vera eſt ipſius voti cauſſa, & ex eo fit illud invalidum. *Quid enim tam contrarium conſenſui, quam error?* inquit Lex (c). Id quidem probat Decretalis Cœleſtini III. (d), in qua interrogatus hic Papa, de muliere, quæ mortuum virum ſuum exiſtimans ſolemnibus ſe Religionis votis obſtrinxerat, quæque marito ſuo reddita fuerat, his verbis reſpondet: *Licet votum ejus uſquequaque non tenuerit*, inquit hic Papa, *eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus ſe poterat obligare. Promiſit enim, intrando in Monaſterium, ſe non exacturam carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius; redire vero ad ſæculum, in ejus poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti: & ideo, quantum ad ipſam, tenuit votum... conſultius itaque ducimus, & ei congruentius ad ſalutem, ut ad Monaſterium redeat... ſi vero ad hoc induci non poterit, ipſam invitam non credimus cogendam*. Eodem modo dicendum de eo, qui ſolemnia Religionis vota per fraudem emitteret, v. g. ſi vir, cui perſpectum eſt, falſas eſſe teſtificationes, ſuper quibus divortii ſententiam obtinuit, Religionem profiteretur, quamvis ſibi nota eſſet profeſſionis ſuæ nullitas abſque uxoris ſuæ conſenſu.

(c) L. *Si per errorem*. 15. ff. de juriſd. omnium judicum. l. 2. tit. 1.

(d) Cœleſtin. III. in c. *Placet*. 12. de converſ. conjugat.

Ratio eſt, quia, cum lata ſententia ſit in favorem partis innocentis, comparcem ream jus revocandi ſemper retinet; licet ſolemnia vota emiſiſſet, ſi ita forſan abſque conſenſu partis innocentis ſe geſſiſſet. Ita docet Auctor Gloſſæ (e) his verbis: *Sed ſententia lata fuit hic, ut videtur propter adulterium. Numquid poterat vir eam ſibi reconciliare invitam? Videtur quod ſic.... innocens enim non privatur ſervitute, quam habet in eo, qui peccavit. Cod. de adulteriis. Authentica* Sed hodie. *Unde vir poteſt etiam illam ad alteram ſibi reconciliare, ſi vult.... vir ſolummodo abſolutus fuit a ſervitute, quam ipſa prius habebat in ipſum, & non converſo: unde adhuc remanſit ſalva viro ſervitus, quam habuit in muliere; cum tantum ipſa fuerit condemnata.... ſi hoc verum eſſet, quod non poſſet; ſic daretur mulieribus occaſio delinquendi, ut a viris ſepararentur*. Auctor hujuſce Gloſſæ dicta ſua ex multis Canonibus ſeu Decretalibus, & ex pluribus legibus, quas hic referre inutile nobis videtur, confirmat.

(e) Gloſſa in cap. *Ex litteris*. 5. de divort. v. *Redire compellas*.

CASUS VI.

ADALMI arma gerentis Veronica uxor, cum anno poſt ipſius diſceſſum, ab hominibus fide dignis didiciſſet, ipſum in pugna fuiſſe occiſum, Graciliano ſecundo nupſit. Adelmus poſt ſex menſes redux, cum uxorem Graciliano iterum nuptam inveniſſet, eam repudiavit, licet cum eo reverti & a Graciliano diſcedere ipſa offerret. Numquid id ipſum tuta potuit conſcientia Adelmus?

RESPONS.

Certum eſt, Adelmum ob allatam in propoſito caſu rationem, uxorem ſuam dimittere non potuiſſe. Nam ex ignorantia facti, ob quam Graciliano nupſit, Veronica excuſaretur ab adulterio juxta iſtam juris regulam (f): *Ignorantia facti excuſat*; atque adeo a pœna huic crimini debita; cum naturali repugnet æquitati, ut quis de culpa, cujus non eſt reus, & ſine legitima cauſſa puniatur, ex hac alia juris regula (g): *Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus*.

(f) Reg. 13. de reg. juris in 6.

(g) Reg. 23. ibid.

Probari poteſt hæc deciſio auctoritate Sancti Leonis in ſua ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum Epiſtola (h): in qua aſſerit hic Papa, hominem, qui in ſimili caſu mulieri nupſit, cujus mortuum eſſe maritum putabat, non eſſe culpabilem, nec pro adultero habendum: *Nec tamen*, inquit, *culpabilis judicetur, & tamquam alieni juris pervaſor habeatur, qui perſonam ejus mariti, qui jam non eſſe exiſtimabatur, aſſumſit*. Ex quo conſtat, idem eſſe colligendum de muliere, cum pariter ſit innoxia. Unde addit hic Sanctus, a viro omittendum eſſe, quod præteritum fuit, ab eoque mulierem ſuam eſſe reſumendam. *Omittendum eſt, & inculpabile judicandum eſt, quod neceſſitas intulit, & reſtituendum, quod fides poſcit*. Cujus quidem rei hanc rationem affert Origenes (i): *Neque enim fieri poteſt*, inquit, *ut ſi ante quis non mœchetur in corde, mœchari poſſit in corpore*. Quo redeunt iſta ſancti Ambroſii verba (K): *Revera non poteſt caro corrumpi, niſi mens fuerit ante corrupta*. His adde Angelici Doctoris auctoritatem (l), qui ſeptem caſus enumerans, in quibus vir ab uxore ſua poteſt diſcedere, tertium hunc reponit: *Tertius* (caſus eſt) *ſi uxor virum ſuum mortuum probabiliter credens propter longam ejus abſentiam alteri nupſerit*.

(h) S. Leo Epiſt. 77. cit. & ſeqq. in can. *Cum per bellicam*. 1. 34. q. 1. & 2.

(i) Origen. l. 2. ad cap. 2. Epiſt. ad Roman. ex Correctoribus Rom. ad can. *De pudicitia*. 6. 32. q. 5.

(k) S. Ambroſ. in can. *Revera*. 2. ead. cauſſa & q. item Iſidorus in can. *Non poteſt*. 8. ibid.

(l) S. Th. in 4. ſent. diſt. 35. q. un. art. 1. in corp.

CASUS VII.

CONJUGES duo, jugiter inter ſe rixantes, neque ullo inter ſe amoris vinculo conjuncti, ab uno duobuſve menſibus de communi conſenſu, ob mutuum odium a ſe invicem diſceſſere quoad thorum & quoad habitationem. Numquid ita ſe ſe gerere abſque mortali peccato potuere, ut nimirum quietam magis ſejuncti vitam ducerent, ac ſaluti ſuæ facilius proſpicerent?

RESPONS.

Divortium tale a duobus illis conjugibus ſine peccato mortali fieri nequit ob quinque rationes: 1. Quia fieri talis ſeparatio non poteſt ſine ſcandalo, imprimis privata auctoritate, ſcandalum autem numquam licet parere juxta illud Chriſti Domini verbum (m): *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. 2. Quia injuſta eſt ipſorum divortii cauſſa, ac depoſito omni odio ſe invicem potius diligere tenentur ex his Apoſtoli verbis (n): *Sicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto; ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.... Viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua*: Quo præcepto eo ſtrictius tenentur Chriſtiani conjuges, ut etiam ad inimicorum amorem compellat Lex Evangelica (o). 3. Quia vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, ut alteruter, aut uterque ſimul incontinentiæ periculo ob tale divortium non committatur, quod quidem ſponte ambo ſubire volunt. 4. Quia ſeparationem hujuſmodi ſemper conſequuntur odia, maledicta, ac lites. 5. Denique quod conjuges a ſe invicem quoad domicilium diſcedere nequeant abſque interventu Eccleſiæ, ut ſtatuit Agathenſe Concilium ann. 506. (p) his verbis: *Sæculares, qui conjugale conſortium nulla graviori culpa dimittunt, vel etiam dimiſerunt, nullas cauſſas diſſidii probabiliter proponentes, propterea ſua matrimonia dimittunt.... ſi antequam apud Epiſcopos comprovinciales diſſidii cauſſas dixerint, & priuſquam in judicio damnentur, uxores ſuas abjecerint; a communione Sanctæ Eccleſiæ & populi cœtu, pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur*. Sic ea de re ſtatuebat antiqua

Eccle-

(m) Matth. 18. 7.

(n) Epheſ. 5. 24. 25. & 28.

(o) Matth. 5. 44. & ſeqq. Luc. 6. 27.

(p) Concil. Agath. c. 25. in can. *Sæculares*. 1. 33. q. 2.

Digitized by Google

Eccleſiæ diſciplina, quæ etiam probari poteſt ex Canone Alexandri II. qui ad Guillelmum de Montrolio, divortium cum muliere privata auctoritate meditantem ſcribens, id ipſum his verbis ei prohibet (*a*): *Apoſtolica auctoritate interdicendo, mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habes uxorem nullatenus præſumas dimittere ..... donec Epiſcoporum Religioſorum Concilium cauſſam iſtam examinaverit*. Certum quidem eſt, in Gallia hac de re ferri judicium a judice Regio; at id ſaltem conſtat, duos illos conjuges, de quibus fit mentio in caſu propoſito, ante juridicam ſententiam matrimonium ſuum diducere non poſſe, etiamſi legitima ſibi ſubeſſet divortii cauſſa.

(*a*) Alex. II. in cap. *Multorum*. 10. 33. q. 6.

C A S U S VIII.

Foillanus tanta vi quandoque, tantaque ſævitia uxorem ſuam exſcipit, ut ſe tutam non exiſtimet, cum eo cohabitando. Poteſtne abſque peccato ipſum dimittere?

R e s p o n s.

Difficultatem iſtam clare exponit Innocentius III. ſcribens ad Bituricenſem Archidiaconum (*b*), ac ſolvit dicens: *Si vero*, ait, *tanta ſit viri ſævitia, ut uxori trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri; non ſolum non debet ei reſtitui, ſed ab eo potius amoveri*. Hæc ſunt verba Decretalis hujus Papæ.

(*b*) Innoc. III. in cap. *Literas*. 13. de reſtitut. ſpoliatorum lib. 2. tit. 13.

Equidem nihil æquitati naturalis magis eſt conſonum, quam, ut quiſque propriæ ſecuritati ac quieti provideat; cui, cum proſpicere nequeat hæc mulier, niſi maritum adeo injuſtum & iracundum dimittendo; conſtat illam a tali viro ſine culpa diſcedere poſſe.

Ob eamdem rationem Alexander III. in Decretali, quam ad Epiſcopos Ambianenſem & Bellovacenſem ſcribit (*c*), ita conſtituit: *Si autem*, inquit, *capitali odio ita mulierem vir proſequitur, quod merito de ipſo diffidat; alicui probæ & honeſtæ mulieri uſque ad cauſſæ deciſionem cuſtodienda ſtudioſius committatur, in loco, ubi vir, vel parentes ejus, mulieri nullam poſſint inferre violentiam*. Quibus verbis, *uſque ad cauſſæ deciſionem*, oſtenditur tamen neceſſe eſſe, ut talis ſeparatio ex juridica tandem ſententia confirmetur.

(*c*) Alex. III. in cap. *Ex tranſmiſſa*. 8. eod. tit.

Idem dicendum, cum alteruter conjugum alteri vitam eripere vel gladio, vel veneno, aut alia qualibet ratione tentavit; uti declarat Vermerienſe Concilium an. 572. quod refert Gratianus (*d*), loquens de muliere, quæ viri ſui vitam appetiverat.

(*d*) Concil. Vermericenſ. in can. *Si qua*. 6. 31. q. 2.

Sylvius huic difficultati reſpondens, minutius etiam rem iſtam exponit, multos enumerans caſus, in quibus divortio locum eſſe exiſtimat. En ipſius verba (*e*): *Si vir gladium oppoſuerit ad collum, & gulam uxoris, animo occidendi, vel feriendi, ſi inſidias vitæ paraverit vel venenum vel maleficia, vel alio modo: Si minatus ſit occidere & præ terribili ingenio ſoleat minas exequi; aut prudenter judicari poſſit, quod eas ſit executurus ..... ſi minis accedant injuriæ & aliæ malæ tractationes, quæ excedant terminos levis correctionis, marito erga uxorem permiſſæ: ſi ſint percuſſiones graves & atroces, aut abortum cauſſantes, aut ſanguinolentæ, aut in capite vel oculo illatæ. Adde etiam verbera, ſi illa ſint immoderata*. Quibus addit hic Theologus, ad judicem pertinere, ut de levitate aut gravitate malarum tractationum judicet, *attenta qualitate perſonarum*, inquit, *& feminæ, quæ vexatur. Si enim illa nobilis, pudica, honeſta & morigerata fuerit, minores moleſtiæ cenſeri debent nomine ſævitiæ*. Ad confirmationem ſuæ ſententiæ Paludanum, Dominicum Sotum, Covarruviam, Navarrum, Jacobum a Graffiis & Baſilium Pontium laudat Sylvius. *

(*e*) Fr. Sylvius reſolut. v. *Divortium*. & apud eum Petrus Palud. in 4. diſt. 35. q. 2. art. 1. Concluſ. 2.
Dom. Sotus ibid. diſt. 36. art. 1.
Covarruvias 2. part. de matrimonio. c. 7. de divortio & matrim. diſſolut. §. 5. n. 1.
Navar. Man. c. 22. n. 2. & l. 3. Conſil. de voto
Conſilio 17. n. 5.
Jac. a Graffiis. l. 2. deciſionum. c. 84. n. 4.
Baſilius Pontius. l. 9. c. 13. &c.

* Quamvis immoderatam ſævitiam legitimam eſſe ſeparationis cauſam nemo non fateatur: aliqui tamen, inter quos citari poteſt Tournelius Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, ſocius Sorbonicus, Regius & Emeritus Profeſſor, cujus prælectiones Theologicas quas in ſcholis Sorbonicis habuit, habemus non ita pridem impreſſas, ſentiunt uxorem poſſe quidem tum quoad thorum, tum quoad habitationem ante ſententiam Judicis a viro ſæviente, ſi ſævitia publica ſit; ſi autem quodammodo occulta, quoad thorum tantum, ſe ſeparare. *An vero expectanda ſit Judicis ſententia*, inquit citatus Doctor de Divort. Concl. 2. *priuſquam fiat ſeparatio, diſtinctione opus eſt; vel enim dimittenti ſævitia ita publica eſt, ut negari non poſſit, vel occulta quodammodo. Si prius, poteſt conjux non expectata Judicis ſententia diſcedere a viro. Si vero occulta quidem eſt, ſed innocenti & aliis paucis cognita, poteſt quidem diſcedere a thoro, non autem a domo, niſi poſt ſententiam Judicis*. Et rationem affert, quia cum .... *matrimonium ſit contractus publicus, non debet niſi ex publica Judicis ſententia fieri divortium*. Sed ſi immoderata ſit ſævitia viri (de immoderata enim ſævitia agit Tournelius) non video, quid impedire poſſit, quominus ſeparatio & quoad thorum & quoad domum etiam ante Judicis ſententiam fiat, ſive ſævitia ſit quodammodo occulta, ſive publica; nam ſi immoderata ſit viri ſævitia, ſoana uxori vitæ, vel mutilationis, vel gravis percuſſionis periculum imminet? Tollitur iſtud periculum ſola ſeparatio quoad thorum? An uxor, quia ſævitia viri eſt quodammodo occulta, tenebitur mortem vel mutilationem, expectans Judicis ſententiam, exſpectare? Abſit tamen, ut merito laudam ab omnibus tam docti Doctoris ſcripta carpere præſumant.

C A S U S IX.

Flora, legitimam ob cauſam, a viro ſuo diſceſſionem requirens, ipſum coram Judice regio proſecutus eſt, & ab eo ſententiam obtinuit, qua a bonorum corporumque communione fuere ſejuncti. Numquid poteſt hæc mulier tuto ea uti ſententia, non adito prius Eccleſiaſtico Judice, ad quem pertinet ea de re judicium, uti declarant Urbanus III. & Clemens III. in ſuis Decretalibus, ac docent celeberrimi Canoniſtæ?

R e s p o n s.

Certum eſt, Floram tuta conſcientia executioni mandare poſſe ſententiam, quam a judice regio obtinuit, ſeu Arreſtum ſupremæ Curiæ, aut ſententiam inferioris judicis. Ratio eſt, quia ſecundum Galliæ juriſprudentiam cognitio hujuſmodi ſeparationis competit judici regio, ad quem pertinet de temporalibus ac publica ſecuritate judicare: qua in re dici nequit, ipſum Eccleſiaſticam uſurpare juriſdictionem cum ad ſacramentum uſque non pertingat.

Notum quidem eſt, quod Urbanus III. ad Decanum, Cantorem & Capitulum Lexovii ſcribens (*f*), & Clemens III. in quadam Conſtitutione ſua quam refert ſumma juris canonici (*g*) conſtituunt, ad judicem Eccleſiaſticum pertinere, ut acceſſorie de conjugum bonis temporalibus, doteque poſt divortium reſtituenda ſententiam ferat: ſed in Gallia non obtinent iſtæ Decretales, uti Canoniſtarum ea de re ſententia. *Judex Eccleſiæ*, inquit Bacquet (*h*), *cognoſcere debet pure, nude & ſimpliciter utrum valida ſit matrimonii promiſſio an non. Pariter nude ac ſimpliciter cognoſcere debet de ſolutione aut invaliditate matrimonii quoad corpus*: & ſic de ſeparatione thori (1) *nec poteſt Eccleſiæ judex ſententiam ferre ſuper dote, nec ſuper æſtimatione, aut quantitate dotis; nec ciboriorum proviſiones adjudicare, nec domanre de damnis & intereſſe. Sed pro ſupra dictis rebus, quaſi temporalibus & realibus, debent partes coram Judice laico jus ſuum experiri, uti dijudicatum eſt ex multis Arreſtis in foro latis die martis 11. Feb. an. 1555. & 13. Octob. an. 1556. die Martis 22. Feb. ann. 1557. & die Martis 6. Martii 1564. Quo circa Caput Significavit, & Caput* de prudentia, de donationibus inter virum & uxorem, *in Gallia non obſervantur. Et cum latum eſt Arreſtum 22. Feb. dictam eſt ab Officialibus Regiis, judicem Eccleſiæ de quatuor cauſis cognoſcere contra judicem laicum, quarum duæ ſunt Capitales, ſcilicet ſimonia & hæreſis, duæ vero civiles, decimarum nimirum & matrimonii cauſſa*. Ea de re ampliores ſuppeditant probationes Pithæus de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ (*i*), Carolus Fevretus (*K*) aliique multi Galliæ Juriſconſulti quos laudat, inter quos præcipui ſunt Carolus Molinæus in ſuis annotationibus in 73. articulum conſuetudinis Borbonienſis, Ragueau, Bellordeau & Imibertus (*l*).

(*f*) Urban. III. in Can. *Significavit*. 2. de Donat. inter virum & uxor. & de dote poſt divortium reſtituenda. l. 4. tit. 20.
(*g*) Clement. III. in cap *De prudentia*. 3. eod. tit.
(*h*) Bacquet. Tract. de foris. c. 7. n. 28.
(*i*) Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicæ. tom. 2 c. 30. num. 8. p. 1400. & in art. 31. Libertatum &c.
(*k*) Fevretus. Tract. de Abuſ. l. 5. c. 4. tom. 2. pag. 135.
(*l*) Ragueau in conſuetud. Bicuri. lib. 1. art. 48. Bellordeau. t. 9. de contract. c. 84. Imbertus. inſtitut. foren. l. 2. c. 25.

CA-

(1) Vid. *Aenaa Pontas*. Obſerv. III. num. XXV.

CASUS X.

Bauduinus, certum habens Julianæ uxoris ſuæ adulterium, cujus cum ſtatim pœnituiſſet, compertam quoque habet pœnitentiam, eam tamen juridice accuſare conſtituit. Quæritur, utrum id poſſit tuta conſcientia, & utrum cogi non poſſit, ut eam non accuſet?

RESPONS.

Affirmat ſanctus Thomas, virum tunc poſſe accuſare mulierem ſuam, quantumvis pœnitentem, nec cogi poſſe, ut crimen ejus inultum dimittat. Hæc ſunt autem Angelici Doctoris verba, ſimulque argumenta quibus ſuam firmat ſententiam (a): *Pœnitentia uxoris debet inducere virum, ut uxorem fornicantem non accuſet, aut dimittat. Sed tamen non poteſt ad hoc cogi, nec poteſt per pœnitentiam uxor eum ab accuſatione repellere; quia ceſſante cauſſa & quantum ad actum, & quantum ad maculam, manet aliquid de reatu: & ceſſante etiam reatu quoad Deum, adhuc manet reatus quoad pœnam humano judicio inferendam; quia homo non videt cor, ſicut Deus.* Jure ergo uxorem ſuam in judicio accuſare poteſt Bauduinus, nec ab accuſatione impediri poteſt, abſolute loquendo, ipſi abſolutionem denegando.

(a) S. Thom. in 4. diſt. 35. q. un. art. 6. ad 2.

Attamen docendus eſt vir ille, ad caritatem Christianam pertinere, ut in ſimili caſu inexorabilem ſe ſe non oſtendat; & ſatius eſſe, ut acceptam uxori ſuæ condonet injuriam. Nam, ut ait ſanctus Auguſtinus (b): *Quis non intelligat ignoſcere debere maritum, quod videt ignoviſſe Dominum amborum, nec jam ſe debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miſeratione deletum.* Reipſa, *ſi communis conditio*, (qua nimirum in idem, quod conſorti non vult ignoſcere, crimen pronos eſt) pergit idem ſanctus Doctor (c), *fideliter & humiliter cogitetur, non erit turpis, neque difficilis etiam poſt perpetrata atque purgata adulteria, reconciliatio conjugum, ubi per claves regni cælorum non dubitatur fieri remiſſio peccatorum.*

(b) S. Aug. L. 2. de adulterinis conjugiis c. 1. ſeu num. 5.

(c) Idem ibid. c. 9. ſeu num. 8.

CASUS XI.

Flavius Honoriam conjugem ſuam ob adulterii crimen ab ea perpetratum juridice dimiſit: quæ poſtea criminis ſui pœnitens, cum viro ſuo in gratiam redire enixe poſtulat. Nonne ad eam reſumendam tenetur Flavius?

RESPONS.

Ad uxorem ſuam reverti non tenetur Flavius ſub peccati reatu in caſu propoſito: Interveniente namque ſententia fit adulterium publicum: nec in foro interiori ad ream compartem inſons redire obligatur: Cujus quidem rei cauſſam iſtam profert Gloſſa (d): *Sed quæ eſt ratio*, inquit, Gloſſarius, *quare in fornicatione carnali non compellitur maritus uxorem recipere etiam emendatam; ſed in ſpirituali compellitur? Hæc poteſt eſſe ratio: ſi maritus cognoſceret uxorem poſt carnalem fornicationem, poſtea promoveri non poteſt* (ad Ordines videlicet, ob interpretativam quam incurrit, bigamiam) *ea mortua propter defectum ſacramenti; & ſic præjudicium ei fieret ..... ſed hoc non contingit in fornicatione ſpirituali, quia per pœnitentiam purgata eſt.* Quod deinde probat ex Canone Neocæſarienſis Concilii, quem refert Gratianus (e) his verbis: *Si cujus uxorem adulterium commiſiſſe, cum eſſet Laicus, evidenter fuerit comprobatum; hic ad Miniſterium Eccleſiaſticum admitti non poteſt.* Quæ verba iterum in alio Canone referuntur (f), quem Gratianus, Bracarenſi Concilio, licet falſo, adſcribit; ſed quæ ſunt ejuſdem Concilii Neocæſarienſis, & ex quibus Martinus Epiſcopus Bracarenſis 28. ſuum Capitulum compoſuit his terminis: *Si laici uxor in adulterio fuerit deprehenſa, hic talis ad Miniſterium Eccleſiaſticum nullo modo adducatur* (g).

(d) Gloſſa in cap. *Mulier*. fin. de converſione conjugatorum. v. *Judicio Eccleſiæ*.

(e) Concil. Neocæſ. c. 8. in can. *Si cujus*. 11. diſt. 34.

(f) Can. *Si Laic*. 12. d. 34.

(g) Martin. Bracar. Capit. 28. apud Labbe tom. 1. Concil. col. 909.

Ratio autem, propter quam in hoc caſu fit vir ille bigamus, eſt defectus ſacramenti: *propter defectum Sacramenti*: quod quidem explicat ſanctus Auguſtinus, dicens (h): *bigamum non peccaſſe, ſed normam ſacramenti amiſiſſe, non ad vitæ meritum, ſed ad Ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.* Hoc eſt, talem virum Chriſto non eſſe conformem, qui uni tantum virgini ſponſæ, nimirum Eccleſiæ ſe ipſum conjunxit. Id tamen de eo tantum eſt intelligendum, qui carnalem habuit copulam cum muliere, quam adulterii novit eſſe ream; ut obſervat eadem Gloſſa, ſuperius laudata (i).

(h) S. Aug. L. de bono conjugali. c. 18. & in cap. 1. Epiſt. ad Tit. in Can. *Acutius*. 2. diſt. 26.

(i) Gloſſa in cit. cap. *Super eo*. v. *in bigamis*.

Conſentit hæc deciſio cum antiquis Canonibus, & uno præſertim, quem emiſit Pelagius Papa, & in quo ita conſtituit (K): *Illam vero*, inquit, *ſiquidem maritus ſuus ſine dolo aliquo forte accipere voluerit; tua ordinatione ſub cautela recipiat, nullum ei, nihil dumtaxat de cetero committenti, periculum illaturus. Si vero omnino eam recipere noluerit, in alium quemdam locum, in quo ei non liceat male vivere, provida eam diſpenſatione conſtitue.* Eodem modo difficultatem iſtam ſolvit Gregorius IX. (l) in una ſua Decretali, quæ ſic habet; *Mulieres vero*, inquit, *quæ relicto maritali thoro, lapſu carnis ceciderunt, ſi mariti earum a te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ converſas noluerint recipere propter Deum, in clauſtris cum religioſis mulieribus ſtudeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant.*

(K) Pelagius in can. *De benedicto*. 3. 32. q. 2.

(l) Greg. IX. in cap. *Gaudemus*. 19. de convers. conjugat. l. 3. tit. 32.

Ex quibus omnibus facile colligitur, quod ſi converſam mulierem ex caritatis motivo reſumere vir noluerit, a qua per juridicam divortii ſententiam fuit ſejunctus, ad id cogi non poteſt; cum certum ſit, quod, ſi ad id abſolute teneretur, id quidem judicaſſent duo illi ſummi Pontifices, ſimulque juſſiſſent, ut ad id per Eccleſiæ cenſuras cogeretur, ſicut in aliis caſibus id neceſſarium exiſtimantes conſtituunt.*

* Gloſſa in Cap. *Si vir*, Caſum propoſitum paucis verbis reſolvit, confirmatque Pontificii reſponſionem. *Debet*, inquit, *debito honeſtatis uxorem pœnitentem recipere, & non honeſtatis, quia etiam poſt pœnitentiam poſſet eam accuſare de adulterio*.

CASUS XII.

Mævius, qui ob adulterium Titiæ uxoris ſuæ divortium ejus juridice petitum obtinuit, elapſis aliquot menſibus ad eam reverti conſtituit, cum ea, ut ante victurus. Numquid tenetur ad virum Titia reverti, licet ſeparationis ſententia fuerit lata?

RESPONS.

Ad Mævium conjugem reverti tenetur Mævia, eique debitum conjugale reddere. Ratio eſt, quia divortii ſententia a Judice lata non fuit in præjudicium inſontis, ſed in pœnam partis conſciæ: alioqui injuſtum foret illud judicium ex regula juris Canonici, in qua ſic habetur (m): *Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus.* Hæc itaque ſententia Mævio præjudicium nequit afferre, cum in ejus favorem lata fuerit, ac Titiæ acceptam ab ea injuriam libere condonare is valeat.

(m) Reg. 23. de regulis juris in 6.

Ita difficultatem hanc ſolvit ſanctus Thomas his verbis (n): *Illud, quod inducitur in favorem alicujus, non facit ei præjudicium. Unde, cum divortium ſit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem. Unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, ſi fuerit revocata, niſi de licentia ejus votum continentiæ emiſerit.* Idem docet ſanctus Bonaventura (o), addens, quod ſi redire diſſentiret pars conſcia, ad id a Judice Eccleſiaſtico eſſet cogenda. *Si autem*, inquit, *innocens nocentem petit, ut vir caſtus uxorem adulteram; & ſic ipſa invita debet reconciliari per judicium Eccleſiæ: quia ſicut dicunt jura; quod in meum favorem introductum eſt, in meum damnum non poteſt retorqueri.* Ceterum quod a Sanctis iſtis de uxore aſſeritur, viciſſim intelligendum eſt de marito, ſi ipſe ſit nocens, hæc vero innocens: hac enim in re diſcrimen non intercedit virum inter & mulierem. *In cauſſa divortii vir & uxor ad paria judicantur, ut idem ſit licitum & illicitum uni, quod alteri*, inquit ſanctus Thomas (p) conformiter ad Canones, ac ſummorum

(n) S. Th. in 4. diſt. 35. q. un. art. 6. ad 3.

(o) S. Bonavent. in 4. diſt. 35. art. un. q. 1. in corp.

(p) S. Th. cit. diſt. 35. art. 4. in corp.

tum Pontificum Decretales (*a*); quocirca, ſi contra virum nocentem divortii ſententiam obtinuiſſet mulier innocens, & ab eo jam ſejuncta cum eodem reverti poſtularet, vir ad eam redire teneretur. Hic multos omittimus Auctores, qui hanc eamdem tuentur veritatem (*b*), de qoa jam iu tranſitu egimus in animadverſione quinto appoſitu caſoi, qui incipis a verbo Caroloманus.

(*a*) S. Chryſ. in can. *Si quis* c. 31. q. 1. Innoc. I. in can. *Gaudemus*. de divortiis.
(*b*) Richard. in 4. d. 35. ar. 3. q. 4. Petr. Pal. ibq. 2. ar. 2.

CASUS XIII.

Si ante Titia ſolemuem Religionis profeſſionem emiſiſſet, quam eam repoſceret Mævius vir ejus; tenetur ne cum eo in gratiam redire, aut ad id a Judice compeili poſſet?

Respons.

Conſtat, divortium non cenſeri perpetuum, niſi pro parte innocente, ac proinde conſciam partem propria ſua auctoritate, & abſque tacito ſaltem partis innocentis conſenſu, ſtatum mutare non poſſe, uti liquet ex præcedenti deciſione. *Ad illud quod objicitur*, inquit Sanctus Bonaventura (*c*), *quod uterque poteſt vovere continentiam; dicendum, quod falſum eſt: quia fornicans non poteſt, niſi alter conſentiat, & niſi poſt pœnitentiam velit eam recipere.*

(*c*) S. Bonav. in 4. d. 35. q. 5. art. un. ad 2.

Sanctus Autoninus, ſanctorum Doctorum, qui ipſum anteceſſere, ſententiæ fideliter adhærens, eamdem tradit doctrinam his verbis (*d*): *Ipſa autem dimiſſa propter adulterium non poteſt intrare Religionem, contradicente viro... & ſi ingreſſa fuerit contra voluntatem viri, poterit revocari.* Ita etiam Auctor Gloſſæ in Decretales (*e*). Unde ſequitur, Titiam, licet ſolemnia Religionis vota jam profeſſam, a Mævio jure repeti poſſe, & ad revertendum cum illo a Judice cogi.

(*d*) S. Ant. 2. p ſum. Th. t. 3. c. 2. §. 6.
(*e*) Gl. in c. *Ex litteris* 2. v. *Redire*. de divortiis.

Diximus: *abſque tacito ſaltem partis innocentis conſenſu*: quia, ſi viro ſciente in Monaſterium ingreſſa fuiſſet, & poſt elapſum noviriatus annum, eo non contradicente, Religionis vota emiſiſſet, tum ejus profeſſio valida eſſet & inculpabilis. Ratio eſt, quia in hoc caſu Mævii ſilentium pro formali conſenſo haberetur juxta iſtam Bonifacii VIII. regulam (*f*): *Qui tacet, conſentire videtur*; neqoe eſſet ei expoſtulandi locus, quod ſe jure ſuo illa ſtatus mutatione fruſtraretur, ex hac alia juris regula (*g*): *Scienti & conſentienti non fit injuria neque dolus.*

(*f*) Reg. 14 de Reg. jur. in 6.
(*g*) Reg. 27. ibid.

Animadvertere tamen opus eſt, qood cum dicimus, partem innocentem impedire poſſe mutationem ſtatus noxiæ compartis: id intelligendum eſt de tempore conveniente, & non in perpetuom. Nam ſi conſortem emendatam ſincera pœnitentia longo tempore admittere recuſaret; iniquum foret omnino, ut ipſam per totam vitam ab eligendo ſtatu impediret, in quo ſaluti ſuæ contra inſidias diaboli ſæculique illecebras proſpicere valeret. Hioc contendunt ſapientiſſimi Auctores, quod, ſi pertinaciter conſciæ parti, quæ ad meliorem frugem rediit, veniam mutandi ſtatus deoeget innocens, nec eam velit admittere, tum rea poteſt amplecti Religionem, vel, ſi ſit homo, Sacerdotium, quin ad ipſum vel ipſam reverti teneatur. Ita ſentit Gloſſa (*h*) in Decretalem Gregorii IX. quam poſtea afferemus. En verba Gloſſæ: *Mulier ac adulterio condemnata, vel publice deprehenſa, detruditur in Monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiam, ſi eam emendatam vir recipere noluerit. Tamen infra biennium poteſt eam recipere, ſi vult; ſi vero eam noluerit recipere .... tunc tondeatur & habitum monachalem recipiat, ibi perpetuo moratura.* Auctor hujuſce Gloſſæ eamdem rem alibi aſſerit (*i*). Atque iſta Gloſſæ ſententia perfecte conſentit cum ipſo textu Decretalis Gregorii IX. iu hac enim conſtituit bic Papa, ut mulieres poſt adulterium converſæ, ad repulſam virorum ſuorum, in Monaſterio perpetuo manſuræ reponantur: *Mulieres vero, quæ relicto maritali thoro lapſu carnis eeciderunt, ſi mariti earum a te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ converſas noluerint recipere propter Deum, in clauſtris cum religioſis mulieribus ſtudeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant.*

(*h*) Gl. in c. *Gaudemus*. de conv. conjug. v. *In clauſtris*.
(*i*) Gloſ. in can. *Apoſtolus* v. *Vira* 3. q. 7.

Sententiam iſtam æquitate naturali nixam eſſe agnoverunt jura civilia, eamque approbarunt. Sic enim conſtituit Imperator Juſtinianus (*K*): *Jubemus, adulteram..... mulierem, competentibus vulneribus ſubactam in Monaſterium mitti, & ſi quidem intra biennium recipere eam vir ſuus voluerit, poteſtatem ei damus hoc facere & copulari ei .... ſi vero prædictum tempus tranſierit, tonderi eam & monaſticum habitum accipere, & habitare in ipſo Monaſterio in omni propriæ vitæ tempore.* Sic etiam habet alia Authentica, Codici inſerta (*l*): *Adultera in Monaſterium mittatur, quam intra biennium vira recipere licet: biennio tranſacto... adultera tonſa, monaſtico habitu ſuſcepto, ibi dum vivit permaneat.*

(*k*) Novella *Quacumque*. 134. c. 10. Authenticorum Coll. 9. t. 17.
(*l*) Authent. *Sed hodie* Codic. ad leg. Juliam. de adulteriis l. 9. t. 9.

CASUS XIX.

Alpinianus, ducta ſibi uxore Julitta, in hæreſim, vel etiam Mahumeticam Sectam poſt menſem lapſus eſt. 1. Poteſt ne Julitta tuta conſcientia petere divortium? 2. Si Alpinianus ſincere poſt divortium ad meliorem frugem convertatur, num hæc tenetur ad ipſum redire?

Respons.

Fatendom, quod, ut ait ſanctus Thomas (*m*): *Quia infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, etiam eſt contra Matrimonii bonum, quod eſt proles educanda ad cultum Dei, etiam ipſa facit divortium*: quod intelligendum eſt de divortio, quod confirmavit Superior legitimus, præcipue cum pars fidelis de ſubverſione periclitatur, ſuadente comparte infideli. Si igitur Julitta a viro ſuo perverſionis periculum aut etiam a propria infirmitate vereatur; cum eo divortium abſque culpa facere poteſt; ut expreſſe docet Alexander III. his verbis (*n*): *Si conjugem ſuam ad infidelitatis maleficium traxerit, ab eo poterit ſeparari: ita quod ei nubere alii non licebit.*

(*m*) S. Th. in 4. d. 39. q. un. art. 1. ad 3.
(*n*) Al. III. in c. *Quaſivit*. de divort. l. 4. tit. 19.

Diximus, tale divortium non eſſe faciendum, niſi auctoritate legitimi Superioris: Pars enim fidelis, quæ a comparte ſua infideli aut hæretica privata auctoritate diſcederet; ad redeundum cum illa cogi poſſet, ut declarat Urbanus III. (*o*) in una Decretali ad Epiſcopum Florentinum, loquens de divortio cauſſa hæreſis. *De illa*, inquit hic Papa, *quæ viro ſuo labente in hæreſim, ipſius conſortium ſine judicio Eccleſiæ declinavit, videtur nobis, quod mulier, (maxime ſi ea inſecutione diſceſſiſſet, ut lapſus in hæreſim tædio pariter & confuſione affectus, ſe ab errore ſuo converteret) ei, eum reverſus fuerit, eſt reddenda, quæ etiam ſi reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Eccleſiæ ab eo receſſit; ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* Gregorius IX idem declarat dicens (*p*): *Quod mulier, quæ in fide remanſit, poteſt, nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Eccleſiæ ſeparata, ad Religionem libere convolare*; aut ſi Religionem profiteri noluerit, ſæcularibus addicta poteſt remanere deſideriis ex Urbano III.

(*o*) Urb. III. in c. de illa. eod. tit.
(*p*) Gr. IX. in c. *Mulier* final de converſ. conjug.

Contendont quidem nonnulli Auctores, ex his Gregorii IX. verbis inferri poſſe, quod, ſi Monaſterium non ſubeat hæc mulier, ibi Religionem ſolemniter profeſſura, ad virum ſuum converſum reverti tenetur; atque ideo bunc Papam, Urbano III. inferiorem uno ſæculo & amplius, cenſendum eſſe, Decretalem Urbani abrogaſſe. Ita ſentit Auctor Gloſſæ (*q*), cujus hæc ſunt verba: *Sed ſi nollet intrare Religionem, compelli debet ad ipſum redire utroque caſu, ſive fuerit judicio Eccleſiæ abſoluta, ſive non ... Non obſtante illa ſpirituali fornicatione, cum jam ſit emendatus & incipiat eſſe quod non fuit.* Ita etiam ſentiunt Dominicus Sotus (*r*), Hoſtienſis, & alii complures Canoniſtæ (*ſ*).

(*q*) Gloſ. in cit. c. *de illa* v. *Compellendam*, & in cit. c. *mulier* v. *judicio Eccleſiæ*.
(*r*) Dom. Sot. in 4. d. 39. ar. 4.
(*ſ*) Hoſtienſis & alii in cit. c. *de illa*.

Sed e contra, cum nihil aliud in ſua Decretali proferat Gregorius IX. quam quod in tali caſu mulier *poteſt ... ad Religionem libere convolare*; inferendum eſt, eam non teneri ad maritum ſuum reverti, & cum non addat hic Papa ipſam eſſe compellendam ad redeundum in gratiam cum illo, ſi Religionem profiteri nolit: non debet ſupponi, hanc fuiſſe mentem hujoſce Summi Pontificis, quandoquidem Urbani III. Decretalem intactam relinquens id ſolum declarat, quod non dixerat Urbanus, mulierem videlicet in hoc caſu ad Religionem poſſe convolare. Unde ſequitur, quod, cum de jurisprudentia ab Urbano III. conſtituta non loquatur Gregorius IX. eam potius confirmaſſe, quam abro-

Digitized by Google

abrogaſſe cenſendus eſt additione ſua ; quia ex regula, qnam ſtatuit Bonifacius VIII. in ſuis Conſtitutionibus (a) & etiam juxta legem civilem ; com omnis derogatio ſit odioſa, verbis expreſſis declarari debet, ut obtineat. *A jure veteri non recedimus, niſi in quantum reperitur expreſſum* (b). En prima ratio. Altera eſt, quia durior hæc eſſet neceſſitas & non ferenda, ut mulier, licet innocens, teneretur vel ad virum ſuom reverti, a quo Eccleſiæ judicio, hoc eſt a Superiore legitimo fuiſſet ſejuncta, & cujus proinde malas tractationes poſt hujuſmodi ſeparationem non ſine cauſſa vereri poſſet: vel, ſi cum eo in gratiam redire denegaret, ſolemnem, etiam contra propriam voluntarem, Religionis emittere profeſſionem, quam in criminis tantum pœnam vulgo jus præſcribit; ut liquet ex Canone, quem e ſancto Gregorio Magno depromtum refert Gratianuſ (c). Æquius igitur dici poteſt, mulierem hanc poſſe vel Religionem, ſi velit, profiteri; vel liberam in ſæculo remanere, quin ex juſtitia teneatur ad revertendum cum marito ſuo: ad quod tamen teneretur, ut jam diximus, ſi propria auctoritate ab eo diſceſſiſſet. Hæc eſt communior ſententia, quam ſequuntur Paludanus, Gabriel Biel, Major, Barboſa, Petrus Soto, Silveſter, & alii multi (d).

(a) Bonifac. VIII. in cap. cum expedit. 19. de El. &c. in 6. l. 1. t. 6.

(b) Gloſ. in Clementina. multent. v. contra nos de Hæreſ. l. 5. t. 3. leg. *Præcipim.* 32. Codic. de appellat. & conſult. l. 7. t.

(c) S. Gr. in can. *De lapſis* 5. 16. q. 2.

(d) Petr. Pal. in 4. d. 35. q. 1. Gabr. ib. art. 2. Joan. Major. 16 d. 35. Ang. Barb. in cit. c. *De illa*. Petr. Soto ſect. 12. de Matrim. Silveſt. &c.

CASUS XV.

Florus, Socinianorum hæreſim amplexus, Blæſillam uxorem ſuam vehementiſſime ſollicitavit, ot etiam a fide Catholica deſciſceret. Blæſilla, quæ ob repulſam ſuam continue cum Floro jurgatur, quæque juſta de cauſſa veretur, ne tandem ei, qua ſemper pulſatur, tentationi ſuccumbat: goærit; utrum abſque peccato divortium cum marito ſuo facere queat, non expectato legitimi Superioris judicio?

Respons.

Si tanta ſit, tamque vehemens Blaſillæ tentatio, ut juſte timere queat, ne tandem ipſi ſuccumbat; a viro ſuo ſine culpa diſcedere poteſt, non exſpectaro interventu auctoritatis legitimi Superioris. Id vero probari poteſt ex paritate ſævitiæ & malorum tractationum mariti; eas namque evitare poteſt mulier, a marito ſuo propria auctoritate diſcedendo, quin exſpectet, dum id ſibi per Judicem liceat, uti oſtendimus ex Decretali Innocentii III. in deciſione octavæ difficultatis. Atqui ſalus eſt quid multo majoris momenti, quam ſit valetudo, vita, aut alia mundana bona: igitur, cum de Religione ſua periclitetur hæc mulier, ac proinde de ſalute ſua æterna: procul dubio a viro ſuo diſcedere poteſt, quin teneatur ſub peccati reatu ſententiam judicis exſpectare.

Nolumus tamen, tale divortium eſſe perpetuum, ſed eo duntaxat remanere tempore, quo perdurat diſcrimen. Quare, ſi ad fidem Catholicam ſincera converſione Florus remigret; ſtatim cum eo in gratiam redire tenetur Blæſilla: quia hæc eſt juris regula, ut *ceſſante neceſſitate*, inquit Urbanus II. in Concilio Placentino an. 1095. præſidens, *illud quoque ceſſet, quod pro neceſſitate factum eſt* (e).

(e) Urb. II. in can *Ordination*. 5. §. 3. 9. q. 3.

CASUS XVI.

Bassianus, furto ac magiæ deditus, ad eadem ſcelera Domittam uxorem ſuam ſollicitat. Hæc autem ad ea, ſeu lucri ſpe, ſeu curioſitatis explendæ deſiderio vehementer invitatur. Numquid abſque peccato cum viro ſuo divortium facere poteſt, ut vitato periculo in tuto conſcientiam ſuam reponat?

Respons.

Domittæ ſufficit allata cauſſa, ut virum ſuum dimittat; cum ad crimina ſua eam invitet, ac nimiæ ſoæ infirmitatis ſibi conſcia ſit ad reſiſtendum. Ita docet S. Thomas (f) loquens de muliere, quæ ad peccatum mortale virum ſuum trahit; (nam de utroque pariter intelligenda eſt præſens quæſtio). *Hoc intelligendum eſt*, inquit Angelicus Doctor, *quando mulier præſtat magnam occaſionem ruinæ viro ſuo, ut vir probabiliter ſibi de periculo timeat; tunc enim vir poteſt ſe ſubtrahere ab ejus converſatione.*

(f) S. Th. in 4. d. 39. q. un. art. 6. ad 3.

Eamdem doctrinam tuetur ſanctus Bonaventura (g); cum enim permiſit, alterum ex cunjugibus ab alio diſcedere poſſe ob unum adulterii actum, etiam *pro unico ſolo actu .... quantum*, inquit, *fornicans pœniteat*, ſubjungit poſtea: *Propter alia genera peccatorum non poteſt dimittere, nec quantum ad cohabitationem, niſi præſtet occaſionem ruinæ*, inquit, *& vehementer timeatur de lapſu, tunc enim licet dimittere.* Ita quoque mentem ſuam aperit S. Antoninus (h): *Nam & quando uxor præſtat magnam occaſionem ruinæ viro ſuo, tunc vir poteſt ſe ſubtrahere a converſatione ſua.* Hæc ſunt verba hujus Sancti.

(g) S. Bonav. ib. reſponſ. ad dub. 3.

(h) S. Ant. 3. p. ſum. th. 1. 2. c. 21. §. 5.

Doctrinam ſancti Hieronymi ſequuntur tres illi ſancti Doctores: is enim aſſerit (i) quod *melius eſt vitam ſolitariam ducere, quam ob vitæ præſentis neceſſaria æternam vitam perdere.* Expreſſius etiam loquitur ſanctus Auguſtinus his verbis (K): *Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiſcentias, non tantum quæ in ſtupris cum alienis viris aut fœminis committuntur, ſed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, & perniciose turpiterque corrumpunt, poſſit ſine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor virum: quia exceptam facit Dominus cauſſam fornicationis, quam fornicationem generalem & univerſalem intelligere cogimur.* Reipſa ſi alter ex conjugibus ab altero diſcedere poteſt ad tuendam vitam ſuam corpoream, a fortiori poteſt, cum aliter ſpiritualem vitam amittendi periculum vitare nequit, quæ tantum vitam corpoream excellentia ſua ſuperat, quantum anima corpori præſtat, ut loquitur ſanctus Auguſtinus (l); quod tamen de eo caſu intelligendum eſt, in quo alter alterum ad malum perſeveranter ac pertinaciter ſollicitat, & in quo innocens infirmitatis ſuæ ita ſibi conſcius eſt, ut vix ſperare poſſit, ſe tentationem ſuperaturum; quo in caſu verſatur Domitta.

(i) S. Hier. in c. 17. Matth.

(k) S. Aug. in can. *Idololatr.* 5. 28. q. 1.

(l) Idem in can. *Illa* 5. 32. q. 5.

Addi poteſt denique ſententia Gloſſæ, quæ verbis expreſſis difficultatem iſtam ſic ſolvit (m): *Fidelis fidelem bene poteſt dimittere, ſi compellitur ab eo ad mortale peccatum, nec forte reſiſtere poteſt.* Quæ omnia cum iſtis Alexandri III. verbis (n) apprime conſentiunt. *Mulier pro furto vel alio crimine viri ſui, (niſi fidei religionem corrumpere velit) ab eo ſeparari non debet. Verum ſi conjugem ſuam ad infidelitatis maleſi ſum traxerit, a viro poterit ſeparari* (o).

(m) Gloſ. in can. Uxor. 28. q. 1. v. uxor.

(n) Al. III. in c. *Quaſiv.* 1. de divort.

(o) Ita. Nav. Man. 22. n. 22. & apud eum Pal. in 4. d. 39. q. 1. n. 15 Panorm. & alii in cit. c. *Quaſivit*. Toler. Inſt. Sacerd. l. 7. c. 25 Gloſſa in can. *Idololat.* v. *ſacrificare*.

CASUS XVII.

Hyacinthus ab Hunegunda uxore ſua de divortio ob crimen infidelitatis, vel hæreſis juridice laceſſitus, ac timens, ne divortii ſententiam ſubeat, declarat, ſe infidelitatem ſuam aut hæreſim abdicare. Teneturne Hunegunda ſuſceptam omittere accuſationem, atque cum viro in gratiam redire?

Respons.

Accuſationem ſuam omittere tenetur illa mulier. Nam conjux fidelis, uti jam diximus, ab infideli vel hæretico legitime diſcedere nequit niſi in caſu, in quo de perverſione periclitaretur, ſeu ob alterius ſollicitationes, ſeu ob propriam infirmitatem. Conſtat autem, quod ubi reus declarat, ſe ad veram fidem redire velle, conſors illatam actionem intermittere debet, nec jam divortium petere poteſt.

Id quidem manifeſte docet ſanctus Bonaventura his verbis (p): *Tunc eſt in injuriam conjugis* (illa fornicationis ſpecies) *quando conjux in illa perſeverat, quia tunc eſt via ducendi ad corruptionem, & ideo propter illam poteſt fieri ſeparatio, ſi conjux nolit pœnitere: ſi autem vult pœnitere & redire, non poteſt repudiare eam.* Quibus ſubjungit ſanctus ille Cardinalis: *Fornicatio tunc eſt in damnum conjugis, quando dat ei occaſionem ſcandali, vel quando non vult cum eo quiete vivere, niſi conſentiat malefacere.*

(p) S. Bonav. in 4. d. 39 reſponſ. ad dub. 3.

Idem ſentit ſanctus Thomas (q): aſſerit enim, unicum carnalis fornicationis actum, legitimam eſſe divortii cauſſam: *quia*, inquit, *tollitur per eam certitudo prolis & fides frangitur, & ſignificatio non ſervatur, cum unus conjugum pluribus carnem dividat.* Addit poſtea, non idem de infidelitate dicendum, niſi adſit formalis pertinacia. *Propter unum actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, ſed propter*

(q) S. Th. in 4. d. 35. art. 1. ad 3. Item in ſuppl. q. 62. art. 1. ad q.

con-

Digitized by Google

conſuetudinem, quæ pertinacium oſtendit, in qua infidelitas perficitur.

CASUS XVIII.

Adenulfeus, in hæreſim quæ eſt ſpiritualis fornicatio, lapſus, cum Helena uxor ſua pariter mœchata fuerit, juridice poſtulat divortium cum uxore ſua; quæ ipſi hæreſim opponit. Datur ne locus compenſationi criminum in hoc caſu?

RESPONS.

Non eſt compenſationi criminum locus in propoſito caſu: quare admittenda non eſt Helenæ intercesſio, quæ viro ſuo hæreſim exprobrat quam ampleaus eſt. Ratio eſt, quia duo illa crimina omnino ſpecie ſunt diverſa: cum per adulterium frangatur fides conjugalis: per hæreſim vero fides tantum, proprie loquendo, Deo ſoli, non ſponſo promiſſa. Quare divortium requirere poteſt Adenulphus, quin valeat Helenæ intercesſio, aut crimen ipſius cum viri crimine compenſari poſſit; cum inter paria ejuſdemque naturæ crimina hujuſmodi compenſatio debeat admitti, ut ait Innocentius III. in multis ſuis Decretalibus, quas ad marginem indicare ſat eſt (*a*): quod etiam cum Legibus Romanis conſentit (*b*.

(*a*) Innoc. III. in cap. *Tua*, fin. de adult. & ſtupro.

Cum paria crimina compenſatione mutua deleantur. Item in cap. *Intelleximus*. pen. eod. tit. lib. 5. t. 16.

(*b*) Leg. Si uxor. 13 §. *Judex*. 5. ff ad leg. Juliam. de adulteriis.

CASUS XIX.

Victorianus, militiam ſequi volens. Joannem uxorem ſuam ſecum vult in caſtra ducere. An hæc tenetur ad ſequendum virum ſub reatu peccati mortalis?

RESPONS.

Non exiſtimamus, mulierem hanc teneri ad ſequendum virum in caſtra: quamvis enim mulier, ut plurimum ad ſequendum virum ſuum teneatur; injuſtum tamen videtur, ſi ad id cogatur, cum abſque gravi ſuo incommodo, & etiam ſalutis, vitæ ac valetudinis ſuæ periculo id ipſum præſtare nequit. Quod plerumque evenit iis qui arma gerunt, ac præcipue feminis, ob infirmitatem ſexus, corporis ac mentis earum. Ita ſentiunt Sotus, Abelly, aliique complores contra quoſdam, de quibus loquitur Gloſſa (*c*).

(*c*) Gloſſa in Can. *Unaquaque*. 3.13. q.2. v. *sequatur*.

CASUS XX.

Agatha Germano nupſit, quem profesſione multivagum noverat, idque ob malum finem, v. gr. ad furandum quidquid arripere poterat in locis qua tranſibat. Tenetur ne mulier virum in hoc caſu ſequi ſub reatu peccati mortalis, ſi is forte velit?

RESPONS.

Mulierem hanc ad id nullatenus teneri putamus, quia is, qui ea mente vagatur, non modo infamiæ, ſed & mortis periculum ſubit, cui eidem mulier ſe committeret, eum ſequendo, vel ſaltem ipſius peccatorum ea fieret particeps. Quare, ſi in eodem conſilio permaneat Germanus, ipſum Agatha, ne dum ei obtemperet, ut potius deſerere tenetur. Nam ut ait Eccleſiæ Pater (*d*): *Non ſemper malum eſt non obedire præcepto. Cum enim dominus jubet ea quæ ſunt contraria Deo, tunc ei obediendum non eſt.* Et licet vir ſit caput mulieris, eique ſubditam eſſe neceſſe ſit, ut ait S. Hieronymus (*e*): certum eſt tamen, eam nullum ei debere obſequium in iis, in quibus offenditur Deus, ut ait idem Sanctus a Gratiano (*f*) in Canone relatus: *Si bonum eſt quod præcipit Imperator & Præſes,* inquit hic Doctor, *jubentis obſequere voluntati: ſi vero malum, reſponde ei illud de Actibus Apoſtolorum* (*g*): Obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Hoc ipſum & de ſervis intelligamus apud dominos, & de uxoribus apud viros, & de filiis apud parentes, quod in illis tantum debeant dominis, viris, parentibus eſſe ſubjecti quæ contra Dei mandata non veniant.*

(*d*) In can. *Non ſemper*. 98. 11. q. 3.

(*e*) S. Hieron. in cap. 2. Epiſt. ad Titum. in can. *Cum caput*. 15. 33. q. 5.

(*f*) Idem in c. *Si Dominus*. 93. ead. cauſſa & q.

(*g*) Act. 5. 3.

Confirmari poteſt hæc deciſio auctoritate S. Antonini (*h*), qui, cum præmiſit, alterum ex conjugibus graviter ægrotantem non teneri ad reddendum conſorti debitum conjugale, ſubjungit: *Ex iſto principio dicunt etiam aliqui probabiliter, quod ſi vir eſt fur & incorrigibilis, propter quod uxor cum eo quotidie periclitatur ad mortem per injuſtitiam factorum, poteſt fugere & eam relinquere, ne moriatur cum eo.* Eodem modo ſentiunt Navarrus (*i*), Silveſter & alii multi. *Tenetur eum ſequi,* inquit hic Canoniſta, *quamdiu ex honeſta cauſſa ille vagaretur: non tamen, ſi ob turpem cauſſam id faceret, vel circumduceret, exponendo eam peccati vel mortis periculo: quia tunc nullatenus ipſum ſequi tenetur; qui enim ita vagatur, abſque dubio peccat, & proinde non eſt illi conſentiendum.*

(*h*) S. Antoni. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 20. §. 10.

(*i*) Navarr. Manual. c. 14. n. 20. Silveſter de Prierio. v. Uxor. q. 5.

CASUS XXI.

Susanna, a Raymundo viro ſuo averſa, proprio nutu & abſque legitima cauſſa diſceſſit ab eo. Cum ipſam recipere, neque illi ullatenus opitulari voluerint ipſius parentes; paullo poſt magna oppreſſa eſt egeſtate. Quæritur jam, utrum Raymundus qui dotem ejus 1200. librarum accepit, non teneatur ſub reatu peccati, ei neceſſarium ſaltem victum ſuppeditare, ne delinquendi occaſionem ei præbeat egeſtas?

RESPONS.

In caſu propoſito non tenetur Raymundus neceſſarium Suſannæ victum præbere, niſi ad extremam redacta eſſet neceſſitatem, qua ipſius tantum auxilio liberari poſſet. Ratio eſt, quia vir mulierem ſuam alere non tenetur, niſi in quantum ſecum cohabitat, ſibique convenientem ea ſtatui ſuo operam reddit. Cum igitur ſola peccati conſcia ſit Suſanna ob injunſtum cum marito ſuo divortium ea ſola ſua in eum averſione ortum, par non eſt, eam a Raymundo victum ac veſtitum accipere, ea hac juris regula (*k*): *Non debet aliquis alterius odio prægravari.* Et etiam minus æquum eſt, ut in proprium commodum hujuſce mulieris cedat ipſius culpa, cujus conſecutiones omnes ſibi ſoli debet adſcribere ex hac alia pariter juris regula (*l*): *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare* (*m*).

(*k*) Reg. 22. de reg. juris in 6.

(*l*) Reg. 86. ibid.

(*m*) Colloq. Cond. 1. 2. Colloq. 15. ſeſſ. 3.

CASUS XXII.

Mohammedes & Abbassa uxor ejus, ambo religione Mahumetani, Budæ in Hungaria aliquamdiu commorati ſunt; atque Abbaſſa ibi fidem Chriſtianam amplexa eſt, Mohammedes vero in infidelitate ſua perſeverans, cum quiete cum muliere ſua agere deberet, indeſinenter in Chriſtianam religionem invehit, Chriſtique nomen blaſphemat, a muliere tamen ſua diſcedere nolens. Numquid cum Mohammede, etiam invito, divortium facere poteſt Abbaſſa ſine peccato?

RESPONS.

Certum eſt, Abbaſſam a Mohammede, quantumvis reluctante, diſcedere poſſe. Ratio eſt, quia tale matrimonium, etiam quoad vinculum diſſolvitur, ubi pars una fidem amplexa eſt, & conſors ejus cum ea habitare non vult, aut cum ea manere tantum eligit in Chriſtum ejuſque religionem blaſphemando, aut eam ad infidelitatem ſuam vel peccatum trahere volendo. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat,* inquit Apoſtolus (*n*): *Non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi.* Ita queſtionem hanc ſolvit Innocentius III. ad Ferrarienſem ſcribens Epiſcopum (*o*). En autem verba hujuſce ſummi pontificis: *Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente; qui relinquitur ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit: & in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus*: Si infidelis &c. Exiſtimant etiam nonnulli auctores tale matrimonium, etiam quoad vinculum diſſolvi, ubi pars quæ in infidelitate ſua permanet, ad fidem Chriſtianam venire refugit. Eorum ſententiæ favere videtur Concilium Toletanum an. 633. a Gratiano relatum (*p*), cum prohibet, ne pars fidelis cum infideli communicet, ne ab infideli is pervertatur: quod tamen non erat in uſu primis Eccleſiæ ſæculis, quæ volebat, ne fidelis ab infideli diſcederet; ut videre eſt apud S. Auguſtinum (*q*).

(*n*) 1. Cor. 7. 15.

(*o*) Innoc. III. in cap. *Quanto*. 7. de divortiis. l. 4. tit. 19.

(*p*) Conc. Tolet. 4. in can. *Judæi*. 10. & in can. *Sæpe*. 17. 28. q. 1.

(*q*) S. Aug. l. 1. de adult. conjug. in c. 18. in can. *Sic enim*. 9. eadem c. & q.

R r CA-

CASUS XXIII.

Saladinos & Neomiſia uxor ejus, ambo infidelitatis tenebris demerguntur; ſed Neomiſia abjectis erroribus, Chriſto nomen dat, ac recuſante Saladino, quietam ſecum vitam agere, nec Chriſti nomen blaſphemare, ab eo diſcedit, ac ſolemnem religionis profeſſionem emittere parat. Paullo poſt Saladinus Chriſti fidem amplectitur, ac Neomiſiæ declarat, ſe velle, ut ad ſe revertatur, maritali ut prius ſecum affectu victura. Quid tum facere tenetur Neomiſia?

Respons:

Diſtinctione opus eſt: nam ſi legitimi Superioris auctoritate a viro ſuo diſceſſit Neomiſia, religioſam vitam, eo invito, poteſt amplecti juxta iſtam Gregorii IX. deciſionem (a): *Mulier quæ in fide remanſit, poteſt, nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Eccleſiæ ſeparata, ad religionem libere convolare.* Id quoque probari poteſt ex Decretali Urbani III. ad Epiſcopum Florentinum (b), in qua declarat hic Papa, mulierem quæ ex Eccleſiæ ſententia a viro, hæreſis cauſſa diſceſſit, non teneri ad ipſum recipiendum, etiam converſum. *Si vero judicio Eccleſiæ ab eo receſſit, ac recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam*, quia inquit Gloſſa (c), *exceptio ſemel acquiſita ex ſententia, ſemper durat*. Sed in hoc caſu addit Gloſſa alibi (d): quod ſi mulier illa nec religionem profiteri, nec ad virum ſuum reverti vellet, ad alterutrum eſſet compellenda. *Sed ſi nollet intrare religionem, compelli debet ad ipſum redire*. Qua de re ſententiam noſtram jam in reſponſione ad duodecimam difficultatem aperuimus.

Sed ſi Neomiſia a Saladino privata auctoritate, neque exſpectato ſuperioris legitimi judicio diſceſſiſſet, religionem, viro ſuo converſo reluctante, amplecti non poſſet, ut ait auctor ejuſdem Gloſſæ, & ad ejus petitionem cum ipſo redire eſſet compellenda, ex deciſione Innocentii III. (e): *Quod ſi converſum ad fidem & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellatur*. Quod etiam verum eſt, licet alteras jam Neomiſia bona fide nuptias contraxiſſet poſt repudium; dum adhuc erant infideles. Nam Saladinus, in eo etiam caſu, illam reſumere teneretur: neque obſtaret, quod ſecundis illis nuptiis adulterium ea commiſiſſet; ab eo quippe illam aliquatenus excuſant bona fides & error: *quamvis quoque ſecundum Evangelicam veritatem, qui duxerit dimiſſam, mœchatur*, inquit idem ſummus pontifex, *non tamen dimiſſor poterit objicere fornicationem dimiſſæ pro eo quod nupſit alii poſt repudium; niſi alias fuerit fornicata*.

(a) Greg. IX. in cap. *Mulier*. de converſ. conjugat. lib. 3. tit. 32.

(b) Urbanus III. in cap. *De illa*, 6. de divortiis.

(c) Gloſſa in cit. cap. *De illa*.

(d) Gloſſ in cit. cap. *Mulier*.

(e) Innoc. III. in cap. *Gaudemus*. 8. de divortiis.

DOMICILIUM.

Vide Impedimentum Clandestinitatis.

DOMINI PAROECIARUM.

Vox illa, *Dominus*, quandoque pro titulo auctoritatis, aliquoties etiam ſimpliciter pro titulo honoris, & aliquando etiam, præcipue in Sacra Scriptura, aliiſque piis operibus, pro Deo ſumitur, qui antonomaſtice Dominus eſt.

In hoc vero Titulo ſumitur vox illa pro Domino feudali, hoc eſt, Domino loci, qui feudalis eſt, & a principali feudo pendet: vel pro Domino cenſuali, qui nimirum jus habet percipiendi cenſum de prædio: unde jura & debita Domini dicuntur poteſtas percipiendi, & ipſa etiam actualis perceptio quorumdam fructuum ſeu emolumentorum de prædiis, quæ a Domino habentur.

Ex dictis conſtat, multas eſſe Dominorum ſpecies; ſcilicet Dominus qui forum habet, Dominus feudatarius, Dominus cenſualis, Dominus Superior, & Dominus Princeps.

Dominus cui competit forum, is eſt, qui proceſſuum cauſſa ſupremam, mediam & infimam, vel mediam & infimam, vel infimam ſaltem habet juriſdictionem.

In Gallia poteſt eſſe quis Dominus feudatarius, nec tamen juriſdictionem habens. Nullus Dominus cui competit juriſdictio, per ſe ipſum, ſed tantum Judicis a ſe in eam rem delegati miniſterio jus dicere poteſt.

Judex Domini cui competit ſuprema juriſdictio, de omnibus delictis cognoſcere poteſt, quæ inter Regia delicta non numerantur; reos extra fines juriſdictionis ſuæ exſilio, pœnis corporeis, & etiam capite damnare: & ſi quam intra fines ſupremæ juriſdictionis bonorum profert confiſcationem, in Domini commodum convertitur, exceptis caſibus læſæ Majeſtatis & falſæ monetæ, in quibus Dominio regio addicuntur confiſcationes.

Ad ſingulos Dominos quibus competit alta juriſdictio, adveniunt bona eorum qui ſine heredibus moriuntur; idque jure, quod *exheredentia* dicitur. Pariter illegitimorum bona apprehendit, 1. qui intra fines juriſdictionis ſuæ nati ſunt. 2. Qui actuale ibi habent domicilium. 3. Qui ibi mortui ſunt abſque liberis e legitimo toro procreatis, quarum trium conditionum ſiqua deficiat, tunc eorum bona Regis ſunt. Eidem pariter Domino competit jus caduci temporarii, hoc eſt, jus apprehendendi res amiſſas intra limites juriſdictionis ſuæ, quæ a nullo Domino repetuntur, obſervatis tamen formulis, quas præſcribit conſuetudo.

Ad ipſum pertinent Honoraria jura; ac præſedentiæ honore in Eccleſia potitur,

Digitized by Google

tur immediate poſt Patronum qui eam vel ædificavit, vel doravit, ut poſt ejus mortem ipſius heredes faſciam lugubrem ipſius gentilitio ſcuto decoratam depingi curare poſſunt: ſed faſcia illa extra muros Eccleſiæ apponenda eſt, cum eam intra dominus Patronus ſolus habere queat.

Denique dominus cui alta competit juriſdictio, mediam & infimam juſtitiam vaſſallo ſuo conferre nequit in iis prædiis quæ ab eo clientari jure obtinuit; ne videlicet ob talem conceſſionem multiplicentur juriſdictiones, ultra modum jam numeroſiores.

Judici domini qui mediam habet juriſdictionem, convenit cognitio rerum civilium quæ reales ſunt vel perſonales aut mixtæ, & etiam delictorum quorum reparatio fieri poteſt per mulctam ſexaginta aſſium Pariſinorum; & ſi ea forte majorem infligi pœnam exigat; reum ad Judicem altæ juriſdictionis remittere tenetur. Ipſi quoque competit nominatio tutorum & curatorum pupilli, appoſitio ſigillorum, confectioque indicis bonorum pupillo derelictorum.

Dominus cui infima competit juriſdictio, eam quoque exercet Judicis miniſterio quem committit, & ad quem pertinet cognitio actionum perſonalium, ad ſummam uſque 60 aſſium Pariſinorum, & etiam delictorum pro quibus tamen mulctam infligere nequit, niſi ad ſex aſſes. Pariter reos qui in ſua juriſdictione verſantur, carceri demandare poteſt, ſed tamen eoſdem paullo poſt ad carcerem ſuperioris judicis transferri, curare debet. Denique hoc ei jus competit, ut poſtulet a ſuperiore Judice, ad ſe remitti cauſſas, quæ ſunt ſui fori.

Dominus qui cenſualis dicitur, is eſt qui feudum poſſidet cui annexum eſt jus ſibi debiti cenſus. Dominus vero dominans is appellatur qui Feudum poſſidet a quo pendet aliud feudum: Dominus vero ſupremus nuncupatur is, a quo pendet ſecundariæ clientelæ dominus, ut infra dicetur.

Sed ut iſta melius intelligantur, ſciendum feudum eſſe conceſſionem alicujus prædii ſeu hereditatis, aut juris immobilis ab eo factam qui ejus eſt dominus cum exceptione dominii directi; ita ut vaſſallo utile tantum dominium transferat cum onere fidelitatis quæ a feudo primariæ notæ ſeparari nequit; licet nunc hujuſmodi fidelitas ſit tantum formula, honoriſque atteſtatio; & inſuper ſolutionis jurium ſeu debitorum in fundo retentorum qui vaſſallo mancipatus eſt.

Cum fidem, & homagium, aut jurium ſolutionem facere domino ſuo non curat aut renuit vaſſallus, is ad id poteſt compelli per juridicam feudi detentionem qua ipſius fructus ſuos facit, donec officio ſuo ſatisfecerit vaſſallus. Ita ſtatuunt univerſim Regni conſuetudines. Si tamen fidem & homagium præſtiriſſet vaſſallus, ita ut de jure utili debito domino tantum ageretur, juridicam jam detentionem is adhibere nequit: acceptis namque ſemel a vaſſallo ſuo fide & homagio, jam ei ſimplicem tantum inferre poteſt actionem juxta multas conſuetudines. Aliunde tamen certum eſt, non teneri dominum ad recipiendam vaſſalli ſui fidem, donec omne ſibi debitum perſolverit.

Quod ſpectat ad formulas in feudali detentione ſervandas, patriam quiſque Dominus conſuetudinem ſequi tenetur. Ex Pariſienſi conſuetudine (a) feudalis detentio triennalis eſſe debet: unde tribus alternatim annis renovanda eſt. (a) Conſ. Pariſ. art. 31.

Is eſt autem hujuſce feudalis detentionis effectus, ut durante detentione feudi retenti fructus ſuos faciat dominus, ne quidem exceptis fructibus civilibus, quales ſunt cenſus & reditus molétrinæ aut domus quos habet dominus pro rata parte temporis per quam ſubſiſtit detentio. Idem dicendum de reſtitutoria & quintaria actione quæ uti fructus civiles ad dominum pariter attinet, quando contingit tempore feudalis detentionis, non vero cum ante contigit, aut eam habuit vaſſallus, etiam ante annum elapſæ actionis reſtitutoriæ. Fructus vero naturales, quales ſunt fœnum, piſces ſtagni, ſilvæ tonſiles, & etiam fructus qui ex induſtria proveniunt, ut tritica & vina, ſuos non facit dominus qui feudalem obtinuit detentionem, niſi ex eorum perceptione actuali.

Advertendum tamen circa priores fructus, quod ſi unicum eſſet ſtagnum, aut unica ſilva cædua: nec dum fluxerit tempus piſcationis, aut cæſionis ſilvæ, & per annum tantum permanſiſſet detentio; de iis ſibi tantum vindicare poſſet dominus, quantum annus peperiſſet.

Dominus feudatarius non ſolum clientis ſui feudum primarium, ſed & ſecundaria feuda detinere poteſt, hoc eſt quæ a feudo detento pendent,

eorumque fructus ſuos facere, ut feciſſet vaſſallus, cum ſecundarii vaſſalli ſeu clientes nondum vaſſallo ipſi primario a quo ea obtinent, fidem & homagium præſtitere.

Quando feudum ſuum conduxit vaſſallus, non tenetur dominus cenſu ipſo eſſe contentus, niſi ſit ipſe infeudatus, hoc eſt a domino approbatus cujus dominio ſubjacet feudum: & in hoc caſu non obligatur pariter dominus ad ſolutionem cenſuum aliorumve onerum, quæ feudo impoſuit vaſſallus (*a*).

(*a*) Conſuetud. Paris. art. 58. & 59.

Quadraginta diebus poſt fidem & homagium a vaſſallo domino præſtita, tenetur vaſſallus ipſi confeſſionem & enumerationem dare, hoc eſt inſtrumentum membraneum a Notario confectum in quo rerum omnium ſtatus habeatur in quibus conſiſtit beneficiarium feudum & ejus dominium, ne quidem cenſibus exceptis aut ſecundariis feudis; quam confeſſionem & enumerationem ſi elapſis quadraginta prædictis diebus non habeat dominus, is feudum detinere poteſt & procuratores conſtituere ad perceptionem atque cuſtodiam fructuum quorum rationem apud vaſſallum habere debent: quod in hoc caſu dominus ſuos non faciat fructus (*b*).

(*b*) Conſuetud. eiſd. a. 8. & 9.

Data a vaſſallo enumeratione, ſeu, ut ajunt, feudi canone, quadraginta tantum domino conceduntur dies, ut deſignet & improbet quæ nimia huic a vaſſallo fuere inſcripta, vel omiſſa: hanc autem ſi non redarguat, tunc accepta tenetur confeſſio ex Pariſienſi conſuetudine (*c*) qua cum aliæ multæ non conſentiunt quoad dilationem, & pœnam quam non ea data incurrit vaſſallus.

(*c*) Ib. ar. 10.

Domino etiam alia jura competunt, ut redhibitio feudalis de qua diximus in verbo, *redhibitio*; jus reſtitutionis ſeu quintariæ redemptionis & commiſſi, quando dignum morte crimen in dominum ſuum commiſit vaſſallus.

Domini quoad omnia jura ſua dominialia, cæteris omnibus creditoribus anteponuntur (*d*).

(*d*) Conſuetud. Pariſ. art. 258.

Debitam domino ſuo fidem, aut feudi ſui clientelam etiam intra 100 an. ſpatium præſcribere nequit vaſſallus, ut fert conſuetudo Pariſienſis (*e*).

(*e*) Ib. ar. 12.

Nec viciſſim detentum in vaſſallum feudum uſucapere poteſt dominus: ſed in ſe invicem uterque præſcribere poteſt, quidquid ad jus infeudationis non pertinet.

Tandem dominus qui feudum aut plebejæ conditionis prædium intra feudum ſuum contentum acquirit, ea ſi velit in unum idemque feudum adunare poteſt, ſi tum cum acquirit, idipſum declaret: & ex quibuſdam etiam conſuetudinibus, ea conjunctio ita eſt de jure, ut ejus non requiratur declaratio (*f*). Depromtæ ſunt iſtæ regulæ ex inſtitutione ad jus Gallicum compoſita a domino Argou, Senatus Pariſienſis Cauſidico (*g*), eaſque initio hujuſce tituli apponendas eſſe duximus, quod ſpecialius ad Parœciarum dominos, quam alios ſpectent.

(*f*) Conſuetud. Pariſ. art. 53.
(*g*) L. 2. c. 2. pag. 99. & ex Edictu anno 1693.

CASUS PRIMUS.

DIOGENIANUS Parœciæ ſancti Gerontii in Normandia dominus appellato Gabriele cliente ſuo cujus a paucis menſibus pater obierat, ut apud ſe agros clientelaris ſuæ ditionis profiteretur, quos habebat ſub onere quorumdam jurium atque obligationum, ab eo requiſitus eſt, ut primigenium titulum ſuum in medium proferret. Is vero unum oſtendit cui adſcripta erat dies 16. Januarii an. 1495. ſed cum a nemine ſubſcriptus eſſet hic titulus cui tantum appenſum erat ſigillum; hinc tamquam deficientem aut ſuppoſitum habens Gabriel, huic ſe non teneri in conſcientia exiſtimavit ad fidem adhibendam; quocirca domino ſuo litem inferre conſtituit. Numquid legitima eſt & æqua ejus voluntas tam quoad forum externum, quam quoad internum?

RESPONSIO.

Conſtat Gabrieli nullam ſuppetere legitimam rationem in utroque foro: neque enim mirum videri debet, ſi infeudationis contractus qui primum eſt inſtrumentum quo continetur prima obligatio reciproca domini & vaſſalli ſeu clientis, quodque declarat cenſus dominiales, jura & ſervitutes quibus ſe cliens obſtrinxit, neque a Domino ejuſve cliente qui tum ſuperſtites erant, fuiſſet ſubſcriptus. Ratio eſt, quia pluribus ſæculis mos ille obtinuit, ut veterum inſtrumentorum extremis nulla apponeretur contrahentium ſubſcriptio ſeu chirographum, & quia ſigillum iis appendi ſolitum ſubſcriptionis loco fuit; unde dicebatur *annulus ſignatorius*.

Praxis hujuſce teſtes ſunt Paſquier (*h*), Loiſeau, Berault (*i*) & Godefridus (*K*) qui de Normana conſuetudine loquens dicit: *Certum eſt, quod prædictum chirographum non erat in uſu ante reformatam conſuetudinem; unde exiſtimo, confeſſiones tempore conſuetudinis antiquæ præſtitas eſſe nihilominus legitimas & validas & fidem facere, licet non ſint ſubſcriptæ*. Quod probat hic Auctor ex Arreſto lato pro quodam nomine Fleuri, D. Petri Noblet Sacerdotis Vaſſallo cui confeſſionem exhibebat ab eo non ſubſcriptam qui eam fecerat, & quæ tamen valida habita eſt ob teſtimoniales litteras quibus deſignabatur, quod ex antiquo uſu vice-comitatuum Balliviatus de Corentino confeſſionibus domino ſuo factis non chirographum apponebant clientes.

(*h*) Paſquier. Inquiſit. c. 21.
(*i*) Berault in Conſuet. Norman. art. 412.
(*K*) Godefridus ib. ar. 175.

Poteſt etiam probari hic uſus ex duabus ſancti Bernardi epiſtolis: priori ad Ludovicum juniorem ad quem ita ſcribit hic Sanctus: *Sigillum non erat ad manum; ſed qui leget agnoſcet ſtilum, quia ipſe dictavi*. Quam rationem non allegaſſet hic Sanctus, ſi epiſtolæ ſuæ chirographum ſuum vel ſigillum dumtaxat appoſuiſſet. Eamdem etiam cauſſam adhibet, ut ſe Bauduino Epiſcopo Noviodunenſi excuſet (*l*): *Materies locutionis pro ſigillo ſit*, inquit hic Sanctus, *quia ad manum non erat*. Id etiam ve-

(*l*) S. Bern. ep. 359.

Digitized by Google

veriſimile eſt, quod inſtrumentis a ſe confectis chirographum ſuum non apponebant Notarii, ſigillo ſuo unice contenti; unde etiamnum contractus aliaque inſtrumenta eorum, exſecutioni demandari nequeunt, niſi ſigillo ſint munita. Penes nos eſt quoque inſtrumentum archetypum, quod tale habitum eſt, nimirum ratihabitio fundationis Prioratus cujuſdam Ordinis ſancti Auguſtini, cui adſcribitur ann. 1411. & quo continetur inſtrumentum fundationis, datum 30. Auguſti an. 1381. & a nemine ſubſcriptum.

Denique aſſerit Godefridus, confirmata ſemel & approbata in ſanctiori Regis conſilio conſuetudinis Normanæ conſuetudine 7. Octobr. 1585. tam neceſſariam fuiſſe partium ſubſcriptionem, ut authentica fierent deinceps inſtrumenta conficienda intra fines juriſdictionis hujuſce conſuetudinis; uti jam prius conſtituerant Henricus II. an. 1557. pro Britannia; & Carolus IX. in Comitiis Aurelianenſibus pro ceteris omnibus Regni Provinciis: quæ Conſtitutio cum obſervata non eſſet, Henricus III. Edicto ſuo Bleſenſi ann. 1579. (a) Senatus Pariſienſis auctoritate 25. Januarii an. 1580. confirmato, omnes Notarios coegit, ut inſtrumenta a ſe confecta a contrahentibus ac neceſſariis teſtibus ſubſcribi curarent, indicta pœna nullitatis eorumdem contractuum, & mulctæ arbitrariæ in Notarios.

(a) Edictum Bleſenſ. art. 165. & 166.

Ex his ſequitur, teneri Gabrielem, ad agnoſcendam validitatem inſtrumenti, a Diogeniano ſibi exhibiti: quia legitimum eſt & validum, licet nec a Domino, nec a Vaſſallo ſubſcriptum, ipſi tantum ſigillum fuerit appoſitum, quod tunc chirographi uſus non obtineret. Addi poteſt Domino huic ſavere poſſeſſionis titulum, cui nullum contrarium objicere poteſt Gabriel, ex quo Diogeniani inſtrumentum falſum eſſe comprobet.

CASUS II.

MENOPHANTUS, ingentis cujuſdam Parœciæ, quæ Pariſiis quinque leucas diſtat, Dominus jus beneficiarium & curvatarum ſeu curvadarum, quæ nihil aliud ſunt, quam operæ obſequium a vaſſallis præſtitum, a multis annis poſſidet, & jus etiam portorii ſeu terra ſeu fluvio. Jura illa ipſi denegant omnia decem aut duodecim præcipui ejus clientes, ſimulque eorum ſolutionem, donec eorum titulum ſibi exhibuerit. Numquid legitima eſt eorum interceſſio; & Menophantus ad ſolutionem vel propria auctoritate, vel juſtitia eos adigere poteſt, licet ſolo poſſeſſionis titulo fruatur?

RESPONS.

Certum eſt, juxta Pariſienſem conſuetudinem (b) nulli Domino competere jus beneficiarium aut curvatarum in clientes ſuus, niſi legitimis inſtrumentis jus ipſius nitatur. *Nullus Dominus*, inquit hæc conſuetudo, *clientes ſuos adigere poteſt ad furnum ſe conferre vel molendinum, quæ juris eſſe beneficiarii contendit, aut operæ obſequium ſeu curvadas facere; niſi validum hujus habeat inſtrumentum ſeu confeſſionem & enumerationem.* Ea autem ratione ducti ſunt hujuſce conſuetudinis ſcriptores, quod præſumi poſſit, a Dominis cogi poſſe clientes ad ſervitia curvataſque ſibi indebita: quo fit, ut eos a proprio labore impediant, eoſque cogant ſolum vertere, atque agellos ac prædiola ſua deſerere; quod bono & Regis & communitatis adverſatur, ut obſervat D. Ferrerius in hunc articulum, de quo duo affert Arreſta Senatus Pariſienſis; alterum a Charonda relatum (c), ac menſe Martio ann. 1507. latum, & alterum 21. Julii an. 1570. additque id ipſum manifeſte conſtituere Aurelianenſem conſuetudinem (d), atque naturali æquitati conſentire.

(b) Conſuetud. Pariſienſ. art. 17.

(c) Charondas. lib. 2. Reſponſ. cap. 12.

(d) Conſuetud. Aurelian. art. 100. & 101.

Is tamen ab hac regula caſus eſt excipiendus, cum nimirum ditioni jus illud eſt annexum, ut fit ſecundum aliquot conſuetudines, in quibus eo potiuntur Domini altæ Juriſdictionis aut feudatarii ſolo ditionis ſuæ titulo, quocumque alio rejecto, ut fit in Marchia (e): ita dijudicavit Senatus Pariſienſis ex Arreſto lato 6. Septembris an. 1625. quod refert Brodelius.

(e) Conſuetud. Marchiæ art. 312.

Contrarium omnino conſtituitur ex aliis conſuetudinibus, in quibus ut Pariſienſi, jus illud nec feudale eſt nec domaniale, ſed ſolum privatum, & quod proinde a Domino in clientes ſuos præſcribi nequit, licet in Dominos poſſit a clientibus, per interruptionem poſſeſſionis 30. annorum, juxta Arreſtum Senatus Pariſienſis, quod refert Brodelius, conformiter latum 22. Auguſti an. 1598. pro Nicolao Favier curiæ Conſiliario, contra Jacobum Des Jardins & ejus uxorem, qui licet validis muniti inſtrumentis, 30. annos prætermiſerant ſine juris ſui uſu, & qui ex eo ſolo ab eo exciderunt juxta illud Arreſtum. Idem de Eccleſia dicendum foret per interruptionem 40. annorum.

Obſervandum, quod, cum addit conſuetudo: *Nec titulus hic validus reputatur, niſi viginti quinque annos antecedat*; id ſolum intelligitur de titulo, conſentientibus omnibus vaſſallis tranſacto viginti quinque annis ante reformatam conſuetudinem Pariſienſem; quæ reformatio an. 1580. facta eſt, hoc eſt, tempore libero, & ante bella civilia ac factionum tumultus, qui ſtatim contigere, mortuo Henrico II. an. 1559. Quocirca nunc tempus illud 25. ann. non requiritur; & validus eſt titulus ab eo die, quo huic conſenſu unanimi aſſenſere incolæ, ut acute obſervat D. Ferrerius, qui hanc additionem Pariſienſis conſuetudinis articulo factam, ut inutilem & caducam habet.

Quod ad cetera ſpectat jura de quibus in caſu propoſito agitur, ſtandum eſt Principis Edicto. Edictum an. 1669. (f) ad aquas & ſilvas pertinens expreſſe conſtituit, Dominis qui eo jure fruuntur, non ſufficere titulum, ut illud exigant: neceſſe eſt enim, ut eo titulo feratur, hoc eis jus fuiſſe conceſſum, eo quod ſartum aliquod opus publicum tueri compellantur, v. gr. amnem tergere ad navigationem, pontes ſuperpoſitos reficere, eumque molibus & aggeribus munire, vias publicas & alia ſimilia concinnare. Si igitur Menophanti titulus non ſit hujuſmodi, non ſine cauſſa ipſi jurium ſuorum ſolutionem denegant clientes; cum, ut ſupponitur, Principis legi ſint contraria.

(f) Edict. de Aquis & Silvis ann. 1669. tit. de juribus Portorii, art. 5.

Ceterum in ejuſmodi materia conſulendæ ſunt Provinciarum conſuetudines, ut cum agitur de feudis, cenſibus, juribus Dominorum, laudemiis & venditionibus, & aliis ſimilibus, quippe quæ ſint vera lex, in variis quas quiſque incolit, Provinciis tenenda.

CASUS III.

HARMOGENAS, Dominus, altam habens Juriſdictionem Marchionatus S. Friardi, cui operæ obſequium, ſeu curvadas debent clientes quotannis: ver. gr. alii debent fenum ſuccidere, aut furcillis verſare; alii frumentum ſecare, hi lignationem vehere, nonnulli foſſas caſtelli tergere; tres annos prætermiſit, operas illas non exigens, at quarti anni non ſolum exegit corvadas, ſed etiam trium præcedentium omiſſas repetiit; ita ut, cum multi ejus clientes tot curvatis abſque gravi rerum ſuarum detrimento ſatisfacere non poſſent, ſummam ei pecuniæ juſto earum pretio convenientem ſolvere maluerunt: alii vero, qui pecunia carebant, omiſſis prioribus annis curvatas illas adimpleverunt.

Qua de re quæritur. 1. utrum Hermogenes tuta conſcientia, curvadas illas congeſtas, aut ſaltem legitimum juxta æſtimationem pretium exigere potuerit? 2. Utrum, ſi id legitime non potuerit, ad reſtitutionem erga clientes ſuos teneatur?

RESPONS.

Prius quam difficultati fiat ſatis, ſciendum quid ſit *Curvata*. Terminus ille, in quodam Caroli Magni capitulari *Curvada* (g) dictus, vel *Curvata*, ut loquuntur Guido Papa, Bochellius, & alii nonnulli Juriſconſulti, nihil aliud eſt, quam operæ obſequium a clientibus domino ſuo quodam tempore, & quibuſdam anni diebus debitum in confeſſionem, & notam ſuperioritatis & auctoritatis ipſius in ſe, & homagii ipſi debiti. Quo præſuppoſitu:

(g) De villis & cortis, art. 3.

Ad primum quæſitum reſpondemus, Hermogenem a clientibus ſuis qui curvatis ſunt ſubjecti, tres ſuperiores annos exigere jure non poſſe, ſed tantum præſentis anni quarti curvatas repetere po-

Digitized by Google

tuiſſe. Ratio eſt, quia hujuſmodi curvatæ, uti cenſus, reliquationi non ſunt obnoxiæ, etiam intra fines earum conſuetudinum, quæ eas nolunt præſcribi. Ita dijudicavit Parlamentum Rotomagenſe Arreſtis ſuis latis 18. Septemb. an. 1579. & 21. Februar. an. 1597. quæ refert Berault in articulo 31. conſuetudinis Normanæ; quibus etiam conſentit Divionenſe Parlamentum, ut patet ex Arreſto ſuo 14. Januar. an. 1560. quod refert Bouvot (*a*). Id etiam communiter docent Galliæ Juriſconſulti, & inter alios D. Coquille in commentario ſuo in conſuetudinem Nivernenſem (*b*), qui dicit: quod ſi non exactæ fuerint curvatæ unius aut plurium annorum, eæ jam debitoribus ſuis condonatæ cenſentur (*c*). Legi poteſt apud Bouchelium (*d*), quid ſtatuatur ex multis conſuetudinibus, ut Trecenſi, Alverna, Heſdinenſi, Andegavenſi & Pictavienſi. D. Ferrerius in Articulum 71. conſuetudinis Pariſienſis (*e*) laudat etiam Arreſtum Senatus Pariſienſis, quod refert Brodellus (*f*) 31. Julii anno 1621. & aliud, referente Henrys, ab eodem Senatu 27. Aug. an. 1639. latum (*g*).

(*a*) Bouvot. tom. 1. v. *Curvata*. apud D. Brillon. n. 25.
(*b*) Conſuetud. Nivern. art. 5.
(*c*) Teſſianus. l. 3. c. 3.
(*d*) Bouchel. Biblioth. juris Gallici. v. *Curvata*.
(*e*) D. de Ferriere in conſuetud Paris. n. 26.
(*f*) Brodean, n. 26.
(*g*) Henryſ. tom. 2. tit. de feudis. q. 32.

Sequitur autem ex ſolutione prioris hujuſce difficultatis, quod, cum privata ſua auctoritate clientes ſuos adegerit Hermogenes ad implendas trium ſuperiorum annorum curvatas, in juſtitiam deliquit, indebita exigens; atque adeo quod tenetur ad reſtitutionem pecuniæ erga eos, a quibus accepit ob falſo habita reliqua curvatarum, & ſimul ad indemnitatem aliorum, labores atque operas eorum ſolvendo.

Ratio hujus deciſionis, ſimulque Arreſtorum, quæ cum ea conſentiunt, eſt; quia hujuſmodi reliqua Vaſſallis eſſent omnino detrimentoſa: nam ſi id certum ſit, Clientem ſeu Vaſſallum, qui confeſſione ſua quibuſdam ſe curvatis faciendis ſubjecit, v. gr. ſeptem vel octo quolibet anno faciens grave damnum non patiatur, quod præcaveat labori ſuo ante eas; id etiam conſtat, quod, ſi triginta aut quadraginta dies inſumeret, ut præcedentium annorum curvatas faceret, id ipſi maximo foret detrimento, quia tamdiu agrorum ſuorum culturam aut meſſem, alioſve labores deſerere teneretur.

Advertendum autem, ut dijudicavit Divionenſe Parlamentum 14. Januarii ann. 1560. a dominis duorum dierum intercapedinem inter quamlibet curvatam eſſe concedendam, ut ſcilicet propriis operis & rebus vacare poſſit agricola intra illud intervallum.

CASUS IV.

Cassiodoro, prædii ſancti Fulberti Domino a Clientibus ſuis debentur circiter centum curvatæ, ſeu vehiculorum: ſed quia ſupervacaneæ ſunt ei hujuſmodi curvatæ, quod in prædio ſuo non commoretur; eas in modicam pecuniæ convertit ſummam, quam quolibet anno ipſi ſolvunt earum debitores; eaque conditione prædium ſuum Florenti conduxit qui a ſexennio quo terram obtinet, hujus ſolutionem ex conducto contractu exegit.

Qua de re quæritur, utrum Caſſiodorus, ipſiuſve conductor ad reſtitutionem pecuniarum non teneatur, ſecundum quas æſtimatæ ſunt hujuſmodi curvatæ.

Dici poteſt pro Caſſiodoro, quod cum valde modico cenſu Emphyteutis Clientibus ſuis agros ſuos tradiderint prædiorum Domini, & ea mente, ut hujuſmodi opera obſequia ab eis perciperent, æquum eſt, ſicuti videtur, ut, cum ob abſentiam ſuam eas percipere nequeant, illarum jacturam alio modo reparent, eas nimirum in pecuniæ ſummam multo minorem, quam ſit juſtum earumdem pretium, convertendo.

Sed ſi ratione illa invalida exſiſtenta, Caſſiodorus ad reſtitutionem teneatur, nec ei ſatisfaciat, videtur, eam a conductore ſuo Florente non eſſe ſupplendam; non ſolum, quia ſpeciali capite contractus ſingularum curvatarum valorem deſignavit Caſſiodorus a quolibet Emphyteuta ſolvendum, ſed etiam quia bona fide conductionem ſuam ea lege acceptavit; cum ſibi perſuaſum foret, jus illud Caſſiodori eſſe legitimum, & a pleriſque ejus Clientibus debitam a ſe pro curvatis ſummam libenter perſolvi, quam ipſis curvatis minus habent oneroſam.

RESPONSIO.

Parœciarum Dominis debitas ſibi curvatas a Clientibus in pecuniam propria auctoritate convertere non licet; quamtumvis eas modica pecuniæ ſumma æſtiment. Ratio eſt, quia rei publicæ intereſt, ut immota ſtet contractuum fides; quorum clauſulæ, cum limitatum habeant ſenſum, ad eas res de quibus non eſt cogitatum, extendi non debeat. *Iniquum eſt perimi pacto id, de quo cogitatum non docetur*, inquit Lex (*h*); nec ultra terminorum quibus exprimuntur, intellectum pacta proferantur ex his aliis Legis verbis (*i*): *Contractus enim legem ex conventione accipiunt*. Atqui ſub ſola curvatarum conditione, non vero, iis omiſſis, ſub ſolutionis pecuniæ lege agros ſuos acceptarunt illi Emphyteutæ Vaſſalli. Igitur alternam eis pecuniæ, vel curvatæ vicem præſcribere nequeunt Domini abſque tacito, vel expreſſo conſenſu debitorum hujuſmodi curvatarum. Et quidem clientelares illæ operæ Domino non debentur, niſi cum is ad propriam utilitatem indiget, & non aliter (*K*): & ideo ad alterius miniſterium debitas ſibi curvatas transferre nequit, ut obſervat Papo (*l*). Quare, ut ad ſolutionem præſentis difficultatis veniamus, dicendum, quod ſi Caſſiodori clientes Emphyteutæ reclamarint, & hanc pecuniæ ſolutionem ſibi invitis extorqueri fuerint conqueſti, ita ut operam ſuam clientelarem offerentes pecuniæ ſummam perſolverint; eam ſub peccati reatu Caſſiodorus reſtituere tenetur, & pro eo Florens ipſius conductor, ſalvo ſuo in Dominum recurſu. Sed neuter ad reſtitutionem tenetur, ſi mutationi illi aſſenſerint debitores: & etiam ſatis eſt, ut tacite ſilentio ſuo conſenſerint, de ſolutione non conquerentes.

(*h*) Leg. *Quicum*. 9. in fine ff. de tranſactionibus. l. 2. tit. 15.
(*i*) Leg. *Depoſitum*. 1. §. 6. ff. Depoſiti vel contra. L. 6. tit. 3.
(*K*) Henryſ. tom. 2. L. 3. c. 3. q. 32. & 33.
(*l*) Papo L. 5. tit. 6. art. 3.

Addi poteſt pro Caſſiodoro 1. ipſum quidem in prædio ſuo, ubi non commoratur, curvatis illis non indigere; ſed iis ſibi opus eſſe in loco domicilii ſui, ubi eas præſenti tantum pecunia habere poteſt: quare æquum videtur, ut ea parte ſaltem, earum valorem compenſet pretio modicæ ſummæ ab Emphyteutis ſolvendæ, quæ multo minoris æſtimantur, quam ipſæ curvatæ. 2. Caſſiodorum, mediante illa curvatarum æſtimatione, ſe ipſum jure privare agros ſuos meliores efficiendi eas exigendo, & ſtagna ſua aut amnis ſui moles, aut Caſtelli foſſas vel moletrinas ſuas reficiendi; quod ſibi ſoli eſt oneri, Clientes ſuos a debitis curvatis eximendo: quam ob cauſſam Clientes ſuos Emphyteutas, qui moniti debitas curvatas non perſolverunt, Dominus ad eorum ſolutionem præſenti pecunia, facta prius earumdem æſtimatione, judicio damnari, curare poteſt; quæ ſolutio pecuniaria, pro diverſis regionibus varie conſtituta eſt: v. gr. Senatus Pariſienſis ea Arreſto 7. Septemb. an. 1643. quod refert Henrys (*m*), in hoc caſu quinque aſſes pro unius hominis curvata, & quindecim pro curvata vecturæ adjudicavit. Parlamentum Gratianopolitanum ea Arreſto ſuo 31. Auguſt. an. 1649. in ſimili caſu pro curvata boum, equorum, aut mulorum ſeptem aſſes cum ſex denariis: pro curvata vero aſinorum quinque aſſes aſſignavit: quandoque etiam ad petitionem Domini dijudicatum eſt, vaſſallum omiſſam curvatam præbiturum eſſe, cum debitas facere admonitus, eas adimplere recuſavit aut neglexit. Ita ex quibuſdam Arreſtis conſtitutum fuiſſe teſtatur D. Brillon (*n*). Atque hæc deciſio æquitati naturali, ac ſtatuto juris Romani omnino conſentanea eſſe videtur (*o*).

(*m*) Henryſ. tom. 2. L. 3. c. 3. q. 32.
(*n*) D. Brillon. v. *Curvata*. n. 25. De Cambolas L. 5. c. 16.
(*o*) Leg. *Si non ſortem*. 26. §. 12. ff. de conditione indebiti. L. 12. tit. 2.

CASUS V.

Dracilianus, Parœciæ & Comitatus ſancti Geneſii Dominus, qui multos habet Clientes ex confeſſione ſua ad curvatarum præbitionem adactos, eos cogere nititur, ut eas pro Domino ſibi finitimo ac nepote ſuo perſolvant. Ab iis quidem præbendis operis pro alio, quam pro Draciliano valde abhorrent iſti Clientes, eas tamen abſoluta denegare non audent. Numquid abſque injuſtitia ad eas faciendas cogere poteſt Dracilianus?

Re-

RESPONS.

Curvatæ ſeu perſonales, reales aut mixtæ, ſoli Domino loci, non vero aliis, ut plurimum, debentur, niſi oppoſitum ſtatuat conſuetudo, ut docet Mornacius (*a*). Ita dijudicatum eſt in Divionenſi Parlamento an. 1507. ut teſtatur Papo (*b*). Ratio qua nititur illud Arreſtum, & alia omnia conformiter lata, eſt quia operarum præbitio, ſeu curvata rigoroſi ſit juris, quod proinde ultra tenorem tituli ad Dominum pertinentis extendi nequit; ita ut, cum ex titulo feratur, in ſolius Domini favorem curvatam eſſe faciendam; Clientem ſuum ad præbendas operas in alterius favorem cogere nequit. *Dominus*, inquit Ferrerius in articulum ſeptuageſimum primum conſuetudinis Pariſienſis, (*c*), *Clientes ſuos cogere nequit ad præbendas operas in alio loco, quam in eo in quo ab ipſis debentur*. Ita etiam ſentit Boerius his verbis (*d*): *Promiſſam in uno loco quis non tenetur ſolvere in alio*. Quod probat ex his Digeſtorum legis verbis (*e*): *Alio loco quam in quem ſibi dari quiſque ſtipulatum eſſet, non videbatur agendi facultas competere*. Suam quoque ſententiam confirmat hic Auctor, juxta hanc regulam non ſolum ex multis Digeſtorum legibus (*f*), ſed etiam ex ſuffragio octo decemve celeberrimorum Juriſperitorum conſtitutam: *Quod debetur Titio, non debet ſolvi Seio*. Quod iſtis Legis verbis conſentaneum eſt (*g*): (Operæ) *nec cuiquam alii deberi poſſunt, quam patrono; cum proprietas earum, & in edentis perſona, & in ejus cui edantur, conſiſtit*. Ex quibus omnibus colligitur, Draciliani Clientes ab eo ſine injuſtitia cogi non poſſe, ut operas ipſi ſoli ex confeſſionibus ſuis debitas, nepoti ſuo præbeat.

(*a*) Mornac. ad rubricam ff. de operis ſervorum

(*b*) Papo. l. 13. tit. 6. n. 5.

(*c*) D. Ferrerius in art. 71. conſuet. Paris. n. 26.

(*d*) Boerius decis. 212. n. 19. & 20.

(*e*) Leg. Alio. 9. ff. quod certo loco dari oportet. l. 13. tit. 4.

(*f*) ff. de ſolutionibus & liberationibus. l. 46. tit. 3.

(*g*) Leg. Operæ. 9 de operis libertorum. l. 3. tit. 1.

CASUS VI.

Incola, & clientes ducatus S. Gaciani in agris Parœciarum hujuſce ditionis herbulas pabulares ad paſtum pecorum ſuorum ſarculare ſolebant, eo quod ibi communia deſint paſcua. Id ipſum eis generatim interdixit Rodolphus, hujuſce Ducatus Dominus, quia hinc magno venationis jure ſibi competentis detrimento impediretur, ne ſoboleſcerent Perdices. Numquid tuta id vetare conſcientia potuit?

RESPONS.

De ſimili difficultate interrogatus Auctor modernus (*h*), reſpondet dicens, æquum non eſſe, ut privati cujuſdam voluptati cedat publica, ac præcipue egenorum utilitas. Cum igitur ad ſolam Rodolphi delectationem ſpectet Perdicum propago numeroſior; aliunde vero perquam utile, immo & neceſſarium ſit ipſius clientibus, ut habeant unde nutriantur eorum pecora, e quibus partim victum ſuum quærunt: hanc eis Dominus ille denuntiare nequivit interdictionem, eamque revocare tenetur, ut priſtinam habeant herbulas ſarcinandi facultatem: quod tamen de iis intelligendum agris, qui muris foſſiſve non ſepiuntur, quorum ope non pervius eſt uſus.

(*h*) De Sainte Beuve t. 1. cas. 155.

CASUS VII.

Demophilus, Sancti Laurentii Comes, qui in agris Petri & Joannis clientium ſuorum, qui ad viam publicam pertingebant, octoginta, & plurium etiam arborum aditum conſevit; tenetur ne hoc eis damnum reſarcire, aut arbores iſtas ſuccidere; cum ſibi notum ſit, hanc eos ægre ferre jacturam, licet tacitos?

RESPONS.

In hoc totus propoſitæ difficultatis cardo vertitur, ut dignoſcatur, num via publica juxta quam ſactæ ſunt arbores illæ, eam habeat latitudinem, quam exigunt Edicta & Ordinationes: ſi enim viæ publicæ latitudinem occupent Petri & Joannis agri, in quibus arbores illas conſevit Demophilus; is ad nullam compenſationem erga Petrum & Joannem, neque ad arborum ſuarum dejectum tenetur, niſi intercedat mandatum Regis, cujus eſt via publica. Sed ſi eaſdem extra debitam viæ publicæ latitudinem antiquam conſeverit, duobus illis clientibus damnum illud reſarcire obligatur, quorum inſuper erunt arbores iſtæ.

Idem dicendum de Dominis, qui pares aditus arboribus ſepiunt in clientium ſuorum agris juxta itinera, quæ e pago in pagum ducunt, nec ſunt viæ publicæ.

Deciſionis hujus probationem ſuppeditat Bleſenſe Edictum (*i*), cujus hæc ſunt verba: *Omnis, & qualibet publica via antiquam ſuam obtinebit latitudinem, non obſtante qualibet injuſta poſſeſſione, quovis temporis lapſu facta. Atque ut deinceps nulla fiat talis moliti, publicæ viæ conſerantur atque arboribus inumbrabuntur, ut ulmis, nucibus aliiſve pro qualitate agri, regioniſve commodo; quæ in illius emolumentum cedeat, cujus erit ager proximus*.

Edictum illud Henrici III. cum iſta lege civilis juris conſentit, cujus hæc ſunt verba (*k*): *Prætor ait; quominus illi viam publicam, iterve publicum aperire, reficere liceat; dum ne ea via, idve iter deterius fiat, vim fieri veto. Viam aperire* (*l*) *eſt ad veterem altitudinem, latitudinemque reſtituere*: & cum hac alia (*m*): *Viam publicam populus, non utendo, amittere non poteſt*.

(*i*) Edict. Bleſen. art. 356

(*k*) Leg. Prætor. ff. de via publica & itinere publico reficiendo lib. 43. tit. 11.

(*l*) Ibid. §. 1.

(*m*) Leg. Viam. 2. ibid.

CASUS VIII.

Eugenius, Sancti Vedaſti Dominus, domi ſuæ tributum deſcribi nolens, ne in Provinciæ ſuæ diœceſeæ, ſeu rei ærariæ Præfecti offenſionem incurreret, & quibuſdam tamen e ſuis Clientibus favere cupiens, ac præſertim conductoribus ac villicis ſuis, apud ſe coactores mandat, ejuſque indicat, ut illorum habeant rationem in impoſitione proxime facienda, ac modica valde ſit eorum taxatio. Coactores illi, quorum intereſt Eugenii iram declinare, cui reliqua cenſus debent, quique per anni partem vitam ſuam ex operibus pro eo faciendis tolerant, dimidium tantum tributum conductoribus illis ac villicis imponunt. Eugenii Parochus qui iſtud reſcivit, contendit, Eugenium teneri erga Tributariorum communitatem ad reſtitutionem ſuperfluæ ſummæ, quam ſolvere deberent ipſius conductores; & vult etiam, ut ipſo deficiente, eadem lege teneantur coactores. Id ipſum reſpuit Eugenius, quod nec vim nec minas in caſu propoſito adhibuerit. Nonne pro Parocho ſtat jus?

RESPONS.

Notum eſt vel ſolo rationis lumine, tributa ſecundum juſtitiam deſcribi oportere; ita ut major pars divitibus, minor pauperibus aſſignetur. Unde concludendum eſt 1. eos graviſſimi delicti conſcios eſſe, qui illorum procurant injuſtitiam, qui gravantur; atque adeo ejus conſcios eſſe Eugenium, uti coactores, qui ipſius voluntati imbecillius ſunt obſecuti, conductores ejus ex dimidio tributo, quod ferre deberent, deonerando. 2. Hanc injuſtitiam reſarciendam eſſe primo ab Eugenii conductoribus, ſi debitum a ſe tributi pretium in propriam converterint utilitatem; vel ab Eugenio ipſo, ſi ex hoc ipſe commodum perceperit, majori pretio propter immunitatem, aut diminutionem iſtam prædia ſua conduxerit. 3. Ab eodem Eugenio, quod ad injuſtitiam iſtam coactores induxerit contra Regias Conſtitutiones, quibus ſtatuitur, ut juſte deſcribatur tributum: *Tributarii omnes*, inquit Carolus IX. in Edicto ſuo Aurelianenſi (*n*), *pro ſuis quique viribus ac opibus tributum præſtabunt, ac ratam ſuam partem ſolvere cogentur, indicta coactoribus pœna ſolvendi ſummas, quæ contra jus & fas pauperibus ſubditis noſtris imponentur*.

(*n*) Edict. Aurel. art. 125.

Ex iiſdem Edictis ſtricte prohibetur Parœciarum Dominis, ne domi ſuæ, aut ipſis præſentibus tributum non ſolum deſcribatur, ſed etiam ne rei huic ullatenus ſe immiſceant. Unde iterum damnatur agendi ratio Eugenii, qui licet vim, aut minas expreſſe non adhibuerit; non ſolum contra Principis legem egit, ſed etiam noverat, tributorum deſcriptores, quidquam contra mentem ſuam facere non eſſe auſuros, quippe qui a ſe penderent ut clientes & debitores, ac inſuper ſuam venarentur gratiam, ut labores ſuos ipſi facilius ad vitam ſuſtentandam locarent. 4. Coactores, deficientibus Eugenio ipſiuſque conductoribus, ad reſtitutionem damni tenentur,

tur, quod eoſdem conductores deonerando ceteris pauperibus incolis intulere: atque ea obligatione in ſolidum omnes tenentur, ſervato tamen quem modo indicavimus, ordine (a). Addimus etiam, conductores proprio nomine de reſtitutione teneri, ſi Domini ſui injuſtitiam diſſimulaſſent, eo fine conductionum ſuarum pretium expreſſe adaugendo.

(a) De Sainte Beuve tom. 3. caſib. 16. & 216.

C A S U S IX.

Theocrenes, filius illegitimus Eduardi & Antoniæ, obiit in Parœcia S. Ramberti, non ſenui re coacervata; poſt cujus mortem Palamedes, Dominus altam habens juriſdictionem, omnia ejus occupavit bona, quæ ſua jure eſſe contendit. Num idam illæſa juſtitia potuit?

R e s p o n s.

Prius quam difficultati propoſitæ fiat ſatis, illegitimorum multæ ſunt diſtinguendæ ſpecies: alii ſiquidem ſimpliciter ſunt illegitimi, hoc eſt, a parentibus adeo liberis procreati ſunt, ut ſibi invicem nubere poſſent: alii ſunt inceſtuoſi, id eſt, quorum parentes eo inter ſe conſanguinitatis, aut affinitatis gradu erant conjuncti, ut ſimul abſque diſpenſatione Matrimonium contrahere non poſſent. Alii denique ii ſunt, qui adulterini vocantur, hoc eſt, qui ex adulterio prognati ſunt; ſive pater, ſive mater, aut uterque Matrimonii vinculo fuerint ligati: atque inter illos adulterinos reputantur illi filii, quorum parens eſt is, qui ſacris initiatus eſt ordinibus; vel qui ab eo, vel ea, nati ſunt, qui ſolemnem Religionis profeſſionem emiſere (b): qui omnes illegitimi carent herede; exceptis eorum pueris, qui e legitimo toro orti ſunt: horumque hereditatem, vel Rex ſolus, vel Dominus altam habens juriſdictionem, colligit poſt ipſorum obitum. Quo præſuppoſito:

(b) Inſtitutiones ad Jus Gallicum to. 1. lib. 1. c. 10.

Reſpondemus, Dominum qui altam S. Ramberti juriſdictionem habet, jure Theocrenis bona occupaſſe; 1. modo intra fines altæ juriſdictionis ſuæ natus ſit. 2. Si ibidem obierit. 3. Si in eodem loco ſita ſunt ipſius bona. Qualibet enim ex his deficiente conditione, ad Principem devolvitur ipſius hereditas, niſi forte donatione inter vivos, aut cauſſa mortis de bonis ſuis in totum vel quoad partem ſtatuerit: quo facto neque Rex, neque Dominus altam habens juriſdictionem in illa jus aliquod haberent; cum omnis illegitimus quacumque ratione contrahere, ac etiam teſtari valeat.

Quod ſi Theocreni bona eſſent extra fines juriſdictionis Palamedis, tunc ad Regem ea pertinerent; ac Dominus ille ea tantum poſſet occupare, quæ intra ditionis ſuæ fines ſita eſſent; modo, ut jam dictum eſt, ibi natus, illic etiam obierit, & non aliter.

Hæc deciſio adeo conſtans eſt, & omnium Galliæ juriſperitorum ſententiæ adeo conformis, ut eorum auctoritates allegare omnino ſit inutile.

C A S U S X.

Chrodebertus hereditario jure nobile prædium in Picardia ſitum avunculi ſui morte adeptus, detexit, Paſchalem hujuſce ditionis judicem eſſe raptorem, qui pro mercede ſua duplum exigebat pecuniæ, quam ipſi debitam præſcribunt Edicta Regia. Nonne tenetur hic Dominus ſub peccati reatu ipſum magiſtratu ſuo ſpoliare?

R e s p o n s.

Reſpondemus talem Judicem, ſeu Baillivium, titulo gratuito conſtitutum, a Domino magiſtratu ſuo eſſe depellendum, modo tamen abrogatio ipſius juſta & gravi nitatur cauſſa, quam Dominus ille juridice probare valeat: ſi enim levis tantum, aut injuſta foret hujuſce ſpoliationis cauſſa, vel, ſi cum juſta eſſet, eam probare non poſſet; talem ſpoliationem reſpuit Galliæ juriſprudentia; quod judici probroſa eſſet & injuſta.

Hactenus dicta conſentiunt cum Arreſto Senatus Pariſienſis, in Ducem Nivernenſem lato 12. Januar. an. 1558. quod refert D. Brillon in Dictionario ſuo Arreſtorum (c).

(c) D. Brillon. Diction. Arreſt. v. Deſtitutio. n. 14.

Sed cum judex oneroſo titulo inſtitutus eſt, ſeu quod pecuniæ ſummam pro obtinendo magiſtratu Domino contulerit; ſeu quod ipſum a Domino tamquam meritorum præmium acceperit; ipſum Officio ſuo ſpoliandi jus Domino non competit ſecundum juriſprudentiam ejuſdem Senatus Pariſienſis, a quo ita conſtitutum eſt ex multis Arreſtis, quorum primum latum eſt 14. Martii ann. 1601. alterum 30. Maii an. 1625. (d), & tertium 25. Aprilis an. 1529. latum in favorem cujuſdam Baillivii contra Marchionem de la Vieville ad concluſiones D. Bignon, Generalis Advocati, qui in actione ſua forenſi Arreſtum an. 1619. latum in D. de Sully pro Officialibus Nogenti. Multa alia etiam Arreſta laudat D. Brillon (e), quæ depromſit e ſcriptis D. Baſſet, de Soeſve, Paponis, de la Gueſſiere, du Fail, & aliorum Arreſtographorum, qualia ſunt Arreſta Senatus Pariſienſis lata 30. Martii an. 1631. & 20. Aprilis an. 1937. & 24. Januar. 1651. & aliud etiam 7. Julii an. 1663.

(d) De Frene Diarium fori. L. 1. c. 56.

(e) D. Brillon. loco cit. n. 42. & ſeq.

Ita quoque dijudicatum eſt a Parlamento Toloſano ex Arreſto lato 14. Martii an. 5563. pro Judice de Vaudrai in Comitem de Roiſſy, a quo deſtitutus fuerat. Papo etiam (f) ſimile Arreſtum 22. Maii an. 1566. latum citat. Aliud quoque refert Baſſet, (g) quod tulit Parlamentum Gratianopolitanum 17. Junii an. 1664. cui jam alio ſimili an. 1552. præiverat idem Parlamentum. Simile quoque laudat du Fail (h), a Britanno Parlamento latum 19. Martii an. 1561. Alia multa omittimus, quæ in Dictionario D. Brillon (i) legi poſſunt.

(f) Papo. p. 1365.

(g) Baſſet. tom. 1. l. 2. tit. 3. c. 5.

(h) Du Fail. l. 2. c. 193.

(i) D. Brillon. Dictionar. Arreſtorum. v. Judex. & v. Deſtitutio. n. 14.

Quod pertinet ad Normanum Parlamentum, notum eſt omnibus, ipſi talem deſtitutionem, nulla habita Ruſcinonenſis Conſtitutionis ratione viſam ſemper fuiſſe odioſam: quare præter multa Arreſta, quæ tulit illa Curia diverſo tempore Officialibus generatim judiciarii muneris; etiam alia ſpeciatim pronuntiavit ad tuendum iis munus, qui de eo oneroſo titulo, vel cauſſa præmii meritorum ſpeciatim fuerant proviſi, ut videre eſt in Berallio & Baſnagio.

Re ipſa nonne manifeſte injuſtum foret, ut Dominus quingentos ſexcentoſve nummos accepiſſet a viro, quo ei judiciarii muneris proviſiones concederet; aut eum in hoc munere conſtituiſſet, quaſi præmio meritorum præteritorum & ſex elapſis menſibus eum deſtituere hoc Officio tentaret, non reddito perſoluto pretio, aut nulla ei remuneratione conceſſa?

Sed aliunde tenetur ſtricte Chrodeobertus, Paſchalis conceſſionibus & injuſtitiis obſtare, ipſum cogendo, ſi poſſit, ad reſtitutionem ſuperflui, quod contra regias conſtitutiones, aut legitimum uſum accepit; vel etiam ſpecialiter mandare, ut ad querimoniam & injunctionem procuratoris fiſci ſui conſtituatur a judice ſuperiore ipſius deſtinatio, quam ſi is non proferret, ſeu ex conniventia cum hoc Judice, aut ex negligentia; tum injuſtitiarum ejus fieret conſcius ac particeps, ipſoque deficiente ad reſtitutionem teneretur.

C A S U S XI.

Achilles, Parœciæ ſancti Sebei Dominus, e qua via 400. libras reditus annui percipit, & cui nullus eſt alius ad vitam ſuſtentandam cenſus, duos treſve clientes ſuos nefarios homines tolerat, qui ab omnibus tales habentur, eorum a Judice ſuo vindictam non requirens; quod eos judicio perſequi nequeat abſque magnis impenſis, atque ita abſque diminutione modici ſui cenſus, ut, quo merentur, ſupplicio damnentur. Poteſt ne Parochus ejus, ſi forte id recuſet, ei abſolutionem prorogare, cum ad confeſſionem accedet?

R e s p o n s.

Tenetur pro certo Dominus ille, fiſci ſui procuratori jubere, ut criminum, quæ intra fines juriſdictionis ſuæ admittuntur, pœnam judicio repoſcat. Id expreſſe pro omnibus Dominis qui altam habent juriſdictionem, cavetur Edictis Aurelianenſi (K), Bleſenſi, & Molinenſi, quibus congruunt multæ ex noſtris conſuetudinibus, & præcipue Cenomana (l), & Andegavenſis, quibus conſtituitur, quod, ſi Dominus cui competit juriſdictio, intra fines ejus

(K) Edict. Aurel. a. 63. Bleſ. art. 184. & 190. Molinenſ. art. 30.

(l) Conſuetud. Cenom. art. 222. Andeg. art. 189.

Digitized by Google

ejus maleficos homines inultos remittit; ipſum ſupremus (a) dominus judicio perſequetur, ut eum juriſdictione una ſpoliet.

(a) Supremus Dominus ex Bachelo Bibliot. jur. Gallici eſt qui ſuperior eſt Domino, qui mediam tantum & infimam habent juriſdictionem.

Ex his ergo edictis, & multarum provinciarum conſuetudinibus manifeſtum fit, graviſſimi reum eſſe delicti dominum qui intra territorii ſui limites nefariis hominibus favet, eoſve patitur, cum eorum ſupplicium adeo ſevere exigant. Hinc ſentiunt Theologi, ipſum ob negligentiam ſuam conſcium fieri criminum quæ ibi admittuntur: *Lethalis violentiæ conſcii ſunt nobiles*, inquit P. Alexander (b), *quorum toparchiis annexa eſt juriſdictio ſeu jus gladii, ſi maleficos ac ſceleratos pœnis legum ſanctione conſtitutis plecti non curent, ſive ut ſumtibus parcant, ſive ut commodum aliquod ex patrocinio flagitioſis illis hominibus impenſo conſequantur.*

(b) P. Alex. Theol. moral. tom. 2. l. 3. c. 6. art. 8. reg. 8.

Dicendum itaque neceſſario, quod cum Achilles eo defuugi officio contemnat, ipſi abſolutionem impertiri nequit Parochus, niſi is etiam omnium ſit particeps delictorum quæ ob hujuſce domini negligentiam committuntur.

Nec admittenda eſt Achillis ratio qua ſe litium hujuſmodi impenſis ſuſtinendis imparem profitetur; quia multæ & confiſcationes a judice ſuo conſtitutæ ad ipſum pertinent, atque ex eo fundo deſumendi ſunt illi ſumtus qui ſi non ſufficiant, e dominii cenſibus ac ſubalternis illi juriſdictionibus ſunt decerpendi.

Advertendum occaſione præſentis difficultatis, ob eaſdem rationes ſtricte teneri dominos qui altam habent juriſdictionem ad conſtituendum, ut cohibeantur ſcandala qualiacumque ſint, atque ad omne patrocinium erronibus denegandum qui ſub falſo Bohemorum Ægyptiorumve nomine provincias peragrant, & de parœcia in parœciam æſtate imprimis migrant, ubi per menſes integros commorantur: cum hujuſmodi farinæ genus viri, mulieres, proles & famuli, ſub ſpecioſo prætextu dominum ejuſque familiam oblectandi ludis, choreis, equitationibus, ſimulatiſque prædictionibus reipſa ibi eo tantum fine remaneant, ut furentur agricolas aut colluſoribus ſuis pecunias emungant, aut iis quos vanis ſuis illudunt divinationibus quas fati nomine dicunt. Id quidem nobis adoleſcentibus quam ſæpiſſime viſum eſt.

Domini itaque tolerantia ſua rei fiunt omnium furtorum atque damnorum quæ ab illa hominum fece proximo inſeruntur; atque adeo ſub peccati reatu tenentur ad abigendas quiſquilias illas ex finibus ditionis ſuæ; uti illis imperatum eſt ex Arreſto 20. Februarii anni 1612. quod in Arreſtorum collatione reperitur, latum conſormiter ad Edictum Aurelianenſe (c), quo Carolus IX. omnibus officialibus jubet, ut intra menſes duos egreſſam ex regno indicta etiam remorum pœna præcipiant hujuſmodi erronibus (d).

(c) Edict. Aurel. art. 104.
(d) De la Pal. Reſol. part. 3. pag. 65.

CASUS XII.

Alanus parœciæ ſancti Portiani agricola, inventum generoſum equum in prato ſuo paſcentem ſibi retinuit, cum a nemine repoſceretur. Hierophylus qui altam in Parœcia iſta obtinet juriſdictionem, hunc equum ad ſe tamquam Dominum pertinere contendit, & tamquam rem caduci juris; atque adeo cogere vult Alanum, ut eum ſibi tradat. Numquid pro eo ſtat jus?

RESPONS.

Certum eſt res caduci juria, hoc eſt pecora, aut aliud quod mobile bonum quæ intra juriſdictionem altam domini ſuere inventa ad eum jure pertinere, cum a nullo domino repoſcuntur; ut docet Bacquetus (e), quique ea invenere, id ipſum juridicis officialibus ſub pœna multæ arbitrariæ declarare tenentur.

(e) Bacquet. Tract. de juribus juriſdictionis c. 2.

Æqaa eſt igitur Hierophyli contentio, & inventum equum ipſi tradere tenetur Alanus; attamen prius quam ipſius poſſeſſor legitimus fiat Hierophylus, neceſſe eſt, ut publicam ejus rei fieri jubeat promulgationem non in iis dumtaxat locis ubi fieri ſolet, ſed etiam in Proano parœciarum per tres conſequentes Dominicos dies, aut per tabulam ad valvas Eccleſiæ propoſitam: & ſi ante 40. dies a prima promulgatione numeratos quis ſe ſiſtat, & rem inventam ſuam eſſe comprobet; tunc ei reſtituere tenetur dominus, *deductis expenſis*: hoc vero tempore elapſo ipſe dominus fit rei inventæ poſſeſſor legitimus, at ait idem Auctor.

CASUS XIII.

Astulphus dominns & patronus parœciæ ſancti Liberati, & Parochus jam a biennio inter ſe diſſident, quod cupiat Aſtulphus, ut quandoque exſpectet Parochus dum ad Eccleſiam prius venerit, quam Miſſam incipiat: quam rem detrectat Parochus hora ſolita, & quam præſcribit Rituale celebrare volens. Quid Parocho faciendum? Debet ne Aſtulphum exſpectare, ut ortum inter ſe deſinat diſſidium quod etiam male afficit incolas quorum alii pro domino, alii vero ſtant pro Parocho?

RESPONS.

1. Dicimus, Aſtulphum jure non poſſe cogere Parochum ſuum ad prorogandam Officii divini horam; id enim omnibus parœciarum dominis, ceteriſque nobilibus eſt prohibitum ex Edicto Caroli IX. anni 1571. (f).

(f) Edict. Caroli IX. art. 3.

2. Si Aſtulphus moram hanc a Parocho ſuo ſummo jure & tamquam rem ſibi debitam non exigat, ſed ſolum urbane & tamquam indulgentiam, idque raro, & cum juſta ei ſubeſſe cauſſa poterit, qua impediatur Eccleſiæ adeſſe ipſa præciſe hora, qua Miſſa ſolemnis incipi conſuevit, ad prudentiam atque ſapientiam Parochi ſpectare, ut cum patrono ſuo durius non agat; & in iis occaſionibus quamdam ei moram modo diuturnioris non ſit temporis concedat, quia ex hoc obſequio domini ſui amicitiam ſibi conciliabit, & pernicioſos impediet effectus quos parit diſſidium inter dominum & Parochum; ut patet innumeris exemplis quæ in ruſticis videntur parœciis in quibus plerique Agricolæ dominorum ſuorum contentionibus in Parochum adhærent alii irreligione, alii obſequio, ceteri vero propriæ rei impenſo nimis ſtudio. Hactenus dicta confirmantur ex uſu in diœceſi originis noſtræ recepto; cum enim huic præerat doctus & inclytus Huetus an. 1693. ſtatuta condidit, quorum unum ita habet (g): *Pariter facultatem concedimus Parochis & vicariis, ut dominorum ſtudiis obſequantur, aliquamdiu Miſſam vel anticipando vel morando; modo id raro juſtiſque de cauſſis fiat.*

(g) Stat. Diœc. Abrincenſis. art. 19. cap. 3.

CASUS XIV.

Tenetur ne Nicephorus qui altam in parœcia ſancti Quirini juriſdictionem obtinet, de damno illato per ſententiam quam protulit Baillivius ſeu Judex ipſius de lite inter duos ſuos clientes exorta?

RESPONS.

Certum eſt, quod ſi Nicephorus Baillivium ſuum conſtituerit gratuito titulo eum virum quem ob imperitiam, aut alium notabilem defectum huic officio haud idoneum noverat; aut eum jam conſtitutum in Dominio ſuo ipſius ignorantiæ conſcius, aut eam cognoſcere negligens non deſtituerit, ut poteſt ex Edicto Ruſcinocenſi an. 1563. (h); injuſtitiæ a Baillivio ſuo commiſſæ quoad litis judicium de quo in propoſito caſu, reus eſt Nicephorus, & pro eodem Baillivio illatum ex ejus ſententia damnum reſarcire tenetur, cum ſufficiens ejus ſit cauſſa. Id quidem probari poteſt ex hac Gregorii IX. regula (i): *Qui occaſionem damni dat; damnum videtur dediſſe.*

(h) Edict. Ruſcinocenſe art. 29.

(i) Greg. IX. in c. Si culpa fin. de injuriis & damno dato l. 5. tit. 36.

Neque ab iſta obligatione eximere ſe ſe nequit Nicephorus ob ignorantiam ſuam; quandoquidem ex Conſtitutionibus Galliæ Regum ſtatuitur, ut domini qui altam habent juriſdictionem, quique in Parlamenta conveniunt, ſexaginta libris Pariſinis mulctentur pro *male judicato* Bailliviorum ſuorum: *Qui altam habent juriſdictionem, & qui debito Parlamentorum ſubjacent juriſdictioni*, inquit Carolus IX. (K), *juxta vetus edictum ſexaginta libris Pariſinis mulctabuntur pro* male judicato *judicum ſuorum.*

(K) Edict. Ruſcin. an. 1561.

Si

Digitized by Google

Si tamen congrua polleret muneri ſuo peritia Baillivius, atque injuſte tantum egerit ex nimio lucri amore, aut favore, aut humano obſequio; nec ſimiles ab eo jam admiſſas fuiſſe injuſtitias reſciverit Nicephorus, is non tenetur propriis impenſis admiſſam a judice ſuo in hoc caſu injuſtitiam reparare, cum illius auctor cenſeri nequeat in hac hypotheſi juxta hanc aliam S. Gregorii Magni regulam (a): *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit* (b).

(a) S. Greg. in c. *Cognoſcentes* 2. de conſtitutionibus L. 1. tit. 2.
(b) Colloqu. Lucon. to. 19. q. 3. puncto 2.

CASUS XV.

HUGO dominus Parœciæ S. Adriani ſciens in parœcia ſua abbatiam quamdam eſſe locandam eamque ſub mutuato nomine conducere cupiens, mentem ſuam ea de re iis ex clientibus ſuis declarat qui eam conducere poterant, ut eos averteret ab ea conductione. Cumque non alios abbas conductores inveniret, quam eum cujus nomen Hugo mutuatur, tenetur viliſſimo eam locare pretio ſub cautione tamen Clementis Agricolæ ditiſſimi.

Qua de re quæritur 1. utrum non peccet Hugo, ita abbatiæ hujus reditus conducens. 2. Utrum ad reſtitutionem ſuperflui non obligetur, quo abbatiæ ſuæ conductionem augere potuiſſet abbas, ſi clientes Hugonis eam libere conducere potuiſſent. 3. Utrum, defectu Hugonis, ad identitatem pariter erga abbatem teneatur Clemens illius Fidejuſſor.

RESPONS.

Certum eſt, a quolibet parœciæ domino, qui auctoritate ſua directe, vel indirecte abutitur, ut clientes ſuos a conducendis bonis qualiacumque ſint avertat, violari juſtitiæ regulas; quod etiam certius eſt cum id efficit, ut ipſe bona iſta, & præſertim Eccleſiæ conducat; ex edictis namque regiis prohibentur omnibus & ſingulis parœciarum dominis, ne ea conducant, ut fertur ex Edicto Aurelianenſi., quod an. 1560. promulgavit Carolus IX. & cujus hæc ſunt verba (c): *Prohibemus quoque nobilibus viris, & judiciariis officialibus facturam & commercium, aut conductionem prædiorum per ſe, vel per interpoſitas perſonas ſub pœna pro nobilibus privationis privilegiorum nobilium, & impoſitionis tributi ſuſtinendæ, & quoad officiales, privationis officii ſui.*

(c) Edict. Aurel. art. 105.

Idem quoque cavetur ex Edicto Bleſenſi (d), præſertim quoad bona Eccleſiaſtica. In hoc autem ita loquitur Henricus III.: *Prohibuimus, ac prohibemus nobilibus viris noſtris & officialibus, ſeu noſtris, ſeu dictorum dominorum & nobilium, ne deinceps directe vel indirecte conductiones contrahant dictorum beneficiariorum, decimarum, agrorum, aliorumque redituum eccleſiaſticorum ſub quocumque prætextu per ſe ipſos, vel per interpoſitas perſonas, ut earum fiant conſortes; neque clericorum conductionibus factis, aut faciendis obicem ponant, iiſve terrorem incutiant, qui eas conductiones inire vel cariores habere cupient; ſub pœna quod nobiles e nobilitate ſua excidendi, atque ita annua tributa una cum ſucceſſoribus ſuis penſitandi; licet in ipſos etiam vivos nondum lata fuerit ſententia in lite ſuper hoc inſtructa, & quoad officiales privationis officii ſui, & notæ incapacitatis ad alia in futurum munera obtinenda.*

(d) Edict. Bleſ. art. 48.

Ex hac pœnarum acerbitate colligi poteſt ſine dubio prohibitionis gravitas pro cujus infractione fuere conſtitutæ. Igitur pro comperto eſt, Hugonem in propoſito caſu eſſe reum, eumque ad ſuperflui reſtitutionem teneri in conſcientia, ſi viliori pretio quam alter, & quam reipſa valeret, abbatiam conduxit.

Quod ad Clementem pertinet qui pro Hugone ſpopondit, ad nullam ipſum damni reparationem ſeu erga abbatem aut monaſterium teneri exiſtimamus. 1. Quia ut fidejuſſor Hugonis tantum ſolvabilitatem aſſeruit, aut illius cujus nomen ſumſit Hugo ad conducendum, & conductionis ſolutionem ipſo non ſolvente. 2. Quia ad injuſtitiam vilioris pretii nullatenus ipſe contulit. 3. Quia agros ſuos Hugoni non locare, aut alium quærere conductorem abbas poterat; aut ipſe abſque conductore eos accurare. 4. Denique quia ipſum fidejuſſorem reſpuere poterat abbas ille (e).

(e) Domat. Tract. de jure publico. pag. 95. Et de Sainte Beuve t. 3. c. 231.

Vide { LAUDEMIA ET VENDITIONES. *Caſ.* 1. / RESTITUTIO. *Caſus Anſbertus.* }

DONATIO.

DONATIO, *eſt doni gratuiti collatio*. Ita definitur donatio proprie dicta (f) qua donator, qui rem datam abalienare poteſt, ejus dominium voluntarie ac libens ad donatarium transfert.

(f) Polman. Brev. Theol. part. 2. n. 302.

Donatio vel eſt incompleta vel completa. Incompleta ea eſt, qua res viva tantum voce datur: completa vero, ſeu omnino perfecta ea dicitur qua quis rem datam de manibus amittens, eam in manus ac poteſtatem donatarii tradit.

Donatio etiam dividitur in donationem inter vivos, & donationem cauſſa mortis.

Donatio inter vivos, *ea eſt qua fit a vivente integra valetudine & ea mente ut ita accipientis fiat, quod nullo modo per diſpoſitionem contrariam revocetur*. Deſumitur iſta definitio ex lege Digeſtorum. (g) cujus verba eumdem referunt ſenſum.

Dicimus: *a vivente integra valetudine*; nam ex articulo 277. Pariſienſis conſuetudinis omnis donatio etiam inter vivos morbi tempore facta quo moritur donator cenſetur facta *cauſſa mortis*, quibuſcumque terminis enuntietur, & exiſtimant peritiſſimi Galliæ Juriſperiti, idem eſſe dicendum de donationibus inter vivos, ſi in quolibet alio manifeſto & ferme ineluctabili mortis periculo, ut proximi naufragii diſcrimine fiant.

(g) Leg. Donationes. 1. ff. de Donationibus. l. 39. tit. 5.

Donatio ergo cauſſa mortis ea eſt, quæ rei datæ dominium tantummodo transfert. *Tum demum, cum mors fuerit inſecuta*, inquit Vulpianus (h); quæ ſpecies donationis ad Legati naturam proxime accedit; namque donator ſibi vivo rei dominium vult conſervare, ſed ad donatarium potius, quam ad heredem ſuum eam pervenire mavult poſt obitum ſuum. *Mortis cauſſa donatio eſt, cum quis habere ſe magis vult, quam eum cui donat, magiſque eum qui donat, quam heredem ſuum*, inquit Lex (i).

(h) Leg. Julianus. 2. ff. de mortis cauſa donat. lib. 39. tit. 6.

(i) Leg. Mortis. 1. ff. de mortis cauſſa Donationibus. & Leg. Senatus 35. §. 2. eod. t.

Donationis illa ſpecies in triplici caſu fit caduca. 1. Si donatorem pœniteat, eamque is revocet. 2. Si donatario ſit ſuperſtes. 3. Si facta donatione e legi-

timo

cimo toro prolem ſuſcipiat Donator : ſupponitur enim *fictione Juris*, donationem non fuiſſe factam, niſi ſub tacita conditione futuræ prolis ſuſcipiendæ, cum nemo præſumatur, extraneum velle eſſe heredem ſuum potius, quam proprios filios : quod etiam verum eſt de iis donationibus, quæ matrimonii cauſſa fiunt : quamvis varias huic caſui adſtrictiones apponant quædam Conſuetudines, ut Alvernæ (*a*), Borbonia & Normana.

(*a*) Conſuetud. Alver. c. 14. art. 32. Borbonia. art. 22. Normana art. 449.

Ex hac tertia cauſſa pleno jure invalida fit & caduca donatio, licet a Donatore ante mortem non fuerit revocata: cum eodem jure filii, ac pater ipſe, fruantur ad denuntiandam Donatario ipſius abrogationem. Ita ſentit D. Bretonnier (*b*), qui omnium Parlamentorum Juriſprudentia ſententiam ſuam confirmat, quorum Arreſta referunt Carondas, Louetus, Montholon, Malnardus, Bonifacius & Baſnagius : ex qua regula ſequitur Donatarium teneri de reſtitutione omnium fructuum quos percepit, ab eo ſaltem tempore quo ei denunciata fuere puerorum ortus & revocatio.

(*b*) D. Bretonnier. collect. Alphabet præcipuarum. quæſt. Juris. V. *Donatio*. p. 216.

Donationes inter vivos & cauſſa mortis in Gallia obtinent : ſed illud ſpeciatim obſervandum, donationes videlicet cauſſa mortis per contractum fieri non poſſe, ſed ſolum per teſtamentum. Quod autem donatio cauſſa mortis nullo modo valeat, quando eſt in forma contractus; juſte initutum eſt odio ſuggeſtionum, inquit Molinæus in Conſuetudinem Bleſenſem (*c*).

(*c*) Conſuet. Bleſenſ. ar. 170.

Quod ſpectat ad donationes inter vivos; perfectæ ſunt tantum, cum Donatarius & Donator capaces ſunt, is dandi, ille vero accipiendi; & formalitates habent, quas requirunt Edicta & Conſuetudo. Quocirca ſurdus & mutus a nativitate, aut inſanus, aut interdictus, cum ſuos promere ſenſus, vel agere nequeat : ex hoc etiam defectu incapax eſt talem efficiendi donationem. Pariter morte aut remis perpetuis, exſiliove perpetuo e finibus Regni damnatus Donatarius ad talem admittendam donationem eſt inhabilis.

Ætatem vero requiſitam varie ſtatuunt Conſuetudines : & eam quiſque abſolute ſequi tenetur, cui obnoxius eſt.

Præter dicta hactenus, neceſſe eſt etiam ad validitatem donationis, 1. ut Donatarius eam acceptando ſuum præbeat conſenſum; ut ſtatuunt Edicta Francisci I. an. 1539. (*d*), & Henrici II. an. 1549. qui aliunde exigit, ut facta a donatario, coram vel abſente donatore, ipſius etiam donatoris obitu ſit anterior. Hanc tamen iſtis Edictis conſtitutam Juriſprudentiam non obſervant Parlamenta Burdigalenſe, & Toloſanum.

(*d*) Art. 139.

Inſinuatio quoque eſt formula neceſſaria juxta Edictum Molinenſe : ſed ſatis eſt, ut fiat donatore ſuperſtite, quamvis eam anteceſſerit facta donatio quatuor & etiam pluribus menſibus, ex declaratione 17. Novemb. an. 1690. in Senatu Pariſienſi 25. ejuſdem menſis approbata, quæ in eam rem articulo 28. Edicti Molinenſis derogat.

Oritur autem inſinuationis neceſſitas ab Imperatore Conſtantino, qui eam pro donationibus inter vivos invexit, ut donatoris Creditores fraudes ipſius declinarent (*e*). Sed Regni Galliæ Juriſprudentia non una eſt, & eadem de neceſſitate inſinuationis; neque iis qui eam requirunt, de loco conſentiunt, ubi conficienda eſt. Quare univerſalem & certam ea de re regulam tradere non poſſumus.

(*e*) Leg. data jam pridem 27. Cod. de Donat. l. 8. tit. 54.

Denique dati traditio, eſt etiam ſecundum aliquem ſenſum, abſolute neceſſaria. *Dare* namque *& tenere non valet*, ut loquitur Pariſienſis Conſuetudo (*f*): quod cum lege conſentit : qua exigitur, ut rem datam e manibus amittat donator : *Nam traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur* (*g*). Quocirca ſi poſt donatoris obitum, inter ipſius mobilia inveniretur donationis ab eo factæ inſtrumentum; donatio ipſa revocata cenſeretur, vel recte præſumeretur facta in fraudem creditorum, ut acute obſervat Molinæus (*h*), & fert Pariſienſis Conſuetudo (*i*) his verbis : *Dare eſt & tenere, quando jus ſibi retinuit Donator, libere de re a ſe data diſponendi, aut eam poſſidet uſque ad diem obitus.*

(*f*) Conſuetu. Paris. art. 273.
(*g*) Leg. *Traditionibus*. 20. Cod. de pactis. lib. 2. tit. 3.
(*h*) Molinæus. Conſ. 60.
(*i*) Conſuetudo paris. art. 274.

Contendunt tamen Conſuetudinis interpretes, eum qui non mobile aliquod ſpeciatim, ſed omnia quæ die obitus ſui erunt, generatim mobilia donat, eorum poſſeſſionem retinere poſſe. Re ipſa ex articulo 275. extenditur illa tenendi facultas ad uſum hereditatum ſeu prædiorum, quæ fuere data. En ipſius verba: *Id dare & tenere non eſt, cum prædii alicujus dominium transfertur, retento ſibi uſufructu ad vitam, vel ad tempus, vel quando ſubeſt clauſula conſtituti, aut precarii; & talis donatio valet.* Et quidem licet in hoc caſu poſſidere donator perſeveret, poſſidet tantum uti uſufructuarius, tranſmiſſa ſolum dati proprietate, quæ proinde ad ipſum jam non pertinet. Quod ſignificant hæc legis verba (*k*). *Omnino idem ſit in his cauſſis, uſumfructum retinere, quod tradere.* Uſufructuarium enim, proprie loquendo, ſed tantum proprietarius ſeu

(*k*) Leg. *Quiſquis*. 28. Cod. de donat.

Do-

Dominus re ipſa poſſidet ex hoc effato: *Semper is poſſidere intelligitur, cujus nomine poſſidetur.*

Alia eſt donationis ſpecies, quæ fit inter virum & conjugem, quæ *donum mutuum* appellatur; quod cum ſcitu perneceſſarium ſit, definitionem ac præcipuas, quæ ad illud pertinent, regulas afferemus.

Donum, quod juxta forenſem ſtilum, dicitur *mutuum*, eſt pactum inter virum & conjugem initum, ſeu ex contractu matrimonii; ſeu poſt celebratum matrimonium.

Donum mutuum, quod fit per contractum, abſolute & abſque recurſu fieri poteſt, ſed ſuum non ſortitur effectum pro donatario, niſi poſt obitum præmortui.

Donum vero mutuum poſt celebratas nuptias juxta Pariſienſem Conſuetudinem, fieri tantum poteſt de uſufructu ab altero conjugum alteri derelicto per vitam ſuperſtitis, qui ad aſſecurationem fundi idoneam tenetur dare cautionem, quam a ſe transferre nequeunt contrahentes, etiam volentes: & inſuper requiritur ut in iis Conſuetudinibus, in quibus de uſufructu dumtaxat fit donum mutuum, fidum bonorum a defuncto datorum & derelictorum, indicem deſcribat ſuperſtes; ut ipſius defuncti heredes præmorruæ perſonæ heredibus rationem edant proprietatis, quæ ad iſtos ſpectat. Quod pertinet ad alias Conſuetudines, quarum diverſa ſunt ſtatuta, quiſque eam cui obnoxius eſt, ſequi tenetur, veluti legem qua tam in interno, quam externo foro obligatur.

Cum ex æquo ac reciproce contrahentibus utile ſit donum mutuum, ab (a) Ricard. in Conſuet. Paris art. 280. iis, etiam pupillis, fieri poteſt (a).

Ab omnibus ferme Conſuetudinibus admittitur pro conjugibus donum illud mutuum. 1 Quia datum ſibi invicem bonum cedit in reciprocam utriuſque utilitatem, quæ incerto fulcitur eventu, morte ſcilicet illius qui prius obiit. 2 Quia communi opera ac ſtudio partum eſt illud bonum.

Quatuor requiruntur conditiones ad validitatem doni mutui.

Prima: ut ipſo primi morientis obitus articulo, nullam e proprio aut præcedenti matrimonio prolem actu habeant conjuges. Neque enim ſufficit, ut præmortuo non ſit proles, ſi ſuperſtes habeat. Ratio eſt, quia donum mutuum debet eſſe reciprocum, nec pro uno validum eſſe poteſt, niſi pariter ſit pro altero.

Secunda: ut duo contrahentes bene valeant: alterutro namque ægrotante tum cum inter ſe fit mutuum donum, ſi obiret in tali morbo, illud fieret caducum & invalidum; quia cum eo potiundi ſpes ſuperſtiti remaneret, inter utrumque non foret æqualitas, quam tamen exigunt juxta naturalem æqualitatem Conſuetudines Gal- (b) Conſuetudo Britan. art. 228. 218. & 213. liæ; e quibus tamen excipienda eſt Britanna (b): juxta quam admittitur donum mutuum, licet e conjugio fuerit ſuſcepta proles, modo tamen derelictam prolem a donatore alat ſuperſtes, ſi aliunde ei ad vitam tolerandam bona non ſuppetant.

(c) Conſuetudo Pariſienſis art. 284. *Tertia*, ut juxta Conſuetudinem Pariſienſem (c) & alias permultas, in dono mutuo adſit ſemper æqualitas: quare juxta Conſuetudines illas de mobilibus tantum & immobilibus conquiſitis communitatis fieri poteſt.

Quarta denique eſt; ut donum mutuum inſinuationi ſubjiciatur tempore ex edictis præſcripto; qua inſinuatione ſemel facta, ab uno conjugum jam reſcindi nequit contractus, niſi de conſenſu alterius.

1 Obſervandum, teneri ſuperſtitem ad ſolutionem funebrium impenſarum, atque pecuniæ creditæ communitatis.

2 Heredes tamen donatarii qui præmoritur, jure repetere poſſe impenſas illas funebres, & partem mediam debitæ pecuniæ communitatis, quæ a ſuperſtite fuerant perſolutæ, quod earum tantum ſolutionem is anticipare teneretur.

3. Donatarium mutuum non teneri de aliis debitis, quæ non erant communia, id eſt, quæ ante nuptias fuerant contracta, uti nec de legatis a præmortuo factis; ut nimirum doni mutui ſervetur utrimque æqualitas.

4 Cum Donatarius mutuus ſit uſufructuarius, ipſum teneri, uti æquum patremfamilias, bona ſibi derelicta gerere, prædia ad vitam ſibi attributa de dono mutuo reparare, & ob eadem prædia debitos cenſus prædiales ſolvere, uti alias penſiones & annua onera, quæ præterierunt a tempore poſſeſſionis doni ſui: quod vero ad eos cenſus pertinet, qui tempore communitatis contigere; eorum ſolutionem anticipare tenetur; tumque heredes ſui ab heredibus præmortui repræſentatam a donatario pecuniam exigere jure poterunt.

5. Præmortui heredes, mobilium quæ dono mutuo ſunt ſubjecta, æſtimationem a viris expertis fieri, poſſe exigere; quo in caſu donatarii heredes poſt ejus mortem de eorum pretio tenebuntur apud heredes præmortui.

Hæ ſunt præcipuæ regulæ, quæ ad Tituli hujuſce argumentum pertinent.

CASUS

CASUS PRIMUS.

Magdalena, in lecto ſuo brevi moritura jacens, ex fideicommiſſo duo librarum millia Bartholomæo dare vult; cum aliter non poſſit, quod id ipſum vetet Pariſienſis Conſuetudo (*a*) cui ſubjicitur: hanc igitur pecuniæ ſummam cuidam ſibi amico legat, mandans ſimul, ut eam ſibi traditam, viro ſuo reſtituat.

(*a*) Art. 282.

Contendit hæc mulier, ſe tuta conſcientia donum illud viro ſuo conferre potuiſſe: 1. Quia lex, aut potius conſuetudo qua id vetatur, eſt tantum lex humana, quæ naturali nequit prævalere æquitati, quæ accepti beneficii gratum ac memorem exigit animum; quocirca, cum a viro ſuo per multos annos, ac præcipue per diuturnas ægritudines & plurimas, quibus ſæpe vexata eſt, humaniter excepta fuerit, conjugi ſuo gratiam referre tenetur, quod illo tantum dono poteſt efficere. 2. Quia lex, qua mutua inter conjuges donatio vetatur, ideo ſolum promulgata eſt, ut futuri ex ea comprimerentur abuſus, quibus fieret, ut alteruter ad extremam inopiam temeraria & injuſta liberalitate redigeretur: & quia in hac occaſione locum non habet illa legis intentio, quæ litteræ in uſu debet anteponi, quod vir eam ſemper nullo ductus propriæ rei ſtudio ſemper dilexerit. Quibus addi poteſt, ipſum eſſe pauperem, quem proinde immiſericorditer haberent parentes ſui abſque dono illo poſt mortem ſuam. 3. Quia licitæ ſunt ex pleriſque provinciarum Regni Conſuetudinibus hujuſmodi donationes; quæ abſque ſcrupulo ibi fiunt; quo certum fit, eas non minus Pariſiis eſſe licitas, ubi contraria eſt Conſuetudo, quam aliis in locis, ubi eadem his ſuffragatur. 4. Denique quia advocati ac notarii regionis hujuſce, in qua habitat Magdalena, affirmant, hanc eſſe univerſalem conſuetudinem, ut unus e conjugibus brevi moriturus, erga compartem ita ſe gerat.

Nonne ex his rationibus confirmatur hæc mulier ad danda viro ſuo duo illa librarum millia?

Respons.

Ut propoſitæ difficultati ſuum ſit reſponſum; duo ante ſtabilienda ſunt inconcuſſa principia.

Primum: quod Leges civiles quæ juſtæ ſunt, in conſcientiæ foro obligent: *Leges humanæ, etiam ſæculares*, inquit S. Antoninus (*b*), *imponunt homini neceſſitatem ad obſervandum in foro conſcientiæ*. Quod probat hic Sanctus: *primo* ex his S. Auguſtini verbis (*c*): *Quicumque legibus imperatorum, quæ pro Dei veritate..... feruntur, obtemperare non vult; acquirit grande ſupplicium. Secundo*, ex hoc S. Thomæ teſtimonio (*d*): *Leges poſitæ humanitus.... ſiquidem juſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur, ſecundum, illud Proverbiorum* 8. Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Quod idem confirmat Apoſtoli doctrina dicentis (*e*). *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt....ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

(*b*) S. Anton. 1. part. Sum. Theol. tit. 18. c. un. §. 2.

(*c*) S. Aug. in Can. *Imperatores*, 1. §. diſt. 9.

(*d*) S. Th. 1. 2. q. 96. art. 4. in corp.

(*e*) Rom. 13. 2. & 5.

Alterum principium eſt iſtud: conſuetudo a populo acceptata, & uſu confirmata, ubi lex deficit, locum vimque legis obtinet. *Conſuetudo autem*, inquit Canon a Gratiano relatus (*f*), *eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit Lex. Nec differt*, poſtea ſubjungit (*g*), *an ſcriptura, an ratione conſiſtat; quando & legem ratio commendat.*

(*f*) Iſidorus in Can. *Conſuetudo*. 5. diſt. 1.

(*g*) Ibid. §. 2.

Præſuppoſitis duobus illis principiis, ut propoſitæ quæſtioni reſpondeatur, dicimus, a Magdalena, per viam fideicommiſſi, vel aliter Bartholomæo conjugi ſuo prædictam ſummam tuta conſcientia dari non poſſe; quia Conſuetudo Pariſienſis (*h*) quæ vim legis obtinet, expreſſe vetat, ne quid præcipui ſibi invicem dent conjuges directe vel indirecte conſtante matrimonio, ſeu per donationem inter vivos, aut cauſſa mortis, aut per aliam quamlibet rationem, niſi per donum motuum, cum ipſis non eſt proles. En verba hujuſce Conſuetudinis: *Vir & femina, matrimoniali vinculo conjuncti, ipſo conſtante, quid præcipui ſibi invicem dare nequeunt per donationem inter vivos, per teſtamentum, aut ultimæ voluntatis diſpoſitionem, nec aliter directe aut indirecte, per quamlibet rationem, niſi per donum mutuum.* Atqui fideicommiſſum jus eſt quoddam præcipuum, quod marito ſuo confert Magdalena: in hanc igitur legem delinquit, cui injuſte fraudem facit. Id patet ex ſancto Hieronymo, qui in ſua ad Nepotianum Epiſtola aſſerit, quod faciendo fideicommiſſa, franguntur Leges, quibus fuere vetita: quo oſtenditur, magis timeri, ut videtur, imperatorum edicta, quam Chriſti (*i*); *Provida ſeveraque legis cautio*, inquit ſanctus Doctor, *& tamen nec ſic refrenatur avaritia: per fideicommiſſa Legibus illudimus; & quaſi majora ſint imperatorum ſcita, quam Chriſti, leges timemus, Evangelium contemnimus.*

(*h*) Conſuet. Pariſ. art. 282.

(*i*) S. Hieron. Ep. 2. ad Nepotianum.

Neque ex iis quas affert Magdalena, rationibus excuſatur ipſius legis neglectus: Nam 1. licet humana ſit lex, qua prohibentur hujuſmodi donationes, huic tamen obtemperare tenetur in foro conſciéntiæ, cum lex humanæ, ſi juſtæ ſint nec legibus Eccleſiæ contrariæ, obligent in conſcientia, ut oſtendimus primum ſtabiliendo principium; quod iſtis convenit. 2. Certum eſt quidem, quod legi humanæ anteponi debet lex naturalis, & divina poſitiva, neque ab illa quidquam iſtis contrarium præcipi, aut prohibere valere: ſed ipſis præferri non debet æquitas naturalis, contra quam aliquando jubere aut vetare quidquam poteſt pro bono publico, in cujus favorem neceſſe eſt quandoque a privatis id tolerari, quod habita ratione æquitatis naturalis pati non deberent: & in hoc ſenſu affirmatur, *quod omnis lex humana habet aliquid* iniqui, ut ex multis teſtimoniis probat Gloſſa in ſecundum Canonem Decreti Gratiani (*k*): *Quandoque eſt aliquod jus*, inquit Auctor hujus Gloſſæ, *quod non eſt æquum nec juſtum, ut ſi alicujus uxor adulteratur, quod non poſſit promoveri ut 34. diſt.* (Can. ſi cujus). *Quod intelligo, ſi poſtea cognoverit eam.... dic quod in omnibus caſibus ex cauſſa & pro bono pacis, vel publico inducitur quoque rigor contra naturalem æquitatem.* Fatendum itaque, quod, licet durum ſit hoc legis interdictum in caſu propoſito: obtemperandum tamen, quia id lex præſcribit: *Quod quidem perquam durum eſt: ſed ita lex ſcripta eſt;* ait una ex Legibus Digeſtorum (*l*). Sed inſuper addamus: quamvis in confeſſo eſſet, æquitatem naturalem humanæ legi eſſe anteponendam (quod tamen non concedimus) hinc colligi non poſſet, Magdalenæ eſſe facultatem ex grato memorique erga virum ſuum animo; de ſuis pro eo diſponendi contra Legis vetitum. Neque enim exigit naturalis æquitas, ut fiat animi grati ſignificatio boni donatione, quod quis dare non poteſt. Atqui facultatem iſtam Lex aut Conſuetudo non concedit; cum eam potius Magdalenæ in hanc rem auferat abſque ulla exceptione: in caſu itaque propoſito non obligat æquitas naturalis.

(*k*) Gloſſ. in Can. *Jus generale*. 2. diſt. 1.

(*l*) L. *Proſpexit*. 12. §. 1. ff. qui & a quibus manumiſſi liberi non fiunt, &c. Lib. 40. tit. 2.

Nec potior eſt altera Magdalenæ ratio, quam prima: neque enim verum eſt, hunc unicum eſſe Conſuetudinis finem, ut nimirum impediatur, ne alter conjugum alteri omnia bona ſua, aut majorem partem det, atque ita ſe ad inopiam redigat: hanc fateor unam eſſe Legis hujus rationem: *Ne mutuo amore invicem ſpolientur, non temperando a donationibus, ſed profuſa erga ſe facilitate utentes*, ut loquitur Gloſſa in Decretalem Gregorii IX. (*m*) ſed hæc fuit hujus Conſuetudinis Auctorum intentio, ut futura ex hiſce donationibus inter conjuges impedirentur abuſus & incommoda, ac præcipue, ne bonis ſuis Matrimonio conjuncti legitimos ſuos privarent heredes, quos, iis mortuis, illa habere, Lege cautum eſt. Cum ergo generalis ſit donationum inter conjuges prohibitio, nec ullam admittat exceptionem, nullius eſt privati eam propria auctoritate infringere, ſub ſpecioſo naturalis

(*m*) Gloſſ. in Can. *Conatio*. fin. de donat. inter virum & uxorem. V. *Conſtante Matrimonio*. Lib. 4. tit. 20.

Digitized by Google

æquitatis prætextu, aut ob aliam quamcumque cauſſam: nam, ut ait Gloſſa (*a*): *Ubi Lex non diſtinguit, etiam nec nos diſtinguere debemus*: alioquin publico bono, cujus gratia condita Lex eſt, fieret inutilis; quia ad libitum eam quiſque & pro voluntate ſua interpretaretur; unde magnum oriretur damnum. 1. Quia alter conjugum alterum ad extremam redigeret inopiam, qui facilius in ejus favorem ſuis ſe bonis ſpoliaret; quare ab Imperatore Antonino hæc fuit lata lex (*b*): *Majores noſtri inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honeſtum ſolis animis æſtimantes, famæ etiam conjunctorum conſulentes, ne concordia pretio æſtimari videretur, neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret*. 2. Quia bono prolis & educationi noxia eſſet facultas conjugum, ſibi invicem donandi. *Nec eſſet eis ſtudium liberos potius educandi*, inquit Lex alia (*c*), quæ rei hujus iſtam affert cauſſam. *Quia ſæpe futurum eſſet, ut diſcuterentur Matrimonia, ſi non donaret is qui poſſet: atque eventurum ea ratione, ut venalitia eſſent Matrimonia*. His addatur, quod; cum multo debiliores ſint mulieres, & ad credendum avidiores; a viris ſuis propriæ utilitati ſervientibus ſæpe deciperentur, aut inhumaniter exciperentur, ſi bonorum ſuorum donationem iſtæ denegarent.

(*a*) Gloſſa in Cap. *Cum conjugat.* 36 de officio & poteſt. Judicis deleg. in addit.

(*b*) Leg. *Hac ratione.* 1. ff. de donat. inter virum & uxorem. Lib. 24. tit. 1.
Item Leg. *Moribus.* 1. eod. tit.

(*c*) Leg. *Nec eſſet.* 2. ff. eod. tit.

Tertia, quæ affertur ratio ad confirmandam Magdalenæ donationem, majorem non habet vim ac pondus. Quamvis enim in quibuſdam provinciis licitæ ſint hujuſmodi donationes; hinc inferri nequit, eas pariter tuta conſcientia Pariſiis, aut in aliis regionibus, in quibus prohibitæ ſunt, eſſe licitas; nam, ut ait S. Antoninus (*d*): *Si generalis eſt* (Conſuetudo) *generaliter & ab omnibus ſervari debet; ſi particularis, ſcilicet in aliquo loco; in illo ſervari debet*. Quod etiam verum eſt, licet conſuetudo contraria quæ alibi ſervatur, expreſſa Lege niteretur.... *Quæ quidem Conſuetudo*, addit idem Sanctus, *ſi ſit particularis, ſcilicet in aliquo loco, non tamen tollit ſeu vincit Legem ſibi contrariam, ſed ſolum in illo municipio, ubi ſervatur*. Alias igitur Conſuetudines ex quibus licitæ ſunt iſtæ donationes, jactare nequit Magdalena: cum enim & ipſa & vir ejus Pariſienſi, qua prohibentur, conſuetudini ſubjaceant; eam ſequi ſub peccati reatu tenentur.

(*d*) S. Anton. 3. part. tit. 16. cap. un. §. 4.

Quarta quoque Magdalenæ ratio nullius eſt momenti. Nam, ſi pauper ſit vir ejus; & adſit periculum, ne ab heredibus illius male excipiatur; dicendum, par eſſe & æquum, ut a privato ferantur patienter malæ tractationes, quibus obnoxius eſſe poteſt occaſione Legis ad bonum publicum conſtitutæ, quæ abſque hujus detrimento frangi nequit: ut certo fieret, ſi humanæ alterius conjugum tractationes, ſuperſtitis inopia, metus heredum morientis, & alia hujuſmodi motiva ſufficerent ad diſpenſandum de Lege.

Deinde, ſi ad Legis infractionem alicui conſulendam uſum obtendunt Advocati quidam aut Notarii loci, quem habitat Magdalena, in hoc male agunt; quod ignorare aut negare non poſſint, Conſuetudinem legitime ſtabilitam vim habere Legis, eamque ita univerſim ac regulariter eſſe obſervandam; ut a quolibet Judice invalidæ declarentur hujuſmodi donationes, ſi factas fuiſſe comprobaretur.

Confirmari poteſt hæc deciſio iſto argumento: Diviſio ac poſſeſſio bonorum, quæ ex jure naturali omnibus hominibus ſunt communia, ſolo conſtitutæ ſunt jure gentium, ſic dicto, *quia eo jure omnes fere gentes utuntur*, ut ait Canon (*e*); atqui provinciarum Conſuetudines ibi loco juris Gentium ſcripti habentur; unde ſequitur legitime in aliqua regione haberi non poſſe bonum aliquod, niſi conformiter ad Conſuetudinem hujus regionis, atque conditiones, quas præſcribit; de quo proinde bono ſtatui nequit, niſi ſecundum terminos hujuſce Conſuetudinis; alioquin bono illo privarentur legitimi heredes, & damni ipſis illati conſtitueretur reſtitutio.

(*e*) Iſidor. in Can. *Jus Gentium*, 9. diſt. 1.

Colligimus ergo, teneri Magdalenam, ut diximus, ad ſequendam Pariſienſem Conſuetudinem, cum pro ea ſit veluti Lex ſcripta, eique non licitum eſſe, donationem de qua agitur, Bartholomæo marito ſuo facere, nequit directe, neque indirecte ex fideicommiſſo, ſub quocumque prætextu, ac ſub eo præſertim, quod ab ipſo humaniter ſemper excepta fuerit. Eam enim ex caritate & amore ſemper habendo, viri boni dumtaxat partes, ac ſuum proinde adimplevit officium, cujus mercedem a Deo ſolo debet exſpectare. Nedum enim ipſi propria dare queat bona; ideo ſolum Lex e contrario qua id ipſum prohibetur, conſtituta eſt, ne maritus, ob ſuam in mulierem poteſtatem, ipſam ad aliquam erga ſe donationem compellat, ſicque eam legitimos heredes ſuos iiſdem ſpoliet bonis ſuis, in ejus familiam tranſmittendo: quod etiam facilius evenire poteſt ob viri erga mulierem humanitatem atque amoris reſtitutionem, quam ob eam qua aliunde in ipſam valet, auctoritatem. Si igitur, nondum revocato teſtamenti ſui articulo, præmoriatur Magdalena; fida perſona cui pro Bartholomæo fideicommiſſum credidit, ipſi Legatum illud, intacta juſtitia dare nequit, ſed ſub peccati reatu duo millia librarum Magdalenæ heredibus reſtituere tenetur.

Juvat autem obſervare quoad ſolutam jam difficultatem, a Conſuetudine Pariſienſi, qua ex articulo 282. inter virum & uxorem prohibetur quælibet donatio ſeu inter vivos, ſeu cauſſa mortis, aut aliter, ſive directe vel indirecte, hanc addi exceptionem, *niſi ex dono mutuo*; eamque dilucide articulo 280. exponit, ibique expreſſe deſignari in quibus circumſtantiis & quibus ſub conditionibus conjugibus licitum eſt erga ſe invicem donum mutuum. En propria ipſius verba: „ Vir & mulier matrimonio conjuncti poſſunt, ſi bona ſint valetudine, ipſiſque licitum eſt, mutuam ſibi invicem facere donationem, æqualiter omnium bonorum ſuorum, mobilium & conquiſitorum, immobilium, partorum; conſtante ipſorum matrimonio, quæque reperiuntur ad ipſos pertinere, & inter ipſos eſſe communia in die obitus præmorientis dictorum conjugum: ut fructus eorum percipiat ſuperſtes dictorum conjugum, ſolum per vitam ſuam, ſufficienter, ad reſtitutionem dictorum bonorum poſt obitum ſuum, ſatiſdando; modo non ſit proles „. Hoc eſt duorum conjugum, aut alterius eorum tempore obitus præmorientis, ut explicat D. Ferrerius, qui fuſe agit de natura doni mutui, de quibus rebus fieri queat, ſub quibus conditionibus valeat, & quod ſit jus donatarii mutui in donum ſibi collatum.

His addamus, alias Conſuetudines ac permultas a Pariſienſi multum diſcrepare. Nam Conſuetudo v. gr. Laudunenſis art. 47. & Victoriaca art. 117. & aliæ quæpiam donatario mutuo mobilium dominium adſcribunt; & Bleſenſis art. 163. ipſi quoque conquiſitorum, immobilium proprietatem attribuit, præter mobilia, ſi non ſit proles; ſi vero ſit proles ſuſcepta, eorum tantum uſumfructum (*f*). Ceterum diverſa illa ſtatuta habenda ſunt, tamquam leges totidem, quas ſequi tenentur qui iis ſunt obnoxii. *Vide caſum ſequentem*.

(*f*) D. Ferrerius in art. 280. Conſ. Pariſ. Gl. 5. n. 1.

CASUS II.

Antoninus, mercator & civis Pariſienſis in lecto ægrotans ad mortem, operam a Maria conjuge ſua, non ſolum ſibi ægrotanti; ſed toto matrimonii ſui tempore præſtitam aliquam cupiens donare mercedem; cum præſentem non haberet pecuniam, quam ei dare *brevi manu* poſſet; fingit mutuatam a ſe mille librarum ſummam: cujus annui cenſus contractum tranſigit pro Mævio amico ſuo, qui hanc Mariæ ſummam poſt Antonini obitum ſe daturum promittit; quod re ipſa ab eo poſtea confectum eſt.

Mariæ dictum eſt, hoc in caſu Legibus prohibitum eſſe fideicommiſſum, & ex Pariſienſi Conſuetudine (*g*), conjugibus vetitas eſſe hujuſmodi in ſe invicem donationes; ac proinde eam teneri ad reſtitutionem prædictæ ſummæ erga Antonini heredes, a quo prolem non ſuſcepit.

(*g*) Conſuetud. Pariſ. art. 282.

Contendit contra uxor iſta, ſe compenſatione uti poſſe ob damna ſibi allata. Nam 1. mille libras habens in manu, bonorum communitatem in-

Digitized by Google

inter ſe virumque ſuum initam repudiavit, quam forſan aliter non abjeciſſet. 2. Ex tribus librarum millibus, quæ in dotem Antonino dedit, & quorum mille & quadringentæ libræ communitati ſunt attributæ; mille cum ſeptingentis & quinquaginta libris, quatriduo poſt tranſactum matrimonii contractum, & ante nuptias, de conſenſu tamen Mariæ & ſumptis pro ea cautionibus, adhibitæ ſunt ad ſolutionem debitorum Antonini erga duos mercatores, & etiam ad ſolutionem domus & viginti jugerum agrorum, quæ erant Antonini, & quæ pro mulieris ſuæ dote hypothecam conſtituerat: ex quo factum eſt, ut in pejus rueret communitas, quæ e contrario aucta fuiſſet, ſi e tribus omnino librarum millibus mercaturam feciſſet, quam proinde, mortuo marito, non abjeciſſet. 3. Quia ex repudiatione ſua dotem ſuam dumtaxat acceptans ceteraque pacta dotalia, quæ ad mille quingentarum librarum pro bonis dotalibus, & quingentarum pro prælegato ſummam pertingebant, grave damnum paſſa eſt, eo quod pro dotatis ſibi tribus librarum millibus præſenti pecunia, coacta fuerit paciſci cum viri ſui defuncti heredibus, quos ad reſtitutionem dotis ſuæ judicio obligarat; & quindecim agrorum jugera accipere; quia ad id accipiendum ex Caſtellaniæ juriſdictionis ſententia fuerat damnata, cum alia non ſupereſſent mortuo Antonino bona, niſi quæ neceſſaria erant ad ſolutionem dotis ſuæ ac prælegati, atque ad ſumptus tum funebres, tum forenſes; quæ omnia ſimul duorum millium cum quingentis libris ſummam efficiebant: quocirca agri ſibi aſſignati ducentis libris pro quolibet jugere æſtimati ſunt, quique aliquamdiu abſque conductore ſibi remanſerunt, & ex quibus venditis duo millia ducentas nonaginta libras percepit. Nonne igitur compenſatione uti poteſt Maria, & quod minus de dote ſua accepit, retinere; atque etiam damna ſua reſarcire?

RESPONSIO.

Exiſtimamus, in conſcientiæ foro teneri Mariam ad reſtituendas defuncti viri ſui heredibus libras mille, quas ab ipſo *conſtante matrimonio* accepit ex fideicommiſſo, omni prorſus ipſi compenſatione prohibita. Ratio eſt, quia fideicommiſſum inter conjuges improbatur jure conſuetudinario, quod Pariſiis vim Legis obtinet, & quod proinde ſequi tenetur quilibet, etiam in foro conſcientiæ. *Ex non ſcripto jus venit, quod uſus comprobavit: nam diuturni mores, conſenſu utentium comprobati, Legem imitantur*, inquit Imperator Juſtinianus *(a)*. Cui rei conſona ſunt hæc alia Legis verba *(b)*: *Id cuſtodiri oportet, quod moribus & conſuetudine inductum eſt.*

(a) §. *Ex non ſcripto*. 9. Inſtit. de jure naturali, Gentium & civili. Lib. 1. Inſtitut. tit. 3.

(b) Leg. *De quibus*. 33. ff. de legibus. Lib. 1. tit. 3.

Conſtat hæc deciſio ex argumentis in reſponſione ad priorem difficultatem allatis, quæ heic repetere ſupervacaneum eſt. Quare Mariæ tantum rationes perpendemus, quas affert, ut ſe ſe a reſtitutione ſummæ, a viro ſuo ſibi conceſſæ eximat.

1. Aſſerit, quod, ſi penes ſe mille libras haſce non habuiſſet, forſan communitatem inter ſe virumque ſuum initam non abjeciſſet. Cui rei reſpondendum, ſatis apparere, eam ob acceptam a viro ſummam, tanquam veram cauſam, communitatem non abjeciſſe. 1. Quia communitas illa, ipſa fatente, in pejus ruebat, & poſt ſolutionem dotis ſuæ, prælegati & luctus ſui, nec non impenſarum funebrium atque forenſium, ſupererant tantum domus & viginti agrorum jugera, pro dote ſua trium millium librarum ſibi, ut dictum eſt, oppignerata. Inſuper apparet, eam mille libras habuiſſe, tamquam donum legitimum, a viro ſibi conceſſum; quandoquidem dotis ſuæ integram judicio proſecuta eſt ſolutionem, quam reipſa a defuncti herede obtinuit; qui ſententiam implere nequivit, niſi ei æquivalenter agrorum jugera dando.

2. Addit, e dote ſua diſtractas fuiſſe mille ſeptingentas quinquaginta libras ad ſolutionem creditorum viri ſui; quibus non perſolutis ditior fuiſſet communitas, e qua proinde majora percepiſſet commoda: quæ Mariæ objectio duplici modo refelli poteſt. 1. Quod de partium conſenſu, hoc eſt, viri & ſui ipſius tali modo impenſa fuit illa ſumma, cum quatuor tantummodo poſt tranſactum matrimonii contractum diebus & ante nuptias is fuerit pecuniæ illius uſus, & poſt adhibitam pro ea neceſſariam cautionem, hoc eſt, poſt factam pactionem inter ſe ſponſumque ſuum, quod Antonini creditores & Antoninus ipſe publico declaravit inſtrumento, prædictam mille ſeptingentarum quinquaginta librarum ſummam perſolutam fuiſſe e dotali pecunia Mariæ, eamque propterea pro aſſecuratione partis hujuſce dotis ſuæ jus illorum creditorum acquirere. Unde ſequitur, ipſi nullum fuiſſe damnum illatum ex uſu ſummæ hujuſce; cum de ipſius conſenſu ceterorumque, quorum intererat, is factus fuerit, & Antoninus ipſe, quantum in ſe fuit ac fieri poterat, de hac dotis ejus parte caverit. 2. Quod e tribus librarum millibus, mille & quadringentæ tantum libræ communitati fuerint attributæ, non vero integra ſumma, uti ſuadere videtur Maria, dicens, ſe majora e communitate percepiſſe commoda, non diſtractis mille ac ſeptingentis quinquaginta libris. Diſtracta igitur ſumma illa, aberant ſolum centum quinquaginta libræ ab ea pecunia, quæ communitati erat adſcribenda; ex quo leviſſimum tantum huic mulieri poterat damnum inferri.

3. Contendit etiam Maria ſe ab obligatione reſtitutionis mille librarum eſſe liberam, quod pro numerata dotis ſuæ pecunia quindecim agrorum jugera ex pacto acceptare coacta fuerit. Ad quod reſpondetur 1. ipſam juridice fuiſſe damnatam, atque adeo perperam conqueri. 2. Quia libenter ipſa conſenſit inito in eam rem cum defuncti viri ſui heredibus convento. Igitur non eſt, quod conqueratur, ac propterea mille libras per modum compenſationis ſibi retinere velit. Si quid enim ſibi damni illatum fuiſſe exiſtimaret, domum ac cetera quinque ex hereditate Antonini reſidua agrorum jugera repetere poterat: quod cum non fecerit, integram dotis ſuæ ſolutionem ex quindecim acceptis jugeribus recepiſſe cenſenda eſt.

4. Denique objicienti Mariæ, ſe agros per tempus aliquod conducere non potuiſſe, atque ex eorum venditione 2290. lib. tantum percepiſſe; Reſpondendum 1. Infortunio temporum iſtam adſcribi oportere jacturam, quo fit, ut ruſtica prædia, & etiam urbana, majore quandoque pretio, uti pacis tempore, quandoque minore, ut bello ſæviente, vendantur. 2. Venditorem, aut debitorem, qui ad ſolutionem emptoris aut creditoris domum vel agros transfert, numquam teneri de damno, quod patitur ceſſionarius, dum eadem iterum vendit, uti nec de locationis pretio erga locatorem.

CASUS III.

Agoardus Joannæ maritus, in vico prope Remos habitans, cum in extremis eſſet, 800. libras viva voce dono dedit uxori ſuæ, e qua prolem non ſuſceperat. Numquid eam ſummam retinere poteſt Joanna, cum detrimento Antonii, qui Agoardi frater eſt & unicus heres? Videtur, quod poſſit illæſa conſcientia ſua: 1. quia nihil potiori jure habetur, ut vulgo aiunt, quam quod libenter datur. 2. Quia donatio illa ne quidem ſimpliciter eſt gratuita, ſed quædam veluti merces debita curis & laboribus hujuſce mulieris, quæ multam contulit operam, ut hanc ſummam lucraretur vir ſuus. 3. Quia ipſi nubendo 300. ei libras dotem dedit, de quibus nullum penes ſe eſt inſtrumentum publicum. 4. Quia egena eſt & in hac ſumma tota res eſt ipſius; & quia, cum aliunde multum viro ſuo per diuturnos, quibus vexatus eſt, morbos miniſtraverit, mercedem laboribus ſuis convenientem meretur juxta mentem legis dicentis *(c)*: *Quis enim earum (uxorum) non miſeretur propter obſequia, quæ maritis præſtant?* Videtur tamen aliunde 800. illas libras a Joanna retineri non poſſe, abſque communitatis fraude cujus pars media ad Antonium pertinere debet.

(c) Leg. *Aſſiduis*. 12. Cod. qui potiores in pignore habeantur. lib. 8. tit. 18.

RESPONSIO.

Datas ſibi a viro ſuo moribundo 800. libras retinere poteſt Joanna, quia ex Remenſi conſuetudine *(d)*, vir uxori ſuæ donare poteſt ſeu per donationem inter vivos, ſeu cauſa mortis. Hanc

(d) Conſuet. Remens. art. 291.

eamdem ſibi habere ſummam poſſet illa mulier juxta conſuetudines Ambianenſem (a), Nannetenſem (b), & alias nonnullas, ſecundum quas valent donationea cauſa mortis, aut teſtamento factæ inter virum & uxorem; ut advertit D. Ferrerius in articulum 282. Conſuetudinis Pariſienſis (c), Sed ſi alteri conſuetudini, qua contrarium ſtatueretur, quales ſunt Pariſienſis & Trecenſis (d), necnon aliæ permultæ, obnoxia eſſet Joanna; de hac ſumma idipſum tantum retinere poſſet, quod ad ſe in communitate pertineret, ſeu eam acceptaret, ſeu repudiaret; & ante omnia 300. libras, quas in dotem attulit, licet nulla dotis hujuſce ei ſuppetat externa probatio; ac reſiduum Antonio, defuncti heredi, foret reſtituendum; quantumvis ipſa foret egena, & ad hujuſce boni lucrum cum marito operam ſuam contuliſſet, eique per morbos ejus miniſtraſſet; quibus rationibus coram Deo non erit innoxia, ut conſtat ex dictis in reſponſionibus ad duas ſuperiores difficultates. Nequa ſententiæ noſtræ obſtat Lex citata pro mulieribus; hæc enim intelligi nequit de donationibus inter conjuges, cum jure improbentur; ſed de aliis tantum gratiis ſpecialibus, quas eis Leges concedunt, ut patet ex his verbis, quæ modo citatis immediate ſubjiciuntur. *Propter partus periculum & ipſam liberorum procreationem, pro quibus multa noſtris Legibus inventa ſunt.*

(a) Conſuet. Ambian. art. 106.

(b) Conſuet. Nann. art. 16.

(c) D. Ferrerius in articulum. cit. tit. 13. Gloſſ. 2. n. 5.

(d) Conſuet. Pariſiens. art. 282. & Trecens. art. 84.

CASUS IV.

Eudoxia, Leandri uxor, e quo prolem non ſuſcepit, viro ſuo moriens 3000. lib. ſupellectilium quæ ſua erant, dono dedit. Numquid in foro conſcientiæ ad eorum reſtitutionem tenetur Leander erga uxoris ſuæ heredes? An vero eadem retinere poteſt, uti rem ſuam, quod ſint tantum ſupellectilia?

Reſpona.

Diſtinguendum; nam vel Leander & Eudoxia ſcripti juris provinciam, vel conſuetudinarii incolunt. Si ſint in regione ſcripti juris, Leander abſque ſcrupulo ea de quibus agitur, ſuppellectilia retinere poteſt: quia in regione ſcripti juris, mulier quæ e viro ſuo prolem non ſuſcepit, ei ſupellectilia ſua dare poteſt, & vir viciſſim ſua mulieri ex donatione cauſa mortis: cum ſolæ donationes inter vivos ex jure Romano prohibitæ ſint, ut conſtat ex multis Legibus, quæ hujuſce etiam rei cauſas afferunt. *Moribus apud nos receptum eſt*, inquit una ex his Legibus (e), *ne inter virum & uxorem donationes valerent. Hoc autem receptum eſt, ne mutuo amore invicem ſpoliarentur, donationibus non temperantes, ſed profuſa erga ſe facilitate.* Aliæ legi poſſunt Leges, quas in reſponſione ad primam difficultatem attulimus.

(e) Leg. Moribus. 1. ff. de donationibus inter virum & uxorem. lib. 24. tit. 1.

Sed ſi Eudoxia eam incolat provinciam, ubi vigeat jus conſuetudinarium; neceſſe eſt omnino, ut ipſa virque illius juri illi ſubjaceant, quod ſtatuit conſuetudo: Quocirca, ſi ex conſuetudine licitæ ſint hujuſmodi donationes, ut reipſa eas approbant conſuetudines, Remenſis, Wivernenſis, Borbonienſis ac Pictavienſis, data ſibi ab uxore ſuppellectilia eorumve pretium reſtituere Eudoxiæ heredibus non tenetur Leander. Si e contra ex conſuetudine irritæ ſint ac prohibitæ hujuſmodi donationes, uti reipſa eas prohibent conſuetudines, Pariſienſis, Aurelianenſis, Bleſenſis, Senonenſis, Antiſſiodorenſis & Bituricenſis; eadem uxoris ſuæ heredibus reſtituere tenetur Leander.

Juvat heic addere. 1. Ex quibuſdam conſuetudinibus, ut Melodunenſi, Trecenſi, Laudunenſi, Senliaca, Turonenſi & Britanna licitam eſſe mariti erga uxorem donationem, ſed non viciſſim uxoris erga maritum. Quare ſi cuipiam ex his conſuetudinibus ſubjacebant Leander & Eudoxia, data ſibi ab uxore ſupellectilia retinere tuta conſcientia non poſſet Leander. 2. Ex conſuetudine Burgundiæ prohibitas quoque fuiſſe hujuſmodi donationes, niſi de iis ex contractu matrimoniali fuerit conventum. Uno verbo, cum pro lege habeatur conſuetudo, ei morem gerere omnino neceſſe eſt.

CASUS V.

Marcellina, Natalis vidua, e quo duos pepereris pueros etiam ſuperſtites, ſecundo Michaeli nupſit, quatuor quinqueve menſibus ab obitu prioris conjugis ſui, e quo pariter duos ſuſcepit pueros. Natalis Marcellinæ ex pactionibus nuptialibus mille nummos dono dederat. Numquid eorum retinet poſt ſecundas nuptias dominium, ita ut de iis ad libitum aut ex venditione aut ex donatione inter vivos, aut aliter poſt obitum Michaelis ſtatuere poſſit?

Reſpons.

Ut tuto ſolvatur iſta difficultas, ſciendum, num Marcellina in ea ſit regione, ubi ſervetur jus ſcriptum, an vero conſuetudinariam incolat regionem. Si in ea ſecundo nupſerit regione, ubi vigeat jus Romanum; omnium a primo viro ſuo prælegatorum dominium ex hoc amiſit, quorum uſumfructum ſolum retinet; tranſlato ab ipſo ſecundarum nuptiarum die ad prioris thori pueros eorum dominio: & ſi prior ejus maritus, non quidem dominium, ſed uſumfructum dumtaxat omnium partiſve bonorum ſuorum dereliquerit; eo ſtatim ſit privata; eademque ſtatuitur Legibus Romanis pœna erga virum, qui in ſimili caſu ad ſecundas tranſit nuptias, id eſt *intra annum luctus*, excepto tamen uſufructu tali, quem ſecundo nubens non amittit. Id expreſſe conſtituit Lex ab Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano lata (f), cujus ſummam a Baldo his verbis factam referre ſatis erit; *Sicut mulier tranſiens ad ſecunda vota, lucra prioris matrimonii tenetur reſervare filiis ejuſdem matrimonii; ita vir, tranſiens ad ſecunda vota, tenetur reſervare filiis ejuſdem matrimonii lucra dotis, alienandi facultate penitus interdicta, adminiſtratione tamen permiſſa patri, dum vivit.* Auctor quoque Gloſſæ declarat, hunc etiam eſſe Legis hujus ſenſum aliis hiſce verbis: *Sicut mulier convolans ad ſecundum matrimonium cogitur reſervare quidquid percepit a primo marito filiis primi matrimonii; ita vir convolans ad ſecundum matrimonium, omnia quæ habuit ex prima uxore, compellitur relinquere filiis primi matrimonii, & filii habent dominium illarum rerum: & ſi mortuo patre, res ab aliqua poſſidentur, filii poſſunt eas vindicare — pater autem, dum vivit, poſſidebit res illas, & in morte relinquet filiis, ſicut vult, nec eas alienat.* Idem conſtituit Imperator Juſtinianus in ea quam condidit, lege de ſecundis nuptiis (g).

(f) Leg. Generaliter. 9. Cod de ſecundis nuptiis. L. 5. tit. 9.

Longius etiam progrediuntur Romanæ leges; iis enim conſtituuntur pœnæ in mulieres, quæ ante elapſum luctus annum ad ſecundas convolant nuptias.

(g) Juſtin. in Novella unic. de ſecundis nuptiis cap. 22. 23. & 24.

Prima eſt: quod mulieres in infamiam incurrant. *Si immaturas contraxerint nuptias*, inquit Imperator Juſtinianus (h), *ſubibunt pœnas, alias quidem, ſi ſine filiis ex prioribus matrimoniis; majores autem, ſi etiam filii ſint: ſi enim non eſt ſoboles, infamia mox ſequatur, & erit omnino mulier propter nuptiarum feſtinationem infamis, & neque percipiet aliquid horum, quæ a priore relicta ſunt ei conſortia &c.* Quod etiam ſtatuit Lex alia mox laudanda.

(h) Cit. Novella. c. 2.

Secunda: quod ſecundo ſuo marito vel ex contractu nuptiali, vel ex donatione cauſa mortis tertiam tantum bonorum ſuorum partem dare queant. *Si qua mulier*, inquit Lex alia (i), *nequaquam luctus religionem priori viro nuptiarum feſtinatione præſtiterit, ex jure quidem notiſſima ſit infamis; præterea ſecundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem non det, neque ei ex teſtamento pluſquam tertiam partem relinquat.*

(i) Leg. Si qua. 1. Cod. de ſecund. nuptiis.

Tertia: quod „ omnium præterea hereditatum,
„ legatorum fideicommiſſorum ſuprema voluntate
„ relictorum, mortis cauſa donationum ſint exper-
„ tes (K).

(k) Leg. Si qua mulier. cit.

Quarta: quod datas ſibi ex primi viri teſtamento prærogativas nequeant percipere. *His etiam omittendis quæ prior maritus ei ſuprema voluntate reliquerit.*

Quinta denique: quod fiant inhabiles ad ſuccedendum ab inteſtato parentibus ſuis ultra ter-

tium

Digitized by Google

tium gradum, numerando gradus illos ſecundum leges civiles. *Eamdem quoque mulierem infamem redditam*, pergit eadem Lex, *hereditatis ab inteſtato, vel legitimas vel honorarias, non ultra tertium gradum ſinimus vindicare.* Argumentum denique dotis ſuæ cæteraque dotalia amittunt (*a*).

(a) L. Femina. 3. Cod. eod. tit. Id quidem verum eſt, ut obſervat Mainardus (*b*) non obſervari in regione ſcripti juris, quæ Senatus Pariſienſis juriſdictioni ſubjacet; ſed intra fines juriſdictionis ceterorum Parlamentorum quæ jus ſcriptum ſequuntur, mulieres in pari caſu poſitæ his omnibus pœnis ſunt obnoxiæ: & illæ ſolæ quæ e priori thoro prolem ſuſcepere, de iis diſpenſari poſſunt Regio diplomate; mediam bonorum ſuorum partem dando pueris ſuis, abſque ulla ſpe eadem obtinendi per eorum obitum; niſi forte ultimus moriens de iis teſtamento non conſtituiſſet.

(b) Main. l. 3. c. 96.

Si vero Marcellina in regione conſuetudinaria domicilium habeat, non idem omnino dicendum; quod ibi accurate non ſerventur Romanarum Legum ſtatuta, ibique vigeat Edictum an. 1560. quod dicitur Edictum de ſecundis nuptiis, quodque ab his legibus in duobus diſcrepat.

1. Quod conjux ſecundo nubens non amittat dominium eorum, quæ ſibi a præmoriente data ſunt, ſed dominium illud prioris thori pueris ſervare teneatur. 2. Quod parentes qui ad ſecundas convolant nuptias, ex hoc Edicto a ſucceſſione puerorum ſuorum non excludantur, etiam quoad bona quæ poſſediſſent, uti præmorientis heredes. Id quidem fatemur, hoc Edicto *expreſſe* non exprimi, dominium illud fore parentum; ſed eos quoque ab illo non excludit.

Ex dictis hactenus ſequitur, 1. quod Marcellina quæ in regione ſcripti juris habitans, quatuor aut quinque ab obitu viri Natalis ſecundo nupſit; in omnes incurrit pœnas, quas ſtatuunt Romanæ leges in viduas, quæ intra annum luctus ſecundas ineunt nuptias: atque adeo mille nummorum quos ei ex nuptialibus pactionibus dono dedit Natalis, dominium amiſit.

2 Quod ſi in regione conſuetudinaria habitet, ob ſecundas nuptias doni ſibi a primo ſuo marito conceſſi dominium non amittat, ſed quod illius tantum retineat ſervatura prioris thori pueris; quin illud idem cuiquam alteri ex donatione, venditione aut aliter transferre valeat.

CASUS VI.

Odomarus, vir ditiſſimus, amico ſuo Claudio benefacere cupiens, ipſi ex donatione inter vivos, coram duobus Notariis confecta, domum ſex librarum millia valentem dedit. Quod cum ſuos heredes reſcire nollet, eam per inſinuationem non promulgavit, quam formulam non abſolute neceſſariam putabat. Poſt annum in remota provincia mortuo Odomaro, Claudius ſeptem octove menſibus ab obitu donatoris ſui donationem ſuam oſtendit, domum pretiumve ejus ab herede repoſcens: ſed utrumque ipſi denegavit heres, invalidam contendens eſſe donationem ex ſolo inſinuationis defectu. Poteſt ne tuta conſcientia domus pretium Claudio non perſolvere? An vero Claudius poteſt in hoc caſu compenſatione uti, huic heredi parem ſibi ſecreto creditam pecuniæ mutuæ ſummam non ſolvens?

Respons.

Neceſſe ſemper fuit, ut donationes inter vivos factæ inſinuationis interventu promulgarentur. Ita conſtituit jus Romanum; ne ignota donatoris obſtrictione, hinc fraus quæpiam oriretur. *Data jam*

(c) L. Data. 27. Cod. de donat. l. 8. t. 54. *lege ſtatuimus*, inquit Lex (*c*), *ut donationes, interveniente actorum teſtificatione, conficiantur: quod vel maxime inter neceſſarias conjunctaſque perſonas convenit cuſtodiri. Siquidem clandeſtinis ac domeſticis fraudibus facile quidvis pro negotii opportunitate confingi poteſt, vel id quod geſtum eſt aboleri.* Rem eamdem lex alia ſancivit his

(d) L. In hac Cod. eod. tit. verbis (*d*): *In hac ſacratiſſima urbe conſcriptæ donationes, ubicumque poſitarum rerum apud Magiſtratum cenſus inſinuentur. In aliis vero civitatibus...... donator habeat liberam facultatem donationes rerum ſuarum, ubicumque poſitarum, ſive apud Moderatorem cujuslibet provinciæ, ſive apud Magiſtratus, ſive apud defenſorem cujuſcumque civitatis, prout maluerit, publicare .... & hæ donationes, quæ in diverſis provinciis & civitatibus apud quemlibet ex prædictis fuerint publicatæ, obtineant inconcuſſam ac perpetuam firmitatem.*

Inſinuationem indiſtincte conſtituerunt Galliæ reges Franciſcus primus & Carolus IX. pro qualibet donatione cujuſcumque rei vel ſommæ, uti formulam abſolute requiſitam, ſine qua donatio quælibet eſt invalida: excepta mobilium tantum donatione, quæ inſinuatione non indiget, niſi tota res donatoris in mobilibus eſſet poſita. En verba Franciſci I. in ſuo Edicto menſis Auguſti an. 1539.

(*e*). „ Volumus, ut donatio quælibet, deinceps „ facienda inter ſubditos noſtros, inſinuetur, & ad „ acta Curiarum noſtræ juriſdictionis referatur: „ alioqui invalida cenſebitur; neque ſuum ſortiri „ effectum incipiet, niſi a die dictæ inſinuationis: „ idque quoad donationes coram donatariis factas „ & ab iis acceptas „. Strictius etiam loquitur Carolus IX. in ſuo Molinenſi Edicto menſis Febr. an. (e) Edict. Franciſci I. a 132.

1566. En ipſius verba (*f*): „ Juſſimus, ut omnes „ donationes, inter viros factæ, mutuæ, reciprocæ, oneroſæ, matrimonii cauſſa factæ, & aliæ, „ quacumque forma & qualitate inter vivos fuerint confectæ, inſinuentur & ad acta publicorum Tabulariorum ſolitarum noſtrarum Curiarum referantur; in quibus donum erit poſitum „ & partium domicilium, intra quatuor menſes, „ initio numerationis ducto a die adſcripta iſtis „ donationibus, quoad bona & perſonas; & intra ſex menſes pro iis perſonis, quæ extra regni noſtri limites erunt. Aliter & defectu prædictæ inſinuationis, erunt & permanebunt prædictæ inſinuationes invalidæ, nullius effectus, „ & valoris tam pro creditore, quam donatoris „ herede „. (f) Ed. Caroli IX. art. 58.

Ex his Edictis conſtat, donationem quamlibet inſinuationis formalitati eſſe obnoxiam, ne iis quidem exceptis, quæ teſtamento fierent juxta declarationem menſis Maii an. 1645. neque donationibus mutuis inter conjuges ex declaratione 5. Decemb. an. 1621. Certum quidem eſt, ſupremarum Curiarum arreſta diſtinguere quandoque inter donationes remuneratorias & eas quæ oneroſæ dicuntur, de quibus, cum heic non ſit de iis quæſtio, non verba faciemus.

Ex dictis colligere facile eſt invalidam eſſe Odomari donationem Claudio factam; neque teneri donatoris heredes, etiam in conſcientiæ foro, ad concedendam donatario ædium ei datarum poſſeſſionem aut ad pretium earum perſolvendum, & conſequenter illius donationis obtentu Claudium compenſare non poſſe, ſex millia librarum Odomari heredi a ſe debita clam retinendo; ſed ipſum coram Deo de ſolutione teneri.

Vide Insinuatio. Caſ. 2.

CASUS VII.

Guarino, Yolandæ marito, quæ nullam ei pariebat prolem, arma ſecuto in ſancti Geneſii cohorte legionis Campaniæ dato nomine: Yolanda, quæ de eo quidquam ab octo decemve annis non didicerat, teſtimoniales exegit litteras a Ductore & quatuor ejuſdem cohortis militibus ſubſcriptas, quibus teſtabantur, Guarinum in pugna ante tres annos cum Germanis habita occiſum fuiſſe. Yolanda his litteris munita, ſecundas cum Petro contraxit nuptias, quocum multos annos, non ſuſcepta prole, cohabitavit; quo factum eſt, ut ambo ſibi mutuum donum fecerint, ſuperſtiti permanſurum per modum uſusfructus. Poſt annum elapſum mortuo Petro, dotem ſuam recuperavit Yolanda, ſimulque dotalium ſuorum donique mutui poſſeſſionem adivit. At vero, cum rediiſſet Guarinus, quem mortuum exiſtimaverant, qui captus in pugna tantum fuerat ab hoſtibus

Digitized by Google

apud quos arma ſamſerat, ac mulierem ſuam reſumſiſſet, ipſam in poſſeſſione nuptialium pactionum ac doni mutui conturbaverunt Petri heredes. Qua de re quæritur, utrum abſque injuſtitia jus ſuum judicio proſequi valeat iſta, ac poſtulare ut in poſſeſſione ſua conſervetur?

RESPONS.

Certum eſt, tantam eſſe bonæ fidei virtutem, ut ſufficiat ad excuſandam Yulandam; non ſolum a peccato in ſecundo quod ſe contrahere putavit, matrimonio, & ad legitimam efficiendam prolem quam e Petro ſuſcipere potuiſſet; ſed etiam ad omnia percipienda commoda.

Apparet autem, Yolandam bona fide egiſſe; cum ante ſecundas nuptias ſuas, teſtimoniales litteras, non ſolum a ductore Guarini viri ſui, cujus ſolius fidem atteſtari poterat, ſed ab ejuſdem ductoris quatuor militibus ſubſcriptas abſque ulla ſpecie doli fraudiſve protulerit. Par igitur non eſt, ut immerita puniatur per privationem nuptialium pactionum ſuarum, atque doni mutui inter ſe ac Petrum bona fide confecti: quocirca exiſtimamus, mulierem hanc jus ſuum abſque injuſtitia judicio poſſe proſequi contra Petri heredes qui eam perturbant, & a judice requirere, ut ſe in dotis ſuæ reſumtione & in poſſeſſione dotalium ſuorum atque doni ſui mutui confirmet. Ita ſentit D. Ferretius in commentario ſuo in Conſuetudinem Pariſienſem (a): in quo doctus hic Auctor, inſolitum quidem, ſed tamen verum refert caſum de muliere; quæ, quia non in eadem bona fide ſperat, & vivente priore marito ſuo ſecundo nupſerat, ad unius tantum hominis parum tutum teſtimonium, nomine Pigeon, qui affirmabat, primum hunc maritum clavæ ictu fuiſſe occiſum in navi, ut ipſe viderat; petitioni pactionum ſuarum nuptialium renuntiare judicio coacta eſt; & id ſolum obtinuit, quod cum Titio ſuppoſito viro ſuo attulerat. Tunc pro muliere cauſſam agebat D. Bignon, poſtea Generalis Advocatus, & D. Brodelius pro Titii heredibus. In ſuprema Curia latum eſt illud Arreſtum ad concluſiones D. Talon, tunc Advocati Generalis ann. 1648. ita ut mulier illa ideo ſolum litem ſuam amiſerit, quod ſufficientem bonam fidem non habuerit alteri nubens marito, ad unius tantum hominis relationem, qui nonniſi a longe & imperfecte relata videre potuerat; cum contra ſi a Navis ductore teſtimoniales litteras de morte viri ſui obtinuiſſet, priuſquam alteri nuberet; pro certo omnes ſuas nuptiales pactiones obtinuiſſet.

(a) D. Ferret. comment. in Conſuetud. Pariſ. art. 280. Gloſſ. 4. n. 27. in fine.

CASUS VIII.

Euſebius domum ſuam Ægidio dono dedit; hujus autem donationis inſtrumentum tam a datore, quam donatario, nec non etiam Notario, qui illud confecit, ſubſcriptum eſt. Sed quia ex lege civili irriti declarantur hujuſmodi contractus; cum a ſecundo Notario, aut ipſo deficiente, a duobus teſtibus non ſunt ſubſcripti: Quæritur, utrum donatio de qua agitur, in foro interiori ſit valida, & utrum Euſebius ſub peccati reatu domum ſuam Ægidio dare teneatur?

RESPONS.

Contractus ille donationis, ut noſtra fert opinio, in foro interiori, ut in foro exteriori eſt invalidus, atque adeo non tenetur Euſebius Ægidio domi ſuæ, quam ei dare voluit, poſſeſſionem remittere. Quod ut probetur, præſupponendum eſt iſtud certum principium, nempe leges omnes juſtas, a Principe conſtitutas, obligare in conſcientia juxta doctrinam Apoſtoli dicentis (b): *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi a Deo; quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt..... Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Hæc ſunt D. Pauli verba.

(b) Rom. 13. 1. & 5.

Principum iſtud aſſerit Angelicus Doctor his verbis (c): *Leges poſitæ humanitus .... ſi quidem juſtæ ſint, habeat vim obligandi in foro conſcientiæ a Lege æterna, a qua derivantur, ſecundum illud. Proverb.* 8 Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Atqui leges, pergit idem S. Thomas. 1. *Dicuntur .... juſtæ & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune. 2. & ex auctore, quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtate ferentis. 3. & ex forma, quando ſcilicet ſecundum æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune.*

(c) 1. 2. Th. 1. 2. q. 96. art. 4. in corp.

Horum autem cauſſam iſtam ſubjicit idem S. Doctor, quod ſcilicet partes ſint ob totum, atque adeo quilibet privatus cum ſuis omnibus ſit reipublicæ. Unde ſequitur eum teneri ad ſervandas leges pro communitate conditas, & onera ferenda quæ ob commune bonum imponunt. *Cum unus homo ſit pars multitudinis*, inquit, *quilibet homo hoc ipſum quod eſt & quod habet eſt multitudinis, ſicut & quælibet pars id quod eſt totius. Unde & natura aliquod detrimentum infert parti, ut ſalvet totum: & ſecundum hoc leges hujuſmodi onera proportionabiliter inferentes, juſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ & ſunt leges legales.*

Poſito autem illo principio tamquam certo; dicendum, contractum illum in quo obſervatæ non fuerunt formalitates, legibus præſcriptæ, in utroque foro eſſe invalidum: quod ex his legibus adimantur conditiones quædam, quas eædem leges præſcribunt. Iſto fundamento nititur lex irritans, quam condidit Tridentinum Concilium, de iis qui matrimonium contrahunt, quique ad legitimum huic dandum conſenſum inhabiles declarantur, niſi illud celebretur coram proprio Parocho & duobus teſtibus. Ob eamdem quoque rationem legibus cautum eſt, non ſolum, ut teſtes ad validitatem teſtamenti requiſiti ipſi chirographum ſuum apponerent, ſed etiam irritas declararunt omnes teſtamentarias diſpoſitiones, quibus non ſubſcripſerint iidem teſtes (d). Cum igitur donatio Euſebii Ægidio facta non ſit in forma defectu præſentiæ & ſubſcriptionis ſecundi Notarii aut duorum teſtium, quam exigit Princeps, indicta nullitatis pœna; inſtrumentum illud haberi debet, tamquam ſimplex propoſitum, quod ſuum ſortiri nequit effectum.

(d) L. Singulos. 30. ff. qui teſtamenta facere poſſunt &c. lib. 28. tit. 1. L. Hac conſultiſſima. 2. C. de Teſtamentis & quemadmodum teſtam. ordinentur. lib. 6. tit. 23.

CASUS IX.

Plutarchus, facta boni ſui donatione inter vivos Mathurino parenti ſuo, poſt ſex menſes Priſcillæ nupſit, e qua filium ſuſcepit: quo factum eſt, ut donationis illius reſciſſionem juridice poſtularet, quam ex judicio obtinuit, quo de reſtitutione dati ſibi boni damnatur Mathurinus. Poteſt ne tuta conſcientia Plutarchus uti ſententia quam in Mathurinum obtinuit, & denuo illius boni poſſeſſionem adire, quod ipſi adhibitis omnibus requiſitis formalitatibus dono dederat?

RESPONS.

Leges civiles & politicæ, utpote naturali æquitati conſentaneæ, tamquam regulæ ſunt conſulendæ ad ſolutionem difficultatum, cum iis non repugnant canonicæ, uti ſit in caſu propoſito. Atqui legibus ſtatuitur, ut ſi quis liberos non habens donaverit, & poſtea prolem e legitimo thoro ſuſcipiat, donatio ipſius fiat revocata, & quaſi non facta. Unde colligendum eſt, Plutarchum uti poſſe ſententia quam in Mathurinum obtinuit, & dati ei boni poſſeſſionem denuo adire. Cujus quidem rei cauſſa facile ſuaderi poteſt; ex naturali nimirum amore parentum in filios juſte præſumitur, a donatore non faciendam fuiſſe donationem, ſi prolem ſe deinceps ſuſcepturum putaſſet. Hæc ſunt legis Codicis ea de re verba (e): *Si umquam libertis patronus, filios non habens, bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & poſtea ſuſceperit liberos, totum quidquid largitus fuerat, revertatur in ejuſdem donatoris arbitrio ac ditione manſurum.* Romanam iſtam juriſprudentiam admittit Gallia, ac ſpeciatim Conſuetudo Pariſienſis, ut obſervat D. Ferrerius his verbis (f): *Licet donationes inter vivos natura ſua ſint irrevocabiles, multas tamen ob cauſſas revocari poſſunt ..... Secunda eſt, ſi donatori ſuperveniat proles.* Addit hic Auctor. 1. ita ſentire Tiraquellum & le Pretre (g): 2. a Mainardo affirmari (h) iſtam juriſprudentiam a Toloſano Parlamento ſemper fuiſſe admiſſam.

(e) L. Si umquam. 8. C. de revocandis Donat. l. 8. tit. 56.

(f) D. Ferrerius in Conſuetud. Pariſ. tit. 13. art. 282. Gloſſ. 2. n. 8. & ſeq.

(g) Tiraquel. in L. Si umquam. cit. le Pretre. in ſuis qq. Cent. 2. cap. 13. num. 2.

(h) Mainard. L. 2. qq. cap. 12.

Digitized by Google

3. Accurſium quidem, Azo, & Corraſium (a) contrarium ſentientes, affirmare, legem Romanam cujus verba retulimus, de ſolo caſu de quo loquitur, eſſe intelligendam, nempe de donatione a patrono facta liberto ſuo. Sed fuſe, atque ut peritiſſimus Juriſconſultus, trium illorum Auctorum opinionem refellit, atque ipſorum argumenta diſſolvit.

(a) Accurſ. & Azo in cit. l. & Corraſ. in Apiſt. qq. c. 30.

Obſervandum, ob eamdem rationem, ſi viventi libero donet pater, & alios poſtea ſuſcipiat pueros, donationem partim revocatam cenſeri, hoc eſt, quantum neceſſe eſt ad ſupplendam recens natorum legitimam, ut expreſſe ſtatuit Lex Codicis Juſtiniani (b): ita etiam vult Conſuetudo Pariſienſis art. 307. his verbis: *Nihilominus, ſi donatarius dono ſuo eſſet contentus; id ipſum poteſt efficere, abſtinendo ab hereditate, ac ſervata alias pueris legitima.*

(b) L. Si totas. 3. Cod. de inofficioſ. donat. L. 3. tit. 28.

Ceterum, ſi quis roget, in quo poſita ſit legitima, idipſum docebit hic articulus 298. Conſuetudinis noſtræ: *Legitima eſt dimidium talis partis & portionis, quam quilibet puer in hereditate patris & matris, avi aut aviæ, aut aliorum aſcendentium obtinuiſſet, ſi dicti pater & mater, aliive aſcendentes de bonis ſuis vel per donationem inter vivos vel ex teſtamento non ſtatuiſſent, deductis tamen e toto debitis, ac funeris impenſis.*

CASUS X.

Papulus, orbus muliere, ſexaginta & plures annos natus; prolem non habens, nec ad ſecundas volens tranſire nuptias, pro Galterio cognato ſuo omnium bonorum ſuorum donationem fecit, quæ elapſis octo diebus in Tabulario publico Regiæ Juriſdictionis inſinuata eſt. Biennio poſt mutata de matrimonio voluntate puellæ nupſit, e qua puerum ſuſcepit per ſex tantum menſes ſuperſtitem. Qua de re quæritur, utrum facta Galterio donatio, quæ ex ortu hujus pueri caduca evaſerat, & annihilata, per ipſius mortem reviviſcat: atque adeo utrum Galterius jure boni poſſeſſionem a Papulo ſibi dati denuo adire nequeat, etiam cum detrimento heredum ſuorum.

Respons.

Cum de hujuſmodi particularibus caſibus nihil ſtatuerit Eccleſia, ſtandum eſt legum deciſioni; cum earum ſit Deus, origo; naturalis ratio, cauſſa efficiens; finiſque publica utilitas. Atqui ex legibus donatio a Papulo facta omnino annihilata eſt ex ortu pueri, ex legitimo matrimonio a donatione Galterio facta contracto ſibi nati; ut conſtat ex his verbis legis a nobis in præcedenti deciſione relatis: *Revertatur in ejuſdem donatoris arbitrio ac ditione manſurum.* Ex his enim manifeſte declaratur, in hoc caſu ita caducam fieri donationem, ut donator ex nativitate prolis ſuſceptæ ſui dominium modo irrevocabili iterum habeat; ac proinde ob mortem pueri non reviviſcere donationem.

Id quoque probari poteſt, ex alia lege (c) quæ aſſerit, quod ſi pater filio ſuo qui nondum prolem ſuſceperat, ſubſtitutionem committat; ea ſubſtitutio fit caduca, ubi prolem habet filius. *Evaneſcere ſubſtitutionem, liberis eam excludentibus:* quia hanc filio ſubſtitutionem pater demandaſſe non cenſetur niſi ſub tacita conditione prolis a filio deinceps non ſuſcipiendæ. Undæ *a ſimili* concludi poteſt, donationem quæ caduca fit & invalida ex ortu pueri, qui naturaliter jus habet paternæ ſucceſſionis, numquam reviviſcere poſſe; alioqui ſupponendum eſſe, a donatario eam ſuſpenſam teneri poſſe, eo quod natus a facta donatione filius patris mortem antevertere poteſt, quod illicitum eſt. *Nec enim fas eſt ejuſmodi caſus exſpectare*, inquit lex (d).

(c) L. Generaliter. 6. §. 1. C. de inſtitutionibus, &c. Lib. 6. tit. 26.

Ad propoſitam itaque difficultatem reſpondendum, quod cum Galterio facta donatio ex ortu pueri donatoris ſui caduca evaſerit, nullum jam habet jus ad bona ſibi a Papulo data, qui, ut heres præmo tui filii pleno jure dati Galterio bono dominium acquiſivit.

(d) L. Si in emtione. 34. §. 2. ff. de contrahenda emtione Lib. 18. t. 1.

CASUS XI.

Procopius, e muliere ſua prolem ſe ſuſcepturum deſperans, quod ambo ſint ætate provecti, Eccleſiæ ac Noſocomio duas tertias bonorum ſuorum dono dedit. Elapſis octo vel novem menſibus naſcitur ei puerulus. Nonne revocata cenſetur hæc donatio ex ortu pueruli illius?

Respons.

Verum quidem eſt, regulariter loquendo, donationem ex his Juſtiniani Imperatoris verbis eſſe irrevocabilem (e): *Quæ ſi fuerint perfectæ, temere revocari non poſſunt.* Quam ob cauſſam contendunt nonnulli Canoniſtæ, non obſtante poſteriori puerorum ſuſceptione valere hujuſmodi donationem: ſed cum naturali æquitati non conſentit hæc opinio: conſtat enim, a patre talem donationem non eſſe faciendam, ſi prolem ſe deinceps ſuſcepturum exiſtimaret. Cum ipſius igitur in pueros amor caritati in extraneos prævalere debeat, licet pauperes; defendi nequit juſta cum cauſſa, talem donationem in caſu propoſito eſſe permanſuram. Idque manifeſte probant hæc verba S. Auguſtini, a Gratiano relata (f): *Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum: immo, Deo propitio, nullum inveniet.* Et liquido declarat ſanctus ille Doctor, talem donationem ex ſe ipſa eſſe revocatam, & fieri caducam eo præciſe tempore, quo prolem habet donator. Nam prædeceſſoris ſui illo modo agentis laudabile factum verbis iſtis ita extollit. *Quam laudabile factum ſancti & venerandi Epiſcopi Aurelii Carthaginienſis*, inquit S. hic Doctor, *quomodo implevit os omnium, qui ſciunt, laudibus Dei? Quidam enim cum filios non haberet, neque ſperaret, res omnes ſuas, retento ſibi uſufructu, donavit Eccleſiæ; nati ſunt ei filii poſtea; & reddidit Epiſcopus, nec etiam opinanti illi, quæ donaverat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere: ſed jure fori, non jure poli.* Quibus ultimis verbis naturalem Gloſſa intelligit æquitatem. Hinc Romanis legibus irritæ declarantur donationes, a patrono qui prolem non ſuſcepit, liberto ſuo factæ, ubi naſcuntur ei pueri; quod præſumendum eſt, ipſum bona ſua extraneo non fuiſſe daturum, ſi prolem ſe putaſſet habiturum. Legem attulimus, quæ id ipſum aſſerit, in reſponſione ad octavum caſum; & aliæ ſunt permultæ ejus ſimiles (g). D. Olive in ſecunda inquiſitionum Curia, Parlamenti Toloſani Conſiliarius aſſerit, ſe referente, latum fuiſſe Arreſtum 12. Septembr. an. 1636. conformiter ad noſtram hanc deciſionem (h).

(e) §. 2. Inſtit. de don. Lib. 2. tit. 7. Item L. Donationes, 2. ff. de donat. Lib. 39. tit. 5. & L. 35. fin. eod. de donat.

(f) S. Aug. in Can. Quicumque. fin. 17. q. 4.

Dici tamen poſſe videtur, quod ſi modica fuiſſet & pauperi ob ſavorabilem cauſſa facta donatio, æquum eſſet, ut permaneret, modo ſatis ampla donatori foret res, ut pueros ſuos alere & educare commode poſſint.

(g) L. Generaliter. 6. §. 1 C. de inſt. & ſubſtit. l. 6. tit. 25. L. Tale. 16. ff. de partis. lib. 2. tit. 14.

(h) D'Olive qq. Notables. L. 4. c. 6. pag. 952.

Ceterum quoad præſentem difficultatem advertendum, quod ſi forte revocetur, aut ad minus reducatur donatio; de perceptorum a ſe fructuum reſtitutione numquam tenetur donatarius, quia legitime ad ipſum vi tituli ac poſſeſſionis ſuæ bonæ fidei pertinent. *Ex rebus donatis fructus perceptus in rationem donationis non computatur*, inquit Lex (i).

(i) L. In adibus. 9. §. 1. ff. de donat.

CASUS XII.

Tertramius, civis Lugdunenſis, filio ſuo ſub poteſtate ſua conſtituto, utpote qui annos dumtaxat quindecim natus eſt, mille nummos ex donatione inter vivos donavit. Nonne in foro conſcientiæ valet iſta donatio?

Respons.

Conſcientiam dirigere debent leges civiles, cum iis contrarias non condidit Eccleſia. Atqui ex legibus civilibus donatio a patre facta filio,

qui

Digitized by Google

qui ſub ſua poteſtate eſt, invalida eſt, niſi ipſum emancipet. Ratio eſt, quia, *cum & natura pater & filius eadem eſſe perſona pæne intelligatur* (a), nihil ſibi filius poteſt acquirere, & quidquid ſibi acquirit, patri acquirit. Ita ſtatuit Lex Codicis (b) cui nulla adverſatur Lex Canonica. Unde concludi neceſſe eſt, univerſim loquendo, banc filio ſuo impuberi donationem a Trithemio fieri nun poſſe.

(a) L. fin. C. de impuberum & aliis ſubſtitutionibus. Lib. 6. tit. 26.

(b) Leg. Cum de bonis. 11. Cod. de donat. Lib. 3. tit. 54.

Dicimus: *univerſim loquendo*; ab hac enim regula excipiuntur caſus quidam ſpeciales. Primus eſt, cum pater filio erogat, quæ ipſi ad victum ceteraſque neceſſitatea ſunt opus, Secundus eſt, cum ei bona condonat quæ dicuntur *adventitia*, hoc eſt ea, quæ a matre, aut aliunde, quam a patre obtinuit, de quibus uſumfructum dumtaxat percipiebat. Donatio a patre filio ſuo impuberi facta obtinet in his duobus caſibus, ut docet S. Antoninus (c), cujus hæc ſunt poſt Hoſtienſem verba: *Item valet, ſi pater remittat uſumfructum, quem babet in rebus illius adventitiis. Item valet, ſi fiat ob alimenta*. Duo ſunt etiam alii caſus, in quibus pater filio etiam minori dare poteſt, Primus eſt, cum filius ille militiam aggreditur; tum enim mobilia valide ei dare poteſt pater; v. gr. pecuniam, veſtes, equos, arma & alia ſimilia, juata hæc legis verba (d): *Si filius familias ſuiſti, & res mobiles, vel ſe moventes, quæ Caſtrenſi peculii eſſe poſſunt, donatæ tibi a patre ſunt; eas quoque in cetero peculio Caſtrenſi, non communes cum fratribus tuis babes*. Quod etiam notavit S. Antoninus, addens: *Item fallit, cum filiofamilias eunti in Caſtra pater donat mobilia*. Alter caſus in alia lege (e) exprimitur, qua donatio patris filiæ ſuæ impuberi valida eſt, ſi facta fuerit in conſtitutionem dotis: *Pomponius Philadelphus*, inquit Lex illa, *dotis cauſſa prædia filiæ, quam babebat in poteſtate, tradidit, & reditus eorum genero ſolvi mandavit. An ea præcipua retinere poſſit, cum omnes filios beredes inſtituiſſet quærebatur. Juſtam cauſſam retinendæ poſſeſſionis babere filiam.... reſpondit. Filiam etenim, quæ naturaliter agros tenuit, ſpecie dotis cujus capax fuiſſet, defendi*. Idem quoque aſſerit S. Antoninus; *Fallit tamen* (regola), inqoit poſt eumdem Hoſtienſem, *in dote & in donatione propter nuptias, quam pater filiæ, & filio poteſt donare*.

(c) S. Anton. 3. par. Summ. Theolog. tit. 30. c. 5. §. 4.

(d) L. Si filius-familias. 4. Cod. Familiæ ercîſcundæ.

(e) Pomponius. 35. ff. eod. Lib. 10. tit. 2.

C A S U S XIII.

Quintilianus prædium quingentarum cenſus annui Bertrando donavit; atque in donationis inſtrumento expreſſit, hanc ſe donationem ei feciſſe in præmium omnium ejus obſequiorum in tali negotio. Bertrandus accepta donatione, adiroque prædio, ac paucos poſt menſes mortuo Quintiliano, ab heredibus Quintiliani de validitate donationis in judicium vocatus eſt, evidenter probando, ipſum numquam de Quintiliano bene meritum fuiſſe in negotio de quo mentio fiebat in donationis inſtrumento, neque in qualibet alia re. Numquid juſta eſt & legitima eorum conteſtatio?

R e s p o n s.

Quintiliani heredum conteſtatio nec juſta eſt nec legitimis fulta rationibus. Ratio eſt, quia in donationibus, multi intereſt, ut diſtinguatur inter motiva a datore expreſſa, tamquam cauſſas ſuæ in donatarium liberalitatis, & inter conditiones quas donationis contractui apponit. Si ex donationis inſtrumento ea feratur conditio, eam v. g. ideo factam eſſe, ut res data in quamdam, ut muneris, acquiſitionem convertantur; nullum ea ſortietur effectum, ſi muneris non facta fuerit emtio: ſed ſi donationi iſta non inferatur condiiio, ſed motivum dumtaaat quo motus eſt donator ad eam faciendam, ut v. g. facilius muneris atqoiſitionem obtineat donatarius; donatio non fit invalida, licet a donatario id munus non emtum fuerit. Diſtinctionem iſtam ſtatuunt, ſimulque confirmant duæ leges, quarum prioris hæc ſunt verba (f): *Et generaliter boc in donationibus definiendum eſt. multum intereſſe, cauſſa donandi fuit, an conditio. Si cauſſa fuit, ceſſare repetitionem: ſi conditio, repetitioni locum fore*. Altera lex iſtis terminis exprimitur (g): *Titio decem donavi ex conditione, ut inde Stichum emeret. Quæro, cum homo, antequam emeretur, mortuus ſit, an aliqua actione decem recipiam? Reſpondit, facti magis quam juris quæſtio eſt. Nam ſi decem Titio in boc dedi, ut Stichum emeret, aliter non daturus; mortuo Sticbo, condictione repetam. Si vero alias quoque donaturus Titio decem, quia interim Stichum emere propoſuerat; dixerim in boc me dare, ut Stichum emeret, cauſſa magis donationis, quam conditio dandæ pecuniæ exiſtimari debebit; & mortuo Sticbo, pecunia apud Titium remanebit*.

(f) L. Et generaliter. 3. ff. de donationibus. Lib. 39. tit. 5.

(g) L. Si cum filius. 2. §. fi. eod. tit.

In propoſita autem ſpecie donatio Bertrando facta a Quintiliano, nullam includit conditionem: ſed motivum ejus faciendæ exprimit. Igitur valere debet, licet cum veritate non conſentiat ipſius motivum. Cum enim donatio non ſit conditionalis, donatoris voluntas eſt abſoluta, iiſque aliis duci poteſt motivis, quam iis quæ expreſſit, & quæ exprimenda opportune eſſe non cenſuit (h).

(h) D. Domat. Leges civiles juxta ſeriem earum naturalem. Tom. I. pag. 370. edit. in quarto.

C A S U S XIV.

Proterius ſuum in Medericum amorem & acceptorum gratum animum benefactorom teſtari cupiens, ipſi ex donatione inter vivos coram duobus Notariis, contractum trecentarum librarum penſionis annuæ donavit. Quod cum noviſſet Medericus, Proterio declaravit coram Mauritio filio ſuo & unico herede, ſe donationem iſtam non acceptare, ſola ipſius amoris teſtificatione contentum. Sed poſt menſem mortuo Mederico eam Mauritius acceptavit, ejuſque a Proterio, qui debitum inſtrumentum uni ex Notariis, a quo illud confectum erat, commiſerat, traditionem requiſivit. Proterius contendit, donationem illam, utpote a patre Mederico non acceptatam, ea ipſius repulſa invalidam evaſiſſe, Vult contra Mauritius cum perſonam mortui patris gerat, ſatis eſſe, ut ipſe eam acceptet. Qua de re quæritur, utrum pro Mauritio ſtet jus, & utrum teneatur Proterius contractum trecentarum librarum penſionis annuæ tradere?

R e s p o n s.

Cum Medericus donationem a Proterio ſibi factam accipere noluerit, nullum quoque ad eam filio hujuſce donatarii jus competit; neque enim potiori jure fruitur heres, quam ille cujus hereditatem adivit. Atqui Medericus nullum jus acquiſierat in trecentas libras, ſibi a Proterio datas; quia cum omnis donatio ſit verus contractus, ut ait Lex (i); neceſſario requiritur mutuus contrahentium conſenſus; id eſt, donatoris & donatarii; quandoquidem contractus ſit *pactio duorum, pluriumve in idem placitum conſenſu*; ut loquitur Lex alia (k).

(i) L. Si donationis. 7. C. de his, quæ vi, metuſve cauſſa geſta ſunt. Lib. 2. tit. 19.

(k) L. Hujus. 1. §. 2. ff. de pactis. lib. 2. t. 14.

Difficultatem iſtam ſic ſolvit Zacharias Paſqualigus, ſuamque ex multis aliis legibus ſententiam probat (l): *Non perficitur donatio*, inquit hic Auctor, *niſi quouſque ſuperveniat acceptatio, ita ut non ſubſiſtat ſine animo recipientis, Leg.* In omnibus. *Dig. de obligationibus & actionibus, & Leg.* Quidam. *ff. de jure Codicillorum: & Leg.* Seia. *ff. de mortis cauſſa donat.* Unde ſequitur, quod donationem non acceptante Mederico, nihil de ea ſperare poteſt Mauritius heres ipſius.

(l) Zacharias Paſcaligus vat. quæſt. Moral. Canon. Centuria. 2. q. 102. num. 6.

Congruit hæc deciſio legi, quæ ſic habet (m); *Non poteſt liberalitas nolenti acquiri*: & huic juris regulæ (n); *Invito beneficium non datur*; ac denique legi huic, quæ de abſente donatario dicit (o): *Si neſcit rem quæ apud ſe eſt, ſibi eſſe donatam, vel miſſam ſibi non acceperit, donatæ rei dominus non fit*. Ob eam quoque cauſſam, ut valida fiat donatio facta puero, aut alteri qui conſenſus eſt incapax, neceſſe eſt, ut alter ipſius nomine eam acceptet, ut ait lex Codicis verbis iſtis (p): *Si quis emancipatum minorem, priuſquam fari poſſit, aut babere rei, quæ ſibi donatur, affectum, fundum crediderit conferendum; omne jus compleat, inſtrumentis antea præmiſſis, quod jus per eum ſervum quem idoneum eſſe conſtiterit, tranſigi placuit, ut per eum infanti acquiratur*.

(m) L. Hæc jure. 29. §. 2. ff. de donat.

(n) L. Invito. 69. de diverſis regulis juris antiq.

(o) L. Abſenti. 10. ff. de donat.

(p) L. Si quis. 26. C. de donat.

C A-

Digitized by Google

CASUS XV.

Memmius, Civis Pariſieuſis, ducentis librarum millibus dives, cui ſex ſunt pueri, tres nimirum filii, treſque puellæ, quatuor primis tam copioſa inter vivos dona dedit, ut, ipſo mortuo, duo ultimi de reliquis ejus bonis legitimam ſuam complere nou potuerint: quo ſactum eſt, ut ceterorum donationes juridice petereut reſcindi, uſque ad complemeutum legitimæ ſuæ: duo priores donatarii contenderunt, donationes ſuas in integrum eſſe ſervaudas, ita ut a duobus poſterioribus demptio eſſet ferenda. Numquid injuſta eſt eorum contentio?

Respona.

Duobus primis donatariis ſavet doctus Galliæ Juriſconſultus *(a)*, qui erudite de materia donationum egit. Verum quidem eſt, quæſtionem iſtam diu multumque fuiſſe agitatam. Quibuſdam enim Juriſconſultis ſtatim placuit, demptionem in omnes donatarios eſſe faciendam, ut inter pueros accuratius, quantum fieri poteſt, ſervaretur æqualitas. Invaluit tameu contraria opinio; ita ut ex uſu forenſi prius exhauriendæ ſint donationes ultimæ, quam de prioribus quidquam dematur. Quod æquitati conſentaneum videtur, cum ab ultimis re ipſa abſorpta fuerit legitima, non vero a primis, quæ eam intactam petentibus dereliquerant. Ita quoque ſentit Auctor libri, cui titulus eſt: Inſtitutio ad jus Gallicum *(b)*.

(a) Ricard. tract. de donat. inter vivos. p. 3. c. 10. ſect. 10.

(b) D. Argou, l. 2. c. 2. tom. 1. pag. 254.

CASUS XVI.

Aristidas, donationem inter vivos Hieronymo fecit. Numquid in interiori ſoro valeret iſta donatio, ſi donator eſſet pupillus, aut filiusfamilias, aut denique Religioſus?

Respona.

1. Quod pertinet ad familiosfamilias, diſtinguendum eſt inter varia, quæ poſſunt habere, bona: alia enim a Juriſperitis *adventitia* nuucupantur; quæ nimirum a matre, aut aliunde quam a patre ipſis contigere; alia dicuatur *profectitia*; quæ videlicet a patre ſuo obtinuere. Filiiſamilias de utriſque ſtatuere nequeunt abſque conſenſu patris. Duo alia etiam bonorum genera poſſidere valent, de quibus ex donatione, vel aliter propria auctoritate poſſunt conſtituere. Priora dicuntur *caſtrenſia*, & ſunt ea, quæ ab iis in militia aut militiæ cauſa parta ſuut. Alia vero *quaſi caſtrenſia* nominautur, id eſt bona quæ acquiſiverunt in foro ex munere Conſiliarii, Advocati, Procuratoris, Notarii, aut alio hujuſmodi.

Dictorum hactenus argumentum deſumitur e lege Digeſtorum, *(c)*, cujus hæc ſunt verba: „ Filius familias donare non poteſt, neque ſi liberam peculii adminiſtrationem habeat. Non enim „ ad hoc ei conceditur libera peculii adminiſtratio, ut perdat *(d)*. Ceterum qui habent caſtrenſe peculium, vel quaſi caſtrenſe, in ea conditione „ ſunt, ut donare & mortis cauſa & non mortis cauſa poſſint, cum teſtamenti factionem habeaut.

(c) Leg. *Si filius-familias* ff. de donat. lib. 39. tit. 5.

(d) Ibid. §. 6.

2. Facta a pupillo donatio eſt invalida, ut patet ex conſtitutione legis Codicis, *(e)* quæ aſſerit, dati a ſe boni reſtitutionem petere non poſſe pupillum, ſi donationem ejus aunos viginti quinque natus confirmaverit. *Si inter minores quinque & viginti annis vel ſcriptura interpoſita, vel ſine ſcriptura facta ſine dolo diviſio eſt, manere integram debere convenit*. Hi ſunt legis hujuſce termini, e quibus a contrario ſequitur, hujuſmodi donationem eſſe invalidam, ſi eam donator e pupillaritate egreſſus non confirmaverit.

(e) Leg. *Si inter*. 1. Cod. ſi major factus ratum habuerit, lib. 2. tit. 45.

3. Neque Pupillus auctoritate propria donare poteſt, abſque conſenſu tutoris ſui, vel curatoris. *Pupillus*, inquit Lex *(f)*, *quantum ad acquirendam, non indiget tutoris auctoritate: alienare vero nullam rem poteſt, niſi præſente tutore auctore*.

(f) Leg. *Pupillus*, 11. ff. de acquirendo rerum dominio. lib. 41. tit. 1.

4. Invalida eſt etiam a Religioſo facta donatio, ut definivit octavum Coucilium Conſtantinopolitanum ann. 869. a Gratiano relatum *(g)*: cujus quidem rei hæc a Patribus affertur ratio. *Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non poteſt. Nam ſicut etiam ſeculi leges ſanxerunt, non poteſt poſſeſſio alienari, niſi a proprio domino*.

(g) S. Synodus, in can. *Abbati*, 22. diſt 54.

Statutis illis regulis, facilis eſt ad propoſitam quæſtionem reſponſio. Nam ſi Ariſtides ſit filiusfamilias, Hieronymo bona ſua quæ *caſtrenſia & quaſi-caſtrenſia* dicuntur, poſſidenda tradere potuit; non vero alia, niſi de conſeuſu patris. Si ſit pupillus, donatio eſt invalida, ſi eam propria fecerit auctoritate, niſi eam propriæ factus tutelæ, ratam habuerit; quod etiam certius eſt, ſi tutori ſuo donaverit, ut patet ex his Edicti an. 1539. verbis, quibus ſic ſtatuit Franciſcus I. *(h)*: „ Declaramus, „ quaſcumque diſpoſitiones inter vivos, aut teſtamentarias, a donatoribus ſeu teſtatoribus deinceps faciendas pro ſuis tutoribus, curatoribus, „ aliiſque bonorum cuſtodibus aut adminiſtris eorum, eſſe invalidas, nulliuſque effectus. „ Quod edictum menſe Februario an. 1549. ab Henrico II. confirmatum eſt, quique illud extendit ad omnes hujuſmodi donationes, quæ fiunt per interpoſitas perſonas, aut aliis obliquis & indirectis rationibus. Si donator ſit pupillus, hanc proprio marte, & ſine conſenſu tutoris curatoriſve ſui facere non potuit. Et ſi denique donator ſit religioſus, irrita eſt etiam omnino donatio.

(h) Edict. an. 1539. art. 131.

Addere neceſſe duximus occaſione præſentis difficultatis, donationem a conjuge factam, quæ dotalia tantum habet bona, eſſe invalidam, niſi huic conſentiat vir ejus, ut patet ex his S. Auguſtini verbis, ad mulierem quamdam, Ecdiciæ nomine, ſcribentis *(i)*: *Nihil ergo de tua veſte, nihil de tuo auro vel argento vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis ſine arbitrio ejus* (viri tui) *facere debuiſti*. Quæ verba jus etiam conſuetudinarium confirmant, quo mulieres etiam de aliis bonis ſuis, non dotalibus conſtituere non poſſunt abſque viri ſui conſenſu.

(i) S. Aug. in can. *Quod deo*. 4. 33. q. 5.

CASUS XVII.

Sidronicus, data Æmilio domo, quæ quotannis mille ducentas reditus libras referebat, eam poſtea cum eo contraxit inimicitiam, ut in donatorem ſuum publicas effuderit Æmilius injurias, & eo uſque proceſſerit, ut ab ipſo etiam verberibus is fuerit exceptus. Quo factum eſt, ut donationem ſuam revocare voluerit Sidronicus, ingratum obtendens donatarii ſui animum. Numquid id ipſum poteſt tuta conſcientia?

Respons.

Certum eſt in caſu propoſito donationem ſuam revocara poſſe Sidronicum. Omnis namque donatio, excepta remunetatoria, revocari poteſt propter ingrati animi vitium, quod patet in caſu, de quo agitur, in quo donatorem ſuum & verbis & verberibus acceptor tam inſolito modo excepit. Ita rem ſolvit Gregorius IX. his verbis *(K)*: „ Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas eſt „ collata, donatoris perſona de rigore juris eam „ potuit revocare; ſi forte in ipſum impias manus „ injecerit, aut ſibi atroces injurias, ſeu grave rerum ſuarum damnum, vel vitæ periculum inferre præſumpſerit.

(k) Greg. IX. in cap. *Propter*. fin. de donat. lib. 3. tit. 24.

Deciſioni hujuſce ſummi Pontificis conſentiunt leges civiles, ut patet ex iſta *(l)*: „ Generaliter „ ſancimus omnes donationes lege confectas, firmas „ illibataſque manere, ſi non donationis acceptor „ ingratus circa donatorem inveniatur, ita ut injurias atroces iu eum effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex inſidiis ſuis „ ingerat, quæ non levem ſenſam ſubſtautiæ donatoris imponat, vel vitæ periculum aliquod ei „ intulerit. *Sic etiam eadem de re loquitur Lex alia* „ *(m)*: Donationes circa filium, filiamve, nepotem, „ neptemve, pronepotem, proneptemve, emancipatos, celebratas, pater vel avus, vel proavus „ revocare non poterit, niſi edoctis manifeſtiſſimis „ cauſis, quibus eam perſonam in quam collata „ donatio eſt, contra ipſam venire pietatem, & „ ex cauſis quæ Legibus continentur, fuiſſe conſtabit ingratam.

(l) Leg. *Generaliter* fin. Cod. de revocandis donat. lib. 8. tit. 5. Item leg. 7. Cod. tit. 3.

(m) Leg. *Donationes*. 9. Cod. eod. tit.

Juri

Digitized by Google

Juri Romano ea in re conſentiens eſt Galliæ Juriſprudentia, ut patet ex Arreſto 3. Feb. an. 1628. a Senatu Pariſienſi lato, ad relationem D. Reſſeguier in ſecunda inquiſitionum curia Conſiliario; ex alio itidem 29. Julii an. 1630. referente D. de Cambolas in prima itidem Conſiliario, & ex tertio 6. Julii an. 1637., referente pariter D. Tedelli, in ſecunda Conſiliario.

Diximus: *excepta donatione remuneratoria*: id eſt, ea, quæ fit a donatoribus ob acceptum a donatariis meritum, cujus juridice mercedem aut ſolutionem exigere poterant.

Advertendum, quod, ſi donatarii ingratitudinem diſſimulare dator voluerit, ad heredem ſuum non tranſit facultas ipſi conceſſa revocandæ donationis. *Hoc tamen*, addit Lex prima quam retulimus, *usque ad primas perſonas, tantummodo ſtare cenſemus, Nulla licentia concedenda donatoris ſucceſſoribus, hujuſmodi querimoniarum primordium inſtituere. Etenim ſi ipſe qui hoc paſſus eſt, tacuerit, ſilentium maneat ſemper, & non a poſteritate ejus ſuſcitari concedatur, vel adverſus eum qui ingratus eſſe dicitur, vel adverſus ejus ſucceſſores* (*a*). Ceterum idem dicendum de aliis cauſis ingratitudinis; etſi jure non recenſeantur, ut obſervat Cabaſſutius (*b*).

(*a*) Cit. Leg. *Generaliter.* & leg. 1. Cod. eod. tit.

(*b*) Joan. Cabaſſut. Juris Canon. theor. & prax. l. 6. c. 39. n. 6.

CASUS XVIII.

Jaso, Cauſidicus, Pariſiis habitans, Palladio cuncta bona ſua dono dedit, retenta tantum ſibi facultate, decem millium librarum ſummam, cuicumque voluerit, concedendi; ea tamen conditione appoſita, ut, ſi mortem oppetat, priuſquam de ea conſtituerit, eam ſibi habeat Palladius. Jaſo poſt trimeſtre ſpatium obiit, intacta, quam ſibi ſervarat, ſumma; cujus eſt illa ſumma? Nonne Palladii donatarii conformiter ad appoſitam contractui clauſulam?

Respons.

Decem millium librarum ſumma, a Jaſone donatore excepta, ad legitimos ſolum ejus hæredes, non vero ad Palladium donatarium pertinet; nullum enim is jus acquirit ex clauſula contractui appoſita, ut ſummam illam ſuam faciat, uti docet Ricardus in ſuo de Donationibus inter vivos tractatu (*c*), de pari caſu loquens. Ratio eſt, quia ex hac clauſula Jaſo decem librarum millia dat ſimul & ſibi ſervat: Atqui juxta Pariſienſem conſuetudinem (*d*), rem ex donatione inter vivos alteri poſſidendam dare nequit, quam ſibi expreſſe reſervat: *Dare & tenere non valet*; ut loquuntur Pariſienſis conſuetudo, Seuliaca (*e*), Valeſia, Laudunenſis, Alverna, Claromontana, Catalaunenſis & aliæ multæ; quæ in hoc potiſſimum iſta ratione fulciuntur, quod donationis inter vivos natura ſit poſita in derelictione integra & actuali a donatore rei datæ facta, qua donatarium rei datæ conſtituit dominum. *Dat aliquis*, inquit Lex, *ea mente, ut ſtatim velit accipientis fieri, nec ullo caſu ad ſe reverti: & propter nullam aliam cauſam facit, quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat: hæc proprie donatio appellatur* (*f*). Et quidem, ſi bonum quis ſuum dare poſſet, de eoque ſtatuendi facultatem ſibi ſervare; hinc dolo malo fraudibuſque aditus pateret, ac via donatori aperitur, ad fruſtrandos ex inter vivos donationibus legitimos heredes abſque ullo ſui incommodo, doni ſui dominium ſemper retinendo.

(*c*) Ricard. tract. de donat. inter vivos. part. 3. cap. 7. ſect. 3.

(*d*) Conſuetud. Pariſ. art. 273.

(*e*) Conſuetud. Seul. art. 211. Conſuet. Valeſiæ & Laud. art. 14. & 55. Alvernæ cap. 14. art. 25. & 211. Claromont. art. 74. & Catalaun. art. 64.

(*f*) Leg. *Donationes.* 1. ff. de donat. 39. tit. 5.

Ita ſentit D. Ferrerius in art. 274. Pariſienſis conſuetudinis (*g*): ſic enim loquitur. „ Quæritur „ utrum dare ſit & tenere, quando dator omnia „ bona ſua donavit, ſervata ſibi facultate de ſum„ma quadam conſtituendi: certum eſt, validam „ eſſe donationem cum iſta clauſula conjunctam .... „ ſimulque datorem potuiſſe conſtituere de ſum„ma, cujus dandæ facultatem ſibi retinuit. Tota „ vero difficultas in hoc poſita eſt, ut dignoſcatur, „ utrum ſumma illa excepta de qua non conſti„tuit donator, debeat eſſe donatarii; an vero „ donatoris heredum. „ Dicendum, inquit, eam eſſe heredum; quod ex multis poſtea Codicis Legibus comprobat (*h*): quibus præmiſſis hanc ſubjungit rationem: *Quia ex hac reſervatione, ſumma de qua conſtituendi facultatem ſibi retinuit donator, a donatione excluditur, atque adeo, ſeu de ea conſtituerit donator, ſeu non; in die obitus ſui eam donator ſperare nequit: Cum donatio inter vivos natura ſua ſit irrevocabilis, fieri nequit ſub conditione, quæ a donatoris voluntate pendeat, qualis eſt ea, qua donator rem dat, ſi de ea die ſui obitus non conſtituerit*. Sic tandem concludit doctus ille Interpres: *Unde ſequitur, quod, licet expreſſe ſtipulatum fuerit, donatore non conſtituente de ſumma in clauſula contenta, eam penæs donatarium eſſe manſuram; nullum tamen ad eam jus obtineret donatarius. Ratio eſt, quia donator, iſtam apponens clauſulam, donationem hujus ſummæ validam efficere non potuit, quia dedit & tenuit*. Ad confirmationem deciſionis ſuæ Arreſtum profert hic Auctor, in ſuprema Pariſienſis Senatus Curia 3. Aprilis an. 1648. latum. Molinæum ſibi conſentientem (*i*) refert, additque idem præſcribi ex conſuetudinibus Alverna (*k*), & Borbonia, (*l*), ſecumque ſentire Guidonem Papæ (*m*).

(*g*) n. 4.

(*h*) Leg. *Si mulier.* 25. Cod. de jure dotium. lib. 5. tit. 12. & Leg. *Conſensus* 4. Cod. de contrahenda & committenda ſtipul. l. 8. tit. 37.

(*i*) Carol. Molinæus in art. 160. veteris conſuetud. Pariſienſis n. 9.

CASUS XIX.

Pontianus, portatile horologium aureum, inter res paternas quarum non ita pridem heres eſt, a ſe inventum Judæ dedit. Poſt menſem elapſum, Gerardus cujus erat horologium, ipſum inter Judæ manus agnitum reperiit, uti depoſitum, olim Pontiano commiſſum: & poſt quaſdam litis illatæ impenſas, Judam ad ejus reſtitutionem juridice adegit. Qua de re quæritur 1. utrum Pontianus erga Judam horologium illud præſtare teneatur. 2. Utrum ſaltem ad ipſius damna & intereſſe in conſcientiæ foro reſarcienda teneatur?

(*k*) Conſuetud. Alver. c. 14. art. 22. & 23.

(*l*) Conſuetud. Borbon. art. 24.

(*m*) Guido Papæ decis. 105.

Respons.

Diſtinctione opus eſt, ut huic difficultati ſua ſit reſponſio. Nam vel Pontianus erat in bona fide, tum cum horologio Judam donavit; hoc eſt, vel exiſtimabat, horologium illud ad ſe pertinere; vel malæ erat fidei, noſcens apprime, illud non eſſe ſuum, ſed depoſitum ſolum a Gerardo patri ſuo commiſſum. Si bonæ fidei erat Pontianus; nihil erga Judam præſtare, neque de damnis aut intereſſe tenetur. *Si quis mihi rem alienam donaverit*, inquit Lex (*n*), *inque eam ſumptus magnos fecero, & ſic evincatur, nullam mihi actionem contra Donatorem competere*. Quod ita intelligendum, niſi ipſe expreſſe de evictione caverit (*o*): *Quoniam avus tuus, cum prædia tibi donaret, de evictione eorum cavit, potes adverſus coheredes tuos ex cauſa ſtipulationis conſiſtere ob evictionem prædiorum pro portione ſcilicet hereditatis. Nudo autem pacto interveniente, minime donatorem hac actione teneri certum eſt*. Sed ſi malæ eſſet fidei, ac donum a ſe factum non eſſe in ſui poteſtate noſſet omnino; licet de evictione ipſum Judas appellare non poſſet, de damno tamen & intereſſe erga ipſum teneretur ex hac eadem Lege, quæ addit: *Plane de dolo poſſe me adverſus eum habere actionem, ſi dolo fecit* (*p*).

(*n*) Leg. *Aꝛ iſto.* 18. §. fin. ff. de donat.

(*o*) Leg. *Quoniam.* 2. Cod. de evictionibus lib. 8. tit. 45.

(*p*) Cit. Leg. *Aꝛ iſto.*

CASUS XX.

Guillelmus Feliciano libras trecentas dedie mutuas, ipſi coram Rolando declarans, ſe ab illo ſchedulam non exigere, ſed tantum, ſi forte moreretur, ut eam pecuniæ ſummam Bertino daret. Aliquanto poſt Felicianus, qui cum Guillelmo negotiabatur, rationem cum eo habuit, quam manu ſua ſubſcriptam ipſi dereliquit, qua profitebatur, ſe e trecentis libris reſiduæ centum quinquaginta librarum ſummæ ipſi eſſe debitorem. Guillelmus acceptam iſtam rationem una cum reliquis inſtrumentis ſuis promiſcuit, ac tandem poſt dies octo e vivis exceſſit. Rolandus vero defuncti inſtrumentorum indici conficiendo præpoſitus, inventam illam inter hæc rationem Feliciano reddidit,

Digitized by Google

dit, ut Bertino centum quinquaginta libras reſiduas ſolveret, & index finitus eſt. Dubitat Felicianus, utrum centum quinquaginta libras Bertino dare queat, & quærit, quid in hoc caſu ſibi faciendum ſit?

R a s p o n s.

Rationes illas Feliciano dare non debuit Rolandus, ſed eas potius in indicem cum ceteris Guillelmi ſucceſſionis inſtrumentis referre debebat; quantumvis ſibi nota eſſet defuncti voluntas. Nam 1. judicem ſe ipſum hac in re conſtituere non poterat. 2. Quia præſumere debebat, Guillelmum mutaſſe conſilium; cum habitam a Feliciano rationem accipiens, non ſolum dimidiæ partis ſummæ quam Feliciano mutuam dederat, reſtitutionem acceptiſſet, ſed etiam de reſidua altera parte dimidia etiam ſcripto caviſſet. Unde ſequitur, Felicianum in cujus manibus eſt illa ratio, centum quinquaginta libras dare Bertino non poſſe, ſed ab eo indici, quamvis clauſo, eſſe addendam, ut pro heredibus Guillelmi, quorum hæc eſt ſumma, ſit inſtrumentum. Ita doctus theologus (*a*).

(*a*) De Sainte Beuve tom. 2. Caſ. 140.

C A S U S XXI.

Mathurinus, Petri & Mariæ avunculus, ipſis ad vitam neceſſaria procurare deſiderans, Tonſoris munus mille quingentis libris emit nomine ac lucro Petri, ea tamen conditione. 1. ut Petrus agnoſcat, munus ſuum e pecuniis atque munificentia Mathurini procedere. 2. Ut Petrus ſorori ſuæ Mariæ annuam penſionem centum librarum conſtituturus ſit, ut inde ea vitam tolerare queat. 3. Ut ſi Petrus ſit *in mora culpabili* ſolvendæ penſionis, de muneris dominio conſtituere poſſit Mathurinus, quo proinde in hoc caſu Petrus manebit ſpoliatus. Tribus hiſce conditionibus aſſentitur Petrus, quas etiam ex publico inſtrumento acceptat.

Qua de re quæritur, utrum injuſtum non ſit vel vitioſum pactum illud, quod Mathurinus qui mille quingentis tantum libris munus illud emit, centum tamen libras annuæ penſionis pro Maria exigat?

R e s p o n s.

Nulla in hoc pacto, quod eſt ſpecies quædam donationis conditionalis, reperiuntur uſura vel injuſtitia. 1. Quia centum librarum cenſu non paciſcitur Mathurinus, niſi ut de ſtipe Mariæ erogandа, ac de eo quidquam ſibi lucri non adſciſcat. 2. Quia penſio centum librarum ad vitam dumtaxat eſt attributa: quæ adeo poſtridie ea obitu Mariæ extingui poteſt. His adde, quod ad vitam attributa penſio plerumque non æſtimatur, niſi ſecundum denas aut duodenas uſuras: unde Petrus de quinquaginta tantum ſexaginta libris, ſic æſtimata penſione Mariæ ad vitam ei attributa, teneri cenſetur. 3. Quia in illo pacto ad ſolum muneris pretium non eſt attendendum, ſed inſuper habenda eſt ratio ſtatus vitæ, quem Mathurinus Petro curat, ex quo Petrus laborem, induſtriam, curaſque adhibens, & inſuper avunculi ſui auctoritate fretus, magnum deinceps lucrum percipere, iſto præſertim tempore, quo communis eſt adſciſcitiorum civium uſus, & opime nubere poterit.

Ad confirmationem noſtræ ſententiæ, poſſumus exemplum proferre viduæ, quæ prærogativa cedit, ſub conditione ſummæ, quam a ceſſionario exigit: nam licet prærogativa illa in ſimplici dumtaxat jure poſita ſit, ut poſſit laborare, aut negotium ſuum aperta taberna ſub ſe exerceri curare; jus tamen illud, ad quem voluerit, transfert, & quotannis centum libras, plus minuſve ex eo acquirit. Innumeri opifices ac mercatores Lutetiæ & in aliis urbibus artem ſuam publice non exercent, niſi vi hujuſmodi privilegii; & tamen a quopiam de injuſtitia non damnantur ii, qui jus illud transferunt: cum contra communitates mercatorum aliorumque opificum huic conſentiant translationi, & ipſas etiam viduas protegant, quarum nomine artem ſuam exercent illi opifices.

C A S U S XXII.

Gualbertus, Clericus, fruens Abbatia decem millium librarum annui cenſus, in quo tota res ſua poſita eſt, centum aureos a quatuor annis Rocho nepoti ſuo in quemlibet annum dono dedit, rhetoricæ operam danti; cujus pater, licet dives, nihilominus filio neceſſarium pro conditione ſua non dat ad minutas oblectamentorum ſuorum impenſas. Numquid poteſt Gualbertus abſque peccato ea erga nepotem ſuum uti liberalitate?

R a s p o n s.

Certum eſt, Gualbertum abſque graviſſimi peccati reatu, nepotem ſuum hujuſmodi beneficio afficere non poſſe. Ratio eſt, quia in profanos uſus & voluptuarios res ſacras & pauperum, ad quos pertinet Beneficiariorum ſuperfluum, ſubſidio deſtinatas convertit. *Quidquid habent Clerici, pauperum eſt*, inquit ſanctus Hieronymus (*b*). Et quidem ſi ex dicto ſancti Leonis, ad Epiſcopos Siciliæ ſcribentis (*c*), *Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur*: certum eſt, alios Beneficiarios reditibus Eccleſiæ quos poſſident, non aliter uti debere; atque ut ait ſanctus Ambroſius (*d*), a D. Thoma laudatus (*e*), ipſis non licere, ut de iis liberalitate utantur, etiam erga propinquos ſuos, quo ditiores fiant; nedum Eccleſiæ bona dare quæ ant in ludos, voluptates & oblectationes pueriles & mundanas convertenda; quod a Gualberto fieri ſupponitur, qui non indigenti ſcholaſtico ſummam pecuniæ gravem erogat, qua is ad ſua tantum oblectamenta abutitur; & qua ſenſim in libidines omneque vitiorum genus induci poteſt: *Hæc eſt approbanda liberalitas*, inquit hic ſanctus Doctor, *ut proximos ſeminis tui ne deſpicias, ſi egere cognoſcas: non tamen, ut illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus.*

(*b*) S. Hieronym. in Can. *Quoniam*. 68. 16. q. 1.

(*c*) S. Leo in Can. *Sine exceptione*. 12.

(*d*) S. Ambroſ. lib. de officiis c. 30.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 155. art. 7. ad 2.

D O S.

DOS eſt bonum, quod viro ſuo poſſidendum & fruendum affert mulier, conſtante matrimonio ſuo. Depromitur iſta definitio ex duabus Legibus ad marginem indicatis (*f*).

Dotis vero reditus ob eam cauſſam vir poteſt percipere, quod ad ſuſtinenda matrimonii onera deſtinentur; quorum proinde æquum eſt, eum eſſe adminiſtrum & poſſeſſorem, cum dominium ſolum, vivente marito, penes mulierem remaneat, nec ad ipſam poſſeſſio, nonniſi eo mortuo, tranſeat: *Cum eadem res ab initio uxoris fuerint, & naturaliter in ejus permanſerint dominio*, inquit Lex (*g*). Id adeo certum eſt, ut privata ſua auctoritate juridice agere nequeat uxor ad conſervationem aut recuperationem bonorum ſuorum dotalium; niſi

(*f*) L. *Dotis*. 1. ff. *De jure dotium* & Leg. *Plerumque* 10. §. 3. ibid. Lib. 23. tit. 3.

(*g*) Leg. *In rebus*. 30. Cod. de jure dotium. Lib. 5. tit. 12.

niſi inter ſe virumque ſuum bonorum ſit divortium, aut ab eo in hanc rem auctoritatem accipiat; aut ipſo denegante, ex judicis ſententia obtineat.

Si dos in numerata pecunia, aut rebus mobilibus vel immobilibus, ex contractu certo pretio æſtimatis conſiſtat, tum ſit propria mariti, qui acceptæ ſummæ ſit debitor, aut pretii factæ æſtimationis rerum dotalium, quod venditioni æquivaleat iſta æſtimatio. *Si ante matrimonium æſtimata res dotales ſunt*, inquit Lex (*a*), *hæc æſtimatio quaſi ſub conditione eſt. Namque hanc habet conditionem; ſi matrimonium fuerit ſecutum. Secutis igitur nuptiis, æſtimatio rerum perficitur, & fit vera venditio*. Quibus verbis conſentit hæc alia Lex Codicis: *Quoties res æſtimatæ in dotem dantur; maritus dominium conſecutus ſummæ, velut pretii debitor efficitur*. Unde ſequitur, quod ſi res æſtimatæ aut deteriores fiant, aut pereant: maritus ſolus, quaſi dominus earum, aut jacturam aut damnum pati tenetur: *æſtimatarum enim rerum maritus, quaſi emtor, & commodum ſentiat & diſpendium ſubeat & periculum exſpectet* (*b*). Quare aſſerit Lex, quod *plerumque intereſt viri, res non eſſe æſtimatas; ne periculum rerum ad eum pertineat* (*c*); quia tunc aut damnum vel deterioritas dotalium rerum in ſolam cadit mulierem. *Quoties igitur non æſtimatæ res in dotem dantur; & meliores & deteriores mulieri fiunt*, ut loquitur Lex eadem (*d*). Ex eodem etiam ſequitur principio, quod cum in dotem acceptæ præſentis pecuniæ vir fiat dominus; eam in fundi cujus ſit dominus, emtione collocare poteſt. Ex pecunia dotali fundus a marito tuo comparatus, non tibi quæritur, ait Lex una Codicis (*e*).

Dotalia bona mulieris quæ poſſunt conſiſtere in omnibus ejus bonis præſentibus & futuris, aut in ſolis ejus bonis præſentibus, aut in eorum dumtaxat parte (*f*), a marito nec alienari, vel hypothecæ aut ſervituti, etiam conſentiente uxore, ſubjici nequeunt, ut fert Lex his verbis (*g*): *Fundum dotalem non ſolum hypotheca titulo dare, nec conſentiente muliere, maritus poſſit, ſed nec alienare; ne fragilitate naturæ ſuæ in repentinam deducatur inopiam*: & alia: *Neque ſervitutes fundo debitas poſſe maritum amittere, neque alias imponere* (*h*). Ea in re Legibus Romanis ſuffragantur multæ Galliæ Conſuetudines; ſed ſecundum alias tamen licita eſt hujuſmodi alienatio; quando viri ſui auctoritate huic aſſentitur mulier.

Hæc eſt conſtans regula, dotalium bonorum reditum, qualia ſunt ſilvæ cæſio, ſtagnorum piſcatio & alia hujuſmodi ad virum pertinere. Sed ſi lucrum ex iis quæſitum, non ſit de fructibus, ut ſi v. gr. everſæ domus ſaxa, materiam & cetera vendit, nec eam denuo ædificare utile ſit vel neceſſarium; ſumma ex tali venditione proveniens, tamquam ſors præcipua, doti accreſcit (*i*).

Quidam ſunt caſus, in quibus dotis abalienatio ex Romanis Legibus eſt licita, ut ſtatuunt illæ, quas ad marginem indicamus (*k*). Sed ſecundum Galliæ uſum Judices ad quos pertinet iſtam concedere facultatem, idipſum permittere non debent, niſi cum accurata cauſſæ cognitione, ac difficillime; & ex quibuſdam Conſuetudinibus duæ tantum admittuntur cauſſæ, ſcilicet urgens neceſſitas alimenta familiæ ſubminiſtrandi, aut viri liberatio, carcere aut ſervitute actu detenti.

Dotem filiæ conſtituere debet pater, ſi ſit ſuperſtes (*l*); & ſi obierit, aut extra ejus poteſtatem ſit puella conſtituta, ipſa ſibi dotem conſtituit apponendo conditiones, quas paſciſcitur (*m*): quod etiam verum eſt de filia pupilla; quæ tamen auctore tutore vel curatore eam ſibi debet conſtituere. *Mulier in minori ætate conſtituta*, inquit Lex, *dotem marito, conſentiente generali, vel ſpeciali curatore dare poteſt* (*n*).

Cum filia, etiam emancipata, propria habet bona, ſeu materna aut alia, pro quibus tutorem curatoremve habet patrem, eique dotem pater aſſignat, non exprimens utrum de propriis ſuis, an vero de filiæ boni,; cenſetur illam conſtituiſſe de propriis ſuis, aut communitatis bonis, ſi qua ſint, & præſens contractui ejus uxor adfuerit, non vero de filiæ bonis, ut judicat Senatus Pariſienſis: *Si pater dotem pro filia ſimpliciter dederit, vel promiſerit, ex ſua liberalitate hoc feciſſe intelligitur, debito in ſua figura remanente* (*o*); tumque dos illa, quæ *profectitia* dicitur (*p*), ad partem revertitur, ſi filia ſine ſuſcepta prole moriatur. *Jure ſuccurſum eſt patri, ut amiſſa filia, ſolatii loco cederet, ſi redderetur ei dos, ab ipſo profecta; ne & filiæ amiſſæ, & pecuniæ damnum ſentiret*; ut loquuntur Leges (*q*). Ad avum quoque, aut alium aſcendentem, ut ad matrem, pertinent jus illud reverſionis, uti obſervat D. Domat, qui pleraſque has regulas nobis ſuppeditavit (*r*). Quod ita

(*a*) L. cit. 10. §. 4. ff. de jure dotium.

(*b*) L. Unica. §. 9. C. de rei uxoriæ act. lib. 5. tit. 13.

(*c*) L. 10. ff. de jure dotium.

(*d*) Cit. L. 10.

(*e*) L. Ex pecunia. 12. C. de jure dot. & L. Serv. fin. C. de ſervo pignori dato manumiſſo. L. 7. tit. 8.

(*f*) L. Nulla. 4. Cod. de jure dotium. L. Mulier. 72. ff. eod. tit.

(*g*) Authent. Sed quamvis. §. 1. C. de rei uxoriæ actione.

(*h*) L. Julianus. 1. ff. de fundo dotali. lib. 23. tit. 5.

(*i*) L. Fructus. 7. §. 12 ff. ſoluto matrim. lib. 24. tit. 3. & L. Vir in fundo. 8. ff. de fundo dotali. L. Si ex lapidicinis. 32. de jure dotium. & L. Ex Silva. 10. & L. Sed ſi. 11. ff. de uſu fructu. lib. 7. tit. 1.

(*k*) L. Stipulationem. 21. L. Julianus. 22 & L. Mutus. 73. §. 1. ff. de jure dotis.

(*l*) L. Capite. 19. ff. de ritu nupt. l. 23. tit. 2. Novell. 115. c. 3. §. 11.

(*m*) Toto tit. ff. de jure dot.

(*n*) L. Mulier. 28. Cod. de jure dot.

(*o*) L. Si Pater. fin. C. de dotis promiſſ. lib. 5. tit. 11.

(*p*) L. Profectitia. 5. ff. de jure dot.

(*q*) Leg. Jure. 6. ff. eod. tit. & L. Poſt dotem. 40. ff. ſoluto matr.

(*r*) Domat. Leg. civiles l. 1. ſect. 2.

ita tamen intelligendum, ut debita ſibi lucra percipere queat maritus, conformiter ad pactiones nuptiales locorumve conſuetudinem.

Non idem dicendum de aliis ſeu cognatis ſeu extraneis, qui filiæ dotem conſtituunt. Neque enim jus reverſionis dotis obtinent, niſi expreſſe in contractu illud ſibi retinuerint (*a*). Illud quidem patri non competeret, ſi de aliis, quam de propriis bonis filiam ſuam dotaſſet (*b*): tunc enim non eſſet *dos profectitia*, ſed ea quæ dicitur *adventitia*.

In Parlamentis regionum juris ſcripti, ſi data a patre dos filiæ abſque ejus culpa pereat, v. gr. fulmine, hoſtium invaſione aut aquarum inundatione, ſecundo filiam ſuam dotare pater tenetur; quod locum habet, cum ſolvendo non erat conjux idoneus, quando contractæ ſunt nuptiæ: ſed in regionibus Juris ſcripti, quæ Senatus Pariſienſis juriſdictioni ſubjacent, non viget iſta juriſprudentia, ut obſervat Henrys (*c*).

Quatuor vir contrahit obligationes ob acceptam dotem:

Prima eſt: ut omnia ſubeat matrimonii onera, v. g. domicilium parare, nutrire atque omnia neceſſaria uxori ſuæ ac pueris ſuppeditare.

Secunda eſt: ut uxoris ſuæ dotem tamquam propria bona conſervet. Agros itaque tenetur colere, pecuniæ debitæ, quæ pars eſt dotis aut ad eam ſequitur, ſolutionem procurare; & ſi quid ipſius culpa pereat, aut deterius evadat, in ipſum ſolum cadit damnum (*d*); ſi tamen ſibi dotem conſtituerit uxor, eam præſtare non tenetur maritus: neque enim ex legibus concordiæ ac decori conjugum eſt licitum, ut litem uxori ſuæ vir inferat, ut nimirum dotis ejus conſervationi provideat, atque adeo de ea in hoc caſu non tenetur, ſi eam judicio non proſequatur. Excuſatur pariter idem ille maritus, ſi patri uxoris ſuæ litem juridice non inſtituerit; quia ex bono pacis in familia ſervandæ, debitaque ſocero reverentia impeditur, ne ipſum æquo acerbius tractet. Cum tamen non una ſit ea de re Parlamentorum juriſprudentia, patrium quiſque morem ſequi tenetur.

Tertia mariti obligatio eſt, dotis reſtitutio, ſi illius reſtituendæ caſus eveniat; quod fit 1. cum ipſi præmoritur mulier, non derelicta prole. 2. Cum invalidum declaratur matrimonium. 3. Quando juridicam bonorum ſeparationem mulier obtinuit. 4. Cum ſoluta dote matrimonium non eſt perfectum. 5. Et conſecutione neceſſaria, dos etiam reſtituenda eſt; quando ante mulierem vir e vivis excedit (*e*); quæ obligatio ad omnia dotis augmenta extenditur (*f*). Quæ omnia ſic intelligenda ſunt; ſi nihil oppoſitum ex contractu ſibi vir retinuerit, aut ex conſuetudine, ut jam innuimus, nihil poſſit imminuere.

Quarta denique viri obligatio eſt, ut dotale debitum præſtare teneatur, cum ipſius naturam nova ſtipulatione immutavit. *Dotem a patre, vel a quovis alio promiſſam, ſi vir, novandi cauſſa, ſtipuletur, cæpit viri eſſe periculum, cum ante mulieris fuiſſet* (*g*).

Marito jus competit indemnitatis omnium impenſarum, quas expendit; ſeu neceſſariæ fuerint ad conſervationem fundi dotalis, ſeu tantum utiles, ut melior fieret (*h*): & poſt ipſius mortem, eodem jure potiuntur ejus heredes.

Quod pertinet ad ſolitas & quotidianas impenſas, ſeu ad fundi culturam, aut fructuum perceptionem, de ipſis fructibus eas recuperare debet maritus; cum fructuum nomine ea intelligantur, quæ deductis impenſis ſuperſunt. Judicis eſt, cujus auctoritate de poſſeſſione vir debet dimoveri, ut judicet, utrum ipſe, ejuſve heredes ad integram ſuam indemnitatem dotalium bonorum poſſeſſionem obtinere debeant, an non; ac de ea re ferre judicium tenetur pro variis impenſarum qualitatibus, fructuum valore, perſonarum conditione eorumve bonorum, ac ſponſione aliunde marito ejuſve heredibus competenti.

Si factæ reparationes caſu fortuito perirent, non minus debita eſſet earum indemnitas (*i*): cumque mulier fundi dominium ſemper obtineat, ob eam ſolam rationem ad ipſam quoque ſolam ſpectat earum jactura ex hac inconcuſſa regula: *Res perit domino*.

Quod pertinet ad ſumtus oblectationis curioſitatiſve factos, eorum nulla marito debetur indemnitas, licet etiam uxor conſenſerit. *In voluptuariis autem* (impenſis) *Ariſto ſcribit, nec ſi voluntate mulieris facta ſunt, exactionem parere* (*k*). Id unum ergo illi qui fecit ſupereſt, ut quæ auferri poſſunt abſque periculo, auferat, ſi eorum denegetur indemnitas, & non aliter.

Ultimus hic non eſt omittendus articulus, qui ad dotis apocham ſpectat. Sciendum itaque, ex Edicto an 1629. articulo 130. ſub nullitatis pœna omnem apocham coram Notariis eſſe faciendam pro eo, quod ſpectat ad creditores tantum.

(*a*) Leg. *Unica*. Cod. de rei uxoriæ acti. lib. 5. tit. 13.

(*b*) Leg. *Profectitia*. 5. §. 9. ff. de jure dot.

(*c*) Henrys. tom. 1. l. 4. q. 55.

(*d*) Leg. *Sive certo*. 5. §. 2. ff. commodati lib. 13. tit. 6. Leg. *Contractus*. 23. ff. de reg. juris. Leg. *In rebus*. 17. & Leg. *Si extraneus*. 13 ff. de jure dot. Leg. *Si mulier*. fin. Cod. de pactis conventis lib. 5. tit. 14. & Leg. *In his*. 66. ff. ſoluto matrimonio.

(*e*) Leg. *Cum quæreba-tur*. 240 ff. de verb. Significat. Leg. *Soluto*. 1. ff. ſoluto matrim. Leg. *Si cōnſtante*. 24. ib. Leg. *Ubi* 29. Cod. de jure dot.

(*f*) Leg. *Non ſolum*. 32. ff. de jur. dot.

(*g*) Leg. *Dotem*. 35. ff. eod. tit.

(*h*) Leg. *Si is*. 56. § 3. ff. eod. tit. Leg. *Rem in præſenti*. unic §. 5. Cod de rei uxoriæ actione.

(*i*) Leg. *Et in totum*. 4. ff. de impenſis in res dotales factis. lib. 25. tit. 1. Leg. *De diviſione*. 5. §. fin. ff. ſoluto matrimonio l. 24. tit. 3.

(*k*) Leg. *In voluptuariis*. 11 ff. de impenſis in res dotia factis & Leg. *Unica*. §. 5. Cod. de rei uxoriæ actione.

CASUS PRIMUS.

Lactantius tenetur ne in foro conſcientiæ Liciniam, filiam ſuam, quæ cum Mævio nubere cœpit, convenienter dotare?

Respons.

Jure naturali pueris ſuis neceſſaria ſuppeditare tenetur pater alimenta, quorum vicem ſupplet dos pro puella nubente: quare filias ſuas dotare ex legibus patres obligantur. Hæc ſunt unius ex his legibus verba (a): *Capite trigeſimo quinto legis Juliæ, qui liberos, quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex conſtitutione divorum Severi & Antonini per Proconſules Præſideſque Provinciarum coguntur in matrimonium collocare & dotare.* Quod etiam docet Gloſſa in aliam legem (b): id tamen intelligendum de puella, quæ, conſentiente patre, nubit. Si igitur de conſenſu patris ſui, Mævium ſibi maritum ambit Licinia, dotem ei dare tenetur Lactantius, opibus ſuis accommodatam: ſed ſi 25. annos nondum nata, ex pertinacia & ſine conſenſu paterno nubere velit, ad eam dotandam pater non tenetur; privatis namque dotis in Galliæ Regno pœna eſt indicta filiisfamilias, qui diſſentientibus patre ac matre nuptias contrahere præſumunt: *Quantum in nobis eſt*, inquit Henricus II. in ſuo Pariſienſi edicto menſis Febru. ann. 1556. (c), *divini numinis voluntatem & imperium exſequentes, dicimus, ſtatuimus & juſſimus, dicimus, ſtatuimus & jubemus ex Edicto, lege, ſtatuto & ordinatione perpetua & irrevocabili, ut filiifamilias, qui contraxerint & deinceps clandeſtinum contrahent matrimonium contra placitum, voluntatem & conſenſum patrum ac matrum ſuorum, ipſiſque inſciis, poſſint ob talem irreverentiam & ingratitudinem, contemtum & deriſionem prædictorum patrum & matrum, legis & præcepti Dei tranſgreſſionem, & offenſam contra jus publicæ honeſtatis ab utilitate inſeparabilis, a prædictis patribus ac matribus ſuis exheredari, & ab eorum ſucceſſione excludi abſque ulla ſpe litem inferendi pro exheredatione, quæ ſic fuerit facta.* Neque iſtam contentus ſtatuiſſe pœnam in filios inobſequentes, hanc inſuper addit: *Poſſint etiam prædicti patres & matres, ob cauſſas ſupra dictas, omnem & quamlibet donationem aut prælegatum filiis ſuis facta revocare.* Confirmata eſt hæc ordinatio ex Edicto, quod Bleſenſe communiter dicitur, ab Henrico III. Pariſiis ineunte Majo anno 1579. promulgato (d), & ex Edicto quoque in eadem urbe mente Januario an. 1629. a Ludovico XIII. lato.

Nihilominus ab hac univerſali pœna, quam ex Edicto ſuo conſtituit Henricus II. filiosfamilias excipit, triginta annos, ſimulque filias viginti quinque ætate provectas; *modo utrique monitum & conſilium prædictorum patrum & matrum requiſierint ...., & in hoc caſu ad exſpectandam eorum conſenſum non tenebuntur prædicti filii aut filiæfamilias* (e). Quocirca ſi viginti quinque annos expleverit Licinia, ac patris ſui conſenſum rogaverit, dotem ei convenientem denegare non poteſt pater.

(a) Leg. *Qui liberos* 19. ff. de ritu nuptiarum. l. 5. tit. 22.

(b) Gloſſa in Leg. *Neque mater.* 19. Cod. de jure dotium, lib. 5. tit. 12.

(c) Edict. an. 1556. art. 1.

(d) Edict. Bleſenſe art. 42. & 41.

(e) Edict. an. 1556. art. 4.

CASUS II.

Cleomedes, homo dives, filiam ſuam convenienter dotatam Benedicto uxorem dedit, ei nimirum datis in dotem ædibus. Elapſis vero a matrimonio annis aliquot, fulminis igne ædes illæ fuere conſumtæ. Numquid aliam dotem filiæ ſuæ conſtituere in foro conſcientiæ tenetur Cleomedes?

Respons.

Diſtinguendum: nam vel ex obitu Benedicti jam ſolutum eſt matrimonium; vel etiamnum conſtat. Si morte Benedicti ſolutum ſit matrimonium, filiam ſuam iterum dotare tenetur Cleomedes: modo prioris dotis jactura abſque puellæ culpa contigerit, ut re vera contigit fulminis incendio ædibus conſumtis. Cujus rei hanc rationem affert Cabaſſutius (f); ne videlicet *filia defectu dotis excludatur a ſecundis nuptiis*. In ſecundo vero caſu alteram filiæ ſuæ dotem dare non tenetur Cleomedes: *durante namque primo matrimonio pater non tenetur reſtaurare dotem*, inquit idem Auctor, *quamvis ſine culpa filiæ amiſſa fuerit. Sed licet non integram dotem ipſam, quæ major ſit legitima*, pergit idem Canoniſta; *tenetur tamen legitimam filiæ debitam reparare, ac eidem erogare etiam durante ejus matrimonio.*

(f) Joan. Cabaſſut. Juris Can. theor. & praxis lib. 6. c. 1. in fine.

Advertere neceſſe eſt occaſione præſentis ſolutionis, hanc a Parlamentis ſcripti juris conſtitutam fuiſſe regulam, ut qui filiæ ſuæ dotem pater conſtituit, ipſam collocando viro qui tempore matrimonii ſolvendo non erat idoneus; ſi ſine culpa uxoris dos pereat, alteram ei dotem pater dare tenentur, etiam marito adhuc ſuperſtite. In hoc enim caſu, actio quæ in his Parlamentis dicitur *de dote male locata*; obtinet, eo quod de patre qui male dotem ſuam collocavit, filia conqueri poſſit. Catelanus (g) ea de re multa refert Toloſani Arreſta Parlamenti, in quo Conſiliarii munere fungebatur.

Sed non admittitur hujuſmodi actio in Parlamento Pariſienſi, etiam quoad regiones ſcripti juris quæ juriſdictioni ejus ſubjacent, ut videre eſt ex collectione Arreſtorum facta ab Henrys (h). Ceterum licet Parlamenta regionum juris ſcripti iſtam actionem in patrem concedant; eam tamen denegat Toloſanum, in fratrem qui ſororem ſuam dotavit, ut dijudicavit ex Arreſto 24. Feb. an. 1663. ut refert idem Catelanus. In quo diſſentit hoc Parlamentum a conſuetudine Normana, quæ non magis fratri, quam patri favet, cum dos ab eo ſorori conſtituta in cenſibus aut prædiis poſita eſt, ut obſervat Baſnagius in commentario ſuo in hanc conſuetudinem (i).

(g) Catelan. tom. 2. l. 4. c. 37.

(h) Henrys tom. 1. l. 4. q. 11.

(i) Baſnag. art. 251.

CASUS III.

Jacobo nulla, Iſabellæ vero uxori ejus res eſt ſatis ampla. Tenetur ne iſta, defectu Jacobi, Lydiam filiam eorum quæ de eorum conſenſu nubit, dotare?

Respons.

Quam ob cauſſam tenetur pater filiis ſuis alimenta præbere, ob eamdem de hoc officio mater tenetur: cum enim ab utroque pariter orti ſint, eadem etiam ratione victui eorum ac ſtatui debent providere. Quare de Lydiæ nubentis dote, defectu patris, tenetur Iſabella mater; quod pro alimentis ſit dos, ut diximus in reſponſione ad primum caſum. Ita ſentit Gloſſa in Decretalem Clementis III. (K) *Ubi autem pater & filius egent: mater compellitur eos alere*, inquit Auctor hujuſce Gloſſæ, qui ſuam ex multis legibus (l) ſententiam comprobat.

Id patet ex legis conſtitutione (m), quæ matres ab hac obligatione immunes non efficit, ubi adeſt gravis ratio, qualis eſt procul dubio patris egeſtas, & filiam collocandi neceſſitas. *Neque mater pro filia dotem dare cogitur, niſi ex magna & probabili cauſſa.* Addeodum etiam, quod ſi pater & mater egeſtate premantur, avus paternus, ſi dives ſit, aut pro eo maternus neptim ſuam dotare obligatur.

(K) Gloſſa in Cap. *Cum haberet.* 5 De eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult. v. *Secundum facultates.* lib. 4. tit. 7.

(l) Leg. *Si quis* 5. §. *Utrum.* ff de agnoſcend. vel alendis liberis & Leg. *Non quemadmodum.* 7. ff. eod. tit. &c. lib. 25. tit. 3.

(m) Leg. *Neque.* 19. Cod. de jure dotium lib. 5. tit. 12.

CASUS IV.

Epagasto, Parœciæ ruſticæ domino prædiviti ſoror eſt viginti quinque annos nata, cui neque a patre neque a matre defunctis ulla res eſt. Tenetur ne in foro conſcientiæ eam dotare, ſi ſua præſertim a patre ſit ſoror?

Respons.

Tenetur, ut probari poteſt ex lege Digeſtorum (n), qua fertur, quod, cum pupilli bonorum partem tutor ad victum ipſius ſororis conſumſit, eam a tutore ſuo jure repetere nequit pupillus. Unde ſequitur, ex hujus legis mente pupillum hunc teneri ad ſubminiſtranda ſorori ſuæ alimenta neceſſaria, atque adeo dotem, cum, ut jam diximus, dos ſit pro alimentis.

Certum quidem eſt ex alia lege (a), iſtam fratris obligationem ad ſolam ſororem paternam, non vero uterinam reſtringi: quia aſſerit, a tutore pupilli bona conſumi non poſſe ad nutriendam ipſius ſororem uterinam: attamen exigit naturalis æquitas ut, ſi frater ille bonorum patris aut matris hujuſce ſororis heres fuerit, ipſi dotem conſtituat, cum, ut heres, eorum perſonam repræſentet, ſicque obligationes contrahat. Sed ad probationem veri-

(n) Leg. *Qui filium.* ff. ubi pupillus educari, vel morari debeat &c. lib. 27. tit. 2.

(a) Leg. *Cum plures.* ff. de adminiſtrat. & periculo tutorum &c. lib 7.

Digitized by Google

veritatis, quam adeo certam efficiat ſola Chriſtianæ lex caritatis, ad Civiles Leges recurrere non eſt neceſſe. Enimvero foret ne æquitati conſentaneum, ut Epagaſtus, qui v. g. unum aut multa feuda nobilia ac ditionem conſiderandam hereditate acceperit, propriam defereret ſororem, quamvis uterinam tantum, eique alimenta neceſſaria, atque adeo dotem ad nubendum eo prætextu denegaret, quod ipſe ſolus ſit feudorum illorum aut ditionis heres? Id quidem, ut videtur, juſte defendi nequit. Ita ſentiunt Barboſa, Cabaſſutius & Auctor colloquiorum Condomenſium (a).

(a) Joan. Cabaſſut. Juris Can. Theor. & prax. lib. 6. c. 2. n. 15. & apud eum Auguſt. Barboſa part 4. lib. 1. ff. ſoluto matrim.
Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 22. ſect. 3.

CASUS V.

Guillebaldo & Luthardæ uxori ſunt duo pueri; ſcilicet, Nicolaus & Nicolaa. Plures, quam viginti quinque annos natam Nicolaam præ egeſtate dotare nequeunt. Numquid pro patre & matre, ſororem ſuam dotare tenetur Nicolaus, qui ex induſtria & labore ſuo multam jam rem ſibi peperit?

Respons.

Cum ex Gloſſa (b) frater dives fratrem *egenum* alere teneatur: *Filii parentem vergentem ad inopiam alere tenentur .... an autem frater fratrem? Videtur quod ſic*: ſequitur, quod loco parentum ſuorum qui egeſtate premuntur, ſororem ſuam dotare teneatur Nicolaus, cum iis ſit dos debita, quibus debentur alimenta. De dote etiam conſtituenda ſtrictius etiam teneretur Nicolaus, ſi de bonis Eccleſiæ dives eſſet, quod hujuſmodi bona ſpeciatim pauperum ſubſidio ſint deſtinata, detractis prius ad victum veſtitumque Beneficiarii neceſſariis.

(b) Gloſſa in Leg. *Parentum*. 1. Cod. de alendis liberis ac parent. lib. 5. tit. 25.

CASUS VI.

Cuidam homini eſt filia, quæ ipſum rogat, ut ſibi ſufficientem det dotem ad profitendam Religionem. Teneturne hanc ei, cum poſſit, concedere?

Respons.

Quandoquidem Religionis & ſacrorum Ordinum vota ſint *ſpirituale conjugium* (c), quo potius ſanctius & perfectius Deo uniuntur qui ea emittunt, quam viro ſuo ex matrimonio ſit uxor conjuncta; de utroque matrimonio idem ferri debet judicium, ut probari poteſt ex verbis, quibus utitur Caliatus I. in ſua ad Epiſcopos Galliæ epiſtola, quam refert Gratianus in ſuo Decreto (d), & etiam expreſſius ex terminis Innocentii III. ad Germanos Epiſcopos ſcribentis (e). Sicut ergo tenetur pater filiam dotare, cum eam in matrimonium collocat; a fortiori dotem ei concedere tenetur, cum Religionis profeſſione ſponſum ſibi Chriſtum aſſumit; unde pater de quo in caſu propoſito fit mentio, dotem filiæ ob finem adeo Chriſtianum ac ſanctum tuta conſcientia recuſare nequit, ſi eam dare queat (f).

(c) Can. *Seriatum*. 14. diſt. 32.

(d) Caſixt. I. in Can. *Sicut*. 39. 7. q. 1.

(e) Innoc. III. in Cap. *Licet*. 4. de tranſlatione Epiſc. Lib. 1. tit. 7.

(f) De Genet. Theol. mor. tom. 2. tract. 5. cap. 7. dem. 6.

CASUS VII.

Cæcilia nullam, Chryſologo nubendo, dotem promiſit, licet bona habeat quæ is ignorat. Tenetur ne tamen ſub peccati reatu ad dandam aliquam ei dotem, ut matrimonii onera vir ſuus poſſit ſuſtinere?

Respons.

Cum ſponſa certam dotem non promittit, videtur omnia bona ſua promittere, inquit Navarrus (g): quare Chryſologus Cæciliæ nupſiſſe cenſetur cum omni ipſius jure, hoc eſt, bonis quod poſſidet. Sententiam ſuam probat hic Auctor ex Lege Digeſtorum (h): Unde colligit, in hoc caſu non teneri ſponſum ad contrahendum matrimonium cum ea, cujus bona notabiliter ante celebratas nuptias eſſent imminuta: *Adeo quod, ſi poſt ſponſalia pauperior fiat; ita ut non poſſit, omnia quæ tunc habebat tradere, non tenetur eam ſponſus ducere*. Idem docet Toletus (i).

(g) Navarr. Manual. c. 22. n. 27.

(h) Gloſſa in Leg. *Mulier*. 72. ff de jure dotium. Lib. 23. tit. 3.

(i) Fr. Toletus Inſtruct. Sacerdot. lib. 7. c. 23.

Nihilominus ſi ſponſæ longe major foret res, quam ſponſo, videtur, quod ex æquitate ſufficeret, ut neceſſaria tantum & convenientia afferret bona reſpective ad circumſtantias loci, temporis & qualitates perſonæ, juxta ſententiam virorum prudentum & intelligentium; niſi aliter ſtatueret regionis conſuetudo, aut dictis noſtris oppoſita eſſet contrahentium conſuetudo.

CASUS VIII.

Taurno Titiæ dote caſſæ nubere conſentit. Tenetur ne in hoc caſu ſub peccati reatu eam propriis alere impenſis?

Respons.

Tenetur conjux ille in conſcientiæ foro, Titiæ uxori ſuæ neceſſaria præbere alimenta, ſi ex ſe ipſa & de propriis bonis neceſſitatibus ſuis providere non poſſit. Eam enim ſibi uxorem ſine dote ſumendo, hanc alere ac neceſſaria ſubminiſtrare tacite conſentit. Quod etiam de eo caſu affirmari poteſt, in quo incendio, aut alio ſimili eventu periiſſet dos mulieris; cum par ſit, ut alter conjugum, alterius fortuitos caſus patiatur. Sed ſi Titiæ ſufficiens bonum eſſet; ex juſtitia ad id vir non teneretur; eaque bonum viro dare ſuo deberet ad ſuſtinenda connubii ſui onera; ex his, quæ in præcedenti deciſione diximus (k).

(k) Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 25. ſect. 3.

CASUS IX.

Philiarchus, vir nobilis, prædii itidem nobilis dominus, ex uxore ſua defuncta binam ſuſcepit prolem, Joannem ſcilicet & Annam, quorum cuilibet e re materna ſunt quadraginta librarum millia. Philiarchus Annam Paullo in matrimonium collocans, ex contractu nuptiali quadraginta librarum millia dotem ei promittit, ſimulque dotis cenſus ſolutionem, donec ſortem ipſam ſeu dotem perſolverit; nec in contractu declarat, an de materno Annæ bono, an vero de re propria ſumma illa procedat. Aliquanto poſt moritur Philiarchus, & filius ipſius ad quem jure pertinet nobile prædium, illius poſſeſſionem adit, ac ſolutionem cenſus dotis ſororis ſuæ recuſat, aſſerens, quod, cum ſorori ſuæ de propriis bonis quadraginta eſſent librarum millia, cenſetur Philiarchus pater ſuus, dotem ei aſſignans parem ſummam, eam de bonis ejus maternis conſtituiſſe. Ex adverſo contendit Paullus, juſta de cauſſa præſumendum eſſe, hanc fuiſſe Philiarchi mentem, ut filiæ ſuæ dotem hanc in propria bona ſua conſtitueret, cum ex contractu non declaraverit, hanc dotem de propriis filiæ bonis conſtitui. Cui jus?

Respons.

Legibus ſancitum eſt, ut, ſi pater cujus filia propria poſſidet bona, pro quibus is eſt loco Tutoris & Curatoris, eam nuptui dat, dotemque ei conſtituit, non declarans an de ſuis, vel an vero de filiæ bonis, cenſeatur eam pater conſtituere, non ut bonorum filiæ Tutor aut Curator, ſed ut Pater ac de re propria, quod naturale ſit & ad officium patris ſpectans, ut de ſuo dotem filiæ adſcribat: quod etiam verum eſt, licet filia eſſet ſui juris & emancipata. *Papinianus .... ait*, inquit Lex (l); *cum pater, Curator ſuæ filiæ, juris ſui effectæ, dotem pro ea conſtituiſſet, magis eum, quaſi patrem id quam quaſi Curatorem feciſſe videri*. Hæc ſunt etiam Legis alterius verba (m): *Si pater dotem pro filia ſimpliciter dederit .... ſancimus, ſiquidem nihil addendum exiſtimaverit, ſed ſimpliciter dotem, vel ante nuptias donationem dederit, vel promiſerit, ex ſua liberalitate hoc feciſſe intelligi; debito in ſua figura remanente*.

(l) Leg. Profectitia. 5 §. 12 ff. de jure dotium.

(m) Leg. fin. Cod. de dotis promiſſione & nuda pollicitatione. Lib. 5. tit. 11.

Habenda eſt igitur dos illa, tamquam *profectitia*; quæ nihil eſt aliud, quam *dos ..... quæ a patre vel parente profecta eſt de bonis, vel facto ejus* (n), ſeu filia ſit emancipata, ſeu non (o): *Si pater pro filia emancipata dotem dederit; profectitiam nihilominus dotem eſſe nemini dubium eſt*. Unde ſequitur, a Joanne injuſte denegari ſorori ſuæ 40000. lib. ſolutionem.

(n) Leg. Profectitia. cit.

(o) Ead Leg. §. 11.

CASUS X.

Allatius, contracto cum Clementia matrimonio, quod ſibi 1000. librarum daturum ante ejus conſummationem pater ſponſæ ſuæ promiſerit, fide data fruſtratus eſt, eique pater declaravit, ſe hanc ipſi ſummam dare non poſſe. Qua de re quæritur, utrum Allatius matrimonii conſummationem atque cum uxore ſua cohabitationem tuta conſcientia denegare poſſit, donec promiſſa ſibi dos fuerit ſoluta?

Respons.

Conſummationem matrimonii a ſe contracti, ſimulque cum muliere ſua cohabitationem tuta conſcientia denegare non poteſt homo ille; quia, ubi primum matrimonium contraxit, jure naturali & divino ad debitum conjugale & cohabitationem tenetur; & quia neutra ex his obligationibus nullatenus a ſolutione dotis dependet (a).

(a) Colloq. Condom. Colloq. 15. ſect. 3.

CASUS XI.

Emmanuel, qui & animam dabet, mille nummorum dotem Roſaliæ filiæ ſuæ ea mente conſtituit, ut fraudet creditores, eam Chriſtophoro in matrimonium collocando. Chriſtophorus fraudis illius non fuit conſcius, aut particeps, eamque tantum confecto matrimonio cognovit. Numquid conſtitutionis hujus invaliditatem requirere poſſunt Emmanuelis creditores, ut pote quæ facta fuerit in fraudem ac detrimentum eorum, quæ ſibi ab Emmanuele legitime erant debita? Et ſi Roſalia ſui juris eſſet, ſed debitis ultra bona ſua onuſta, ſibique ſimilem dotem conſtituiſſet, nonne maritum ejus ſponſorem appellare poſſent creditores?

Respons.

Magnum intercedit diſcrimen inter duo illa quæſita: quare neceſſe eſt, ad ea ſeparatim reſpondere. Ad primum reſpondemus inter fraudulentas donationes non annumerandum eſſe donum, a patre titulo dotis factum, cum maritus fraudem ignorat, nec ejus eſt particeps; licet a conſtituente dotem, in fraudem creditorum factum fuerit. Quare nullum Emmanuelis creditoribus jus competit, ut Roſaliæ dotis conſtitutiones, licet in ſuum damnum factæ, invaliditatem juridice proſequantur, & ad nullam dotis reſtitutionem tenetur Chriſtophorus. Nam 1. deterioris non eſt conditionis, quam creditor: atqui creditor, illæſa juſtitia, debitum ſui debitoris poteſt recipere, cujus bona ab aliis creditoribus juridice non ſunt detenta; licet debitor ille hinc ſolvendo fiat non idoneus, ut declarat Lex his verbis (b): *Sciendum Julianum ſcribere, eoque jure nos uti, ut qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris poſſideantur; quamvis ſciens prudenſque ſolvendo non eſſe, recipiat non timere hoc edictum: ſibi enim vigilavit.* Igitur Chriſtophorus, dote mulieris ſuæ bona fide accepta jure frui poteſt, nec ad ullam erga creditores ſoceri ſui reſtitutionem tenetur; quodcumque ex hac conſtitutione damnum receperint. Secunda ratio quæ pro Chriſtophoro afferri poteſt, eſt, quia abſque illa dote matrimonium non contraxiſſet. Deſumuntur duæ illæ rationes ex alia Lege, cujus hæc ſunt verba (c): *In maritum autem qui ignoraverit, non dandam actionem, non magis quam in creditorem, quod a fraudatore, quod ei debetur, acceperit, cum is indotatam uxorem ducturus non fuerit.*

(b) L. *Qui autem*. 6. §. 7. ff. quæ in fraudem creditorum facta ſunt, ut reſtituantur. lib. 42 tit. 8. item Leg. *Pupillus*. 24. ibid. & Leg. *Si fraudator*. §. 1. ibid & Leg. *Summa*. 22. ff. de peculio. lib 15. tit. 1.

(c) Leg. *Si fraudator*. 25. §. 1. ff. quæ in fraudem creditorum.

Quod ad ſecundam difficultatem ſpectat, contrarium eſt omnino dicendum; cum enim dotem de bonis ſuis eo ſibi mulier conſtituit, ut fraudet creditores; iſti maritum ejus totius ab eo accepti titulo dotis ſponſorem appellare poſſunt, cum in hoc mulieris ſuæ quoad dotem ejus ſit debitor. *Si cum mulier fraudandorum creditorum conſilium iniiſſet*, inquit Lex Digeſtorum (d), *marito ſuo, eidemque debitori in fraudem creditorum acceptum debitum fuerit, dotis conſtituendæ cauſſa, locum habet hæc actio, & per hanc omnis pecunia quam maritus debuerat, exigetur, nec mulier de dote habet actionem, neque enim dos in fraudem creditorum conſtituenda eſt.* Jus idem conſtituit Lex alia Alexandri his verbis (e): *Si ſucceſſione patris abſtenta fuiſti, ob ea quæ in dotem data ſunt, convenire te nequeunt creditores, quibus pignora in dotem data non docentur; niſi bonis defuncti non ſufficientibus in fraudem creditorum dotem conſtitutam probabitur.*

(d) Leg. *Ait Prætor*. 10. §. 14. ff. quæ in fraudem &c.

(e) Leg. *Si ſucceſſione*. 2. Cod. de revocandis his quæ in fraudem creditorum alienata ſunt. lib. 7. tit. 75.

CASUS XII.

Sempronia, vidua, in Tullii viri ſui defuncti bonis integram ſuam dotem reſumere contendit, licet magnas is fecerit impenſas; non ſolum ad victum ejus, ſed etiam ad oblectationes muliebremque ornatum, aut aliter. Numquid id ipſum poteſt tuta conſcientia & abſque injuſtitia cum detrimento creditorum aut heredum defuncti?

Respons.

Certum eſt, in caſu propoſito dotem integram a Sempronia poſſe reſumi. Ratio eſt, quia ex Legibus dotis mulieris ſuæ conjux non fit dominus, niſi ut hanc ipſi ſervet (f), & quia eam, defuncto marito ſuo, poſthabitis omnibus iſtius creditoribus, mulier poſſit repetere, ut declarant Leges ad marginem indicatæ, quas confirmat Decretalis Innocentii III. ad Archiepiſcopum & Archidiaconum Genuæ (g). Hinc marito non licet uxoris ſuæ dotalia bona abalienare, ut declarat Honorius III. ſcribens ad politiæ præfectum civeſque Rupellæ (h), quorum conſuetudinem contrariam in hac urbe vigentem improbat. Ob eam quoque cauſſam omnia mariti bona mulieri naturaliter ſunt obligata ad ſecuritatem dotis ſuæ, ut conſtat ex his verbis Innocentii III. ad Aquinatem Epiſcopum ſcribentis (i): *Mandamus .... cum mulieribus favor multus in recuperandis dotibus debeatur, & cautum ſit in jure, quod propter maleficium viri mulier non remanere debeat indotata; cum etiam bona viri mulieri ſint pro dote tacite obligata, & cum ſuo onere tranſierint ad quemlibet poſſidentium, R. prædictum eidem mulieri ad reſtitutionem dotis ..... condemnes.* Ita etiam ſentit Navarrus (k).

(f) Leg. *Dote*. 9. Cod. de rei vindicat. lib. 3. tit. 32. Leg. *In rebus*. 30. Cod. de jure dotium. lib. 5. tit. 12.

(g) Innoc. III. in C. *Per veſtras*. 7. de donat. inter virum & uxorem, & de dote poſt divort. reſtit. lib. 4. tit. 20.

(h) Honorius III. in Cap. *Ex parte*. 12. de conſuetud. lib. 1. tit. 4.

(i) Innoc. III in Cap. *Ex Litteris* de pignoribus & aliis cautionibus lib. 3. tit. 22.

(k) Navar. Manual. c. 17. n. 5.

CASUS XIII.

Theophilus, viginti quinque annos natus, ac boni ſui, jurium & actionum dominus, Floræ cupiens nubere, eique decem millia librarum prælegare inſciis parentibus ſuis, *brevi manu* ſummam hanc puellæ dedit, quæ hanc pari quam habebat, ſummæ addens, oſtendit ſe Theophilo dotem viginti millia librarum dare, quo facto nuptiæ celebratæ ſunt. Poſt ſuſceptum ex ea filium obiit Theophilus; ipſa vero ſecundo Gaſparo nupſit, e quo tres filios ſuſcepit, qui poſt matris obitum, cum nato e priore ejus conjugio decem librarum millia a Theophilo Floræ data diviſerunt. Numquid injuſtitia caret illa diviſio, & tres filii e ſecundo nati conjugio, quibus perſpecta eſt penitus facta a Theophilo matri ſuæ donatio, non tenentur indemnitatem præſtare nato e priori conjugio; cum e bonis ſuis Flora decem tantum millia librarum dotem haberet?

Respons.

Nulla eſt in hac diviſione injuſtitia, atque adeo de nulla tres pueri poſterioris conjugii indemnitate tenentur erga natum e priore conjugio. Ratio eſt, quia Theophilus *brevi manu* Floræ dans millia decem librarum, ei mero dono dedit, tamquam præcipuum quid, quo eam ſecreto & non ex contractu, ne parentibus ſuis inferret moleſtiam, donare volebat: cujus doni dominium legitime acquiſivit, ad omnes adeo pueros ſuos ex æquo tranſmittendum, cum ab homine rerum ſuarum domino factum fuerit, & ipſa abſque ullius Le-

gis

gis tranſgreſſione acceptare potuerit, ut re ipſa contigit. Atque in eo apparet diſcrimen donationis factæ a conjugibus ante & poſt celebratas nuptias: prior namque eſt licita; poſterior vero ex pleriſque Regni Galliæ conſuetudinibus eſt illicita, uti oſtendimus in reſponſione ad primum aut ſecundum caſum, v. *Donatio*.

CASUS XIV.

Prætextatus, ſummæ ſex millium librarum valde indigens, uxoris ſuæ de ipſius conſenſu fundum dotalem vendidit. Poſt tres menſes mortua illa uxore, ab heredibus ejus ad reſtitutionem integram fundi illius dotalis, ſuorumque damnorum & intereſſe juridice vocatur Prætextatus, qui ex eo talem denegat reſtitutionem, quod fundum de ſolo mulieris ſuæ conſenſu, abalienaverit; quæ, cum ejus proprietatem obtineret, de eo ſtatuere poterat. Numquid æqua eſt heredum hujuſce mulieris contentio?

Respons.

Generatim ſolvi nequit difficultas iſta: certum eſt enim, ex Legibus Romanis, quod, *Fundum dotalem*, inquit una ex his Legibus (*a*), *non ſolum hypothecæ titulo dare, nec conſentiente muliere, maritus poſſit; ſed nec alienare, ne fragilitate naturæ in repentinam deducatur inopiam*.

(*a*) Leg. unica §. 15. Cod. de rei uxoriæ actione lib. 5. tit. 13.

Verum non ubique obtinet illa juriſprudentia: ſunt enim regiones quædam, ut in Normannia, in quibus dotem ſuam abalienare, neque in aliquo ſpondere poteſt mulier. Sunt vero nonnullæ, in quibus poteſt, auctore viro ſuo. Unde concludendum eſt, quod, ſi venditus a Prætextato de conſenſu uxoris ſuæ fundus fuerit intra earum regionum fines, in quibus licitæ ſunt ex conſuetudine hujuſmodi abalienationes, ad ejus reſtitutionem non tenetur erga heredes uxoris ſuæ; ſed contra tenetur, ſi in ea ſit regione, ubi ſint prohibitæ.

Obſervare heic juvat, ex Legibus quoſdam eſſe caſus, in quibus dotis partem, aut integram etiam dotem licitum eſt abalienare, v. g. ad redimendum de captivitate, aut carcere liberandum virum aut uxorem, vel pueros, aut ad alimenta vitæ neceſſaria eis ſubminiſtranda (*b*); ſed iſta abalienatio non eſt facienda, niſi conformiter ad regionis conſuetudinem, judicis auctoritate & cum cognitione cauſæ.

(*b*) Leg. *Manente*. 73. §. 1. ff. de jure dotium. lib. 23. tit. 3. Leg. *Sed etſi*. 21. ff. ſoluto matrim. dos quemadmodum petatur. lib. 24. tit. 3.

CASUS XV.

Philastrius, Cæciliæ nubens, domum habuit dotem ejus; quæ tranſitus jure per aulam proximæ domus fruebatur. Hæc ſe ſervitio eximere volens alterius hujuſce domus proprietarius, ab eo immunem ſe fecit, ſolvens Philaſtrio decem dupliones. Mortuæ Cæciliæ heredes dominum hunc in ſua poſſeſſione interturbant, atque idem ſibi ſervitium deberi contendunt, ſalvo ipſius in Philaſtrium recurſu. Numquid æqua eſt ipſorum contentio?

Respons.

Legitima eſt Cæciliæ heredum contentio: nam, ut vir uxoris ſuæ fundum dotalem abalienare non poteſt; ſic eum aut ſervitio ſubdere, aut illud culpa ſua amittere, & a fortiori debitum abalienare nequit; quia ex his quidquam facere non poteſt, quin deterior fundus evadat. Ita decidit Lex his verbis (*c*): *Julianus libro ſextodecimo Digeſtorum ſcripſit, neque ſervitutes fundo debitas poſſe maritum amittere, neque ei alias imponere*.

(*c*) Leg. *Julianus*. 5 de fundo dotali. lib. 23. tit. 5.

CASUS XVI.

Walericus, bona fide matrimonio inito cum Genoveſa, ſibi in quarto gradu affine, a qua mille nummos dotem acceperat; cum per quinque ſexve annos cum ea maritali conſuetudine, abſque nimio tamen in ſe invicem amore, cohabitaſſent, invalidum eſſe matrimonium ſuum agnovit: quo ad obtinendam divortii ſententiam ducta eſt Genoveſa; qua prolata, a Vvalerico dotis ſuæ reſtitutionem petivit, quæ ab ipſo denegata eſt, ob eam videlicet cauſam, quod ſe invito divortium petierit, nec obſtante petitione oblata legitimæ diſpenſationis ad redintegrandum matrimonium ſuum. 1. Numquid injuſta eſt ejus repulſa, atque in conſcientiæ foro ad reſtitutionem mille nummorum tenetur? 2. Si bona communia per ſuum quinque ſexve annorum contubernium acquiſiverint, nonne dimidiam eorum partem Genoveſæ reſtituere tenetur?

Respons.

Cum legitima ſit divortii cauſa, neque huic potius Walericus, quam Genoveſa anſam præbuerit, ut patet expoſitione caſus; tenetur Walericus, non ſolum de reſtitutione mille nummorum, quos dotem a Genoveſa accepit, ſed etiam dimidiæ partis bonorum, quæ communia habebant: hoc eſt, quæ e communi pecunia emerunt, vel ab inito matrimonio ſuo aliter acquiſivere. Quod pertinet ad integram dotis reſtitutionem, ſic eam conſtituit Wormatienſe Concilium, ut patet ex his verbis Decretalis, quæ ab eo deprompta fuit (*d*): *Mulieres, cum pro aliqua licita cauſa a propriis viris fuerint ſeparatæ, totam dotem præcipimus ſibi reddi*. Urbanus III. ad Decanum, Cantorem & Capitulum Lexovii ſcribens (*e*) idem declarat, ſeu quoad dotem, ſeu ad bona communiter ante divortii ſententiam acquiſita. *Significavit P. Mulier*, inquit hic Papa, *quod H. quem loco viri tenebat, divortio inter eos ſolemniter celebrato, dotem ſuam illicite detinet & reddere contradicit. Poſſeſſiones etiam, quæ ipſis, dum ſimul viverent, cujuſcumque contractus titulo, communiter obvenerunt; ea prorſus excluſa, ſibi nititur vindicare*. En ad amuſſim factum, de quo in ſpecie propoſita agitur, quod his verbis ſolvit hic ſummus Pontifex: *Ideoque mandamus, quatenus ſi ita eſt, & non eſt aliud, quod obſiſtat*, hoc eſt ſtipulatio, aut contraria conſuetudo, *ipſum ad reſtitutionem dotis & diviſionem eorum, quæ olim communiter habuerunt, diſtrictione Eccleſiaſtica compellatis*.

(*d*) Conc. Vvormat. in cap. *Mulieres*. 1. de donat. inter virum. & uxorem l. 4. tit. 20.

(*e*) Urban. III. in cap. *Significavit*. 2. eod. tit.

CASUS XVII.

Nævius & Sara in quarto gradu affines, ſimul matrimonium contraxere bona fide & penitus ignora ſibi affinitate ſua. Sex elapſis menſibus vita functus eſt Nævius, & invalidum eſſe matrimonium ſuum ex hoc impedimento Sara certo didicit. Numquid in eo caſu ſola debet eſſe dotis ſuæ reſtitutione contenta, derelictis pactionibus nuptialibus aliunde pro ſe ſtipulatis?

Respons.

Difficultatem iſtam ſolvit olim inclytus Theologus, quondam Duacenſis Univerſitatis Profeſſor Vicecancellarius (*f*), qui ad eam 25. Decembris an. 1640. reſpondit. Sentit ergo ille, nullum debere ſortiri effectum matrimoniales hujuſce mulieris conditiones in propoſita ſpecie; *quia illæ conditiones*, inquit hic auctor, *non erant, niſi ſub conditione matrimonii inter Nævium & Saram vere & valide contrahendi. Cum igitur*, ita concludit, *nec vere, nec valide fuerit inter illos contractum matrimonium, ipſæ nullius ſunt roboris, ac per conſequens non debent ſortiri ſuos effectus*. Tum ſuam confirmat ſententiam auctoritate Angeli de Clavaſio, Silveſtri Prierii & Tabienæ (*g*). His addi poteſt, omnes illas conventiones tamquam invalidas eſſe habendas, quia contractus, quo repromiſſæ fuerunt, defectu conſenſus ſufficientis eſt invalidus, cum factæ fuerint ex errore, qui earum cauſa finalis fuit, & ſine quo iis nunquam atten-

(*f*) Fr. Sylvius reſolut. var. v. *Matrimonium*. 14.

(*g*) Angelus de Clavaſio v. *Donatio* q. 47. Silveſter de Prierio v. *Donatio*. 1. q. 15. Joan. Tagnatias vulgo Tabiena v. *Donatio*. 2. n. 12.

aſſenſus ſaiſſet Nævius. *Quid enim tam contrarium eſt conſenſui, quam error?* inquit Lex (*a*).

(*a*) Leg. *Si per errorem*. 15. ff de juriſdict. omnium judicium, lib. 2. tit. 1.

C A S U S XVIII.

Valafatus cum mulierem ſxam Adriansm, de adulterio accuſatam conviciſſet, & divortii ſententiam obtinuiſſet, ab ea diceſſit, eique dotis ejus nou ſolum reſtitutionem, ſed & alia ad vitam neceſſaria prorſus denegavit. Numquid juſta eſt Valberti denegatio?

R a s p o n s.

Iniqua non eſt a Valberto facta denegatio; mulieri ſuæ dotem reſtituendi, aliaque & ad vitam ueceſſaria ſubminiſtrandi, excepto caſu extremæ neceſſitatis: uua enim ex pœnis mulieri adulteræ infligeuda eſt amiſſio dotis, ut fert lex Codicis (*b*), & probat Gloſſa ex Decretali Honorii III. (*c*), quod idem declarat Clemens III. in una ex ſuis Decretalibus (*d*): *Si mulier*, inquit hic Papa, *ob cauſam fornicationis judicio Eccleſiæ, aut propria voluntate*, (ſcilicet ob eamdem cauſam) *a viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit eidem, dotem, vel dotalitium*, hoc eſt ut explicat Gloſſa, donationem, quam ex pacto lucrata habuiſſet, vel res paraphernales (*e*) *repetere non valebit*. Itaque, ut ait Gloſſa, *culpa unius cedit lucro alterius*.

Addi poteſt hæc ratio, quod ſcilicet dotem, non ſolum ad alendam mulierem ſuam, ſed ad alia etiam matrimonii onera ſuſtinenda vir acceperit, quibus etiam poſt divortium manet ſubditus; qxalis eſt obligatio inevitabilis pueros alendi & educandi.

(*b*) Leg. *Si dotem* 24. Cod. de jure dotium. lib. 5. tit. 12.

(*c*) Gloſſa in cap. *Ex parte*. 10. de conſuetudine v. *Bonis*.

(*d*) Clemens III. in cap. *Plerumque*. 4. de donat. inter virum & uxorem &c. & ibi Gloſſa.

(*e*) Gloſſ. ibid. v. *Dotalitium*.

C A S U S XIX.

Cornelia, Gelaſii uxor, obtenta in eum divortii quoad thorum & quoad bonum ſententia, ſeu propter libidines ejus, ſeu etiam ob indigna, quæ ab ea exigebat continuo, miniſteria, prædium milla numinorum annui cenſus recuperavit, quod ei dotem nubens attulerat. Biennio trienniove poſt, illud propria induſtria curare impedita, quod conductores ſolveudo idoneos reperire nou poſſet, illud venale publice proponere conſtituit, pretium ejus in pecuniariam & annuam penſionem e Pariſienſi Baſilica deducendam converſura: quo reſcito, Gelaſius interceſſit. Numquid ultra jure progredi poteſt Cornelia, & prædium illud vendere, cum dominium ejus directum & utile habeat?

R e s p o n s.

Jure merito intercedere poteſt Gelaſius venditioni propriæ ſuæ dotis, quam meditatur illa mulier, quamvis ab eo ſeparata. Verum quidem eſt, mulierem, quæ hanc judicio ſeparationem obtiuuit, poſſe ſa obligare, etiam diſſentiente marito, in iis omnibus, quæ pertinent ad conſervatiouem & adminiſtrationem bonorum ſuorum dotalium; v. g. ea conducere, remittere, ex iis emere, mutuari, aut ſolvere. *Sciendum eſt*, inquit Cabaſſutius (*f*), *uxorem, quæ juridice hanc obtinuit ſeparationem, poſſe ſine interventu mariti obligari in illis, quæ ad rerum ſuarum conſervationem & adminiſtrationem pertinent, perinde ac ſi vidua eſſet: in hoc quippe ſui juris effecta eſt. Hoc tamen excepto* ſubjungit hic Canoniſta, *quod vivente viro poteſt alienare*. Nam mulier a viro ſuo ſeparata, dotem ſuam, ipſo vivente, abalienare non poteſt; uti dijudicatum eſt ex Arreſto Senatus Pariſienſis 21. Jan. an. 1597. lato. Id quoque probat in articulum 28. Conſuetudinis Borboniæ Interpres, quem laudat Mornacius (*g*) ipſi aſſentiens, & qxi in probationem aliud Arreſtum ejuſdem Senatus refert, latum 24. Aprilis an. 1585.

Cum jute Romano conſentit iſta juriſprudeutia, quo licitum eſt mulieri, cujus maritus inopia circumvenitur, aut a quo legitime eſt ſeparata, bonis ſuis dotalibxs frui, ſuoque jure uti: *Ita tamen*, inquit Lex (*b*), *ut eadem mulier nullam habeat licentiam eas res alienandi, vivente marito, & matrimonio inter eos conſtituto*. Igitur predium dotale ultra vendere nequit Cornelia, licet ejus & dominio & uſu fruatur.

(*f*) Joan. Cabaſſ. Juris Can. Theor. & prax. l. 6. c. 17. n. 7.

(*g*) Mornac. ad Leg. 14. §. 1. ff. de divort. & re pud.

(*b*) Leg. *Ubi*. 29. Cod. de jure dotium.

C A S U S XX.

Cum Priscillianus Lydiam filiam ſuam Lævio nuptui dediſſet, mille libris præſenti pecunia, & ſumma quinque millium librarum, quæ ſibi debebat Antonius, dotatam, debiti hujus ſolutionem exigere neglexit Lævius; quo factum eſt, at vel lapſu temporis Antonius, vel ex eo quod ſolvendo jam non eſſet idoneus, quinque millium ſumma ſuerit amiſſa. Poſt Lydiæ obitum, hujuſce ſummæ ſponſorem appellant Lævium ipſius heredes. Num eam numerare ipſis tenetur Lævius?

R e s p o n s.

Lævius erga Lydiæ heredes tenetur de jactura quinque millium librarum, quæ ab Antonio, uti partem dotis mulieris ſuæ poterat exigere: cum enim maritus dote mulieris non minus ad proprium, quam ad mulieris commodum fruatur, pari cura eam, uti res proprias habere debet. Quare tenebatur Lævius Antonium judicio perſequi, & ab eo quinque millium librarum ſolutionem convenienti tempore exigere, non vero ſummam hanc amittere propria ſua culpa & negligeutia, ob quam etiam fortuitos caſus præſtare deberet, (*i*), *In partem dotis reddendæ erit id quod mulieri ex periculo ſervi reſtitui debebit, & ideo & dolum & culpam in eo peculio acquirendo, vel conſervando maritus præſtare debet:* præſertim cum caſus illos fortuitos & vigilantia ſua potuiſſet prævertere. *Ubi utriuſque utilitas vertitur*, inquit Lex (*K*), *ut in empto, ut in locato, ut in dote, ut in pignore, ut in ſocietate & dolus & culpa præſtatur*. Hæc ſunt etiam Legis alterius verba (*l*): *In rebus dotalibus virum præſtare oportet, tam dolum, quam culpam, quia cauſa ſua dotem accipit: ſed etiam diligentiam præſtabit, quam in ſuis rebus exhibet*. Ob eam quoque cauſam conſtituit Lex alia (*m*), quod, *ſi extraneus ſit, qui dotem promiſit, iſque defectus ſit facultatibus, imputabitur marito: cur enim non convenerit; maxime ſi ex neceſſitate, non ex voluntate dotem promiſerat?* Ex his ultimis & in textu ſequentibus verbis oſtenditur, non eamdem a marito exigi diligentiam, atque eaſdem perſecutiones contra donatorem aut ſocerum, atque contra extraneum, qui utraque qualitate caret. Sed tamen conſtat, non æquum eſſe, ut omnem contra eos omittat actionem, ſed quamdam adhibeat juxta prudentiæ regulas & occurrentes circumſtantias.

Obſervandum eſt circa propoſitam difficultatem, quod ſi Lævius debitorem quinque millium librarum judicio proſequens, eorum tantum accipere uſuras foret contentus, atque ita inſtitutæ actionis intermiſſionem quoad ſortem concederet, de toto debito teneretur, ſi facultatibus poſtea deficeret debitor, ut ait Lex alia. *Cum dotem mulieris nomine extraneus promiſit, mulieris periculum eſt: ſed ſi maritus, non ſecutus, uſuras exegerit, periculum ejus futurum, reſpondetur* (*n*).

(*i*) Leg. fin. ff. ſoluto matrimonio dos quemadmodum petatur; & Leg. *Contractus*. 23. ff. de diverſis reg. juris ant.

(*K*) Leg. *Si ut certo*. §. 2. ff. commodati vel contra.

(*l*) Leg. *In rebus*. 17. ff. de Jure dotium. lib. 23. tit. 3. Item Leg. fin. Cod. de pactis conventis tam ſuper dote, quam &c. l. 5. tit. 14.

(*m*) Leg. *Si extraneus*. 33. de jure dotium.

(*n*) Leg. *Cum dotem*. 71. ff. eod. tit.

C A S U S XXI.

Anicus Bertæ nupſit, quæ ei villam dotem dedit, in naptiali contractu decem librarum millibus æſtimatam. Domus & horreum fortuito incendio perierunt. Ad quem pertinet damnum illud? an ad Bertam?

R a s p o n s.

Cum mulier ſe ipſam viri ſui arbitrio committat, ei quoque bona ſua permittit, deſtinata ad uſum ſocietatis inter ſe initæ. *Bonum erat mulie-*

Digitized by Google

mulierem, quæ ſe ipſam marito committit, res etiam ejuſdem pari arbitrio gubernari, inquit Lex (*a*): unde jus viri in dotem mulieris conſequitur neceſſario ad eorum unionem & poteutiam viri in ſuam mulierem; eaque dote, uti dominus fruitur, ita ut hanc ei auferre nequeat mulier ex his Legis verbis (*b*): *Si res in dotem dentur, puto in bonis mariti fieri*, etſi earum naturaliter dominium ipſa conſervet: *Cum & eædem res, & ab initio uxoris fuerint, & naturaliter in ejus permanſerint dominio; non enim, quod legum ſubtilitate tranſitus earum in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas deleta, vel confuſa eſt*, ait Lex alia (*c*).

(*a*) Leg. *Hac Lege*. 8. Cod. de pactis conventis tam ſuper dote, quam &c.

(*b*) Leg. *Doti*. 7. §. 3. ff. de jure dotium.

(*c*) Leg. *In rebus*. 30. Cod. eod. tit.

Nihilominus, cum res dotales certo pretio in contractu fuere æſtimatæ; eas emiſſe cenſetur maritus, quia æſtimatio, earum eſt venditio. *Secutis igitur nuptiis æſtimatio rerum perficitur, & fit vera venditio ... quia æſtimatio, venditio eſt*, inquit Lex Digeſtorum (*d*): quare earum fit debitor: *Quoties res æſtimatæ in dotem dantur, maritus, dominium conſecutus, ſummæ, veluti pretii debitor efficitur* (*e*): unde ſequitur, quod ſi pereant, aut deteriores fiant, *conſtante matrimonio*; ipſius viri eſt, quaſi domini, earum pari damuum, uti lucrum, ſi quod eſſet, ipſe referret. *Quis enim dubitet*, inquiunt Imperatores Diocletianus & Maximinus, de viro loquentes; qui æſtimatam receperat mulieris ſuæ dotem; *æſtimationem a te mulieri deberi, cum periculo tuo res deteriores fiant, vel argumenta lucro tuo recipiantur* (*f*)?

(*d*) Leg. *Plerumque* 10. §. 4. & 5. ff. eod. tit.

(*e*) Leg. *Quoties*. 5. Cod. eod. tit.

(*f*) Leg. *Cum dotem*. 10. Cod. eod. tit.

Poſt conſtitutas ex Legibus adeo expreſſis & æquitati conſentaneis regulas, facile colligi poteſt, quod cum Bertæ maritus villam ejus decem librarum millibus æſtimatam in dotem acceperit, de omnibus ejus damnis, quacumque ratione contingentibus tenetur, & in eodem, quo eam accepit, ſtatu reſtituere, aut pretium ejus conventum ſolvere obligatus, ſi caſus contingat.

Sed idem non foret dicendum, ſi æſtimatio non præceſſiſſet; tum enim damnum ſuperveniens abſque culpa viri, ſoli contingit mulieri. *Quoties igitur non æſtimatæ res in dotem dantur, & meliores & deteriores mulieri fiunt* (*g*). Hinc *Plerumque intereſt viri*, (res in contracta nuptiali) *non eſſe æſtimatas, ne periculum rerum ad eum pertineat* (*h*).

(*g*) Leg. *Plerumque*. 10. cit. ff. eod. tit.

(*h*) Cit. Leg. *Plerumque*.

CASUS XXII.

Severinus, ducta in uxorem Chriſtina, cum dote, quæ in agris ac ſilvis poſita eſt, horum fructus percepit, ſilvaſque cæcidit. Cum ſine derelicta prole obiiſſet Chriſtina, heredes ejus contenderunt, cæſuræ ſilvarum ſibi a Severino habendam eſſe rationem. Numquid de eo tenetur in foro conſcientiæ, ſi cædua ligna nondum conſumſerit?

Reſpons.

Hæc eſt generalis regula, fructus dotis mulieris ad virum, tamquam rem ſuam pertinere. *Dotis fructum ad maritum pertinere debere, æquitas ſuggerit*, inquit Lex (*i*), quæ rei hujuſce rationem affert: *Cum enim ipſe onera matrimonii ſubeat, æquum eſt eum etiam fructus percipere*. Quocum conſentit hæc etiam Lex alia (*K*): *Pro oneribus matrimonii mariti lucro fructus totius dotis eſſe, quos ipſe cepit ... manifeſtiſſimi juris eſt*.

(*i*) Leg. *Doſis*. 7. ff. de jure dotium

(*K*) Leg. *Pro oneribus*. 20. Cod. eod. tit. Item Leg. 63. §. fin Digeſt. *pro ſocio*.

Sed ſi perceptum e bono dotali lucrum ad fructuum ſeu redituum naturam non pertineat, & ſit ſors quædam præcipua quæ dotem augeat, ad virum non pertinet. *Si ex Lapicidinis dotalis fundi lapides, vel arbores, quæ fructus non eſſent, vendiderit; nummi ex ea venditione recepti, ſunt dotis*. Ita Lex Digeſtorum in hanc rem (*l*).

(*l*) Leg *Si ex Lapicidinis*. 13. ff. de jure dotium.

Præſuppoſito iſto tamquam certo, ad ſpeciem propoſitam reſpondemus: quod ſi ligna quæ cædi juſſit Severinus, ſint ſilvæ cæduæ, lucrum eorum ſibi habere potuit; ſunt enim reditus, qui ſunt ejus, *conſtante matrimonio*: Sed ſi ſint arbores prægrandes, aut arduæ, aut plantarium; tum fundus ille ad ipſum non pertinere, cujus proinde rationem exigere ab ipſo poſſent mulieris ipſius heredes: quod etiam verum eſt, licet ventorum vi arbores illæ ceciderint. *Si arbores cæduæ fuerunt, vel gremiales*, inquit Lex (*m*), *dici oportet, in fructum cedere: ſi minus, quaſi deteriorem fundum fecerit maritus, tenebitur: ſed & ſi vi tempeſtatis ceciderunt, dici oportet, pretium earum reſtituendum mulieri, nec in fructum cedere, non magis quam ſi theſaurus fuerit inventus: in fructum enim non computabitur, ſed pars ejus dimidia reſtituetur; quaſi in alieno inventi*. Idem dicendum, de conjuge, qui veteris ædificii ligna, lapides, &c. vendit, quod reficere neque neceſſarium neque utile eſt. *Sive ſuperficiem ædificii dotalis voluntate mulieris vendiderit; nummi ex ea venditione recepti ſunt dotis* (*n*).

(*m*) Leg. *Fructus*. §. 12. ff. ſoluto Matrimonio, &c. Lib. 24 tit. 3. Item: ſed ſi grandes arbores eſſent. non poſſe eas cædere.

Leg. *Sed ſi*. 7. ff. de uſufructu, &c. Lib. 7. tit. 1.

(*n*) Cit. Leg. Si *ex Lapicidinis*. 31. ff. de jure dotium.

CASUS XXIII.

Prudentius filiæ ſuæ domum dotem dedit, quam in matrimonium Gratiano collocavit. Is in ea domo multas fecit impenſas per viginti annos, quibus eam habuit. Mortua uxore abſque liberis, Prudentius ab eo domus reſtitutionem poſtulat, quam ſe reſtituturum ea conditione promittit Gratianus, ut factas in ea impenſas ipſe ſibi rependat. Numquid Prudentius tuta conſcientia compenſationem, quam poſtulat Gratianus, ei denegare poteſt?

Reſpons.

Priuſquam propoſitæ ſpeciei ſua ſit reſponſio, præmittendum triplicem eſſe impenſarum ſpeciem: aliæ ſiquidem ſunt neceſſariæ; aliæ utiles; aliæ vero voluptuariæ. *Impenſarum, quædam ſunt neceſſariæ*, inquit Lex (*o*); *quædam utiles, quædam vero voluptuariæ*.

(*o*) Leg. *Impenſarum*. 1. ff. de impenſis in res dotales factis. l. 25. tit. 1.

Impenſæ *neceſſariæ hæ dicuntur, quæ in ſe habent neceſſitatem impendendi* (*p*); ut, *ſi ædificium ruens* (*q*), *quod habere mulieri utile erat, refecerit*.

(*p*) Ibid. §. 1.

(*q*) Ibid. §. 3.

Utiles autem impenſæ, ſunt quas maritus utiliter facit, remque uxoris meliorem fecerit, hoc eſt, dotem (*r*), *veluti ſi novelletum in fundo factum ſit* (*ſ*).

(*r*) Leg. *Quod dicitur*. 5. §. fin. ff. eod. tit.

(*ſ*) Leg. *Veluti*. 6. ibid.

Voluptuariæ autem impenſæ ſunt, quas maritus ad voluptatem fecit, & quæ ſpecies exornant (*t*): quales ſunt picturæ, aliique hujuſmodi ornatus.

(*t*) Leg. *Voluptuariæ*. 7. ff. eod. tit.

Præſuppoſita illa diſtinctione, ad deciſionem præſentis difficultatis, ſciendum, ad quam ſpeciem pertineant impenſæ a Gratiano in domo factæ: ſi enim ſint neceſſariæ; ex Legibus fundum hunc dotalem integrum aut ex parte retinere poteſt, donec eas totas rependerit ſocer ejus Prudentius, atque etiam de ejus poſſeſſione ex ſententia Judicis fuerit depulſus, uti præſcribit Galliæ uſus, & ſtatuunt Romanæ Leges (*u*): & in hoc ſenſu ferunt Leges, impenſis dotem minui; ex ea quippe demendæ ſunt impenſæ a marito neceſſario factæ, ne domus rueret. *Quod dicitur neceſſarias impenſas ipſo jure dotem minuere*, inquit Lex (*x*), *non eo pertinet, ut ſi forte fundus in dote ſit, deſinat aliqua ex parte eſſe dotalis; ſed, niſi impenſa reddatur, aut pars fundi aut totus retineatur. Id autem videtur neceſſariis impenſis contineri*; inquit Lex alia (*y*), *quod ſi a marito omiſſum ſit; Judex tanti eum damnabit, quanti mulieris interfuerit*.

(*u*) Leg. *Dotis*. 9. Cod. ſoluto Matrim. lib. 5. tit. 18.

(*x*) Leg. *Si is*. 14. §. 3. ff. de jure dotium.

(*y*) Leg. *Et in totum* 4. ff. de impenſis in res dotales factis.

Idem pro Gratiano dicendum; ſi utiles ſint factæ ab ipſo in domo impenſæ, licet abſolute non ſint neceſſariæ, eaſque de conſenſu mulieris ſuæ fecerit: hujuſmodi namque impenſæ vel marito, vel pro eo, ipſius heredibus debent rependi. *Utilium nomine ita faciendam deductionem quidam dicunt, ſi voluntate mulieris factæ ſint: iniquum enim eſſe, compelli mulierem rem vendere, ut impenſas in eam factas ſolveret, ſi aliunde ſolvere non poteſt, quod ſummam habet æquitatis rationem*. Ita Leges Romanæ (*z*).

(*z*) Leg. *Ubi lium*. 8. ff. eod. tit.

Ve-

Verum ſi factæ tantum fuerint impenſæ ad voluptatem Gratiani, nulla ei debetur compenſatio; licet ad eas a muliere ſua fuiſſet inductus. *In voluptuariis autem, Ariſto ſcribit, nec ſi voluntate mulieris factæ ſunt, exactionem parere* (*a*). Id unum in ipſius gratiam dici poteſt, quod, ſi voluptuariæ illæ impenſæ ſint ejuſmodi, ut eas integras poſſit auferre; poteſt, ſi earum compenſatio ſibi denegetur; aliter facere non poteſt, cum abſque lucro ſuo noceret. *Pro voluptuariis impenſis*, inquit Lex (*b*), *niſi parata ſit mulier pati maritum tollentem, exactionem patitur; nam ſi vult habere mulier, reddere ea quæ impenſa ſunt, debet marito: aut ſi non vult, pati debet tollentem, ſi modo recipiant ſeparationem. Ceterum ſi non recipiant, relinquendæ ſunt; ita enim permittendum eſt marito auferre ornatum, quem poſuit, ſi futurum eſt ejus quod abſtulit.*

(*a*) Leg. *In voluptuariis* 11. ff. eod. tit. Item l. un. §. 5. Cod. de rei uxor. actione.

(*b*) Leg. *Pro voluptuariis*, 9. ff. de impenſis in res dot. factis &c.

Ad perfectam rei bujus elucidationem, hactenus dictis addendum, aliam eſſe impenſarum ſpeciem, quæ quotidianæ dici poſſunt, hoc eſt, quæ identidem fiunt, ut fundus in bono ſtatu conſervetur, & ex eo utilitas percipiatur: quales ſunt, quas minutas vocant, reparationes domus, quarum compenſationem jure repetere nequit maritus, non magis quam impenſarum, quæ ad culturam prædii factæ ſunt: deducendæ ſunt enim hujuſmodi impenſæ ex fructibus ipſis & reditibus, quibus earum neceſſario incumbit onus: cum fructuum ac redituum nomine intelligatur lucrum ex eis ſuperfluum, deductis prius ſumtibus & neceſſariis impenſis ad fruendum. *Nos generaliter definiemus*, inquit Lex (*c*), *multum intereſſe ad perpetuam utilitatem agri, vel ad eam, quæ non ad præſentis temporis pertineat, an vero ad præſentis anni fructum, ſi in præſentis anni utilitatem tantum ſit impenſum, cum fructibus hoc compenſandum. Si vero non fuit ad præſens tempus apta erogatio, neceſſariis impenſis computandum.* Quibus conſentit hæc Lex alia (*d*): *Impendi autem fructuum percipiendorum cauſa, Pomponius ait quod in arando ſerendoque agro impenſum eſt, quodque in tutelam ædificiorum ... ſcilicet, ſi ædificio, ... fructus aliqui percipiebantur: ſed hæ impenſæ non petentur, cum maritus fructum totum anni retinet: quia ex fructibus prius impenſis ſatisfaciendum eſt.*

(*c*) Leg. *Vel ſi*. 3. §. 1. & eod. tit.

(*d*) Leg. *Fructus* 7. § fin. ff ſoluto matrimonio dos quemadmodum petatur. lib. 24. tit. 3.

Denique eodem modo dicendum de impenſis, quæ fiunt ad diſſolvenda onera prædialia, qualia ſunt cenſus, tributa, aliaque ſtipendia; nam de fructibus pariter deſumenda ſunt, neque eorum aliqua viro debetur compenſatio. *Neque ſtipendium, neque tributum ob dotalem fundum præſtita, exigere vir a muliere poteſt: onus enim fructuum hæc impendia ſunt* (*e*).

(*e*) Leg. *Neque*. 11. ff. de impenſis in res dot. factis. lib. 25. tit. 1.

CASUS XXIV.

Domum quam ſibi dotem attulit Prudentii filia, uxor ſua, proxima ruina collabentem pæne ab imo ad ſummum refecit Gratianus, atque in ea reparanda ſeptem octove librarum millia impendit. Octo elapſis menſibus igne hoſtium diſcurrentium conſumta eſt. Quæritur, num is jure compenſationem impenſarum ſuarum poſſit exigere, etſi mulieri ſuæ ejuſque heredibus ex hoc incendio inutiles factæ ſint?

Respons.

Impenſarum ſuarum compenſationem jure exigere poteſt Gratianus; cum enim maritus dotalem fundum reparavit, aut meliorem fecit, eorum ipſi debetur compenſatio: quamvis fundus ille aut reparationes fortuito caſu pereant, qualis eſt is, de quo in caſu propoſito. Ratio eſt, quia ex opere facto hoc ſibi jus pepererat; cumque fundus ille mulieris ſuæ ipſiuſve mortuæ heredum cum dominio ſit; ad eam ſolum vel eos pertinet jactura, ex his Legis verbis (*f*): *Si fulſerit inſulam ruentem, eaque exuſta ſit, impenſas conſequitur.*

(*f*) Leg. *Et in totum*. 4. ff. de impenſis in res dot. factis.

CASUS XXV.

Rusticus Luciam filiam ſuam decem nummorum millibus dotatam Rogerio in matrimonium collocavit. Rogerius vero ex illa pecunia prædium emit, quod quadraginta valet librarum millia. Biennio poſt abſque liberis mortua eſt Lucia. Ruſticus contendit, quod, cum fundus ille e dotali filiæ ſuæ pecunia fuerit comparatus, cenſendus eſt fundus dotalis, qui ad ſe, tamquam filiæ ſuæ heredem debet reverti. Rogerius contra vult, ſe ad reſtitutionem decem millium nummorum quæ percepit, præſenti tantum pecunia teneri. Cui jus?

Respons.

Pro Rogerio ſtat jus. Certum eſt enim, quod fundus e dotali pecunia emtus, non eſt dotalis. *Ex pecunia dotali fundus a marito tuo comparatus, non tibi quæritur*, ait Lex Codicis (*g*). Unde ſequitur, Rogerium jure ſibi prædium retinere poſſe, veluti rem cujus eſt dominus, & de eo quidquam ſperare non poſſe Ruſticum, qui oblata a Rogerio decem nummorum millia accipere tenetur.

(*g*) Leg. *Ex pecunia*. 12. Cod. de jure dotium. lib. 5. tit. 12.

CASUS XXVI.

Renatus Irenem filiam ſuam Florentino nuptui dedit cum decem librarum millibus in dotem; ſed quia præſenti pecunia hanc ei ſummam numerare non poterat, pro ea prædium quingentarum librarum annui cenſus oppigneravit. Hujus autem prædii cenſum biennio percipit Florentinus; quo elapſo tempore decem millium librarum ſolutionem ei obtulit Renatus, ab eoque perceptorum ex eo prædio a nuptiis fructuum rationem exegit, ſimulque apocham totius ſummæ, numerata novem millia librarum accipiendo, quæ cum perceptis e prædio reditibus decem millium ſummam explebant. Florentinus contra contendit, ſe non teneri ad deducendos de ſorte præcipua oppignerati prædii fructus, cum matrimonii onera ſubjerit. Cui jus?

Respons.

Pro Florentino ſtat ratio: neque tenetur ad deducendos e ſorte præcipua fructus perceptos prædii, a ſocero ſuo pro dote Irenes ſibi oppignerati; quia oneribus matrimonii ſatisfecit; & fructus illi ſibi ad indemnitatem, titulo damni emergentis & lucri ceſſantis, ſunt debiti. Rem ita definivit Innocentius III. in una Decretali (*h*) his verbis: *Sane generum ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi a ſocero ſunt numerata* * *dote pignori obligatæ, computandos in ſortem non credimus compellendum.* Cujus rei rationem iſtam affert ſummus hic Pontifex: *Cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda.* Quibus addit Pithœus: *& ideo non ſunt heic vice uſurarum dotis, ſed vice recompenſationis onerum matrimonii, quæ gener ſuſtinet.* Idem docet Gloſſa (*i*). Quibus addi poteſt, ad evincendum titulum damni emergentis & lucri ceſſantis quo nititur Florentinus, quod ſi decem librarum millia præſenti pecunia ſibi Renatus numeraſſet; ex iis utique lucrum collegiſſent vel in commercio vel in emtione ſundi alicujus fructiferi, & ob eam cauſam ex titulo damni emergentis fit expers omnis culpæ, denegando fructuum perceptorum e ſorte præcipua deductionem; cum non ſit æquum, ut propriis impenſis mulieri neceſſaria præbuerit, eo quod proximam a ſocero dotis ſolutionem non acceperit. Ita ſentiunt multi Theologi moderni (*K*).

(*h*) Innoc. III. in cap. *Salubriter*, 16. de uſuris. l. 5. tit. 19.

* Legendam *numeranda*. Pithœus.

(*i*) Gloſſa in cap. *Salubriter*. v. *Onera*.

(*K*) De Gener. Th. mor. Coll. Lucon. Colloq. Condom. &c.

Advertendum nihilominus, quod ſi vir mulieri ſuæ ad vitam neceſſaria præbere non teneretur, nec ab ea liberos ſuſcepiſſet: jam prædii fructus ſuos facere non poſſet, quippe qui ei tantum ad ſuſtinenda matrimonii onera ſint debiti, ut aſſerit Innocentius III. & Legibus ſtatuitur (*l*). Atque idem dicendum de muliere, ſi vidua evaſiſſet, & in hoc caſu ambo fructus perceptos in ſummam præcipuam computare tenerentur. Ita ſentit Innocentius IV. in Decretalem modo relatam.

(*l*) L. *Pro oneribus*. C. de jure dotium & L. *Si ut*. 56. ff. eod. tit.

Vide Fornicatio Caſ. I. III. VI. VII. & IX.

DU-

D U B I U M.

DUBIUM, inquit Polmanus (*a*), *eſt hæſitatio intellectus in medio ſuſpenſi, hoc eſt, in neutram partem inclinati; ſed quo ſe vertat, ambigentis.* Quæ definitio conſentit eum doctrina S Thomæ (*b*), his verbis contenta: *Intellectus noſter reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode; quandoque enim non magis inclinatur in unam, quam in aliam propter apertam æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem: & iſta eſt dubitantis diſpoſitio.*

Duplex diſtinguitur dubii genus; ſcilicet aliud poſitivum, & aliud negativum. Dubium poſitivum eſt quando mens ſuſpenſa remanet ob æqualia rationum momenta, quibus hine & inde fertur ad aſſenſum vel diſſenſum Dubium negativum eſt illud, quo mens ſuſpenſa remanet, quod nullæ ſint rationes, quibus in unam potius quam in aliam partem moveatur.

Duplex inſuper diſtinguendum eſt Dubium. Alterum legitimum, hoc eſt, quod rationibus nititur veriſimilibus & quæ legitimæ videntur: alterum vero illegitimum, quod nulla ſufficienti ratione fulcitur.

Dubium tandem aliud eſt juris, aliud facti Dubium juris ex ignorantia Legis vel præcepti oritur, in eo quod hæc ignorantia mentem teneat ſuſpenſam de parte eligenda. Dubium facti eſt, eum lege cognita ignoratur ejus objectum, aut circumſtantia actionis, quæ fit. V g dubito, an is qui Clericum ſacris Ordinibus initiatum percutit, in excommunicationem incurrat: en dubium juris. Novi equidem latam eſſe excommunicationem in eum qui Clericum percuſſerit; ſed dubito, utrum is quem perentio, ſacrum ſuſceperit Ordinem: en dubium facti. Nunc præcipuas quæ ad rem iſtam pertinent, regulas afferamus

Dubium ſemper, quantum rationabiliter fieri poteſt, mitius eſt enucleandum, ac præcipue eum non legitimis fulcitur rationibus. Illud eſt conſtitutum a S Thoma (*c*) principium. *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*, inquit juris regula (*d*) *In re dubia*, juxta aliam regulam (*e*), *benigniorem ſententiam ſequi non minus juſtius eſt, quam tutius* (*f*) Quæ regula in re pœnali potiſſimum obtinet (*g*) *in dubiis pro reo judicandum eſt.*

In dubiis omnibus in quibus ſalus agitur, id effici neceſſe eſt, quod eſt tutius *In dubiis via eligenda eſt tutior*, inquit Innocentius III ad Capitulum Herbipolenſe ſcribendo (*h*). Idem docet Clemens III (*i*), cum Eugenio I (*k*).

Hine ſequitur, Sacerdotem qui dubitat, num ſit ſuſpenſus, interdictus excommunicatus vel irregularis, dubium ſuum in ſe ipſum interpretari debere, & quaſi talem ſe gerere, dum permanet ejus dubium, ut docet Panormitanus (*l*).

Judex ſententiam ferre nequit, eum eſt in dubio, ſeu dubium ſuum ad perſonam, jus aut factum ſpectet (*m*).

In dubiis quæ ad rem fidei pertinent, recurrendum eſt ad deciſiones Ecleſiæ, ut elucidentur, quemadmodum ait S. Auguſtinus in Canone (*o*).

CASUS PRIMUS.

WOLFANGLEUS dubitans, an Gualterio de reſtitutione quinquaginta librarum teneatur, Parochum ſuum, doctorem peritum, & in moralibus ex forma accuratum conſulit, qui reſpondet, ſe in caſu propoſito ad reſtitutionem non teneri. Poteſt ne VVolfangleus Parochi ſui deciſionem ſequi, non obſtante dubio ſuo, de eo deinceps nullo modo anxius?

RESPONS.

Si VVolfangleo nulla ſubſit cauſſa dubitandi de veritate deciſionis Parochi ſui, eique dubium ſuum ſincere expoſuerit, ipſius conſilium ſequi diſpoſitus, primo dubium ſuum deponat, atque poſtea datæ ab eo deciſioni tuta conſcientia ſtare poteſt. Ratio eſt, quia Moralis Theologiæ ignarus id omne perfecit, quod a ſe exigebat Chriſtiana prudentia, Paſtorem ſuum adeundo, qui viri probi ſimul & periti fama gaudet, aliunde ad ſequendum ipſius dicta ſincere diſpoſitus. Quocirca alios conſulere non tenetur homo ille; quia juſte conjicere poteſt, ceteros in eamdem cum Parocho ſuo ſententiam abituros; cum is, ut ſupponitur, ſit doctus, rerum ad conſcientiam pertinentium intelligens, pius, & in moralibus accuratus (*o*).

CASUS II.

CUM domum ſuam Zephyrinus Guillelmo locaſſet, tectum igne conſumtum eſt; quare inquilinum ſuum de damno reficiendo in jus vocavit. Guillelmus coram judice reſpondit, id caſu fortuito eſſe factum, quod præſtare non tenetur. In dubio ſimul convenere, ac ſimul pacti ſunt de damno inter ſe dividendo: quod ab utroque confectum eſt. At Zephyrinus, qui Guillelmo novit rem eſſe anguſtam, eumque inſuper a litibus abhorrere, timet, ne de dimidio damno reſarciendo eo tantum conſenſerit hic inquilinus, ut litis impenſas

& am-

(*a*) Polman. Brev. Theol. part. 2. a. n. 700.

(*b*) S. Thom. q. 14. de veritate art. 1.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 60. art. 4.

(*d*) Reg. 54. ff. de reg. juris.

(*e*) Reg. 192.

(*f*) Ibid.

(*g*) D'Aoiz. v. *Dubium*. Gloſſ. in Cap. *Cum tu*. 15. de inceſtibus.

(*h*) Innoc. III. capitulo Herbipolenſi in C. *Illud*. 5. §. *Licet*, de Clerico excomm. miniſtrante l. 5. tit. 27.

(*i*) Clemens III. in Cap. *Ad audientiam* de homicidio.

(*k*) Eugen. I. in Cap. *Juvenis* 3. de Sp... & Matr... & ibi. Panormitan.

(*l*) Panormit. in Cap. *Cum tu fili*. Gloſſa in Cap. *Conſulti*. 20. de reg.

(*m*) Can. *Judicantem*. 30. q. 5. Gratian. §. *Ex premiſſis* ibid.

(*n*) S. Aug. in Cap. *Palam*. 9. diſt. 11.

(*o*) De Ste. Beuve, tom. 1. caſ. 169.

& ambages evitaret. Qua de re poſtulat, utrum ſic dubitans, in foro conſcientiæ & abſque injuſtitia pactum cum Guillelmo indemnitatis cauſſa ſummam retinere poſſit?

Respons.

Si vere dubium eſt factum, abſque animi anxietate & in juſtitiæ formidine promiſſam a Guillelmo ſummam retinere poteſt Guilelmus pro dimidio damno, quod ſibi intulit incendium. Ratio eſt, quia æquum eſt in dubio, ut inter locatorem & inquilinum ex æquo dividatur damnum illatum; atque ita ſententiam in foro externo ferret quilibet judex æquus. At vero, ſi certo conſtaret, de nulla Guillelmum culpa teneri, aut quia fulminis igne, aut malevolo inimici cujuſpiam animo contigit incendium; in hoc caſu ad Zephyrinum ſolum tota ſpectaret jactura; atque adeo inquilino ſuo pactam pecuniam reſtituere teneretur, licet ex conventione ſibi datam (a).

(a) Idem ex caſ. 169.

FINIS TOMI PRIMI.

Hujuſce Dictionarii rerum INDEX generalis in Tomo Tertio exſtabit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google